[redacted]. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5

ACTA

SANCTORU

A



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M.DCCC.LXVII.

ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE BAPT. SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO,

PETRO BOSCHIO

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

AUGUSTI TOMUS SECUNDUS

QUO DIES V, VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, CONTINENTUR

PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1867



J. B. Jongelins. Sculp

CAROLO VI

ROMANORUM IMPERATORI

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO

REGI

GERMANIÆ, HISPANIARUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ
DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, ETC

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ
CARNIOLÆ, ETC

MARCHIONI MORAVIÆ

COMITI

HABSBURGI, TYROLIS, GORITIÆ, ETC

TURCARUM DOMITORI

DOMINO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

Quæ de Augusti mensis Tui Sanctis, CÆSAR AUGUSTISSIME, non ita pridem, ubi primum Tomum ederemus, generatim diximus, hic paulo enucleatius, favoribus Tuis munifice et constanter nobis paterne patrocinantibus, elucidantur, dum integros octo dies in lucem proferimus, quibus certe Acta illustrantur, quæ seorsim enumerari SACRÆ MAJESTATI TUÆ novi esse gratissimum. In eo Sanctorum numero longe præcipue elucet vere Archimartyr S. Laurentius, cujus gloriosissima certamina, tota quam late patet Ecclesia solemnissime a tot seculis festive celebrare consuevit. Reliquorum Martyrum series exhibent dies singuli, ubi ordinem ducit et ipse illustris pugil S. Sixtus PP. II. Neque vero in Regibus martyrium defuit, pro tuenda fide Christiana, cujus luculentum in Anglia exemplum præbuit S. rex Oswaldus, dum adversus ethnicos pro eadem fide dimicans, fortissime occubuit, plurimis subinde miraculis clarissimus. Sequitur sanctorum Præsulum aliorumque Confessorum classis satis etiam numerosa: Quos inter habuit Belgium nostrum inclytum sanctum episcopum Gaugericum Cameracensem, quales in eodem hoc Volumine plures in Italia, Gallia

et alibi enumerantur; Siciliam porro utramque sanctitate et virtutibus mirifice ornavit S. Albertus Ordinis Carmelitarum insignis restaurator; Italiam autem et orbem prope universum S. Caietanus Thienæus, dum celeberrimum Ordinem suum Theatinorum quaquaversum propagavit. Est et Tomi hujus ornamentum non ultimum sanctissima virgo Clara, S. Francisci Assisiensis æmula, tot ferme virginum fœcunda mater, quot ille viros apostolicos pro Christo in aciem eduxit. Ne his diutius immoremur, aliud in hoc Tomo præclarum decus Tuum, IMPERATOR AUGUSTISSIME, nec illud sane minimum resplendet, quod in ipso Vitæ aliquot recenseantur, non aliunde quam ex vere Augusta Tua Bibliotheca Vindobonensi acceptæ et ex Græco Latine hic redditæ, ut sunt Martyrium S. Aniceti ac sociorum, et aliud S. Gregorii Spatharii multorumque insignium Martyrum ab impiis Iconomachis Constantinopoli passorum: Acta item S. Marini senis martyris in Cilicia, ac S. Myronis Thaumaturgi, episcopi in Creta insula. Atque hæc commemorasse, etiam sit satis; ad eos Sanctos modo progredimur, qui in Germania illustres, ad SACRAM TUAM MAJESTATEM propius accedunt: Ad eos vero imprimis qui immanium tyrannorum generosi victores, Augustæ vel prope Augustam Vindelicorum cum Afra, stupendo sexus miraculo, gloriose coronati sunt. Veterem Saxoniam, quæ nobis hodie Westfalia est, zelo suo vere Apostolico egregie excoluit S. Hathumarus Paderbornensis nunquam satis laudandus episcopus, totam illam regionem ita zizaniis expurgans, ut seipsam postmodum vix agnoverit. Nec Austriæ Tuæ defuit incomparabile decus et columen S. Altmannus Pataviensis longe laudatissimus episcopus, corruptissimi sui seculi morum totiusque impietatis exterminator acerrimus, non absque gravissimis molestiis et inauditis persecutionibus, ea causa perpessis; in exilium denique, in quod a nefariis suis subditis propulsatus est, Romam usque ad summum Pontificem fugere coactus, a quo, pro justitia martyr, benignissime susceptus, et ab eodem legatione apostolica honoratus, ad suos triumphabundus rediit, jam non in perditos solum mores, sed in omne illud quod fidei integritatem tantillum læderet, irreconciliabile bellum indicens, quod animo tam forti, tam intrepido, tantaque constantia prosecutus est, ut quidquid hæresim saperet, tota sua diœcesi, dicamus tota Austria, felicissime eliminaverit. Atque hujus potissimum Sancti vestigia religiosissime pressit tota Tua Augustissima propago Austriaca, in cujus ditionibus Lutheranæ perfidiæ, per totam ferme viciniam misere grassatæ, nec tenuem radicem figere unquam licuit. Neque vero a Majorum vestigiis vel ad latum unguem deflectit SACRA TUA CÆSAREA ET CATHOLICA MAJESTAS, dum non solum ab aliis suis regnis, sed et a Belgio nostro per Serenissimam Sororem MARIAM ELISABETHAM, dignissimam Gubernatricem nostram, arcere pergit quidquid novitates olet huic patriæ pridem perniciosissimas, quas ductu Tuo, CÆSAR AUGUSTISSIME, tam fervido studio repressit et porro reprimere non desinit, ut quisquis Ecclesiam matrem docentemque supremum Christi Vicarium audire et sequi detrectat, nullibi refugium inveniat præterquam apud consimiles suos novaturientes Batavos, audacter dicamus, veræ doctrinæ Catholicæ desertores. Perge vero, AUGUSTISSIME FIDEI VINDEX, sic ditiones Tuas atque eas inter Belgicam nostram Catholicam, in veræ, sanæ, orthodoxæ fidei

Catholicæ

Catholicæ soliditate conserva, sic integerrimos nostros Antistites infracto Tuo præsidio protege, ut hic nec occulti anguli, nec cavernæ, nec antra quidem pateant, in quibus immorigeri et Sedi Romanæ Apostolicæ refractarii latere queant, aut debitas pœnas evadere. Faveat porro immaculatæ fidei Tuæ remunerator omnipotens, faveant apud ipsum Cœlites omnes, quorum dum ad gloriam illustrandam incumbere pergimus, nobis Cæsarea Tua vereque paterna munificentia favere non desinis; faveant, inquam, superna omnia, certamque spem concipiat SACRA TUA MAJESTAS, fore ut tantorum Patronorum auxiliis bene constanterque faventibus, desideratum belli finem consequaris, atque gloriosissimam pacem, subditis Tuis omnibus optatissimam, quam primum felicissime restituas, sicque quod a biennio augurabamur, recte denuo prædicetur, Te, CÆSAR AUGUSTISSIME, verum esse orbis Catholici PACIFICATOREM. Huc preces, huc vota, huc suspiria nostra cum piis omnibus dirigimus, ea quotidie repetendo quæ pridem quam ardentissime flagitavimus et porro flagitare pergemus, subditorum Tuorum omnium desideria sic cumulet Dominus, ut, Archiduce successore benigne concesso, nihil prorsus succrescat, quo pax, nunc proxime affulgens, turbari unquam possit in posterum. Ita demississime juxta ac cordatissime vovere nunquam desinent

AUGUSTISSIME ET CLEMENTISSIME IMPERATOR

SACRÆ CÆSAREÆ AC CATHOLICÆ MAJESTATIS TUÆ

Devotissimi Clientes:

JOANNES BAPT. SOLLERIUS,
JOANNES PINIUS,
GUILIELMUS CUPERUS,
PETRUS BOSCHIUS,

Societatis Jesu.

SYNOPSIS

TOMI SECUNDI

DE ACTIS SANCTORUM

AUGUSTI

Prodit modo in lucem Augusti mensis Tomus secundus, ordine quartus et trigesimus, complectens dies omnino octo, Sanctos vero nominibus suis expressos viginti duos supra ducentos, præter plurimas anonymorum classes, in variis orbis partibus et sub diversis tyrannis martyrio coronatas. Porro tot inter gloriosos pugiles præcipue elucet longe illustrissimus martyr *Laurentius*, gloria Hispanorum, qui de ejus natali loco quantumvis diu certaverint, non est qui pias eorum contentiones facile componat. De Sancti reliquiis par ferme æmulatio est, verum ea facilius sopita. Nec prætermissa sunt stupenda ejus miracula, de quorum scriptore etiam inquiritur, uti et de variis ecclesiis ejus nomini consecratis. Cæterum servatur hic a nobis solita rerum dispositio seu variorum statuum ordo in *Ecclesiasticum* nimirum, *Monasticum* et *Secularem;* quarto seu postremo loco sanctis feminis seu Virginibus, seu Viduis, seu Martyribus relicto. Nec minus servatus est solitus regionum ordo. Hic vero collocandos censui tres præcipuos Græcos antistites hoc eodem Tomo illustratos, celeberrimum nempe *Alexandrum Carbonarium,* Comanæ in Ponto martyrem, *Myronem Thaumaturgum* in insula Cretensi, nec non *Æmilianum* Cyzici in Hellesponto.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ordinem hic ducunt *Sixtus Papa II,* rebus gestis non minus quam martyrio illustris, de cujus sociis nonnulla disquiruntur; item *Hormisda* et ipse Romanus Pontifex a vafro et impio imperatore Anastasio variis modis exagitatus, qui tamen sub Justino rem Catholicam in Oriente restituit, aliisque præclare gestis Ecclesiam illustravit. Sequuntur illustres tres episcopi et martyres *Emygdius* Asculanus in Piceno, *Donatus* Aretinus in Tuscia, *Rufinus* autem Marsorum etiam in Italia, ab altero synonymo distinguendus. Adde quatuor alios præclaros episcopos confessores *Eusebium* Mediolanensem, *Herculanum* Brixiensem, *Cassianum* Beneventanum, ac *Paridem* Theanensem.

Memmius Catalaunensis in Gallia episcopus et apostolus primum hic inter Gallos locum mereri videtur tum antiquitate tum gestis plane mirandis in istius ecclesiæ fundatione et administratione, quem bini discipuli *Donatianus* et *Domitianus* in eadem sede subsecuti sunt, quorum ætatem et gubernationis tempora definire non satis obvium fuit. *Victricius* Rothomagensis, ex milite eo evectus, non pauca innocenter passus est, a S. Paulino vindicatus; in hoc certe a nobis laudandus, quod etiam Belgis fidem Christianam annuntiarit. Sunt et alii celebres in Gallia episcopi, ut *Arigius* seu *Aredius* Lugdunensis, qui a synonymo aliquo distinctus, ab accusationibus vindicatus est. Item *Cassianus* Augustodunensis cum alio non confundendus. *Venantius* Vivariensis in Occitania, *Donatus* Vesontionensis, *Hugo* Autissiodorensis, ab illustribus natalibus, vita monastica et eximiis præsule dignis virtutibus laudatus. De *Taurini* Ebroicensis gestis operosius actum est. *Auctoris* Metensis ætas definienda fuit, in quam non unus error irrepserat. His vero accedere potest Cameracensium decus et gloria *Gaugericus* noster, multis præclarissime gestis et sanctitate plane eximius. De *Stapino* inquiritur fueritne episcopus Carcassonensis. Nec silendum de *Jonio* presbytero et martyre Castrensi, neque de *Severo* presbytero confessore apud Viennenses.

Germaniæ debentur *Altmannus* celebris Pataviensis episcopus, satis operose illustratus; atque item *Hathumarus* primus Paderbornensis in Westfalia episcopus, cujus memoria gloriose renovata est, et gestorum series ad rectam chronologiam reducta. Adde *Rathardum* presbyterum confessorem in Bavaria Diessensis cœnobii conditorem. Hibernia *Malchum* Lismorensem episcopum suggerit, unde *Abel* ortus creditur, apud monachos Lobienses depositus et cultus. *Blanus* vero seu *Blaanus* ad Scotos

Scotos pertinet, *Samuel* presbyter Edessenus ad Græcos.

EX STATU MONASTICO.

Inter præcipuos hujus status, non ut monachus solum aut abbas Lerinensis, sed et ut martyr collocandus est fortissimus *Porcarius* cum quingentis monachis dire laniatus a barbaris Saracenis, de cujus martyrii tempore aliisque ad Lerinenses spectantibus accurate disputatur. *Mummoli* abbatis et confessoris non minus celebris memoria apud Burdigalenses. *Albertus* Carmelita Messanæ in Sicilia et alibi de Ordine suo præclare meritus est, quemadmodum et de Benedictino *Jordanus Forzate* Patavii, ubi diu moratus est, æstimatissimus. Laboriosior fuit illustranda ac celebranda Vita *Caietani Thienæi*, a mirabilibus gestis, a præclaris virtutibus, a multis miraculis, atque a novi in Ecclesia Ordinis religiosi institutione. *Famianus* ex Ordine Cisterciensi mirus locorum sacrorum visitator, multarum suarum peregrinationum finem invenit Gallesii in agro Romano, ubi corpus ejus adhuc incorruptum servari dicitur. Tres viros præclarissimos ex Ordine Franciscano producit hic Tomus, *Vincentium* Aquilæ, *Joannem Firmanum*, a commoratione dictum *Alvernicolam*, et *Amadeum* Hispanum, gestis et scriptis prorsus mirandum. *Jacobus* eremita et *Theodorus* hegumenus a Græcis laudantur potissimum. *Chremes* abbas in Sicilia notissimus, *Falcus* et *Nicolaus* eremitæ in Apulia. Tales etiam fuere *Gerardus* in Castro Gallinario diœcesis Soranæ, *Getzelinus* prope Coloniam Agrippinam, et *Schetzelo* in agro Luxemburgensi.

EX STATU SECULARI.

Multiplices Martyrum Classes non parum exornant *Cyriacus, Largus* et *Smaragdus* Romæ, *Afer, Quiriacus* et multi alii Augustæ Vindelicorum, *Faustinus* Mediolani, *Justus* et *Pastor* Compluti, *Firmus* et *Rusticus* Veronæ, *Gregorius* autem et socii nominati duodecim ab Iconoclastis dire trucidati. Angliam decorat *Oswaldus* rex et martyr, Catanam Siciliæ gloriosus in paucis martyr *Euplus*. Inter Græcos eminent *Eusignius, Marinus senex, Anicetus* et *Photinus*, *Tiburtius* cum tot aliis sociis suis, et *Hormisda* in Persia. His junguntur confessores *Deusdedit* Romæ, *Donatus* Foro Cornelii, *Viator* apud Aurelianenses in Gallia, *Celsus* apud Lemovices, *Conradus* vero *Nantuinus* in Bavaria.

EX SEXU FEMINEO.

Et hic sexus in hoc Tomo multis illustribus martyribus excellit : *Bassa, Paula* et *Agathonica* Carthagine in Africa triumpharunt; *Juliana, Agape* et *Metrodora* Nicomediæ; *Maria Patricia* ab impiis Iconomachis coronata; *Asteria* virgo martyr Bergomi; *Digna* Tuderti in Italia : præcipue autem *Susanna* V. M. Romana; de cujus Actorum sinceritate vetus disceptatio, quoad fieri potuit, explicatur. Nil prætermissum est quo *Clara* virgo Assisiensis S. Francisci æmula condigne exornaretur, uti et *Hugolina* virgo Vercellensis. *Agilberta* virgo abbatissa Jotrensis, cultu magis quam rebus gestis innotuit, uti et *Cæcilia* alias *Clara* Romarici montis in Lotharingia; at *Rusticula* Arelatensis Florentium nacta est præclarum sane Vitæ scriptorem. *Nonna* mater S. Greg. Nazianzeni neglecta non est, neque etiam *Margarita* vidua apud Septempedanos Piceni Italiæ.

Atque hi sunt præcipui Sancti quorum Acta aut breviora etiam elogia hoc Tomo illustrantur : quo autem die quibusve paginis quærenda sint singula, docet Index Alphabeticus eorumdem, toti Volumini præfixus; ætatem porro Chronologicus. Cætera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt.

FACUL-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 *Decembris* 1692, *et* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere et vendere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto Suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam Sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;*

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Francisco Retz, concedo Bernardo Alberto vander Plassche *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum secundum de Actis Sanctorum Julii, collectis et illustratis per Joannem Bapt. Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum, Petrum Boschium, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* XVIII *Junii* MDCCXXXV.

IGNATIUS DE PAEUW.

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Bapt. Sollerii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto vander Plassche, ut Tomum secundum de Actis Sanctorum Augusti, meo permissu ab ipso impressum, publicet. Datum Antverpiæ XII *Julii* MDCCXXXV.

APPRO-

APPROBATIO

ORDINARII

Post Tomum primum mensis Augusti, a biennio editum, prodit modo Tomus alter ejusdem mensis ejusdemque vasti Operis de Actis Sanctorum, quem in lucem producunt scriptores iidem Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus et Petrus Boschius Societatis Jesu presbyteri, ea qua priores diligentia elucubratum, in quo nihil occurrit quod non consonet fidei et bonis moribus, aut eruditorum exspectationi non respondeat. Ita testor Antverpiæ XII *Julii* MDCCXXXV.

F. G. ULLENS
Presb. Can. Schol. Offic. et Lib. Censor
Antverpiæ.

PROTESTATIO

AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ: idem ante hunc secundum Tomum Augusti denuo protestamur.

INDEX

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM II AUGUSTI

A

B

C

D

E

Cap. I.

J

L

INDEX CHRONOLOGICUS

NOTITIA
FIGURARUM
ORNANTIUM HUNC TOMUM

ACTA SANCTORUM

AUGUSTI

TOMUS SECUNDUS

QUINTA DIES

SANCTI QUI NONIS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Memmius conf. episc. Catalaun. in Gallia.
S. Poma virgo ejus soror.
S. Jonius presb. Martyr apud Castrens. in Gallia.
S. Emygdius ep. Martyr Asculi in Piceno.
S. Afra Martyr Augustæ Vindelicorum.
S. Afer et alii Martyres ibidem.
S. Cassianus episc. conf. Augustoduni in Gallia.
SS. XXIII Martyres Romæ.
S. Eusignius Martyr Antiochiæ.
S. Cantidius, S. Cantidianus, S. Sobel, Martyres in Ægypto.
S. Hireneus, S. Eraclas, S. Dasius, Martyres Axiopoli.
S. Florianus, S. Filistinus, Martyres.
S. Paris ep. conf. Teani in Italia.
S. Nonna mater S. Greg. Nazianzeni.
S. Viator conf. apud Aurelianen. in Galli
S. Oswaldus rex et Martyr in Anglia.
S. Venantius episc. conf. Vivarii in Occ Gallia.
S. Abel ep. conf. in Laubien. Hannon cœnobio.
S. Margarita vidua apud Septemped. Pici Italiæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Fabius archiepiscopus Romæ gladio consummatur; *sicut referunt Menæa magna Græcorum impressa, duos ei versiculos accinentia. Quem Menæa Fabium Latini Fabianum appellant; secundum dicta die* XX *Januarii pag. 252; quo de eo ibidem apud nos agitur cum Martyrologio Romano. Vide ergo diem* XX Janua.

S. Altonem *illustrem in Bavaria superiore abbatem hoc die alicubi notavit Dempsterus, eum Scotis asserens. Vide quæ de eo ejusque patria erudite disputavit Bollandus* IX Februarii.

De S. Silvini *capsæ reliquiarum apertione hoc die facta, agitur ad ejus festum* XVII Februarii.

S. Gregorius Nyssenus, *nescio qua ratione hoc die signetur in nostro Usuardo Bruxellensi. De eo pridem actum est die quo vere colitur* IX Mart.

S. Laudum Hortensem martyrem *hoc die annuntians Ferrarius, addensque* de quo III Nonas Maii, *satis ostendit, de eo jam abunde actum fuisse; ut vide* V Maii.

S. Rotradis *reliquiæ hoc die memorantur ad Acta S. Silvini* XVII *Februarii : de ipsa actum est* XXII Junii.

S. Hildulphus *Trevirensis episcopus male a Camerario huc translatus est. De eo satis fuse egim* XI Julii.

S. Liberti reliquiarum exceptio, *ut hoc die fa refertur in commentario ad Acta S. Silv* XVII *Februarii. Vide ipsiusmet Acta die* : Julii.

S. Lewinæ adventus, Bergis *signatur a Molai Vide quæ de Sancta illa dicta sunt ad diem* Julii.

S. Dominicum *sacri Ordinis RR. PP. Prædicatorum celeberrimum Patriarcham hoc die certatim annuntiant varia auctaria Usuardina, utpote ipso die quo olim ejus festivitas celebrabatur, retracta ex die obitus qui fuit mensis* VI, *impeditus festo Transfigurationis : Prævalente autem subinde solemnitate S. Mariæ ad Nives, ex ordinatione Apostolica Pauli PP. IV colitur modo die præcedenti quo ejus Acta habes fuse, diligenter et accurate illustrata* IV Augusti.

Apud Santones, S. FREDULPHI confessoris, magnarum virtutum in vita splendore, postque obitum multorum signorum coruscatione illustris. *Satis vaga est hodierna Saussayi annuntiatio, cui nec hilum lucis pridie adspersit Castellanus his æque obscuris verbis* : In Santonia, S. Fredulfi (Frion) confessoris.

fessoris. *Diu multumque quæsivi et apud Santones et alibi, ut de Sancto isto distinctius aliquid nanciscerer; donec* Frodulfus *aliquis* (Vron) *casu occurrit in Vita S. Mederici Sec. 3 Actorum Ord. S. Benedicti, tom. I, pag. 12, de quo hæc paucula memorantur; nempe,* compellente vel potius exhortante FRODULFO, miræ sanctitatis viro, quem ipse sanctissimis manibus de lavacro susceperat, atque ad totius perfectionis culmen evexerat, *S. Medericum Parisios profectum. Ad quæ notat Mabillonius in hunc modum :* S. Frodulfus, vulgo *S. Frou, Flodulfe,* festo solemni colitur die XXI Aprilis (olim XXII, qui est dies obitus) Parisiis in ecclesia S. Mederici, in qua cranium ejus cum duabus vertebris et costa adservatur, reliquæ partes habentur in oppidulo quodam Burgundiæ, a quo non longe visitur parvum oratorium, ubi S. Frodulfus tumulatus fuisse memoratur. *Si utrobique de eodem Sancto agatur, non video cur a Saussayo et Castellano ad Santones relegetur. Cæterum utcumque res habeat, uberiori aliqua notitia opus est, ut vel* XXIX *Augusti cum S. Mederico de ipso agamus (ut in indice operis sui notavit Legendista Gallus) vel differatur tota quæstio ad Supplementum Aprilis, cujus die* XXI *eum coli dixit Mabillonius, vel, ut est in Kalendario spirituali Parisiensi, die* XXII.

Theodoricum episcopum Cameracensem, *Magdeburgum in Saxoniam translatum, inter Sanctos hoc die rotunde collocat Ferrarius, Molanum citans, ubi hic tamen a* Sancti *aut* Beati *titulo studiose abstinet, casum simpliciter narrans quo in Saxoniam corpus delatum est. Miræus in Fastis audet plusculum, dum et huic Theodorico, et Joanni ejus successori Beatorum titulum tribuit, quem ipsis concedi posse hactenus, equidem non satis perspicio. Castellanus ambos merito* Venerabiles *appellat, neque nos ultra quid audere posse censemus.*

Joannes episcopus Cameracensis, *prioris, ut jam dixi, immediatus successor, a Ferrario etiam notatus; nec ipse Sanctorum honoribus hucusque donatus videtur.*

Dominum Bernardum Venetum, *Beneventi in monasterio S. Sophiæ, hoc die inter suos Canonicos regulares signavit Ghinius, defunctum anno* MDCVI, *ipsum longo et insigni elogio exornans, sic tamen ut fateatur nullis dum Sanctorum honoribus fuisse donatum.*

Christinam *alicubi reperit Bollandus hoc die, quæ ea sit inter plures synonymas, cupio doceri.*

Olbertum *abbatem nobis hoc die annuntiat Kalendarium Benedictinum; melius alii ipsum referunt* XIV *Julii, quo die inter Prætermissos de eo pluribus actum est.*

Eodem die depositio S. Ebroini Bituricensis archiepiscopi, confessoris S. Caroli Magni, *singularis annuntiatio est Florarii nostri Sanctorum Ms. Notus est in serie episcoporum Bituricensium Ebroinus iste ordine* XLII, *at de ejus sanctitate aut cultu altum ubique silentium.*

Beati Guillelmi abbatis, in Brabantia cœnobio Villariensi *diserte scribit hoc die Menardus, in suis Observationibus satis mira de ipso memorans, quorum apud Henriquez et Chalemotum nec vestigium occurrit. Virum insignem et venerabilem fuisse ultro concessero; ut Sanctis inserere audeam, majori opus est auctoritate.*

Theodoricus monachus Hevervachcensis *refertur hoc die in Kalendario sacri Ordinis Cisterciensis, adeoque ut* Sanctus. *Locum distinctius explicat Chalemotus hoc ipso die :* In Germania, Eberbacensi monasterio, beatus Theodoricus monachus pietate insignis, puritate decorus, religione præcipuus, sanctitate præclarus, etc. *Henriquez de Theodorico isto non meminit, neque vero Sanctorum honoribus memoriam ejus celebrari, aliunde constat.*

Hildegundis *ejusdem Ordinis etiam in Germania sanctimonialis, non quidem in Kalendario, sed apud Henriquez et Chalemotum ut* Beata *prædicatur. De vero cultu doceri cupimus.*

Descensio B. M. Virginis in Cistercio, *et mutatio habitus de nigro in album, sub abbate Alberico anno* MCI *signatur in jam dicto Kalendario et apud Henriquez. Sufficiat hic ejus meminisse.*

Valentiæ in Gallia, dedicatio majoris ecclesiæ, *est annuntiatio solius Ferrarii.*

Gerardum *Ordinis Præmonstratensis primum Bernensem abbatem inter Sanctos hoc die refert in Natalibus suis Chrysostomus Vander Sterre, ubi ipsum diserte vocat* Beatum. *Magistrum egregium et virum sanctissimum fuisse, facile concessero : at veri cultus certiora quæro indicia.*

Achia, *quæ et aliter* Echea, Ethchea *et* Lalloca *dicitur, ad* VI *Februarii, ubi de sancto Mele agitur, ad hunc diem remitti videtur, aut ad* XV *Januarii. Nihil alibi invenio quod de cultu aut gestis proferre possim.*

Rethna, Ruthena, Rathnata *seu* Rathnota *nominatur in Actis S. Idæ virginis* XV *Januarii; ibique in notationibus additum;* fertur coli V Augusti. *Vellem solidius aliquid et certius, ut de ea hic agi posset.*

Dedicatio basilicæ S. Mariæ Majoris *est annuntiatio hodierna inserta codd. Hieronymianis Lucensi et Corbeiensi, qua carent codices cæteri, æque ac classici præcipui Ado ipse, Usuardus Rabanus et reliqui in nostra præfatione Usuardina enumerati. Distinctius festum ipsum signat Martyrologium Romanum his verbis :* Romæ in Esquiliis, dedicatio basilicæ S. Mariæ ad Nives : *quæ festivitas Romæ hoc die et toto orbe Catholico solemnissime celebratur, eo nempe quo nix, ferventissima cœli tempestate decidua, locum templo designavit, quod a Liberio PP. conditum, a Sixto III restauratum, ab aliis Pontificibus splendidissime exornatum est. Nos eam festivitatem cum aliis Christi Domini et beatissimæ Deiparæ eo remittimus, quo Majores nostri peculiari opere de iis agendum pridem polliciti sunt.*

Clemens *ex Ordine S. Francisci locum habet apud Oldoinum in aliorum synonymorum serie, qui titulo sanctitatis aut morum Ecclesiam illustrarunt. Arturus* Beatum *prædicat, apud quem et sequentes reperiuntur :*

Franciscus martyr *Manicis-Caphrorum in India orientali.*
Bernardus a Fabriano *conf. Camerini in Umbria.*
Stephanus Brulifer *conf. Bernonii in Britannia Armorica.*
Euangelista a Perusio *conf. Ragusii.*
Bonna vidua *Tertiaria Podii Bonitii in Etruria.*
} *titulo* Beati *donantur ab Arturo in Marllio Franc. et ultima etiam in Gynæceo.*

Ab indebitis titulis abstinet Hueberus in Menologio, ubi jam relatis superaddit Martyres binos in Æthiopia sed anonymos. Tum vero Marianum de Jescorbo, Vilnæ in Polonia.

Evangelistam Balionium *Ragusæ in Illyrico.*

Joannam a Baptismo *Belvisii in territ. Placentino.*

Ma-

Mariam Gonzagam *Duc. Mantuæ tertii Ordinis.*

Dominicæ a Paradiso, *illustris Ordinis Prædicatorum Virginis non elogium solum refert Marchesius hoc die in Diario Dominicano, sed et Vitam prolixe exornatam.* Sponsam Christi *recte vocat, ab omni cultus aut sanctitatis titulo abstinens.*

Camilla Moletti *ut soror venerabilis tertii Ordinis signatur item hoc die ab eodem Marchesio.*

Beatrix a quinque vulneribus *additur in Anno sancto Belgico.*

Dominicus a S. Maria *in Viridario Germanico.*

S. Martyris Erenæi, fortasse Irenæi *apud Possevinum in Ruthenorum Kalendario, tom. II Apparatus sacri, quod habetur a pag. 364, nomen occurrit. Neutrum placet Papebrochio in Augusto Moscorum figurato, ante tom. I Maii pag.* XXXIX. *S. Irenæi martyris memoria occurrit die* XXII *et* XXIII *hujus mensis in Menæis magnis Græcorum excusis. Possevinianus autem quis sit, aut quo spectet, non novimus.*

Egbertum Eboracensem *sec.* VIII *episcopum inter Sanctos se reperisse ait Ferrarius* in Martyrologio Anglicano, et in Tabb. Epp. Eboracensium. *Non bona fide : in primo enim ne nomine quidem notus est; in Tabulis a sanctitatis titulo abstinetur, quemadmodum et Baronius cavet dum de ipso in Annalibus loquitur ad annum 762.*

Georgium, *cognomento* Justum, linei panni mercatorem *laudant hoc die, Molanus in Natalibus et Miræus in Fastis, utpote* cujus memoria in benedictione est *ab anno* MCCXCVIII, *et sepultura Biervliti in extrema Flandria Zelandiam versus, in oppido mari circumdato et hæreticis hodie subdito. Nescio cur Castellanus eum die tertia hujus mensis signaverit.*

Florentiæ depositio beati Jacobi Gerii, eremitæ Ordinis Camaldulensis, sanctitate clari, in cujus transitu angelorum voces auditæ referuntur. *Verba sunt Wionis hoc die, quæ aliunde confirmata cuperem, priusquam Viro isti, certe* Venerabili *locum inter Sanctos concedi posse existimem.*

Humbertus episcopus Silvæ candidæ, S. R. E. Cardinalis *seculo* XI *celeberrimus recte a Bucelino dicitur,* eminentissimam sacræ purpuræ dignitatem eminentissimis virtutibus ac meritis mirifice excoluisse : *at enim Sanctorum honores legitime consecutum, necdum reperi.*

Spinæ Domini nostri Jesu Christi *festivitatem annuntiat Octavius noster Caietanus in Martyrologio Siculo : item inventæ imaginis Deiparæ Virginis Messanæ. Tum vero celebritatem alterius imaginis Panormitanæ, de quibus ibi plura memorat.*

Stanislaus Hosius *S. R. E. Cardinalis seculo* XVI *celeberrimus locum habet tertium decimum in Martini Baronii serie Sanctorum ac Beatorum istius nominis. Hoc die quidem obiit; at de cultu ejus nihil aliunde innotuit hactenus.*

Baldricus *seu* Baldericus *episcopus Ultrajectensis, ordine* XV, *laudatur hoc die a pluribus, et quidem Sanctis annumeratur : ab aliis obiisse dicitur* VI *Januarii. Si de ejus cultu constaret, id indicare non neglexissent nuperi editores sacri fœderati Belgii. Scripsit olim ad Bollandum Gisbertus Lappius,* Baldericum pium *appellari posse,* sanctum *nequaquam.*

Marina a S. Georgio *Panormi in Sicilia ex Ordine Minimorum hoc die titulo* Beatæ *donatur ab Arturo in Gynæceo. Quæro qui de cultu nos doceat.*

Migelii episcopi et confessoris *nescio unde meminisse potuerint additiones Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quem frustra alibi quæsivi hactenus; ut verosimillimum videatur, effictum nomen ab ignorante aliquo ex* Migdio, *quod inter auctaria Usuardina reperitur; hoc vero decurtatum ab* Emygdio, *de quo hoc die suo loco agitur. Rem gratissimam præstiterit siquis lucis aliquid afferre potuerit.*

Cassinus et Maslininus, *vel* Cassianus et Masculinus *in Catalogis Sanctorum Hiberniæ impressis, diverso eo modo referuntur. Satis sit hic notare, sub neutra inflexione Sanctos hujusmodi nobis hactenus innotuisse.*

Viator (*Gall.* Bietre) episcopus Bituricensis *hoc die ut Sanctus annuntiatur a Castellano, cum tamen nec apud ipsum Saussayum notus sit, nec apud Sammarthanos aut alios, quod sciam, eo titulo ornetur. Doceant nos Bituricenses, siquid habeant quo ejus gloria promoveri possit.*

Joannes Feckenamus, fortissimus Christi athleta et invictissimus Catholicæ fidei propugnator *recte a Bucelino appellatur, ut merito inter* Venerabiles *locum habeat.*

S. Urbitius *ut* episcopus et martyr *notatur hoc die a Ferrario; de ipso agetur die sequenti* VI Aug.

S. Sixtum II martyrem *hoc die perperam retulit Usuardus Bruxellensis, spectat ad diem sequentem* VI Augusti.

S. Hormisdas Papa *hoc die refertur a Notkero atque etiam in auctariis aliquibus Usuardinis; melius ab aliis cum Romano die sequenti* VI Aug.

Præfestum metamorphosis Domini nostri Jesu Christi *annuntiat hoc die Molanus.* Profestum Transfigurationis D. N. J. C. *inscribitur Typico S. Sabæ : de qua re etiam meminerunt Menæa magna Græcorum impressa, ac Menologium Slavo-Russicum Sparwenseldianum. Florarium autem nostrum Sanctorum Ms. sic habet in ipso laterculi principio : Secundum Ordinarium ecclesiæ Leodiensis, agitur hoc die festum Transfigurationis D. N. J. C. Satis notum est, spectare ad diem sequentem* VI Augusti.

B. Hathumarus Paderbornensis primus episcopus, *teste Schateno* V *Idus Augusti seu* IX *hujus mensis ad cœlos evolavit; ut prorsus non intelligam cur a Bucelino hoc die relatus sit. De ipso itaque agemus* IX Augusti.

S. Justus episc. Lugdunensis, *a Maurolyco hoc die notatus, jam non semel remissus est ad diem quo colitur* II Septembris.

Moysis, principis Prophetarum *meminit Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum. Colitur a Latinis* IV Septembris.

S. Ulfardus *seu* Ulfarus *huc remissus videtur ab Henschenio in serie Prætermissorum ad diem* III *Junii. De eo etiam locutus fuerat* I *Junii, ubi de S. Claro pag. 9. Porro dum de* S. Lifardo *agitur etiam die* III *Junii pag. 300, num. 8 quæstio occurrit, utrum* Ulfardus *iste, quisquis est, cum* S. Lifardo *confundendus non sit. Mirum sane a Saussayo præteritum esse. Equidem fallor plurimum, nisi ex adjunctis apud Castellanum ipsissimus* Ulfacius *non sit, quem refert* IX *Septembris; in quod tempus eæ forte accedent notitiæ, ex quibus res magis illustrari poterit* IX Septembris.

SS. Marcellum et Apultium *pro* Apuleio *hoc die signat Felicius, contra quam in Martyrologio Romano referantur die quo de ipsis agendum*

erit

A *erit* VII Octobris.

S. Savini dedicatio *seu* translatio *huc remissa est ex* XXII *Januarii, duce Saussayo, qui hoc die ipsam habet ex Martyrologio S. Savini in Levitania pag. 1249. Colitur Sanctus quando de eo agendum erit* IX Octobris.

S. Albericum episcopum Ultrajectensem, *Susteræ in ducatu Juliacensi nescio cur hoc die retulerit Castellanus. In Fastis Belgicis colitur et de eo agetur* XIV Novembris.

S. Hildam *celeberrimam in Anglia abbatissam quo titulo hoc die* Lubecæ in Saxonia *collocet Ferrarius, necdum satis perspicio. Molanum citat in additionibus et Canisium. Utrumque perperam. De ea agit Canisius* XXV *hujus, ubi ipsam denuo reperit idem Ferrarius; qui facile acquiescere poterat ea annuntiatione, qua Sanctæ nomen frustra reticet, cum eo die vere colatur, nempe* XVII Novembris. D

De S. Trudonis *reliquiis loquitur commentarius ad Acta S. Silvini* XVII *Februarii. De ipso agetur* XXIII Novembris.

DE S. MEMMIO EPISC. CONFESSORE

CATALAUNI IN GALLIA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B § II. Cultus vetustissimus, ætas incerta. E

SEC. III. *Catalaunen. I episc.*

Catalaunum *urbs antiquæ Galliæ Belgicæ, ad Matronam (unde dicta Gall.* Châlon-sur-Marne, *ad alterius civitatis synonymæ, quæ Cabillonum vocatur,* Châlon-sur-Saône, *distinctionem) sita, in hodierna Campaniæ provincia, episcopalis, sub archiepiscopo Remensi, ampla et munita, primum episcopum et apostolum numerat et colit* S. Memmium, *tota Gallia celebrem, et in Martyrologiis nostris classicis notissimum; in ipsis etiam Hieronymianis codicibus, quorum laterculi non satis accurati sunt. Textus hodiernus apud Florentinium est :* Catalonis civitate, natalis sancti Mimini episcopi. *Epternacensis scribit;* Cataleonia civitate, Mimmini episcopi. *Paulo limatius Corbeiensis :* Catalaunis civitate, natalis S. Memmi episcopi et confessoris. *Blumianum legit* Mimi. *In contractis par variatio; optime nomen formant codd. Rhinoviensis et Richenoviensis*, Memmii. *Hæc vero annuntiatio* C *cujuscumque Gallici antiquarii fuerit, ex omnium codicum concordia satis patet, dicendam esse antiquissimam, cultumque adeo S. Memmii et ipsum fuisse vetustissimum; æque ac apud Rabanum et Notkerum Hieronymiana sequi solitos; de suo addentes, quæ ex Actis qualibuscumque desumpserunt.*

in vetustiss. Martiliis

2 *En Rabani textum :* In civitate Catalaunice, depositio Memmei episcopi et confessoris, de quo legitur quod a B. Petro Apostolo in Romana urbe episcopus ordinatus, missus fuisset in Galliam, simul cum S. Dionysio et S. Sexto, atque Euchario ad prædicandum verbum Dei; qui etiam virtutes multas fecit, et novissime nobiliter vitam præsentem finiens, ad requiem migravit æternam. *Eadem hæc descripsit Notkerus, phrasi hinc inde non nihil lævigata. De Adone mota est quæstio in Observationibus ad Usuardum hoc die, ast ipsa soluta est ad diem* XXI *Decembris, quo expressissime ab ipso signatur his verbis :* Catalaunis, S. Memmii episcopi primi, illi civitati ab urbe Roma directi, qui inter alia miracula mortuum suscitavit, cujus nunc sepulcrum creberrimis miraculis illustratur. *Recte hic Martyrologus Viennensis dubia rescindenda censuit; at cur eo die S. Memmium retulerit, non est unde satis clare perspicias, nisi forte alludat ad Sancti adventum aut ad primam sacri corporis inventionem, de qua agemus inferius, quæ cum mense Decembri contigerint, illum ipse diem præ natali forte adoptandum censuerit.*

notus et laudatus,

3 *De Usuardo dubium non est quin hac ipsa die Sanctum annuntiaverit, quemadmodum et tota ejus progenies. Textus ejus brevis et verus est :* Catalaunis, sancti Memmii episcopi : *quid aliunde auctariis accesserit, ex nostra editione obvium est. Beda Plantinianus et Maurolycus recte etiam annuntiant, rescissis prorsus elogiis, quæ dum alii adjungunt, magnam Actorum partem describunt, ut Florarium, Galesinius et alii, quos hic describere non vacat : omnium instar erit Martyrologus Gallicus non uno loco S. Memmium meritis laudibus prosecutus. Hic Acta ipsa qualiacumque elegantiori phrasi reddidit :* Catalaunis, sub secundæ Belgicæ sede metropolitica, natalis S. Memmii, primi illius civitatis episcopi; qui Romæ antiquissima nobilitate ortus, a sancto Petro, Christi in terris primo vicario fidei imbutus documentis, sacroque tinctus lavacro, charismatibus divinis cum repletus esset studioque ferveret, populos in idolorum F cultu, veræque religionis ignoratione versantes, ad salutaria sacra convertendi; ab ipso Apostolorum summo ordinatus episcopus, ad cœlestem Christi legem in hac civitate promulgandam in Galliam directus est cum Donatiano diacono et Domitiano subdiacono.

a Saussayo pluribus ornatur.

4 Susceptam vero ad illuminandum patriam cum adirent, vix ab agro Romano pedem dimoverant, cum gradum sistere oportuit. Morbus enim gravis prima hospitatione Domitianum invasit, quo brevi exstinctus est. Quo inexspectato eventu consternatus, Romam repetiit Memmius, reque Apostolo Petro nuntiata, ab eo corroboratus, accepta fimbriæ vestimenti ejus particula, cujus appositione cadaver socii reanimaret, ad locum, ubi jacebat, reversus, fusa ad Christum oratione, fimbriæ ipsius Apostoli applicatione defunctum ad vitam sospitatemque integram revocavit. Tumque tramitem exorsum persequens cum bino comite, tot in via operatus est mira opera, ut ubique et divinæ gratiæ semina, et gloriæ testimonia relinqueret insignia. Tandem expetitæ urbis mœnia attigit, illic crucis vexillum ad civium salutem quantocius

A tocius erecturus: sed diaboli invidia factum est, ut populi duritia nec veritatis præconem admitteret, nec vitæ verbum audire sustineret. Exclusus igitur est protinus ab incolis, simulacrorum fervidis cultoribus, cum improperio vir divinus; qui injuriæ non ulciscendæ cupidus, contumacis populi conversionem, ut precibus a Domino tandem aliquando impetraret, occasionemque præstolaretur, in ipso agro Catalaunensi, non ita ab urbe procul, solitudine reperta, illic in spelunca, divinis rebus intentus constitit, quousque nobilem puerum delapsum in flumen aquisque præfocatum, Deo volente ad se delatum, invocato Christi nomine, vitæ restituit.

ut qui vitam totam referat.

5 Hoc admirabili facto concussi cives, ad Virum beatum propere concurrentes, urbem ut sibi jam devotam, salutifera prædicatione erudiret, redire dignaretur, obnixe rogaverunt. In cujus ingressu divinæ virtutis fretus gratia, leprosos tres sibi obvios mundavit; cæcos totidem illuminavit, dæmonemque ab obsesso quodam abegit. Tot coruscationibus Christi gloriæ facile omnium Memmius illustravit mentes, B effecitque sanctis cohortationibus, ut ejurato fictilium numinum cultu, fidem Christi legemque serio cives profiterentur. Erat illic insigne falsorum deorum delubrum, quod sacratissimus Mysta diabolicis ritibus expurgans, Dei veri obsequiis, cuncto annuente populo, dedicavit, sub S. Petri Apostolorum Principis, a quo missus primum fuerat, patrocinio. Tumque miraculorum splendore religionem confirmare pergens, eamdem ubi in urbe egregie constituisset, per loca vicina dilatare cœpit; oppidoque Pertensi Deo servatori feliciter subjugato, illic ecclesiam, in sanctissimæ Virginis memoriam ædificavit et sacravit. Interea Poma virgo pientissima, quæ inclyti hujus Pontificis germana erat, auditis faustis ejus prædicationis progressibus, Roma ad eum profecta, Catalaunum venit, ibique sub ejus magisterio puros Christo famulatus ad extremum usque spiritum reddidit, perductis sua imitatione, ad sacrum virginitatis cultum plurimis ingenuis puellis. Cæterum beatus ipse Antistes, tot patratis mirificis actibus, post diuturnum admodum præsulatum, quem in annos ferme octoginta felicissime prorogavit, tandem piis potitus votis, C laborum ingentium præmia a Domino reposita percepit; inque pace sepultus, gloriosis emicuit meritorum maximorum insigniis.

Missionis epocha

6 *Hæc ferme tota Actorum series; ubi vides, Saussayum cum aliis supra relatis perpetuo alludere ad famosam epocham de primis Galliarum apostolis seu Evangelii prædicatoribus ab ipso S. Petro in provincias varias directis, in Belgicam usque nostram, quin et in insulas Britannicas; quam controversiam ingredi, quid est aliud quam emortuas prope lites denuo revolvere, non semel in hoc opere agitatas; præsertim tomo V Junii, ubi occasione S. Martialis Lemovicensis, quæ eo spectant, abunde exposita invenies. Non displicet recentior dissertatio nostri Longuevallii, præfixa novissimæ ejus historiæ Ecclesiæ Gallicanæ, qua, ut ut statuat fidem Christianam in Galliis prædicatam fuisse ab ipsis Apostolorum discipulis, sive immediatis sive paulo remotioribus, fatetur tamen, primis duobus seculis progressum ipsos fecisse perexiguum: quæ vero circumferuntur de variis ecclesiarum in Gallia primo seculo fundationibus, esse ut minimum incertissima, recte pronuntiat; ut, si me audiant Catalaunenses, ecclesiæ suæ primordia in* S. Memmio *fixuri sint, non seculo* 1, *verum adulto jam ferme seculo* 3, *inventuri eo modo anno sufficientes ut* S. Memmii *et successorum tempora definiant, exclusis centenariis illis episcopis, ac centum præterea et viginti annorum vacatione.*

ex qua ordinantur

7 *Tolerabilis certe videbitur hæc nostra rerum dispositio, ubi expenso primo illo et unico, in serie episcoporum, puncto Chronologico fixo, quod nobis suggerunt Sammarthani, ubi de S. Alpino agitur, vivente eo tempore quo in campis Catalaunicis, seu, ut alii malunt, Sacalaunicis ad internecionem cæsus est Attila, nempe anno 451, sic ordinari possint primorum septem episcoporum Catalaunensium ætates, ut* S. Memmius *primus eorum apostolus, post medium seculi tertii eo appulsus, sedem illam tenuerit ad annum usque 280: singulis porro ejus discipulis* Donatiano *et* Domitiano, *quos tametsi valde senes sancto Magistro successisse volunt, detur circiter decennium; sic fiet ut inchoetur seculum quartum in* Amabili, *qui sedere potuerit ad annum usque 320; successor vero* Desiderius *ad annum 350;* Sanctissimus *ad 380;* Provinctus *ad 420; sic pervenietur ad primam illam epocham certam, nempe ad annum* E *451, quando Catalaunensi ecclesiæ vere præfuit laudatus jam* S. Alpinus, *cujus successor* Amandus *seu Amandinus subscribere facile potuerit Concilio Turonensi I anno 461.*

primi septem Catalaunen. Episcopi.

8 *Hæc, nisi vehementer fallimur, verosimillima est primorum Catalaunensium episcoporum successio, qua tantisper admissa, et nimis diuturna vacatio, et incredibiles ætates commode læviganfur, ut saltem circa* S. Memmii *tempora nihil paradoxi admittendum sit. Venerit ipse cum pluribus aliis episcopis in Galliam post medium circiter seculi tertii, vineamque sibi commissam, non quidem ultra annum 306, ut notat Martyrologium Parisiense anni 1727, sed annis circiter triginta excoluerit, binis discipulis jam dictis reliquum seculi tertii implentibus, nihil sane temporis deeritquo gesta ejus omnia facillime digerantur, cum sola ferme supersint miracula, quæ an omnia ab eo in vivis patrata sint, erunt fortasse qui non satis exploratum existiment; certe quæ de eo supersunt Legendæ etiamsi brevissimæ, non eam ætatem præferunt, nec ea fultæ sunt auctoritate ut, in iis præsertim quæ controversam S. Petri aut S. Clementis episcoporum in Gallias missionem* F *spectant, vel tenuem modo fidem promereantur.*

Patria incerta et natales.

9 *In eodem genere est, quæ hic etiam institui posset, quæstio altera de* S. Memmii *patria et natalibus; cujus solutio, quemadmodum et plurium aliarum repetenda prorsus non est a R. P. Carolo Rapine Minorita, auctore Vitæ Gallicæ, quæ omnium manibus teritur; is enim pedibus et manibus obnixe certat, ut sanctum et illustrem Romanum, et ex vetustissimis Memmiis oriundum, quin et Memmii Rufi, sub quo Terracinæ passi sunt Nereus et Achilleus, consanguineum fuisse evincat. Thesim vero tam magnificam probaturus, non invenit quod produceret præter auctoritates Vincentii Bellovacensis; sancti Antonini ac Petri de Natalibus, quæ quanti in hujusmodi disquisitionibus faciendæ sint, notius est quam ut hic a me demonstrari oporteat. Sufficiat nobis,* S. Memmii *cultum, de quo uno secure licet disserere, abunde supra stabilitum esse. Hic jam superest, ut inter varias Legendas, pro scriptorum ingenio amplificatas exornatasque, eam seligamus quæ paucioribus nævis infecta videbitur.*

§ II.

AUCTORE J. B. S.

§ II. Vita sæpius interpolata et aucta, æque incerta.

Acta apud Bosquetum

S. Memmii *Vitam, quæ exstet, antiquissimam primus, quod sciam, anno 1636 typis vulgavit Vir clarissimus Franciscus Bosquetus, Monspeliensis deinde episcopus, tomo I Historiarum Gallicanæ Ecclesiæ, cum pluribus aliis ejusdem generis Legendis, primos in Gallia Christianæ fidei præcones ad sanctorum Petri et Clementis tempora certatim revocantibus, quæ qua fide nitantur, eruditissime ibidem examinat,* tot erroribus priscas narrationes, antiquitatis amore obductas *reperiens*, ut qua agendum sit, non agnoscat. Multos Petri discipulos singulæ Galliarum ecclesiæ venerantur, *inquit*, ego vero, quamvis traditionem, quæcumque illa sit, B reverear, hæc tamen omnia, adeo ab historica veritate aliena, mihi non persuadeo. *Errores deinde ex plerisque enumerans, ad rem nostram subdit parte 2 pag. 90;* Memmii, Clementis, et Trevirensium Vitæ, licet tot erroribus non scateant, minime tamen ab iis liberæ sunt : *quos inter nominat,* mortuos pari modo a Petri legatis, tum baculo *(ut Georgius, Maternus, Austriclinianus)* tum veste *(ut Domitianus)* suscitatos. *Ex brevi Vitæ Memmianæ, ab ipso contractæ compendio, quæ huc spectant facilius intelliges. Ita habet pag. 24 num. 12.*

videntur antiquissima

11 Memmius ex clarissima Memmiorum Romana familia oriundus, cum Dionysio Parisiensi, Sixto Remensi, Euchario Treverensi, Sabiniano Senonensi episcopis, et aliis sex ejusdem ordinis viris, ac Donatiano diacono, et Domitiano subdiacono, a Petro missus in Gallias venit. Verum cum jam ad decem et octo millia passuum processissent, Domitianus obiit. Recurrit ad Petrum Memmius, et acceptam ab eo vestem mortuo imponit et suscitat. Pergit Catalaunum civitatem Belgarum, at a gentilibus repudiatus, in speluncam urbi vicinam, quæ Buxeria dicitur, secessit : e qua miraculorum fama ab accurrente populo C in urbem deducitur. Ad eum Poma soror septimo episcopatus anno accedens, miraculis universæ regioni innotuit. Ipse senio confectus, prodigiis clarus, anno episcopatus ejus nonagesimo, Nonas Augusti felicem animam Deo reddidit. Ex quibus Memmium ad annum Christi centesimum trigesimum quintum pervenisse oportet.

Alia ostenduntur recentiora:

12 *Habes hic in ipso principio primos illos Galliarum apostolos tum nominatos, tum anonymos, quos aliunde distinctius recenset Papebrochius in Commentario prævio ad Acta S. Martialis num. 2, de quibus omnibus eadem omnino censet laudatus illustrissimus Bosquetus, traditionem quidem reveritus, at veritatem in narratione minime agnoscens, quam nec nos admittere nos posse fatemur, vel in paucis illis quæ modo ex Actis qualibuscumque excerpta dedimus, quæque in Vita ipsa pluribus non magis verosimilibus ampliata sunt. Seculum quo hæc primum exornata sint non est ausus definire Bosquetus; ast ego multum fallor, ni ad Dagobertinum seu septimum seculum revocari possint : quod hac ratione utcumque confici existimo. Acta Bosquetiana, quibus manuscripta primæ classis seu breviora apud nos consonant, non meminere summæ illius siccitatis, cujus occasione detectum et elevatum fuerit sacrum corpus tempore Dagoberti II, ejus nimirum* qui post longam pressuram reversus est ad propria regna *circa* D *annum 672, ut post Henschenianam de tribus Dagobertis dissertationem hodie passim admittitur.*

inter quæ Vita

13 *Hinc consequi videtur, Legendam illam in qua Dagoberti istius fit mentio, alia Vita, qualem dedit Bosquetus, posteriorem esse, scriptamque adeo sub seculi istius finem, quandoquidem scriptor, quisquis is fuit, in subjuncta Actis vetustioribus appendice testatur his verbis:* Ea quæ vidimus, hæc scripsimus et narramus. *Atque Acta quæ in eo genere sunt, in secunda classe computanda censuimus, qualia habentur descripta a Papebrochio ex Mss. Cisterc. cod. 6, num. 25, et a nostro P. Chiffletio ex cod. Vallis Lucentis. Porro in tertiam Actorum classem ea rejicimus, quæ ex variis codicibus apud nos transumpta sunt, sive a Stephano abbate sive ab aliis collecta, quæ a prioribus eo duntaxat differunt, quod longiori oratione plus quidem verborum, affectata plerumque eloquentia vendितent, ex quibus tamen veræ ac solidæ* E *substantiæ nec hilum amplius extundas. Eos inter primum, et haud dubie eo sinceriorem, quo breviorem, censemus Almannum illum Altivillarensem celebrem monachum, ad quem exstat data epistola a Theudoino præposito Catalaunensi, illiusque rescriptum tom. II Analectorum Mabillonii a pag. 86, unde satis erit paucula ad rem nostram facientia decerpsisse. Hæc Theudoini postulatio :*

ab Almanno edita

14 Noveris quod non absque occulta divinæ despensationis providentia accidit, ablato mausoleo et aggere terræ semoto, perlustrasse nos beati Memmii sepulcrum in quadrangula et cæmentaria pretiosi corporis fossa : et hoc est factum jussu regis Caroli anno ab incarnatione Domini DCCCLXVIII Indict. I, VIII Kal. Aprilis, quæ fuit IV feria ante mediam Quadragesimam : ejusque sanctum sepulcrum est inventum minime ex ulla parte hærere ad terram, sed virtute omnipotentis Dei, apud quem merita tanti patroni refulgent, in ipsa fossa veluti libratum in aera pendere quatuor digitis a terra. Quo miraculo stupefacta mortalium corda depromunt dicentes : O quam magno pietatis studio cœlestis vitæ se conformem reddidit, dum vixit in terra, cujus nunc tanta est gloria in cœlo, ut ejus sepulcrum, nedum corpus tangere, indignam se fateatur terra. Ejus sanctissimi Viri vitam F a tua devotione quærimus innovandam : quæ diuturna vetustate et negligentia, velut in pittaciis habetur pæne consumpta. Ergo age, pro viribus nostræ petitioni favens esto; quatenus de tanto intercessore ad perpetuam salutem possis in cœlo gaudere.

paulo elegantius

15 *Ad hæc rescribit Almannus in hunc modum :* Venerabili Præposito Theudoino Almannus peccator. Præcipis mihi caritate cœlitus infusa cordibus electorum per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, ut Vitam S. Memmii Catalaunensis primi pontificis, vetustate neglectam et imperitia corruptam, haud secus ac si ex cineribus effossam, innovare contendam, peritia corrigam, et quidquid videtur deesse, moliar supplere studio veritatis impressus. *Interjectis deinde variis excusationibus et parergis, ita concludit :* Et hæc arbitrio tuo pariter derelinquo : potens est enim Deus auferre opprobrium nostrum, quod et faciet, ut in misericordia ejus veraciter confidimus, intercedente beato Memmio, qui nos cœlitus oculis respicit benignis, te per devotionem mentis hortantem, me pro debita fidelitate et capacitate cordis scribentem. Opto itaque vobis hujus facti non modicam manere mercedem; cui cum omnia

A omnia debeam, tam arduam rem negare non potui. *Ex toto responso id patet, nihil ipsum habuisse præ oculis præter nudam Vitam primam, usque adeo, ut ne quidem novisse videatur Vitam alteram cui subjuncta est appendix, qua memoratur Dagobertus II, a nobis sequenti § opportunius describenda, dum de sacri corporis translationibus erit disquirendum.*

non verius scripta.

16 *In hoc porro a Vita prima differt Almanni compositio, quod ubi prior illa sancti* Memmii *missionem expressissimis verbis tribuit sancto Petro Apostolo, hæc et plures aliæ auctiores sic narrationem suam ordiantur :* Igitur cum beatus Clemens diversos ad diversas provincias, secundum interiorem Sancti Spiritus demonstrationem emitteret *etc. Adhæc binæ aliæ multo ampliores, altera ex Ms. monasterii Bonifontis, ex S. Galli altera, præfixum habent prologum, pro scriptorum ingenio brevius aut latius extensum, sub hoc principio :* Dominus noster Jesus Christus ad reparandam humani generis dignitatem humanatus *etc. Verum Legendis istis omnibus Mss. varie exorna-*
B *tis diutius immorari, earumdemque variationes singulas enumerare, cum ad Actorum tuendum veritatem nihil prorsus conferant, idem mihi plane videtur atque oleum et operam perdere, quemadmodum et si ea recensenda suscipiam, quæ Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus et Petrus de Natalibus, pro suo quique arbitrio auxere vel contraxere, quæ demum omnia ad Vitam vetustissimam exigenda sunt, quam proinde solam et unicam hic exhibuisse omnino sufficiet.*

S. Greg. Turon. encomium.

17 *Ejus autem scriptor, quisquis demum fuerit, de sancto* Memmio *longe præstantius fuisset meritus, si selecta duntaxat miracula, certiori traditione subnixa collegisset, solis iis præfixis, quæ de sanctissimo episcopo tradidit S. Gregorius Turonensis, cujus insigne testimonium de Gloria confessorum cap. 66, cæteris omnibus indubie præferendum est. Ipsum denique hic etiam audiamus :* Catalaunensis vero urbis proprius exstat patronus Memmius antistes, qui cum adhuc maneret in corpore mortali, mortuum dicitur suscitasse. Ad cujus nunc sepulcrum sæpius confractas miserorum catenas atque compedes vidimus : sed et nos proprie virtu-
C tem ejus experti sumus. Quodam enim tempore dum in urbe illa commoraremur, puer unus ex nostris a febre corripitur, fatigatur vomitu, ac cibum potumque simul exhorret : nobis vero magna consumptio generatur, quod hujus pueri infirmitas itineri nostro moras innecteret. Nec mora, basilicam Sancti adeo, sepulcro prosternor pro puero, effusis lacrymis deprecor, ut qui laborantibus vinctis, disruptis compedibus, respectu pietatis plerumque consolationem exhibuit, huic febricitanti medelæ refrigeria ministraret. Mirum dictu : in ipsa nocte a Sancti virtute visitatus infirmus, mane facto incolumis surrexit a lectulo.

§ III. Inventio sacri corporis, elevationes, summa veneratio, miracula et reliquiæ.

Sacro corpore sec. VII.

D*e prima sacri corporis sepultura sic loquuntur primæva Acta, ut siquid citra dubium admitti possit, id certissime tenendum putemus, ibi depositum fuisse, ubi seculo demum septimo, circa annum 674 repertum est, teste auctore citatæ jam supra a nobis appendicis, quam hic integram referre visum est, utpote a qua cæteræ pendent elevationes seu visitationes ac translationes ex Rapinio infra recitandæ. Atque hic laudandum utique arbitror jam dictum tum Vitæ Gallicæ, tum Annalium ecclesiasticorum diœcesis Catalaunensis compilatorem Rapinium, quod ubi in Vita exornanda veris falsa et dubia indiscriminatim commiscuit; in iis, de quibus hic agendum est, referendis securiora monumenta sequi potuerit, et vero diligenter et accurate secutus sit; unde et in istiusmodi descriptionibus auctoritati ejus fidendum credidimus, iis interim plane relictis, quæ de S. Memmii gestis, ac primorum episcoporum Catalaunensium serie, ex mera vulgi traditione, licet auctores* xv *se consuluisse testetur, nulla adhibita crisi, satis inconsiderate commiscuit. En igitur antiquioris Vitæ amplificatorem in jam sæpe dicta Appendice, de prima sacri corporis inventione ita modo suo satis barbare disserentem :*

AUCTORE J. B. S.

mirabiliter invento,

19 Postquam tantis effulsit virtutibus ac miraculis Deus per servos suos, claruitque novissimo tempore : in anno secundo sub imperio Dagoberti regis (ipse E est qui post longam pressuram, reversus est ad propria regna) in mense quinto, in quinta die mensis, secunda vigilia noctis, cum ei nocturnos fratres celebrantes adstarent, sic res nova nec antea unquam visa ad caput sancti sepulcri, ut patrem se apostolicumque eo tempore declararet, apparuit, precibus cœlum aperiens, quod nec tribus mensibus pluerat super terram, dum et vehemens fremebat siccitas, ut omnes putei in pulverem redacti sint ; sic Deus mox terram irrigavit et compluit ; et aquam quæ conscenderat ab imo per pedes quadraginta, ad sublimia conscendere fecit, et eam usque ad quartam vigiliam desuper fontem manare fecit, ut omnes vigilantes viderent, et tremerent omnes fratres uno voto concinentes. Consummata est quidem ea nocte vigilia et celebrata festivitas ; verum ab ipsa die usque ad octavam diem nullatenus cantus cessavit psalmorum in una fide pulsantium in nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen.

diuturna siccitas dispellitur.

20 Ubi fons manaverat de sursum in profundum, ibidem consimili virtute inventa, vasculum plumbeum est repertum ; sicque opertorium ejus medium se scidit, quasi serrula manibus percussum fuisset : F claruitque aqua in eodem vasculo in similitudinem crystalli ; tremefacti psallentes in fide Christi in perscrutando ; inventumque est pulchrum corpus, cujus omnes artus, articuli, dentes et nervi connexi ad invicem, continentes sic pulchra membra vel dentes, quasi ipsa die cibum edissent. Ablatum utrumque vasculum et opus inventum est ; sicque perscrutatum tanto miraculo, ut sic inter medium pendens æquali mensura, quantum de sursum, tantum deorsum terra prominebat : nec inventum ullum foramen per quod aqua ingressa fuisset : et inventa est pulchritudo prima in ipso eodem loco, quæ perpetuo manat vigore constructa, et opere elegantissimo ornata ; unde quotidie infirmi recipiunt medicinam ; fonte firmo et omni tempore admirando. Vasculum inventum extra templum ad partem orientalem pedum decem, in suo proprio honore locum recepit. Tertia die puella a longo tempore pede constricta, nullo poterat proficisci gressu ; fide firma ad ipsum sanctum corpus devota, tribus noctibus ad orationem prostrata, infirmitate relicta, sanitate recepta, sine dolore pedis egreditur.

aliaque patrantur miracula.

21 *Post sex vero menses, ipsa sequente virtute, puer consimili infirmitate ad sancti viri Mem-*

AUCTORE J. B. S.

mii sepulcrum, in ejus locum juxta fontem manantem jacuit pernoctans, aurora surgente sanitatem recepit. Mulier a lumine clausa, cæcitate percussa multis temporibus, duabus noctibus jacuit, tertia vero nocte quarta vigilia sic ei claruit lumen, quasi nullum tenebris obscuratum habuisset visum: quo recepto ad propria remeavit. Ex illa die dæmones, quacumque essent imagine, Dei [virtute repressi] nullatenus in hoc loco latere potuerunt; ibidem declarati, et ibidem effugati. Et alia multa similia, et virtutes, quas enarrare visum non est, et enumerare, longumque per ordinem texere. Verum ea quæ vidimus, hæc scripsimus et narramus; quanta gloria, quanta claritas, quanta præmia in perpetuum, quæ Deus Sanctis præparat in æternum; quando ad ejus sepulcrum tanta est virtus, et venerationi præsenti [petentibus auxilium] regnante Domino Jesu Christo. Amen.

Inventio altera sec. IX

22 *Dolendum est, tam illustria prodigia tam barbare hic et contorte expressa, in quibus tamen nihil immutandum censui. Neque certe multo explicatiora* B *reddidit citatus supra Rapinius in suis Annalibus a pag. 400; id diserte notans, inventum sacrum corpus* extra templum ad partem orientalem, *non vero ibi postmodum depositum, sed verosimilius in cavea subterranea, quæ hodie dum exstat in parvo sacello cooperta marmore, cui extrita episcopi imago insculpta fuerat. Id certissime constat ex Theudoini relatione supra § 2, num. 14,* ablato mausoleo, et aggere terræ remoto, *inventum anno* DCCCLXXVIII S. Memmii sepulcrum in quadrangula et cæmentaria pretiosi corporis fossa, *in qua haud dubie jacuerat ab anno 674, quo verosimillime jam descripta prima inventio accidit mense Maio: totis vero septem mensibus dilata fuerit solemnis illa in parandum novum sepulcrum translatio, quandoquidem in* S. Memmii *cœnobio non mense Maio festiva celebritate recolitur, sed* XVI *Decembris. Quid velit scriptor per* ablatum utrumque vasculum, *non satis intelligitur: unum vas repertum dixit Theudoinus, idque plumbeum, et, si Rapinio credimus, ad decem pedes extensum; quod quam prodigiose in aere sustentatum fuerit, ex data narratione patet, et ex laudata Theudoini epistola.*

secutaque translatio.

C 23 *Hæc porro, ut jam dicebam, breviter et nitide commemorat factam illam sacri corporis revelationem seu visitationem, ducentis et amplius post primam annis, imperante Carolo, cognomento Calvo,* VIII *Kalendas Aprilis anno, ut supra notavimus, 878, dum nempe ex antiquiori illo monumento, in aliud decentius translata fuere sacra ossa, eaque dicitur prima translatio, quam utinam Theudoinus paulo distinctius descripsisset et accuratius. Illustrior sane est altera multis post seculis celebratissima, de qua in ipso ecclesiæ* S. Memmii *Martyrologio annua commemoratio recolitur apud Rapinium pag 355 his verbis expressa:* Catalaunis, secunda translatio sancti Memmii, primi ejusdem loci episcopi, quæ facta fuit anno Domini MCCCXXVI. Translatum est etiam pariter cum eo corpus beatæ Pomæ Virginis sororis ejus. *De hac Sancta erit infra proprius locus; hic indicandum superest, eleganter a Rapinio describi pretiosissimam juxta atque artificiosissimam lipsanothecam argenteam deauratam, multorum Sanctorum statuis itidem argenteis circumdatam et ornatam, tanquam splendidissimum Catalaunensium, pene dixerim immortale in Sanctissimum Patronum suum venerationis monumentum.*

24 *Atque ea ipsa est in hunc diem superstes theca, quam 1624 solemniter aperuit visitavitque* D *Illustrissimus Henricus Clausse episcopus comes Catalaunensis, assistente inter alios Rapinio, remque totam fusius describente ad calcem Vitæ* S. Memmii *a pag. 322. Huc spectat potissimum quod reperta tunc fuerint utriusque sacri corporis ossa, eaque in nova involucra serica sic composita, ut decentius collocarentur, sacris cineribus in varia vascula distributis, quemadmodum hoc etiam tempore asservantur, et solita Catalaunensium vicinorumque populorum pietate in hunc usque diem constantissime honorantur, non sine frequentibus miraculis, quorum aliqua licebit subjicere, quæ jam dictæ ultimæ visitationis tempore patrata, in tabulas retulit laudatus Rapinius. Hic paucis etiam observavero, nonnullas tum temporis desumptas ex lipsanotheca reliquias, quæ alio translatæ et cum piis Sancti clientibus benigne communicatæ fuerint. Quo vel cum quibus, exploratum non habeo; ex uno specimine de aliis poterit fieri conjectura. En instrumentum quod ad me non ita pridem misit sæpe laudandus collaborator noster Clar. D. Le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ* E *Autissiodorensis:*

Solemnior repositio sec. XVII

25 Henricus Clausse Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia episcopus Comes Catalaunensis dilecto nobis in Christo filio magistro Ludovico Natali ab Amico, hujusce nostræ diœcesis sacerdoti ecclesiasti, Autissiodorensi canonico etc. salutem et paternam benedictionem. Tibi, ut quod sacrum amoris in te nostri pignus, pro tuarum aliqua mercede virtutum præbere cœpimus, plenius adaugere pergamus, his te venerandis divorum hujus nostræ urbis ac provinciæ Tutelarium reliquiis, sancti videlicet Memmii nostri prædecessoris protopræsulis costa et sudario, sancti item Domitiani pontificis dente, atque S. Pomæ virginis et martyris sudario, quas a duobus circiter annis apud divi Memmii cœnobium, ex earum capsis deprompsimus, ut libenter donamus, sic et debito honore prosequendas cures monemus, optamusque ut quorum suave et opportunum per multos variis constitutos in angustiis novimus, noverunt, perceperunt et testati sunt fide digni majores nostri ac coætanei patrocinium, tibi eorumque piis clientibus Christi famulis, ad majorem Dei præpotentis gloriam nullatenus desit, quatenus eorum tandem felicitatis particeps effici merearis. Datum Catalauni VIII Kal. Maii anno Domini MDCXXVI. *Subscriptum Henricus ep. Catalaunensis etc. sub grandi sigillo in cera etc.* E

ut docet instrumentum.

26 *Non prætermisit pretiosorum donorum acceptor R. D. Natalis, ea summo habere in pretio et Autissiodori fidelium venerationi exponere.* S. Memmii *sacra pignora inseruerat imagini beatissimæ Virginis Mariæ, pie quidem, at loco non satis securo, ut ea proinde hinc eximenda censuerit laudatus R. D. Le Beuf, tutius et melius collocanda in ecclesia Matriacensi (Merry-Sec) tribus Autissiodoro leucis dissita, ubi* S. Memmius, *tanquam patronus jam a multis seculis et habitus et cultus est. Certe in Bargideana nostra collectione Ms. Autissiodorensi, ubi de sancto Desiderio ejusdem urbis episcopo vigesimo agitur, inter donationes ab ipso S. Desiderio basilicæ S. Stephani factas hæc diserte recensetur:* Tum referunt Matriacum, in eodem agro *(nempe Autissiodorensi)* ubi ipse domos vel oratorium in honore sancti Memmii construxit. *Ut inde manifeste pateat, jam a seculi septimi principio* S. Memmii *cultum jam in alias diœceses fuisse diffusum. Atque hæc de sacrarum reliquiarum inventionibus et*

Matriaci reliquiæ.

A *et translationibus, earumque singulari prorsus veneratione, tum vero de miraculis satis dicta sint: reliquum est ut quæ de miraculis aliis pollicitus sum, ea hic etiam paucis subjiciam.*

§ IV. Nonnulla miracula circa tempus ultimæ visitationis facta; solemnissima annua supplicatio.

Miracula prope quotidiana.

Ad *Vitæ supra citatæ calcem, miracula quæ suo tempore contigerant, narraturus toties laudatus Rapinius, ea exempla præmittere non dubitat, quæ in Ecclesia illustrissima fuisse S. Joannes Chrysostomus de magno S. Ignatio, cui prophetam Elisæum adjungit, tum vero S. Augustinus de S. Stephano luculenter commemorant; quibus ipse* S. Memmium *omnino comparandum censet, utpote*
B *cujus tum sacra ossa, tum salutaris supra descriptus puteus, tam innumeris claruere perguntque inclarescere miraculis, ut prope quotidiana esse, rotunde et diserte pronuntiet En breve exordium a febricitantibus quorum sancti sui* Memmii *meritis factorum numerum cum anni ipsius diebus audacter confert, imo plures anni unius ambitu plenissimæ valetudini restitutos contendit, quam toto ejus decursu dies numerentur. Porro inter tam multos, Sancto opitulante sanatos, minime prætereundum putavit R. D. Paulum Rogerium presbyterum theologum atque ecclesiæ ipsius Catalaunensis canonicum, non unam in se receptam curationis gratiam, carmine eucharistico, in ipso Sancti sacello appenso, ita concinentem:*

quorum unum describitur.

28 Rebus in adversis præstas solatia, Memmi,
Supplicibusque piis felicia numina reddis:
Namque, fatebor enim coram te et judice Christo,
Ter me corripuit tremulo luctamine febris
Diversis remeans vicibus, ter limina supplex
Hæc adii, et sacram posui libamen ad aram:
Ter latices alto de fonte feliciter hausi.
Quid moror? incolumem ter me febris ægra reliquit.
C Appensa hac refero grates ex corde tabella.
Exiguum fateor terno pro munere munus;
Sed nihil exiguum, tibi quod debetur, habendum est.
O! si te videam signis verbisque potentem,
Qualem te nostri quondam videre parentes,
Gauderem medici vestigia lambere sospes:
Non datur: at sanctæ datur oscula figere terræ,
Qua veneranda olim jacuerunt molliter ossa.
Hic ego stratus humi Patrem sic voce precabor:
O! qui deducis malesano [e] corpore febres,
Deducens nostro commissa piacula corde,
Da merita æternæ, da tandem præmia vitæ.

Curantur febres.

29 *Spectant hæc ad ipsum postremæ sacri corporis ostensionis annum 1624, quo appensa est tabella illa eucharistica, secuto deinde et alio in eodem sacerdote beneficio, cujus authenticum dedisse testimonium narrat ibidem Rapinius. Adjungit porro et aliud miraculum in Joanne Domballe cive Catalaunensi, qui quindecim et amplius diebus acerrima febre continua sic attritus, ut totis septem diebus nec verbum eloqui potuisset, spe omni medicis adempta fore ut unquam humanis mediis sanitati restitueretur, isque adeo jam extremis munitus sacramentis, non nisi mortem exspectaret; ad eum denique conversus est, qui se mirabilem in Sanctis suis exhibet, invocansque* S. Memmii *patrocinium, voto concepto de visitanda ejus ecclesia; effusas preces secuta mox est subitanea et integra sanatio, mense Julii ejusdem ipsius anni 1624. Simile prorsus et in morbo simili aliud miraculum secutum est* XXX *Octobris ejusdem anni, in persona Nicolai Havetel, civis item Catalaunensis, instituta ab ejus matre novemdiali supplicatione ad* S. Memmii *gloriosum tumulum, qua durante perfectam sanitatem consecutus est.*

AUCTORE J. B. S.

item dysenteria,

30 *Sequentis insignis plane miraculi testes fuere binæ religiosæ Catalaunenses congregationis B. M. Virginis, ubi Perretta Pacifica ibidem novitia, dysenteria graviter laborans, acuta febri variisque aliis torta doloribus, spem prorsus omnem medicis ademerat valetudinis unquam recuperandæ. In tantis angustiis, ab aliqua dictæ Congregationis religiosa submonetur monasterii superior,* S. Memmium *febricitantibus patronum*
E *esse et cœlestem medicum prorsus singularem, dum indusia sacras reliquias attigerint. Nec mora: mittit ipsa indusium sacro vertici applicandum, quo mox relato, ægra ipsa induitur, eo mirabili successu, ut in dulcem somnum resoluta, totis septem horis placidissime dormierit, tum vero evigilans, sanam valentemque se senserit, et quæ morbi tempore cibum omnem fastidierat, sumpta avide cœna, ex eo die plenissime sibi restituta sit.*

rursus febres

31 *Aloysia Jubrien vidua Petri Corneille, dum viveret, pharmacopolæ Catalaunensis, ætatis 53 annorum, febri continua tribus diebus gravissime afflicta, deferri se jussit ad* S. Memmii *ecclesiam, ibique super se recitari orationem de Sancto, qua vix pronuntiata, tantam in se mutationem sensit, tantam vim pati visa est ac si viva cutis ei et a facie tota et a vertice violenter avelleretur, quo ipso instanti morbus omnis evanuit, ipsaque sana et vegeta domum rediit, cœlestis medici laudes et corde et ore decantans. Testata porro est eadem Aloysia, filium suum Jacobum Cornelium ad* S. Memmii *religiosum professum, qui totis octo diebus continua et ipse febri pene attritus fue-*
F *rat, simili, ut supra indusio tectum, postquam sacrum Missæ sacrificium in Sancti sacello celebratum fuerat, omni continuo febri liberatum fuisse eodem anno 1624.*

in pluribus;

32 *Tunc etiam in duobus conjugibus Joanne Charpentier et Catharina Honnet Catalaunensibus tria successere insignia prorsus miracula. Cum enim ambo febribus affligerentur, ille continua, hæc triduana, ad* S. Memmii *patrocinium recursu habito, vestientes sese indusiis ad Sancti caput applicatis, jussaque celebrari Missa in Sancti sacello, ipsomet die integerrime sanati sunt. Accessit vero et tertium beneficium in Catharina, quæ octavo mense gravida, toto corpore summis doloribus affecta, in domus angulum se projecit, invocataque Sancti ope ipsam sensit quam promptissimam: nam postridie absque ullo dolore prolem enixa est tam sanam et vegetam, ac si suo tempore peperisset. Finis non sit, teste Rapinio, siquis miracula omnia in hoc genere prosequi meditetur: sufficiat hic medici expertissimi judicium, persancte testantis, plures febricitantes ad* S. Memmii *fontem aqua salutari sanatos fuisse, quam omnes totius regionis medici remediis suis quantumvis efficacibus curare potuerint.*

33 *In alia miraculorum classe ponit Rapinius man-*

AUCTORE J. B. S. paralytici et membris capti.

mancos, membris captos et paralyticos, quos inter primum numerat duodennem puellam, utraque tibia ita affectam, ut iis inniti prorsus non posset, frustra adhibitis in nosocomio, quo delata fuerat, medicorum ac chirurgorum remediis. Id advertens soror ibidem monialis, ipsam S. Memmio *vovit, curavitque novem continuis diebus ad Sancti templum deportari, eo felicissimo successu, ut solidatis paulatim tibiis, nono die salva et incolumis pedibus ipsa suis ad nosocomium redierit. Femina 45 annorum postquam biennio a coxendice ad pedem sic inflata esset ut tibiam prorsus movere non posset, elusaque omni medicorum industria malum quotidie ingravesceret, concepto voto ad cœlestem medicum recurrit, inchoata mox novena; quam fulcris sustentata exordiri ipsa voluit, tam feliciter, ut quarto die, abjectis fulcris, sana ipsa et integra domum remeaverit. Alia item femina, toto quinquennio paralysim passa, simili plane modo ad Sanctum confugiens, opitulatricem ejus manum experta est.* B *Par est Sancti patrocinium in curandis oculis, quorum exempla plane mira refert idem Rapinius in virgine quadragenaria, diu cum cæcitate luctata, ac tandem curata, atque etiam in nobili duodenni puella, cui cæcus omnino sinister oculus, post sex menses Sancti intercessione apertus est. De morbo contagioso, hernia et aliis vide laudatum Rapinium.*

Solemnis annua in Sancti honorem supplicatio.

34 *Id unum hic superest ut de summa Catalaunensium erga sanctum Apostolum ac Patronum constantissimaque veneratione paucula etiam ex eodem scriptore decerpamus, ubi in Annalibus suis a pag. 13 fusius describit solemnissimam supplicationem annuam in festis Pentecostalibus institui solitam, in qua præcipue repetitur memoria primi celeberrimi miraculi, quod ipsorum conversionis principium non incongrue appellat, in suscitato nobili puero aquis præfocato. Ea autem supplicatio annua tanto totius urbis, dicamus totius cleri, tum secularis tum regularis, omnis nobilitatis, omnium magistratuum et universi omnino populi concursu devotissime celebratur, circumlatis, non solum* S. Memmii *sed plurium etiam aliorum Sanctorum sacris lipsanothecis, ut ei* C *parem nullam tota reliqua Gallia ordinatam unquam existimet. Satis sit, dixisse, pari studio contendere illustrissimum episcopum, tum urbis et provinciæ gubernatores cum suo comitatu, tum et advenas undecumque affluentes, ut non unius urbis, sed totius, quanta quanta est, regionis propria et communis censenda videatur festivitas, in qua quotannis religiosissime repetenda zelus omnium, fervor et pietas nec hilum hactenus refrixisse, imo nec minimum intepuisse memoretur.*

§ V. Memmio perperam adscripta.

Varii Sancti cum S. Memmio

U*t dubia multa, incerta et implexa de* S. Memmio *jam supra expendimus, sic modo hic subjungenda sunt, quæ apertissime falsa ipsi tribuuntur, quorum nonnulla a Majoribus nostris in hoc Opere pridem refutata sunt. Jam diximus, totum caput 14 Vitæ* S. Memmii *a Rapinio impendi describendis gestis S. Leodegarii presbyteri tanquam ejus discipuli, illius nempe qui apud Pertenses in Campania solemniter honorari dicitur* XXIII *Junii, quo die Acta ejus tam accurate illustravit Papebrochius, ut satis ostenderit, nugatum fuisse Rapinium, dum tam audacter sanctum* D *illum Leodegarium* S. Memmii *synchronum fecit ac discipulum; utpote qui seculis aliquot posterior fuerit, quemadmodum ad dictum diem satis fuse demonstratum est, ut proinde urbis illius et pagi Pertensis ad fidem Christianam conversio, primi templi ibidem ædificatio et consecratio sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, cui S. Leodegarius præfectus sit, primo nostro Catalaunensium Apostolo perperam, ne dicam absurde adscribantur, non minus quam alterius ecclesiæ consecratio Dionanti in patria Leodiensi, quæ ab eodem* S. Memmio *facta fuerit anno æræ nostræ Christianæ 120 dicataque S. Stephano protomartyri.*

perperam conjunguntur.

36 *Eamdem Rapinii rhetoricam temporumque distinguendorum imperitiam sapit turpis alius parachronismus annalibus ecclesiasticis urbis Catalaunensis ab eo insertus a pag. 23 sub titulo* S. Mannæ discipulæ S. Memmii, *ubi historiam texit sancti conjugii e quo septem liberi, Sancti omnes processerint, quorum natu minima S. Manna, a* S. Memmio *baptizata, sanctissimeque instituta, sanctimonialibus postmodum commissa, mirandis vir-* E *tutibus inclaruerit, ut adeo a multis principibus in conjugem expeteretur, quibus ipsa, parentibus etiam nequidquam urgentibus, constantissime restiterit, veloque suscepto monialem professa fuerit. Hæc quidem omnia, ad* III *Octobris, quo die colitur, illustranda, S. Mannæ illustres virtutes probant, de quibus dubium certe nobis non est: id miramur, de conciliandis temporibus tam parum sollicitum fuisse Rapinium, ut Sanctos multis seculis a* S. Memmio *remotos, ipsi conjungendos censuerit, ac si gloriæ ejus non satis se consuluisse existimaret, nisi præcipuorum Campaniæ Sanctorum institutionem eidem adscriberet. Et hæc quidem, opinor, ut Catalaunensium suorum gratiam promereretur, quam ei nemo inviderit.*

Turpius etiam nugantur

37 *Non eodem illo pietatis spiritu impulsi sunt fabulatores Hispani æque ac Lusitani quos hic etiam refutandos suscipimus. Illos hic scriptores intelligo quos munifice citat et amplificat innumerarum ineptiarum fœcundus consarcinator Tamayus in grandi suo Martyrologio Hispanico, dum Sanctos duos disparatissimos non minus ridicule* F *confundit, quam turpiter Catalaunensibus sacrum sanctissimi Patroni sui depositum frustra conatur eripere. Audiatur ineptissima ejus annuntiatio ad diem* XV *mensis Maii:* Eboræ in Lusitania Hispaniæ, S. Mimii Mantii, ipsius urbis episcopi, qui cum civis fuisset Romanus Christo adhærens, ejus meruit discipulus vocitari, in Gallias deveniens, et Catalaunicam regionem fidem edocens, Hispanias peragravit, ubi Eborensis urbis civibus Evangelicæ doctrinæ veritatem disseminans, tandem sub Trajano imperatore gloriosam martyr coronam adeptus est. *Locum hic, si usquam, legitime habet paræmia; magno conatu, magnas nugas; quibus et ea adjici merito possunt, quæ in annotationibus suis in eamdem omnino sententiam æque imperite pronuntiat. En ejus verba:*

Hispani et Lusitani.

38 S. MEMMIUS MANTIUS EPISCOPUS ET MARTYR. Inter Gallos et Hispanos istius sanctissimi præsulis et martyris memoria promiscua diversitate recolitur. *Observari meretur subtilissima distinctio.* Nam apud illos nomine simplici MEMMII cognoscitur, apud nostros nomine MANTII veneratur. Illi tantum Episcopum, nostri tantum Martyrem credunt. In illorum Ecclesia die V Augusti, in nostrorum hac die colitur festum illius, *nempe die* XV, *pro die* XXI *Maii.* Acta per ipsum in Hispania penitus ignoravit Gallia. *Singulari sane prodigio*

A *digio cum Hispaniam* S. Memmius *oculis suis nunquam viderit.* Gesta per illum in Gallia, olim latuerunt Hispaniam : sed cum Deo permittente *(melius diceret portentosis chronicis in lucem productis)* jam jam utriusque nationis lucubrationes in publicum prodire cœperint, et Galli quæ apud nostros recondita, et nos quæ apud Gallos occulta fuere *(utinam perpetuis tenebris sepulta)* publica facimus, facileque Acta S. Martyris et Pontificis in unum collecta contextum assuemus.

ridicule Sanctum

39 *Artem suam candide profitetur Tamayus dum suit et assuit, cerdo utique primæ classis et sutor veteramentarius, cujus segmenta pessime coagmentata pridem dissolvit Papebrochius, dum ad dictum* XXI *Maii tomo istius mensis* V *a pag. 31 S. Mantium martyrem, a Judæis in Lusitania sec. 5 aut 6 pro fide Christiana interfectum Commentario historico ex genuinis Sancti Actis ita illustrat, ut tam Lusitanica quam Hispanica somnia ex rerum natura prorsus eliminet; præsertim cap. 3 quo solidissime* rejiciuntur fabulæ S. Man-
B tio affictæ posterioribus seculis, *quas modo vel solum nominasse; refutasse est; ut hodie actum agere minime necesse existimem. Qui insipidarum fabularum istarum architectos curiosius nosse voluerit, adeat jam citatum Commentarii Papebrochiani caput, ac præterea Tamayum ad dictum diem* XV *Maii pag. 481, reperturus illic laudatum primo loco Flavium Dextrum cum suo commentatore Bivario, tum Julianum Petri et hujusmodi chronicorum dicam an dramatum monstra; sexcenties et amplius in hoc nostro opere convulsa, ut merito Gallis compatiar dum tam turpia digna censent quæ operosius confutentur.*

sibi vindicare conati.

40 *Est nobis præ manibus satis longa dissertatio Ms. ad Majores nostros Parisiis olim transmissa a Claudio du Molinet Canonico regulari congregationis Gallicanæ, cui titulum fecit* Sanctus Memmius ab Hispanis vindicatus, ad illustrissimum ac reverendissimum DD. Felicem Vialart, episcopum et comitem Catalaunensem, Franciæ Parem. *Utrum ea alicubi edita fortasse fuerit, fateor me ignorare ; rectius sane et labori et sumptibus pepercerit : jam S. Mantius, ut dixi, nativis suis coloribus et depictus et Lusitanis assertus est, hic autem* S. Memmium *iis characteribus distinctum*
C *exhibui, ut nec Hispano cuiquam nec Lusitano in mentem unquam venturum confidam in posterum, Sanctos gente, ætate, dignitate, gestis et fine distinctos in unum eumdemque confundere. Atque hisce Commentario nostro coronidem imponimus, jam S. nostri* Memmii, *ut ut modicæ fidei Legendam, superius satis perpensam et examinatam subjuncturi, eam nempe solam ; quam ut simplicissimam, ita et vetustissimam diximus, ab illustrissimo Bosqueto pridem editam, atque hic ita nunc, quoquo potuit modo, explicatam, ut ulterioribus annotationibus supersedendum censuerimus. Sequatur itaque*

VITA

Ex Bosqueti tom. I Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ.

In Galliam missus

Igitur beatissimus Mimius episcopus, nobilis genere, de civitate Roma oriundus fuit. Sed cum a sancto Petro Apostolo in episcopum benedictus fuisset, ad partes Galliarum ad prædicandum verbum Dei missus est, una cum fratribus suis sancto Dionysio, futuro Parisiensi episcopo, et sancto Xestio Remensium episcopo, et sancto Euchario Treverensi episcopo, et sancto Saviniano Senonis episcopo, et sancto Senecio Suessionis episcopo, et aliis sex episcopis, et Donatiano diacono, et Domitiano subdiacono, qui quasi ex uno utero in Christo fratres esse noscuntur. Hi, Domino imperante, ad prædictas partes directi fuerunt, et cum accepta ordinatione Pontifices velociter festinassent, et Roma in decem et octo millibus ad mansionem divertissent ; contigit unum ex officialibus S. Mimii, Domitianum scilicet subdiaconum, qui a beato Petro Apostolo cum ipso fuerat ad officium prædicandi destinatus, defunctum fuisse. *ex mss.*

subdiaconum in via mortuum

2 Sed cum beatissimus Mimius ipsius subdiaconi solatium ad officium sibi cognovisset deesse : eo sepulto, continue ad sanctum Petrum reversus, lacrymabiliter ita suggessit, dicens : Domine sanctissime magister, cognoscat sanctitas tua, Domitianum subdiaconum, quem mecum ad verbum E
Domini gentibus prædicandum direxeras, in itinere modo fuisse defunctum. Quod cum beatissimus Petrus audisset, cui a Domino potestas ligandi ac solvendi data esse dignoscitur, divina inspiratione permotus, beato Mimio episcopo fiducialiter respondit, dicens : Noli, frater, contristari de transitu filii nostri, sed accipe vestimentum meum, et revertere ad locum sepulturæ ejus, et super corpusculum ejus impone, ita dicens : Imperat tibi Dominus Jesus Christus et magister noster sanctus Petrus, ut qualiter tibi mandavit, mecum ad verbum Domini gentibus prædicandum ambulare non tardes, ut lumen Dominicum per nos omnibus pateat.

S. Petri veste ad vitam revocat.

3 Accepta igitur oratione beati Petri Apostoli, cum ad locum ipsum ubi defunctus fuerat, pervenisset, et super corpusculum ejus vestimentum beati Pontificis imposuisset, auxiliante Domino, continuo surrexit incolumis, qui mortuus jacebat in pulvere. Tunc ait ad eum sanctus Mimius : Surge, frater Domitiane, eamus ad locum ubi a sancto Magistro nostro sumus destinati, et ad civitatem Catalaunicam recto itinere properemus. Multas quidem virtutes per servos suos Dominus F
eo tempore in itinere dignatus est ostendere. Recipiebant enim debiles gressum, cæci visum, surdi auditum, et in qualibet infirmitate positi beati Mimii precibus continuo ad pristinam sanitatem perveniebant. Cumque jam ad dictam civitatem Catalaunis, ubi directi fuerant, accessissent, et ipsos propter gentilitatis errorem, quo premebatur, noluissent accipere, divina inspiratione permotus, cum silentio ad speluncam deserti, quæ vocabatur Buxeria, a civitate fere milliario uno distantem ire destinavit, ubi die ac nocte vigilabat, et orationibus vacabat : implevit autem ibi circulum anni.

Suscitato Catalauni nobili puero,

4 Postea vero contigit ut quidam nobilis puer in fluviolo, qui est ad portam ipsius civitatis, nomine Nauta, fati munus implesset, et cum hoc parentibus nuntiatum fuisset, et super corpusculum ipsius defuncti planctum validissimum excitarent, audientes beatum Mimium virtutes assiduas in spelunca operantem, ad ejus præsentiam devote accesserunt, lacrymabiliter postulantes, ut filium eorum suis orationibus sibi redderet incolumem. Beatus vero Mimius eorum gemitibus compatiens, genibus provolutis in terra, Domino fusis

EX EDITIS.

sis precibus supplicavit, ut puerum eis redderet vivum, et populus in errore gentilitatis positus ad fidei cognitionem perveniret. Beatissimus itaque vir, petitione a Domino obtenta, surrexit de pulvere et puerum astantibus parentibus vivum et incolumem suscitavit de morte.

antea repulsus, cum gaudio excipitur;

5 Qui continuo Beatissimi gratia, lavacrum expetiit sacri fontis, et dum parentes ipsius pueri tantam virtutem per servum Dei factam vidissent, postulaverunt a sacerdote, ut cum dignis honoribus ad civitatem Catalaunicam, ubi ipsum antea propter gentilitatis errorem recipere noluerant, ad pontificalem cathedram accederet. Et dum ipsum cum summa diligentia congregata multitudo populi ad ipsam civitatem adduceret, ad portam civitatis obviam habuit leprosos tres, et cæcos similiter. Quibus in nomine Sanctæ Trinitatis imposuit Crucis vexillum, et ad pristinam sanitatem ipsos statim perduxit. Ingressusque civitatem occurrit ei quidam homo dæmonium habens, quem continuo similiter ad sanitatem pristinam revocavit.

B

aliisque miraculis clarus.

6 Postea vero omni tempore vitæ suæ eleemosyna, jejuniis, vigiliis insistens, omnem populum Catalaunicæ civitatis divinis eruditionibus, ut bonus pastor assidue gubernavit. Igitur dum ad speluncam, ubi fuerat antea conversatus, quadam die ad orationem venisset, invenit quemdam hominem claudum in grabato jacentem, quem orationibus suis sanum reddidit et currentem. Et D dum fama beati Mimii in omnem terram auctore Domino, coram omnibus divulgaretur, completo septimo episcopatus sui anno, germana ejus, nomine sancta Poma, ipsum expetiit. Quam cum digno honore recepit, et postea tempore vitæ suæ, ut decuit gubernavit. Illa vero mortuos suscitavit, ægrotos curavit.

urbe ad fidem conversa, sancte moritur.

7 Et ita beatus Mimius pontifex episcopatum suum octoginta annis rexit, ut apostolatum suum divina pietas ei duplicaret in corpore, quem fidelem servum probaverat in fide. Qui obiit Nonas Augusti, et sepultus est in oppido civitatis, ubi antea fuerat conversatus, ubi etiam digna basilica, ut decuit ipsum, in altum noscitur ædificata fastigium. Postea vero in ejus locum S. Donatianus et Domitianus subdiaconus, quem mortuum ordinatione sancti Petri suscitaverat, qui etiam cum ipso fuerant ad prædicandum directi, episcopatum in sua Catalaunica civitate in pace acceperunt. Ad cujus beati Mimii sepulcrum multas virtutes assidue divina pietas dignata est ostendere, E ubi recipiunt cæci visum, debiles gressus, surdi auditum, et dæmonia fugantur, et qualibet infirmitate oppressi ibidem cum fide integra postulantes, continuo pristinam recipiunt sanitatem. Regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

DE S. POMA VIRGINE

J. B. S.

S MEMMII CATAL. EPISC. SORORE

Quæ de hac sancta Virgine paucula dici possunt, ea in ipsa sanctissimi fratris Legenda atque in nostro ad ipsam Commentario jam nunc data sunt, ex quibus de ejus cultu non video dubitari posse, uti nec dubitavere Majores nostri, dum ad XXVII *Junii diem, quo præcipue Catalauni coli dicitur, inter Prætermissos de ea in hunc modum locuti sunt:* S. Poma virgo C Catalauni, soror S. Memmii episcopi, indicatur a Molano in Auctario, et hunc secuto Ferrario, item a Saussayo in Martyrologio Gallicano. De annuo ejus cultu certos nos fecit D. De Gyvis ad S. Memmii Canonicus regularis et sacræ theologiæ professor anno MDCLXX, scribens, habere se illius Vitam; sed cum, ipso fortasse mortuo, necdum sit allata, et sæpius frustra postulata, Saussayus autem ipsam referat iterum cum S. Memmio, commodius simul de utroque agetur v Augusti. *Jam laudatis Martyrologis addi potest Castellanus, eam etiam diserte signans* XXVII *Junii,* Catalaunis, S. Pomæ virginis.

Citatus jam toties Rapinius S. Pomæ *gestis exornandis amplificandisque potius quam historice narrandis, sese occupavit toto cap. 15 Vitæ* S. Memmii, *a pag. nempe 160 ad 188.. Paulo autem rectius medullam contraxit Saussayus, cui quod ex puriori fonte superaddamus, neque ex* S. Memmii *cœnobio missum est hactenus, neque alibi invenire licuit. Audi igitur Martyrologum Gallicanum ad notatam jam diem* XXVII *Junii:* Catalauni, S. Pomæ, nobilissimæ virginis sororis sancti Memmii apostolici viri et primi illius urbis pontificis, quæ e Roma cum in Gallias divino F proposito subsecuta, dum ille Catalaunis Crucis trophæum intulit, virginitatis sacræ vexillum ibidem erigens, religionis initia feliciter suo exemplo promovit. Deinde vero ubi Christi servitio assidue incumbens cursum divinitus destinatum percurrisset, virtutum pretiosis monilibus decorata, ad sponsum cœlestem, cœlitumque supernum triumphum evolavit. Cujus purissimæ exuviæ in eadem theca cum S. Memmii germani sui sacris ossibus collocatæ, ibidem magna veneratione asservantur. *Hæc eadem paulo brevius repetit, dum de S. Memmio hoc die loquitur.*

A

DE S. JONIO PRESBYTERO & MART.

APUD CASTRENSES

IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Circa annum CCLXXXVII. In Martyrologio Rom. annuntiatur 22 Septembris;

Refertur sanctus hic Martyr in Martyrologio Romano die XXII Septembris, deflexo tantillum nomine in hæc verba:* Apud pagum Castrensium, sancti Jonæ presbyteri et martyris; qui cum sancto Dionysio profectus in Galliam, jussu Juliani præfecti verberibus cæsus, gladio martyrium consummavit. *Est autem pagus Castrensium (a* Castro *seu* Castris *aut* Castrolio *civitate, vulgo* Châtres, *dictus) in Insula Franciæ ad Orgiam fluvium, qua Parisiis Aurelianum itur, ad octavam circiter leucam. At unde ipsi in hoc Martyrologio natalis obvenit dies XXII Septembris? Id enimvero nesciri ait Bailletus in Legenda sua die* V *Augusti, col. 73; non dicturus, opinor, si Baronii annotationes consuluisset, in quibus pro se citat Petrum de Natalibus lib. 8, cap. 106; ubi diserte decollatus dicitur sanctus* Jonius X Kalendas Octobris. *Et fallor, nisi eadem auctoritate ducti, eodem illum die ac mense in suis Martyrologiis, ante reformationem Romani, annuntiaverint Grevenus et Walasserus sive Canisius; tametsi eum jam ante retulerant ad hunc diem* V *Augusti. Appellat insuper ibidem Baronius* vetera manuscripta; *sed ea quid sint, aut ubi lateant, ignoramus.*

B

in aliis die 2, 4, et maxime 5 Augusti.

2 *Certe veteribus Mss., quorum hic habemus apographa, mense tantum Augusto celebratum olim fuisse intelligimus; idque vel die secunda istius mensis, seu* IV Nonas Augusti *(ut habent exemplaria Actorum ejus longiorum, a Papebrochio nostro et Chiffletio variis locis atque e variis Mss. exarata;) vel die* IV *Augusti (quo refertur in Florario nostro Sanctorum Ms.;) vel denique die* V *Augusti, quo illum occubuisse Acta, quæ vidimus, omnia cum succincta tum diffusa, cum edita tum anecdota tradunt; si unum exceperis compendium Equilini. Et quanquam inter illa quædam, ut jam notavimus, solemnitatem ejus a die martyrii sejungant (quod alicubi certis de causis fieri potuit;) id peculiare tamen ecclesiæ cuidam, non pluribus commune fuisse censendum est; quandoquidem eodem die* V *Augusti simul festum ejus simul martyrium notant vetustum Passionale Ms. Bodecense, de quo infra; et varia Usuardi nostri auctaria (nam ipse Usuardus, quod mirum profecto, de* S. Jonio *non meminit, nedum alius ipso antiquior aut suppar Martyrologus;) item Galesinius, Saussayus, Castellanus et alii; denique eodem et non alio mense ac die celebratur Officio simplici per totam diœcesim Parisiacam, ut videre est in Breviariis anni 1584, 1636, 1680, et 1700. Cum ergo ad hanc diœcesim ecclesiæ hujus Martyris cultu celebriores pertineant, æquum putavimus, in servando* S. Jonii *die natali ab ejusdem sententia usuque hic non recedere.*

C

Ecclesiæ cultu ejus et reliquiis

3 *Ecclesiæ vero illæ sunt numero tres: prima in ipso monte, qui ab ejus martyrio nuncupatur* Mons S. Jonii, *collocata, ejusque nomine consecrata, et olim cœnobio, nunc prioratu Cluniacensium insignis, teste Bailleto ad hunc diem, et Jacobo du Breul in Theatro antiquitatum Parisiensium lib. 4, pag. 1162; qui addit, olim ibi tam frequentia fuisse Martyris nostri miracula, tantamque ex his apud circumjectas circiter viginti quinque parœcias exstitisse religionem, ut undique ad eamdem ecclesiam die* V *Augusti confluere quotannis turmatim consueverint. Simile quid refert Peyronetus in Catalogo suo Sanctorum pag. 306, asserens id fieri,* ad venerandas S. Jonii reliquias. *Altera est ecclesia S. Clementis apud Castrenses, ubi corpus ejus diu totum quievit; atque etiam num illius pars tanta superest in argentea theca sub altari principe condita, ut in recenti Breviario Parisiensi simpliciter ibidem corpus asservari dicatur. Adi Bailletum et Castellanum. Tertia est ecclesia Deiparæ Virginis Corbolii, vulgo Corbeil, quod oppidum in eadem diœcesi Parisiensi ad Sequanam sedet, sex circiter leucis a Castrensi versus orientem: hæc vero post priores duas hujus Sancti venerationem usque adeo extulit, ut in Auctariis Usuardinis tanquam sedes cultus ejus primaria designetur:* Castro Corbolio, S. Jonii martyris; *et apud Saussayum in Supplemento ad eumdem hunc diem:* Apud Corbolium in præsulatu Parisiensi, veneratio sacrorum pignorum S. Jonii presbyteri et martyris, commilitonis S. Dionysii.

E

præ cæteris insignes,

4 *Verum hæc pignora quo tandem tempore, quave occasione a Castrensibus Corbolium devenere?* Nescitur, *inquit Bailletus;* celebratur vero ibi translatio eodem die, quo festum ejus præcipuum, hoc est, V Augusti. *Du Breul tamen loco antea citato anniversariam illius memoriam affigit* Dominicæ post Ascensionem. *Oportet autem translatam eo fuisse pignorum ejus partem oppido notabilem; cum in Breviario Parisiensi anni 1680 absolute legatur:* Corpus ejus in basilica Sanctæ Mariæ apud Corbolium totius viciniæ cultu et veneratione frequentatur. *Jam hæc scripseram, cum accepi Martyrologium Parisiense, anno 1727 Parisiis editum; in quo ad diem* V *Augusti de Sancto nostro ejusque reliquiis hæc nuntiantur:* In monte Cebro, territorii Huripensis, prope Castra natalis sancti Jonii martyris; cujus corpus in ipsa Castrensi sancti Clementis basilica; ossa vero quædam Corbolii in ecclesia Beatæ Mariæ, pone altare in capsa honorantur. *Addit his porro et quartam basilicam Breulius apud Santones, de qua ibidem sic meminit:* Fuit usque ad annum MDLXXII alia in urbe Rupellensi ecclesia in honorem ejusdem hujus sancti martyris Jonii dedicata; sed nunc *(edebat hæc anno 1612)* eorum prædicatione profanata, qui reformatam scilicet religionem profitentur. *Eane, modo pristinum decus usumque, post exactos regno Calvinianos, recuperaverit, non vacat inquirere; nomen certe* S. Jonii *neque ipsa, neque proxima illi platea unquam videtur amisisse. Præterea Tamayum, qui ejusdem*

F

AUCTORE P. B.

dem S. Jonii *seu* Jonæ *celebritatem annuam in Martyrologio Hispano ad diem* XXII *Septembris observari docet* Castris-Cæciliis, *vulgo Cazeres,* in Lusitania, *quem locum apostolicis olim scilicet laboribus Christo subjecerit: nam quidquid ibi in hanc rem producitur, pseudo-Dextrina, hoc est, nulla fide subnixum est.*

Acta ejus duplicia sunt; longiora, et contracta:

5 *Acta* S. Jonii *in veteribus Mss. duplici modo composita reperiuntur; breviore videlicet, ac diffuso: primi generis ea sunt, quæ accepimus a Gamansio nostro* ex Bodecensis cœnobii Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, diœceseos Paderbornensis, Passionali pergameno Ms. insigni, mensis Augusti fol. CLXVIII. *Leguntur eadem edita apud Vincentium Bellovacensem in Spec. Hist. lib. 10. cap. 23, et Mombritium tom. II, fol 44. Hæc eadem magis postmodum a se contracta vulgaverunt Petrus de Natalibus episcopus Equilinus in Catalogo lib. 8, cap. 106, et S. Antoninus Hist. part.* I, *tit. 6, cap. 28, § 2. Longiora nondum excusa vidimus; sed variis locis Mss. servantur; horum exemplar invenisse se di-* B *cit Tillemontius Monum. eccles, tom. IV, pag. 452, ubi de* S. Jonio *pauca refert. Nos ex codicibus variis nacti sumus apographa duo: alterum beneficio P. Petri Francisci Chiffletii nostri* ex Mss. Accincti monasterii, et Vallis Lucentis, et Carneoli; *alterum Papebrochii nostri manu exaratum,* ex Mss. Cisterciensibus, tom. IV, num. 23, et tom VI, num. 23. *Sed sive longa hæc, sive contracta quomodolibet Acta expendantur, probari non possunt; nec a modernis criticis rejiciuntur immerito.*

sed utraque per quam suspecta;

6 *Et majora quidem per insigne plagium* S. Jonio *tribuuntur; cum sint ipsa Acta S. Luciani martyris et apostoli Bellovacensium, jam olim in Opere nostro vulgata ad diem* VIII *Januarii a pag. 466, nisi quod plagiarius iste, quisquis fuit, nomini S. Luciani substituerit ubique nomen* S. Jonii; *num. 3 nomini Quintini nomen Carauni; num. 4 his verbis,* Beluacensem ad urbem *hæc,* Castrensem pagum; *et alia paucula Luciano tam propria, ut in* Jonium *quadrare nulla ratione possent: tum quod exordio Actorum S. Luciani aliud præmittit in hæc verba:* Post beatam et glo- C riosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi tempore Juliani, crudelissimi tyranni, beatissimus Yonius una cum beato Dionysio partibus Atheniensium advenit; deinde Galliam simul cum discipulis septuaginta duobus usque Parisius pervenerunt, prædicantes et docentes, ut omnes crederent, unum Deum esse in cœlis, et colerent unitatem fidei atque adorarent Dominum nostrum in Trinitate; non idola muta, surda et manufacta, quæ adorant sævissimi tyranni in honorem deorum illorum, Martem, Mercurium, atque Jovem, deamque Venerem. Itaque ipsis tyrannis crudeli velocitate illos insequentibus, et valido tormentorum genere trucidantibus, jam dicti viri palmam martyrii sine dubio acceperunt. Igitur sanctissimos martyres Dionysium atque Yonium, una cum beato Rustico et Eleutherio, et cæteris septuaginta duobus, qui omnem Galliam circuierunt, beatorum Martyrum etiam sacramenta percurrentes, digno, dilectissimi, obsequio veneremur: dum enim illorum, *et cætera, quæ sequuntur in assignatis Actis S. Luciani usque ad finem.*

utpote crepta S. Luciano M.,

7 *Vel ex hoc principio patet, quam ineptus sit auctor, et quam ab illius stylo remotus, cui cætera omnia suffuratur. Est tamen et aliud argumentum unde stoliditatem hominis agnoscas et furtum: nam in Actis S. Luciani num. 11 sic martyr ille satellitibus respondens inducitur:* D Quod ego loquor, neque auribus percipitis, neque retinere mente valetis: excæcavit enim vos infidelitas vestra; et principem vestrum Julianum sævissimum, a quo directi estis, æterna cæcitas et caligo possidet tenebrarum. Milites igitur injuriam Cæsaris impatienter ferentes, apprehendentes eum *etc. Ubi observa, nullam a S. Luciano prolatam esse vocem Juliano tyranno injuriosam, præter has:* Et principem vestrum Julianum sævissimum, a quo directi estis, æterna cæcitas et caligo possidet tenebrarum: *quæ proinde voces omnino necessariæ judicari debebant; ut sano sensu subdi posset:* Milites ergo injuriam Cæsaris impatienter ferentes *etc. Vide ergo, quam accurato judicio locum hunc noster ita exscripserit, et* Jonio *adaptaverit:* Quod ego loquor, neque aure percipitis, neque retinere mente valetis. Milites igitur injuriam Juliani impatienter ferentes *etc. Atqui hic verbum nullum est Juliani injuriam redolens. Patet igitur (ut plura et pejora dissimulem) Acta hæc* S. Jonii, *ex Actis illis S. Luciani non modo exscripta esse; sed etiam oscitan-* E *ter et sine sensu esse exscripta: non sunt ergo Acta* S. Jonii, *sed S. Luciani, perperam ad* Jonium *translata; quod satis est, ut hoc loco rejiciantur; quantumvis alioqui nullis infecta vitiis essent prout Luciano conveniunt, quod neutiquam credimus: nam plura proferemus, cum ad Januarium liberiore, quam olim fas erat, censura redibitur; vel forte etiam, cum de S. Piato seu Piatone agetur ad diem* I *Octobris: nam et ibi multa sunt cum hisce Actis communia, non re tantummodo, sed etiam verbis.*

et S. Jonio deinde accommodata,

8 *Acta minora* S. Jonii *nihilo meliora sunt; cum sint et posteriora jam dictis Actis S. Luciani, et ex iisdem (in usum forte cujusdam Breviarii seu lectionis ecclesiasticæ) compendiose compilata. Primum ex eo colligitur, quod in assignatis Actis S. Luciani nulla fiat confusio S. Dionysii Atheniensis cum Parisiaco; quæ confusio maxime per Hilduinum abbatem ante medium seculi noni cœpit apud Gallos invalescere: unde videntur Acta illa Hilduino esse vetustiora. At compendium Actorum* S. Jonii *confusionem illam Dionysiorum ab ipso principio indicat: merito igitur censeri potest Hilduino, adeoque et Actis, quæ* F *diximus, S. Luciani posterius. Secundum facile deprehendet, quisquis idem compendium Actorum* S. Jonii *cum Actis toties memoratis S. Luciani conferre voluerit: res enim eædem iisdem utrobique vocibus ac sententiis expressæ passim inveniuntur. Hoc ut cuivis pateat, compendium istud Commentario subjiciam: Acta vero S. Luciani in Opere nostro jam superius assignavi num. 6.*

et ab ecclesia Parisiensi rejecta.

9 *Ex dictis intelligitur, minime mirum esse, si Parisiensis ecclesia, cujus multum intererat Acta* S. Jonii *defendere, ea et in Breviariis suis antiquis anni 1584, et 1636 tam parce timideque adhibuerit, et ex recentioribus (ab anno saltem Christi 1680) prorsus tandem eliminaverit. Quid igitur, inquis, de sancto hoc Martyre jam tuto credi poterit?* Martyrium ejus, *inquit Longuevallius noster in recenti sua Ecclesiæ Gallicanæ Historia tom. I, pag. 106. Adde, quæ de gestis ejus ad hunc diem in Lectione propria proponit Breviarium Parisinum anni 1680 in hæc verba:* Jonius cum in pago Castrensi prope Parisios opus Domini instanter perageret, ac plurimos verbis et exemplis ad Christum converteret, propter immobilem in confessione fidei constantiam martyrio coronatus est. *Præterea quod locorum traditione* non

A *non minus quam Actis asseritur, nec aliunde ullam falsi speciem præ se fert; ut quod socius fuerit S. Dionysii Parisiensium apostoli; quod ab hoc presbyter ordinatus atque ad Castrensem pagum Christo imbuendum missus fuerit, ibique in monte, qui nomen ejus hodieque retinet, martyrium consummarit, nec procul admodum inde sepultus coruscarit miraculis. Tum ea, quæ de cultu ejus et reliquiis paulo ante probavimus. Denique neque illos temeritatis arguerim, qui missionem ejus ad medium circiter seculi tertii, martyrium vero vel sub Aureliano versus annum Christi 275, vel potius sub Maximiano Herculio circa annum Christi 287 collocant. Adi Tillemontium Monum. eccles. tom. IV, pag. 442 et seqq., donec de S. Dionysio Parisiensi, a cujus chronotaxi, Sociorum ejus tempora dependent, nos ipsi disseruerimus. Nunc Acta, quæ promisi, breviora subjicio; in quibus observa, quæcumque uncinis inclusa sunt, totidem fere verbis expressa legi in S. Luciani Actis, quæ ad* VIII *Januarii secundo loco*
B *dedimus.*

ACTA BREVIORA

Auctore anonymo, ex codice Ms. Bodecensi, collato cum editis.

Beatus Jonius cum beato Dionysio de partibus Atheniensium advenit *a* : dein [sancto Carauno *b* consociatus, urbe Roma cum beato Dionysio pariter egressus, Gallias adiit, atque a beato Dionysio presbyteri officium sumpsit,] et Castrensium pagum properans, Evangelium prædicavit. [Alius ei cibus non erat assiduus quam esus herbarum virentium, et aquæ frigidæ calicem pro potu fesso corpori tribuebat. Quadragesimæ vero diebus bis in septimana cibum corpori ministrabat.] Tres autem lictores a Juliano præfecto missi ut eum perquirerent, prope Parisius pervenerunt, cui vicinior est pagus Castrensis, qui
C dicitur Mons sancti Jonis, eumque ibi [repererunt Nonis Augusti docentem populum. In quo loco populi caterva plurima per eum ad Christum conversa gaudebat.] Ut autem [persecutores eminus venire conspexit, a prædicatione non destitit; sed salutaribus monitis populum adhortatus est et puras manus inferens cœlo, totis viribus dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me ad titulum dignitatis tuæ vocare dignatus es, et beatorum Martyrum tuorum consortem efficere.] Egressus igitur ab urbe Parisiaca, intrepidus pervenit ad montem Jon *c*. Advenientes autem impii, sanctumque Virum apprehendentes [cum indignatione allocuti sunt eum.] Quem cum non possent a fide Christi avertere [vinctis manibus occiderunt *. (Et Ms.) (* imo ceciderunt)

2 Sanctus autem Vir nec terrore concutitur, nec dolore corporis superatur; sed confisus in Domino, imbecillia senectutis membra juvenili vigore sustentans, Christi nomen confiteri non metuit. Tunc unus ex militibus evaginato gladio, discooperta jam sancta cervice, pretiosum caput abscidit. Cumque sancti Viri cadaver jaceret exanime, videntibus militibus, lux de cœlo super sanctum corpus emissa est, et vox pariter cum luce venit, dicens : Euge, famule meus Jon, qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti in terris, cum Sanctis gratulare in astris. Dei autem factum est consilio, qui Sanctos suos cum mensura probat, et sine mensura glorificat; cedentibus a loco ministris nequam, erigens se sancti E
Viri corpus exanime, apprehendensque manu propria caput abscissum, stabili gressu iter suum carpere plantis firmissimis cœpit, portansque illud a monte quasi miliario uno, pervenit ad locum, quem Vir sanctus funeri tradendum elegerat; ubi cum palma victoriæ Sanctus requievit in pace. Cumque sanctum corpus Viri misericordiæ recondereut, apertæ sunt nares eorum, senseruntque aromata Angelorum, qui a Domino ob sancti Viri exsequias fuerant destinati.]

ANNOTATA.

a *Vides, quod supra monuimus, ab hoc auctore confundi duos SS. Dionysios contra eruditorum nunc fere omnium, et ipsius ecclesiæ Parisiensis sententiam.*

b *Atqui* S. Caraunum *vixisse seculo quinto contendimus ad diem 28 Maii pag. 748, et consentit recentior Legenda Gallica ad eumdem diem. Quod autem hic pone sequitur, paulo aliter et corruptius habetur in editis Mombritii et Vincentii Bellovacensis.* F

c *Hæc non videntur cum præcedentibus cohærere : ibi enim a lictoribus eum perquirentibus repertus dicitur in monte* S. Jonii, *et quidem Nonis Augusti, hoc est, ipso die martyrii : hic vero Parisiis exhibetur eumdem denuo montem adiens.*

DE S. EMYGDIO EP. & MARTYRE

ASCULI

IN PICENO

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Ejus cultus apud Asculanos et alibi.

Anno CCCIII aut CCCIV. Ejus, tanquam patroni, cultus antiquus

Asculum in Italia duplex est; utrumque episcopi sede conspicuum: alterum in Apuliæ Capitanata; alterum, quod solum huc spectat, ad Truentum et Castellanum fluvios in Piceno, seu Marchia Anconitana. Hujus elegantem delineationem simul ac descriptionem exhibet Blavius in Theatro civitatum Italiæ a pagina 46; historiam vero cum sacram tum profanam Sebastianus Andreantonellus in opere posthumo, Patavii vulgato primum anno 1673. Ejus ecclesiam ait hic auctor, pag. 204, in Piceno suburbicario cæterarum antiquissimam esse; idque sine ulla controversia, ut addit Appianus noster in Vita inferius laudanda, pag. 7 editionis secundæ anni 1704, quam hic semper assignabimus, nisi cum aliter monuerimus. Debet hæc primordia sua S. Emygdio *(quem alii* Migdium, Emidium, Emicidium *nuncupant;) utqui eam a Romano Pontifice missus colligendam formandamque susceperit; nec doctrina tantum et miraculis vivens, sed et moriens sanguine, et reliquiis ac singulari præsidio defunctus ad nostram usque ætatem illustrarit. Itaque eadem illum ab omni retro memoria ut apostolum suum ac primum antistitem præsidemque tutelarem eximia religione constanter est prosecuta.*

in ecclesia Asculana.

2 *Testatur hoc imprimis ædes ipsa cathedralis perquam antiqua; imo a Constantino Magno imperatore condita, et solius primum* S. Emygdii, *tanquam patroni, nomine dedicata: si tamen vera est* vetus *illa* traditio et constans eruditorum fama, *quam appellat Appianus pag. 379: quod addo; quia niti videtur ista traditio Legenda quadam manuscripta Vallicellensi, quam Vallicellensem secundam infra vocabimus; in ea namque sub finem dicitur mulier quædam recentem Martyris nostri sanguinem in vasa tria vitrea collegisse; quorum unum dono miserit S. Marcello Papæ; secundum defoderit in ecclesia ad fluvium Tennam; tertium vero retinuerit apud se,* usque dum venit alius rex *(egerat mox de rege Polimio;)* et præsentavit ei, ut construeret ecclesiam in nomine S. Migdii episcopi et martyris. *Nempe per alium istum regem intelligendus videtur vel ipse Constantinus imperator, vel Christianus aliquis sub eo magistratus, qui in Polimii locum suffectus, rex item, ut ille, ab hoc Legendista nuncupetur; satis enim verisimile est, mulierem illam aut Constantino non superfuisse, aut feliciora benignioraque, quam sub eo fuerint, sacris ædificiis tempora non exspectasse.* Ecclesiam *vero* S. Migdii *non aliam hic designari, quam cathedralem Asculanam, ex eo suaderi potest, quod apud Petrum de Natalibus ex alia quadam Legenda scribitur lib. 7, cap. 24:* Sanguis autem ipsius *(Emygdii)* a Christiana quadam collectus, Esculi *(sive Asculi)* reservatur in ecclesia sua. *Sed enim Legendarum illarum quanta sit fides, postmodum indicabimus.*

ipsius nomine jam olim dedicata.

3 *Potest vero etiam aliunde ejusdem basilicæ vetustas ac titulus, adeoque et* S. Emygdii *per eam atque in ea cultus, utcumque comprobari: et vetustas quidem elucescit ex ejus, utique fatiscentis, instauratione, quam seculo* XI *suis impendiis accuravit Bernardus II, episcopus Asculanus; ut habet Historia ejusdem ecclesiæ apud Andreantonellum pag. 240; tametsi ea prima istius fabricæ reparatio fuisset; quod tamen ob veterum loci monumentorum penuriam non constat; uti constat, non fuisse postremam, ex eadem Historia pag. 274, 308, 345. Titulum referunt diplomata duo seculi* XI *ibidem exhibita; alterum Henrici III imperatoris, pag. 243, ubi dicitur* ecclesia Esculana dedicata in honorem sanctæ Mariæ et sancti Emigdii; *alterum S. Leonis PP. IX, pag. 245, cujus hoc est exordium:* Bernardo II episcopo ecclesiæ et episcopatus sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, et beatissimi martyris Emygdii, positæ *in* comitatu Esculano, *intra* civitatem, *etc. Neque dixeris, tum nuperam fuisse nuncupationem istam, quandoquidem Otho II imperator seculo præcedente in diplomate, ibidem relato pag. 235, ejusdem ecclesiæ* canonicos *appellat simpliciter* sanctæ Dei Genitricis Mariæ de civitate Asculana, *nulla facta mentione* S. Emygdii: *non enim semper in diplomatis omnes ecclesiarum patroni exprimuntur; sed sæpe nullus, sæpe dignissimus tantum, qualis hic est Virgo Deipara. Sic etiam in superiori diplomate Henrici III eadem ecclesia* exstructa *dicitur* in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ; *et in diplomate Leonis PP. IX:* Quæ ad honorem Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ est dedicata: *utroque enim loco omittitur patronus* Emygdius; *at nequaquam excluditur; cum aliis locis eorumdem diplomatum, uti jam vidimus, diserte exprimatur. Non dubitamus igitur, quin ejus nomine et erecta et consecrata fuerit ista basilica; tametsi demonstrare non possumus, quod asserit Appianus, eam solius aliquandiu* Emygdii *titulo insignitam fuisse, antequam Deiparæ nuncuparetur; imo refragari videntur jam dicta diplomata.*

et tria ejus festa quotannis observante,

4 *Crevit istic sine dubio pietas et religio Asculanorum in Præsidem suum, postquam inventum corpus ejus fuit atque in basilicam eamdem illatum: exinde enim, præter festum ipsius primarium ac natale, quod agebatur die* V *Augusti, duo insuper alia sunt instituta ad celebrandam quotannis inventi istius thesauri translatique memoriam; et illam quidem die* XXI *Martii (ut post Giovanettum in Sancti Vita pag. 95, notat Appianus pag. 248 et 249) vel sequente (quo notatur*

AUCTORE P. B.

A *tatur apud Ferrarium in Catalogo generali, ex* tabulis, *ut monet,* Asculanis :) *hanc autem, secundum eosdem auctores, die* XII *Aprilis. Quo anno, imo vero quo seculo, sive inventio ista sive translatio acciderint, ignoratur. Appianus pag. 248 utramque refert ad Claudium, qui anno 359, apud Baronium num. 30, concilio Ariminensi interfuit, tanquam* episcopus provinciæ Piceni, *quo nomine inter Asculanos ab Ughello et aliis numeratur secundus a* S. Emygdio : *verum nullum hujus chronotaxeos fundamentum apparet; nisi forte in Officio proprio Sancti; quod ipse ad Asculanæ ecclesiæ primordia, ni fallor, innuit pertinere; at nos ut nunc exstat, multis postea seculis compositum fuisse colligimus ex Hymnis ad Vesperas, Matutinum et Laudes : constant enim omnes versiculis rhythmicis seu ὁμοιοτελεύτοις; quorum originem Cangius, Martinius in Lexicis, aliique ad seculum* XII *referunt. Certe nemo Legendam hujus Martyris, quam dedit Equilinus, eodem seculo, quo vixit* Emygdius, B *adornatam dicet : atqui asserit illa, in priori sepulcro delituisse sacrum ejus corpus, cum auctor scriberet; in ecclesia vero Asculana tunc solum fuisse sanguinem.*

ex quo inventum corpus ejus obtinuit :

5 *Hoc igitur unice hic affirmare pro certo possumus, utramque contigisse a pluribus retro seculis. Colligitur id cum ex Officio laudato, tum ex diplomate Henrici III imperatoris, dato* VI Kal. Junii, anno Dominicæ Incarnationis MLVI. *quod apud Andreantonellum paulo ante assignabamus, et legi etiam potest apud Ughellum tom. I in episcopis Asculanis, ubi de Bernardo II : utrobique enim requiescere dicitur Sancti corpus in ecclesia cathedrali Asculana. Quin imo si satis tuta est auctoritas, quam citat Appianus in miraculis pag. 306, dicenda erit inventio corporis præcessisse annum Christi 540, quo Asculi jam tum inclusum argento* S. Emygdii *brachium adhibitum fuisse narratur, nec sine miraculo, ad avertendam civium calamitatem. Ut ut est, locum, quem in ista basilica pridem obtinet, sic pag. 209 describit Andreantonellus :* Ipsi templo *egerat de templi cathedralis parte superiori)* subest ecclesia, quæ licet subterranea, perspicua tamen est. Ad illam, tum ad dexteram tum ad C lævam, per gradus quindecim descensus est facilis. Septem supra sexaginta fulcitur solidis, tum lapideis tum marmoreis, columnis. Tribus item aris exornata; in quarum celebriori, divo Emygdio dicata, sub arca marmorea argentea, ferreis cancellis inauratis circumsepta, recondita sunt ejusdem Emygdii, Sociorumque corpora. Legitur ibidem versiculus :

Cum Sociis aliis Emygdius (*pag. 105 legit* Emindius) hic requiescit.

Fuerunt autem alii ejusdem socii, Euplus, Germanus, ac Valentinus. *Hos, ut sepulcrum, ita et cultum cum* S. Emygdio *communem habere, docet Appianus pag. 262. Nos Fastis nullis adscriptos invenimus, neque aliam habemus eorum notitiam, quam quæ hic et in Actis Emygdianis occurrit.*

horum solemnissimum est festum natalis ejus.

6 *Quanta vero ibidem celebritate dudum honorari consueverit memoria natalis ejus anniversaria, conjicere licet ex Officio proprio, de quo memini jam mox : extenditur enim a primis Vesperis, die* IV *Augusti, per totam Octavam. Antiphonæ, Capitula, Hymni, Responsoria, Versiculi, omnia denique propria sunt; et Lectiones quidem diversæ novem in singulos dies (excipe festum S. Laurentii, quo nulla de* S. Emygdio *recitatur.) Novem priores, quæ ipso festo proponuntur, continent Actorum epitomen, sed non absolutam : reliquæ omnes, ipsa sunt acta cum prologo S. Valentini, prout Commentario nostro subjicientur. Hoc Officium, anno 1522, typis Anconitanis primus vulgavit Hieronymus Tuber, presbyter Asculanus, octavo post anno* non sine sanctitatis opinione *vita defunctus : uti docet Andreantonellus pag. 112 et 314 : est illud quidem, ut ex dictis num. 4 patet, recentius* XI *seculo; editore tamen non paulo vetustius; ut ibidem ipsemet in præfixa dedicatione, episcopo simul ac principi Asculano, Philos Roverellæ, inscripta, testatur his verbis :* Cum apud nos S. Migdii, martyris et episcopi nostri, perpulchrum Officium, et amabilis Legenda MULTUM DIUQUE latuerint, observandissime episcope et princeps Asculane, dominis meis canonicis ac patribus hoc potissimum tempore visum fuit, ut reipublicæ Christianæ penitus incorrupte restituerentur... : absurdum enim videbatur, tanti Viri et Martyris et Episcopi nobiscum solum divina gesta et gratiam miraculorum, quam ei Dominus affluenter impenderat, E existere; *etc.*

pridem per octiduum Officio proprio celebrari solitum

7 *Ejusdem Officii (quia nunc aliud in usu est, anno 1659 a sacrorum Rituum Congregatione approbatum) unicum exemplar superesse noverat Appianus noster in bibliotheca Vaticana, codice, inter excusos, 2894; cum illud ipse bis exscriptum legitimeque collatum nobis quidem primo perbenigne submisit anno 1697; deinde autem in editione sua prima Vitæ Emygdianæ publico ipse juri restituit anno 1702; sed et mutilum, et pro sua sententia castigatum; ut liquet ex apographo, quod nobiscum ante communicaverat, et ipsa Tuberis editione anni 1522, cujus nuper exemplar a Vaticano diversum, atque adeo ignotum Appiano, commodatum accepimus beneficio Illustrissimi ac Reverendiss. D. Pauli Thomæ Marana, episcopi et principis Asculani. De castigatione dicetur loco suo : mutilatio vero spectat ad primas novem Lectiones, quarum ipse tantum initia dare voluit, ne bis eadem narrare cogeretur. Quia tamen breves sunt, non piget iis hic opusculum Appiani supplere. Sic igitur habent :* LECT. I. Beatus igitur Emygdius de nobili prosapia Gallorum originem ducens, in Germaniæ F provincia, cis fluvium Rhenum, natus est; a fidelibus progenitoribus baptizatus est; et nutritus est in parte Australi ejusdem Germaniæ in civitate Trevirensi. II. Qui cum septem esset annorum, traditus est a parentibus septem liberalium artium erudiendus disciplinis. Erat enim ingenio claro, vultu decoro, mansuetus nimis et humilis, facundus et compositus, omnique acceptione morum et virtutum omnium laude gratiosus. III. Et non solum parentibus, sociis, et amicis, sed et omnibus, qui illum viderant vel audierant, habebatur carissimus; et ubi ad cor altum scientiæque pervenit excellentiam, omnium philosophorum transcendit laudem. IV. Deinde sacrorum librorum legens ac relegens volumina, ad tantam pervenit sapientiam, et ad tantam gratiam prædicandi, ut patenter daretur intelligi, et ab omnibus orthodoxis prædicaretur uno ore, Migdium esse vas electionis et habitaculum Spiritus Sancti.

in eadem ecclesia cathedrali,

8 V. Beatus igitur Emygdius admonitus visione angelica, de nocte consurgens, cum tribus discipulis suis, Euplo, Valentino, atque Germano Papam Marcellum adiit, hoc ordine illum rogaturus : O Pater universalis, ô mediator Dei et hominum, cujus lingua januam cœli aperit et clau-

AUCTORE P. B.

claudit, subveni, fer opem nobis advenis, colentibus et invocantibus Christum, et persecutionem patientibus pro nomine ejus. VI. Altera autem die cum ingenti favore, et celebri laude cleri et populi fidelium, beatus Papa Marcellus sanctum Emygdium Asculanorum ordinavit episcopum, et Euplum, discipulum illius, diaconum; et tradita illi licentia prædicandi, admonens et confortans eum ad Asculanam direxit urbem. VII. Erat enim Asculum metropolis civitas a Ravenna usque Regium, post urbem Romam, in toto Adriatico littore præ cæteris civitatibus dives, florens et præpotens. Quæ munita, natura humanoque opere mirifice ornata, generosa civium frequentia decorata, amœnitate nemorum et fluviorum gratiosa, arborum et locorum fertilitate et specie delectabilis et famosa, paradiso sancto Dei videbatur simillima. VIII. Ad quam cum venisset beatus
B Emygdius episcopus, a quibusdam civibus cum ingenti honore susceptus est. Mane autem facto, seditio in populo oritur, jussuque Polimii ad tribunal regale beatus Emygdius episcopus ducitur in præsentia totius populi. Cujus conditionis sit, vel causa cujus negotii venerit, diligentius a Polimio interrogatur. IX. Deinde jussit illum introduci ad filiam suam. Erat enim Polisia filia Polimii, genere et forma spectabilis, eloquentia insignis, scientiaque litterarum tam Græcorum quam Latinorum admirabilis; quæ cum plurima audiret a beato Viro, Polisia confestim credidit, sacrisque mysteriis plenius se instrui ardenter efflagitabat. Deinde absente Polimio, beatus Emygdius cum discipulis suis ad Truntum fluvium puellam duxit et baptizavit eam. *Sic editio Tuberiana. Sed redeamus ad ejusdem festi solemnitatem.*

urbe tota ad maximum splendorem studia conferente,

9 *Hanc enim Asculani exornant plurimis aliis modis per legum suarum decreta, anno 1387 condita, vel institutis, vel potius restitutis confirmatisque; de quibus consule Appianum a pag. 267; ubi docet primo, a die* XXII *Julii ex palatii urbis publici fenestris pannos seu pallia duo exponi, uti et e summa turre ecclesiæ cathedralis vexilla plura, propinquæ celebritatis prænuntia: secundo, a die* XXVIII *Julii usque ad* XII *Augusti liberas in urbe tutasque permitti nundinas etiam iis, qui sive æris alieni, sive alterius delicti*
C *civilis causa, quovis alio tempore adversariorum actionibus ac judiciis obnoxii sunt: tertio, pridie festi sub vesperam illustri pompa atque ordinum urbis omnium comitatu ad Sancti tumulum tredecim ponderis magni cereos deferri; et duodecim quidem per totidem artium collegia; decimum tertium vero, qui majoris mollis esse debet, nomine civitatis, hac ceremonia Protectorem illum suum primarium profitentis: quarto, in ipsa, quantum assequor, solemnitate, seu die* V *Augusti, captivorum unum libertate donari: quinto, ad principem ecclesiam plura deferri pallia seu pannos e serico honorarios, non solum ab urbe ipsa ditioneque Asculanis, verum etiam a confœderatis undecim oppidulis, quæ nisi hoc servent, pro rebellibus habenda sint: sexto, propositis ex ærario publico braviis, varios exhiberi ludos, etiam equestres, sed extra tempus Officiis in æde summa divinis destinatum, quæ maxima populi, Eucharistico tum cibo refecti, frequentia pietateque peraguntur: septimo, ne ingeniorum quidem tunc et politioris litteraturæ cum Latinæ tum vernaculæ præscripta exercitia desiderari, ad Martyris laudes per Octavam oratione soluta ligataque celebrandas.*

10 *Sunt hæc argumenta quidem eximia singularis Asculanorum erga sanctissimum Præsidem* D *suum affectus; sed non sola: nam ut cultum ejus ac religionem tota sua ditione diffunderent, varias ipsi per illam ecclesias erexere; ut scribit idem Appianus pag. 275: tum, ut assidue in omnium quodammodo oculis et manibus versaretur, dum sui juris fuere, propriamque cudere pecuniam, huic sancti* Emygdii *sui effigiem impressam esse voluerunt; uti et nunc in aureo numismate affixa pectori gestatur, tanquam primariæ dignitatis insigne, ab illo magistratu, quem Caput Antianorum appellant. Quid, quod* Emygdii *nomine usque adeo delectantur Asculani; ut idem auctor affirmet pag. 276, non esse forsitan in orbe Catholico civitatem ullam, in qua Sancti sui tutelaris nomen tot hominibus inditum sit, quot in urbe ac ditione Asculana ad sacrum fontem nuncupantur Emygdii? Itaque quæ de amore mirifico Antiochenorum erga S. Meletium episcopum suum disserit S. Joannes Chrysostomus in Homilia de illo encomiastica, eadem omnia comprobant Asculanorum amorem erga* S. Emygdium; *concursus videlicet die natali ad tumulum* E *ejus, frequens impositio nominis, creberrimus usus imaginis, ære, argento, auro expressæ; ut nihil de picturis ac statuis ipsum referentibus dicam, quas inter eminet in ecclesiæ cathedralis gazophylacio, secundum Andreantonellum pag. 208,* argenteum simulacrum S. Emygdii, vivam ejusdem imaginem et staturam ad amussim exprimens. *Plura de Asculanorum adversus illum pietate colligi inferius poterunt ex miraculis.*

pro affectu suo singulari in Patronum suum.

Cultus ejus antiqua propagatio; et sera apud Martyrologos notitia.

11 *Neque vero Martyris hujus cultus et amor intra fines Asculanos ita viguere, quin pridem ad alios quoque promanaverint: nam et ecclesias in vicinis regionibus varias* Emygdii *titulo consecratas recenset Appianus pag. 275; et propensissimam juxta liberalissimamque principum, imperatorum, ac summorum Pontificum voluntatem in ecclesiam ejus Asculanam pluribus extollit a pag. 379, ab ipso exordiens Constantino Magno. Plura passim in hanc rem instrumenta legi possunt apud Andreantonellum, Ughellumque in episcopis Asculanis, sub Tustolpho (qui Carolo Magno imperante floruit) et posterioribus aliis bene multis. Unde satis mirum est, Martyris* F *tam præclari cultum Martyrologis omnibus ignotum prorsus fuisse, saltem usque ad provectum seculum* XIV, *quo illum in Catalogo suo Sanctorum consignavit hoc die Petrus de Natalibus, quem deinde alii permulti ad eumdem diem secuti sunt; ut Maurolycus, Canisius in Martyrologio Germanico, Galesinius, et qui referuntur inter Usuardi nostri Auctaria, ac tandem etiam Martyrologium Romanum, ubi hæc ejus est annuntiatio:* Asculi in Piceno, sancti Emygdii, episcopi et martyris, qui a Marcello Papa episcopus ordinatus, et illuc ad prædicandum Evangelium missus, in confessione Christi sub Diocletiano imperatore martyrii coronam accepit. *Mitto cæteros juniores, et ad Acta discutienda propero.*

§ II. Acta ipsius varia; eorum auctoritas; annus martyrii.

Acta Sancti, tam edita, quam Mss.,

M*ultum abest, ut Acta* S. Emygdii *tam integre vel scripta sint vel conservata, quam cultus. Conjicere primum id licet ex editis dudum eorum compendiis apud Petrum de Natalibus lib,*

7,

AUCTORE P. B.

A 7, cap. 24; apud Ferrarium (quem sequitur Bzovius Hist. Eccles. lib. 4, ad annum Christi 309, num. 9) in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem; ubi compendium Petri Equilini carpit et corrigit, pro se citans monumenta ecclesiæ Asculanæ Mss.; apud Ughellum Italiæ sacræ, tom. I, in episcopis Asculanis; ubi quædam omittit, quæ Ferrarius probaverat; non nihil asserit, quod non scripserat ille. Videntur ergo præcedentium auctorum epitomæ, earumque adeo etiam fontes, consequentibus suspectæ admodum auctoritatis fuisse; neque vero immerito: cum ne vetera quidem Actorum exemplaria Mss., quæ ex pluribus nunc pauca supersunt, sic aut inter se, aut cum historiis receptis consentiant, ut ea Baronius vel nominanda censuerit, sive in Annalibus ad annum 309, num. 4, ubi de ordinatione ejus et martyrio mentionem obiter faciens, de Actis altum silet; sive in annotationibus ad Martyrologium Romanum hoc die; ubi hæc tantum B observat: Petrus in Catalogo lib. VII, cap. XXIV refert ejus (S.) Emygdii) Acta; sed ejusmodi, quæ censura indigeant. Atqui ipse alia ad manum habebat cum in sua tum in Vaticana Bibliotheca. Cur igitur de istis non meminit, si omnino sincera, nec indiga censuræ putabat?

sic inter se differunt, et pugnant, ut valde suspectæ sint fidei:

13 Certe Henschenius ac Papebrochius nostri; cum anno præteriti seculi sexagesimo primo Romæ ad conquirenda de Sanctis monumenta versarentur, factaque perhumaniter illis ibidem esset a RR. PP. Oratorii copia scrutandi exscribendique in bibliotheca sua quidquid ad opus hoc nostrum facere quoquo modo videretur, inde gemina huc nobis Actorum S. Emygdii ecgrapha retulerunt, ex Eminentissimi Cardinalis Baronii vetusto codice Ms., quem tomum tertium nuncuparunt, excerpta; quorum alterum præfixum habet prologum B. Valentini, discipuli S. Migdii; alterum anonymum est: hoc deinceps Ms. Vallicellense secundum appellabimus, illud, simpliciter Ms. Vallicellense. Manuscriptis antiquis annumerari etiam potest Officium illud proprium, quod ex Mss. primus edidit Hieronymus Tuber, una cum duplici Legenda; breviore scilicet anonyma, et longiore Valentiniana, de quibus egimus paragrapho præcedente, num. 6. et sequentibus. Vaticanum quoque exemplar (nescio quod) citatur apud Pu-C ricellum in Dissertatione Nazariana, cap. 36, num. 2. Hæc autem omnia sic inter se variant, sic historiis probatis opponuntur; ut nullum attento eruditoque lectori non debeat suspectum videri.

imo e 2 Mss. Vallicellensibus alterum ineptissimum est et sibi contrarium,

14 Et Ms. quidem Vallicellense secundum, æqualis forte ætatis cum primo, certe ex eodem codice depromptum, non solum pugnat cum aliis; sed et secum ipso; ut stipitem, aut parum sanum fuisse necesse sit, quicumque composuit. En principium: Factum est, dum moraretur in Germania provincia, scilicet Austri-Francia regione, rex Polimius, misit per cunctam Italiam, ut, si quis inveniret aliquem Christianum, aut qui nomen Domini invocaret, vinctum eum perduceret in urbem Asculanam. Papæ! Polimius in Austri-Francia regione residens, et quidem rex; et rex cunctæ simul dominans Italiæ, idque tempore Marcelli Papæ, ut ibidem colligitur ex consequentibus: vah, deliria! Nihil enimvero usquam alibi simile legitur, ne in eodem quidem Ms.: nam ubi sub finem istic recurrit Polimius, non in Austri-Francia regione morari dicitur, sed in urbe Asculana: nec Italiæ toti imperitare, sed ne toti quidem Piceno. Quanquam et hoc stultum est, quod regem tum temporis qualemcumque ineptus fabulator in Italia finxerit. Quid, quod intra paginas duas non semel cæcum aliquem, et militem hujus ductorem, inducit profitentes, se de remotis Italiæ provinciis Romam venisse ad quærendum ibi S. Emygdium; mox autem eosdem inventum in urbe Roma Sanctum sic ait allocutos: Domine Pater, ab urbe Roma venio, audiens, quod cunctas infirmitates per te sanet Deus tuus? Ne vero putes, errorem hunc esse librarii, eodem loco bis idem asseritur. Ecquid belle consonant hæc; Ex remotis Roma provinciis; et, Ex urbe Roma? Ecquid ridicule intra urbem Romam dicere quis fingitur: Ab urbe Roma venio! Plurima tamen sunt alia nihilo saniora, et huic exemplari Ms. propria, nec alibi tradita; quibus hæc Legenda stomachum aut risum lectori movere sæpius debeat, quam fidem.

alterum S. Valentino tribuitur; sicut et aliud exemplar in Officio Asculano; sed alterutrum falso;

15 Ms. aliud Vallicellense, ex eodem, ut dixi, codice exaratum, præfationem habet B. Valentini martyris eamdem, quam præ se ferunt Acta, olim in Officio proprio apud Asculanos, secundum Tuberis editionem, die VI Augusti et sequentibus recitari solita. Certum tamen apparet, utrisque prologum illum per omnia quadrare non posse: quantumvis enim ambo exemplaria in plerisque consentiant; in multis tamen etiam E differunt, atque adeo sibi mutuo contraria sunt. Vallicellense num. 1 S. Emygdium baptizatum dicit fuisse, antequam litteris excolendus traderetur; Asculanum vero; decurso jam artium liberalium stadio, gentilem facit. Vallicellense ibidem Emygdii parentes, ante natum Filium fideles fuisse asserit; Asculanum autem ethnicos diu etiam posterius; et usque adeo quidem pertinaces, ut in Emygdium jam Christianum de sua religione disserentem ita pater erupisse dicatur: Hanc illis fabulam, fili, narrare memento, qui aurem tibi præbeant, qui et animum ejusmodi nugis accommodent: nam nisi mihi ad præsens assensum præbueris, nisi magnum Jovem adoraveris, iram deorum variis, novis, et exquisitis tormentis (per deos deasque!) sine omni dilatione placabo. Præterea cætera discrimina utriusque exemplaris, et ad annotata remitto: hæc enim abunde vel sola sufficiunt, ad alterutrum Valentino abjudicandum, saltem ut sincerum ejus opus. Sed utrum? inquis. F

aut potius falso utramque;

16 Respondeo, de utroque me dubitare: licet etenim existimem, Vallicellense minus esse corruptum, quam Asculanum; communia tamen utrique exemplari vitia cum B. Valentini ætate non videntur ulla satis ratione posse componi; sicuti neutrum ostendi potest antiquius esse seculo XII: non Asculanum, ut liquet ex dictis num. 4; non etiam, eamdem ob causam, Vallicellense, cum Actis in eodem codice subjuncta legantur duo poematia Leonina, quæ Officio veteri S. Emygdii præmittit in editione sua prima, pag. 302 et seq., Appianus, primum tribuens Felici episcopo Asculano, qui florebat anno post Christum natum DCLXXX, secundum Pastulfo antistiti Asculano sub annum DCCC; sed perperam sine dubio: nam neque in editione Tuberis, ubi primum legitur ad libelli finem, neque in Codice Ms. Vallicellensi, ubi utrumque refertur, ullus utrivis auctor adscriptus est: et Leo, quem poeseos rhythmicæ conditorem palæophili nobiles faciunt, seculo primum XII, eoque adulto, floruit. Adi Cangium, et quos ipse citat in Glossario ad voces, Leonini versus. Porro inter illa, quæ dicebam, vitia communia evidentissimum est illud,

AUCTORE P. B.

illud, quod in utroque exemplari asseratur S. Emygdius *consecratus episcopus a S. Marcello Pontifice; deinde martyrii palmam consecutus die* V *Augusti, imperantibus etiam tum Diocletiano et Maximiano Herculio Augustis: hæc enim, quoquo te vertas, absurda videri debent atque* ἀσύστατα*; ut palam faciam, postquam singula comprobavero.*

ut patet ex vitiis,

17 *Primum habetur in Actis infra num. 16 his verbis:* Beatus Papa Marcellus sanctum Migdium Asculanorum ordinavit episcopum. *Alterum æque diserte legitur, num. 32:* Passus est autem beatus Migdius, civitatis Asculanæ metropolitanus episcopus et martyr, Nonis Augusti. *Tertium colligitur ex numero 23, ubi Polimius ita pro tribunali Sanctum alloquitur:* Sacrifica igitur diis immortalibus; et magnis ac claris ditaberis honoribus, et carus atque acceptus Diocletiani et Maximiani imperatorum invictissimorum semper eris aspectibus: *idem repetitur num. 28 et sequente; non potuit autem hoc dici, nisi ab eo, qui ambos tum reipsa imperare atque omnia* B *posse erga bene meritos sibique gratos simul affirmaverit. Age nunc, si potes, hæc inter se tria concilia. Sed, scio, non poteris: Marcellus enim (quem saniores chronologi sedisse negant ante annum Christi 308) omnium omnino eruditorum calculis ad Petri Cathedram evectus esse non potuit ante mensem Maium anni 304: ponamus ergo tantisper, tum evectum re vera fuisse; sequetur, ut* S. Emygdius *non potuerit episcopus ab illo ordinari ante ejusdem anni mensem Decembrem (non enim alio mense episcopos consecrasse legitur in ullo Pontificali, quod sciam.) Sit ergo mense illo ordinatus, ut post Baronium statuit Vignolius; et anno illo 304 (cum anni sequentes propositis Actorum locis multo magis incommodent:) consequens iterum erit; ut* Emygdius *non possit fuisse martyrio coronatus ante diem* V *Augusti anni 305, hoc est, tribus et amplius mensibus post abdicatum imperium a Diocletiano Nicomedæ, ab Herculio Mediolani; quod Actis aperte repugnat; quæ proinde eatenus indigna Valentino, Martyris nostri discipulo, videri debent.*

utrique

18 *Unicum hic superest effugium; si dixeris male positum a librariis fuisse Marcellum pro* C *Marcellino, ut sæpe alias factum constat non solum apud Græcos, verum etiam apud Latinos. Placet omnino hæc elabendi via (tametsi nova est, et recentiorum opinioni contraria) cum facilius credi possit erratum esse a librariis in unico nomine, forte ab antiquis, ut assolet, contracte olim scripto; quam in sententiis integris, quales assignavimus numero præcedente. Hujus erroris in probatis monumentis exempla, quod sciam, nulla sunt; illius plurima. Verum hic restat alia difficultas, qua fides Actorum validissime convellitur: nam si sub Marcellino, quæ in iis narrantur, gesta fuisse quis velit, necesse est etiam, ut fateatur, illa omnia contigisse sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano, jam Christianos crudeliter persequentibus; ut conficitur ex num. 22; ubi dicitur Sanctus ad Asculanorum urbem pervenisse, et mox subditur:* In qua Polimius, procurator Brutiæ et totius Adriatici littoris, residens, JUSSU DIOCLETIANI ET MAXIMIANI in Christianos crudeliter sæviebat. *At vero quis persecutionis istius, omnium, quas passa est unquam Ecclesia, sævissimæ usque eo ignarus est, ut fieri tum credat potuisse eorum aliqua, quæ hic ex Actis tanquam utrique jam dicto exemplari communia, nobisque absolute displicentia, subjicimus?* D

exemplari

19 *Sic nemo credet, opinor, sub ullo imperatore ethnico, nedum sub Diocletiano et Maximiano religionem Christianam acerbissime vexantibus, impune fieri potuisse, quod narratur num. 11 de diruta palam ara Æsculapii, et idolo propriis* Emygdii *manibus revulso, præcipitatoque in Tiberim, spectantibus otiose sacrificulis, et ringentibus quidem, sed obniti tum tamen haudquaquam audentibus; imo cum rem ad gentilem Urbis præfectum continuo deferrent; ab hoc non absque furore repulsis. Minus etiam credet,* S. Emygdium, *postquam idem Urbis præfectus cum senatu universo in ejus et Christianorum omnium interitum conspirasset (ut habetur num. 12) ita neque sibi neque aliis cavisse, ut saltem dum Romæ esset, captare latebras vellet; sed siverit ad se* de proximis et longinquis locis innumeras turbas populorum concurrere *(ut legitur num. 16;) imo inde non discesserit; (ut mox additur) nisi Christianorum* lætantium choris vestigia illius præcedentibus et subsequentibus *usque* E *ad aliam civitatem, quæ ibi non sine manifesto errore* Pictavis *appellatur:* Pictavis *enim Romam inter et Asculum nulla unquam innotuit; sed ea quæcumque demum fuerit, sita fuit in itinere quo Sanctus Asculum Roma petebat, neque adeo multum ab Urbe remota: unde incredibile prorsus est, quod ibidem de illa subjicitur:* Nullum adhuc penitus signum Christianæ fidei ad salutem sibi noverat vel audiverat, *usque ad seculum* IV *scilicet.*

communibus

20 *Non attingimus collectos ibidem agros insanabiles centum et quinquaginta, uno loco, uno tempore, uno prodigio veletudini restitutos, eosque cum aliis, quotquot aderant, ad fidem Christi conversos; verum cujus fidem non superet, quod num. 21 de illis subjungitur:* Et renati ex aqua et Spiritu Sancto, celeres advolant, templa destruunt, ignemque succendunt copiosum, et omnia idola in medium flammarum æstuantium projiciunt. Purificata itaque civitate, omni immunditia eliminata..., tres basilicas sanctus Vir dedicavit? *Itane vero hæc tanto strepitu ac media luce facta sint in Romanæ quodammodo urbis conspectu, in atrocissima persecutione; dum Christiani vicini,* F *talparum instar et cuniculorum, vix in labyrinthis cryptarum subterraneis tutam satis a sagacitate tyrannica et religionem suam et vitam putabant? Vah meticulosos igitur imperatores, alioqui summos fortissimosque, Constantinum et complures alios, qui, sublatis dudum tyrannis omnibus, cum orbi formidabiles essent universo, id ausi tamen non sint, nisi admodum lente ac timide, quod hic homines privati, cruenta dominantis idolomaniæ proculcantes edicta, inter undantia Martyrum sanguine tribunalia, brevissimo tempore confecerunt! Quot enim illi fana toto passim imperio seditionis metu, in summa ac diuturna Ecclesiæ pace intacta reliquere; cum hi in urbe sua, bello atrocissime sæviente, ne unum quidem tantisper superesse passi, repentino impetu, non prece, non miraculo, sed suis omnia manibus disjecerunt; imo tres insuper basilicas ita deproperarunt; ut ante jam dedicatæ essent quam turbæ,* S. Emygdium *eo usque Roma secutæ, de reditu cogitarent?*

et passim occurrentibus.

21 *Si vero ante interitum tyrannorum credi non possunt fana per vim et impune eversa fuisse; ecquis, amabo, nisi temere, suaderi sibi sinet, quod narratur num. 26 de templo quodam Apollinis,*

A *finis, post aram dirutam et contritum ejus idolum, in ecclesiam Christianam per* S. Emygdium *consecrato; cum hujusmodi consecrationis multo posteriora in sinceris monumentis exempla proferantur, quam eversionis? Cedo mihi sane vel unum ante tempora imperatoris Honorii, sive annum Christi 398. Et quod ad Pontifices Romanos attinet, quibus etiam nunc Asculani præsules immediate subjiciuntur, primus inter eos post longam meditationem, concessisse scitur ac suasisse delubrorum in Anglia expurgationes et consecrationes S. Gregorius Magnus; imo Baronius ad annum 607, cum refert, a S. Bonifacio PP. IV obtentum celeberrimum Romæ Pantheon Christianis sacris dedicatum fuisse, observat, neminem Romanorum Pontificum id hactenus tentasse. Et tentarit* Emygdius *in persecutione memorata? Sed næ ego longus sim, si singula Actorum nostrorum vitia persequar; ut Baptismata palam ac mediis in urbibus uno tempore collata gentilibus, Romæ sexcentis quinginta, num. 9; iterum ibi-*
B *dem aliis mille triginta, num. 11; in itinere Asculano innumeris, num. 21; uti et in urbe quadam Picentina, num. 27; Asculi mille sexaginta et pluribus, num. 29 et sequente; et hæc quidem, ut dixi, omnia publice, et in atrocissima persecutione. Adde indignam hagiographo vetere spermologiam, num. 14 sic expressam:* Interea dies abiit, noxque terrarum immensa spatia nigris amplectitur alis; et dum levator curarum et operum, mortalium omnium somnus, gratissimus comprimit artus *etc. Adde, num. 8 ethnicos appellari* paganos, *quo nomine primum nuncupari cœpere sub imperatoribus Christianis, postquam eliminata ex urbibus superstitio, in solis agris pagisque poterat exerceri. Vide Cangium in Glossario ad vocem* Paganus. *Tædet alia recensere: ut quod cum tot ipse Martyr ethnicorum fana subvertisse memoretur, nullam tamen ecclesiam earum, quas idem ipse tum dicitur Christo erexisse, ethnici narrentur attigisse; etc.*

Prologus ipse vel ad hæc Acta non spectat, vel pseudonymus est.

22 *Et hæc scripta sint a S. Valentino, ante pacem Ecclesiæ per martyrium sublato? Quidni, inquis; cum id ipse asserat in prologo? Respondeo primo, prologum illum præfixum inveniri exemplaribus inter se contrariis: ut ergo certum est, illum alterutri falso adscribi, ita certum est,*
C *utrique falso assui potuisse. Secundo, nego prologum esse: non enim est dedicatio operis facti; sed promissio faciendi post redditam Asculanæ ecclesiæ tranquillitatem, ad quam nunquam pertigit Valentinus, utpote martyr, ut Asculani volunt. En verba:* Putasne, videbo diem illam, in qua requies et securitas reddatur ecclesiæ? Putasne, videbo diem illam, in qua mihi liceat...... Actus S. Migdii martyris styli officio designare memoriæque posterorum mandare? *At mox, ais, hæc sequuntur:* De quo, quam brevissime potero, pauca tibi de multis ordinare studebo. Vale. *Quid tum? Nam et* studebo *promittentis verbum est. Imo hæc postrema sententia ad Acta subjecta referri non potest; cum non sint* brevissime, *sed perquam verbo se conscripta. Tertio, ipsa illa epistola potius, quam præfatio, videri potest Valentino supposita; tum quia inscriptio, quantum ex epistolis aliis circa illa tempora ad summos Pontifices datis apud Constantium licet observare, non sapit ætatem S. Valentini; tum quia adulatoria nimis et hyperbolica apparet in his:* Nam et philosophorum disciplinam omnium nosti, et.... omnium mortalium exuperas ingenia, nomina, dignitates, et merita; *tum denique, quia ad S. Melchiadem PP. ita scribit:* Quæve lingua explicare potest damna, exilia, contumelias, proscriptiones, cædes, carceres, capitales sententias, et alia genera tormentorum, quæ Christianæ fidei cultores apud nos patiuntur? Quid immoror? Inter invia saxa latebrasque ferarum vitam ducimus, mortalium fere omnium præsidio destituti: aporiamur enim, omnibusque modis affligimur. *Quid? Hoc in provincia Romæ tam vicina contigerit eodem anno, quo Maxentius, secundum Tillemontium Monum. Eccl. tom. V, pag. 403, et Africanæ Ecclesiæ tempestatem omnino sustulit, et Romæ mandata S. Melchiadi Papæ concessit, suo ac præfecti prætorii nomine consignata, et ad Urbis præfectum directa, quibus imperabat loca, quæ fuerant Christianorum ecclesiis erepta, restitui? Enimvero non satis ista cohærent.*

AUCTORE P. B.

Alia duo exemplaria a cæteris diversa.

23 *De Vita breviore, quam dedi supra num. 7 et 8, vix est quod moneam, cum sit Actorum nuda epitome, et quidem usque eo mutila, ut Sancti martyrium non referat. Observa tamen; ejus initium usque ad visionem angelicam de itinere Romano, desumptum esse de verbo ad verbum ex Ms. Vallicellensi; atque adeo; nihilo minus* E *pugnare cum Actis Valentinianis, quæ ex eodem Officio inferius recudentur: quod animadvertens Appianus, compendium illud solerter omisit; sicut et primam Antiphonam primi Nocturni eamdem ob causam videtur immutasse: sic enim legitur in editione Tuberiana anni 1522:* Beatus igitur Emygdius ex bonis vere creditur parentibus natus, bonis et ipse nomen suum moribus honestavit; *sic vero ipse edidit:* Beatus igitur Emygdius nobili loco natus, bonis nomen suum moribus honestavit. *Ita nimirum antilogiam ex Officio sustulit manifestam; sed industria sua, non codicum auctoritate. Restat exemplar Vaticanum, de quo ante diximus. Illud etiam num supersit, nec ne, ignoramus; multum tamen ab omnibus aliis discrepare, vel ex brevi hoc ejus apud Puricellum textu disces:* Beatissimus Emygdius, civitatis Asculanæ metropolitanus episcopus et martyr, natione Gallus, genere clarissimus, sapientia et vita perspicuus, castus et angelicus, ætatis suæ anno trigesimo *(quo secundum alia martyr occubuit)* fuit ordinatus in sacerdotem a sancto Dei viro Mirocle, cive Mediolanensi, in eadem civitate Mediolani, in oratorio sanctorum martyrum Nazarii et F Celsi; quia beatissimus ille Emygdius innumerabilem illius populi multitudinem verbo et exemplo ad Christi fidem convertit.

Judicia aliorum de Actis; nostrum de editionibus Italicis;

24 *Tot in Actis ejusdem Sancti vitia, tanta in exemplaribus Mss. editisque discordia hanc Andreantonello, civi atque historiographo Asculano, pag. 225 extorsere sententiam:* Scripsit ante Petrum *(de Natalibus, quem carpit)* de S. Emygdio ad Melchiadem Papam Valentinus levita; sed sexcentis fœdata est erroribus historia. *Tillemontius, qui, duo tantum ejusdem historiæ compendia viderat, Monum. Eccles. tom. V, pag. 134, alterum Equilini, Ferrarii alterum; primum cum Baronio rejicit; de secundo autem ita pronuntiat:* Ferrarius addit *(Legendæ Equilini)* monumenta ecclesiæ Asculanæ; et cum in illa quod libitum ipsi fuit, immutaverit, nihil extundere tamen ex ea potuit, præter contextum prodigiorum, imo vero fabularum. *Quanto minoris hæc Acta facturum fuisse existimabimus, si vel exemplaria plura vidisset; vel historiam fere per omnia simillimam narrari scivisset de S. Septimio M. et primo Æsinorum in Umbria episcopo; ut videri in hoc Opere poterit die* XXII *Septembris? Hinc*

AUCTORE P. B.

Hinc porro statue, quid censendum sit de Actis Italicis tum a Marcello Giovanetto editis Ronciliona anno 1631, tum a Paulo Antonio Appiano, Societatis Jesu presbytero, Romæ anno 1702, et rursum, sed paulo aliter, anno 1704 : ambo enim insistunt quidem narrationi Valentinianæ, prout est in Officio veteri Asculano; sed eam tamen, quasi nimis gracilem et elumbem, cæterorum quoque monumentorum, quæ hoc paragrapho enumeravimus, fragmentis minime solidis pacim inferciunt. Hoc vero et Giovanetto et cæteris omnibus præstare videtur Appianus, quod, ad inflammandam ergu S. Emygdium *pietatem, egregiam navarit operam, productis in lucem ignotis antea miraculis ejus posthumis, de quibus agemus, ubi hic paucula de Actorum chronotaxi notaverimus.*

et anno, quo Sanctus occubuit, Christi 303 vel 304.

25 *Cardinalis Baronius in Annalibus martyrium ejus refert anno Christi 309; non quasi anno illo re vera contigerit; sed quia tunc obitum accidisse credidit S. Marcelli Papæ; cujus occasione elogium ejusdem Pontificis ex Anastasio recitat, in quo cum inter alia legantur hæc :* Hic ordinavit viginti quinque presbyteros in urbe Roma, et duos diaconos per mensem Decembrem, episcopos per diversa loca viginti unum, *opportune subjicit Annalium Pater :* Inter quos numeratur Emygdius, episcopus Asculanus, qui sub eadem Diocletiani persecutione martyrii coronam accepit Nonis Augusti. *Aliud profecto est,* sub eadem persecutione Diocletiani, *aliud,* eodem anno : *hoc non habet Baronius; sed illud : sicut nec annum ordinationis a Marcello factæ determinat, sed mensem tantummodo Decembrem, non utique anni 309, cum illius Decembrem, secundum Eminentissimi istius viri calculum, Marcellus non attigerit; sed alterius cujuslibet sub eodem Pontificatu (cui annos plures tribuit) præcedentis. Errant ergo neoterici, cum hujus Martyris obitum ex Baronii auctoritate anno Christi 309 defigunt, indeque Actorum nostrorum chronotaxim ordinant : nam siquam Acta ipsa merentur fidem, dicendus omnino est* Emygdius *occubuisse ante abdicatum a Diocletiano et Maximiano imperium, ut ostendi num. 17; et post edictum persecutionis Diocletianeæ, ut ibidem dictum est num. 18; hoc est anno Christi 303 vel 304. Quod siquis auctoritatem Actorum hic recusaverit; non recusabo ego, si potest afferri, graviorem; sin hæc afferri non potest, illa malim stare, quam nulla.*

§ III. Ejus miracula quædam selecta usque ad seculum XIV.

Ex innumeris ejus miraculis antiquis

M*iraculis post obitum plurimis fulsisse* S. Emygdium, *Actorum exemplaria vetera testantur; ut utrumque Vallicellense, et quod infra dabimus ex Officio Asculanæ ecclesiæ, in quo ad num. 30* præstare *dicitur* Deus precibus illius multa et infinita beneficia fidelibus suis. *Verum autem hoc testimonium esse vel ex iis erues, quæ de cultus ejus incremento ac propagatione superius memorata sunt; cum sine prodigiis aliis identidem atque aliis neque accendi fere soleat, neque foveri, nedum crescere, populorum erga Sanctos tam propensa fervidaque religio. Miramur interim, horum nulla sigillatim, præter unicum, posteritatis memoriæ commendata prodiisse ante seculi, quo nunc vivimus initium; præsertim si in Mss. quibusdam Asculanis tam copiose collecta fuerint, quam innuit P. Paulus Antonius Appiani noster in Vita Sancti Italica tum primæ editionis cap. 24, pag. 273 et seq., tum secundæ, lib. 4. cap. 5, pag. 375; ubi quædam* Emygdii *prodigia ex monumentis Asculanis a se primum vulgata concludit in hanc sententiam :* Nunc mihi de tot ejus miraculis ea selegisse satis est, quæ curioso lectoris animo eventuum varietate jucunditateque pascendo visa sunt aptiora : nam si complecti placuisset omnia, sola profecto prodigiorum historia, mole forsitan sua monstro non fuisset absimilis. *Addit, experientia teste, majus esse miraculum in* S. Emygdio, *si miracula supplicantibus deneget, quam si operetur.*

quædam sigillatim refert P. Appianus

27 *Ipse interea primus est, qui horum saltem aliqua a situ ac tenebris vindicaverit, ingenti enimvero et Emygdianæ gloriæ splendore, et emolumento lectorum. Duo tamen in hac re desiderari maxime a se passus est : primum, quod, cum vetera miracula pleraque excerpsisse se profiteatur ex Historia Asculana Transmundi episcopi. contracta per Linum diaconum, item ex Historia Asculana Antonii Bonfinii, in compendium redacta per Quintum quemdam De Quintodecimo, ac demum ex codicibus aliquot Mss., in neutra tamen editione sua lectorem edocuerit, ubi tandem auctores illos et scripta repererit, aut ubi reliquerit, si forte ad faciendam fidem aliquando exigerentur. Alterum est, quod genuinos eorum textus vel operi suo, rhetorica passim arte diffuso, non inseruerit in loco: vel certe ad ejus calcem, ut quædam alia, non repræsentarit : neque enim ignorare potuit Vir eruditione non minus in provincia nostra Romana, ipsaque imprimis Urbe, quam animarum studio clarus, obscura hic se monumenta, obscuros auctores afferre; quippe quos ante se scriptorum nemo citaverit, nemo viderit, ne ipse quidem Sebastianus Andreantonellus, jurisconsultus et canonicus Asculanus, postquam ad eruderanda unde unde vastat e toties patriæ monumenta vetera recentioraque annis, ut in Historia sua Asculana pag. 152 testatur, omnino quindecim per se et amicos domi forisque nullum non moverat lapidem.*

ex Mss. ante hoc seculum ignotis. Sunt autem sequentia :

28 *Moverunt sane hæc nos, non quidem ut sincerissimam optimi viri fidem revocaremus in dubium; sed ut ejus fontes, more nostro dispiciendos, vehementer optaremus, veriti, ne ut Acta nostra S. Valentino, epitaphium Leoninum Felici episcopo, et hymnum rhythmicum antistiti Instulfo nimis, nostra quidem sententia, facile tribuenda credidit; ita quoque monumentis hisce suis plus aliquid aut ætatis aut ponderis inesse censuerit, quam crisi forsan aliquanto severiore discussis deprehendi posset inesse. Romam igitur, indeque Asculum per litteras recurrimus; sed utrobique spem nostram, atque industriam amicorum, ipsiusque adeo illustrissimi ac reverendissimi antistitis et principis Asculani, cui postulatum hoc nostrum præcipue cordi fuit, elusit eventus : nihil enim eorum, quæ potissimum expetebantur, quantavis adhibita sagacitate repertum est; sive nunquam ibi fuerint, et aliunde ea sibi conquisierit olim Appianus, quo deinde remiserit; sive inter ejus schedas quidem servata diutius, infortunio subinde (proh! nimium frequente) quo jam nesciatur, evaserint. Habuisse illa certe præ oculis, cum scriberet, Appianum, ex observationibus ejus manu conscriptis, ubi de Lino diacono, et Quinto De Quintodecimo disserit, ostendunt in rescriptis nuperis Asculani : ibi namque de*

AUCTORE P. B.

A *de Lino, quem civem et nobilem facit Asculanum, aitque floruisse anno Christi 1242, hæc subjicit :* In compendium contraxit Asculanum Chronicum, a Transimundo episcopo seculo superiore conscriptum. Hæc autem Epitome ad nostras pervenit manus, longe diminutior, quam ipse auctor; nimirum capite non modo, sed et parte thoracis non minima, pedibusque. *Quintum vero, a castro natali ditionis Asculanæ, De Quintodecimo nuncupatum, presbyterum fuisse docet, et Grammaticæ leges palam Asculi anno 1497 professum: hujus opus esse volumen autographum, tres in partes divisum, quarum prima complectatur præcepta grammatices, altera epistolas aliquot suas, tertia (ut ipsis Appiani verbis utamur)* Epitomen, vel pinguem, ut ita dicam, elenchum, seu potius capita Historiæ Asculanæ per Bonfinium, eo tempore in vivis agentem, contextæ *(et solertissime pridem quæsitæ, nunquam inventæ.)* Quamvis hæc omnia adeo mutila sint, tineisque potiore ex parte corrosa; ut
B paucula, quæ supersunt, propemodum interiisse jam dicas. *De cæteris codicibus Mss. nihil ibi notatum accepimus.*

Sanctus apparens, Asculum obsidione liberat;

29 *Utendum ergo, quando aliud nihil superest, Appiani ipsius labore ac fide, indeque proferenda miracula ; sed ordine temporis, quo narrantur accidisse, digesta ; tum ornamentis Italicæ facundiæ nudata, et ad simplicissimum simul ac brevissimum redacta compendium, interjectis, ubi res poscet, observatiunculis nostris. Ordiamur.*

Anno Christi 409, cum Alaricus, Visigothorum rex, cum exercitu, Wandalicis copiis aucto, Asculum premeret, spectandum ei sese objecit ex adversa urbis porta S. Emygdius, *aliique cum eo Martyres ; qui flammeum singuli vibrantes ensem, in tam præcipitem hostes dissipavere fugam, ut Wandali a reliquo exercitu sejuncti, et haud procul inde rusticanorum armis deleti, loco (Paganellum inter, Poggium, et Pedanam) nomen fecerint* Plagæ Wandalorum (la Costa de' Vandali.) *Ita sed fusius, Appianus pag. 303, solos in margine citans Linum diaconum et Quintum De Quintodecimo. Non placebit hic eruditis, opinor, annus 409, quo Picenum non transiit Alaricus, quod ex Historia Zosimi Comitis lib. 5.*
C *pag. 813 fecisse tantum scitur, cum Romam primum obsessurus, illac adiret, hoc est, anno Christi 408 ; ut contra Baronium Pagius in Critica ad annum 409, num. 2 et 3, aliique demonstrant. Erit etiam, ni fallor, qui tam singularis publicique prodigii testes exigat Lino quidem seculis octo circiter, at pluribus Quinto vetustiores.*

clientis eleemosynas largissime compensat;

30 *Anno Christi circiter 418 jacta sunt Asculi fundamenta ecclesiæ S. Mariæ, Inter vineas dictæ ; cujus fabricam, qui tum in æde cathedrali concionem habebat, civium largitati commendans, a Virgine Matre centuplum sine dubio propediem recepturos, ac Sanctum insuper* Emygdium *sibi mirifice devincturos asseverabat, quotquot aliquam huc symbolam conferrent. Hac voce motus quidam de plebe Cristantianus, nummulum obtulit, moderno Baiocco æquivalentem ; quod idem quotidie per annum solidum continuavit ; quando prosperis usus nundinis et scuta centum lucratus, ad principem ecclesiam rediit, Virginem Deiparam, et* S. Emygdium *gratiarum actione salutaturus. Hic hominem Iscariotes, manticularius oppido versutus, annuo furtim lucello exuit, quod ex urbe in proximum silvam elapsus, mox intra sublimem arboris cavitatem condit. Cristantianus autem ubi damnum comperit, furere primum, dein Virginem Matrem et* Emygdium *maledictis incessere, ac demum animo desperata quævis agitare consilia. Inter hæc infelici apparens* Emygdius, *dum effusas modo blasphemias acrius exprobrat, id aliis verbis insanienti dicere visus est : Abi in silvam, et suspende te. Restem ergo corripit miser ; ad nemus evolat ; in arborem (erat illa, quam Iscariotes adierat) enititur ; laqueum valido adstrictum ramo induit ; cum, ecce, jam desulturus, in cavo trunci albicare quid cernit lintei ; et, reste confestim evolutus, illudque apprehendens, una marsupium suum educit ; non jam centum, ut ante, scutis grave, verum trecentis sexaginta quinque ; quot scilicet Baioccos, hoc est, centesimas unius scuti partes, ad fabricam hactenus obtulerat. Tum vero manifesta et benignissimæ Virginis, et propitii Martyris ope collaudata, domum revolat, quam invento lætus thesauro, tam laquei, quem in arbore strictum reliquerat, immemor. Redit eo subinde, depositum asportaturus, Iscariotes ; at ereptum videns, reperto ibidem laqueo sibi fauces elisit. Hæc idem Appianus* E
a pag. 337, Linum diaconum allegans et alia Mss., *Lino forte recentiora, nihilo certe minus obscura. Rem admodum similem, a Græcis acceptam, seculo* IV, *epigrammate vigesimo primo et vigesimo secundo ornavit Ausonius. Cæterum nisi* scutum *hic pro alio quodam nummo, puta* aureo *(cujus partes centesimæ, inclinante Romanorum imperio, erant æræa sestertia) sit positum, non poterit hæc historia referri ad seculum* V, *quo nullum fuisse novimus usum in re nummaria scutorum.*

inevitabilem prodigiose avertit inediam;

31 *Cum anno Christi 539 in agro Asculano spes messis a locustis absumpta, diram excitasset inediam ; et infelicius aliquid anni sequentis diuturna siccitas minaretur, Asculani ad* S. Emygdium *suum versi, publicam decrevere supplicationem ; in qua dum S. Epiphanius, tum ibidem episcopus, Martyris nostri brachium circumferret, eoque sursum protenso bene precaretur assistentibus, nubeculæ insistens in æthere cætera puro, spectabilem omnibus præbuit se* S. Emygdius, *et hæc diserte verba prolocutus :* Det vobis Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam, *simul aspergillum, quod manu tenebat, excussit,*
simul pluviæ dedit initium : dilatata namque ac F *densata, quam pedibus premebat, nubes, ut ipsum obtuentium subtraxit aspectui, ita solum Asculanum Picenumque tam copioso respersit ac fœcundavit imbre, ut messem istic uberrimam arva profuderint, quæ alibi nulla fuit. Hoc beneficium aliter alii Sancto acceptum retulere ; at Firmani instaurata mox, quæ fatiscebat, ejusdem prope Tennam fluvium ædicula. Appianus pag. 306 et seqq. ex Lino et Quintodecimano ; qui rectius hoc prodigium assignassent anno 539 ; siquidem contigisse narrant anno proxime consecuto feralem illam Italiæ famem, quam Procopius Cæsariensis, spectator ipse ac testis, luculente describit de Bello Gothico lib. 2, cap. 20 : hanc enim incidisse in annum 538, accuratior chronologia demonstrat. Ibidem etiam docemur, aliam fuisse istius penuriæ causam, quam quæ a Lino et Quinto a locustis petitur, de quibus Procopius ne meminit quidem. Veremur igitur etiam, ut eorumdem auctoritas tuta sit satis, ut brachii, adeoque et corporis Emygdiani inventio translatioque tam antiqua credatur ; quod jam supra num. 4 et 5 attigimus.*

Asculanos bis peste liberat,

32 *Ejusdem seculi anno 566 cum lues inguinaria, orbem fere totum pervagata, depopularetur*

AUCTORE P. B.

retur Italiam, Asculani nihil antiquius habuere, quam ut ad S. Emygdium *confugerent; quotquot autem aram ejus vel contingere vel circumire potuerunt, si infecti jam erant, continuo valuerunt; si nondum erant, ea perpetuo liberi perstitere. Quæ res vicinos quosque oppidanos, ut Interamnenses, aliosque, eodem excivit, et quidem omnino pari omnes eventu.*

Rursus eosdem pestilentia dira corripuit anno Christi 1038; rursus ipsi Patronum suum communi supplicatione propitium invocarunt, senseruntque: nam vix Bernardus, tum istic episcopus, brachium ejus ad populo benedicendum sustulerat; quin ipsemet apparuerit sublimis in aere, quasi hunc librato circum urbem thuribulo purgans. Certe ut gyrum confecit, epidemia sic desiit, ut ne unum quidem exinde civem afflarit, nedum exstinxerit. Hinc statuit Bernardus, inter Asculanos antistites hoc nomine primus, ut ecclesia sua publicis in posterum precibus hanc adjungeret: Per intercessionem et merita S. Emygdii a peste, fame, et bello libera nos, Domine. B *Appianus utrumque hoc miraculum a pag. 306 refert ex iisdem auctoribus, quos numero præcedente notavimus; at silet utrumque, qui utramque pestem commemorat, Sigonius de Regno Italiæ lib. 1 ad annum 567, et lib. 8 ad annum 1038.*

ac deinde etiam bello civili;

33 *Anno Christi 1096, posteaquam Stephanus, qui Asculanam ecclesiam ut episcopus, ditionem ut comes, gubernabat, multa tentasset ad internecina nobilium suorum dissidia componenda, nec diem intermisisset unum, quo rem hanc ad* S. Emygdii *tumulum non commendaret, noctes etiam ibidem integras precibus ac lacrymis nonnunquam insumens; tandem ut vim cœlo quamdam inferret, per oppidi compita supplicationem instituit, cui præter clerum universum et monachos, laicorum nulli assisterent, nisi parvuli, qui sacco induti, et collo laqueum, spineam capite coronam gestantes, præfinitis locis in teneros ac nudatos humeros flagella promerent, et lugubri identidem voce inclamarent:* S. Pater Emygdi, intercede pro nobis, *accinente clero:* Ut fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *Agmen ipse clausit oblongo coopertus cilicio, nudus pedibus, cinere conspersus, et manibus claram ibi* C *miraculis Christi cruci suffixi imaginem præferens. Spectaculi novitas pietasque urbem perculit universam, tum maxime, cum ad ædem S. Petri in Castello, quæ supplicantium terminus erat, consisteretur: ibi enim antistes, cruce tantisper, dum ipse verba faceret, Alberico archidiacono tradita, theatrum ferale conscendit; unde de pace discordiaque dicturus ad populum, in se primum expedire flagra inclementer adeo cœpit, ut et circumfusæ multitudinis fletu, singultu, clamore, et cleri tandem succurrentis manibus fuerit inhibendus. Tum vero post orationem vehementem æque ac brevem, ad* S. Emygdium *versus, ei supplicavit, ut quos fide lustrasset olim, impetrata nunc a Deo pace donaret. Vix ita desierat, cum, ecce, omnibus e nube conspicuus, habitu, ut semper, episcopali, nec sine Martyrum plurium comitatu,* S. Emygdius *voce ad Asculanos disertissima,* Pax, *inquit,* vobis; *et evanuit. Par miraculo motus animorum fuit: ingeminare pacem omnes, et in mutuos infensissimi quique certatim amplexus ruere, imo ad arma, civili hactenus fœdata sanguine, inter Cruce-signatos Turcico in posterum bello expianda conjurare. Appianus a pag. 323 ex Lino, Quinto, et aliis antiquis codicibus Mss.*

D *claudo gressum, cæco visum restituit;*

34 *Anno 1153 quidam inter Asculanos potentior in civem innocuum conduxit sicarios; quos hic in cubiculum suum irrumpere sentiens, invocato* S. Emygdii *patrocinio, præcipitem e fenestra se dedit. Res mira! Profuit homini lapsus, alioqui maxime temerarius, non solum ad necem evitandam, sed etiam ad salutem, de qua ne cogitaverat quidem, obtinendam: nam qui ante claudus fuerat, post casum erectus et integer effugit ac perstitit; quod appensa ad Sancti tumulum argentea tibia testatum esse voluit, per insculptam hanc epigraphen:* Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea. *Appian. pag. 361 ex solo Lino diacono.*

Anno vero a Christo nato MCCI [S. Emygdius] Danieli exstinctam oculorum lucem restituit. Hic sacerdos e villa Ceresia in Præcutinis ecclesiam ipsi Emygdio dicatam, sed dirutam, in accepti beneficii memoriam instauravit; ut constat ex scriptis in archivo Sancti Angeli Magni. *Hæc Sebastianus Andreantonellus in Historia ecclesiæ Asculanæ pag. 225, qui unicum hoc inter posthuma prodigium* E *commune habet cum Appiano pag. 362, nec tamen per omnia commune: nam pro anno 1201 notat hic annum 1200, eadem tamen scripta citans et ipsum Andreantonellum; non, ut assolet, Linum (cujus epitome, si ultra Transmundi historiam non excurrit, ad hæc tempora non potest pertingere) aut Quintum De Quintodecimo.*

puellum in aquis servat; exstinguit libidinem.

35 *Anno 1254 mercatoris cujusdam ancillula, cum sibi per quietem visa esset videre* S. Emygdium, *quasi alteram ipsius manum aromatico imbueret odore, ac diceret: Si quando periculum submersionis incurreris, manum hanc naribus admove, nec dubita, dum quidem duraverit fragrantia, de tua incolumitate; continuo experrecta, odorem olfecit, cœlestis utique visi, non inanis somnii, argumentum. Rem igitur narrat heræ, tum quidem parum credulæ. Subinde aquam haurire jussa, incidit in puteum; ubi mansit, donec tarditatem ejus incusans accurrit hera, ac demersam comperit. Dum extrahitur vero illa quam citissime, et quidem præter spem viva, hilaris, ac subridens, visioni per tam insigne miraculum non dubiam apud circumstantes et attonitos fidem fecit.* F

Quid, quod ignem paulo post eodem eadem odore restinxit? Certe cum impurissimo amoris incendio innocuam deperiret herus, et ad scelus urgeret, illa per objectam ejus ori manum odoriferam ita flammas æstuantis excussit, ut libidinis immemor, et prodigium exinde constanter in ancilla suspexerit, et prodigii auctorem Emygdium. *Appian. a pag. 363 ex codice Ms. anonymo.*

§ IV. Continuatio miraculorum a seculo XIV usque ad annum 1703.

Sanat moribundum;

A*nno Christi 1310 nobilis quidam Linus, Rupis Casaragnanæ dominus, tum ex dexteræ manus anthrace, tum ex putrescente vulnere pectoris, post medicorum exhaustam funditus industriam, in hujus pariter et æternæ vitæ (quod inimico, vulneris auctori, nollet ignoscere) ultimum discrimen adductus, invisitur a pio sacerdote, et ad spem certam recuperandæ valetudinis erigitur; modo* S. Emygdium *imploret, ad ejus*

A *ejus honorem stipem pauperibus eroget, lampadis ipsius oleo manum et pectus inungat, ac demum cum adversario redeat in gratiam. Distulit ultimum; cætera præstitit eodem die. Ergo postridie evigilans, manum quidem comperit omnino sanam; at pectus nihilo, quam antea, melius. Miratur, et presbyterum eumdem ad se confestim arcessens, dimidiatum queritur Sancti beneficium; ab eoque causam edoctus eam esse, quod reconciliationem cum adversario nondum fecisset, hanc, isopmet sacerdote et auctore et internuntio, confieri statim voluit; simul alia repetiit, quæ pridie persolverat; et postero die mane salvum se prorsus integrumque sensit, relicta tantum in pectore ad miraculi confirmationem tenuissima cicatrice, et magna in fasciis vulneri obductis materiæ purulentæ copia. Appian. a pag. 365 ex codice Ms. anonymo.*

frangit iram; liberat animam e purgatorio;

37 *Eodem seculo declinante, Joannes Marius Tibaldeschius, Guelforum contra Gibellinos apud Asculum princeps, et Virgini Deiparæ ac* S. Emygdio *devotus in paucis, unico, quem habebat, filio Tibalduccio nuptialem jam pompam in-* B *struebat, cum ex insidiis hunc interemptum intelligit per Phantasiam quemdam, sicarium subornatum a Gibellinis. Furit adeo pater, et ferocia militari correptus, dirissima quæque supplicia in hominem, si capi modo possit, perditissimum ore animoque designat. Fugitivus inter hæc Phantasia ad ædes ejus, ignarus, cujus essent, tanquam ad asylum accurrit; agnoscitur ab uno famulorum; attinetur; includitur. Monitus illico Tibaldeschius, et quid monstro hominis factum velit, rogatus, hæret primum: tum famulo, Sta hic tantisper, inquit, dum te vocem. Mox cubiculum solus ingreditur; ibi ante Virginis et* Emygdii *procumbit effigies; consilium utriusque in re præsenti efflagitat; inde, prompta ex armario pecunia, famulum advocans, En tibi, ait, marsupium; hoc cito ad parricidam defer, unaque delectum e meis equum, quem noveris pernicissimum, ut fugiat infelix quam potest ocissime. Restitanti, et nimio dolore motam domino mentem suspicanti, Propera, inquit; nihil unquam egi deliberatius; consilium Dei Matris est et* S. C Emygdii. *Paret ille: Tibaldeschius ad preces redit; atque, ecce, depositam istic interea comperit epistolam, propria Tibalduccii manu in hæc fere verba conscriptam: «Misericordia, dilectissime pater, quam ex amore in Deiparam et patronum Episcopum ac Martyrem percussori modo meo exhibuisti, usque adeo Clementiæ divinæ placuit; ut continuo per* S. Emygdium *educi me jusserit e carcere piaculari, cui ad plures alioquin annos addictus eram. Nunc eo duce ad cœlum evolo, quo jubente, cum actione gratiarum alterum tibi pro me filium brevi concessum iri prænuntio. Perge interim hic Deo vivere, dum illum ego tibi in cœlis assidue propitium exorabo.» Quo affectu hæc legerit pater, quis exprimat? Cæterum prædictionem firmavit natus post annum, ipso illo die, quo sicarium ante dimiserat, filius ex conjuge, annos tum novemdecim sterili. Appian. a pag. 346, citans Andreantonellum et antiquos codices Mss. fusius de Tibaldeschio agentes.*

reconciliat inimicos;

38 *Et Andreantonellus quidem pag. 187 et seq. de hoc heroe quædam notat, subditque:* Plura de illo in Annalibus Asculanis, nec non in lapide Asculi in ædibus Felicis Cardinalis Centini. De quo insuper illud memoriæ traditum, quod Cuprensem *(Cupræ duæ sunt in Piceno)* quemdam filii interfectorem domi servaverit, atque unici filii parentalibus peractis, incolumem dimiserit: inscius enim ad Joannis domum confugerat, ut ibi tutus foret homicida. *Non miramur hic adeo detentionem sicarii usque ad peracta parentalia (tametsi non satis consonam narrationi Appianicæ) quam silentium Andreantonelli; de liberatione filii, de prodigiosa ejusdem epistola, etc. Accedit, quod seculo* XVI a viris fide dignis *accepisse se narret Joannes Osorius noster Concionum tom. I, feria 6 post Cineres. historiam adeo similem nostræ; ut, nisi illa ad viduam illustrem referretur, hæc ad virum illustrem, propemodum eamdem crederes. Sed enim etsi mira sunt hæc; nequaquam tamen sufficiunt ad sugillandam Appiani fidem. Valuit hæc certe plurimum anno 1703, qui ab editione Appiani prima proximus fuit, apud P. Hieronymum Caraffam nostrum, tum Panormi in Sicilia virtute singulari atque imprimis alienæ salutis ardenti studio celebrem: sic enim hoc exemplo permotus fuit, ut nobiles duos, quorum odiis utcumque mitigandis nihil huc usque suffecerat, reconciliaturus,* E *ab invocando Dei Genitricis et* S. Emygdii *patrocinio fecerit initium, idem ut facerent aliquoties, inimicos seorsim singulos hortatus, non indicata tamen, quorsum id suaderet, causa. Paruerunt; et brevi, qui mutuum sitiebant sanguinem, mutuis coram P. Caraffa respersi lacrymis, postulata suppliciter utrinque dataque venia, in perpetuam rediere concordiam. Appianus a pag. 355.*

bonis inique exutum, subito ditat;

39 *Anno 1457 Emygdius quidam illustri genere Asculanus, et prolis numerosæ pater; pius idem, et erga* S. Emygdium *præ cæteris affectus; sed, nescitur quo infortunio, propinquis exosus, cum adversitatibus aliis, tum horum præcipue litigiis, eo redactus erat, ut sustentandæ familiæ reliquum nihil haberet, nisi villam suburbanam ex omnibus unicam; de qua tamen ipsa æque ac de urbanis, quas incolebat, ædibus jam diu litem ei consanguineorum potentissimus intenderat, cum vir bonus ad villam eamdem excurrens, de via, ut semper assueverat, ad ecclesiam* S. Emygdii, *quam rotundam ex forma nuncupant, urbi vicinam orandi causa divertit. Inde porro ut prædium attigerat, supervenit ex* F *urbe nuntius referens, causam secundum adversarium judicatam esse, ipsique adeo tam villa, quam domo facessendum sine dubio fore propediem. Invadit hominem desperatio scilicet, adeo vehemens, ut gressu citato urbem versus contenderit, certus e ponte Solestano in Truentum desilire, ac denuntiatam in aquis cum vita præfocare miseriam. Hæc animo perturbato volvens, præteribat jam* S. Emygdii *rotundam ædem, cum ejusdem laxatis impetu spontaneo valvis territus, simul ignota vi, simul hac voce detinetur: «Resiste. Nam quo ruis, infelix, me præter morem insalutato? Redi jam mox: neque enim abbreviata tibi est manus Domini: quamprimum ad satietatem ditabere. Nisi adhuc adversa fuisset fortuna, jam sceleratus esses.» Acquiescit; redit. In morbum is interea letalem incidit, qui eum facultatibus universis per summum nefas extrema lite dejecerat; et cruciante conscientia, ad compensandam, qua cognatum oppresserat, injuriam stimulatus, illum ipsum ex asse scribit heredem, ac moritur. Appian. a pag. 367, ex Quinto De Quintodecimo, aliisque monumentis Asculanis.*

blasphemum punit; extinguit incendium;

40 *Anno 1507 cum aleator quidam impius ob ludum infeliciter cedentem* S. Emygdii *nomen assiduis dicteriis effrænate proscinderet, famulus ejus, domino religiosior, Servis, inquit, here, si*

AUCTORE P. B.

AUCTORE P. B.

si lubet, insulta; non Sanctis. At tu, reponit ille, hisce meis ædibus facesse e vestigio; ac refer sancto illi tuo Emygdio, ut tibi porro prospiciat. Prosperit jam, opinor, ait famulus, cum tua me domo liberavit. Vix excesserat autem, cum tabulatum repente corruens, obtrivit herum, sic tamen, ut inde vivus eductus, et altero tantum crure mulctatus, ligneo deinde supposito, claudicaverit, donec ædibus ex inopia venditis, miserabilem exegit ætatem.

Anno 1573 Asculanis festivo passim igne Patroni sui natalem celebrantibus, illapsus forte in ligni ac straminis promptuarium pyrobolus, ingens et inopinatum excitavit incendium, quod in proximam domum sic ventus agebat, ut nullam omnino spem faceret, hujus quacumque demum ope aut industria ab interitu vindicandæ. Ergo habitator ejus, sublatis in cœlum cum voce manibus, Tu me, exclamat, o sancte Emygdi (nam potes) adjuva. Hac voce compressum illico ventum imber excipit; qui cum universum restinxisset B incendium, tum demum continuo desiit. Appianus ex monumentis Mss. Asculanis a pag. 369 usque ad pag. 372; ubi subdit, seculo consecuto quot ediderit idem Sanctus miracula, ex appensis tum ad ejus tumulum anathematis æstimari posse.

moribundæ vitam, lapso gressum impetrat;

41 Et inter argentea unum ait esse, quod suspenderat Juditha Falconieri, nobilis prosapiæ in Asculano S. Margaritæ parthenone monialis, postquam extremis Ecclesiæ præsidiis ad æternitatem rite comparata, per invocatum Emygdii patrocinium ita convaluisset, ut superstitem noverit, cum hæc scriberet, Appianus.

Aliud ferreum est et recentius affixum: nempe filius Francisci Froscioni improviso lapsu comminuerat sibi tibiam; quod ubi rescierunt parentes, ad Sanctum ambo Emygdium vertere vota: cum autem hæc ille præmatura integerrimaque sanatione superasset, ad agendas Thaumaturgo suo gratias, una omnes ad ejus basilicam convolarunt, ibique purgatis homologesi mentibus, Eucharistico omnes epulo refecti sunt. Parentes vero quam ad filii tibiam firmandam ex lamellis ferreis confici jusserant ocream, perpetuum ibidem prodigii monumentum reliquere.

febres aliosque morbos tollit;

C 42 Anno 1703, quo secundam, quam hic sequi nos diximus, Vitæ Emygdianæ editionem parabat idem auctor, ipsa sensit Roma, ut asserit pag. 374. beneficia Martyris nostri et multa et prodigiosa; quod vel ex iis licet conjicere, quæ soli sibi tum accidisse Constantia Nardini, prænobilis domicella, duplici scripto testata est: et priore quidem affirmat illa, se, cum ardentissima febre atque intolerabili capitis dolore laboraret, simulatque S. Emygdium implorasset, utraque statim ægritudine fuisse liberatam: alterius hæc est sententia: Ego Constantia Nardini freta patrocinio S. Emygdii, eumque solita per hos triginta, quos vixi, annos trigesies quotidie oratione Dominica, tametsi tepide recitata, salutare, favores ab ejus insigni beneficentia complures accepi; et hunc inter alios, quod, cum fratris mei, violentis febribus æstuantis, capiti sacram hujus Martyris effigiem, numismati impressam, vespere admovissem, eumdem postridie mane pristinæ valetudini perfecte restitutum invenerim. Puella quoque mihi familiaris et cara, peracuto dentium cruciatu jam per dies facile quadraginta dire vexata, ubi vel unicum dentem eodem numismate, quod ipsa misellæ attuleram, contigit, in ipso articulo dolorem prorsus omnem evanuisse mirata est.

D

servat Asculum a terræmotibus,

43 Jam de terræmotibus quid dicemus? Ut iis nihil habet Italia terribilius, nihil frequentius; ita, si Appianum audimus, nihil adversus illos Asculani promptius præsentiusque, quam sui hujus Antistitis ac martyris præsidium. Neque vero illud semel, aut nuper tantum experti sunt: sed, ut idem ex Lino, Quinto, et codicibus Mss. refert pag. 312, annis Christi 800. 1116, 1300, 1456, aliisque pluribus, quibus intestino concussa motu terra dici vix potest, quot quantasque intra solam Italiam ruinas ediderit, Asculo suos terrente minus, quam ad invocandam identidem Defensoris opem per successus innoxios excitante. Sed vetera hæc obiter attigisse satis habet memoratus auctor; cum ad rem propositam luculente demonstrandam sufficere existimet, quæ ipso illo, quo scripsit, anno Christi 1703 contigere: tum enim tempestas illa subterranea mensibus minimum tribus atrociter adeo longe lateque, sed in Umbria potissimum Aprutioque, desæviit; ut oppida per utramque E provinciam quædam exinde tuto habitari non possent, quædam majori ex parte, quædam omnino subversa corruerint. Testantur id Cascia, Nursia, Camplum, Amatricium, Mons regalis, Civitas regalis, et Aquila, præter vicos, pagos, castella ducenta et amplius. At stetit Asculum tot inter utrimque labes medium; et ita stetit, ut, Appiano teste pag. 313, ne minimæ quidem læsionis in eo vestigium uspiam apparuerit: quod qui miraculo manifesto tribuendum negaverit, is profecto inficietur necesse est (quod idem scriptor ibidem asserit) intra ipsam Romam, tanto firmiorem longiusque distantem, ad reparanda, quæ passa tum fuit, convulsionum damna, in solas catenas clavosque ferreos insumpta fuisse ultra quingenta scutorum millia. Nimirum Asculani Emygdiusque toto illo trimestri spatio certaverant; illi per jejunia, preces, eleemosynas, ordinum omnium ætatumque supplicationes, et corporum in iis afflictationes exquisitissimas, spontaneas, publicas, quotidianas, ut illum constanter haberent propitium; hic vero per continuatam et manifestiorem in dies protectionem, ut esset. Legesis auctorem nostrum libri tertii toto capite nono: et si potes, tempera lacrymis: ego certe non potui. F

imo et Asculanos

44 Neque vero Asculanos tum suos in urbe tantum sua; sed et alibi degentes prodigiose servavit incolumes. Exempla proferuntur ibidem a pag. 316, jurejurando firmata et antistitis Asculani auctoritate typis Italicis eodem anno vulgata; quorum en tibi periocham.

Porchiani, quod Asculanæ ditionis castellum est, Joannæ cuidam, Celsi Augustini filiæ, domo sua in aliam ad promendum oleum egressæ, tam repentina supervenit ac vehemens agitatio terræ, ut dissiliens contignatio superior ædium, et jam ruens, inevitabilem puellæ minaretur interitum. Procidens ergo confestim in genua, S. Emygdium inclamat; cum, ecce, crassis trabibus, inter cadendum, transverse alia super aliam actis, et supra caput ejus vi quadam arcana suspensis, ruinarum illa quidem obsita pulvere, sed omnino tamen incolumis elabitur.

Victoria Ferretti, itidem Asculana, dum Aquilæ, ubi nobili dudum juncta conjugio degebat, in ecclesia S. Philippi Nerii noxas confessione diluit, templum repente corruens, quotquot ibi tunc erant homines, contumulavit, etiam Victoriæ filiolum cum famula, etiam sacerdotem tenui tun-

A *tantum a confitente tabula separatum. Ipsa sola (ut sola ex omnibus Asculi nata, eoque nomine* S. Emygdii *tutelæ commissa fuerat) etsi collo tenus immersa ruderibus, viva tamen inde ac vegeta prodiit; solita postmodum, Asculi maxime, et beneficium hoc sæpius, et auctorem ejusdem agnoscere ac prædicare* S. Emygdium.

tum ab urbe ac ditione sua procul

45 *In eamdem urbem Aquilanam e suburbio venientes Josephus Ronchetti et Seraphinus Rustici, Asculanus uterque, Communionis, ut loquimur, generalis causa templum adibant S. Dominici; cum in via mutato per instinctum subitaneum et urgentem proposito, ad ædem deflectunt Beatissimæ Virginis; ubi salvi perstiterunt eo tempore, quo ad S. Dominici sine dubio periissent cum aliis octingentis, quos ibi tum orantes imis excussa sedibus ecclesia universa contrivit. Instinctus vero ille tam salutaris patrocinio* S. Emygdii, *Asculanos tum ubique tutantis, adscriptus fuit.*

Casciam, a quarto decimo Januarii die multis locis eversam, destinata fuit centuria militum, quos inter erant Asculani quidam, jussaque, B *donec terræ, vel Dei potius vindicis, ira conquiesceret, arcendis undequaque furibus invigilare. Fieri autem id neutiquam poterat, nisi multifariam tributi milites, per vias, ut erant, angustas impeditasque, et minaces ædificiorum, quæ hac illac vel semiruta: vel quassata supererant, propensiones diu noctuque discurrerent: quod inter tot subsecutas identidem concussiones sine ulla cujusquam eorum læsione diu continuari potuisse, ut mirari satis ipsi non poterant; ita neque dubitare, quin id* S. Emygdio *deberent; utpote cujus auxilium et stata prece quotidie, et quoties ruentis circa se molis fragor insonuisset, flexis illico genibus, ex Asculanorum commilitonum consilio, semper implorassent.*

degentes.

46 *Nursiæ die* XIV *Januarii, nondum provecta nocte, Felix Crocetti, aliique, cum pecoribus ibi venum exponendis, Asculani, hospitio simul concusso, simul collabente obtecti, salvi omnes integrique emerserunt e ruinis, quibus ipsa cum tribus filiis hospita suffocata jacebat.*

Eadem nocte beneficio non inferiore gavisus est Felicianus, natus in Asculana ditione, sed Arquatæ tum sacerdos ac ludimagister: fatiscens enim sub ejus pedibus tabulatum, et ipsum, et C *superiores parietes, tectumque domus in eamdem traxit ruinam. Perculit virum tam improvisa calamitas ac mente tantisper dimovit: tum paulatim ad se rediens, mirari primum cœpit, se vivere: deinde, nulla corporis parte læsum esse contusumve; postremo, extra domesticas ruinas aperto tutoque loco consistere; quod quidem ultimum postridie mane multo ipsi mirabilius visum est, cum omnia circumspiciens, undequaque obstructum exitum comperit, ipsam etiam januam, quam nec a se, nec ab alio tum apertam fuisse mox cognovit, ubi obtritum intus ac mortuum illum invenit, qui solus ostii clavim habuerat, exstinctusque servabat.*

Hæc de miraculis Appianus; nisi et illud forte meretur adjungi, quod pag. 285 Asculi eodem, de quo actum est proxime, terræmotuum tempore, de infantulo lactenti testatum ait, quod præter ætatem S. Emygdii *nomen, tota tunc urbe assidue resonans, distincte pronuntiaverit. Quantum vero tot ejusdem anni beneficia Antistitis hujus et Martyris famam cultumque dilataverint, ex operis, quod laudamus, libro 3, cap. 9 pronum erit facere conjecturam.*

§ V. Eorumdem continuatio usque ad annum 1730.

Anno 1727 in ruina communi cœnobii

C*ommentario huic finem jam diu feceram, cum Asculo allatum huc est opusculum Italicum, ibi excusum, et ab auctore clarissimo; Dominico Tullio Lazzari, juris utriusque doctore et advocato, nuncupatum illustrissimo ac reverendissimo domino Paulo Thomæ Marana, antistiti simul et principi Asculano, die* XIII *Junii anno 1731. Inscriptio est:* Il protettore ne' tremuoti ravvisato in S. Emidio, primo vescovo d'Ascoli *etc., id est:* Protector in terræmotibus agnitus in S. Emygdio, primo episcopo Asculano *etc. Ad calcem libelli præter approbationem legitimam, typis expressam, subduntur instrumenta duo Mss. publica, suis ambo sigillis munita, ad conciliandam scriptori, quam per se alioqui certo meretur, indubitatam fidem. Ab initio porro* E *usque ad paginam 32 narrantur quæcumque ab Appiano de ejusdem Sancti adversus terræmotus patrocinio anno 1704 edita, et a nobis hactenus delibata sunt: deinde a pagina 33 usque ad finem, seu paginam 41, recentiora proferuntur, quæ partim anno Christi 1727, partim 1730 contigere, quæque adeo locum hic etiam suum non immerito videntur exigere, ea saltem brevitate, quæ ad miraculi cujusque notitiam sufficiat.*

intactum servatur cubiculum per icunculam Sancti.

48 *Anno igitur Christi 1727 vir quidam Religiosus congregationis Olivetanæ e cœnobio Sancti Angeli Magni Asculano migrare jussus ad monasterium S. Michaelis archangeli in diœcesi Urbinate, allatam inde secum icunculam* S. Emygdii, *quem impense colebat, hic suspenderat in cubiculo suo: cum eodem anno, die* XV *Decembris, tertio post primam noctis horam quadrante sic ibidem tumultuari terra cœpit ac subsilire, ut, ruente circum universo cœnobio, solum illud cubiculum, quod appensam, uti dixi,* S. Emygdii *servabat imaginem, illæsum intactumque perstiterit; idque miraculo tam evidente, ut receptus eo semel abbas Angelus Maria Camassei, tanquam omni jam defunctus periculo, omissa tutioris perfugii cura, noctem illam, tot repetitis impulsibus formidabilem, integram ibi quam* F *salvus tam securus exegerit. Neque vero, ut procella conquievit, tam insignis immemor esse potuit beneficii; sed* Emygdium *continuo et sua et suorum omnium communi sententia primum quidem protectorem optavit cœnobii; tum novo illum in ecclesia decoravit altari, in quod effigiem ejus recenter adumbratam evexit; inde cum Apostolicæ Sedis assensu die* V *Augusti eum Officio duplici primæ classis cum octava, plane ut Asculi colitur, quotannis decernit perpetuo celebrandum, præmisso ad pervigilium severiore jejunio; denique, ne unquam intermitti possit ibi ejusdem in posterum invocatio, duplicem* S. Emygdii *in Officio quotidiano commemorationem propriam lege perpetua sancit; alteram ante Primam, alteram vero post Completorium.*

Anno 1730 in gravissimo terræmotu

49 *Ad annum 1730, diem* XII *Maii, Nursiæ comprimis per subitaneos terræ tumultus, ab hora circiter decima et media, aut, si mavis, fere secunda post ortum solis, excitatos, fatalem cætera pertinent hoc ordine narrata. Emygdius Nicolaus Pacifici, Amatriciensis, clericus idem et rhetorices Nursiæ candidatus, dum ad scholam*

domi

AUCTORE P. B.

domi se comparat, insperato motu et imminentis epistylii (innoxia tamen) labe perculsus, simul S. Emygdium *inclamitat, simul ædibus festinat elabi. Ecce autem, ad culinam, qua necessario transeundum erat, advolanti ultro se pandit janua, tametsi repagulo per id tempus obstructa. Extremas inde valvas ut attigit, commodum ea parte, qua sola reduci sera poterat, liberas nactus (nam alteram earum partem ad postem usque obsidebant ruinæ) in plateam tandem salvus evasit, eodem ipso articulo, quo si intus fuisset, vivus non exisset unquam, nisi prodigio majore; ruebant enim tum saxa cum trabibus, quæ totum ostium oppilarunt. Rem omnem ipsemet postmodum ad sancti Martyris nostri sepulcrum, quo ad gratias persolvendas accesserat, palam Asculi juratus asseruit.*

prodigiosam ejus tutelam

50 *Mirabilius est, quod eodem tempore contigit Antonio Conti, in ditione quidem Asculana nato, sed in Nursiana, ex quo matrimonium inierat, commoranti. Dormiebat is tum forte cum familia, cum ad violentos maxime succussus evi-*
3 *gilans, ruere ante oculos omnia vidit præter angulum illum, quem in cubili obtinebat ipse cum conjuge. Invocat ergo* S. Emygdium, *unaque memor filiorum, exsilit seminudus. Sed hos jam ruina cum cubiculo lectuloque sustulerat. Quod unum superesse videbatur dolori, contenta et lugubri voce amborum (nam duo erant; septennis major, minor quinquennis) ad collapsa versus rudera, semel iterumque nomina miserabilis pater inclamat; cum, ecce, unde minime cogitaverat, responsum accipit utriusque. Nimirum ad decimum ab ædibus passum prodigiosissime delati ambo, in eodem, ita ut pridie compositi fuerant, lectulo concubabant, calce quidem et fracta tecti materia; sed ne tantillo quidem livore, nedum vulnere, uspiam notati; imo (quod magis mirum) pendulis etiam tum supra capita protecti trabibus; ut subinde cum illis ipsis et uxore Asculum accurrens Antonius, ante Patroni sospitalis tumulum jurejurando solemni testatus est.*

experti sunt

51 *Minus illud quidem; magnum tamen, quod non vulgi tantum fama, sed et virorum gravium testimonia non pauca de muliere quadam Nursiana retulerunt. Hæc dum e dolio vinum promit in*
C *cella, agitari sursum deorsum ædes ac fatiscere sentiens, O sancte, exclamat, Asculi Patrone (neque enim tanta in trepidatione nomen occurrebat) adjuva me. Sic oranti corruentia tigna firmissimum struxere latibulum; quando ita in se mutuo conciderunt, ut illam non attingerent, sed a subsecutis continuo decussisque collabentis ædificii molibus valli instar tectique defenderent, usquedum procella detumuit. Felicior videri potuit Cæsar Buonamici Asculanæ ditionis agricola, sed in agro tum Nursiensi conductus; cum in herili domo, eodem quassata motu,* Emygdium *implorando, et se, et familiam, et ipsam domum a præsentissimo, ut quidem ipse juravit postmodum, vindicavit interitu.*

qui ad illum confugerunt;

52 *Hisce postremus additur Petrus Paulus Ricci Asculanus, tum Nursiæ grammaticam profitens; qui eadem hora eodemque impetu cubiculi sui parietes sic distrahi solvique animadvertens, ut per fissuras non raras jam sol radios intromitteret, ad* S. Emygdii, *cujus ibi conservabat imaginem, efflagitandam opem prosilierit, qua exitium tam inevitabile salvus effugeret; et vero plus aliquid, quam quod oraverat, impetravit; ut scilicet neque ipsi, neque familiæ suæ necessarium ad salutem fugæ consilium fuerit: stetit enim, et in urbis universæ communi tum strage perstitit hoc ejus domicilium, quamtumvis et ab anno 1703 valde luxatum, et modo a primo motuum ibi vehementissimorum exordio lacerum undique ac tantum non omnino dissolutum; ut manus propriæ subscriptione Riccius ipse testatum omnibus esse voluit.* D

non sine cultus ejus incremento.

53 *Sed quoniam Asculanus is fuit, lubet hic observare, quod pag. 32 Lazzarus adnotavit: nullam videlicet esse memoriam, nulla scriptorum quantumlibet veterum monumenta, unde erui potuerit hactenus, Asculanum vel unicum læsum adhuc ullo unquam terræmotu fuisse. Quod quidem illum, ni fallor, de quo meminit idem pag. 39, impulerit ad expetendum, ut in civium Asculanorum numerum sibi daretur adsciscí, itaque, quod aliter esse non poterat, magistratuum saltem beneficio ac privilegio fieri. Verum aliis, ut eadem in posterum cum Asculanis per* Emygdium *immunitate donentur, satius visum est, illum pari sibi cum iisdem obsequio cultuque demereri. Quod egregie jam nunc factitasse non privatas* E *modo familias, ut Olivetanam supra, sed et urbes integras ac populos, istiusmodi motibus et ruinis præ cæteris obnoxios, idque per decreta solemnia in perpetuum stabilita, narrat citatus auctor a pagina 39 usque ad finem.*

Nunc ad Acta progredimur, de quibus quid sentiendum putemus, expositum jam satis est § 2. Prompta sunt autem ex Officio ejus olim proprio apud Asculanos, de quo vide dicta § 1, num. 6 et 7: collata vero cum Actis Mss. Vallicellensibus, itidem supra memoratis § 2, num. 13 et sequentibus; ita tamen, ut singulorum discrimina, ubi nihil in re sensuque mutant, negligenda duxerimus.

ACTA

S. Valentino, S. Emygdii discipulo, tribui solita; ex Officio pervetusto ecclesiæ Ascu- F *lanæ, secundum editionem anni 1522, collato cum vetere Ms. bibliothecæ Vallicellensis apud RR. PP. Oratorii Romani.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Melchiadi, urbis Romæ primæ Sedis Episcopo, Valentinus levita *a*, vivere semper et gaudere cum Christo. *a*

Obedientia scriptoris, et status ecclesiæ Asculanæ, cum scriberet.

Opus perarduum, et non mearum virium, ô Pater optime, aggredi jubes; sed confisus in Deo, qui virtute mirabili, aquam de petra silienti populo produxit, tuisque fretus orationibus, incipiam, quæ hortaris; jussioni parebo, desiderioque tuo satisfaciam. Quæso igitur, si more humani ingenii errore contigerit, tuo defendatur imperio, tuaque corrigatur peritia: nam et philosophorum disciplinam omnium nosti, et divinorum Librorum nectareo fonte rigatus, divinæque gratiæ jubare viscera repletus, omnium mor-

A mortalium exuperas ingenia, nomina, dignitates, et merita. Sed quis mortalium hodie reperiri potest ejus ingenii, ejusque facundiæ, qui ad plenum, quæ gesta sunt his diebus in urbe Asculana, scribere valeat? Quæve lingua explicare potest damna, exilia, contumelias, proscriptiones, cædes, carceres, capitales sententias, et alia genera tormentorum, quæ Christianæ fidei cultores apud nos patiuntur? Quid immoror? Inter invia saxa, latebrasque ferarum vitam ducimus, mortalium fere omnium præsidio destituti; aporiamur enim, omnibusque modis affligimur. Sed laus Omnipotenti; mori prius multitudo decrevit Christianorum, quam obedire crudelium præceptis tyrannorum; fundata est enim supra firmam petram, quæ nec boreæ furentis violentia, vel impetu torrentium inundantium ullo moveri potest. Et licet desolata pastore suo sancto Emygdio episcopo et martyre Asculana videatur ecclesia, tamen pietate divina, tuisque sanctis orationibus sperat, se
B ad certæ quietis portum devenire. Putasne videbo diem illam, in qua requies, et securitas reddatur Ecclesiæ? Putasne videbo diem illam, in qua mihi liceat omnipotenti Deo laudes de more canere, actusque sancti Migdii martyris styli officio designare memoriæque posterorum mandare? De quo quam brevissime potero pauca tibi de multis ordinare studebo. Vale.

ANNOTATA.

a *An hæc B. Valentini levitæ epistola genuina videri debeat, an supposita, statuat lector ex dictis in Commentario prævio, num. 22.*

CAPUT I.

Sancti patria, conversio, miracula, iter Romanum.

Sancti natales, educatio, conversio,

Beatus igitur Emygdius de nobili prosapia Gallorum originem ducens in Germaniæ provincia cis fluvium Rhenum, natus *a* et nutritus est, in parte australi ejusdem Germaniæ, in civitate Trevirensi *b*; qui cum septem esset annorum, traditus est a parentibus septem liberalium artium
C erudiendus disciplinis: erat enim ingenio claro, vultu decoro, mansuetus nimis et humilis, facundus et compositus, omnique acceptione morum, et virtutum omni laude gratiosus: et non solum parentibus, sociis, et amicis, sed omnibus, qui illum viderant, vel audierant, habebatur carissimus; [gentilis adhuc tamen, et nondum gratiam sacri Baptismatis consecutus *c*.] At ubi ad cor altum, scientiæque pervenit excellentiam, omniumque philosophorum transcendit laudem *d*, [cum esset annorum septem de triginta, a parentibus et ab amicis rogatur, ut secundum dignitatem suorum majorum balteo accingatur militari, et stipendiis Reipublicæ studeat desudare, uxoremque secundum natales suos ingenuam ducere. Hæc illo et alia plurima pectore revolvente, contigit, illum quadam die cum viris Christianissimis de Deo et de fide Catholica, gentiliumque errore miserabili disputare. Cui ubi via veritatis dilucidata est, et post multa millia verborum suasum, ut gentilitatis caliginosam noctem relinquat, Platonis, et Aristotelis sectas aniles et vacuas postponat, Christianæque fidei adhæreat, assensum præbuit, seque fieri catechumenum postulavit.

Ex Off. Asculan. Baptismus; eruditio sacra;

3 Deinde consortia paganorum et fallacia documenta philosophorum devitans, omni superstitione idololatriæ contempta, ecclesiam petiit, totumque se Christianorum magisterio tradidit informandum. Post modicum vero tempus renatus ex aqua et Spiritu Sancto, qui primum fuerat magister erroris, factus est discipulus veritatis; et non Platonis, vel Pythagoræ, sed Christi se confitetur esse discipulum.] Deinde sacrorum librorum legens ac relegens volumina, ad tantam pervenit sapientiam et ad tantam gratiam prædicandi, ut patenter daretur intelligi, et ab omnibus Orthodoxis prædicaretur uno ore, Migdium esse vas electionis et habitaculum Spiritus Sancti *e*.

qua parentes ethnicos frustra tentat convertere;

4 [Hæc ubi patri matrique comperta sunt, celeres advolant, et amicis coram astantibus plurimis, hac sanctum Migdium aggrediuntur voce: O fili Migdi carissime, bonorum nostrorum successor et hæres, quis te fascinavit? O fili Migdi, senectutis nostræ solatium, quis tuum magicis artibus vertit animum? Qua mente, quibus ocu- E lis parentes tuos respicis? Hæc illis dicentibus et alia plurima, quæ luctus, dolor et ira ministrare solent mœrentium animis, sanctus Migdius tale fertur dedisse responsum: Non vos, secundum quod opinamini, alieno animo vel magicis ablatus artibus, conspicio et alloquor; imo mente sana vos admoneo a cultura idolorum recedere, ad agnitionem veritatis pervenire, Deumque optimum, ejusque Filium Dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum Sanctum Paraclitum, unam deitatem in tribus personis adorare, sincero corde et mente devota metuere; qui fecit omnia ex nihilo, visibilia et invisibilia; qui claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit; per quem subsistant omnia, et reguntur omnia, cœlestia, terrestria, et inferna; in cujus manu flatus et vita hominis est, numerusque dierum illius, initium et finis; cui servire regnare est, et obedire vita; quem adorant Angeli, venerantur Archangeli; imperium cujus universitas rerum contremiscit, collaudat incessanter, ac diligit. Cui plurima paranti dicere pater inquit: Hanc illis fabulam, Fili, narrare memento, qui aurem tibi præbeant, qui et animum hujusmodi nugis accommodent: nam nisi mihi ad præsens F assensum præbueris; nisi magnum Jovem adoraveris, iram deorum variis, novis, et exquisitis tormentis (per deos, deasque!) sine omni dilatione placabo.

imo seditionem in se concitat gentilium;

5 His dictis, sanctus Migdius capitur, et violenter a multitudine gentilium in templum Jovis deducitur. Quo astante ante aram Jovis, audientibus omnibus, clara fertur dixisse voce: Domine Deus, Pater omnipotens, rex cœli et terræ, cui omnia cognita sunt, præterita, præsentia, et futura, clarifica nomen tuum hodie, et da honorem et victoriam populo Christiano, et ne despicias me servum tuum; sed exaudi propitius de excelso cœlorum habitaculo tuo invocantem te, sicut exaudisti Moysen famulum tuum ante conspectum Pharaonis in Ægypto. Vix bene finierat, et ecce terræ motus magnus concussit templum et simulacrum Jovis; et ara in conspectu omnium, qui aderant, contrita est. Hæc ubi peracta sunt, sacerdotes templorum, omnesque habitatores regionis illius stupor et admiratio, timor et tremor simul occupavit.

6 Sanctus vero Migdius a conspectu parentum et a multitudine paganorum elapsus, comitantibus turbis Christianorum, ad diversorium rediit:] ibi-

EX OFF. ASCULAN. qua per idoli ruinam elapsus, Mediolanum petit; inde Romam;

ibique per somnium voce de cœlo lapsa taliter admonetur, ut fugiat : Migdi, Migdi, instanter operare, quod operaris; clama, exalta vocem tuam; parentes, patriamque desere: Italiam pete : ibi namque præmia, et corona debentur sempiterna. Mane autem facto, sanctus Migdius ad orationem solitam hymnosque matutinos consurgens, tres discipulos suos, Euplum, Germanum, atque Valentinum *f* convocat. At ubi visionem angelicam illis seriatim patefecit, jactans cogitatum suum in Domino, et de nocte consurgens, illis tribus *g* comitantibus [festinum arripuit iter. Alpiumque, quibus Italia clauditur, asperitate superata, Liguriæ tellus fertilis et copiosa, quasi mater carissimum filium, illum largiflluo lætabunda suscepit sinu; ubi triennio continuo orationibus, et jejuniis vacans, Mediolani, in oratorio sancti Nazarii commoratus, sanctæ prædicationis suscepit officium *h* : cujus successibus inimicus humani generis diabolus invidens, per membra sua Diocletianum et Maximianum, in illum, B sicut in cæteros fideles, persecutionem sævissimam excitavit. Quo expulso de civitate, multis acceptis contumeliis pro nomine Christi,] divina illum regente clementia, [cum tribus discipulis] Romam venit, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli primum limina petiit; et expleta oratione, et inclinata jam die, a quodam milite, Gratiano nomine, omnibus bonis temporalibus affluente, hospitio susceptus est *i*: cujus filia quinquennio fluxu sanguinis laboraverat, multosque sumptus, multumque laborem in medicos incassum expenderat, et inclinata et encletica *k* facta, penitus ambulare nequibat.

ubi filiam hospitis sui Baptismo sanat,

7 Miles autem, in cujus hospitio susceptus est sanctus Migdius, post refectionem cibi ac potus, interrogare illum ac discipulos ejus diligenter cœpit his verbis : Cujus estis patriæ, fratres, oriundi; cujusve conditionis? Nostisne artem medicinæ? Cui sanctus Migdius dixit : In Germania provincia nati et nutriti sumus, Christianamque religionem colimus et defendimus, artemque medicinæ ad plenum novimus, et absque omni medicamine ulloque expendio diversa genera morborum sanamus. Habeo, inquit miles, filiam unicam, C quæ ab annis quinque fluxum sanguinis patitur, cui medicorum, vel incantatorum nullus valet conferre remedium; quam si sanare potestis, multas pecunias a me habere poteritis, et præ omnibus medicis, qui in hac urbe Roma sunt, divites, cari, et gloriosi eritis. Cui sanctus Migdius : Nos medici sumus, ut tibi supra diximus, et sanare illam sine omni dilatione possumus; hoc unum restat, ut Christiana fiat, undaque sacri Baptismatis renata, in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum Paraclitum credat. Nulla fit in medio mora; miles, uxor et filia cum omni domo sua ad gratiam sacri Baptismatis convolarunt. Quibus rite peractis, filia militis ascendens de lavacro regenerationis, ita sanitati restituta est, ac si in ea nullum unquam signum fuisset infirmitatis.

uti et cæcum ad se divinitus directum:

8 Mane autem facto, ubi terris dies reddita est, cæcus quidam de longinquis finibus Italiæ beatum Migdium quæritans, Romam venerat : ante fores astitit, genibusque illius provolutus, his verbis eum rogare cœpit : O Pater sancte, ó medicorum omnium peritissime, expelle cæcitatis noctem continuam ab oculis meis; redde mihi lucem, quam, exigentibus meis meritis, amisi, quam expendiis pecuniarum multarum, multisque medicis in vanum laborantibus, recuperare D nequivi. Hæc ubi cæcus locutus est, sanctus Migdius ait : Si credideris ex toto corde tuo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum Paraclitum, fiet omnino quod postulas, et illuminaberis. Cui cæcus respondit : Credo, et omnia paratus sum facere, quæcumque jusseris : nam ad te venire divina voce monitus sum, multaque loca circumeundo, lacrymabili et insanabili infirmitati meæ tuum veni implorare remedium. Tunc astante multitudine Christianorum et paganorum, et admirantibus cunctis super his, quæ fiebant, beatus Migdius prostratus humi, hanc orationem profudit ad Deum : Domine Deus, qui es trinus, et unus *l*, et in cujus ditione cuncta sunt posita, qui fecisti cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt; respice in me servum tuum, et da gloriam nomini tuo; et ut cognoscant omnes gentes potentiam tuam, imple desiderium hominis istius, et præsta ei sanitatem corporis, et animæ. Domine, qui cæci nati oculos aperuisti, exaudi E me peccatorem, sicut exaudire dignatus es Tobiam et Saram, et illumina hominem hunc tam anima, quam corpore, qui vivis et regnas per omnia secula seculorum. Et cum a fidelibus responsum esset : Amen; subito exurgens ab oratione, fecit signum crucis in oculis cæci, et dixit : Illuminet te Christus Filius Dei vivi : et aperti sunt oculi ejus, et vidit lumen, statimque clamare cœpit : Unus Deus, quem prædicat beatus Migdius, et non est alius præter eum.

ANNOTATA.

a *In eodem Officio Vita brevior, quam dedimus in Commentario prævio num. 7, habet :* S. Emygdius... natus est, a fidelibus progenitoribus baptizatus est, et nutritus, *etc. Ibidem prima Antiphona ad primas Vesperas :* S. Emygdius, natione Francus, religiosis parentibus ortus, per eosdem est ex aqua et Spiritu Sancto regeneratus. *Ms. primum Vallicellense consonat; imo et secundum, quod* S. Emygdium *pro se ac sociis Marcello Papæ ita respondentem inducit :* In Germania nutriti sumus, et omnes in Christi nomine baptizati sumus a fidelibus progenitoribus, *etc.* F

b In parte australi ejusdem Germaniæ *etc. Falsum est, Treviros tempore Valentini diaconi ad Germaniam proprie dictam pertinuisse; falsum, ullo sensu eos spectasse ad australem Germaniæ partem : hoc verum et certum, quod olim pars fuerint Galliarum in Austria sive Austrasia; sed non Germaniæ, nec ante tempora Clodovæi regis. Vide Cellarium, Valesium in Notitia Galliarum, aliosque passim. Et hæc scripserit Valentinus ibi natus?*

c Gentilis adhuc tamen *etc. Hæc uncinis inclusa desunt in Ms. Vallicellensi, illique repugnant.*

d *Quæ sequuntur uncinis inserta, non leguntur in Mss. ambobus Vallicellensibus. neque in Vita breviore Officii veteris Asculani; imo iis aperte repugnant.*

e *A sequente hic iterum uncino usque ad obversum alium, num. 6 positum, omnia intrusa videntur huic exemplari; cum desint aliis modo memoratis.*

f Euplum, Germanum *etc. De his diximus in Commentario, num. 5.*

g Illis tribus *addunt Equilinus, Ferrarius aliique cum Ms. Vallicellensi secundo* S. Emygdii *fra-*

A *fratres duodecim; sed hos rejiciunt Ms. Vallicellense primum, et utraque Acta Officii Asculani: unde eosdem proscribunt etiam Giovannettus et Appianus. Porro quæ hic denuo inter uncinos adjicientur, absunt ab utroque Ms. Vallicellensi et Vita breviore veteris Officii Asculani; item ab elogiis Equilini ac Ferrarii; reperta tamen dicuntur in codice (nescio, quo) Vaticano, sed episodiis aliis amplificata; uti videre est in Commentario prævio, num. 23.*

h *Hinc Mediolani celebratur ejus festum quotannis die 20 Januarii, ut affirmat Appianus pag. 59 et 249; quanquam ibi recentius institutum fuisse, et post annum Christi 1656, satis colligitur ex Dissertatione Nazariana, a Puricello tunc edita, pag. 150; ubi queritur auctor,* S. Emygdium *usque ad ætatem suam ignoratum fuisse Mediolani, nec de festo istic ejus ullo mentionem facit.*

i *Apud Equilinum et in Ms. Vallicellensi secundo non dicitur miles ille Romæ excepisse hospitio* S. Emygdium, *sed eo venisse peregre cum* B *cæco, de quo dicetur num. 8, ut Sanctum jam ibi diu degentem et miraculis late celebrem inveniret.*

k Encletica *et* enclitica, *idem sonat apud auctores medii ævi, quod* incurva *seu* inclinata. *Adi Cangium in Glossario.*

l *Notari meretur hæc toties repetita SS. Trinitatis mentio per voces, quæ auctorem arguunt concilio Nicæno juniorem; qualis non fuit S. Valentinus.*

CAPUT II.

Prodigia Romæ patrata, gentilium conversiones, promotio Sancti ad episcopatum Asculanum.

quibus prodigiis convertuntur 650 ethnici;

Tunc videntes, qui aderant, miracula, quæ per eum Deus fecerat in puella filia militis, et quomodo Deus illuminasset cæcum, stupore, et exstasi perculsi omnes, uno ore et una mente C dixerunt: Baptiza nos, Pater, in nomine Dei Jesu Christi. Sanctus vero Migdius, lætus effectus, benedixit aquam, et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, promiscui sexus numero sexcentos quinquaginta *a*. Quo facto, multiplex et varia fama continuo aures populi Romani occupavit, cunctisque in admirationem conversis Christianis et gentilibus, quique pro sua intentione loquebantur: Christiani gaudebant, quod Deus visitasset illos, fidelibusque suis tantam gratiam contulisset; gentiles vero, sanctum Migdium opinantes ipsum adfore Asclepium, deum medicinæ, aut aliquem magnorum deorum sub humana effigie latitare, et causa salutis Romani populi de cœlis ad terras venisse, thus et victimas offerre volentes, certatim illum in templum Asclepii ducunt *b*. At ubi multitudine vallatus populi, ante statuam Asclepii sanctus Migdius stetit, compendiosam hanc orationem pro tempore circumstanti populo promulgavit:

10 Viri Romani, ab ortu solis usque ad occasum terra marique potentes, quid juvat tot et tantas barbaras vicisse nationes, tot et tantis laboribus eas superasse, si cervices vestras ingenuas errori superstitioso idolorum et vanitati lacrymabili submittitis? Quid juvat reges fortes bello domuisse, si idola vos et inania documenta poetarum ad pœnas perpetuas et ad horrentes tenebras pallentis Erebi captivos trahant? Consulite igitur vobis, et providete in posterum, idolaque surda et muta, quæ nec sibi nec vobis ullum conferunt auxilium, respuite; et renati ex aqua et Spiritu Sancto, Deum Patrem omnipotentem, regem cœlestium, terrestrium, et infernorum adorate: per illum namque reges regnant, et principes dominantur; ejusque imperio sol et luna et stellarum claritas die noctuque deserviunt. Ego autem homuncio, servus servorum Dei minimus, neque Asclepius sum, nec ab eo missus, ut vos opinamini; nec ullam gratiam ejus, vel amicitiam expeto, nec commune quidquam secum habere volo. Hæc eo loquente, multitudo male habentium, illum rogare cœpit, ut et illis dignaretur conferre medelam in nomine Dei sui. E

Ex Off. Asculan. alii ipsum putant esse Æsculapium; sed idolo demerso;

11 Tunc beatus Migdius hæc addidit, dicens: Et ut me verum dicere comprobetur, multitudinem hanc infirmorum diverso morborum genere oppressam, quam nec Asclepius, nec ullus deorum vestrorum sanare potuit, vobis præsentibus, procul omni ambiguitate, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti saluti pristinæ restaurabo. Dixerat, fidemque verbis faciens, continuo prostravit se in orationem, et ab obsessis corporibus dæmones pepulit, diversaque genera languorum sanavit. Quo viso miraculo, acclamatio fit maxima populi, et in laudem et favorem sancti Viri conversi, idola respuunt, seque fieri Christianos obortis lacrymis, omnique caligine dubietatis detersa, ardenti studio postularunt. Nulla fit dilatio; nam in eadem hora, eodemque loco baptizati sunt de populo cum gloria mille xxx, exceptis parvulis et mulieribus. Baptizatis autem his, qui miraculum viderant, et diruta Asclepii ara, sanctus Vir propriis manibus ejus idolum rapuit, et præcipitavit illud in flavium Tiberim.

Christum edocti, baptizantur ex eis 1030,

12 Christianis autem congaudentibus celebrantibusque victoriam, laudesque immensas concinentibus Regi omnipotenti pro beneficiis sibi collatis, sacerdotes Asclepii indignatione et ira repleti, Præfectum Urbis adeunt, eique injurias suas et dei sui Asclepii ex ordine referunt; qualiter populus destruxerat aram, et qualiter quidam advena medicus simulacrum illius jactarat in fluvium, et qualiter suis magicis artibus et doctrina Christiana ludificaret populum. Hæc audiens Præfectus, indignatione et furore succensus, sacerdotibus dixit: Vos consensum præbuistis, qui magum hominem et Christianis artibus illudentem populo honorare voluistis; sed, si me salus, si me magnus Æsculapius [adjuvabit,] similem pœnam luetis, et simili sententiæ subjacebitis. F Quod cum audissent sacerdotes, terrefacti nimis, consiliumque suum in melius conferentes, ad beatum virum Migdium confugerunt; quos cum vidisset Sanctus, benignus, ut erat, vultu ait: Juste contingit vobis, quod Salomon dicit: *Qui proximo suo parat foveam, ipse prior incidet in eam.* Hæc dum beatus Migdius loquitur, sacerdotes portantes aquam in urceo, mundo corde et uno ore dixerunt: Baptiza nos, Pater, in nomine Domini nostri Jesu Christi; nam dii nostri erronei et vanitati vanitatum subjacentes, neque sibi neque nobis prodesse valent. At sanctus Migdius, accepta aqua, baptizavit eos, et quid deinceps facturi essent, pro tempore monuit.

una cum sacerdotibus Æsculapii

13 Cras-

Ex Off. Asculan. hinc mota Romæ persecutione, suos animat Sanctus;

13 Crastina autem die facta, Præfectus Urbis cum audisset certius multitudinem populi conversam ad Christum prædicatione sancti Migdii et mirabilibus, quæ viderant, sacerdotes etiam Asclepii baptizatos; populum Romanum omnis senatorii ordinis in Capitolium convocavit, et crudelissimam seditionem in Christianos concitavit. Turbata itaque civitate, et populo pro partibus agitante honestas atque inhonestas causas, tumultuque furentium magis et magis fervescente, beatus Migdius paululum perterritus, quid potissimum faceret, meditabatur; sed confortatus a Domino, sic se suosque discipulos, aliosque Christianos, qui secum aderant, admonuit, dicens: Nolite metuere, fratres carissimi, nolite timere tormenta secularium principum; momentanea enim sunt, et folio, quod vento rapitur, comparanda, testante Psalmographo: Vidi impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani; transivi, et ecce non erat; quæsivi, et non est inventus locus ejus. Potens est enim Deus
B liberare nos de manu quærentium animas nostras, qui liberavit filios Israel de manu Pharaonis, qui et ipsum præcipitem et exercitum ejus projecit in mare; potens est enim Deus liberare nos, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis, et Danielem de lacu leonum, et Susannam de falso crimine; ipse etenim solus quando vult, et quomodo vult, mortificat, et vivificat; ipse etenim *solus quando vult et quomodo vult, deponit* potentes de sede, et exaltat humiles; quoniam quidem in manu ejus sunt omnes fines terræ, et non solum terræ, verum etiam cœlorum cardines omnes. Illum igitur neque vivi neque mortui effugere possumus, dicente Propheta: Quo ibo ab aspectu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades. Sive vivimus fratres, sive morimur, Dei sumus: fiat igitur voluntas illius: nam si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non sustineamus? Non enim condignæ sunt passiones hujus seculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

mox cœlesti monitu

14 Expleto autem sermone, et mentibus omnium confirmatis et erectis ad Deum, discipuli ejus dixerunt: Requiescamus hodie, Pater, et
C summo diluculo discedamus ab Urbe, secundum sancti Evangelii verba: Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Interea dum hæc ad invicem conferunt, dies abiit, noxque terrarum immensa spatia nigris amplectitur alis. Et dum levator curarum et operum, mortalium omnium somnus gratissimus comprimit artus, Angelus Dei excitavit beatum Migdium, et discipulos ejus, et locutus est eis clara voce: Nolite metuere tormenta carnificum, quia Dominus vobiscum est; surgite igitur festini; Marcellum Papam adite; ipse vos docebit, quid debeatis facere.

adit S. Marcellum Papam;

15 Beatus igitur Migdius de nocte consurgens securus et lætus visione angelica, cum discipulis suis Papam adiit, hoc ordine illum rogaturus: O Pater universalis, o mediator Dei et hominum, cujus lingua januam cœli claudit et aperit; subveni et fer opem nobis advenis, colentibus et invocantibus Christum, et persecutionem patientibus pro nomine ejus. Quibus Papa Marcellus dixit: Unde estis; aut cujus rei gratia huc advenistis; aut quo officio fungimini? Sanctus Migdius respondit: in Germania provincia nati et nutriti sumus; huc orationis causa venimus, admoniti visione divina. Ego autem servus tuus peccator
D et indignus, Migdius nomine, sacerdotali fungor officio *c*, [ordinatus Mediolani in oratorio sanctorum martyrum Nazarii et Celsi; ubi triennio commoratus, non modicum numerum civium Mediolanensium Deo acquisivi; sed persecutionem imperatorum Diocletiani, et Maximiani ferre non valens, ad te confugero, Pater, coactus sum; sed heri te et nudiustertius videre et alloqui nequivi multis præoccupatus negotiis.] Cui sanctus Marcellus dixit: Audivi plurima de te, et quæ in hac urbe Romana gessisti; mane, quæso, hodie apud me; cras enim dicam tibi, quid te oporteat facere.

a quo creatus Asculanorum episcopus, discedit Roma.

16 Altera igitur die, cum ingenti favore et celebri laude cleri et populi fidelium, beatus Papa Marcellus sanctum Migdium Asculanorum ordinavit episcopum *d*, et Euplum, discipulum ejus, illius diaconum; et tradita illi licentia prædicandi, admonens et confortans eum, ad Asculanam direxit urbem. Accepta itaque benedictione episcopali, dataque licentia sanctæ prædicationis, beatus Migdius episcopus festinum arripuit iter. E
Quem plurimi Romanorum prosequentes, ut apud illos aliquantulo tempore moraretur, et ut infirmis illorum aliqua conferret remedia, oppido precabantur. Quibus ille ait: Nequeo sane, fratres, his in partibus terere otia, quoniam verbis Pastoris mei, domini Marcelli Papæ, me condecet obedire; cum sit scriptum: Melius est obedire, quam *victimare*: scimus enim, quid Jonæ prophetæ contigerit, qui cum mitteretur a Domino in Ninivem ad prædicandum, fugiebat in Tharsim, negligens præceptum Domini. Hæc eo loquente, et populo in sententia sua perseverante, de proximis aut de longinquis locis innumeræ turbæ populorum concurrunt, videre desiderantes, quæ per eum Deus faciebat mirabilia: et offerentes beato Viro aurum et argentum vestesque pretiosas, poplite flexo, rogitabant, ejus sanctis orationibus participari.

ANNOTATA.

a *Petrus de Natalibus ep. Equilinus tantum numerat* centum quinquaginta.

b *Erat* Asclepii, *seu Æsculapii* templum *olim Romæ in insula Tiberis, ubi nunc ecclesia S. Bartholomæi; unde statuit Appianus pag. 53, eadem in insula habitasse militem* Emygdii *hospitem.* F

c *Sequentia uncis comprehensa non habentur in Mss. Vallicellensibus.*

d *Falsum hoc esse de Marcello Papa, diximus in Commentario prævio a numero 17: recurret tamen infra plus vice simplici.*

CAPUT III.

Labores ejus apostolici et miracula apud Pictavenses et Asculanos.

Venit Pictavim, terra tremente, ululantibus dæmonibus:

Interea, lætantium choris vestigia illius præcedentibus et subsequentibus *a*, ventum est ad fines Pictavis civitatis *b*, quæ idolorum culturæ dedita, multiplici dæmonum errori serviebat *c*, et nullum adhuc penitus signum Christianæ fidei ad salutem sibi noverat, vel audierat *d*. Sed postquam beatus Migdius episcopus ad loca propinqua civi-

A civitatis pervenit, terremotu ingenti concussa est; et dæmonia, quæ in idolis latitabant, cœperunt mugire et voce horribili et confusa clamare: Ecce finis, ecce finis; ecce Mygdius, Christi cultor eximius: hæc est nobis dies lacrymabilis, hæc est nobis dies odibilis. Sacerdotibus igitur templorum et populo civitatis terrore perculsis et stupefactis, eventumque rei exspectantibus, beatus Migdius, comitantibus turbis Christianorum et gentilium, portas ingreditur civitatis. Qui postquam ante templum Jovis stetit, vallatus multitudine innumeri populi, talibus verbis a majoribus natu loci ejusdem interrogatur: Cujas, Pater; unde, vel quo tendis: vel qua de causa huc adveneris, edissere nobis: nam ad introitum tuum civitas nostra ingenti terræmotu concussa est, et dii nostri tuum metuentes adventum, luctisono mugitu terrificoque ululatu omnes quasi uno ore clamarunt.

ubi Christum prædicat servatorem

18 Quibus sanctus Migdius, sedata turba, compressoque tumultu, inquit: Natione Gallus, de provincia Germaniæ ego sum, servus servorum Christi minimus, jussus venire Romam divino B nutu; a beato autem Marcello Papa ordinatus episcopus, ad Asculanorum urbem sum jussus tendere gressus; sed et huc ad vos vestræ salutis causa ingressus sum, quatenus Deum vivum et verum, Patrem omnipotentem cognoscatis, et in Jesum Christum Filium ejus credatis, qui propter salutem humani generis, et pro redemptione peccatorum nostrorum dignatus est assumere carnem nostram; cujus nativitatem Angeli nuntiarunt pastoribus; ad cujus cunabula stella rutilans miro fulgore, Magos offerentes tria munera duxit; in cujus ortu nuntiata est pax terris, et gratia Sanctis; qui postquam in fluvio Jordane baptizatus est, quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, et a diabolo tentatus est; qui ut vere Dei Filius crederetur, mortuos suscitavit, leprosos curavit vel sanavit, ac quinque panibus et duobus piscibus satiavit quinque millia hominum; sed et alia multa, et infinita mirabilia dignatus est facere, quæ dinumerare nullus plenius mortalium potest; ad ultimum autem ab impiis Judæis captus est et ligatus, flagellis cæsus, colaphizatus, corona spinea coronatus, mortemque C sævissimam in ara crucis perpessus est; in cujus obitu terra tremuit, et petræ scissæ sunt, sol obscuratus est, et luna retraxit lumen suum.

et judicem;

19 Qui et descendens ad inferna, captivorum animas liberavit, et in æternæ sede gloriæ collocavit; post hæc tertia die resurrexit, et cum discipulis suis quadraginta diebus conversatus, videntibus cunctis, ascendit ad cœlos; unde venturus est in fine mundi, et cum eo Sanctorum millia, judicare vivos et mortuos. Tunc cœli et terra magno tremore concutientur; tunc in ictu, in momento oculi, in novissima tuba (canet enim tuba) et mortui resurgent incorrupti; tunc, positis sedibus, libri aperientur actuum nostrorum. Dies illa dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde *e*, cum Dominus surrexerit in judicium. Sed quis stabit ante conspectum ejus? Angeli enim et Archangeli trement et vix justus salvabitur. Tunc qua fronte, quo animo, quibus oculis impii et peccatores Judicem suum aspicient? Quid dicent, quidve respondebunt, qui nihil bonorum operum ante faciem Dei præsentantes, creaturam pro Creatore coluerunt; qui muta et insensibilia idola adoraverunt? O quantus erit luctus, o quantus erit tremor, cum crudelem illam audituri sunt sententiam: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus! O quanta erit lætitia, quantaque exultatio mentis, quibus divina clementia dicet: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi!

Ex Off. Asculan.

et baptismo sanat 150 ægros;

20 Hæc cum diceret beatus Migdius episcopus, populus civitatis admirans verba, cupiensque ejus magisterio instrui, et cernere coram, quæ de illo audierat mirabilia, inquit: Ordinate, Pater, loqueris; et, ut nobis videtur, verba tua veritatem sonant: sed et audivimus, quod medicorum peritissimus sis, et sine omni expendio vel medicamine in hora, in momento langores etiam incurabiles sanare valeas. Rogamus igitur te, ut et hic ægrotis nostris, morbis innumeris oppressis, sanitatum remedia conferas. Dixerant; et multitudine infirmantium congregata numero centum quinquaginta, tam civitatis quam illorum, qui secum venerant, sanctus Migdius, genibus flexis in terra et elevatis oculis et manibus in cœlum, oravit hoc modo: Domine Deus omnipotens, qui E neminem perire vis, sed ad agnitionem veritatis pervenire: aperi thesaurum pietatis tuæ, et de excelso cœlorum habitaculo tuo effunde gratiam et benedictionem super populum istum, et confer ei sanitatem corporis et animæ. Et exurgens ab oratione, baptizavit omnes languidos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nulla morat fit; paralysis, lepra et cætera genera morborum insanabilium, per invocationem Sancti Spiritus, obsessa corpora relinquunt, et fugiunt, sicut tenebræ ante faciem solis matutini.

ita ibi baptizantur alii multi; fana diruuntur; eriguntur 3 ecclesiæ.

21 Quo viso miraculo, omnes, qui aderant, cives et extranei obortis lacrymis, et tundentes pectora palmis, pedes et genua sancti Migdii deosculantes, in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum munda conscientia et toto corde se credere confessi sunt: et renati ex aqua et Spiritu Sancto, celeres advolant; templa destruunt, ignemque succendunt copiosum, et omnia idola in medium flammarum æstuantium projiciunt. Purificata itaque civitate, omni immunditia eliminata, et ab antiquo gentilium errore miserabili liberata, tres basilicas sanctus Vir dedicavit; primam in honorem sancti Salvatoris, secundam sanctæ Mariæ et sancti Petri Apostoli et principis Apostolorum, F tertiam in honorem sancti Laurentii martyris et levitæ. Deinde rite peractis omnibus, quæ ad ejus officium pertinebant; sacerdotibus et diaconibus in eodem loco ordinatis, qui de more Catholicorum populum regerent, aliquot dies commoratus, flens et deosculans omnes, civitatem reliquit. Incepto itaque itinere, populus, qui secum venerat ab urbe Roma, et alii quamplurimi, melliflua prædicatione sancti Viri plenius instructi, laudantes et glorificantes Deum omnipotentem, ad propria remearunt.

Vix Asculum ingressus, judici sistitur;

22 Sanctus itaque Migdius cœlesti gratia plenus, rore et unctione Spiritus Sancti perfusus, et multa et innumera faciendo miracula ad Asculanorum pervenit urbem, in qua Polimius, Procurator Brutiæ *f* et totius Adriatici littoris, residens, jussu Diocletiani et Maximiani in Christianos crudeliter sæviebat. Erat *g* enim Asculus metropolis civitas a Ravenna usque Rhegium post urbem Romam in toto Adriatico littore præ cæteris civitatibus dives, florens et præpotens; quæ munita natura, humanoque opere mirifice ornata, generosa civium frequentia decorata, amœnitate nemorum et fluviorum gratiosa, arvorum et locorum fertilitate et specie delectabilis et famosa

EX OFF. ASCULAN.

mosa, paradiso sancto Dei videbatur simillima; et, ut breviter omnes dotes ejus enumerem, omni laude prædicabatur dignissima, excepto, quod dæmonum mancipata servitio, errori gentilium victimas exhibebat. Ad quam cum venisset beatus Migdius episcopus, a quibusdam civibus, qui ejus clarissimam famam audierant, cum ingenti honore susceptus est *h*. Mane autem facto, seditio in populo oritur, jussuque Polimii ad tribunal regale beatus Emygdius episcopus ducitur, et in præsentia totius populi, cujus conditionis sit, vel causa cujus negotii venerit, diligentius a Polimio interrogatur. Sanctus Migdius inquit: Christianus ego sum, et a sancto Marcello Papa ordinatus episcopus; sed et huc causa vestræ salutis missus sum, quatenus Deum verum, et vivum * cognoscatis, culturamque idolorum vanam et superstitiosam et lacrymabili caligine erroris involutam relinquatis.

* *Ms. Vallic.* unicum

23 Ad hæc Polimius inquit: Video te juvenem compositum, vultu decorum, lepidum et facundum, et primævæ flore juventutis ornatum: sacrifica igitur diis immortalibus, et magnis ac claris ditaberis honoribus, et carus atque acceptus Diocletiani et Maximiani imperatorum invictissimorum semper eris aspectibus. Sanctus Migdius dixit: Ego obedire et servire illi Imperatori debeo, cujus nutu nubes rore concrescunt, qui simul cœlestia et terrestria moderatur, qui palmo cuncta concludit, qui cuncta fecit ex nihilo, cujus imperio cuncta præsentia, atque futura obsequuntur, cujus regnum sine fine permanet per infinita secula seculorum, a quo cuncta procedunt, et per quem visibilia et invisibilia bona consistunt, cui servire regnare est, et obedire vita. Cui Polimius, Quoniam, inquit, gratiosus es nimis, ut tibi supradixi, ac de generosa progenie originem ducis, ut et clementiam et discretionem principum Romanorum agnoscas, meliusque tibi in posterum provideas; consulendi tibi rebusque tuis quatuor aut quinque dierum inducias damus.

at, obtento deliberandi spatio,

B

24 Crastina autem die Polimio procuratore alia atque alia negotia exercente, atque ad alia post alia loca tendente; populus civitatis aliarumque regionum circum adjacentium catervatim ad beatum Migdium metropolitanum *i* episcopum confluunt, videre cupientes, quæ de eo audierant magnalia Dei. Qui ut multitudinem circumstantem vidit, læto et angelico vultu fontem illis divinarum Scripturarum aperit, et, quasi arentia prata, mentes audientium oris sui melliflui cœlesti rore rigavit, factaque prædicatione luculenta, quæ ob prolixitatem sermonum extra scripta est, paralyticum hominem omnibusque membris dissolutum in conspectu omnium, qui aderant, signaculo sanctæ crucis, et invocato nomine Jesu Christi, sanitati restituit.

prædicans, et paralyticum sanans,

C

25 Populus autem videns, quæ facta et quæ dicta fuerant a beato Migdio, procul omni caligine dubietatis, procul omni dilatione laudans et glorificans omnipotentem Deum Patrem et Jesum Christum filium ejus, ter conclamavit: Maledictus, qui adorat idola; maledictus, qui adorat deos gentium; maledictus, qui confidit in eis, qui os habent, et non loquuntur; aures habent, et non audiunt: neque enim est spiritus in ore ipsorum, nec ullam conferunt opem cultoribus suis. Iterum ter acclamatum est: Benedictus Deus Christianorum, qui salvat sperantes in se et virtute mirabili cuncta disponit; benedictus beatus Migdius, per quem omnes salvati sumus; benedicta est dies ista, in qua meruimus videre lumen et ab idolorum cultura recedere. Post hæc renati fonte sacri Baptismatis et instructi prædicatione sancti Viri, ad sua quisque redierunt. Eratque credentibus omnibus quasi cor unum et anima una, et de die in diem augebatur numerus eorum. Deinde facientes collationes ex præcepto sancti Migdii, pastoris sui, oratorium quasi in occulto construunt extra civitatem ad plagam septentrionalem sub crepidine cujusdam montis mediocris *k*: ubi triplex spelunca ostenditur haud procul ab urbe, fabricata, partim natura, partimque humano opere exornata.

ibi multos convertit, et condit oratorium secretum.

D

ANNOTATA.

a *Isti chori, ut narrat Ms. Vallicellense secundum, erant hominum 2024.*

b *De* Pictavi civitate *siluit Equilinus; sed Asculi facta narrat, quæ hic ad Pictavim referuntur; credo, quia nulla fuit unquam Pictavis in Italia; nam et Ferrarius, topographiæ gnarus in paucis, hoc die eamdem diserte causam affert, cur omiserit quæ de illa dicuntur? Hæret etiam Giovanettus pag. 59. Appianus pro* Pictavis civitatis *reponit* Pitinatis civitatis; *sed nullum pro se codicem habet. Vide-sis ipsum pag. 91: nam animus mihi non est hic palpare in tenebris; multo minus iis assentiri, qui quæcumque hic accidisse portenta narrantur, iterum deinde Asculi contigisse putant.*

E

c *In Ms. Vallicellensi secundo de civitate Pictavensi legitur:* Ubi erant templa paganorum numero centum quinquaginta.

d *Hoccine credibile est de ulla civitate Italiæ usque ad seculum quartum?*

e Dies illa, dies iræ *etc. Videntur hæc verba auctoris esse, qui legerit Officium Defunctorum, quo nunc utimur, et cujus, etsi ignoretur institutio, et certa sit antiquitas, originem tamen usque ad SS. Ambrosium vel Augustinum extendi non patitur Eminentissimus Bona in psallentis Ecclesiæ Harmonia cap. 13, § 2, num. 2. Vide ergo, an hæc Valentinus dictasse credi possit, aut prædicasse S. Emygdius.*

f Procurator Brutiæ. *Brutios novimus; Brutiam, nescimus an veteres dixerint. Quid autem Brutiis tum fuit commune cum Asculo aut Piceno; cum ad aliam longe provinciam pertinuerint, ac diversis omnino paruerint magistratibus?*

F

g Erat enim Asculus *etc. Ad quid istud* Erat? *Nam si Melchiadi hæc scribebat B. Valentinus, eodem fere tempore, cur non scripsit:* Est enim Asculus *etc.? Quid enim istic mutatum interea fuerat usque ad novam imperii divisionem Constantinianam, et pacem Ecclesiæ? Et vero etiam quid hæc et quæ continuo sequuntur, ad Hagiographum non ineptum spectant? Quod si cui tamen hæc placere possunt, adeat amplissimum in hæc verba commentarium Appiani toto libro secundo diffusum, a pag. 100.*

h *Dixi supra, quæ in adventu Sancti in civitatem Pictavensem accidisse narrantur, ab Equilino referri ad ingressum ejus in urbem Asculanam; unde bis eadem accidisse concludunt aliqui; contra ipsa, quæ citant, testimonia, in quibus non dicuntur bis contigisse, sed semel tantummodo; quanquam de loco non consentiant. Plus tamen Asculi factum narrat Equilinus,* ingrediente Emygdio, *quam alii Pictavi; cum ait, ibi tum clamasse dæmones, incendi sese; templa duodecim fuisse per Christianos neophytos eversa; imo, orto*

A *orto per Sancti preces terræmotu, fana insuper ibi viginti duo corruisse.*

i Metropolitanum episcopum. *Hoc enimvero novum est, neque ulla, opinor, alia, quam hujus biographi, auctoritate notum. Certe metropolitanos episcopos in Italia universa primis illis Ecclesiæ seculis duos tantum fuisse, Romanum scilicet, et Mediolanensem, docet Schelstratius in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. II, dissertat. 4, cap. 5. Vide etiam Carolum a S. Paulo in Geographia sacra lib. 2.*

k *Montem hunc vulgo appellant S. Hilarii, quod hujus ecclesia illi sit contiguat. Andreantonellus pag. 220, et Appianus pag. 218; qui præter hoc oratorium occultum, ipsa in urbe asserunt tres basilicas eodem hoc tempore palam consecratas ab* Emygdio *fuisse, et quidem ipsissimis illis nominibus, quibus erectæ superius dicuntur ab eo Pictavenses; quod confusionem olet.*

B

CAPUT IV.

Conversiones ethnicorum in Piceno, et præsertim Asculi; et S. Emygdii martyrium admirabile.

Alibi in Piceno, idolo Apollinis araque dejectis, a

Interea beatus Migdius precibus coactus quorumdam fidelium virorum, Picenorum civitatem *a* adiit; ibique commoratus dies aliquot, quæ sui erant officii egit; aras deorum destruxit, cordaque fidelium prædicatione sua corroborans, ad spem cœlestis patriæ direxit. Susceptus hospitio est a quadam muliere vidua, nobili, divite, fidemque Christianorum toto corde et sincera mente colente. Quod, disponente divina clementia, arbitror contigisse: nam qui Heliam prophetam ad mulierem viduam in Sareptam Sidoniorum misit ad refectionem plurimorum; idem beatum Migdium ad mulierem viduam in civitatem Picenorum direxit ad salutem multorum: nam dum ejus eximio contubernio uteretur, relatum est sancto Viro ab eadem muliere vidua et ab aliis pluribus C fidelibus, esse fanum in vicinia juxta fluvium Tennæ, ad quod nullus Christianorum vel prædicatorum audebat accedere; in quo dæmon erroneus latitans, dubia et incerta dando responsa, mentes hominum ludificabat. Hæc ut audivit beatus Vir, miseriæ humanæ condoluit; trahensque suspiria ab imo pectore, multis se comitantibus, illuc gressum tetendit. Dæmon ante sentiens adventum ejus, nunc confusa, nunc clara voce terrificos mugitus et luctisonos ululatus proferendo, clamabat: Hæc est dies iræ, hæc est dies tristitiæ: ecce persecutor Migdius; ecce Christi cultor egregius! Talia maligno spiritu clamante, beatus Migdius ingressus est templum, et, invocato nomine Jesu Christi, destruxit aram Apollinis, et idolum comminutum frustatim in fluvium Tennæ jactavit.

fanum ejus in ecclesiam vertit.

27 Maligno itaque spiritu propulso de suo habitaculo, multitudini virorum ac mulierum præcepit lucum præcidere et pariter secum omnipotentis Dei clementiam implorare; celebransque in eodem loco Missarum solemnia, omni spurcitia sacrilegi cultus idololatriæ eliminata, ad laudem omnipotentis Dei omniumque beatorum Spirituum altare dedicavit *b*, ubi ordinato custode et omnibus, quæ ad cultum divinum pertinent, populum regionis illius in unum convocat, monet, instruit, ut Deum omnipotentem et Jesum Christum Filium ejus in mente habeant, metuant, diligant, et se et locum illum sub omni sanctitate custodiant. His et aliis pluribus in Picenorum partibus juste et sancte diffinitis et ordinatis, sub omni celeritate ad Asculanam rediit urbem. Ex Off. Ascul.

Asculum reduci offert judex filiam suam; si diis sacrificare velit:

28 Cujus successibus et gloriæ Polimius invidens, jussit eum venire ad se, et dixit illi: Accede, et sacrifica diis magnis. Sanctus Migdius ait: Optime mones: sacrifico enim sacrificium laudis assidue magno Deo, id est omnipotenti Patri, qui per Filium Jesum Christum fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt. Cui Polimius: Jupiter, Juno, Venus, Æsculapius non sunt magni dii? Sanctus Migdius respondit: Non sunt dii, sed dæmonum effigies, quæ cultoribus suis æternum conferunt incendium. Polimius autem inquit: Consulimus tibi, licet imprudenter loquaris, et adhuc te a tormentis differimus. Verumtamen accipe consilium meum, et adora deos magnos, et dabo tibi filiam meam; erisque carus E et acceptus imperatoribus invictissimis Diocletiano et Maximiano; fiesque deorum immortalium summus sacerdos. Deinde jussit illum introduci ad filiam suam. Erat enim Polisia *c*, Polimii filia, genere et forma spectabilis, eloquentia insignis, scientiaque litterarum tam Græcorum, quam Latinorum * admirabilis: quæ ubi ad se intrantem Episcopum vidit, nimis honorifice, nimisque suscipiens studiose, his verbis illum alloquitur, dicens: Diis immortalibus gratias ago, quoniam te, quem maxime desideraveram, præsentem video: audivi enim, quæ Romæ, quæ Pictavi mirabilia egisti; et quomodo etiam in hac urbe paralyticum, omnibus membris dissolutum, virtute mirabili sanitati restituisti. Aut certe deus es latens sub humana effigie, nisi me cogitatio fallit; aut de stirpe deorum progenitus.

c

* Ms. Vat. lic. Græcarum, quam Latinarum

quam Sanctus conversam baptizat cum aliis multis;

29 Igitur conveniens est, ut nobis jungaris familiaritate et amicitia, invictoque augusto Maximiano adhæreas obsequio militari et benevolentiæ gratia. Cui Vir sanctus tale dedit responsum: Ego nec deus latens sub humana effigie sum, sicut opinaris, nec de deorum descendi progenie: Christianus enim sum, et a beato Marcello Papa F ordinatus episcopus: ipse enim ad vos me destinavit, divina disponente clementia; ut idolorum culturam inanem et vacuam relinquatis, et in unum Deum vivum et verum, Patrem omnipotentem, regem cœli et terræ credatis; cui concinunt indefessa voce die noctuque Angeli et Archangeli: Sanctus, sanctus, sanctus, Domine Deus sabaoth: pleni sunt cœli et terra gloria tua: Hosanna in excelsis. Qui indissolubili nodo elementa ligans, machinam mundi inconvulsam conservat: ipse diem et noctem disponens et temporum vicissitudines varias, velocem cursum firmamenti ineffabili rationabilique virtute frænat * ac temperat; ejusque justo judicio mala parata sunt malis, et bona bonis, infernus peccatoribus, et paradisus justis. Hæc et alia plurima audiens a beato Viro Polisia, confestim credidit; sacrisque mysteriis plenius se instrui ardenter efflagitabat. Deinde, absente Polimio diebus aliquot transactis, beatus Emygdius nactus tempus et horam, cum discipulis suis ad Truntum fluvium Puellam duxit, et baptizavit eam cum aliis pluribus viris et mulieribus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

* Ms. Vat. firmat

30 Et cum hoc fecisset, flexit genua sua juxta arcum

b

Ex Off. Asculan. et mox, excitato precibus fonte, abluit alios 1060: d

arcum tentorii *d*, fuditque preces ad Dominum, et dixit: Domine Deus, qui famulo tuo Moysi præcepisti, ut educeret filiis Israel aquam de rupe; aperi saxum hoc coram populo tuo isto adoptivo, ut glorificent nomen tuum sanctum, et sciant et intelligant omnes gentiles et Christiani, quia tu es verus Deus, benedictus in secula seculorum. Et cum omnis populus dixisset: Amen, continuo apertum est saxum, et egressæ sunt aquæ largissimæ atque perspicuæ usque in hodiernum diem. Admirantibus itaque cunctis, qui aderant, miraculum, quod Deus fecerat per sanctum Migdium episcopum, omnes uno ore Christiani et gentiles benedixerunt Deum omnipotentem; et baptizavit de populo ibidem mille sexaginta *c*.

ob hæc obtruncatus, caput ipse suum alio defert; et sepelitur.

31 Audiens autem Polimius, quod filia ejus facta esset Christiana, et populus civitatis conversus esset ad Christum et baptizatus, et precibus sancti Migdii saxum apertum, et perspicuas atque largissimas aquas emanare, commotus est valde; et ira et indignatione repletus, minusque sibi in
B posterum consulens, misso spiculatore, amputari præcepit caput beati Migdii episcopi in eodem loco, in quo miraculum fecerat, ubi dicitur Pax Sanctorum *f*. Beatus itaque Migdius suscipiens caput suum in birro suo *g*, ambulavit *h* fere tertiam milliarii partem usque ad montem, ubi oratorium construxerat *i*. Hoc ubi, fama nuntiante, in populo auditum est, multiplex rumor, tumultus, clamor et luctus tolluntur ad astra; omnesque pariter majores et minores funus tanti Patris magnis celebrant obsequiis, corpusque ejus conditum aromatibus honorificæ tradunt sepulturæ *k*.

Seditio in judicem; collectio sacri cruoris; tempus martyrii. l

32 Deinde populus mortem tanti Viri non mediocriter ferens, palatium magnum et excelsum, quadrisque lapidibus mirifice constructum, picturis variis Parioque marmore decoratum, centum quinquaginta portas habens, invadit, diruit, et ad solum usque prosternit *l*. Interea quædam matrona religiosa ac timens Deum, nobilis et dives, sanguinem Martyris colligens, implevit tria vasa vitrea inde, et condivit aromatibus: quorum unum post sancto Marcello Papæ ipsa præsentavit; secundum abscondit in templo juxta fluvium Tennæ, ubi altare dedicaverat beatus Migdius; tertium
C vero retinuit apud se in mundissimo loco cum ingenti veneratione *m*. Passus est autem beatus Migdius, civitatis Asculanæ metropolitanus episcopus et martyr, Nonis Augusti *n*, natione Gallus, genere clarissimus, sapientia et vita perspicuus, castus et angelicus, ætatis suæ anno trigesimo, agente Polimio procuratore in civitate Asculana; ubi præstat Deus precibus illius multa et infinita beneficia fidelibus suis, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Picenorum civitatem *interpretantur Andreanton. et Appian. oppida Piceni, et maxime Firmum, non procul a fluvio Tenna.*

b *Vide Commentarium prævium num. 21. Porro ibidem etiam nunc superesse oratorium exile* S. Emygdii, *et a se visum esse, testatur Giovannetus pag. 84. Addit Appianus pag. 227, ex Natale Medaglia, inde non admodum procul scaturire fontem prodigiis celebrem, quem olim sitientibus excitaverit precando* S. Emygdius.

c Polisia *apud Asculanos, ut Sancta colitur, teste Andreantonello pag. 105, et* Exstat, *inquit,* in monte Polysio, ab ipsamet Polysia denominato *(et octo circiter milliaribus Italicis ab Asculana civitate remoto)* in hujus Sanctæ honorem exstructum sacellum; atque ibi fama est, illius corpus humatum. *Plura dat Appianus, cujus, si placet indicem consule. Neuter autem certum ejus natalem celebrari tradit; nisi quod posterior affirmat, ad ejus ecclesiam frequentem undequaque concursum fieri quotannis festo Ascensionis dominicæ.* D

d *Extra portam urbis Solestanam haud longe; ubi et fons modo visitur, de quo mox.*

e *Appianus numerat in prima editione mille et septuaginta; in secunda vero* mille e settecento, *hoc est* mille septingentos, *nescio qua auctoritate, si non potius errore.*

f Pax Sanctorum; *nunc, ut ait Appianus pag. 242,* ad S. Emygdium rotundum, *et* rubrum, *ab oratorii istic ejus (in quo servari dicitur adhuc lapis, super quo Sanctus obtruncatus fuerit) forma et colore nuncupatur, non multo amplius quam centum passibus ab urbe dissitum in septentrionem, et sexaginta circiter a fonte, ejus precibus per eos dies, ut modo dictum est, excitato.* E

g Birrum *hic accipit Appianus pag. 243 pro exomide seu palliolo episcopali; sed Cangius in Glossario satis ostendit, longe ampliorem esse hujus vocis significationem. Hic autem ea significari posse indumentum episcopi lineum, quod modo rochetum dicimus, exempla Cangiana docent.*

h Ambulavit. *Cum hoc miraculum de tot Martyribus capite truncatis prædicatum sit hactenus in Actis Sanctorum, quæ dedimus; neque tamen unquam huc usque occurrerit in Actis indubitatæ fidei ætatisque congruæ; non temere suspicatus est Papebrochius noster Maii tom. VI, pag. 38 et alibi, ex errore populari natum esse; ex eo nimirum, quod pictores et statuarii jam olim consueverint, ut genus martyrii exprimerent, Martyrum capite minutorum manibus rescissum caput inserere; uti et ecclesiarum fundatores exhibent cum imposita manibus ecclesia, etc. Unde, licet istiusmodi prodigium fieri aliquando potuisse non inficietur;* De nullo *tamen, inquit,* Sancto potest prudenter credi, cujus Acta non sint omnino sincerissima et ab omni interpolationis suspicione remotissima. *Talia autem hæc nostra nequaquam esse, luculente, ni fallor, ostendimus.* F

i *De hoc oratorio dictum est supra cap. 3, num. 25.*

k *Hæc non consistunt (quidquid conciliare conetur Appianus) cum Equilini Legenda, quæ sic habet:* Decollatus quoque, caput suum in byrrho suscepit, et trecentis passibus perambulavit usque ad montem Cœnobitarum; qui mons se mirabiliter aperuit, et corpus cum capite intra se recepit, seque continuo reclusit: ubi usque in præsens requiescit: *hæc enim apparatui funereo neque locum neque tempus concedunt. Equilino fere consonat Ms. Vallicellense secundum, quod ineptissimum esse diximus.*

l *Appianus pag. 246 ait, etiam num apparere indicia grandis adeo ruinæ.*

m *In Ms. Vallicellensi secundo additur:* Usque dum venit alius rex; et præsentavit ei, ut construeret ecclesiam in nomine S. Migdii. *Adi Commentarium prævium num. 2.*

n *De anno martyrii actum est in Commentario prævio, num. 25.*

DE

D

DE SS. AFRO & ALIIS MARTYRIBUS
AUGUSTÆ VINDELICORUM
COMMENTARIUS HISTORICUS

P. B.

Cultus legitime probatus; ejusdem obscura primordia.

Anno CCCIV. Natalis eorum refertur ad hunc diem; licet transferatur

In *Martyrologio per Walasserum Germanice composito, editoque Dilingæ annis 1573 et 1599; post alias hujus diei annuntiationes hæc penultima ponitur :* Item sancti martyris Afri; qui patruus fuit sanctæ Afræ (de qua infra ad diem VII hujus mensis agitur) et Augustæ Vindelicorum martyrium fecit. *Consonat in Catalogo generali Ferrarius :* Augustæ Vindelicorum B sancti Afri Martyris, patrui sanctæ Afræ. *At in Kalendario, Officiis propriis diœceseos Augustanæ, anno 1638 Dilingæ vulgatis, præfixo ad eumdem diem non solus refertur, his verbis :* Afri, et aliorum Martyrum Augustanorum, Duplex : *tum suo loco legitur hæc Rubrica Officio præmissa :* In hunc etiam diem (v. *Aug.*) incidit festum SS. Afri et aliorum Martyrum Augustanorum, Duplex : quod semper transfertur in diem non impeditam festo novem lectionum *(puta in diem* IX *Augusti, juxta Stengelium in Historia Augustana Teutonice scripta, pag. 17 et 159.)* Et omnia dicuntur de communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hic sunt propria; *Orationem scilicet, et Nocturni secundi lectionem quartam, quæ sic habent :*

Officium ;

2 Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui primordia hujus ecclesiæ tuæ, beati Afri et aliorum Martyrum tuorum sanguine instituere et decorare voluisti; concede propitius; ut qui eorum confessione gloriosa lætamur, ipsis intercedentibus, perpetuam in tua fide constantiam liberis mentibus sectari valeamus. Per Dominum. C In secundo Nocturno Lectio IV : Afer, patruus beatæ Afræ, a sancto Narcisso episcopo ad fidem Christi cum Hilaria et aliis ejusdem et sanctæ Afræ familiaribus et domesticis perductus, manibus impiorum, ad terroris (ut creditur) exemplum trucidatus, palmam martyrii in ejusdem fidei confessione consecutus est Augustæ Vindelicorum, Nonis Augusti. Quo die ecclesia Augustana aliorum etiam sanctorum Martyrum, qui in eadem civitate, sæviente Diocletiani imperatoris persecutione, ante sanctæ Afræ martyrium, pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt, quorum nomina soli Deo cognita sunt, memoriam pia celebratione veneratur. *Mirum est, nullam hic fieri mentionem reliquiarum : siquidem in ecclesia cathedrali, teste Corbiniano Khammo Hierarchiæ Augustanæ parte* I, *pag. 487, servatur* Caput de S. Afro, S. Afræ patruo.

quod non scimus, quam sit antiquum ;

3 *Cultus hujus ac Legendæ usum cum inter Officia propria Augustana, ut ex Præfatione liquet, Congregatio Romana probaverit; non est, quod saltem de legitima utriusque antiquitate quis ambigat. Verum si quis monumenta vetera requirat, quibus alterutrius initium utcumque determinetur; ea nos fateri cogimur hactenus consecutos non esse : nam de* S. Afro, *S. Afræ patruo, et Augustæ Vindelicorum ante Afram passo, verbum nullum est in Actorum S. Afræ sive Mss., quotquot vidimus, sive excusis exemplaribus, præterquam in solo Velseriano, in quo hæc leguntur :* Beatus autem Afer, patruus sanctæ Afræ (cujus dies passionis pridie quam ipsius martyris Afræ colitur) credendus est ad exemplum terroris ei aliisque præpunitus esse : sed *(Vide, quam fidem Stengelius mereatur in Chronico Augustano lib.* I, *cap. 7, ubi Afrum ait capite truncatum fuisse)* E quo genere martyrii, non legitur. *Fatetur autem ingenue in annotatis ipse Velserus, quantum huic textui et alteri, qui hunc ibidem sequitur, de S. Dionysio, tribuendum censuerit, cum ait :* Quæ sequuntur de S. Afro et S. Dionysio, alius esse auctoris *(quam sint Acta S. Afræ,)* alius ætatis : *et iterum :* Vides, præter sancti viri *(Afri)* nomen, reliqua omnia incerta esse : *præterea dum auctorem carpit, quod* Afrum *asserat* pridie *coli, quam Afram; cum nudiustertius dictum oportuisset : denique cum subdit :* Bonum virum egit, quisquis hæc de Afro et Dionysio capita adscripsit : fatetur [enim], se ea, quæ ipse collegerit, et excogitarit, nullibi lecta proferre. Conjecturis autem quisque ex ingenio fidem demet, aut addet. Ego invitus adducor illa asseverare, quæ antiquitatis testimonio destituta.

imo S. Afer noster videtur ignotus diu fuisse ,

4 *Quid, quod ne sancti quidem Afri cujuscumque nomen veteribus plerisque Martyrologiis invenitur inscriptum? Nullum certe refert Romanum vetus, Wandelbertus nullum, nullum Ado, nullum Usuardus : et, quod fortius est, nullum ipse Rabanus Maurus, licet jam tum* F *(ut ex ejus præfatione, apud Mabillonium in Analectis tom. IV, pag. 326, manifestum est) archiepiscopus Moguntinus; atque adeo Augustanæ ecclesiæ (juxta Criticam Pagii ad annum 852 num. 5, et Serarium, Moguntiacarum rerum lib.* I, *cap. 23) metropolites. Mirum sane, si Sanctorum tam eruditus investigator notum in provincia sua cultumque.* S. Afrum, *S. Afræ, notissimæ sibi martyris, patruum, aut ignorare potuerit, aut voluerit silentio præterire. Et Afrum quidem sanctum ac martyrem Notkerus agnovit aliquem hoc ipso die; sed* In Augusta Euphratensi *passum. Cedo, qui Sanctum hujus nominis ad extremam usque Syriam quæsivit, et inter omnes omnino Martyrologos solus invenit; Augustanum hunc nostrum, cœnobio S. Galli, ubi scripsit, adeo vicinum non vidisset, non commemorasset, si notus Augustæ Vindelicorum circa seculum decimum, aut palam cultus fuisset?*

etiam Augustæ, usque ad seculum saltem 12 ;

5 *Sed nec ipsis Augustanis* Afer *ille suus innotuisse videtur ante seculum duodecimum : sic enim habet hoc die Martyrologium istius ætatis Augustanum monasterii S. Udalrici, pridem a nobis editum ad calcem Junii :* Nonis Augusti, Eracli, Herenæ, Afri, Dassi. Augustoduno, Cassiani *etc. : ubi* Afrum *habemus quidem; sed nullo*

lo indicio Augustanum; imo aperto potius argumento longe diversum; quandoquidem, ut certaminis socius, permiscetur tribus aliis, qui, secundum vetustissimos codices Martyrologii Hieronymiani apud Florentinium, passi sunt Axiopoli *in Mœsia inferiore. Et vero aliter in isto Martyrologio Augustano annotatos observare licet Sanctos, quorum tum Augustæ peculiaris memoria cultusque vigebant : nam, ne procul abeam, sic annuntiatur S. Udalricus :* IV Non. Jul. Apud Augustam *(deinde litteris rubris)* N. S. UDALRICI EPISCOPI, *id est, nisi fallor,* natalis sancti Udalrici episcopi. *Ubi vides, a Martyrologio Augustano neutiquam esse neglectam Augustanæ urbis memoriam. Sic iterum S. Afra :* VII Idus Augusti *(tum rubrica)* APUD AUGUSTAM VINDELIC. S. Afræ martyris. *Cur nihil simile servatum est hoc die, si S. Afer ille, cujus meminit, ulla ratione ecclesiæ Augustanæ proprius habebatur? Cur in Martyrologio Augustano, si ad illud proprie pertinebat, non aliter annuntiatur, quam in Labbeano ibidem, et Gellonensi apud Acherium, ad quæ nullo singulari titulo pertinet?*

neque contrarium evincunt apographa Hieronymiana,

6 *Objiciat quispiam, non deesse Martyrologia vetera, in quibus hoc eodem die* S. Afri *martyris Augustani natalis distincte satis exprimatur; ut in exemplari Fontanellensi apud Florentinium :* Nonas Augusti.... In civitate Augusta, Passio S. Afri. *Eadem verba eodem die leguntur in Ms. exemplari reginæ Sueciæ, per nos edito inter Hieronymiana contracta; eadem quoque in auctario Bedæ ac Flori, juxta codicem Barberinianum. Quin etiam Notkerus non* Afræ *hoc loco, sed* Afri *legendum esse contendit, et Afram ad diem septimum Augusti remittendam. Præterea nisi legatur hoc die* Passio S. Afri, *cum postridie et perendie in plerisque Hieronymianis annuntietur* Passio S. Afræ, *dicenda erit res eadem diebus tribus continuis in quibusdam exemplaribus repeti; quod videtur ineptum.*

hoc loco discrepantia et corrupta,

7 *Respondeo ad primum, Martyrologium Hieronymianum, ut est omnium antiquissimum, sic passim in exemplaribus omnium esse mendosissimum : ac proinde ex uno exemplari nihil posse decidi, si alia dissonant. Dissonant autem hic Corbeiense, in quo disertissime apud eumdem Florentinium hoc die legitur :* In civitate Augusta, Passio *(non S. Afri, sed)* S. Afræ. *Idem eodem die habetur apud nos in Rhinoviensi, et Richenoviensi contractis. In vetustissimo Epternacensi et pluribus aliis die* V *Augusti neque de* S. Afro, *neque de S. Afra verbum est unum. In Ms. reginæ Sueciæ manifestum est vitium : nam nisi hoc die legendum in eo dixeris :* Passio S. Afræ *pro* S. Afri; *fateri cogeris, nullam in eo uspiam fieri mentionem S. Afræ, sive hoc die, sive sequentibus; quod est contra omnia cujusvis classis Martyrologia : Afrum enim paucissima referunt hisce diebus; Afram omnia, et multa quidem iterato, utpote celeberrimam. Deinde hæc lectio,* In civitate Augusta, Passio S. Afri, *vel antiqua est et sincera; vel non est : si primum; ut quid eam nec Rabanus, nec Usuardus, Hieronymianis ambo fontibus usi, adhibuere; ut quid S. Afro nullam in opere suo uspiam consecravere memoriam? Si secundum; profecto rejicienda est. Auctaria Bedæ ac Flori recentiora sunt; et Barberiniano opponitur ibidem Divionense his verbis :* Apud provinciam Rhetiæ, civitate Augustana, Natalis S. Afræ; quæ cum esset pagana *etc.*

et vel sic de alio S. Afro explicata per Notkerum;

8 *Respondeo ad secundum, Notkerum tamen in hoc Augustanis obesse potius, quam prodesse; cum S. Afrum illum suum, uti dictum est,* in Augusta Eufratensi *collocat; quæ provincia est,* non civitas, *mea quidem sententia : aut si etiam civitatem fuisse qui aiunt, ostenderint; eam certe procul ab Euphrate removere non poterunt : Afrum ergo martyrem Notkerus apud proximos sibi Vindelicos nullum novit : unde vero Euphratensem illum, nusquam alibi notum, produxerit, quis divinet? Si conjecturæ locus est, suspicer ego quidem, incidisse Notkerum in codices Hieronymianos Florentinianis non admodum absimiles, in quibus legerit die* V *Aug. :* In civitate Augusta, Passio S. Afri, *vel (ut habet Corbeiensis :)* In civitate Augusta, Passio S. Afræ : *die* VI *Aug. :* Passio S. Afræ; *die* VII *Aug. :* In provincia Retia, civitate Augusta, Natalis S. Afræ, *vel (ut est in Corbeiensi :)* In provincia Retia, civitate Augusta, Natalis S. Afri. *Quia vero in diversos dies incidere re vera non potest unius et ejusdem Sancti passio seu natalis; hinc ita purgandos existimaverit codices suos, ut suus cuique diei Martyris diversi natalis responderet diversus : et diei quintæ quidem natalis S. Afri, non* in civitate Augusta *Vindelicorum passi (utpote de quo tam vicinus nihil comperire potuerat;) sed* in Augusta *tamen aliqua, puta* Eufratensi : *diei vero sextæ,* Passio S. Afræ *non Augustanæ tamen; sed alterius, utpote* virginis : *ac tum denique diei septimæ, Passio S. Afræ Augustanæ in Vindelicia. Ingeniosa est hæc sane corrigendi ratio : at si semel admittatur in Martyrologio Hieronymiano, brevi numerus non erit eorum Sanctorum, quos nulla coluerit unquam ecclesia, nulla noverit; quales sunt hic S. Afer martyr Euphratensis, et Afra illa martyr ac virgo.*

qui tamen ipse sequendus non videtur.

9 *Respondeo igitur ad tertium, in apographis Martyrologii Hieronymiani perquam usitatum esse, ut iidem Sancti diebus diversis recurrant cum apposito* Natalis; *uti et nos jam toties observavimus, et nemo in iis utcumque versatus potest ignorare. Id accidisse credibile est, quod in vetustioribus codicibus in margine notata primum fuerint istorum Sanctorum nomina ad dies diversos, prout aliæ atque aliæ ecclesiæ natalem eorum aut aliam celebritatem alio atque alio die observabant; hæc porro notata marginalia, ut sæpe alias factum est, per imperitos paulatim librarios in textum irrepserint. Unde ex ista annuntiationum multiplicatione nullum argumentum duci potest, quo Sancti ipsi absque alio fundamento solidiore multiplicentur. Itaque etiam cum Castellano Tillemontius Monument. eccles. tom. V, pag. 694, postquam annuntiationes in Martyrologio Hieronymiano tribus hisce diebus propositas expendisset,* Quod ad S. Hieronymi, *inquit,* Martyrologia pertinet, admodum verisimile est, non aliud ea notatum voluisse, quam solam S. Afram Augustanam, modo quidem vero ejus die natali, modo autem uno atque altero præcedentibus; quod in illis satis est ordinarium. *Idem et nos putamus; nihilo minus corruptum arbitrantes die* V *exemplar Fontanellense, cum ibi scribitur :* In civitate Augusta, Passio S. Afri; *quam die* VII *Corbeiense, cum in eo annuntiatur :* In provincia Retia, civitate Augusta, natalis S. Afri : *hic nemo dubitat, quin loco* S. Afri *legi debeat* S. Afræ : *cur igitur idem ibi vitium committi potuisse, atque adeo commissum esse, post momenta jam producta, dubitemus; saltem dum lucem hic aliquis majorem affuderit?*

DE S. AFRA MARTYRE

AUGUSTÆ VINDELICORUM

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Sanctæ cultus, et festa.

ANNO CCCIV. Celebritas et antiquitas cultus ejus apud Augustanos:

Augustam, Vindonem seu Virdonem (nunc Wertach) inter et Lycum (vulgo Lech) flumina, qua confluunt, positam: ac Rhætiæ olim secundæ, nunc Sueviæ, caput, cum res aliæ multæ, quas libris octo explanavit patriæ illud suæ decus ingens et ornamentum Velserus, tum imprimis S. Afræ *martyrium, reliquiæ, cultus illustrarunt. Testantur id non* B *Martyrologi solum omnes antiqui recentesque; sed ipse etiam seculo sexto Venantius Fortunatus in poemate de Vita S. Martini lib. 4, ubi librum suum alloquens, eumque ad celeberrimas tutelarium præsidum Sanctorum ossibus ac prodigiis ecclesias dirigens, Augustanam inter eas designat his versibus in editione Broweriana pag. 335:*

Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Ut placide Rhenum transcendere possis et Histrum,
Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusque fluentant;
Illic ossa sacræ venerabere martyris Afræ.

Nimirum jam eadem istic ossa libri auctor coram ipse veneratus antea fuerat; ut patet ex Paulo diacono de Gestis Langobardorum lib. 2, cap. 23.

natalis ejus præcipue colitur apud Germanos die 7 Aug.

2 *Natalem ejus Augustani celebrant die* VII *Augusti; uti et aliæ per Germaniam ecclesiæ, Moguntinensis, Herbipolensis, Spirensis, Osnabrugensis etc., quarum hic antiqua servantur vel Missalia vel Breviaria. Eodem die annuntiatur in vetustissimis Martyrologii Hieronymiani codicibus: ut Epternacensi, in quo legitur:* Civitate Augusta, Afræ, Veneriæ; *Corbeiensi, qui cor-* C *rupte (ut jam in S. Afro diximus) habet:* In provincia Retia, civitate Augusta, natalis S. Afri et Veneriæ; *Fontanellensi, qui Corbeiensi nihilo emaculatior est:* In provincia Retia, civitate Augusta, natalis sanctorum Africæ et Valeriæ; *Ms. secundo reginæ Sueciæ apud Holstenium in Animadversis ad Martyrologium Romanum:* In provincia Retia, civitate Augusta, natalis sanctarum Afræ et Veneriæ. *Quæ vero sit ista* Valeria, *seu potius* Veneria, *quis divinet? Certe* Afræ *nec in Actis, nec usquam, quod noverim, alibi jungitur; sed neque Augustanis nota est: crediderim ergo ex margine in textum et locum hunc non suum irrepsisse, eamdemque esse, quæ eodem die cum aliis annuntiatur* in Antiochia. *Sine ac refertur etiam die* VII *Augusti* S. Afra *nostra in omnibus fere Hieronymianis contractis: apud Wandelbertum hoc versu:*

Septenas pariter Donatus et Afra bearunt;

Apud Notkerum, cum elogio; uti et in quibusdam auctariis Bedæ nostri et Usuardi; in veteri Kalendario Germaniæ Beckiano; in vetusto codice nostro Molsheimiensi, ubi habentur ejus Acta; apud Walasserum denique, sive Canisium nostrum, in Martyrologio Teutonico.

in reliqua vero Ecclesia, die 5 Aug.;

3 *Sed nequaquam tamen temere in Martyrologio Romano refertur in diem* V *Augusti,* Augustæ Vindelicorum, natalis sanctæ Afræ martyris; quæ cum esset pagana, per doctrinam sancti Narcissi episcopi ad Christum conversa, et cum omni domo sua baptizata, pro confessione Christi igni tradita est: *eodem enim die sic annuntiatur (ut juniores plurimos prætercam) ab Usuardo, Adone, Rabano, Romano parvo, variis exemplaribus Hieronymianis, et in Actorum ejus inscriptione juxta codices nostros* P *Ms. 6 et* P *Ms. 19.* E *Imo vero videtur hic idem ejus natalis observatus olim in Germania, aut saltem apud Rætos, fuisse; hoc enim colligi debet non solum ex Martyrologio Rabani (quod maxime tamen auctoritatis hic est;) verum etiam ex his Notkeri verbis ad* V *Augusti:* In Augusta Eufratensi, nativitas sancti Afri martyris: quorum nominum similitudine (id est Augustæ et Afri) NOSTRATES inducti, hac die apud Augustam Rhetianam, sive Vindelicam, passionem sanctæ Afræ consummatam putaverunt. *Hac Notkeri commonitione factum subinde existimem, ut apud Germanos plerosque ea sententia prævaluerit, quæ martyrium* S. Afræ *ad diem Augusti septimam refert: quanquam negari non possit, quin eadem istic alicubi diu ante Notkerum, usque a temporibus S. Willibrordi fuerit recepta; ut patet ex hujus Martyrologio Epternacensi: quod huic opinioni non leve momentum addit.*

licet alicubi notetur etiam die 6 Aug.

4 *Præter jam dictos dies, insuper alii duo ejusdem Sanctæ natali seu martyrio consignati reperiuntur; dies nempe* VI *Augusti, et* IX *Octobris. Ad primum sic habet vetustissimum Epternacense seu S. Willibrordi:* VIII Idus Aug..... F Passio S. Afræ: *et consonant plures Hieronymiani codices; ut Fontanellensis, et Corbeiensis apud Florentinium integri; item Corbeiensis apud nos contractus, Labbeanus etc. Notkerus, ut antea monui, quia non probabat, ejusdem Sanctæ natalem diebus variis assignari (quippe qui re ipsa non nisi unicus esse possit) aliam hic S. Afram intelligendam credidit, quam Augustanam; ac proinde sic illam ipse retulit eadem die* VI *Augusti:* Passio S. Afræ virginis. *At appositum hoc* virginis *fallor si usquam reperit: in vulgatis certe tot huc usque vetustis Martyrologii Hieronymiani exemplaribus nullibi hoc die legitur. Sed neque sic tamen persuadere cuivis potuit B. Notkerus, aliam eo die Afram, quam Augustanam commemorari; ut patet ex auctario quodam ad Bedam et Florum, ubi sic* VI *Aug. refertur:* In provincia Rhetia, civitate Augusta, passio S. Afræ virginis. *De Afra quoque nostra codices antiquiores diserte interpretatur eodem die Augustanus ille, quem inter contractos Hieronymianos edidimus: non enim habet:* Passio S. Afræ, *ut quidam; vel simpliciter:* Afræ martyris, *ut alii; sed:* Vigilia S. Afræ martyris; *quod necessario*

AUCTORE P. B.

sario respicit illam, de qua postridie ibidem scribitur : Apud Augustam Vindelic. S. Afræ martyris. *Vide dicta superius de S. Afro, num 8 et 9.*

et 9 Octobris.

5 *Die* IX *Octobris sic legitur in Hieronymianis integris apud Florentinium :* In provincia Creta, civitate Augusta, natalis sanctæ Afræ martyris: *eodem die in Florario nostro Ms. :* In Creta, civitate Augusta, passio beatæ Afræ : quæ sub Juliano imperatore, Antiocho judice, igne est concremata : et post incendium inventum est corpus ejus integrum : *et emendatius eodem die in Adonis appendice apud Rosweydum :* In provincia Rheta, civitate Augusta, sanctæ Afræ martyris. *Dubitari non potest, quin hæc omnia de eadem* S. Afra *nostra exponenda sint, ut exponit Florentinius. Nec refert, quod* Creta *pro* Rheta *legatur: nam et ejusmodi mendis Hieronymiani codices ad singulas scatent paginas, et ea vox in quibusdam Actorum apographis varie jam pridem luxata fuisse videtur, ut in aliis* Cretam *invenerint Equilinus et S. Antonius; in aliis* Regenas *Wicelius legerit; in aliis vel iisdem modo* Cretam, *modo* Rhetiam *(nam utramque adhibet) S. Antoninus : cum eadem ubique sint Acta, et in plerisque exemplaribus* Rætiam *exhibeant. Vitium apparet cum ex adjecto nomine* provincia, *tum ex apposita* civitate Augusta : *tametsi enim provincia Creta tum fuerit cum adjuncta, juxta Panvinium, Cyreneica ; insulæ tamen, quam provinciæ nomine, crebrius, usurpabatur ; tum* Augustam *in ea* civitatem *veterum geographorum nemo est qui recenseat.* Julianum imp. *et judicem* Antiochum *auctor Florarii ex depravato Actorum codice videtur hausisse, qualis fere est Molsheimiensis noster, in quo imperator scribitur* Diocliauus, *(unde detritis ac fugientibus prioribus litteris facile procudi potuit* Julianus *) et judex* Antiochus; provincia *tamen non* Creta, *sed* Rezia. *Sed unde, inquis, unius atque ejusdem* S. Afræ, *tam diversi natales? Credo, quia nullum ejus Acta determinant, ecclesias varias diem illum sibi, qui visus est opportunior, tanquam* Afræ *natalem pro arbitrio delegisse atque inseruisse Fastis. Potest etiam hujus rei occasio fuisse olim translatio corporis aut elevatio una, vel plures, nunc ignotæ ; aut etiam ecclesiæ dedicatio.*

Natalis ejus apud Augustanos quanta solemnitas,

6 *Porro* S. Afræ martyris et patronæ Augustanæ *natalem peculiari, ut æquum est, religione prosequitur ecclesia Augustana; inferiore tamen solemnitate, quam natalem S. Udalrici, episcopi et patroni itidem sui: hunc enim die* IV *Julii celebrat ritu duplici primæ classis cum octava; illum die* VII *Augusti sine octava ritu duplici secundæ classis; ut est in Officiis propriis diœceseos Augustanæ, excusis Dilingæ anno 1638. At in propria basilica, solo ipsius per plura secula, deinde simul etiam S. Udalrici nomine consecrata, et olim cathedrali, nunc illustrissimo Benedictini Ordinis monasterio, cui magnificentiam operis eximiam debet, longe lateque celeberrima; in hac, inquam, SS. Udalrici et* Afræ *basilica par utriusque solemnitas, et quidem supremi ordinis est; ut collige ex Caroli Stengelii, ibidem supprioris, Chronico Augustano Germanico lib. 5, cap. 2 : nimirum istius ecclesiæ patroni ambo primarii censentur, teste eruditissimo Khammo Hierarchiæ Augustanæ parte 3, pag. 204; qui et utriusque festi æqualem ex veteri et adhuc vigente consuetudine splendorem adstruit, dum ex alia occasione, parte 1, pag. 194, scribit in hunc modum :*

maxime apud PP. Benedictinos ;

7 Quod hodiernam observantiam attinet : pridie festivitatis SS. Udalrici et Afræ tam canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mauritii, eorumque chori-vicariis et musici, absolutis in nostro templo suis Vesperis; quam canonici cathedrales cum chori-vicariis et musicis, post suas in nostro templo finitas Vesperas, ducuntur ad exedram, seu, ut vocamus, capitulum; ibique honesto vini Neccarici haustu, absque addito pane, refocillantur. In ipsa autem S. Udalrici festivitate duæ urnæ vini una cum sexaginta duobus panibus farragineis orbicularibus (quales Religiosis ad mensam ordinarie apponi solent) canonicis et chori-vicariis cathedralibus distribuendæ clargiuntur. In festo S. Afræ eædem largitiones sine panis distributione iterantur. *Ad utramlibet ergo peræque celebritatem pari majestate cum cœtu religioso condecorandam quater unum in locum primariarum urbis ecclesiarum collegia bina cum eodem suo quæque comitatu apparatuque concurrunt.*

et alibi, præsertim in ecclesiis propriis,

8 *Neque vero dubium esse potest, quin idem hoc festum alibi, quanta possunt religione pompaque celebrent ecclesiæ, quotquot* S. Afræ *titulo consecratæ sunt; quando etiam absque ejusmodi ratione aliqua illud integræ passim in Germania diœceses Officio duplici, aut novem lectionum colunt: ut Bambergensis, Eystettensis, Salisburgensis, Frisingensis, Constantiensis, Herbipolensis, Wormatiensis etc. Sunt autem ecclesiæ vel oratoria, cum intra diœcesim Augustanam, tum extra illam, plura Martyris hujus nomine insignita : et extra illam quidem censetur ecclesia seu sacellum illud Coloniense, quod erexisse ad condendas honorifice, quas Augustæ obtinuerat, Sanctæ reliquias creditur S. Anno archiepiscopus Coloniensis, apud Gelenium lib. 3, syntagmate 107 ; ubi tria docet observari festa primaria :* S. Afræ martyris, V Augusti; Dedicationis ecclesiæ, VII Augusti; et S. Annonis, IV Decembris : *item ecclesia, aut si mavis, oratorium* S. Afræ *ab Henrico IV imperatore conditum Spiræ, ab eoque tutelaris hujus Patronæ ossiculo ditatum; ut infra memorabitur : Misnæ quoque in superiore Saxonia Canonicorum Regularium insigne cœnobium fuit, Afranum, a* S. Afra *(nostra sine dubio, tum unice apud Germanos nota) dictum. Erexerat illud urbis ejusdem antistes Reinerus anno, ut est apud Hertfelderum in chronico basilicæ SS. Udalrici et* Afræ, *et Fabricium in Annalibus Misnensibus, ad annum 1060 : floruit vero, donec anno 1543 dissipatis exactisque cum Catholica religione Canonicis, in opimum juventutis Lutheranæ seminarium cessit; de quo eumdem, si lubet, Fabricium consule tum ad annum illum, tum ad 1546.*

quarum aliquot enumerantur,

9 *Intra ditionem Augustanam ædes ejus illa cum primis est memorabilis, quæ locum, ut postea referetur, exornat, quem olim ipsa martyrio consecravit ; deinde alia Rottenbachensis, vicina Schrobenhusiæ ad Parum fluvium; in qua (uti et in proxime dicta) narrat Stengelius in Chron. Augustano Germanico lib. 1, cap. 8,* patrocinio S. Afræ præclara contingere miracula; quæ tamen in illo tractu ob causas non obscuras minime propalentur ; *quibus verbis nescio an incolas prodigiorum, ut esse solent Lutheri asseclæ, obtrectatores insimulet : præterea* monasterium *Ordinis Benedictini Neresheimense, quod, item ut Augustanum, a Sanctis ecclesiæ suæ præsidibus nomen habet* SS. Udalrici et Afræ : *testatur id Khammus Hierarch. Augustanæ part. 3, pag. 302 et 324. His adde cum eodem pag. 280,* sacram ædem SS. Udalrici et Afræ in campo *Fauqensi seu Fuessensi; et, pag. 318,* capellam in Delingen, parochiæ

A rochiæ Umenheimensis, monasterii *(Neresheimiani)* sumptibus, incolis collaborantibus; erectam, et in honorem S. Udalrici, S. Sebastiani, Sanctorum trium regum, et S. Afræ consecratam; *et siqua sunt alia, nobis hactenus ignota.*

Festa inventionis ejus, et conversionis, etc.

10 *Cæterum Augustanis jucundior est ac sanctior Martyris, hujus memoria, quam ut eam semel quotannis innovare satis habeant. Itaque præter natalitium, de quo jam diximus, festa ejus alia duo religiose observantur; alterum inventionis ejus, quod in cænobio Udalriciano celebratur (teste Stengelio Chron. German. lib. 5, cap. 2) die* XXVII *Julii; alterum conversionis, die* XXVI *Octobris, quod Officio proprio semiduplici diœcesis universa prosequitur: et hoc quidem ad* VII *Kal. Novembris annuntiatur etiam a Greveno; sed neutrum est in Martyrologio, quod supra laudavimus, Augustano monasterii S. Udalrici; nimirum utriusque institutio abbati Udalriciano Eginoni post annum Christi 1109 tribuitur* B *a Khammo Hierarch. Augustan. part. 2, pag. 228, et part. 3, pag. 34; de festo inventionis idem asserit Eginoni familiarissimus Udalscalcus apud Canisium tom. II primæ editionis pag. 216. Unde sequitur, ut Martyrologium illud non sit Eginone recentius. Sed neque festis illis contenta satis ecclesia Augustana, Proprio diœcesano antiphonas et orationem præmittit. ad* S. Afram *ejusque sodales, Hilariam, Dignam, Eunomiam, et Eutropiam, quoties in Officio communia Suffragia ad Laudes et Vesperas recitantur, dirigendas: imo ut continuam quodammodo erga Præsidem hanc suam, etiam extra diœcesim et clerum, pietatem foveret atque extenderet, eadem illustrissimam illam SS. Udalrici et* Afræ *sodalitatem, seu confraternitatem, ut vocant, instituit, de qua diximus ad Acta S. Udalrici die* IV *Julii, pag. 92.*

§ II Historia conversionis ejus, et martyrii.

Acta S. Afræ duas partes continent, Conversionem et Passionem:

Acta S. Afræ *duabus constant partibus; quarum prima conversionem ejus, altera Martyrium describit; suo quæque titulo separatim inscripta in Ms. vetustissimo clarissimi Puteani, et codicibus nostris* P *Ms. 6,* P *Ms. 17,* P *Ms. 18,* P *Ms. 19 et* P *Ms. 20, hoc est in omnibus* C *Acta hæc integra continentibus: et vero sic jam olim divisas fuisse partes illas, innuit Rabanus, seculi noni scriptor insignis, cum in Martyrologio suo ad hunc diem ita refert:* Nonis, in civitate Augusta, passio S. Afræ martyris; cujus Conversio et Vita, nec non et Passio scripta habetur: *quin imo etiam apud Mombritium, et in priori editione Surium, licet Conversio a Passione per interpositam inscriptionem non secernatur; ipsa tamen transitio ab historia conversionis ad alteram passionis satis indicat, res inter se diversas connecti. Adde, non deesse codices antiquissimos, in quibus, absque ulla mentione Conversionis, Passio sola reperiatur; ut ex apographis nostris liquet* ex Ms. S. Audomari vetustissimo *(cui consonat aliud D. Schenckinck, ut ibidem Henschenius adnotavit) et* Ms. Ultrajectino. *Solum quoque Martyrium invenisse videtur Wicelius olim; cum solum ediderit.*

12 *Quæritur vero, ejusdemne pars utraque sit auctoris; an diversi. Ejusdem esse, censuit loco non uno Velserus, qui utramque, distinctis tamen etiam titulis, vulgavit, illustravitque labore atque eruditione, cui apud istius instituti viros parem invenias nuspiam; et initio quidem commentarii sui (juxta novissimam operum ejus editionem Norimberganam) pag. 446, auctorem illum se fatetur ignorare; suspicari tamen verisimiliter,* fuisse aliquem ex clero Augustano, cui publico ecclesiæ decreto id muneris injunctum: *id enim olim consuevisse in ecclesiis, ut probat, variis factitari. Scripsisse autem illum existimat aliquandiu post persecutionem Diocletianeam;* cum semel atque iterum *(in Conversione num. 1, et Passione num. 15)* persecutionis jam præteritæ meminerit. Ne inferiorem tamen, *inquit,* Constantino Magno existimem, stylus neque pure Latinus, neque ex posteriorum temporum fæce plane barbarus, me movet. Præterea, simplex et nuda rerum gestarum narratio, quæ absque dubio primum autographum *(quod sub ipso Diocletiano scriptum fuisse vult, per eumque periisse)* nullis dum colorum pigmentis illitum, et priscæ pietatis ingenuos spiritus redolet. *Permagnum sane pondus habere debet viri talis ac* E *tanti judicium: atque adeo cui standum illo videbitur, is fateatur, necesse est, partem utramque (saltem qua pura est) ut ejusdem scriptoris et ætatis, sic æqualis esse auctoritatis ac fidei.*

Auctore P. B. utramque Velserus censuit ejusdem ætatis et auctoris esse,

saltem si quædam additamenta rescindantur.

13 *Dixi:* Saltem qua pura est: *nam passim interpolatam esse, ultro agnoscit Velserus: et primo quidem in verbis; ait enim in præfatione pag. 440, se exemplum, quod fidissimum videbatur, secutum; tum subdit:* Nam a diversis descriptoribus aliud atque aliud habemus; ut tamen verba, et hæc modice, non res dissentiant. *Hoc ipsum in Mss. nostris et nos comperimus. Cæterum res hic eas tantum intellige, quæ proprie ad conversionis et passionis historiam attinent: agnoscit enim idem deinde, etiam res dissentire: sed eas ad narrationis antiquæ substantiam spectare negat; ut ineptum Prologum, quem resecuisse se dicit pag. 446, num. 1 (is non est in ullis exemplaribus nostris; quædam ex eo refert Khammus Hierarch. Aug. part 1, pag. 178, num. 13:) deinde quæ in fine Conversionis leguntur, infra num. 14, ab his verbis:* Ipse autem episcopus F Narcissus *etc. Denique quæcumque ad calcem Passionis de SS. Afro, Dionysio, et aliis viginti quinque Martyribus apud ipsum narrantur. Quæ omnia cum auctori suo Velserus abjudicet, eidem cætera non obscure tribuit; et parem hæc proinde fidem per omnia censet exigere.*

Nobis videtur Conversio Passione recentior,

14 *At neque sic nobis ambæ istæ partes genuinum unius aut hominis aut ætatis opus videntur; primo, quia, uti jam dictum, in vetustissimis Mss. invenitur Passio sine Conversione; at nusquam, quod viderim, Conversio sine Passione; quod magno argumento est, ut aliquandiu Passionem extitisse solam putemus, ac deinde assutam illi Conversionem fuisse: non enim apparet ratio, si ab initio auctoris unius unum opus fuerint, cur partem ejus alteram subinde revellerit quisquam ab altera atque omnino suppresserit; quando ad* S. Afræ *historiam absolutam æque videri debebat utraque pertinere. Secundo, quia in principio utriusque partis repetuntur hæc:* Apud provinciam Rætiam, in civitate Augusta.. tempore, quo persecutio Diocletiani fervebat: Apud provinciam Rætiam,. in civitate Augusta, cum Christianorum esset gloriosa persecutio. *Enimvero scriptorem oportet insigniter ineptum et battologum fingere, siquidem in eodem argumento hæc unus et idem posuerit. Vidit hoc Velserus pag. 482,*

AUCTORE P. B.

482, num. 3; respondetque, repetitionis hujus causam videri, Quod Conversio et Passio non perpetua serie, sed distinctis diebus, quibus utraque celebratur, in ecclesia Augustana jam tunc legerentur. *Non placet: nam festum conversionis, vetustis Martyrologis ignotum, celebrari primum cœpisse diximus sub Eginone, seculo* XII; *cum historia conversionis, item ut passionis, ante Rabanum exstiterit seculo* IX, *et juxta Velserum, pluribus antea seculis. Imo etiam nunc apud Augustanos, ubi festum utrumque celebratur, non recitatur in uno conversionis historia seorsum, in altero martyrii; sed eædem prorsus lectiones propriæ in utroque leguntur; nisi quod festo passionis paulum quid additur de loco supplicii et reliquiis* S. Afræ. *Tertio, quia Conversio barbarismos habet, Constantini tempora neutiquam olentes; ut num. 12:* Fac pietatem super me. Dic mihi ante Deum tuum, quia das mihi *etc.* Ante Deum meum; dabo tibi animam.. manducantem et bibentem *etc. Num. 13:* Da mihi animam cujus corpus occidam, et animam ejus mecum habeam *etc. At nihil hujus-* B *cemodi legitur in Passione.*

et hæc illa sincerior;

15 *Quid ergo? conversionis narrationem abjicimus? Nequaquam: scimus enim, antiquam esse; et uti talem veneramur; sed quia et minus antiqua videtur et minus longe simplex, quam historia martyrii; huic multo plus fidei tribuendum putamus, quam illi. Neque vero aliter ante nos sensisse videtur Baronius,* cui in dijudicandis Christianorum historiis, *inquit Velserus pag. 481,* uni omnium plurimum tribuo; *etenim in annotatis ad Martyrologium Romanum hoc die de* S. Afra *disserens,* Exstant, *ait,* ejus Acta, quæ recitat Surius tom. IV hac die: sinceriora mihi ea videntur, quæ ex Actis publicis descripsit Vicellius in Hagiologio. *Cur, obsecro,* sinceriora? *Certe ipsum hoc principium Vicellianum, seu potius Wicelianum,* Apud provinciam Regenas, in civitate Augusta, *corruptius Baronio videri debuit minusque sincerum, quam quidquid habet in Passione Surius; qui sane hanc, licet mutato hic illic permodice stylo, sincerissime describit; nec a Wicelii narratione, si sensum spectes, vel ad latum unguem discedit; nisi quod et jam dictum* C *illius vitium expunxit, et omisit appendiculam a Wicelio* S. Afræ *Passioni subjunctam, et ad eam nulla ratione pertinentem. Cur igitur Acta Wicelii sinceriora Baronio, quam Surii? Nimirum Acta Wicelii solam* Afræ *Passionem continent; Acta Surii Conversionem cum Passione connexam; quarum partium ultima, utpote Wicelio ita, ut jam diximus, consona, cum adulterata videri non possit; restat, ut priorem Baronius judicaverit minus esse sinceram.*

Tillemontio tamen historiam conversionis crude proscribenti

16 *Minus, inquam, sinceram: quæ censura mitissima est. neque in præcipua narrationis capita necessario cadit, sed in eorum adjuncta quædam et episodia; qualia sunt ea, quæ in annotatis observabimus loco suo. Absit ergo, ut cum Tillemontio, not. 24 in Persecutionem Diocletiani, dicamus,* priorem *illam* partem nullo modo probabilem nobis videri: *hoc enim ejus argumenta non evincunt, quæ sunt, primo, quod eam Baronius non admodum approbaverit. Secundo, quod ibi S. Narcissus, qui convertit* Afram, *statuatur episcopus Gerundensis, et Gerundæ passus illo anno, qui cum sana chronologia conciliari non potest. Tertio, quod ibi deceptus dicatur a S. Narcisso dæmon, et missus ad occidendum in Alpibus draconem. Quarto denique, quod ipsi Augustani seculo* XI *Actis suis non videantur fuisse* D *contenti; ideoque rogasse Berengarium episcopum Gerundensem, num quid forte de* S. Afræ *gestis haberet amplius, quam esset apud se. Hæc objecta nemini, opinor, cordato gravia videri possunt; quando ne ipsum quidem Bailletum ita commoverunt, quin historiam conversionis Afranæ in Legendam suam ad* V *Augusti, exclusa tantum cum suis adjunctis apparitione diaboli, totam adoptaverit, præfatus, illam eatenus* absolutæ suppositionis non facilem esse convictu.

neutiquam assentimur.

17 *Respondeo igitur ad 1. Si Baronii criticen hic tanti facit adversarius; cur illa non acquiescit? Aliud profecto est, Passionem Conversione videri sinceriorem; aliud, Conversionem* nullo modo videri probabilem. *Ad 2. ita respondebimus infra, ubi de Narcisso agendum erit; ut nihil speremus reliquum fore difficultatis. Ad 3. Id adeo non miramur hac ætate displicuisse, saltem prout fuse in Actis narratur. Sed an ideo conspurcanda sunt cætera, quæ sincerissime, et sine ullis ambagibus istiusmodi referuntur? Non ita, ut jam vidimus, censuit vel Bailletus, cui tamen hic locus æque displicuit. Et quidni optimis* E *alioquin Actis inspergi possint ab imperitis fabulæ? At solertis est ab adscititiis genuina secernere; non hæc propter illa damnare; siquidem vel nativa simplicitate vel ornatu phalerisque nimis exquisite compositis internoscuntur haud ægre. Unde ne ipsam quidem dæmonis apparitionem ausim falsitatis arguere; tametsi quæ sigillatim in ejus descriptione referuntur, nequaquam omnia probem. Ad 4. facilis responsio est; cum admodum verisimile sit, occasione inventi aliquot annis antea corporis* S. Afræ, *multa de illa spargi cœpisse, de quibus nihil eatenus in veteri sua conversionis ejus historia legerant Augustani; qualia sunt, quæ in prologo Actorum suorum reperit et rejecit Velserus, quæque copiose tradit inter alios Sigismundus, scriptor seculi* XV, *in Chronico Augustano ecclesiastico part. 1, cap. 4, de Cypri rege,* S. Afræ *parente; de Zozimæ, Hilariæ fratris, cum sorore regina ac Nepte et regio thesauro fuga e Cypro Romam etc. Hæc igitur cum nescirent, quo fundamento niterentur, suspicari pronum erat, ex Actis S. Narcissi profluere, in quibus absque* F *dubio descripta esset ejus expeditio Augustana, et in hac forte luculentius conversio* S. Afræ, *quam eam ipsi hactenus habuissent. Gerundam ergo recurrisse censendi sunt, non quod de historiæ suæ fide dubitarent; sed quod iis diffiderent, quæ extra illam jactata nuper in vulgus, temere ab omnibus avideque reciperentur.*

Passionis historia sincera est antiquissima,

18 *Ad alteram Actorum partem, seu martyrii descriptionem, quod attinet, clarissimi Velseri sententiæ ultro ac libenter subscribimus: quanquam etenim ipsa non exhibeat Acta publica, ut a judicis actuario conscripta fuerant; ex his tamen sic est contracta; ut simplicissimo nitore et sinceritatem suam et ætatem per se facile tueatur. Itaque non dubitavit hanc Theodoricus Ruinartius inter Acta Martyrum sincera seligere, et ad codices complures Mss. exactam repræsentare, editionis novissimæ pag. 455. Extollit eam quoque Tillemontius modo citatus hoc elogio:* Quod spectat ad Passionem S. Afræ, nihil in ea de martyrio ipsius dicitur, quin probum sit admodum; imo *(verbis ejus utor)* et valde ædificans. *Mox tamen in illa (ut hominis ingenium est) quasi dicti pœniteret. difficultatem reperiri subdit;* quod *ibi meretrix statuatur* Afra; *cum eam Fortunatus virginem nuncuparit. At enim ut hoc Baronium, Velserum, aliosque morari potuerit Browe-*

ro

A *ro seniores; Tillemontium certe non debuit, postquam eumdem Browerum, in annotatis ad editionem Fortunati, profitentem audisset pag. 255, locum illum esse corruptum, et* omnium vetustiorum librorum fide pro eo, quod in vulgatis legebatur, VIRGINIS Afræ, legi MARTYRIS Afræ. *Sed quoniam hunc nodum satis ipse dissolvit, qui proposuit; ad alios veniamus, quibus idem paulo fidentius ibidem insistit, quique non adeo ad* Afræ, *quam ad ancillarum ejus et matris Hilariæ martyrium pertinent.*

etiam qua describit martyrium SS. Hilariæ et sociarum ejus;

19 Sed sunt, *inquit*, difficultates aliquæ in martyrio, Afranum secuto, matris scilicet et ancillarum ejus: neque enim satis novi, licitumne fuerit per disciplinam Romanam, ut judex affici juberet supplicio capitali homines nec auditos, nec interrogatos, imo ne citatos quidem. *Miratur vero, et P. Ruinartium, et D. Fleury ab admittenda istiusmodi narratione absterritos hoc argumento non fuisse. At nimium ipse morosus est, ne dicam ridiculus; qui illis præsertim temporibus tam religiosos in servanda Romanorum disciplina* B *judices exigat, idque adversus Christianos; quando ne adversus gentiles quidem summa in judiciis flagitia videbantur illicita: ut vide apud Lactantium de Mortibus persecutorum cap. 7: quando sub iisdem tyrannis ea fuit judicum licentia; ut idem cap. 16 exclamet:*

Non mihi si linguæ centum [sint,] oraque centum,
Ferrea vox; omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem,
Quæ judices per varias provincias justis atque innocentibus intulerunt. *Hi disciplinam curarint scilicet, qui jura omnia proculcabant; et impune patrari sciebant omnia, saltem in Christianos, de quibus, eodem Lactantio teste cap. 13, edicto imperatorio decretum erat, ut* adversus eos omnis actio caleret; ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. *Audi Arnobium, qui hoc ipso tempore scribebat, quid se nuper ethnicum fecisse profiteatur lib. 8 adversus gentes:* Nos tamen, cum sacrilegos aliquos, et C incestos, parricidas etiam, defendendos et tuendos suscipiebamus; hos *(Christianos de sua religione accusatos)* nec audiendos in totum putabamus: nonnunquam etiam miserentes eorum, crudelius sæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum; videlicet ne perirent, exercentes in his perversam quæstionem *etc. Æquitatis ergo tum publicæ reputabat esse, non audire Christianos et perdere: audire vero, ne perirent, privatæ misericordiæ.*

licet hoc idem Tillemontius arrodat.

20 *Sed enim an Hilariam et socias judex noster inauditas jussit interfici? Nequaquam; sed militibus aut eorum duci vices quodammodo suas delegans.* Ite, *inquit*, et tenete eas: et si consenserint ad sacrificandum, adducite eas ad me, ut remunerem eas... Si autem videritis, eas animo pertinaci obsistere, et nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, implete memoriam cremiis *etc. Audiri ergo eas non modo voluit, sed et omni ratione a sua confessione ad cultum deorum invitari prius, quam supplicium inferretur: ad illum fere modum, imo etiam aliquanto cunctantius, quam in eadem persecutione dicatur actum Nicomediæ cum multis Martyrum millibus in ecclesia collectis, quos cum Græcis celebrat Martyrologium Romanum die* XXV *Decembris; sed et multo (ut ita dicam) religiosius, quam ibidem ab ipso Diocletiano sit actum post excitatum incendium in palatio;* cujus cum nostros, *ait Eusebius lib. 8, cap. 6,* auctores fuisse publicus rumor falsa suspicione jactasset, imperiali jussu quotquot illic erant Dei cultores, acervatim cum suis familiis alii gladio, flammis alii consumpti periere *etc.: et quidem* sine ulla probatione; *ut asserit Lactantius cap. 15. Egregiam vero disciplinæ rationem! Sed quid his immoror? Age sane; reliquas in hoc Martyrio difficultates assignа.*

AUCTORE P. B.

et fide quidem non satis accurata.

21 Quod in eo deinde narratur *(Tillemontium audis ibidem)* de SS. Afro et Dionysio... omnino evincit, historiam hanc scriptam non fuisse tempore Constantini, ut vult Velserus. *Demiror enimvero scriptoris hujus indolem ac pruritum, id semper agentem, ut quævis arrodat. Quis, obsecro, unquam quod de Afro ac Dionysio traditur, ac Hilariæ ac sociarum ejus Martyrium retulit? Edidit hoc Boninus Mombritius; edidit Wicelius; edidit in prima impressione Surius; edidit ex compluribus Mss. Ruinartius: ubi, cedo, apud hos verbum istic unum est de SS. Afro vel Dionysio? Nihilo profecto magis, quam in ullis* E *Mss. nostris. At reperit in suo codice Velserus, et vulgavit. Esto. Num dixit, ad eamdem historiam pertinere, atque adeo ejusdem et auctoris et ætatis esse? Cur ergo illud a precedenti textu separavit? Cur in annotatione 76, pag. 498, ad verba, quibus Martyrium Hilariæ concluditur apud Wicelium, hæc disertissime professus est:* Neque mihi dubium est, veterem narrationem huc usque tantum pertingere: quæ sequuntur *(in codice quo utebatur)* de S. Afro et S. Dionysio, alius esse auctoris, alius ætatis? *Qua fide doctissimi viri judicium de auctore et ætate historiæ jam dictæ vellicari potuit ex laciniis, quas ipsemet pronuntiat nec ad illam historiam, nec ad scriptorem ejus ætatemve spectare? Sed nempe Velseri sententiam censor noster stabilire melius, quam sic impugnando, non potuit.*

Acta S. Afræ quæ, et unde hic danda sint;

22 *Nos Actorum* S. Afræ *partem utramque in duo capita divisam ex editione Velseriana dabimus; sed ita tamen, ut ab ea recessuri simus, quoties id exiget exemplarium veterum superius memoratorum tam inter se consentiens, quam ab* F *illa dissentiens fides. Quare, ne diversis lectionibus fastidiose onerentur annotata, monitum hic semel volumus lectorem, ne voculam quidem unicam temere, aut unius alteriusve codicis auctoritate, mutatam hic esse; sed plurium vetustiorumque concordia: ubi enim exemplaria nostra a se mutuo discrepabant, Velseriano constanter inhæsimus. Porro hæc variatio nostra sententiam plerumque non mutabit; sed phrasim: sicubi tamen fuerit notabilior, in loco observabitur. Nemo vero miretur, si prætermissa hic viderit, quæ de SS. Afro ac Dionysio dedisse Velserum jam notavimus; quandoquidem et ipse ea fassus est ab Actis* S. Afræ *aliena prorsus esse, et a nobis alibi nusquam inventa sunt. De martyrio SS. Hilariæ et sociarum ejus alia res est: quantumvis namque ad mensis hujus diem* XII, *istis Martyribus consecratum, proprie pertineat, quia tamen in omnibus exemplaribus (excepto Audomarensi nostro Ms.) Passionis Afranæ, textu non interrupto, legitur; imo quia sic ab eodem auctore compositum cum illa fuit, tanquam ejus pars et complementum, utpote* S. Afræ *sepulturam continens; nulla ratio sinit hoc ab illa divellere.*

rejectis aliis, quæ hic habemus.

23 *Habemus eadem Acta conversionis et martyrii* S. Afræ *metro elegiaco, sed rudi, satis fideliter*

AUCTORE P. B.

deliter expressa; et quidem anno 1489 descripta, ut adnotatur, ex vetustissimo quodam libello... in monasterio S. Benedicti Lorch, diœceseos Augustanæ, ac deinde servata in cœnobio SS. Udalrici et Afræ Augustano; unde apographum huc olim dedit sua manu exaratum Gamansius noster item alia carmine Sapphico contracta, et ab eodem huc missa ex codice Ms. D. Leonardi Wurstini, una cum brevi quodam Sermone et Hymnis de eadem Martyre, uti et Sequentiam de illa Notgeri, monachi S. Galli, compositoris Sequentiarum, ut habet inscriptio, non est tamen illa in ejusdem Libro Sequentarium, quem publici juris fecit Bernardus Pezius Thesauri anecdotorum novissimi tom. I. Acta eadem varie recitantur die VII Augusti in veteri Breviario Constantiensi, in hymnos, antiphonas, lectionesque digesta: verum hæc et plura hujusmodi cum recentiora sint exemplaribus, quibus usi sumus, nec vetustissimæ historiæ ponderis quidquam aut lucis afferant, B producere supervacaneum duximus, primævo fonte contenti; cui tamen utile fuerit quædam expendenda præmittere.

§ III. Distinctio ejus ab aliis homonymis; item genus, patria, conditio; conversio quando, et per quem facta.

Nomen Afræ Sanctis pluribus commune.

Velserus, ut supra monebamus, Acta S. Afræ copiosissimo juxta atque eruditissimo commentario explanavit, neque desiderari fere quidquam in eo passus est, quod vel curiosissimi cujusvis in hoc argumento scire interesset: sed quia sparsim id præstitit, nec certo ordine, sed prout ferebat Actorum textus; visum est præcipua disquisitionum ejus capita, una cum nostris, et aliorum observationibus, ad seriem compendiumque redacta proponere. Ut autem a nomine ducamus exordium, censet pag. 447, not. 4, illud ab Africa derivari; nec recte proinde a quibusdam illud efferri per Affram aut Aphram; sed C Afram scribi oportere. Rationes ejus non addo: satis est, Afram nuncupari a Fortunato et Martyrologis antiquissimis, etiam Germanis Rabano et Nothero: et vero nomen ita scriptum satis olim commune fuit: Afram enim nos ipsi dedimus Brixinensem XXIV Maii; Afram Speciensem XIV Junii; Afram Aretinam Martyrologium Epternacense X Augusti; Afram virginem Hieronymiana alia XVIII Decembris; Afram inter socias S. Ursulæ recensent Gelenius pag. 444, et Rayssius in Gazophylacio pag. 259; Afram denique aliam commemorat R. P. Khammus Hierarch. August. part. 1, pag. 177, num. 11, quam ait sepultam esse Papiæ in ecclesia S. Maroli: hæc nobis aliunde prorsus ignota est. Hoc tamen asserere possumus, nihil his omnibus cum nostra, præter nomen et sanctitatem, esse commune.

Nostra videtur Augustæ nata;

25 Cave tamen, inde oriundam existimes, unde nomen traxit: non enim Africana fuisse videtur origine; sed Cypria. Certe de Africa nihil est in Actis; de Cypro autem (quod observasse non videtur Henschenius noster, Februarii tom. III, pag. 632, num. 3) profitetur Afræ mater Hilaria num. 8: Parentes mei genere Cyprii fuerunt. Origine dixi, non patria: subdit etenim ibidem Hilaria: Et inde venerunt cum sacris Veneris. At quo venerunt? Ad locum sine dubio, D ubi hæc dicta sunt, Augustam scilicet. Quinam venerunt? Parentes, inquit, mei. De se nihil; nihil de conjuge; nedum de Filia. Innuit ergo, natam se fuisse post adventum eorum; adeoque apud Augustam; ubi exinde Afram adulta genuerit. Hæc fere Velseri collectio est pag. 460, not. 51; qua tamen Hilariam timidius Augustanam facit, quam Filiam ejus, de qua mox absque hæsitatione pronuntiat: Sed hanc Augustæ natam prorsus fateamur oportet. Hinc etiam ait apertissime refelli prologi, quem in exemplari suo præfixum Actis invenerat, ineptias; quibus nimirum (Khammo jam citato teste pag. 178) traditur, Afræ natale solum, Cyprum fuisse; patrem, Cypri regem, cum Atticæ rege congressum infeliciter, ac in prælio cecidisse: posthac Afram, cum regina Hilaria matre et universa cognatione, vel profugam, vel exulem Romam venisse; nec non, comparatis quibusdam prædiis, Hilariam, ad placandas deorum iras, Afram prostituisse et E Veneri dicasse: ipsam deinceps Afram, cœlesti oraculo ter monitam, divenditis, quæ Romæ emerat, prædiis, spe accipiendi regni terreni cujusdam, cœlesti vaticinio promissi, Roma rursus excessisse, atque ad Augustanam urbem, ubi Lyco amne Bavari a Suevis divisi, migrasse. Non absimilia, ut ibidem observatur, habent Adilbertus, aliique cum Sigismundo, de quo supra num. 17.

ex Cypro tamen oriunda; sed non stirpe regia;

26 Absurdiora sunt hæc de regia sive Afræ, sive parentum ejus conditione figmenta, quam ut solis ejus Actis repugnent: fac enim, reges ad ea usque tempora Cypri fuisse; fac Veneri quantumvis addictos; an filias illi suas credi poterunt ad meretricium quæstum scurrarum de vulgo quorumlibet libidini prostituisse? Sed enim quis Romana utcumque tinctus historia, nescit, ultimum Cypriorum regem Ptolemæum illum fuisse, qui annis antea trecentis et amplius, ne a Catone redigeretur in ordinem, interitu voluntario ignominiam antevertit? Stipites ergo fuisse necesse est, quicumque hæc primum deliria venditarunt; quæ Velserus quidem nata putat ex SS. Afræ atque Hilariæ imaginibus coronatis; quod credibile est; sed quoniam imagines illæ etiam Lusinianorum Cypri regum insignia præferre dicuntur, adeoque F ipsa fabula recentiores videri possunt: haud forte aberrabit, qui hanc ad seculum XI retulerit, cum inventa sunt Martyrum harum corpora, coronis, martyrii insignibus, ut est verisimile, decorata jam olim, quando publicæ venerationi (quod ex Fortunato licet conjicere) proposita fuerant. Verum unde unde profluxerit, nugatoria prorsus est. Quod vero hujus occasione ad longissimam Cinyræ, regis apud Cyprios tertii, posteritatem, sacris ibi Venereis usque ad historici Taciti tempora hereditario jure præsidentem, respicit Velserus, quasi ex ea prodiisse fortassis Afra potuerit; id quidem eruditius ipse facit, quam affirmatius: ut liqueat nihil. Unde sic prosequitur idem interpres:

mancipium Veneris potius, quam sacerdos,

27 Sed quidquid hujus sit; illud non dubiis conjecturis perspicuum est, Hilariam et Afram Veneris Cypriæ sacerdotes fuisse: nam peregrino ritu Venerem ab iis cultam significant Hilariæ verba, cum ait, parentes ex Cypro cum sacris Veneris venisse. Peculiaribus ergo sacerdotibus opus erat. Eæ quin ipsæmet fuerint, nihil attinet dubitare. Hilaria de Filia diserte explicat (num. 8.) Ego denique Filiam meam sacris Veneris consecravi, quasi deæ Veneri servituram. At nescio, an verbis hisce satis perspicue sacerdotium illud

Afræ

A Afræ, designetur : *neque enim omnes fuisse sacerdotes crediderim, quæ se Veneri addixissent, ut ejus sese imitationibus occuparent. Certe sese ac Filiam videtur a sacerdotibus Hilaria ipsa distinguere, cum ibidem ait :* Nam quanto plures amatores habere potuerit mulier, quæ Veneri servit, tanto plus Veneri placere posse, a sacerdotibus affirmatur; *quibus verbis innuit, non suo se, sed sacerdotum consilio promissisque paruisse. Adde, nullam in Actis fieri mentionem templi aut fani Veneris, ubi sacerdotium exercuerint. Sed parum refert, sacerdotes fuerint, an mancipia Veneris : æque utraque professio impura erat; imo sacerdotium multo sceleratius ; ut colligi potest tum ex interprete nostro pag. 462 et seqq., tum ex Tacito, Historiarum lib. 2, cap. 3.*

donec anno 303 ad Christum conversa fuit

28 *Volutabatur in hisce sordibus* Afra, *et quidem religionis obtentu excæcata misere; ut neque turpitudinem suam, neque reclamantem naturæ legem agnosceret; donec fugitivum recipiens Narcissum episcopum, atque, ad primum quodammodo aspectum ejus, animo divinitus mirifice collustrata,* B *longe aliter continuo, quam prius, de se suoque illo vivendi genere sentire cœpit ac loqui, veramque subinde religionem uberius edocta complecti. At quando tandem id accidit; tum quis Narcissus ille episcopus, qui operam ad hoc suam commodavit? Primum his verbis, num. 1, Acta definiunt :* Tempore, quo persecutio Diocletiani fervebat. *Fervere cœpit hæc, non anno 302, ut ante vulgatum Lactantii librum de Mortibus persecutorum eruditi censuerunt ; sed, ut ex illo jam certius constat, anno Christi 303, quando primum persecutionis edictum prodiit die* XXIV *Februarii, quod alia multo crudeliora non longo intervallo secuta sunt : ferbuit autem atrocissime per omnes Italiæ provincias, ad quas pertinebat utraque Rœtia, usque ad annum 305, quo ad Kalendas Maias Diocletianus, et qui Italiam regebat Maximianus Herculius, imperio sese ac tyrannide abdicarunt. Venisse ergo dicendus est ad* Afram *Narcissus, eamque ad Christum cum familia convertisse provecto jam anno Christi 303 : nam, secundum Acta num 14, non dis-* C *cessit ab* Afra, *nisi post exactos ibi menses, ut minimum, novem : discessit autem ante* Afræ *martyrium, quod cum fuerit durissimum, et mense Augusto peractum, referri non potest ad annum 305, quo diu ante Augustum mitigata fuerat persecutio; sed ad 304; a cujus mense Augusto si novem, et quod excurrit, menses retro numeraveris, ad annum necessario 303 devenies.*

a S. Narcisso episcopo,

29 *De Narcisso jam scripsimus Martii tom. II a pag. 621, eumdem omnino videri, qui apud Gerundenses in Hispania, ubi fidem, quam prædicabat, glorioso sanguine rigavit, summa veneratione tanquam civitatis et pater, et pontifex, et martyr, et thaumaturgus colitur. Neque dictum mutamus : sic enim Acta nostra tradunt num. 14; sic sub finem seculi* IX *Notkerus ad* VII *Augusti; sic Acta qualiacumque ipsius S. Narcissi; sic iisdem subnexa epistola Berengarii episcopi Gerundensis, data (ut ibi notatur)* anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVII *; at (juxta Chronicam antiquam Augustensem a Frehero editam p. 349) anno* MLXVI, *sic denique ecclesiarum Gerundensis et Augustanæ sensus ac traditio ; quibus omnibus nihil idoneæ vel auctoritatis vel rationis opponunt, qui diversum hic ab illo Narcissum episcopum commenti sunt. Et de auctoritate quidem id fatetur Tillemontius nota 25 in Persecutionem Diocletiani; non assentitur tamen assertioni nostræ ; primum, quia nequaquam verisimile censet esse, sive episcopum Gerundensem ad convertendos infideles Augustam excurrisse; sive episcopum Augustanum (qualem facit Baronius) martyrium subiisse Gerundæ. Deinde, quia Narcissus episcopus, juxta Actorum nostrorum numerum 14, Gerundæ martyrium confecisse dici non potest ante finem circiter anni 306 ;* ac proinde, *inquit,* sub imperio Constantini, qui a martyribus faciendis alienissimus erat : *atque hoc quidem est argumentum ejus palmare.*

AUCTORE P. B.

illo, qui postea Gerundæ martyr occubuit ;

30 *Ad primum respondemus, neque Acta S.* Afræ, *neque nos affirmare, unde Augustam venerit S. Narcissus, aut cujus loci episcopus fuerit, cum eo venit ; sed inde tamen abiisse Gerundam dicimus, ibique labores apostolicos martyrio consummasse. Cur vero id fieri non potuerit, non videmus ; cum nihil in apostolicorum virorum Actis occurrat frequentius, quam ista locorum gentiumque (prout vel tempora suadebant, vel spes messis uberioris, vel missio, vel inspiratio divina) mutatio. Itaque hæc objectio, refutatione digna non est. Secunda nihilo apparet solidior : quia* E *ipse Tillemontius in Persecutione Diocletiani art. 21 fateri cogitur, post edicta Diocletiani usque ad ejus et Herculii abdicationem, factam Kalendis Maiis anni 305, multos in Hispania pertulisse martyrium ; imo violentam ibi persecutionem fuisse : atqui tum Hispania, ut ipse contendit, erat sub imperio Constantii Chlori, qui tam a martyribus faciendis alienus fuit ; ut Lactantius lib. de Mort. persecut. cap. 15, palam hoc ei testimonium dederit :* Constantius, ne dissentire a majorum *(Diocletiani et Maximiani)* præceptis videretur ; conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est : verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. *Cur ergo sub hoc tot Martyres Hispanos admittit ; sub Constantino vix inaugurato nullum ? Reponit ipse quidem de Constantio id fieri potuisse,* sive quia remotior fuerit a Constantio Hispania, et propinquior Maximiano Herculio, qui tenebat Italiam ; sive aliis de causis nobis ignotis. *At enim idem sub finem anni 306 de Constantino dicendum est; quando æque tum ab* F *illo remota fuit Hispania, ac fuerat prius a Constantio ; et æque propinqua Severo, vel, si placet, Maxentio, qui tenebant Italiam ; ac prius Herculio.*

quidquid aliter sentiat Tillemontius,

31 *Quanto igitur melius dixisset, multos per illa tempora fuisse Martyres in Hispania ; quod hæc tum neque Constantio, neque Constantino paruerit ; sed Maximiano Herculio primum, ac deinde Severo, atque Maxentio ? Cedo enim, cujus auctoritate Constantio, et post hujus obitum Constantino adjudicatur Hispania ? Nimirum Sexti Aurelii Victoris, opinor, et Eutropii ; quorum prior de prima imperii Romani partitione diu ante persecutionem facta, in libello de Cæsaribus ita scribit :* Et quoniam bellorum moles ...acrius urgebat; quasi partito imperio, cuncta, quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa : Africa Italiaque Herculio : Illyricique ora usque ad Ponti fretum, Galerio : cætera Valerius *(Diocletianus)* retentavit. *Posterior in Breviario Historiæ Rom. lib. 10, de secunda partitione anni 305 sic habet :* Constantius et Galerius Augusti creati sunt ; divisusque inter eos Romanus orbis ; ut Galliam, Italiam, Africam Constantius ; Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret ; sumptis duobus Cæsaribus : Constantius

AUCTORE P. B.

stantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ sollicitudinem recusavit. *Vides, in neutra partitione Hispaniam exprimi, quasi Constantio cesserit. At satis, ut cum Dodwello heteredoxo Tillemontius existimat, his verbis exprimitur :* Cuncta, quæ trans Alpes Galliæ sunt. *Verum ego transalpinis regionibus adnumeratam uspiam apud geographos Hispaniam non memini legere. Quid multa? Tametsi Victor Hispaniam nominasset diserteque tribuisset Constantio; ne sic audiendus quidem esset :*

Acta hinc nostra carpens,

32 *Junior enim est, et auctoritate multo inferior Lactantio, qui in opere jam toties laudato, cap. 8, cum dixisset, minus avarum Diocletiano Herculium fuisse, causam hanc addidit :* Nam cum ipsam imperii sedem teneret Italiam; subjacerentque opulentissimæ provinciæ vel Africa vel Hispania; non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. *Nescio, qui in obscuro illo Victoris textu tam acutum cernunt, quas hic sibi tenebras fingant.* Opulentissimas, *inquiunt,* provincias *præter Italiam assignat Herculio; et tamen unicam tantummodo subdit,* vel Africam *scilicet,* vel Hispaniam; *non duas : sic enim scribere debuisset :* et Africam et Hispaniam. *O sapientiam iis dignam, qui exosam habent Martyrum infinitorum prope memoriam, tanta celebritate tot jam seculis in Ecclesia Catholica celebratam! Nempe si Hispaniam Herculio concedant, jam cum Dodwello negare non poterunt, plurimos ibi per hæc tempora Martyres occubuisse; quod quia negare omnino volunt, Constantium contra tam apertam Lactantii sententiam Hispanis obstinate præficiunt. Sed heus, Grammatici; nunquam disjunctivam, ut appellatis, particulam* vel *copulative pro* et *usurpatam legistis? nam si non legistis, corruptum fatebimur textum, quem citavimus ; at si legistis uspiam, nihil erit adversariis nostris, quo Lactantii, Hispaniam simul et Africam Herculio tribuentis, auctoritatem defugiant. Et legistis haud dubie, etiam apud Virgilium hoc sensu adhibitam Æneid. lib. 6, vers. 769 :* Æneas pariter pietate vel armis egregius; *apud Suetonium de Tito imp. :* Latinæ Græcæque linguæ vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus *etc. : apud S. Hieronymum in versione libri I Regum cap. 17 vers. 34 :* Et veniebat leo vel ursus : *apud S. Ambrosium, epist. lib. 3, ep. 21 ad Anysium :* Tenemus ergo te sanctæ memoriæ Acholii dudum discipulum, nunc successorem, heredemque ejus vel honoris vel gratiæ; *et (ut mittam politioris litteraturæ juniores alios, quibus eadem particula eodem sensu familiaris fuit) apud Sidonium Apollinarem lib. 1 epist. 5 :* Sed tota illa vel vicina vel obvia fluenta *etc. : epist. 8 :* De cujus natalis tibi soli vel jocunditate vel commodo quid etiam ipse sentires, *etc. : epist. 10 ejusdem libri :* Gratias ago magnas illi, maximas tibi, quod statuistis de amicitia mea vel præsumere tuta vel illæsa credere. *Tædet enimvero exempla plura congere in re tam perspicua.*

B

C

sed perperam;

33 *Hunc Lactantii sensum insigniter confirmat magnus ille Cordubensium antistes Hosius, cum de tormentis fidei causa olim in Hispania toleratis ita scribit ad Constantinum imp. apud S. Athanasium in Historia Arianorum ad monachos, editionis novissimæ num. 44 :* Ego jam pridem confessus sum, cum sub avo tuo Maximiano *(Herculio; qui avus dicitur Constantini, quia sub eo Chlorus Cæsar fuerat)* persecutio grassaretur; utique in Hispania; *cui proinde non Constantius, sed Herculius tum præerat. Itaque citatum Lactantii locum in eamdem ante nos sententiam interpretati sunt Baluzius in Notis pag. 365, Pagius in Critica ad an. 303, num. 12, aliique; et recte, ipso etiam fatente ac Dodwellum carpente Basnagio Calviniano in Annalibus politico-ecclesiasticis ad an. 303, num 21. Imo ipse alibi sese denuo Lactantius explicat : negat enim Constantium sæviisse : negat ergo huic Hispaniam fuisse subjectam, cum ita scribit cap. 16 :* Vexabatur ergo universa terra; et, præter Gallias, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. Non mihi si linguæ centum *etc. : solas enim tam ferali tyrannide Gallias eximens, Constantio solas attribuit.*

D

34 *Jam si satis constat, in prima Romani imperii distributione Hispaniam non cessisse Constantio, sed Herculio; nulla profecto apparet ratio, cur hanc illi cessisse putemus in secunda : asserit enim Anonymus, Ammiano subnexus apud Valesium, illam tunc datam fuisse Severo Cæsari : verba ejus hæc sunt pag. 472 :* Severus suscepit Italiam, et quidquid Herculius obtinebat : *hic autem, ut jam ostendimus, præter Italiam, etiam Hispaniam obtinebat et Africam. Nec repugnat Eutropius modo productus; quin favet potius : quantumvis etenim de Hispania taceat; satis tamen aperte significat, nihil tum Constantio novæ ditionis accessisse, cum ipsum ait fuisse* contentum dignitate Augusti *eodem sibi tempore collata. Nec Hispaniam igitur unquam Constantius habuit, neque eam proinde anno 306 mense Julio mortuus, Constantino regendam per manus tradidit; sed Severi fuit, donec is Maxentio succubuit versus Aprilem anni 307; neque Constantino videtur obvenisse, nisi per Maxentii interitum anno Christi 312. Unde sequitur, ut ab anno 305 usque ad initium circiter 307, quando Maxentius, Eusebio teste lib. 8, cap. 14,* subditis suis præcepit, ut a persecutione Christianorum desisterent, *idem fuerit status persecutionis in Hispaniis, qui fuit in Italia; hoc est, ut mitior aliquanto quidem illa fuerit; sive quod novitati suæ non satis fideret Severus, sive quod Constantii mansuetudini auctoritatique deferre aliquid vellet; non tamen omnino sublata; ne nihil Galerii, cui idem Severus omnia debebat, sanguinariæ crudelitati concedi videretur : quo sensu, ne secum ipse committatur; explicandus est Eusebius, cum asserit lib. de Martyribus Palæstinæ cap. 13, Italiam, Hispaniam, Africam, etc., cum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli expertæ fuissent, pacem brevi consecutas esse : nam si omnino pacem tam brevi fuissent consecutæ, quorsum anno demum persecutionis quinto circiter Maxentius (ut idem ante affirmabat)* subditis suis præcepisset, ut a persecutione Christianorum desisterent?

ut patet

E

F

ex hac ejus confutatione.

35 *Edisserat igitur modo Tillemontius, cur adulto anno Christi 306 Narcissus Gerundæ non potuerit consummare martyrium; præsertim cum gladio cecidisse dicatur, non igne lento aut iis cruciatibus, quibus ferventior antea persecutio fuerat usa. Cæterum hæc eo deducere longiuscule voluimus, ut cuivis appareret, quam levibus argumentis nixum sit imperium illud Constantii et Constantini per Hispaniam, quo pessime abutuntur hæretici, ut martyria vera et apud Catholicos sanctissime celebrata, more suo ad fabellas relegent : nam, ut Tillemontio fieret satis, nequaquam opus erat hoc tanto circuitu; quandoquidem interfectus fidei causa creditur S. Narcissus,*

A *non more judiciali et per sententiam publicam; sed clam et per insidias; id quod ipsa ejus Acta, quantumvis alioqui recentia et in quibusdam forte adjunctis parum sincera, his verbis minime suspectis indicant:* Quadam itaque die, dum ad celebrandum sacra Mysteria præparatus, orationi incumberet B. Narcissus; infideles, qui ei jam pridem insidiabantur, subito irruentes in ecclesiam, de sacro altari abstractum, et injuriis affectum, gladio percusserunt, et lentis vulneribus cruentatum reliquerunt. *Imo necem ei non lictoris manu, sed incertis ethnicorum ictibus impetuque tumultuoso illatam fuisse, relicta multis postea seculis in incorrupto ejus corpore vulnera luculente testata sunt: aliud enim gutturi, aliud humero, aliud suræ spectabatur inflictum; ut vide Martii nostri Tom. II, pag, 624, num. 3. Atqui hoc genus martyrii quovis tempore potuit accidere; etiam post rescissa persecutionis edicta, etiam sub Constantio, etiam sub Constantino, et quidem jam, si placet Christiano. Non est ergo, quod ex hoc loco Tillemontius et Acta* S. Afræ,
B *et veterem illustrium ecclesiarum traditionem impugnet.*

§ IV. Tempus martyrii, et locus.

Annus, mensis, dies,

Annus *ac mensis, quibus* Afræ *certamen acciderit; tametsi in Actis prætermissi; satis tamen certi videntur: et de mense quidem Augusto cum usus ac traditio perpetua Augustensis ecclesiæ, tum Martyrologia, ut observatum est supra, fere omnia consentiunt, etiam paucula illa, quæ natalem ejus postea denuo reponunt die* IX *Octobris. Ex mense vero jam num. 28 deductum dedimus annum. Christi 304: nam si mense Augusto passa est; nec ante, nec post annum illum passa dici potest: non ante; quia ab indicta persecutione usque ad Augustum, aut etiam, si vis, Octobrem anni 303 non inveniuntur menses novem et amplius, qui secundum Acta nostra intercessisse debent inter adventum S. Narcissi*
C *et* S. Afræ *martyrium: non etiam post; quia cum anno Christi 305 ad Kalendas Maias per abdicationem Herculii mitigata plurimum in Occidente persecutio fuerit, credibile non est, quarto posterius mense et* Afram *et socias atrocissimo illo, quod Acta referunt, supplicii genere potuisse mulctari. Dies martyrii in ambiguo est, fueritne quintus Augusti mensis, an septimus; nam alterutrum fuisse, probant illa, quæ prolata sunt* § I.

et locus martyrii apud Augustam Vindelicorum,

37 *De loco martyrii* S. Afræ *siquando disputari potuit, jam non potest; cum historia passionis ejus, ad tot codices antiquos per Velserum, per Ruinartium, per nos explorata, atque eruditissimorum in hujuscemodi monumentis criticorum judicio vetustissima simul ac sincerissima, illum tam evidenter designet num. 15:* Apud provinciam Rætiam, in civitate Augusta...... contigit Afram... a persecutoribus comprehendi. *Et num. 19:* Statim igitur rapta est a ministris, et ducta in insulam Lyci fluminis, ibique *etc. Sufficeret sane hæc auctoritas, tametsi non posset aliunde firmari. Confirmatur tamen cum ex antiquissima possessione corporis ejus apud Augustanos, cujus testem superius oculatum produximus Venantium Fortunatum, qui seculo* VI *floruit; tum ex Martyrologorum omnium, qui* Afram *hoc mense cum appositione provinciæ et civitatis annuntiant. Hoc mense, inquam: nam supra num. 5 ostendimus, in Martyrologio Hieronymiano et Florario nostro Ms.* Afram *etiam referri die* IX *Octobris cum positione;* In provincia Creta, civitate Augusta: *sed ibidem etiam rationes adjecimus; cur locus ille corruptus videri debeat. Si tamen sincerus esset; ex eo tantum sequeretur, Afras duas admittendas esse; alteram longe celeberrimam apud omnes, et Augusto mense secundum eadem illa Martyrologia passam* In provincia Rætia, civitate Augusta; *alteram vix ullis notam, et mense Octobri passam* In provincia Creta, civitate Augusta.

AUCTORE P. B.

non in Creta insula;

38 *Vide ergo impudentiam Achillis Pirminii Gassari Lindaviensis, medici Lutherani, apud Menckenium, Scriptorum Germaniæ tom. I, col. 1396; ubi in Annalibus suis Augsburgensibus, anno 1576 compositis, occasione inventi apud Benedictinos Augustanos corporis* S. Afræ, *ita scribit ad annum 1062:* Ipsa vero rei veritas hoc loco maximopere testimonium flagitat, ac non obticendum urget, nullam Afram vel Augustæ Vin-
E delicorum, vel apud Augustana cis Lechum castra, nunquam * fuisse exustam; verum Afram illam Cretensem, quam vulgo ut sanctam martyrem hic venerantur, posteaquam a Narcisso, Hierosolymorum episcopo, in patria insula, una cum matre Hilaria ancillisque seu sororculis Dimna, Eunomia, et Eutropia, e Veneris quæstu ad fidem Christianam conversa, idolis sacrificare amplius voluisset *, apud civitatem Augustam juxta Letheum amnem (quæ nomina, propter allusionem cum nostris vulgaribus, Cucullatis vehementer imposuerunt) circiter annum salutis CCCIV, Nonis Augusti, ignem vivam passam esse. Id quod saniores historici omnes certissime, præsertim exteri quoque, attestantur. Nec sufficit argumentum a vetustate cultus aut fani ipsius, apud nos; cum et Maria Deipara Virgo, Maria Magdalena, Catharina et Ursula hic sua habeant templa et festa; quarum tamen nulla hic vel vixerit, vel mortua sit. *Dubites enimvero, an satis medice potus hæc scripserit.*

* *lege* unquam

* *lege* noluisset

ut errat,

39 *Errat etenim 1, cum* Afram *Ræticam per Creticam Afram excludit; quasi simul duæ consistere non possent. 2, cum alteram volens expun-*
F *gere, non potius Cretensem expungit, pro qua nihil affertur auctoritatis idoneæ; quam Ræticam, et Actis fidelibus, et ecclesiarum ætatumque fere omnium testimoniis ac monumentis assertam. 3, cum ait, aut innuit certe, in Actis ejus sinceris legi, non* Lechum *seu Lycum fluvium, sed* Letheum; *quod est contra codicum omnium fidem. 4, cum ad amnem Letheum in Creta civitatem Augustam collocat, quam nec ibi, nec per totam insulam illam Geographorum quisquam hactenus reperit. Sed hæc minus absurda sunt, quam quod errat 5, cum* Afram *a Veneris quæstu conversam asserit fuisse ad fidem Christianam in patria insula a Narcisso, Hierosolymorum episcopo; ignem autem vivam esse passam* circiter annum salutis CCCIV. *Narcissus enim ille (ut constat ex Eusebio) anno Christi 212 tam decrepitus erat ætate; ut, quia munere suo fungi amplius præ debilitate non poterat, adjutorem in episcopatu divinitus destinatum acceperit S. Alexandrum. Si ergo is Cretam unquam viderit, dudum id antea contigisse necesse est, puta circa initium seculi tertii vel secundi finem. Si vero tunc* Afram *ibi Veneris quæstu victitantem invenerit, utique jam tum gradiusculam invenisse dicendus est; atque adeo* cir-

AUCTORE P. B.

circiter annum salutis CCCIV *vetula erat centenaria non paulo major; et tamen (ut patet ex Actis martyrii) etiam tunc poterat amatoribus magno pretio expetenda videri. O medicum expertissimum! Quam belle de te ipse canis sub effigie tua gravissima Annalibus præfixa, post col. 1315 :*

Debueram Chiron dici, qui dicor Achilles,
Vix Chirone minor qui medica arte fui.

non sine mendacio,

40 *Errat idem 6, imo mentitur splendide, cum subdit :* Id quod saniores historici omnes certissime, præsertim exteri quoque, attestantur. *Saniores historici omnes? Parum igitur sanus Hermannus Contractus in Chronico post annum Christi 300? Parum tibi sani (non dicam Rhegino, aliique plures, quos tu facile pro tua humanitate et obvia passim insania, et cucullatos et insanos appellare possis) parum, inquam, tibi sani videntur Joannes Aventinus, Annalium Boiorum lib. 2 in Constantino et Beatus Rhenanus, Rerum Germanicarum lib. 2, pag. 89 in editione Basileensi anni 1551? Atqui hi omnes absque ambagibus* Afram *in Rætia martyrem faciunt; de Cretica*
B *vero ne meminerunt quidem. Ubi ergo saniores isti tui historici omnes? Saltem unicum citasses : magnam inisses gratiam a Martino Crusio, gregali tuo, qui Annalium Suevicorum part. 1, lib. 5, cap. 9, de uno ex paradoxis, hic a te tam confidenter assertis, exclamat :* Quid est hoc?... Conciliet, si quis conciliare potest.

Gassarus,

41 *Scio, de sola S. Afra Cretensi mentionem fieri a Petro de Natalibus in Catalogo lib. 7, cap. 28, et 54; scio illum civitatem Augustam in Creta locare circa Letheum flumen; ibique* Afram *dicere a Narcisso Hierosolymitano episcopo conversam. Sed hunc tu si ex animo sentiebas inter saniores historicos numerandum, cur appellare ausus non es? Nimirum delusum videbas virum optimum non optimo codice : citat enim pro se lib. 7, cap. 55 (ubi narrationi huic suæ finem imponit) Adonem his verbis :* Hæc Ado ex Martyrologio Hieronymi : *cum in veris Adonis exemplaribus neque Mosander neque Rosweydus ejusmodi quidquam invenerint. Vel sic tamen hoc te sanior hic fuit, quod non addiderit vel persecutionem, vel annum ejus martyrii; quem tu in*
C *eodem systemate tam stulte determinas. Non est ergo etiam hic omnino tuus. Multo minus tui sunt (quanquam alioqui maxime tui) Centuriatores Magdeburgenses; qui seculo quidem quarto passam in Creta statuunt* S. Afram; *sed nec de Letheo flumine, neque de Narcisso Hierosolymitano somniant; imo episcopum illum faciunt ejusdem insulæ Augustanum; hoc est imaginariæ civitatis antistitem imaginarium; inepte, fateor; sed minus tamen insane, quam tu. Vincentius Bellovacensis, secundum editionem accuratissimam anni 1612, ubique Retiam habet; nullibi Cretam. S. Antoninus, Vincentium citans, part. 1, tit. 8, cap. 1, § 18 Rætiam quoque retinuit; semel ibi tamen Creta legitur; sed errore manifesto; ut patet ex verbis ibidem sequentibus :* Statimque rapta a ministris, ducta est ad insulam fluvii, qui dicitur Lech. *Dic ergo, impudens, quis e sanioribus ante te historicis tecum senserit : ego nullum invenio; tu* omnes *debes ostendere, ut* fidem *illam* summam, *qua tua te collegisse testatur clarissimus tuus editor, tuearis; hoc præsertim loco, ubi te tam pathetice præfaris testimonium veritatis afferre.*

42 *Verum enim quid saniores hic historicos testes exigimus; cum sani esse non possint, qui vetustis tot ecclesiarum traditionibus tabulisque refragantur; nisi simul iis omnibus ostendantur* D
esse vetustiores, aut certe vetustiores pro se testes afferre? Hoc autem nemo faciet unquam, donec ipsum produxerit autographum illud Martyrii S. Afræ, *quod seculo quarto conscriptum diximus, et istud quidem demonstraverit primum, re vera autographum esse; deinde, idem istud in hac re antigraphis manuscriptis, quæ plurima supersunt, omnibus repugnare. Id si præstitisset novus iste Chiron, hoc est, monstrum centauricum, tum dicere testimonium potuisset. Sed multum abfuit, ut hoc is faceret, qui in hoc ipso argumento insigniter prodidit, quam vel patriarum antiquitatum esset ignarus : nam si Fortunatum, non de cultu solum aut ecclesia* S. Afræ *apud Vindelicos, verum etiam de sacris ejus ossibus, maximo ibidem olim in honore habitis, testantem legisset; non ausus fuisset, opinor, hoc se scuto defendere :* Nec sufficit argumentum a vetustate cultus, aut fani ipsius apud nos; cum et Maria Deipara Virgo *etc. Tum si Rætiarum suarum, sub Diocletiano statum novisset col. 1336, non illis Constantium Chlorum tunc præfecisset* E
utique, ut principem erga Christianos mitissimum, cum passa creditur Afra; *sed Maximianum Herculium, ad cujus immanem tyrannidem Italia pertinebat : ad Italiam enim, non ad Germaniam Galliamve, utræque tum Rætiæ spectaverunt; uti docent præter alios Aventinus lib. 2 in Constantino, Velserus Rerum Augusto-Vindelic. lib. 7 ad annum 304, Panvinius in Imperio Romano Parisinæ editionis anni 1588, pag. 238, item pag. 247 et alibi.*

annalista Lutheranus.

Loco religionem servat ecclesia,

43 *Porro veterem Rætiæ secundæ delineationem dat idem Velserus ad paginam 196, eamdem circumscribens ad Occidentem lacu Brigantino, ad Septentrionem Danubio, ad Orientem Œno flumine, Alpibus ad Meridiem; et insulam simul exprimens Lyci fluvii, reorum olim suppliciis destinatam. Hæc subinde ultra Lycum in continentem versa, Campus modo Lycius (vulgo Lechfeld) appellatur. Distat Augusta versus Orientem, ut indicant Acta nostra,* secundo milliario; *quod nescio an satis recte Khammus part. 1, pag. 61, num. 17, interpretetur per* sesqui- F
horam : *milliarium enim hic more Italico accipiendum esse pro mille passibus tantum, volunt Velserus pag. 496, nota 64, et Pistorius in Sigismundi Augustano Chronico ecclesiastico part. 1, cap. 7 ad marginem.* Loco illi religionem hactenus servavit condita postmodum ecclesia, quæ ad nostra usque tempora stetit, *inquit Stengelius Rerum Augustan. part. 1, cap. 15;* sed modo persecutione Suecica a Cæsari rebellibus Gustavanis.. hæreticis misere exusta est post mille, trecentos et triginta annos; etiam palo sive stipite, cui sancta Martyr alligata fuerat, et qui lapideæ columnæ inclusus erat, deperdito. *Errat amplissimi viri chronologia : cum enim excidium hujus ecclesiæ tam ipsemet part. 2, cap. 73, num. 28, quam Corbinianus Khammus part. 1, pag. 421, num. 142, affigant anno Christi 1632; sequitur, ut eam conditam fuisse credat anno Christi 302, sive biennio ante martyrium* S. Afræ; *quod repugnat his ejusdem verbis modo recitatis :* Loco illi religionem hactenus servavit condita postmodum *(hoc est post martyrium Sanctæ, et Ecclesiæ pacem)* ecclesia.

a Suecis diruta; sed hoc seculo

44 *Surrexit e ruinis ea tandem augustius hoc seculo, ut narrat Khammus part. 3, pag. 107, num. 676; ubi sic habet :* Anno MDCCI templum S. Afræ in Campo Lycio e fundamentis cum binis

A nis turribus ædificatum, usque ad tectum perduxit *(Wilibaldus tunc abbas Udalricianus :)* attamen cum, Marte funesto in nostram patriam irrumpente, sub luctuosissimis Bellonæ motibus aliquatenus fuisset destructum et rapacibus deprædantium manibus direptum; id, sopitis belli facibus, reædificans, et quatuor altaribus instruens, altaria columnis gypsatis, marmor imitantibus, picturisque artificiosis decoravit. Insuper præcellentem statuam S. Afræ ligneam, humani corporis magnitudinem excedentem, a famosissimo Bendel singulari industria cum ignibus suppositis sculptam, in principe altari posuit : in duabus turribus adjectis duas campanas, jam ante armorum tumultus a se consecratas, et pendentes, sed mature securitatis causa amotas, iterum suspendit ; totumque ædificium sumptuosum anno MDCCXI una cum aris feliciter complevit. In prima chori ara superiore repræsentatur S. Afra, ceu ovis perdita, et inventa : in secunda chori ara inferiore, tanquam principe, repræsentatur B S. Afra, martyrium passa : in ara a latere ex cornu Evangelii exhibetur S. Afra, ad fidem orthodoxam conversa et baptizata : in quarta ara ex cornu Epistolæ exhibetur S. Afra glorificata.

magnificentius instaurata,

45 Anno MDCCXII *(pergit idem)* die XVII Maii, feria III Pentecostes, a reverendissimo D. D. Joanne Casimiro Rols, episcopo Amyclano et suffraganeo Augustano, juxta templum S. Afræ dedicatum, chori ara prima superior consecrata est in honorem Christi Salvatoris, ovem perditam invenientis : secunda chori ara inferior, et præcipua, in honorem S. Afræ, martyrium patientis : tertia ara in honorem SS. Narcissi et Dionysii Afræ avunculi, episcoporum martyrum ; præcipue S. Narcissi, Afram ad fidem convertentis : quarta ara in honorem S. Hilariæ, matris S. Afræ, et ejus sociarum Martyrum, S. Afram glorificatam venerantium. In primam aram Christi Salvatoris, inclusæ sunt reliquiæ SS. Pastoris et Felicis martyrum (ex cœmeterio S. Calepodii) ac S. Donati M. (ex cœmeterio S. Cyriacæ M.) Roma transmissæ, cum aliis reliquiis ex societate S. Afræ, protomartyris Augustanæ: in secundam aram S. Afræ, inclusæ sunt reliquiæ C de SS. Digna, Eunomia, et Eutropia, ancillis S. Afræ; de hujus stipite, cui alligata ; et de Sanctis ex ejus societate; quibus additæ sacræ reliquiæ de memoratis SS. MM. Donato, Pastore, et Felice : in tertiam aram SS. Narcissi et Dionysii, inclusæ sunt sacræ reliquiæ de ossibus S. Dionysii, et S. Narcissi vestimentis cum aliis sacris reliquiis ex societate S. Afræ ; quibus additæ reliquiæ de Donato, Pastore, et Felice. *Hæc visum est paulo fusius exscribere ; ut quivis intelligat, quanto etiam nunc in pretio sit apud suos Martyris nostræ palæstra.*

§ V. Integritas prodigiosa corporis ejus ; locus primæ sepulturæ.

Sanctæ corpus illæsum ab igne,

Modum; *quo Martyrio suo Herois nostra finem imposuit, sic referunt Acta, ut certo quidem asserant, eam in mediis flammis emisisse spiritum; verum non satis exprimant, ambustone, an illæso corpore exspiraverit : neque enim id extra omne dubium ponunt num. 20 hæc verba :* Invenerunt sanctæ Afræ integrum corpus; *cum* integrum *dici possit, cui partium nulla deest, tametsi vel plures earum vel omnes offensæ sint. Læsum tamen illud igne non fuisse, affirmant Velserus pag. 492, not. 56, multa in hanc rem congerens exempla similia, et Stengelius part. 1, cap. 16 et sequenti; imo in Officio ejus per diœcesim Augustanam proprio, ad diem* VII *Augusti, quotannis legitur :* Ejus corpus ab ignis incendio nihil læsum; miraculisque clarum, Augustæ in æde S. Udalrici requiescit. *Gravis hæc sane auctoritas; non tamen certa; primum, quia corpus illud neque Velserus, neque Stengelius videre potuerunt, utpote sarcophago marmoreo, qui a seculo* XI *ad hoc usque tempus (ut Khammus ait part.* I, *pag. 177, num. 11) apertus nunquam fuit, occlusum; deinde, quia non apparet, textum ex Officio recitatum, aut alium æque clarum, valde antiquum esse, aut ab omnibus etiam Augustanis receptum. Videtur ergo id arreptum ex traditione; sed non satis constanti : nam adustum corpus fuisse, tradit Chronica Augustensis antiqua apud Freherum ad annum 1064; E adustum quoque, integrum tamen, Sigismundus, apud Pistorium, part.* I, *cap. 7, pag. 596 et cap. 11, pag. 601, et in appendice Chronici sui, pag. 612; atque hunc paucis abhinc annis secutus est Khammus loco mox assignato, num. 7: qui tamen part. 3, pag. 2 scribit,* Afram *fumo suffocatam fuisse,* corpore incorrupte conservato. *Conciliari potest utraque sententia; si per adustionem dicamus auctores illos aliud nihil intellectum voluisse, quam fumi nigredinem corpus obfuscantem.*

sepultum fuit nocte proxima martyrio ;

47 *At quando sepultum fuit pignus illud, maternæ pietati ac solatio tam insigni prodigio relictum? Sine dubio eadem die, qua mater* Afræ *cum ancillis evolavit in cœlum : id enim Acta testantur num. 21. At hoc ipsum quando contigit? Si eadem Acta perpendas, omnino id accidisse dices postridie, quam passa est* Afra : *nemo namque impediebat, quia jam discesserant milites ; rem urgebant ancillæ, puerum ad Hilariam tam propere destinantes, ut is ne exspectandam quidem sibi cymbam crederet; sed Lycum natatu trajecerit, ita celerius evolaturus ad matrem, ubique ad exsequias maturandas, dum apud Mar- F tyrem ancillæ excubarent : neque enim hæ recessisse dicuntur ante sepulturam. Quis autem hoc rerum articulo tergiversatam credat Hilariam ultra quam necessitas exigebat, ut Filiæ, tam gloriosa morte defunctæ, justa persolveret ? Cum ergo statim subjungitur :* Et venit nocte cum sacerdotibus Dei, et tulit corpus ejus, et posuit.... in memoriam *etc. ; manifeste intelligenda est nox martyrium* Afræ *proxime consecuta. Atque hic sensus Actorum tam evidenter elucet, ut in Legenda Sanctæ ad diem* VII *Augusti voci* nocte *addita legatur vox* proxima *in Breviario Spirensi anni 1478. Itaque illi vim prorsus intulisse existimamus Velserum pag. 494, not. 62, et Stengelium part. 1, cap. 18 ; dum sepulturam hanc differunt usque ad diem* XII *Augusti; idque argumento, quod modo confutabimus.*

non die 12 Augusti.

48 *Sic arguunt viri ambo eruditissimi : Sepulta est* S. Afra *eodem die, quo Hilaria, cum ancillis ejus, martyrii coronam accepit : hanc autem accepit Hilaria die* XII *Augusti : hoc igitur et* Afra *sepulta est. Prima propositio certa est ex Actis. Secundam ex eo probant, quod Hilariæ ac sociarum natalis sive martyrium celebretur die* XII *Augusti; unde consequi putant, ut olim eodem die re ipsa martyrium fecerint; et satis qui-*

AUCTORE P. B.

AUCTORE P. B.

quidem recte, si simul ostendissent, semper illo die, et non alio, martyrium istud fuisse in Ecclesia celebratum : quod cum nec fecerint, nec facere potuerint, collectio corruit. Negamus ergo, natalem SS. Hilariæ et sociarum olim separato Officio aut festo fuisse cultum die XII *Augusti; cum testetur Khammus part. 3, pag. 34, num. 120, id primum institutum fuisse sub Eginone abbate Udalriciano, qui præfuit, ut ante monuimus, ab anno Christi 1109 usque ad 1122 : ante hoc tempus existimamus Hilariam et ancillas, tanquam* Afræ *in martyrio socias, eodem die atque Officio, quo* Afram *ipsam, tantummodo honoratas fuisse Augustæ; id quod patet (ut nihil de Rabano dicam) cum ex veteri ejusdem cœnobii Martyrologio, quod inter Hieronymiana contracta tertium dedimus, diximusque circa seculum* XII *fuisse concinnatum; et in quo de S. Hilaria ancillisve ad* XII *Augusti verbum nullum est; tum ex antiquis aliarum apud Germanos ecclesiarum Breviariis, ut Spirensi anni 1478, Moguntino* B *anni 1495, Constantiensi anni 1575, Wormatiensi anni 1576, etc., in quibus die* VII *Augusti simul celebrantur martyria* SS. Afræ, *Hilariæ et sociarum uno eodemque Officio, extra quod nulla istic uspiam de Hilaria sociisque fit mentio.*

ut creditum est antehac.

49 *Quæres, quid moverit Eginonem primo, ut a festo et Officio* S Afræ *separaret Officium ac festum SS. Hilariæ et comitum ejus; deinde, ut hoc ad diem Augusti duodecimum defigeret. Respondeo, festo atque Officio peculiari SS. Hilariæ et sociarum instituendo occasionem verisimillime præbuisse inventionem corporis S. Hilariæ, quæ sub eodem Eginone contigit : diem vero* XII *Augusti utrique delectam fuisse præ aliis; quia illo die memoriam earum dudum ante in suis Martyrologiis consignaverant Notkerus et Usuardus, Adonem secuti, ejusque verbis usi. Sed Ado, inquis, quid secutus est? In elogio nihil, quod sciam, præter Acta nostra. Cur ergo elogium istud reposuit die* XII *Augusti potius, quam alio? Nisi me fallit apertissima conjectura, non aliam id fecit ob causam, quam quod illo die in Martyrologio quodam veteri, ut Hieronymiano apud* C *Florentinium, invenerit notatam Hilariam aliam, Claudii tribuni conjugem; quam judicaverit ad mensem Augustum neutiquam pertinere; sed ad diem tertium Decembris, quo illam ipse annuntiat : ad Augustum autem ex Actis nostris spectare noverat martyrium Hilariæ nostræ : hanc ergo illius loco reponendam censuerit. Ne vero Actis nostris repugnare videretur differendo* S. Afræ *sepulturam a die* V *usque ad* XII *Augusti, dissimulatis verbis, quibus Acta testantur,* eadem die, quando sepulta est Afra, *Hilariam et comites martyrii coronam accepisse, sic eam laudare maluit :* Eodem die *(*XII *Aug.)* S. Hilariæ, matris S. Afræ; quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna, et Eumenia, et Euprepia, quæ fuerant puellæ S. Afræ. *Vitavit igitur difficultatem; ut Hilariæ hujus natalem tanto liberius differre posset ad illum diem, quo notatam ab antiquiore Martyrologo repererat Hilariam aliquam; et sic illum correxisse potius, quam ab eo recessisse videretur; cum alioqui nec diem illum expressis verbis Acta determinassent, neque piaculum esset natalem incertum, ad certum diem ex conjectura reducere. Utcumque res habeat; cedere debet Actis nostris Adonis tanto junioris auctoritas; licet enim illa satis insinuent, Hilariam cum ancillis tantummodo deprehensam* D *in monumento fuisse; adeoque ibi, post peractas exsequias ac sacerdotum discessum, usque ad lucem excubuisse; ulterius tamen excubias hasce protendi non sinunt.*

Non fuit autem primo conditum

50 *De loco istius monumenti sic Acta num. 20 :* Et tulit *(Hilaria)* corpus ejus *(S. Afræ,)* et posuit secundo milliario a civitate Augusta, in memoriam, quam sibi suisque construxerat. *In quæ verba commentator noster pag. 497, not. 65, ita scribit :* Locum, quantumvis diligenti investigatione, hactenus assequi non potui : neque spes est in posterum : nam cum sanctæ Martyris corpus perdiu ignoratum, ante annos amplius DC in ea, qua hodie colitur, ecclesia a S. Udalrico episcopo inventum fuerit; necesse est fateamur, translationem ex primo sepulcro multo prius priscis retro temporibus contigisse; et ex eo memoriam negligi cœpisse : quam dudum vetustate collapsam, et quidquid ejus supra solum exstabat (si quid exstabat) hostium incursione (plerasque ager Augustanus expertus est) dejectam * crediderim. Profecto si ullius antiqui exemplaris lectione juvarer, lubens pro his verbis : « Posuit secundo milliario de civitate Augusta; » substituerem : « Posuit secundo milliario prope civitatem Augus- » tam, » vel aliquid simile. Et intelligeremus prope civitatem Augustam, secundo milliario a passionis loco. Id conveniret solo ecclesiæ, in qua hodie Afra condita; quin ipsi cryptæ, quæ in ecclesia religione celebris. Hæc enim loca extra urbem illo seculo. Sed cum libri manuscripti omnes vulgatam editionem tueantur; correctio nimis fortasse audax. Cogitandum tamen.

* f. dejectum

E

prope urbem, ut quidam volunt;

51 *Cogitavit amplissimus Stengelius Rerum Augusto-Vindelic. part.* I, *cap. 18 ; et codicem tandem unum nactus,* Salva igitur res, *inquit;* inventus est liber, pro lectionibus matutinalibus ante centum et quinquaginta annos *(hoc est ante annum Christi 1497)* ex multo vetustioribus eleganti manu transcriptus, qui lectionem, quam initio hujus capitis posuimus, præferat : *posuerat autem hanc :* Et venit nocte cum sacerdotibus Dei; et tulit corpus ejus secundo milliario de civitate Augusta (sic habent exemplaria correcta;) et posuit in memoriam, quam sibi suisque construxerat : *Ubi observa, parenthesim quoque ad lectionem illam pertinere, non a Stengelio insertam esse; cum eodem, quo cætera, charactere distinguatur. Ex hoc textu ita colligit auctor :* F Unde manifeste intelligimus, eam *(S. Afram)* prope civitatem Augustam secundo milliario a passionis loco positam, eo ipso loco, quo hodie, conditam, neque unquam alio translatam fuisse. *Sed non videmus imprimis, unicum illum codicem, et adeo quidem recentem, præferendum esse cæteris prorsus omnibus, qui Breviariis antiquis, Vincentio Bellovacensi, Mombritio, Wicelio, Velsero, Ruinartio, nobis denique tanto numero præluxerunt. Deinde esto tantisper, si lubet, ea lectio sola fidelis. Quo pacto inde extundi potest collectio Stengelii? Asserit enim illa quidem, sublatum ab Hilaria fuisse corpus* Afræ *e loco martyrii, duobus milliariis ab urbe dissito, et positum in memoriam, quam sibi suisque construxerat; sed non indicat, quo loco memoria illa sive monumentum fuerit, propius, an remotius ab urbe, quam Campus Lycius. Solebant autem veteres monumenta condere non tantum ad secundum, verum etiam ad quintum, imo et ad nonum ab urbe lapidem, et ultra, prout prædia vel fundos habebant : ut videre est apud Kircherum in Latio, aliosque.*

Sten-

sed ad secundum ab ea milliare;

52 *Stengelio favet apertius Catalogus episcoporum Augustanorum et abbatum* S. Afræ, *seculo, ut apparet, duodecimo scriptus, editusque a Joanne Georgio Eccardo in Corpore historico medii ævi tom. II, col. 2239; ubi dicitur corpus* S. Afræ *ab insula Lyci relatum fuisse,* et in propria possessione; ut antiquis erat moris, juxta domum suam ad australem *(suburbii Augustani)* plagam conditum. *Quanquam quæ hæc auctoritas, ut vel comparari possit ad Acta nostra? Licet ergo hæc opinio nunc apud Augustenses invaluerit; nos cum Velsero ignotum hactenus esse sepulcri istius locum putamus; sed tamen secundo ab urbe milliario dissitum: neque credimus in eo diu quievisse Martyrem nostram; sive ædificium tumulo impositum deflagraverit, sive non. Certe locus ille, jam ethnicis proditus, nec depositis tam pretiosis, neque Christianis, tum orationis ergo ad Martyrum sepulcra et confluere et excubare solitis, tutum esse poterat receptaculum: quod satis erat causæ, ut inde continuo et* Afræ, *et Hilariæ, et cæterarum, ibi cum Hilaria exstinctarum, corpora ad ignotum gentilibus latibulum comportarent. Latibulum vero illud si quis velet urbi vicinum fuisse, imo illo ipso loco situm, ubi postmodum ædificata fuit ecclesia* S. Afræ, *non refragabimur.*

etsi jam ille locus ignoretur.

53 *Porro istud quis intelligat, quod auctor anonymus (Mabillonius Gerhardum nominat; nec temere) Vitæ S. Udalrici exeunte seculo* X, *in textu num. 58 mox recitando, hæc Actorum nostrorum verba, quibus primum* S. Afræ *sepulcrum, sive* locus collocationis corporis ejus *assignatur* secundo milliario a civitate Augusta, *et retinuerit, et referre potuerit ad ecclesiam ipsius, tum civitati tam propinquam, ut sequenti seculo ejusdem inclusa mœnibus fuerit? Retinuerit, inquam: nam quod ait Velserus, in autographo suo Vitæ Udalricianæ verbis his in textu positis,* a civitate Augusta, *in margine substitui ista,* a loco ubi passa est, *id ad biographum illum pertinere non potest; primo, quia fatetur editor, notam istam marginalem alia manu notatam esse; secundo, quia verba ista marginalia non leguntur in Actis* S. Afræ, *quæ tamen auctor ille allegat; tertio, quia non leguntur in ullis aliis Mss. exemplaribus Vitæ ejusdem Udalricianæ, quæ vel nos die* IV *Julii secuti sumus, vel ante nos Mabillonius. Quid si ergo per auctoris oscitantiam omissum fuerit verbum unum alterumve, et sic scribere voluerit:* Et locum collocationis corporis ejus [qui primo fuerat,] sicut in scriptura Passionis ejus est scriptum, ab Augusta civitate in secundo milliario, in ecclesia monstravit? *Certe sic restitui locus Anonymi potest; alioqui manifeste corruptus, et ideo, ni fallor, a Bernone abbate, qui Vitam illam seculo* XI *elimandam suscepit, omnino expunctus; ut vide apud Velserum cap. 15, pag. 609.*

§ VI. Revelatio sepulcri et inventio; reliquiæ; miracula.

Tumulus Sanctæ olim in ecclesia sua celeberrimus,

Constat ex dictis de Venantio Fortunato, antistite Pictaviensi, non modo notum apud Augustenses inclinante seculo sexto S. Afræ *sepulcrum fuisse, sed etiam a peregrinis inter celebriora Sanctorum per Occidentem sacraria habitum ac frequentatum. Qua vero occasione et ista pietas refrixerit postea, et sacrum illud pignus absconditum ita fuerit, ut ne latebrarum ejus quidem ulla seculo decimo apud ipsos Augustanos superesset notitia, definire non possumus: non ignoramus tamen, variis periculis, calamitatibus, direptionibus, ruinis ædem illam obnoxiam per ea tempora fuisse: nam S. Wicterpus episcopus Augustanus (sive seculo* VII, *ut majores nostri putarunt ad diem* XVIII *Aprilis; sive* VIII *floruerit, ut contendunt alii) illam ex cineribus excitasse dicitur apud Khammum part. 1, pag. 81, Stengelium part. 2, cap. 5, aliosque.* Iterum arsisse legitur, *inquit Hertfelderus in Basilica SS. Udalrici et* Afræ, *part. 1, cap. 6,* sub principatu Caroli Magni... occasione bellicorum tumultuum, quos Tassilo, Boiorum dux, excitarat. *Addit vero, instauratam fuisse per S. Simpertum; quod etiam in hujus Vita tradit Adilbertus apud Bernardum Pezium Thesauri anecdotorum novissimi tom. II, part. 3, col. 358 et seqq. Sedisse autem Simpertus Augustæ creditur ab anno 788 ad 818. Pergit ibidem Hertfelderus:* Quies deinde fuit aliquandiu; sed semper incerta; nec sine minis hostium. Ii fuerunt Hungari *etc. Sane in tanta rerum vicissitudine mirum non est, id accidisse tumulo Martyris notræ, extra urbem collocato, quod permultis aliis, tutiore etiam loco servatis, contigisse scitur; ut paulatim scilicet ignorari cœperit, qua ecclesiæ parte conditus esset obrutusque; maxime si ruinis veteribus non omnino sublatis imposita fuerit ab instauratoribus novi moles ædificii: quod ibi aliquoties factum esse, patuit anno circiter 1466; quando narrat Sigismundus Religiosus part. 2, cap. 6, effossis ejusdem loci fundamentis, inventum fuisse* triplex per totam ecclesiam pavimentum, unum altero semper altius.

AUCTORE P. B.

omnino cœpit ignorari post seculum 6

57 *Quandocumque vero abstrusus fuerit ille thesaurus; certo S. Udalricum latuit, qui erga* S. Afram *mirifice semper affectus, Augustanam ecclesiam ab anno 923 usque ad 973 gubernavit, in eaque insuper ante annos quindecim, quam episcopatum susciperet, sub Adalberone aliquandiu camerarius fuerat. Testatur id auctor coævus in ejus Vita, Julii tom. II, pag. 111, num. 50: cum enim, ut ibi refertur, iterum hujus Martyris ædes Hungaricis facibus (anno Christi 955) conflagrasset; nec reparari tam cito illam sinerent afflictissima tempora, quin æqualis solo neglectisque ruderibus jam sese passim gramen infudisset; S. Udalricus de cœlo fuit* admonitus, ut domum S. Afræ reædificare non tardaret. De cujus instauratione cum sæpissime tractaret, qualiter congruentissime fieri potuisset; et qualiter sub positione* cryptæ orientalem plagam ecclesiæ convenientissime decoraret; et nullus certitudinis effectus ei animo irrepsisset; continuis orationibus et jejuniis cum domesticis et religiosis presbyteris devotissime misericordiam Dei secreto deprecari cœpit, ut ei monstraretur locus, in quo corpus S. Afræ collocatum fuisset; et si cryptam in eo loco, ubi voluntas ejus complacuit, fas componere maneret. *Audis, quam ignotus sepulcri locus tum fuerit: nunc accipe, qua ratione sit revelatus: hanc enim ibidem numero sequente sic auctor idem exponit:*

** f. una voce, suppositione*

usque ad seculum 10 provectum;

58 Ut orationem ejus et jejunium ad aures Domini pervenire dubium non esset, secundum cantationem sancti David prophetæ: Ecce oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit, et locum collocationis corporis ejus, sicut in scriptura Passionis ejus est scriptum, ab Augusta civitate

AUCTORE P. B.

vitale in secundo milliario, in ecclesia monstravit. Cryptam autem in prædestinato loco fieri prohibuit propter sanctorum reliquias, quæ in illo loco in requie diem exspectare debent judicii. Hac revelatione perdoctus, quid sibi esset faciendum, muros, ex maxima parte ab ignibus depositos, cum magna festinatione reædificare fecit, et priori altitudini mensuram unius cubiti superposuit, cryptaque congruenti occidentalem partem ecclesiæ decoravit, super ædificia, in sua præsentia caute mensurata, summo studio incidere et adducere præcepit, et non tardavit, donec imbricibus eam ex toto cooperuit, et interius ædem ecclesiæ laqueariis vestivit, lucida pictura decoravit, et ornamenta ecclesiæ, quæ propter barbaros in civitatem fuerunt deportata, et in matrici * ecclesia servata, restitui fecit. *His placet ibidem sequentia claritatis causa subjungere :*

* i. e. cathedrali

quando S. Udalrico locus revelatus fuit,

59 Quam in magna observatione Dei ille locus orientalis partis ecclesiæ semper maneat, certis sit indiciis manifestatum, hic mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus, nomine B Adelpoldus, ibi deambulando inter gramina, speluncam invenit; in quam intrans, formosam ædiculam sub terra muratam conspexit; et veniens nuntiavit episcopo, dicens : In hoc loco possum olera mea et alia necessaria reponere. Cui ille respondit, denuntiando dicens : Si hoc facis, sensum et sospitatem membrorum tuorum te perdere, dubium non est. Hortulanus autem verbis episcopi non credens, sine ejus scientia præfatas res in eamdem speluncam congregare cœpit. Hoc faciendo sensum cum audito et visu perdidit. Hoc autem cum episcopo nuntiatum fuisset, jussit adduci sibi hortulanum, et dixit ei : Quare occupare voluisti istum sanctum locum, spernendo meum præceptum? Cui ille, quamvis sensu careret, Non inficior, ait; scio enim, quod pro illo reatu, quod mandatis tuis non obedivi, istam tribulationem incurri. Cujus tribulationibus benevolus episcopus condolens, indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente, sanitati restituit. Mirabile dictu! Ille hortulanus postea illam speluncam nullo modo invenire potuit. Postea autem episcopus, pollinctoribus C accersitis, in australi parte exterioris muri ecclesiæ, sepulcrum sibi fodere, et exterius muro cingere, et, perrupto muro ecclesiæ, arcum muratum desuper curvare præcepit, et arcam aptam componere ad cooperiendum corpus in sepulcro; et insuper tabulatum densum, longo tempore imputribile, cauta conjunctione vinctum, superponi decrevit. His præparationibus exsequiarum suarum perpetratis, omni hebdomada dehinc ipsum locum die Veneris visitare, et ibi hostias immolare consuetus erat, si alia aliqua ei occupatio vel absentia impedimentum non fecit.

sed non refossus, sub quo tumulus latebat;

60 *Hæc inde paulo fusius; ut observes, primo, ecclesiam illam satis diu fuisse dirutam, antequam ab Udalrico restitueretur; quandoquidem jam istic herbæ succreverant, cum inambulans ruinis hortulanus, speluncam jam dictam invenit, idque* sub S. Afræ choro, *sed adhuc prostrato ; ut asserit Sigismundus part 1, cap. 10: falsum tamen esse, quod col. 1378 affirmat Gassarus his verbis :* Restauravit etiam idem noster Udalrychus S. Afræ sacellum, ultra centum jam annos vepribus et situ extra civitatem horrens : *arserat enim sacellum illud, seu potius ecclesia,* anno Incarnationis Domini nostri J. C. DCCCCLV *(hoc est, anno tantum octavo decimo circiter ante obitum ejusdem antistitis) ut ante alios plures docuit scriptor coævtaneus in* D *Vita, de qua nunc agimus, S. Udalrici, pag. 110, num. 46. Secundo, neque in spelunca illa, neque in ædicula subterranea inventum dici sepulcrum* S. Afræ *(quamvis sub eadem ecclesiæ parte orientali sine dubio conditum esset :) nam post repertam istam speluncam et ædiculam, Udalricus, jam jam loci restaurationem aggressurus, nondum noverat, qua templi parte defossum illud lateret. Tertio, non aliud per apparitionem edoctum hic dici S. Udalricum, quam quod rogaverat, tanquam novo ædificio recte ordinando necessarium; nempe, ubi locus esset, sub quo lateret sepulcrum* S. Afræ; *tum, an cryptam expediret construi, ubi chorus fuerat, in orientali parte ecclesiæ : hoc ergo prohibitum dicitur ab apparente Sancta; ille* monstratus *quidem, sed non refossus, non apertus ; nedum refodiendus. Non vidit igitur sepulcrum aut reliquias* S. Afræ *Udalricus; sed locum, sub quo degebant; et has, non secus atque alias aliorum Sanctorum, ibidem conditorum, exuvias jussus est intactas relinquere. Itaque hæc sacri tantum latibuli revelatio fuit; non corporis aut sepulcri inventio ; adeoque nimium asserit Khammus, vir cætera diligens,* E *dum Hierarchiæ suæ part. 1, pag. 133, num. 36. ita de S. Udalrico pronuntiat :* Sacrum ejus *(Afræ M.)* corpus, ipsamet sancta Martyre revelante, inventum, debito honore et decore tumulavit. *Quarto denique, cum dicitur postmodum S. Udalricus quot hebdomadis in illo loco sacrificasse, id intelligi oportere, non de ipso monumento* S. Afræ; *sed de ecclesia vel choro, sub quibus illud inter alia jam noverat delitescere.*

refossus vero et apertus hic fuit

61 *Et vero importuna fuisset ac valde periculosa depositi tam pretiosi productio publicaque notitia ; quandiu iisdem casibus, quibus jam toties succubuerat, objecta manebat ecclesia : mansit autem, donec urbi, ampliatis ac circumductis mœnibus, fuit inclusa; quod accidisse narrat Hertfelderus part. 1, cap. 2, sub Adalberone, ejusdem abbate septimo, qui præfuit ab anno Christi 1050 usque ad 1064, aut sequentem potius, ut Khammo placet. Itaque post dilatatum ea parte Augustense pomerium, partamque adeo in posterum ecclesiæ jam dictæ securitatem, istic abdita retegi primum sacraria cœperunt; sive* F *sub Henrico II, sive sub Embricone, episcopis Augustanis ; quorum primus creditur sedisse ab anno 1047 usque ad 1064, quando alter successit, et sedem tenuit annis quatuordecim. Et sub Henrico quidem id ita contigisse statuit Sigismundus part.* I, *cap. 11 :* Sub eo dum ecclesia S. Afræ ampliori spatio extenderetur, inventum est corpus S. Afræ, membris integrum, in sarcophago lapideo miræ magnitudinis, habens adhuc vestigia adustionis; et sic integrum inclusum ponitur in eum locum, quo nunc *(anno 1483)* colitur, et ubi fuerat inventum. Ob quam causam maxima multitudo confluebat Augustam. Sanctus etiam Udalricus magnis coruscabat miraculis. Cum autem oblationes fierent notabiles a populo, idem Hainrichus episcopus nitebatur sibi appropriare ; sed compulsus fuit per Apostolicum Alexandrum a cœptis desistere. *Imo morti proximus, ut ibidem subjicitur,* reliquit ad locum istum pro satisfactione certam summam successori suo Embriconi..., sub quo de S. Afræ corpusculo integro, unus pollex pedis Coloniensi episcopo, et alter Hainrico imperatori ad Spiram deferendus datur *etc.*

62 *At Sigismundo non paulo antiquiores affirmant,*

sub Embricone episc. Aug. anno 1064,

A *mant, sub Embricone ædem illam simul innovatam fuisse, simul inventa* SS. Afræ *et Eutropiæ corpora: sic enim habet auctor catalogi episcoporum Augustensium, qui sub Embricone collectus videtur, quia in eo desinit: nam* quæ sequuntur, secunda manu adjecta sunt, *inquit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sui, Sec. 5, pag. 477, ubi illum exhibet: sic, inquam, habet catalogus ille de Embricone:* Hic primo ordinationis suæ anno, qui est ab Incarnatione Domini MLXIV, datis ab antecessore ejus L talentis, ecclesiam Sanctæ Afræ a fundamentis destruxit; et repertum est corpus sanctæ Eutropiæ in plumbeo sarcophago pridie Kal. Maii: corpus vero sanctæ Afræ in lapideo sarcophago miræ magnitudinis integrum, et quodam cæmento obductum *(Adi annotata inferius ad cap. 2, lit.* k*)* repertum est IV Nonas ejusdem mensis. *Consonat per omnia catalogus alius seculi duodecimi apud Eccardum, de quo superius memini, num. 52. De inventione corporis* S. Afræ *ex antiquis codicibus exscripsit hæc* B *Velserus pag. 503:*

ut vetustiora monumenta testantur,

63 Post hæc *(quæ ex ipso fonte scilicet supra narravimus de revelatione sepulcri* S. Afræ *facta S. Udalrico)* anno dominicæ Incarnationis MLXIV Embrico, episcopus Augustensis, datis ab antecessore suo quinquaginta talentis, ecclesiam Beatæ Afræ a fundamentis destruxit; et inventum est corpus ejus in lapideo sarcophago, de quadro miræ magnitudinis; et locatum est in eo, ubi adhuc veneratur, loco. Anno autem, felicis memoriæ Coloniensis archiepiscopus, prælibatum antistitem supplex rogaverat, ut munus aliquod de cineribus tantæ Martyris sibi dignaretur impertiri; felicem fore credens suam civitatem, si talibus ditaretur reliquiis. Cujus precibus annuit episcopus: et veniens Augustam, convocat prælatos ecclesiarum et fratres cœnobii Sanctæ Afræ; absque illorum consilio et voluntate quidquam agere, inconsultum fore decernens. Igitur cum magno timore aperto sarcophago Christi Martyris, corpus ejus integrum repertum est, et quodam candidissimo cæmento obductum. Auferens ergo solum articulum pollicis in pede venerandus pontifex, teste clero et populo, Coloniam cum summa direxit reverentia. Nec mora, clauditur sarcophagus; et in loco, ubi nunc veneratur, ut prædiximus, C decenter erigitur.

Articuli duo pedis dantur, unus Annoni ep., alter Henrico imp.

64 Evolutis post hæc aliquot annorum curriculis, Henricus imperator ecclesiam Spiræ construxit, quam in honore beatæ Afræ dedicari fecit. Agebat ergo apud Augustanum episcopum Hermannum multis precibus, ut aliquid reliquiarum sanctæ Afræ illo mitteretur. Pro qua re licet episcopus pavore nimio angeretur, tamen abbatem cœnobii Sanctæ Afræ et clerum convocavit, rogans, ut, quid agendum esset, decernerent. Qui dixerunt, imperatoriæ quidem majestati non contradicendum; sed priusquam sibi magna portio corporis beatæ Afræ tollatur, mortem se velle subire, in commune profitentur. Ventum est denique ad sepulcrum Martyris: et milites quidem civitatis fores ecclesiæ armati custodiunt; et in ecclesia circumquaque consistentes, diligenter attendunt, ne magna pars corporis tantæ Martyris ab episcopo vel a sacerdotibus auferatur. Audiens autem episcopus a senioribus cœnobii, jam pridem unum articulum pollicis in pede ab antecessore suo sublatum, decernit alterum articulum in eadem pedis parte auferendum. Modicum itaque revoluto lapide, quo sarcophagus clauditur, alter articulus pollicis in pede aufertur; et extemplo lapis reponitur, ferreisque ligaminibus compaginatur. Ascendens itaque episcopus eminentiorem locum, universis ostendit particulam sublatam de corpore Christi Martyris: et ita omnes læto animo redierunt ad propria. Cujus pars major transmissa est Spiram imperatori; altera remansit ibi. A die autem inventionis corporis beatæ Afræ, quæ est VI Kal. Aug., duabus tantum vicibus reseratus est sarcophagus. Et nihil amplius inde sublatum est, nisi quantum hic commemoravimus: quod nostræ memoriæ tradiderunt seniores, qui et rei gestæ interfuerunt.

AUCTORE P. B.

Quo mense ac die contigerit hæc inventio;

65 *Ad hæc nota primo cum Velsero, scriptoris hujus ætatem ex eo colligi, quod testes laudet monachos, qui rei gestæ sub Henrico IV interfuere versus finem seculi* XI, *cujus anno nonagesimo sexto Hermannus infulas Augustanas est consecutus; vel sub initium seculi* XII, *cujus anno quinto imperium, anno sexto vitam amisit Henricus. Habemus hic ergo tria testimonia opposita uni Sigismundo, eoque tribus ut minimum seculis antiquiora.* E *Nota secundo, cum hæc tria testimonia de anno consentiant et episcopatu Embriconis, sub quo inventum fuerit Martyris nostræ corpus; errare chronologos illos, qui Embriconis decessorem Henricum sedisse statuunt usque ad diem tertium sive Augusti sive Decembris ejusdem anni 1064: sic enim hæc inventio vel non incidisset in annum illum; vel Embriconi, qui festo Purificatæ Virginis inauguratus est, adscribi non posset; quorum utrumvis testibus hisce nostris antiquissimis repugnat. Nota tertio, non convenire inter eosdem illos testes de die ac mense inventionis: nam catalogi ambo illam affigunt* sexto Nonas Maii; *at scriptor Velserianus,* sexto Kal. Augusti, *quo die diximus, eam nunc celebrari quotannis in cœnobio Udalrico-Afrano Augustæ. Catalogi tamen prioris auctoritas potior videtur; tum quia vetustior est, tum quia secundum omnes repertum est sepulcrum hoc, dum vetus ecclesia funditus destrueretur ad novam a fundamentis erigendam; cui operi certo opportunius erat primum ver, quam æstas media. Aut si mavis, utramque sententiam concilia, priorem intelligendo de inventione sarcophagi* S. Afræ, *quæ contigerit* sexto Nonas Maii; *posteriorem de inventione corporis in sarcophago, qui forte apertus non fuerit ante* F sextum Kal. Augusti:

et an simul inventa, simul aperta fuerit arca;

66 *Nam notandum est quarto, videri aliquandiu inventum fuisse sarcophagum, priusquam aperiretur; cum bis tantummodo ante seculum* XIII *apertus fuisse dicatur; primo, ut Annoni reliquias poscenti; et iterum; ut Henrico imperatori, eas itidem postulanti, fieret satis: Annonem autem credibile non est eas poposcisse, nisi postquam intellexisset, inventum esse sarcophagum; potuit ergo ejus gratia reseratus primum fuisse sarcophagus, ad eximendas ipsi reliquias, et sic inveniri corpus, idque tribus fere mensibus post arcæ inventionem, adeoque* sexto Kal. Augusti. *Notandum quinto, mirum non esse, quod Henricus imperator reliquias et petierit et obtinuerit ab Hermanno, utpote schismaticus a schismatico sibi suisque tum devotissimo. Sed unde hæc imperatorem illum religio incesserat, ut* S. Afræ *ædem exstrueret; tum ut expeteret ejus reliquias? An hanc hauserat a S. Annone, suo pridem institutore atque imperii ministro; an ex eo, quod circa annum 1084 præter spem civitate Augustana potitus, id* S. Afræ *acceptum retulit, quia in ejus pervigilio acciderat? Porro ædem illam sacellum fuisse in ecclesia cathedrali Spirensium,*

censet

AUCTORE P. B.

censet hic Velserus; post Guilielmum Eysengreinium in Chronico Spirensi, fol. 192 et 201; hic tamen in istius ecclesiæ thesauro sacro, quem describit a folio 30, de hisce reliquiis S. Afræ *non meminit.*

item quoties aperta fuerit; tum quid sentiatur

67 *Notandum sexto, quod de suo tempore asseverat auctor Velserianus, hoc idem anno 1709 de sua ætate Khammum asserere Hierarchiæ Augustanæ part. 1, pag. 177, num. 11; ubi de reliquiis Henrico datis locutus, hæc subdit:* Post hæc peracta, sarcophagus S. Afræ occlusus, et nunquam amplius usque ad nostra tempora reseratus fuit, in evidens argumentum, sacras reliquias in aliis sacris locis, quasi de corpore hujus S. Afræ avulsas, esse venerandas tanquam reliquias alterius S. Afræ (verbi gratia, illius, quæ sub Adriano imperatore martyrium passa Brixiæ; aut S. Afræ, Papiæ in ecclesia S. Maroli sepultæ;) vel esse venerandas, tanquam reliquias de Sanctis ex societate S. Afræ, non tanquam de ipso hujatis sanctæ Martyris corpore acceptas;
B integro sancto corpore Augustanæ sanctæ Afræ (exceptis duobus pollicis pedis articulis) in templo S. Udalrici quiescente. *Hoc si tam certum est et evidens, quam hic adstruitur, abjudicandæ profecto plures erunt reliquiæ, et alteri tribuendæ, quæ hactenus de corpore hujus Martyris esse creditæ sunt; ut os illud* de S. Afra, *quod inter reliquias ecclesiæ cathedralis Augustanæ idem scriptor enumerat ibidem pag. 488, sed hanc addens parenthesim:* (Forsan de una Sancta ex Societate S. Afræ:) *item* caput S. Afræ M. concrematum, *quod inter metropolitanæ Pragensis ecclesiæ reliquias Karlsteinenses recenset Pessina in Phosphoro pag. 413, et pag. 426* S. Afræ M. aliquot frusta magna de capite semicombusta, et aliæ plures partes: *item illæ (si tamen sunt partes corporis) quas idem refert pag. 445,* reliquiæ S. Afræ; *tum, quæ a Gelenio tribuuntur apud Colonienses ecclesiæ S. Maximini* de S. Afra martyre, *et monasterio S. Vincentii* reliquiæ S. Afræ: *item quæ cœnobio Andecensi, apud Beyerlingum ad vocem Reliquiæ, adscribuntur* reliquiæ S. Afræ martyris, ejusque matris Hilariæ, *etc.: uti et* reliquiæ
C S. Afræ *in cœnobio Murensi apud Helvetos, de quibus Acta fundationis illius apud Ludewigum in Scriptoribus rerum German. tom. II, col. 420; item quæ dicuntur esse Parisiis ad S. Maglorii apud PP. Oratorii; et siquæ sunt aliæ.*

de quibusdam reliquiis huic Martyri attributis;

68 *Cæterum hoc argumento non attinguntur illæ ejusdem reliquiæ, quæ partes corporis non sunt; ut quod habent Pragenses, secundum Pessinam pag. 471,* de peplo S. Afræ; *quod est in cathedrali Augustana, apud Khammum supra,* de ejus columna, cui ad rogum condemnata, fuit alligata; *et quod* de *eadem columna seu* stipite *residuum adhuc esse diximus, num. 45, in ecclesia Sanctæ ad Campum Lycium; tum quæ extra ejus tumulum asservantur apud ipsos Udalricianos Augustæ; ut* pars notabilis de *eadem* arbore seu stipite, cui Martyr alligata, per ignem martyrii palmam promeruit, *teste Hertfeldero pag. 75, ubi effigiem* S. Afræ *argenteam exhibet, cui pars ista pali inclusa est: item* aliquantulum de capillis ejus, *quod indicat Stengelius in Chronico Germanico pag. 160: denique* cingulum quoque ejus, salutiferum imprægnatis, *ut ait Sigismundus in* D
appendice ad Chronicum suum, et Hertfelderus pag. 113, ubi et hierothecam ære expressam proponit, qua pars illius aliqua continetur; partem tamen longe maximam vide apud Khammum part. 1, pag. 139. Demum hoc etiam ad historiam supra recitatam notari velim, errasse Sigismundum in appendice, cum utriusque pedis ambos pollices sublatos ait ab hoc sacro corpore fuisse; auctor enim noster duos tantum pollicis ejusdem articulos commemorat; quorum alter Annoni cesserit integer, alter majori ex parte Henrico, minori parte ibi *remanente, hoc est in sarcophago, ni fallor: nusquam enim de illa, tanquam seorsum reposita, memini me legere. Porro sarcophagus ille quem nunc locum obtineat in Augustissima Benedictinorum ecclesia, videri potest apud laudatum toties Hertfelderum in opere, si stylum spectes, satis nitido, si laminas æreas, admodum sumptuoso, pag. 36 et 53.*

Quædam ejus miracula.

69 *Esset hic locus agendi de miraculis hujus Martyris, nisi omnium fere memoriam ingrata sustulisset oblivio: nam plurima ad ejus tumulum accidisse ante ætatem Venantii Fortunati, ipsa illa tum loci apud exteras etiam nationes evincit celebritas. At horum nulla jam vestigia: recentiorum vero perpauca; quæ proinde hic assignasse satis habebo. Atque illud imprimis memorabile, quod S. Udalrico apparuit Sancta, non solum post annum Christi 955, uti jam dictum; sed etiam* E
ante annum 937, seu superstite Henrico Aucupe. Legi hæc insignis apparitio descripta potest in Actis S. Udalrici tom. II Julii, pag. 101, num. 11 et 12. Ibidem pag. 82, num. 44 et seqq. ex Udalscalco narratur prodigiosa contracti sanatio, quæ contigit ad ejusdem Sanctæ sepulcrum seculo XII *sub Eginone abbate. Huic subjicit idem Udalscalcus apud Canisium tom. II, pag. 214 energumenam* meritis beatæ Afræ curatam; *et pag. 231 refert, circa annum Eginonis decimum, Christi 1119, quo per schismaticos coactus injuste fuit cum suis excedere monasterio, inter alia portenta, ad maturandam abbatis optimi ac Religiosorum revocationem exhibita,* sepulcrum beatæ Afræ, dissoluto metallo, aperiri visum fuisse; *quo signo credit, sanctam hanc Patronam minari voluisse, se locum deserturam, secuturamque clientes exules, nisi redire confestim juberentur. Alia quatuor enarrat Stengelius in Chron. German. lib. 1, cap. 8, sed sine teste ac temporum characteribus: primum de captivo ab invocata et apparente Martyre vinculis et carcere liberato; secundum ac tertium de maximis incendiis ad ejus invocationem* F
restinctis, altero in urbe Remensi, altero Augustæ in ecclesia propria; quartum de muliere a dæmonibus quinque vexata; et duobus quidem liberata per imploratum S. Afræ *patrocinium; reliquis vero post exoratum in eadem ecclesia S. Udalricum. Posthæc subdit idem auctor, quæ ex eo de sacellis duobus diximus num. 9. Præterimus vero quod de Henrico IV narrat Khammus part. 3, pag. 51, num. 108, tanquam nullo antiquitatis testimonio probatum, et nequaquam verisimile; ne dicamus aperte falsum. Nunc ad Acta, de quibus egimus* § 2.

A

ACTA

Ex editione Velseri collata cum pluribus exemplaribus Mss. et excusis.

CAPUT I.

Conversio S. Afræ et puellarum ejus.

S. Narcissus ep. ad Afram divertens, a

Apud provinciam Rætiam, civitate Augusta, Narcissus episcopus *a* veniens, tempore, quo persecutio Diocletiani fervebat, nesciens, quo intraret profugus, ad meretricem quamdam ingressus est, nomine Afram, cum diacono suo, nomine Felice. B Illa autem videns honestos viros, existimans adventores impudicos, parat cœnam et omnia, quæ solito more cum tribus puellis suis parare consueverat. Episcopus autem veniens ut cibum caperet, orare cœpit et psallere. Afra autem, qui nunquam hæc audierat, stupefacta, cœpit inquirere, quis esset. Et didicit, hunc esse episcopum, et protinus cecidit ante pedes ejus, dicens: Domine, indigna sum, et in ista civitate nulla me turpior potest inveniri *b*.

suadet ei baptismum ;

2 Cui ait Narcissus episcopus: Salvator meus a turpissima tactus, inquinari non potuit: illius enim sanctitas omnes sordes diluit atque mundavit. Non sordes potuerunt inquinare Domini claritatem: nam et lux de cœlo veniens et splendor solis, dum circa cloacas et lutulentas plateas funditur, mundus funditur de cœlo, mundus levatur in cœlum. Unde et tu, filiola, suscipe in te lumen fidei, ut purificata ab omni peccato, possis de meo introitu perpetua claritate gaudere. Dicit ei Afra: Ego quidem, quæ plura capillis meis peccata commisi, quomodo possum a tantis C sordibus ablui? Respondit Narcissus episcopus: Tantum crede, et baptizare; et salva eris.

illa consulit ancillas ; et simul omnes Deum orant : c

3 Tunc Afra convocans puellas suas, dixit: Iste homo, qui ad nos venit, episcopus est Christianorum, et dixit mihi: Si credideris Christo, et baptizata fueris, ab omni poteris emundari peccato. Quid vobis videtur? Respondentes autem Digna, Eumenia, et Euprepia *c* dixerunt: Tu nostra domina es, et secutæ sumus te ad inquinamenta facinorum; quomodo te non sequemur ad indulgentiam peccatorum? Tu caput nostrum es; quocumque ierit caput, membra necesse est ut sequantur. Interea dum hæc loquerentur, nox initium sumpsit. Incipiens autem hymnos Deo canere cum diacono suo episcopus, totam noctem orando et psallendo pertransiit, simul habens Afram cum suis puellis confortem.

Afra hospitem suum abscondit a persequentibus ; d

4 Mane autem die facto, episcopus Narcissus cœpit inquiri ad Afra; dictumque est Afræ: Ubi sunt, qui ad te introierunt? Illa autem dixit eis: Hospites amatores mei manserunt hic, et abierunt ad sacrificandum. Illi autem audientes, illos isse ad sacrificium, putabant, eos ad Capitolium *d* vel ad templum abiisse. Aliis ergo discedentibus, remansit unus ex eis, qui dixit ad eam: Ego cognovi eos qui sero venerunt, quia Christiani erant: nam omni hora signabant frontes suas signo crucis e, quo Christus eorum passus est. Dicit ei Afra: Ad me meretricem habebant intrare, si Christiani essent? Ad me non veniunt, nisi qui mei similes sunt. Abiit ille, et nuntiavit omnia, quæ dixerat, quæque audierat, his qui quærebant eos.

Ex Velsero et Mss. c

matri nuntiat miraculum ab eo patratum illa nocte, f g h

5 Tunc abiit Afra ad matrem suam Hilariam *f*, et dixit ei: Episcopus Christianorum venit ad me, nesciens, quo intraret; et tota nocte expandens manus suas ad Deum suum et cantans ei quod novit, nos fecit simul orare: circa vero pullorum cantum *g* exstinctum est lumen candelæ *h*, et cœpi festinare, ut eam accenderem, et non poteram. Tunc dixit mihi diaconus ejus: Noli quærere lumen exstinguibile; modo tibi ostendetur lux, quæ exstingui non potest. Et cum dixisset episcopus: Veni, lux mea, de cœlo; ostende faciem tuam, et salvi erimus; venit fulgor de cœlo sicut sol, et sicut coruscus venit ante tonitruum, et non recessit; sed tandiu stetit, quandiu aurora inciperet. Et dum orationem suam finisset, jussit nos sibi respondere et dicere: E Amen. Et lux fulgoris illius paulatim recessit ab oculis nostris.

eamque rogat, ut illam apud se recipiat, i

6 Post hæc misi me ad pedes ejus, et dixi illi: Domine, injuriam tibi grandem fecisti, quod ad me introisti; sum enim mulier peccatrix. Et ille dixit: Ubi me Dominus meus jussit ingredi, introivi. Mane autem circa tertiam horam *i*, ostenderunt se mihi, qui eis ante lucem insidiati fuerant, ut exeuntes tenerent et occiderent eos. Sed cum non exirent, convenerunt me. Ego vero ubi fasces lini * habeo, abscondi eos; et timeo, ne scrutentur ipsum locum. Sed si jubes, domina mater, huc eos transire faciam. Quia promisit mihi episcopus, dicens: Faciam te Christianam, et omnia peccata tua diluentur. Audiens hæc mater ejus, gaudio repleta dixit: Præstet Deus, ut et mihi hoc contingat. Cui dixit Afra: Ergo nocte veniente transmigro eum huc. Respondit mater ejus: Etiamsi noluerit, roga eum.

* 3 codd. ligni

ibi omnes ad baptismum disponuntur,

7 Vespere autem facto, rogavit sanctum Narcissum Afra; et migravit ad matrem ejus. Ingressus autem domum Narcissus episcopus *k*, factum est gaudium magnum; ita ut Hilaria per tres horas *l* teneret plantas ejus, et diceret: Obsecro te, domine, ut et me facias mundari a peccatis F meis. Tunc sanctus Narcissus episcopus dixit ei: Beata est fides tua, quæ antequam disceres verbum veritatis, ipsam veritatem, quam per verbum vix possunt homines agnoscere, in tua mente fundasti. Tamen quia video, te capacem esse verbi Dei, hodierna die simul incipite jejunare, et per septem dies jejunantes audite sermonem veritatis; octava autem die purificabimini ab omni peccato, et eritis tales, quales fuistis infantes, non habentes reatum ullius criminis *m*. Dixit ei Hilaria: Si jubes, dicimus, quid colimus; et ita demum doce nos, quid colamus. Dixit ei Narcissus episcopus: In hoc apparet, quia bene poteris suscipere, quid colere debeas, si, quid colueris, evidenter exponas. Dic ergo culturam tuam.

agnita superstitionis vanitate n

8 Hilaria respondit: Parentes mei genere Cyprii fuerunt, et inde venerunt cum sacris Veneris. Et Venus coli non potest nisi ab his feminis, quæ fuerint fornicatæ *n*. Ideo ego denique filiam meam sacris Veneris consecravi, quasi deæ Veneri servituram, et de opere meretricio placituram in prostibulo manere permisi, credens, quod mihi esset propitia Venus, si filiam meam divi-

Ex Velsero et Mss.

divinis ejus imitationibus occupassem. Nam quanto plures amatores habere potuerit mulier, quæ Veneri servit, tanto plus Veneri placere posse a sacerdotibus affirmatur. Audiens hæc vir Dei Narcissus episcopus, ingemuit et lacrymas fudit, dixitque ad Diaconum suum: Surge, frater, et demus lamentum super istam talem culturam, et rogemus Dominum, ut ubi abundavit iniquitas, superabundet et gratia.

ex apparitione dæmonis,
* *vulgo lepræ*
* *Codd. tres, casa*

9 Factum est autem cum orassent, apparuit dæmon quasi Ægyptius quidam, nigrior corvo, nudus, et vulneribus elephantiæ * corpore toto plenus, et dare cœpit mugitum, dicens: O sancte Narcisse episcope, quid tibi cum caussa * mea? Quid tibi cum ancillis meis, quas ego semper in mea familia habui? Deus tuus mundas animas et munda corpora diligit. Istæ jam meæ sunt, alius esse non possunt. Numquid ego intro, ubi castitas regnat? Numquid locum invenio, ubi est spiritus castitatis? Hic tu quid intrasti, ubi inquinata sunt corpora et pollutæ sunt animæ? Tunc sanctus Narcissus episcopus dixit ei: Jubeo tibi, immunde spiritus, ut des mihi responsum de eo, B quod te interrogavero.

Christi virtutem, et suam imbecillitatem confitentis.

10 Dic mihi, damnate; scis, Christum Jesum Dominum nostrum Nazarenum tentum, flagellatum, sputis in facie illitum, spinis coronatum, irrisum, ligatum, felle et aceto potatum, affixum cruci, mortuum, sepultum, die tertio a mortuis resurrexisse? Scis, hoc factum esse? Respondit dæmon et dixit: Utinam mihi hoc nescire licuisset! Nam ex ea hora, qua crucifixus est, princeps noster fugit a facie ejus [et in templum Dei misit se; et ideo velum templi discissum est, *o*] quia virtutem persequentis ferre non potuit. Tunc saxa illa solida scindebantur et monumenta aperta sunt, et surrexerunt sancti viri, qui viderunt hoc factum, quando princeps noster ab eo, qui crucifixus est, tentus est et catenis religatus. Respondit sanctus Narcissus et dixit: Quod nomen est principis vestri? Dicit ei dæmon: Sathanas nomen est ei, quod interpretatur initium mortis *p*.

et querentis, tot animas eripi sibi,

11 Dicit ei Narcissus episcopus: Dic mihi, quid peccavit Dominus Jesus Christus, ut tanta pateretur? Dicit ei dæmon: Nunquam peccavit. Dicit ei Narcissus episcopus: Et qui nunquam C peccavit, quare tanta perpessus est? Respondit dæmon: Non pro suis peccatis passus est, sed pro alienis. Dicit ei Narcissus episcopus: Ex ore tuo condemnaris, immunde spiritus. Cum ergo scias Dominum meum Jesum Christum non pro suis, sed pro alienis peccatis occisum, discede ab his mulieribus; quia etiam pro istis passus est, quæ ad ejus fidem et gratiam confugerunt. Dicit ei dæmon: Quia docet lex et jubet, ut res alienas non tollat aliquis; tu qui sanctus es, res meas quare tollis? Quid mihi tollis animas, quas lucratus sum? Dicit ei Narcissus episcopus: Effractor et fur, ab initio damnate et inveterate, quia istas animas a Deo suo et a Creatore suo tu separasti, ego te modo furem teneo, et Creatori creaturam suam restituo.

atque unam saltem sibi dari postulantis; q

12 Respondit ei dæmon: Et ego creatura ejus sum; et me ergo Creatori meo restitue. Dicit ei Narcissus: Tu ipse ex ore tuo hoc confessus es, Christum pro peccatis hominum *q* passum esse: si, quo modo pro hominum peccatis passus est, etiam pro dæmonum impietatibus passus esset, restituerem te Creatori tuo: nunc autem, quia sic passus est pro peccatis hominum, ut vestrum principem religaret, vade tu ad principem tuum. Dicit ei dæmon: Fac pietatem super me *r*, D
r
et da mihi vel unam animam in potestatem. Dicit ei Narcissus episcopus: Si dedero tibi animam in potestatem, quid de ea facies? Dicit ei dæmon: Interficio eam, et lucror animam ipsius. Dicit ei Narcissus: Mane prima luce dabo tibi potestatem hanc, ut facias. Dicit ei dæmon: Dic mihi ante Deum tuum, quia das mihi animam intra corpus inclusam, quam ego lucrer. Dicit ei Narcissus: Ante Deum meum, dabo tibi animam intra corpus inclusam, manducantem et bibentem et dormientem et iterum vigilantem. Dicit ei dæmon: Modo jube me hic manere ista nocte. Dicit ei Narcissus: Si potes nobiscum manere, mane. Dicit ei dæmon: Si non expandis manus tuas ad cœlos et non psallis Deo tuo, possum hic manere. Dicit ei Narcissus: Nunquam sit tibi bene, immunde spiritus. Non solum autem ego, sed et istæ * omnes mecum per totam noctem Deo nostro flectent genua, et laudes ei nobiscum canent. Tunc dæmon ululatum teterrimum diræ vocis emisit, et nusquam comparuit.

* *4 codd. isti*

sed elusus, abigitur.

13 Sanctus autem episcopus fecit post jejunium reficere Afram cum matre sua et cum puellis suis. Quæ trementes pro eo, quod audierant et viderant, ejus monitis confortabantur. Ipse E autem cum Felice diacono suo non refecit se, sciens, se iterum mane cum dæmone luctamen habiturum. Transiit itaque nox tota orationibus et psalmorum canoribus plena. Die autem orto, affuit dæmon dicens: Memor esto, sancte episcope, juramenti tui, quod dixisti ante Deum tuum. Da mihi animam, cujus corpus occidam, et animam ejus mecum habeam. Respondit sanctus Narcissus episcopus et dixit: Et tu jura mihi in nomine Dei mei, quia statim interficias, quem tibi dedero in potestatem; et si eum non interficias, jubeat te Deus ire in abyssum. Dixitque ei dæmon: Per ipsum, qui nos cum principe nostro vicit, sic non me jubeat ire in abyssum; quia statim interficiam eum, quem mihi dederis in potestatem. Dixitque ei Narcissus episcopus: Vade juxta fontem Alpium Juliarum *s*, unde nemo potest aquam bibere, non homo, non pecus, non fera aliqua; quia Draco ibi habitat et de flatu ejus omnes, qui ad fontem accesserint, moriuntur: hunc draconem vade et interfice, et in F tuam potestatem redige animam ejus. Tunc exclamavit dæmon, dicens: O episcopum mendacem! Insuper me ligavit juramento, ut amicum meum occidam *t*: quem si non occidero, compellet *t* me ire in abyssum. Tunc dæmon assensit *; et occidit draconem: et liberatus est fons ad usum omnium usque in hodiernum diem *u*.

* *al. abscessit, accessit, ascendit*
u

Afra vero cum matre et ancillis baptizatur x

14 Per dies autem plurimos docuit verbum Dei sanctus Narcissus episcopus. Et baptizata est Hilaria cum filia sua Afra et cum puellis suis et cum omni cognatione sua et cum omnibus amicis suis *x*. Fecitque domum Hilariæ ecclesiam, et ordinavit eis presbyterum Dionysium, avunculum Afræ.

y

Ipse *y* autem episcopus Narcissus, perfectis ordine rebus, post menses novem, ad Hispaniam profectus est, ad civitatem Gerundam. In qua multum populum Deo acquisivit per tres annos. Et ita demum martyrii palmam cum diacono suo Felice attigit *z*: cujus passionis gloriam in consequentibus dicemus. Nunc vero fructum doctrinæ ejus in Afra prosequimur.

AN-

A

ANNOTATA.

a *De hoc* S. Narcisso ep. *vide Commentarium a num. 29. Egimus etiam de illo et S. Felice diacono ejus tom. II Martii, pag. 621 et seqq.*

b *Atqui religionis obtentu Veneri serviebat, ut infra dicetur num. 8. Quomodo ergo tantam subito in illa servitute turpitudinem agnoscit?* Causam aliam nullam, *inquit Velserus not. 46,* quam Sancti Spiritus divinam gratiam, proferre possumus: hæc, ubi vult, spirat: hujus afflatu Matthæum, Zachæum, Latronem puncto temporis immutatos scimus. *Idem infra de puellis ejus dicendum.*

c *Sic nomina hæc leguntur in plerisque codicibus nostris Mss., et in iis, quos secutus est Ruinartius; sic etiam leguntur apud Adonem die 12 Augusti, etc.; Wicelius tamen, Velserus, et Augustani, apud quos reperta sunt earum corpora, cum adjunctis inscriptionibus, ut par est credere, eas appellant* Dignam, Eunomiam, Eu-
B tropiam. *Adi Velserum hic, not. 28.*

d *Capitolium, in quo Jupiter imprimis cum Junone et Minerva colebatur, Roma primum habuit; verum hanc imitatæ deinde per provincias aliæ civitates, sua etiam Capitolia, Romani æmula, construxere; ut hic ostendit erudite Velserus not. 32. In eo templum cæteris, alibi positis, augustius erat.*

e *Frequentissimum usum apud primitivam ecclesiam signandi cruce frontem testatur inter alios luculente Tertullianus de Corona militis; cap. 3. Consule Gretserum nostrum de Cruce tom. I, lib. 4.*

f Majores nostri credidere, Afram haud procul a templo, quod nunc illi et D. Udalrico sacrum est, habitasse; matris domum in ecclesiam S. Martini postmodum abiisse. De Afra si verum est; eam in suburbio habitasse dicamus necesse est: neque enim illud spatium pomœrio antiquitus comprehendebatur. Idem de S. Martini æde quibusdam videtur. Mihi non admodum liquet. *Ita Velserus not. 36. Adi et notam ejus 99.*

g Circa pullorum cantum, *id est,* paulo post mediam noctem, *ut probat interpres noster*
C *not. 39.*

h *In variis Mss. pro* candelæ *legitur* cicindeli, cecinduli, cecindili, *quod lychnum, lampadem, et subinde etiam candelam significat, et varie inflectitur apud Cangium.*

i Circa tertiam horam; *nempe post solis ortum; ut Romani numerabant.*

k *Casus rectus absolute sumptus, usitatissimus est apud scriptores sequioris ævi.*

l Per tres horas: *hoc ut credibile faciat Velserus, exempla petit ex Vita S. Pelagiæ, et Vita S. Antonii, not. 47.*

m *Ita codices Mss. quinque cum editione Mombritii. Comparatio est sane parum accurata (nam etiam infantes ante Baptismum reatum criminis habent;) sed audientibus accommodata; quasi dicatur:* Eritis tam immunes a peccatis, *quam vos fuisse censetis in infantia.*

n *Multa hic de vario Veneris cultu disserit commentator, quæ istiusmodi rerum curiosus inveniet not. 53 et seq.*

o *Quæ uncinis inclusimus, leguntur apud Mombritium et in plerisque codd. nostris Mss. Eadem legit in nonnullis exemplaribus Velserus: sed recte addit not. 66:* Quæ non satis video, quomodo constent. Ego a fide exemplaris, quod cæteroquin secutus sum, discedere nolui. *Certe manifestam interpolationem indicant.* EX VELSERO ET MSS.

p *Neque hanc interpretationem sudore multo reperit Velserus not. 68. Et hæc ergo interpolatorem quasi digito notat.*

q *Atqui non dixerat supra:* Pro peccatis hominum; *sed:* Pro peccatis alienis. *Et hic igitur inepta est argutatio, neque auctoris idonei partus.*

r *Propter similes phrases negavimus in Commentario § 2, auctorem hunc, vel interpolatorem potius, tam antiquum nobis videri, quam Velsero.*

s Alpes Juliæ... triplices sunt...; unæ apud Taurinos; alteræ in Rætia; tertiæ apud Venetos... De quibus Narcisso sermo fuerit, dubitare licet. Me certæ conjecturæ ad Ræticas trahunt, quæ a Septimo usque ad Braulium montem late patent, et in quibus Œnus fluvius oritur: hæ etenim reliquis propinquiores; *etc. Velserus, not. 89. Idem in sequentibus notis multa eruditione utitur, ut credibilia faciat, quæ de dracone sequuntur; tametsi probe gnarus, plurima passim in hoc genere fabulosa jactari. Et sane persuaderet hæc nobis utcumque; si et illud suadere* E
potuisset, quod ipse pro certo habuit, hujusce scilicet historiæ scriptorem eumdem fuisse, qui fuit Martyrii. Sed vide Commentarium loco citato.

t *Ecquid nugatoria non sunt hæc? Nam si alio sensu verba Narcissi acceperat bardus hic dæmon, alio etiam sine dubio juraverat; adeoque non tenebatur jurejurando aut draconem occidere, aut ire in abyssum.*

u Usque in hodiernum diem. Hinc quoque apparet, *inquit Velserus not. 96,* historiam in re præsenti non esse scriptam; nisi hæc verba postmodum addita dicamus. *At si hæc postmodum addita dicamus; quo argumento negabimus, alia multo plura postmodum addita fuisse? Tum si hæc historia in re præsenti scripta non fuit; unde constabit, eam seculo* IV *scriptam fuisse potius, quam seculo* VI, *vel* VII*?*

x Cum omni cognatione *etc. Ad hæc Vels. not. 98:* Horum nomina interiere; præterquam Afri, qui patruus Afræ; et Dionysii, qui avunculus. *Nos de S. Afro egimus hoc die; de S. Dionysio,*
die 26 Feb. a pag. 631. F

y Ipse autem *etc. Vels., not. 101, a filo historiæ hæc separasse se dicit, quod alterius auctoris et ætatis viderentur; sed recte adjungit:* Neque tamen cujusquam opinionem præjudico: *nos enim causam nullam videmus ita judicandi; ac proinde censemus, ad filum ejusdem narrationis omnino pertinere; cum legantur eodem tractu in omnibus exemplaribus.*

z *Quæ sequuntur, habent omnia, quæ vidimus, exemplaria præter Velserianum. Numquid non ergo hæc manifeste indicant, eumdem esse auctorem Conversionis et Passionis, quæ sequitur? Neutiquam: potest enim Conversionis auctor neotericus quantumvis antiquam et ab alio scriptam Passionem assumere et assuere Conversioni a se recens compositæ, idque eadem hac transitione:* Nunc vero fructum doctrinæ ejus *(Narcissi)* in Afra prosequimur; *subjiciendo nimirum narratæ per nos Conversioni veterem passionis ejus historiam, olim ab alio gravissimo auctore conscriptam.*

CA-

Ex Velsero et Mss.

CAPUT II.

Passio S. Afræ Martyris.

Afra a persecutoribus comprehensa,

* Vels. fama
* al. fuisset
a

Apud provinciam Rætiam, in civitate Augusta, cum Christianorum esset gloriosa persecutio, et omnes pro Christi nomine variis suppliciis afflicti, ad sacrificia traherentur, contigit, Afram, quam notam habebat facies * publica, quod esset * lupanaria *a*, a persecutoribus comprehendi. Quæ cum fuisset judici oblata, dum interrogasset judex, et agnovisset, quæ esset; dixit ei: Sacrifica diis, quia expedit tibi magis vivere, quam inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea quæ ignorans Deum gessi; hoc autem, quod me jubes facere, nunquam factura sum. Gaius * judex dixit: Accedens ad Capitolium, sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos; ipsi quotidie crimina mea et peccata mea confiteor: et quia indigna sum ipsi sacrificium offerre, me ipsa pro nomine ejus cupio sacrificari: ut corpus, in quo peccavi, dum pœnas pertulerit, abluatur.

* al. Caius

B

variis argumentis urgetur
b

16 Judex Gaius dixit: Ut audio, meretrix es; sacrifica, quia aliena es a Deo Christianorum *b*. Afra respondit: Dominus meus Jesus Christus dixit, se pro peccatoribus descendisse de cœlo: nam et Evangelia ejus loquuntur, quod meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, et indulgentiam acceperit: et meretrices, et publicanos nunquam despexit; quin imo etiam secum eos manducare permisit. Judex dixit: Sacrifica, ut diligaris ab amatoribus tuis, sicut semper dilecta eras ab ipsis; ut inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. Afra respondit: Pecunias execrabiles jam nunquam accipiam: nam et quas habui, expendi; quia non erant de bona conscientia: nam nolentes accipere aliquantos fratres meos *c* pauperes, etiam precibus rogavi, ut a me dignarentur accipere, et pro peccatis meis orarent. Si ergo quæ habui, a me abjeci; quomodo potest fieri, ut quæram accipere, quæ etiam quasi sordes abjeci?

c

C

ad sacrificandum dolis;

17 Judex Gaius dixit: Jam te Christus dignam non habet; sine causa vis eum Deum tuum dicere, qui te suam non esse cognoscit: meretrix enim quæ est, dici non potest Christiana. Afra respondit: Christiana ego quidem dici non mereor nec vocari; sed misericordia Dei, qui non de merito, sed de sua pietate judicat, ipse me ad hoc nomen admisit. Judex Gaius dixit: Unde nosti, quia te admisit ad hoc nomen? Afra respondit: In hoc me cognosco a facie Dei non esse projectam, quia ad gloriosam confessionem sui sancti nominis permittor accedere, per quam me credo omnium scelerum meorum indulgentiam accepturam. Judex dixit: Hoc fabulæ sunt: magis sacrifica diis, per quos salutem consequaris. Afra respondit: Salus mea Christus est; qui pendens in cruce, latroni confitenti bona paradisi pollicitus est.

donec fatigatus constantia judex,
d e
f

18 Judex Gaius dixit: Porro sacrifica, ne in conspectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter vixerunt *d*, cathomis *e* te cædi jubeam. Afra respondit: Confusio mihi nulla est, nisi de peccatis meis. Judex dixit: Sacrifica diis; quoniam injuria mihi est tot horas tecum certare *f*: si vero nolueris, occideris. Afra dixit: Hoc est quod opto; si tamen merear, ut per hanc confessionem digna efficiar requiem invenire. Judex Gaius dixit: Sacrifica: nam torqueri te facio, et postea vivam incendi. Afra respondit: Corpus, quod peccavit, accipiat diversa tormenta: nam animam meam sacrificiis dæmonum non coinquinabo. Tunc judex nequissimus dictavit sententiam, dicens: Afram publicam meretricem, quæ se Christianam professa est, et noluit sacrificiis participare, vivam incendi præcipimus. D

vivam cremari jussit.

19 Statim igitur rapta est a ministris, et ducta in insulam Lyci fluminis; ibique eam expoliantes, ad stipitem ligaverunt. Atque illa levans ad cœlos oculos suos, oravit cum lacrymis, dicens: Domine Deus omnipotens Jesu Christe, qui non justos venisti vocare, sed peccatores ad pœnitentiam: cujus promissio vera et manifesta est, quia dignatus es dicere, qua hora conversus fuerit peccator a suis iniquitatibus, eadem hora te non rememoraturum peccatorum ejus; accipe in hac hora passionis meæ pœnitentiam; et per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne æterno me libera, qui animam et corpus simul exurit. Et iis dictis expletis, circumdata sarmentis *g*, igne supposito, vox audita est, dicens: E
Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me dignatus es hostiam habere pro nomine tuo, qui pro toto mundo solus hostia oblatus es in cruce, justus pro injustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, dulcis pro amaris, mundus a peccato pro peccatoribus universis; tibi offero sacrificium meum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in secula seculorum, Amen. Et hæc dicens, emisit spiritum.

Corpus illæsum sepelientes mater et comites,
h
i

20 Stabant autem juxta ripam fluminis *h* Digna, Eumenia, et Euprepia, quæ fuerunt ejus ancillæ, simulque fuerant in peccato, et simul a sancto Narcisso episcopo baptizatæ. Quæ rogaverunt milites descendentes de barca *i*, ut eas illic transmitterent. Cumque eas transtulissent, invenerunt sanctæ Afræ integrum corpus. Puer autem, qui cum ipsis erat, transnatavit et nuntiavit matri ejus Hilariæ. Et venit nocte cum sacerdotibus Dei et tulit corpus ejus *k*; et posuit secundo milliario a civitate Augusta in memoriam, quam sibi suisque construxerat. Nuntiatum autem est judici Gaio. Qui misit ad ipsam memoriam, dicens: Ite et tenete eas; et si consenserint ad sacrificandum, cum honore eas adducite ad me, ut remunerem illas censu dignissimo; si autem videritis, eas animo pertinaci obsistere, et nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, implete memoriam cremiis, et claudite super eas ipsam memoriam, et ita demum ignem supponite, ut nulla ex eis evadat viva. F

in ipso sepulcro martyrii palmam consecutæ sunt.

21 Euntes autem milites, prius blando sermone eas provocabant; post hæc terroribus impellebant. At ubi viderunt, omnes simul contemnere sacrificia, repleverunt memoriam sarmentis et fœno et siccis spinis, et clauserunt super eas, et, supposito igne, abierunt. Sicque factum est, ut eadem die, quando sepulta est Afra, simul etiam mater ejus Hilaria, necnon et famulæ ejus secundum carnem, sed jam sorores in Christo, Digna, Eumenia, et Euprepia, simul martyrii coronam acciperent *l*, et quæ simul unanimes in Christum Jesum crediderunt, ad eum cum palma martyrii pariter pervenirent; ipso præstante, qui regnat cum Patre et Spiritu Sancto Deus in secula seculorum. Amen *m*.

AN-

A

ANNOTATA.

a Lupanaria *dicta a lupanari; ut a fornice, fornicaria dicitur.*

b *Ex hoc loco et alio inferius, collige, quam castam ipsi etiam ethnici religionem Christianam fuisse censuerint.*

c Fratres meos; *sic olim scilicet se mutuo Christiani vocitabant: nunc usus iste fere ad monasteria relegatur. Sed cur illi pecunias obtrudi sibi quasi invitis volebant? An quod eas, etiam in paupertate, absolute spernebant; an quod has, ut infamis commercii fructum, peculiariter aversabantur?*

d Turpiter vixerunt. Mira Gentium stupiditas, *exclamat hic apte Velserus not. 33.* Deorum cultum iis rebus constare credebant, quas ipsimet naturæ ductu turpes esse fateri cogebantur. *Quod et aliis exemplis probat.*

e Cathomis, *seu* catomis *potius, aliquem cædere quid sit, multis hic discutit eruditus interpres noster not. 34, tandemque eo dilabitur, ut idem existimet esse, quod cædere* virgis ferreis. *Et sane hæc expositio auctoritate non caret, ut patet apud Cangium: qui tamen* catomos *mavult per* vimineas virgas *exponere. Habet vox eadem et aliam significationem; quæ huc non spectat. Addit Velserus not. seq.:* Pia antiquitas credidit, Afram ante summam ignium pœnam...... more Romano ad palum deligatam, verberatam fuisse: *quod neque ex* hoc loco, in quo judex tantum minis agit, neque ex hac omni historia constare potest. Non tamen reluctor; cum sciam, Christianis nihil de solitis suppliciorum accessionibus remitti; quin plurimum adjici consuevisse.

B

f Tot horas *etc. Ex his verbis colligit Velserus, multo plura a judice vicissim et* Afra *dicta fuisse, quam quæ hic narrantur. Sed numquid hyperbolæ locus hic esse potest; ut* tot horas *idem sonet, quod* tam diu, nimis diu? *Sic Terentius:* Nosti mores mulierum: dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

g Circumdata sarmentis. *Jam is modus exurendi Christianos tam usitatus dudum ante erat; ut inde per contumeliam* sarmentitii *vulgo dicerentur, teste Tertulliano in Apologetico cap. 50.*

C

h. Juxta ripam fluminis; *Lyci intellige ripam citeriorem Augustanis. Omisi hic titulum et quædam alia, quæ Velserus interjicit; quia absunt ab omnibus exemplaribus nostris.*

i Barca, *cymbam aut navigium minus significat, quo exonerantur onerariæ. Vocem vero hanc eo sensu usitatam fuisse seculo quarto, patet ex S. Paulini poemate (in editione Parisiensi anni 1685) vigesimo primo, pag. 101, num. 95.* EX VELSERO ET MSS.

k Tulit corpus *etc. Hic Velserus not. 63 fuse disserit de prisca ratione, quam servaverint variæ gentes, in parandis et condiendis ad sepulturam cadaveribus: nam quod inventum sub Embricone fuerit corpus* S. Afræ, quodam candidissimo cæmento obductum, *uti in Commentario dictum est, num. 63, id ipse ad condituram illam referendum suspicatur, quæ hasce exsequias præcesserit. Et ita sane obducta calce corpora sepeliri consuevisse, Romana Martyrum cœmeteria loquuntur, et maxime Prætextati, Callisti, et S. Agnetis; de quibus vide Marcum Antonium Boldettum in Observationibus Italicis ad cœmeteria sanctorum Martyrum lib. 1, cap. 55, pag. 290.*

l *De* SS. Hilaria, Digna, Eumenia *sive* Eunomia, *et* Euprepia *sive* Eutropia *agendum erit die 12 hujus mensis, quo eas coli diximus. De epistola Nicolai PP. I ad Tadonem archiepiscopum Mediolanensem super* S. Afræ *et harum ejus comitum reliquiis; quam exstare notat Galesinius ad diem 5 Augusti, nihilo plus invenire potuimus, quam olim Velserus. Et vero quid ea res ad archiepiscopum Mediolanensem?*

m *Plura in hoc Martyrio inobservata transcurrimus, quia in Commentario prævio discussa sunt. Cæterum sic terminantur Acta* S. Afræ *in omnibus exemplaribus nostris Mss., præterquam in codice valde antiquo* P. *Ms. 20, in quo hæc sequuntur:* Eodem vero die apud urbem Romam, alii XXV, τὸ est, Cyriacus, Largus, Crescentianus, Nemmia, Juliana, Leonida, Eutycianus, Diomida, Carrito, Philadelphus, Agapes, Petrus, et alii XIII, pro nomine Domini nostri Jesu Christi decollati sunt: et glorificavit Dominus Sanctos suos per gloriosam confessionem. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen. *Simile quid reperit, nec sine variatione, in codicibus suis Ruinartius, ut monet in notis; simile quid etiam refert Wicelius: at hos Augustæ passos legit olim Ado, et post illum Velserus; qui tamen fatetur, illos ad* Afræ *Martyrium non pertinere. Discussio spectat ad diem 12 Augusti. Cætera quæ de SS. Afro ac Dionysio hic annectuntur in exemplari Velseriano, jam nos diximus in aliis nullis, sive Mss., sive excusis vidisse.* F

DE S. CASSIANO EPISC. CONF.

AUGUSTODUNI IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

§ I. Verus ac celebris Sancti cultus, miracula et translationes.

SEC. IV. *De Sancti cœmeterio*

Ab iis S. Cassianum *exornare aggredimur, quæ certa et indubitata sunt, ea deinde examinaturi, quæ ex nescio qua Vita, quinque et amplius seculis post ejus obitum miris modis exornata, eruditorum ingenia non parum exercuerunt S. Gregorium Turonensem, Constantium in Vita S. Germani Autissiodorensis, ut probatissimos auctores, et vetusta Martyrologia testes adducimus celeberrimæ Episcopi Augustodunensis sanctitatis, et cultus ejus in Ecclesia receptissimi. Audiatur ipse, quem primo laudavimus, Turonensis De gloria Confessorum cap. 73, cœmeterium istic describens, quotidiano prope miraculo sua ætate celebratissimum.* Cœmeterium, *inquit,* apud Augustodu-

AUCTORE J. B. S.

gustodunensem urbem Gallica lingua vocitavit, eo quod ibi fuerint multorum hominum cadavera funerata : inter quæ quod sint quorumdam fidelium, dignarumque Deo animarum sepulcra, frequens occulti psallentii mysterium docet; cum plerumque multis appareant, in ipso vocum præconio reddentes omnipotenti Deo gratiarum debitam actionem. Nam audivi quod duo ex incolis loci, dum loca sancta orandi gratia circumire disponerent, audiunt in basilica S. Stephani, quæ huic conjungitur cœmeterio, psallentium sonum : admirantesque dulcedinem moduli, appropinquant ad ostium templi, autumantes a quibusdam religiosis vigilias celebrari. Ingredientes autem, et orationi diutissime incumbentes, consurgunt, psallentii chorum conspiciunt; nihilque lucere per templum, nisi propria claritate cuncta prospiciunt splendere; de personis vero nullam prorsus agnoscunt.

mira narrat Greg. Turon.

2 *Quot autem in eo cœmeterio qualesve Sancti sepulti fuerint, nec Gregorius ipse, nec alii produnt historici; cæterum eos inter, haud dubie ut præcipuum cum connumerandum, quo de hic nobis sermo est, sequenti mox cap. 74 diserte exprimit idem Turonensis episcopus, non jam de auditu solum, sed de visu testis, ita prosequens :* In hoc cœmeterio vidi beati Cassiani sacerdotis magni sepulcrum, a multis infirmis erasum, quod pene transforatum eo tempore putabatur. Abluuntur enim ex hoc pulvere ægroti : sed protinus virtutis magnitudinem sentiunt. *Quis inde non statim colligat, quam ea ætate pervulgata esset tota ea et circumvicinis regionibus* S. Cassiani *meritorum existimatio; quanta circumquaque ægrorum multitudo eo confluerit, quot porro et quanta miracula ibidem patrarentur? En plane insolitum ex laudatis modo magni S. Germani Actis non ita pridem a nobis editis tomo VII Julii, lib. 2, cap. 4, num. 64, pag. 217.*

B

In eo S. Germanus cum Cassiano loquitur :

3 *Ibi Constantius peregrinantem S. Germanum ad territorium Augustodunense deducit :* Qui dum loca Sanctorum de more circumiret, tandem pervenit ad tumulum sancti Cassiani pontificis : in quo ita divina virtus apparuit, ut in pario lapide contrarius color crucem exprimeret, et salutare signum varietas distincta monstraret. Quod cum
C Germanus sanctissimus fuisset intuitus, fusis ex more Christo precibus, ait : Quid hic agis, frater gloriose? At ille statim e tumulo, cunctis qui aderant, audientibus : Dulci, inquit, in pace quiete potior, et adventum Redemptoris exspecto. Cui Germanus mutua sermonis voce dixit : Quiesce per longum in Christo, frater, tempus : ut autem divinæ tubæ cantum, et exoptati clangoris sonum, ac sacræ resurrectionis gaudia obtinere mereamur, et pro nobis, et pro hac plebe, attentius intercede ad Dominum nostrum Jesum Christum.

in Martiis mire celebratur ,

4 *Signa adeo stupenda non potuerunt* S. Cassiani *famam non diffundere per totam Galliam, quin et per orbem catholicum universum; unde mirum est minime, quod exinde in pleraque Martyrologia celebre ejus nomen transierit. Et Hieronymiana quidem omnia ipsum hoc die diserte memorant. In Epternacensi annuntiatur :* Augustoduni, Cassiani episcopi : *in reliquis;* Natalis S. Cassiani episcopi; *quibusmet verbis utuntur Ado et Notkerus; in Usuardo modica ea est et sola differentia, quod pro* Sancti, *scribat* beati. *Hisce plane consonat metricus Martyrologus Wandelbertus ejusdem temporis; ut plane mirum sit, nullam ejus memoriam in Rabani Martyrologio reperiri. Idvero præcipue hic observatum cupio,* D *nullum ex citatis Martyrologis vel brevissimo saltem elogio* S. Cassianum *exornasse, ut mihi quidem id indubitato argumento sit, nullam toto seculo nono Vitam exstitisse, ex qua de ejus patria Ægyptiaca, gestis ibidem in prætenso episcopatu Ortensi, aut de suscepta in Gallias peregrinatione, vel tantillum memorari posset.*

Multa falsa tribuuntur Floro

5 *Vidit Vitam illam is qui sub falso Flori nomine a Majoribus nostris ante tomum II Martii editus est, dum tam confidenter multa de eo prædicat quæ inferius dubia, inepta et falsa demonstrabuntur. Audi prima in Martyrologiis aliisque brevioribus legendariis vulgata fabularum specimina. Sic ibi legitur :* Ipso die, natale S. Cassiani episcopi et confessoris : qui a Theone martyre cœlestibus instructus disciplinis, in civitate Ægyptiorum, vocabulo Ortensi, episcopus est ordinatus; in qua cum ecclesiam construeret, B. Laurentius martyr ei apparuit, et ut eamdem suo nomini dedicaret, admonuit. Deinde, divina revelatione, Gallias penetrans, Augustidunensem urbem cum suis aggressus, a sancto Simplicio E ejusdem urbis episcopo honorifice est susceptus, ministratoque a S. Simplicio sacerdotio, et defuncto, in ejus locum S. Cassianus subrogatus est episcopus, ubi et multis coruscavit miraculis, et requievit in pace. *Sequitur S. Germani alloquium, et sacri corporis translatio facta Augustam Viromanduorum.*

quibus similia tradit Bellovac.

6 *His plane similia sunt quæ ex eodem fonte tradunt Vincentius Bellovacensis lib. 20 cap. 42, S. Antoninus parte altera, tit.* XI, *cap. 17, § 4, Equilinus lib. 7 cap. 27, atque ex iis alii. In alterum specimen sufficiant S. Antonini verba hujusmodi :* Hic autem Cassianus ex nobili genere in Alexandria natus, a sancto Zenone, urbis ejusdem episcopo, divinis litteris eruditus, Deum ab infantia coluit; et omnia pro Christo deserens, in Ortensi urbe ecclesiam in honorem S. Laurentii, sicut ab eo in visu doctus fuerat, construxit. Tunc Jovinianus imperator, qui successit Juliano apostatæ, Deum timens elegit eum, conclamante populo, in Ortensi urbe episcopum. Sed cum eam aliquandiu in omni sanctitate rexisset, valedicens omnibus, omnia dereliquit, et cum pau- F cis clericis peregrinationem assumpsit : intransque mare, ad Massiliam navigavit : et inde, sæviente persecutione hæreticorum et paganorum, Augustudinum pervenit, a S. Simplicio episcopo gratanter exceptus. Qui cum eo per triennium manens, postea migrante Simplicio ad Dominum, omnis clerus et populus Cassianum ipsum episcopum ibi elegerunt; cui Dominus tantam gratiam conferre dignatus est, ut assidue per eum miracula ostenderet, cæcis visum, surdis auditum, debilibus sospitatem conferendo. Consummatisque annis XX in dicto episcopatu, migravit ad Dominum Jesum Christum, in gloria resurrectionis cum cæteris Sanctis.

neque Saussayus nevis caret.

7 *Neque vero hic prætereundus Saussayus, non uno loco* S. Cassianum *laudans. Et primo quidem de ejus deductione et repositione ita loquitur ad* I *Januarii :* Apud Laudunum Clavatum, deductio et repositio sacrorum corporum beati Quintini martyris et S. Cassiani episcopi, quæ illic, ob incursionem Normannorum, semel ac iterum transvecta, inde tandem proprium in locum Augustam Viromanduorum relata sunt. *De eorumdem pignorum depositione agit* XIV *Novembris, quæ quidem tolerabilia sunt; verum quæ de ordinatione* IX *Februarii memorat, atque hujus diei prolixa an-*

nun-

A *nuntiatio, non sunt nisi ornatiores eorum, quæ jam diximus, deductiones, ut eis supersedere liceat absque ullo piaculo. Magis placent quæ* XVII *Julii habet ex Martyrologio S. Savini in Levitania pag. 1249 :* Eodem die, adventus corporis S. Cassiani episcopi, in ecclesia beati Quintini martyris, signis et miraculorum virtutibus gloriose coruscans. *Breviter, sed Vitam jam dictam redolens Maurolycus, ita Sancti natalem signavit:* Augustoduni, S. Cassiani episcopi, a Zenone Alexandriæ episcopo instituti.

Quam certus est cultus. 8 *Atque hæc omnia cultum Sancti et antiquum, et celebrem et constantem confirmant. Quibus addi possunt et Missæ propriæ et Officia singularia, tum Augustoduni tum ad S. Quintini celebrari solita, quæ tamen hic non referimus, quod multis fabulosis, ex jam dicta Vita acceptis, infecta sint, quæ nos proxime discussuros polliciti sumus; hic non nisi certa prosequimur, quibus etiam adjungenda omnino, quæ de miraculis prope innumeris pauca memorantur ex perantiquo cod V. C. Claudii Joly Parisiensis Canonici a Papebrochio* B *descripta, præcipue occasione translationis ex Æduis ad Augustam Viromanduorum factæ, de qua et cæteris etiam loquitur Molanus in notatis ad alteram Usuardi editionem anni 1573 ita scribens :* Cassiani meminit Turonensis De gloria Confessorum cap. 74. Vita habetur Ms. capitibus octodecim. Item translatio capp. 17. facta anno DCCCLX, de finibus Æduorum ad nostrum (Viromanduorum) et miracula, partim nostris conspecta visibus, inquit auctor, partim eorum relatione comperta, qui sæpius adesse potuerunt.

Iam falsa est Vita. 9 *Multum fallor, aut qui miracula illa* S. Cassiani *accurate collegit, idem ipse est qui Vitam ejus ex nescio quibus traditiunculis, dubiis, ut dicebam, ineptis et falsis sic consarcinavit, ut passim vel tironi historico pateant apertissimæ falsitates, anachronismi et hujusmodi alia quæ toti historiæ fidem abrogent. Nimirum Vita qualicumque opus erat, ne ignotus videretur Sanctus tot mirandis et stupendis illustrissimus, ut sexcenties factum in opere nostro annotatum invenies, adeo ut vel eorum Martyrum Acta conficta fuerint aut ex aliis mutuata, qui ex Romanis cryptis anonymi et ignotissimi, miraculis suis alicubi inclaruerant. Non eadem signorum ratio,* C *quorum oculatos testes producere potuit scriptor ac de proprio visu testimonium ferre. quæ proinde merito recensebimus ex laudato proxime Joliano codice. Quibus sacri corporis exaltationem cum sanctis Quintino et Victorico, ex Hemeræi ad Augustam suam Viromanduorum vindicatam appendice, aliasque translationes ob fatalia Normannorum tempora factas subjungemus, ut ad antiquissimi juxta ac constantissimi cultus probationem nihil desiderari possit. Adde quod et ecclesia parochialis sacro ejus nomini dicata hodieque perseveret in vico Saviniaco prope Belnam in ducatu Burgundiæ.*

§ II. Sancti patria, ætas, gesta extra Galliam, adventus ad Æduos, incerta omnia.

Patria fingitur Alexandria. **D***e iis hic solum agimus, quæ in citata jam non semel Vita inepte tradita sunt, nec minus imperite combinata. Ex solo principio statim cognosces, quid de reliqua tela censendum sit. Prologus ita conceptus est, ut, nec voce immutata,* AUCTORE J. B. S. *Sanctorum quibuslibet historiis æque atque huic aptari possit. En modo Vitæ exordium ex Codice Pratensi notato 807, cum pluribus aliis infra citandis collato :* Igitur beatissimus Cassianus nobilibus ac locupletibus parentibus Alexandriæ urbis oriundus fuit. Etenim a prima ætate Deo se devoto animo jugiter commendavit. Sanctus vero Zonis episcopus eum enutriens, divinis eruditionibus et Evangeliorum dogmate, doctrina apostolica in se manente, instruxit. Tempore illo in tota Alexandria gentilitas paganorum dominabatur. Fuit autem antea imperator, Julianus nomine, persecutor Christianorum, multosque Sanctos pro nomine Christi interfecit. Venerabilis vero Cassianus persecutionem non metuens, assidue orationi et vigiliis vacans, Deum ex toto corde et ex tota virtute diligens erat. Et dum multorum sanctorum Martyrum auxilia fervente animo imploraret, sancti Hilarini se sociavit consortio.

atque ibi Theon episcopus : 11 S. Cassiani *patria gratis plane Alexandria repetitur, ubi ipsum non magis natum aut institutum credam, quam* Zonem *seu* Zenonem *vel* E Theonem *fuisse ejus urbis episcopum, et sub Juliano, ut postmodum narratur, martyrium passum; quæ omnia mere conficta sunt. Episcopos seu patriarchas Alexandrinos ita pridem recensui, ut hac saltem in parte fides mihi haberi tuto possit; Zenonem autem ibi episcopum fuisse, tam falsum est quam quod falsissimum. Nominis istius Martyrem aliquem cum sociis dedi* XV *Julii; ast is* S. Cassiani *non magis institutor fuisse scitur, quam S. Hilarinus martyr de quo* XVI *Julii actum est, potuerit ejus esse socius; ut jam taceam, in iisdem ipsis Actis asseri, Zenonem illum a* S. Cassiano *sepultum pridie Kal. Maii. Apostatæ Juliani tempora, a* S. Cassiano *nunquam visa; pessime huc adducuntur : quæ de Sancto nostro vere prædicari possunt, non ex id genus apocryphis, sed ex S. Gregorio Turonensi accersenda, quo auctore seriem Augustodunensium præsulum infra dabimus, unde certissime patescet,* S. Cassianum *vitam minime produxisse ad Joviani imperium, imo verosimillime non ultra annum 340, ut inde consequi necesse sit, vana esse omnia quæ de episcopatu Ortensi num. 3 scriptor comminiscitur, ad quem Jovianus ipse Sanctum evexerit, quemque hic deseruerit, impulsus desiderio martyrium* F *in Galliis adipiscendi, dum altissima pace tota frueretur Ecclesia.*

uti et Sancti episcopatus Ortensis 12 *Episcopatum itaque seu* Ortensem, *seu* Orcensem, *aut, si ita vis,* Orthosiensem *in tota Ægypti regione reperibilem non esse, nec fuisse unquam, omnino fatendum est, idque inter mera scriptoris istius commenta certissime recensendum. At vero inde deducere,* S. Cassianum, *si non Ortensem in Ægypto, saltem urbis synonymæ in Italia fuisse episcopum, nescio qua satis ratione Raphaeli Volaterrano in mentem venire potuerit. Cæterum is omnium primus est qui circa finem seculi* XV *aut sequentis principium Commentariis suis Urbanis id pro suo beneplacito inseruit, quod nec apud Bellovacensem, nec S. Antoninum, nec Equilinum episcopum, aut quem noverim alium quemlibet invenire usquam potuit, ut proinde non nisi ex apocryphis Actis aut elogiis id marte suo eduxerit pag. mihi 162, ubi agens de variis Cassianis, hæc de nostro in hunc plane modum prædicat :* Alius Alexandrinus sub Joviano in Italiam veniens, ad Ortanum, templum construxit *(nempe peregrinus Ægyptius)* cujus et præsul electus. Inde peregrinando Augustodunum venit,

AUCTORE J. B. S.

venit, ejusque urbis Simplicio viro sancto in præsulatu successit.

male in Italia ab Ughello repertus.

13 *Hæc avide arripuit Ughellus in sua Italia sacra, ut tam venerabili nomine augeretur Hortensium in Italia episcoporum numerus, multa ex apocryphis Actis et aliunde commiscens, quæ ex dictis et dicendis omnino corruere patentissimum est. Juverit tamen hallucinationes ejus hic describere. En textum :* S. Cassianus Alexandrinus, genere Ægyptius, sub Joviniano imperatore in Italiam veniens, episcopus Hortanus factus est anno CCCLXIII, templumque S. Laurentio sacrum construxit, ut narrat Volaterranus in Anthropolog. exstatque apud S. Antoninum archiep. Florentinum. Qui auctores commemorant, hunc Sanctum peregrinationis ergo secessisse in Gallias, ibique in locum S. Simplicii episcopum Augustodunensem fuisse suffectum; mihi perspicue videntur tempora invertere, siquidem si hic Cassianus primum Hortensis, et postea Augustodunensis episcopus fuit, non cohæret, Hortanæ ecclesiæ præ-
B fuisse illum anno CCCLXIII, ut illius ecclesiæ monumenta habent; Simplicius enim Augustodunensis episcopus decessit anno CCCXLIX, eique suffectus est Cassianus, qui illam ecclesiam per XX annos sanctissime gubernavit, ut doctissimus Claudius Robertus refert in sua Gallia Christiana. Quamobrem asserere oportebit, Cassianum ante annum CCCLXIII Hortanæ præfuisse ecclesiæ, quod evenisse potuit anno CCCXL. *Hæc sufficiant; pergamus Acta excutere.*

Ficta ordinatio

14 *Sub finem numeri 3 scrupulosus, opinor, Vitæ fabricator, noluit* S. Cassianum *ab alio ordinari quam a synonymo antistite, ea gratia a Joviano imperatore ex Asia accersito, quasi in Ægypto defuerint qui eo munere fungerentur :* Ab alio quoque ejusdem nominis beato Cassiano, de Asia regione, ordinatus est et benedictus sanctus Cassianus episcopus. *Sequuntur virtutes et egregia opera Sancto digna; at num. 5 solens suo more nugatur, dum S. Zenonis corpus ait a* S. Cassiano *sepulturæ traditum in basilica et prope corpora SS. Martyrum quorum octodecim nomina memoriter recitat, et quidem presbyterorum omnium, excepto uno solo diacono. Audiamus nomina*
C *vera vel luxata :* Secundianus, Felix, Terentius, Victor, Redutus; item Victor, Colusus, Duddeus, Fortunius, Spenetius, Afrodisius, Julius, Emeritus, Honorius, Salvanus, Saturnus, Dorigianus presbyteri; Roricianus diaconus. *Hæc porro nomina unde accersi potuerint, equidem non satis intelligo : si tabulas omnes Ægyptias excusseris, vix tria occurrent quæ Alexandriam aut ad Ægyptum reduci queant. Presbyteros autem septemdecim cum diacono in una eademque basilica simul collocatos, quæro cui reddi possit vel solum verosimile, ut hic fabulatorem sui immemorem fuisse oporteat.*

uti et abdicatio.

15 *Sequitur non minus ornata, inter querelas, luctum et lamenta, sedis ipsius Ortensis facta a* S. Cassiano *abdicatio, S. Zenonis imitandi gratia; videlicet ut martyrii coronam, quam in Ægypto adipisci non poterat regnante Joviano, eam in Galliis consequeretur, quasi istic alius quis eo tempore imperaret Christianorum persecutor. Noluit vero biographus noster sanctum Episcopum incomitatum proficisci; adjunxit enim* presbyteros duos Domitianum et Dydimum, duos diaconos Orion et alium, nomine Neones; et tres lectores, his nominibus: Basamona, Eron et Honorio; et subdiaconos quatuor Ingenianum, Justum, Simplicem et Mansuetum : *diceres oratorem omnes*

de facie novisse, atque illustrem quemdam sui D
temporis Francorum antistitem, ad singularem aliquam solemnitatem, cum aulico apparatu procedentem describere. Exiit autem properans itinere cœpto beatus Pontifex pridie Kal. Aprilis, faciens iter sex mensibus, hoc est usque ad Kal. Octobris. *Quid potuit notari accuratius? Ut* Africæ portum percunctaretur, *unde Massiliam versus solveret. Cætera non prosequor, quorum præcipua sequenti paragrapho confutabuntur.*

§ III. S. Cassiani in episcopatu Augustodunensi successio, et Acta.

Cui successerit Augustoduni,

In *hac describenda, quemadmodum in cæteris turpiter hallucinatur imperitus biographus, dum* S. Cassianum *ad Æduos deducit tempore S. Simplicii, quem ipsum multis annis præcessisse oportet. En ejus verba num. 10 :* Nuntiatum est au- E
tem Sancto Simplicio episcopo, quod homo Dei, nomine Cassianus, ab Oriente de transmare advenisset : quo audito, venerabilis pontifex cum magna veneratione, cum hymnis et canticis eum suscepit. *Infra porro num. 11, ita pergit :* Fuit autem sanctus Cassianus apud eum triennio. Post hæc obiit beatus Simplicius VIII Kal. Julii, et sepelivit eum beatus Cassianus cum laudibus in cæmeterio, qui est in conspectu ipsius civitatis : qui per singulos dies offerens oblationem, sacrificium Deo immolabat pro eo in memorialem æternam. Post unum autem annum omnis clerus omnisque populus, tam divites quam pauperes, una voce consona constituerunt S. Cassianum sanctæ ecclesiæ apostolicæ dignitatis. Cui tantam gratiam Dominus Jesus Christus conferre dignatus est, ut assidue miracula per eum ostenderet... Consummavit autem regens ecclesiam beatus Cassianus episcopus annos viginti et migravit ad Dominum.

non ex Vita quærendum

17 *Ex tota ea Vita, qualem modo descripsimus, certi nihil erui posse, jam satis ostensum esse existimo, præter laciniam, ex S. Germani per Constantium gestis recte acceptam. Neque de* F
episcopatu Augustodunensi ullo pacto dubitandum, non tam ex ipsa illa Vita, quam ex iis quæ tradit laudatus supra S. Gregorius Turonensis De gloria Confessorum cap. 75, ita disertissime S. Cassiani *ætatem et successionem definiens, ut Ruinartio, operum ejus postremo editori assentiri nequaquam possim, dum notam suam hoc pacto efformat :* Habemus in vetustis Mss. codicibus vitam S. Cassiani, soluta et stricta oratione descriptam, in qua Rethicio Egimonius, et huic Simplicius successisse dicuntur. Cassianus vero in Ægypto natus, ibique Ortensis episcopus factus tempore Joviani imp., relicta sede, in Gallias venit, ubi a Simplicio Æduensi episcopo susceptus est, eique successit; obiit sec. IV labente. Unde emendandus videtur hic Gregorius, qui Cassianum Egemonio et Simplicio præponit. Et quidem Simplicius inter episcopos recensetur qui anno CCCXLVI concilio Coloniensi contra Euphratam ejusdem urbis episcopum dicuntur interfuisse; proindeque ante Cassiani adventum sedebat, qui Joviani tempore, id est anno CCCLXIII factus est episcopus. Si tamen quis maluerit Cassiani Vitam ex Gregorio reformare, non refragabor.

sed ex Gregor. Turonensi

18 *Recte id quidem, et ita plane reformarunt symmistæ ejus illustratores novissimæ editionis Gallia*

A *liæ Christianæ tomo IV col. 328, ubi relatis S. Gregorii hisce verbis :* Huic *(Rethicio)* Cassianus, cujus supra meminimus, successit. Post hunc Egemonius cathedram pontificatus assumpsit. Quo decedente, B. Simplicius ecclesiæ ipsi præponitur. *Tum immediate subjungunt :* Gregorio adhærent et adhærendum indubie pronuntiant Sammarthani fratres et Tillemontius; tum quia historiæ nostræ parentis Gregorii summa apud omnes Gallos auctoritas, maximam fidem a nobis exigit ; tum quia nullam meretur ea Cassiani Vita. Citatur hæc quidem a Molano in 2 edit. annotationum ad Usuardum, ad v Augusti : exstat et in Ms. codice S. Michaelis Belvacensis : denique et Cassianum S. Simplicii successorem asserit Martyrologium sancti Savini in diœcesi Tarbecensi. Verum hæc omnia nullius sunt momenti. Cassiani quippe Vita, qua nituntur, tot nugis rebusque improbabilibus referta est, ut nullam omnino fidem mereatur, eamque sequacibus suis omnino detrahat. *Idem porro inculcant col. 331 ;* in Cassiani Vita tot menda sunt, tot falsa, ab illorum temporum moribus aliena, tamque parum sibi cohærentia, ut nullam B omnino fidem mereatur, nihilque certi de illius patria et gestis possit affirmari.

unde episcopi accipiendi

19 *Vita illa jam abunde repudiata, superest Augustodunensium episcoporum series ex mente S. Gregorii sic determinanda, ut assignetur, si non certum, saltem verosimile tempus quo sederint sancti* Cassianus *et Egemonius inter sanctos Rheticium et Simplicium. De illo in Actis nostris locuti sumus die* XIX *Julii ; ast ejus obitus annus commode definiri non potuit, uti neque in novissima Galliæ Christianæ editione satis certo definitus est; nisi admittatur recentior tabella Augustodunensis in qua signatus est annus* CCCXIV, *quo certum quidem est Sanctum illum supervixisse, utpote qui eodem ipso anno interfuerit concilio Arelatensi ; verum, eodem illo e vita excessisse, unde educi potuerit, fallor, siquis tuto assignare possit. Neque magis liquet, unde Tillemontius tomo X, pag. 836, tam facile admitti posse censuerit, S. Rheticium sedem tenuisse usque ad annum 334, successoresque ejus sanctos* Cassianum *et Egemonium implevisse rotundo numero annos quadraginta, nempe ad annum usque 374, quo successerit S.* C *Simplicius, sederitque adeo ad annum 418 et forte ultra ; qua hypothesi admissa, tanquam satis probabili, de geminando Simplicio, frustra hactenus disputatum est.*

quorum tempora

20 *Liceat et mihi in rebus necdum plane elucidatis, conjectura haud quaquam inverosimili, S. Rethicii vitam saltem ad annum usque circiter 320 protrahere. Sancto nostro* Cassiano *ejus successori adscribantur anni viginti, quot ei citata sæpius Vita, licet in plerisque aliis aberrans, rotunde tribuit, admittuntque etiam Sammarthani; pervenietur ad annum 340 ; a quo si repetatur S. Egemonii episcopatus initium, nihil plane vetat, annos ejus producere ad 374, unde sumantur S. Simplicii exordia. Equidem non video, ratione alia probabiliori ad S. Gregorii Turonensis placita conformari posse Augustodunensium episcoporum successionem, nisi intermedii aliqui fingantur, quos sane mirum esset tam præclaro vicinoque scriptore ignoratos fuisse, dum quæ ad sacram urbis istius historiam pertinent, tam accurate prosequitur. Ita nobiscum in substantia sentiunt Severtius, Sammarthani, Tillemontius, in nova Gallia Christiana PP. Benedictini et alii, quibus omnibus expediendus nodus, qui ex concilio Coloniensi petitus a nostro Henschenio satis apposite pridem solutus est, cujus hic verba subjiciam ex Commentario ad Vitam S. Simplicii* XXIV *Junii tom. IV, pag. 812 :*

AUCTORE J. B. S.

utcunque determinantur.

21 Tempus sedis non videtur sumendum ex sacris conciliis Agrippinensi et Sardicensi, quasi illis interfuisset, sed ex Actis SS. Amatoris et Germani episcoporum Autissiodorensium ; ex quibus plane solide constat, S. Simplicium seculo quinto præfuisse ecclesiæ Augustodunensi. Interim concilium Agrippinense traditur habitum anno CCCXLVI, in quo episcopus Coloniensis, quod Christi divinitatem negaret, depositus esset : quem alium ab Euphrata, licet perperam ejus nomen insertum sit, ostendimus ad Vitas S. Athanasii episcopi Alexandrini, et S. Servatii episcopi Tungrensis die II et XIII Maii. In hoc Agrippinensi concilio, uti Euphratas tanquam hæreticus insertus est, ita Simplicius Augustodunensium episcopus interfuisse fingitur, tum forte necdum natus. At Sardicense Concilium habitum est anno CCCXLVII; cui inter episcopos Galliæ interfuit aliquis Simplicius, sed quis ille fuerit, non additur. *Una hæc via nobis sufficere* E *visa est, tenendaque adeo, ad salvandam S. Gregorii auctoritatem, unaque tuendam verosimillimam Augustodunensium episcoporum Chronologiam. Cætera vide apud laudatos PP. Benedictinos, quæ ad* S. Cassianum *proxime non reducuntur, quibusque proinde hic immorandum non putavimus.*

De variis vitæ exemplaribus.

22 *Reliquum est, lectorem paucis moneamus Actorum* S. Cassiani *exempla plura Mss. in Museo nostro asservata esse, tum in Mss. codicibus, tum ex variis aliis alibi descripta. Præcipuum ferme videtur, quod nobis suggessit codex S. Germani Parisiensis sub nota num. 807. Alterum manu P. Petri Francisci Chiffletii nostri transumptum est ex Ms. Accincti monasterii et Vallis lucentis et Cornioli. Aliud descripsit Papebrochius ex Ms. Cisterciensi cod. 4, num. 25 ; cod. 6, num. 24 : præter alia Suessione, Seclinio, Aquicincto, et Treviris ex cœnobio S. Maximini accepta. Et ea quidem omnia inter se satis conveniunt, præterquam quod luxurians quandoque amanuensis calamus rem eamdem alia phrasi, plerumque magis barbara exprimendam censuerit : quemadmodum contracta apparent omnia in cod. Ultrajectino S. Salvatoris, sic tamen ut æque ac reliqua præcipuis erroribus inspersum sit. Nequis vero* F *aut nostram aut PP. Benedictinorum censuram nimii rigoris ausit arguere, Acta ipsa sistenda censuimus, ex omnibus istis apographis seligendo, quod præ reliquis integrum existimavimus, Sangermanianum, unde de reliquis satis pronum erit æquissimum formare judicium.*

etiam metrico

23 *Exstant eadem Acta metrice deducta, quibus refingendis id solum poeta contulit, ut quæ de cætero satis intricata erant, ligata oratione confunderet potius quam illustraret : id conferentibus etiam descriptoribus, ut pro suo captu non pauca liberius truncarent aut extenderent. Ast iis lectorem, prosa opinor saturum, non fatigabimus, longe amplius operæ pretium facturi, dum certiora alia monumenta, magisque adeo ad Sancti gloriam conducentia ipsi Vitæ subjiciemus. Sunt ea nimirum, de quibus etiam supra diximus, Acta translationis et miraculorum, auctore aliquo, haud dubie synchrono, Sanquintinensi, quidni et ipso Vitæ scriptore ? ex veteri Ms. Claudii Jolii Canonici Parisiensis a Papebrochio transumpta. Spicilegii instar erunt excerpta nonnulla ex laudato supra Hemeræo, tum quæ ad depositionem* S. Cassiani *cum SS. Quintino et Victorico,* tum

A *tum quæ ad translationes et reductiones Laudunenses spectant, omisso longo sermone, cæterisque ad S. Quintinum aliosque Sanctos propius pertinentibus, quæ in Regesto Hemeræano curiosus lector inveniet. Sequatur modo memorata toties*

VITA

Ex cod. Ms. S. Germani Parisiensis num. 807 *cum cæteris nostris Mss. collato.*

Illustri genere Alexandriæ natus.

Igitur beatissimus Cassianus nobilibus ac locupletibus parentibus Alexandriæ urbis oriundus fuit. Etenim a prima ætate Deo se devoto animo jugiter commendavit. Sanctus vero Zonis episcopus eum enutriens, divinis eruditionibus et Evangeliorum dogmate, doctrina Apostolica in se manente, instruxit. Tempore illo in tota Alexan-
B dria gentilitas paganorum dominabatur. Fuit autem antea imperator, Julianus nomine, persecutor Christianorum, multosque Sanctos pro nomine Christi interfecit : venerabilis vero Cassianus persecutionem non metuens, assidue orationi et vigiliis vacans, Deum ex toto corde et ex tota virtute diligens erat. Et dum multorum sanctorum Martyrum auxilia fervente animo imploraret, sancti Hilarini se sociavit consortio. Cui sanctus Cassianus habitaculum suum ampliare fecit, ad peregrinorum susceptionem, quam ipse pluribus impendebat.

a S. Zenone ep. instructus ita innotescit, ut

2 Huic testimonium asserunt multi ex servis ejus, quos liberos fecerat; divulgata fama ejus, non solum in urbe Alexandria, sed et in Ægypti provincia. Tamen ipse, juxta præceptum Domini, sollicitudinem instituit curam impendere indigentibus, lavare pedes pauperum, ponere mensam, aquam manibus effundere, languentibus curam gerere, cibum ministrare, et cætera exhibere religiosæ virtutis officia, et sic adimplebat dogmata caritatis. Primum quidem venerabilis Cassianus Ortensi urbe construxit ecclesiam, et multo
C ditavit officio clericorum, ibique sanctus levita Laurentius ei per visum apparuit, exhortans eum, ut in ejus nomine dedicaretur, quæ nunc Laurentiana nuncupatur.

volente Joviano imp. Ortensis creetur episcopus.

3 Tunc Jovianus succedit in locum Juliani, imperator Christianorum, timens Dominum Jesum Christum, quo imperante apertæ sunt ecclesiæ Christianorum quas præcessor ejus Julianus infelicissimus clauserat. Jovianus quoque imperator in Christiana religione gaudere cœpit. Tunc ipse cum populo una voce clamabat : Sanctum Cassianum electum a Deo constituamus episcopum super nos et super omnes Christianos, qui diligunt Deum. Sanctus vero Cassianus trepida mente nolebat acquiescere, nec adimplere votum principis, dum de se humiliora responderet; sed omnis populus irruit super eum, dicens : Cassianus civis noster, dignus, justus, castus et sobrius, clamantes laudes et benedicentes Dominum, tam senes, quam omnis sexus, ætatis, una voce populi tumultus incanduit, ut ibi elevaretur episcopus. Ab alio quoque ejusdem nominis beato Cassiano de Asia regione, ordinatus est, et benedictus in Ortensi civitate sanctus Cassianus episcopus.

4 Ad hæc vir beatus jactantiam devitans, aurum et argentum, aut reliqua stipendia pauperibus largiens, thesaurizans sibi thesaurum in cœlo, D semper tenuit hoc in memoria, quod percipiet in gloria sempiterna. Semper congregationem sanctam docuit, fraternitatem munivit caritate, docuit disciplinam, constituit continentiam. Sic itaque sanctus Cassianus instruebat gregem sibi subjectum induere arma justitiæ ad resistendum diabolo cum vitiis et impedimentis hujus seculi. Erat enim cum mansuetudine, exemplum dans eis in perseverantia, et fide recta, et caritate non ficta, in vigiliis, in orationibus, in jejuniis et castitate perpetua perseverans. Ipse tamen hoc tenuit sensu, quod cognovit in fide : clarus vultu, clarior mente, angelicam dispositionem in corde suo semper retinuit, eloquio dulcis, sanctitate prælatus. Beatus is neminem contristabat, nunquam dolus fuit in eo, sed semper lætitiam cum fratribus habuit.

ubi mira sanctitate suis prælucet.

Sepulto S. Zenone jam martyre,

5 Dum hæc et cuncta opera ejus irreprehensibiliter perseverarent, sanctus Zonis episcopus, qui sanctum Cassianum edocuit, atque nutrivit, imminente persecutione, martyrium adeptus est, cujus corpusculum beatus Cassianus pio amore E cum summa diligentia in basilica sanctorum Martyrum collocavit, quorum hæc sunt nomina : Secundianus, Felix, Terentius, Victor, Reducus; item Victor, Colusus, Duddeus, Fortunius, Spenetius, Afrodosius, Julius, Emeritus, Honorius, Salvanus, Saturnus, Dorigianus presbyteri; Roricianus diaconus. Juxta sepulcra prædictorum beatus Pontifex cum summo honore pridie Kal. Maii sepelivit eum, atque sacrosancta martyria in honore sancti Zenonis episcopi, recordatus ejus tolerantiam atque victoriæ triumphum, per singulos dies consecrans ejus memoriam.

ejus exemplo incinatus,

6 Post hæc sanctus Cassianus videns beati magistri constantiam atque virtutes, succensus Sancti Spiritus fervore et fide Martyrum, in peregrinationem proficisci cupiebat; qui effundens preces ante Dominum Deum, revelatum est ei in Galliis pergere et prædicare verbum Domini. At ille, cognita voluntate Dei, pandere cœpit coepiscopis et omni clero, dicens ad eos : Volo juxta præceptum Domini relinquere terram et cognationem, vel patriam meam deserere et in Galliis F proficisci; cui omnes dixerunt : Te terra tua non pascit? Et locus, in quo habitas, tibi non placet? nec amicos habes vel vicinos, qui consolentur te, ut deseras regionem, in qua natus et nutritus es? Sanctus vero Cassianus respondit eis : Dominus et Salvator noster per Sanctum Evangelium monet, dicens : Omnis, qui reliquerit domos aut agros aut parentes propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit; et illud : Qui non reliquerit quæ possidet, non postest meus esse discipulus.

arduam peregrinationem meditatur,

7 Et hæc dicente eo, quieverunt ab eo. Et valedicens illis omnibus ex voluntate fratrum suorum, cum paucis, quos elegit, profectus est. Et secum duos presbyteros habere cœpit, id est Domitianum et Dydimum, et duos diaconos Orion et alium nomine Neonas, et tres lectores his nominibus, Rasamona, Eron, et Honorio, et subdiaconos quatuor, Ingenianum, Justum, Simplicem, et Mansuetum. Hos secum omnes sanctus Cassianus assumens, cum gaudio magno iter arripuit. Et fortasse alicui incredibile esse videatur, quanta et qualis lamentatio et fletus in clero aut in plebe Ortensis urbis, discedente hoc Patrono nostro, fuit. Nam flentes et lugentes dicebant : Cui nos, pater piissime, commendas, quorum

A rum pater pervigil eras assiduus? Quare deseris gregem tuum, quem jugibus orationibus confortasti? Et qui nos monebas cœlestem doctrinam, modo relinquis regionem tuam et dominationem, quam nunc usque habuisti, et vadis in terram longinquam, quam nunquam vidimus nec comperimus?

*eamque, suis frustra reluctantibus, * l. ut*

8 Audiens autem hæc homo Dei, recordatus sancti Pauli Apostoli, ne * pergeret ad perfectiora; Quid facitis, inquit, plorantes et conturbantes cor meum? Et benedicens omnibus, ait: Dominus erit vobiscum, et nobis comes existet. Et compunctus osculatus est omnem clerum, flebatque ubertim præ gaudio. Oratione autem facta, sanctus Cassianus dixit comitibus suis: Dominus Deus omnipotens adjutor et protector noster est, et nomen sanctum ejus erit nobiscum. Et addidit: Vias tuas, Domine, notas fac nobis, et semitas nostras dirige in viam pacis. Et iterum dixit: Custodi nos, Domine, sub umbra alarum tuarum, protege nos scuto veritatis, et dirige nos in viam rectam propter nomen sanctum B tuum, quod laudabile et gloriosum in omnem terram, et in exitus terrarum. Et respondentes presbyteri una cum junioribus dixerunt, Amen. Sanctus vero Cassianus episcopus elevans manus in cœlum, inquit: Domine Jesu Christe, salvos fac servos tuos sperantes in te.

in Gallias suscipit.

9 Exiit autem pergens itinere cœpto beatus Pontifex pridie Kal. Aprilis, faciens iter sex mensibus, hoc est usque ad Kalendas Octobris. Et prædicans verbum Domini, et multa idola gentium destruens et baptizans plurem populum, atque ad viam salutis ædificans in nomine Trinitatis, et multa sanctorum Martyrum per civitates visitans loca, et secum reliquias eorum ad salvandas animas exhibens: percunctatus homo Dei Africæ portum, gubernante Christo, prospera navigatione Massiliensi affuit urbe glorificans Deum. Quis dubitet, divinum affuit auxilium? Beatissimus hic famulus Dei inter hæreticos et paganos et sævissimas persecutiones, Angelo comitante, Æduæ affuit civitati: quo tempore beatus Simplicius urbis Æduæ episcopus pontificalis adhuc tertius successor cathedræ, sanctam ecclesiam gubernabat.

Massilia ad Æduos profectus

C 10 Et quia inveterata idolorum cultura in hac urbe a quibusdam colebatur, prædicatione ipsius multi deorum suorum simulacra deserentes, ad pœnitentiam et baptismi gratiam pervenerunt, et orationibus suis, divina manante gratia, circa infirmorum reparationem vir Dei Simplicius pontifex beneficia conferebat. Cum autem sanctus Cassianus episcopus ad oratorium sancti Symphoriani martyris pervenisset, ubi ejus sancti corporis reliquiæ venerantur, orationi sine intermissione novus habitator assistebat. Nuntiatum est autem sancto Simplicio episcopo, quod homo Dei nomine Cassianus, ab oriente de trans mare advenisset: quo audito, venerabilis Pontifex cum magna veneratione, cum hymnis et canticis eum suscepit. Sanctum autem Cassianum episcopum beatus Simplicius in osculo sancto complexus est, et immolaverunt utrique omnipotenti Deo sacrificium laudis. Gaudens enim beatus Simplicius de adventu hujus justi, qui talem meruit socium ad incredulitatem malorum hominum erudiendam; et diligens eum omni fraternitatis amore, semper secum habere eum desiderabat.

S. Simplicio ep. succedit,

11 Inter hæc autem sanctus Cassianus ait ad eum: Frater sanctissime, in Britanniam volo proficisci. Beatus Simplicius volens in solatium eum D detinere, respondit: Frater, tempus exspecta, et Dominus ducet te in viam, quam desideras. Fuit autem sanctus Cassianus apud eum triennio. Post hæc obiit beatus Simplicius VIII Kal. Julii, et sepelivit eum beatus Cassianus cum laudibus in cœmeterio, qui est in conspectu ipsius civitatis: qui per singulos dies offerens oblationem, sacrificium Deo immolabat pro eo in memorialem æternam. Post unum autem annum omnis clerus omnisque populus, tam divites quam pauperes, una voce consona constituerunt sanctum Cassianum sanctæ ecclesiæ Apostolicæ dignatis. Cui tantam gratiam Dominus Jesus Christus conferre dignatus est, ut assidue miracula per eum ostenderet, cæcis lumen donaret, surdis auditum, debilibus sospitatem, ægrotis incolumitatem tribueret: et omnem hominem diligebat, sicut seipsum. Consummavit autem regens ecclesiam beatus Cassianus episcopus annos viginti, et migravit ad Dominum Jesum Christum, resurrecturus cum Sanctis in gloria æterna. Post cujus abscessum venerabiles suprascripti socii et comites ejus, narrantes actus E beati magistri, et conscribentes historiam vitæ ejus, migrantesque a seculo, eodem cœmeterio, quo et Pontifex, tumulantur.

post mortem miraculis clarissimus.

12 Operæ pretium est ad laudem Beatissimorum congrue adjiciendum. Dum sanctus Germanus Autissiodorensis episcopus Romam pergeret, in tumulo beati Cassiani pontificis Augustudunensis ecclesiæ ita divina virtus apparuit, ut in Pario lapide contrarius color crucem exprimeret, et salutare signum varietas distincta monstraret: quo cum sanctissimus Germanus advenisset, fusis ex more Christo precibus; Quid, inquit, gloriose frater, agis? Respondisse e tumulo Cassianus relatione veridica perhibetur: Dulci in pace quiete potior, et adventum Redemptoris exspecto. Cui Germanus mutua sermonis vice dixisse narratur: Quiesce per longum, in Christo, frater, tempus. Ut autem divinæ tubæ cantum, et exoptati clangoris sonum ac sacræ resurrectionis gaudia obtinere mereamur, et pro nobis et pro hac plebe attentius intercede apud Dominum nostrum Jesum Christum, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria, salus, virtus et potestas in secula seculorum. Amen.

ANNOTATIO. F

Ex supra disputatis abunde patere opinor, quot et quantis erroribus ac figmentis tota hæc Vita respersa sit, ut cætera æque inepta novis annotatis excutienda non sint. Specimen ultimum habes hic supra sub finem num. 11; dum S. Cassiani *socios* narravisse et conscripsisse historiam vitæ ejus *audacter comminiscitur. Verbo hic dicam, solum num. 12 et ultimum ex tota farragine, ut sincerum admitti posse, utpote ex Constantio in Actis S. Germani Autissiodorensis acceptum. Magis placebit sequens Actorum translationis et miraculorum accurata narratio.*

HISTO-

A

HISTORIA

translationis et miraculorum S. Cassiani.

Ex perantiquo cod. D. Claudii Jolii Parisiensis canonici.

PROLOGUS.

Sancti gloria manifestata est,

Divinorum miraculorum insignia et gloriosarum virtutum propagamenta, quæ nostri Salvatoris benigna miseratio, ad manifestanda Confessoris sui merita pretiosa, manifesta voluit, digne
B litteris committuntur, quatenus eorum memoria posteris reservetur, ad laudem præsertim et gloriam Christi, qui sicut in æternitatis suæ regno sanctum Pontificem suum inæstimabilibus suis voluit remunerari..... ita temporalibus virtutum miraculis disposuit clarificari; ut ex talibus indiciis manifestetur, qualis in regno Christi et Dei habeatur. Illa ergo scribimus, quæ, postquam Dei dispositione factum est, ut de Æduorum finibus ad nostros transiret, clara luce manifestata noscuntur, partim nostris conspecta visibus, partim eorum relatione comperta, qui sæpius adesse potuerunt. Nam ex eo tempore quo gloriosam animam cœlis
a restituit, quod creditur Theodosii senioris *a* fuisse temporibus, usque ad tempus Ludovici imperatoris Augusti, ab eodem scilicet anno, quo tem-
b poris sui horam clausit, per annos CCCCL *b*, idcirco nihil scribimus, quia manifeste non com-
c perimus *c*, quamvis multa de ejus virtutum meritis audissemus, secundum quod venerabilis Gregorius Turonensis episcopus in libro miraculorum scripsit in hæc verba: « In cœmeterio, » inquiens, Augustodunensis urbis vidi B. Cassiani » sacerdotis magni sepulcrum, a multis infirmis » erasum, quod pene transforatum eo tempore
C » putabatur. Abluuntur enim ex hoc pulvere ægroti » et protinus virtutis magnitudinem sentiunt. »

dum ex sepultura ad S. Quintini translatus.

2 Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCCXL præsidente Augustudunensium cathedræ Moduino *d*
d venerabili episcopo, Hugo abbas monasterii S. Quintini mittens ad eum legatos suos, corpus beatissimi Cassiani, quod per semetipsum prius postulaverat, expostulavit, cujus petitionis supra nominatus episcopus, propter multum amicitiæ respectum reverentiæque modum concessit effectum, contuens observantiam excellentissimorum imperatorum, quorum ipsius abbatis Carolus Augustus genitor erat; alter vero frater beatissimus imperator Ludovicus. Collectum denique reverenter S. Cassiani corpus per sacerdotes suos, quos pro hoc supradictus abbas direxerat, cum epistola sua misit in quo itinere quia necesse erat secretius propter tumultum populi Augustudunensium civitatis fieri, nihil signorum apparuit, præterquam quod unus ex coitinerantibus, cujus vulnus in mamilla intumuerat, cum gravi ob hoc molestia, ut remaneret, urgeretur, Cassiani beatissimi merita invocavit, sanitatemque pristinam promeruit, fide in eo operante, tantoque Pontifice pro eo meritis interveniente.

3 Postquam ergo infra Laudunensium comitatum venit, supradictus abbas cum sacerdotibus D
ecclesiasticoque ordine cum magno gaudio reverenter occurrit, susceptumque corpus pretiosis aromatibus die altera condivit, et rore balsami perfudit, involutumque sindone munda et pretiosa purpura, in loculo posuit ac elevatum sequenti die ad monasterium S. Quintini ferri præcepit. At cum ipsius diei hora tertia venisset, quia nulli tam sacrum onus vetabatur portare, duo ut postea comperimus, homicidæ accesserant, qui cum ferre loculum vellent, statim miro modo contractum est, et velut longius ire nolens, nisi comprimente turba teneretur, sanctum onus casui probatur *; quod cognoscentes qui circumquaque fuerant, eosdem reos effugere compulerunt, scientes absque dubio, eorum factum accessu quod fiebat. Noluit enim sancta sinceritas manibus sanguine distillantibus fieri, ne quoquo modo videretur maculari; et ut vivida ejus manifestarentur merita; multis celata ex hoc fierent manifesta, ac non solum hoc tunc illo miraculo, verum etiam post paululum illi cæco illuminato. Beneficium
E enim accepit qui fideliter accessit: suorum autem criminum patefactionem, qui prius dignam non subierant pœnitudinem.

toto itinere multis miraculis inclaruit.

* *forte* propinquabat

Contractus puer sanatur,

4 Deinde mulier sollicitudine anxia et spe firma festinando occurrit, et in media via se provolvens, abbatem qui longius feretrum sequebatur, magna supplicatione petiit, ut feretrum stare juberet, asserens, se filium contractum et debilem habere, quatenus occurrere potuisset: cujus abbas fidem contuens, annuit precibus mulieris, jussitque subsistere loculum; cumque diutius, qui reptabundus venerat, moram in veniendo faceret, hi qui sanctum corpus portaverant, jussi sunt proficisci. Tunc iterum mulier, ut supra, de subsistendo petiit. Cum hoc eodem modo, usque tertio ageret, hi quos pro filii festinantia direxerat, venientes renuntiaverunt, filium ejus, loco in quo fuerat, virtute Dei mirifica et signo mirabili omnibus membris sanum effectum. Reversa igitur est cum convicinis mulier, et licet tanto dono delectarentur, ut cum Sancto Dei proficiscerentur, novo tamen spectaculo trahebantur, ut ad eum qui sanatus fuerat reverterentur.

femina cæca et malis multis afflicta,

5 Postquam vero hæc per multitudinis conventum resonuerant, cœpit fieri auctior debilium concursus, inter quos quædam femina, nomine et loco nota, accurrit utrisque luminibus orbata,
F ac utrisque brachiis contracta, renumque vigore penitus destituta, quæ dum traheretur magna violentia nunc ante nunc retro feretrum Sancti, visum est abbati longius sequenti, causa eleemosynæ taliter eam vexari. Jussit ergo ei aliquid de necessariis erogari; et ne ulterius flebilem debilitatem suam fatigaret, moneri. Sed quæ ea occasione non venerat, in sequendo constantiam non reliquerat. Nec multum; sub umbra arboris deponitur feretrum pro recreatione portantium. Illic mulier accessit, et mox sana fit: aperti namque sunt oculi, olim cæcitate damnati, extenduntur brachia in debilem curvitatem contracta, solidanturque renes dissipatione soluti. Fit ergo mulier liberrime cur-itans, quæ prius non minus luminum quam liberorum gressuum fuerat ignara: satagitque alios ad feretrum trahere, quæ paulo ante, nisi traheretur, non poterat pervenire.

item cæcus alius.

6 Eodem etiam loco cæcus quidam venit et lumen, quod diu desideraverat, meritis S. Confessoris suscipere meruit: ut aperte daretur intelligi, apud Dominum spiritualibus bonis posse prodesse, qui taliter meritis suis damnatis corporibus potuit

A potuit subvenire.

tum cœcœ res feminæ.

7 Progredientibus vero inde, cum pauculis morularum spatiis, tribus miraculis Confessor sanctissimus enituit; qui ob salutem multorum ad nostros fines venire elegit : nam inter sequentem vulgum, tribus feminis, nominibus et locis notissimis, aperta lux enituit; quam særa cæcitas dudum damnavit : decuit enim, tam astrici luminis fulgore veniente, tenebras et cordium et oculorum recedere; ut vigorem suum tanta dignitas ostenderetur servare, talibusque corporeis bonis conspectis, de spiritualibus non dubitaretur, quæ conspicere humanitas vetabatur.

Mulier exitialiter languens curatur cum filio.

8 Inter hæc autem virtutum insignia et donorum Christi miracula factum est, transeunte populo cum sancto Domini Confessore, ut circumquaque tot signorum parvo sub tempore divulgarentur famæ; unde accidit, ut mulier quædam domi exitialiter languens, dum nequaquam occurrere potuit, quæ per se surgere nequivit, secus ostiolum suum a suis posita, eminus feretrum conspiciens, dum merita Confessoris invocavit, diutini langoris sui perfectam medicinam accepit : B nam illico sanata, tantarum virium vigorem accepit, ut non solum ipsa occurrere sancto pontifici Cassiano potuisset, verum etiam filium suum, jam majusculum, propriis ulnis secum afferret. Occurrit ergo cum puero laudans et benedicens Dominum super omnibus his quæ facta fuerant de illa; nihil enim de omni languore illi remanserat præter cum multo pallore macies, pro longæ ægritudinis signo et subitæ sanitatis dono. Ubi enim propter fidei sinceritatem virtus divina adesse voluit, languor effugit, nec diutius resistere potuit, quando vera medicina accessit. O vere laudabilem medicinam, ubi et fide creditur, et solo visu universi languoris remedium adipiscitur!

Cœcæ rursus duæ illuminantur ;

9 Crebrescentibus siquidem turbarum occursibus, crebrescunt et miracula; nam inter sequentes turbas, non multæ moræ spatio interposito, duabus cæcis feminis, locis et nominibus notis, lumina negata redduntur, ut fugientibus tenebris, divino lumine lux illustrata præsens adesse doceretur. Hoc enim Veritas de discipulis suis olim protestata est, quod essent sal terræ, quod essent lux mundi; sal eis, quibus interna tetigerunt, lux eis, qui digna eos C reverentia conspexerunt.

puer cadaveris instar plane restituitur,

10 Cum autem jam portis atrii basilicæ S. Quintini propinquaret, languidus quidam puerulus, carrucæ impositus, trahebatur; non enim quidquam virium illi remanserat, ut aliter adduci posset; cadaveri jam simillimus. Qui cum feretrum antecederet, prohibita est carruca basilicæ januas intrare : quod mater pueri cognoscens, filium scapulæ imposuit, non hominis, sed pellis modo pendentem; et secus loculum arculæ, pavimento omnibus membris adhærens aliquandiu jacuit : *videlicet quousque tanti [Sancti]* adventus Missarum præconiis exstitit celebratus. Ex qua hora cœpit convalescere puer, cibum petere; etenim tantum se virium accepisse, ut domum posset reverti : non jam in carruca trahendus, sed equo cum patre sedens. Ita misericordissima pietate Dei factum est ut qui pene cadaver venerat, Cassiani beatissimi meritis adjutus puer lætabundus rediret.

muta vero loquelam recipit,

11 Postquam vero in ecclesia B. Quintini susceptus est cum honore reverentissimo, et mox in ejus adventu Missæ solemnitas egeretur, notæ mulieris brachium quod dudum contractione nervorum emarcuerat, extenditur; et cum mulier ri divinas laudes erumpere vellet; nec penitus muta valeret, linguæ mox solvitur vinculum, ac desiderabile dudum oris redditur officium. Miraculo igitur gaudium, gaudio laus jungitur, quia quæ damnata venerat, soluta regreditur. EX MS.

alia cœco visum

12 Superveniente autem beatissimi pontificis Cassiani solemnitatis die, multis circumquaque accurrentibus turbis, accurrit et mulier cum cæteris quidem solemnem diem celebrare, sed non cum cæteris officiorum solemnitates videre. Audire enim cum cæteris poterat, videre non poterat, quam sæva cæcitas olim damnaverat. Venit ergo par devotione, impar possibilitate; voluntate simili, miseria dissimili. Videbatur tamen illi sat esse, si ei contingeret interesse : quo judicio divinitatis misericorditer recensito, Confessoris sui meritis efficitur æqualis cæteris, quæ ex propria miseria venerat dissimilis. Solvuntur enim palpebræ ad instar evigilantium oculorum, et pro noctis caligine obscura, lux redditur diei serena. Adepta igitur est mulier, non quod diffiderat Deum posse, sed quod non speraverat se promereri valere; regrediturque jucunditate cæteris lætior, quæ tot comproperantibus venerat miserior. E

Punitio mulieris Sanctum non honorantis.

13 Eadem etiam solemnitatis die, quæ pro honore tanti Confessoris divina claruerat virtus, adnotanda creditur, ut, sicut ostensum est, quanta beneficia devotis præstentur, adscribatur, quantum etiam pro contumacia mereatur. Mulier enim quædam, quæ pro solemnitate tantæ diei accurrere cum convicinis debuit, segniter torpens domi remansit, et cum diem feriatum servare deberet, panibus coquendis clibanum succendit. Quam obrem cum a cohabitantibus argueretur, parvi pendere se diem ostendit, meritisque sancti Confessoris arroganti prosecutione renitens, illico quod meruerat experta est; nam flamma, quam in clibano accenderat, velut tanti reatus ultrix exiens, eam subito invasit, concremarique acriter cœpit; quam illa effugere se posse autumans, cursum accipit fugamque capessit : sed ultrix flamma, quæ semel adhæserat, effugi non poterat. Consumptis ergo indumentis, crematur et caro; et ne vita deficeret, divino miseratur respectu. Ustulata denique cognovit quod meruit : sed ut castigata non deficeret, ignis exstinguitur; quem sibi ipsa succendit, manibus adeo jam concrematis, ut de dexteræ quidem desperaretur sanitate. Patet F igitur hoc in facto et superioribus adscriptis, quid devotio et præsumptio apud Sanctorum merita promeruerint, cum alteri præmium, alteri irrogetur supplicium.

Cœco, ubi peccati ipsum pœnituit, visus redditur.

14 Non multo autem postea cæcus quidam, *loco et familia cognitus*, auditis Sancti Confessoris Dei miraculis, venit luminis beneficia petiturus, *credens sibi* Sancti meritis posse fieri, quod multis hujuscemodi miseria damnatis audierat præstari. Cujus fidei devotionem divina *miseratio contuens, trium dierum* spatio constantiam probare voluit; per id enim triduum apud sancti Confessoris loculum precibus persistens, cæcitatis suæ nulla ex parte solamen est adeptus. At ubi sua obesse sibi peccata credidit, semet dijudicans, adminiculum luminis post biduum suæ reversionis promeruit. Quo in facto divinæ virtutis effectus et patientiam hominis probavit, et Confessoris sui merita, non eo tantum loco, ubi jacuerat, esse ostendit; sed ubique vigere claræ virtutis opere manifestavit : quod et in sequentibus capitulis aperte monstrabimus, miracula ejus annotando quæ cœpimus.

15 Quadam namque vice cum quadraginta quin-

EX MS. *uti et alteri puero, licet procul a Sancti corpore dissito.*

quinque millibus a loco, ubi sanctus Domini Confessor erat, supra nominatus abbas abesset, quibusdam propriis necessitatibus occupatus; illic quidam adolescentulus cujusdam ex eis, qui cum eo venerant, gravi est oculorum captus dolore : cui cum sæpius cum sociorum allusione diceretur, ut ad S. Cassianum festinaret, tanquam ad singularem medicum oculorum; licet indoctior, prudenter cavillantibus respondit, non esse, aiens, opus longius progredi, cum illic talibus meritis posset adjuvari. Quod qua diceret fide, sequens prodidit effectus : nam sancti Confessoris merita implorans, meridianæ se quieti contradidit; ubi tunc per visum illi sanctus Pontifex apparens, ei, quem devotum cognovit, oculorum subitam sanitatem concessit, manifestans, Dei virtutem velle, quæ fide credebatur, meritis posse. Quo facto serenati sunt oculi, et approbata est assertio pueri : cavillatio etiam sociorum sedata, et deificæ virtutis per tanti Viri merita comprobata præsentia : ut corporali miraculo manifeste pateat, quid mentibus devotis ubicumque imploratur impendat.

B

Pax conciliata inter principes ad pugnam paratos.

46 Multa quidem præcipue prædicantur de Cassiani beatissimi meritis, sed inter cætera hoc digne effertur, quod noviter Dominum per eum fecisse manifeste cognoscitur. Nuper enim cum infelix congressio principum nostrorum et pugna indecentissima acriter pararetur, nec aliud, quantum ex utraque parte statuebatur, nisi bellum instaret; cuidam ex nostris per visum apparuit beatus pontifex Cassianus, concite properans ad partem, ubi durior resistendi bellicus parabatur effectus, et cum aliquandiu moram fecisse videretur, postmodum visus est annuntiasse, a Domino impetratam habere populo pacem, et, ne præsens pugna fieret, propitiationem. Quo dicto, multitudo, quæ videbatur adesse circumquaque diffusa, crebris consonisque vocibus cœpit prædicare, B. Cassiani meritis pacem impetratam fuisse : quod quia constat opere majestatis divinæ sine ullius spe actum, magnis Sanctorum meritis indubitanter adeptum : inter quæ Cassiani præcipue credunt, qui tali commercio interfuisse, manifestante Deo, ostenditur. Hæc namque ostensa credimus, ut quantum apud Deum valeret, pateat singulis, qui tantum prodesse potuit multis.

C

Carolus Calvus Sancti corpus honorifice deponi curat an. 845.

47 His ita præfactis taliter peroratis, finiendo librum descriptionis vitæ et miraculorum B. Cassiani, definienda videtur tumulatio corporis ipsius Confessoris Christi, qualiter acta est in basilica B. martyris Christi Quintini. Etenim cum quinquennio a susceptione ejusdem Antistitis corporis infra ipsam basilicam ageretur, et propter incommoditatem temporum, et rerum diversarum ac tempestatum accidentia, diversis in locis reconderetur, modo in aperto, modo in occulto [frequentius tamen incongruo,] Karolus rex, utpote nutu divino inspiratus, præfatam adiens basilicam, de ejusdem Christi Confessoris corpore cœpit tractare, officiose in eo haud diutius immorans : anno siquidem DCCCXLV Christi Incarnationis, et sui equidem regni quinto, indictione VIII, die Non. Mart. ad præscriptum pontificis Christi Cassiani reverenter accedens tumulum, cum duobus episcopis, Wenilone scilicet Senonense archiepiscopo et Immone præsule ecclesiæ Noviomagensis *, aliisque compluribus Dei amatoribus cum cereis et choris psallentium clericorum, cum thymiamatibus et odoriferis aromatibus, ardentissimo amore summaque devotione ipsum, in quo jacebat, Sancti efferens corpus, perfusum balsameis odoribus, et thymiamatibus odoriferis insertum; palliis quoque et vestibus sericis decentissime involutum, infra cryptam basilicæ præfati martyris Christi Quintini, ad dexteram lateris ipsius testis Christi, optime ac pulcherrime tumulavit, tradens ad amborum Sanctorum luminaria et ornamenta condenda, maximeque ad tumbam B. Cassiani fabricandam, fiscum unum, nomine Tugniacum, cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis in perpetuum habendum, cujus authenticum ad caput tumuli cum desuper posuisset sanctissimi Cassiani, hæc verba [subjunxit :] Si quis autem hoc donum his duobus præpotentibus Sanctis nunc a me traditum et confirmatum, partibus eorum auferre tentaverit, habeat sibi judicem Deum, et hos præfulgidos justos perpetuos questores. D

* l. Noviomensis

ANNOTATA.

a *Insistit auctor hujus relationis Vitæ superius datæ, qua nempe suadere voluit,* S. Cassianum *sacras infulas suscepisse, urgente Joviano imperatore, atque adeo anno 363 : ex quo per breve tempus Ortensis in Ægypto episcopus, indé migrasse censeri possit anno circiter 365, in Galliam autem et Augustodunum pervenisse 366; ubi cum ferme quadriennio mansisse dicatur antequam ad cathedram Æduensem promoveretur, inhærendo Legendistæ systemati, sedere cœperit anno 370, quibus si addas annos viginti regiminis, pervenies ad annum 390, quo adhuc superstes erat* Theodosius senior. E

b *Jam dictis consona sunt quæ hic habes de anno a* S. Cassiani *obitu* CCCCL, *qui nos ad mentem scriptoris, ducere debent ad annum Ludovici Pii imperatoris postremum, nempe, ut habes numero sequenti,* DCCCXL. *Ex quibus facile colligis, vanam non esse conjecturam nostram, superius datam, quod idem sit et hujus historiæ et Vitæ ipsius auctor. Id vero plenius confirmatum habes infra num. 47. ubi diserte ait, se* finire librum descriptionis Vitæ et miraculorum B. Cassiani.

c *Unde igitur comperit quæ de Sancti gestis tam abundanter et cumulate peroravit? Seipsum porro jugulat, cum S. Gregorium Turonensem adducit, ex quo discere poterat, totis se quinquaginta et amplius annis a definienda* S. Cassiani *ætate turpiter aberrasse, siquidem ad rationem temporis satis attendisse existimemus.* F

d *Numeratur Æduensis episcopus* XXXVI *: conveniunt anni signati, ut habes apud Sammarthanos.*

APPENDICULA

Ex Sermone de tumulatione sanctorum Christi Martyrum Quintini, Victorici et Confessoris Cassiani.

Apud Hemeræum in Regesto pag. 18.

R*elatis jam Actis celeberrimæ translationis, insignium miraculorum et Carolinæ tumulationis*

A *lationis subjungi poterat jam dictus sermo; verum cum ejus pars longe minima ad* S. Cassianum *spectet, e Vita autem nonnulla narrentur, quæ jam abunde data, imo refutata sunt, ea sola excerpere visum est, quibus posteriores translationes et relationes ultimaque demum depositio, ad totius rei complementum distinctius explicentur. En dicti sermonis exordium :* Semper in Christo amantissima patrum et fratrum viscera, societas Deo gratissima, præsentis diei solemnitas celeberrima nobis admodum exstat et veneranda. Est namque consecrata Sanctorum tumulatione honorifica, Quintini videlicet martyris gloriosi, ac piissimi protectoris nostri, nec non Victorici ejusdem comparis inclyti, atque Cassiani pontificis egregii : quorum quia gratulamur præsentia, et adjuvamur clementia, pro eorum amplectibili memoria, hujus festivitatis nitimur attollere præconia.

In sanctorum omnium laudes, indeque gloriam Dei fusius excurrit orator, sensimque ad tres prædictos regressus : Quorum, *inquit,* candidissimo B exercitui admixti sunt isti Seniores nostri hic corpore quiescentes, illic cum Christo feliciter regnantes : gloriosus videlicet martyr Quintinus, athleta superni regis invictissimus, prædicator hujus patriæ constantissimus noster, quia consolator clementissimus. Secundus vero est Victoricus, in læva ejus decenter tumulatus. Tertius dextra præfati Martyris venerabiliter collocatus, honorabili nomine dicitur Cassianus. Quorum quia ex parte dissimilis est ratio, hujus sermunculi enarratio separatim distinguenda est necessario. *Inde ad singulorum gesta progressus, lamentationem orditur, dum ad luctuosissima Normannorum tempora dilabitur.* Cum igitur superni Regis justitia, pro nostrorum peccaminum negligentia, nos castigari vellet, feroci paganorum sævitia; inclyti testis Quintini monumenta, et pretiosi confessoris Cassiani membra a propriis sunt tumulis elevata, et ad Laudini Clavati mœnia, pro ut timor cogebat, noctu delata.

Normannicas depopulationes prosequens, ex Chronica inserit : Et quoniam bis eorumdem Sanctorum corpora cum mœrore ad Laudunum sunt C devecta, et bis ad nos cum honore relata, libet apertius prodere, et fugæ causam et reversionis eventum. Anno siquidem octingentesimo [octuagesimo] primo a Dominica Incarnatione, Kal. Januarii, Normannorum metu cogente, a bustis prius emota suis, ad præfatum montem primum delata sunt. *Sequitur clades Normannis illata; unde* anno sequenti corpora Sanctorum Quintini et Cassiani Kal. Februarii a Lauduno descendentia; cum ingenti populorum caterva, et laudum hymnorumque melodia, in die Purifica- D tionis S. Mariæ in propriam relati sunt basilicam. Ipso siquidem tempore, cum præfatus rex Andegavis disponeret ire, pactumque cum Alstenio facere, in infirmitatem decidit, indeque ad S. Dionysium rediit, ibique, proh dolor ! spiritum vitæ exhalavit. Post cujus obitum Franci regem constituerunt Karlomannum.

Quod ut pagani audierunt, Scaldim navibus introierunt. Quapropter prædictorum corpora Sanctorum secundo ad montem Laudunum delata sunt. Postea Normanni ad hunc locum pervenientes, plures gladio interfecerunt, multos etiam captivos duxerunt, sicque est ecclesia B. martyris Quintini crudeliter incensa, quæ habebat a perfectione sui annos quinquaginta novem. Ita pene omni loco devorato, pagani hac et illac progredientes, ad alia sunt profecti. Exinde variis casibus afflictis undique omnibus, Christo favente, anno quinto dominus comes et abbas Teutricus prudenti consilio usi, muros istius loci cœperunt ædificare XII Kal. Maii, quos acutissimo freti ingenio, prout necessitas cogebat, fecerunt E accrescere cito. Unde pretiosa Sanctorum corpora, Quintini videlicet et Cassiani, innumera stipata caterva, tertio Kal. Novembris ad propria sunt iterum relata, et intra muros succensæ domus locata.

En modo totius rei epilogum : Cum vero Dei clementia nostri voluisset misereri, ac sui solaminis suffragia largiri, incendiorum sedavit discrimina, paganorum depressit sævitiam, pacem et concordiam tribuit, fructum etiam terræ abundanter contulit. Quocirca a fidelibus hujus loci tractatum est salubriter, quatinus eorumdem corpora Sanctorum suis in mausolæis reponerentur decenter. Adveniens namque venerabilis antistes Noviomensis ecclesiæ, Ranbertus nomine, prudenti fretus simplicitate, ac simplici decoratus mansuetudine, cum cæteris fratribus, inibi Deo famulantibus, sæpedictorum carpenta trium Sanctorum, suis in cryptis hodierna die suppliciter tumulaverunt. . . . His ita explêtis, præscriptus antistes et devotus et hilaris pro ipsorum commemoratione Sanctorum, Missæ decenter solemnia cele- F bravit, et cunctorum Creatori supplex obtulit holocausta. Inter quæ omnium consultu statuit, ac pontificali auctoritate firmavit, ut dies ista, pro Sanctæ Trinitatis laude, et ipsorum venerabili amore Sanctorum, quotannis festiva habeatur et solemnis, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

DE SANCTIS XXIII MARTYRIBUS ROMANIS

EX MARTYROLOGIO ROMANO.

J. B. S.

SUB DIOCLET. *Serius sacris Fastis adscripti,*

Solum hoc Martyrologium mihi licet adducere, quod in eo solo ipsos illos sanctos Martyres anonymos signatos repererim, notante Baronio ; haberi mentionem de iisdem Martyribus in Actis Sanctorum Abundii et Abundantii, *quos ipse refert* XVI *Septembris, ubi de Actis plura memorat, a nobis suo tempore expendenda. En modo ipsam ejus hodiernam annuntiationem :* Item Romæ, passio sanctorum Martyrum viginti trium, qui in presecutione Diocletiani via Salaria veteri, capite truncati, ibidem sepulti sunt ad clivum Cucumeris. *Hic illud præcipue observandum, prædicta Acta ex tribus antiquis exemplaribus* recognita et emendata notationibusque illustrata edidisse collegium *Romanum* PP. Societatis Jesu, *auctore Fulvio Cardulo anno 1584 ; unde nobis ea licebit decerpere, quibus narrantur quæ ad nostros hosce spectant potissimum, utpote qui a SS. Abundio*

AUCTORE J. B. S.

Abundio presbytero et Abundantio diacono sejuncti, eodem hoc ipso die martyrii coronam, eodemque mortis genere consecuti sunt. Sic habet jam dicta editio pag. 14 :

noti sunt ex Actis

2 Tunc iratus Diocletianus, jussit amoveri sanctos Abundium et Abundantium, et in carcerem recipi in custodia Mamertini; cæteros vero viginti tres fideles in Christo jussit duci foras muros civitatis Romæ via Salaria veteri, et ibidem capite truncari. Martyres vero inclyti Christi, ducti cum gaudio ad perfectam et sine dubitatione viam, prospicientes in cœlum, dixerunt : Deus omnium, et Domine unigenite Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui cœlum extendisti et terram insuper aridam fabricasti, quem nos ignorabamus, servientes olim in errore et fœda exhibitione, et per tuas sacras paginas veritatem didicimus, tu naturæ conditor es, tu Dominus cœli ac terræ, qui creasti omnem orbem et omnia quæ in eo sunt, quem nunc cognovimus ante Luciferum genitum, quem omnis abyssus tremit et metuit, et omnis mons et collis contremiscit, audiens terribile et glo-
B riosum nomen tuum : tu Domine Jesu Christe, spes eorum, qui ad te confugiunt, liberator eorum qui in te sperant, respice de cœlo et miserere nobis, et suscipe animas nostras, non reputans nobis delicta juventutis et ignorantiæ nostræ, quæ D
ignorantes et existentes in altitudine tenebrarum harum egimus, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto nostri, Deus.

SS. Abundii et Abundantii.

3 Orantes vero, et signaculum Christi in fronte sibi facientes, tendentes simul capita sua, prompte cum lætitia magna, finem hujus seculi susceperunt, et sic per proprium sanguinem, gratia Dei, sibi ipsis memoriam æternam instruxerunt Nonis Augusti : quorum corpora tunc collegit Joannes presbyter, et Theodora matrona, et sepelierunt ea in crypta in clivo Cucumeris. Tunc B. Theodora venit ad carcerem ad beatum Abundium presbyterum, et Abundantium diaconum, et narravit eis, quomodo constanter suscepissent Sancti martyrium, et quomodo venisset Joannes presbyter una cum ea, et collegisset corpora Sanctorum, et cum aromatibus et linteaminibus sepelisset eos in clivo Cucumeris in crypta, et post sepulturam eis exhibitam, cum gloria illic celebrasset divina mysteria in pace. Cum vero audivisset Diocletianus imperator, quia cum magno gaudio acceperunt palmam martyrii sancti Martyres, E
amplius contristatus est, quia multo eos amplius non cruciavit.

DE S. EUSIGNIO MARTYRE

ANTIOCHIÆ

J. P.

Cultus apud Græcos et Latinos, elogia, Actorum examen.

Sub Juliano Apostata. Inscribitur Fastis Græcis cum elogio

Beatissimus ac supra ætatem annorum centum ac decem, quibus vixisse dicitur, fortis ille Christi Pugil, cum in Latinis, tum in Græcis Fastis publicæ venerationis dignitatem obtinet, uti videre datur in Menæis magnis Græcorum excusis, Menologio Sirletiano, Synaxario, e Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto ; Typico S. Sabæ,
C *Martyrologio Arabico-Ægyptio, Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, ac Augusto Moscorum figurato, qui habetur ante tomum I Maii, pag.* XXXIX. *Ex elogiis Græcis producimus illud, quod in dicto Synaxario ad calcem primi tomi mensis Augusti dedimus Græcè, Latine autem sic interpretamur :* Eusignius, Christi martyr, e magna quidem Antiochia fuit, militiæ vero dux Constantis, qui Constantini magni fuit pater, exstitit. Dum autem supervixisset usque ad Julianum Apostatam, comprehensus tanquam Christianus, ad examen ductus est. Et postquam Apostatam corripuisset; quod, relicto vero Deo, ad inania idola, tanquam deos, accessisset, extensus est ad flagra ; graviterque cruciatus, ac plagis confectus (annorum quippe erat centum ac decem) in carcerem projectus est : et post aliquot dies e carcere ejectus, quando iterum coram Apostata stabat, cogebatur Christum quidem abnegare, idolis autem sacrificare ac cum induci eo non posset, sed denuo tyrannum corripuisset, gladio caput ipsi amputatur; et sic martyrium consummavit, immarcescibilem coronam, ac vitam æternam consecutus.

ac versiculis ; uti et Martyrologio Romano.

2 *Slavo-Russicum, Sirletianum ac Menæa excusa eum etiam sub Juliano passum referunt ; sed palæstram martyrii non exprimunt ; et duorum istorum ultimorum elogia fere consonant cum eo, quod modo dedi. Dicta Menæa sic accinunt Martyri :*

Εὐσίγγιον τέμνουσι τὸν Χριστοῦ φίλον
Τομῆς μέχρι κράζοντα Χριστός μοι σέβαν.
Πέμπτῃ Εὐσιγνίοιο κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.
Truncant amico Eusignio Christi caput,
Qui Christum adoro clamitat, donec cadit.
Miscetur caput Eusignii cum pulvere quinta.

In fide dictorum documentorum annuntiavi Sanctum Antiochiæ, et sub Juliano Apostata; F
quibus adde Martyrologium Romanum, quod sic habet : Antiochiæ S. Eusignii militis, qui annum agens centesimum decimum ; cum Constantini Magni fidem, sub quo militaverat, Juliano Apostatæ exprobraret, cumque ut patriæ pietatis desertorem redargueret, ab eodem jussus est capite cædi.

Tempus martyrii.

3 *Baronius tom. IV Annalium ad annum 362 de eo meminit, ac martyrium illius anno isti innectit. Et vero cum Antiochia barbaræ crudelitatis Juliani ferale theatrum exstiterit, teste S. Gregorio Nazianzeno tom. I, orat. 3, pag. 91 editionis Parisiensis anni 1609; cumque idem imperator anno 362 Antiochiam venerit, eamque ingressus sit mense Julio extremo ; prout videre licet apud Pagium in Critica Baroniana ad dictum annum, num. 4; cum denique palæstra martyrii Antiochia ; ac nomen nostri Sancti notentur in sacris fastis hac die v Augusti; sequitur ex his ita positis et admissis, ut* Eusignius *una fuerit e primis victimis ibidem loci ac temporis, jussu Juliani interemptis. Quidnam vero ad gesta nostri Martyris illustranda subsidii speres ex ejus*

A *ejus Actis? quæ quia apocrypha ac fabulosa sunt, nullam fidem merentur, sicut planum fiet ex observationibus sequentibus.*

4 *Habemus ea Græce e codice Ms. antiquo Vaticano 866 fol. 356, hoc exordio,* Ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ἄγνωνος, καὶ Ἰουλιανοῦ ἀνηρέθη Κωνσταντῖνος ὁ Καῖσαρ, καὶ ἐβασίλευεν Ἰουλιανὸς ὁ παραβάτης, καὶ ἦν διατρίβων ἐν τῷ παλατίῳ Ἀντιοχείας. *Id est:* Sub consulatu Agnonis, et Juliani sublatus est Constantinus Cæsar, et imperabat Julianus transgressor *(sive Apostata)* et degebat in palatio Antiochiæ. *Exemplar Actorum apud Lambecium in Commentariis de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib. 8, pag. 103 sic legit:* Ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ἀρβητίωνος καὶ Διοκλητιανοῦ ἀνηρέθη Κωνσταντῖνος Καῖσαρ, ὁ υἱὸς τοῦ ἁγίου καὶ μεγάλου Κωνσταντίνου, καὶ ἐβασίλευσεν Ἰουλιανός. Sub consulatu Arbetionis et Diocletiani sublatus est Constantinus Cæsar, filius sancti et Magni Constantini, et imperare cœpit Julianus. *Adduntur insuper sequentia in isto exemplari, quorum satis erit dare versionem Latinam:* Et imperare cœpit Julianus octavo Idus

B Novembris (sive die sexto Novembris). Degebat autem in palatio Antiocheno. *Quot et quam crassi errores in tam parvo exordio! Ad nostrum apographum quod attinet; non* Constantino, *sed* Constantio *imperatori successit* Julianus *anno æræ vulgaris 361,* coss. Tauro ac Florentio, *ex communi scriptorum consensu. Nec juvat, si pro* τὸ Constantinus *scribas* Constantius; *cum enim addatur* Cæsar, *deberet is esse Constantius Gallus; sed ille obierat jam tum ab anno 354. De palatio Antiocheno dicetur mox.*

Acta

5 *Laudatus Lambecius a pag. 104 circa exordium sui exemplaris observat.* Arbetionem, *qui consul fuit anno Christi 355, non habuisse collegam* Diocletianum, *sed* Lollianum. *Deinde pro* τὸ Constantinus, *legendum esse* Constantius; *qui Cæsar fuerit et etiam Gallus dictus. Præterea, cædem Constantii Galli Cæsaris accidisse anno Christi 354, imperatore Constantio septimum, et ipso Constantio Gallo Cæsare tertium consulibus; Julianum vero Cæsarem creatum anno 355, Arbetione et Lolliano consulibus. Denique prorsus falsum esse, quod Julianus, postquam ad illam*

tanquam male ordinata.

C *dignitatem evectus esset, in palatio Antiocheno deinceps commoratus fuerit, et Christianam religionem manifesta insultatione oppugnarit. Prædictus auctor pag. 107 fabulosa* S. Eusignii *Acta castigat ex eo, quod illis inserta sit, et sub ipsa quidem* S. Eusignii *narrantis persona, mendacissima fabula de nativitate Constantini Magni imperatoris ex illegitimo concubitu Constantii Chlori, dum etiamnum esset tribunus militum, cum Helena in publico quodam diversorio; eamdemque impudentissimam fabulam etiam a Nicephoro Callisti adoptari Historiæ ecclesiast. lib. 7, cap. 18; ideoque eam ab Eminentissimo Cardinale Baronio Annal. eccles. tom. III, sub anno Christi 306 prolixe ac solide refutari. Deinde Lambecius a pag. 108 subdit Græce ac Latine istius fabellæ drama e concatenata falsitatum atque ineptiarum congerie constatum.*

6 *Censuras etiam inurit Lambecius a pag. 113 commentitiæ hujusce historiæ pseudo-Eusignianæ locis, ubi Eustochii, tanquam auctoris istius narrationis, fit mentio. Quorum primus ibidem ex textu Græco sic datur:* Eustochius autem aliquis diaconus Antiochenæ urbis, cognatus existens S. Eusignii, vir pius et Deum timens, sequebatur Martyrem clanculum, compatiens vinculis sancti Senis. Vocavit autem eum propius ad se beatus

a commentitio fabulatore

AUCTORE J. P.

Senex, exhortansque dixit: Novi ego, Domine mi Eustochi diacone, serve Christi, quod Julianus, cum ipse transgressus a Christo defecerit, etiam me cogere conabitur ad sacrificandum idolis, utpote imprimis Cæsareæ furorem idololatricum severius exerciturus; ego vero etsi decies millies pro Christi nomine mihi moriendum sit, non solum non contristor aut vacillo, verum etiam propterea gaudeo. At hoc unum doleo, quod imperator Acta mea scribi prohibuit, ut turpiter vitam traduxisse videar. Rogo igitur pietatem tuam, ut, si possibile sit, inscio tyranno, mercede conducas unum aliquem ex *notariis, qui* conscribat ea, quæ inter me et imperatorem gesta sunt, ut posthac aliquis aliquando Christianus in illa Acta mea incidens, inde percipiat utilitatem, et accedat ad Christum.

7 Respondens autem Eustochius, dixit ei: Corrobora te modo, et virum præsta ad confitendum Dominum nostrum Jesum Christum coram tribunali Juliani, et ad sustinendum martyrium; de futuris autem Actis ne sis sollicitus. Ego enim curabo, ut cum omni diligentia conscribantur Acta tua. Proinde corrobora te, et viriliter age, renovans juventutem tuam velut aquila. *Hæc ibi. Alter autem locus, ubi idem Eustochius introducitur de se ipso loquens, datur ibidem a pag. 114 ex fine totius historiæ:* Ego igitur peccator Eustochius, qui et cognatus sum sancti ac beati Eusignii, inde a principio eum sequens, scripsi sine ulla additione hæc ipsius Acta, quæ etiam episcopus noster sanctus Basilius, cum diligenter ea relegisset, bibliothecæ inseruit. Idem etiam collegit ejusdem sancti Martyris reliquias, easque in theca iis dicata reposuit. Consummavit autem S. Eusignius martyrium mensis Augusti die quinto, imperante apud ethnicos quidem Juliano Apostata; apud nos autem Domino nostro Jesu Christo; cui gloria, *etc. Quid est ineptire, si hoc non sit? Pergamus cum Lambecio pag. 115.*

conscripta

E

8 Si quis jam hic quæsierit, cur supposititia hæc Historia sub Eustochii cujusdam potius, quam alterius alicujus nomine fuerit conficta et publicata; facile et in promptu responsum est, causam ejus rei videri, quod sub imperatore Constantio, imp. Constantini Magni filio, Eustochius aliquis floruerit natione Cappadox, professione autem sophista et historiographus, cujus Suidas in Lexico suo Græco meminit his verbis, *e Græco textu, quem etiam affert Lambecius, ibidem sic redditis:* Eustochius Cappadox sophista scripsit Constantii *(sic pro* κατὰ Κώνσταντα *legendum monet in notis)* imperatoris tempore, Cappadociæ et reliquarum gentium antiquitates. Credidit ergo verus, sed incognitus, supposititiæ istius Historiæ auctor, Eustochii illius nomen optime ad hanc fabulam accommodari posse, quia S. Eusignius martyrium consummavit Cæsareæ in Cappadocia, et quidem sub imp. Juliano, qui imperatori Constantio proxime successit. *At de loco martyrii ac imperatore, sub quo illud acciderit, vide supra num. 2 et 3. Ex his itaque viri eruditi observationibus perspicuum fit, qualia sint Acta* S. Eusignii, *quorum exemplar ante se habuit, et quam jure merito nostra Vaticana typo hic non committantur, cum sint furfuris ejusmodi. Nec refert, quod tom. I Maii pag. 236 dictum fuerit de hisce Actis suo tempore in lucem dandis; cum res illa, utpote nimis præmatura, non fuerit tunc forte satis expensa. Alia quædam in promptu habeo adversus commentitiam insulsissimi istius fabulatoris narrationem; sed illis supersedeo; cum*

Sub Eustochii cujusdam nomine.

F

AUCTORE J. P.

dicta plus quam sufficiant. Præ manibus habeo schedulam, quæ hunc titulum præfert : Ὑπομνήματα καὶ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Εὐσιγνίου. *Ad marginem notatur* Ex cod. 819 fol. 208, *bibliothecæ Vaticanæ, quantum colligo ex iis, quæ post exordii verba et pauca alia, adscribit Papebrochius :* Plura omisimus annotare, quod, lectis aliquot paginis, constitit, Vitam ex priore contractam, omissis hinc inde lineis aliquot ; pleraque autem iisdem pene verbis, nonnulla paulo brevius narraret : *quæ proin eamdem cum priore sentinam redolet.* D

DE SANCTIS MARTYRIBUS ÆGYPTIIS

CANTIDIO, CANTIDIANO, & SOBELE

J. P.

Cultus apud Græcos et Latinos.

DIE V AUGUSTI. *Martyrologio Romano Menologio Græcorum.*

Tres quidem illi Martyres hodierna die tum in Menologio e Latina Cardinalis Sirleti versione apud Canisium edito; ac in Menæis magnis impressis, tum in Martyrologio Romano commemorantur ; sed non eodem modo : nam Romanum sic habet : Item sanctorum martyrum Cantidii, Cantidiani, et Sobelis Ægyptiorum ; *ubi et conjungit* B *sub una omnes annuntiatione, et omnes Ægyptios facit ; cui annuntiationi ego meam conformavi in titulo superiore expressam ; quanquam ignorem, quo fundamento Eminentissimus Romani Martyrologii conditor Baronius omnes tres Ægypto attribuat ; cum Menologium, quod dicebam, ac Menæa solum* Sobelem *nominent Ægyptium, nomina duorum priorum Martyrum paulo aliter etiam efformantia. Menologium ita habet :* Eodem die *(quinta Augusti)* sanctorum duorum martyrum Cattidii, et Cattidiani, qui propter Christianæ fidei confessionem lapidati in cœlum ascenderunt. *Observa insuper, præter genus mortis, quod hic additur, ambos hosce annuntiari seorsim a* Sobele : *de quo, interposita commemoratione S. Nonnæ, cujus hoc die etiam apud nos festiva recurrit memoria, hæc ibi subduntur :* Eodem die natalis beati martyris Sobelis Ægyptii, qui perseverans in Christi confessione, consummatus est.

2 *Menæa excusa cum in exarandis nominibus Martyrum, tum in duobus primis a tertio Martyre divisim memorandis consentiunt, appositis hisce præterea versiculis :* *ac Menæis eorum exeusis inscribuntur hi Martyres.* E

Βουνοὺς λίθων ἔστησαν ὑψηλοὺς, Λόγε,
Δι' ὧν ἀνῆλθον πρός σε σύγκωνοι δύο.
Lapidum præaltos, Christe, cumulos erigunt,
Queis ad te eodem e pulvere hi scandunt duo.

Sobeli, *qui* βέλει τοξευθεὶς, sagitta trajectus *ibidem dicitur, ita deinde accinitur :*

Ἂν συλλαβισθῇς ἐξόπισθεν, ὦ Σόβελ,
Βέλος συνάξεις, ὄργανον τοῦ σου τέλους.
Ductis retrorsum est syllabis Sobel βέλος,
Sagitta, Martyr, organum finis tui.

Σόβελ *quippe per anagrammatismum seu litterarum transpositionem est* βέλος, *jaculum Latinis seu sagitta, quo* organo, *id est instrumento ictus, vitæ finem imposuit hic Martyr cognominis.*

DE SS. MARTYRIBUS AXIOPOLITANIS

HIRENEO, ERACLO & DASIO

J. B. S.

C

Ex Hieronymianis.

V AUGUSTI.

Sequor hic textum codicis vetustissimi Epternacensis : In Axiliopoli, *pro Axiopoli,* Hirenei, Eracli, Dasi ; *cum reliqui codices luxati et turbati sint. Laterculus Florentinii sic conceptus est, ut facile appareat scriptorem plane titubasse, dum ita scripsit :* Natalis sanctorum Herenenti, Heracli Dassi. Acsiopolim, Herenni, Dassi, Heracli : *quæ mera est annuntiationis ejusdem duplicatio, quam mirum reperiri quoque in Corbeiensi, hoc modo :* Natalis sanctorum Herenti, Heracli, Dassi, sive Bassi. Axiopoli Hereni, Heracli, Dassi. *Atque hæc etiam in Centulensem codicem transiit; recte emendata in codicibus contractioribus Reginæ Sueciæ, Richenoviensi et aliis, quibus omnibus tutius inhærendum censuimus.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS
FLORIANO & FILISTINO

Ex Hieronymianis. J. B. S.

V. AUGUSTI.

Textum hodiernum in præcipuis codicibus claudunt signati Sancti; ut in vetustissimo Epternacensi: Et alibi natalis Floriani et Filistini; quo modo etiam, inserto sanctorum titulo, referuntur in laterculo Florentiniano: Et alibi natalis sanctorum Floriani et Filistini. Ea in Corbeiensi variatio est quod martyrum exprimat; verum pro Filistini substituat Filistinæ: nulla usquam adjecta positione. Notat Florentinius, silere de ipsis vulgata Martyrologia quæ viderit, præter Notkerum, qui Cælestinum, non Filistinum, Floriani socium appellat, incerto pariter loco veneratos. Consulendus etiam erat Rabanus, in quo aliam expressionem invenisset: Et alibi natale sanctorum Floriani et Philistinæ: utra præferri debeat, incertum est. Vera sunt postrema Florentinii verba et huic textui et aliis sæpe, imo passim, applicanda: Reliqua in obscuro esse, nosque adeo prorsus latere.

B E

DE S. PARIDE EPISC. CONFESSORE
TEANI IN ITALIA
COMMENTARIUS PRÆVIUS

Ejus cultus et Acta. P. B.

CIRCA AN. CCCXLVI. Veneratio ejus præcipua Teani viget;

Sancti Paridis memoriam Martyrologia generalia nulla celebrarunt ante seculum decimum sextum, quo reformato tandem Romano sic fuit ad hunc diem inscripta: Apud Theanum, sancti Paridis episcopi, Theanum, seu potius Teanum, hic intellige Sidicinum, episcopali sede sub archiepiscopo Capuano in Campania Felici decoratum; cujus olim Paris ut apostolus ac primus, cum viveret, antistes fuit; ita post obitum, teste Ughello Italiæ sacræ, editionis novissimæ, tom. VI, col. 549, protector habitus est præcipuus. C Corpus ejus ibidem in æde cathedrali ab omni retro memoria quievit magno quidem in honore; minore tamen pompa, quam nunc; si jam perfectum est opus illustrissimi ac reverendissimi domini Josephi de Puteo, episcopi ab anno Christi 1718 Teanensis; de quo post biennium ita scribebat Ughelli continuator loco citato, col. 579: Magno sumptu prænobile sacellum, juxta exemplar illius, quod piissima Neapolitana civitas in æde principe pro divo Januario reliquisque suis DD. patronis excitarat, jam condere incepit, in eo repositurus corpus D. Paridis, primi episcopi primique patroni, quod nunc in ecclesia augusta et subterranea colitur; et statuas omnes reliquorum indigetum protectorum. Est tamen et alia istic ecclesia, ejus nomine, fonte, miraculis clara; ut patebit ex Actis infra, num. 11.

unde pridem extensa fuit ad ecclesiam Capuanam.

2 Cultus ejus a Teanensibus ad Capuanos deinde propagatus est: credo, cum ecclesia Teanensis Capuanum agnovit metropolim, seculo, ni fallor, decimo. Certe dudum ibi viguisse, intelligitur ex Kalendario pervetusto monialium S. Joannis, quem in Sanctuario Capuano publici juris fecit Michael Monachus: ubi ad Nonas Augusti pag. 408 notatur festum S. Pari episcopi et confessoris, vel potius, Paridis; ut legitur ibidem in Kalendario quinto pag. 531; ubi etiam observatur, in Officio ecclesiæ Capuanæ recitari de eodem Sancto tres Lectiones compendiosas; quales videlicet habemus hoc die in Breviario Capuano anni 1489: nam antea (puta ante institutum Officium S. Dominici, quod in isto Breviario proponitur eodem die) in Officio S. Paridis recitabantur Capuæ Lectiones duodecim, ejus Acta complectentes. Harum posteriores decem (nam præcedens folium exciderat) ex detrito laceroque semestris Lectionario monialium S. Joannis Capuæ exaratas huc misit anno 1665 D. Silvester Aiossa Capuanus, F tum rector ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani, et nepos bonæ memoriæ D. Michaelis de Monacho, auctoris Sanctuarii Capuani, addens, hunc semestrem descriptum fuisse anno Domini MXXXIV. Sane publici ac solemnis adeo cultus testimonium tam antiquum ne Teani quidem superesse in scriptis, didicimus hactenus: dignum proinde, quod hic subjiceretur; nisi et acephalum esset, et loco non uno tam misere luxatum, ut neque sensus neque verba potuerim restituere. Deinde præcipua ejusdem instrumenti substantia continetur in Actis integris, de quibus nunc dicam.

Acta in miraculis posthumis sincera;

3 Acta S. Paridis, a Julio Antonio Sanctorio S. R. E. Cardinale doctissimo cum aliis plurimis collecta, edi aliquando ab illo ac pervulgari vehementer optavit in annotatis ad Martyrologium Romanum hoc die Baronius; sed frustra; quantum adhuc scimus. Edidit illa quidem sub idem ferme tempus, hoc est anno Christi 1593, inter alias Sanctorum regni Neapolitani Vitas quamplurimas, parte 2 a pagina 230, Paulus Regius, episcopus Æquensis; sed Italice tantum, nec citato prototypo, forte ut illo liberius, mutando, expungendo, addendo, ornandoque, prout fecit, uteretur. Regium in contractioribus ejusdem Sancti

AUCTORE P. B.

ti elogiis sequuntur Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem, et Ughellus in Episcopis Teani. Nos beneficio P. Antonii Beatilli nostri anno 1638 prototypum istud Neapoli huc missum accepimus, Ex Actis, *ut adnotatur*, antiquitus impressis ecclesiæ Theanensis. *Constat vero ter novem Lectionibus sub hoc titulo :* In festo sancti Paridis, episcopi et confessoris : *unde colligimus, festum illud ibi per Octavam fuisse celebratum, etsi in tres tantum dies distributæ sint istæ Lectiones; sive quod eædem diebus consequentibus fuerint repetendæ, sive quod aliæ de Communi substituendæ, sive quod cæteri dies Officiis aliis impedirentur. Cæterum integra in his* S. Paradis *historia decurritur; si tamen historia dici meretur narratio tot vitiis deturpata, quot modo demonstrabimus. Cadunt hæc in ipsam Sancti Vitam, non in posthuma ejus miracula, quæ referuntur a numero 12, et quibus nihil auctoritatis detrahendum putamus; tametsi ignoremus, quo tempore vel contigerint, vel scripta sint; nisi quod aliquot post sancti Præsulis obitum seculis accidisse ea colligimus ex num. 12; ubi hæc leguntur :* Post multum vero temporis, prædicta ecclesia jam diu vetustate consumpta, et a populo funditus neglecta est *etc.* B

non item in historia rerum

4 *Jam quæ in Vita ipsa potissimum displiceant, paucis accipe. Primum est, quod num. 1 dicitur* S. Paris *advenisse Teanum*, cum Romanus orbis adhuc idololatriæ cultibus subjaceret, et persecutionis procella in Christi famulos mandato principium desæviret. *Princeps autem tum in Italia statuitur Constantinus Magnus, nondum a gentilitatis errore conversus, num. 6; et ipsi persecutio illa tribuitur num. 9, et quidem verbis hisce durissimis :* Constantinianæ persecutionis rabies. *Vah inepti auctoris* ἀνιστορησίαν· *Tantum enim abest, ut Christianos unquam vexaverit Constantinus, ut contra non prius imperare cœperit, anno Christi 306, quam iis bene velle ac facere :* Suscepto imperio, *inquit Lactantius de Mortibus persecutorum cap. 24*, Constantinus augustus nihil egit prius, quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restituta, *seu restitutio. Atqui tum certo gentilis erat. Quid ergo fecisse censendus est, postquam ethnicæ superstitioni renuntiaverat? Renuntiavit autem ante, quam, victo Maxentio, potiretur Italia; ut ostendimus ad diem* XXI *Maii, quo de ipso egimus a pag. 12. Vide plura apud Tillemontium Hist. impp. tom. IV in Constantino Magno, Pagium in Critica Annalium Baronii, aliosque passim obvios. Unde disces, falsissime asseri, ullam in Italia post annum Christi 312* persecutionis procellam in Christi famulos mandato principum desæviisse; *atque adeo vel ante annum illum advenisse Paridem vel confictam esse persecutionem, sub qua Teanum venerit. Vidit hoc sine dubio Ferrarius, cum hæc adnotavit :* Oportet Paridem adolescentem sub extremis imperii Diocletiani Athenis discessisse, et aliquandiu Theani, antequam episcopus ordinaretur, demoratum esse, senioque confectum obiisse. C

a Sancto superstite gestarum.

5 *Displicet secundo, quod eodem numero* S. Paris *ante adventum in Italiam dicatur fuisse* Libanii et magni Basilii socius : *neuter enim natus erat, cum desiit in Italia persecutio; qua tamen sæviente, Acta narrant advenisse illuc Athenis Præsulem nostrum : nam Libanii quidem annum natalem fuisse æræ Christianæ 314, probat Tillemontius in Juliano imp. art. 36; Basilio vero nos ad diem* XIV *Junii, pag. 810, assignavimus annum Christi 316; qui etiam eidem Tillemontio visus est præmaturus; ideoque natum ipse Basilium statuere maluit exeunte anno Christi 329. Displicet tertio quæ eodem numero describitur narratio de dracone, tum aliis ex causis, tum etiam ex ea, quod ibidem ille depingatur, tanquam* anhelitu fœtido et ignivomo spiritu aerem vehementer inficiens, gravemque in populo pariens ex sui præsentia corruptelam; *et nihilo tamen secius asseratur, inter cives feliciorem se quemque reputasse officio, qui posset ei esculentiora cibaria præparare, usque eo, ut ipsius præsidis filia (num. 2) hoc munus obiret, et* præ foribus speluncæ, ubi draco latitabat, cum puellis aliis præstolaretur, *proditurum scilicet ex ea monstrum, cujus anhelitu inficeretur. Displicet quarto latitatio S. Silvestri, jam tum Romani Pontificis, in monte Soracte (num. 9) ad persecutionis imaginariæ rabiem declinandam, de qua satis diximus in S. Constantino M. ad diem, ut jam monui,* XXI *Maii, num. 15. Et quid plura commemorem? Nam si hæc in anonymo et ætatis ignotæ scriptore comprobare quisquam potuerit; eidem facile per me quidem licebit, ut illum in assertis etiam cæteris quovis loco habeat.* D E

Obiisse dicitur Sanctus circa an. 346.

6 *Quo anno Sanctus finem vivendi fecerit, hæc Acta qualiacumque non docent; quanquam diem ac mensem sic adstruunt sepulturæ num. 11 :* Sepultus est autem... Nonis Augusti. *At in Vita S. Amasii, successoris ejus, quam ex eodem Lectionario Teanensi dedimus die* XXIII *Januarii, pag. 484 et sequente, obiisse narratur, cum jam aliquandiu Romanam Cathedram ascendisset S. Julius. Unde Regius colligit, eum decessisse circa annum salutis nostræ* CCCXLVI, *Ferrario et Ughello sequentibus; a quorum sententia nihil apparet admodum quod nos cogat recedere. Quare id unum superest, ut Acta subjiciamus, more nostro divisa, et annotationibus illustrata.*

VITA

Ex Lectionario veteri excuso ecclesiæ Teanensis.

F

CAPUT I.

Sancti patria; adventus ad Teanenses; horum per illius miracula conversio.

Sanctus ex Oriente Teanum veniens,

Cum Romanus orbis adhuc idololatriæ cultui subjaceret, et persecutionis procella in Christi famulos mandato principum desæviret, sacerdos Domini Paris, Atheniensis natione, Libanii et magni Basilii socius *a*, in Italiem de partibus Orientis adveniens ad urbem Campaniæ, quæ Theanum dicitur, Domino ducente, pervenit. Erat autem civitas hæc gentilitatis erroribus obligata, diversorum sibi effigians deliramenta deorum : sed draconis potissimum divinitatis impendebat obsequium, quem pro sui malitia senserat sibi frequenter infestum : solent enim nociva et gravia tanto majori reverentia excoli, quanto contingit ea ab hominibus plus timeri. Erat siquidem juxta subteriorem * ejusdem civitatis portam fons aquæ

a

* *i. e.* inferiorem

A aquæ jugis atque prægrandis, in quo latebat draco miræ magnitudinis, quem vulgari nomine boam *b* solent homines nuncupare; hic anhelitu fœtido et ignivomo spiritu aerem vehementer inficiens, gravem in populo pariebat ex sui præsentia corruptelam. Tantus vero singulorum mentibus de ipso timor incesserat, ut super ipsum fontem cives urbis fanum ad honorem ejus erigerent, et delicatos ei cibos quotidiana *c* sollicitudine ministrarent; in quo feliciorem se quisque reputabat officio, qui posset esculentiora cibaria præparare. Cedebat nimirum infelici populo per hoc grave dispendium, cum procedente tempore non belluæ, sed quasi Deo sacrificium videretur offerri.

draconem, ibi superstitiose cultum

2 Sed omnipotens Dominus, qui beneficia sua etiam præstat indignis, non diutius sustinet, populum, quamvis ethnicum, dæmonis vexationibus concuti et spiritalis nequitiæ molestiis fatigari: nam famulus Domini Paris adveniens, portæ prædictæ civitatis appropians, lautiores dapum apparatus invenit, filiamque Simpronii præsidis, viri clarissimi, nomine Tranquillinam, præ foribus B speluncæ, ubi draco latitabat, cum puellis aliis præstolantem aspexit: et quid agerent, et quæ esset causa tantorum apparatuum, requisivit. Sed cum ab ore virginis et sodalium didicisset, cibos illos non humanis usibus, sed draconis visceribus servituros, nec esse voluntatis obsequium, sed districtæ necessitatis et divini cultus familiarius argumentum, de ruina et cæcitate populi vehementer indoluit, seque protinus ad consueta orationum arma convertit.

prece vincit et fugat:

3 Toto itaque spiritu in auctorem malorum omnium Domino Jesu Christo profusus, qui Apostolis et sequacibus suis calcandi super serpentes et scorpiones contulit potestatem, ad locum securus accedit, puellasque et qui *d* cum eis aderant, procul absistere, et Dei omnipotentis misericordiam exspectare jubet, ipse autem præ foribus speluncæ in fontis ripa consistens, signo crucis armatus, draconis exitum intrepidus præstolatur. Quem confestim sævissimus ille draco prospiciens, et credens, de more sibi dapes afferri, quasi ventrem jam pasturus egreditur, et esuriei suæ satis fieri arbitratur. Mox itaque Dei Famulus virgam, quam levandi laboris et regiminis C causa gestabat, super caput ejus imposuit, et inducto sopore, omnem veneniferæ potestatis ardorem et noxiæ voluntatis virus exstinxit. Ipsum namque, velut modicum reptile, propria manu quodam, quo præcinctus erat, resticulo religavit, et ad flumen, quod Saon *e* dicitur vulgo, religatum monstrum protinus per undas fluminis in mare præceps ire præcepit, indicens ei imperativa potestate virtutum, ut mersus æquoreo gurgite, nocendi hominibus de cætero non resumeret facultatem. Ad cujus imperium protinus hydra dilabitur, et non comparitura ulterius, marinis fluctibus implicatur.

hinc delatus ad præsidem,

4 Sed quid non pervertit humana perfidia? Ecce, Servus Dei, præco veritatis et sacerdos altissimi, urbem immeritam a pestis mortiferæ vinculis eximit, et cives a quodam jugo miseræ servitutis absolvit, agens in uno *f*, per quod et Deus deberet familiarius excoli, et sancto Viro, pro impenso munere, venerationis titulus exhiberi. Solent autem perversi homines pro bonis mala rependere, et sinistre interpretando beneficia, perperam respondere, et unde possent gratias agendo efficaciter vivere, inde student detestandi fastus opprobrio miserabiliter interire. Quum enim puella, præsidis filia, cum sodalibus in urbem rediisset, civesque vidissent cibos, quos absumptos a dracone crediderant, reportari, causam quærunt; iratum sibi dominum suum, et se contemptos in alimoniæ ministerio suspicantur. Sed cum ex puellæ relatu sancti Viri victoriam et draconis effugium cognovissent, fit strepitus et clamor in populo, fit populi concursus ad præsidem; mirantur et perstrepunt universi in uno homine virtutis tantæ potentiam, qui et dominum suæ civitatis potuisset opprimere, et tam robusti corporis vires notissimas subjugare; adjicientes, solum hoc Herculem potuisse; cujus quamvis exstet memoria, cum tempore tamen robora transierunt. Multis quoque dignum decernunt esse suppliciis, et pœnis gravioribus subigendum, qui potuit hujus transgressionis auctor existere *g*.

Ex impressis.

g Christianæ religionis causam,

5 Admirans igitur præses, vir clarissimus, in verba filiæ, et ad impetum populi tumultuantis indignans; Ducatur, inquit, præsumptor ille nefarius et nostris tribunalibus præsentetur; sub diligenti discutiatur examine; et similium experimento ferarum discat de similibus non facile præsumendum. Protinus ad imperium præsidis E exequutorum turba progreditur, et Virum Dei cursu velocissimo rapiens, cæsum et multis affectum injuriis, obtutibus præsidis studuit præsentare. In medium ergo productus, stetit ante præsidem multorum stipatus frequentia populorum. Quem præses, vir clarissimus, irato vultu intuens; Dic, inquit, sceleratissime omnium; de qua regione originem ducis; et cur tam præsumptive ad nos intraveris, ut et decreta principum cervicose contemnas, et deorum immortalium cæremonias ac sacra pervertas? Ad quæ Paris, famulus Domini, ut erat multæ mansuetudinis discipulus; Si natalis, inquit, soli patriam quæris, Orientis me regio protulit; si adventus causam postulas, me ad hanc provinciam causa vestræ salutis adduxit; ut relictis idolorum squaloribus, unum Deum, qui in cœlis est, studeatis agnoscere, et Jesu Christo Redemptori vestro totis desideriis adhærere: simulacra enim hæc, sibi suisque cultoribus inimica, quanto sunt sensu et humana ratione carentia, tanto sunt ab effectu divinitatis aliena. Quid enim turpius et magis absonum rationi, quam factorem facturam suam colere, seque figmenti sui ludibriis F inclinare *h*?

h

suamque frustra defendit,

6 Animarum igitur vestrarum fructui congruit et saluti, ut, abjectis errorum omnium tenebris, veram lucem, quæ Christus est, studeatis attendere, eique laudum vota et jubilationis hostias immolare, qui universæ Conditor creaturæ disponit tempora, tractat consilia, mutat regna, transfert imperia, auferens spiritum principum, terribilis apud reges terræ. Neque enim tractus temporis protelabitur, et ipse princeps noster gaudens privilegio monarchiæ, cæcitatis suæ errore deserto, Deo cœli Domino Jesu Christo colla subjiciet, et Baptismatis unda renatus, Catholicæ religionis cultor et defensor existet *i*. Nec de dracone fugato debetis quippiam conqueri, quem nihil divinum habere, per hoc clarissime comprobavi, quod, invocato Jesu nomine, non solum ab his eum finibus expuli, sed et sic perpetuo undarum carceri mancipavi, ut nativæ malignitatis oblitus, nocendi ulterius cuiquam amiserit potestatem.

i

donec bestiis objectus,

7 Ad hæc protinus beati Viri verba vulgus insanit inane, et magicis artibus id egisse sanctum arguit Sacerdotem. Suggerunt itaque præsidi, experiendam esse ferarum quoque potentiam aliarum; ut qui potuit flammivomo draconis spiritui robuste resiste-

EX IMPRESSIS.

resistere, præsumat, si poterit, leonis et ursi rabiem refrænare. Educitur itaque ad mandatum præsidis de cavea violentissimus ursus, cui vires et grandævitas corporis et prolixa jejunia cumulabant, præstolantibus universis, deorum hostem in brevi debere perimi et ferinis dentibus cum summa celeritate transumi. Sed Confessorem suum manus dignatur divina protegere et feritatem belluæ velut in ovinam mansuetudinem commutare : nam ursus extemplo pedibus Sacerdotis Domini provolutus, in se ipso cœpit fremitus sui spumas ebibere, et, furore deposito, intra sui metas innatam rabiem cohibere. Ad quod miraculum populus insaniens obstupescit, et magicæ hoc ascribens potentiæ, leonem ei judicant dimittendum.

ab iisque non læsus, urbem omnem convertit.

8 Mira populi cæcitas, et socordia detestanda! Qui potuit in urso rabiem furoris exstinguere, numquid non poterit quassare malitiam in leonem! De cubili igitur leo dimissus, pro sui magnitudine et feritate spectaculum factum est universis, sperantibus, Paridem non posse dentes ejus effugere, B quem noverant diutinæ famis inopia laborare, Pari autem forma et ratione consimili leo vestigiis beati Viri provolvitur, et inditæ ferocitatis oblitus, in eo velut quædam divinitatis insignia protestatur. Nulla quidem præferens signa sævitiæ, sed formam exhibens mentis ac rationis humanæ, sanctis hæret vestigiis, et pedibus supplicat Confessoris. Cives itaque signis tam evidentibus excitati, in laudes divinas protinus convertuntur, unum Deum, quem Paris prædicat, colendum esse, consona voce denuntiant; simulacra omnia ab universis esse spernenda, confirmant. Vir igitur sanctus eos in fide Christi plenius instruens, tam præsidem, quam omnem populum baptismatis unda respersit, et pro salute eorum hostiam faciens singularem, dominici Corporis et Sanguinis eos participio solidavit.

ANNOTATA.

a *Scilicet antequam nati essent! Vide Comm. num. 5.*

b Boam *in Italia frequentem fuisse, tradit Solinus in Polyhistore cap. 2 :* Calabria, *inquit,* chelydris frequentissima, et boam gignit; quem C anguem ad immensam molem ferunt convalescere. Captat primo greges bubulos *(unde nomen traxit :)* et quæ plurimo lacte rigua bos est, ejus se uberibus innectit, suctuque continuo saginata, longo in seculo ita fellebri satietate ultimo extuberatur, ut obsistere magnitudini ejus nulla vis queat : et postremo depopulatis animantibus, regiones, quas obsederit, cogit ad vastitatem. Denique, D. Claudio principe, ubi Vaticanus ager est, in alvo occisæ boæ spectatus est solidus infans. *Plura de his vide apud Joannem Zahn Œconomiæ mundi tom. II. pag. 421 et 425; de anhelitu tamen pestifero vel igniromo nihil.*

c *In Legenda Ms. monialium S. Joannis dicitur consuetudo fuisse,* quatenus per omnes hebdomadas escas per virgines transmissas esui illius honorabiliter apponerent.

d *Atqui secundum Legendam antiquiorem jam dictam nullus vir adfuisse virginibus dicitur, præter Sanctum.*

e *Flumen* Saon *Teano ad Orientem proximum est.*

f In uno, *id est* una, simul, *seu* eodem tempore; *Italicismus est* (in un *vel* in uno;) *adeoque novitatem auctoris olet.*

g *Atqui Herculi simile facinus non pœnas, sed laudem apud ethnicos immortalem peperit.* D

h *Hæc responsio non satis apposite hic Sancto tribuitur : non enim accusabatur de facta idolis seu simulacris, humana arte manuque fabricatis, sed draconi vivo hac spiranti, injuria.*

i *Hæc prophetia non videtur esse* S. Paridis; *sed hujus Legendistæ : pertinet enim ad Constantinum; qui jam cæcitatis errorem deseruerat, antequam extorsisset Maxentio principatum Italiæ : prædicitur ergo ridicule, quod ante istam prædictionem acciderat. Deinde longe verisimillimum est, Constantini baptismum, utpote sub finem vitæ susceptum, multorum annorum spatio ab ejusdem conversione fuisse disjunctum. Quomodo igitur verum est,* Neque enim tractus temporis protelabitur *etc. ?*

CAPUT II.

Ejusdem episcopatus; sanctus obitus; ecclesiæ; posthuma miracula. E

Tantam autem memorato fonti, unde draconem expulerat, benedictionis et sanctitatis gratiam contulit, ut quisquis febrili disgratia *a* seu quolibet languore detentus, de ipso fonte fideliter et devote potaret, ejusdem meritis remedii salutaris consequeretur effectum : cujus sanctificationis gratiam eidem fonti, usque in præsentem diem manifestum est perdurare *b*. His itaque magnifice consummatis *c*, convenit memoratæ civitatis populus universus, et eumdem Sanctum Domini sibi in antistitem elegerunt; ut quem primum habuerant Christianæ fidei doctorem in terris, haberent pastorem primarium et specialem patronum in cœlis. Electus itaque beato Sylvestro Romano Pontifici in monte Siractis *, Constantinianæ tunc persecutionis rabiem declinanti *d*, præsentatur; qui de provectu Ecclesiæ et Christianæ fidei gloria vehementer exultans, Deo gratias retulit, sanctumque Virum pontificalis dignitatis infula decoravit. Consummatis itaque de more mysteriis, licentiatus *e* ab ipso, ad ea, quæ pontificis sunt, peragenda, disponente Domino, remeavit. F

Episcopus ibidem electus, a S. Silvestro PP. I consecratur. a c

* l. Soractis d

10 Reversus ergo ad propria, sacerdotes et reliqui ordinis viros graduali et debita observatione promovit; inter quos beatum Urbanum *f*, qui ei tertius in ecclesiæ regimine successit, librata quadam consideratione, in diaconem sublimavit. Templa autem omnia et delubra idolorum funditus evertens, in Dei ecclesias commutavit; ut ubi prius sorduerant cæremoniæ dæmonum, ibi regnaret plenitudo, vel gratia sanctificationum. Rexit vero Theanensem ecclesiam miraculorum luce conspicuus, et cœlesti conversatione præclarus annorum numero Dei providentia præfinito. Sed cum, revelante Spiritu Sancto, diem suæ resolutionis insistere et revocationis sibi cognosceret imminere, fidelium sumptibus cœmeterium sibi prope civitatem construi postulavit; in quo cum omnes de observatione fidei et vitæ puritate solidasset, consummato agonis legitimi cursu, hominem exuit, et debitum mortali naturæ exsolvens, terram terræ, spiritum cœlo refudit.

et gubernata sancte ecclesia sua, sancte moritur; f

11 Subvectus siquidem ministerio Angelorum, quia multum pro Domino laboravit in terris, æternitatem

sepelitur 5 Augusti: duplex ecclesia in ejus honorem exstruitur.

A nitatem præmiorum merito suscepit in cœlis. Sepultus est autem cum hymnis et canticis spiritualibus, Nonis Augusti. Post cujus obitum prædictæ civitatis populus ob dignam ipsius sanctissimi Paridis gratiam celebremque memoriam, in loco sepulturæ ejus ecclesiam congruenti opere condiderunt. Super fontem quoque, unde draconem expulerat, basilicam sub ejus nomine construxerunt; in qua videlicet utraque, meritis ejus precibus exuberant beneficia, dum ægrotis quibuscumque fideliter postulantibus mentis et corporis integritas prærogatur, præstante Domino nostro Jesu Christo; cui est cum Patre, et Spiritu Sancto honor unus, majestas una, imperium unum, nunc et semper per infinita atque immortalia secula seculorum. Amen *g*.

Ejus ecclesia restoruit miraculis;

12 Post multum vero temporis prædicta ecclesia *h* jam diu vetustate consumpta et a populo funditus neglecta est: et ubi antea, dum debiti vigoris robur permanebat, Sacramenta deferri solebant, cum ecclesiæ ædificiis penitus cœpit decidere. Cum autem tanto tempore præfata ecclesia B proprii honoris officio privaretur, et quæ divino cultui fuerat tradita, nascentibus et infructiferis herbis vallata permansit inutilis, oppidoque deserta, Jesu Christo Domino suo parere non poterat. Quoniam vero Dominus, qui in se confidit fiducialiter, ab omnibus custodit adversis, suorum fidelium arcana ad tempus satagit revelare, prædictam ipsius ecclesiæ sancti Paridis debitam consecrationem respiciens, suam misericordiam in sinu prædictæ ecclesiæ per aliquos dies in quibusdam ægre habentibus exercere haudquaquam cessavit: quod qualiter actum sit, in sequentibus veridico sermone enucleabitur.

ibi enim paralytici duo; aliique ægroti sanantur;

13 Quidam vir, Guiscardus nomine, manuum pedumque virtute debilissimus, sic videlicet, ut erectus nullo modo posset ambulare, pridie Kalendas Augusti descendens ad ipsum locum ecclesiæ mundandum, ubi, ut superius notatum est, nil utile inveniebatur, ab infirmitate prædicta, oratione beati Paridis, evasit; nec immerito; cum Salvator totius orbis, cujus verba veritatis sunt capacia, cujus sermones nunquam possunt falli, quod sibi famulantibus est pollicitus (qui legitime, inquiens, certaverit, maxime coronabitur) C mentiri non potest. Alia vero die Kalendis Augusti, cum rumor tanti beneficii per urbem promulgaretur, et populi auribus tanta virtus intonaret, quædam puella, nomine Eustadia, sinistræ manus imbecillitate detenta, ita ut sensim nullatenus posset brachium erigere, ad ipsam ecclesiam festine præcurrens beati Paridis, interventu sociæ, est adepta vigorem: quod nonnulli audientes, ad tanta Redemptoris nostri miracula, quæ visenda quotidie in suis famulis manifestissime declarantur, ovanter properabant: alii autem variis languoribus obruti, nimioque æstu anxie anhelantes, aquam, quæ ex ipsius ecclesiæ *i* fonte manare videtur, de quo beatus Paris draconem sævissimum expulerat, salubriter degustantes, a febribus et a caloribus laxabantur.

item puer assidue lacrymans,

14 Audiens hæc universus populus tanta beneficia, quæ Dominus per beatum Paridem quotidie exercebat, oppido lætabantur. Cum autem ad aures cujusdam mulieris habitantis in loco, quod vulgo dicitur Prætoriam, pervenit; quæ in ore simul et barba morbum patiebatur, qui vulgo Celsus *k* nuncupatur, se sine sanitate nullatenus autumans recessuram, ad ipsam ecclesiam eundo iter arripuit; qua in ecclesia orante, quam confidit, sanitatem properanter accepit, ipsum vulnus aqua fontis, de prædicta ecclesia manantis, abluendo. Quod quidam recitantes, et audientium corda levantes *l*, quædam mulier de loco Sancti Pancratii, quæ puerum maxima detentum infirmitate habebat; ita videlicet, quod noctem diemque lacrymando absumebat, ad ecclesiam sancti Paridis una cum puero properavit: quo ecclesiam ingrediente, ita prior languor effugit, quod ultra a lacrymis quietus permansit; velut postea a genitricis ore accepimus *m*. Auditis denique tot talibusque virtutibus, in ecclesia beati Paridis a Christo misericorditer properatis*, clerus ac Theanensis populus ad tales epulas invitatus, ceu latrabile animal feram avido ore vestigiis persequens, cum cereis ad præfatam ecclesiam anxie tenderunt*.

EX IMPRESSIS.

* f. operatis

* l. tetenderunt

et innumerabiles alii,

15 His, et aliis hujuscemodi virtutibus beatissimi Paridis fama mirabiliter aucta, et ab omnipotenti Deo, cujus misericordia hæc revelata sunt [et] per totum fere orbem debitæ pietatis studio intimata, adeo crevit, ut si idem sermones linguæ sufficeretur, nequaquam efficerent enarrare *n*. Quid plura? Quidve multis moror? Sicut Redemptoris nostri beneficia funditus præ E magnitudine pietatis nulli rei poterunt comparari; sic et hujus Sancti virtutes tantæ ab omnibus habentur ac recoluntur; ut verbis nullatenus valuerint explicari. Sed quoniam cæteri penitus non audent, summam tantum tangere, operæ pretium duximus, ut ejus facta silentio non transducantur, cujus opera memoria digna probantur. De hoc hactenus; et ad alia transeamus. Cum autem fama hæc Gaietam contingit*, quidam, ut fit, non ita sese habere autumantes; quidam vero credentes, ceu in subsequentibus panditur, firmiter agnoverunt.

* f. contigit

item civis Cajetanus paralyticus, et mulier dæmone insessa.

16 Quidam vir, ejusdem civitatis incola, cujus dextrum latus nimia infirmitate conculcabatur, linguæque expeditio prorsus effugabatur, cui nomen Joannes Spica, pristinæ incolumitati se daturum* cupiens, prædictæ ecclesiæ limina postulavit, postulatamque sanitatem adeptus est. Cumque sanus ad propria regrederetur, eum videntes, indigne qui prius titubabant, verissime crediderunt. Audiens hæc quædam mulier, de Reumacio oriunda, quæ a dæmonio possessa habebatur, confidenter animadvertens, se liberari, cucurrit F ad pollicita, quæ in eadem ecclesia infirmis pollicebantur. Hæc denique ibidem unius diei spatio morata, semper desiderata postulans, discessit tristis, sibi favens sermonibus istis: Heu tibi! Curre cito*, quia corpus hic requiescit, firmiter et scito, quia vetus pœna quiescit. Qua episcopium ingrediente, quod in præfata ecclesia *o* non fuit digna recipere, beato Paride interveniente, intus, ubi ejus corpus recumbebat *p*, acquisivit. Primo iterum die, post ejusdem declinationem, solito more ad prædicta limina populus devote præcurrens, de miraculis ibi factis Domino gratias agebat.

* imo datum.

* f. Curre scito,

et alia hausta vipera tumens. Ecclesiæ labentis instauratio.

17 Accessit quædam mulier de Petra Molaria, cujus uterus tumebat mortiferi casus accessione, serpentis videlicet ingressione: quam sacerdotes videntes, lympham ex ipsius ecclesiæ fonte manantem benedixerunt, qua hausta, serpentem protinus evomuit. Tantæ denique confessoris Christi beati Paridis virtutes et debita pietatis obsequia nonnullis sola misericordia concessa sunt, ut ab omnibus merito innumerabiles autumentur. Quis igitur Sancti hujus mœnia non congrue visenda decreverit, infra cujus limina talia operantur beneficia? Quæ iterum lingua luculentissime valuerit explicare, quot homines dæmonibus possessos beatissi-

Ex impressis.

beatissimus Paris, Theanensis urbis episcopus, liberare, quot cæcos illuminare, quot leprosos mundare, quot aliis languoribus oppressos ad pristinam incolumitatem reducere curavit? Quoniam quidem tantus talisque tot et alia bona exercuit; ejus ecclesia, quæ casui fuerat subjecta, nunc proborum virorum auxilio non rudi ædificio est erecta.

ANNOTATA.

a Disgratia, *id est incommodum, miseria, infortunium; vox rursus Italica.*

b *Neque hæc sonant biographi æqualis aut supparis vetustatem.*

c *Imo perdiu* consummatis; *si verum est, quod aiunt Regius, Ferrarius, et Ughellus, episcopum videlicet consecratum fuisse Sanctum circa annum Christi 333.*

d *De his redi ad Commentarium num. 4 et 5. Regius ait, S. Silvestrum tunc Romæ fuisse, non in Soracte; utpote converso jam Constantino.*

B

e Licentiatus *barbare positum pro* dimissus.

f *De S. Urbano illo agendum erit die 7 Decembris, quo colitur.*

g *Hic finiuntur duorum dierum Lectiones octodecim; et antiquior* S. Paridis *historia. Quæ sequuntur, multo recentiora sunt; novem iterum Lectionibus distincta; sed vide, an non idem utrobique sit stylus et auctor.*

h Prædicta ecclesia; *atqui de duabus ecclesiis æqualiter jam facta fuerat mentio. Utra hic ergo intelligenda? Regius priorem intelligit, hoc est illam, quæ fuerat Sancti sepulcro imposita.* D

i *Hic designatur posterior ecclesia e duabus supra memoratis, ut patet.*

k Morbus Celsus *quid sit, frustra indagavi. Suspicor, cancrum esse, aut quid simile, quod partes affectas corrodendo vulneret : corrosionem illi certe tribuit Paulus Regius; de vulnere autem mox fiet mentio.*

l *Nominativus absolutus pro ablativo medii avi scriptoribus solemnis est.*

m *Patet hic, miracula hæc fidem mereri, cum acciderint scriptoris ætate.*

n *Locus corruptus; satis tamen aperte significans inenarrabilem prodigiorum frequentiam.*

o *Illa scilicet, ubi fons est.*

p *Videtur hic* episcopium, *ubi Sancti corpus recumbebat, accipi pro ecclesia episcopali seu cathedrali. Et certe ibi etiam nunc corpus illud recumbit. Quid ergo? An civitas ea parte, qua cœmeterium olim fuerat* S. Paridis, *ampliata est modo, et facta est ecclesia cathedralis, ac S. Joanni Evangelistæ, secundum Ughellum, est consecrata, quæ primum* S. Paridis, *nomen habuerat? An potius ecclesiæ diversæ sunt, et ex una ad aliam corpus translatum fuit? Atqui de translatione nulla est memoria.* E

DE SANCTA NONNA

MATRE S. GREGORII NAZIANZENI

ARCHIEP. CONSTANTINOPOLITANI

J. P.

SYLLOGE HISTORICA

§. I. Nominis etymon, idea virtutum.

C

Circiter an. CCCLXXIV. Sanctæ nomen unde ortum duxerit.

I*nter alia plurima naturæ ac gratiæ ornamenta, quibus prædita fuit* S. Nonna, *hæc sibi habuit propria, quod exstiterit sancti mariti conjux, quod sanctorum liberorum parens, quod ex sancta stirpe oriunda. De ejus marito, S. Gregorio, episcopo Nazianzeno, actum est apud nos die* I *Januarii; de ejus autem liberis S. Gregorio Nazianzeno, cognomento Theologo, die* IX *Maii; de S. Gorgonia agendum erit* IX *Decembris; de S. Cæsario actum die* XXV *Februarii. Hodierna autem dies* S. Nonnæ *festivo cultui dicata est.* Quod, *inquit Baronius in notis ad suum Martyrologium Romanum hac die,* ad nomen spectat; nonnæ dicebantur moniales, ut notat Cæl. Rhodig. lect. antiq. lib. 5 cap. 13 in fine, idemque habes lib. 5 Capitularium regum Franc. cap. 2 et 3. In eodem forte sensu S. Hieronymus ep. 22 ad Eustochium de Cust. virginit. ait : Maritorum expertæ dominium, viduitatis præferunt libertatem : castæ vocantur, et nonnæ etc. At non tantum apud Græcos ejusmodi nomen appellativum aliquando transivit in proprium, sed et apud Latinos : nam et S. Augustini mater eodem ferme nomine est appellata; licet pro Monacha, Monica dicta sit, quod est idem quod Nonna. Sicque duæ amplissimorum Ecclesiæ Doctorum matres eodem dictæ nomine habentur. F

Sancta e sanctis parentibus orta.

2 *Quoniam vero S. Gregorius Nazianzenus, filius ejus, virtutum suæ matris scientissimus fuit ac certissimus explorator ac testis, delibo ex Operibus ipsius anno 1619 Lutetiæ Parisiorum vulgatis ea, quæ conducunt ad suggerendam illarum ideam. Tomo itaque II. Carmine De Vita sua pag. 2 dicit, quod sit.*

Prognata sanctis sanctior parentibus.

Et Carmine proximo, pag. 33 ita de illa pronuntiat Vir sanctus :

Illa quidem a patribus fidei pia semina ducens
Natorum aurata devinxit colla catena,
Feminea in forma mentemque animumque virilem
Gestans, ac terram fluxique negotia mundi
Hactenus attingens, ut cœlo provida cunctas
Ferret opes, et summa levis volitaret ad astra.

Carmine 4. pag. 71 hasce ei laudes attribuit sanctus Doctor :

At mater, soboles sanctorum sancta parentum,
Atque piæ stirpis surculus eximius :
Matronis haud inferior, queis cernere Christum
Contigit, e tumulo cum redivivus erat.

Tomo I, oratione II, *pag. 178,* Ecquis est igitur, *inquit,* qui nostræ memoriæ Saram ignoret?

A ret? *Oratione 19, pag. 293 eam prædicat,* quæ antiquitus, atque a majoribus suis, Dei et Christi amore prædita esset, ac virtutis hereditatem a patribus accepisset. *Nihil habebat mulieris, præter solum sexum, ex Carmine S. Gregorii De vita sua pag. 2 :*

Sexus mulier; at moribus supra viros.

3 *Jam vero de virtutibus ipsius singulatim hæc invenio. De dotibus linguæ sic loquitur pag. 2 proxime citata, appellans,*

Dotes linguæ, patientia.

Testem Parentem, nemo qua veracior:
Ut quæ sileret clara potius omnibus,
Quam quid referret abditi, laudem aucupans.
Magnus magister namque erat dux huic timor.

De patientia tom. I. orat. 19, pag. 293 hoc breve, quod mulieres omnes patientiæ ac fortitudinis laude superaret. *Quid, quod, ut ibid. pag. 292,* Nec.. corporeo luctui tantum unquam indulserit (licet alioqui vel externorum calamitatibus majorem in modum commoveretur) ut luctuosa vox ei prius quam gratiarum actio erumperet, aut ex palpebris B mystice signatis lacryma flueret, aut lugubris habitus splendido die præsente, permaneret: tametsi multæ persæpe molestiæ ipsi acciderint. Piæ enim ac Deo charæ animæ esse censebat, divinis rebus humana omnia submittere. *Virginitas inter conjugalia vincula, hujusque conservatrix, vitæ austeritas sunt ibid. pag. 291 :* Quænam jejuniis et vigiliis carnem magis attenuavit, aut diurnis ac nocturnis psalmodiis columnæ instar se ipsam affixit? Quænam virginitatem majore in admiratione habuit, quamvis connubii vinculum sustinens?

exercitia pietatis, donum orationis, fiducia, efficacia;

4 *Cura rei familiaris cum exercitiis pietatis concinne conjuncta ibid.* Jam cum aliæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (utrumque enim assequi difficile est) utroque nomine mulieres omnes superavit: tum quod utrumque horum ad summum usque præstiterit, tum quod sola duo ista complexa fuerit. Rem enim domesticam industria et solertia sua, juxta leges mulieri forti a Salomone statutas, ita auxit, quasi pietatem colere nesciret: Deo rursum ac divinis rebus ita se addixit, tanquam a rerum domesticarum procuratione plurimum abesset. Neque ab alterutro horum quidquam impedita est, quo minus alterum C impleret; quin potius utrumque alterius ope fulcivit et confirmavit. *Donum orationis, ac spes ibid.* Quodnam orationis tempus, ecquis locus eam latuit? (Nihil enim toto die erat, ad quod prius impelleretur) Imo vero quænam unquam parem spem habuit fore, ut simul atque aliquid petiisset, statim, quod peteret, consequeretur? *His porro orationis prærogativis accedit efficacia: nam Gregorium filium a Deo petiit et impetravit. Carmine De vita sua ita is canit pag. 2 :*

Cupiebat illa masculum fœtum domi
Spectare, magna ut pars cupit mortalium.
Deum ergo supplex orat, ut vota expleat.

Carmine autem quarto pag. 71 hæc narrat Gregorius :

At me præcipuo Christus donavit honore:
Primum etenim matris me dedit ipse preci.

Carmine primo a pag. 38 sic loquentem inducit matrem :

Succensa cupidine prolis,
Annam imitans tales emisit pectore voces:
Da mihi tu, quæso, Dominator maxime, natum:
Ædibus inque tuis omnes tibi serviet annos.
Dixerat, et precibus flexus de nocte parenti
Designas nomen pueri: prolesque secuta est.

Quod denique laudata mater Gregorio suo in tempestate de vita periclitanti opem tulerit precibus (δι' εὐχῆς, ut est in Græco;) vide orat. 19 a pag. 306. Nunquam se reputabat ornatiorem, quam dum a femineis ornamentis remotior erat; propinquior autem pulchritudini increatæ. Ibid. pag. 291 : Illa enim est, quæ, cum aliæ mulieres ob ornæ elegantiam tam nativam quam fictam et fascititiam gloriari atque animis efferri soleant; ipsa contra hanc unam, quæ in anima, divinaque imagine sive tuenda sive pro viribus repurganda, posita est, pulchritudinem agnoscebat: pictos autem et arte quæsitos ornatus ad scenicas mulierculas abjiciebat.

AUCTORE J. P.

virtutis æstimatio, beneficentia erga pauperes

5 *Nobilitas sola atque unica ipsi erat virtus. Ibid.* Unam item nobilitatem in pietate sitam esse censebat, atque in eo, ut, unde ortum habuimus, et quo tandem perventuri simus, intelligamus. *Solas illas æstimabat divitias, quæ auferri nequeunt, in consanguineos earum indigos benefica. Ibid.* Solas insuper has tutas atque ab omni surreptione immunes opes ducebat, nimirum Deo E et pauperibus opes effundere, ac præsertim qui fortunis suis, tanquam flore quodam, excidissent: quibus quod necesse esset, duntaxat præbere, non calamitatis depulsionem, sed monumentum esse judicabat: liberalius autem et prolixius eos juvare, id demum firmi honoris ac perfectissimi solatii esse. *Quin etiam mirifico suas facultates in pauperes quosvis inexhausta liberalitate effundendi desiderio flagrabat; Cui nimirum, ibid. pag. 299,* ne Atlanticum quidem pelagus, aut si quid aliud maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset. (Tanto tamque immodico largiendi amore flagrabat!) Quæ Salomonis sanguisugam in contrarium æmulata est, nimirum per inexplebilem ad bonum cupiditatem, insaturabilem ad malum aviditatem vincens, tantaque ad bene merendum alacritate prædita, ut ea saturari non posset. Quæ denique non opes solum omnes, quas vel ab initio habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimabat; sed se ipsam quoque, si fieri potuisset, et liberos, ut ex ipsa sæpe audivi, prompte ac lubenter vendidisset, ut in pauperum usus expenderentur. Huic totas largitionis habenas illa permiserat. *Post mortem omnia pauperibus reliquit: nam S. Gregorius in suo Testamento, quod habetur in appendice ad tom. I,* Omnia, *inquit,* pauperibus destinavi, aut potius beatissimis F parentibus, qui ita polliciti erant, obsecutus sum.

sine ulla vana gloria; magna vero cum prudentia.

6 *Erat autem in his ab omni vana gloriola valde aliena.* Quæ res mea quidem, *ait citata pag. 299 S. Gregorius,* sententia, omni exemplo præstantior ac sublimior est: nam animi quidem in pecuniis magnitudinem apud alios quoque facile reperire est, sive eas spectes, quæ in publicas et urbanas ambitiones perdite effunduntur, sive quæ Deo per pauperes fœnori dantur, solæque iis, qui eas expendunt, reconduntur: at qui gloriam ex ea re collectam alteri concesserit, haud ita facile reperiemus. Permultis siquidem ad sumptus prompto animo faciendos sola honoris cupiditate ducuntur: ubi autem largitio arbitris caret, illic quoque largitio languescit et obtunditur. Ac tanta illius liberalitas fuit, pluraque etiam scientibus relinquemus: adeo ut si quid hujusmodi de nobis commemoretur, ex eo fonte promanet, illiusque profluvii pars sit. *Ad hæc, in distribuendis eleemosynis prudentiam cum misericordia ita conjungebat, ut ista provincia ei a marito suo traderetur.* Quamvis enim, *ut ibidem dicitur,* opes ipsi ac largiendi promptitudo cum uxore communis

AUCTORE J. P.

munis esset, quippe cum qua de pulcherrima quaque virtute contenderet; majorem tamen ipse largitionis partem ei, ut optimæ et fidelissimæ hujusmodi rerum dispensatrici relinquebat.

Alia misericordiæ opera, abalienatio a gentilibus.

7 *In aliis præterea misericordiæ operibus præstans fuit. Etenim, uti habetur pag. 291,* Quænam orphanis ac viduis majori præsidio fuit? Quænam lugentibus calamitates æque sublevavit? *Reverebatur mirifice loca sacra: idque ex eo liquet pag. 292,* quod in sacris conventibus aut locis nunquam illius vox audita sit: necessarias tantum et mysticas excipio. Quod si olim magnum atque amplum altari erat, quod super ipsum nec securis ascendisset, nec visa aut audita ascia esset (quo nimirum sublimius aliquid significabatur, nempe nativum et simplex, artisque ac fuci expers esse debere, quidquid Deo consecratur) cur non illi quoque ad laudem magnum sit, quod silentio sancta honorarit, quod venerandæ mensæ nunquam terga obverterit, nec in divinum pavimentum exspuerit? *A gentilium consuetudine adeo* B *abhorruisse ibidem dicitur, ut* nullius unquam gentilis feminæ, quamvis alioqui honestissimæ ac propinquissimæ manibus manum injecerit, aut labra labris miscuerit; imo nec cum his, qui a profana et impura mensa veniebant, non modo sponte, sed ne coacta quidem sal commune habuerit, nec impuram et sacrilegam domum adversus conscientiæ legem, aut pertransire unquam, aut conspicere sustinuerit, nec aurem et linguam, res divinas partim accipientem, partim proloquentem, ethnicis narrationibus ac theatricis cantilenis contaminari passa sit: nihil enim profani sacris convenire statuebat.

§ II. Affectio erga filios; mariti conversio; mira Sanctæ sanatio; tempus mortis; cultus.

Sancta erga filium Cæsarium,

Tenerrimum ac vere maternum affectum erga *filium Cæsarium, in Juliani Apostatæ familia, inscia Matre piissima, versantem, intelligi-* C *mus ex epistola 51 S. Gregorii, tom. I, pag. 780:* Dominam, *ait,* matrem, si quidquam de tuis rebus resciscat (nam ad hunc usque diem multis artibus eam celavimus) ita velim existimes, eam tantum dolorem habituram, ut nullo omnino solatio mitigari possit, utpote imbecillis animi feminam, et alioqui ob pietatis magnitudinem, modum in hujusmodi rebus tenere nequeuntem.

et erga maritum, quomodo affecta:

9 *Tametsi autem* virum suum dominum et appellaret, et existimaret, ac propterea justitiæ laudem quadam ex parte consecuta est, *ex oratione 11, pag. 178; titulo tamen orthodoxæ religionis de conversione ipsius quantopere fuit merita?* Mater *enim, inquit sanctus Doctor orat. 10, pag. 161,* ex sanctis primitiis vere sancta conspersio: quam etiam tantum auxit, et amplificavit, ut ne mariti quidem perfectionem (dicam enim, etiamsi hic sermo temeritate non careat) alii ulli, quam ipsi adscribendam esse nonnulli credant, ac prædicent; eamque (O rem miram!) pro pietatis præmio majorem ac perfectiorem pietatem accepisse.

10 *Verumenimvero religionis dissidium, quod sese inter ac maritum intercedebat, adeo graviter* D *molesteque tulit, adeo cordi intimo impressum habuit, ut, ex orat. 19, pag. 293,* hoc unum æquo animo ferre non posset... se dimidia tantum ex parte, ob segmenti sui aversionem, Deo copulari, ac non ad corporum conjunctionem, spiritus conjunctionem adjungi: ac propterea dies noctesque ad Dei pedes accideret, atque pro capitis sui salute cum multis jejuniis et lacrymis eum obsecraret, atque viro etiam sedulo instaret, eumque variis modis lucrari contenderet, probris, admonitionibus, obsequiis, simultatibus, et, quod maximi momenti erat, morum suorum probitate, ac ferventi erga pietatem studio: qua potissimum re anima flectitur, et emollitur, ac voluntarie ad virtutem pertrahitur. Nec vero aliter fieri poterat, quin assiduis tandem ictibus gutta lapidem excavaret, ac progressu temporis, quod studebat, conficeret, quemadmodum ex his, quæ deinceps sequuntur, liquido apparebit. Hæc igitur ipsa petebat, et in spe habebat, ut quæ fide magis, quam juventute ferveret. Neque enim quisquam præsentibus rebus perinde, ut illa rebus in spe positis confidebat. Nec mirum; cum E divinæ liberalitatis ac munificentiæ periculum jam fecisset. Huic autem ad salutem adjumento erat cum ratio ipsa, curationem paulatim admittens, tum insomniorum etiam visio, per quæ Deus animam salute dignam sæpenumero juvat... Putabat se, quod ante nunquam fecerat (quamvis uxor frequens in oratione esset) ex Davidis Psalmis eam partem canere, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Quorum hunc a fide orthodoxa alienum convertit,

fidei ac pietatis magistram se præbens,

11 Novus et insuetus hic cantus erat: ac desiderium simul cum cantu ingreditur. Quod ubi mulier audivit, voti jam compos facta occasionem arripit, visionem hanc, in jucundissimam partem interpretans, beneficiique magnitudinem animi lætitia declarans, ac salutem adurgens, ne quid, quod vocationi obstaret, intercaderet, negotiumque, in quod summo studio incumbebat, abrumperet. *Et mox ibidem sequitur S. Gregorii,* Nonnæ *mariti, conversio ad Christi fidem: erat quippe antea Hypsistariorum erroribus imbutus; ex pag. 289. Erat autem secta illa* ex Gentili errore, et legali vanitate conflata... Etenim illius quidem idola et sacrificia rejicientes, ignem et lucernas colunt: hujus autem sabbatum, et jejunam quamdam a nonnullis cibis abstinentiam venerantes, circumcisionem aspernantur.. ac soli Omnipotenti venerationem adhibent; *ut ibidem dicitur. Nonne* F sanctificatus est *itaque* vir infidelis *(ut cum Doctore gentium loquar 1 Corinth. cap. 7, ✝ 14)* per mulierem fidelem? *Etenim ex pag. 290,* Huic, *quo de agimus, marito* mulier Dei beneficio concessa, non modo adjutrix.., sed et dux, et antesignana fuit, nimirum eum vita et sermone ad optima quæque per se ipsam ducens: ac cæteris quidem in rebus, ut matrimonii leges ferebant, viro suo parere, optimum esse judicans; fidei autem et pietatis magistram quoque se præbere haudquaquam erubescens.

nec non veram erga Gregorium filium matrem.

12 *Quam veram se* S. Nonna *erga maritum suum Gregorium probavit conjugem; tam genuinam erga filium Gregorium se exhibuit matrem, vera ac divina ei procurando bona. Audi eum orat. 1, pag. 32:* Ab ipsa juventute accitus sum, *ait,* atque ad Deum a vulva ipsa projectus, et ex materna pollicitatione donatus, ac postea periculis confirmatus. *Et carm. 1, pag. 39 sobolem a teneris pia mater Deo dedicat, teste Gregorio, dum hæc canit:*

At vero illa tuis me protinus, ut Samuelem,

Ad-

A Addixit templis, Samuelem si tamen unquam
Moribus expressi.

Ac mox, nonnullis interpositis, ita prosequitur :

Namque manus nostras divinis sedula libris
Lustrabat, corpusque etiam complexa tenellum,
Talia verba dabat : Jam vir clarissimus olim
Exstitit, intrepidus qui sanctam duxit ad aram
(Res mira!) acceptum divino munere natum,
Currentem ad cædem, sacrum laudabile, charam
Tardiparæ sobolem Sarræ, generisque petentis
Radicem, quam spes sculpsit, promissaque magni
Numinis. Abrahamus porro grave munus obibat
Sacrifici, pecudisque vicem præstabat Isachus.
Ast ego te vivum Christo, charissime, munus
Offero, nate, fidem servans, promissaque reddens.
Tu facito ut charæ solvas pia vota parentis:
Quæ te concepi precibus, quæque optimus ut sis,
Moribus utque tuis nil sit purgatius opto.
B Hos tibi præclaros et nunc et postea census
Porrigo: sunt autem multo meliora futura.
Hoc genitricis erat votum : cui protinus ipse
Cedendum, in tenera quamvis ætate, putavi.

Habes hic quidem, lector, nonnulla virtutum S. Nonnæ *capita summatim excerpta ex scriptis filii ejus S. Gregorii, fidelissimi rerum ab ea gestarum testis; non omnia tamen quibus sancta illa Mater fulgebat, divinorum charismatum decora persecuti : nam postquam aliquot ejus recensuisset virtutes;* Quæ his occultiora sunt, taceo, *inquit pag. 292,* quorum testis est Deus, et ancillæ; quarum fidei res hujusmodi committebat.

Miro modo Sancta a morbo sanatur :

13 *Miram matris suæ a morbo sanationem narrat S. Gregorius Nazianzenus oratione 19, a pag. 305 : Hanc, ait,* morbus invadit, fortem alioqui feminam et tolerantem, atque per omne vitæ tempus commoda valetudine usam. In multis autem doloribus, ne sermonem longius producam, nihil perinde grave erat, atque inedia, qua multos jam dies periculose laborabat, neque hujus mali remedium ullum inveniebat. Quoniam igitur modo Deus eam alit? Non manna pluens, ut olim Israeli, aut petram frangens, ut sitienti
C populo aquam funderet, aut per servos pascens, ut illum Heliam; aut per prophetam in sublime raptum satians, ut Danielem antea, cum fame in lacu premeretur. Quoniam ergo modo? Visum est ipsi, me, quem charissimum habebat (neque enim quemquam alium nostrum *ne in somnis* quidem mihi præferebat) noctu repente supervenientem cum canistro, panibusque in primis candidis, pro meo more benedictis, atque cruce consignatis eam aluisse, sicque convaluisse ac vires collegisse. Ac nocturna illa visio veritatis opus erat : ab eo enim tempore ad se rediit, spemque meliorem concepit. Quanam autem re hoc clarum ac manifestum est? Aperto et perspicuo argumento. Nam cum postridie mane ad eam ingressus, primum hilariorem eam, quam antea, conspexissem; deinde hæc consueta, ut se noctu habuisset, ecqua re opus haberet, quæsivissem; Tu me, respondit illa, prompte admodum ac tranquillo vultu, nate, aluisti : ac postea rogas, ecquid valeam? Simulque capitis nutu mihi ancillæ significabant, ne contradicerem, sed statim responsum hoc acciperem, ne patefacta veritate mœrore consternaretur. *Hactenus S. Gregorius Nazianzenus.* *Auctore J. P.*

tempus mortis :

14. *Orationi partim funebri in laudem patris mortui, partim consolatoriæ ad matrem* Nonnam, *præsente Basilio habitæ a laudato S. Gregorio, quæ numero est decima nona, ac bene multa in rem nostram nos docuit; orationi, inquam, isti ipsa Sancta nostra interfuit, ex pag. 315. Non videtur autem diu supervixisse marito suo; quem anno Christi 373, aut verosimilius uno anno tardius e vita ereptum esse, censet Pagius in Critica Baroniana ad an. 354 num. 13, rerum deinde secutarum serie, uti addit, non permittente, ut diutius vixisse dicatur. Ratio autem, cur illa huic non diu supervixisse videatur, est 1°. Quia* E
ejusdem *fuit* ætatis, *ex orat. 19 pag. 315, cujus fuit suus grandævus conjux ; ut qui* centum ferme annos vixisset, *ibid. ex pag. 313 : ut non videatur multum temporis* Nonnæ *superaddendum. 2°. Quia obitum patris ac matris simul conjungit S. Gregorius carm. De Vita sua pag. 9 canens :*

Ast ut parentes, ultimo functi die,
Tenuere sedes expetitas perdiu *etc.*

Non vixisse eam amplius tunc, quando filius ipsius Seleuciam se recepit, illud argumento est, quod illa de re agat ibid. inter eas, quas post obitum parentum gessit. Videri possunt, quæ dicit Baronius in Vita S. Gregorii Nazianzeni apud nos edita ad diem IX *Maii, pag. 397; uti et annotata pag. 398 lit.* r. *Discessus autem ille a Tillemontio tom. IX Monumentorum ecclesiasticorum in tabula chronologica pag. 795 innectitur anni 375 dimidio. Menæa magna Græcorum typis excusa indicant, dictam ab eo esse orationem funebrem in obitu matris; uti patet ex versiculis paulo post citandis. Hæc sunt, quæ de rebus gestis* S. Nonnæ *collegi. Nunc de publico cultu has subsecuto apud Græcos ac Latinos.* F

publicus cum apud Latinos, tum apud Græcos cultus.

15 *Et apud hos quidem ita annuntiatur hac die* V *Augusti in Martyrologio Romano :* S. Nonnæ matris beati Gregorii Nazianzeni : *apud illos vero.* Eodem die S. Nonna, mater S. Gregorii Theologi in pace consummatur. *Additur hoc distichon :*

Νόννῃ θανούσῃ τῇ καλῇ καλὸς γόνος
Καλὸν δίδωσιν ἐντάφιον τοὺς λόγους.

Obeunte pulchra matre, pulcher filius
Pulchros honores funebres lingua insonat.

Inscribitur præterea Sancta nostra Menologio, quod apud Henricum Canisium ex interpretatione Cardinalis Sirleti vulgatum est.

D

DE S. VIATORE CONFESSORE

J. B. S.

APUD AURELIANENSES IN GALLIA

Sec. VI. De hoc Sancto

De hoc S. Viatore *(Gall.* Viatre*) aliisque pluribus Miciacensibus monachis, duce Maximino juniore abbate, a Menardo in Martyrologio Benedictino, a Saussayo in Gallicano, inter pios. relatis* XXVIII *Junii, ut quorum omnium solemnitas simul recolatur Dominica infra octavam Venerabilis Sacramenti, non obiter egerunt Majores nostri in hoc Opere inter Prætermissos ad dictum diem* XXVIII *Junii, satis aperte et non immerito conquesti, quod nec Menardus, nec Mabillonius* B *diem certum assignare curaverint, quod ipsis sane difficile non erat, quo sancti hujus* Viatoris *festivitas seorsim celebretur eo loco, nempe Tremulivici (Gall. Tremblevy) ubi ipsius nomini propria ecclesia ædificata est, ut mox docebit Sausseyus, ex quo sua desumpsit Menardus, pauca sane quæ de Sancti ætate, gestis, virtutibus ac miraculis tradi potuere, ut satis ingenue fatetur laudatus Mabillonius, dum tomo I Actorum Ordinis S. Benedicti, acturus de sanctis Avito, Læto, Dulcardo et Viatore, ex jam dictorum monachorum numero ita præfatur pag. 613 :*

pauca sciuntur

2 Horum Sanctorum res gestæ adeo obscuræ sunt et implicatæ, ut eorum Acta tum scripta manu tum edita, quandoquidem rebus nostris illustrandis parum conducunt, referre animus non sit : pauca tantum de illis transcursu observata delibare sufficiat, aliis aliorum diligentiæ permissis. *Hæc num. 1, quibus subnectenda censui quæ habet sequenti num. 5 in hæc verba :* Sanctorum Læti, Dulcardi et Viatoris Vitæ non minus tenebris involvuntur. Quippe in vulgatis Actis Læti apud Joannem Boscium in Biblioth. Floriacensi : Dulcardi apud Philippum Labbeum in tomo II Bibliothecæ : Viatoris in Mss. codicibus, cuique eorum C patria Bituricensis, ovium cura, professio monastica sub Treiecio abbate, fuga ad monasterium Miciacense, inde in eremum cum Avito secessus tribuitur; ut quid cui conveniat, ignores. *Non magis ad rerum elucidationem conducunt, quæ habet num. 6 :* De Dulcardo et Viatore nihil in antiquis Martyrologiis legimus *(quod verissimum est ;)* eos tamen Miciacensibus alumnis adnumerant versus illi, quos S. Maximini abbatis Miciacensis Actis præposuimus. S. Viator in Tremulivico in Pertico, Dulcardus Ambiliaci apud Bituricenses coluntur.

præter cultum

3 *Ex his satis patet, de solo* S. Viatoris *cultu hic a nobis agi posse, quem docebit Sausseyus, in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis eum expressissime asserens, ubi plures illos sanctos Miciacenses Monachos enumerans et laudans,* Tantum hoc loco notaveris, *inquit,* eodem ferme tempore *(nempe seculo* VI*)* omnes istos floruisse... Viatorem hinc, inde Lætum ex pagis Bituricensibus, concessu Treiecii abbatis sui, Miciacum venisse, miraculis multis et in cœnobio Miciacensi et extra claruisse. Et Viator quidem in pago Tremulivico in partibus Secaloniæ obiit, ubi nunc corpus ejus quiescit, quod nos ipsi propriis contrectavimus manibus, et Deo volente, ex mandato dominorum decani, canonicorum et capituli ecclesiæ Aurelianensis, sede episcopali vacante, Dominica prima Augusti anno MDXCVII, de capsa veteri in capsam novam apud Tremulivicum transtulimus..... Sancti Viatoris memoriæ apud Tremulivicum elegantem ecclesiam excitaverunt conjuges duo Bituricenses non minus pii quam divites, inter quos maritus ab annis decem paralysi, mulier cæcitate annis quindecim percussi, ad sepulcrum Confessoris remedium valetudini desperatæ repererant. E

in ecclesia sui nominis.

4 *Inde de S. Læto agens, diem addit, nempe* V *Novembris, quo ejus recolatur festivitas, id quod hic in* S. Viatore *neglectum miramur, ut eo adhuc tempore dubium fuisse oporteat, quandoquidem Castellanus in suo Martyrologio universali ipsum signarit* XXIX *Maii his ipsis verbis :* In Secalonia, S. Viatoris confessoris, cujus corpus honoratur Tremulivici in ecclesia sui nominis. *Fatendum omnino, diem obitus incertum esse ; ut prorsus non intelligam, quid Castellanum moverit, ut signatum jam diem præ cæteris eligeret. Certe ipsum secuti non sunt collectores Martyrologii Parisiensis, in cujus editione anni 1727 diserte annuntiatur hoc die, qui an vere obitualis fuerit, non est unde conjicere liceat : id collegimus, duce prædicto Martyrologio, recte hic in opere nostro* S. Viatorem *hodie collocari. Verba sunt :* Apud Aurelianenses, sancti Viatoris monachi Miciacensis, cujus nomine exstat ecclesia apud Tremuli-vicum in Secalannia, in qua corpus ejus quiescit. F

DE

A D

DE S. OSWALDO REGE AC MART.

IN ANGLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Natales, educatio, victoria, regnum, fidei Christianæ propagatio, ecclesia perfecta, erectus episcopatus.

Anno DCXLII. Natales

Hodiernum S. Oswaldum, *Northumbriæ regem ac martyrem, cave ne confundas cum Sancto synonymo. episcopo Wigorniensi et archiepiscopo Eboracensi; sicut factum fuisse notavimus tom. III Februarii, die* XXIX *ejusdem mensis, quo is præsul a nobis datur, pag. 750. De natalibus* B *hujus Sancti nostri, auctor Vitæ, quam illustramus, sic scribit :* Ortus fuit Oswaldus alto et longo sanguine regum, filius Edelfridi regis, qui ante Eadwinum regem, super gentem Northanimbrorum regnaverat, fortissimus in factis *etc. Huc faciunt ea, quæ habet Simeon monachus Dunelmensis. inter antiquos Historiæ Anglicanæ scriptores anno 1652 editus, cap. 1 sic memorans :* Erat... filius potentissimi regis Ethelfridi, cujus pater Ethelricus rex : cujus pater Ida rex : a quo (ut Beda refert) regalis Northanymbrorum prosapia cepit originem. Nec tantum paterna, sed et materna quoque origine clarissimam duxit genealogiam, ex sorore videlicet Edwini regis procreatus. *Addamus hisce e nostro apographo Seguieriano. de quo post dicam, sequentia :* Qui Eadwinus cœlesti oraculo commonitus, renuntians idololatriæ, sanctæ regenerationis lavacrum, prædicante Paulino archiepiscopo, cum gentis suæ cunctis nobilibus ac plebe suscepit perplurima, tantumque devotionis erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi orientalium Anglorum Eorpwaldo, filio Reodwaldi, persuaderet, ut, relictis idolorum C superstitionibus, fidem et Sacramenta Christi cum sua provincia susciperet.

ac series genealogica Sancti :

2 *Apud Alfordum in indice chronologico, qui habetur tomo ejus tertio post Annales Ecclesiæ Anglicanæ, pag. 57 et sequentibus texitur hæc regum Northumbriæ* (est ea natio Anglorum, quæ ad Aquilonarem Humbræ fluminis plagam habitat, *teste Beda in Ecclesiastica Historia gentis Anglorum lib. 2. cap. 9) texitur, inquam, hæc istorum regum series. in qua Ida affigitur anno 547; Alla anno 559; Edelricus anno 589; Ethelfridus Ferus anno 593: Edwinus anno 617 : de cujus ad fidem Catholicam conversione per Paulinum archiepiscopum Eboracensem procurata, agit laudatus Alfordus tom. II ad annum 626 num 7 et duobus sequentibus. Porro matris* S. Oswaldi *nomen, ejusque ex Ethelfrido proles masculas, Sancti nostri fratres, recenset ecgraphum passionis* S. Oswaldi, *quod habemus, e Ms. S. Maximini Treviris, his verbis :* Hic tantus vir Adilfridus ex Acha sorore Eduini, sui postmodum successoris, tres dicitur procreasse filios : quorum primus Anfridus; alter Oswaldus; tertius vero Oswinus, nomen accepit. *Quod mater S. Neophytæ V. et M. non fuerit soror* S. Oswaldi; *dictum jam pridem fuit tom. I Januarii pag. 166 et sequente. Florentius autem Wigorniensis ad annum 672 memorat* monasterium Sanctæ Æbbæ abbatissæ, videlicet S. Oswaldi et Oswii regum germanæ. *De Ebba agit Alfordus ad an. 683. Pauca hæc de genealogia sancti Regis nostri sufficiant; neque enim moror, neque examino ea, quæ pluribus congeruntur apud Capgravium in Vita S.* Oswaldi *fol.* CCLIV.

exponitur, quomodo is successerit

3 *Quia vero noster biographus non explicat, quomodo successerit Sanctus in administrando re-* E *gno Northumbriæ; suppleo ipsum ex Beda supra memorato lib. 3, cap. 1.* Interfecto, *ait,* in pugna Edwino, suscepit pro illo regnum Deirorum (de qua provincia ille generis prosapiam, et primordia regni habuerat) filius patrui ejus Elfrici, vocabulo Ofrichus, qui ad prædicationem Paulini, fidei erat Sacramentis imbutus. Porro regnum Berniciorum (nam in has duas provincias gens Nord Humbrorum antiquitus divisa erat) suscepit filius Edelfridi, qui de illa provincia generis et regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem tempore toto, quo regnavit Edwinus, filii præfati regis Edelfridi, qui ante eum regnaverat, cum magna nobilium juventute, apud Scottos sive Pictos exulabant : ibique ad doctrinam Scottorum catechizati, et baptismatis gratia sunt recreati : qui ut mortuo rege inimico, patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum, quem diximus, Ofrichus regnum Deirorum; secundus vero Eanfridus regnum Berniciorum. Uterque autem ut terreni regni insulas sortitus est, ita sacramenta regni cœlestis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit, ac se priscis idololatriæ sordibus F polluendum perdendumque restituit. Nec mora : utrumque rex Britonum Ceduallа impia manu, sed justa ultione peremit... Infaustus ille annus *etc.* Unde cunctis placuit, regum tempora computantibus, ut ablata de medio regum perfidorum memoria, idem annus sequentis regis, id est Oswaldi, viri Deo dilecti regno assignaretur; *qui fuit annus Christi 634, uti videre est apud Alfordum ad eumdem annum.*

post exsilium apud Scotos, in administrando Northumbriæ regno :

4 *Cæterum religiosissimi Principis nostri apud Scotos commorationem sic exponit citatus auctor ibidem num. 11 :* Mansit exul apud Scotos hic regius Juvenis ab anno DCXVII, ad mortem usque Eanfridi fratris *(quam innectit anno 634)* pubescentem ætatem terens et fidei rudimentis discendis, et ludis militaribus, cæterisque, quæ nobiliorem indolem commendare poterant, ut, fugato otio, omnium virtutum noverca, futuræ sanctitati præluderet. Demum cum cerneret patriam miserrime lacerari; cum effundi varia factione civium sanguinem, et fratrem barbara manu interemptum : insuper violari altaria, et sacra omnia pessimorum hominum furoribus inservire; non potuit Vir sanctissimus cohibere regium animum, quin Dei sui causa, patriæque, surgeret in vindictam. Igitur sub finem hujus anni, cum fide

AUCTORE J. P.

fide se, et militem armavisset, pugnavit tam feliciter, ut sequenti anno expugnaverit omnia, ut dicetur inferius. *Adi biographum nostrum a num. 7.*

quo item loco exulaverit.

5 *Alfordus ad annum 635 num. 16 agens de loco, ubi Sanctus exulaverit,* Dicendum, *inquit,* nec Oswaldum exulem, Britanniam exivisse : nec aliunde, quam e nostro, *ait*, Septentrione quæsivisse Doctores fidei. *Idque conficit ex his Bedæ verbis, quæ superius citabam :* Siquidem tempore toto, quo regnavit Edwinus, filii præfati regis Edelfridi, cum... magna nobilium juventute, apud Scottos sive Pictos exulabant. *Ex eo autem, quod ibi, uti observat Alfordus,* Scotos a Pictis non distinguat; videtur ille populus paulatim coaluisse, et ad differentiam Hybernorum a Beda Septentrionales Scoti appellari. Ad quos sine dubio Oswaldus fugit, commune hinc fugientibus asylum : et ad eosdem misit, cum Aidanum impetravit. *De qua re mox dicam, et jam dicta confirmabo.*

B

Victoria, et ejus locus.

6 *Ad victoriam* S. Oswaldi *armis a Duce Britonum Cedwalla reportatam, de qua Vitæ auctor num. 7, refer allocutionem S. Columbæ, quæ in Opere nostro tom. II Junii, die* IX, *pag. 188 exstat in Vita ejusdem sancti abbatis :* Oswaldum regem in procinctu belli castrametatum, et in papilione supra pulvillum dormientem allocutus est, et ad bellum procedere jussit. Processit, et secuta est victoria; reversusque, postea totius Britanniæ imperator ordinatus a Deo, et tota incredula gens baptizata est. *Obiit S. Columba exeunte sec.* VI, Oswaldus *autem rex, relata ista victoria, summa regni Northumbriæ potitus est anno 634, ex dictis supra num. 3 ; atque adeo allocutio ista contigerit oportet post obitum S. Columbæ. Nomen loci, in quo victoria illa contigit, signatur a Vitæ auctore infra num. 7 ; sed Alfordus ad annum 635 num. 1 censet,* factum esse librariorum vitio, ut, mutatis parum litteris, difficile admodum sit, illum invenire. Si legas tamen, quod omnino videtur legendum, non DENISES-BURNE, sed DEVILES-BURNE ; oppidum illud est in Ottadinis, et Northumbriæ agro, quem Tina fluvius alluit : quod inde Devilestone, nunc contractius Distone est.

C

Unde divini verbi præcones

7 *Vita, quam dabimus infra, num. 6 sic de* S. Oswaldo *fatur :* Cum primo præmeditaretur tota mente Deo omnipotenti famulari, et id fieri posse arbitraretur, si servos ejus, ministrosque divini verbi, suæ fidei asciscens adjungeret, misit ad Scotiam, et inde ascivit Aidanum, virum plenum Deo *etc. Et num. 12* Mox, *ait ex Beda,* ut regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratia imbui... misit ad majores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis Sacramenta... consecutus erat, petens, ut sibi mitteretur antistes... accepit pontificem Aidanum. *Vides hic locum, in quo Sanctus, exulavit, et e quo Aidanum episcopum evocavit, eumdem esse, Scotiam videlicet, quam paulo ante designavi ; atque adeo hinc dirimi controversiam, ad quosnam Scotos Oswaldus miserit, an ad Hibernos, veteres revera Scotos ; an vero ad novos, Britanniæ incolas. Rem sic confirmo ex prædicto Alfordo ad annum 635 num. 13 :* Principio, *inquit,* amovenda est quorumdam assertio, quæ cogit in Hiberniam illos omnes, qui hoc tempore Scoti nominantur. Beda enim non semel duplicem Scotis provinciam assignat : Australem unam insulæ Hibernicæ ; Septentrionalem alteram Pictis conjunctam. Illam vocat SCOTORUM PATRIAM, et cum Hibernia insula componit : hanc PROVINCIAM potius, quam patriam; *ex dicto Beda lib. 3, cap. 3 ; unde ea biographus noster transcripsit, ut videsis in ejusdem contextu apud nos num. 13. Beda quippe de Scotis, diverso modo Pascha celebrantibus, ita memorat :* Septentrionalis, *ait,* Scotorum provincia, et omnis natio Pictorum, illo adhuc tempore Pascha dominicum celebrabat. D

evocarit

8 *Et mox de insularibus Scotis,* Porro, *ait,* gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, jam dudum in admonitionem Apostolicæ Sedis Antistitis, Pascha canonico ritu observare didicerunt. *Deinde postquam hæc citasset memoratus Annalium auctor, ita concludit :* En Australes Scotos in Hibernia, et Septentrionalem Scotorum provinciam, Pictis conterminam, loco, religione, ritibus. Licet enim Hibernia distingui possit et debeat aliquando in Australem et Septentrionalem; tamen quia dixit Beda, Pictos Hiberniam petentes, et sedem ibi postulantes, missos in Britanniam, ejus Septentrionales partes occupasse ; et postea diserte scribit de Britanniæ incolis lib. 1, cap. 1 : « Procedente autem tempore, Britannia, post Britones et Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit ; qui, duce Reuda, de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eas sedes, quas hactenus habent, vindicarunt » nimirum Britanniæ Septentrionalia ; hæc, inquam, evincunt, Bedam, cum de Septentrionalibus Scotis loquitur, de Britanniæ incolis intelligendum. *Hactenus ille : quibus addi possunt ea, quæ ex Beda habet noster scriptor Vitæ num. 15. Ex dictis itaque conficitur, S. Aidanum a* S. Oswaldo *non esse evocatum extra, sed intra Britanniam, qui Northumbriæ populis, eidem regi subditis, Christi legem annuntiaret.* E

Templum perficit S. Petri,

9 *Inter alia devotæ Deo mentis sacra monumenta Princeps piissimus* construxit... templum honorabile beati Petri Apostoli, quod mirifice decoravit, et dignos ministros, qui ibidem Deo deservirent, regio usu deliberavit ; *prout scribit biographus noster num. 6. Factum sic explanat sæpe memoratus Annalium conditor loco citato, num. 24 :* In Deiris etiam moles illa, quam Edwinus sanctus inchoaverat, Apostolorum Principis nomine, Oswaldi regis pietatem exspectabat : qui opus magna devotione prosecutus, ad finem perduxit, *teste Beda lib. 2, cap. 20, ubi hæc narrat :* Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum, et illatum postea in ecclesiam B. Petri Apostoli, quam ipse cœpit ; sed successor ejus Oswaldus perfecit. F

et episcopatum Lindisfarnensem instituit.

10 *Simeon monachus Dunelmensis, de quo supra, cap. 2 aliud nobis sancti Regis nostri monumentum refert :* Anno, *inquit,* Dominicæ Incarnationis DCXXXV... piissimus rex Oswaldus secundo imperii sui anno venienti ad se Aidano sedem episcopalem in insula Lindisfarnensi constituit ; ubi et ipse antistes jubente, suffragante, et cooperante rege, monachorum, qui secum venerant, habitationem instituit, hoc illis Rege scilicet et episcopo procurantibus, ut et pontificali auctoritate fides roboraretur novella, et monachica institutione semper in posterum caperet augmentum religionis observantia : unde, sicut legimus, et seniorum traditione percepimus, ad ipsius ecclesiæ præsulatum monachi solebant eligi, exemplo nimirum primi antistitis Aidani, qui et monachus erat, et monachicam vitam cum suis omnibus agere solebat. Quod ab anno Incarnationis Dominicæ DCXXXV observatum est usque annum Incarnationis

A nationis ejusdem MLXXII, quando de clericali ordine in episcopatum consecratus est vir religiosus de Lothariorum gente Gualcherus. Nam inter episcopos nec commemorandum arbitror illum, qui multo ante de clero per Simoniacam hæresim ordinatus, sed morte præventus, nullum episcopale officium est facere permissus. *Hactenus ille: quibus illustrantur ea, quæ de ecclesia Lendisfarnensi breviter narrat noster auctor Vitæ num. 13.*

§ II. Conjugium, proles, prodigiosa sanatio a peste, prænotio mortis; tempus vitæ; locus mortis; elogium, miracula; dextera a corruptione immunis.

B

Uxorem ducit Kineburgam, Kinegilsi filiam:

S. Oswaldi *conjugium cum Kinegilsi, West-Saxonum regis, quem prius de sacro fonte susceperat, filia, ex Beda lib. 3, cap. 7, noster biographus num. 24 commemorat. Alfordus ad annum 636, num. 13 eam vocat Kineburgam, factumque eidem anno 636 illigat; anno autem proxime sequenti 637 masculam ex illa susceptam prolem nomine Ethelwaldum.* Filius..... Oswaldi regis Edelwald, *teste Beda lib. 3, cap. 24; sed in eo paternæ virtutis degener, quod in Oswini seu Oswii, patrui sui, cum Penda, pagano Merciorum rege, conflictu,* qui..... auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum, eisdemque contra patriam, et patruum suum pugnaturis ductor exstiterat; quamvis ipso tempore pugnandi, sese pugna subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco exspectabat. *Illud vero magis paternum dedit prædictus* S. Oswaldi *filius, dum Ceddo viro Domini, atque apud Orientales Saxones episcopo, monasterium concessit, in quo sepeliretur. Factum referens Beda lib. 3, cap. 23,* Quem *(Ceddum)* cum Æthelwaldus, *ait,* filius Oswaldi regis, qui in Deirorum partibus regnum habebat, virum sanctum et sapientem, probumque

C moribus videret, postulavit, eum possessionem terræ aliquam a se, ad construendum monasterium, accipere, in quo ipse rex et frequentius ad deprecandum Dominum, verbumque audiendum advenire, et defunctus sepeliri deberet. *Est illud cœnobium Lestingense in agro Eboracensi, secundum Monasticon Anglicanum tom. I, pag. 62; et pag. 63 locus ad illud construendum scribitur Ceddo ab Edilbaldo datus anno 648. Porro unicum hunc sancto Regi ex dicta uxore fuisse filium; indultum ipsi ab Oswio Deirorum regnum, anno ætatis decimo sexto; ac, quod inter Northumbriæ reges a multis non numeratus sit, Oswii potentia et magnitudine factum; lego apud Alfordum ad annum 652, num. 2. Quod autem conjugii usu sibi interdixerit sub finem vitæ, occasione visionis quam habuerit, affirmat Capgravius fol.* CCLV *verso: de qua re mox. Miram Sancti a contagione pestifera sanationem ex Capgravii fide fol.* CCLV *huc transcribo:*

lue pestifera correptus,

12 Immissa, *ait,* circumquaque per Angliam gravi peste, plurimi strage sævissime pereuntes, regna cœlestia conscenderunt. Cum itaque Rex sanctus populo sibi subdito divinæ animadversionis judicium imminere conspiceret; cum lacrymis et querulis vocibus ac gemitibus hoc Dei flagellum suis maxime peccatis ascribere cœpit. Cum igitur precibus et lacrymis diutius insisteret, subito, Dei voluntate, eadem peste correptus est.. Cumque ad extremum vitæ, spiritus vigore penitus deficiente, venisset, oculos in cœlum erigere, et quasi quibusdam colloquendo labia movere cœpit. Intellectuales quidem oculi ejus, sicut sacris episcopis postmodum referre solebat, una cum corporalibus, angelicos quosdam spiritus præclaro intuitu assistere sæpe videbant: de quorum numero tres ad se consolandum accedentes dixerunt:

AUCTORE J. P.

ab Angelis, qui ei apparebant, tam ipse quam subditi ea liberati dicuntur;

13 Oswalde, rex Dei electissime, mortis horrorem noli timere: noster collega et consors in cœlo reputatus, peracto vitæ termino, nostro collegio adjiciendus eris. Non tamen in isto moriturus es tempore, nec hujus pestilentiæ acerbitate ulterius feriendus. Christus, tuæ desolationis angustias miseratus, omnem Anglorum populum a peste et clade, meritis tuis et precibus absolutum liberavit, vitæque tuæ tot annos misericorditer adjiciens, te martyrio coronandum instituit, nobisque amodo tam viventis quam morientis tui custodiam delegavit. Diem et horam E sui martyrii designarunt, eos tunc sibi affuturos asserentes... Rege confestim sanitati restituto, Anglorum fines diebus vitæ suæ nulla pestis perturbare præsumpsit.

ac deinde majoris perfectionis vitam ducit.

14 Ex illo tempore in omnibus Deo et hominibus emendatiorem se præbuit, et vitæ suæ exitum cum gaudio exspectavit. Vitæ præteritæ nativitates mentis devotione transcendit: eleemosynis et lacrymis præteritas negligentias quotidie redemit. Post hanc quoque visionem una cum Kineburga, uxore sua, regis West-Saxonum Kinegilsi filia, castitatis munditiam in posterum conservavit. *Hæc Capgravius; quæ utinam confirmare mihi liceret ex antiquioribus documentis!*

Ætas vitæ, ac tempus mortis:

15 Regnavit, *teste Beda lib. 3, cap. 9,* Oswaldus novem annos, annumerato etiam illo anno, quem et feralis impietas regis Britonum, et apostasia demens regum Anglorum detestabilem fecerat. *Accidit hoc ab anno 633; proximo Sanctus regnare cœpit, secundum dicta num. 3; desiit autem 642; quibus si cum Beda præmittas feralem illum annum, habebis annos regni novem. Itaque* F *Winnocianum duplex, quod habemus, apographum Vitæ* S. Oswaldi, *in textu isto Bedæ, pro* novem annis *perperam ponit* decem annis; *cui consonat apographum Ultrajectense. Ad mortem quod attinet; eam quidem exponit noster biographus num. 26 verbis Bedæ; sed nec in hujus textu impresso lib. 3, cap. 9, nec in illius transcripto, annum mortis invenio. Sed Alfordus ad annum 642, num. 18 testatur, pro eo, quod in Historia Bedæ loco citato excusa exemplaria habent,* Peremptus est., anno ætatis suæ trigesimo octavo; *suum Ms. codicem legere* anno Dominicæ Incarnationis DCXLII, ætatis suæ trigesimo octavo. *Matthæus itaque Westmonasteriensis in Floribus historiarum, ac Joannes Iperius in Chronico S. Bertini, quod Thesauro novo anecdotorum apud Martenium tom. III, col. 461 insertum est, audiendi non sunt, quando notant annum 644; nec Sigebertus in Chronico, quando signat 643. Siffridus, presbyter Misnensis, in Epitome, inter Scriptores Germaniæ Joannis Pistorii Francofurti editos anno 1583, tom. I, p. 685 turpius exerrat, dum rerum a nostro Sancto gestarum compendio præmittit annum 703. Wilsonus in suo Martyrologio Anglico perperam scribit, necatum eum esse anno 635. Miror autem, ita scripsisse; quia citat*

AUCTORE J. P.

citat Bedæ Epitomen. Nam Beda in Epitome suæ Historiæ Anglorum sic scribit : Anno sexcentesimo quadragesimo secundo Oswaldus rex occisus est ; *ipso, quo annua ejus memoria celebratur,* die quinto mensis Augusti ; *ut mirum sit, Harpsfeldium Historiæ Anglicanæ seculo* VII, *cap. 26 pro quinto die notare sextum Augusti.*

Hæc de tempore vitæ ; nunc de loco mortis. Alfordus ad annum 642 , num. 16, Beda, *inquit ,* locum pugnæ designat et vocat Macerfeld. Hunc autem ad Mordam fluviolum , et Salopiensis agri occidentem , ponit Camdenus in Cornaviis , ibi nimirum , ubi oppidum , ab Oswaldo dictum , Oswestre visitur *(de quo vide infra num. 47.)* Nolunt Lancastrenses Camdeno credere , sed aiunt pugnæ locum, adeoque mortis Oswaldi fuisse juxta nobilem pagum Winwicum. Ibi enim locum invenerunt , qui hodieque Macerfeld dicitur. *Deinde subjunctis versibus , qui in Winwicensi templo olim descripti sint (de quibus infra num. 43 ;) aliam conjecturam ex eo desumit Alfordus, quod* Lancastrensis provincia ad Northumbriæ coronam spectabat; Salopiensis ad Mercios; et Penda Merciorum rex Oswaldum sanctum , non ille Pendam, bello petebat. Verum a Camdeno standum, et Salopiensi agro : tum quia Oswestre oppidum, quod etiam Oswaldi Crux Britannis dicitur, ipsa appellatione nominis pro se loquitur; tum quia auctor Vitæ apud Capgravium, disertius locum expressit : *cujus verba, quæ subdit, huc non transcribo , cum jam dicta sufficiant.*

B

elogium ex Flacco Alcuino.

46 *Poema de pontificibus et Sanctis ecclesiæ Eboracensis, Flacci Alcuini auctoris paulo post laudandi nomine prænotatum, nec non ex Mss. codd. Remensi et S. Theodorici prope Remos, inter Historiæ Britannicæ etc. Scriptores* XV , *anno 1641 Oxoniæ vulgatum ,* S. Oswaldi *res gestas ac miracula metro heroico illigat : unde a pag. 707 epitaphii vices hic suppleturum subdo istud elogium :*

Vir virtute potens, patriæ tutator, amator,
Moribus egregius, Christi mandata secutus,
Pauperibus largus, parcus sibi, dives in omnes,
Judiciis verax, animi pietate benignus,
Excelsus meritis, summissus mente sed ipsa,
Hostibus horribilis, cunctis jocundus amicis,
Ut bello indomitus, sic pacta in pace fidelis.
Invaluit postquam sceptris et culmine regni,
Exstruit ecclesias, donisque exornat opimis,
Vasa ministeriis præstans pretiosa sacratis,
Argento, gemmis aras vestivit et auro,
Serica parietibus tendens velamina sacris,
Auri blateolis pulchre distincta coronis,
Sanctaque suspendit varias per tecta lucernas,
Esset ut in templis cœli stellantis imago,
Christicolasque greges duxit devotus in illas,
Ut fierent Domino laudes sine fine canentum.
O pietas, o celsa fides ! nam quidquid habebat,
Prodigus in Domini gazarum sparsit honorem :
Quapropter titulis virtutum claruit, atque
Signorum celebri fama est vulgatus ubique,
Quæ modo per mundum chartis inscripta leguntur.

C

Per vocem blateolis *videtur hic intelligendum* purpureis ; *secundum ea, quæ lego apud Cangium in Glossario, in voce* Blatta.

Miracula sancti Martyris

47 *Sanctus ac venerabilis Beda, presbyter ac monachus in Anglia,* S. Oswaldi *miracula describit in Ecclesiastica Historia gentis Anglorum lib. 3, cap. 6, cap. 9, 10, 11, 12 ac 13; ac lib. 4, cap. 14. Floruit ineunte seculo octavo , ac deinceps, anno Domini 735 vita functus. Miraculorum veritatem, ejusque, qui ea scripsit fidem commendant sequentia, quæ iisdem inseruit laudatus auctor. Nam cap. 10,* In loco, *ait,* ubi..... a paganis interfectus est, USQUE HODIE sanitates infirmorum, et hominum, et pecorum celebrari non desinunt. *Et mox,* Pulverem ipsum, ubi corpus ejus in terram corruit, *auferendi pro infirmis,* mos, *inquit,* adeo increbuit *etc.* Et multa quidem in loco illo, vel de pulvere loci illius facta virtutum miracula narrantur : sed nos duo tantum, quæ a Majoribus audivimus, referre satis duximus. *Capite autem 13 habentur ista :* Nec solum inclyti fama Viri Britanniæ fines lustravit universos; sed etiam trans Oceanum longe radios salutiferæ lucis spargens, Germaniæ simul et Hyberniæ partes attigit. Denique reverendissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Frisonum gentis episcopum Willibrordum cum suo antistite Wilfrido moraretur, crebro eum audiret, quæ de mirandis reliquiis ejusdem reverendissimi Regis in illa provincia gesta fuerint, narrare. Et in Hybernia cum presbyter adhuc... duceret vitam, rumorem sanctitatis ejus, in ea quoque insula longe lateque jam percrebuisse ferebat : e quibus unum, quod inter alia retulit, miraculum *etc. Ex his miraculorum* S. Oswaldi *veritas, eorumque scriptoris fides commendatur.*

D

E

temere arrodunt Magdeburgenses.

48 *Interim Centuriatores Magdeburgenses centuria 7, cap. 12, col. 558 habent quod obganniant adversus miracula eo, in quo Sanctus vivere desiit, loco patrata :* Miracula, *inquiunt,* ad eum locum postea facta, idem *(Beda)* commemorat : sed mendacia et vana videntur. *Itane vero vana? Iis nimirum, qui spiritu superbiæ pleni, ac Christianæ docilitatis vacui, evanescunt in cogitationibus suis, sancta quælibet impugnantes atque contemerantes.* Mendacia ? *Sic utique miraculis obstrepere assolent, qui spiritui veritatis bellum indicentes, patri mendaciorum adhærent mordicus; qui sine miraculo nati et educati, nihil habere possunt supra naturam mirabile in Vita; in morte autem sine miraculo ullo sepelire coguntur omnes mortuos suos. Dicti miraculorum osores ibid. cap. 13, col. 566 miracula* S. Oswaldi, *a Beda lib. 3, cap. 9, et sequentibus relata, virgâ censoria impetunt. At quid facilius simul et indignius, quam dicere et garrire, et nihil probare ? Et vero quis hebes adeo ac stupidus, modo sit satis audax, qui hoc non possit? Malmesburiensis lib. 4 De gestis regum Anglorum cap. 3 agit de miraculis* S. Oswaldi. *Illustrissimus Richardus Smitheus in Floribus historiæ ecclesiasticæ Anglorum lib. 2, cap. 1, sect. 4, miracula ejusdem Sancti defendit contra heterodoxos.*

F

Dexteram ejus a corruptione permansisse immunem

49 *Egregium inter ea imprimis sibi locum merito vindicat Regis sancti dextera, quæ post ejus mortem seculis bene multis integra perstitit, et ab omni corruptione immunis. Venerabilis Beda rem narrat Historiæ eccles. gentis Anglorum lib. 3, cap. 6. Guilielmus Cambdenus in sua Britannia agens de Coritanis et Lincolnienslbus, pag. 406 in editione, quæ anno 1607 typis Londiniensibus est vulgata (quam præcesserat alia ante annos viginti ; ex auctoris præfatione ad lectorem) quanquam, heterodoxorum more, sibi non satis temperaverit, quin impeteret Sancti miracula; dexteræ tamen integritatem arrodere vel non potuit, vel ausus non est, continuata videlicet scriptorum, per tot seculorum series ductorum, auctoritate convictus fortasse vel invitus. Verba ejus accipe :* Non satis habuerunt superiori sævi scriptores

tores Christianissimum hunc heroem Oswaldum celebrare, nisi rebus clarissimis ab eo gestis miracula assuerent ridicula, quæ sciens prætermitto. Manum vero ejus hic *(in Bardneio monasterio)* incorruptam superfuisse multis seculis, crediderunt majores : scripsitque poeta satis antiquus :

Nullo verme perit, nulla putredine tabet
Dextra Viri, nullo constringi frigore, nullo
Dissolvi fervore potest : sed semper eodem
Immutata statu persistit, mortua vivit.

Ita ille : ubi vides, explodi quidem alia Sancti miracula tanquam ridicula ; sed manus immunitatem a corruptione ne vel levissime quidem vellicari ; secus ac factum fuerat in alia editione, quam citat Alfordus ad dictum annum 642, num. 23 ; ubi et alia miracula, et manum ipsam impetierat.

a seculo 7 usque ad sec. 17,

20 *Manus quippe illa imprimis fuit incorrupta seculo* VII, *nimirum ab anno 642, quo obiit Sanctus, usque ad seculi ejusdem finem. Talis item fuit seculo octavo, quo S. Beda floruit. Talis deinde eodem seculo, quo vixit Flaccus Alcuinus, natione et ipse Anglus, Caroli magni imperatoris magister, ac S. Bedæ discipulus ; qui in Poemate superius assignato de Regis sancti dextra sic canit :*

Hactenus integram fore signo est ungula crescens,
Flexilis et nervus, viridis caro, forma venusta.

Talis esse perrexit seculo XII, *quo claruit Willielmus Malmesburiensis, lib. 1 De gestis regum Anglorum, cap. 3, ita de ea scribens :* Arbitror etiam, temporaliter absolutam esse cœlestis sententiæ fidem : quia divinum quondam resultavit oraculum : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi. Nam quod auditor mirari debeat, et inficiari non audeat ; dextra illa regalis, tantarum eleemosynarum largitrix, HODIEQUE cum brachio, cute, et nervis, incorrupta viget. Totum vero corpus reliquum præter ossa, in cineres dissolutum, communionem mortalitatis non evasit. *Pro seculo iterum* XII, *ac pro* XIII *loquatur Rogerius Hovedenus, qui Annalium part. 1, pag. 403, testatur ista :* Habet *(Bebba urbs)* in summitate montis, ecclesiam perpulchre factam, in qua est scrinium pretiosum, in quo involuta pallio jacet dextra manus S. Oswaldi regis INCORRUPTA. *Seculo* XIV *habemus Matthæum Westmonasteriensem ad annum 644, integritatis, de qua nobis est sermo, ad sua usque tempora perductæ luculentissimum testem ; dum ibidem hæc narrat :* Cum in pugna, in qua occisus est *(Oswaldus)* manus illa cum brachio præcideretur, CONTIGIT HACTENUS, ut INCORRUPTA permaneat.

scriptorum testimoniis probatur.

21 *Seculo* XV *vixit Joannes Capgravius, apud quem in Vita nostri Sancti,* Oswaldo, *inquit,* postmodum interfecto, brachium a corpore resecatum, HACTENUS DURAVIT INCORRUPTUM. *Pro seculo* XVI *est Nicolaus Harpsfeldius ; qui ad seculum 7, cap. 26, disertissimis verbis in rem nostram sic loquitur :* Hanc Regis munificentiam admiratus Aidanus...... precatus est, ut tam liberalis manus nunquam aresceret : cujus precatio AD HÆC NOSTRA TEMPORA, NUNQUAM frustrata est. *Et inferius :* Munifica illa manus....... NUNQUAM exaruit : et quod Beda suo, alii alio postea tempore verum fuisse prodidere, NOSTRA QUOQUE ÆTAS confirmavit. Vivunt hodie dignissimi, omnique exceptione majores testes, qui eam a se visam, mihi retulere. *Quæ cum ita sint : ecquis, nisi perfrictæ frontis atque opinionis semel male conceptæ impetu in transversum actus, inficias ire audeat, historice certum esse, incorruptam illam dexteræ integritatem a seculo septimo ad usque decimum sextum constanter perseverasse ? Quid vero seculo* XVI, *Angliæ adeo tragico ac luctuoso, rebus sacris una cum catholicæ religionis occasu susque deque versis, sacratissimo illo pignore factum sit, et an alicubi etiamnum id lateat ; non habeo, unde affirmem. Sed ubi fuit hoc primitus ?*

AUCTORE P. B.

§ III. Dextra ubi asservata, uti et ossa ; eorum in Flandriam translatio, ac elevatio.

Inquiritur ;

Nunc *ubi illa dextra, de qua dicebam, fuerit olim asservata, ac quænam sint aliæ Sancti exuviæ, dispiciamus. Vita nostra num. 39, Beda duce lib. 3, cap 42,* Caput, *ait,* cum manibus et brachiis a corpore præcisis, jussit rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi. *Quam tyranni barbariem ita apud Camdenum in Cornaviis pag. 452 quidam poeta luget :*

Cujus et abscissum caput, abscissosque lacertos,
Et tribus affixos palis pendere cruentus
Penda jubet ; per quos reliquis exempla relinquat
Terroris manifesta sui, Regemque beatum
Esse probet miserum : sed causam fallit utramque :
Ultor enim fratris minime timet Oswius illum,
Imo timere facit, nec Rex miser, imo beatus
Est, qui fonte boni fruitur semel, et sine fine.

Crudelis adeo exitus optimum Regem mansit : at potentior ad ejus gloriam Deus, quam tyrannus ad pœnam fuit. Etenim terra, qua corpus ceciderat, et lignum, in quo caput pependerat, prodigiis claruere : de qua re noster biographus a num. 26, et num. 42 ex Beda.

quo loco

23 *Eo autem* post annum deveniens, *sicut ex eodem Beda habes ibidem num. 39,* cum exercitu successor regni ejus Oswinus, abstulit *membra ;* et caput quidem in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ ; in regia vero civitate manus cum brachiis condidit. *Alfordus ad annum 642, num. 24 hoc factum exponens scribit, anno integro in stipite Sancti caput, ac sinistram manum pependisse, constanti semper pulchritudine, nemine ob tyranni metum ea tollere auso ; sed Oswium,* Oswaldi *fratrem, divino fuisse oraculo monitum, ut digniori ea tumulo asserta, religiosius conderet ; dextram cum brachio manum sub aquis esse ; eamque ibidem repertam, venerabundum abstulisse, et apud Bebbam urbem (tunc regiam, nunc Bamburgum) argenteæ pyxidi inclusam, in ecclesia S. Petri honorifice deposuisse, uti et brachium sinistrum. Willielmus Malmesburiensis loco supra designato postquam nonnulla ex his, quæ mox dixi, confirmasset : asserens,* brachia cum manibus... a fratre Oswio apud Bebbamburg urbem.. composita scrinio, monstrato miraculo ; *subjungit ista :* Quo loci, quia opinione fluctuo, utrum ad hunc diem serventur, præcipitem affirmationem non emitto.

dextra S. Oswaldi postea fuerit asservata.

24 *Capgravius furto ablatas censet.* Monachus... quidam, *ait,* de Burgo S. Petri in partibus illis adveniens, et secreta ecclesiæ, ubi reliquiæ erant repositæ, diligenter explorans, habita opportunitate, brachium S. Oswaldi de theca extrahens, secum clanculo asportavit, et in suo cœnobio

AUCTORE J. P.

nobio cum honore collocavit. *Et vero furti suspicionem videtur augere Ingulfus, abbas Croilandiensis, qui versus finem seculi* XI *floruit, quando ad annum 1018, pag. 891, occasione devastationis Danicæ narrat, quomodo Burgi (id est Petro-Burgi) monasterium cladem illam senserit; relataque abbatis fuga, uti et majoris partis conventus ejus Thorneiam (de Thorneiensi cœnobio in agro Cantabrigiensi agit Monasticon Anglicanum tom I, pag. 242;) his, inquam, ab Ingulfo relatis, de Priore sic scribit:* Prior autem cum nonnullis fratribus, assumpto secum brachio sancti Oswaldi regis, ad insulam de Hely *(in Ducatu Cantabrigiensi)* aufugit. *Sed si brachium illud tum temporis inde ablatum fuit; eo postea relatum sit oportet, cum etiamnum ibidem loci exstiterit seculo* XII *ad finem declinante, secundum ea quæ ad annum 1175 scribit Rogerus Hovedenus, tunc vivens; ut qui anno 1204 floruerit, ex Pitseo De illustribus Angliæ Scriptoribus. Ad dictum ergo annum 1175 sic Hovedenus memorat:* Eodem anno Richardus Cantuariensis archiepiscopus deposuit Willielmum de Waltervile, abbatem S. Petri de Burgo, pro eo quod ipse violenta manu et armata claustrum suum infregerat, et reliquias Sanctorum una cum brachio S. Oswaldi, regis et martyris, asportare volebat.

Ossa ubi deposita tempore S. Bedæ, et quo post translata:

25 *Ubinam ossa nostri Regis deposita fuerint S. Bedæ tempore, ex ipso discimus lib. 3, cap. 11; et ex eo Vitæ scriptor, quam illustramus, num. 32 scribit,* Ossa ejus inventa, atque ad ecclesiam, in qua nunc servantur, translata sunt; *nimirum* ad monasterium nobile in provincia Lindissi, nomine Beardanam. *Factum pluribus legi potest locis citatis. Quo deinde commigrarint, Simeon Dunelmensis in Historia de gestis regum Anglorum, inter antiquos Historiæ Anglicanæ scriptores Londini edita anno 1652, col. 152, commemorat:* Anno DCCCCX sancti Oswaldi regis et martyris ossa de Bardonig in Merciam translata sunt. *Eamdem translationem distinctius notat Joannes Bromton, abbas Jornalensis, in Chronico, inter antiquos, quos dicebam, Historiæ Anglicanæ scriptores etiam vulgato; ubi col. 833, postquam meminisset de anno Eduardi regis nono (Christi 909 secundum Alfordum Annalium tom. III, pag. 220,) subjungit ista:* Hoc anno dux Merciorum Ethelredus, et uxor sua Elfleda ossa sancti Oswaldi, regis et martyris, de Bardeney monasterio Lindeseye, usque ad urbem Gloverniæ *(vulgo Glocestriæ)* transtulerunt: ubi in ejusdem Sancti honore monasterium construxerunt. *Monasticon Anglicanum tom. I, pag. 142. de cœnobio Bardneicensi hæc habet:* Erant *ibi* id temporis *(quo nimirum corpus* S. Oswaldi *ibi sepultum fuit)* trecenti monachi, quorum abbas Lindisciæ dominus fuit. Postea cœnobium ad solum prostratum est ab Hinguaro et Hubba Danis; reparatum vero post multos annos a Gisliberto de Gaunt, Guilielmi nothi avunculo. *Quando de ista translatione hæc legimus, nonne mirum plane videtur, in Martyrologio, sub nomine Canisii citari consueto, et anno 1573 Dilingæ edito; ad hunc diem* V *Augusti scribi, Sancti corpus Rebæ in Hibernia sepultum esse?*

donec seculo 11 Bergas S. Winnoci transvecta sunt.

26 *Exstat apud nos die* XX *Junii, tom. IV ejusdem mensis, pag. 29 Commentariolus de S. Idaberga, virgine Angla, ad Bergense S. Winnoci Ordinis S. Benedicti in Flandria cœnobium translata: ubi e Chronico Bergensi notantur ista:* MXXXVIII corpora SS. Oswaldi, Angliæ regis et martyris, ac Idabergæ virginis, Balgerus monachus, de Anglia transtulit Bergas in monasterio S. Winoci; de qua translatione ad Rumoldum *(ejusdem loci abbatem)* scripsit Drogo monachus. *Noster Malbrancus De Morinis tom. III, part. 1, lib. 2, cap. 27, ex Bergensibus Annalibus, et ecclesiasticis Ephemeridibus Sanctorum, ad annum 1221 eadem fere sic habet:* Corpus *(Sancti nostri)* Balgerus, insignis apud Winnocenses asceta, ab transmarino rege obtinuit suo collegio addicendum, anno MXXXVIII. *At hæc quidem prima translatio est, a dicto auctore designata in titulo, quem isti capiti præfigit.*

Ejusdem sacri depositi elevatio.

27 *Eam mox ibidem subsequitur altera, seu potius elevatio, si vis, corporis* S. Oswaldi, *his verbis expressa:* Cum enim sanctissimi Regis cultus in dies augesceret, visum est Philippo abbati (Monumenta quidem haud nominant, sed e dicendis postmodum, is arguitur exstitisse, qui Alexin inter et Ingelmarum intercessit) pretiosiore capsa e regio sanguine Martyrem condecorare, visereque, num intus omnia suis constent partibus et chirographis. Quod ab Adamo, Morinorum præsule, exactissime juxta ac magnificentissime præstitum est: adfuit enim Joanna comes cum Morinensi et Flandrensi nobilitate plurima, Castellanis latus ejus summa religione stipantibus: adfuere Joannes Bertinensis, Rogerus S. Joannis in Monte Teruannico, Willelmus Capellæ, Willelmus Andreæ, Joannes Alciaci abbates: etiam alii suo pedo instructi, quos Præpositi nomine indigetant, Willelmus Watinensis, Joannes Formoselanus, Ægidius Loanus, Joannes Eversamensis.

Variæ

28 *Quæ ex Malbranco jamjam circa translationem primam protuli, hisce observationibus explano. Memoria repetamus, quæ tom. V Julii, die* XXIV *ejusdem mensis, pag. 640, de Balgero monacho, ejusque in transvehendo ad suos ex Anglia* S. Oswaldi *sacro deposito, Amplissimus D. Ryckewaert, modernus ad S. Winnoci cœnobiarcha, affirmat, se reperisse scripta in Annalibus suæ abbatiæ; quæque huc transcribo:* Anno Christi MXLII apud S. Winnoci Bergenses monachos florebat Balgerus asceta, vir religiosissimus, maximeque Divorum... amore exardescens... Cum sciret, Angliam hujusmodi abundare pignoribus, non piguit sæpius eo transfretare, et in teneriorem Eduardi Anglorum regis amicitiam se inducere... Vicissim etiam Eduardus in Balgero magnum animi candorem, ardoremque in Divos eximium pensi admodum habebat: unde cum instanter exigeret, potestatem fieri sibi, aliquot Cœlitum corpora ad Winnocenses suos exportandi, ausus est etiam Oswaldum regem libello supplici primum inscribere... Pia sua importunitate rem evicit.... Drogone, nostro Morinorum præsule commonito, Winnocenses suos munere non alias gratiore donavit, non sine festiviore translationis pompa, et insueto urbis tripudio. *Hæc ibi.*

circa hæc facta

29 *S. Eduardus, de quo actum est apud nos die* V *Januarii, annuæ ejus memoriæ sacro, regnare cœpit anno 1042; desiit 1066. Quomodo ergo Balgerus sub regno ipsius anno* MXXXVIII, *ut supra dictum, Sancti nostri corpus ad S. Winnoci cœnobitas ex Anglia transtulit? Emmanuel Sueyro in Annalibus Flandriæ, Hispanice in lucem editis, notat alium, sub quo id contigerit, regem, quando ad annum 1038 scribit, quod Balgerus ille, Haraldo, Angliæ regi, atque ejus uxori acceptus admodum, reliquias, de quibus hic agimus, ex illa insula ad suos transvexerit. Convenitque ratio temporis: nam apud Alfordum ad*

AUCTORE J. P.

A *ad annum 1036 signatur Haraldi, regis Angliæ, initium; finis autem anno 1040 innectitur. Gazæus in Historia ecclesiastica Belgii pag. 410 eumdem quidem annum 1038, eumdem Balgerum ponit; sed regis ac reginæ nomina non exprimit; superius, ut vidimus num. 26, bis exstat annus 1038; sed quo sub rege id factum, non dicitur: adeo ut nihil mihi sit in promptu, quo chronologicam hanc difficultatem componam vel exponam: proin observationes nostras alias prosequamur; quando de translatione prima* S. Oswaldi *ex Anglia ad cœnobium S. Winnoci jam satis dictum videtur.*

observationes

30 *Occasione autem eorum, quæ secundæ translationis, seu elevationis apud Winnocibergenses factæ gratia, circa abbates dicebat superius Malbrancus, observo 1. In Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti apud Mabillonium sec.* III, *part.* I, *pag. 328, datur Catalogus abbatum Bergensium, in quo dicitur Alexius, de quo memini antea ex Malbranco, anno 1172 subscripsisse chartæ Philippi, Comitis Flandriæ etc., et obiisse die* XIX B *Martii: cui ibidem proxime subditur Philippus supra nominatus. sine nota temporis: huic autem eodem modo Ingelmarus: ut adeo inde consequens sit, eos cohærere cum seculo* XIII; *illo namque contigit translatio illa secunda, seu elevatio,* anno *videlicet* MCCXXI transfertur in cœnobio hoc S. Oswaldi regis et martyris sacrum corpus ab Adam Morinorum episcopo; *sicut habemus e nostro apographo, a D. Honorato de Camargo, abbatiæ S. Winnoci asceta, ex Annalibus, quos abbas ejusdem loci ab ipso perlustrari jusserat, descripto, et a nostro P. Oliverio Bonart anno 1637, die* VII *Januarii ad P. Bollandum misso.*

dantur.

31 *Observo 2. manifestam aliquorum hallucinationem, qui res præsentis argumenti confundunt. Molanus enim in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* V *Augusti de* S. Oswaldo *tractans,* Hujus, *ait,* corpus aut reliquiæ... translatæ sunt in divi Winoci cœnobium ab Adam Morinorum episcopo, anno MCCXXI. *Cui suffragatur Miræus in Fastis Belgicis. Alfordus ad annum 642 postquam numero 34 dixisset de* S. Oswaldi *reliquiis,* C Sunt, qui in Belgium, et ad S. Winoci oppidum depositas scribunt, *ibidem num. 35 Miræi Fastos citans;* Iterum, *inquit,* aliquid reliquiarum in Belgium allatum esse, et ab Adamo, Morinorum episcopo, in cœnobio S. Winoci depositum, nullo modo controverti debet; cum ibi Bergensis ecclesia anniversariam dictæ translationis memoriam... colat. *Deinde citat Miræum in Fastis. Ex his conficitur, prænotatos auctores fuisse in illa sententia; quod Adamus, Morinorum episcopus, Sancti nostri reliquias aliunde ad Winnocibergenses transtulerit; qui tamen, ex dictis supra, easdem antea illuc a Balgero monacho ex Anglia translatas, in locum honoratiorem dicti cœnobii Winnocibergensis transtulerit, vel evexerit; conformiter ad verba nostri apographi, inde ad nos directi,* Anno MCCXXI transfertur IN CŒNOBIO HOC *etc., uti supra dixi.*

§ IV. Ossa apud Winnocibergenses combusta; an corpus Suessione; aliæ alibi reliquiæ; Sancti apparitio; cultus publicus.

Sancti lipsana apud Bergenses ab hæreticis combusta.

Molanus *in Natalibus Sanctorum Belgii,* Reliquiæ, *ait,* sunt deperditæ per bella et vastationes Henrici Gallorum regis, præter minimam ossium partem. *Quibus ad majorem rei confirmationem, adde Amplissimi ad S. Winnocum abbatis verba, quæ alta opportunitate sunt inserta tomo V Julii nostri, pag. 640, et sic habent:* Anno MDLVIII a Francis hæreticis corpora SS. Oswaldi, Idabergæ, et Lewinnæ, et quidquid erat pretiosum in ecclesia nostra, igni tradita sunt et consumpta sub Hieronymo de Grimberge, abbate nostro. E

An, et quænam sint Suessione?

33 *Interea temporis Legendista Gallicus anno 1704 Parisiis editus, in Vita* S. Oswaldi *ad hunc diem* V *Augusti affirmat, nonnullos esse, qui velint, corpus hujus Sancti translatum fuisse in Galliam, et in abbatia Dominæ nostræ Suessionensis depositum. Addit, illud re ipsa ibi ostendi in thesauro sacro reliquiarum, quæ ibidem asservantur; citatque Historiam prædictæ abbatiæ quæ a D. Michaele Germain Ordinis S. Benedicti, anno 1675 Lutetiæ Parisiorum vulgata est. Ad varias quæstiones meas, quas hac super re Suessionem dirigendas curavi, responsum accepi, in dicti loci ecclesia asservari capsam ligneam deauratam, una cum aliis, fidelium venerationi expositam, cum hac Gallica inscriptione, quæ Latine sic sonat:* Corpus S. Osualdi, regis Angliæ et martyris; *at nesciri, a quo, quando, et unde eo translatum sit; neque, an totum et integrum ibi exstet; an aliqua duntaxat ejusdem pars; nec exploratum esse, an sit pars notabilis, nec ne: ad hæc, rem niti sola traditione; neque exponi aliter, quam in loco suo, in quo relinquitur; Officium quotannis ritu duplici celebrari de Communi unius Martyris; quatuor in dicto Officio lectiones contineri, ex incerto fonte haustas etc.* F *Quæ omnia valde sunt ad faciendam fidem infirma, quod sacrum illud pignus sit Sancti istius, qualem designat inscriptio.*

Caput una cum corpore S. Cuthberti repertum,

34 *At sacri corporis partes, quæ variis locis attribuuntur, silentio præteriri non debent. Chronicon Anglicanum, auctore Radulfo Coggeshale abbate, ab anno 1066 usque ad 1200 pertextum, et apud Martenium in Collectione veterum scriptorum ac monumentorum, tom. V, col. 801, inter ea, quæ habentur col. 804, ad annum 1101 sic memorat:* Corpus S. Cuthberti incorruptum et flexibile inventum est post annos CD et XVIII depositionis suæ; et una cum eo caput S. Oswaldi, regis et martyris. *De corporis S. Cuthberti in novam tumbam translatione anno 1104, ab ejus obitu 418 diximus ad* XX *Martii, pag. 137: obidi autem anno 687, sicut ibidem præmittitur pag. 94; ac proin ab anni 1104 mense Augusto, quo ista translatio contigit (vide ibid. pag. 125;) ad anni 687 diem* XX *Martii, quo e vita migravit (ibid. pag. 94) facile inveniuntur anni 418, inter istius Sancti depositionem ac translationem dictam intermedii: adeo ut non satis videam, quod recte exprimatur annus 1101 in præcitato Chro-*

AUCTORE J. P.

Cronico. Malmesburiensis sub finem libri 3 De gestis Pontificum Anglorum præsens factum confirmat, quando miræ corporis S. Cuthberti a corruptione immunitati intermiscet ista : Caput Oswaldi regis et martyris inter brachia ejus inventum.

ac Dunelmi reconditum.

35 *Denique in Historica rei gestæ narratione e variis codicibus Mss. apud nos excusa loco citato, pag. 139, circa reliquias Sancti nostri una cum aliis apud S. Cuthbertum repertas scribuntur hæc :* Quas profecto reliquias, ut in antiquis libris legitur, constat esse caput gloriosi regis et martyris Oswaldi *etc. Et pag. 140 ista narrantur :* Porro ex omnibus reliquiis, quæ ibi repertæ fuerant, solum caput beati regis Oswaldi juxta corpus gloriosi Pontificis, sicut et ante fuerat, locaverunt. *Fama est, pretiosum illud depositum, Dunelmi a seculo* XI, *quo inventum fuerat, ibidem seculo* XVI *etiamnum exstitisse ; nam de ea re Harpsfeldius* Caput, *ait,* ejus, a fratre Lindisfarni olim reconditum, NUNC dicitur Dunelmi inter brachia divi Cuthberti
B recondi. *Cæterum de Dunelmo varia dantur ad dictum diem* XX *Martii pag. 124.*

Caput illud divino monitu apud S. Cuthbertum deponi dicitur.

36 *Si ad superiora, a quibus digressi tantisper sumus, secula revertamur, et inquiramus, qua occasione sacer ille thesaurus apud S. Cuthbertum depositus fuerit ; Capgravius in vita* S. Oswaldi *fol.* CCLVI *rult rem ita contigisse :* Post multos martyrii ejus annos sanctus Cuthbertus cuidam in obsequiis ejus devoto apparens, dixit : Surge, inquit, et caput S. Oswaldi, in ecclesia de Bamburg negligentius custoditum, ad me deferre ne differas, ut una mecum in uno loculo requiescat. Quod enim in cœmeterio meo humatum mihi Deus commendando delegerat ; hominis violentia a me separari non debebat. Surgens vir ille, et ad locum designatum perveniens, occasione habita, caput Martyris amplectens, festino gressu domum rediit. Et ecce S. Cuthberti sepulcrum, motu interius perstrepente, sine cujusque manus tactu, subito aperiri videtur, et composito secum capite, spontaneo more recludi. *Hæc splendida quidem sunt : utinam ex melioris notæ auctore comprobata ! Ad hæc : dicebatur supra* Caput *Sancti* in ecclesia de Bamburg negligentius
C custoditum. *Sed illud* in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ, *ejus in regno successor Oswinus ;* in regia vero civitate *(Bamburgensi)* manus cum brachiis condidit. *Quisnam ergo, quo tempore, quibus testibus caput prædictum in ecclesiam Bamburgensem invexit ? Hibernos etiam Sancti nostri exuvias sibi vindicare, auctor est Alfordus ad annum 642, num. 34. Apud illustrissimum Fontaninum in Commentario de S. Columba anno 1726 Romæ edito, pag. 48, scribitur in diœcesi Aquileiensi, in illo tractu montoso ac septentrionali provinciæ Fori Julii, quæ* Carnia *dicitur, magna cum devotione honorari in loco, cui nomen* Sauris, *digitum* S. Oswaldi *regis : nostri, an alterius ? Ego certe regem synonymum Sanctum alium non novi.*

Caput etiam fertur esse Epternaci, mentum in cœnobio Weingartensi etc.

37 *In addendis ad diem* XX *Januarii apud nos tom. II istius mensis pag. 1138, ex Joanne Bertelio, monasterii Epternacensis in Luxemburgia Belgii provincia abbate, in Historia Luxemburgensi occurrunt sequentia :* Non in minore ibidem *(Epternaci)* honore colitur et servatur inclyti martyris Oswaldi Angliæ regis caput, una cum S. Willibrordi, patroni celeberrimi corpore : quæ quidem quanto in pretio, honore, seu reverentia, tum ab ipsis monasterii Religiosis, tum ab omnibus, qui quotannis sanctas repetunt peregrinationes, quotidiana adhuc demonstrant miracula. D
Hæc ibi dicuntur. At quidquid sit de isto capite, quod dicto loco esse fertur ; saltem sacrum aliquod Sancti nostri pignus apud Frisios antiquitus exstitisse, videtur confici ex S. Beda lib. 3, cap. 13, hæc narrante : Reverendissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Frisonum gentis archiepiscopum Willibrordum cum suo antistite Wilfrido moraretur, crebro eum audierit de mirandis, quæ ad RELIQUIAS ejusdem reverendissimi Regis IN ILLA PROVINCIA gesta fuerint, narrare. *Quidquid, inquam, sit de isto capite : nam secundum dicta superius num. 35, caput Sancti dicitur Dunelmi fuisse a seculo* XI *usque ad seculum* XVI. *An vero, a quo, et quando illud sit alio transvectum ; nondum didici. Apud Bucelinum in Monasteriologiæ Imperii Germanici parte altera pag. 305 sacris cœnobii Weingartensis, cujus ipse asceta theologus fuit, exuviis annumerantur* magnæ portiones et mentum integrum S. Oswaldi, Angliæ regis et martyris. *Ad hæc,* reliquias ex Anglia in Hervordiam Westphalorum transtulit B. Waltgerus, E
Comes et fundator ; *ait Gelenius De Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib. 4, ad* V *Augusti. De ista translatione etiam meminit noster Theodorus Ray in libro, qui inscribitur* Animæ illustres Juliæ, Cliviæ *etc.*

Inter reliquias Ulyssipponenses, de quibus agitur tom. II Januarii nostri, notatur ibid. pag. 612 nomen S. Oswaldi regis Northumbriæ. *Breviter his superaddere liceat, apud nos ad diem* XX *Martii, in historia S. Cuthberti tom. III ejusdem mensis, pag. 135, occurrere apparitionem* S. Oswaldi, *quæ ibidem legi potest. Nunc publicus ejus cultus nos vocat.*

Sanctus inscribitur antiquis Martyrologiis, uti et Romano moderno :

38 *Duo Martyrologi classici, Wandelbertus et Usuardus, hoc die Sanctum nostrum memorant : quorum hic quidem sic habet :* Sancti Oswaldi regis Anglorum, cujus actus commemorat venerabilis Beda presbyter in gestis ejusdem gentis. *Ab illo autem* Oswaldus *refertur* Rex pius Anglorum merito et virtute. *A nullo alio antiquo Martyrologo hac die eum memorari ; neque dubium videri, quin ab Usuardo ex Bedæ Historia in sacros Fastos relatus sit, indicatum est in Observationibus* F
ad Usuardum a nobis editum et illustratum, hoc eodem die : quo etiam, et eadem quidem mox nominati hagiologi phrasi, Martyrologio Romano moderno inscribitur. Sic enim illum refert : In Anglia sancti Oswaldi regis, cujus actus venerabilis Beda presbyter commemorat. *Florarium nostrum Sanctorum sic loquitur :* Eodem die *(* V *Augusti)* S. Oswaldi regis Anglorum, affinitate conjuncti stirpi Karolidarum. Hic fuit filius Achiæ, sororis S. Edmundi regis, qui vicesima Novembris *etc. Seriem genealogicam Sancti dedimus supra num. 2; de affinitate ista viderit auctor Florarii. Adde, quod Acha, mater* S. Oswaldi, *soror* Edwini *(non, ut vult hic,* Edmundi *) regis fuerit, ex dictis superius num. 2 ; et vide, quam belle Edmundus ille, de quo Florarii auctor agit die* XX *Novembris, cum ætate Sancti nostri, ejusque matris cohæreat, qui interfectus ibidem notatur* anno salutis DCCLXXIII. *Wilsonus Sanctum nostrum hodie etiam annuntiat in Martyrologio suo, ac laudat. Sic incipit :* Oswestriæ in Salopia passio S. Oswaldi, regis Northumbrorum et martyris *etc. In Ms. Martyrologio, quod apud nos est tom. III Martyrologiorum Mss., et cui Henschenius manu sua adscripsit, quod sit* Trevirense, monasterii S. Mariæ et ad Martyres, *notatur*

etiam

A *etiam* B. Oswaldi, regis Anglorum *memoria. De isto Benedictini Ordinis monasterio agit Mabillonius tom. III Annalium ejusdem Ordinis, ad annum 975, num. 31. Enimvero* Quia, *uti recte Polydorus Vergilius lib. 4*, vitam sine labe egisset; quia Deum semper sanctissime coluisset; quia denique pro religione mortem oppetiisset; non immerito inter Divos, patres retulerunt: cujus memoria bene multis etiam nunc apud mortales celebratur miraculis.

titulus martyris ei aliunde asseritur.

39 *Alfordus ad annum 642, num. 37*, Martyrem, *inquit*, licet Romanæ tabulæ non vocent; nostræ tamen, aliæque fere omnes illam gloriæ palmam meritissime concedunt: quia ab infideli manu, in religionis odium, pro fidei defensione pugnans, violenta morte sublatus occubuit. Penda enim Deo et Christianæ fidei infensissimus, sacra omnia conculcare solitus, in Sanctum surrexit. *Et vero, teste Willielmo Malmesburiensi De gestis regum Anglorum lib. 1, cap. 3*, Zelo Ecclesiæ Dei, cum gentili bellum committens, B ante (quod optabat) effudit spiritum, quam (quod timebat) christianitatis videret detrimentum. Nec fraudabitur profecto Martyrum gloria, qui primo bonæ vitæ intendens; postmodum gloriosæ morti corpus impendens; eorum trivit vestigia: et cumulatiore pene laude: quod illi singuli se singulos; ille secum Deo consecravit totos Northanimbros. *Hæc ibi. Quæ cum ita se habeant; tametsi nec antiqui Martyrologi, quos supra memorabam, nec Martyrologium Romanum cum titulo martyris eum annuntient; cur tamen illo vere non gaudeat, præsertim cum in liturgiis sacris, divinisque Officiis, de quibus infra, tanquam martyr celebretur?*

§ V. Veneratio publica in Anglia, Belgio ac Germania; ædes sacræ, monumenta.

Veneratio publica in Anglia,

F*uisse olim Angliam* S. Oswaldi *gloriæ studiosissimam, et definito quotannis die* v *Augusti, duplici eum festo coluisse, tradit Alfordus num. 38; hanc recitans collectam:* Omnipotens, sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam C sanctamque lætitiam in sancti Servi tui solemnitate consecrasti: Da cordibus nostris tui amoris charitatisque augmentum, ut cujus in terris sancti sanguinis effusionem celebramus, illius in cœlo collocati patrocinia sentiamus. *Quod vero sancti Regis nostri ibidem loci vix hodie supersit memoria, uti habes ibid. num. 37, mirum non est; hi nempe luctuosissimæ a vero et unico Ecclesiæ post Christum capite ac pastore defectionis sunt fructus. De ædibus sacris in honorem* S. Oswaldi *ibidem erectis loquar infra.*

in Belgio

41 Fama Viri, *uti testatur Beda lib. 3, cap. 13, post eumque biographus noster*, Germaniæ partes attigit. *Hoc ita declaro. Pro Germania inferiore seu Belgio nostro habemus abbatiam S. Winnoci, de qua superius dixi. Apud nos tom. V Julii, die* XXIV, *pag. 610 ex dictæ abbatiæ Annalibus hæc citantur:* Inter Martyrum memorias annue a Bergensibus legitur XII Kalendas Julii gloriosa S. Oswaldi regis et martyris, et S. Idabergæ virginis translatio ritu dup. 2 c. *Ubi vides, translationis Officium conjungi, sicut utriusque corporis translatio ex Anglia ad Winnocibergenses eodem tempore accidit, secundum ea, quæ ibidem præmittuntur. At mox ista notat dictæ abbatiæ Amplissimus:* Nunc vero separatim translationem illorum colimus; quod a trecentis circiter annis introductum esse censeo. Translationis festum S. Oswaldi colitur XX Junii (adeoque XII Kal. Julii:) verum S. Idaberga XXIII ejusdem, ritu supradicto. *Hæc si ita sint: videtur modus ille cultus a trecentis circiter annis, uti placebat Amplissimo isti, non semper fuisse stabilis: nam D. Honoratus Camargus superius num. 30 memoratus, in apographo, quod huc misit, postquam egerat de utriusque sancti corporis translatione, sic habet:* Colitur autem festivitas ejus a nobis XXI Maii. *Denique dum occasione S. Lewinnæ V. et M. quæ illustrata est dicto tom. V Julii, denuo recursum esset ad laudatum Amplissimum, ad propositas difficultates respondit ea, quæ ibidem habes pag. 611: unde delibo, quæ in rem meam sunt:*

apud Winnocibergenses; ac in Germania superiore.

42 Codicem, *ait*, antiquissimum Ms., cui titulus, Consuetudines abbatiæ S. Winnoci, inter monumenta ipsius reperi; *eumque ibi describit.* Ex illo certum et indubitatum, Winnocenses tunc temporis *etc. (quæ subdit, S. Lewinnam spectant.)* Item, *sicut continuo pergit, festa* S. E Idabergæ XXI Maii, et S. Oswaldi V Augusti colebantur cum Octavis: translatio denique XX Junii ritu duplici. Cur prædecessores hæc mutarint, nescio, *inquit:* certe, ut antiquitus, observari in posterum curabo. *His adde ex citato tom. V Julii pag. 610* SS. Oswaldo et Idabergæ dicatum altare, *quod* adhuc habetur. *De publica Sancti apud Epternacenses veneratione breviter dictum supra num. 37. Hæc habui dicere de publica veneratione apud Belgas.*

Pro cultu Sancti in Germania, ut de Missalibus nihil dicam, faciunt varia Breviaria, seculis XV *ac* XVI *typis excusa, quæ apud nos exstant; faciunt item notitiæ circa recitanda divina Officia impressæ, quas habemus: ex illis quippe documentis discimus, eum coli apud Colonienses, Moguntinos, Monasterienses, Constantienses, Spirenses, Bambergenses, Salisburgenses, Augustanos, ac Bohemos. Et pro cultu quidem apud Bohemos, facit sequens monumentum, quod e Chronico Mansfeldensi exstat apud Crugerium nostrum in Sacris pulveribus mensis Augusti pag 37, his verbis expressum:* F

Anno milleno, quadringent, viceque primo
Dominici præsto, simul Oswaldi quoque festo
Marchio tum Misnæ Fridericus bellat honeste,
Qui prope Brux stravit Bojemos, atque fugavit. *Etc.*

Agitur de pugna ante Brixiam (Pontem alias vocatum) ad Misniæ confinia sitam, Pragenses et Taborenses inter et Catholicos anno 1421 inita; et Catholicis fortunata; secundum ea, quæ ibidem præmittit Crugerius pag. 36. Nunc de ædibus sacris.

Templa

43 *Templa colligens Alfordus ad an. 642, num. 42*, Ego, *ait*, singula non percurram; quia pleraque impietas nupera, et odium in Sanctos erasit. Nec habeo, in hoc itinere, quos duces sequar: nisi illos, qui Sanctorum gloriam obliterant potius, quam illustrant. *Camdenus de Eboracensi agro, pag. 563, ita scribit:* Went... e stagno profluit juxta Nosthill; ubi olim fuit monasterium Oswaldo regi, et Sancto sacrum, quod A. confessor regis Henrici primi restauravit. *De ecclesia Canonicorum Regularium Nostiel vel Nostle, in agro Eboracensi Angliæ sita, ac nomine* S. Oswaldi *nostri vocata; mentio facta est tom. Au-*

AUCTORE J. P.

Augusti, pag. 256, in Annotatis lit. b, d. *Laudatus Alfordus,* In Lancastrensi, *inquit,* provincia, inter opima Angliæ sacerdotia, Winwicus est; de quo supra dixi *(anno nempe 642, num. 16 :)* ibi quoque templum Oswaldo sacrum videntur indicare versus parietibus inscripti; *quos ex dicto jam numero 16 huc transcribo :*

Hic locus, Oswalde, placuit quondam tibi valde :
Nordan-Humbrorum fueras rex, nuncque polorum
Regna tenes, loco passus Marcelde vocato.

in honorem S. Oswaldi

44 Certius tamen est illud, *inquit Alfordus,* quod ad Itunam fluvium est, in Cumbrorum comitatu : nam et hodie locus ibi Kirk-Oswald, seu Oswaldi ecclesia dicitur : et ipsi olim sacram fuisse, monet Camdenus. Sed et juxta Glocestriam, quo translatos ejus cineres diximus, templum ab Oswaldo dictum, et ab Egelfleda, filia regis Elfredi positum, recentiores scribunt. Sed et Northumbriæ cives egregie in suum Principem pii fuerunt. B Nam ad Scilecestriam, juxta murum, ecclesiam erexerunt SS. Cuthberto et Oswaldo. *Camdenus in Ottadinis pag. 664,* Cujus, *ait,* nomen ita cæteris offecit, ut, pristino nomine obliterato, S. Oswaldes nunc dicatur.

Deo dedicata

45 *S. Beda lib. 3, cap. 2, postquam narrasset* S. Oswaldi *victoriam, ac de mirabilibus, quæ in loco ejusdem fiebant etc., egisset; novum ei accessisse decus ex fratribus Hagustaldensis ecclesiæ, quæ inde utique non procul distabat, auctor est : nam præterquam quod illuc quotannis convenirent,* etiam crescente bona consuetudine *(verba sunt Bedæ)* nuper ibidem ecclesia constructa atque dedicata, sacratiorem et cunctis honorabiliorem omnibus locum fecerunt. *Causam, quam mox adjungit Beda, dabit ex ipso auctor Vitæ, quam edimus, num. 10. Extant apud Camdenum hi de facto isto versiculi; quos loco citato, e Vita* Oswaldi *dare sese asserit :*

Tunc primum scivit causam, cur nomen haberet
Heafenfeld, hoc est Cœlestis Campus, et illi
Nomen ab antiquo dedit appellatio gentis
Præteritæ, tanquam belli præsaga futuri.
Nominis et causam mox assignavit ibidem
Cœlitus expugnans cœlestis turba scelestam.
Neve senectutis ignavia possit honorem
Tam celebris delere loci, tantique triumphi,
Ecclesiæ fratres Hangustaldensis adesse
Devoti, Christumque solent celebrare quotannis :
Quoque loci persistat honos in honore beati
Oswaldi regis, ibi construxere capellam.

recensentur ;

46 *Capgravius in vita fol.* CCLVI *de ecclesia in Farnensi insula Angliæ in Oceano Germanico in ora littorali Northumbriæ, (quæ secundum dicenda in annotatis ad cap. 2, lit.* e, *differt a Lindisfarnensi) hæc memoriæ prodidit :* Apud Farnham, *ait,* in honore S. Oswaldi constructa est ecclesia, in qua multi, beneficia ejus postulantes, infirmitatis et incommodi remedia multotiens experti sunt : cujus claves latro quidam latenter auferens, aperto ostio intravit, et universa illius ornamenta rapiens asportavit. Et, ecce, lumine oculorum obtenebrato, quo se diverteret, penitus ignoravit. Adveniente tandem sacerdote, lacrymis profusus * misericordiam illius homo miser deprecabatur; reumque se merito damnabilem judicans, quam fraudulenter diabolo instigante egisset, indicavit. Quo audito sacerdos Deo et B. Oswaldo immensas gratias referens, errori illius condoluit, et liberum abire permisit. *Hæc ibi;* D *sed sine teste referuntur. Ibidem fol.* CCLV *verso scribens de loco, quo Sanctus fuit a Penda occisus, adjungit ista :* In quo quidem campo ecclesia, quæ Candida ecclesia dicitur, in S. Oswaldi honorem fundatur; et non procul inde fons perennis exoritur, qui ab incolis fons S. Oswaldi nominatur.

* f. perfusus

uti et locus, S. Oswaldi nomine nuncupatus

47 *Camdenus in Cornaviis Comitatus Salopiensis pag. 452 dat ista, quæ liceat mihi ædibus in Anglia Sancto sacris intermiscere :* A flumine *(de Sabrina egerat)* remotius ad occiduum agri limitem jacet Oswestre sive Oslwaldstre, Britannice Croix Oswalde, urbecula fossa et muro inclusa, exiguoque castello munita, mercatu vero felix, pannorum præsertim Wallicorum raro tenuique textu (levidensas, si placet, voces;) quorum magna vis singulis septimanis hic distrahitur. Nomen habet ab Oswaldo Nordanhumbrorum rege (cum antea Maserfield vocaretur) quem Penda paganus Merciorum princeps hic gravi prælio... occidit. E

Plura pii erga Sanctum affectus monumenta per hæreticos abolita.

48 *Circa ecclesias autem in Anglia observat Alfordus num. 43, earum videri celeberrimam, ac fidelium votis maxime frequentem, quæ in Lincolniensi provincia, et Bardneio monasterio ædificata,* S. Oswaldi *reliquias ac nomen diutius conservavit. Nec mirum est, si* fuerunt olim, *uti affirmat idem auctor,* alia plura pietatis monumenta, quibus egregie Oswaldum sanctum coluerunt cives, et multæ per insulam provinciæ; quæ veritati, Sanctisque invida novitas erasit. *Nam quomodo sanctissimi Regis nomen apud Anglos in benedictione non permanserit;* qui genti suæ *(ut Willielmi Malmesburiensis lib. 1, cap. 3, verbis utar)* primitias sanctitatis dederit : quippe nullus ante illum Anglus miraculis, quod sciam, *ait,* claruerit?

Templum in Germania

49 *Ad Germanos quod attinet; Bruschius de Monasteriis Germaniæ fol. 159 verso loquens de cœnobio Vinearum seu Weingartensi, Ordinis Benedictini, in Constantiensi diœcesi, facta mentione de sacello* S. Oswaldi; *in Catalogo abbatum, qui proxime sequitur, hæc scribit :* Hermannus de Pirchtenwyler : Obiit anno Domini MCCXIII. Sub eo iterum dedicatum est templum anno Domini MCCVII a venerabili episcopo Constantiensi F Conrado II, in honore S. et individuæ Trinitatis, sanctæque Crucis, beatæ Virginis Mariæ, omniumque cœlestium Virtutum : præcipue vero in honorem sanctorum Martini ac Oswaldi; *nostri videlicet Regis ac martyris, secundum Bruschium, supra citatum : nam templi patronos, quos oratione soluta ex ipso jam dedi, ligata recensens fol. 160* martyri et Oswaldo *locum inter eos tribuit.*

§ VI. Acta typis edita ac Mss.; eorum, quæ vulgamus, auctor, et nonnullæ circa illa observationes.

Acta typis edita

F*ontem, e quo Sancti ad nos dimanarint Acta, non novimus priorem sancto ac venerabili Beda, annis post hujus mortem tribus ac nonaginta exstincto. Unde eo referimus, quidquid postea circa ipsius gesta litteris commendatum est. Eorum collectio exstat impressa apud Surium hac die, notatis libri 3 Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum septem primis capitibus, nec non sequenti-*

A *quentibus 9, 11 ac 12. Edita insuper Vita est apud Capgravium fol* CCLIV *et seqq., ac novissime alia prodiit inter Vitas Sanctorum, anno 1704 Gallica lingua Lutetiæ Parisiorum excusas. Scriptorum antiquiorum, qui de Sancto agunt, catalogum hic contexere, nihil attinet; cum eos indicaverimus per decursum hujus Commentarii. Nunc de nostris Mss. ista accipe.*

ac Mss. 51 *Habemus unum ex codice D. Seguierii, Franciæ cancellarii, constans prologo in Vitam et miracula, hoc exordio :* Quoniam vita et miracula Domino dilecti regis et martyris Oswaldi *etc. Aliud ad manum est apographum, priore longius, e Ms. S. Maximini Trevirīs, cui prænotatur hic titulus :* Passio S. Oswaldi inclyti regis. *Prologus sic incipit :* Igitur quam pium, quamque sanctum sit sanctorum Martyrum propensius immorari præconiis *etc. Hisce duobus addo tertium, illis brevius, e Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quod inscribitur :* Martyrium S. Oswaldi regis. *Incipit :* Oswaldus fuit filius Elfridi regis. *Aliud præterea habemus, nomine Gamansii notatum, admodum etiam breve, cujus initium est :* Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, regis æterni *etc.* B

Idea quædam Vitæ 52 *Hisce denique omnibus accedit ecgraphum e Ms. S. Winnoci in Flandria; cujus loci, cœnobio Benedictino synonymo spectabilis, notitia datur apud nos die* XXIV *Julii, p. 608. Post titulum notatur* Prologus D. Drogonis; *quem excipit* Præfatio *valde brevis; hanc vero sequitur hic titulus :* Dicta Bedæ presbyteri in vitam et passionem S. Oswaldi, Anglorum regis et martyris. Cap. 1, *reique narratio capitibus viginti et uno absolvitur ; ad ejusque finem dicitur :* Expliciunt dicta venerabilis Bedæ presbyteri in passionem et miracula S. Oswaldi Anglorum regis. *Et mox subditur :* Sermo domini Drogonis in festo ejusdem pretiosi Regis et martyris. *In uno duorum exemplarium, quæ habemus, istius argumenti apographo, scribitur ille sermo* legendus in festo ejusdem *etc. Huic sermoni non admodum longo subditur sermo secundus, priore brevior : utriusque satis sit, obiter hic meminisse.*

a Drogone monacho scriptæ ; 53 *Quod vero Vita, quam prælo damus, auctorem habeat Drogonem, cœnobitam Bergis ad S. Winnocum, aliunde confirmo. Possevinus in Apparatu sacro scripsisse Drogonem affirmat* de vita S. Oswaldi regis Northumbriæ. De eodem sermones duos, qui exstant in cœnobio Bergis Mss. *Molanus in notis ad Usuardum suum anno 1573 editum, præter Bedam, qui de* S. Oswaldo *scripserit,* libro uno, et sermonibus duobus, Mss. Bergis S. Winoci, *Drogonem, monachum Bergensem, scripsisse affirmat. Quibus adde Valerium Andream in Bibliotheca Belgica. At quisnam et qualis Drogo ille? Drogones plures synonymos eodem seculo* XI *vixisse, eosque in unum conflatos fuisse ab auctoribus, invenies tom. II Julii, ad diem* VI *istius mensis, pag. 362, occasione S. Godelevæ V. et M., cujus Vita ab auctore synonymo scripta, ansam tunc præbuit, varia circa Drogones istos inquirendi, et monachum Bergensem a Ghistellensi curione seu sacerdote, nec non a præsule Morinorum, quos alii confuderant, distinguendi. Quia vero ista controversia ibidem non oscitanter expensa atque decisa est, ac denuo tacta tom. V Julii, ad diem* XXIV *dicti mensis pag. 612, num. 24 (Vide etiam ibid. pag. 610, num. 14) ideo supervacaneum fuerit, hanc telam iterum jam retexere.* C

54 *Drogo itaque Bergensis in prologo, sui propositi rationem reddens, indicat 1° quibus Vitam dedicet, monachis nempe Bergensibus, apud quos* S. Oswaldi *exuviæ asservabantur.* Id, *inquit,* perpendens, vestræque petitioni, voluntatique, fratres, satisfaciens, vitam martyriumque S. Oswaldi regis, seu miracula ejusdem in uno opere conjunxi, vobisque descripta misi, ut, cujus reliquias pio amore complectimini *etc. 2° Mox addit, quo ex fonte sua hauserit, sic loquens :* Verum ne quis existimet, mea fore, quæ conjunxi, excusatum venio; sed esse beati Bedæ presbyteri dilucidata stylo. *3° Quem tenuerit scriptionis modum significans, hæc fatur :* At nos ejus ipsius ordinata scripta, versa serie, in ordinem taxavimus; modo præposita postponentes, modo postposita præponentes : quippe qui historiam sequens, ubi digna oratio exigebat, præposita sequentibus postposui : quique, uti eadem coegit, sequentia præcedentibus ordinum iri voluit. *4° Fatetur Drogo, nonnulla se suo e penu addidisse :* Addentes de nostro, *inquit, etc. 5° Ex eorum, ad quos suum prologum dirigit, cœnobio se fuisse indicat, dicens :* Ergo munus vestri filii... suscipite. *AUCTORE J. P. circa cujus apographum* E

variæ observantur, 55 *Textus Bedæ, e quibus sua deprompsit, in nostra editione notantur ad marginem. Prologus et præfatio sunt Drogonis : quas is Bedæ textui suo marte interserit periodos includam uncinis* [] *ad distinctionem. At quid causæ est, quod tam Drogo, quam Vitæ compilator apud Surium, non dederint ea, quæ Beda refert lib. 4, capp. 13 et 14? Hæc cum apud Drogonem non reperirem, e Beda accepta, ad ejus Vitam adjeci. Historia porro illa habetur in Mss. nostris Trevirensi, et Seguieriano ; ac notari insuper in Ms. Rubeæ Vallis part. 1 Hagiologii Brabantiæ, comperi aliunde. Apud Bedam autem hoc titulo prænotatur :* Ut intercessione Oswaldi regis pestifera mortalitas sit sublata. *Heterodoxus quidam in editione Saxonico-Latina Historiæ ecclesiasticæ Bedæ, quam anno 1643 Cantabrigiæ in lucem edidit, istius rei gestæ narrationem hic illic arrodit in suis ad ipsam notis; sed misellum hujusmodi Aristarchum non moror, contemptu potius quam responso dignum. Præcesserant famosi Centuriatores Magdeburgici ; qui Centuria 7, col. 180, intincto amara bili adversus res sacras calamo, apparitionem SS. Apostolorum Petri ac Pauli, quam ibi ex Beda habemus,* spectra diabolica *fuisse, impudenter affirmant; non probant. Sed infrunitos istos rabulas supra convenimus num. 18.* F

uti et circa ejusdem editionem 56 *Porro in rerum Oswaldianarum, quas e nostris Mss. vulgamus, impressione, hæc facta sunt. 1° Collatum est exemplar nostrum, quod habemus, e Ms. S. Winnoci, et cum Ms. Rubeæ Vallis. et cum Bedæ editione Basileensi anni 1543, nec non Cantabrigiensi paulo ante memorata. 2° Paucula quædam, eaque levioris momenti, in editione nostra ex duabus illis correximus. 3° Apographum nostrum, in unum ac viginti capita distributum, nova nunc divisione capitum donavimus more nostro, appositis etiam suis cuique opera nostra titulis. 4° In uno Winnocibergensi apographo (duo quippe habemus) præter capitum divisionem, annotantur numeri lectionum; quod argumento est, Vitam, quæ in eo describitur, adhibitam fuisse ad persolvendum Officium ecclesiasticum. Superest, lector, ut eam nunc subjiciam.*

VITA

A

VITA

Auctore D. Drogone *a* monacho cœnobii Winnocibergensis in Flandria.

Ex ejusdem monasterii Mss.

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor nonnulla præfatus de studio sanctæ lectionis,

Plerisque mortalium bonum ac pium studium sanctæ lectionis exercitationi idcirco exigitur, ut inde interior homo, bonis assuescendo, solerti ingenio assidue pascatur. Unde totius bonæ vitæ exemplar, tum vero optimorum morum consuetudo, quot diebus intentæ mentis auribus quærendo, intendendo, paulatim expergiscendo augentur. B Nam torpens animus hinc, unde evigilet, habet; hinc, unde sese a torpore excutiat, tenet; hinc sui regimen juris, modo vitando probra, modo quærendo optima sancit: inde etiam, quibus accendatur, bona mirando, bona alterius quidem imitando, tum vero operando, quibus eniteat, cernit. Huc accedit, quod in omni luctamine, sive in omni palæstræ exercitio imminentis hostis tela vitat, qui doctus cautusve in primis magisterio alterius ad id agendum informatur, et a quo id ipsum longi usus assiduitate adhibetur. Sic sic nimirum ita hæc excudere nimio usu quisque fidelis debet: nunc prævia * facta bonorum miretur, nunc implendo laude digna acceleret, sese interdum, interdumque torpentem mentem excutiat; quodque boni justique est, solers memori pectori condat. Hujusve rei exercitatio diligensque studium à morali disciplina magistræ menti adjunguntur, cum historiæ veritas virum talem, quem digna oratione pandit, cujus vitæ mores optimi, præterea bona opera, tum autem sollicitudo sui, suorumque testimonio sint, ut imitentur.

* Rub. val. præmia

Vitam et miracula S. Oswaldi legenda exhibet, *b*

C 2 Id. etiam perpendens, vestræque petitioni voluntatique, fratres, satisfaciens, vitam martyriumque sancti Oswaldi regis, seu miracula ejusdem in uno opere conjunxi, vobisque descripta misi *b*, ut, cujus reliquias pio amore amplectimini, ejusdem vitam et actuum bona valeatis imitari. Verum, ne quis existimet, mea fore, quæ conjunxi, excusatum venio, sed esse beati Bedæ presbyteri dilucidata stylo. At nos ejus ipsius ordinata scripta, versa serie, in ordinem taxavimus; modo præposita postponentes, modo postposita præponentes; quippe qui historiam sequens, ubi digna oratio exigebat, præposita sequentibus postposuit, quique, uti eadem coegit; sequentia præcedentibus orditum iri voluit. Tum autem ubi tanta historia adegit virum abbreviare orationem, nos paululum dilucidavimus, addentes *c* de nostro, quæ idem fortassis diceret, si brevitas sententiarum vel materiei sineret. Ergo munus vestri filii *d*, imo vestri servi, a nobis expostulatum suscipite, et imperfectum mei vestris orationibus juvate, ut inde vestra ope sustinear sedulo, unde mihi ruinæ peccati imminens periculum timeo *e*.

3 Omnipotentis insita forma boni, summæque gloriæ firma et æterna dispensatio id prævidet, humanis actibus mortalium ut juxta discretionem personarum cœleste præmium reddatur. Et quanto altiori potentia quis utitur super cæteros mortales, tanto majori clementiæ Domini pietate elevatur, si ipsi Domino mente, actu, sollicitudine continui exercitii famulatur. Id siquidem competit æternæ immutabilique altitudini, ut vir quivis altus tum opibus, tum ingenuitatis summa inaltetur majoris præmii gloria, si in ipsa sui honoris terrena potentia, humilitatem, patientiam, dilectionem Dei ac proximi, cæterasque virtutum artes amplectitur. Nec impedit nostram orationem Apostoli dictum: Non est acceptio personarum apud Deum: cum unum dictum sit a nobis de remuneratione gloriæ ac præmii; alterum dicat Apostolus de sententia judiciali. Aliud est enim judicii æqua sanctio; aliud quidem habetur digna gloria in præmio. Verum jam id omittamus, et ad narrandi ordinem calamum vertamus.

D *præmissa brevi alia præfatione.*

ANNOTATA.

E

a *De eo disserit noster Commentarius prævius a num. 53.*

b *Diceres, hinc moveri suspicionem, quod auctor, quia hanc Vitam ad suos synascetas misit, cum iis tunc non habitaverit.*

c *Quæ de suo addidit, distinctum iri uncinis* [ ] *monui supra num. 55.*

d *Atque adeo ejusdem cum iis, ad quos scribit, cœnobii ascetæ; ut indicavi num. 54.*

e *Finis hic Prologi; quem mox excipit parva præfatio. Vide num. 52.*

CAPUT I.

Natales, educatio, administratio regni, victoria per crucem relata, ejusdem prodigia.

F *S. Oswaldus, patre vita functo, in Scotiam proficiscitur, et Catholice educatur,* *a* *b*

Igitur ortus *a* fuit Oswaldus alto et longo sanguine regum, filius Edelfridi regis, qui ante Eadvinum regem super gentem Northanimbrorum *b* regnaverat, fortissimus in factis, gloriæ cupidissimus; qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem vastavit Britonum: ita ut Sauli quondam regi Israeliticæ gentis videretur comparandus, excepto duntaxat hoc, quod divinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis vel subjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud, quod benedicens filium patriarcha Jacob in personam Sauli dicebat, aptari: Benjamin lupus rapax: mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. Mater vero ejus non minus regali stirpe, et adeo nobili prosapia, de eadem gente agnoscitur procreata. Sicut ergo rosa de spinis, sic idem Oswaldus de paganis parentibus ortus est.

Verum ejus patre mortuo, propter metum Eaduini *c* regis, qui patri illius in regnum successerat, parvus puer ductus est Dei providentia in Scotiam; ubi quandiu regnavit Eaduinus, cum multis nobilibus Northanimbrorum exsulavit *d*. Ibi denique institutus est bonæ indolis puer ad doctrinam Scotorum, sequi veram religionem, Deum diligere juxta evangelici scripti præceptum, cui proximo compati, subvenire oppresso calumnia,

A nia, large inopi necessaria indulgere, nudo vestem alere esurientem.

5 Omnia quoque, quæ virtutis habentur, agere; vitiorum seu voluptatis deceptivam mollitiem cavere. Quid plura? Cuncta, quæ optimæ virtutis, quæque bonitatis sunt, tenere. Cum ergo esset hujusmodi puer, evasit in adolescentiam: præterea autem in robur ætatis, eadem, quin etiam majora agere haud omittens. Verum enimvero Eaduino in prælio interfecto *e* successit *f* et in regnum Oswaldus, vir Deo dilectus, clarus actis, fretus * hisdem virtutum muniis, quæ ante memoravimus.

ac virtutibus

* *Rub. Val.* refertus

Suscepto igitur regno Northanimbrorum, cœpit omnimodis meditari, eniti, ut Christianitatis religio, ubi ubi polleret, et dilataretur, et ecclesia de fructu fidei successu pacis prosperando cresceret, et crescendo prosperaretur. Cœpit igitur curam regni sui gerere, tutari fines suos ab inimicorum incursibus, providere suæ suorumque saluti: et cum persæpe negotiis regni occuparetur, mente sedula id quidem agitare; ut sancta religio semper

regnum a se susceptum egregie administrat,

B foret sibi sollicitudini. Nam cujus mentis esset, quantamque spem in Deo haberet, in initio sui regni apparuit.

6 Construxit namque templum honorabile beati Petri *g* Apostoli, quod mirifice decoravit, et dignos ministros, qui ibidem Deo deservirent, regio usu deliberavit. Verum cum primo præmeditaretur tota mente Deo omnipotenti famulari, et id fieri posse arbitraretur, si servos ejus ministrosque divini verbi suæ fidei asciscens adjungeret, misit ad Scotiam *h*, et inde ascivit Aidanum *i*, virum plenum Deo, sanctissimum, actu honestum, pudicum, qui suæ genti præesset, et sibi cæterisque verbum Domini prædicaret. Nam hodie Scotia religionem Anglorum parvipendit, et barbari moris etiam homines religiosos affirmat. Quin etiam ob meritum solers, obque bonum animum præfati regis, quam plures optimæ famæ monachi, clerici sive Deum timentes laici, sanctum Aidanum secuti sunt, ut prædicationem verbi Dei genti Northanimbrorum impertirent, eique cooperatores existerent: quos idem Rex honorifice suscepit, Deumque in eis veneratus est.

Aidanum ad informandos subditos e Scotia accersit.

g

h i

C 7 Cum igitur idem rex Oswaldus, adeo vir clarus, hisce et aliis mente actuque virtutibus polleret; hostis, qui invidebat tantis virtutum muniis, adversus illum machinamenta fraudis insidiasque doli molitus est, et ducem Brittonum *k* in eum movit; qui congregans fortissimam manum exercitus, præparatus ad prælium venit: confidens in tanta militum multitudine copiosa, cui resistere haud posse quemquam sperabat. Sed est solius Dei superare quamplures paucis, et de fortitudine gloriantes atterere. Nam collecto parvo exercitu, rex Oswaldus contra eum venit, et antequam committeretur prælium, verbis et fide suos armavit. Dein, auxiliante illi divina potentia, contriti sunt inimici, jam dictus dux occisus est, et pene omnes una disperiere *l*. Deo dilecto Regi victoria cessit in loco, qui lingua Anglorum Denesesburna * *m*, id est rivus Denesi, vocatur.

Ducem Brittonum vincit,

k

l

* *Editio Basileensis et Cantabrig.* Denisesburna

m

EX BEDA LIB. III, CAP. II.

8 Ostenditur autem usque hodie, et in magna veneratione habetur locus ille, ubi venturus ad hanc pugnam Oswaldus, signum sanctæ crucis erexit, et flexis genibus Deum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate suis cultoribus cœlesti succurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere cruce, ac fovea præparata, in qua statui deberet; ipse fide fervens hanc arripuerit, ac foveæ imposuerit, atque utraque manu erectam tenuerit, donec, aggesto a militibus pulvere, terræ figeretur, et hoc facto, elevata * in altum voce, cuncto exercitui proclamaverit: Flectamus omnes genua, et, Omnipotentem * vivum ac verum in commune deprecemur, ut nos ab hoste superbo ac feroci, sua miseratione defendat. Scit enim ipse, quia justa pro salute gentis nostræ bella suscepimus. Fecerunt omnes ut jusserat, et sic, incipiente diluculo, in hostem progressi, juxta meritum suæ fidei, victoria, ut diximus, potiti sunt.

AUCT. D. DROGONE *erecto prius signo sanctæ crucis, Deoque pie invocato.*

* *Ibid.* elata

* *Ibid.* Deum omnipotentem

9 In cujus loco orationis innumeræ virtutes sanitatum postea noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei Regis. Nam et usque hodie multi de ipso ligno, signo sanctæ crucis, assulas excidere solent, quas cum in aquas miserint, eisque languentes homines ac pecudes potaverint sive asperserint, mox sanitati restituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum, Heofenfeld *, quod dici potest Latine cœlestis campus. Quod certo utique præsagio futurorum antiquitus nomen accepit, significans nimirum, quod ibidem cœleste erigendum trophæum, cœlestis inchoanda victoria, cœlestia usque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus juxta illum murum *o* ad Aquilonem, quo Romani quondam, ad arcendos barbarorum impetus, totam a mari ad mare præcinxere Britanniam.

Locus, ubi hoc contigit, prodigiis clarus evasit

* *Editione: dictæ* Heofenfeld

n

E

o

10 In quo videlicet loco consuetudinem multo jam tempore fecerant fratres Hagustaldensis *p* ecclesiæ, quæ non longe abest, advenientes omni anno pridie quam postea idem Rex * occisus est, vigilias pro salute ejus animæ *q* facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimamque pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam, crescente bona consuetudine, nuper ibidem ecclesia constructa, atque dedicata, sacratiorem et cunctis honorabiliorem * locum fecere. Nec immerito, quia nullum, ut comperimus, fidei Christianæ signum, et nulla ecclesia, nullum altare in tota Bernitiorum *r* gente erectum est, priusquam hoc sacræ crucis vexillum novus militiæ Ductor, dictante fidei devotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret. Nec ab re est, unum e pluribus, quæ ad hanc crucem patrata sunt, virtutis miraculum narrare.

ac religione celebris.

p

* *Edit. Basil. et Cantabr.* rex Oswaldus.

q

* *Editio utraque.* omnibus locum

r

F

11 Quidam e fratribus ejusdem Hagustaldensis ecclesiæ, nomine Bothelinus *, qui nunc usque superest, ante paucos annos, dum incautius forte noctu in glacie incederet, repente corruens, brachium contrivit, ac gravissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari, ita ut ne ad os quidem adducere ipsum brachium ullatenus, dolore arcente, valeret. Qui cum die quadam mane audiret, unum de fratribus ad locum ejusdem sanctæ crucis ascendere disposuisse, rogavit, ut aliquam sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret, credere se dicens, quia per hoc, donante Domino, salutem posset consequi. Fecit ille ut rogatus est: et reversus ad vesperam, sedentibus jam ad mensam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam non haberet ad manum, ubi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum sibi. Et dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore, cum evigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adjacere, admotaque manu requirere cœpit, quid esset, et ita sanum brachium manumque reperit, ac si nihil unquam tanti languoris habuisset.

Brachium ejusdem virtute sanatum.

* *Edit. Basil,* Bothelmus. *Cantabr.* Bothelm

AUCT. D. DROGONE

ANNOTATA.

a *De ortu Commentarius num. 1.*

b *Quænam hæc Anglorum natio sit; ibid. ex Beda dixi num. 2. Plura de regni Nordanhymbrorum extensione exstant apud nos ad diem 20 Martii, pag. 93.*

c *Regnare cœpit anno 617, secundum Alfordum: de quo ibidem plura; et inter alia, quod Sanctus noster Accæ, Edwini sororis, fuerit filius, num. 15.*

d *Exsilium, et educationem apud Scotos, habes in Comm. præv. num. 3 et 4.*

e Die IV Iduum Octobris, anno Dominicæ Incarnationis DCXXXIII, *ait Beda Eccles. Histor. Angl. lib. 2, cap. 20: ubi plura.*

f *Successionis modum dat Commentarius num. 3 ex Beda.*

g *De hoc templo ibidem num. 9.*

h *Quam Britanniæ incolæ inhabitabant; ex dictis ibid. num. 7.*

B i *Acta ejus illustranda sunt die 31 Augusti, quo inscribitur Martyrologio Romano.*

k Rex Britonum *vocatur a Beda lib. 3, cap. 1; fuitque Cedwalla nomine; cujus barbariem describit idem auctor lib. 2, cap. 20; cladem vero ejus, ac crucis triumphum Alfordus ad annum 635.*

l *Intervenisse isti cladi apparitionem S. Columbæ; dixit Commentarius num. 6.*

m *Forte legendum* Deviles-Burne, *ut sit oppidum in Ottadinis ac Northumbriæ agro: de quo supra loco mox citato.*

n *Versiculos de hoc loco habes in Commentario num. 45; qui hodie, inquit Camdenus in Ottadinis,* eodem sensu (ut aliqui volunt) HALEDON appellatur.

o *Beda, lib. 1 Eccl. Hist. Anglorum, cap. 5, agens de Severi imperatoris in Britanniam adventu, subdit ista:* Receptam partem insulæ, a cæteris indomitis gentibus non muro (ut quidam existimant) sed vallo distinguendam putavit. *Deinde assignato murum inter et vallum discrimine,* Itaque Severus, *inquit,* magnam fossam, firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, a mari ad mare duxit; *a Germanico utique ad Hibernicum.* Munimentum per transversam insulam ab Itunæ æstuario, sive Solwey frith, ad Tinæ ostium, sive Thinmouth, *vocat Camdenus in Brigantibus post ea, quæ habet de Cumbria: ubi de hujus valli sive muri Pictici cognomento, ejus structore, ac materia, etc., disserit: eumque exhibet in mappa Northumbriæ Comitatus, seu Ottadinorum; uti et Joannes Speedus in Theatro Britanniæ lib. 1, cap. 2.*

p *Alfordus ad an. 635, num. 23,* Hoc eodem, *ait,* tempore Haugustaldense monasterium surrexisse putatur, in eo nimirum loco, ubi olim Romani Axelodunum posuerunt, et episcopi paulo posterius sedem. *Est vero* Axelodunum, oppidum Ottadinorum in Britannia magna, nunc Hexham vicus Angliæ Borealis in Comitatu Northumbriæ ad Tinam fluvium, et XIV milliaribus Anglicis a Novocastro distans in occasum, *inquit Baudrandus. Plura dabit Camdenus in Ottadinis.*

q *Inferius num. 39 habemus ex Beda,* eum jam cum Domino regnare *etc. Dicamus ergo, quæ hic a monachis facta dicuntur, non facta esse in refrigerium animæ ejus in cœlesti requie collocandæ, sed in gratiarum actionem pro ea jam ibidem collocata.*

r *De Bernitiis ac Deiris, duobus Northumbriæ provinciam incolentibus populis, actum in Commentario num. 3. Plura Alfordus ad an. 547, cui regni Northumbriæ principium innectit.* D

CAPUT II.

Sancti studium in propaganda apud suos Christi fide, opera pia; apostolici labores ac dotes Aidani episcopi.

CAP. III. Sanctus in Anglia promovet Christi fidem annisu Aidani ep.,

Idem ergo Oswaldus mox ut regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratia imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis barbaris jam ceperat, misit ad majores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis Sacramenta cum his, qui secum erant, militibus consecutus erat, petens, ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum, Dominicæ fidei dona disceret, et susciperet Sacramenta. Neque aliquanto tardius, quod petiit, impetravit. Accepit namque pontificem Aidanum, ut jam dictum est, summæ mansuetudinis, ac pietatis magnique moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamvis non plene secundum scientiam. E

qui non in omnibus sapit secundum prudentiam.

13 Namque diem Paschæ Dominicum more suæ gentis, cujus sæpius mentionem fecimus *a* a quartadecima luna usque ad vicesimam observare solebat. Hoc etenim ordine Septentrionalis Scotorum *b* provincia, et omnis natio Pictorum illo adhuc tempore Pascha Dominicum celebrabat, æstimans se in hac observantia sancti ac laude digni patris Anatolii *c* scripta secuturam, quod * an verum *d* sit, peritus facillime cognoscit quisque. Porro gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, jam dudum ad admonitionem Apostolicæ Sedis Antistitis, Pascha canonico ritu observare didicerunt. Venienti igitur ad se episcopo rex locum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi *e*, ubi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus, accedente ac recedente reumate *f*, bis quotidie instar insulæ maris circumluitur undis: bis renudato littore contiguus terræ redditur. F

* *Edit. utraq. addit quidem*

S. Oswaldus cooperatur in salutem animarum,

14 Hujus itaque verbis atque admonitionibus humiliter ac libenter Rex in omnibus auscultans, Ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter ædificare, ac dilatare curavit: ubi pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut evangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse Rex suis ducibus, ac ministris, interpres verbi existeret cœlestis, quia nimirum tam longo exsilii sui tempore *g* linguam Scotorum jam plene didicerat. [O *h* celebrem Regem, in omnibus suis actis laudandum, prædicandum, imitandum! Huc, huc David cœlestis cytharista veniat, huc Rex egregius properet. Hic namque ante arcam Domini cytharam percutit, saltat, nudus jocatur, inversum obambulat; alter vero ab ore episcopi verbum Domini suscipiens, plebi ministrat. Uterque vero in utroque comparandus est, quanquam quidem diversi meriti habeantur.]

operibusque piis operam dat.

15 Exin cœpere plures per dies de Scotorum regione venire Britanniam *, atque illis Anglorum provinciis, quibus Rex regnavit Oswaldus,

A dus, magna devotione verbum fidei prædicare, et credentibus gratiam baptismi, quicumque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Constituebantur * ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum * populi gaudentes. Donabantur munere regio possessiones, et territoria ad instituenda monasteria. Imbuebantur præceptoribus Scotis parvuli Anglorum, una cum majoribus studiis, et observatione disciplinæ regularis. Nam monachi erant maxime, qui ad prædicandum venerant; monachus ipse episcopus Aidanus, utpote de insula, quæ vocatur Hi *i*, destinatus, cujus monasterium in cunctis pene Septentrionalium Scotorum, et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, jam dudum monachis *k* Scotorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperint.

* Edit. Basil. in Britanniam
* Basil. et Cantabr. Construebantur
* Edit. Basil. addit Dei

CAP. V. *Aidani virtutes*,

16 Ab hac ergo insula ad provinciam Anglorum instituendam in Christo (uti jam sæpius præmissum est) missus est Aidanus, accepto gradu
B episcopatus. [Monet igitur tempus, locus, persona, de vita, deque virtutibus tanti viri aliquid dicere *l*, aliquantulumque meritis illius immorari, licet videamur a cœpta oratione paululum digredi. Nam laus tironis tum maxime extollitur, cum præceptor in ejus laudis præconio honoratur. Imo vero præceptor laude præconioque illius exaltatur, cum tiro ipsius præconio insignis redditur. Exstitit igitur idem Aidanus maxime virtutis vir, toto annisu studens, ut præclara verba honestis factis impleret.] Unde inter alia vivendi documenta, saluberrimum abstinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit: cujus doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam vivebat cum suis, ipse docebat. Nihil enim hujus mundi quærere, nihil amare curabat. Cuncta, quæ sibi a regibus vel divitibus seculi donabantur, mox pauperibus, qui occurrerent, erogare gaudebat.

l

apostolici labores,

17 Discurrere per cuncta et urbana et rustica loca, non equorum dorso, sed pedum incessu vectus, nisi major forte necessitas compulisset, so-
C lebat, quatenus ubicumque aliquos vel divites vel pauperes incedens aspexisset, confestim ad hos divertens, vel ad fidei suscipiendæ sacramentum, si infideles essent, invitaret, vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynam, operumque bonorum executionem et verbis excitaret et factis. In tantum autem vita ipsius a nostri temporis segnitia distabat, ut omnes, qui cum eo incedebant, sive attonsi seu laici, meditari deberent, id est, aut legendis Scripturis, aut psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius et omnium, qui cum eo erant, ubicumque locorum devenissent. Et si forte evenisset, quod tamen raro evenit, ut ad convivium Regis vocaretur, intrabat cum uno clerico, aut duobus, et, ubi paululum reficiebatur, acceleravit citius ad legendum cum suis, sive ad orandum egredi *.

* Edit. Basil. exivit.

ac præclara exempla:

18 Cujus exemplis informati tempore illo religiosi quique viri ac feminæ consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione Quinquagesimæ Paschalis, quarta et sexta sabbathi, jejunium ad nonam usque horam protelare. Nunquam divitibus honoris sive timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat; sed aspera illos invectione corrigebat. Nunquam * potentibus seculi pecuniam excepta solummodo esca, si quos hospitio suscepisset, unquam dare solebat, sed ea potius, quæ sibi a divitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in usus pauperum, ut diximus, dispergebat, vel ad redemptionem eorum, qui injuste fuerant venditi, dispensabat. Denique multos, quos pretio dato redemerat, redemptos postmodum suos discipulos fecit, atque ad sacerdotalem usque gradum erudiendo atque instituendo provexit.

AUCT. D. DROGONE
* Edit. Basil. et Cantabr. Nullam.

qui in salutem Anglorum,

19 Ferunt autem, quia cum de Scotorum provincia rex Oswaldus antistitem postulasset, qui sibi suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primo alius vir austerioris animi; qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit patriam *, * atque in conspectu * seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eo quod homines essent indomabiles, et duræ mentis ac barbaræ. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti, quam petebat, salutem esse; sed E non recepto, quem miserant, prædicatore dolentes. Tum ait Aidanus (nam ipse concilio intererat) ad eum, de quo agebatur, sacerdotem: Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, et non eis juxta Apostolicam disciplinam, primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora, et ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent.

* Edit. Basil. in patriam,
* Ibid. et Cantabr. conventu

alteri ad hoc ministerium minus idoneo suffectus fuit.

20 Quo audito, omnium, qui considebant, ad ipsum ora, et oculi conversi, diligenter quid diceret, discutiebant, et ipsum dignum esse episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos, et indoctos mitti debere decernunt: qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus: sicque illum ordinantes, ad prædicandum miserunt. Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum et cæteris virtutibus ornatus apparuit.

CAP. VI.
* Edit. utr. addit reverendissimi
F
* Ibid. add. omnipotenti

Hujus igitur * antistitis doctrina rex Oswaldus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cœlorum sperare didicit; sed et regna terrarum, plusquam ulli Majorum suorum, ab eodem uno * Deo, qui fecit cœlum et terram, consecutus est. Denique omnes nationes, et provincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas, id est, Britonum et Pictorum, Scotorum, et Anglorum divisæ sunt, in deditionem accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus (quod mirum dictu est) pauperibus et peregrinis semper humilis, benignus et largus fuit.

ANNOTATA.

a *Vide quæ habet Beda lib. 2, cap. 2; cap. 4 ac 19; et lib. 3, cap. 25.*

b *De Scotici, circa observationem Paschæ, erroris causa, progressu ac fine agitur apud nos tom. II Junii, pag. 190 et seqq. Ubi invenies, quod errantes Scoti, initio insontes, deinde culpabiles, postea pertinaces; non tamen hæretici fuerint.* Cæterum ut quæstio sit mota de tempore Paschæ, adversus eos, qui de Scotia venerant, *inscribitur caput 25 libri 3 apud Bedam.*

c *Non dubito, quin hic indicetur ille Anatolius, de quo (occasione Sancti synonymi episcopi, quem dedimus tom. I Februarii ad diem tertium) S. Hieronymum lib. De illust. Ecclesiæ Scripto-*

AUCT. D. DROGONE

Scriptoribus cap. 73, ita tomo citato, pag 357, induximus scribentem : Anatolius Alexandrinus, Laodiciæ Syriæ episcopus, sub Probo et Caro imperatoribus floruit : miræ doctrinæ vir fuit in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica : cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod super Pascha composuit, et decem libris de Arithmeticæ institutionibus, intelligere possumus. *Plura de eo narrat Eusebius Ecclesiasticæ Historiæ lib. 7, cap. 32.*

d *Verum hoc non esse, conficitur ex iis, quæ Colmano, auctoritatem Anatolii alleganti respondet S. Wilfridus, de quo infra, ita loquens apud Bedam lib. 3, cap. 25 :* Constat...Anatholium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum : sed quid vobis cum illo, cum nec ejus decreta servetis? Ille enim in Pascha suo regulam utique veritatis sequens, circulum novemdecim annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum a tota Christi Ecclesia custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Paschæ Dominicum decimam quartam lunam computavit; ut
B hanc eadem ipsa die, more Ægyptiorum decimam quintam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem vicesimam diem Dominico Paschæ annotavit, ut hanc, declinata eadem die, esse vicesimam primam crederet. Cujus regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquotiens Pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertia decima luna facitis.

e *Insula parva est Angliæ adjacens in mari Germanico, et in ora Northumbriæ; de qua diximus ad diem 20 Martii, pag. 93. Hanc cave confundas cum insula Farna seu Farne; quæ* semper marinis *(verbis utor Polydori Vergilii in Anglica Historia lib. 4)* circumdatur aquis; cujus circuitus vix mille continet passus. Igitur cum Lindifarnis bis in die, recedentibus marinis undis, adiri pedibus possit, uti supra expositum est; alia omnino insula est a Farne. Quæ res etiam nunc trahit multos in errorem, ut credant, Farnem esse, quam olim Lindifarnem dicebant. Ab initio tamen utrique insulæ Farnis nomen fuit. Verum postea hæc a Lindo amne, qui ad eum locum per subter-
C raneos meatus, ita in Oceanum erumpit, ut non videatur, nisi cum mare decreverit, Lindifarnis dicta est, et illi vetus vocabulum remansit.

f Rheumate *rectius scribit editio Bedæ Cantabrigiensis; Græce ῥεῦμα, id est, fluxus.*

g *Ab anno nempe 617 usque ad 634; secundum Commentarium num. 4.*

h *Quæ hic, et infra uncis* [ ] *clauduntur, sunt locutiones biographi nostri, prout monui in Commentario num. 55.*

i Hydestinatus *cum mendose in editione nostra Basileensi Bedæ, tum in impressis exemplaribus, uti observat Alfordus ad an. 635, num. 15, quæ Baronio, Harpsfeldio, Stapletono, Thomæ Demstero præluxere. Insula vero* Hy *alio nomine* Jona; *nunc autem a suo incola et apostolo S. Columba vulgo vocatur* Columbkil, *id est,* Cella Columbæ. *De illa insula videri potest Alfordus ad an. 565, num. 2.*

k *Indicatur S. Columba cum sociis, qui ibi cellam seu monasterium construxit celeberrimum. Plura suggeret tomus noster II mensis Junii, pag. 180.*

l *Editiones nostræ ambæ legunt :* Ab hac ergo insula, ab horum collegio monachorum, ad provinciam Anglorum instituendam, in Christo missus est.

CAPUT III.

Manus Sancti a corruptione immunes; religionis Catholicæ propagatio; virtutes; obitus, et consecuta hunc miracula.

Denique fertur, quia * tempore quodam, cum die sancto Paschæ cum præfato Aidano episcopo consedisset rex Oswaldus ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus, regalibus epulis refertus, et jamjamque essent manus ad panem benedicendum mittendæ *, contigit intrasse subito ministrum ipsius, cui suscipiendorum inopum cura erat delegata, et indicasse Regi, quia multitudo pauperum, undecumque adveniens, maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a Rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, sed et discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso, pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, et ait : Nunquam inveteraverascat hæc manus. Quod et ita juxta votum benedictionis ejus provenit. *Manus S. Oswaldi, eleemosynis intentæ,* * *Ibid.* missuri E

22 Nam cum, interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cætero essent corpore resectæ; contigit, ut hactenus incorruptæ perdurent *a*. Denique in urbe regia *b*, quæ a regina quadam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in ecclesia Sancti Petri servantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Hujus industria Regis Deirorum et Bernitiorum provinciæ, quæ eatenus ab invicem discordabant, in unam sunt pacem et velut unum compaginatæ in populum. Erat autem neptis * Eaduini regis ex sorore Leba *; dignumque fuit, ut tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate et religionis heredem et regni. *a corruptione immunes servantur.* a b * *Ibid.* nepos * *Ibid.* Acha F

23 [Non solum autem Oswaldus rex gloriosissimus suæ gentis sollicitus fuit; verum etiam aliarum gentium, quæ sub extero jure regum erant constitutæ, volens omnes ad cultum unius veri Dei, veræque religionis tramitem adducere, quapropter suos ecclesiasticos nuntios ad amicissimos sibi reges mittebat, ad fidei suæ lumen provocans; tum vero litteris, tum autem regiis xeniis animos eorum sedulo alliciebat. Nonnunquam per se, suique præsentiam eos monebat, uti religionem suam pio quidem animo amplecterentur, Deoque omnipotenti colla submitterent; eo victores hostium gloriose existerent; in quo sperare, sive inniti, veram semper victoriam esse affirmabat. Unde unum de multis exemplum ponemus. Et id quidem sufficiat tam gloriosa facta tanti Regis gentibus.] Suo * in tempore, gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur, regnante Cynigilso * *c*, fide in Christi suscepit, hortante ad eam ipsam Oswaldo sanctissimo rege, ac prædicante illis * Byrino *d* episcopo, qui consilio* Papæ Honorii venerat Britanniam *, promittens quidem se, illo præsente, intimis ultra Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum; unde et jussu ejusdem Pontificis per Astrium * *e*, Genuensem episcopum, in episcopatus consecratus est gradum. *Curat religionem Catholicam apud alios extendi :* CAP. VII. * *Ibid.* Eo tempore * *Ibid.* Cynigilso c * *Ibid.* additur verbum d * *Ibid.* cum consilio e

24 Sed * Britanniam veniens *, ac primum Gevisso-

A Gevissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est, ibi potius verbum Dei prædicare, quam ultra progrediens, eos quibus prædicare deberet, inquirere. Itaque evangelizante illo in præfata provincia, cum rex ipse catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum, ac victoriosissimum regem Northanimbrorum Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro exeuntem suscepisse, ac sic accidisse pulcherrimo prorsus ac Deo digno consortio: nam cujus erat filiam accepturus in conjugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. Donaverunt autem ambo reges eidem episcopo civitatem, quæ vocatur Dotyuca * *f*, ad faciendam inibi sedem episcopalem.

* *Edit. Basil.* in Britanniam
* *l* Astertum *Britanniæ regis, quem de sacro fonte susceperat, filiam ducit uxorem.*
* *Edit. Basil.* Sed in
* *Cantabr. perveniens*
* *Edit. utr. Dorcinca*

f

Laudatur a virtutibus:

25 [At idem Rex insignis virtutibus, Christique præclarus athleta, Spiritu Sancto regente omnes actus ipsius, semper in melius proficiebat, de virtute in virtutem ibat, ut mereretur assequi quod sequitur: Videbitur Deus deorum in Sion. Dein usque actu suo, tum autem mente * quatuor virtutes, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam amplexabatur, et quasi quoddam sanctum justumque, per quas acquiritur cœlum, B aditur Deus, præ se ferebat: tum autem memoriæ quasi charissima pignora fixas tenebat. Semper denique bonus, pius, mansuetus bonis habebatur: ferus vero, asper, et velut arrogans impiis videbatur, ut bonitas illius bonis, et asperitas, uti videbatur, impiis prodesset. Verum id quidem norma justitiæ tenet, ut blandiantur et hortentur justi exemplo, miti verbo, bono opere; injusti quoque deterreantur aspera invectione. Sic utique actus suos, sic mores, sic vitam instituit, ut sibi, et omnibus prodesse optaret. Haud possunt omnia scripto prosequi, quibus vigebat, quibusque Rex juvenis versans in hoc corpore, nunc opere, nunc animo exercendo studebat. Quapropter properandum nobis est ad illius martyrium *g*, quod pro fide sua, suæque gentis salute suscepit, quo Princeps omnium regum digne pro meritis tam optimum Regem insignivit.]

* *Rub. Val.* usquequaque acta suo succrescente

CAP. IX. *mortem obit,* *h*

26 Regnavit igitur Oswaldus, Christianissimus rex decem *h* annis [in cunctis bonis operibus virtutum sese exercens, quæ jam prædiximus, seu C quibus quemque decet Christianum debere exerceri.] Quo completo annorum curriculo, occisus est, commisso gravi prælio, ab eadem pagana gente, paganoque rege Merciorum Penda *i* (a quo et prædecessor ejus Eadwinus peremptus fuerat) in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maserfeld *k*, anno ætatis suæ trigesimo octavo, die quinto mensis Augusti *l*. [Verumenimvero claret, manifestumque habetur de illo, quod in Salomone legitur: Raptum esse hunc, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Raptus enim juvenis est, ut talis necdumque vix etiam mediæ ætatis, a Deo coronaretur, qui continuum et puer et juvenis famulatum ipsi exhibuit.] Cujus quanta fides in Deum, quæ devotio mentis fuerit, etiam post mortem miraculis virtutum claruit. Namque in loco, ubi pro patria dimicans, a paganis interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum, et hominum et pecorum celebrari non desinunt.

quam varia

27 Unde contigit, ut pulverem ipsum, ubi corpus ejus in terram corruit, multi auferentes, et in aquam mittentes, suis per hæc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata exinde terra fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum, in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viveret, infirmis ac pauperibus consulere, et eleemosynas opem ferre * non cessabat. Et multa quidem in loco illo de * pulvere loci illius, facta virtutum miracula narrantur; sed nos * tantum, quæ a Majoribus audivimus, referre satis duximus. Non multo post interfectionem ejus exacto tempore, contigit, ut quidam equo sedens, iter ageret juxta illum locum. Cujus equus subito lassescens constitit *, caput in terram declinare, spumas ex ore dimittere, et, augescente dolore nimio, in terram cœpit ruere.

AUCT. D. DROGONE

* *Edit. utr.* eleemosynas dare, opem ferre
* *Edit. utraque* vel de
* *Ibid. additur* duo
* *Ibid.* lassescere, consistere

consecuta sunt in ejusdem loco

28 Desiluit eques, et tramite subtracto, cœpit exspectare horam, qua aut melioratum reciperet jumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum gravi dolore diu vexatum cum diversas in partes se torqueret, repente volutando devenit ad illum locum, ubi Rex memorabilis occubuit. Nec mora, quiescente dolore, cessavit ab insanis membrorum motibus, et consueto equorum more, quasi post lassitudinem in diversum latus vicissim sese volvere, statimque exsurgens, quasi sanus E per omnia vireta herbarum avidius carpere cœpit. Quo ille viso, ut vir sagacis ingenii intellexit, aliquid miræ sanctitatis huic loco, quo equus est curatus, inesse, et, posito ibi signo, non multo post ascendit equum, atque ad hospitium, quo proposuerat, accessit.

29 Quo dum adveniret, invenit ibi puellam neptem patrisfamilias longo paralysis morbo gravatam. Et cum familiares domus illius de acerba puellæ infirmitate, ipso præsente, quererentur, cœpit dicere ille de loco ubi caballus suus esset curatus. Quid multa? Imponentes eam carro, duxerunt ad locum, ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormivit parumper, et, ubi evigilavit, sanam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua, ipsa lavit faciem, crines composuit, caput linteo cooperuit, et cum his, qui se adduxerant, sane pedibus incedendo, reversa est.

miracula.

ANNOTATA.

a *Hanc a seculo* VII *usque ad* XVII, *corruptioni obnoxiam non fuisse, probat Commentarius prævius, num. 19 et seqq.* F

b Urbs regia olim Debba seu Bebba (utramque scriptum reperio) a nomine cujusdam reginæ dicta est, *inquit Polydorus Vergilius Anglicæ Historiæ lib. 4, ex Beda;* postea, *uti subdit,* cum in ea Northumbrorum reges sedem haberent, Regiam civitatem appellarunt. Erat sita in dextera insulæ ora, quæ ad Orientem spectat, contra Farnem insulam, distantem circiter duo millia passuum ab ea. Hodie nulla exstant urbis vestigia: solum sita est eo loci arx, quæ an id temporis condita fuerit, vel postea, est omnino incertum. Hanc Angli nunc Bamburgum vocant.

c *Factum illigat anno 635 Alfordus ad illum annum.*

d *Acta ejus illustrabuntur ad diem 3 Decembris, quo refertur in Martyrologio Romano. Interim de ejus morte, controversia de corpore, ac de miraculis ejus Alfordus ad an. 650.*

e *Hunc apud Ughellum non invenio tom. IV Ital. sacræ col. 1157 inter episcopos Januenses; sed ibi est hiatus incipiendo a Paschasio usque ad Joannem I; quorum ille anno 440; hic autem 680 vixisse, ibidem indicatur.*

f Nos, *ait Alfordus ad an. 635, num. 37,* locum illum sedis appellamus hodie Dorcestriam, quæ

AUCT. D. DROGONE

quæ in Dobunis est, et Oxoniensi Comitatu. Tunc enim ager ille Westsaxonum regibus parebat, qui postea ad Mercios transivit. Quod autem a Beda dicitur: Ambo reges donaverunt locum illum; arguit, Oswaldum etiam in occidentem, supremum aliquod imperium habuisse.

g *Illud confirmari in Commentario num. 39.*

h *Imo vero proprie* octo; *ab anno nempe 634 ad 642; improprie autem novem, annumerato nempe anno illo, de quo diximus in Commentario prævio, num. 15; cujus annumerationis ratio pluribus ibidem exposita est num. 3.*

i *Is, postquam exstinxisset Edwinum et* Oswaldum; *nec non Sigebertum, Egricum, et Annam; hos quidem tres Orientalium Saxonum; illos vero duos Northumbriæ reges; tandem contra Oswium dimicans, loco primum, dein vita cessit. Hæc et plura dabit Alfordus ad an. 655, cui mirabilem illam victoriam innectit.*

k *Locum hunc explanat Commentarius num. 15.*

l *Huc faciunt, quæ ibidem dixi eodem num. 15.*

CAPUT IV.

Alia quædam prodigia; translatio ossium; maligni spiritus abacti.

CAP. X. *Alia quædam* * *Ibid.* Eo

Eodem * tempore venit alius quidam de natione Britonum, ut ferunt, iter faciens juxta ipsum locum, in quo præfata erat pugna completa, et vidit unius loci spatium cætero campo viridius ac venustius, cœpitque sagaci animo conjicere, quod nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quod ibidem sanctior cætero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de pulvere terræ illius secum, illigans in linteo, cogitans, quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem pulvis proficeret. Et pergens itinere suo, pervenit ad vicum quemdam vespere, intravitque domum, in qua vicini cœnantes epulabantur, et receptus a dominis domus, resedit et ipse cum eis ad convivium, appendens linteolum cum pulvere, quem attulerat, in uno poste parietis. C

prodigia,

31 Cumque diutius epulis atque ebrietati vacarent, accenso grandi igne in medio, contigit, volantibus in altum scintillis, culmen domus, quod erat virgis contextum, ac fœno tectum, subitaneis flammis impleri. Quod cum repente convivæ terrore confusi conspicerent, fugerunt foras, nil ardenti domui jamjamque perituræ prodesse valentes. Consumpta ergo domo flammis, postis solummodo, in quo pulvis ille inclusus pendebat, tutus ab ignibus, et intactus remansit. Qui visa virtute, mirati sunt valde, et perquirentes subtilius, invenerunt, quia de illo loco assumptus erat pulvis, ubi regis Oswaldi sanguis fuerat effusus. Quibus patefactis, ac diffamatis longe lateque miraculis, multi per dies locum frequentare illum, et sanitatum ibi gratiam capere sibi suisque cœperunt.

CAP. XI. *Translatio ossium*

32 Inter quæ nequaquam silentio prætereundum reor, quid virtutis et miraculi cœlestis fuerat ostensum, cum ossa ejus inventa, atque in ecclesiam, in qua nunc servantur, translata sunt. Factum est autem hoc per industriam reginæ Merciorum Ostridæ *, quæ erat filia fratris ejus, id est Oswinges * *a*, qui post illum, regni apicem tenebat, ut in sequentibus dicemus. Est monasterium nobile in provincia Lindissi, nomine Beardanige *b*, quod eadem regina cum viro suo Aedelredo * *c* multum diligebat, venerabatur, excolebat, in quo desiderabat honoranda Patrui sui ossa recondere. Cumque venisset carrum, in quo eadem ossa ducebantur, incumbente vespere, in monasterium præfatum, noluerunt ea, qui erant in monasterio, libenter excipere; quia etsi Sanctum eum noverant, tamen quia de alia provincia ortus fuerat, et super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequebantur. Unde factum est, ut ipsa nocte reliquiæ allatæ foris permanerent in tentorio, tanto majore signo supra carrum, in quo inerant, extensæ *d*. Sed miraculi cœlestis ostensio, quam reverenter hæ suscipiendæ a cunctis fidelibus essent, patefecit.

D

* *Edit. Basil.* Offridæ. *Cantabr.* Osfridæ.
* *Edit. Basil.* Osuuini. *Cantabr.* Oswin.
b
* *Edit. Basil.* Adiiredo.
* *Cantabr.* Æthilredo.
a
d

33 Nam * ea nocte columna lucis, a carro illo ad cœlum usque porrecta, omnibus pene ejusdem Lindissæ provinciæ locis conspicua stabat. Unde, mane facto, fratres monasterii illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, ut apud se eædem sanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Lota * igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc præparaverunt, atque in ecclesia juxta honorem congruum posuerunt. Et ut regia Viri sancti persona memoriam haberet æternam, vexillum ejus super tumbam auro et purpura compositum apposuerunt, ipsamque aquam, in qua laverant ossa, in angulo sacrarii fuderunt.

cœlitus honoratur
* *Edit. utr.* tota ea nocte

E

* *Ita etiam edit. Cantabr.* Tota *male Basil.*

34 Ex quo tempore factum est, ut ipsa terra, quæ lavacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones, gratiæ salutaris haberet effectum. Denique tempore sequenti, cum præfata regina in eodem monasterio moraretur, venit ad salutandam eam abbatissa quædam venerabilis, quæ usque hodie superest, vocabulo Ædelhild *, soror virorum sanctorum Aedelwini, et Aldwini: quorum prior episcopus in Lindissi provincia; secundus erat abbas in monasterio, quod vocatur Peartaniga *, a quo non longe et illa monasterium habebat. Cum ergo veniens illo, loqueretur cum regina, atque inter alia, sermone de Oswaldo exorto, diceret, quod et ipsa lucem nocte illa supra reliquias ejus ad cœlum usque altam vidisset, adjecit regina, quia de pulvere pavimenti, in quo aqua lavacri illius effusa est, multi jam sanati essent infirmi. At illa petiit sibi portionem pulveris salutiferi dari, et accipiens, illigatum primo condidit in capsella, et rediit.

eaque prosunt

* *Edit. Basil.* Edilhilt. *Cantabr.* Ethilhild.
* Peartaneu *utr. editio*
* *Ibid* a quo

F

35 Transacto autem tempore aliquanto, cum esset in suo monasterio, venit illuc quidam hospes, qui solebat nocturnis sæpius horis * ab immundo spiritu gravissime vexari. Qui cum benigne susceptus, post cœnam in lecto membra posuisset, subito a diabolo arreptus, clamare, dentibus frendere, spumare, et diversis morsibus cœpit membra torquere. Cumque a nullo vel teneri, vel ligari potuisset, cucurrit minister, et pulsans ad ostium, nuntiavit abbatissæ. At illa aperiens januam monasterii, exivit ipsa cum una sanctimonialium feminarum, ad locum virorum, et evocans presbyterum, rogavit secum venire ad patientem.

ad abigendos
* *Ibid. additur* repente

36 Ubi cum venientes viderent multos adfuisse, qui vexatum tenere, et motus ejus insanos comprimere nequaquam conati valebant, dicebat presbyter exorcismos, et quæque poterat, pro sedando miseri furore cogebat *; sed nec ipse, quamvis multum laborans, proficere aliquid valebat.

sua vi
* *Ibid.* agebat.

A lebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem abbatissæ pulvis ille præfatus, statimque jussit ire ministram, et capsellam, in qua erat, adducere. Et cum illa afferens, quæ jussa est, intraret atrium domus, in cujus interioribus dæmoniacus torquebatur, conticuit ille subito, et quasi in somnum laxatus, deposuit caput, membraque in quietem omnia composuit.

malignos spiritus.

37 Conticuere omnes, intentique ora tenebant, quem res exitum haberet, solliciti exspectantes. Et post aliquantum horæ spatium resedit qui vexabatur, et graviter suspirans, Modo, inquit, sanum sentio *: recepi enim sensum animi mei. At illi sedulo sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Qui ait: Mox ut virgo hæc cum capsella, quam portabat, appropinquaret atrio domus hujus, discessere omnes, qui me premebant, spiritus maligni, et relicto * nusquam comparuerunt. Tunc dedit ei abbatissa portiunculam de pulvere illo, et sic data oratione a presbytero, noctem illam B quietissimam duxit, neque aliquid ex eo tempore * nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoste pertulit.

* *Ibid.* sanum sapio.

* *Ibid.* me relicto

* *Edit. Basil.* neque aliquid ex toto

ANNOTATA.

a *Fuit is Ethelfredi e concubina filius, naturalis* S. Oswaldi *frater, nunc a Beda* Oswinus, *nunc* Oswius, *nunc* Osinu, *pro varia exemplarium lectione vocatus; auctoribus tamen, ad differentiam illius, qui eodem fere tempore in Deiris regnavit, hunc Oswium, illum Deirorum regem Oswinum communiter appellantibus; uti observat Alfordus ad annum 643; cui Oswii in regendis in Northumbria Berniciis exordium affigit. Videri potest Beda lib. 3, cap. 14.*

b *Est Bardneiense monasterium in agro Lincolniensi; de cujus varia vocabuli inflexione, ac corpore* S. Oswaldi *eo loci translato, egi in Commentario num. 25.* Provincia Lindisti, *quæ hic additur.* est prima ad meridiamam Humbri fluminis ripam, pertingens usque ad mare, *ait Beda lib. 2. cap. 16.*

c S. Ethelredus construxit monasterium de Bar- C deneye :. ubi sepultus est circa annum gratiæ DCCXII, *inquit Monasticon Anglicanum, quod citavi in Commentario prævio, num. 25.*

d *Editio Basileensis ac Cantabrigiensis melius legunt :* Tentorio tamen majore supra carrum, in quo inerant, extenso.

CAPUT V.

Curatæ febres: Sancti apud Deum patrocinium; quidam sanitate corporis et animæ donatus; uti et puer prædictione arcanorum, et fruitione gloriæ cœlestis.

CAP. XII. *Puerulus a febribus sanatur.*

Sequente dehinc tempore fuit in eodem monasterio puerulus quidam longo febrium incommodo graviter vexatus. Qui cum die quadam sollicitus horam exspectaret accessionis, ingressus quidam ad eum de fratribus, Vis, inquit, doceam te, quomodo cureris ab hujusmodi imminente molestia languoris? Surge, ingredere ecclesiam, et accedens ad sepulchrum Oswaldi, ibi reside, et quietus manens adhære tumbæ. Vide, ne exeas inde, nec de loco movearis, donec hora recessionis febrium transierit: tunc ipse intrabo, et educam te inde. Fecit ut ille suaserat; sedentemque cum ad tumbam Sancti, infirmitas tangere nequaquam præsumpsit. Quæ in tantum timens aufugit, ut nec secundo die, nec tertio, neque unquam exinde, eum auderet contingere. Quod ita esse gestum, qui referebat mihi frater inde adveniens adjecit, quod eo adhuc tempore, quo mecum loquebatur, superesset in eodem monasterio jam juvenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculum sanitatis.

AUCT. D. DROGONE

39 Nec mirandum, preces Regis illius, jam cum Domino regnantis, multum valere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno semper laborare ac deprecari solebat. Denique ferunt, quod a tempore matutinæ laudis, sæpius ad diem usque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi sive gratias agendi Domino, semper ubicunque sedens supinas super genua sua *a* manus habere solitus sit. Vulgatum est autem, et in consuetudinem E proverbii versum, quod etiam inter verba orationis vitam finierit. Nam cum armis et hostibus circumseptus, jamjamque videret, se esse perimendum, oravit pro animabus exercitus sui. Unde dicunt in proverbio: Deus, miserere animabus, dixit Oswaldus cadens in terram. Ossa igitur illius translata et condita sunt in monasterio, quo diximus. Porro caput cum manibus et brachiis a corpore præcisis jussit rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi. Quo post annum deveniens cum exercitu successor regni ejus Osuuig, abstulit ea, et caput quidem in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ; in regia vero civitate manus cum brachiis condidit *b*.

Datur ratio, cur Sanctus tantum valeat apud Deum.

b

40 Nec solum incluti fama Viri Britanniæ fines lustravit universos; sed etiam trans oceanum longe radios salutiferæ lucis spargens, Germaniæ *c* simul et Hiberniæ partes attigit. Denique reverendissimus antistes Acca *d* solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Frisonum gentis archiepiscopum Wilbrordum *e* cum suo antistite *f* moraretur, crebro eum audierit de mirandis, quæ ad reliquias ejusdem reverendissimi F Regis in illa provincia gesta fuerint, narrare. Sed et * Hibernia cum presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumorem sanctitatis illius, in ea quoque insula longe lateque jam percrebuisse referebat. E quibus unum, quod inter alia retulit, miraculum præsenti nostræ historiæ inserendum credimus.

Fama ejus in Germania et Hibernia claret. c d e f

* *Edit. utraque addit* in

41 Tempore, inquit, mortalitatis, quæ Britanniam Hiberniamque lata strage vastavit *g*, percussus est ejusdem clade pestis inter alios scholasticus quidam de genere Scotorum, doctus quidem vir studio litterarum; sed erga curam perpetuæ suæ salvationis nil omnino studii et industriæ gerens. Qui cum se morti proximum videret, timere cœpit et pavere, ne mox mortuus ob merita scelerum ad inferni claustra raperetur: clamavitque, cum essem in vicinia positus, et inter ægra tremens suspiria, flebili voce talia mecum querebatur: Vides, inquit, quia jamjamque, crescente corporis molestia, ad articulum subeundæ mortis compellor. Nec dubito, me post mortem corporis *, ad perpetuam animæ mortem rapiendum, atque infernalibus subdendum esse tormentis; quia tempore non pauco inter studia divinæ lectionis, vitiorum

Cuidam corpore et animo infirmo g

* *Edit. utr. addit* statim

AUCT. D. DROGONE

tiorum potius implicamentis, quam divinis solebam servire mandatis. Inest autem animo, si mihi pietas superna vivendi spatia aliqua donaverit, vitiosos mores corrigere, atque ad imperium divinæ voluntatis totam ex integro mentem vitamque transferre.

per Sanctum salus utriusque reddita.

42 Verum novi, non hoc esse meriti mei, ut inducias vivendi vel accipiam, vel me accepturum esse confidam, nisi forte misero mihi et indigno veniam per auxilium eorum, qui illi fideliter servierunt, propitiari dignatus sit. Audivimus autem et fama celeberrima est, quod fuerit in gente vestra rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Oswaldus, cujus excellentia fidei et virtutis, etiam post mortem, virtutum frequentium operatione claruerit, precorque, si aliquid reliquiarum illius penes te habes, afferas mihi, si Dominus per ejus meritum mihi misereri voluerit. At ego respondi: Habeo quidem de ligno, in quo caput ejus occisi a paganis infixum est: et si firmo corde credideris, potest divina pietas per tanti meritum Viri, et hujus vitæ spatia longiora concedere, et ingressu B vitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille, integram se in hoc habere fidem respondebat. Tunc benedixi aquam, et assulam roboris præfati immittens, obtuli ægro potandum. Nec mora: melius habere cœpit ab infirmitate*; multo deinceps tempore vixit, corde et animo conversus *, omnibusque, ubicunque perveniebat, clementiam pii Conditoris et fidelis ejus Famuli gloriam prædicabat.

* *Ibid.* et convalescens ab infirmitate
* *Ibid.* totoque ad Deum corde et opere conversus

LIB. IV. CAP. XIII. *Alius quidam puerulus morbo correptus* *h i k l*

43 Quo *h* tempore rex Edilwalch *i* donavit reverendissimo antistiti Wilfrido terram octoginta septem familiarum *k*, ubi suos homines, qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo Seole seu *l*; quod dicitur Latine Insula vituli marini. Est autem locus ille undique mari circumdatus, præter ab occidente; unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundæ: qualis locus a Latinis peninsula; a Græcis solet Cherronesos vocari. Hunc ergo locum cum accepisset episcopus Wilfridus, fundavit ibi monasterium, ac regulari vita instituit, maxime ex his, quos secum adduxerat, fratribus, quod usque hodie successores ejus tenere noscuntur. In quo tunc monasterio nonnulla cœlestis gratiæ dona spiritualiter ostensa fuisse perhibent: utpote C ubi nuper expulsa diaboli tyrannide, Christus jam regnare cœperat. E quibus unum, quod mihi reverendissimus antistes Acca sæpius referre, et a fidelissimis ejusdem monasterii fratribus sibi revelatum asserere solebat, memoriæ mandare, commodum duximus. Eodem ferme tempore, quo ipsa provincia nomen Christi susceperat *m*, multas Britanniæ provincias mortalitas *n* sæva corripiebat: quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo reverendissimus ac religiosissimus Christi sacerdos, vocabulo Eappa *o*, præfuit, nutu divinæ dispensationis attingeret, multique sive de his, qui cum antistite illo venerant; sive de illis, qui de eadem provincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur; visum est fratribus, triduanum jejunium agere, et divinam suppliciter exorare clementiam, ut misericordiam sibi dignaretur impendere, sive periclitantes hoc morbo, a præsenti morbo liberaret; seu captos e mundo a perpetua animæ damnatione servaret. Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non modico tempore recubans in lectulo jacebat.

CAP. XIV.

44 Cum ergo secunda memorati jejunii ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum hora ferme secunda diei, in loco, in quo D æger jacebat, solum inveniri: cui divina dispensatione subito beatissimi Apostolorum Principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque devotione Sacramenta fidei, quæ susceperat, servans. Salutantes ergo illum verbis piissimis, Apostoli dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad cœlestia regna sumus perducturi. Sed primum exspectare habes, donec Missæ celebrentur, ac Viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul et morte absolutus, ad æterna in cœlis gaudia sublevoris. Clama ergo ad te presbyterum Eappan, et dicito illi: Quia Dominus exaudivit preces vestras et devotionem, ac jejunia propitius aspexit; neque aliquis de hoc monasterio, sive de adjacentibus ei possessiunculis, hac clade moriturus est: sed omnes, qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi a languore, ad pristinam sunt sanitatem recuperandi, præter te solum, qui hodierna es die liberandus a morte, et E ad visionem Domini Christi, cui fideliter servisti, perducendus in cœlum.

ex SS. Apostolis Petro ac Paul intelligit, se ad cœlum esse perducendum, ac pestiferam luem

per merita S. Oswaldi

45 Quod divina vobis misericordia per intercessionem religiosi ac Deo dilecti regis Oswaldi, qui quondam genti Nordan-Humbrorum, et regni temporalis auctoritate, et Christianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, devotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem Rex ad infidelibus in bello corporaliter exstinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in cœlum, et electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus, in quibus Defunctorum est annotata depositio, et invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de seculo.

auferendam.

46 Celebrent ergo Missas per cuncta monasterii oratoria hujus, sive pro gratiarum actione exauditæ suæ deprecationis, sive etiam in memoriam præfati regis Oswaldi, qui quondam ipsorum genti præerat: ideoque pro eis, quasi pro suæ gentis advenis supplex orabat ad Dominum, et cunctis convenientibus ad ecclesiam fratribus, communicent omnes Sacrificiis cœlestibus, et ita soluto jejunio, corpus quoque suis reficiant alimentis.

Quorum veritatem

47 Quæ verba cum omnia vocato ad se presbytero puer narrasset, interrogavit eum sollicitus, quales essent habitu vel specie viri, qui sibi F apparuissent. Respondit: Præclari omnino habitu, et vultu erant: lætissimi ac pulcherrimi, quales nunquam ante videram; neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Unus quidem attonsus erat, ut clericus; alius barbam habebat prolixam: dicebantque, quod unus eorum Petrus, alter vocaretur Paulus; et ipsi essent ministri Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad tuitionem nostri monasterii missi ab ipso de cœlis. Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisivit in annali suo, et invenit, eadem ipsa die Oswaldum regem fuisse peremptum. Vocatisque fratribus, parare prandium, Missas fieri, atque omnes communicare solito more præcepit: simul et infirmanti puero de eodem Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.

eventus comprobavit.

48 Quibus ita gestis, non multo post eadem ipsa die puer defunctus est, suaque morte probavit, vera fuisse verba, quæ ab Apostolis Christi audierat. Sed et hoc verbis ejus testimonium perhibuit, quod nemo præter ipsum, tempore illo, ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi, qui hæc audire potuerunt,

A runt, et ad exorandam in adversis divinam clementiam, et ad salutaria jejuniorum remedia subeunda, sunt mirabiliter accensi. Et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed et in plerisque locis aliis cœpit annuatim ejusdem Regis ac militis Christi natalitius dies celebratione Missarum venerari *p*.

ANNOTATA.

a *Drogo monachus sermone 1* de S. Oswaldo, *de quo Commentarius num. 52, hæc scribit, nescio, ubi reperta :* Orationi namque nocte dieque vacabat, et id quidem ipsa res veritatis indicabat : nam callos in genibus longus precum orationumque fecerat usus : qui siquidem in eisdem genibus inventi sunt, antequam terræ defunctum mandaretur corpus.

b *De Sancti exuviis, earumque translatione consule Commentarium.*

c *Cultum in Germania inferiore ac superiore* B *docebit Commentarius num. 41.*

d *De eo apud nos inter Prætermissos ad diem 19 Februarii : obiisse vero illum die 20 Octobris, ibidem diximus; quo die eum retulit Castellanus inter adjectos ad suum Martyrologium. Gesta ejus collegit Alfordus tom. II locis variis. Elogium vero laudati viri, qui S. Wilfrido in cathedræ Hagustaldensis regimine successit, dabit Beda lib. 5, cap. 21.*

e *De S. Willibrordo , qui Ultrajectensium in Belgio episcopus exstitit, agendum erit cum Martyrologio Romano , ad diem 7 Novembris. Actorum collectionem Alfordus tomo suo secundo inseruit.*

f *Wilfrido nimirum, in editionibus Basileensi ac Cantabrigiensi expresso, Eboracensi episcopo, hujus nominis primo. Vide Bedam lib. 3, cap. 28 ; lib. 4, cap. 12 ac 13; lib. 5, cap. 20.*

g Anno sexcentesimo sexagesimo quarto, eclipsis solis facta... et pestilentia venit, *ait Beda in Epitome Historiæ Anglorum. Matthæus Westmonasteriensis ad istum annum sic scribit :* Eodem anno eclipsis solis facta est, mense Maio, et secuta est mortalitas inaudita. *Henricus Huntindoniensis lib. 3, pag. 333, hæc memorat :* Facta est eclipsis solis die tertio Maii, hora decima diei; quam gravis pestilentia secuta est, Britanniam et Hyberniam magna strage devastans. *Videri etiam potest Beda lib. 3, cap 27.*

h *Hanc historiam, in Drogonis exemplo non repertam, prompsi ex ipso Beda, prout monui in Commentario num. 55.*

i *Rex Australium Saxonum; qui anno 661 fidem Christi suscepit, teste ibi Matthæo Westmonasteriensi. De populi istius conversione Beda lib. 4, cap. 13. Alfordus ad annum dictum num. 8 observat, regem hunc Ethelwolfum sive Ethelwoldum ab aliis appellari.*

k *Beda lib. 4, cap. 13 :* Wilfridus... divertens ad provinciam Australium Saxonum, quæ post Cantuarios ad Austrum et ad occidentem usque ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum septem millium. E

l *Vulgo* Selsey, *peninsula in Sussexia provincia infra Cicestriam. De episcopis Selseiensibus, ac sedis illuc translatione Alfordus ad an. 681, num 6.*

m *Anno 661 conversa est, ex mox dictis lit.* i.

n *Anno 664 secundum supra dicta lit.* g.

o Eopa *vocatur a Matthæo Westmonasteriensi ad annum 661 : ubi et missus dicitur* ad Vectam insulam, qui populum illum prædicando ad fidem converteret veritatis.

p *Quæ ex lib. 4 Bedæ cap. 13 et 14 hic narrantur; ex eo a nobis biographo nostro adjecta esse, monuimus modo e Commentario prævio num 55 ; ubi et obtrectatores conveniuntur.*

Auct. D. Drogone

DE S. VENANTIO EPISC. CONFESS.

VIVARII IN OCCITANIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Sancti cultus; an S. Sigismundi filius; an cœnobita Ordinis S. Benedicti; nonnulla ab ipso gesta in episcopatu; ejusdem duratio.

Sec. VI. Sancti cultus apud Vivarienses hoc die.

V*ivarium, urbs Galliæ in Occitania, Vivariensis provinciæ caput, atque metropoli Viennensi suffraganea, ad Rhodanum fluvium. Viennam inter et Avenionem sita,* S. Venantium, *suum quondam præsulem, sacris hodierna die Fastis accenset, ac publica veneratione prosequitur. De cultu ejus apud Vivarienses, ac miraculis sermo est in Vita, quam edimus; cujus apographo a nostro Henschenio subnotatur* Hymnus ad Matutinum, *qui* sic incipit :

Felix gaude Vivarium ,
Felix exsulta Sudyo *,
Et beatum Venantium
Pari laudetis studio.

* Subdio

Reliqua non adduntur. Apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom. III, pag. 1175, ponitur inter episcopos Vivarienses cum titulo Sancti ; *ubi hæc insuper scribuntur e Vivariensi Breviario :* Ecclesiam Vivariensem XXVII annis revolventibus felici gubernatione rexit; quibus transactis, plenus sanctitate... Nonis mensis Augusti, animam Deo reddidit. *Præcesserat noster Joannes Columbi lib. 2 De rebus gestis episcoporum Vivariensium pag. 193, qui eadem affert. Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum, tom I, ad annum 535 , num.* XLI, Colitur , *inquit* , in Breviario Vivariensi Nonis Augustis. *Noster Jacobus Longueval in Historia Ecclesiæ Gallicanæ, anno 1730, Parisiis Gallice excusa, tom. II, pag. 431, honoratum affirmat die* nona *Augusti ; forte* quia pro* Nonis NONA *legerit. Castellanus hoc die* V *eum adjectis ad suum Martyrologium universale ita* accen- *

AUCTORE J. P.

accenset : Vivarii, S. Venantius episcopus, hujus nominis primus. *Hæc sufficiant ad stabiliendum Sancti nostri cultum.*

An S. Sigismundi, Burgundionum regis

2 *In vita, quam citabam, num. 2, dicitur fuisse* Sigismundi, regis Viennensis, filius; *apud dictos autem Sammarthanos* filius Sigismundi, Burgundiæ regis fuit, ut produnt gesta episcoporum: id enim tantum ex Martyrologio Vivariensi audemus, *aiunt,* affirmare. *Ibidem ex Breviario Vivariensi pater ejus* Sigismundus *memoratur. In eadem sententia est Columbus, de sancto Præsule hæc habens :* Is Sigismundi, regis Burgundionum, sancti patris sanctus filius fuit; *ex Breviario Vivariensi, quod citat. Et pag. 194,* Is, *inquit,* interfuit concilio Epaunensi anno DIX. Ante illud itaque mortuo B. Valerio, iniit episcopatum, neque multum Sigismundo patri supervixisse puto, qui cæsus est a Clodomiro, Clodovei filio, sub annum Christi DXIX : *quando hic nihil non movisse legitur adversus sanctum Antistitem, post peremptos fratres ipsius cum patre, ut, perdita omni familia, securus sibi haberet regnum Burgundionum.* At *Columbum postea super his conveniemus.*

filius fuerit;

3 *Cointius, quem modo allegabam, dissentit ab ista sententia, dum ibidem de Præsule nostro ita enuntiat :* Perperam in Martyrologio Vivariensi perhibetur filius Sigismundi, regis Burgundiæ, *S. Sigismundi, Burgundionum regis, gesta illustravit Henschenius tom. I Maii, ad diem* I *ejusdem mensis, pag. 83 et sequentibus. Tres istius sancti regis filii ibidem nominantur, videlicet* Sigericus, *pag. 84, num. 7 ; ac pag. 87, num. 5. ex novercalibus insidiis, patris jussu occisus. Ibidem pag. 87, num. 9, habemus* Gystaldum *(aliter ab aliis nuncupatum, uti dicitur in annotatis ad illud nomen) ac* Gundebaldum ; *seu, ex annotatis,* Gundebadum : *qui una cum parente Sigismundo, ac conjuge ejus, sub Clodomiro, Francorum rege, in puteum projecti atque interempti sunt. Sed nullum ibi invenio Venantium, prædicti regis filium; nullum alibi apud scriptores, quos ego quidem consului. Unde igitur eum nobis suggerunt et Sancti nostri Vita, et Sammarthani, et Columbus ? E documentis, inquies, num. 2 a me allatis. At dicta imprimis Vita est parvæ fidei, sicut infra ostendam. Utinam majoris sint Martyrologium ac Breviarium ecclesiæ Vivariensis ; de quibus suo etiam loco agam. Quid ergo ; an* S. Venantius *S. Sigismundi, Burgundionum regis, filius non fuit? Fuisse, tunc admittam, quando id ex bonæ notæ documentis didicero. Meas interim difficultates eruditis Vivariensibus solvendas relinquo; quæ plane evanescerent, si, quæ e Columbo protuli supra num. 2 de Clodomiro, qui* nihil non movisse legitur adversus sanctum Antistitem post peremptos fratres ipsius cum patre ; ut, perdita omni familia, securus sibi haberet regnum Burgundionum ; *si, inquam, legi illa constaret in fide dignis monumentis; parum enim vel nihil suadet vagum illud* legitur.

an Ordinis Benedictini

4 *Aliam controversiæ ansam præbet* S. Venantii *Vita, dum num. 2 ita loquitur :* Patrem et matrem reliquit... monasterio se contulit, ibique monachus Deo factus *etc. Et ibidem num. 16 indicatur, quod monachus fuerit. Res non confirmatur modo, sed monasticæ insuper vitæ institutum determinatur in Martyrologio Vivariensi, cujus verba proferuntur apud Columbum lib. citato, pag. 194, et apud Sammarthanos etiam citatos, e quibus verbis hæc delibo :* Venantius monasterium sub regula B. Benedicti in Albavico, in supercilio montis ad Rhodanum ædificatum adiit ; ubi monachus factus *etc. At Columbus Martyrologii istius narrationem continuo castigans,* Vide, *ait,* manifestum errorem. S. Venantius jam Vivariensis episcopus anno DIX interfuit concilio Epaunensi : monachi vero Benedictini eo ipso anno venerunt primum in Gallias, S. Mauro duce. Itaque B. Venantius non potuit ante episcopatum adire monasterium, sub regula B. Benedicti positum in monte Albavici. Deinde quod, seu Benedictinum, seu aliud monasterium reponis Albavici, contra fidem omnium tabularum? Præterea Breviarium Vivariense docet, clericos Vivarienses adiisse Sigismundum regem, et INDE Venantium filium episcopatus OFFICIO SE INDIGNUM CLAMANTEM, INVITUM DEDUXISSE.

5. Quod ita loquitur, non obscure tradit, ut ageret monachum (id enim non habeo, cur asseram, aut negem, etsi alibi tabularum, quam in hoc Martyrologio non legitur) certe Vivarii eum non egisse. Quod ergo affertur super ipsius Benedictino monachatu, falsum est, *Epaonense concilium non anno 509, sed 517 celebratum fuit, secundum dicenda inferius num. 6. Maurus autem discedit Casino in Gallias anno 543, teste Mabillonio Annalium Benedictinorum tom. I, lib. 5, pag. 112 : de qua re consuli etiam potest Præfatio ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti § 5, qui est* De S. Mauri missione in Gallias, deque Benedictini instituti facto per eum accessu. *Quomodo itaque cum his cohæret monastica* S. Venantii *ante infulas episcopales vitæ institutio sub regula S. Benedicti in cœnobio Albavicensi? Jure ergo Cointius supra memoratus* Perperam in Martyrologio Vivariensi perhibetur, *inquit, quod fuerit* monachus Ordinis Benedictini in supercilio montis ad Rhodanum in Alba vico, priusquam Valerio in episcopatu succederet. *Hoc confirmatur ex eo, quod nec* S. Venantium *nostrum in scriptoribus Benedictini Ordinis inter ejusdem professionis alumnos inveniam, nec monasterium prædictum inter ejusdem Ordinis domicilia. An vero* S. Venantius *aliud vitæ asceticæ institutum sectatus fuerit ante episcopatum, cum nihil habeam, vi cujus illud secure negem vel affirmem; liberum cuique suum hac in re judicium relinquo. De* Albavico, *cujus supra incidit mentio, dicetur postea, oblata occasione agendi de episcopis Vivariensibus.*

cœnobita.

Anno 517 concilio Epaonensi subscribit.

6 *Nunc nonnulla Sancti gesta chronologicis calculis innectamus. Annus natalis ac tempus ineuntis ætatis cum me latent, tum ducem non novi, qui ad illorum notitiam mihi viam præmonstret. Quid prohibet tamen, quo minus in earum defectu conjecturis utamur? Vivere igitur cœperit anno circiter 470. Episcopus autem Vivariensis nec cœpit esse post annum æræ vulgaris 517; nec desiit ante annum 535. Non, inquam, post annum 517 sedere cœpit : nam tunc tanquam episcopus Vivariensis subscribit concilio Epaonensi, quod eodem anno 517 habitum est, ex dictis tom. I Maii, pag. 84, num. 6. Quæ huc spectant, pluribus antea deducta fuerant tom. I Februarii in Commentario ad Vitam S. Aviti, episcopi Viennensis, sub cujus, uti et Viventioli, episcopi Lugdunensis directione illud concilium celebratum est. Quia vero prædicti mensis Februarii exemplaria ob raritatem non in omnium, ad quos sequentium mensium tomi deveniunt, manibus versantur, ideo visum est, ista inde huc transcribere, quæ ibidem ita habentur ad diem* V, *§ 4, pag. 665, collectore Henschenio :* Celebrius est concilium Epaonense, ad

A ad quod S. Avitus omnes regni Burgundionum episcopos convocavit, missa epistola encyclica, quæ exstat inter epistolas num. 70, et in notis Sirmondi ad illud concilium. In ea mensis September assignatur huic concilio celebrando anni DXVII, AGAPITO V. C. CONSULE, ut mox patebit.

(circa quem locum

7 De loco major difficultas est. Miræus in Chronico Belgico, et alibi, citato Bucherio, opinatur in monasterio Agaunensi celebratum. Verum PAROCHIAM EPAONENSEM, non monasterium, præscribit Avitus. Deinde LOCUM, OMNIUM FATIGATIONE perpensa, huic conventui opportunum: cum tamen Agaunum ultra lacum Lemanum in angulo minus commodo versus Sedunos sit situm. Sirmondus in notis ad Avitum arbitratur, QUI S. FIRMATI SEPULCHRUM NACTUS FUERIT, A CONCILII FORTASSE LOCO NON ABERRATURUM. Legi in Vita, ILLUM, TURONIBUS RELICTIS, PERVENISSE AD LOCUM, CUI NOMEN EONA SUPER RHODANUM, IBIQUE CONSEDISSE: innuitque, EONAM B AB EPONA DEFLEXISSE. Joannes Columbi *De episcopis Valentinis et Deensibus*, eumque secutus Philippus Labbeus tabella 4 Geographiæ regiæ, assignant Iennam, tenuem modo in Sabaudia super Rhodanum vicum, ubi ingentes domorum ruinæ, quæ toto pene agro reperiuntur, ostendunt, civitatem istic olim non contemnendæ magnitudinis fuisse, et lapides DEÆ EPONÆ INSCRIPTI effodiuntur, certo satis signo, eam aut loco, ubi coleretur, nomen dedisse, aut suum a loco cognomen traxisse. Jam vero ab Epona sive Epaona ad Epienam facilis est deflexio; unde posteriores Iennam seu Iennam excerpserint.

variæ dantur notitiæ)

8 Hic autem locus respectu omnium e toto regno convenientium episcoporum satis opportunus apparet in meditullio situs, imo et in limitibus provinciarum Viennensis et Lugdunensis, quarum metropolitæ SS. Avitus et Viventiolus huic synodo præfuerunt. *Sic ibi. Quibus hæc addi possunt. Longuevallius supra citatus, lib. 5, pag. 337 in nota, facta mentione inscriptionis, de qua dictum, addit, nonnullos criticos credere, quod* Epona *sit dea equorum, quodque* Ep *lingua Celtica equum significet: dici posse, quod* dea Epaona *sit ipsa civitas Epaonensis; notumque esse, quod an-* C *tiqui nonnunquam urbes divinitate donarent, et altaria erecta fuisse in honorem urbis Romanæ. Nunc a loco concilii Epaonensis, ad Sanctum nostrum redeat oratio.*

subscribit; anno autem 535 Claromontano.

9 *Inter episcopos quinque supra viginti, qui isti synodo subscripsere, occurrit vigesimo secundo loco* Venantius in Christi nomine episcopus civitatis *(Ad marginem notatur* Vivariensis sive) Albensium relegi et subscripsi, die et consule suprascripto. *Ita editio Labbeana: Harduiniana vero sic habet:* Venantius in Christi nomine episcopus civitatis Albensium, sive Vivariensis, relegi et subscripsi, die et consule suprascripto. *Vides hic civitatem Albensium ac Vivariensem uni eidemque attribui episcopo; tametsi non unus et idem, sed duplex ac diversus fuerit locus. Alba quippe Helviorum suum habuit antistitem Albensem; cujus episcopali sede ab Auxonio, ibidem episcopo, Vivarium translata. quia civitas Albensis a Wandalis, Croco duce, sub annum 411 erat eversa, contigit, ut et antiquæ et novæ sedis nomen episcopis Vivariensibus adhæserit. Hæc, et plura alia Columbus lib. 1, quem sic auspicatur:* Episcopus qui ab annis mille dicitur Vivariensis, olim appellabatur Albensis. Primum in concilio Arvernico Vivariensem vocatum invenio, etsi novemdecim *(imo 14, secundum mox dicenda)* post annis in Aurelianensi v servavit nomen Albensis. *Et ibidem pag. 176 Albam non esse confundendam cum aliis locis; Vivarium autem nuncupatum fuisse Albavicum: sed Albæ nomen, cui assueverant, præ Albavico prævaluisse, invenies. At nos* Venantii *gesta prosequamur. Inter concilii Arvernensis, anno 535 celebrati, suscriptiones episcoporum, hæc nostri exstat apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 1805:* Venantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vivariensis consensi et subscripsi.

AUCTORE J. P.

Sancti in episcopatu decessor; tempus sedis

10 *Præsulem nostrum infulis Vivariensibus post B. Valerium successisse, habetur ex Vita, quam excudimus; id quod Columbus etiam admittit lib. 2, pag. 195: ponitque ex iis, quæ præmiserat, hunc episcoporum Vivariensium ordinem, sed ex documentorum penuria admodum imperfectum ac confusum, utpote qui fere nihil præter sola nomina contineat. Ita quippe habet:* S. Auxonius sedit Vivarii post annum CDXI. Joannes post eum fuit, tum Melanus *, deinde S. Lucianus, postea S. Valerius ante annum quingentesimum. Ab hujus E morte S. Venantius vixit *ultra* annum quingentesimum vicesimum *(imo ex modo dictis etiamnum vivebat 535.)* Ei successit Firminus, et Firmino Eumachius. Ab isto sederunt alius post alium, Agripius, Ardulphus, Savinus sive Sabinus, Venantius, Longinus, S. Lucianus II, S. Venantius II; S. Rusticus *etc. Vita nostra num. 11, ac Breviarium Vivariense apud Columbum pag. 193, adde Cointium ad annum 535, num. XLI, memorant, Sanctum, cujus hic gesta illustramus, præfuisse Vivariensi ecclesiæ annis 27.*

* An Melanius?

incertum,

11 Cum *autem ex præmissis concilio Epaonensi subscripserit anno 517; neque constet, quot ante illam subscriptionem annis sederit Vivarii, demus sedere cœpisse anno circiter 516; quibus si addas annos 27, quos dicebam, jam habebis annum æræ vulgaris ac mortis ejus 543; annum vero decimum nonum ab obitu S. Sigismundi, mortui secundum ea, quæ habentur apud nos tom. I Maii, pag. 84, num. 7, anno 524, in sententia autem Columbi sub annum 519, prout conficitur ex ejus verbis, quæ supra num. 2 protuli; unde conse-* F *quens esset, ut Sanctus noster parenti suo S. Sigismundo (loquor in sententia Columbi) supervixisset annos 24. Quomodo autem hoc cohæret 10, cum ejus verbis eodem num. 2 citatis, ubi significat, quod non putet,* multum Sigismundo patri supervixisse? *Quomodo 2° cum* Melanio III, *qui apud Sammarthanos pag. 1175 post Firminum, Eumachium I, et Agripium ponitur, et* pro se misit Cantinum archidiaconum ad synodum Aurelianensem v, anno DXLIX *(uti videre est apud Labbeum, tom V Conciliorum, col. 399; et Harduinum, tom. II, col. 1450) vocaturque ibidem* episcopus ecclesiæ Albensis, *id est Vivariensis? Vide, quæ mox num. 9 e Columbo dicebam.*

§ II. Ædes sacræ ac opera publica ab eo curata; annus ac dies obitus; sepultura; corpus; miracula.

De ecclesia Cathedrali S. Vincentii

De *Vivariensis civitatis ædibus sacris cumulatissime* S. Venantius *fuit meritus, si Vitæ ejus scriptori credimus. Nam ibi num. 4 ecclesia princeps, S. Vincentio martyri dicata, ab ipso amplia-*

AUCTORE J. P.

ampliata atque ornata; ea vero, quæ S. Juliani martyris nomen gerit, marmoreis columnis, ac posito lapideo pavimento, nec non aliis ornamentis condecorata. Ibidem num. 5 templum B. Saturnini ac Deiparæ Virginis ab eodem Præsule constructa ac dedicata. Antiquissimam ecclesiæ cathedralis Vivariensis dotationem habes apud Columbum lib. 1, a pag. 181, ante Carolum Magnum, *ait,* exaratam, et a Thoma episcopo *(Vivariensi)* ex antiquissimis chartis exscriptam post annum millesimum centesimum, *adde* quinquagesimum, *mendose prætermissum.*

(cujus hic antiqua designatur) Sanctus bene meretur :

13 *Etenim lib. 3, pag. 210 :* Post Guilielmum, *ait,* Thomas II fuit episcopus. Sedebat anno XIV Conradi II, regis Romanorum. Fuit is Christi quinquagesimus tertius supra millesimum centesimum... episcopus memorandus in paucis. Cum videret omnium ante se præsulum res oblivione semisepultas unis tabulis contineri, quæ appellabantur Charta vetus (et non tantum veteres, ut ipsum nomen præ se fert, erant; sed characteribus exesis et ferme deletis oculos legentium fugiebant) B constituit restituere... Utque sapienter constituerat, perfecit animose et fortiter, atque Politicum (Carolus Calvus vocat Puletum) dixit. Audi præfationem viri : Ego Thomas episcopus exemplavi istud Politicum de aliis vetustissimus chartulis, quas inveni in chartulario S. Vincentii : et nec tertiam partem potui exemplare propter nimiam vetustatem, qua sunt consumptæ, anno XIV regnante domino Conrado rege. Ex isto Politico plurima attuli prioribus libris. Et vero episcoporum seu Albensium, seu Vivariensium, qui ante annum millesimum vixerunt, nulla esset memoria, si Thomas episcopus illud non perfecisset. *Inter sacras reliquias Vivariensis ecclesiæ S. Vincentii apud Columbum pag. 209 notatur nomen* S. Venantii *(nostrine an alterius synonymi?)* ep. Vivar.

uti et de ecclesia S. Juliani, ac de publicis civitatis Vivariensis structuris.

14 *De ecclesia S. Juliani, apud laudatum auctorem lib. 2, pag. 194, ista reperio :* Augustissimæ ædis Sanjulianæ nullum est vestigium. Tamen cum nuper juxta cognominem ædiculam semirutam vites ordine ponerentur, et alia sunt effossa, et a puriore plumbo tubus, magno argumento ædiculam olim excitatam in basilicæ eversæ ruinis : quasi ille tubus sit particula meatuum plumbeorum, C agente S. Venantio deducentium aquas de loco Calefecetus in ecclesiam Sanjulianam. *Verum præter ædes sacras Vivarienses, quibus egregie profuisse Sanctum vidimus; ipsa etiam civitas plurimum ei debet, Antistitis nempe sui munificentiam in publicis structuris non semel experta; auctore biographo. Ipso enimvero referente discimus, quod* S. Venantius *mœnia civitatis collapsa restauravit, num. 6; domibusque et arcibus muniverit, eamque facultatibus ex agrorum redditibus ampliarit, num. 7.*

Tempus ac dies mortis, sepultura,

15 *Sanctus vitæ mortali finem imposuit seculo sexto nondum medio; certe non ante annum 535; ex dictis supra num. 10 : nec post annum 549; ex num. 11. Dies autem obitus incidit in Nonas Augusti, prout conficitur ex iis, quæ præmisi num. 1. Viro interim sancto e vivis sublato, mira refert noster biographus de ejus corpore furtim a Vivariensibus subducto, et ad Subdionenses moniales delato, prout ille quidem vult ac memorat, quem videsis a num. 14. At de illis ipse viderit. Enimvero Columbus lib. 2, a pag. 194 factum aliter narrat, et castigat :* Aiunt sepultum in ecclesia B. Mariæ de Rhodano, quam moniales tum tenerent : et cum vel ab affinibus, vel a cognatis Burgundiæ regibus repeteretur, ab illis impositum navi, ut Lugdunum Rhodano deportaretur, et D cætera quidem facile delatum; sed ubi navis legeret ripam Subdionensem, vi nulla potuisse moveri, attonitis ad insigne portentum mortalibus; atque admirationem auxisse, quod æra campana de se, nemine agitante, sonum pariter omnia subitaneum ac vehementem dedere. Igitur substitisse Subdione venerandum corpus, et monialibus, quæ illud deduxerant, excitatam esse eodem loco domum. Istis, qui volet, adhibeat fidem : ego non facile crediderim, moniales quondam habitasse in B. Mariæ de Rhodano, cum S. Venantius extremum diem obiit. Nullum in veteribus chartis est vestigium de eo monasterio. Tamen est verum, Subdionenses monachas, Valentiam, declinando hæreticorum furori, deductas, habere in æde sua partem reliquiarum S. Venantii, episcopi Vivariensis; et habuisse Subdione integrum fere corpus, quod Calvinistæ barbaro ausu cremaverint. *Interim ex iis, quæ dicam in Annotatis ad Vitæ caput 2, lit. c, videtur consequens, ut ante seculum 11 vel 12 Sancti nostri corpus non habuerint istæ moniales.*

E miracula :

16 *Varia Sancti miracula invenio apud Vitæ Præsulis nostri scriptorem. Illud vero, quod memorat num. 16; quodque occasionem suggesserit corpus sancti Præsulis Vivario ad Subdionenses, uti vult, traducendi, sic paucis datur a Columbo pag. 195,* quod, *uti addit,* in monacharum Subdionensium Breviario legitur. *Sic habet :* Erat quædam nobilis mulier, uxor Gilbii comitis, quæ a vertice usque ad plantam pedis, ita scabiosa prurigine torquebatur, quod se vivere tristabatur, utpote quæ ignitum dolorem patiebatur. Denique quadam nocte cum se sopori dedisset, intimatum est ei in visione (credo angelica admonitione) ut ad ecclesiam, in qua sanctus confessor Venantius requiescebat, iret, si salutem, quam optabat, consequi vellet. *Nec plura apud Columbum. Ex his interim biographi nostri verbis num. 16 :* Erat autem quædam nobilis mulier, uxor Guilermi, comitis Burgundorum, quæ a vertice usque ad plantam pedis, ita scabiosa prurigine torquebatur, quod se vivere tristabatur; *ex his, inquam, biographi verbis collige, tantam intercedere unius cum alio textu affinitatem, ut, si alter ex altero non sit descriptus, uterque certe unam eamdemque scaturiginem sapiat.* F

quorum uni nonnulla incommodant.

17 *Miraculo, quod idem scriptor Vitæ producit a num. 12, nonnulla sunt, quæ incommodent :* Post *Sancti nostri* obitum, *ait,* episcopus quidam nomine Rusticus *... avaritiæ æstibus anhelans, cuncta quæ B. Venantius tam gloriose... peregerat... absque misericordia destruxit... Equus super quem sedere consueverat... quadam die sine ullo ductore ad sepulcrum... Venantii veniens... hinnitus super sepulcrum illius jactans atque lacrymas fundens, mortem domini sui flebat... sed Rusticius in episcopatu peractis novem mensibus, Dei judicio percussus, mortuus est. *Huic, inquam, miraculo incommodat : 1° Quod secundum seriem episcoporum supra datam num. 10, nullus Rusticus adeo prope successerit S.* Venantio, *quam significet illud factum. 2° Rusticus, qui ibidem exstat, ponitur cum titulo Sancti; ut proinde ista narratio ei non conveniat. 3° Erunt etiam, sicut mea quidem fert sententia, qui illud miraculum, spectata ejusdem natura, et adjunctis consideratis, a severiore crisi intactum non sinant.*

* Infra Rusticius

Vita, ejusque scriptor ;

18 *Vitæ apographum, quod præ manibus habeo, hoc titulo prænotatur :* Vita S. Venantii, Vivarien-

A variensis episcopi, et confessoris. *Ad marginem addidit Henschenius :* Ex veteri Ms. cod. P. Petri Francisci Chiffletii. *Auctor est anonymus; et non solum nusquam exprimit suum nomen; sed nullos etiam determinatos ac distinctos temporis, quo scripsit, characteres notat. Quanquam ex his verbis, quæ scribit, num. 18 :* Quoniam scimus (quippe intuitu oculorum nostrorum didicimus) Deum sancti sui Venantii antistitis sanctitatem, in ecclesia, in qua requiescit, quam plurimis miraculis notificasse; dignum est, ut quoddam e multis subtractum oblivioni explicemus... Fuit enim nostris temporibus *etc.; ex his, ut iterum dicam, verbis sequitur, ut non scripserit ante seculum 11 vel. 12. Etenim cum ista ecclesia, in qua requiescere Sanctus dicitur, sit monialium Subdionensium; ut videsis in vita num. 20; cumque* S. Venantii *corpus illuc non fuerit translatum ante seculum 11 vel. 12; sicut observo in Annotatis ad caput secundum lit* c; *his præmissis et admissis, negari non potest, quin auctor, si* B *verum dicat, non scripserit ante secula, quæ designabam.*

Breviarium Vivariense, ac Subdionense.

19 *Animadvertere præterea non piguerit, inveniri indicia in prædicta Vita; unde colligas, quod vel ipsi Breviarium Vivariense, vel huic illa; vel utrique, si neutrum horum contigerit, documentum aliquod antiquius præluxerit. Hujus rei indicium occurrit apud Columbum, pag. 193. Sufficiat hic unum, quod est ibidem pag. 194, ubi ex Breviario Vivariensi recitantur ista :* Ecclesiam S. Juliani martyris, subterpositis marmoreis columnis, ac pavimento, polito lapide constructo, miro construxit ædificio. Nihilominus et baptisterium in ista ecclesia, cum tabulatis et columnis marmoreis, atque cum corona ex plastego desuper in altum deducta, miro fundavit opere. Sub terra vero aquam venientem *etc. Quæ, uti et alia subsequentia si conferas cum textu biographi num. 4; persuasissimum habebis, id, quod modo asserebam, verissimum esse. Simile quid notavi supra num. 16 circa Breviarium Subdionense. Moneo denique, in capita ac numeros, more consueto, a me distributam esse Vitam; varias autem, quæ ad ejus marginem exstant, lectiones e fragmentis Breviarii Vivariensis, quæ excudit Columbus, acceptas.*

VITA

Auctore anonymo, e veteri Ms. codice P. Petri Francisci Chiffletii S. J.

PRÆFATIO.

Deus in Sanctis suis laudatur :

Satis perspicuum est, esse fidelibus utile, ad honorem et laudem Dei, solemnitates Sanctorum celebrare. Quas male celebrat, qui a bonis operibus vacat : eas vero bene celebrat, ac bene Deum in Sanctis suis laudat et honorat, qui in Sanctorum festivitatibus attentius eleemosynis deditus, servat suum sine macula luxuriæ corpus. Et mater Ecclesia attendens exhortationem Sponsi dicentis sibi : Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis; multum lætatur cum Sponsus suus in filiis suis ita, ut dixi, laudatur, et honoratur. Sancti enim Martyres, pro adipiscenda gloria, in hoc mundo vitam suam odientes, ac pro fide Christi, ludibria et verbera et mortem patientes, inde hæc passi sunt, ut et nos (si necesse fuerit) ad exemplum eorum, pro fide et pro æterna beatitudine hæc eadem patiamur. Sancti etiam Christi Confessores, pro Deo, quæ mundi sunt, postponentes; jejuniis, eleemosynis, vigiliisque, et orationibus, atque divinæ contemplationi insistentes, ad commodum fidelium se Domino hostiam vivam obtulerunt. A. ANONYMO.

CAPUT I.

Sancti virtutes, merita de civitate Vivariensi ex ornatu templorum, et aliorum operum structura; obitus.

quos S. Venantius imitatur, primo monachus, dein episcopus Vivariensis.

Beatus itaque Venantius, Sigismundi, regis E Viennensis *a*, filius *b*, cupiens ad istorum gloriosorum Sanctorum perfectionem attingere, commendans memoriæ verba Domini, dicentis : Qui amat patrem suum, vel matrem suam plus quam me, non est me dignus; patrem et matrem reliquit, et mundi gloriam declinans, monasterio se contulit : ibique monachus *c* Deo factus, tota mentis devotione humiliter servivit. Sed vita hujus Viri bonitate adornati, et supra petram, quæ Christus est, consolidati, in brevi, Deo volente, longe lateque notificatur. Igitur post obitum beati Valerii, Vivariensis ecclesiæ episcopi, filii ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ convenientes in unum, unanimiter ac pari consilio gloriosissimum Venantium elegerunt sibi antistitem : nam aures eorum fama sanctitatis ejus attigerat. Quo facto, patrem suum regem Sigismundum adeunt, et ostensa ecclesiæ necessitate, et cleri ac populi electione, nutu Dei impetrant, quod petebant. Inde Dei electum Venantium, moribus honestum, multa benignitate atque sanctitate præclarum, resistentem, et tanto honore tantoque officio se indignum adclamantem, invitum Vivariensi civitate F deducunt. Qui absque mora benedicitur : et cum pastorali virga, ei cura dominici gregis committitur.

a b

Commodis suæ ecclesiæ consulit :

3 Adepto tanto patrono, hujus honoris culmine digno, o quantum clerus et populus lætatur! et merito; nam animadvertit, hunc juvare sanctis monitis ovile sibi commissum, ne occulto aditu diabolus dilaniet gregem dominicum. Beatus autem Venantius sciens, immarcescibili munere supernæ largitatis illos cumulari, qui zelo summi judicis ferventes, sacro-sanctæ Ecclesiæ commodis inhiant, ac veluti bonæ indolis filii jussum servantes, necessitati illius inserviunt; cum primum ad supradictam civitatem venit, ante omnia commodis suæ ecclesiæ invigilare studuit. Quapropter sollicitudo mentis ejus, eum omnino dormire ac quiescere nequaquam sinebat : qui sponsam, quæ sibi a Deo data fuerat, vetustis pannis atque scissis inhoneste vestitam videbat. Sed ut digne posset jungi tali Viro, intendebatur ille intus rectitudinis zelo, qui foris omnia festinabat reædificare ab integro. Ille ergo venerabilis procurator, confidens in Domino, ad patrem suum Sigismundum regem gloriosissimum concitus rediit, adjutorium petiit, et suæ ecclesiæ inopiam innotuit; atque quid

A. ANONYMO.

quid sibi in animo sederet, ei evidentissime notificavit. Qui cum hæc audivit, superna pietate commotus, impendere non distulit quæcunque ad tam sanctum opus illi sanctus Vir devotissime quæsivit. Omnem quippe fisci usum libentissime ei tribuit, quem circumquaque suæ civitati propinquum esse scivit.

ædes sacras Vivarienses ornat :

4 Quo adepto, præsul Venantius longius differre noluit, quæ in animo antea agendum tota intentio deliberavit. Monstravit etenim deinceps in opere, quod intus occultabatur in voluntate. Nequivit pro certo amplius abscondi, quod in eo operabatur dilectio Dei et sponsæ. Ecclesiam denique matrem Vivariensis civitatis Sancti videlicet Vincentii martyris Christi, multiplicando ampliavit, et ornatu meliorando honestissime sublimavit. Nam prius caput urbis ædificando studuit exaltare, ut corpus totum firmius atque honestius potuisset stare. Sciebat etenim Christi Confessor, quia si caput languidum atque destructum esset, totum corpus deforme ac infirmum remaneret : ideoque B prius incepit in capite, ut cætera melius securiusque muniendo valuisset constituere. Quo decenter peracto, ecclesiam quoque Sancti Juliani martyris, subtus positis marmoreis columnis, ac pavimento polito lapide constructo, miro construxit ædificio. Nihilominus et baptisterium in ipsa supra memorata ecclesia, cum tabulatis et columnis marmoreis, atque cum corona ex plastego *d* desuper in altum reducta *, miro fundavit opere : sub terra vero aquam venientem, in ipsam ecclesiam, de eo loco, qui vulgo Qualefecetur * nuncupatur, deduxit : quam et per meatus plumbeos in altum respirans etiam æneus cervus in medio stans evomebat.

d

* *Al.* deducta

* *Al.* Calefecetus

lucens virtutis exemplo, alias ibid. condecorat ac dedicat .

5 Jam iste evidenter lucebat in aperto, qui antea jacebat in occulto. Nequaquam pro certo talis lucerna sub modio poni, neque indeficiente oleo exstingui poterat, quam verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, benignissime illustrabat. Bona scilicet opera modis omnibus operabatur Venantius, qui seipsum præbens omnibus exemplum, non suam sed Christi laudem quærebat; ne in die judicii, Domino dicente, audire mereretur : Amen dico tibi, C recepisti mercedem tuam. Denique potius affectabat totis viribus cordis, æternam mercedem ab ipso Domino adquirere, quam humanis favoribus cor apponere : ut posset cum Domini verbis concordare : Ego gloriam meam non quæro. Sed ne videamur interponere plura, redeamus ad ipsa beati Venantii opera. Ecclesiam quoque Beati Saturnini, et Beatæ Mariæ Genitricis Dei Domini nostri, venerabili opere construxit, atque in honore omnium * Sanctorum dedicavit. Plurimum certe Deo placere studuit, qui Trinitatis veneratione, trinum opus sanctum tam bene atque perfecte operari voluit.

* *Al.* horum

ac mœnia collapsa restaurat civitatis ;

6 Sed neque sanctæ intentioni illius ad integrum sufficere potuit, quod templa Dei tam venerabiliter, ut dictum est, construxit; nisi etiam suis civibus, in civitatis mœnibus, quæ valde demolita habebantur, prodesse integerrime potuisset. O pastor bone! o pastor venerande, qui munis gregem tibi subjectum divino et terreno munimine! Firmas eum interius exemplis, sanctisque monitis; exterius vero magnis ædificiis : ne lupus, videlicet malignus spiritus, caulis fidelium insidians, aliquam ovium latendo subripiat, atque secum dilaniando in præcipitium ducat. Nescis enim fugere, aut mutando locum, aut populo tibi commisso subtrahendo solatium : sed ascendis ex adverso, atque opponis te murum pro D domo Israel, ut stare possit in prælium in die Domini.

quam domibus etiam et arcibus, nec non redditibus ampliat :

7 His descriptis, jam dicamus, quid operis beatus Venantius fecit suis civibus. Domibus denique et arcibus suam civitatem eleganter, firmiterque munivit : facultatibus quoque plurimis, ex agrorum redditibus valde ampliavit : et (ut ita dicam) de nomine parvi castri, composuit mœnia urbis ædificio multiplici. Quo facto apertissime claruit, quid et quantum omnibus prodesse voluit. In utroque etenim divino scilicet atque humano desudare non renuit, quatinus majus præmium a Domino consequi potuisset.

clericos constituit et alit.

8 Ut vero ad perfectum stabilitatis deduceret quod incepit in ecclesiis, quas in Dei, et in supradictorum Sanctorum honore, devota mente ædificavit, ad psallendum etiam clericos constituit : et qualiter ad vescendum quotidie convenirent, qualique modo, et quibus stipendiis ordine viverent, scriptum dereliquit, non immemor E legis præcepti, quod Moyses dixit : Non alligabis os bovis triturantis. Ipse quoque Dominus in Evangelio ait : Dignus est operarius mercede sua. Item alibi : Qui altari servit, de altari participet. Quamobrem his aliisque plurimis pius procurator Venantius exemplis instructus, procul dubio sciebat, quod divinum officium regulariter, ut expedit, perfici nequiret, si Dei ministris victus, ac vestimentum, cæteraque corporis usibus necessaria defuissent : ideoque Dei adjutorio tentavit, omne ducere ad integrum, ut diuturno tempore potuisset stare ac perseverare firmum.

Odio habens ea, qui sunt mundi [illegible]

9 Beatus igitur Venantius omni laude dignissimus, atque mira sanctitate præclarus, cunctis diebus vitæ suæ, quæ scivit operando, cœlestia præmia adipisci concupivit. Nolebat etenim mundum diligere, quem pro certo videbat diu stare non posse. Præcepta quoque Apostolica in animo firmiter posuit, quibus nos admonendo Dominus ait : Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt : quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Mundum namque nimium diligit, qui in ejus voluptatibus intentus, per eum, quem amando tenere putavit, futurum præmium amittit. Plus est quippe necessarium, de futura F vita sollicita mente cogitare, et diem extremum judicii jugiter præ oculis habere, quam istum mundum, fugitivum diligere.

virtutes varias exercet ;

10 Istum diem tremendum sanctissimus antistes Christi Venantius in mente tota intentione habebat; qui ut cum agnis, videlicet cum justis, ad dexteram poneretur, omne quodcunque habere poterat, indigentibus, videlicet cæcis, claudis, mutis, leprosis, atque paralyticis, benignissime, et largissime distribuebat : ac semetipsum in omni sanctitate exemplum benignitatis et humilitatis omnibus præstabat. Talentum namque, quod a Redemptore nostro accepit, abiens in terra non suffodit, sed illud secundo multipliciter ampliavit : et super pecuniam, quam a Domino suo accepit, fidelis servus et dispensator exstitit, ut laudari ab ipso in æterna remuneratione promereretur.

quibus ornatus, post regimen annorum 27 obit.

11 Multis itaque beatus Venantius miraculis atque bonis operibus præclarus, omnibus verbo et exemplo gratissimus, ad Domini sui gaudium cum multiplicato talento, securus de æterna retributione rediit; qui, dum vixit, terrena et caduca despexit, cœlestia tota intentione adipisci curavit. Sed ne amplius in longum sermonem trahamus, ad finem citius veniamus. Constructa igitur Vivariensi civitate, tam honorifice, ut dictum est, ecclesiam

A ecclesiis Sanctorum splendide ac mirifice compositis, psallentium choris prærdinatis, ecclesiam Vivariensem viginti septem annis *e* revolventibus felici gubernatione rexit. Quibus transactis, plenus sanctitate, atque dignus omni laude, Nonis, mensis Augusti, sanctam animam altissimo Creatori, cum jubilatione Angelorum, atque omnium Sanctorum feliciter reddidit.

ANNOTATA.

a *Viennensem urbem seculo 5 regni Burgundionum principem esse factam; sed eo rerum statu Clodovei armis labefactato, ejusque filiorum victoriis everso, Francis paruisse usque ad tempora Ludovici Balbi, legimus.*

b *An talis fuerit* S. Venantius *discutit noster Commentarius num 2.*

c *Monachus Benedictinus non exstitit secundum dicta ibid. num 4.*

d *Id est,* plastico. *Ea autem ars plastica dicitur* B *(Græce πλαστική) quæ ex argilla vel creta, rerum similitudines fingit et exprimit.*

e *Chronologicas quasdam, circa annos episcopatus difficultates, habes ibid. num 11.*

CAPUT II.

Sepultura, translationes, ac miracula.

Res mira post Sancti obitum

Locuti sumus superius de vita confessoris Christi atque pontificis Venantii, et iis, quæ tam gloriosissime (ut supra jam ostensum est) gessit; multis ob oblivionem prætermissis. Unum miraculum, quod Dominus noster Jesus Christus per Servum suum, post ejus discessum ostendere dignatus est, ad illius sanctam memoriam repetere curavimus. Corpus enim latet, sed merita nequaquam latere queunt. Quoniam Dominus in Evangelio dixit: Nihil opertum, quod non reveletur; et occultum, quod non sciatur, servorum suorum merita latere non sinit; sed evidenter pandit, ut cognoscant omnes, quia quem ex tota mente sua dilexerunt, et cujus præcepta servaverunt, ipsius pietate manifestantur, ut ab omnibus digne venerentur. Beatus igitur Venantius a Deo digne manifestari, et ab hominibus venerari promeruit, qui dilectionem Dei et proximi habuit. Itaque post illius obitum, episcopus quidam natione Romanus, nomine Rusticus *a* surrexit, qui avaritiæ æstibus anhelans, cuncta quæ beatus Venantius tam gloriose, ut præmonstratum est, peregerat; canonicorum videlicet, sive monachorum, ac feminarum regulam destruens, omniaque bona illius acta commaculans, substantiam quoque clericorum ac omne stipendium illis subtrahens, cuncta (prout potuit) absque misericordia destruxit, et sibi omnia appropriavit.

cum confusione Rustici ep., ab equo patrata,

13 O magnum malum! o acutissimum telum diaboli, avaritia! o crimen pessimum, ac veneniferum, avaritia! quæ inclinat ad malum regum corda, et subvertit recta judicia. Tuo enim instinctu Rusticius (ut ita dicam, opere et nomine rusticus) turpiter et lacrymabiliter destruxit, quod sanctitas et pietas juste et religiose ædificavit. Quid plura? Equus, super quem sedere consueverat, cum ipse Rusticius eum graviter suis oneribus affligeret; quadam die sine ullo ductore ad sepulcrum gloriosi pontificis Venantii veniens, et quasi accusationem de Rusticio, a quo talia patiebatur, faciens, hinnitus super sepulcrum illius jactans, atque lacrymas fundens, mortem domini sui flebat, et multis gemitibus mirabiliter plangebat. Sed Rusticius in episcopatu peractis novem mensibus, Dei judicio percussus, mortuus est. Unde Deus sit benedictus per omnia, contra quem non est consilium, nec ulla prudentia: qui æquali examine dispensans cuncta, reddit injustis supplicia, justis vero digna præmia.

A. Anonymo.

Corpus honorifice sepultum. b

14 Qualiter autem venerabilis Viri corpus, Domino annuente, Subdionensi *b* monasterio, in honore beati Joannis Evangelistæ dedicato, translatum atque datum sit, utile duximus, prout veri dixerunt fidelibus patres nostri, et filii a patribus nostris didicimus, nostrorum posterorum memoriæ apicibus litterarum commendare. Postquam enim sanctus Pontifex, diuturna afflictione castigato corpore, atque in Dei servitutem redacto, migravit a seculo; sancta ejus anima ab Angelis in cœlum deducitur, et corpus sanctum E sepulturæ honorificæ traditur. Sed Deus quantum servum suum dilexerit, qui ei humiliter servivit, multis et evidentissimis miraculis declaravit. Namque innumerabiles ægri ad sepulcrum ejus venientes, quacunque infirmitate detinebantur, omnes sani et incolumes ad propria revertebantur; Deum in sancto suo Venantio laudantes et glorificantes.

fertur in eccl. B. V. Mariæ ac S. Saturnini; ac dein alio:

15 Itaque clerus et populus tanta Dei miracula cernentes, corpus sancti Præsulis in ecclesiam, quam in honore beatæ Mariæ, atque sancti Saturnini ipse fabricaverat, transtulerunt: et super terram in quodam sarcophago, tamen non satis diligenter posuerunt. Post hæc autem, incuria atque negligentia cleri ac populi, tradita oblivioni debita diligentia Sancti Dei, vix ullus emeritus honor impendebatur ei. Quod quia divinam notitiam non latuit, Dominus suo justo judicio decernit, et jubet Vivariensibus auferre; et præpedientibus peccatis eorum, ad aliam patriam transferre: quod et ita factum est.

ac tandem in monasterium Subdionense; c

16 Erat autem quædam nobilis mulier, uxor Guilermi Comitis Burgundorum *c*; quæ a vertice usque ad plantam pedis ita scabiosa prurigine torquebatur, quod se vivere tristabatur. Ipsa F vero multa in oblationibus Sanctorum, et plurima in remediis medicorum expendens ad salutem sui corporis; tamen nihil sibi profuit. Quid plura? Nocte sequenti cum se sopori dedisset, intimatum est ei in visione angelica, ut ad ecclesiam, in qua sanctus Confessor Domini requiescebat, iret, si salutem, quam optabat, assequi vellet: ipsius enim intercessionibus, a Domino salutem assequi nullo modo dubitaret; et adepta salute, ossa beati Episcopi, Domino jubente, in Subdionense monasterium, in ecclesiam sanctarum virginum secum deferret: quatinus monachus monialibus, et virgo virginibus Dei, patrociniis, et orationibus subveniret. Igitur expergefacta benedixit Dominum, a quo credidit sibi dari tam salubre consilium. Post hæc autem sumptis idoneis comitibus, carpit iter, quod mandaverat ei Dominus. Et veniens ad ecclesiam, in qua requiescebat sanctus Venantius, ejus precibus accipit beneficia salutis, ut prædixerat ei Dei Angelus.

Deo ibidem beneficiis Sanctum suum honorante.

17 Adepta itaque corporis sanitate, quod ineffabili Dei misericordia, atque intercessionibus beati Venantii nunc tandem reddita sit pristinæ sanitati, sociis vocatis in unum, ejus consolationem eis indicat: et post hæc, quid post susceptam salu-

A. ANONYMO.

salutem, de corpore sancti Viri ei in visione edictum sit facere, palam eis notificat. Qui socii audientes, repleti inenarrabili gaudio, referunt gratias Deo, et beato Venantio confessori, persuadentes dominæ, quod ei edictum est in visione, quantocius volumus perficere. Igitur intempestæ noctis silentio, civibus oppressis nutu Dei a fallaci somno, sarcophagum detegunt; corpusque Sancti simpliciter atque cum summa reverentia accipiunt; et ad prædictum locum a Deo præfinitum, et demonstratum, quam citissime deveniunt. In quo loco, tanti Patroni orationibus præstantur multa ac mira beneficia: et ad declarandam Servi Dei sanctitatem, fiunt ibi orationibus ejus multa et præclara miracula, quæ mens et lingua narrare non sufficiunt.

Paralyticus Romæ non sanatus, d

18 Quoniam scimus (quippe intuitu oculorum nostrorum didicimus) Deum sancti sui Venantii antistitis sanctitatem, in ecclesia *d*, in qua requiescit, quam plurimis miraculis notificasse; dignum est, ut quoddam e multis subtractum oblivioni explicemus, et codici memoriæ commendemus: fuit enim nostris temporibus *e*, de B confinibus Lothariensis regni quidam vir nobilis ac præpotens, Guillermus nomine: qui aliquando præpedientibus peccatis suis, inferioribus corporis membris dissolutus paralytica ægritudine, adjunctis cruribus retro in natibus; in tantum, ut potius massa rotunda, quam homo rectus diceretur: et nisi vectatus cum rotulis ligneis, ambulare non poterat. In tanta ergo difficultate ægritudinis, accepto consilio fecit se deferri per ecclesias Sanctorum, quos in faciendis miraculis audierat, et credebat majoris esse meriti: donec Romam ad sanctum Petrum Principem Apostolorum tandem pervenit; si ejus, et aliorum Sanctorum suffragiis mereretur a tantæ infirmitatis nexibus liberari. Sed Dei providentia ei ad præsens, quod optabat, concedere noluit; ut ejus patientiam in tribulatione probaret, et amici sui Venantii merita per eum populis manifestissime reseraret. Reversusque ad propria, fatigatus tantum, et non liberatus; proposuit in corde suo, se non amplius causa impetrandæ salutis, procul suffragia Sanctorum petiturum: quia multos adierat, et nihil tamen concessum sibi fuerat.

divino monitu

C 19 Dum igitur quadam nocte in grabbato curvo sopitus requiesceret; apparuit ei quidam vir corusca facie, ornatus vestimentis albis, cum baculo pastorali, cum quo gregem dominicum gubernaverat, et eum tali voce dulcissima exhortans, dixit: Guillerme, surge, pergensque Lugdunum recto tramite, et inde quærendo, tene viam juxta ripam Rhodani usque ad basilicam sancti Venantii; si vis liberari ab hac pestifera ægritudine. Ille vero mane expergefactus est, cum hanc visionem irritam et veluti falsam prorsus existimaret; secundo, et tertio divina miseratione de salute sua admonitus est. Unde constat non esse dubium, quod et nutu Sanctæ Trinitatis hoc esset sibi nuntiatum. Quid plura? Adhuc quidem dubitans, dominicis mandatis obedire nolebat; quia propter infinitam pecuniam, quam consumpserat, laborem, quem toleraverat eundo per Sanctorum D limina, formidabat. Tandem tamen consilio procerum, et familiarium suorum, quibus ipse hanc causam revelaverat, mandata executus, directo calle usque Lugdunum, atque inde juxta Rhodani fluvium, ad præfatam basilicam non suis pedibus, sed alienis manibus deportatus progreditur. Ibi autem, nescio an quia multa loca ditiora viderat, æstimans sancti Venantii virtutem secundum loci ecclesiæ quantitatem, vix cohortatione sociorum, causa orandi dignabatur introire ecclesiam.

ad Sanctum confugiens, miro modo sanatur.

20 Commoratus illic per aliquos dies, cum quadam die solemnis Missa rite a virginibus celebraretur, suasu sodalium suorum iterum ad ecclesiam bajulatur. Cum igitur Missæ introitus inciperetur, visum sibi fuit, quod tota ecclesia coruscantibus flammis a summo usque deorsum impleretur: et per medios ignes quidam vir formosus ab altari descendens, eumque per dexteram accipiens, taliter eum alloquebatur, dicens: Surge citius. Ad hoc verbum, quod languore fugiente revertebatur sanus; non solum crepitus nervorum in suum pristinum flatum redeuntium, sed etiam calceamenta pedum dirupta, et per ecclesiam palam E omnibus prosilientia testabantur. Inde illo saliente, cum totus populus, qui convenerat solemnitati, admirando lætaretur, totus chorus in laudem ejus, qui hoc fecerat, merito sancti Venantii, cœpit intonare: Te Deum laudamus.

Aliis miraculis coruscat.

21 Unde noverint universi Christiani, quod omni die, ad honorem excellentissimi Conditoris, et meritis confessoris Christi Venantii, multis mortuis vita reddita fuit, mutis loquela, surdis auditus, cæcis visus, morbus caducus curatus, leprosi mundati, dæmoniaci a potestate diaboli expediti: et multa alia quæ enarrare non possimus. Unde illum qui tot et tanta miracula per servum suum Venantium operatur, laudemus et glorificemus nunc et semper, per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Nostras circa hunc observationes habes in Commentario num. 17. Supra vocatur* Rusticus *et* Rusticius. F

b *Lucis aliquid huic loco accedit ex dictis num. 15.*

c *Al.* Gilbii, *ex Comm. prævio num. 16. Guilielmos, Burgundiæ comites, qui vixerint seculo 11 et 12, invenio apud Andream Chesnium in Historia regum, ducum ac comitum Burgundiæ; de quonam hic agatur, nescio; cum nomen uxoris ejus non exprimatur. Hinc interim, si vera narrat Vitæ hujus auctor, videtur esse consequens, ut ante dicta secula, Sancti corpus ad Subdionenses non fuerit translatum.*

d *Subdionensium videlicet monialium; secundum dicenda numero 20.*

e *Temporibus seculi 11 vel 12, scriptoris hujus Vitam antiquiorem non esse, indicavi in Commentario num. 18. Vide etiam, quæ modo dixi lit. c.*

DE

D

DE S. ABELE EPISC. CONFESSORE
IN LAUBIENSI CŒNOBIO IN HANNONIA

SYLLOGE HISTORICA

J. P.

§ I. Cœnobium Laubiense, Sancti elogium, patria; monachatus Laubiensis; argumenta pro Remensi ejus archiepiscopatu.

ANNO CIRCITER DCCL AUT DCCLX. Notitiæ cœnobii Laubiensis

Clara adeo et distincta cœnobii Laubiensis in Hannonia, Ordinis S. Benedicti institutum profitentis, jam pridem apud nos data fuit notitia, ut necesse non sit, plura iis, quæ alias de illo diximus, nunc superaddere. Etenim tom. I Februarii, die IV, pag. 498, S. Ulgisus, istius loci abbas, ansam præbuit, exhibendi situm ejus, variam nominis expressionem, fundationem, locupletationem, seriemque primorum abbatum. Occasione autem S. Amulwini, ejusdem asceterii moderatoris, tom. II Februarii, die VII, pag. 82, recurrit memoria istius cœnobii, ac primorum abbatum ejus. Inter alios autem istius loci ascetas egregium sibi locum vindicat S. Abel; qui utpote eumdem incoluit, virtutum illustravit exemplis, ac sancta morte. Viri ante omnia ideam præmitto ex elogio ejus apud Saussayum hoc die V Augusti, his verbis concinnato:

B

subditur Sancti elogium

2 Laubiis in Belgio depositio S. Abel, Remensis archiepiscopi et confessoris. Is natione Scotus, studio amplificandæ fidei in Galliam Belgicam Spiritus Sancti afflatu transmeavit: abbasque Laubiensis factus, irradiante doctrinæ ejus cœlestis et sanctitatis undique patentis gloria, suggerente beato Bonifacio, Germaniæ apostolo, Pipinoque et Carolomanno, Francorum principibus, a Zacharia Papa pallium accepit cum archiepiscopi titulo, ut ipse, archiepiscopi Remensis, in cujus provincia negotium augendæ religionis procurabat, majori auctoritate partem officii exequeretur. Nec frustra: adeo enim graviter susceptum ministerium implevit, ut apostolico plane spiritu prædicans, infideles innumeros ad suave Christi jugum pertraxerit, præcipuusque fuerit Leodiensium et Hannoniensium in Evangelio pædagogus.

C

ex Saussayo.

3 Quamobrem beato Rigoberto, metropolita Remensi, cujus fuerat chorepiscopus, e carnis ergastulo ad gloriam æternam evocato, non sine omnium applausu in ejus locum suffectus est: Remensemque ecclesiam annis fermo decem, magna cum virtutum episcopalium laude gubernavit. E qua tamen in odium solidæ pietatis et justitiæ expulsus, Laubium repetiit, celebre, quod prius rexerat, cœnobium: illicque rursus ad Belgicæ gentis illuminationem, stadium intendens, post multa animarum lucra, e stadio mortalitatis excessit; proque meritorum fœnore, æternam, ad quam diu anhelaverat, adeptus est beatitudinem. Mox vero sacros honores consecutus, ea veneratione, qua Cœlites in Ecclesia coluntur, cœpit celebrari, duplici festo condecoratus: nempe ordinationis, quæ recolitur nono Kalend. Octobris, et depositionis, quæ hodie solemnis est, ut ecclesiasticæ tabulæ testantur. Hactenus Saussayus At varia circa hoc elogium notanda se offerunt: quæ examinabuntur in decursu hujus Sylloges.

Annuntiationes in sacris fastis:

4 Recte imprimis Saussayus cum titulo Sancti annuntiat Abelem nostrum; quem utique plurimi tum ante tum post illum hagiologi eodem honore donarant. E monasticis sunt Wion, Dorganius, Menardus: quorum primus ita eum memorat hoc die: Laubiis, natalis sancti Abel, archiepiscopi et confessoris. Hic exemplo primi martyris, Domino in cordis simplicitate servire statuens, plurimis argumentis justus comprobatus est. Iisdem fere verbis utitur Dorganius: Menardus vero sic brevissime: Laubiis, natalis S. Abel, episcopi Remensis, et confessoris. Præcesserat Trithemius De Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib. 3, cap. 298; ubi inter alia dicitur vir in divinis Scripturis valde eruditus, et multarum virtutum ornatu decorus. Et ibid. lib. 4, cap. 118, morum honestate singulariter insignis, ad ecclesiasticum regimen assumptus, tam sollicite et sancte præfuit ovibus Christi, ut in Sanctos referri meruerit. Quibus adde Bucelinum in Menologio Benedictino, et Mabillonium Actorum Ord. S. Benedicti sec. 3, part. 1, pag. 568, in appendice. Verum quid opus est recentioribus inhærere testimoniis, quando Fulcuinus in Spicilegio apud Acherium editus tom. VI, a pag. 541; qui et monasterium Laubiense incoluit, et abbas rexit, et Chronicum ejusdem edidit, sanctitatis titulo ipsum condecorat, sicut infra dicetur? Monasticis in Sanctorum honore Abeli tribuendo consentiunt varii alii auctores, ad hunc diem, nimirum Molanus in additionibus ad suum Usuardum editionis secundæ, et in Natalibus Sanctorum Belgii; Miræus in Fastis Belgicis; Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis: quibus accedit Castellanus in suo Martyrologio universali. Molanus loco utroque citato, Laubiis eum annuntiat; in editione autem priore Binchii illum signarat: ubi etiam ipsum annuntiat hoc die Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Sed utrilibet loco ipsum adscribi posse, patebit infra. Nunc aliis, quæ Viri sancti gesta illustrant, colligendis insistamus.

E

F

5 Natione Scotus est Saussayo, ut vidimus; est etiam talis Cointio infra citando, ad annum 745, num. XCVII; Bucelino natione Germanus: Fulcuino Scottus genere; Alfordo autem Anglus: qui ad annum 745 agens de tertia Bonifacii synodo, seu Moguntina (de qua nos infra num. 22) et illis, qui eidem interfuerunt, ex epistola S. Bonifacii ad Heresfridum, quam producit ibid. num. 18, estque inter Bonifacianas decima, patriam S. Abelis istam fuisse probat. Ex dicta epistola hæc delibo: Nos octo episcopi, qui ad unam synodum convenimus, quorum nomina subter annotavimus... de eadem Anglorum gente nati et enutriti: (Quanquam Serarius in notis ad istam

patria:

AUCTORE J. P.

istam epistolam, In exemplaribus, quæ vidi, *ait,* omnibus desunt ea nomina.) *Quia vero synodo illi interfuisse traditur inter alios præsules* S. Abel, *secundum dicenda inferius num. 22 ; ideo videtur standum conclusione Alfordi, qui loco citato num. 19 hæc scribit :* Ex his litteris collige, episcopos omnes, qui regem *(Merciorum Ethelbaldum ; de quo eodem num. 22)* admonendum censuerunt; non solum ex hac insula prodiisse, hic natos et nutritos esse ; sed ex eadem cum Bonifacio gente Anglorum. Unde qui Abelem Scotum vocaverunt, in tenebris illud, non in Bonifacianis litteris, et luce invenerunt. Non ergo mirum, si auctores impegerint ; præsertim cum Bonifacius ipse a quibusdam Scotus appellatur.

monachatus apud Lobienses :

6 *Quod Sanctus noster monasterii Laubiensis asceta fuerit, constat ex laudato Fulcuino cap. 5; ubi de S. Ermino ibidem abbate sic loquitur :* Habuit etiam et cooperatores sive successores ejusdem loci gubernatores, et coabbates, sanctum utique Abel, Scottum genere, et sanctum Wilgisum, episcopum, et dominum Amulguinum
B æque episcopum ; qui utrum sibi vicissim successerint ; an S. Ermino spiritualibus occupato rebus, locum in commune tractaverint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen, locum Lobiensem eos et tenuisse, et gubernasse ; sed et pro opportunitate temporum, locum meliorasse. *Mabillonius Annalium Benedictinorum tom. II, lib. 21, pag. 103, num.* XXXVI *de laudatis Laubiensis monasterii viris illustribus, S. Ermini, seu, ut ipse scribit, S. Erminonis abbatis collaboratoribus agit inter ea, quæ narrat ad annum 737. Ex his liquet, Sanctum nostrum monachum fuisse in cœnobio Laubiensi. An autem vere ac proprie eidem abbas præfuerit, examinabitur, postquam prius indagatum fuerit, num exstiterit Remensis archiepiscopus.*

dignitas archiepiscopi Remensis

7 *Fulcuinus, cap. 7,* Remis, *ait,* nuper cum fuissemus, et cum viro venerabili, et illarum partium eruditissimo Adalberone archiepiscopo confabularemur ; inquirentibus nobis originem ejusdem urbis, et in ea episcoporum successiones, probatis ejusdem civitatis pontificalibus gestis, pro opportunitate temporis satisfecit. In quibus videlicet gestis inventum est, quod in eadem civitate
C Abel quidam fuerit episcopus, qui in ea plura vel acquisierit, vel ordinaverit. Finis vero ejus quis fuerit, scriptor gestorum ejus aut nescivit, aut omnino tacere voluit. Nos collatis undecunque numeris *, hunc eumdem Abel, et nostrum fuisse, et Scottum, et episcopum, facili ratione probavimus. Sed quia scriptori ejus incertus exstitit finis, longinquitas forte fecit itineris, et viri religiosi voluntaria privatio, et amor patriæ cœlestis. Dixit etiam episcopus supra nominatus prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter Missarum solemnia in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ supra dipthyca dicitur, et in consecratione Dominici corporis solemniter agitur, quotidie in aurem presbyteri, recitante silenter subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur episcoporum ; satisque mirari se, quod in ea commemoratione iste non inveniatur : quod, ut conjicimus, idcirco actum est, ut ipse vacanti sedi jam antea episcopus jussus sit aliquantisper insidere ; ut * pro amore Dei voluntaria cessione sponte catalogum illum repudiasse. Nam hæreticum illum in hoc non est credere, quod hæreticis non resistere, idem pene sit, quod favere, et tot tantique viri tunc temporis non sinerent, tale quid

* *Al.* recitatus undecunque temporum numeris

* *l.* at

serpere : quin imo ind[illegible] scriptis publicis, sive D
ad præcavendam sive ad confutandam hæresim libera insequerentur auctoritate, Domino terribiliter interminante : Maledictus, inquit, qui prohibuerit gladium suum a sanguine. Nec fieri potuit, ut eos, quorum mente in cœlis erat conversatio, Ursmarum dico, et Erminum, non nisi imitaturus expeteret, cum ab ipsis recipi non potuit, nisi probatus, et ipse antea in castris Dominicis fuerit exercitatus. *Hactenus Fulcuinus, qui seculo* X *vixit.*

variis argumentis

8 *Flodoardus, presbyter et canonicus ecclesiæ Remensis, Fulcuino synchronus, in ejusdem ecclesiæ Historia lib. 2, cap. 16, pluribus argumentis episcopatum Remensem* S. Abeli *nostro asserit, sic loquens :* Beatum Rigobertum secutus Abel in episcopatus ordine reperitur, quamvis eum quidam corepiscopum * tantum fuisse tradant. Pontificem tamen illum exstitisse, diversis invenimus assertionibus, et maxime in epistolis Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium directis, in quarum una commemorat, indicasse prædictum beatum Bonifacium suis litteris inter cætera, quod tres episcopos E
per singulas metropolitanas urbes ordinasset; id est Grimonem in civitate, quæ dicitur Rodomus * : secundum vero Abel, in civitate, quæ dicitur Remorum : tertium denique Hartbertum in civitate, quæ dicitur Senonis : « Qui et apud nos (inquiens) » fuit, et tua nobis pariter, et Karlomanni » atque Pippini detulit scripta, per quæ suggessisti, ut tria pallia iisdem tribus prænominatis » metropolitanis dirigere deberemus, quod et largiti » sumus pro adunatione et reformatione ecclesiarum Dei. »

* *Sirm.* chorepiscopum

* *Sirm.* Rothomagus

S. Abeli

9 Item in alia ipsius ad eumdem epistola : « De » episcopis vero metropolitanis, id est Grimone, » quem nos jam compertum habemus ; Abel, sive » Hartberto, quos per unamquamque metropolim per provincias constituisti, hos per tuum » testimonium confirmamus, et pallia dirigimus ad » eorum firmam stabilitatem et Ecclesiæ Dei augmentum, ut ita meliori proficiat statu. Qualiter » enim * mos pallii sit, vel quo modo fidem suam » exponere debeant hic *, qui pallii uti licentia » conceduntur, eis direximus, informantes eos, » ut sciant quod * sit pallii usus, et subjectis viam » prædicare salutis, ut ecclesiastica disciplina in F
» ecclesiis eorum immutilate servetur, et maneat » inconcussa, et sacerdotium, quod in eis fuerit, » non pollutum, ut antea fuit ; sed mundum » et acceptum Deo esse possit, quantum humana » conditione valet; ita ut nullus reperiri possit » sacris deviare canonibus, et Sacrificium mundum eorum ab eis immoletur : ita ut Deus in » eorum placetur muneribus, et populis Dei purificatis mentibus ex omni squalore, sincerum » exhibere valeant Christianæ religionis officium. » Sed et quædam chartæ ipsius episcopi reperiuntur nomine titulatæ.

* *Al.* etiam

* *Sirm.* ii

* *Al.* quid

tribuenda, asseritur,

10 De quo etiam præfatus Adrianus Papa in præmemorata *(cap. 13)* epistola ad Tilpinum archiepiscopum, post illa, quæ superius præmissa sunt, ita subinfert : « Sanctæ memoriæ Bonifacius archiepiscopus et legatus sanctæ Romanæ » Ecclesiæ, et præfatus amabilissimus Fulradus, » Franciæ archipresbyter, tempore antecessorum » nostrorum Zachariæ, et Stephani successoris illius, multum laboraverunt, ut bonæ memoriæ » prædecessor noster domnus Zacharias pallium archiepiscopo Remensi, Abel nomine, » per deprecationem supra scripti Bonifacii transmitteret, quod * ab illo constitutus fuit : sed

* *Al.* qui

» ibi

» ibi permanere permissus non fuit, sed magis contra Deum ejectus est, et Remensis ecclesia per » multa tempora, et per multos annos sine episcopo » fuit, et res Ecclesiæ de illo episcopatu ablatæ sunt, » et per laicos divisæ sunt; sicut et de aliis episcopatibus, maxime autem de Remensi metropolitana » civitate. » *Hæc apud Flodoardum; cujus textui quæ addita cernis ad marginem, partim ex Colveneriana, quam do, editione, partim ex Sirmondiana accepi. Porro consuli possunt scholia Colvenerii in libri 2 caput 16 Flodoardi. Epistolas, quarum fragmenta num. 8 et seqq. modo citata sunt, habes apud Labbeum Conciliorum tom. VI, col. 1502, col. 1504, ac col. 1789. Ex dictis itaque videtur consequi, ut* S. Abel *cathedræ Remensi antistes præfuerit.*

*ac confirmatur ex S. Bonifacii epistola, serie archiepp. Rhemensium, * i. e. Merciorum*

11 *Hoc confirmatur 1° ex epistola 19 S. Bonifacii martyris et archiepiscopi Moguntini* ad Ethibaldum regem Mercionum, * *inter alias a Serario nostro edita pag. 22; ubi inter aliorum* coepiscoporum, *salutem ei dicentium, nomina occurrit* Abel. *2° Ex ordine archiepiscoporum Remensium apud Sammarthanos tom I, pag. 480; qui est talis:* XXVIII. S. Rigobertus. XXIX. S. Abel. XXX. Tilpinus. XXXI. Wlfarius, alias Volfarius. XXXII. B Ebo. XXXIII. Hincmarus. *In Translatione S. Rigoberti, quæ exstat apud nos ad diem IV Januarii, pag. 179, leguntur ista:* Domnus Hincmarus, qui ab eo QUINTUS exstitit Remensis archiepiscopus, illum transtulit. *Jam vero si ex serie prædicta expungas* S. Abelem, *jam Hincmarus non erit quintus ab eo, sed quartus duntaxat Remensis archiepiscopus.*

uti etiam aliunde.

12 *Eidem Præsulum istorum numero et ordini inhæret Guilielmus Marlot in Metropolis Remensis Historia, tom. I, lib. 2 ac 3. His adde 3° Ad argumentum, quod peti posset* ex epitaphio S. Remigii, ubi Hincmarus vocat se XXXI Remensem archiepiscopum, et XVI a Remigio, quod stare non potest, Abele computato inter archiepiscopos, *uti est apud Marlotum tom. I, lib. 2, cap. 48; idem auctor,* posteriorem epitaphii partem, ubi hæc supputatio ponitur, non esse Hincmari, alibi, *ait,* probavimus: *sed nec is addit, nec ego invenio, ubi hoc probaverit; nec operæ pretium, operosius id inquirere. 4° In concilio Suessionensi, quod sub Pippino ab episcopis XXIII celebratum anno Christi 744 notatur tom. VI Conciliorum apud Labbeum; can. 3, col. 1553, hæc habentur:* Constituimus per consilium sacerdotum et optimatum eorum, et ordinavimus per civitates legitimos episcopos: et idcirco constituimus super eos ARCHIEPISCOPOS ABEL, et Ardobertum, ut ad judicia eorum de omni necessitate ecclesiastica recurrant tam episcopi, quam alius populus. *Cointius Annalium ecclesiasticorum Francorum tom. V, ad an. 745 (cui synodum Suessionensem innectit) num. 8 luctuosissimum ecclesiæ Remensis statum, cujus episcopatus jam inde ab annis duodetriginta sub infami Milone gemuerat, in causa fuisse indicat, cur* Abel *Archiepiscopus dictæ ecclesiæ institutus sit in illa synodo, dejecto e cathedra Remensi Milone, quam pulso in exsilium Rigoberto invaserat. Rem probat ex Flodoardo, quem nos supra dedimus. His circa archiepiscopatum Remensem* S. Abelis *ita stabilitis subjicio nonnullas quæstiones, quæ huc spectant.*

§ II. Pallium; argumenta contra archiepiscopatum Sancti; nostra circa eum sententia; tempus ordinationis.

An S. Abel pallium acceperit.

Quæres 1° *An pallium, quod, annitente S. Bonifacio, a Zacharia PP. concessum dicebatur in epistola istius summi Pontificis supra, num. 8, re vera ad* S. Abelem *pervenerit? Ratio dubitandi est, quia in illa ipsa epistola miratur Zacharias, quod Bonifacius pallium pro uno Grimone tunc petat, quod pro tribus antea petierat. Audi textum:* Nunc autem denuo tuas suscipientes syllabas, valde sumus, ut diximus, mirati, eo quod antea nobis una cum memoratis principibus Galliarum pro tribus palliis suggessisti, et postea pro solo Grimone. Sed volumus, ut tua nobis indicet Fraternitas, cur nobis ita direxisti antea pro tribus, et postmodum pro uno, E ut et nos certi redditi, ex hoc nullam ambiguitatem retineamus. *An itaque pallium nondum tunc pervenerat ad* Abelem? *An postea duntaxat illud accepit? An* Abel *et Artbertus jam tum illud acceperant, antequam Zacharias alteras illas litteras ad Bonifacium rescripsit; Grimo autem non item; et an ideo Bonifacius pro ipso solo illud petiit; quia solus ille nondum acceperat, quod utique Roma missum non pervenerat ad manus ejus? Quisnam ergo inter istas conjecturas determinare audeat rem hic controversam? Mabillonius in Actis Benedictinis supra citatis,* Pallium, *ait,* an acceperit, merito dubitaveris ex Zachariæ epistola. *Idem auctor in Annalibus suis tom. II, lib. 22, ad annum 744, num. IV sententiæ isti inhæret, quæ mihi magis arridet quam Wionis, qui Ligni vitæ part. 2, lib. 3, pag. 263, pallium a Zacharia PP. Sanctum nostrum accepisse affirmat; non quia, ex ejus sententia, fuerit Remensis archiepiscopus; sed quia ordinatus aliam ob causam, sicut jamjam ex ipso referam.*

Referuntur varia

14 *Quæres 2° An hoc, an alio, et quonam demum argumento nitantur illi, qui* S. Abelem *ex archiepiscoporum Remensium albo expungunt?* F *Respondeo nonnulla huc scriptorum placita proferendo. Colvenerius pag. 76 in notis ad Flodoardi caput 16 libri 2, hanc rationem assignat:* Cur autem a quibusdam prætermittatur in Catalogo Remensium archiepiscoporum, rationem habemus ex his, quæ citantur ex epistola Adriani hoc cap.; quia etsi ibi constitutus sit episcopus; tamen ibi permanere permissus non fuit: ideoque rediit Lobium *etc. Wionus, quem paulo ante citabam,* Ordinatus, *ait,* est episcopus pro plantatione ecclesiarum Dei... Vocatur autem a Trittemio, et nonnullis aliis archiepiscopus Remensis: non quod ecclesiam gubernaverit Remensem; sed quia in ea metropoli archiepiscopus titularis fuit ad infidelium conversionem.

15 *Noster Jacobus Longueval in Historia Ecclesiæ Gallicanæ tom. IV, lib. 11, ad annum 744, pag. 296, postquam egisset de tribus palliis, quæ Bonifacius petierat etc. secundum supra dicta; credibile esse asserit, factiones magnatum, qui bona ecclesiarum Remensis ac Senonensis usurparant, impedimento fuisse, quo minus* Abel *et Ardobertus agniti fuerint episcopi; nec non pacis amorem in causa fuisse, cur Bonifacius destiterit.* Ut-

AUCTORE J. P.

Utcunque res se habeat; Milonem in cathedram Remensem intrusum post exsilium S. Rigoberti, istius ecclesiæ episcopi partes egisse etc. Marlotus tom. I, lib. 2, cap. 47, citato fragmento ex epistola quinta Zachariæ PP. ad Bonifacium, Alii putant, *ait,* Abelem consecratum pro obeundo munere episcopali, adhuc vivente Rigoberto, ipsique coepiscopum vel suffraganeum datum, ob hæc prædictæ epistolæ verba citata, quæ nonnihil ambiguitatis continent, PER SINGULAS METROPOLES. *Vide supra num. 8.*

argumenta

16 *Pagius in Critica Baroniana tom. III, ad annum Christi 743, a num* VII *sic disserit:* Omnia itaque in Galliis perturbata erant: episcopi videbantur tantum vicarij administratorum aut commendatariorum, ac tam Senonensis, quam Remensis ecclesiæ Metropolitis carebant. Rigoberto anno incerto demortuo, quia Milo, qui ecclesiam Remensem occupabat, clericus tantum erat, Abel Remensis episcopus consecratus est: sed quia illius ecclesiæ redditibus non potiebatur, B chorepiscopus tantum aut suffraganeus Milonis pseudo-archiepiscopi appellatus. *Et postquam citasset Flodoardum lib. 2 Hist. Rem. cap. 16, cujus verba nos supra protulimus num. 8, sic prosequitur:* Diversæ hæ sententiæ inter se non contrariæ: Abel enim post Rigoberti mortem chorepiscopus statim renuntiatus, hoc anno archiepiscopus designatus, et a Zacharia PP., qui ei pallium misit, confirmatus. Verum nihil hæc attulere, quo miseri Abelis conditio melior foret: Milo enim, aliique bonorum ecclesiasticorum usurpatores prædam sibi e manibus eripi, passi non sunt. Quare anno sequenti Pippinus tertio canone concilii Suessionensis statuit, ut episcopi legitimi, non vero laici intrusi episcopatibus pleno jure potirentur. At decretum illud locum non habuit, quia qui bona ecclesiastica obtinebant, potentiores erant, quam ut ex illorum manibus ea extorqueri possent. Præterquam quod Pippinus, qui de titulo regio assumendo forte cogitabat, cautior erat, quam ut viros præpotentes a se alienare vellet.

contra archiepiscopatum Remensem S. Abelis:

17 *Et mox rei modum et ordinem sic subdit:* Abel ab eodem Pippino hoc anno archiepiscopus Remensis dictus, et a Zacharia PP. pallio donatus. Pippinus vero anno sequenti illum in realem archiepiscopatus possessionem immitti canone 3 C concilii Suessionensis his verbis decrevit: CONSTITUIMUS SUPER EOS ARCHIEPISCOPOS ABEL ET ARDOBERTUM; sed voluntas ejus effectu caruit; *id quod probat ex epistolæ Adriani PP. ad Tulpinum datæ verbis;* qui *(Abel)* ab illo *(nempe Bonifacio)* constitutus fuit; sed ibi *(nimirum in ecclesia Remensi)* permanere permissus non fuit. *Reliqua epistolæ verba lege superius num. 10.* Vides, non solum ecclesiam Remensem, sed etiam non paucas alias in potestate administratorum, et commendatariorum fuisse; qui in eis residui erant episcopi, fuisse suffraganeos omni auctoritate destitutos; et jure merito antiquos scripsisse, Abelem fuisse tantum chorepiscopum; cum archiepiscopatu Remensi nunquam gavisus fuerit; licet id Pippinus decreto concilii Suessionensis constituisset. *Pagius hæc fatus, legendum monet Folcuinum in Chronico Laubiensi: cujus locum dedimus supra num. 7. Tametsi Pagius nunc hoc, nunc alio loquendi modo utatur;* Abel *tamen* Remensis episcopus consecratus est.

qui tamen probabilius

18 *His hactenus in utramque partem disputatis, proponere nunc mihi liceat rationes, quæ me inducunt, ut propendeam potius in illam sententiam, quæ* S. Abeli *vere ac proprie attribuit cathedram Remensem. Movet me 1° Quia clare ac diserte illud affirmat Fulcuinus, superius num. 7 citatus; ubi ex pontificalibus ejusdem civitatis gestis memorat,* quod in eadem civitate Abel quidam fuerit episcopus, qui in ea plura vel acquisierit, vel ordinarit. *Et vero* plura vel acquirere vel ordinare *episcopum in archiepiscopali civitate, cujus est, si non istius loci episcopi est? 2° Quia Flodoardus supra num. 8,* Beatum, *ait,* Rigobertum secutus Abel in episcopatus ordine reperitur: *ubi et de episcopatu Remensi, et de* S. Abelis *in eodem episcopatu decessore sermo est minime dubius. Quæ autem mox subdit idem auctor, manifeste significant, Sanctum nostrum plus aliquid fuisse quam chorepiscopum;* quamvis eum quidam chorepiscopum tantum fuisse tradant, Pontificem tamen illum exstitisse, diversis invenimus, *inquit,* assertionibus *etc. Deinde postquam ex epistolis Zachariæ PP. ad S. Bonifacium directis egisset de tribus metropolitanis episcopis, totidemque eorum palliis; secundum dicta num. citato;* E *conversa ab probandum* Abelis *metropolitæ episcopatum oratione, sic scribit:* Sed et quædam chartæ ipsius episcopi reperiuntur nomine titulatæ. *Denique ex num. 10, Præsul Remensis* constitutus fuit; sed ibi permanere permissus non fuit; sed magis contra Deum ejectus est *etc. Si itaque* constitutus; sed permanere non permissus; *sed* ejectus: *si nemo vere ac proprie ejici possit ex officio, in quo nec est, nec nunquam fuit, consequens est, ut* S. Abel *vere ac proprie metropolita Remensis fuerit. 3° Argumentum, quod supra num. 17 desumebat Pagius ex Fulcuino; quia nimirum* Abelis *nomen inter diptycha archiepiscoporum Remensium non recitaretur; tantum abest, ut evertat opinionem nostram; ut inde magis videatur confirmari.*

ipsi asseritur.

19 *Nam dic, amabo, cur Adalbero, Remensis archiepiscopus,* satis mirari se *dicit,* quod in ea commemoratione iste non inveniatur; *nisi ideo, quia supponit, ac tacite quodammodo indicat,* Abelem *Remensis sedis archiepiscopum aliquando fuisse? Nam quid miri est, nullam memoriam sacram inter istius sedis archiepiscopos haberi illius, qui archiepiscopus ibidem nunquam fuerit? Cur vero id sic contigerit, dedimus supra Fulcuini conjecturam; quod utique* ipse vacanti sedi jam antea episcopus jussus sit aliquantisper insidere; at pro amore Dei, voluntaria cessione sponte catalogum illum repudiasse. *At vero quisnam vacanti sedi vel tantillo tempore insidet; quis voluntaria cessione eam abdicat, ac catalogum decessorum episcoporum repudiat; nisi is, qui, ubi et quando illa agit, vere ac proprie ibi tunc episcopus sit? 4° Aliud Pagii argumentum, quod desumitur ex perturbatione ecclesiarum Galliæ, bonorum episcopalium deprædatione, ac misera apud Remenses* Abelis *conditione, non convincit. Aliud enim est, vere ac proprie archiepiscopum esse; aliud, annuis simul archiepiscopatus redditibus gaudere. Quibus etiamsi admittamus nostrum Sanctum caruisse; quid vetat tamen, cur sine illis apud Remenses non fuerit verus ac legitimus eorum præsul, ad exiguum saltem tempus; quia ex supra dictis,* ibi permanere permissus non fuit *etc.? Breves hisce duas observationes subnecto. 1° Richardus de Wassebourg in Antiquitatibus Gallobelgicis lib. 2, fol. 132, in Vita S. Magdalvei, episcopi Virdunensis,* Legimus, *inquit,* in antiquis nostris chartulariis, Abelem, *archiepiscopum Remensem,* magnam pecu-

pecuniæ summam dedisse in eleemosynam prædicto Magdalveo, sive, ut notatur ibidem ad marginem, ecclesiæ Virdunensi. Hoc si accidisse quis velit eo tempore, quo S. Abel erat erectus ad archiepiscopatum Remensem; non assequor equidem, quomodo id conveniat cum afflicta in rebus temporalibus ejusdem conditione; adeo ut ipsius præsul magis esset ad accipiendam eleemosynam, quam ad dandam accomodatus. 2° Non videtur Sanctus consecratus fuisse episcopus, antequam Lobium adierit: nam Fulcuinus cap. 5 S. Ermini abbatis cooperatores laudans, sanctum *utique* Abel, Scottum genere, et sanctum Wlgisum episcopum, et dominum Amulguinum, æque episcopum; *titulum episcopalem duobus illis tribuit*, Abeli *non item.*

Idea Milonis in archiepiscopatum illum intrusi.

20 *Interim quia de Milone pseudo-episcopo, ac cathedræ Remensis invasore, mentio facta est non infrequens; juvat circa illum notare sequentia ex Historia Ms. Trevirensi apud citatum Mabillonium, his verbis:* « Post Lutwinum Milo, filius ejus, sacerdotali functus est officio apud Theberos * et Remos. Primo quidem imitator patris, demum tyrannus effectus est, nihilque in eo de clericali honore vel vita, nisi sola tonsura enituit. Eo enim tempore bella graviora et intestina parricidialia in hac provincia orta sunt, quando Karolus tyrannus laicis episcopatus dedit, et episcopos nullam habere potestatem permisit. Cum hoc Karolo Milo supradictus ad bellum est profectus, sola jam tonsura clericus, habitu et moribus irreligiosus: et post victoriam episcopatibus Treberorum et Remorum ab eodem Karolo donatus est: cujus infelici tempore his de ecclesiis multa sunt ablata, et res ab episcopis divisæ » etc. Et infra: « Milo igitur tyrannus, his ita peractis, venationi inserviens, ab apro percussus moritur in villa, quæ dicitur Iranc, primo a Treberis miliario: ubi et sepultus est post XL annos suæ tyrannicæ invasionis. »

* Treberos

Tempus ordinationis S. Abelis:

21 *En tibi nunc quædam de tempore sæpe memorati archiepiscopatus. Mabillonius in Appendice citata*, Electus, *ait*, est Abel in archiepiscopum Remensem anno DCCXLIII, ut patet ex præcitatis Bonifacianis epistolis. *Cointius ad annum 745, num.* LI *affirmat*, Abelem *isto anno factum esse archiepiscopum in synodo Suessionensi, ex canone ejus secundo. In Catalogo Archiepiscoporum Remensium apud Colvenerium lego ista:* S. Abel ab anno DCCXLIX solus residet in ecclesia Remensi. Sed ab eadem quoque depellitur anno DCCLVIII. *At num videtur verosimilis tam longa mora inter tot difficultates, quas diximus? Mabillonius enimvero in Appendice designata censet, cum haud diu retinuisse suam dignitatem, expulsum utique a dicto Milone ante annum quidem 748, prout colligit e Zachariæ PP. epistola, eo anno data, quæ* Reginfredo Rotomagensi archiepiscopo, Deodato Belvacensi, *aliisque Remensis metropoleos provincialibus inscribitur;* Abele *prætermisso. Hæc observat laudatus auctor. Epistola autem illa inter Bonifacianas est 136; item exstat apud Labbeum tom. VI Conciliorum col. 1522. De tempore, quo scripta sit, consule notam Sirmondi col. 1524, et Baronium ad annum 748; uti et Cointium ac Pagium. Sammarthani ordinationem ejus pontificiam canone 3 concilii Suessionensis factam dicunt, et innectunt anno 744; Quæ addam ex antiquis, non habeo. Nonnulla tamen antiquitus de eo scripta fuisse, indicat Fulcuinus supra num. 7, quando refert:* Finis vero ejus quis fuerit, scriptor gestorum ejus aut nescivit, aut omnino tacere voluit. *Accedit eo, quod Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii fol. 167* beati Abelis historiam per Nortmannos intercidisse putet: *ut mirari nemo debeat, ejus gesta adeo parce ac jejune a nobis tractari. Superest tamen dicendum, an et quibus synodis interfuerit.*

AUCTORE J. P.

an et quibus synodis interfuerit.

22 *Miræus in Fastis pag. 464 sic tradit:* Abel Liptinensi an. DCCXLIII, et Moguntinæ an. DCCXLV synodis... interfuit. *Sirmondus in notis ad illud concilium, tom. VI Conciliorum col. 1539, observat, proditum non esse, quinam episcopi in Liptinensi synodo adfuerint. Severinus autem Binius ibidem in suis notis*, Huic, *inquit*, concilio interfuisse videntur præter alios tres, metropolitani hi, Germo *, Abel, Arbertus, sive Harthertus: quia his pallia petita esse patet ex epistola Zachariæ nona et decima. *Hinc itaque nihil fere habemus in rem nostram, præter conjecturam. De concilio Germanico tertio agitur ibidem col. 1555; notante Serario Moguntiacarum rerum lib. 3, notatione 31, cur tertiæ synodi locus dici possit Moguntia. Binius ibidem col. 1556 insuper ex Serario citato addit*, huic synodo interfuisse episcopos istos, quorum nomina habentur in titulo illius epistolæ, quam ex hoc concilio scripsit sanctus Bonifacius ad Æthelbaldum sive Athelbaldum regem Merciorum in Anglia, scelestissimam vitam agentem *etc. Est epistola illa inter Bonifacianas decima nona apud Serarium; in ejusque titulo una cum aliis coepiscopis scribitur* Abel. *Baronius rem confirmat, quando ad annum 745 hæc scribit:* Pertinet ad hoc concilium, quod S. Bonifacius... ut *Athelbaldum* ad meliorem frugem converteret, nomine non suo tantum; sed et episcoporum, qui synodo interfuerunt, epistolam scripsit, commonitionibus paternis plenam; *quæ ibidem subditur, expresso etiam in inscriptione, quæ eidem præmittitur, nomine* Abelis, *tanquam inter alios ibidem notatos coepiscopi. Ex his conficitur*, S. Abelem *fuisse unum ex præsulibus, qui dictæ synodo Moguntinæ interfuere. Consuli etiam possunt, quæ habet Alfordus ad prædictum annum 745 num. 1 et 2.*

* Grimo

§ III. An Sanctus fuerit abbas Laubiensis; tempus mortis; corpus, ejusque translatio.

Inquiritur

Superest *nunc quæstio altera; videlicet an S.* Abel *veri ac proprii nominis abbas fuerit cœnobii Laubiensis. Cointius ad annum Christi 745 num.* LXXXVIII *refert, isto anno, Childerici regis secundo, postridie Kalendas Februarii, Carolomannum Majorem-domus erga Laubiensem ecclesiam munificum se præbuisse, Theoduino illius loci tunc abbate; ex Fulcuino in Gestis abbatum Lobiensium cap. 6 factum probans; e quo constet, Theoduinum dicto anno, mense Februario, abbatem fuisse. Ad hæc, locum ei a Fulcuino tributum inter sanctos Erminum ac Theodulfum; cum caput quintum operis sui claudat obitu S. Ermini; ac caput sextum incipiens, illi substituat Theoduinum. Huic S. Theodulfum episcopum sufficit cap. 8; Ansonem vero proximum illi dat cap. 9 in munere abbatiali successorem, duobus libellis eidem Theodulfo tunc abbati ab ipso inscriptis, uno de Vita S. Ursmari; altero de*

Vita

AUCTORE J. P.

Vita S. Ermini : qui, laudato auctore testante ad calcem dictæ ejus Vitæ apud nos tom. III Aprilis, ad diem XXV *ejusdem mensis, pag. 376*, Provectus ætate, et plenus dierum, in senectute bona anno septingentesimo et trigesimo septimo, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, septimo Kalendas Maias, perrexit ad Dominum.

an noster Sanctus

24 *Censet memoratus Annalium auctor num.* XC, *retinendum hunc abbatum Laubacensium Catalogum, nec aliam annorum posse admitti computationem; Fulcuinum vero egere interpretatione, cum loquitur de* Abele, *de Wlgiso et Amulguino episcopis, quos abbatibus Laubacensibus accensendos insinuat; nec diffiteri plerosque Neotericorum. Duos quippe hujus auctoris textus esse monet Cointius; unum capite 5; alterum capite 7. Priorem dedimus supra num. 6; posteriorem, quem egere interpretatione dicit Cointius, habes item supra num. 7. Wlgisum S. Ermini successorem fuisse affirmat Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis, ad diem* IV *Februarii, abbatemque creatum anno 737; quo S. Erminum e vita migrasse, idem auctor testatur ad diem* XXV *Aprilis, num. 2 in fine. Apud nos ad diem* IV *Februarii in Commentario historico S. Ulgisi sive Wlgisi, tom. I istius mensis pag. 500 Fiseni assertioni circa immediatam illius isto anno post S. Erminum successionem favens Bollandus, hoc omnino videri asserendum dicit,* si quidem ipse, Amolwinus, Abel successive loco præfuerunt, et non simul cum S. Ermino, ut hic antea cum S. Ursmaro. Et vero nisi forte alio ad Christi colendam vineam translati, non diu eam dignitatem tenuerunt, cum anno, ut diximus, DCCXLII jam abbas esset Theoduinus. *De S. Amulwino agitur apud nos die* VII *Februarii, tom. II ejusdem mensis, pag. 82.*

vere ac proprie

25 *At non placet hoc Cointio; quia Fisenum, cujus auctoritate nititur, sibi non constare affirmat; eo quod ad diem* XVIII *Aprilis num. 1 Catalogum abbatum Lobiensium sic auspicatur :* Sancto . . . Patriarchæ, *nempe Ursmaro,* morienti anno DCCXIII successit S. Erminus, et mortuus est anno ejusdem seculi XXXVII. Illi substitutus est S. Theodulfus. Quo vivente Lobium venit Rhemensi archiepiscopatu pulsus S. Abel, et S. Theodulfo collega additus anno LVIII, ibidem obiit DCCLXIV. Mortuus est autem S. Theodulfus anno DCCLXVI. *Observat enim Cointius, S. Theodulfum vitam longe post annum Christi 766 produxisse : deinde Theoduinum abbatem, de quo supra dictum, a Fiseno male vel omitti vel confundi cum Theodulfo : cum tamen alter ab altero distinguendus sit, et in abbatum Lobiensium nomenclatura Theodulfo præponendus Theoduinus; prout videre licet apud laudatum Cointium : qui denique observat, Fisenum in præcitato abbatum Lobiensium catalogo, cum vel S. Theodulfum sancto Ermino proxime substituit, vel* Abelem *eidem S. Theodulfo collegam adjungit, nullum Wlgiso, Amulwino et* Abeli *locum inter abbates illius monasterii relinquere; nihil igitur vetare concludit, quo minus in contexendo Lobiensium abbatum indice Fulcuinum sequatur, et S. Ermino Theoduinum; Theoduino S. Theodulfum; Ansonem S. Theodulfo subroget; expunctis Wlgiso, Amulwino, et* Abele : *tametsi admittat, S. Erminum ejusque successores, quibuscum apud Laubacum diu vixerint, consilio eorum et opera plurimum adjutos fuisse, ac per eorum absentiam vices abbatiales sapientissime administratas.*

26 *Hæc confirmantur e nupera editione Galliæ Christianæ, anno 1716 Lutetiæ Parisiorum typis regiis inchoata; ubi tom. III, col. 80, producitur nova series abbatum Lobiensium novis curis a dicti operis inceptore D. Dionysio Sammarthano maxime ex Fulcuino, et ex Brevi chronico Lobiensi, apud Martenium inter Anecdota edito tom. III, col. 1411, ordinata; et continuata usque ad annum Christi 1707 : in qua signatur* I. Abbas S. Landelinus . . . Laubiense tandem monasterium rudi opere inchoat an. DCLIV . . . Obiit XVII Cal. Julii anni DCLXXXVI *. II. Domitianus . . . ad an. DCLXXXIX. III. S. Ursmarus an. DCXCI . . . solutus est carnis ergastulo an. DCCXIII *, XIII Cal. Maii. IV. S. Erminus seu Ermino . . . Ipsi contemplativam vitam quærenti coadjutores fuere eximii viri Abel, Wlgisus, et Amulwinus episcopi, nec non Dodo postea Waslarensis abbas . . . Migravit ad Dominum Erminus VII * Cal. Maii an. DCCXXXVII *. V. Theoduinus, sub quo, Karlomanno Majore domus concedente, auctum est monasterium villa Fontanas dicta anno secundo Childerici . . . Omittitur hic abbas tum in Chronico laudato, tum in Floribus eccles. Leod. Bartholomæi Fisen tom. II, pag. 221. VI. S. Theodulfus . . . Obiit die festivitatis S. Joannis Baptistæ anno DCCLXXVI : *Cointio, ex notatione ad marginem, 777.* VII. Anso vel Ansus *etc. Ex his videtur probabilius, quod noster Sanctus non fuerit proprie ac stricte Lobiensis abbas; sed Lobiensis duntaxat abbatis adjutor. Et quid prohibet, quo minus in ista significatione intelligamus locum ex Fulcuino superius prolatum,* Habuit etiam *Erminus* et cooperatores sive successores ejusdem loci gubernatores, et coabbates *etc.?*

fuerit cœnobii Laubiensis abbas :

* *al.* DCLXXXV
* *al.* DCCXII
* *al.* VIII
* *al.* DCCXXXVI

uti et quo loco ac tempore

27 *De loco, anno, ac die obitus sic statuo. Locum fuisse monasterium Lobiense, indicant annuntiationes num. 4 prolatæ. Quibus adde auctores alios, quos recensebo occasione anni, quo dictus obitus accidit. In Catalogo archiepiscoporum Remensium apud Colvenerium in editione Flodoardi sui adjecto sic lego :* Obiit in monasterio Laubiensi, diœcesis Cameracensis, V die Augusti anno DCCLXIV. *Fisenus supra citatus Lobii eum obiisse eodem anno, statuebat. Ab utroque dissentit Cointius ad annum Christi 751, num.* XXIX, *sic scribens :* Abel archiepiscopus . . . in monasterio Laubacensi feliciter ad Deum hoc circiter anno migravit Nonis Augusti. *Apud Mabillonium nec in memorata superius appendice, nec in Annalibus Benedictinis tom. II, lib. 22, num.* IV *invenio, quo anno S.* Abel *e vivis excesserit. Castellanus annuntiationi ejus* in Hannonia, *nota temporis, quam apponit ad marginem, versus annum 780 hoc contigisse censet. Nos itaque, ut in re incerta aliquid determinate ponatur; dicamus, Sanctum e vita migrasse medio circiter seculo octavo, vel paulo serius, id est anno circiter 750 vel 760; secundum ea, quæ retuli ex auctoribus.*

e vita excesserit.

28 *Nullam esse controversiam de die mortis, perspicuum redditur cum ex Hagiologis, hoc die* V *Augusti illum memorantibus, tum ex iis, quæ mox dicta sunt. Accedit Mabillonius tom. II Annalium, lib. 22, num.* IV, *dicens,* Abelem . . . secessisse tradunt in monasterium Laubiense, ubi sanctissime supremos absolverit dies, mortuus Nonis Augusti. *Quanquam Trithemius De Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib. 3, cap. 298,* Ejus festum nono Calendas Octobris *celebrari affirmat. Qui cur adeo hic sit singularis; nos latet. Enimvero talis esse non debuit propter translationem corporis apud Belgas, de qua nunc loquar.*

29 *Apud Sammarthanos in archiepiscopis Remensi-*

Translatio corporis. AUCTORE J. P.

A *mensibus tom. I Galliæ Christianæ pag. 480, morti S.* Abelis *in monasterio Lobiensi, subdit hanc notitiam :* Sacra pignora Abelis servant canonici Lobienses, teste Chronico hujus abbatiæ. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii hoc die de translatione* S. Abelis *tradit ista :* Corpus... sacrum cum aliis Sanctorum corporibus, cumque clericorum sive Canonicorum collegio translatum est anno millesimo quadringentesimo nono, ex Lobiensi parochia, Binchium : quod est Hannoniæ oppidum, diœcesis Cameracensis ; sed bellorum procellis valde attritum. Utroque loco natalis celebratur die quinta Augusti. *Molano circa istum diem adstipulatur Mabillonius, numero proxime præcedente citatus, dum dicit :* Qui dies *(nimirum* V *Augusti)* festus agitur Binchii in pago Hainoensi : ubi ejus corpus in ecclesia collegiata servatur. *Breve vero chronicon Lobiense supra num. 26 memoratum, col. 1429, translationem Sanctorum corporum Lobiensium ad Binchienses differt in annum sequentem, his verbis :* MCDX. Corpora Sanctorum Lobbiensium a Lobbiis ad Binchiensem transferuntur ecclesiam ob bellorum tempestatem. *De dicta translatione meminimus inter Prætermissos ad diem 2 Julii, pag. 293, expressis Sanctorum, quorum corpora translata sint, nominibus.*

DE S. MARGARITA VIDUA

APUD SEPTEMPEDANOS PICENI IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

E

§ I. Natales, cognomentum, conjugium, proles, vita vidualis, miraculum, tempus vitæ ac mortis, sepultura.

Anno MCCCXCV, Septempedæ notitia :

Septempedam *Piceni, sive, ut nunc loquimur, Marchiæ Anconitanæ urbem fuisse, Ptolomæo in sexta tabula Europæ, Antonino in Itinerario, aliisque veteribus memoratam; a Longobardis, teste Leandro, solo æquatam (vel, ut alibi lego, a Gothis eversam) ex ejusque ruinis nobile oppidum Sanseverinum ædificatum, indito ei nomine a S. Severino, Septempedano olim antistite; dictum jam pridem apud nos est ad diem* VIII *Januarii, tom. I ejusdem mensis pag. 499, occasione laudati Præsulis. Civitas autem illa jacet inter colles Apennino finitimos, ad Potentiam fluvium, Tolentino ac Camerino aliquot milliaribus dissita. Antiquæ porro Septempedæ nominis originem inde derivant monumenta nostra Sanseveriniana Mss. (de quibus infra;) quod colles septem quasi* septem
C podia *eam coronarent; adduntque, olim Romanorum municipium fuisse, ex inscriptionibus antiquis colligi. Unam dat Ughellus Italiæ sacræ tom II, col. 845.*

Sanctæ patria, cognomen, conjugium :

2 *Patria Sanctæ nostræ obtigit territorium Septempedanum seu Sanseverinianum;* ex Cesalo *utique* viltula ortæ ; *teste Vita ejus Latina. Monumenta Sanseveriniana locum nuncupant Italice* Cesolo, *paulo amplius, prout addunt, quam duobus milliaribus distantem a dicta civitate. Eumdem dicti loci efformandi modum servat Vita Italica, inferius memoranda. Nata fuit Sancta ignotis ac rusticis parentibus; nec non paupere cultu ac pastoritio munere educata; sed donorum cœlestium affluentia egregie nobilitata atque ditata; prout habemus e documentis, quæ præ manibus sunt. Quandiu vixit,* Discalceatæ *nomen ipsi adhæsisse, quia pedes nunquam calceis induebat, post Vitam Italicam, monumenta Sanseveriniana referunt. Annos numerans quindecim, a parentibus nuptum datur invita* viro cuidam sancto (Severinatem fuisse historia demonstrat, et, ut opinor, Burgi civem, sive incolam :) tanta *qui* secum cum benevolentia semper vixit, illique ita obtemperavit, ut soli in conjugio sine lite viderentur ; *ex Vitæ Latinæ num. 8.*

maritus :

3 *Cui refragantur monumenta Sanseveriniana, quando maritum ei dant, a quo, natura videlicet austero, indignis verbis ac factis tractabatur. Volebat enim is, ut de more aliarum pagi sui mulierum, ipsa quoque calceos gestaret : quasi vero uxor ejus, nudis pedibus incedens, esset continua mendicitatis suæ exprobratio, eo redactæ, ut de pari calceorum usualium prospicere conjugi non posset. Ast illa, ut marito morem gereret, et in proposito suo constans permaneret, precibus ferventibus impetrasse ibidem dicitur, ut oculis ipsius apparerent sui pedes calceati : ac proin illam in bono, quem susceperat, more suo perseverasse. Hæc, e dictis monumentis eruta, si ita se habeant, componi forte utcunque possint, distinguendo tempora; quorum uno aliquo, eoque exiguo, maritus molestias facessiverit uxori ob causam dictam; illaque, uti is putabat, sublata, placidus erga eam deinceps fuerit ac benignus.* F
Cingulum, milliaribus octo a Cesolo distans, sæpenumero se contulisse Sanctam, ut ibidem de peccatis confiteretur Patri cuidam Ordinis S. Dominici, directori suo; excursiones illas ex instinctu diaboli in malam partem accipiente ac prohibente marito, volunt dicta monumenta; adduntque, postquam S. Margarita *confugisset ad orationem, Angelum, assumpta ejus specie, vices ipsius supplevisse in custodia gregis, et aliorum ministeriorum ruralium ac domesticorum exercitio; dum ipsa interea de more itaret ad prædictum locum.*

proles ; vita vidualis :

4 *Difficultas etiam est circa sobolem* S. Margaritæ. *Vita quippe Latina affirmat num. 8, de ejus conjugio agens,* ex eo plures tulisse filios et filias, quos et quas auctor *(historiæ, de qua est sermo)* mirum in modum extollit. *Vita vero Italica filiam ei natam refert. Monumenta Sanseveriniana scribunt ista :* Postquam in lucem edidisset unam unicam filiam (un' unica figlia, *uti est in ipso textu Italico)* mansit vidua mariti in juvenili maxime sua ætate. *Hæc ejusmodi sunt, ut nullo pacto queant componi cum præcedentibus. Quod autem modo addebatur de viduitate Sanctæ* juve-

AUCTORE J. P.

juvenili, quomodo satis cohæreat cum Vita Latina, non intelligo; nam ex numero supra citato, in matrimonio per annos viginti et unum vixit. *Vitæ in viduitate ab ea exactæ virtutes, exstant Italice in monumentis Sanseverinianis ac Vita Italica; Latine vero in Catalogo Sanctorum Italiæ apud Ferrarium : e quo visum est, eas huc transcribere, ubi ad diem* XXVII *Augusti sic lego :* Defuncto viro, officia pietatis ardentius colere cœpit, vitam austeriorem degens. Sarmenta illi lectus erant; pulvinar lapis; cibus et potus, simplex panis et aqua. Nudis pedibus etiam hieme incedebat, unica veste contecta.

virtutibus referta.

5 Romam peregrinata, loca sancta invisit, Sacramenta frequentissime sumebat : primo quoque diluculo ad ecclesiam ad Missam pergens suas preces fundebat : reliquum diei visitandis ægrotis, quibus inserviebat, laborando, eleemosynasque, quas pauperibus distribueret, colligendo insumebat. Supra cilicium chorda adeo constringebatur, ut ea sanguine sanies fieret. Oranti noctu diabolus ei dicens apparuit, Frustra te jejuniis et disciplinis B affligis, misella; cum id facias, ut ab hominibus videaris. Vinum non bibis, nec edis carnes : uvas tamen et ficus avidissime devoras. Quibus dictis, Margarita divinam opem implorante, disparuit; ipsaque deinceps ficus non attigit. Cum rursus dæmon specie capræ in domum per fenestram esset ingressus, totaque flammis compleri videretur, filia perterrita matrem inclamabat : quæ accurrens hostem subito fugavit.

Mirabilia duo

6 *Mirabilia omnino sunt, quæ de calceis, quos Sancta morti vicina filiæ suæ reliquerit, circumferuntur, et habentur in Vita Italica, ac Ferrario citato; adde Severanum in libro, qui titulus Pretiosæ mortes justorum pag. 359, monumenta Sanseveriniana, ac Vitam denique Latinam Ms. : cujus apographo, quod ante me habeo, subscripsit ista noster P. Papebrochius :* Videntur esse ejusdem auctoris : erant eodem charactere scripta. *Sunt autem hæc, laudati Patris manu etiam exarata :* De beata hac Muliere duo illa imprimis memoratu digna, quod et de instanti obitu C quindecim ante diebus ab ipsa Virgine Dei Matre fuit admonita, et rogata a filia, ecquid moriens sibi relinqueret? Cum calceos relinquere se dixisset, quibus tamen usa nunquam fuerat; filia matrem nihil temere loqui solitam sciens, rem diligentius perscrutata, pedum sola sic a reliquis partibus deprehendit sejuncta, ut calceorum speciem præ se ferrent, affixo etiam alteri eorum clavo ferreo in calce; quem illuc corporis gravius afficiendi gratia, severior adversum se Mulier intrusisse creditur. Servantur adhuc eadem calceamenta una cum clavo ipso Septempedæ ad D. Dominici ædem, seorsum a reliquo corpore, in vitreo quodam vasculo.

de S. Margarita memorantur.

7 Exstat autem dictorum index et quasi testis vetusta admodum ipsius Margaritæ imago, ad D. Severini in eo pariete depicta, qui ad sinistram est ingredientibus; ubi ante Virginem ita cernitur prostrata, ut clavum itidem pedum alteri affixum gerere videatur. *Hæc ibi. Quæ vero dicta sunt de calceamentorum istorum, una cum clavo ferreo in calce infixo asservatione, et teste horum imagine, Severanus pag. 360 in annotatione, ubi scripsisset,* hæc in actis *referri; sic subdit :* Pariete autem, in quo ejusmodi cernebatur imago, occasione novæ absidis in eodem templo diebus nostris exstructæ demolito, periit memoria tam insignis : quemadmodum et clavus ipse (nostrorum pariter incuria) qui nullatenus reperitur.

D

Tempus vitæ ac mortis.

8 *De tempore vitæ ac mortis ista accipe. E vivis abiit* S. Margarita *septuagenaria; ex Vita Italica, monumentis Sanseverinianis, ac Ferrario,* die, *prout hic habet,* obitus præscito et prænuntiato. *Hunc autem incidisse in* V *Augusti; asserit Vita Italica, et indicat sub isto die etiamnum ipsius superesse memoriam in Martyrologio Romano. Et recte : nam in isto Martyrologio, quod anno 1586 typis editum est, signatur dicto die* V *Augusti. Quid vero causæ fuerit, cur in posterioribus editionibus annua Sanctæ memoria fuerit translata ad* XXVII *dicti mensis, equidem nec intelligo, nec divino. Ad hæc, Baronius in notationibus ad istum diem, nullam hujus mutationis causam assignat. Quod vero dies hodiernus sit genuinus mortis dies, præter ea, quæ dixi, suadet 1° annuntiatio, quæ Vitæ Latinæ subjungitur, et infra dabitur. 2° Suadent documenta Sanseveriniana, quæ pro confirmatione istius diei citant monumenta conventus; de quo post. Ferrario itaque neutiquam assentior dicenti, quod* S. Margarita *obierit* VI Kal. Septembr. *Annus 1395 ultimus vitæ fuit, testibus Vita Italica, Baronio, quem modo allegabam, monumentis Sanseverinianis, ac Ferrario.* E

Narrantur, quæ obitum ejus sunt subsecuta.

9 *Mortem ejus hæc sunt subsecuta, quæ extraho e sæpe dicta Vita Italica; unde discimus, corpus ipsius delatum fuisse ad ecclesiam, magna comitante populi frequentia, multis ejus visis miraculis, maxime erga personas dæmoniorum vexatione oppressas; idemque corpus fuisse impositum capsæ, ac deinde arcæ lapideæ sublimi atque a terra elevatæ intra sacellum, ad dictum finem fabricatum in S. Maria, vulgo* del Mercato, *quod est illud ipsum, in quo erecta sunt altare et congregatio sanctissimi Rosarii. Dumque paulo post, prout e dicta Vita discimus, cuidam piæ ac religiosæ personæ revelatum fuisset miraculum calceamentorum* S. Margaritæ, *de quibus supra num. 6, eaque fuissent petita ab ejus filia, palam ista proferre recusante; curatum fuit, ut ad dictam ecclesiam deferrentur, ac traderentur ejusdem loci patribus; quæ asservantur in tabernaculo argenteo in hierogazophylacio ecclesiæ prædictæ. Hæc delibavi e Vita Italica. Ecclesia porro illa est Patrum Dominicanorum.*

Recens status calceorum e membrana Sanctæ miro modo formatorum.

10 *Monumenta Sanseveriniana jam memorata et die* III *Novembris anni 1740 signata in testimonio, quod infra dabitur, de recenti calceamentorum istorum statu nos instruunt. Inde enim habemus, membranas illas (Joannes Michael Pius infra citandus corticem plantæ pedum eas vocat) ad S. Dominici in hodiernum usque diem intactas asservari eleganti in urna librarum novem puri argenti cum suis crystallis, et exponi in altari quotannis festa* S. Margaritæ *luce, ut una cum sancto ipsius corpore pateant publicæ venerationi. Intactas, inquam, et integras, si excipias aliquot digitos, quos indiscreta forte subtraxerit devotio eorum, qui eas in manibus habuerunt. Hæc dedi in fide dicti instrumenti; de quo dicam inferius.*

§ II. Miracula, cultus publicus; gratiæ spirituales a Sede Apostolica eidem annexæ; translatio corporis; monumenta Sanseveriniana; Vitæ.

Miracula,

Sanctam, *sub obscura, dum viveret, ignobilis conditionis umbra latentem, ubi ad se vocavit Dominus, signis eam coram hominibus illustravit. Ferrarius de calceis, proxime a me memoratis,* Infirmos, *inquit,* a variis languoribus tacti sanant. *Et mox addit, quod* ad ejus tumulum ægroti et dæmoniaci curari soleant. *Baronius in notationibus ad diem* XXVII *Augusti sic etiam brevissime habet :* Multis fuit illustrata miraculis. *Quibus utinam singulatim recensendis, atque ad nos transmittendis invigilasset elapsa ætas!*

B

annuntiationes; cultus modernus;

12 *Ad cultum publicum quod attinet; Ferrarius in annotatione ad Sanctæ elogium scribit ista :* Nondum in sanctas mulieres solemni ritu relata est : dies tamen natalis ipsius ex Apostolicæ Sedis licentia celebratur, Sanctaque in Martyrol. et passim nominatur. *Post Vitam nostram Latinam hæc ponitur annuntiatio :* Nonis Augusti in Piceno apud Septempedanos S. Margaritæ viduæ *Eodem etiam die ac modo illam refert Martyrologium Romanum anni 1586; at postmodum in eo notatur ad diem* XXVII *hujus mensis. Vide dicta num. 8. Nunc autem neutra die celebratur in civitate S. Severini. Etenim e dicti loci monumentis disco, quod* festum cum Officio de Communi unius viduæ celebretur ultima Dominica ejusdem mensis, propter majus commodum ac concursum populi, ad ejus intercessionem soliti recurrere ob multa miracula, quæ Sancta ista operatur in utilitatem eorum, qui erga se sunt pie affecti; maxime in liberandis energumenis.

cum solemni supplicatione,

13 *Ex allatis insuper documentis habemus, vespere, qui ejusdem Sanctæ festo est prævius, post Salutationem Angelicam a communitate institui supplicationem accensis cereis lucentem, quæ incipit a palatio concilii, usque ad ecclesiam S. Dominici, ad quam erecta cum cruce se conferunt omnes conventus Religiosi : quorum unus pluviali indutus, parvam hierothecam, in qua exstat pars ossis prædictæ Sanctæ, manu gestat. Dictam porro supplicationem comitantur Magistratus, ac civitatis gubernator (qui semper est Prælatus) aut vices ejus supplet is, qui ipsius locum tenet. Postridie mane jubet civitas cantari Missam solemnem, cui intersunt hi, quos memoravi. Accedit eo, quod in honorem dictæ Sanctæ habeantur in ista civitate nundinæ liberæ per dies viginti; id est, a vigesima Augusti, usque ad* x *Septembris.*

C

spiritualibus a Sede Apostolica concessis.

14 *Ad splendorem* S. Margaritæ *plurimum conducunt gratiæ spirituales, ab Apostolica Sede liberaliter indultæ loco, quo sacrum ipsius corpus fuit depositum. Nam anno 1396 Bonifacius PP. IX omnibus his, qui visitaverint ecclesiam S. Dominici, festo* S. Margaritæ, *concessit omnes indulgentias, quas Gregorius PP. XI concesserat ecclesiæ S. Cyriaci, civitatis Anconitanæ patroni tutelaris; quæque coincidunt cum omnibus illis indulgentiis, ab Alexandro PP. III, atque ab aliis Romanis Pontificibus ecclesiæ S. Marci Venetiis pro festo Ascensionis concessis. Quæ omnia referuntur in iisdem, quæ identidem citavi, Sanseverinianis documentis : e quibus præterea habetur, quod idem Christi Vicarius per aliud suum Breve, iisdem die et anno expeditum, facultatem concesserit Priori* pro tempore *S. Dominici, ut in dicto festo cum duodus aut tribus aliis confessariis a se eligendis, possit absolvere illos omnes, qui venerint lucraturi indulgentias, ab omnibus casibus ac peccatis, exceptis iis, quæ reservantur Sanctæ Sedi. Supradicta Brevia, prout additur in citatis monumentis, conservantur in archivo dicti conventus.*

AUCTORE J. P.

Translatio corporis

15 *Superest, ut agamus de translatione corporis; circa quam eas daturi sumus notitias, quas nobis suggerunt documenta Sanseveriniana. Repositum itaque Sanctæ nostræ corpus, antequam nova reædificaretur ecclesia, sub altari seu sacello sanctissimi (ita ibidem vocatur) nominis Dei, in loco humido, fracta capsa et carie exesa, vestibusque omnino laceris, repererunt illi, qui sacrum depositum recognoscebant. Unde Patribus Conventus jam ad annum usque 1665 fuit animus, illud transferendi in decentiorem locum : et obtinuerunt facultatem a reverendissimo Patre Generali Joanne Baptista Marini; sed nulla unquam re exsecutioni mandata. Anno demum 1691,* x *Junii, die Dominica, in quam incidebat festum SS. Trinitatis, rem accurante Patre Benedicto Landi, patritio S. Severini, ejusdemque Conventus Ordinis Prædicatorum filio, facta fuit solemnis translatio. Prima igitur die Junii prædicti anni venit illustrissimus D. Scipio Negrelli, civitatis episcopus; et illustrissimo D. Tornaquinci Belloni, nobili Veneto, ejusdem civitatis gubernatore, nec non loci dicti Magistratu, una cum aliis multis dominis præsentibus, ossa sacra ex arca veteri, quæ erat sub prædicto altari, levata sunt, ac deposita in nova cypressina, e ligno duplicata, opere sculptorio, ac deaurata, duabus magnis crystallis eidem præmissis, per quas spectantur sacræ reliquiæ.*

E

solemni cum ritu

16 *Inventa autem fuere sola corporis ossa integra, filis ferreis in commissuris ligata; et prope illa vas album testaceum, resoluti prædictæ Sanctæ corporis cineribus plenum : quod depositum fuit parvo in sacello, in quo asservantur aliæ reliquiæ, Deo forsitan permittente, ut totum in cineres dissolveretur corpus, quo majus auctoritatis momentum inde accederet prodigio membranarum. Rogatus fuit ad actum dictæ translationis ex una capsa in aliam, Joannes Baptista Vilimteni, notarius ac cancellarius episcopalis. Exorto itaque die decimo supradicti mensis, solemnis per civitatem habita fuit supplicatio cum dicta arca, et urna, in qua erant membranæ pedum, duodecim presbyteris, qui sacerdotali more erant vestiti, thesaurum ferentibus, una cum interventu omnis cleri tam secularis, quam regularis, uti omnium etiam numerosarum confraternitatum laicarum, accensa luminaria manu gestantium; duodecim insuper adolescentulorum nobilium civitatis cum facibus lucentibus, quæ insignibus ejusdem instructæ et oblatæ fuere in Sanctæ honorem.*

F

facta.

17 *Præter hæc, maximus fuit concursus populi e vicinis quoque civitatibus ac Marchiæ pocis. Adde ornatum ecclesiæ S. Dominici singularem, nec non Officiorum divinorum e selectorum musicorum accitu præstantiam etc. Inter viros insignes, qui dictæ solemnitati interfuere, nominantur hi, ad purpuram deinde Cardinalitiam assumpti; videlicet Eminentissimi Grimaldus, Paulutius, Gualterius, ac Cornarus. Supplicatione finita,*

AUCTORE J. P.

nita, sacra urna prædicto sanctissimi nominis Dei altari iterum superimposita est : ubi asservatur ad publicam populi venerationem.

Documentorum Sanseverinianorum compilator :

18 *Atque hæc, quæ supra dicta sunt, compilasse se testatur idem, qui præsenti, unde ista damus, documento subscribitur manu propria,* Frater Benedictus Landi, Ordinis Prædicatorum. *Cui etiam subnotantur* Consul et Priores illustrissimæ civitatis Sancti Severini. *Subditur de laudato Patre sequens testimonium :* Admodum reverendum Patrem fratrem Benedictum de Landis, Ordinis Prædicatorum, filium bo. me. illustrissimi D. Antonii de Landis, nobilis Sancti Severini, jam per quatuor vices Priorem ven. Conventus S. Dominici hujus civitatis, et ad præsens Vicarium S. Officii ejusdem civitatis, esse talem, qualem retro se facit, retroscriptaque folia fuisse ejus propria manu, litteris et charactere scripta et subscripta, prævia recognitione in forma, omnibus indubie testamur. In quorum fidem. Datum Sancti Severini ex palatio Consulari, hac die III Novembris MDCCX. Hyacinthus Constantinus secr. B

Vita

19 *De Vita Sanctæ Latina, seu potius ejusdem fragmento, nonnulla præmonenda putavi.* 1° Ex P. Gallonii Tom. A. apud PP. Oratorii Romæ; *quæ exemplo nostro adscripta lego nostri Papebrochii manu, collige, unde illud sit depromptum.* 2° *Titulus, qui eidem prænotatur, sic sonat :* Vita beatæ Margaritæ Discalceatæ, per D. Pompilium Caccialupum. 3° *Auctor Vitæ seu historiæ Italicæ, quæ isti præluxit, obscurus est.* 4° *Plura quidem, at non magna cum concinnitate de Sancta nostra scripsit.* 5° *Fuit ei coætaneus. Quæ omnia et singula probo e præfatione, exemplari nostro Latino præfixa, his verbis :* Ex historia, materna lingua compilata, et rhythmis quidem imperite; sed prudenti et ingenioso a viro editis, reperi B. Margaritæ Vitam posteritati fuisse donatam. Hujus igitur auctoris, cujus nomen obscurum est penitus, et ætati nostræ huic ignotum inveni, vestigiis inhærendo, omissis cantilenis, et sui temporis inconcinnitate, tantum ea, quæ veritati consona, et suopte ingenio clara, utpote ab homine prudenti et coætaneo edita attingam.

Latina,

20 *Cæterum antequam ea typis committerem, usus sum spongia, quod aiunt, et a mendis et barbarismis illa expurgavi.* C *Cum autem* Pompilius *ille* Caccialupus, *quem modo nominabam, mihi sit ignotus; discam lubens, si quis plura de eo me docuerit. Baronius in notationibus ad Martyrologii Romani diem* XXVII *Augusti sic habet :* De rebus gestis ipsius (*id est, S. Margaritæ*) sunt apud nos Acta, a Severinatibus Romam missa. Est illorum exordium: Margarita Septempedæ *etc. Ubi vides, istam Vitam aliter incipere quam illud fragmentum, quod dabimus.*

et Italica.

21 *Vita Italica, quæ supra allegatur; ad supplendam Latinam a nobis ibidem adhibita, est exemplar Ms. trium circiter paginarum, ad cujus finem hæc adscribuntur :* Excerpta ex Historia Septempedana domini equitis Valerii Cancellotti Sanctoseverinatis : *de qua mentionem facit Ughellus sub initium hujus Commentarii designatus. Ex eo autem quod Acta a Severinatibus ad Baronium missa mihi non sint in promptu, parvam esse jacturam, inde videor posse colligere, quod fragmenti, quod typis committimus, brevitas, aliunde sit suppleta ex Sanseverinianis monumentis. Brevem Sanctæ nostræ Vitam Joannes Michael Pius, Ordinis Prædicatorum, inseruit suo Operi Italico, quod inscripsit :* De nobili ac generosa progenie P. S. Dominici in Italia, *lib. 1, cap. 70 sub finem. His notatis, en tibi nunc, lector,* D

VITÆ

FRAGMENTUM,

Auctore D. Pompilio Caccialupo, Ex P. Gallonii Tom. A. apud PP. Oratorii Romæ.

Sanctæ natales, apparitio Domini, miraculum, matrimonium, vitæ austeritas.

Fuit B. Margarita ex Cesalo villula orta, ut ab hominibus ætate confectis, et de suorum avorum dictis referentibus, qui eam alloqui, facta temporum supputatione, potuerunt, percepi, parentibus quidem rusticis et pauperrimis nata : et hoc licet ex dicta historia colligere et comprobare ut verum ; cum ipsam pastoralibus servitiis dicatam narret, atque, ut ipsius verbis utar, pastorellam nominet. Hanc forma, ut ex naturali et iconica pictura cernitur, inter venustam, macilentam, et spiritu quasi elatam, subrusticamque, et mediocri statura præditam fuisse, constat. Simplicitate, charitate, mansuetudine, et humilitate præcipue Deo gratam exstitisse legimus; [eratque] illud sibi præ oculis semper ponens, Deo optimo maximo ac proximis inservire, ac opem ferre, dijudicans neminem; corpori tantum suo plagas infligere, ac ipsum semper inedia macerare, ut pauperibus præsto esset, condignum putans.

Sanctæ natales. E

2. Nec quidem immerito vel insulse : cum Deus, bonorum omnium remunerator, et elargitor, visa bonitate, animique ardore, ad hujusce laudem ac bene agentium exemplum, miraculum hoc ediderit ostenderitque. Exierat siquidem puella hæc Margarita suæ paupérculæ matris jussu ad pascendum oves; et, ut ex historiæ verbis quasi dignoscitur, satis tenellula, annosque vix nata septem. Cum peregrinus quidam forma conspicuus, fameque et ornati itineris labore nimium languens, ei occurrit : qui precibus lacrymisque effusis ipsam sic tandem alloquitur : Filia, audi verba, quæ ego nunc dicturus sum. Ni succurras, jam fame pereo, atque ob hoc languens ad te veni. Si igitur panis subsidium tibi superfuit, mihi Dei amore hoc elargire.

Suavi quadam. F

3 Quibus vix auditis, ita Dei nostri amore Margarita exarsit, ut, licet ipsa fame nimium laboraret, panem omnem, quem perpaucum tulerat, ex sacculo, quem rustici saccutellam vocitant, accipiens, ipsi detulerit. Qui cum pane hoc virgunculæ hujus Margaritæ famem expulisset, lætus admodum ac jucundus, surgens pedes, cum antea consedisset, caritatemque hujus admodum extollens, ipsam pluries propria manu benedixit : discedensque, ei visus est non humanus vir, sed divinus : præsertim cum odorem omnium maximum et suavissimum inibi reliquisset : tantaque Margaritam dulcedine affecit, ut in posterum vanas hujus mundi delicias atque honores semper neglexerit, conspicui peregrini jugiter memoria ardens atque conflagrans, illum Deum suum esse credendo.

Domini nostri

4 Quod

A *apparitione* 4 Quod ut nec antea, nec tunc, nec postea dulcius quid sibi visum aut suavius unquam in vita fuit; dictimque mane et sero gloriam hanc et odorem semper præsentem habere in posterum sibi visa est. Tandemque nec aliud die illo, quo miraculum hoc effulsit, egit, quam preces, lacrymas, et orationes ad Dominum Jesum, Deum suum, effundere. Ita enim Dei sui amore exarserat, ut diem hunc totum jejunum penitus atque intactum duxerit.

recreatur: 5 Noctuque, ut moris est, cum pecudibus Margarita rediens, cum jam fame afflicta esset, quam humillime matrem alloquens, panem postulat, quæ cum paupercula admodum inops esset, sic filiæ subirascitur: Vidisti, filia, hoc mane cassulam *a* hanc nostram pane penitus, frumento, et farina vacuam, tecumque, quod inerat, attulisti, quo famem expellere de more potuisti. Tu autem nunc nimis audax et ante horam panem poscis, matris tuæ et aliorum fame pene deficientium penitus oblita; nec ego panis penuriam in divitias, parvasque mensuras in magnas vertere B possum. Conversaque ad eam Margarita, pro pane instantius orat, in Domino Jesu confidens, qui nunquam bonum irremuneratum dimisit; idque ipsa confidentius faceret; cum ipsa ideo jejuna sit, quia panem omnem, quem tulerat, peregrino cuidam laboranti nimium præ fame dederat.

quam secutum est miraculum. 6 Nec quidem se ita egisse pœnitet, cum ille sibi Jesus Deus suus visus sit; et cætera matri enarrans, ut gesta erant. Patiare igitur æquo animo famem, quam sponte voluisti, mater ait. Et his dictis, capsam aperiens, panem magnum valde atque dulcissimum inveniens, accipit, frustulatimque divisum Margaritæ primum, deinde domesticis, consanguineis, et vicinis tradens, qui tunc forte, ut magis miraculum innotesceret, aderant: tantaque repente in dictorum omnium corporibus satietas ac dulcedo exorta est, ut, Margaritam tantum observarent, colerent, et venerarentur, cogitarent; et, ut pro ipsis ad Deum preces funderet, deprecarentur. Quo fit, ut omnes insimul caritate, benevolentia et Dei amore compulsi fraterne jugiter in posterum vitam degant.

C *Jungitur matrimonio b* 7 Interea Margarita annum decimum quintum jam agens, a patre [clam aliis] *b* viro cuidam, cujus nomen obscurum est, matrimonio jungitur; nec mirum. Cum historia parentum et filiorum filiarumque ejusdem, quos auctor noverat, et, ut ipse in suis rhythmis testatur, adhuc viventes laudat atque miratur, nomina occultet; judicio quidem meo satis inique; cum nil magis a posteris desideraretur, quam majorum suorum et præsertim tantæ feminæ stemmata non ignorare: cujus nunc successores quanta auctor gloria et imitatione privet, omnes cogitent. Sed ut ad Margaritam redeam, unde digressus sum, puellula hæc nil in vita tulit infortunatius, quam quod matrimonio jungeretur. Proposuerat siquidem Deo servire et virginitatem servare: idque omnino effecisset, ni Deus posteritati consulens aliter disposuisset. Indignabatur siquidem pater, se eam cum instrumento, et fide publica promissam genero non posse servare, sicque anceps filiam, quam antea ut oculorum suorum pupillam, custodiebat, odio prosequi coactus est, nec antea destitit, quam Margarita votis suis assensum præstitit. D

8 Tradita igitur viro *c* cuidam sancto (Severinatem fuisse historia demonstrat, et, ut opinor, Burgi civem, sive incolam) tanta secum cum benevolentia semper vixit, illique ita obtemperavit, ut soli in conjugio sine lite viderentur: ex quo plures tulit filios et filias *d*, quos et quas auctor mirum in modum extollit. Attamen quia adhuc eorum finis incerta erat, consulto omisit; quod ego nunquam probaverim. Fuit hæc in matrimonio constantissima, nec unquam nisi ad prolem procreandam cum viro concubuit: cujus vita, durante matrimonio, quo cum [eo] per annos viginti et unum vixit, ita dividebatur. Prolem imprimis suam bene ac religiose educabat et custodiebat, Christianos ritus et mores ipsam tantum docens, et a vitiorum lapsu præservans. Eisdem, quibus ipsa, moribus et orationibus decorabatur. Suos erudiebat. Vestibus juxta conditionem induta [erat] extrinsecus; intrinsecus vero asperrima interula, quam cilicium appellant, semper induta; chorda carnes suas circuiens, ut, post ipsius mortem ossa collidens, et consumptis carnibus, eadem quasi latens reparata * sit *e*. *quod sancte traducit c* E * *f.* reperta *e*

ANNOTATA.

a Cassa *Italis; Latinis est capsa: proinde cassula est capsula.*

b *Voci uni incognitæ et incertæ, quæ erat in apographo nostro, substitui duas has.* F

c *De Sanctæ marito Commentarius prævius num. 2 et 3.*

d *Alibi dicitur Sancta unicam duntaxat habuisse filiam; ex Commentario prævio num. 4.*

e *De vitæ austeritate ibid.*

SEXTA

A D

SEXTA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI VIII IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Sixtus II Papa
S. Quarius
S. Felicissimus
S. Agapitus
S. Januarius
S. Vincentius
S. Magnus
B S. Stephanus
} Martyres Romæ.

SS. CLXV Martyres Romæ.

S. Justus
S. Pastor
} Martyres Compluti.

S. Hormisda Papa. conf. Romæ.

S. Jacobus eremita Amidæ in Mesopotamia.

SS. CC Martyres Caradignenses prope Burgos in Hispania.

S. Stapinus confessor, an Episcopus Carcassonensis in Gallia.

S. Gezzelinus seu Gitzelinus, non procul Colonia. E

S. Chremes abb. confessor in Sicilia.

B. Schetzelo in territ. Luxemburg. in Belgio.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Beata Ida Lovaniensis in Valle Rosarum prope Mechliniam *perperam hoc die in Cartusia Bruxellensi Greveno superadditur. De ea satis operose actum est* XIII Aprilis.

SS. Cunegundis, Mechtundis et Wibrandis virgines *hoc die a Bollando repertæ in libro dicto Cabinet, spectant ad diem, quo de ipsis actum est* XVI Junii.

S. Sexburgam *reginam viduam male hoc die signatam reperit Bollandus. Spectat ad diem quo de ipsa egimus* VI Julii.

C S. Margaritam viduam *hoc die indicavit Bollandus ex libro sub titulo Cabinet: opinor agi de Septempedana relata a Baronio* XXVII *Augusti, verum de qua a nobis actum est die præcedenti* V Augusti.

S. Afra *ab aliquibus Hieronymianis et Notkero signata, spectat ad diem præcedentem* V Augusti.

Dum S. Eusagnium *hoc die signavit* militem *et* martyrem *Ferrarius, voluit* Eusignium *dicere; in quem dicta ejus pleraque conveniunt, sed qui ad diem præcedentem spectat, quo de ipso egimus* V Augusti.

In monte Thabor, Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi *annuntiatur hoc die in Martyrologio Romano, et in omnibus Fastis Orientalis ecclesiæ. Verum nos Christi ac Deiparæ festa alio in opere posteris tractanda remisimus.*

Alexander *monachus Confessor refertur in Wilsoni Martyrologio Anglicano apud* Claustrum Fonii *seu* Fusniacum *in Laudunensi episcopatu, citaturque* Vita S. Mechtildis *sororis, quam cum Majores nostri Sanctis adscribere ausi non fuerint ad* XII *Aprilis, lectores remittimus ad ea quæ ibi inter Prætermissos dicta sunt. Quid sibi voluerit Ferrarius dum eum in Scotia collocavit, fugio quærere: neque magis curanda videntur quæ hoc die pluribus commemor Camerarius.*

Thomam monachum a Gallis occisum *Capgravius* Doroberniæ, *seu, ut ipse loquitur,* Donoriæ, *Legendæ suæ Anglicæ, tanquam* martyrem *inseruit, virtutes et miracula aliqua recensens, unde et ex Nicolao Harpsfeldio sua accepit Menardus in suo Martyrologio Benedictino. Merita ejus elogia lubens admitto, id solum reliquum, ut de cultu ei unquam exhibito edocear.*

In Anglia, commemoratio plurimorum monachorum, sanctitate illustrium, qui in Scardebourg, F tam in Vita quam post mortem crebris miraculis claruerunt, et summa devotione a populo colebantur. *Verba sunt Menologii Cisterciensis Chrysostomi Henriquez, de quibus tacet Chalemotus, eorum loco substituens*

Achardum monachum Claravallensem, *de cujus aut aliorum cultu nihil hactenus nobis innotuit.*

Actæ episcopi Candidæ Casæ in Galweia *seu* Gallovidia *Scotiæ, memoria, nulli, quod sciam, in sacris Tabulis cognita est; præterquam in Catalogo Ferrarii nimis quam generali, suffragante solo Menologio Scotico Dempsteri, quorum amborum quanta sit auctoritas, sæpe alibi dictum est. Graviora quærimus monumenta quibus de cultu ejus certiores reddamur.*

Bertha Biburgensis in Bavaria *ex eodem etiam Ferrarii penu procedit, a nullis aliis Martyrologiis; quam proinde in monumentis, quæ citat, Boicis laudatam, titulo* Beatæ *primus ipse donavit, nisi forte Raderum in Bavaria sancta secutus fuerit: certe Arturus suo Gynæceo ipsam adscripsit. Titulis plurimis venerabilem esse illustrem hanc* Bertham *ultro admittimus, verum Sanctorum veris honoribus gavisam, reperire hactenus non potuimus.*

Avendris *sive* Evendris episcopi et martyris Calari in

A in Sardinia *meminit hoc die solus Ferrarius in Catalogo generali, citans* Tabulas ecclesiæ Calaritanæ, quas ab ea urbe nuper acceperat. *Quid de Tabulis illis pridem senserint Majores nostri, habes tomo V Maii, a pag. 219*. Id certe postulare audeo, imo debeo, certiora de hoc Avendri monumenta nobis suggerantur, quæ in Squirri Sanctuario necdum reperire licuit.*

Fulco episcopus Suessionensis *a Ferrario Sanctorum honoribus donatur ex nescio quibus* Tabulis ecclesiæ Suessionensis; *quas mirum est ignorasse Dormayum episcopos recensentem, uti et Sammarthanos in Gallia Christiana, et Saussayum in magno Martyrologio Gallicano: apud quos nec minimum occurrit Fulconianæ sanctitatis indicium.*

Maurinum *item adducit idem Ferrarius episcopum Autissiodorensem, quem jam etiam alibi prætermissimus.*

Goderannus *solo* Venerabilis *titulo donatur in Actis Benedictinis sec.* VI, *parte 2, pag. 315.*

Cassianus *et* Masculinus *sive* Cassanus *et* Maslininus *varie et variis diebus referuntur in Kalendariis nostris Hibernicis impressis. Verum de his satis dictum est in Prætermissis diei præcedentis.* B

Didacus Landa episc. *Jucatani in India Occidua.*
Franciscus conf. *Fabriani in Marchia. Ancon.*
Hieronymus a Misuraca conf. *Sturnis in Calabria.*
Georgius Quadrus conf. *In Lusitania.*
Petrus a Spe conf. *In Hispania.*
Francisca abbatissa *Belalcazari in territ. Cordub.*
} *cum titulo Beati referuntur ab Arturo in Martyrol. Franciscano et ultima etiam in Gynæceo.*

Eosdem sed modestius refert Hueberus in Menologio, addens præterea

Joannem Puteanum *Lovanii in Brabantia.*

Joannem de Michaele *Tornqueti in India occid.*

Joannem Bapt. Blancardi *Taurini in Sabaudia.*

Chunegundem ducissam Austriacam *Monachii in Bavaria.*

Adjungit Arturus in Gynæceo, præter eas, de quibus jam meminimus, Stephaniam matronam *Romæ, quam etiam titulo* Beatæ *honorat, uti et* Anonymam *aliquam in Brabantia.* C

Sancti Godscalsi episcopi, per quem Dominus tantas dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret; *est annuntiatio non satis clara Florarii nostri SS. Ms. Indicat, ni fallor, episcopum Atrebatensem Ordinis Præmonstratensis, de quo tamen altum silent Molanus, Miræus et ipse quidem Raissius; ut lux accersenda fuerit a Saussayo ipsum ut* felicem *prædicante die sequenti* VII *Augusti, quo etiam die cum* Beati *titulo laudatur a Joan. Chrysostomo vander Sterre in Natalibus Ordinis. Nos neque hoc die neque sequenti ipsum Sanctis audemus asserere, donec de cultu certius doceamur.*

Joseph Hierosolymitanus episcopus, et confessor *signatur hoc die in nostro SS. Florario Ms. Verum priusquam inter Sanctos aut hoc potissimum die collocetur, alia opus est auctoritate, ut observavit Papebrochius in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum ante tom. III Maii, pag.* IX *et* X.

Henricum Wintoniensem episcopum, *anno 1171 vita functum,* IX *Januarii,* IV *hujus mensis, atque etiam hoc die valde liberaliter signavit Ferrarius: Bollandus vero in Prætermissis* IX *Januarii ex citato Ferrario et Galesinio bona fide remisit ad hunc diem, quem et nos supra ad diem* IV *hujus secuti sumus, nihil tum dubitantes quin veros Sanctorum honores non solum meritus, sed etiam consecutus esset celebris ille* Henricus. *Re modo attentius perpensa, non videor ipsi locum hic tribuere posse, quod nulla usquam occurrant veri alicujus cultus ei olim exhibiti vestigia, quæ certe non neglexisset Witfordus in suo Martyrologio, neque tacuisset Usuardus Ultrajectensis in Sanctis Anglicis consignandis minime parcus. Sigebertum appellant recentiores; ast is, tametsi multis laudibus* Henricum *cumulet, solo* venerabilis *titulo ipsum honorat. Wion non aliter ipsum insignit quam nomine* Dompni Henrici. *Neque plura suggerit noster Alfordus, ingenue fassus, locum sepulturæ penitus ignoratum fuisse, ut saltem reliquiæ prorsus nullæ venerationi unquam expositæ sint. Adde quod non hoc die mortuum velit, sed* VIII *hujus, apud alios* IX. *Quidquid igitur scripserint Galesinius, Wilsonus et Ferrarius, non putamus nobis licitum esse,* Sancti *aut* Beati *titulum* Henrico Wintoniensi *adscribere.* D

Joannes Teutonicus ut IV *magister generalis PP. Dominicanorum cum solo titulo* bonæ memoriæ *adscribitur additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Titulum* Beati *addunt alii cum Marchesio ad* VIII *Novembris. Rectius ab omni titulo sanctitatis abstinet Echart in novissima Sanctorum Ordinis Bibliotheca, ubi recte obitus ejus signatur* IV *Novembris 1252.*

Hippolyta a S. Maria *ab aliis* a Jesu *nuncupata, ex familia, ut volunt, Rocabertina, recte* famula Dei *appellatur a Marchesio hoc die in Diario Dominicano, cum longo elogio, seu potius Vita ex variis collecta. Signatur etiam in Anno sancto Belgico, et Viridario Germanico, in quo posteriore sequitur.*

Teresia Benucci *Neapoli in S. Dominici majoris, cui æque ac præcedenti* Beatæ *titulus præmature adscriptus est.*

Alanus Britannus *PP. Carmelitarum generalis locum habet in Acie bene ordinata Philippi Visitantini, ubi contendit* Beatum *vocari* ab immemorabili tempore, *de quo paulo certius doceri cupimus.* F

Sic et Philippus Ribbotus *Hispanus dicitur in eadem Acie,* sanctitatis titulum semper retinuisse. *Si adsit probatio sufficiens, Operi nostro certissime inseretur.*

S. Albertus Carmelita *signatus est a nostro Florario SS. Ms. hoc die; verum ab aliis melius refertur die sequenti, quo de ipso agemus* VII Augusti.

S. Hormisda Persa *ob synonymiam, opinor, cum Sancto Pontifice hodie relato, a Greveno, Molano et Canisio hoc die refertur, verum natalis ejus est* VIII Augusti.

Beati Raphaelis Archangeli secundum quosdam hic memoria, *verba sunt additionum Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quæ unde accepta sint, equidem non conjicio: id certum est, inter officia subditis regis Hispaniæ concessa, ejus festivitatem recoli* XXIV Octobris.

S. Leonardum abbatem *signatum hoc die invenimus in codice Usuardino Camberiensi, ut habes in Auctariis, quem cum Aquitanum existimemus S. Remigii discipulum, remisimus ad* VI Novembris.

B. Her-

A B. Hermannus, *Ordinis Præmonstratensis, ac primus cœnobii Scheidensis in ducatu Marcano et diœcesi Coloniensi non procul Arnsberga præpositus, mirabiliter a judaismo ad Christum conversus, habetur in nostra collectione, quam de illo asservamus: ubi in Vita Ms. ponitur* in pace quievisse anno MCLXXIII, VIII Idus Augusti. *Recentiores ejusdem Ordinis scriptores titulum* Beati, *viro tribuunt; videlicet Joannes Chrysostomus vander Sterre in Natalibus suis, die* XXIII *Decembris; Paigius in Bibliotheca Præmonstratensi lib. 2, pag. 469; ubi Vitæ compendium edidit, in quo eum obiisse affirmat die* XXIII *Decembris; Waghenarius in suo S. Norberto, Canonicorum Præmonstratensium patriarcha pag. 150. Quia tamen in instructionibus, anno 1732, quo hæc scribimus, super Hermanni cultu petitis, atque huc Scheida missis, significatum est, nullos ei ibidem publicæ venerationis honores deferri; licitum nobis esse non censuimus, reliquis Operis nostri Cœlitibus eum intexere, donec vel sufficientia publici ab immemorabili tempore cultus argumenta subministrentur, vel Sedis Apostolicæ auctoritas interveniat. Quod si fiat, poterunt Acta ejus illustrari ad diem, quo supra notari ipsum dicebamus,* XXIII Decembris. D

Columba, *seu potius* Coluba, virgo sacrata Dei, *hoc die deposita dicitur.* Opilione V. C. consule, *sive anno Christi 453, in epitaphio vetustissimo, quod anno 1717 in ædicula S. Columbæ posita in summo fastigio veterrimæ arcis et montis Osopi, ditionis Forojuliensis, retexit, et erudito subinde Commentario illustravit illustrissimus D. Justus Fontanini, archiepiscopus Ancyranus, contendens eamdem esse Columbam in epitaphio notatam cum S. Columba illa, cujus nomine dedicata est ædicula, cujus caput ibidem publicæ venerationi exponitur ac Dominica secunda mensis Julii quotannis in supplicatione circumfertur, et quæ ibi denique ab immemorabili tempore invocatur ut Virgo et Martyr. Verum sive eadem est sive diversa, cum nulla S. Columba aut in ullis Fastis hoc die commemoretur, aut in ipso loco illo colatur (quippe ubi S. Columba patrona tutelaris festum habet mobile, et quidem mense Julio) satius putamus, dum lux alicunde major affulgeat, hinc differre, quæ de illa dici poterunt, in diem, qua celeberrima antiquissimaque S. Columba V. M. apud Senonas colitur,* XXXI Decembris. E

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

SIXTO PAPA II, QUARTO, FELICISSIMO ET AGAPITO: ITEM JANUARIO, VINCENTIO, MAGNO AC STEPHANO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Nomen S. Sixti; memoria ipsius et aliorum in Martyrologiis; veneratio S. Sixti publica e SS. Patribus, ædibus et Officiis sacris, ac reliquiis.

ANNO CCLVIII. *Nominis etymon;*

C A*d illustrem splendorem sanctus hic Papa ac martyr* Sixtus *vel* Xystus *nomen suum evexit: circa cujus etymon hæc observo.* Sixtus, *ad quam radicem vel Latinam vel Græcam referam, non habeo. Aliud statue de* Xysto. *A genuino nominis etymo valde abludit Jacobus Januensis, quando in Legendis Sanctorum sic scribit:* Sixtus dicitur a sios, quod est Deus, et status: quasi divinus status. Vel Sixtus dicitur a sisto, sistis: quasi fixus et firmus in fide et passione, et bona operatione. *Quod nonne est multo pejus, quam nihil dicere? Dixerit aliquid, qui sub* Xysti *nomenclatura politi aliquid vel rasi contineri ostenderit, quasi sit* ξυστὸς ἀπὸ τοῦ ξύειν, *id est* polire, radere. *Si enim quod in xysto athletæ raderentur strigilibus, prout est apud Vossium in Etymologico linguæ Latinæ, appellativum nomen* xystus *ab ista radice non incongrue deduci possit: cur non et* Xystus, *nomen proprium?* Quanquam aliis, *ut notat idem auctor, xysti* nomen esse placet a lanceis, quas ξυστοὺς vocant. *Verum quandoquidem incerta sæpe sunt, quæ de radicibus etymologicis disputantur, huic argumento diutius non immorabimur. Pergamus itaque ad alia.*

2 *Ad illustrem, inquam, adeo splendorem Sanctus noster nomen evexit suum, ut vix alterius Romani Pontificis memoria pluribus antiquis monumentis consecrata sit. In Depositione quippe Martyrum apud Bucherium ita mense Augusto signatur:* Octavo Idus, Systi, in Callisti, et Prætextati, Agapiti, et Felicissimi. *Kalendarium ecclesiæ Carthaginensis, Veterum analectorum tom. III a pag. 398 a Mabillonio vulgatum, sic legit:* VIII Idus Ag. sancti Systi episcopi et martyris Romæ. *Antiquum item Kalendarium Ecclesiæ Romanæ, ab Edmundo Martenio editum in Thesauro novo anecdotorum tom V, col. 76, sic memorat:* Die VI mensis Augusti, natal. S. Xysti episcopi. *Martyrologium Venerabilis Bedæ metricum, tomo X Spicilegii Acheriani insertum, pag. 128, canit ista:* *memoria S. Sixti et aliorum* F

Sanctumque et Xystum octavis tenet Idibus almum.

Ibidem pag. 137 vetus aliud Kalendarium; VIII Id. Natalis S. Xisti, et sancti Felicissimi et Agapiti. *Hieronymiana apud Florentinium,* Romæ in cœmeterio Calisti via Appia natalis Xisti episcopi, Felicis, et Agapiti *etc.* In codicibus nostris, *ait pag. 736,* pro Felice, Felicissimum reponendum esse videtur. *Romanum vetus seu parvum a Rosweydo vulgatum:* Romæ via Appia, Xysti Papæ et martyris, Felicissimi et Agapiti diaconorum

A rum in cœmeterio Prætextati. *Adonis Martyrologium hac die :* Romæ via Appia in cœmeterio Callisti, natale S. Sixti episcopi et martyris. Et in cœmeterio Prætextati, sanctorum Felicissimi et Agapiti, diaconorum ejusdem, sub Decio imperatore, Valeriano præfecto. *Sequitur longum elogium, seu compendium Actorum, quod Notkerus contractius concinnavit.*

in fastis sacris Latinis,

3 *Usuardus ductori suo fere consonat :* Romæ via Appia, natalis beati Xysti episcopi et martyris. Et in cœmeterio Prætextati, sanctorum Felicissimi et Agapiti diaconorum ejusdem, qui cum eo sub Decio pariter decollati sunt. *Quibus adde Wandelbertum, ut alios non commemorem. Kalendarium Frontonianum præcesserat, quod tamen in notatione diei prorsus est singulare his verbis :* Die V mens. August. natal. S. Sixti, Felicissimi et Agapiti. *De Sacramentariis a Menardo et Thomasio editis dicam inferius num. 21. Martyrologium Romanum modernum sic dicit :* Romæ Via Appia in cœmeterio Callisti, natalis beati Sixti secundi Papæ et martyris, qui in persecutione Valeriani, B gladio animadversus, martyrii coronam accepit. Item sanctorum Martyrum Felicissimi et Agapiti, ejusdem Sixti diaconorum ; Januarii, Magni, Vincentii et Stephani, subdiaconorum; qui omnes cum eo pariter decollati sunt, atque in cœmeterio Prætextati sepulti. Passus est etiam cum eis beatus Quartus, ut scribit S. Cyprianus.

uti et Græcis.

4 *Græci* S. Xystum *referunt die* X *hujus, una cum S. Laurentio. Tunc quippe in magnis Menæis Græcorum excusis notatur* Memoria sanctorum martyrum Laurentii archidiaconi, Xysti, et Hippolyti, *ac versiculis honoratur, et elogio. Menologium Arabico-Ægyptium, quod ex Arabico Latine reddidit Gratia Simonius, eodem die ponit* Certamen S. Laurentii et Sixti Papæ Romani. *Menologium Sirletianum signat utrumque Sanctum, qui, uti addit,* sub Decio imperatore martyrium passi sunt. *Quibus* Hippolytum *adjungunt Anthologium Græcorum typis excusum, ac Menologium Sparwenfeldianum ; addens, esse* passos anno CCLXI sub Valeriano et Gallieno. *At de tempore martyrii inferius agetur. Fuit itaque Sancti nostri* C *memoria apud Græcos in publica veneratione; sed in longe majore apud Latinos; ad quos utique sanctissimus Pontifex propius spectabat. Rem illustremus ex antiquis documentis.*

Publica Sancti veneratio

5 *S. Cyprianus, episcopus Carthaginensis, qui cum Sancto nostro vixit, epist. 80 secundum editionem Bremensem anni 1690; secundum Pamelianam vero 82, ad Successum scribens de martyrio ipsius; quam egregie erga eum et affectus esset ipsemet, et alios in Africæ provinciis affici desideraret, non obscure significavit, quando ex ejusdem exemplo ansam accepit, ipsos corroborandi;* Xistum, *ait,* in cœmeterio animadversum sciatis... Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe; ut, qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. Hæc peto per vos et collegis nostris innotescant, ut ubique hortatu eorum possit fraternitas corroborari, et ad agonem spiritualem præparari. *Aliud solemnis erga Martyrem nostrum venerationis indicium apud Afros, profero ex S. Augustino tract. 27 in Joannem; ubi de S. Laurentio, die ei sacro loquens, sic habet :* Dixerat autem illi Xystus martyr sanctus; cujus diem quinto abhinc retro die celebravimus *etc. Pro Italia faciunt S. Petrus Chrysologus, ac Ennodius Ticinensis ; quorum ille quidem serm. 135 in S. Laurentium,* Illo, *inquit,* tunc archidiacono beatus Sixtus erat episcopus : cujus triumphus martyrii ante triduum fuit.

AUCTORE J. P. e variis documentis,

6 *Ennodius autem de ecclesia in ejus honorem ædificata a S. Laurentio archiepicopo Mediolanensi agit epigrammate octavo; quod sic inscribitur :* Versus in Basilica Sancti Xysti episcopi facti et scripti, quam Laurentius episcopus fecit. *Sic vero sonant :*

Antistes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit donum meritis, et lumina vitæ
Ad pretium jungens operis, hæc templa locavit.
Lapsa per incertos non spargit fama recessus;
Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munera Xystus.
Sic manet officium, quod Sanctus contigit olim.
Obtulit hic templum, veniens quod consecrat ille.

S. Laurentii istius gesta Commentario historico apud nos illustrata sunt tom. VI Julii, ad diem XXVII *; ubi § 5, pag. 441, dantur templa Mediolani ab eo condita vel restaurata ; et dictum epigramma.* E

item ex ecclesiis

7 *Roma uti palæstra martyrii fuit, sic etiam theatrum cultus publici obtigit* S. Sixto : *idque patet ex ædibus, sub ejus nomine, Deo sacris. S. Gregorius lib. 4 Dialogorum cap. 26 advocatum inducit, qui* per viam Appiam ad beati Sixti ecclesiam se esse processurum dixit. *Fronto in notis, suo Kalendario interjectis, ad diem* V *Augusti,* Fuit, *ait,* Romæ oratorium SS. Sixti et Fabiani : de quo in Paschali. Præterea fuit titulus Sixti, alias dictus titulus Tigridæ vel Tigridis ; de quo in synodo Romana sub Symmacho, et in alia sub Gregorio II, anno DCCXXI. *Sedit Paschalis I ab anno Christi 817 usque ad an. 824. In Vita ejus apud Labbeum tom. VII Conciliorum, col. 1497, lego ista :* In oratorio autem beatissimorum martyrum Sixti et Fabiani jam nominatus Pontifex fecit gabatas ex argento tres *etc. Sed difficultatem mihi creant ea, quæ tom. I Aprilis, die* VI, *pag. 534, apud nos ex Onuphrio dicta sunt; ubi ponitur* oratorium et altare S. Xysti Papæ et martyris, sub quo a Paschali II Papa sepulta fuere corpora sanctorum Pontificum Xysti ipsius, Fabiani martyrum, et Sergii II. *Sedit Paschalis II* F *ab anno 1099 ad annum 1118. Difficultatem, inquam, mihi creant ista, ac movent suspicionem, ne aliqua forte subsit confusio ; ut nihil dicam, non constare, an de Sixto I, an de secundo intelligi debeant. Cæterum de æde sacra Romæ sub* Sixti II *nomine agit Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ Regione 9, ecclesia 23 ; ubi inter alia scribit, a nobili quadam femina, Tigride dicta, domum fuisse datam, ut sub ejus nomine consecraretur. De insigni templo* S. Sixti II, *apud Placentinos a conjuge Ludovici II imperatoris constructo, meminit Antonius Libanorius in* Sixto II, *qui Ferrariæ editus est in lucem anno 1638, pag. 51.*

ac divinis Officiis;

8 *Jam vero si antiqua velimus divinorum Officiorum vestigia relegere, honorificam admodum in iisdem sancti Pontificis nostri memoriam fuisse celebratam inveniemus. Cujus rei argumento sint Sacramentaria a Menardo ac Thomasio vulgata. Hunc consule pag. 162 et 367 ; illum vero pag. 118. Cæterum veneratio tam singularis et tam universalis suggerit rationem credendi, Canoni Missalis Romani nomen hujus nostri Sancti insertum esse potius, quam S. Sixti I. Quod si constaret, observatum esse in Canone ordinem temporis, Xystus in eo signatus, esset Pontifex hujus nominis primus, cum præcedat Cornelium, qui ante* Sixtum

AUCTORE J. P.

tum II vixit. *Sed in fortassis causæ est, quod ponatur ibidem ante S. Cornelium, ne hic a S. Cypriano sejungeretur, cui Deus illum tot modis conjunxerat; et ne S. Cyprianus ante S. Sixtum poneretur. Et vero S. Laurentius ibi exstat post S. Cyprianum, quanquam certo ante illum passus fuerit. Hæc de cultu; quem auxerunt insuper ac foverunt sacræ ipsius reliquiæ: de quibus ista subdo.*

uti et sacris lipsanis, ad varia Italiæ loca

9 *S. Gregorius PP. I in Registro lib. 12, responsione 9 ad Augustinum, meminit de reliquiis in Angliam a se missis. Textum ipsum accipe, qui exstat apud Labbeum tom. V Conciliorum, col. 1571 :* Obsecro, *ait Augustinus*, ut reliquiæ sancti Sixti martyris nobis transmittantur. *Cui Gregorius :* Fecimus, quod petisti, quatenus populus, qui in loco quondam sancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. *Sed Baronius in Notationibus ad hunc locum recte observat,* Cujusnam fuerint Sixti martyris, istiusne, an prioris, vel B alicujus non Pontif. Sixti martyris, non liquere. *Libanorius supra memoratus affirmat, corpus* S. Sixti *nostri Placentiam esse translatum. Rem gestam ex Italico sic contraho :* Annisu Ludovici imperatoris, mariti sui, procuravit *ejus uxor*, et obtinuit a summo Pontifice Nicolao I, corpus ejusdem S. Sixti, quod magna cum solemnitate Placentiam deferri jussum posuit in ecclesia, sub ejus nomine dedicata. Factum testantur multa monumenta, quæ in monasterio isto conservantur, ac multæ inscriptiones, quæ in dicto deposito conspiciuntur, quod denique infra istius nobilissimæ ecclesiæ aram majorem translatum est. *Uxor Ludovici II imperatoris fuit Engilberga vel Angelberga; ad quam inter epistolas Joannis PP. VIII exstat quadragesima tertia apud Labbeum, tom. IX Conciliorum, col. 37 excusa, estque consolatoria in morte mariti. Aliæ ad eamdem sequuntur ibidem epistolæ. Meminit etiam de ea Aimoinus de Gestis Francorum lib. 5, cap. 28.*

transmissis,

10 *Petrus Maria Campi in Historia ecclesiastica part. 1, lib. 7, ad annum 852, scribit de monasterio a dicta imperatrice fundato Placentiæ,* C *quod hodie, uti addit,* S. Sixti *appellatur. Mentionem insuper de eo faciunt Ughellus tom. IV Italiæ sacræ col. 950, ac Lubinus in Abbatiarum Italiæ notitia, pag. 300 : Sigonius autem in Historia de regno Italiæ lib. 5, ad annum 875, dicens,* Ludovici uxor Engilberga religionis causa nobile monasterium ad urbem Placentiæ ædificarat, idque divis Sixto et Agapito consecrarat, *significat, illud consecratum fuisse sub nomine* Sixti *PP. II, qui una cum* S. Agapito *hac die* VI *Augusti in sacris, uti vidimus, Fastis annuntiatur. Libanorius supra allegatus, pag. 52, auctor est, caput hujus nostri sancti Pontificis honorari in ecclesia ac monasterio* S. Bartholomæi *apud Ferrariam, Ordinis Cisterciensis; quod illuc potuerit esse delatum anno circiter 869 secundum conjecturas, quas format. Hisce subjungit varia ad probandam sacri istius pignoris antiquitatem ac veritatem. Et vero tantos ac tam continuos Ferrariensibus, aliisque fidelibus,* S. Sixto *patrocinante, favores ac gratias concedi testatur pag. 55, ut præter totius civitatis ac diœcesios Ferrariensis concursum die* VI *Augusti, annuæ ipsius venerationi sacro (de quo a monachis Cisterciensibus Officium unius Martyris Pontificis peragi, ac Missam abbatialem cantari solere dicit) etiam per totum anni decursum, continua quasi serie videantur personæ* omnis sexus, ætatis, conditionis, quæ gratias D acturæ Sancto veniunt pro sanitatibus recuperatis, prout etiam testimonium perhibent innumera anathemata argentea, et ornamenta sacrarii, Sancto oblata in gratiarum obtentarum testificationem; præter magnum Missarum numerum, quas ad aram ejus celebrari curant.*

ac publicæ venerationi expositis.

11 *Memorat præterea laudatus Libanorius, in templi ingressu ad manum sinistram spectari egregiam Sancti picturam, cum hac epigraphe litteris aureis exarata :*

Hic colitur divi numen venerabile Sixti :
Hunc pete, si sanum quæris habere caput.

Unde perspicuum sit, Deum Sancti interpellatione esse propitium iis, qui cephalalgia laborant, ejusque hunc in finem patrocinium implorant, ac sancta ipsius lipsana a cœnobitis Cisterciensibus sibi applicari satagunt, quæ ea de causa separatim exponuntur publicæ venerationi. Atque hæc sunt, quæ in fide Antonii Libanorii tum, quando illa edebat, prædicti monasterii S. Bartholomæi prope Ferrariam Prioris (uti patet ex libri approbatione pag. 56) collegi de publico ac singulari E *erga* S. Sixtum *cultu apud laudatos cœnobitas : circa quorum monasterium plura dabunt Ughellus tom. II Italiæ sacræ, col. 557 et seqq., ac Lubinus supra citatus pag. 132 ; quod miror a Jongelino in Notitiis abbatiarum Ordinis Cirterciensis lib 7, pag. 33, collocari* in ipsa urbe Ferrariensi; *cum dicti mox libri editor* prope Ferrariam; *approbator autem scribat anno 1658,* Datum in monasterio nostro S. Bartholomæi extra Ferrariam*; quod primo utique ab urbe lapide, seu unico circiter milliario situm est. Vide Libanorium pag 52.*

Quædam in Gallia,

12 *Saussayus in Martyrologio suo Gallicano post annuntiationem nostri Martyris, ista subdit :* Hujus caput gloriosum, duoque brachia Roma in Gallias allata, ad Carthusianorum Rutilense (*imo* Putilense) ad ripam Mosæ cœnobium, cujus patronus colitur, ibidem... digno cultu reposita observantur, memoriaque veneranda hodie magna celebritate colitur. *Ex Auberto Miræo in opusculo, quod inscribit* Origines Cartusianorum monasteriorum *etc. cap. 13 hoc monasterium est* domus S. Sixti, in vico Putila, vulgo Pettel, in Lotharingiæ finibus, ad Mosellam fluvium apud Sierick F oppidum. *Legendista neotericus, qui Vitas Sanctorum anno 1704 Gallice Parisiis edidit, hoc die in Vita Sancti nostri observat, spectari etiam in abbatia Benedictinorum S. Michaelis ad Mosam in Lotharingia in diœcesi Virdunensi, sacrum aliquod lipsanon, quod creditur esse S. Sixti PP. ac martyris, a Clemente PP. X Eminentissimo Retzio datum, qui illud isti abbatiæ, una cum alio S. Damasi PP. donavit. Quod ad caput attinet; dispiciendum relinquo aliis, Putilencesne an Cistercienses extra Ferrariam, quibus ambobus ejusdem Sancti caput adscribitur, veritatem hujus sui, uti volunt, depositi sacri, ejusdemque possessionem solidioribus argumentis probent. De aliis reliquiis proxime memoratis opus est afferre bonas rationes, ut pro reliquiis hujus nostri* S. Sixti *habeantur.*

Germania,

13 *Apud nos tom. I Januarii, pag. 1084, in addendis ad diem 2 istius mensis, inter, Reliquias a Carolo IV Pragam allatas ponitur* S. Sixti Papæ M. pars capitis, *et apponitur* VI *Augusti. Gelenius in sua Colonia Agrippina lib. 3, syntagmate 2, § 2, pag. 263, meminit reliquiarum* Sixti, item Felicissimi et Agapiti; *de quibus insuper pag. 264; pagina vero 265 ponit* S. Sixti Papæ *(nostrine, an alterius?)* particulas tres. *Ex*

A *Ex litteris anno 1674, die 2 Maii Loviano ad nostrum P. Papebrochium datis, disco, ibi esse ab anno 1638 inter alias Sanctorum reliquias Roma allatas, et ab Illustrissimo D. Jacobo Bocnen, archiepicopo Mechliniensi approbatas,* corpus fere integrum S. Magni subdiaconi, qui cum S. Sixto colitur VI Augusti. *In alia item epistola, ibidem die* VII *prædictorum mensis et anni ad eumdem Papebrochium scripta, dicitur :* Habemus valde notabiles S. Agapiti martyris diaconi, qui etiam cum S. Xisto et S. Magno decapitatus est. *At quis credat, ea lipsana esse istorum Martyrum? Ante me habeo litteras e monasterio Warnestonensi Canonicorum Regularium in Flandria datas die* XXVII *Novembris 1687, in quibus lego, haberi ibidem corpus S. Agapiti. Verum quia in donationis instrumento, cujus exemplar in promptu habeo, quodque signatur* XV *die Septembris anno 1650, Alexander Victricius, episcopus Alatrinus testatur, se, dum Vicegerentis munere fungeretur, donavisse Rmo Patri Balthasari d'Avila,* B *Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula,* corpora seu ossa corporum sanctorum Martyrum... Amantii, Antonini, Agapiti, Basilii, Constantii, Damiani et Eusebii; *et quia S. Agapiti corpus seu reliquiæ jam memoratæ deinde Warnestonensibus ab alio dicti Ordinis Paulani Religioso donatæ fuere, uti liquet ex instrumento, die* XXVIII *Januarii 1659 notato; consequens est, ut corpus illud sit e numero illorum Sanctorum, quos baptizatos vocant.*

atque Hispania.

14 *Tamayus in Martyrologio suo Hispanico ad hanc diem* VI *Augusti pag. 391 memorat* translationem aliquorum sacrorum pignorum S. Sixti, Roma in Hispaniam in Hortense cœnobium prope urbe Lorcam. Ad cujus probationem, Testem, *ait,* advoco ocularem P. Vargas Histor. Hortan. tit. de reliquiis § I, fol. 4; ubi asserit, ipsum (*Dicerem* se) eas a Roma Apostolica auctoritate extraxisse, et in illud regium monasterium in majori altari collocasse. De hoc apud ipsum fides stet. *Hisce addit ibidem Tamayus S. Innocentii, unius, uti vult, e quatuor Subdiaconis, qui cum nostro* S. Sixto *passi sint, reliquias, ad idem monasterium,* C *teste eodem Varga, quem citat, translatas. At notissimum est, sacrorum pignorum possessoribus non raro accidere, ut celebrium præ aliis Sanctorum nomina affectent, et plus in hac materia sibi credi velint ab aliis, quam ipsi unquam iis probare possint.*

§ II. Patria, vitæ professio ante Pontificatum, gesta in Pontificatu; locus, tempus et occasio martyrii.

Sanctus natione Græcus, patria Atheniensis,

Sanctus *Athleta noster fuit* natione Græcus, *ex Catalogo primo antiquorum Pontificum, qui exstat apud nos ante tomum I mensis Aprilis, pag.* XXVII. *Consentiunt Anastasius Bibliothecarius in Vita* S. Sixti II, *et alia documenta, patriam etiam, e qua oriundus fuit, determinantia. Ado,* Hic beatus Sixtus, *ait,* apud Athenas natus. *Acta S. Stephani PP. ac martyris apud Surium edita ad diem 2 Augusti, etiam* patria Atheniensem *fuisse scribunt. His suffragantur nostri codices* P. Ms. 155, *fol. 84, ac* Q Ms. 6 *seu codex Fuldensis, fol. 40; in quibus dicitur* apud Athenas natus. *Adde inter variantes lectiones ad Anastasium Bibliothecarium, novissime typis Romanis recusum, tom. I, pag. 26, e codice regio, Mazariniano ac Thuano,* nat. Gr. de Athenis. *Ex neotericis, cum nihil vel parum ponderis huic rei addere possint, suffecerit unicum producere Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum pag. 53, cui Pontifex noster est* natione Græcus, patria Atheniensis. *At cujus instituti vitam professus est, antequam ad Petri cathedram promotus?*

AUCTORE J. P.

an philosophus fuerit.

16 *Ex Catalogo secundo Pontificum, loco apud nos paulo ante citato; ex duobus etiam codicibus nostris Mss., de quibus supra; item ex Adone; uti et variis codicibus Mss., videlicet Regio, Mazariniano, Thuano, Florentino, Cassinensi, Vaticano, Freheriano, in citata Anastasii Bibliothecarii editione; eadem pag. 26 allegatis; ex omnibus, inquam, hisce documentis habemus, quod Sanctus noster exstiterit philosophus. Si autem vere philosophus fuerit, videtur philosophus gentilis fuisse, ac deinde christiana sacra professus, secundum Adonis verba, quæ videntur* E *hoc innuere, dum sic dicunt :* Prius quidem philosophus; postea Christi discipulus. *Non tamen ex his conficitur certo, quod talis fuerit : nam præterquam quod in hac re standum non sit auctoritate solius Adonis, qui floruit seculo nono, a* S. Sixti *ætate admodum longe remoto; cur Adonis verba sic exponi non possint, ut prius quidem noster Sanctus professus fuerit philosophiam, præscindendo an id fecerit gentilis an Christianus ; et supposito, quod tunc fuerit Christianus, cur dici nequeat, quod novo ac singulari titulo* postea *fuerit* Christi discipulus, *quia tunc profanam philosophiam cum sacra commutaverit, quia Christi servitio intimius se devoverit, cultuique ejus etiam apud alios propagando alacrius inhæserit? Dicebam paulo ante,* si vere philosophus unquam fuerit. *Etenim tametsi tot, sicut jam vidimus, in eo conveniant exemplaria, cum fieri tamen facile potuerit, et forte etiam factum sit, ut Rufinus, qui accusatur a S. Hieronymo, quod librum Sententiarum a gentili quodam compositum, Latine verterit, et* S. Sixto *nostro supposuerit; cum facile, inquam, fieri potuerit, et factum fortasse sit, ut, quod fecit* Rufinus, *teste Hieronymo, ansam aliis dederit, titulum philosophi vel primigeniis* F S. Sixti *Papæ ac martyris Actis tunc exstantibus insuendi, vel postea exaratis assuendi; ideo non ausim affirmare, professionem ejus philosophicam omnino certam esse, multo minus asserere, quod sectæ Pythagoricæ instituta secutus sit ante Pontificatum : præsertim cum ipsius Acta interpolata sint, ex dicendis infra num. 69. Verum hæ nostræ conjecturæ majorem lucem accipient ex iis, quæ § 6 referemus de dicto libro, ejusque auctore ac interprete. Nunc progrediamur ad ea, quæ Sanctus in Pontificatu gessit.*

Gesta in pontificatu

17 *Domesticis atque internis Ecclesiæ incommodis medelam adferre satagebat Pontifex sanctissimus. Famosa quippe controversia circa baptismum hæreticorum, sub S. Stephano, ipsius decessore, inchoata, etiamnum sub illo durabat, teste Eusebio lib. 7 ecclesiasticæ Historiæ, cap. 5, ubi de S. Dionysio Alexandrino hæc narrat, Valesio interprete :* Cæterum cum Stephanus Ecclesiam biennio administrasset, Xystus in ejus locum successit. Ad hunc Dionysius secundam de baptismo scripsit epistolam; in qua Stephani simul ac reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit, de Stephano ita scribens *etc. Et cap. 9,* Exstat, *ait Eusebius,* et quinta ejusdem epistola ad Xys-

AUCTORE J. P.

tum Romanæ urbis episcopum scripta : in qua postquam adversus hæreticos multa disseruit ; hujusmodi quiddam sua ætate contigisse narrat. Nam profecto, inquit, opus habeo, frater, consilio tuo, et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato. Quidam ex fratribus, qui ad ecclesiam conveniunt, jam pridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem, ac, ni fallor, ante ipsius quoque Heraclæ episcopatum, cœtus fidelium particeps fuerat, cum interfuisset baptismo eorum, qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsaque illorum audiisset; ad me accessit flens, et vicem suam ingemiscens.

circa baptismum hæreticorum,

18 Pedibusque meis advolutus confiteri atque dejerare cœpit, baptismum, quo apud hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam commune habere. Quippe illum plenum esse blasphemiæ et impietatis. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere se audere : quippe qui scelestis illis verbis ac cæremoniis initiatus fuisset. B Proinde orabat, ut hoc purissimo lavacro, verissimaque adoptione et gratia donaretur. Quod equidem facere non sum ausus : sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, et qui cum cæteris responderit, Amen; qui ad sacram mensam astiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum acceperit, et corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime; ego cum de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset, et cum firma fide bonæ spei plenus ad dominici Corporis participationem accederet, jussi. Verum ille nullum lugendi finem facit, et ad mensam accedere penitus exhorrescit, vixque rogatus interesse orationibus sustinet. Præter supradictas est etiam quinta *(in Græco est* ἄλλη, *id est,* alia) ejusdem epistola de baptismo, ipsius, et ecclesiæ, quam regebat, nomine, ad Xystum, et ecclesiam urbis Romæ directa; in qua de proposita quæstione prolixam admodum disputationem instituit. *Durabat itaque etiamnum tunc temporis famosa, quam dicebam, controversia; cui* S. Sixtus, *super ea consultus, pro paterna sua cura prospi-* C *cere conabatur; tametsi ipsius responsio nos lateat.*

quam controversiam composuit.

19 *Quod præclare in dicta causa se gesserit optimus Ecclesiæ Pastor, elucet ex citato Kalendario ecclesiæ Carthaginensis,* quo non solum hæc princeps Africæ sedes, *prout ad lectorem dicitur ante citatum a me ibidem tomum,* sed tota quanta fuit Africana ipsa ecclesia usa est ante annos fere mille et ducentos ; *ex hoc, ut iterum dicam, pretioso venerandæ antiquitatis monumento paterna Sancti cura elucet in persananda apud Afros notissima exulceratione; ad laudati Kalendarii annuntiationem, quæ Sanctum nostrum spectat, ejusdem monumenti editore tom. citato pag. 410 de Sancto nostro hæc notante :* Ejus memoria præ sanctis Stephano et Cornelio inde forsan pretiosa fuerit apud Africanos, quod is controversiam de baptismo hæreticorum composuerit. Unde Pontius in Vita sancti Cypriani eum BONUM ET PACIFICUM SACERDOTEM appellat. *Quin imo in Vita ejusdem sancti Patris, Operibus illius præfixa, prædictus S. Pontius, ipsius diaconus (de quo apud nos tom. I Martii, ad diem* VIII, *pag. 750 et sequente; ubi etiam opusculum illud contra Rigaltium defenditur) eousque boni ac pacifici sacerdotis in illo conditiones extollit, ut per eas* D *meruisse ipsum dicat martyrii coronam; nam verbis modo citatis usus, mox loquitur immediate de eo, tanquam* PROPTEREA beatissimo martyre. *Jam vero quod* S. Sixto *cathedram Petri gubernante finis impositus sit acribus illis ac præfervidis circa baptismum hæreticorum disputationibus, videre etiam est apud nos ad diem 2 Augusti in Vita S. Stephani PP. I ac martyris, pag. 119 et sequente.*

Certior fit a S. Dionysio Alexandrino de hæresi Sabelliana.

20 *De hæresi Sabelliana scripsit ad* S. Xystum *S. Dionysius Alexandrinus, teste Eusebio Eccl. Hist. lib. 7, cap. 6, his verbis :* In eadem epistola *(prima nimirum, de qua supra dixi)* de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increbrescebant, Xystum certiorem facit his verbis : Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum est, pleno impietatis ac blasphemiæ adversus omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum quod inter homines versatum est; pleno denique stuporis adversus Spiritum Sanctum : cum ab utraque parte et litteræ ad me allatæ essent, et fratres mecum disserturi venissent, epistolas quasdam, quantum, Deo E juvante, potui, tractatoris more fusius scripsi : quarum exemplaria ad te misi. *Quamvis vero nesciamus, quid in hac re fecerit* S. Sixtus, *fecisse tamen ea, quæ sedulum ac vigilem Ecclesiæ pastorem decent, quis inficias ierit?*

Ejus prudentia

21 *Maturam in rebus agundis prudentiam commendat sapiens ille ac singularis plane delectus, quo S. Laurentium Romanæ Ecclesiæ archidiaconum præfecit, cura ejusdem divitiarum distribuendarum isti titulo, quo præ aliis excellebat, annexa. At de hoc Sancto plura ad diem* X *hujus. Enimvero Ecclesia Romana ac Gallicana olim Deum laudabant in sua de* S. Sixto *liturgia, quod illustrem istum martyrem Ecclesiæ Catholicæ dedisset, exemplo suo ad dura perferenda erectum. Liber quippe Sacramentorum S. Gregorii pag. 118 in Præfatione sic dicit :* Vere dignum et justum est... nos tibi semper et ubique gratias agere... Et in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Sixtus, pariter sacerdos et martyr, devotum tibi sanguinem exsultanter effudit. Qui ad eamdem gloriam promerendam, doctrinæ suæ filios incitavit, et quos eru- F diebat hortatu, præveniebat exemplo. *In Missali autem Gothico seu veteri Gallicano apud Thomasium pag. 367 in* Immolatione Missæ *seu Præfatione leguntur ista :* Ex quibus est sanctus ac venerabilis Sixtus martyr; cujus hodie solemnitas celebratur : qui, dum Apostolicæ Sedis excepisset insignia, et se primum esse conspiceret sacerdotum... exemplum fuit cæteris. Nam mox suus quoque minister eximius, venerabilis Laurentius, victoriæ palmam imitatus, accepit ornamentum, quod debuit pœna subire *etc*.

ac spiritus apostolicus commendantur.

22 *Spiritus Apostolicus in fovenda ac promovenda pietate elucet in eo, quod S. Peregrinum, episcopum a se consecratum, ac deinde antistitem Autissiodorensem ac martyrem, in Gallias miserit, ea de causa merito sibi obstrictas. Vita ejus, quæ exstat apud nos tom. III Maii, die* XVI, *pag. 563, hæc scribit :* Cum hæc discriminosa persecutionis in Gallias irrupisset vesania, statimque latenter a fidelissimis Christianis ad aures Sixti Papæ urbis Romæ nuntiaretur, poscentes, ut talem virum dirigeret, qui jam fidei exstinctam lucernam suis deberet illuminare eloquiis, et barbarorum infidelitatem, opitulante divino auxilio, compesceret; tum memoratus vir Sixtus Papa, summæ sanc-

sanctitatis perspicuus, magnum et præclarum Dei servum Peregrinum... ordinavit episcopum; Marsum vero presbyterum, Corcodemum archidiaconum, levitam esse constituit, et Jovianum onere subdiaconi mancipavit... Hos etenim summi Dei cultor beatissimus Papa Sixtus urbis Romæ, cum omni fiducia usque ad portum marinum perducens, verbum Domini specialius præcipiebat usque ad mortem fiducialiter prædicare *etc. Missio quidem illa S. Peregrini a nonnullis adscribitur* S. Sixto I, *prout invenies loco mox citato, pag. 562; sed ad* S. Sixtum II *eam spectare, ibidem probatur. De missione S. Peregrini mentio etiam fit tom. VII Julii, ad diem* XXXI, *pag. 207; et apud Surium ad eumdem diem pag. 361, editionis Coloniensis anni 1618.*

Videtur transtulisse corpora SS. App. Petri et Pauli.

23 S. Sixti PP. II *gesta Pagium in Critica historico-chronologica latuere; præter translationem corporum SS. Apostolorum, quam hisce observationibus illustrat:* Nihil, *inquit ad an. 258, num. 3,* a Sixto in suo Pontificatu gestum reperimus, nisi quod in Indiculo depositionis Marty- B rum habetur: « Tertio Kalendas Julii, Petri in » Catacumbas, et Pauli Ostiense, Tusco et Basso » Coss. » Bucherius cum hoc arcanum non intelligeret, scripsit in margine: Nescio quid hic sibi velint hi Consules, forte aliunde luxati. Verum non de sanctorum Apostolorum passionis, sed de translationis tempore hic agitur. Idem habet Gestorum Pontificalium auctor; sed Pontifices permutavit, ut sæpe solet, et pro Sixto Cornelium posuit: indeque Pseudo-Isidorus eamdem historiam fictitiæ Cornelii epistolæ inseruit. Caius, qui circa annum Christi CC scripsit, tradit, Apostolorum trophæa tunc temporis in Vaticano et Ostiensi asservata fuisse. Hæc igitur trophæa in Catacumbas transtulisse videtur Sixtus, magis in dies sæviente persecutionis ardore, ut ibi tutius stationes haberi possent. *Accipe nunc ista de loco martyrii.*

Locus,

24 *S. Cyprianus in memorata superius epistola ad Successum sic scribit:* Xistum autem in cœmeterio animadversum sciatis. *At vel non scivit, quale cœmeterium illud fuerit, vel si scivit, nullum e pluribus, quæ tunc exstitere, determinare* C *voluit. Martyrium* S. Sixti, *quod huic Commentario subjungemus, ductum fuisse cum memorat* in Clivum Martis ante templum, et ibidem decollatum esse, *loco utpote a cœmeterio distincto: nam tametsi templum Martis situm erat in via Appia, sicut videre licet apud Aringhum Romæ subterraneæ tom. I, lib. 3, cap. 10, num. 9; et ibidem cap. 11, num. 1, Callisti cœmeterium, in quo annuntiatur Sanctus, prout dictum a nobis est supra num. 2 et 3, ponitur in eadem via, laudatus tamen Aringhus eodem cap. 11 num. 9, postquam præmisisset.* S. Sixtum II *in dicto cœmeterio martyrii coronatum laurea, subdit ista:* Beda, Ado, Martyrologium Romanum, Anastasius, et Mss. ipsius Cypriani Acta, in Callisti cœmeterio eumdem conditum fuisse; at vero martyrium EXTRA CŒMETERIUM ante Martis templum consummasse, constanter perhibent. *Hanc etiam distinctionem indicant Acta, quæ daturi sumus,* S. Sixti *sub finem. Denique quandoquidem* complura, *teste Aringho lib. 3, cap. 10, num. 9,* templa inanibus diis, eaque magnificentissimo instructa opere via olim Appia a gentilitiæ superstitionis hominibus erecta suspiciebantur, inter quæ illud celeberrimum fuit, quod Deo Marti, *etc.; non videtur locus iste opportunus fuisse ad constituendum Christianorum cœmeterium. Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum 258, num. 6 utrumque locum distinguens,* Non, *inquit,* in Clivo Martis, sed in cœmeterio animadversus est Xystus; ut Cyprianus ipse docet. *Dicamus itaque et nos potius cum S. Cypriano, martyrium in cœmeterio contigisse, quam cum Actis, ad clivum Martis; cum Acta sint interpolata, secundum dicenda sub finem hujus Commentarii.*

AUCTORE J. P.

dies, annus

25 *Martyrium illud* octavo Iduum Augustarum die *contigit, ex S. Cypriano ibidem, conspirantibus Martyrologis; ut suspicari liceat, irrepsisse mendum in Kalendarium Frontonis; quia in notando die* V *pro die* VI *Augusti adeo est singulare; sicut supra significavi num. 3. At quid de anno martyrii? Cardinalis Baronius ad annum 261 sub* Consulibus Aurelio Memmio Fusco, et Pomponio Basso *illud ponit. At* Memmium Tuscum *et* Bassum *lego in Fastis consularibus. Et vero* Ita omnes antiqui Fasti, in quibus etiam pluribus prior dicitur TUSCUS, non vero FUSCUS, ut perperam quandoque vocatur: quam depravatam lectionem Baronius secutus est, *sicut notat Pagius* E *ad annum Christi 258, num. 1. Cæterum, prout ibidem num. 2 observat,* in eo tantum errat Baronius, quod Tusci et Bassi consulatum, qui in annum Christi CCLVIII incidit, cum anno CCLXI ejusdem æræ perperam copulet, sicque prochronismi triennio peccet, ob tertium nempe Decii Augusti consulatum ordinarium supposititium in Fastos infartum. *Porro inferius num. 42 offeret se occasio alia, agendi de istis aliisque consulibus. Hallucinatur itaque etiam noster Ludovicus du Menil, in Doctrina et disciplina Ecclesiæ tom. I lib. 7, num. 58, martyrium innectens anno Christi 259. Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum male etiam ad diem* X *Augusti* S. Sixto *apponit dictum annum 261. A vero quoque aberrat Historia episcoporum Autissiodorensium a Labbeo edita in Nova bibliotheca manuscriptorum librorum tom. I; dum pag. 412 refert, eum complevisse martyrium* sub die decimo sexto Kalendarum Juniarum, imperatoribus Galieno et Valeriano, Æmiliano et Basso consulibus.

et occasio martyrii.

26 *Qua autem occasione, cujusque potissimum annisu crudelis in* Sixtum, *Laurentium, aliosque, tum temporis rabiei tyrannicæ devotos, recruduerit persecutio, intelliges ex epistola S.* F *Cypriani 82, modo citata:* Sciatis, *inquit,* eos venisse, quos ad Urbem propter hoc miseram, ut quomodocunque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia et incerta opinionibus ventilantur; quæ autem sunt in vero, ita se habent: Rescripsisse Valerianum ad senatum, ut episcopi, et presbyteri et diacones in continenti animadvertantur; senatores vero, et viri egregii, et equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur, et si, ademptis facultatibus, Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur: matronæ ademptis bonis in exsilium relegentur: Cæsariani quicunque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, et vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. Subjecit etiam Valerianus imperator orationi suæ exemplar litterarum, quas ad præsides provinciarum de nobis fecit: quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, et exspectantes de ope, et indulgentia Domini, vitæ æternæ coronam. *Ex hac igitur Valerianei rescripti flamma cum Romæ, tum alibi, etiam in Africa magnum hoc adversus Christi Pugiles excitatum fuit incendium.*

§ III.

AUCTORE J. P.

§ III. S. Sixtus una e primis tunc victimis; senilis ejus ætas, genus mortis, vaticinium; socius martyrii Quartus; propositæ circa sex alios difficultates.

S. Sixtus ordine temporis fuit unus e primis tunc Martyribus,

Sicut sanctus noster Pontifex inter omnes tunc temporis mactatas pro Christo victimas dignitate erat primus; sic etiam una ex primis earum videtur fuisse ordine martyrii. Etenim ut nihil dicam de Sacramentario S. Gregorii PP. I, ac alio, quod vulgavit Thomasius; in quorum uno, nempe Gregoriano, de S. Sixto dicitur in Præfatione: Qui ad eamdem gloriam promerendam doctrinæ suæ filios incitavit, et quos erudiebat hortatu, PRÆVENIEBAT EXEMPLO: in alio autem B hæc de ipso habentur in Immolatione Missæ seu Præfatione: Non tantum seculares exuit sordes contagii; verum etiam exemplum fuit cæteris: ut, inquam, de istis nihil dicam; S. Maximus, episcopus Taurinensis, vitæ integritate ac scriptis clarus seculo quinto, et apud nos illustratus tom. V Junii, ad diem XXV, a pag. 48, in secunda, quam inter alias de Sanctis scripsit, homilia de S. Laurentio, disertissimis verbis assertionem meam enuntiat. Textum accipe: Sicut patrum nostrorum, fratres charissimi, non incerta relatione didicimus, cum venerabilis Xistus Apostolicæ Sedis sacerdotio fungeretur... invidia ardente diaboli adversus nomen et fidem Christi, flamma durissimæ persecutionis incanduit, atque ut perniciosius dominicum gregem feralis bestiæ rabies insatiata laniaret, nocendi artifex inimicus pervigilis PRIUS molitur custodiam pastoris eripere. Et ideo Xistum ANTE OMNES summum Domini sacerdotem furor gentilis aggreditur, ut ecclesiastica membra tam valido truncata capite, velut munimine præsidii cœlestis amoto, cruentus persecutor invaderet. Sed magnus ille Xistus, qui commissis sibi a Deo ovibus affuerat pastor in terris, aderat patronus e cœlo.

et in senili ætate passus.

C 28 *Ad hæc, martyrii palma in ætate annosa a Servo Dei obtenta fuit, ac proin venerabilibus ejus canis singulares afflavit honores. S. Ambrosius lib. 1 Officiorum cap. 41 inducit Sanctum nostrum cum S. Laurentio suo sic ad propositum nostrum inter alia loquentem:* Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. *Apud Adonem in Actis* S. Sixti, *et in iis, quæ infra dabimus, num. 7,* Nos, *ait ipsi tyrannus,* consulimus senectuti tuæ. *A S. Maximo Taurinensi homilia 1 de S. Laurentio, dicitur* venerabilis: *in Sacramentario autem apud Thomasium* sanctus ac venerabilis. *Et quid ni sic dici possit, et titulo quidem singulari, ob venerabilem suam senectutem? At nunc disserendum, quo genere mortis, agonis sui cursum consummarit.*

Quo mortis genere sublatus:

29 *Truncatum capite fuisse* S. Sixtum, *perhibent ea, quæ dantur e Catalogis veteribus antiquiorum Pontificum, ante nostrum tomum I Aprilis pag.* XXVII. *Ex annuntiatione Usuardi, quam supra dedi num. 3, Sanctus noster, uti et alii, qui cum ipso ibidem referuntur,* decollati sunt. *Consentiunt in isto Martyris nostri supplicio Ado in Actis, Martyrium, quod typo committimus, num. 8; adde Martyrologium Romanum hodiernum, in quo dicitur* gladio animadversus. D *S. Cyprianus epist. 82 ad Successum,* Xystum... animadversum *affirmat. Quo verbo supplicium quidem, quo caput amputatur, significari potest; non tamen debet. Potest, inquam; sic namque Pontius, Cypriani diaconus, phrasi, uti arbitror, istius temporis usus, in Vita ejusdem Sancti,* Manu, *ait,* expansa et complanata ad spathæ modum, ICTUM solitæ ANIMADVERSIONIS imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. *Non tamen debet: nam* animadvertere *proprie et ex natura sua hic supplicium quodlibet, pœnam quamlibet ac castigationem significat tanquam genus; quod Pontius supra in Vita S. Cypriani contraxit ad speciem, addendo* τὸ ictum; *ut satis indicarit, agere se de truncatione capitis; quam tametsi ibi indicet irrogari solitam; non tamen re vera irrogatam esse* S. Sixto *affirmat. Et vero genus martyrii longe diversum assignat Prudentius, quando in hymno 2* Περὶ στεφ. *cruci affixum obiisse Sanctum diserte memorat, sic canens:* E

Fore hæc sacerdos dixerat
Jam Xistus affixus cruci
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.

Si quis itaque τὸ animadversum, *quo usus est Cyprianus, ex natura sua indeterminatum, cum Prudentio, auctore adeo antiquo, fide digno, ac tam distincte perspicueque locuto, determinet ad mortem crucis, an temeritatis illi notam inurendam censes? Ego certe hoc non ausim; nedum arguere falsitatis Prudentium; sicut facit quidam Heterodoxus in suo* Sixto II, *quem anno 1725 edidit, pag. 117 hæc scribens:* Resecta cervice animam Deo reddidit; secus atque Prudentius cecinit, qui crucis vocabulum arctius constringens, patibulo affixum perperam arbitratus est. Certam gladii mentionem facit S. Cyprianus epistola LXXXII; cui tanquam antiquo probatoque scriptori prorsus adstipulamur. *At sciolus ille* certam *illam* gladii mentionem *affirmat, non probat: nos negamus, quia certitudinem istam in Cypriano prorsus non videmus. In equuleo autem Martyr sanctissimus extensus etiam fuisse fertur: pro qua re citatum invenimus sermonem 60 ex his qui S. Fulgentio falso dicuntur attribui in ejus appendice editionis Parisiensis anni 1684.* F

30 *Ast unum e præcipuis, quæ* S. Sixti *martyrium nobilitarunt, ornamentis est illud præclarum vaticinium, quod de carissimo sibi Laurentio post triduum ad palmam martyrii se secuturo prænuntiavit. Prudentius indicat,* Sixto e cruce pendulo hoc *accidisse: nam versibus mox productis subdit:* *vaticinium de S. Laurentio.*

Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.

Cæterum hujus prædictionis veritas confirmatur ex SS. Ambrosio lib. 1 Officiorum cap. 41; Augustino Tractatu 27 in Joannem; Petro Chrysologo serm. 135; Maximo Taurinensi homilia 1 et 2 de S. Laurentio. Vide præterea S. Sixti *Martyrium, huic nostro Commentario subnectendum, num. 3.*

31 *Dispiciendum modo superest, an et quos noster Athleta certaminis sacri socios habuerit. S. Cyprianus epist. 82 ad Successum, ipsi* Quartum *adjungit.* Xystum, *inquit,* in cœmeterio animadversum sciatis octavo Iduum Augustarum die, et cum eodem Quartum; *ab Adone, Usuardo, ac Notkero in ejusdem S. Cypriani, quem citant, fide,* *S. Sixto socius in martyrio fuit B. Quartus.*

A *fide*, S. Sixto *etiam conjunctum. At quisnam et qualis ille* Quartus? *Florentinius in notis ad hanc diem* VI *Augusti*, Hunc, *ait*, notissimum aliquem ex clero fuisse, ex loquendi modo videtur omnino sanctus Doctor docere; cum tamen aliunde, quis, quando passus sit, ignoretur. *Et vero* B. Quartum *alicujus inter Catholicos nominis fuisse, et apud Afros vulgo abunde cognitum, quasi vel ipsum duntaxat nominasse, suffecerit, prætermissis ejusdem idiotismis, videmur suspicari posse. Suspicionem vero cur non augeat, quod sicut solo nomine designat* Sixtum, *sic etiam* Quartum, *aliunde utique notissimos? Verum utcunque se habeat ista conjectura circa* Quartum; *cum S. Cyprianus in principio dictæ epistolæ scribat*, Sciatis, eos venisse, quos ad Urbem propter hoc miseram, ut quemodocunque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia et incerta opinionibus ventilantur: quæ autem sunt in vero, ita se habent *etc. Cum, ut hoc repetam, ita scribat sanctus Doctor; consequens est, ut de* B. Quarto, *quem in eadem epistola adeo clare* S. Sixto *sociat, apprime fuerit instructus, et ex certa suorum, quos Romam miserat, relatione imbutus: atque adeo* B. Quartum *cum nostro sancto Christi Pugile in consummando martyrii cursu simul conjungendum esse; quemadmodum recte eos conjunxit Martyrologium Romanum modernum. De aliis* S. Sixto, *quos ibidem atque alibi lego, in sacro agone sociis, major occurrit difficultas.*

Circa sex alios martyres,

32 *Apud nos ante tomum I Aprilis, loco supra assignato leguntur ista:* Truncati sunt capite cum B. Xisto VI Diaconi: Felicissimus, Agapitus, Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, VIII Idus Augusti. *Quos etiam memorat Anastasius Bibliothecarius cap. 25. Duo primi ex illis nominantur in Romano Martyrologio veteri seu parvo, et alibi, sicut vidimus superius num. 2. Ado autem præter istos, signat alios quatuor jam memoratos; sed eos* subdiaconos *vocat. In gestis S. Laurentii apud Surium die* X *Augusti, num. 14*, SS. Sixti, Felicissimi et Agapiti *tam locus quam dies, quo passi sint, connectuntur. Consuli præterea circa præsens argumentum potest Florentinius a pag. 734. Martyrologium Romanum, quo hodie utimur, distincte sex supradictos Martyres* S. Sixto *in agone sociat: textum recitavi num. 3.*

cum S. Sixto

33 *Cum S. Cyprianus loco antea citato diserte affirmet*, Sixtum et cum eodem Quartum *obiisse; cumque de* SS. Felicissimo *et* Agapito *aliisque, Martyrologorum consensu, ut mox ostendimus, una cum ipso passis, ne vel verbo quidem ullo ibidem meminerit; quæri potest, an sicut* Quartus, *unus unicus ab ipso nominatus, ita etiam alii ab eo præteriti, eodem loco ac die, quo* S. Sixtus, *martyrio coronati sint. Difficultatem hanc Baronio ad annum 261 solvere conanti, eorum* mentio a Cypriano idcirco prætermissa videtur, quod non eodem loco, quo Sixtus, passi videantur: nam quod Sixtus in cœmeterio Callisti passus dicatur atque sepultus; hi vero in cœmeterio Prætextati sepultura donati; diversis quoque locis passi esse noscuntur. At qui de Sixti, et Quarti, qui cum eo erat, martyrio, ad Cyprianum festinanter nuntii redeuntes retulerunt; cæteros omnes eadem die in Urbe passos, haud facile compertos habuisse videntur. *Ita Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor: cujus rationes ita refellit Pagius in Critica Baroniana, ad annum 258, num. 6:* Hæc ut defenderet Baronius, ait primo, mentionem Diaconorum et subdiaconorum a Cypriano, qui solius Quarti cum Sixto passi meminit, idcirco prætermissam; quod Sixtus in cœmeterio Callixti; reliqui in cœmeterio Prætextati sepulti sint. Sed illud prorsus incertum. Primus, qui hos Diaconos in eo cœmeterio sepultos esse docuit, est auctor auctioris Chronici Pontificum; qui errorem eum ex verbis Depositionis Martyrum *(a nobis supra num. 2 datis)* derivasse videtur. Ubi legimus, ET PRÆTEXTATI (quod indicat, PRÆTEXTATUM eodem die passum esse) ille legisse videtur, ET IN PRÆTEXTATI: non tamen loci distantia aut diversitas tanta fuit, ut qui certo cognosceret, Sixtum passum esse in cœmeterio Callisti, nescire posset, Diaconos ejus in cœmeterio Prætextati truncatos esse. Nam utrumque cœmeterium in Via Appia fuit: imo hoc Prætextati illi Callisti adhærebat, et quasi pars fuit, ut testatur Aringhus in Roma subterranea *(lib. 3, cap. 16, quod* de Prætextati cœmeterio *inscribitur.)*

AUCTORE J. P.

E *eodem tempore ac loco, uti volunt, passos*

34 Ait secundo Baronius, nuntios Cypriani adeo festinanter rediisse, ut omnes præter Sixtum et Quartum, eadem die in Urbe passos, haud facile compertos habuerint. Verum quomodo Laurentius, septem Diaconorum primus, Sixti jamjam morituri lateri adhærere potuit, cum reliqui omnes capite mulctati sunt? Quomodo duo Diaconi, et quatuor subdiaconi, vel, ut alii volunt, sex Diaconi, eodem die truncari potuere, et nuntios illos, qui nihil aliud in mandatis habuerunt, quam ut omnia diligenter observarent; latere, ut inquit Pearsonius *in Annalibus Cyprianicis ad annum 258 num. 6?* Horum itaque Sanctorum martyrium alio die contigisse videtur. *Quid, quod (sicut etiam apposite observat laudatus Pagius ibidem num. 5) ex ipsa S. Cypriani epistola, quam antea assignabam*, SS. Felicissimum *et* Agapitum *nec* S. Sixti *diaconos, nec eodem, quo ipse, die passos fuisse probetur ex his ejusdem sancti Doctoris verbis, quæ, ubi scripserat* Quartum *una cum* Sixto *eodem loco ac die martyrii lauream consecutum, proxime subdit:* Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe, ut, si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur.

F *difficultates expenduntur.*

35 *Quomodo igitur, dum quotidie insistere persecutioni præfectos docet, simul non docet, quinam sub inchoata jam persecutione præter* Sixtum *et* Quartum *ceciderint? Quomodo* SS. Felicissimum *et* Agapitum, *Diaconos, publicosque Ecclesiæ ministros, ac proin nobiliores atque insigniores ejusdem persecutionis victimas simul cum illis passas non nominat? Quomodo alios quatuor, ex ante dictis abunde etiam Romæ cognitos, publicos utique ibidem rerum sacrarum dispensatores, ne verbulo quidem ullo attingit? Quomodo in nullos alios supremo supplicio animadversum fuisse dicit generalibus saltem terminis, si tunc, quando litteræ Roma scriptæ sunt, præter* Sixtum *et* Quartum *alii, et quidem cum illis occisi sint? Quod auctori auctioris Chronici veterum Pontificum error hic imputandus sit, affirmat idem scriptor, ex Bedæ Martyrologii auctore constare. Errorem vero ejusdem Chronici, quod* Felicissimum *et* Agapitum *spectat, malæ vetustissimi Indiculi depositionis Martyrum interpretationi adscribit. Denique nos circa duos istos hanc suggerimus conjecturam; credibile nimirum apparere, quod eodem quidem mensis die; sed non eodem anno, aut saltem non simul cum* S. Sixto *martyrium consummarint. Nam in Sacramentario*

rio Gregoriano supra citato celebratur octavo Idus Augusti nat. S. Sixti episcopi, *cum partibus quibusdam Missæ, ipsi propriis: quibus postea subjunguntur aliæ etiam singulares, cum novo titulo:* Eodem die nat. SS. Felicissimi et Agapiti. *De his autem ibi in* S. Sixto *nihil dicitur: sicut nec de hoc in illis. Cur autem Officio sejunguntur, si simul martyrio conjuncti sint? Hæc sunt, quæ incommodant sententiæ, simul cum* S. Sixto *sex prædictos Martyres esse passos asserenti: superest, ut nonnulla, quæ eidem favent, expendamus.*

§ IV. Argumenta pro sociis a S. Sixto in passione non separandis; an Prætextatus iisdem addendus; quatuor alii alicubi notati; initium Pontificatus S. Sixti, sedis duratio; ordinationes, decreta. B

Ob antiquam possessionem, Martyrologorum consensum,

Quæ *pro sententia negante* S. Sixtum *simul cum* Felicissimo *et* Agapito, *atque aliis sex sociis istis, de quibus modo dixi, complexisse martyrium, militant, unico potissimum nituntur argumento negativo, ut vocant, quod ex silentio S. Cypriani petitur. Dispiciamus ergo, quænam isti argumento rationes opponi possint pro* SS. Felicissimo *et* Agapito. *Prima sit, antiqua possessio; secunda, concors classicorum martyrologorum consensus; quas tanquam falsas ac spurias rejicere ob solum silentium Cypriani, quis satis tuto audeat? Unde autem constat, ideo tacuisse istum sanctum Patrem, quia nihil de sex istis Martyribus noverat; imo cur non tacuerit ideo potius, quia in Africa erant ignoti? Baronius enimvero Annalium ecclesiasticorum tomo IV in fine attexuit appendicem, ubi ad annum 384 addendam monet inscriptionem S. Damasi, in qua inter alia, notantur sequentia:*

Hic congesta jacet quæris si turba piorum,
Corpora Sanctorum retinent veneranda sepulchra: C
Sublimes animas rapuit sibi regia cœli.
Hic comites Xysti portant qui ex hoste tropæa.

et S. Damasi inscriptionem socios Martyres a S. Sixto non dividimus

37 *Ex hac igitur inscriptione comites martyrii habuit* S. Sixtus: *quos an ideo ex eadem expunges, quia S. Cyprianus de iis haud meminit? Sicut ergo* S. Sixto *comites esse potuerunt, et ne in genere quidem a S. Cypriano memorari; sic etiam potuerunt ei in sacro agone eodem consortes fuisse* SS. Felicissimus, Agapitus, *ac quatuor præter* Quartum *reliqui, tametsi hunc solum, ac nullum ex aliis nominet. His de causis, Martyrum istorum manipulum dividendum non censuimus: sed in possessione relinquendum. Ad ea, quæ num. 35 proferebantur ex Sacramentario Gregoriano; facile respondetur,* S. Sixtum *ritu singulari sine* Felicissimo *et* Agapito, *et hos sine ipso, ac novo quidem cum titulo cultus ibidem notari; sed inde certo non evinci, eos in martyrio separatos fuisse; cum ibi separari Officio sacro potuerint propter* S. Sixti *dignitatem, qui, quia Romanæ erat Ecclesiæ Pontifex; quid miri, si peculiari cum solemnitate solus ac sine sociis in Sacramentario isto notatus fuerit, singularem utique hoc titulo præ aliis venerationem meritus et adeptus? Sic ex eo, quod* S. Sixtus *in Romano Martyrologio notetur annuntiatione singulari, ac mox singulari item* D *ipsius socii; non sequitur tamen e dicto Martyrologio, ut separatim ab ipso martyrium confecerint, cum in ipso Martyrologii textu* omnes cum eo pariter decollati *dicantur. Addamus hic obiter, antiquum seculo* V *publicæ apud Romanos* S. Agapiti *venerationis argumentum exstare apud Anastasium Bibliothecarium cap. 49, ubi in S. Felice PP. III ista dicuntur:* Hic fecit basilicam S. Agapiti juxta basilicam S. Laurentii martyris.

An Prætextatus illis addi debeat, incertum

38 *His circa sancti nostri Socios ita disputatis, alterius controversiæ materiem suppeditat Kalendarii Bucheriani textus num. 2 prolatus:* Systi in Callisti, et PRÆTEXTATI, Agapiti et Felicissimi; *quæritur enim an per τὸ* Prætextati *indicetur Sanctus hoc nomine appellatus, et a superioribus distinctus: an isto potius nomine, præfixa vel subintellecta præpositione* in, *significetur locus martyrii; ut sensus sit, illud in* Prætextati cœmeterio *accidisse; prout Baronius et alii legunt; ex dictis supra num. 2 et 3. Et vero annuntiatio apud Bucherium, in quo non est præpositio* in, E *non videtur per τὸ* Prætextati *indicare locum, sed personam isto nomine nuncupatam. Id quod confirmatur ex apographis Hieronymianis a Florentinio vulgatis, quæ hoc die sic memorant:* Romæ in cimiterio Calisti Via Appia, natalis Xisti episcopi, Felicis et Agapiti, Donatiani Faustini, PRETESTATI. *Et quanquam in vetustissimo Ms. S. Willibrordi seu Epternacensi, cujus textum refert dictus auctor in notis,* Prætextatus *non signetur; exemplar tamen Ms. Corbeiense ibidem ita illum refert:* VIII Idus Augusti Romæ in cœmeterio Callisti via Appia natalis Sixti episcopi, et Felicissimi, Agapiti, Donatiani, Fausti, PRÆTESTATI *etc. Adde Ms. Reginæ Sueciæ, quod hoc nomen etiam habet, ut ibidem licet videre. Cum autem certo nobis non constet, an τὸ in, quod explicite non exstat in Bucheriano, subintelligi ibidem non debeat; cum insuper Martyrologium a Florentinio editum sit multis locis mendosum, neque satis constet, an duo illa exemplaria modo designata, quæ etiam* Prætestatum *legunt, eumdem vere legere debeant: cum denique non sit nobis promptum, aliquid explorati circa præsentem controversiam definire, eam in medio relinquimus, ab alio, sicui vel plus lucis affulserit, vel* F *melius aliquid inciderit, decidendam. Apud Maurolycum die* VI *hujus post* S. Sixtum, *et alios Martyres, qui ibidem dicuntur cum eo passi, memorantur,* Item Severus presbyter, Claudius subdiaconus, Crescentius lector, et Romanus ostiarius. *Ghinius ad dictum diem,* Referuntur, *inquit,* tunc passi cum eo *(Sixto videlicet)* Quartus, et post eum Severus presbyter *cum tribus aliis, quos recitavi e Maurolyco; qui forte eos acceperit e Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus, qui lib. 7, cap. 30, quatuor istos Martyres aliis cum* S. Sixto *passis adjungit.*

Initium Pontificatus,

39 *Juvat hoc loco agere de initio Pontificatus* S. Sixti. *S. Stephano PP. I, cujus Acta tom. I Augusti, ad diem 2 ejusdem mensis, a pag. 112 illustrata sunt, anno 257; sicut ibidem videre est, ad meliorem vitam translato, suffectus est Sanctus noster die, uti affirmat Pagius ad dictum annum num. 2, Augusti* XXIV *aut circiter. Schelstratius Antiquitatis Ecclesiæ tom. I, Dissertatione 2, cap. 7, num. 2 et 3 laudans Acta S. Stephani PP.; num. 4, accommodatum ad rem nostram profert testimonium, quod in fine horum Actorum codice 1190 annecti affirmat. Sic autem habet:* Adunataque ecclesia Christianorum, ordinaverunt

in

A in loco beati Stephani episcopi, et martyris Christi, Sixtum episcopum Nonarum Kalendarum Septembr. Martyrizatus est autem beatissimus Stephanus episcopus urbis Romæ, sub die quarto Nonarum Augustarum sub Valeriano, et Gallieno Consulibus. *Et ordinatio illa confirmatur ex Baronio ad annum 260, num. 5 ex passionis S. Stephani Actis, quæ e Mss. exemplaribus restituta ibidem dicuntur, hæc referente :* Ordinaverunt in locum beati Stephani Sixtum... episcopum, nono Kalendas Septembris, Valeriano quartum et Gallieno secundum *(imo tertium, secundum dicenda num. 42)* Consulibus. *Successionis* S. Sixti *post* S. *Stephanum, meminerunt S. Optatus Milevitanus libro 2 contra Parmenianum, tom. IV Bibliothecæ Patrum pag. 274 editionis Coloniensis anni 1618, et S. Augustinus epistola 165; quibus adde Eusebium Cæsariensem ecclesiasticæ Historiæ lib. 7, cap. 5, ac Nicephorum Callistum ecclesiasticæ Historiæ lib. 6, cap. 34.*

B *ejusdem que duratio,*

40 *Reliquum est, ut discutiatur tempus, quo Sanctus noster cathedræ Petri præfuit. In eo definiendo discordant auctores. In Eusebii Cæsariensis Chronico, prout nunc editur, lego :* Xystus XXIII Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenet annis VIII. *In ecclesiastica autem Historia lib. 7, cap. 27,* Cum, *ait,* Xystus undecim annis Ecclesiæ Romanæ præfuisset *etc. Quos etiam ipsi dat Nicephorus Callistus eccles. Histor. lib. 6, cap. 34. Catalogus Pontificum Romanorum a Bucherio editus sic habet :* Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso *etc. Consonat Catalogus primus apud nos tomo I Aprilis præfixus, pag.* XXVII; *dissonat autem ibidem secundus, dum ita memorat :* Xistus.... sedit annum unum, menses decem, dies viginti quatuor. *Acta* S. Sixti *apud Adonem hac die,* Sedit, *inquiunt,* in episcopatu anno uno, mensibus decem, diebus vigintitribus. *Syncellus in Chronographia pag. 381 editionis regiæ Parisinæ anni 1652,* S. Xysto *annos novem tribuit. Quod vero nullus e propositis aliorum calculis genuinum sessionis* S. Sixti *tempus exprimat, perspicuum fit ex præmissis. Etenim ex num. 39 S. Stephanus, ipsius antecessor, obiit anno Christi 257, die 2 Augusti, secundum mox dicenda: cui cum die* XXIV *ejusdem mensis vel circiter, substitutus sit* S. Sixtus, *sicut paulo post referam, ac martyrio coronatus sit die* VI *Augusti anno 258; sequitur, ut sederit mensibus undecim completis, ac diebus circiter octodecim. Dicamus ergo rotunde, Sanctum, quidquid sit de sessionis diebus, plenis certe duodecim mensibus non sedisse; atque adeo non obiisse, uti vult Menilius supra num. 25 citatus,* primo Pontificatus anno jam a mense completo.

quæ fuit undecim mensium cum aliquot diebus.

41 *Pagius consentit nobis in mensibus istis undecim, dissentit in diebus, non satis, ut mihi quidem videtur, consequenter. Ad annum quippe Christi 257 num. 2 de S. Stephano agens,* Recte, *ait,* in libro Pontificali sedisse dicitur USQUE VALERIANO IV ET GALLIENO III. Obiit secundo die mensis Augusti. In Indiculo quippe Depositionis episcoporum apud Bucherium legitur : « Quarto Nonas Augusti Stephanus in Callisti. » In Chronico quidem auctiori veterum Pontificum dicitur : « Sepultus in cœmeterio Callisti Via Appia, III Nonas Augusti. Cessavit episcopatus dies viginti duos » quia scilicet auctor illius Chronici diem, quo sepulturæ Stephanus mandatus; non vero, quo ad Deum migravit, notat. Sixtus die vicesimo quarto Augusti aut circiter, in ejus locum subrogatus. *Hæc ille ibidem. Ad annum vero 258 num. 2, postquam ex Chronico, quod sub nomine Damasi citat, legi dixisset ista:* Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso, et passus est VIII Idus Augusti a consulatu Tusci et Bassi, usque in diem XII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso Coss.; *recte quidem subdit,* Sed duo illi anni per errorem additi, ob consulatum prius corruptum Valeriani III et Gallieni II, loco Valeriani IV, et Gallieni III : *verum dum concludit :* Sedit itaque tantum MENSES UNDECIM, DIES SEX ; *nec nobis circa dies consentit, nec sibi constat, secundum ea, quæ paulo ante præmisi.*

Cur Græci ac Latini errarint in hac materia.

42 *Ad Græcorum in figendo tempore hallucinationes quod attinet ; Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum 258, num. 10 postquam monuisset, ab Eusebio tribui annos undecim pontificatui Sixtino, cum menses totidem potius ei essent attribuendi, lapsus causam observans,* Enimvero, *inquit,* novum non est Græcos, in E rebus Romanis hospites, annos pro mensibus ponere ; ut Georgius Syncellus τριετῆ χρόνον imperio Æmiliani assignat, quem Latini per tres menses aut quatuor tantum imperasse tradiderunt. *Quid vero Latinis offendiculo fuerit, quo minus suos chronologicos calculos recte in hac materia ordinarint, intelliges ex laudato Schelstratio num. 7.* Fuit, *ait,* annus ille *(martyrii S. Sixti)* quo consulatum gesserunt Tuscus et Bassus; idque ex tam certis veterum testimoniis liquet, ut chronologi, dum ad consulatum illum perveniunt, omnem suam industriam adhibeant, ut calculos suos cum his Coss. recte componant. Quod si aliquibus erroribus detenti facere non possunt, Consules ipsos loco suo movent, et Fastos pro arbitrio suo mutant, ut Consules illos quisque ad sententiam suam trahat. Interim constat, Tusci et Bassi consulatum post Valeriani IV et Gallieni III, et ante Æmiliani et Bassi consulatus immediate ponendum esse hoc ordine : Anno CCLVII Valerianus IV, et Gallienus III. Anno CCLVIII Tuscus et Bassus. Anno CCLIX Æmilianus et Bassus II. Eo enim ordine collocantur in antiquissimis Fastis F apud Cuspinianum, in libello de Præfectis Urbi per Bucherium edito, in Fastis Græcis Theonis Alexandrini, in Fastis Idacianis, primo per Sirmondum, postea per Labbeum publicatis, in integro S. Prosperi Chronico, et, ut finiam, in Cassiodori Chronico.

Ordinationes a Sancto habitæ.

43 *Circa ordinationes a Sancto nostro habitas nonnulla observanda occurrunt :* Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quatuor, diaconos VI, episcopos per diversa loca duo; *sicut refertur apud nos in Catalogo secundo Romanorum Pontificum, qui habetur ante tomum I Aprilis, pag.* XXII. *Vita Sancti apud Labbeum, Conciliorum tom. I, col. 817 sic legit :* Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem *etc. Verum unam duntaxat, non duas ordinationes fecisse per mensem Decembrem, observatur in notis ibidem col. 820, ex tempore sedis : quod cum fuerit ab uno Augusto mense anni 257, usque ad alium Augustum anni 258; consequens est, ut unus unicus tantum mensis December inter utrumque medius exstiterit, ac proin unica solummodo per dictum mensem ordinatio. Recte itaque Baronius ad annum 261, num. 9 hæc pronuntiat :* Respectu habito ad tempus, quo sedit Stephanus, et ingressus est Sixtus, erroris arguuntur, qui longius tempus tribuunt Sixti sedi, pluresque ei, quam

unam

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

unam ordinationem adscribunt. *Et mox, postquam affirmasset,* undecimum mensem exegisse, et duodecimum Sixtum auspicatum in sede fuisse, *sic concludit :* Fecit ergo unam tantummodo ordinationem, non duas, ut perperam ponitur in libro de Romanis Pontificibus, qua creavit presbyteros quatuor, diaconos septem, et episcopos per diversa loca duos. *Sequitur ex dictis, ut Joannes Vignolius V. C., qui novam Libri Pontificalis editionem vulgavit, ac illustravit, dum in notis ad* S. Xystum II, *pag. 59 scribit,* Has ordinationes duas Xystum per menses Decembres facere non potuisse, recte observasset Baronius ad A. C. CCXLI *(imo 261)* num. IX, si modo, quem de illius Pontificatu annum unum detrahit, chronologia Libri hujus Pontificalis eidem reddi non suaderet; *sequitur, inquam, ut laudatus Baronii corrector ex iis, quæ de œconomia chronologica in hac materia superius stabilita sunt, hic sit corrigendus ipsemet.*

B 44 *Coronidis loco hisce annectamus decreta duo, quæ ex Gratiano apud laudatum Labbeum col. 824, sub nomine* Sixti II *proferuntur. Primum his verbis constat :* Si quis putaverit, se a proprio metropolitano gravari, apud Primatem diœceseos, aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam judicetur. *Alterum ita sonat :* Si quis Clericus super quibuslibet criminibus accusatus fuerit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones : nec existimet eum accusator suus alibi, aut longius ad judicium protrahendum. *Petrus Coustant, Ordinis S. Benedicti monachus, in Epistolis Romanorum Pontificum ab anno 67 usque ad 440 editis Lutetiæ Parisiorum anno 1721, pag. 269, utrumque decretum pro spurio habens, sic scribit :* Duo decreta Conciliorum editiones secundum Gratianum Xysto nostro adscribunt. Primum quidem SI QUIS PUTAVERIT etc. a Gratiano 2. q. 6 c. laudatum, in ipsamet epistola I, quam Sixto Mercator supposuit, reperitur; sicut et in epistola Victoris I Papæ ad Theophilum, quæ eumdem habet parentem. Excerptum est autem e synodi Chalcedonensis can. 17, prout in vulgata Isidori interpretatione legitur; nisi quod loco verborum AUT C APUD CONSTANTINOP. CIVITATIS SEDEM, substitutum est AUT PENES UNIVERSALIS APOSTOLICÆ ECCLESIÆ PAPAM. Alterum vero decretum SI QUIS CLERICUS SUPER QUIBUSLIBET CRIMINIBUS, etiamsi a Gratiano 3. quæst. 6. c. 17 nomine Xysti citatur, ab Ivone tamen par. 6. c. 318 Eleuthero, et cap. 329 Felici adscribitur. Est autem capitulum 7 ex iis, quæ Mercator sub Adriani nomine concinnavit, e verbis Aniani interpretis Novellæ Marciani tit. 2 conflatum.

uti et decreta.

§ V. Scripta quæ sub S. Sixti nomine circumferuntur.

Anaphora Liturgia

E*minentissimus Cardinalis Bona Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 9, num. 9 meminit de codice Ms. sexdecim Anaphoras seu Liturgias complectente,* quarum prima, *prout addit,* adscribitur Xysto Pontifici Romano. *Apud Renaudotium in Liturgiarum orientalium collectione, tom. II, a pag. 134 ponitur* Liturgia S. Xysti Papæ Romani : *circa quam notarit varia pag. 142. Verum ea nec* S. Sixti *nostri, nec alterius synonymi Pontificis Romani fœtus est ; sed alicujus Syri, verosimiliter episcopi. Id quod sic probo, Joseph Simonius Assemanus, Syrus Maronita, Bibliothecæ Orientalis Clementino-Vaticanæ tom. I, qui est de scriptoribus Syris orthodoxis, cap. 34, pag. 429 agens de Xysto, cujusdam ecclesiæ episcopo, varia in rem nostram suppeditat, e quibus ista huc transcribo :* Xystus cujusdam ecclesiæ episcopus (nomen quippe urbis necdum eruere licuit) claruisse videtur seculo quinto, *secundum indicia, quæ mox subdit laudatus scriptor, ac dein sic pergit :* Syri, qui vel bona vel mala fide, multa Catholicorum hæreticorumque auctorum opera sub speciosis Græcorum et Latinorum Patrum nominibus, teste Euagrio lib. 3, cap. 21, sexto seculo venditare cœperunt, Xystum quoque nostrum, *ait,* qui Syrus fuisse videtur, ut stylus ejusdem declarat, ex incertæ sedis episcopo ROMANUM PONTIFICEM fecere, non alia, ut opinor ratione, quam propter nominis similitudinem. Hinc apud Joannem Apameensem, et in codice nostro Syriaco VI, EPISCOPUS ROMÆ... appellatur : quem etiam titulum reliqui Anaphorarum descriptores editæ sub ejus nomine Liturgiæ præfigere solent. D E

non hujus nostri Sixti :

46 Et quidem Xystum episcopali dignitate fulsisse, colligitur tum ex episcopi titulo, quo passim decoratur, tum ex eo quod Anaphoram condiderit, quæ solis episcopis apud Syros tribuitur, ut recte observat Renaudotius tom. II Liturg. oriental. pag. 398. Romanum autem Pontificem nequaquam fuisse, suadet Græcorum Latinorumque altum de scriptis, quæ sub ejus nomine circumferuntur, silentium. Idem Renaudotius tom. cit. pag. 142 de Xysti Liturgia loquens, existimat, Jacobitas « sententias » quasdam ex pseudepigraphis transtulisse in col» lectanea sua, ex quibus commodas aliquot suis » erroribus animadvertere sibi visi sunt. » Verosimilius puto, nullum esse in operibus, quæ Xysti nomen præferunt, suppositionis vitium : præsertim quum nihil in eis occurrat, quod hæresim Monophysitarum sapiat; sed Syros utpote criticæ nondum peritos, quæ sub Xysti nomine opera viderunt, ea Romano illi Pontifici oscitanter adjudicasse.

sed alterius fuit.

47 *Proxime ibidem agitur de scriptis ejus asceticis ; ac pag. 430 hæc sequuntur :* Præter asceticos tractatus, Anaphora quoque seu Liturgia sub nomine Xysti celeberrima est, cujus initium : F Tranquillitatem et pacem. Prodiit Syriace in Missali Maronitarum anno MDXCIV, et Latine per Renaudotium tom. I, pag. 134. Exstat autem Ms. in omnibus fere codicibus liturgicis. Ejusdem meminit cl. Stephanus Edenensis cap. 2 de Catholicis Anaphorarum scriptoribus num. 10, ubi ex communi Syrorum opinione, Xysto Papæ eam adjudicat. Joannes Maro, vel quisquis est auctor Expositionis Missæ Syrorum, propria Ecchellensis manu exaratæ, sententiam Renaudotii a nobis supra indicatam de Xysti et Julii Liturgiis confirmat cap. 3 in hæc verba : « Liturgias Xysti et » Julii Patriarcharum Romæ, quidam aiunt La» tine ab iis primum conscriptas, et Syriace post» ea translatas fuisse. Alii rectius affirmant, illos » quidem Patres regulas tantum et præcepta non» nulla de ordine oblationis Sacrificii tradidisse : » quosdam vero ex Patribus traditæ ab iis doc» trinæ inhærentes, Liturgias illas ordinasse, et » sub gloriosis eorumdem nominibus publicasse. » At Syri episcopi Xysti eam fœtum esse, probabilius puto; præsertim si ejus stylum, qui Syrum certe auctorem redolet, inspicias. *Ita ille : sed Petrus le Brun in Opere Liturgico, quod inscribitur* Explicatio missæ *etc., ab annis aliquot edito,*

tom.

A *tom. II, dissertatione 9, art. 1 credibilius esse censet, hanc Liturgiam vere scriptam fuisse sub nomine Sixti PP., pauco tempore post concilium Chalcedonense; sed cum hic indicetur Sixtus hujus nominis tertius, anno Christi 440 vita functus, atque adeo res illa huc non spectet, rationes ejusdem auctoris non commemoro.*

Epistolæ duæ pro spuriis habentur: quarum unam

48 *De duabus autem epistolis, quæ* Sixti PP. II *nomine prænotatæ circumferuntur, quid dicam? Habentur apud Labbeum tom. I Conciliorum col. 820 et seqq., inusta utrique spurii fœtus nota. Petrus Constantius supra num. 44 citatus*, Nomine, *ait*, Xysti duæ ex Isidori Mercatoris officina epistolæ prodierunt, a cæteris ejusdem mercibus non distrahendæ. *Plura de collectione Isidori Mercatoris docuerat vir eruditus in Præfatione § 10 pag.* CXXV; *ac deinde pag.* CXXIX *impostorem eum esse probat. Ea, quæ ibi secundo loco ponitur, et inscribitur*, Dilectissimis fratribus per Hispaniarum provincias constitutis, Sixtus episcopus in Domino salutem, *exstat etiam tom. I Collectionis maximæ conciliorum Hispaniæ, ab Eminentissimo Aguirrio editæ, dissertatione 14, a pag. 213. Accusationes, quas critici contra eam formant, et quas pluribus ibidem pag. 217 vir eruditus recenset, in eo consistunt 1° Quod verbis scriptorum, tempore* S. Sixti *posteriorum interpolata sit; nimirum S. Leonis PP. ac S. Gregorii; nec non SS. Prosperi et Augustini. 2° Quod falsa sit notatio epistolæ, cum dicatur* data XVII Kal. Augusti, Valeriano et Decio viris clariss. consulibus. *Hæc ego summatim; quæ apud ipsum, uti et apud Labbeum pluribus. Res elucidabitur e responso Aguirrii.*

Cardinalis

49 Hæc vero, *ait*, sicuti et alia similia, quæ objici solent epistolis veterum Pontificum, ut suspectæ habeantur vel etiam nothæ, jam præoccupata fuerunt... variis locis, præsertim dissertatione 4; et ut monui ibidem num. 28 ac sequentibus, facilius creditu est, quod Pontifices successores, aut qui erant ab epistolis ipsorum, usurparent aliquid antiquiorum, quam e converso: uti semper factum est in Romana curia, et quotidie fieri videmus in Rescriptis Pontificiis. Idemque est, quoties in his veteribus monumentis leguntur loca quædam, sive testimonia, etiam oblonga, quæ exstant totidem verbis, aut præterpropter in libris posterioribus scriptorum, vel in Codice Theodosiano etc. Ut enim monet doctissimus archipræsul Antonius Augustinus, alibi a nobis expensus, credibile admodum est, imperatores Christianos, sicuti et Patres posteriores, voluisse sua edicta et scripta exornare verbis anteriorum Pontificum, quos impensissime venerabantur, etiam tacito eorum nomine. Alioqui liceret vocare in dubium auctoritatem innumerabilium Epistolarum Decretalium, in quibus integræ periodi passim occurrunt, et loca oblonga prorsus eadem. Nemo autem propterea ausus fuit dicere, epistolis antiquiorum assumenta ex posterioribus irrepsisse; sed potius omnibus persuasum est, recentiores ex prioribus ea mutuasse.

Aguirrius

50 Verum sinamus ultra, irrepsisse in eam, aliasque similes epistolas, priscis Pontificibus adscriptas, loca aliqua mutuata ex posterioribus, imprudentia cujuspiam exscriptoris, qui intra corpus epistolarum posuerit loca posteriora, ad marginem alicujus exemplaris collocata a quopiam homine docto. Sinamus etiam quod aliquis sciolus ea assumenta ingesserit, et veneranda illa instrumenta immani ausu interpolaverit: non propterea negandum est, eas epistolas quoad præcipuam sui partem, et veluti substantiam aut medullam, ut ita loquar, ab iis Pontificibus, quorum nomine proferuntur, scriptas fuisse, et conservatas in scriniis Apostolicæ Sedis, aliisque locis, quanquam longissimo seculorum cursu tandem eo res devenerit, ut non inveniantur pura illa et puta exemplaria, quæ primis æræ Christianæ seculis exstabant, sed alia solum iis additamentis superinduta. Doctorum autem et eruditorum hominum est, inter germana et adscititia discernere; non autem omnia indiscriminatim abjicere, aut etiam vilipendere; uti ausus fuit David Blondellus in suo Pseudo-Isidoro, propterea jure reprehensus ab archipræsule Marca, quamvis et hic suspectas habeat prædictas epistolas. Dato enim et minime concesso, interpolatas existere posteriorum scriptorum locis, sive conciliorum, sive Pontificum, sive Patrum: non propterea sperni debent; sed potius in pretio haberi tum ob salutarem doctrinam et pietatem illorum sanctissimorum Ecclesiæ Romanæ Præsulum, qua ab initio dictatæ fuerunt: tum etiam ob gravitatem et qualitatem testimoniorum sequentis ævi, quibus olim ad marginem exornatæ fuerunt, et tandem intra ipsum corpus posita a quodam imprudente vel sciolo. Sententiæ enim sanctorum Pontificum, et doctissimorum Ecclesiæ Patrum, ubicunque exstent, in summo pretio esse debent. *Hinc concludit Aguirrius, non esse opus, respondere* singillatim ad ea, quæ opponuntur ex locis SS. Leonis, Gregorii, Prosperi, et Augustini. In omnibus enim, *inquit*, eadem ratio est *etc.*

Auctore J. P.

conatur defendere;

51 Tandem quod opponitur de consulatu Valeriani et Decii, leve est, et a delicatissimis quibusque, ubi e re sua esse intelligunt, contemni solet; cum facillimum sit in tam longo seculorum cursu et varietate exemplarium, nomen alicujus consulis pro alio subrogatum fuisse. Fatemur itaque, epistolam Xysti datam fuisse Coss. Valeriano et Gallieno; non autem Valeriano et Decio. Hic enim circa finem sui consulatus tertii occisus fuerat, sexennio antequam Xystus eligeretur Pontifex. Non est autem adeo immane mendum vel erratum, ut Valeriano Augusto Decius potius, quam Gallienus datus fuerit socius in aliquot exemplaribus epistolæ prædictæ. Nec certe in longissimo spatio mediæ ætatis erat exacta illa cura et observatio fastorum consularium, quæ olim fuerat, et modo est in tanta eruditionis luce, ut non aliquoties ab exscriptoribus seu librariis unum nomen pro alio intruderetur. *Habes, lector, sapientissimi Cardinalis Aguirrii vindicias pro epistola, quæ* S. Sixti PP. II *nomine circumfertur, eo maxime accomodatas, ut scioli illi ac critici, qui antiqua quælibet monumenta sacra irreverenter arrodunt, et adeo facile rejiciunt ac contemnunt, discant aliquantulum magis sapere ad sobrietatem. Sed non in eo versatur cardo hujus nostræ controversiæ; sed an epistola, de qua hic agimus, scripta sit a* Sixto PP. II, *an non.*

an optato cum successu

52 *At nunc liceat mihi, laudati Eminentissimi salva pace, meam circa præsens argumentum sententiam exponere; neque enim intricatam circa antiquorum Pontificum epistolas decretales, quas vocant, telam retexere, hujus est loci. Quoniam itaque*, doctorum et eruditorum hominum est, inter germana et adscititia discernere, *uti recte Aguirrius; necesse est, ut nonnullæ sint regulæ, quarum directione formetur prudens criterium, vi cujus discretio ista fieri possit. Jam vero si incommoda, quibus epistola illa laborat, et quæ supra objiciebat idem auctor, nullius vel exi-*

AUCTORE J. P.

qui saltem contra eam sint roboris; concedat, amabo, normam, quæ vim habeat formandi judicium, quo scripta spuria a genuinis discerni possint. Criticen enimvero vel omnino vel magna saltem ex parte videtur exarmare, si argumenta illa, quæ proferebat pro eadem epistola, convincant. Ecquod enim erit scriptum, modo sit tolerabile, et non apertis falsitatibus infartum, ac nimis absurdum, contra cujus censuram, hæc aut similia responderi haud possint? Neque dicas, epistolam, de qua hic agimus, esse in possessione, ut ita loquar, quod sit illius, quantum saltem ad ejusdem substantiam ac medullam attinet, cujus nomine prænotatur: nam si aliunde in ea appareant indicia, ob quæ reddatur suspecta suppositionis vel interpolationis, nonne pronum est suspicari, titulum, convenienti antiquissimorum scriptorum memoria et auctoritate destitutum, esse adscititium, atque adeo non esse illius Pontificis ac temporis, quorum nomen præfert? Hæc me movent, ut pro ista epistola, tanquam vere Sixtina, vadem me hactenus ponere non B *audeam. Atque eadem argumenta militant contra aliam; quia similibus ambæ incommodis laborant.*

53 *Ad argumentum Aguirrii, quo interpolationem epistolarum extenuare conabatur, respondeo cum Constantio in Præfatione pag.* CXXIX, *num. 160; ubi citat ejus verba in dissertatione 4, num. 28 supra indicatis, et sic arguit:* Verum, inquies, fieri potuit, uti vulgo sit, ut has veterum litteras sæpe contriverint scriptores consecuti, et plura inde testimonia ad verbum exscripserint. Atque id erudito Viro cardinali Daguirre FACILIUS videtur esse ac VERISIMILIUS, QUAM QUOD EARUM COLLECTOR ASSUERIT IIS TESTIMONIA POSTERIORUM. Belle quidem. Erant illæ scilicet in pervulgato usu. Ex his fontibus, quæ convenirent sibi, hausit non unus scriptor, sed quidquid fere est magnorum virorum, Pontificum, Patrum, conciliorum: *sicut pluribus ibi ostenditur ex eorum enumeratione.* At vero si id ita est, quorsum igitur (nam de hoc iterum percontari juvat) quorsum in tanto Patrum, Pontificum, synodorum, aliorumque id genus auctorum numero, ne C unus quidem est ante Isidori ævum repertus, qui vel epistolæ, unde hæc sumeret quæ laudabat, vel Pontificis qui epistolam scripserat, mentionem fecerit? Quid enim? Plagiarios fuisse, qui alienis se pannis induerint! Nimis hoc injurium est, neque in viros, plerosque doctrinæ juxta et sanctitatis laude præstantissimos cadit. Itane parvi fecisse summorum Pontificum auctoritatem, ut ne illorum quidem nomen laudare dignarentur? At si placita, si verba ipsa Pontificum exscribebant, quid ni et ipsa quoque nomina laudarent? Et laudarunt sane, ubi de his, quas in lucem damus, genuinis agebatur. *Id quod ibidem deducitur appositione exemplorum.*

faciat.

Liber de Divitiis ab alio compositus.

54 *Librum* de Divitiis *nec a* Sixto *nostro, nec ab alio Romano Pontifice homonymo confectum fuisse, persuadent ea, quæ notavit Baronius ad annum 440, pag. 695; ubi agens de scriptis Pelagianis, Sixti PP. III, de quo ibidem est sermo, nomine suppositis, et ex hujus pestiferi fœtus veneno, pessimum ejusdem, quisquis demum ille fuerit, parentem genuinis notis depingens, inter alia sic habet:* Quid enim integro libro illo de Divitiis conatus est auctor, nisi ostendere, divitem hominem ex Deo non esse? contra divinæ plane Scripturæ testimonia, quibus dicitur: Divitem et pauperem fecit Deus. Et in Cantico Annæ: Dominus pauperem facit et ditat. Ex multis D namque invenies, eumdem auctorem velle probare, impossibile esse, divitem hominem Dei præcepta servare: imo et omnes, etiam filios et filias habentes, divitias teneri profundere, et reddi pauperes, si velint salvi esse, pluribus docet. In his, inquam, cum toto illo libro versetur auctor, quis non intelligat, spirare Pelagium: cujus inter alia hæresum capita (ut dictum est) illud erat, non posse salvari divitem, nisi omnia sua pauperibus eroget? Sed etsi possent ea cuncta ad aliquem Catholicum sensum quomodocunque pertrahi; decuissetne tempore hujus emergentis hæresis, Romanum Pontificem, etsi non eadem expresse, illis tamen affinia et confinia, absque suspicione hæresis Pelagianæ, nulla facta ejus abrogatione, tractare? *Hinc quidem liquet, librum istum Sixto PP. III perperam attribui; fuisse tamen, qui Martyri nostro illum adscriberent, observat heterodoxus supra num. 29 memoratus, pag. 112, Exstat liber de Divitiis in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis, anno 1589, tom. V, col. 781 et seqq.* E

§ VI. An S. Sixtus noster Enchiridion seu Sententiarum libellum composuerit.

Libellum hunc S. Hieronymus abjudicat S. Sixto,

N*egat S. Hieronymus, Sixtum Pythagoricum fuisse asserens istius opusculi auctorem, ipsumque uti et ejusdem interpretem Ruffinum hac censura perstringens lib. 6 Commentariorum in Ezechielis prophetæ caput 18:* Pulchre in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: Adulter est uxoris propriæ, amator ardentior. Quem librum quidam in Latinam linguam transferens, martyris Xysti nomine voluit illustrare, non considerans, in toto volumine, quod in duas partes frustra divisit, Christi nomen, et Apostolorum omnino reticeri. Nec mirum, si gentilem philosophum in Martyrem et Romanæ urbis episcopum transtulerit, cum Eusebii quoque Cæsariensis primum pro Origine librum, Pamphili martyris vocabulo commutarit: ut facilius tali laudatore, libros impiissimos περὶ ἀρχῶν, Romanis conciliaret auribus. F

ac gravissimis censuris

56 *Et lib. 4 Commentariorum in Ezechielis prophetæ caput 22 hæc scribit:* Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum, linguamque suam docuit mendacium, Sexti Pythagorei hominis gentilissimi unum librum interpretatus est in Latinum, divisitque eum in duo volumina, et sub nomine sancti martyris Xysti, urbis Romanæ episcopi, ausus est edere: in quibus nulla Christi, nulla Spiritus Sancti, nulla Dei Patris, nulla patriarcharum, prophetarum, et Apostolorum fit mentio: et hunc librum sola temeritate et insania, Anulum nominavit; qui per multas provincias legitur, et maxime ab his qui ἀπάθειαν et impeccantiam prædicant. Quo modo igitur Dominus Iechoniam instar anuli de manu sua et digito se projecturum comminatur, ita lectorem obsecro, ut nefarium librum abjiciat, legatque, si voluerit, ut cæteros philosophorum libros, non ut volumen ecclesiasticum.

castigat;

57 *In epistola autem ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, ita memorat:* Illam autem temeritatem, imo insaniam ejus *(de Rufino est sermo)* qui digno possit explicare sermone, quod librum Xysti Pythagorei, hominis absque Christo atque ethnici,

ei, immutato nomine, Sixti martyris, et Romanæ Ecclesiæ episcopi prænotavit : in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur : ut qui volumen philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio : ut Episcopum et martyrem sine Christi fide fuisse contendat. *Hæ sunt censuræ, quibus prædictum libellum notavit sapientissimus Ecclesiæ Doctor.*

quem nec pro partu S. Sixti agnoscit S. Augustinus.

58 *S. Hieronymo adjungo aliud Ecclesiæ lumen, S. Augustinum, qui Retractationum lib. 2, cap. 42 sic loquitur :* Venit tum in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, qua justificatur impius, et qua Christiani sumus, quanta potuit argumentatione defendit. In quo verba quædam, quæ velut Xysti Romani episcopi et martyris Pelagius posuit, ita defendi, tanquam revera ipsius Xysti essent : id enim putaveram. Sed postea legi, Sexti philosophi esse, non Xysti Christiani. *Habes, quid de prædicto opusculo ejusque auctore senserint duo isti egregii Ecclesiæ Catholicæ coryphæi. Aliorum scriptorum circa præsens argumentum judicia huc congerere, et novam dissertationem operose contexere, nobis non est animus. Sententiæ porro, de quibus hic agitur, editæ sunt in Bibliotheca SS. Patrum Coloniensi, anni 1618, tom. III a pag. 64; Parisiensi, anni 1589, tom. V, col. 769 et seqq. Quas non ita pridem etiam vulgavit nuperus quidam heterodoxus, ex supra dictis : cujus editione utar, quando sententias quasdam proferam.*

Inquiritur, quibus rationibus

59 *Sciolus ille heterodoxus* iniquum, *uti vocat,* S. Hieronymi judicium de Sententiis Sixti II, philosophi, Pontificis et martyris *reformare voluit. Quanquam autem librum libro reddere, ad singula, quæ is prolixe admodum et operose corradit, controversiæ hujus capita respondendo, nec vacet, nec operæ pretium sit; pauca tamen quædam e pluribus exhibeo specimina, ut dispiciat lector, num scopum ille suum fuerit assecutus. Ei quippe causæ incommodant sequentia. 1° Impotentia animi, qua adversus S. Hieronymum* C *inverecunde deblaterat : quippe quæ non judicii solidi, sed præjudicii, ut vocant, seu præconceptæ opinionis mater esse solet. En tibi flosculos aliquot, quibus venerandos magni Doctoris canos inspergit :* Calliditate sibi consueta, addo etiam violentia, et dictatorio spiritu usum esse, *ait pag. 48.* In laudandis assentatoribus suis immodicus; in lædendis autem atque excarnificandis obtrectatoribus sævissimum se et crudelissimum exhibuit; *pag. 50.* Ut pudori cedere debeat alteri cuipiam ac Hieronymo, tam palpabili modo omnem fidem et conscientiam nauci habuisse, *ibidem.* In dogmatibus sententiisque præceps et effervescens *pag. 62.* Quum Hieronymi fraus multo fuerit exsecrabilior, *etc., pag. 95. Ne plura congeram; famosi hæresiarchæ Joannis Calvini verbis sanctissimum Ecclesiæ Doctorem impetens, ad I. Cor. 7, versum 1, ita ipsum de eo loquentem inducit; videlicet,* insignibus polluisse virtutibus; sed et insignibus laborasse vitiis : unde factum, ut in disputando magna intemperie abreptus, non semper, quod verum erat, respexerit. *Ast ineptiarum ac sordium plus quam satis; quibus sciolus ille, de quo supra dixi, stylo scilicet ad modestiam plane composito, libelli hic controversi censorem intemperiei accusat; non obscure prodens cujus fuerit genii, et experturus fortasse apud æquos rerum arbitros, quam parum prosint, imo vero quam multum obsint dicteria hujusmodi, scommata, et acerbitates, ad evincendam suam causam.*

neotericus quidam heterodoxus S. Sixto PP. II eum adscribat.

60 *Incommodat ei 2° quod censuram S. Hieronymi neutiquam evertant istius Aristarchi argutationes. Rem expendendam propono lectori partium studiis libero. Affirmat sanctus Doctor, libellum, de quo hic agimus, esse fœtum* Sexti Pythagoræi hominis gentilissimi, *etc. Negat pag. 30 heterodoxus prædictus, inter Pythagoræos exstitisse aliquem, cui opusculum illud sub Sixti nomine attribui queat. Et cur non exstitit? Nonne ideo, quia talem is inter Pythagoræos non novit? Frivola enimvero consequentia! An omnes itaque omnino et singulos ille scriptores Pythagoræos novit? Non opinor. Si non novit; cur hunc e secta eorum secludit? Hæc vero, quæ refert a pag. 33,* Thomas Galeus Anglus... quum opuscula Mythologica physica et ethica Oxonii anno MDCLXXXIII, interque ea, Pythagoræorum scripta et fragmenta publicaret, hisque ipsis, Sixti, *uti vult,* nostri E sententias insereret pag. 645 et sequentibus, hunc nostrum plane eum esse putavit, qui vel a Cicerone vel Seneca, Plinio, omnibusque aliis citatus fuit; *hæc, inquam, ibi quidem refert; sed solide neutiquam refutat.* Quærerem ego, *inquit pag. 34,* qua ratione Sixtus ille, quem Galeus ævo Ciceronis ac Cæsaris vixisse statuit, de nostra υἱοθεσία S. adoptione, de Christo sapientia Dei, de renuntiatione in baptismo, de martyrio, de innumeris aliis doctrinis mere Christianis ac ritibus non nisi in sancto cœtu usitatis loqui potuerit; nisi simul statuat, omnia ista ante Servatoris adventum et nota atque exercita fuisse? *Sed num putas, illa omnia ibi inveniri in clara luce, quæ sciolus noster adeo confidenter ostentat? Vidit enimvero non quæ sunt, sed quæ esse voluit. Quid enim? Sententiam 242, quæ sic habet,* Fidelem te esse professus, spopondisti pariter non peccare Deo, *ad sacrum Christianorum baptisma, nulla voculæ umbra illud indicante, detorquet, dicens pag. 245;* Id vero manifestum Christianæ sodalitatis indicium : Gentilis enim de renuntiatione, in S. baptismo facta, dicere non poterat. *Ex Sententia vero 56,* Dignus esto eo, qui te dignatus F est filium dicere, et agere omnia, quasi filius Dei; *magna quidem, sed inani prorsus emphasi,* In omni, *inquit,* Pythagoræ sapientia talis thesauros non deprehenditur, qui nos τῆς υἱοθεσίας certiores reddat. Hoc ad mysteria, sed revelata pertinet. *Vide, quantam vim in hoc sciolo habeat idea adjectitia, quam vocant, umbras sibi ac somnia fingente, renuntiationem videlicet quæ fit a Christianis ante baptismum, de quo altum silet illa philosophi sententia. Neque enim hic quæritur, an interpretatione adventitia ac foris quæsita, ad sensum Christianum ea detorqueri possint : sed an illum sensum ex vi terminorum, et ex obvia significationis idea per se indicent et manifestent. Jam vero fac quasdam esse in dicto libro sententias, quæ redoleant Scripturam sacram; an tamen inde sequitur, ut libri istius fuerit auctor Christianus? Audiatur de hac re Baronius in Annal. eccl. ad annum 410 :* Ruffinus transferens pleraque addens more suo ex divinis Scripturis, videri fecit librum potius hominis Christiani, quam ethnici.

et adversus S. Hieronymi censuram,

61 *Sed redeamus ad censuram Hieronymianam, et alia ejusdem membra breviter examinemus. Dicit, pseudo-Sixtum ea scripsisse,* in quibus nulla Christi, nulla Spiritus Sancti, nulla Dei

Patris,

AUCTORE J. P.

Patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum, et Apostolorum fit mentio. *Fatetur heterodoxus pag. 40, apud eum non inveniri sacrosancta* Jesu *et* Christi *nomina. Quod, quis non miretur; cum ea scriptoribus Christianis, qualem vult esse suum Sixtum, ad informandos Christianorum mores adeo sint accommodata, ac familiaria, ne dicam quotidiana?* Sed exstat, *inquit,* Servatoris descriptio apud Sixtum, quando VERBI, et SAPIENTIÆ et VERITATIS ipsum præconio exornavit. *Et mox in medium producit sanctos Patres, hisce vocibus usos ad significandum Dei Filium. Sed non negavit S. Hieronymus, voces illas materiales haberi inter pseudo-Sixti sententias. Quæstio est, an illis vocibus, prout ibi exstant, in sensu litterali atque obvio, attento toto scriptoris contextu, significetur Filius Dei; an potius illud significatum ex voluntate ipsius, qui dictum auctorem ejusque sententias defendit, sit affictum. En nonnulla specimina, unde judicare possis. Sententia 23 sic habet:* Anima purificatur in verbo Dei per sapientiam. 24ª : Nunquam putes Dei sapien-
B tiam insensibilem esse. 29ª : Divina sapientia lux est, et incapax contrarii. *An in his satis elucet Servator, Filius Dei, Verbumque et Sapientia Patris? An denuo ex sententia 275,* Derelinquens, quæ possides, sequere verbum Dei, *ab Hieronymi Aristarcho recte infertur,* Sub Verbi titulo iterum Servatorem descripsit? *An id conficitur ex sententia 290,* Bonum quidem habere omnes optant, obtinent autem, qui semetipsos ex integro, verbo Dei manciparunt? *An denique ex sententia 370,* verbum verum ut Deum honora? *Nugæ. At justo longius abducar, si meas de Deo Patre ac Spiritu Sancto observationes hisce superaddam.*

62 *Ad illud vero Hieronymi adversus pseudo-Sixtum,* nulla Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum fit mentio, *quod attinet; causæ malæ defensor more suo hic iterum e cerebro suo memoriam illorum extundit, quando pag. 39* Sixtus, *inquit*, dum Patriarchas, Prophetas, Apostolos describit, eos vocat SAPIENTES et AMICOS DEI, more Christi, qui se σοφοὺς missurum pollice-
C batur, non designato Petri Paulive nomine, Matth. cap. 23. *Quasi vero alibi, et variis quidem locis, eos non designasset Dominus satis sæpe, satis clare, ac satis distincte : ut advertere vel hinc liceat, quam straminea arripiat fulcra pseudo-Sixti patronus, ut desperatam causam suam tueatur, et quam parum fidei mereatur, quando citans sacrarum Litterarum et Patrum textus, ad rem importune, ne dicam ad ostentationem quasi pompatice undequaque conquisitos; eosque æquivocis sui Sixti verbis applicans, cum hujus sententias ex illis confirmat, tum pro divinis oraculis venditat.*

defendat

63 *Doctor denique Stridonensis hunc librum accusat, quod* in eo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur. *Inficiatur hoc pseudo-Sixti defensor pag. 48; eam tantummodo ab ipso postulatam perfectionem fuisse affirmans, qualem volvere Christus Dominus, nec non SS. Irenæus et Hieronymus. Imo vero pag. 95 dicit, quod* Clemens Alexandrinus totus in hoc Enchiridio expressus sit, *at respondeo, novum non esse, scriptores, ab Ecclesia Romano-Catholica alienos, in rebus suis desperatis inclamare divina eloquia, ac sanctos Patres. Mori isti jam pridem insuevere hæretici tam antiqui quam novi. En pauca specimina. Auctor Clemen-*

tanquam orthodoxum;

tis PP. XI Constitutionis Unigenitus *theologice* D
propugnatæ tom. I, in Prolegomenis cap. 6, occasione SS. Augustini ac Thomæ, a Quesnello et cæteris Jansenistis passim in patrocinium vocatorum, varia suggerit; e quibus paucula hæc excerpo. Wicleffum audi : Sic habet Augustinus, ut doceo : sic lex Papalis, et Concilia. *Lutherum :* Augustinum quem præteris, totus meus est. *Calvinum :* S. Augustinus adeo totus noster est *etc. Et Calvinum denuo :* Etiamsi crepet Pigius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus totus sit noster. *Calvinum denique tertio :* Doctrinæ nostræ nullum est caput, quod non prope ad verbum sæpius apud Augustinum recurrat. *Plura, uti et locorum, quos protuli, citationes dabit prædictus Constitutionis propugnator. Librum itaque pseudo-Sixtinum accusat Ecclesiæ Doctor in omni scientiarum genere consummatissimus; excusat heterodoxus scribillator. Utri credendum? Porro justissimas esse, quæ adversus opellam illam moventur, accusationes, Joannis Mariæ Brasichellensis, sacri Palatii magistri confirmat 1° censura, Bibliothecæ Patrum Lugdunensi* E
præfixa, uti est apud dictum heterodoxum pag. 93. Confirmat 2° Cæsar Baronius ad annum 410 scribens adversus exsecrabilem imposturam *Rufini. Confirmat 3° aliorum auctorum agmen ; hunc namque* Cæsarem suum sequitur universus eorum exercitus, qui Romanam Ecclesiam agnoscunt; *sicut fatetur adversarius pag. 97. Omnes scilicet illi talparum instar cæcutierunt; hic autem plus aliquid, quam omnes isti, videns, lynceo obtutu veritatem detexit. Credite posteri. Confirmat 4° ipsemet heterodoxus noster, apud quem pag. 95 quidam ex eodem grege magister Thomas Ittigius, ecclesiæ Lipsiensis præsul, uti vocatur, et S. Theologiæ professor, Tractatu de Bibliothecis et Catenis Patrum : cujus, inquit,* viri judicio multum alias tribuendum esse judico, *ita in dicto opere pag. 86 loqui asseritur :* Sententias, quas sub Sixti Pontif. R. et martyris nomine Bigneus ediderat, Brasichellensis rectius Sixto Pythagoræo vindicat; cum ex Hieronymo, Augustino, aliisque auctoribus constet, quod Rufinus mala fraude illum philosophi gentilis librum Sixto Pontifici R. et martyri supposuerit. *Confirmant 5° absurda hæc, quæ ex eodem libro delibo :* F

64 *Sententia enim 162 ita sonat :* Mendacio tanquam veneno utere. *Pulchra enimvero ethica, quæ mendacii usum præscribit. Quæ sciolus noster heterodoxus, gregalium suorum vestigiis inhærens, pag. 206 et 207 adversus nostrum Nicolaum Abramium, atque universam nostram Societatem impudenter in hoc argumento eructat, citans auctores Hexaplorum Romano fulmine protritorum, non est hujus loci refutare. Sententia 271 sic habet:* Exsecrabile tibi etiam sit, juste aliquid punire. *Ubi ergo justitia vindicativa? Sententia 130 his terminis constat :* Non petas a Deo id, quod cum habueris, non perpetuo possidebis. *Non igitur temporalia subsidia ad vitæ mortalis sustentationem necessaria; non pacem, non animi tranquillitatem, quietem Ecclesiæ, corporis sanitatem, a Deo petenda docet. Sententia 135 enuntiat ista :* Quidquid non convenit ad beatitudinem Dei, non convenit homini Dei. *Samuel Basnagius Flottemanvillæus, qui nostro adversario minime debet esse suspectus, cum a Romanis sacris sit alienus, in Annalibus Politico-ecclesiasticis, ad annum Domini 258, num. 8 præcedentem sententiam censurasse non contentus, præsenti hoc etiam stigma inurit:* Abhorret . . . a fide . . .

sed irrito

Non

A Non igitur resurrectio corporis pars erit felicitatis Sanctorum, utpote quæ gloriæ Dei immortalis pugnet. *Hæc vero 198*, Derogare viro sapienti ac Deo, æquale ducito peccatum, *quomodo satis erga Deum reverens, et peccatorum inæqualitati consona? Quid plura? Sententia 285*, Solent homines abscindere aliqua membrorum suorum pro sanitate reliquorum : quanto id præstantius pro pudicitia fiet, *nonne patrocinatur erroneæ mutilationi Origenianæ?*

prorsus conatu.

65 *Denique quid hac sententia 236* Nubere et filios procreare., pessimum scias utrumque, *ineptius dici potest? Nam vel ipsemet sciolus noster pag. 442*, Fateor, *inquit*, hanc sententiam, uti Ruffinus vertit, difficillime excusari posse. Quo factum, ut in Parisina et Lugdunensi editione omnino non reperiantur. Fortassis ab Hieronymo, ejusque sectatoribus inserta, ut tandem, quam sibi matrimonii odio invidiam fecerant, Sixto conciliarent. *Observa et mirare audacem et impudentem hujus nostri scribillatoris conjecturam;* B *cui tamen non inhærens, mox aliud effugium captat, dum culpam confert in Ruffinum interpretem. Quæ cum ita sint, prudens æqui lectoris judicium requiro, an libellus Sententiarum hic controversus* S. Sixto PP. II *ac martyri sit adscribendus, an potius eo non sit plane indignus; qui tanto perperam ab Heterodoxo nostro in honore habitus est, ut pag. 408 arbitretur, dicamus apertius, somniet,* Sixtum *hoc libro sibi gradum struxisse ad presbyterium.*

§ VII. Sanctus an ad Hispanos profectus; Acta.

Auctores varii

Tamayus *in Martyrologio Hispanico hac die* VI *Augusti, iter in Hispaniam sanctum Martyrem nostrum instituisse memorat his verbis :* Romæ natalis S. Sixti Pontificis maximi, qui cum legatus S. R. E., ut Toletano interesset concilio, Hispanias devenisset, munere expleto, Cæsaraugustam, devotionis ad Virginem de Columna ardore succensus, accessit : ubi Laurentium S. Valerii archidiaconum agnoscens, illum Romæ C detulit. *Porro adventum Sancti in Hispaniam dictus Martyrologus probare conatur 1° ex Chronico Dextri; quod cum omnem jam pridem apud eruditos fidem amiserit, nihil ex eo confici potest. 2° Ex S. Vincentio Ferrerio, qui in Sermone de S. Laurentio fol.* XCII *verso editionis mox indicandæ, sic scribit :* S. Sixtus Papa vadens ad celebrandum concilium Toletanum, fecit transitum per Cæsar-augustam, et audita fama beati Laurentii, vocavit eum, et scita sua sanctitate, duxit eum secum, *etc. Hæc describo ex editione Lugd. Sermonum S. Vincentii Ferrerii, qui sunt de Sanctis, anno 1446* * *typis excusi. Monet Tamayus, merito in aliis expungi vocem* Papa; *ne* S. Sixtus *post Pontificatum dicatur Romam reliquisse. Nos quidem veneramur S. Vincentii Ferrerii sacram eruditionem cum spiritu apostolico conjunctam; ita tamen, ut ad præsentis causæ confirmationem desideremus antiquiora testimonia, quam seculi decimi quarti ac decimi quinti, quibus floruit Sanctus ille. De aliis auctoribus, quos Tamayus citat, idem esto judicium.*

* f. 1516

Sanctum in Hispaniam profectum affirmant;

67 *Cæterum audire juvat diligentissimum conciliorum Hispaniæ collectorem, eminentissimum Aguirrium, tomo I Collectionis maximæ dictorum conciliorum a pag. 161 ista scribentem de concilio* Toletano, *quod supra memoratum est atque adventu Sancti nostri in Hispaniam :* Septimum dicitur celebratum Toleti anno CCLX, tempore S. Xysti II Papæ, juxta testimonium celebre S. Vincentii Ferrerii *(verba subdit Aguirrius eadem, quæ nos modo dedimus.)* Porro S. Xystum adiisse Hispaniam, multi ante et post tempus S. Vincentii Ferrerii dixisse perhibentur. *Deinde auctores, qui ab ipso citantur,* ii, *uti addit,* omnes, priusquam nova illa Chronica Dextri et sociorum superius indicata apparerent. Nam postquam in lucem prodiere, omnes eorum defensores eamdem narrationem quasi pro aris et focis tuentur, ducti potissimum verbis his Dextro tributis ad annum CCLX, num. 5 : Toleti sub Xysti Papæ legato concilium contractum est. Sed enim imprimis occurrit oppositio inter verba S. Vincentii ac Dextri : nam ille videtur tribuere id concilium Xysto II jam Pontifici adeunti Hispaniam, ad illud celebrandum : Dexter vero solum adscribit cuidam alteri legato Xysti Papæ *(saltem secundum emendationem textus ipsius, de qua Tamayus loco citato pag. 390.)*

Auctore J. P.

E

negat Cardinalis Aguirrius ob varias rationes.

68 Utrumvis autem dicatur, difficile creditu est : cum nullum omnino exstet Christianæ antiquitatis indicium, nec traditio adventus Xysti in Hispaniam, nec Pontifices in eo tantæ paupertatis ac persecutionis statu solerent mittere legatos, præsertim ad regna procul dissita : nec exiguum tempus, quo Xystus Sedem Apostolicam rexit, videtur locum dedisse, ut, relicta Roma, Hispaniam peteret ad concilium inibi celebrandum. Vixit enim solum in Pontificatu annum unum, menses decem, dies viginti tres; ut vidimus supra pag. 48 in Catalogo illo Pontificum vetustissimo totius bibliothecæ Vaticanæ. *(Imo vero tandiu non sedit, secundum dicta superius num. 40.)* Præterea Xystus in eo brevi Pontificatus tempore jam erat senex; ut indicant verba ipsius ad S. Laurentium : Nos quasi senes, levioris pugnæ cursum recipimus. Unde minus credibile est, Pontificem senem, intra breve regiminis tempus, tam longa itinera emensum fuisse. Porro S. Vincentius Ferrerius videtur eam narrationem sumpsisse ex Martino Polono Ordinis Prædicatorum *(De eo supra egerat)* cujus auctoritas in historia est exigua, ut notum est, et speciatim monet Bellar- F minus, dum loquitur de illo in libro de Scriptoribus ecclesiasticis circa medium seculi decimi tertii. Denique nec pseudo-Dexter, nec ullus veterum Scriptorum indicat, quam ob causam, vel quibus Hispaniæ episcopis intervenientibus, Xystus id concilium Toleti celebraverit, sive per se ipsum, sive per legatum aliquem. Maneat itaque concilium prædictum, instar aliorum præcedentium, intra limites solius possibilitatis : ex qua sola non nisi temere proceditur ad asserendum factum; *atque proinde adventum* S. Xysti *in Hispaniam eidem superstructum; quem Ambrosius de Morales Cronici generalis Hispaniæ lib. 9, cap. 46 etiam improbat; Mariana autem de Rebus Hispaniæ lib. 4, cap. 10 admittit,* prinsquam *Sixtus* esset Pontifex; *sed quo auctore antiquo ac fide digno hoc probabit cum ipse, tum alii, qui id volunt? Rogatos enimvero volumus eruditos Hispanos, ut idoneo aliquo documento vetusto nobis hoc edisserant.*

Acta S. Sixti

69 *Circa exemplaria Actorum occurrunt sequentia. Emmanuel Schelstratius Antiquitatum Ecclesiæ tom. I, dissertatione 2, cap. 7, num. 6,* S. Sixti *Acta interpolata fuisse probans,* Reperiuntur, *inquit,* Xysti secundi Acta in Ms. co-

dice

AUCTORE J. P.

dice 1190 Vaticano; sed nescio a quonam auctore pluribus seculis post ejusdem Pontificis obitum interpolata. Patet id ex primis illorum verbis: Temporibus Decii Cæsaris, et Valeriani Præpositi, jusserunt sibi Sixtum episcopum cum Clero suo præsentari noctu intra civitatem Tellure. Quibus innuitur, Xystum temporibus Decii imperatoris passum esse; cum constet, Decium periisse ante sex annos, quam Xystus Sedem Apostolicam obtinuit. Nec refert, hæc priora verba in multis aliis Mss. codicibus desiderari; cum ubique in Actis exhibeantur Decius et Valerianus, qui Xystum interrogant, quod ex ignorantia historiæ ecclesiasticæ ab interpolatore additum est. Octo enim annis post Decii mortem, Xystus sub Valeriano, non præfecto, sed imperatore, ut statim probabimus, martyrii palmam adeptus est. Legerat forsan interpolator Valeriani nomen in veris Xysti Actis, et quia Decii persecutio gravissima fuit, Valerianum Decii judicem exstitisse credidit, et ideo Xystum sub Decio imperatore et Valeriano Præfecto passum affirmavit.

B

interpolata sunt.

70 Habuit germana Xysti Acta D. Ambrosius, qui sæpius eorum meminit; nullibi tamen Laurentium sub Decio passum fuisse asseruit. Præclarum est fragmentum, quod D. Ambrosius refert lib. 1 de Officiis cap. 41, ubi ita scribit: Non prætereamus etiam S. Laurentium, qui cum videret Sixtum, episcopum suum, ad martyrium duci, flere cœpit non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater? *etc.* Hæc S. Ambrosius; quæ quidem reperiuntur in Actis Xysti Papæ, prout habentur in Mss. codicibus Vaticanis, et in editis Sanctorum Passionibus apud Mombritium et Laurentium Surium. *(Vide etiam Martyrium infra a nobis excudendum, num. 3.)* Sed notandum est, quod D. Ambrosius testetur, hæc contigisse, cum B. Laurentius videret Xystum ad martyrium duci. Ubi tamen acta nunc exstantia habent: Cum autem audisset B. Laurentius archidiaconus, beatum Xystum episcopum iterum in custodiam reduci, his verbis eum appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater? etc. Ex quibus lucide apparet, Acta B. Xysti post tempora D. Ambrosii, ab aliquo interpolata fuisse.

C

Addunt eadem Acta, Ecclesiæ subinde thesauros per aliquot dies a B. Laurentio in pauperes distributos fuisse, et Xystum post hæc omnia primum e carcere eductum fuisse ad martyrium: cum S. Ambrosius in fragmento superius relato testetur, Xystum in via, qua ad locum martyrii properabat, Laurentium allocutum fuisse, ipsique prædixisse, quod post triduum sequeretur, et martyrium subiret. *Ex his itaque Schelstratii verbis conficitur, Acta* S. Sixti *interpolata fuisse.*

Eorum exempla.

71 *Hisce annectere placet nonnullas alias circa prædicta Acta observationes. Ea, quæ apud Surium exstant, ad diem* x *Augusti, Martyrio S. Laurentii intexta sunt. Apud Mombritium vero tom. II datur* Passio sanctorum Xysti episcopi, Felicissimi et Agapiti martyrum. *Habemus apographum e Ms. S. Audomari, quod* S. Sixti, *et aliorum, quos modo dicebam, duorum passionem continet, ad tres lectiones contractam. Est aliud insuper mihi in promptu apographum hoc titulo,* Martyrium S. Syxti Pontificis, et Felicissimi, et Agapiti diaconorum, *e Ms. Fuldensi desumptum, collatum cum Ms. S. Martini Treveris, ac in novem dispertitum capita. Restrictiores præ aliis, quæ memoravi, gestorum documentis sunt prædictæ lectiones, partem, quam pluribus alibi habet S. Laurentius, breviter perstringentes. Cæterum Acta, quæ dixi, ita se habent, ut qui unum ex illis exemplar norit, reliqua norit: adeo quippe conveniunt inter se, ut eumdem perspicue fontem sapiant. En tibi nunc*

D

MARTYRIUM

E Ms. Fuldensi cum aliis exemplaribus collato.

Sanctus cum Felicissimo et Agapito *a*

Orta persecutionum tempestate sub Decio, multi Christianorum necati sunt, finitoque Persico bello *a* venientes Romam Decius Cæsar et Valerianus præfectus *b*, jusserunt sibi Syxtum episcopum cum Clero suo præsentari noctu intra civitatem in Tellude *c*. Syxtus igitur apud Athenas natus et doctus *d*, prius quidem philosophus, postea Christi discipulus, dixit ad Clerum suum: Fratres et commilitones, nolite pavescere; omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi perpetuam obtinerent vitæ æternæ palmam. Nam et Dominus noster Jesus Christus passus est pro salute nostra, ut nobis exemplum relinqueret: et voce clara dixit: Venite, nemo metuat terrores. Responderunt Felicissimus et Agapitus diacones, et dixerunt: Et nos sine patre nostro quo ibimus?

E

sistitur Decio ac Valeriano; et Marti sacrificare frustra cogitur.

2 Et præsentatus est noctu Decio et Valeriano cum duobus diaconibus. Dicit ad Syxtum episcopum Decius Cæsar: Scis quare sis tentus, et conventione publica nobis repræsentatus es? Respondit Syxtus episcopus: Scio, et bene scio. Decius dixit: Ergo si scis, fac ut universi sciant, et tu vivas, et Clerus tuus augeatur. Respondit Syxtus episcopus: Vere feci et facio, ut Clerus meus augeatur. Decius dixit: Ergo sacrifica diis immortalibus, et esto princeps sacerdotum. Beatus Syxtus episcopus respondit: Ego semper sacrificavi et sacrifico Deo Patri omnipotenti, et Domino Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto hostiam puram et immaculatam. Decius dixit: Consule senectuti tuæ, sicut et nos consulimus. Itaque consule et tu tibi vel Clero tuo. Beatus Syxtus episcopus dixit: Usque adeo consultus sum *e* mihi et Clero meo, ut de profundo mortis æternæ coner omnes mecum eripere, vel liberare. Decius dixit: Sacrifica: nam si non feceris, tu eris exemplum omnium. Syxtus episcopus respondit: Jam semel tibi dixi, Sacrificium semper offero Deo et Domino Jesu Christo Filio ejus. Decius dixit ad milites: Ducite eum ad templum Martis *f*, et sacrificet Deo Marti. Quod si noluerit, recludite eum in privata Mamurtini *g*. Et duxerunt eum ad templum Martis, et coarctabant eum sacrificiis coinquinari. Tunc beatus Syxtus episcopus dixit: O infelices, qui non ploratis sed adoratis idola vana, et manufacta, muta et surda: quæ nec sibi nec aliis prosunt. Sed audite me, filii, et liberate animas vestras de æterno supplicio: et nolite pavescere ista tormenta; sed illa metuite, et agite pœnitentiam, quia nescientes sacrificastis idolis vanis. Et contempto præcepto Decii, duxerunt eum in custodiam privatam cum duobus diaconibus Felicissimo et Agapito.

F

SS. Laurentii et Sixti colloquium. *h*

3 Cumque audisset B. Laurentius archidiaconus, beatum Sixtum episcopum iterum in custodiam reduci *h*, his verbis eum appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater; quo, Sacerdos sancte,

A sancte, sine diacono properas? Tu nunquam sacrificasti sine ministro, nec offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit tibi, pater *i*? Num degenerem probasti me? Experire recte, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici Corporis et Sanguinis consecrationem *k*. Cui consummandorum *l* consortium Sacramentorum credidisti, huic sanguinis tui consortium negas? Ne periclitetur judicium, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid, quod illustrius præstantes viri discipulorum certaminibus, quam suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit; Petrus Stephanum præmisit; et tu, Pater, ostende in filio virtutem tuam, et offer, quem erudisti; ut securus judicii tui, comitatu nobili pervenias ad coronam. Tunc Syxtus episcopus dixit: Non ego te, fili, desero, nec derelinquo, sed majora tibi debentur *m* certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus; te quasi juvenem magnum *n* gloriosior de tyranno triumphus exspectat. Post *o* venies; flere
B desiste: post triduum sequeris sacerdotem levita. Hic medius numerus decet. Non erit * tum sub Magistro vincere, quasi adjutorem quærens consortium passionis *p*. Totam hereditatem tibi dimitto. Quid præsentiam meam requiris *q*? Helias Helisæum reliquit, et virtutem non abstulit. Et dixit sanctus Syxtus ad S. Laurentium: Accipe facultates Ecclesiæ vel thesauros, et divide quibus tibi videtur. Tunc B. Syxtus episcopus tradidit B. Laurentio archidiacono omnes facultates Ecclesiæ.

*al. erat

4 Eo tempore, accepta potestate, B. Laurentius cœpit per regiones curiose quærere, ubicunque sancti Clerici vel pauperes essent absconsi: et portans thesauros, prout cuique opus erat, ministrabat. Veniens autem in Cœlium montem, ubi erat quædam vidua, quæ fuerat cum viro suo annis undecim, et in viduitate permansit annos triginta duos, quæ habebat in domo sua multos Christianos, et presbyteros, et Clericos absconsos. Hos cum audisset B. Laurentius, tulit vestes et thesauros, et venit noctu ad eam. Tunc veniens invenit multitudinem Christianorum in domo Cyriacæ viduæ, et cœpit pedes omnium Christianorum lavare. Et in ipsa nocte veniens Cyriaca
C ad B. Laurentium, misit se ad pedes ejus, dicens ei: Per Christum te conjuro, ut manus tuas ponas super caput meum, quia multas infirmitates patior capitis mei. Tunc B. Laurentius dixit: In nomine Domini Jesu Christi Filii Dei omnipotentis ponam manum meam super caput tuum. Et, facto signo Christi, posuit manus super caput Cyriacæ viduæ: posuit et super manus ejus linteum, de quo * extergebat pedes Sanctorum.

Virtutes

** Mombrit. ac Sur.* quo *et miracula*

5 Eadem nocte ambulavit inde, et cœpit quærere, ubicunque essent congregati Christiani, sive in domibus, sive in cryptis. Venit autem in vicum, qui dicitur Canarius, et invenit multos Christianos in domo cujusdam Narcissi Christiani congregatos. Ubi introivit cum lacrymis, et lavit pedes omnium, et dedit eis de thesauro, quem B. Syxtus præcipiens tradidit. Et invenit in eadem domo hominem nomine Crescentionem * cæcum. Tunc ipse cum lacrymis cœpit rogare dicens: Pone manum tuam in oculos meos, ut videam faciem tuam. Tunc B. Laurentius lacrymas oculis stillans dixit: Dominus noster Jesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, ipse te illuminet. Et facto signo Christi in oculis ejus, ipsa hora aperti sunt, et vidit lumen et B. Laurentium, sicut petivit.

** Mombrit.* Crescentium

6 Tunc exiens inde audivit, quod in vico Patricii multi Christiani congregati essent in crypta Nepotiana, et veniens illuc B. Laurentius detulit secum ea, quæ necessaria erant Sanctis. Et invenit ibi animas sexaginta tres *s* promiscui sexus, et introivit cum lacrymis ad eos, dans pacem omnibus. Et invenit ibi presbyterum nomine Justinum, qui fuerat ordinatus a B. Syxto, et misit se ad pedes ejus, et cœperunt ambo se in pavimento volutare, ut invicem sibi pedes oscularentur. Dixit autem B. Laurentius ad B. Justinum: Comple votum meum, ut laventur pedes Sanctorum et vestri per manus meas. Justinus presbyter dixit: Hoc dominicum præceptum est: fiat voluntas Domini Jesu Christi. Et posita pelvi misit aquam, et lavit omnium virorum pedes. Veniens autem ad B. Justinum, cœpit primo osculari pedes ejus et lavare: et ubi lavit omnium pedes, commendavit se B. Justino.

Ex Ms a S. Laurentio facta.

7 Et eadem hora exiens inde; et ecce B. Syxtus ducebatur in Telludem, ut audiretur, et cum eo duo diaconi Felicissimus et Agapitus. Et sedit Decius et Valerianus. Dixit autem Decius ad B.
E Syxtum episcopum iracundia plenus: Nos quidem consulimus senectuti tuæ. Audi præcepta nostra, et sacrifica. Respondit B. Syxtus: Miser, tu tibi consule, et noli blasphemare; sed age pœnitentiam de sanguine Sanctorum, quem effudisti. Decius furore plenus dixit ad Valerianum: Si iste exstinctus non fuerit, non erit clarus timor noster. Valerianus respondit: Capite puniatur. Responderunt Felicissimus et Agapitus, et dixerunt: O miseri, si audiatis monita patris nostri, evadetis tormenta æterna, quæ vos torquere habent. Valerianus præfectus dixit: Quid diu vivent isti, qui nobis tormenta promittunt? Sed ducantur ad templum Martis iterum et sacrificent. Quod si noluerint sacrificare, in eodem loco capite truncentur. Et ducti foras murum portæ Appiæ cœpit B. Syxtus dicere: Ecce idola vana muta et surda, et lapidea, quibus miseri inclinantur, ut perdant vitam æternam. Et dixit ad templum Martis: Destruat te Christus, Filius Dei vivi. Et cum hoc dixisset B. Syxtus, responderunt omnes Christiani: Amen. Et subito cecidit aliqua pars templi, et comminuta est *t*. F

S. Sixtus idola spernens,

8 Tunc B. Laurentius cœpit clamare: Non me derelinquas, pater sancte, quia thesauros jam expendi, quos tradidisti mihi. Tunc milites tenuerunt B. Laurentium archidiaconum, audientes de thesauro *. Sanctum vero Syxtum episcopum, et Felicissimum, et Agapitum diacones duxerunt in clivum Martis ante templum: et ibidem *u* decollatus *x* est cum duobus diaconibus *y*, et dimiserunt corpora eorum in platea octavo Idus Augusti. Noctu etiam venerunt clerici et presbyteri, et Diaconi, et maxima pars Christianorum, et collegerunt corpora Sanctorum, et sepelierunt B. Syxtum episcopum et martyrem in crypta in cœmeterio Calisti *z* in eadem via; sanctos vero Felicissimum et Agapitum martyres et diacones sepelierunt in cœmeterio Prætextati sub die octavo Idus Augustas.

una cum Felicissimo et Agapito, martyrium subit.

* al. thesauris

ANNOTATA.

a *Quod severiores quidam critici velint, Persicam Decii expeditionem esse confictam, habes tom. VII Julii, die 30 ejusdem mensis, pag. 132 a num. 16.*

b *Non sub Decio Cæsare ac Valeriano præfecto contigit hoc; sed sub Valeriano imperatore; ex Com-*

EX MS

Commentario prævio num. 69.

c *Ita etiam est apud Surium et Adonem; sed secundum Schelstratium mox citatum, num. 69, et Mombritium* Tellure. *Locus iste fuit Romæ; secundum ea, quæ hic proxime præcedunt. At qualis, et ubi situs? Tom. I mensis Augusti pag. 144 in Annotatis lit.* d, *diximus, locum illum fuisse templum, in quo sæpe senatus cogi consueverit, haud procul Amphitheatro. Vide insuper auctores ibid. citatos. Apud Panvinium in Commentariis reipublicæ Romanæ lib. 1, pag. 173 notatur* Regio IV, via sacra, alias templum Pacis; *et inter templa decem, quæ pag. 174 subduntur, occurrit* templum Telluris in Carinis cum armamentario; *de quo templo etiam ibid. pagg. 229 et 242. Suspicor illud hic designari.*

d *Singularis hic est, si non mendosus Mombritius, pro* et doctus *scribens* et dictus Jesus fuit.

e *Ita quoque codex noster Ms.* P *155; sed Ado ac Surius* consului.

f Paulo extra portam Capenam via Appia fuit elegans et magnum Martis templum, quod Martis extramuranei dicebatur; *ut notat Panvinius modo allegatus, pag. 103, Livium ac Ovidium de eo loquentes inducens: additque;* hoc templum a Sulla Felice restitutum, ampliatumque, ac supra c columnas positum ferunt. *Agit de eo Aringhus Romæ subterraneæ lib. 3, cap. 10, num. 9.* B

g *Sic etiam Mombritius: at codex Ms.* P *155 scribit* Mamertini: *Surius*, in privata custodia Mamertini.

h *Consonant Mombrit. ac Sur. At Ms. Trev.* in custodiam duci. *Ado*, cumque duceretur *etc.*

i *Convenit cum Adone ac cod. Ms.* P *155. Surius autem ac Ms. Trev.* Paternitati tuæ.

k *Rosweydus in notis Mss. ad hunc locum, observat quod in Ms. Fuldensi* corporis et *in margine additum fuerit. Ado, codex noster Ms.* P *155, Surius cum S. Ambrosio lib. 1 Offic. cap. 41 legunt:* Dominici sanguinis consecrationem. *Ita editio Parisina anni 1586; Coloniensis anno 1616 edita habet* dispensationem. *Guilielmus Alanus lib. 2 de Eucharistia, cap. 39 de Diaconis sic scribit:* Quia in primitiva Ecclesia fere dispensabant posteriorem partem Sacramenti in solemnibus Sacris, dicebantur CONSUMMATORES, CONFIRMATORES, ac semel apud Ambrosium *(citatur ad marginem Offic. lib. 1 cap. 41)* CONSECRATORES Sacramenti: nisi vitium sit in lectione. *Lorinus noster in Actorum caput 6, ỿ. 3, observat ista:* Quod autem suspicatur *(de Alano est sermo)* cum vitio legi apud Ambrosium CONSECRATORES; et ipse prorsus consentio, et approbatorem præterea habeo Claudium Espencæum, qui Gropperum citat, imo Ecclesiam ipsam, quæ dispensationem pro consecratione usurpat in ecclesiasticis Officiis. *Auctor sermonis de S. Vincentio M., Leoni adscriptus, uti et S. Augustino sermone 13 de Sanctis, de illo Christi pugile,* Hujus, *ait*, spiritus tanto virtutum munere claruit, ut sacri ministerii fultus officio, qui Filium Dei, Dominum nostrum, secuturus esset in passione, ejusdem Christi calicem credentibus prius ministraret in salutem. *Arator lib. 1 Historiæ Apostolicæ, quæ exstat in Bibliotheca Patrum Parisiis edita anno 1589, tom. VIII, col. 550, sic canit:* D

C

Jura ministerii, sacris altaribus apti,
In septem secuere viros, quos undique lectos
Levitas vocitare placet, quam splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, et latices cum sanguine porrigat Agni.

Hisce addamus Cyprianum sermone de Lapsis ita loquentem: Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit *etc.*

l *Observat Rosweydus noster in notis Mss., quod Alanus, quem modo citavi, videatur hoc intelligere de porrectione calicis, quem diaconi laicis exhibebant, atque ita* consummabant *Sacramentum; unde dicti* consummatores: *sed addit, sese hoc generatim accipere, quia diaconi in Sacramentorum administratione seu* consummatione *aderant episcopis, eosque juvabant;* consummationem *vero, de sola Eucharistia intellectam, capere se de reliquiis Eucharistiæ post communionem fidelium, quæ nonnunquam dabantur innocentibus infantibus consumendæ. His, quæ notavit Rosweydus, addi potest, quod forte tunc etiam usus obtinuerit in Ecclesia, ut præsente ac jubente presbytero, diaconi in necessitate populo porrigerent Eucharistiam. Enimvero in concilio Carthaginensi quarto, quod anno 398 celebratum est, can. 38, tom. II Conciliorum apud Labbeum col. 1203, præscribitur,* Ut diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. *Varia porro diaconorum officia dat Lorinus paulo ante citatus.* E

m *Surius, Ms. Trev., ac lectio nona Breviarii Romani ad diem* VI *Augusti addunt* pro fide Christi.

n Magnum *alibi non additur.*

o Post *etiam Mombritius, et cod. Ms.* P *155: Surius* post me; *sed Ambrosius et Ado*, mox.

p Consortium passionis *videtur hic mendose confusum esse; nam præterquam quod illud non lego hic in Ambrosio, Adone, cod. Ms.* P *155, Mombritio, ac Surio; sequitur tamen proxime:* Quid consortium passionis meæ expetis? *Surius* quæris; meæ *non est in mox citato codice, ac Surio.*

q *Addit hic S. Ambrosius:* Infirmi discipuli magistrum præcedant; fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. F

r *Sequentia de S. Laurentio non sunt in Adone; sed post* ministrabat, *sequuntur ista:* Igitur post hoc B. Sixtus reducitur in Telludem. *Vide supra num. 7.*

s *Mombrit.* quadraginta tres: *Sur.* ferme septuaginta tres.

t *Difficultatem movent, quæ de casu maximæ partis hujus templi, verbis S. Stephani PP. I ac martyris, et anno quidem proxime præcedente 257 collapsi memorantur in Actis ejus tom. I Augusti, die 2, pag 143.*

u *Incommoda circa locum passionis expendimus in Commentario num. 24.*

x *Quo mortis genere interemptus sit Sanctus, consule Commentarium num. 29.*

y *Quæ spectant Sancti in martyrio socios, habes ibid. num. 32.*

z *De celebri Callisti cœmeterio Aringhus Romæ subterraneæ lib. 3, cap. 11.*

A

DE SANCTIS MILITIBUS MARTYRIBUS CLXV

Ex Hieronymianis. J. B. S.

VI AUGUSTI.

In codd. Hieronymianis ferme tanquam S. Sixti socii ejus annuntiationi subjunguntur hi sancti Martyres milites, diverso nonnihil numero. Textus Florentinii legit Eppolyti et milites CLXV : *connectit item satis expresse Epternacensis numerum augens hoc modo :* Donatiani et militum CLXX , *quem reducit Corbeiensis* ad milites CLXII. *Verum Ms. Reg. Suec. cum primo concordat, scribens etiam* milites CLXV, *quomodo item legunt Richenoviens. et Labbean.; ast Angustan. solos notat* LXV. *Postquam Florentinius de Sixto et sociis satis disputavit, ubi ad hos Milites ventum* B *est, ita loquitur :* An hi milites sint in Actis S. Laurentii memorati, hoc est XLVI cum uxoribus suis, et cum aliis CXX via Salaria, qui per anticipationem hic recenseantur, quod non multo post agonem Hippolyti, a Justino eodem presbytero sepulti sint, affirmare non auderem. Alterius classis videntur apud Notkerum reputari. Post sancti enim Sixti memoriam subdit : Item Romæ , Militum centum sexaginta quinque. *Eum nodum apposite solvere, non mihi magis quam Florentinio obvium : cum, quoquo modo rem adeo implexam explicare coneris, in aliquo peccandum videatur, tutius existimo eam partem seligere, ut hodierna classis Hieronymiana S. Sixto subjungatur, altera cum S. Laurentio ex aliis Martyrologiis referatur ad diem* E *hujus mensis* X.

DE SS. JUSTO & PASTORE MM.

COMPLUTI

IN HISPANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Antiquitas cultus eorum ac dilatatio.

ANNO CCCIV. *Cultus a martyrio cœptus ,*

Complutum, Hispanice Alcala de Henares, oppidum est et illustre Athenæum Castellæ Novæ ad Henarium fluvium, sex fere leucis Matrito versus Orientem distans. Hoc olim SS. Justus *et* Pastor *natalibus, educatione, et gloriosissimo, si modum ætatemque spectes,* C *martyrio nobilitarunt : ut mirum videri non debeat, si sacros istic honores, statim ut eos promeriti moriendo fuerant, a Christianis tum civibus retulere. Aiunt certe post Acta nostra scriptores Hispani passim, cum Ambrosio de Morales, vetera pro se Breviaria citante, in Chronico generali Hispaniæ, lib. 10, cap. 9, fol. 348, Dacianum, post expletam in hosce Pueros crudelitatem, sive seditionis metu, sive desperatione ibi quidquam proficiendi suppliciis, ubi ea non solum nemo timeret; sed ætas etiam tenera, ultro sese offerens, aviditate inaudita deposceret, repente absterritum discessisse Compluto ; hac autem occasione usos continuo fuisse cives pios ad Martyrum suorum corpora eodem, quo ceciderant, loco non condenda tantummodo; sed, imposito quoque super tumulis oratorio, veneranda. Verum cultus ille quantuscunque tum fuit, diuturnus non fuit : quandoquidem ante ejusdem seculi finem nec oratorii nec sepulcri ulla superfuere vestigia; ut adeo tam pretiosa pignora cœlesti prodigio fuerint revelanda, ne intermissam diu religionem prorsus tandem aboleret oblivio; ut ex S. Ildefonso ep. Toletano, qui seculo* VII *floruit, libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 2 colligitur ; ubi de Asturio, decessore olim suo, sic habet :*

2 Hic et sacerdotio beatus, et miraculo dignus : quia, quibus jungeretur in cœlo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulcro. Nam cum sedis suæ sacerdotio fungeretur , divina dicitur revelatione commonitus, Complutensi sepultos municipio , quod ab urbe ejus ferme sexagesimo milliario situm est , Dei Martyres perscrutari. Qui concitatur adcurrens, quos et * tellus aggeris et oblivio temporis presserat , in lucem et gloriam terrenæ cognitionis provehendos invenit. Quibus repertis ; redire in sedem renuens, servitute simul et assiduitate Sanctorum innexus, diem clausit extremum. Cujus tamen sedem , donec vixit , nemo adiit. Inde , ut antiquitas fert , in Toleto sacerdos nonus, in Compluto agnoscitur primus. Non exprimuntur hic ab Ildefonso Martyrum nostrorum nomina, *inquit citatus Moralius fol. 350,* quia necesse non est ; cum dicere Martyres in Complutensi sepultos municipio , tantumdem sit , quantum eos proprio nomine compellare : *neque enim alii, præter* Justum *et* Pastorem , *Compluti tum sciuntur aut facti aut sepulti fuisse Martyres; ut infra patebit ex Prudentio. Atque ea quidem communis omnium sententia est. Sed ex hoc argumento ducitur aliud, ad quod neque Moralius, neque plures alii satis adverterunt animum, cum et episcopatum Asturii Toletanum, et sacrorum corporum jam dictam inventionem ad initia seculi quinti distulerunt :*

post inventa eorum corpora

* f. et quos

F

3 *Nam si per Martyres Compluti sepultos certissime designantur* SS. Justus *et* Pastor, *profecto apud hos condidisse filiolum suum censendus est S. Paulinus Nolanus; cum in Panegyrico de obitu Celsi pueri, Poemate 15, alias 32 , versus finem ita scribat.*

circa annum Christi 388

AUCTORE P. B.

Exoptata diu soboles, nec præstita nobis,
Gaudere indignis posteritate pia!
Credimus, æternis illum tibi, Celse, viretis
Lætitiæ et vitæ ludere participem;
Quem Complutensi mandavimus urbe, propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus;
Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.

Et sane de Justo *et* Pastore *hæc interpretati sunt Rosweydus noster, Tamayus, novissime Brunus in editione operum S. Paulini Parisiensi anni 1687, et quotquot vidimus alios, qui textum hunc explanaverint. Jam ergo revelatus fuerat Martyrum horum tumulus, jam inventa corpora; atque adeo jam sedem aliquandiu Toletanam Asturius occupaverat, quando prope sepulcrum eorum, defunctum parvulum suum humabat Paulinus ante annum Christi 393, ut liquet ex Actis ejus ad diem* XXII *Junii; imo anno 391, ut statuit Tillemontius tom. XIV, pag. 15, Ferreras in Synopsi historica rerum Hispanicarum ad annum assignatum (ubi tamen perperam confundit puerum Celsum cum Paulini filiolo,) et alii. Hinc idem Ferreras inventionem ab Ildefonso narratam referre maluit ad annum Christi 388, quam ad seculum consequens, quod cum aliis fecerat Moralius ob chronologiam non satis accuratam episcoporum Toletanorum, de qua consuli etiam potest Eminentissimus Aguirrius Conciliorum Hispaniæ tom. II, dissertat. 6.*

4 *Porro ex producto S. Ildefonsi testimonio facile quisque conjiciet, per illam talem sacrorum pignorum revelationem non modo pristinam apud Complutenses religionem erga Martyres suos suscitatam fuisse; sed insuper, quantis fieri potuit, incrementis auctam. Quid enim; si thesaurum hunc Asturius tanti fecit, ut novum ibi episcopatum exorsus, ac Toletanam* redire in sedem renuens, servitute simul et assiduitate Sanctorum innexus, diem claudere extremum *voluerit; dubitabimus, quin eorum lipsana augustiori excepta mausoleo pro viribus decoravit, atque hoc ipsum basilica nova, et Martyrum eorumdem titulo consecrata, concluserit? An vero etiam credibile est, institutam tum simul ab eo, vel restitutam potius, non fuisse anniversariam illorum aliquam celebritatem, et compositum, quod ibi decantaretur, Officium? Enimvero nisi talem ipsis exhibuerit* servitutem; *non satis dignam exhibuisse dicendus erit nec prodigio quod sibi acciderat, nec affectu illo suo pietatis in eos tam singulari, nec munere denique ac potestate, quibus erat instructus. Quamobrem non ausim equidem eatenus auctores illos Hispanos arguere, qui tale quid adstruunt: ut Moralium, cum Chronici sui lib. 10, cap. 9, fol. 351 ait, pro certo haberi, loculum eorum illum jaspideum (de quo infra agemus, ubi de reliquiis) opus esse ejusdem Asturii. Tantumdem de ecclesia* SS. Justi *et* Pastoris, *et quidem cathedrali, ab eodem istic erecta tradunt præter alios Rodericus Mendez in opere, quod inscribit, Poblacion general de España, fol. 29, et Joannes Franciscus Andres in Monumento* SS. Justi *et* Pastoris *pag. 27. Ad festum et Officium quod attinet, quidam asserunt, illud, quod ad diem sextam Augusti legitur in Missali ac Breviario Isidoriano, a S. Isidoro adoptatum fuisse quidem; at olim compositum ab Asturio. Ita censent citatus Andres, sive Andresius, pag. 21 et 29, ac Tamayus tum ad hunc diem, tum ad* VII *et* VIII *Martii: sed quoniam id ipsi e solo pseudo-Dextri chronico ad annum Christi 423 videntur hausisse; et alii fere Officium illud et Missam S. Isidoro, ut auctori tribuunt; mihi susque deque est, sive ista, sive alia antiquiora et nunc ignota concedantur Asturio.*

restoruit

5 *Inficiari certe nemo potest, quin celeberrimum eodem tempore nomen eorum et sepulcrum esse cœperit: hoc etenim et adductus S. Paulini locus evincit, et alius nihilo minus disertus apud æqualem Paulini Prudentium* Περὶ στεφάνων *Hymno 4 ita Martyres nostros inter Hispaniæ clarissimos recensentem:*

et per universam Hispaniam

Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
membra duorum.

Crescente fama, crevit et cultus, tota paulatim Hispania diffusus; ut fidem faciunt ecclesiæ passim ipsorum titulo dedicatæ vel etiam ditatæ reliquiis; quarum aliquæ perantiquæ sunt, ut illa Metinæ Sidoniæ in Andalusia, cujus hanc inscriptionem vetustissimam exhibet Moralius lib. 10, fol. 353: HIC SUNT RELIQUIARUM CONDITÆ. ....STEPHANI, JULIANI, FELICIS, JUSTI, PASTORIS, FRUCTUOSI, AUGURII, EULOGII, ACISCLI, ROMANI, MARTINI, QUIRISCI, ET ZOYLI MARTYRUM. DEDICATA EST HÆC BASILICA XVII CAL. JANUARIAS, ANNO II PONTIFICATUS PIMENI, ERA DCLXVIII, *id est, anno Christi 630. Ejusdem ferme ætatis est cœnobium* SS. Justi *et* Pastoris *Compluticense, seu Bergidense, prope Asturicam, quod a S. Fructuoso fundatum diximus in hujus Actis ad diem* XVI *Aprilis pag. 431. Vide Moralium loco assignato, et Ferreras in Historia Hispaniæ ad annum 646, num. 13 et seqq.; ubi Privilegium Chindasuinthi Gothorum regis a Sandovallio vulgatum convellit, a quo certior ejusdem cœnobii epocha dependet. Ad idem seculum pertinet ecclesia Martyrum nostrorum apud Alcacerium Salinarum, quod oppidum est Lusitaniæ, condita anno Christi 682, ut indicat epigraphe apud Moralium ibidem fol. 354; ubi et subjungit,* non fuisse tum regionem in Hispania tam remotam, in qua non aliquam hi Martyres nominibus suis insignem haberent ecclesiam; *quanquam definita cujusque primordia non sciantur.*

dilatari cœpit;

6 *Sic idem fol. 355 perquam antiquas ait esse parochiales eorumdem ecclesias Toletanam, Matritensem, Salmanticensem, et, si nondum concidit, Augustobrisensem. Metropolitana Narbonensis ab immemorabili tempore* SS Justi *et* Pastoris *titulo fuit illustris; ut colliges ex diplomate Caroli Magni apud Sammarthanos. His adde vetusta cœnobia, Lejulense inter juga Cordubensia situm, quod olim incoluit S. Leovigildus martyr, de quo agendum erit ad diem* XX *hujus mensis: Covarruviense, sive Augustæ Novæ, de quo Moralius ibidem fol. 355 et seq.: aliud item a S. Gennadio, episcopo Asturicensi, fundatum; de quo vide Testamentum ejus apud nos ad diem* XXV *Maii, pag. 96. Et vero quid opus est monasteria, ecclesias, aut loca singula, peculiari Martyrum nostrorum cultu ac nomine consecrata, longo nimis hic ordine commemorare; cum ne diœceses quidem omnes, in quarum propriis Officiis celebratam reperit memoriam ipsorum, sigillatim enumerare Tamayo visum sit? Recensitis enim ad hunc diem Toletana, Zamorensi, Legionensi, Placentina, Seguntina, Hispalensi, Calagurritana, Palentina, Abulensi, Conchensi, Carthaginensi, Burgensi,*

A *gensi, Compostellana, Pampilonensi, Oscensi, quasi numerando fessus addit:* Et in aliis etiam Hispaniæ passim.

imo per totam Ecclesiam.

7 *Neque vero intra fines Hispaniæ cohiberi diu potuit Martyrum eorumdem tam religiosa veneratio, quin per universam brevi Ecclesiam funderetur. Elucet id primum ex omnium vetustissimo Martyrologii Hieronymiani codice apud Florentinium, in quo ad diem* XXV *hujus mensis hæc eorum annuntiatio legitur:* Spanis, Compluto loco, Justi, Pastoris: *tum ex aliis item universalibus, quæ seculo* IX *prodierunt, Flori, Adonis, Usuardi, Notheri, quorum textus ad hunc diem vix differunt ab hodierno Martyrologii Romani, qui sic habet:* Compluti in Hispania, sanctorum martyrum Justi et Pastoris, fratrum; qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt; et mox a Daciano præside teneri jussi et fustibus cædi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem perducti, B a carnifice jugulati sunt.

Natalis eorum est dies 6 Augusti;

8 *Si causam quæris, cur in Martyrologio Hieronymiano, uti et in Ms. quodam Adoniano codice Morinorum, teste Henschenio nostro, referantur hi Martyres ad* XXV *Augusti; eam nos omnino fatemur ignorare: nam verum eorum natalem fuisse credimus diem* VI *Augusti; quæ Hispanicarum ecclesiarum constantissima traditio est, in pluribus earum, et imprimis Complutensi, etiamnum usu observata, et cum Breviarii veteris Isidoriani, tum inscriptionis antiquæ Caradignensis (quam hoc eodem die dabimus, ubi de ducentis ejusdem cœnobii Martyribus erit sermo) ac Martyrologorum denique et Hagiographorum, qui quidem de* SS. Justo *ac* Pastore *post* VIII *seculum meminerunt, omnium auctoritate firmata. Quod si quædam ecclesiæ nunc, propter festum Transfigurationis aut impedimentum aliud, Martyrum nostrorum Officium transferunt ad* VII *vel* VIII *Augusti, eædem in Lectionibus propriis monent, martyrium accidisse* octavo Idus Augusti, *ut habetur in Toletanis.*

tametsi non illo tantum die celebrantur aut men-[illegible]

9 *Existimamus ergo, ubicunque diebus aut mensibus aliis celebrantur, id non fieri ad asserendum colendumque verum eorum natalem, tanquam ab* VIII *Idus Augusti removendum; sed aliis quibusquibus demum de causis: sic ecclesia* C *Oscana cum illorum solemnitatem affixit ab omni retro memoria, ut affirmat Andres pag. 224, Dominicæ primæ Septembris, noluit profecto unquam illo pacto diem ipsorum natalem ibi defigere; quandoquidem Dominica dies vaga semper est, et diem quotannis alium occupat, apud Compostellanos præter natalem diem* VI *Augusti, colitur insuper anniversaria memoria translationis illius, de qua dicetur inferius, die* VII *Martii, ut vide apud Tamayum. Metropolitana quoque Narbonensis præter eumdem natalem celebrat etiam die* XIX *Februarii translationem aliquam reliquiarum, solemniter, ut ait Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani pag. 1155, peractam anno Christi 1335. Quid Compostellanos moverit ad memoriam illorum a die* VI *Augusti, ibidem olim observato, transferendam ad* VII *Octobris, ut in recentiori ejusdem ecclesiæ Breviario anni 1569 observasse se Tamayus affirmat, nusquam equidem reperi: miror magis, in Officiis propriis diœceseos illius, anno 1596 Compostellæ excusis,* SS. Justi *et* Pastoris *omissam prorsus esse mentionem. Hactenus de cultu, de quo plura colligi poterunt ex paragraphis sequentibus.*

§ II. Acta; Martyrum patria, parentes, ætas; tempus martyrii.

Acta videntur seculo IV scripta stylo soluto,

Cum hi Martyres coram judice nunquam comparuerint, nedum interrogati ab eo fuerint, aut consueto more judicati, non est, quod publica certaminis eorum Acta credantur unquam exstitisse. Perantiqua tamen esse censemus, quæ supersunt, et forte ad ecclesiæ Complutensis usum (ut alibi quoque factitatum scimus) ab aliquo, qui rebus gestis interfuerat, non admodum diu post martyrium composita. Certe ea se Surius, aut in Suriani operis auctario Mosander, excerpsisse ait (mutato *tamen* passim stylo) ex antiquissimis codicibus: *et nos eorumdem initium habemus in codice nostro membraneo Q Ms. 7, qui seculo* IX *videtur antiquior, detrito ubique ac mutilo, atque imprimis (quod maxime dolemus) hoc loco, ubi olim duo, ut minimum, folia exsecta fuerunt* E *post hoc principium Actorum nostrorum:* In illis diebus, dum crudelissimus Datianus instinctu serpentis et consilio provocatus diaboli, universum rabiens percurreret mundum, ut quoscunque Christianos per diversas... *Ex hoc interim fragmento colligimus, exemplar istud vetustum per singulos propemodum apices consonare cum alio, quod e Ms. S. Maximini Treviris acceptum infra vulgabimus; atque adeo etiam cum illis, quæ Surio Mosandrove præluxerunt, imo ex quibus a novem retro seculis clarissimi Martyrologi sua compendia delibarunt. Sed ætatem prototypi longe pressius designasse videri potest auctor ipse num. 3; cum de prima illa tantummodo basilica, et quidem ut subsistente tum etiam, meminerit, quam post Daciani discessum, et redditam (opinor) Ecclesiæ pacem supra Martyrum amborum vicinos quidem, at separatos tamen, tumulos condidere: separatos, inquam, tumulos ait enim,* per singula eorum *(Martyrum)* corpora, una protegente basilica, in eorum titulis altaria veneranda *consecrata fuisse. Perierat vero hæc basilica, cum ecclesiæ Toletanæ, inclinante seculo* IV, *præsideret Asturius, nec tumulorum illorum,* F *præterquam apud Superos, ulla supererat notitia, ut ex Ildefonso jam vidimus; Asturius autem inventa corpora uno eodemque, de quo postea dicemus, sepulcro clausit; ut pro certo haberi asserit Moralius lib. 10, fol. 331: neque unquam deinde sciuntur aliud Compluti, quam idem hoc et commune et pretiosum et unicum sepulcrum habuisse. Scripsisse ergo videtur anonymus noster diu ante corporum inventionem; neque proinde diu admodum, ut modo notabam, post* SS. Justi *et* Pastoris *agonem.*

diu ante, quam ligato prodierint in Officio Isidoriano:

11 *Itaque antiquiora putamus hæc Acta Martyrum nostrorum, quam illa, quæ leguntur hoc die in veteri Officio Isidoriano, sive ab Asturio composita illa fuerint, seculo* IV *exeunte, sive binis postea seculis a S. Isidoro Hispalensi, sive ab alio quocunque præsule intermedio: non enim reperi adhuc, qui statuerit, Officium illud Isidoro recentius esse. Est autem etiam nunc in usu apud eos, qui Toleti et alibi ritum sequuntur Mozarabicum, de quo alias non semel est actum, et fuse in Tractatu præliminari ad tomum sextum Julii. Illud vero non semel attingit Acta* SS. Justi *et* Pastoris *in Missa propria; sed sparsim; ut videre est apud Franciscum Didacum de Aynsa et de Triarte in Antiquitatibus Oscanis lib. 2, cap. 32;*

AUCTORE P. B.

cap. 32; at ibidem in Hymno ad Vesperas ordine historico recitantur integra: quare et hunc recudendum infra censuimus; estque is potissimum, quem hic Isidoriani Officii nomine compellamus, et recentiorem dicimus esse Actis ante laudatis, idque ex eo maxime, quod cum illis optime consonet usque ad Martyrum necem; at quæ deinde de prima basilica. de separatis in ea Martyrum tumulis, de impositis utrique diversis altaribus adduntur, omittat. Quorsum enim istic, obsecro, prætermissa dicemus, quæ martyrium proxime fuerant conseсuta; nisi quia, cum scriberet hymnographus, jam basilica illa considerat, jam ejus locum alia occupabat, jam pro tumulis duobus unicus erat, jam denique loci ratio sic erat mutata, ut illi quæ scripta pridem fuerant, jam amplius non possent congruere? Et consentaneum sane non erat, ut in ecclesia Complutensi assistentes Officio, alia audirent omnia, quam quæ tunc oculis coram spectabant.

unde magnæ auctoritatis esse debent,

12 *Ex dictis consequens est, ut magnam hæc Acta fidem apud omnes mereri debeant, tum propter antiquitatem suam, tum propter antiquitatem Officii Isidoriani, quod illis per singula historiæ capita usque ad sepulturam consonat.* B *Neque vero etiam hac ætate, qua severissimæ censuræ tanta ubique licentia est, excogitari quidquam hactenus potuit, quod illam apud viros cordatos debeat imminuere. Ait quidem Tillemontius Monument. eccles. tom. V. pag. 58, hæc* Acta admodum esse brevia; et plena tamen verbis inutilibus: *sed primo, aliter judicarunt, qui eadem ipsa apud Tamayum multo pluribus verbis haudquaquam necessariis ampliavere. Deinde aliud est, Acta esse vetera veraque; aliud, concise atque ex arte esse composita, qualia fere sunt quæ publica aut proconsularia dicuntur. Hæc auctorem habent Christianum, pium potius ac veracem, quam litteratum; cujusmodi viris hodieque vel cultissimæ abundant ecclesiæ, plus fere ponderis eorum simplicitati deferre solitæ, quam politissimæ cæterorum litteraturæ.*

licet eam critici quidam conentur arrodere.

13 *Nihilo solidiora sunt, quæ ad hunc diem in Tabula critica de Martyribus nostris agens, ita pronuntiat Bailletus:* Eorum Acta, quanquam brevia, de variis additionibus suspecta sunt; sed neque primigenia. Vera tamen censentur in eo quod continent, si excipiantur orationes quæ *(infra* C *num. 2)* Sanctis, etiam tum parvulis, attribuuntur. *Hæc ille, argumento nullo, sed sola sua, ut sæpe alias, fretus auctoritate. Verum quæro, qui Acta illa in nullo veteri codice, sed apud unum Surium legit, unde factas additiones absque ulla collatione exemplarium potuerit odorari? Nam primigenia non esse, ut in opere Suriano leguntur, facile colligere indidem potuit ex admonitione prævia, ubi dicitur* mutatus passim *illorum* stylus. *Quænam vero additiones illæ sunt? An rerum; an verborum tantummodo? Si enim de solis verbis agitur, jam responsum est numero præcedente. Etiam rerum, inquit: nam etsi res in Actis contentæ veræ censeantur, excipi tamen debent orationes num. 3 positæ; neque proinde veræ illæ censendæ sunt, sed falsæ et ab interpolatore suppositæ. Si amplificatas diceres, fortasse tolerarem; sed falsas cum appelles, proba. Nimis studiose excogitatæ sunt, ais, quam ut parvulis congruant. Bellam enimvero rationem! Tute ipse alteri eorum annos ætatis octo concedis, alteri tredecim: et negas aliquid ad rem præsentem apte dicere potuisse; illo præsertim persecutionis tempore, quo nihil sive a parentibus, sive ab aliis quibuslibet Christianis agitari quotidie frequentius* D *audiebant, quam quæ ad inflammandos ad martyrium animos pertinerent? Utrum horum, cedo, in ista ætate mirabilius erat; ultro ad tyrannum et supplicia convolare; an sic, ut Acta perhibent, de martyrio disserere? Illud sine dubio. Cum ergo illud ipsum vere de his Parvulis narrari fatearis in Actis; cur alterum falsi arguis? Certe utrumque æque confirmatur ex Hymno Isidoriano, tametsi per compendium. In Missa vero ejusdem ritus antiquissima apud Aynsam pag. 26 de Deo dicitur:* Quique in illis *(Justo et Pastore)* cum se invicem ad passionem exhortarentur, fari dignatus est per gratiæ donum. *Fac ergo, exhortationes illas cum Parvulorum nostrorum ætate absque prodigio non posse componi; an propterea continuo proscribendæ sunt ut falsæ? Neutiquam; sed illi potius tribuendæ, qui* linguas infantium facit dissertas; *quod hic valere debuit potissimum, ubi Actorum fides aliunde suggillari non potuit.*

Martyrum patria, Complutum;

14 *Ab Actis ad ea descendimus, quæ ad illorum explanationem a recentioribus observata reperiuntur de Martyrum patria, parentibus, ætate, etc. Ac de patria quidem communis est Hispanorum sententia,* E *etiam Romanæ Sedis auctoritate ad hunc diem in Lectionibus propriis ecclesiæ Toletanæ approbata, Complutenses ambos fuisse; quod ipsa quoque Acta non obscure innuunt, cum eos ibi scholas in ætate tenera frequentasse testantur. Neque vero ulla hic unquam fuit civitatum aliarum gentiumve contentio, quæ passim in re dubia solet occurrere, cum suam quæque gloriam vult esse, quam alteri, nisi jure certissimo parta sit, invidet. Nescio ergo, quid sibi velit hoc die Tamayus pag. 401: videtur enim illis patriam assignare Thermedam, oppidum olim, nunc vicum, leucis quatuor, ut ait Morales lib. 10, fol. 356, Compluto distantem, vulgo Tielmes. Sed enim si hoc vult, secum ipse pugnat ad diem secundam Julii, pag. 18, littera B, ubi eos Compluti natos affirmat.*

parentes Christiani; sed ignoti:

15 *Non cives tantummodo* Justus *et* Pastor; *verum etiam fratres fuere; ut ex Actis, et Martyrologiis liquet. At quibus orti parentibus? Morales lib. 10, fol. 347, inventos in Hispania* F *quosdam fuisse dicit, qui asseverare voluerint, utriusque patrem fuisse S. Marcellum, centurionem ac martyrem, qui colitur* XXX *Octobris. Horum ipse opinionem cum negavit ullo fundamento nixam esse, prorsus exstinxit. Emersit alia subinde ex confictis Dextri, Luitprandi ac similium chronicis, quæ pro Marcello Fratrum horum parentem susbtituit S. Vitalem illum, de quo cum aliis Campaniæ felicis Martyribus egimus die 2 Julii pag. 307 et sequente. Hujus novitatem in opere Ms., cujus fragmenta quædam excepimus, his verbis exagitat eruditissimus Hispaniæ bibliographus Nicolaus Antonius ad diem* VI *Augusti:* Nec apud nos uspiam fando auditum, quod jam hodie vanissimis ac futilissimis testimoniis suis certatim contestatum ivere Dexter, Valderedus, Luitprandus, Julianus, Aulus Halus, quos Tamayus collegit. *Tum pluribus eamdem sententiam argumentis convellit; quibus et alia superaddi possent, nisi satis esset primos ejus auctores nominasse, ne fidem apud prudentes inveniat. Magis insulsa est quorumdam assertio, qui S. Martham virginem et martyrem Asturicensem, quam ad diem* XXIII *Februarii, pag. 361, sub Decio cecidisse diximus, Justi ac Pastoris amitam et nutricem fecere; quod ne ipse quidem Tamayus ad hunc diem*

devo-

A *devorare potuit. Ergo de parentibus hoc tantum constat, Christianos fuisse, ut ferunt Acta; nec sortis infimæ cives; quandoquidem liberalibus disciplinis excolendos in schola liberos collocarunt.*

ætas major quam 7 et 9 annorum,

16 *Quotum ætatis annum uterris attigerit, controversum est: licet enim in Brevi Apostolico S. Pii Papæ V ad episcopum Oscensem et Jacensem, dato* die duodecima Aprilis millesimi quingentesimi sexagesimi septimi, *et edito apud Tamayum in Martyrologio die* VII *Martii aliosque, tempore martyrii fuisse dicantur* alter novem, alter vero septem annorum; *et id secure credi posse affirmet Moralius fol. 349, passimque crediderint Hispani recentiores; tanquam quod optime consentiat cum iis phrasibus, quibus Martyrum ætatem tam Acta nostra, quam Isidori Breviarium ac Missale definiunt; imo quod existimari debeat in Breve Pontificium non temere irrepsisse, sed eo derivatum esse ex authentico quodam ac primigenio, ut Moralius ibidem loquitur, instrumento: his tamen omnibus non acquiescit Joannes* B *Franciscus Andresius in Monumento* SS. Justi *et* Pastoris, *cap. 9, utriusque ossa bis per se ipse contemplatus ac dimensus; sed ad Joannis Vasæi, Alvarique Gomezii sententiam accedit, qui ambos Martyres occubuisse volunt* adolescentes, *hoc est, anno ætatis quarto decimo non minores. Quæ vero longe teneriorem eorum ætatulam arguere videntur in Actis et Officio Mozarabico, ea ibidem ipsc adolescentiæ tributa non raro fuisse, productis aliunde exemplis, conatur ostendere. Et sane quæ ad diem* XXI *Januarii ex S. Ambrosio de S. Agnete recitantur in Breviario Romano, ætatem multo inferiorem significare cuilibet, nisi fallor, deberent, si non expressis hisce verbis addidisset auctor:* Hæc tredecim annorum martyrium fecisse traditur. *Ad Breve Pontificium responsio facilis est: non enim ibi sanctus Pius quidquam asserit; sed narrat ea, quæ sibi jussu Philippi regis Catholici exposita nuper fuerant.* Exponi, *inquit,* nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex Catholicus, quod sancti Justus et Pastor. . . . . de anno *(En tibi expositorem idoneum, quisquis fuit!)* humanæ salutis SEPTINGENTESIMO SEXTO, alter novem, alter C vero septem annorum, mandante Deciano, tunc eas regiones gubernante sub Diocletiano imperatore... martyrium subierunt, *etc. Cedo, qui annum martyrii tam ignoranter exposuit; annos ætatis amborum acu tetigisse censendus est? Nos tamen, donec evidentius aliquid de reliquiarum singularum quantitate proferetur, in eam sententiam propendemus magis, quæ ætatem illorum statuit adolescentia minorem. Vide infra* § 3, *a numero 28.*

et pastoris major, quam Justi:

17 *Jam si ætas utriusque sibi mutuo comparata requiritur; eam hoc die Bailletus (nescio, qua ratione aut fide) sic exprimit:* Natu major, annorum fere tredecim, Justus nuncupabatur; alteri, annum agenti tantummodo septimum vel octavum, nomen fuit Pastor. *Contraria certe est Hispanorum traditio, in Officio proprio ecclesiæ Toletanæ ad hunc diem ita consignata:* Nam Justus minor natu, timens forte, ne de sua frater constantia diffideret, sic prior Pastorem alloquitur *etc. Traditionem hanc tuentur insuper, ut cæteros prætercam, Ambrosius de Morales fol. 349, Didacus de Aynsa pag. 265, et Joannes Franciscus Andres pag. 21, sacrorum utriusque ossium dimensione; ex qua colligi evidenter asserunt,* Justum Pastore *minorem fuisse. Quod autem ubique soleat ante* Pastorem *nominari* Justus; *id alia, quam ætatis, causa factum arbitrantur; puta quod minor ante majorem supplicium tulerit; vel quod huic per exhortationem quasi ducem sese ille et auctorem præbuerit.*

AUCTORE P. B.

annus martyrii 304

18 *De anno utriusque hujus martyrii mirum est, quam varie quidam senserint, dum alii illud ad Traiani imperatoris decimum octavum, alii ad Adriani decimum, alii ad annum Christi 296, alii alio retulerunt; ut notat Andresius pag. 22 et sequente. Res tamen ex ipsis Actis nullo negotio definiri quam proxime poterat: testantur enim, hæc martyria tum accidisse, cum Dacianus in Hispaniis adversus* quoscunque Christianos *crudelissime fureret. Dacianum vero ibi præsidem fuisse sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, horumque sævitiæ in persequendis Christi cultoribus atrocissimum administrum, constat ex Actis vetustissimis S. Vincentii martyris tom. II Januarii pag. 394. Colligitur insuper ex Eusebio de Martyribus Palæstinis cap. 3, edictum eorumdem imperatorum, quo non jam ecclesiarum, ut ante, ministri solummodo; sed* quicunque E *promiscue* Christiani *tormentis ac cædibus objecti sunt, ad annum persecutionis secundum, Christi 304, circiter ineuntem (ut observat tom. V Monum. eccles. pag. 40 et sequente Tillemontius) pertinere. Non est igitur, quod annus alius inquiratur, quam idem ille Christi 304: quandoquidem hæc nostra martyria ad mensem Augustum spectant; mense autem Maio sequentis anni Diocletianus et Maximianus Herculius imperio se abdicarunt; nec scitur sub aliis imperatoribus præsidis officium retinuisse, nedum exercuisse tam immaniter, Dacianus: nam licet in Commentario prævio ad Acta S. Afræ M. negaverimus, cum imperii mutatione jam dicta exstinctam prorsus in Hispania persecutionem fuisse; mitiorem tamen factam esse tum, ibidem contendimus, quam ut Christianorum constantiam* variis tormentorum generibus cruciaret; *quod Acta nostra de Daciano referunt.*

§ III. Eorum sepulcrum; corporum translationes, ac status.

F

Sepulti fuerunt MM., ubi nunc est basilicas Complut.

E*x Actis num. 3 sepultos fuisse Martyres nostros intelligimus* in eodem loco, ubi passi sunt; *hoc est in campo, quem a fertilitate, ut affirmat Moralius fol. 348, appellabant Laudabilem; quique tum quidem, ut idem asserit antiquitatum Hispanicarum peritissimus auctor, extra civitatis Complutensis ambitum positus erat; sed hac postmodum ad alium situm, quem hodieque obtinet, translata conclusus fuit. Hunc eumdem ait et Asturio divinitus assignatum, ab eoque, impositis et conjunctis in eodem tumulo novo Martyrum corporibus atque inædificata, ut ante meminimus, ecclesia decoratum fuisse; et pluribus postea seculis ab Alfonso Carrillo, deinde etiam ab eminentissimo Francisco Ximenio, archiepiscopis Toletanis, laxiore augustioreque collegiatæ, quæ nunc visitur, basilicæ ædificio nobilitatum. Negat proinde, mutatum unquam fuisse sepulcri locum; sed ibi ab initio constanter asseverat permansisse, ubi nunc est; in hypogæo videlicet oratorio subter aram ecclesiæ majoris principem: et Asturio quidem, cum inspiratione divina thesaurum hunc refodit, nullas fuisse causas illum alio transferendi; at ibidem relinquendi multas; et imprimis quod nullus eo locus dignior*

AUCTORE P. B.

gnior inveniri posset, quam qui copioso Martyrum eorumdem cruore imbutus olim fuisset et consecratus : Carillum vero atque Ximenium, quando novis ædificiis locum eumdem exornarunt, id tanta religione fecisse, ut eorum, quæ ab immemorabili tempore ibidem exstiterant, ne apicem quidem unum ausi sint vel diruere vel de pristino situ dimovere. Ex his porro statue, qua fide digna sint, quæ sic ad annum Christi 423, num. 8 post Moralii tempora pseudo-Dexter effutit : Asturius Toletanus corpora SS. Justi et Pastoris martyrum, INTRA MŒNIA COMPLUTENSIS URBIS PRIUS TRANSLATA, basilica cohonestat. *Certe hæc S. Ildefonsus ab Asturio inventa cultaque dixit ; translata non dixit.*

inde vero translati a S. Urbicio

20 *Prima ergo sacrorum istorum corporum translatio quam adstruit Morales fol. 356, et post illum Aynsa lib. 2, cap. 25, adscribitur S. Urbicio eremitæ, de quo agendum erit in hoc opere ad diem, qua colitur* XV *Decembris ; quando et examinari poterit operosius ejus ætas, quam in dubium revocat Vincentius Blascus de Lanuza in continuatione Annalium Zuritæ tom. I, lib. 1, cap. 37 : communem hic interim cum auctoribus modo assignatis opinionem sequemur ; secundum quam S. Urbicius, bello Saracenico, versus annum Christi 711 in Hispania captus fuit, et in Gallæciam abductus in servitutem. Post annos aliquot, Martyrum nostrorum, quos impense colebat, patrocinio, dimissus ab hero non duro liber, Complutum accessit ; cum ut ingentes iis coram ad sepulcrum ageret gratias ; tum etiam, si res ferret, ut vicem illis utcunque redderet, sacra videlicet ipsorum pignora e ditione Saracenica ad loca tutiora secum asportando, atque ita e periculis ac servitute quodammodo vicissim asserendo in libertatem. Successit negotium ; et pio furto opportunam nactus occasionem, cum utroque Martyrum corpore Burdigalam, unde erat oriundus, salvus et incolumis attigit. Inde porro ad perfectioris vitæ cursum incitatus, postquam, trajectis denuo montibus Pyrenæis, in Oscensi diœcesi apud Martinum quemdam, Ordinis Benedictini monachum, ibi tum sanctimonia nobilem, instituti monastici rudimenta posuisset, eremum asperam in Valle Nocita, quinque circiter leucis ab Oscana civitate in septentrionem dissita, per annos omnino quinquaginta sanctissime solus incoluit. Ubi et post obitum, ut vivus antea mandaverat, medius inter Martyrum corpora, nusquam unquam a se dimissa, sepultus perdiu quievit ; puta ab anno fere 800 usque ad finem seculi decimi quinti.*

ad Vallem Nocitam sec. VIII ;

21 *Atque hæc, de prima e sepulcro Complutensi ad Vallem Nocitam translatione per S. Urbicium, confirmat hic auctor ibidem primum ex antiqua et perpetua traditione indigenarum (cui adstipulantur Lectiones propriæ de S. Urbicio in Breviario Oscensi, die* XV *Decembris apud Tamayum recitatæ ex editione anni 1509.) Deinde ex ipso S. Urbicii sepulcro in ecclesia prope Vallem Nocitam ejus nomine consecrata : in illo enim ad utrumque corporis Urbiciani latus spectari loca vacua, ubi ante translationem secundam ossa Martyrum conquieverint ; atque ita sibi relatum esse a viris gravibus, qui rem hanc oculis usurpaverant. Denique ex testimoniis quorumdam senum, se scribente superstitum, qui etiam tum illius temporis meminerant, quo inde Martyrum nostrorum corpora sublata fuissent. Contigisse vero translationem illam non admodum diu post domitas Maurorum armis Hispanias, ex eo quoque colligit, quod S. Eulogius martyr in epistola ad Wielisindum, episcopum Pampilonensem, iter anno circiter 840 (ut censet Moralius) susceptum enarrans, asserat, sese Complutum descendisse, ibique apud episcopum loci Venerium usque ad quintum ab adventu diem fuisse commoratum ; neque tamen de* SS. Justi et Pastoris *ossibus mentionem ullam faciat. Nimirum inde consequi omnino vir doctus existimat, ut ante tempus illud Martyrum eorumdem ossa ablata Compluto fuerint : nam si eousque servata ibi fuissent, ea sine dubio invisurum fuisse Eulogium : si invisisset autem, id eum Wielisindo suo, piorum istiusmodi nuntiorum avido, nequaquam fuisse taciturum. Vide Hispaniæ illustratæ tomum quartum pag. 230 et seqq. At refragatur, inquis, Ado, qui post iter illud S. Eulogii de Martyribus hisce et ecclesia Complutensi ad hanc diem diserte scribit :* Ubi etiam in basilica sui nominis quiescunt. *Reponi potest, hæc Adonem ex antiquis Actis et translatione prioribus hausisse, nec aliunde translatorum furtive corporum notitiam fuisse assecutum in Gallia ; quam aliquot post annos in Hispaniam profectus accepisse videtur Usuardus, dum eodem die Adonem exscribens, verba jam proposita prorsus omisit.*

atque hinc,

22 *Translationis hujus veritatem ipsi deinceps Complutenses asseruere, dum sua per archiepiscopum suum non unum summo studio repetentes, non aliunde illa, quam ex ecclesia S. Urbicii in Valle Nocita primum, et subinde ex Oscana S. Petri Veteris, ut patebit ex sequentibus, postularunt. Id imprimis curæ fuit Alfonso II, cognomine Carrillo de Acuna, qui Toleti sedit ab anno 1445 usque ad 1482, et erga Martyres Complutenses interea sic fuit affectus, ut non satis habuerit, eorum ecclesiam Compluti vel instaurasse vel aliqua ædificii parte auxisse (ut, contra Gomecium tom. I Hispaniæ illustratæ pag. 1019, Moralius aliique volunt,) in eaque opulentum fundasse canonicorum collegium ; nisi eamdem insuper reductis postliminio ex Valle Nocita Martyrum tutelarium ossibus ditaret. Hoc ut consequatur, Ferdinandum interpellat regem Catholicum : Ferdinandus rem per litteras Alfonso mandat, filio suo, tum archiepiscopo Cæsaraugustano (unde colligas id accidisse post annum 1477,) at nondum (ut quidam temere scribunt) Aragoniæ proregi ; nam ea dignitate auctus non fuit ante obitum Carilli, tametsi eodem, quo hic obierat, anno Christi 1482, uti refert Zurita Annal. Aragon. tom. IV, fol. 316 et 318. Alfonsus porro dum parenti obsequitur, facile deprehendit, neque jure, neque auctoritate quantavis interposita adduci posse Nocitanos, ut possessum tam diu thesaurum dimittant. Arte igitur hic potius utendum ratus, monachos duos ad sepulcrum S. Urbicii misit, speciem quidem, ut oleum alendæ ibi lampadi deferrent ; re autem vera, ut, si esset occasio, expetitas inde Martyrum nostrorum reliquias clam subducerent. Et præstiterunt hoc ipsi quidem ; sed furto mox per Venticum quemdam, loci clericum, comperto vulgatoque, tam prompte ad persequendos fugitivos incolæ convolarunt, ut eos in proximo S. Eulaliæ Majoris pago assecuti, e summo rupis fastigio præcipites dare jam pararent ; quando Sant-Eulaliani miseris Fratribus armati accurrere subsidio, atque in tumultuantem Nocitanorum turbam suum quisque arcum intendere, plurimos haud dubie confixuri, nisi intervenisset miraculum, quo rupti arcuum simul omnium nervi, ne unicam quidem emisere sagittam. Tum vero Eulaliani, rejectis inutilibus armis, ad preces versi, sic Nocitanos placa-*

A *placavere, ut, recepta sacrorum corporum præda, salvos simul ac vacuos abire siverint monachos.*

non fine prodigiis, 23 *Casus hic deinde Francisci Ximenii, anno 1495 ad infulam Toletanam evecti, spem adeo non fregit, quin anno 1499 eumdem archiepiscopum Cæsaraugustanum et jam Ferdinandi regis in Aragonia vicarium ad iterandos in eodem negotio conatus impulerit. Hic vero prioris expeditionis infortunium et imprudentiæ monachorum, et Nocitanorum vigilantiæ potius, quam adverso Superum consilio tribuens (neque enim prodigio antea memorato fidem adhibebat) alteram exercitatissimis ad furta rapinasque latronibus, quos in carcere, jam extremo supplicio destinatos habebat, ea lege commisit, ut, si jam dictas ad se reliquias attulissent, non modo superiorum omnium flagitiorum veniam, sed et hujus facti mercedem amplissimam ac præmium referrent. Illico omnes (nam septem erant, Linares dicti, et in ipsa Valle Nocita nati grassatique) tam inopinata conditione exsultantes, patriam Vallem adeunt; noctu in S. Urbicii ecclesiam ac sepulcrum irrumpunt, et ab utroque ejus latere postulata Martyrum abripiunt corpora; non sine maximo tamen terrore; quod mirum in modum (ut fassi deinde sunt) S. Urbicii corpus obsistere furto et Martyres defendere quodammodo visum esset. Hinc sese confestim in latebras ac devios montium anfractus proripiunt, per quos triduo toto pergentes, densis adeo nebulis circumfusi perpetuo sunt, ut alter alterum videre non posset. Unde nova capti formidine, cum ad secundum ab Oscensi urbe lapidem pervenissent, progredi ulterius, nisi onere, quod indigni gestabant, ibidem in ecclesia S. Michaelis clam deposito, nequaquam sunt ausi.*

ad urbem Oscensem 24 *Verum cum ea sarcina levatos atrocior continuo metus infestaret, mutato repente consilio, resumpta obvolutaque pignora Oscam usque intra fines parochiæ S. Petri Veteris pertulerunt, submonito de re tota per occultum internuntium Joanne Cortesio, parochialis ejusdem ecclesiæ Priore; credo quia ipsi restituere volebant, quod ferre longius aut retinere diutius nec audebant, nec poterant: nam S. Urbicii, quam spoliaverant, ecclesia una cum redditibus suis ad Oscensem S. Petri Veteris ecclesiam pertinebat. Prior ergo tum*
C *hac denuntiatione, tum ecclesiæ suæ campanis ultro, ac nemine mortalium impellente, sonantibus, incitatus, clero comitante, domum, ad quam latrones diverterant, inquirit et invenit; repertumque in ea saccum cum impositis Martyrum lipsanis ad parœcialem suam ecclesiam defert, monitis, et accurrentibus ad rei tantæ tamque insperatæ solemnitatem urbis optimatibus.*

anno 1499, 25 *Contigit vero hæc translatio anno, quem diximus, Christi 1499, mense Novembri, cum celebres apud Oscanos haberentur feriæ S. Martini; uti testatur Aynsa lib. 2, cap. 27, cujus hic narrationem contraximus, utpote nixam, ut asserit, instrumento (informationem appellat ipse) Oscæ publica auctoritate condito ex testimoniis virorum ætate ac fide gravium, qui hæc omnia, prout coram eorum aliqui viderant, aliqui ex oculatis testibus audiverant, legitime interrogati retulere; nixam insuper fide libelli cujusdam vetusti ac manuscripti, quem in eadem urbe legisse se narrat; nixam denique juridico latronum Linarium (de quibus modo meminimus, quique omnes, teste Moralio, anno uno, partim reste partim privata cæde, perierunt) examine et confessione. Quid igitur, inquis, ad Breviarium Oscense citatum supra num. 22, quod anno, ut habet Tamayus, 1509 excusum, significare videtur, S. Urbicii corpus ad illud usque tempus in ecclesia propria inter utrimque posita Martyrum horum corpora permansisse? Responderi potest, locum illum explicandum esse per distractionem; ut sensus sit, ibi adhuc tum requievisse S. Urbicii corpus (at solum,) ubi antea tumulatum fuerat inter Martyrum corpora medium: aut, si mavis, dic Breviarium illud (si re vera anno 1509 fuit impressum) ad aliud exemplar, translatione nostra vetustius, fuisse recusum sine sufficienti examine mutandorum.* AUCTORE P. B.

ubi quiescunt in ecclesia S. Petri Veteris, 26 *Vix ita, ut narratum est, ecclesiæ S. Petri ingens hic thesaurus obvenerat, cum illum sibi deberi et Joannes III, Oscensis antistes, et capitulum, ut vocant, cathedrale contenderunt; sed causa secundum Cortesium facile judicata, delectus est continuo locus in ecclesia, cui præerat, in quo sacrum depositum honorifice conderetur; sacellum videlicet eatenus S. Albini, exinde vero SS. Urbicii* Justi *ac* Pastoris *nuncupatum; ubi linteis involutum et arcæ nuceæ inclusum, sub* E *altari primum in parata ad id crypta repositum fuit usque ad annum circiter 1510, quo parum abfuit, quin iterum raperetur: jam enim arcæ seram circum terebrando propemodum fures ademerant, cum vigilis æditui clamoribus ærisque campani tinnitu conterriti, re infecta, diffugere. Ea causa fuit, cur arca mox in altum evectatis, et in cavo parietis versus imminentem altari fornicem intra cancellos ferreos tutius collocata. Varius ac pretiosus deinde loco paulatim accessit ornatus; donec anno 1643, mense Septembri (uti tum scripsit Andresius in laudato sæpius opusculo, cap. 11) oratorium illud affluentium multitudini angustum adeo visum est, ut aliud laxius extra muros ecclesiæ, contiguum tamen, ædificari cœperit, cui deinde Martyres inferrentur. Sed missis, quæ ad magnificentiam exteriorem pertinent, ipsas hic potius reliquias contemplemur, et quid earum ibi, quantumque clavibus omnino septem, partim apud ejusdem ecclesiæ quæstorem, partim apud magistratum primarium religiose depositis, occlusum asservetur. Rem hanc optime proponet Didacus de Aynsa; qui postquam lib. 2, cap. 27 narravit, Martyrum istas reliquias linteis* F *evolutas, ac duabus hierothecis exceptas fuisse, atque ita in eamdem arcam nuceam, de qua supra, repositas anno Christi 1570; testatur deinde ibidem cap. 31, easdem SS.* Justi *et* Pastoris *hierothecas anno 1647 ex arca memorata depromptas fuisse; ut in corona delectorum e clero ac magistratu civili testium augustiori decorarentur ornatu (expositis absque dubio tantisper, dum id fieret, in conspectu testium lipsanis:) se vero tum una interfuisse, et quæ referet, pro suo studio spectasse singula, quantum libuit; ac proinde ea, ut omnino certa, se posse asserere.*

ubi eorum lipsana sigillatim vidit 27 *Tum subdit,* S. Pastoris *thecam altera majorem esse; in illa vero conspici corpus ejus etiamnum recte compactum et cohærens; ventrem, scapulas, pectus pelle sua sic obtegi, ut ossa nulla nudentur; genua in pectus esse reflexa; brachia vero, depressis humeris, contorta in dorsum; id forsitan fecisse S. Urbicium, ut commodius transferret: capiti quoque pellem adhærere; nihil denique deesse corpori, præter tibiam una cum pede sinistram, quæ Complutum delata sit; tum ossicula quædam pedis, ut putat, ac manuum, hinc ad ecclesiam Scorialensem rogatu regis avecta anno 1570; aliasque particulas, diversis temporibus*

AUCTORE P. B.


bus locisque distributas. Addit etiam, ex capite cæterisque membris apparere, Martyrem hunc statura corporisque mole satis grandi fuisse; cæterum annos ætatis novem tantummodo numerasse : tum temporis enim vastiora fuisse passim hominum corpora. Hæc tam paradoxa probare nititur bonus æque ac simplex et credulus auctor exemplis ad rem suam sane perquam ineptis; Ægyptii scilicet, cujus statura erat quinque cubitorum *ex Paralipomenon lib. 1, cap. 11; deinde Saulis regis,* qui ab humero et sursum eminebat super omnem populum *ex Regum lib. 1, cap. 9. Quid hæc, obsecro, faciunt ad illud seculum, quo vixit* S. Pastor? *Imo si tam rara fuit ejusmodi statura annis mille, et quod excurrit, ante natos Martyres nostros, ut vel tunc prodigiosa videretur, et soli in populo numerosissimo Sauli data sit; qua ratione inde colligi potest, quarto post Christum seculo corporum humanorum moles passim giganteas fuisse? Sed mitto hæc; nec attigissem omnino, nisi lectori palam hinc fieri voluissem Aynsæ sententiam de tanta ossium magnitudine; ut eam* B *aptari non posse censuerit annorum novem puero, nisi giganteum simul hunc faceret.*

Didacus de Aynsa anno 1647;

28 In altera theca, *inquit*, est corpus S. Justi, quod, utpote tenerius, totum est dissolutum. Creduntur ex illo variis occasionibus decerptæ reliquiæ. Supersunt tamen e brachiis, femoribus ac tibiis ossa septem oblonga, crassa atque integra; tum fragmenta majora minoraque permulta, et inter ea pars magna uropygii; præterea pes calceo suo, vetusto utique et coriaceo, adhuc insertus; deinde indusium et femoralia, utraque linea et respersa sanguine, coloris quidem evanidi, manifeste tamen sanguinei. Ex femoralium lineorum extremitatibus hinc et inde binæ dependent fasciæ, itidem lineæ, ad colligandas caligas, *(imo potius ad obvolvendam crurum nuditatem, ut censet Andresius.)* Ex calceo quoque unum utrimque lorum prodit, ad calceum, more gentis montanæ, pedi adstringendum. Quæ omnia *(hoc scilicet et superiore numero descripta)* non sine tenerrimo D pietatis sensu multi cum nobiles tum plebeii occasione jam dicta conspexerunt exeunte Augusto anni MDCXVII, et mihi cum primis felicissima tunc ea sors obtigit, quippe qui tum ejusdem parochiæ essem operarius *(sic ibi appellatur is, cui cura incumbit fabricæ et ærarii)* atque ita mihi satisfacere abunde potui, eadem semel, iterum ac sæpius contemplando. Unde in hac re plena mihi fides debetur et major, quam in rebus aliis; *puta quas non item, ut hanc, per se ipse oculis usurpaverit. Ad fidem quoque facit, quod hæc narret Aynsa in opere præclaro, et anno 1619 (quando nimirum testes vel omnes, vel plurimi supererant) in ipsa urbe Oscana vernaculo idiomate ac publicis typis edito.*

et anno 1644 Joannes Franc. Andres,

29 *Easdem hierothecas, uti de se ipse narrat cap. 9, raro ac singulari beneficio cum delegatis, ut mos est, testibus bis inspexit doctor Joannes Franciscus Andresius; semel die* XVI *Aprilis, iterum, ut quædam secundis curis accuratius observaret,* VII *Septembris anni 1644; quo post dies aliquot Monumentum Oscense* SS. MM. Justi *et* Pastoris *ibidem emisit in lucem. Fatetur tamen,* E *se singula, quæ Aynsa viderat, non potuisse dispicere, ob insertas postea crystallos, per quas, cum thecæ aperiuntur, conspici quidem inclusus reliquiarum cumulus possit, at neutiquam attingi, nedum separari. Animadvertit interea præter illa, quæ ex Aynsa retulimus, aliaque quæ ad ornatum loci et munimen pertinent; primo, cum sibi aperiretur theca* S. Justi, *ex ejus lipsanis per objecta specula crystallina odorem emanasse suavissimum, ac toto sese sacello diffudisse. Secundo, ossium ejus alia videri instar eboris candida, alia vero arida prorsus et exsiccata carne contecta. Tertio, calcei ejus cum incluso pede eamdem omnino esse formam ac dimensionem, quam ipse accuratissime in loco delineatam post paginam 186 exhibuerit. En ergo utramque hic illam super ejus exemplari, ut ne apice quidem uno differre possit, expressam.*



Calceus S. Justi M.

A *Addit etiam, calceum hunc totum coloris esse nigri; partem autem illius inferiorem, ex qua ascendunt utrimque corrigiæ, quibus orificium superne constrictum est, confectam esse ex corio subacto; partem vero superiorem, quam et caligam appellant, ex tela linea. Animadvertit quarto, os femoris* S. Justi *longum esse mediam ulnam Aragonicam cum portione duodecima. Unde secundum leges proportionis humanæ consequi censet, ut statura hujus Martyris palmos novem, seu pedes, demptis quatuor digitis, omnino septem æquarit: quod quia suadere sibi ipse non poterat auctor, errorem suspicatus in prima dimensione ossis memorati, ad sanctuarium, ut ante diximus, rediit; ac deprehendit, se neutiquam aberrasse.*

qui inter alia observavit

30 *De* S. Pastore *notat primo, a corporis ejus reliqui compage resolutum tunc apparuisse os femoris; nondum tamen omni carne nudatum. Secundo, caput partim pelle tegi durissima, partim os nudum et candidissimum exhibere; tantæ vero molis esse, quantæ nunc esse solent capita* B *virorum. Tertio, mirabilem ex omnibus reliquiis ejus odorem afflari. Quarto, ex dimenso osse femoris ejus colligi staturam palmorum novem et medii cum duobus digitis. Quinto, errasse Aynsam supra dupliciter; ac primum quidem, quod reliquias Scorialenses translatas fuisse asserat anno 1570, cum notari debuerit annus 1568: deinde quod eo translata tantum fuisse velit ossicula quædam pedis ac manuum; cum constet, majora fuisse et oblonga, Hispanice* canillas *dicta; qualia in crure infra supraque poplitem duo sunt, totidemque in quolibet brachio ab humero usque ad manum, et qualia proinde non tot etiam videre in Oscensi sacrario potuit Aynsa, quot enumerat, ut ex infra dicendis conjicies.*

sacrorum ossium quantitatem.

31 *Ad Martyris utriusvis staturam quod attinet, vereor enimvero, ne, qui eam vulgari virorum aut majorem, aut etiam æqualem fuisse contenderit, ambigere tandem lectores cogat; utrum re vera Martyrum nostrorum potius, quam aliorum censeri debeant Oscenses reliquiæ; de quo tamen neque dubitatum scimus hactenus fuisse, neque dubitari, nisi perquam temere, posse existimamus. Quis enim de adolescentibus virilem* C *præ se formam roburque ferentibus ullo sensu vero scribi potuisse credat ea, quæ de Martyrum horum* ætate tenera, tenerrimo corpore, schola *ac* tabulis, *seu* tabellis *etc. leguntur in Actis te Missa Isidoriana? Tum leges, quæ afferuntur, proportionis, si ad membrum unum alterumve tantum applicentur, quam incertam de totius corporis dimensione conjecturam pariunt, maxime cum de junioribus agitur? Fatentem hic habemus Andresium. Neque vero leges illæ docent ex unius membri dimensione, quantum sit unumquodque corpus; sed quantum esse debeat, ut per singula membra perfectissime constitutum dicatur. Unde non raros invenias, præsertim pueros, qui, tametsi statura sint pares, membrorum tamen singulorum discrepent quantitate, ut alteri coxa sit longior, tibia brevior, atque ita de cæteris; neque tamen ideo deformes vulgo reputantur. Quod si ex longiore coxa per istas proportionis leges de tota corporis longitudine statuas; tum easdem iterum adhibeas tibiæ breviori; quanto, obsecro, eumdem hominem se ipso majorem ac minorem facies? Sed quid ego hæc? Non faciam, opinor, auctoribus productis injuriam, si judicio eorum judicium opposuerim Hispania tota gravissimum Ambrosii de Morales, qui, nescio an quidquam discusserit operosius, quam quæ ad hos Martyres utcumque referuntur. Atqui tantum abest, ut hic ex istorum ossium perspecta quantitate virilem colligi posse staturam duxerit, ut contra ex eadem ipse puerilem collegerit Chronici lib. 10, fol. 349:* Erant, *inquit,* admodum pueri, cum passi sunt, hi Martyres; ut ex sacris eorum ossibus etiamnum videre est. *Deinde quis pedem istum aut calceum, quem jam ab ipso Andresio tam sollicite mensum dedimus, non puero potius octenni circiter et staturæ pro ætate mediocris accommodet, quam corporis virili, aut hoc majori; cum viri pes ordinarius fere altero tanto sit longior? Fecerunt hæc, ut neque Aynsa in hac re, neque Andresio standum huc usque duxerimus.*

AUCTORE J. P.

§ IV. Eorumdem reliquiæ locis variis honoratæ: frequentia miracula.

E *Fragmenta reliquiarum Metinæ-Sidon., Albæ novæ, et prope illam, item Oveti,*

Ex paragrapho præcedente didicimus, nunc Martyrum horum corporibus partes nonnullas majores minoresque apud Oscanos deesse. Quæritur modo, quonam ille et quando translatæ fuerint. Moralius lib. 10, fol. 356, dubium negat esse, quin earum distributio cœpta fuerit, antequam a S. Urbicio subducta Compluto corpora fuissent. Et recte: nam ante tempus illud, anno scilicet Christi 630, jam erant SS. Justi *et* Pastoris *reliquiæ Metinæ Sidoniæ; ut palam facit inscriptio superius exhibita § 1, num. 5. Idem ipse cum ibidem, tum folio præcedente (timidius tamen) de iis existimat, quæ habebantur seculo* x *in Castellæ Veteris nobili cœnobio Covarruviensi. Quod si verum est, idem haud temere suspicari licebit de Martyrum eorumdem ossibus, quæ in monasterio S. Petri de Arlanza assignat Andresius cap. 10: est enim Covarruviensi proximum, ejusdemque (Benedictini videlicet) instituti. Sed neque negaverim ad ea tempora referri posse, quas habuit, et versus initia seculi noni in sanctuario Ovetensi, quod sanctam cameram appellant, condidit Alfonsus II Asturiarum rex, cognomento Castus: ut indicat vetus inscriptio apud Moralium Chronici lib. 13, fol. 64. Cæterum affirmat* F *hic auctor lib. 10, fol. 356, quidquid earum ante seculum* VIII *distractum fuit, perexiguum fuisse;* quandoquidem, *inquit,* corpora usque ad eversam per Arabes Hispaniam in suo sepulcro integra permanserunt. *Verum hoc probari mallemus, quam asseri; non inficiamur tamen, largius eas postea sæpiusque divisas fuisse; ac primum quidem in ecclesias aliquot Gallicanas; deinde vero in Hispanicas.*

Narbonæ et alibi in Gallia,

33 *Dixi:* In ecclesias aliquot Gallicanas; *quia Bailletus ad hunc diem observat,* S. Pastoris *nostri reliquiis gloriari ecclesias aliquot Vasconiæ, Guiennæ, vicinarumque provinciarum. In ecclesia metropolitana Narbonensi nemo dubitat, quin maximo in honore servetur* S. Justi M. *caput cum aliis tum ejusdem, tum Fratris ejus* Pastoris *exuviis. Alias ad decimum circiter Narbona lapidem versus Septentrionem in cœnobio Benedictino S. Pontii Tomeriarum assignat Antonius de Quintanaduenas noster in Sanctis Toletanis, pag. 389; sed non addit, quid sint, aut cujus;* Justi, *an* Pastoris, *an utriusque; quanquam utriusque reliquias, et quidem insignes, facile crediderim eo fuisse translatas; quandoquidem Petrus*

AUCTORE P. B.

trus I, Aragoniæ rex, anno circiter 1094 eidem cœnobio, in quo et filium habebat monachum, subjecerat ecclesiam Oscensem S. Petri Veteris; huic vero ecclesiam S. Urbicii in Valle Nocita, in qua Martyres nostri diutissime quieverunt. Adi Zuritæ Annales tom. I, lib. 1, cap. 31 et 32, uti et Aynsam lib. 2, cap. 26. Habuerunt ergo diu monachi San-Pontiani ipsum reliquiarum omnium fontem in sua quodammodo potestate, maxime ab anno 1134 usque ad 1137, quibus unus e sacro illo cœtu jam veteranus, ille ipse scilicet, quem dixi, Petri regis filius, Radimirus secundus, Aragoniæ solium, temporum necessitate compulsus, occupavit.

ad quam disputatur, quo tempore advecta sint;

34 *Imo vero per idem tempus, et per ejusdem cœnobii abbatem ab eodem rege obtentas fuisse ecclesiæ Narbonensi, quas ad hunc usque diem possidet Martyrum Complutensium reliquias, communis est Hispanorum sententia; tametsi eam, fatente apud Aynsam supra Moralio, confirmare aliunde non possint, quam ex traditione Oscanorum. Et sane rerum adjuncta consideranti non* B *potest non videri admodum verisimilis. Saussayus tamen aliam adstruit in supplemento Martyrologii Gallicani pag. 1155; ubi de Martyribus his agens,* Quorum deinde corpora, *inquit,* a S. Urbicio monacho feliciter a Maurorum Hispaniam occupantium rabie vindicata, primum in Galliam advecta, deinde in Hispaniam relata, et apud Oscam condita sunt; parte tamen in Gallia in vicem hospitalitatis relicta. Horum igitur illustrium Christi Martyrum exuviis et titulis ecclesia Narbonensis major in hunc usque diem glorificata coruscat. *Hæc ille; sed unde hauserit, altum silet: ejus autem unius auctoritas persæpe vacillat; neque apud eruditos plerumque tanti est, quanti fuit hoc loco apud Bailletum, qui eam sequendo non multum confirmavit. Tertia sententia refertur a Sammarthanis in Gallia Christiana primæ editionis tom. I, pag. 374, ubi de Guiffredo de Cerdaigne, archiepiscopo Narbonensi, dicitur:* Narbonam ex Hispania Sanctorum Justi et Pastoris de Pardinaco *(qui locus in Hispania nobis ignotus est)* corpora advexit anno MLVIII. *Et subditur confirmatio:* Ut est in vetusto Mar- C tyrologio S. Pauli; *quæ ecclesia est in suburbio Narbonensi collegialis, abbatialis olim. Utinam de satis idonea istius Martyrologii vetustate constaret! Neque enim satis placet* Pardinacum *positum pro Valle Nocita, in qua tum erant corpora, et quidem sub ditione Saracenorum usque ad annum 1096. Deinde, quanquam valde usitata sit in hoc genere figura synecdoches, qua partes quælibet corporum appellantur absolute* corpora; *ea tamen jam uti non solent, qui de his Narbonensium reliquiis in Gallia scripserunt; facturi, credo; si probasset istic usum antiquitas.*

Compluti servantur sepulcrum et lapis, in quo cæsi MM.;

35 *Complutensibus e veteri jactura duo supererant solatia luctus exigua ingentis, sed magno tamen semper in pretio habita: Martyris videlicet utriusque commune mausoleum, et saxum, in quo amputata sunt eis capita. Utrumque depingit Moralius lib. 10 fol. 351; et* sepulcrum *quidem ait* esse valde sumptuosum, et Martyribus pariter, et ejus, qui dedit, insigni pietate dignum: cæsum enim esse totum ex iaspide *(marmor intellige versicolor)* unica pretiosissimaque; pedes adæquans longitudine duodecim, quatuor latitudine, altitudine exteriores tres, interiore, seu cavi, duos, densitate laterum circumquaque aliquanto plus medio; ut commode capere potuerit ambo sacra corpuscula (uno contra otro *Hispanice; quod interpretor:)* sibi mutuo ex adverso D opposita: lævigatum porro totum exterius esse, nisi quod basis emineat inferne; superne vero margines obeat incisio, inserendo, quantum apparet, materiæ ejusdem operculo, quod nunc desideretur, ac suppleri novo debeat, accommodata: quantumvis autem durum sit istud marmor, non potuisse tamen pio reliquiarum qualiumcunque sacrarum desiderio sic resistere, quin multa ex eo circum ad angulos fragmenta decussa sint: cæterum nunc sepulcrum hoc servari in summitate altaris in sacello eorum; uti et lapidem, in quo gladii supplicium passi sunt, sursum elevatum, et lapideis opere perantiquo leonibus impositum, cinctumque cancellis, atque intra hos ornatu scriniario decoratum: lapidem vero hunc longum esse ulnam integram, latum ultra mediam; in eo apparere cavitates duas oblongas, quas nemo credere possit manibus hominum fuisse efformatas; aut divinare, quorsum ibi efformari potuerint; cætera planum esse: atque ita et lapidem hunc sacrum, et augustum sepulcrum tantam præ se ferre vetustatem majestatemque, ut ea æquis oculis E obtuenti non alia subeat cogitatio, quam de cœlo et gloria Dei, qui sic possit, et norit, et velit consulere gloriæ Sanctorum suorum.

item ossa insignia, anno 1568 recuperata:

36 *Supererant, inquam, hæc (ut supersunt hodieque) Complutensibus, Martyrum suorum dicam, an pristini damni monumenta; cum tandem horum, opinor, iterum aspectu incitati, non jam integra, ut amiserant, corpora (quod semel, iterum ac forte tertio frustra tentaverant,) sed notabiles illorum partes potentissimi regis auxilio recuperare feliciter conati sunt, idque anno Christi 1567; quo Philippus II Hispaniarum rex a S. Pio PP. V mandatum obtinuit severissimum, Oscensi episcopo per apostolicum Breve directum die* XII *Aprilis, quo hic* in virtute sanctæ obedientiæ *etc. jubebatur,* visis præsentibus, dimidiam, seu aliam partem corporum dictorum sanctorum Martyrum *ad ecclesiam Complutensem honorifice transmittere. Ad hæc promptus quidem antistes Oscanus fuit; sed populi non dubiis argumentis prospecta seditio moram objecit, quam regiæ tandem ac principis Caroli litteræ discusserunt. Itaque die* XV *Januarii anno 1568 publico ac* F *solemni ritu illustrissimus D. Petrus Augustinus, Oscensis episcopus, e reliquiis* S. Pastoris *excepit* CRUS INTEGRUM SINISTRUM, UNA CUM PEDE UNITUM DICTO CRURI, A GENU INCIPIENS, *(sive, ut habet instrumentum resignationis Compluti factæ,* CRUS SINISTRUM A GENU DEORSUM, UNA CUM PEDE SUO AC DIGITIS ET UNGUIBUS, CORNE OBTECTUM ET PELLE;) *ex reliquiis autem* S. Justi DUAS VERTEBRAS DORSI CUM UNA COSTA. *Hæc, post alias cæremonias ad negotii securitatem simul ac magnificentiam observatas, rite clausa obsignataque, comitatu ordinum omnium numerosissimo ex urbe Oscensi magno cum apparatu elata sunt die* XXIV *Januarii; et per iter ubique concursu, pompa, pietate singulari deducta receptaque, Complutum attigere die* VII *Martii; quanta civium, academicorum, et cleri lætitia, quam insigni triumpho, nihil attinet dicere: inde cætera collige, quod hujus diei memoriam, ne unquam excideret, sacris Fastis inscripserint, anniversaria celebritate perpetuis temporibus recolendam. Traditio tamen et legitima hierothecæ acceptæ resignatio dilata fuit in diem decimam ejusdem mensis. Legi hæc omnia fusius authenticis instrumentis probata possunt apud Moralium in libello peculiari de Martyribus hisce,*

apud

A *apud Aynsam lib. 2, a capite 28 usque ad 32, apud Andresium cap. 6, apud Tamayum denique in Martyrologio ad diem* VII *Martii.*

alia a Scorialensibus obtenta an. 1569. Reliquiæ Salicetenses.

37 *Eodem anno ab eodem sancto Pontifice rex idem aliud apostolicum Breve consecutus est, datum die* XV *Decembris, et exhibitum ab Andresio cap, 8, cum facultate accipiendi per se vel suos absque ullo vel scrupulo suo, vel alterius cujuscunque impedimento,* quascunque Sanctorum seu alias reliquias, quas in quibuscunque mundi partibus per quoscunque illas habentes benigne et gratiose dari et donari contigerit, *illasque debita cum reverentia et veneratione ad ecclesiam monasterii S. Laurentii (vulgo* de l'Escurial, *toto orbe celeberrimi) transferendi. Vi hujus decreti Pontificii testatur apud eumdem auctorem* Petrus Augustinus, episcopus Oscensis et Jaccensis, *sese præter alias reliquias, regi ab Oscensibus gratiose addictas, excerpsisse* die IV mensis Januarii, anno a Nativitate Domini MDLXIX, *et ad regem misisse,* cum expresso consensu et spontanea voluntate civium, et parochianorum aliorumque circumstantium applausu, *e Martyrum nostrorum lipsanothecis* TIBIAM UNAM S. JUSTI, *et* TIBIAM ALTERAM S. PASTORIS, *sive, ut compertum est in earumdem reliquiarum traditione, resignatione et acceptatione per Scorialenses legitime facta die* XXIX *mensis ejusdem,* S. JUSTI OS UNUM OBLONGUM ET CRASSUM *(Hispanice* canilla) FEMORIS; S. PASTORIS TIBIAM A GENU DEORSUM, CUM PARTE CALCANEI, OBTECTAM MAGNA EX PARTE NERVIS SUIS AC PELLE. *In Lipsanologio Ms. cœnobii Scorialensis alphabetico, quod ibidem anno 1722 exscripsit Cuperus noster, sic describuntur istæ reliquiæ :* S. Justi : Os integrum femoris, ulna media et duobus digitis longum. Habet hic illic partes aliquot pelliculæ siccæ : S. Pastoris *vero sic :* Crus unum a genu deorsum, cum sua carne et nervis, longum duabus tertiis, *supple, partibus unius ulnæ. De hac translatione plura Josephus de Siguença in Historia Ordinis S. Hieronymi part. 3, lib. 3, discursu 5 ; plurima vero et authentica laudatus Andresius toto capite 8. Serius translata existimamus Martyrum horum ossa duo, quæ in Fratrum Minorum celeberrimo in provincia Castellana cœnobio ac sacrario Salicetensi honorari testatur idem (ni fallor) qui et sacrarium condidit, et hæc aliaque Sanctorum plurimorum lipsana procuravit, illustrissimus D. Petrus Gundisalvus de Mendoça, tum archiepiscopus Granatensis, in Historia, quam Granatæ anno 1616 vulgavit, ejusdem Conventus S. Mariæ de Saliceto (Hispanice,* del monte Celia de nuestra Senora de la Salçeda) *pag. 863. Hactenus de reliquiis, quæ quidem occurrere ; nunc pauca de miraculis.*

B

C

Miracula horum MM. universim asserta,

38 *Hæc olim frequentissima fuisse, asserunt Acta nostra num. 3, et Hymnus Isidorianus num. 4. Idem colligi debet ex celebritate et propagatione cultus eorum, qui sine crebris prodigiis ne consistere quidem solet, nedum augeri fundique latius : unde consequens est, ut ad nostram usque ætatem continuata non minus illa censeri possint, quam amplificata veneratio. Accedit ingens illa spes ac fiducia, quam pridem de potenti Martyrum horum patrocinio Complutenses imprimis atque Oscani concepere, præsertim in gravissimis ac publicis calamitatibus : in iis enim utrobique consuetudo vetusta tanquam amuletum certissimum præscribit, ut Martyrum nostrorum reliquiæ e sacris, quibus assidue conditæ alias munitæque servari consuevere, latebris ad publicas cum urbis universæ, tum pagorum longe circumjacentium supplicationes auctoritate legitima proferantur in lucem. De Oscensibus id Aynsa testatur lib. 2, cap. 29, pag. 251 : de Complutensibus idem didicimus ex instrumentis eorum publicis Mss. in archivo ecclesiæ collegiatæ* SS. Justi et Pastoris *martyrum repositis, et nobiscum anno 1722 per apographa communicatis. Adde anathemata complura, quæ in sacello Oscensi appensa videri narrat Aynsius pag. 260, acceptorum totidem per eos beneficiorum testes. Ex omnibus tamen his paucissima sigillatim scripta reperiuntur, quorum præcipua hic digito attigisse suffecerit.*

AUCTORE P. B.

quædam etiam sigillatim·

39 *Anno 1568, die* III *Februarii, cum reliquiæ Martyrum, quæ ex Oscensi ad Complutensem ecclesiam transferebantur, in altari apud monachos Hortenses tantisper essent depositæ, jurati testes affirmarunt, distincte exauditos fuisse ossium intra hierothecam commotorum pulsus septem octove, idque semel et iterum : et ibidem postridie ejusdem cœnobii ministrum quemdam jam inutilem officio, simul invocasse Sanctos, simul paralysi liberatum fuisse : eodem insuper tempore advectam eo quatuor inde leucis mulierem, corpore toto a sex annis contractam, cum admoto lipsanothecæ cincticulo se præcingeret, continuo sanatam prorsus abiisse. Die* VI *Februarii, ubi Secontiam attigissent reliquiæ, puellæ ab utero paralyticæ membrorum omnium usum contulere : res est publicis probata tabulis. Die* XIX *mensis ejusdem vix Guadalaxaram tenuerant reliquiæ, cum domina Maria Calderon illas coram venerata, vigorem corporis pristinum momento exoravit, quem ipsi anno ferme toto paralysis omnem ademerat. Et hoc prodigium legitime examinatum fuit et approbatum. Adi de his omnibus Aynsam lib. 2, cap. 30. Sed neque proxima huic translatio, de qua num. 38, Scorialensis, quantumvis fere clancularia, miraculo caruit : testatur etenim, apud Josephum de Siguença superius assignatum, Joannes Regla, Hieronymianorum Cæsaraugustæ in monasterio S. Engratiæ Prior, vir maximi apud suos meriti, et cui translationem illam rex ipse commiserat, se, quando cum acceptis Oscæ reliquiis Darocam (civitas est Aragonum) pervenisset, ibi paulo post quartam matutinam a duobus adolescentibus, amictu lineo acolythorum instar indutis, et mirabili forma præstantibus, excitatum a somno fuisse his vocibus : Surge, Missam celebremus : se autem reposuisse : Fiat omnino ; atque ita mox ad ecclesiam venisse, ibique iisdem illis ministrantibus, incruentum fecisse Sacrificium ; hoc idem vero deinceps itinere toto et se et illos factitasse quotidie, donec ad locum destinatum reliquias pertulisset : neque dubitasse se unquam, quin acolythi isti sui, ipsissimi fuerint Martyres, quorum ossa gerebat. Alia miracula S. Justi, martyris (ut ibi creditur) Complutensis, crebra sunt Sequreti apud Gallos in Provincia, de quibus legi meretur Joannes Columbus noster Opusculorum variorum lib. 4, pag. 415 et sequente. Nos Acta subjicimus paragrapho secundo promissa.*

E

F

ACTA

Ex Ms.

ACTA

Auctore anonymo, sed antiquissimo; ex Ms. Trevirensi S. Maximini, collato cum editione Suriana.

Ambo martyrii desiderio Dacianum præveniunt,

In illis diebus cum crudelissimus Dacianus instinctu serpentis et consilio provocatus, universum rabidus percurreret mundum, ut quoscunque Christianos in diversis regionibus sanctam audiret coluisse vitam, eos variis tormentorum generibus [cruciaret,] et ad suæ sacrilegæ religionis ritum omnium populorum converteret ditionem, subito dum eum ad Complutensem urbem transeuntem itineris opportunitas perduxisset, et ejus tremendam opinionem pene cuncta civitas cognovisset; hoc comperto, hi duo infantes Justus et Pastor, rejectis in schola tabulis, in quibus eorum teneræ ætatis litteræ continebantur, non eas ad studium magisterii istius seculi vel doctoris receperunt *a*; sed quasi probati Christi discipuli ad spectaculum proprii martyrii *b* alacri devotione cucurrerunt; cumque sollicite cernerent et intento caperent corde, quid Daciani dementis perquireret furor; nuntiatum est Daciano, quod hi duo infantuli Christiani essent, et a Christianis parentibus orti fuissent. Proinde etiam ad hoc spectaculum convenerunt, ut si a vestra clementia facta fuerit requisitio Christianorum *c*, ipsi se sponte offerant puniendos.

2 Cumque hoc crudelissimus Dacianus diligentius advertisset, statim indignationis ira commotus, inauditos eos jussit comprehendi [et cruciatu magno cædi,] timens, ne, dum eos ad interrogandum ad ejus præsentiam perduxissent, aliorum circumstantium ad confessionem Christi nominis animos præpararent; aut ne, dum in eis non prævaluisset, suam publice prospiceret nequitiam ab infantibus superari. Cumque compre- C hensi fuissent, priusquam supplicium paterentur, sic se beati Martyres, aspirante Angelo Dei, læti, invicem confortabant. Ait Justus: Noli, frater Pastor, hanc temporariam pertimescere passionem: noli cædentium ictuum in tuo tenerissimo * corpore vulnera timere: noli incumbentem gladium formidare; quia, si, annuente Domino Jesu Christo, contigerit, nos ad ipsius gloriam properare, digniorem in futuro seculo ejus suscipimus fortitudinem, qui nostram non minuit parvitatem; sed ad perfectionem Martyrum, et Angelorum coronam perduxit. Ætate quidem hic brevi tempore constituti, parvam inter homines debemus * vitam: sed illic in longitudine dierum, si ipsi placiti fuerimus, æternæ vitæ participabimus abundantiam. Cui sanctissimus Pastor respondit: Digne quidem, frater Juste, sic te decet orare, ut justitiam, quam in nomine tuo portas, simul cum tuo fratre Pastore suscipias: leve enim sit nobis, pro confessione Domini nostri Jesu Christi nostra corpuscula jugulari et sanguinem fundi; ut in cœlesti sacrario Christi divinum corpus et pretiosum sanguinem ejus nobis liceat adorare. Non nos parentum vel proximorum revocet pietas, nec nostram doleamus ætatem, quæ celeriter perit; sed ad cœlorum culmina properemus; ubi nostræ infantiæ et parentibus nostris peccatorum D suorum *d* obtinere veniam mereamur.

* illudque, mutuis exhortationibus animati.

* lege tenerrimo

* Sur. habuimus

d gloriose consummant.

3 At ubi illos, qui missi fuerant, violenti carnifices vidissent, unanimiter talia colloquentes, nuntiant Daciano, quid de eis præciperet, quos audierant sic se pro nomine Domini audacter consolantes. Quo audito Dacianus stupefactus, ait: Non sunt isti, inquit, digni conspectibus nostris præsentari: si enim isti, qui nec infantiæ suæ teneritudinem oblatare * voluerunt, nec deorum nostrorum venerabilem voluerunt adorare culturam, victuri fuerint, quid erunt? Statim [igitur] jussit eos procul a civitate trucidari. Cumque perducti fuissent in Campum Laudabilem nullo obsistente, martyrium ibi dignum pro Christi nomine susceperunt. Quorum confestim servavit * animas, apertis januis cœlestibus, triumphantibus Angelis et Martyrum choris, in æternam requiem in cœlestibus sedibus collocavit *e*. Post celerem vero passionem * immundissimi Daciani, exhibentes Christi *, corpora eorum, in eodem loco, ubi passi sunt, honorifice sepelierunt, et per singula eorum corpora, una protegente basilica, in eorum titulis altaria veneranda consecraverunt. Quem ita sanctum locum tanta Dominus noster E Jesus Christus potentiæ suæ majestate replevit; ut quicunque pura fide et integra devotione eorum expetierit veneranda suffragia, qualicunque fuerit infirmitate detentus, vel inimicorum * infestatione depressus, statim ipsorum liberetur [auxilio.] Unde oportet nos, unita laudis voce in eorum festivitate psalmorum cantica resonare, dicentes: Gaudete Justi in Domino; rectos decet collaudatio; ut qui pro cœlorum regno et nobis omnibus conservandis pretiosum sanguinem fuderunt, dignas et nos in hac die pro eorum martyrio laudes Altissimo cum muneribus offeramus: ut sit nomen Domini benedictum in secula seculorum. Amen.

* f. oblectare. Sur. lucrari

* lege Salvator cum Surio

e

* lege profectionem cum eodem

* imo Exeuntes Christiani. Sur.

* i. e. cacodæmonum

ANNOTATA.

a *Surius ita:* Relictis scholæ tabulis, in quibus eorum teneræ ætates litteris imbuebantur, jam non ad studium magistri vel doctoris istius seculi ire cœperunt; sed quasi probati *etc.* F

b Ad spectaculum proprii martyrii. *Tillemontius in persecutionem Diocletiani Monum. eccl. tom. V pag. 58 ait, eos cucurrisse ad spectaculum alieni martyrii, seu* suppliciorum, quibus ibidem Christiani affligebantur. *Hoc sane nec apud Surium, quem citat, nec alibi legit; estque adeo manifeste falsum; cum* SS. Justi *et* Pastoris *martyria prima fuerint et sola Compluti; ut mox patebit ex Actis, et jam ostensum est in Commentario prævio num. 2.*

c Ut, si facta fuerit *etc. Hinc patet, nondum in Christianos Complutenses institutam fuisse inquisitionem a Daciano, nedum cœpta supplicia quando ad eum Martyres nostri cucurrerunt; ut modo Tillemontius asserebat.*

d *Surius:* Ubi nostræ infantiæ, et parentum nostrorum peccatis obtinere *etc.*

e *Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, in Catalogo, lib. 7, cap. 32 narrat, hoc accidisse modo aspectabili;* Quorum, *inquit*, animas etiam ipsi gentiles ab ipso Christo, concinentibus Angelis, ad cœlum deferri viderunt. *Idem scriptores Hispani passim affirmant. Et sane si verum est, quærenda non erit alia causa, cur solos hos Martyres Compluti fecerit Dacianus; sed inde mox, quasi territus victusque, discesserit.*

Habe

A *Habe nunc, lector, Acta prout leguntur in Breviario Mozarabum, Toleti excuso anno 1502, in Hymno, de quo diximus in Commentario prævio num. 4 et num. 12.*

ACTA METRICA

Auctore vel Asturio Toletano ep., vel, ut plerique volunt, S. Isidoro Hispalensi: ex Officio Mozarabum impresso.

Divinæ opis invocatio.

O Dei perenne verbum, Patris ore proditum,
Organum qui imbecille admovens infantium,
Das eis spirare flatum, vocis ut promant sonum:
Tu pius adesto nobis, solve fibras gutturis,
Ora instrue loquelis, corda reple lacrymis;
Ut Sacrorum festa dignis præcinamus canticis.
B Ecce Justus; ecce Pastor; ambo juncti sanguine;
Quos pia fraternitatis junxerat germanitas,
Invexit æqualis sacratæ passionis unitas.

Sancti Pueri ultro ad martyrium currunt;

2 Hi tamen scholis retenti, dum instruuntur litteris;
Audientes, quod tyrannus intrat urbem persequens,
Illico scholam relinquunt, et tabellas abnuunt;
Appetunt cursu deinde præsidis præsentiam,
Et crucem Christi sequendo, corpus armant debile,
Quod triumphos passionis expedirent fortiter.
Hoc repente Daciano nuntiantes, inquiunt;
Ecce advenire Christum profitentes parvuli,
Mortis ultro passionis, atque cædis perpeti *a*.
3 Turbidus adest inde præses, concitans sævitiam,
Ad suos truces ministros, ut teneantur, clamitat,
Fustibus jubens tenella dissecari corpora.

ex Ms. quod ambo consequuntur.

Tunc sacratas voces, ecce, alloquuntur invicem,
Tempus est, accipere temporales rite pœnas corporis.
Quo futurum possideant gaudium cum Angelis.
Audiens mox Dacianus Martyrum constantiam,
Excitatus in furorem, dictat hanc sententiam,
Ut perempti ambo Fratres, morte dira intercidant.
Protinus eos furentes pertrahunt satellites
Ad locum campi patentem, quem ferunt Laudabilem;
Ense illic verberantur, laureantur sanguine.

Sepulcri elogium.

4 O locum vere beatum, quo cruor reconditur
Sanctus ille Parvulorum ad salutem plebium,
Quove multa sanitatum signa ægris confluunt!
Nempe hic divina virtus vincit iras dæmonum;
Curat ulcus; membra sanat, et dolores temperat;
Vota cunctorum recepiat, et ruentes sublevat.
Jam tuorum passione freta gaudet *, civitas
Jure Complutensis, almo quo laveris sanguine;
Et Gemellis mox camœnas redde vota debitas.
Hic Deus, te postulamus, ut precantes audias; E
Pelle morbos, solve vincla, et relaxa crimina:
Atque illæsi futuram appetamus patriam:
Nominis tui amorem da tuis in servulis:
Temporale nil amemus; diligamus invicem:
Te sequamur, te canamus, te fruamur perpetim.
Laus tibi per omne tempus, Trinitas indifferens,
Laus, honor virtusque summa, singularis gloria;
Quæ Deum te seculorum personet in secula. Amen.

* *l.* gaude

ANNOTATA.

a *Videtur legendum:* Mortem ultro postulantes atque cædem perpeti.

DE S. HORMISDA CONFESSORE

ROMANO PONTIFICE

COMMENTARIUS HISTORICUS

C J. B. S. F

§ I. Sancti cultus, patria, ætas, successio et obitus.

DXXIII. In Romano signatus,

Quod de sanctissimo Papa Symmacho; hodierni decessore, ad XIX Julii observavimus, nempe in Martyrologiis antiquis classicis omnino præteritum fuisse, id de hodierno sancto Pontifice Hormisda etiam fatendum est. Nam quod Baronius in notis ad Romanum Martyrologium hoc die Bedam citet, is est omnino spurius sub falso Bedæ nomine a Plantino editus anno 1564, quem multo rectius Adonem et interpolatum et male contractum dixeris, ex quali codice verosimillime apud Rosweydum in Adonis appendicem hæc irrepsit erronea in tempore annuntiatio:* Item Romæ, S. Hormisdæ Papæ, qui sedit annos septemdecim. Hic composuit clerum et psalmis erudivit. Sub hujus tempore Anastasius imperator hæreticus percussus fulmine interiit. Sepultus est idem Pontifex in ecclesia B. Petri VIII Idus Augusti. *Patebit infra fons ipse unde annuntiatio illa desumpta est. Cæterum in dicto Beda suppositio desunt tria ultima verba, quemadmodum et in Molani additionibus ad Usuardum, qui codices de cætero cum relata appendice omnino conveniunt. Recentiores enumerare ut Galesinium aut alios, operæ pretium non est, sufficiat Romani hodierni textus:* Romæ, S. Hormisdæ Papæ et Confessoris.

a Ferrario elogio exornatur,

2 *Non erit abs re Ferrarii elogium huc adducere, ex quo ad rem magis illustrandam nonnulla suggerentur. Sic habet ille:* Hormisda Campanus, Frusini natus, post Symmachum Anastasio Imp. et Theodorico rege rexit Ecclesiam. Is Græcos et Orientales, scriptis ad eos epistolis initio pontificatus, ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem, fidem et pacem hortatus reduxit. Synodum habuit Romæ frequenti episcoporum concursu: in qua Eutychianos iterum condemnavit. Anastasium imperatorem hæreticum bina legatione missa (qua Ennodius episcopus Ticinensis cum aliis functus est) ad fidei integritatem revocare studuit, licet incassum: quo infeliciter exstincto, eique Justino, viro maxime pio et orthodoxo subrogato, pax ecclesiis per Orientem data est. Manichæos Roma expulit. Arianos, qui usque ad id tempus conventus

AUCTORE J. B. S.

tus habebant, Justino auxiliante, undique exterminavit. Ecclesiasticam disciplinam auxit, clerumque reformavit: multa ad ornatum et splendorem ecclesiarum contulit. Hoc Pontifice Clodovæus Francorum rex primus Christianam amplexus est religionem. Justinus Imp. ex voto pretiosissima munera Romam misit.... Vixit in pontificatu annos IX, dies X, magnaque sanctitatis laude cumulatus obiit VIII Idus Augusti an. sal. DXXIII, apud S. Petrum sepultus.

ex quo patria

3. S. Hormisdæ *patriam et hic et apud alios passim audis* Campaniam, *locum ipsum natalem* Frusinum, *unde* Frusinatem *nonnulli appellavere, quod oppidum variis maxime modis inflectunt. Anastasiani codices*, Frisilone, Frisione, Frisinone *et hujusmodi aliis. Cæteris omnibus pejus enuntiavit Ciaconii codex, dum scripsit* natione Campanum, patria Venafranum. *Verum hæc vix observatu digna sunt, certe longiori disputatione minime indigent: satis certum supponimus, indicari hodiernum oppidum* Frusinone, *seu mavis* Frusinonem, *in antiqua, hodieque notissima Volscorum regione, seu Latii parte illa quæ Campaniæ finitima est, sic tamen ut Campaniæ non videatur proprie adscribi posse, nisi in latissima hodierna acceptione, quam suggerit laudatus idem Ferrarius, satis apposite hic notans verba sequentia:* Quod Campanus Hormisda appellatus, cum Frusinum sit in Latio, haud mirandum est; nam et Latium Campania dicitur ad hæc usque tempora: dicitur enim CAMPAGNA DI ROMA, tametsi loca apud confinia solent diversis provinciis attribui.

eruitur.

4 *Et hæc quidem de* S. Hormisdæ *patria facile solvuntur; non ita combinari possunt quæ ad ejus ætatem pertinent, hic male connexa cum Clodovæo rege Francorum, quemadmodum et apud Baronium legitur ad annum* DXIV *num. 14 his verbis:* Cum vero Christiano orbi innotuisset, novum Romanæ ecclesiæ electum esse Pontificem, novus rex Christianissimus Clodovæus cunctorum prævenit obsequium et superavit officia. *Citatur ab Eminentissimo Annalista Vita S. Remigii apud Surium* XIII *Januarii, in qua de hoc argumento nihil invenias præter ipsam illam controversam pridem sanctissimi Pontificis ad S. Remigium Rhemensem archiepiscopum epistolam apud laudatum Baronium, in Conciliis et alibi passim obviam, quam sive admiseris, sive rejeceris, errorem certe insertum agnosces, dum ita ibi* S. Hormisda *loquitur ac si sub ejus pontificatus initium vivus et superstes fuisset rex Clodovæus, quem certum est toto ante triennio obiisse quam Sanctus noster ad summum pontificatum evectus fuerit, nempe anno* DXI, *ut hic et infra corrigendus plane sit Baronius, dum etiam num. 21 jam dicto synchronismo insistit.*

Succedit Symmacho 514.

5 *Successionem Pontificiam inter Symmachum et hunc nostrum Hormisdam rectius signavit laudatus Baronius dum ita loquitur ad dictum annum* DXIV *num. 13;* Sic igitur sanctissimo Papa Symmacho ex hac vita ad gloriam sempiternam perducto, Romanus clerus, cujus erat muneris de successore subrogando tractare, summa concordia coeuntes omnes, post dies septem ab ejus obitu (ut habet idem Anastasius) septimo Kalendas Augusti Pontificem creant Hormisdam natione Campanum, ex patre Justo, patria Frusinatem. Fuit autem Hormisda, cum esset S. R. E. diaconus, semper inhærens Symmacho Papæ, ut ex tertio Romano concilio, sub eodem Symmacho celebrato apparet. Exstant complures Ennodii Ticinensis epistolæ ad ipsum Hormisdam datæ, dum adhuc Romanæ Ecclesiæ diaconus esset. *De celeberrimi istius S. Ennodii rebus gestis et scriptis satis fuse egimus ad diem* XVII *Julii.*

Tempus Sedis

6 *Porro ubi de S. Symmachi Papæ ætate disputandum fuit, jam dicta superius ejusdem mensis die* XIX, *characteres chronologicos ab Anastasio Bibliothecario signatos vindicandos suscepimus, quod et hic juxta probatiores codices usuvenire censemus; nam quod in aliquibus legatur* sedisse *duntaxat* annos VIII dies XVII, *in aliis melius correctum est. Sic et in plerisque scribitur, fuisse a consulatu Senatoris (intellige Cassiodori) usque ad consulatum Symmachi et Boetii. Verum ut recte post alios observat Pagius ad annum* DXXIII *num. 3 Anastasius ipse errorem suum corrigit, quando sub elogii sui finem scribit:* Sepultus est in basilica B. Petri Apostoli octavo Idus Augusti, consulatu Maximi, et cessavit episcopatus dies septem. *Atque hisce terminis recte concludi videtur totum tempus pontificatus sanctissimi Pontificis, quo de hic agimus, quidquid aliter sentiat Papebrochius, ut distinctius explicat idem Pagius, loco mox citato, ex quo habe etiam sequentia:*

satis recte ordinatum,

7 Sedit Hormisda annos novem, ut habent tria Mss. exemplaria Anastasii Colbertina, quorum duo fuere Biblioth. Thuaneæ, varii Catalogi nostri, Vaticano-Palatinus, uterque Catalogus veterum Pontificum a Mabillonio editus tom. III Veterum Analectorum, et Regino in Catalogo Pontificum Romanorum. Erratum etiam in diebus ab omnibus fere Catalogorum scriptoribus, quorum alii, ut auctor Auctoris Chronici vet. Pontif. supra annos Hormisdæ tribuunt dies XVI, alii dies XVII. Cum enim Hormisda die XXVII mensis Julii anni DXIV Pontifex Romanus ordinatus, die VI mensis Augusti hujus anni (DXXIII) et mortuus et sepultus fuerit, sedit ANNOS NOVEM et DIES UNDECIM, die emortuali incluso. *Id vero hic non prætermiserim, notatu utique dignissimum, quod ubi turbulenta fuissent omnia dum de assumendo prædecessore S. Symmacho ageretur, hic clerus populusque, tametsi antea in varias partes sediliose etiam divisus, unanimi calculo in* Hormisdæ *electionem devenerit. Hinc felicitatem suo consulatui hanc tribuit Cassiodorus in epist. ad Theodoricum:* Me consule, *inquit*, in vestrorum laude temporum, adunato clero et populo, rediit optata concordia, *ut vel ipsa umbra schismatis sublata fuerit.*

etiam ex Anastasio Bibliothecario.

8 *Locum hic suum etiam habeat textus ipsius Bibliothecarii numerus primus, ex ea quam sequimur, Vignolii editione, iis tantisper omissis quæ de Cleri compositione et ignota prorsus Albanensi basilica adjiciuntur. En verba Anastasii:* Hormisda, natione Campanus, ex patre Justo, de civitate Frusinone, sedit annos IX dies XVII. Fuit autem temporibus Theodorici regis et Anastasii Augusti, a consulatu Senatoris ad consulatum Symmachi et Boetii. *Atque his hactenus plene deductis expositisque, ad* S. Hormisdæ *gesta progredimur, eo jam ordine dispertienda, ut ad illustrandam Anastasianæ Vitæ seriem nihil passuri simus desiderari. Sit itaque*

§ II. Gesta cum vafro et impio imperatore Anastasio.

Post cleri ordinationem

L*aus prima eaque meritissima quam* S. Hormisdæ *tribuit Bibliothecarius, ea est quod* composuerit clerum et psalmis erudiverit. *Ad quæ*

recte

A *recte observat Bencinus :* Haud utique, ut opinatus est Blondellus, quod tunc primum induxerit novam aliquam formam, sed quod clerum, seditionibus eo usque agitatum, ad unitatem revocarit, et ad observandam priorem Canonum et Apostolicæ Sedis institutionem compulerit, adjectis insuper decretis, ad ulteriores turbas præcavendas. *Quibus mox subjungit Anastasius :* Eodem tempore ex constituto Synodi, cum consilio regis Theodorici misit in Græcias, humanitatem ostendens Sedis Apostolicæ, et reconciliavit Græcos, qui obligati fuerunt sub anathemate, propter Petrum Alexandrinum, et Acacium Constantinopolitanum episcopos, sub Joanne episcopo Constantinopolitano. Direxit autem Ennodium episcopum Ticinensem, et Fortunatum episcopum Catinensem, et Venantium presbyterum Urbis, et Vitalem diaconum Urbis, et Hilarum notarium suum. Qui euntes ad Anastasium Augustum, ut sub libelli satisfactione revocarentur, nihil egerunt. *Intellige reconciliatos Dardaniæ et Illyrici episcopos, reliquos*
B *autem minime.*

luctatur cum impio Anastasio.

40 *Hic historiam ingredimur quam ante nos Baronius diligentissime, si quam aliam prosecutus est, fortissimos* S. Hormisdæ *agones pro Catholica fide susceptos, per annos singulos digerendo, scelestum vero illum et perditissimum veteratorem Græculum Anastasium nativis suis coloribus ita depingendo, quemadmodum et in hoc opere nostro sæpius depictus est, ut novis modo coloribus abuti non oporteat ad teterrimam ejus perfidiam et hypocrisim amplius retegendam. Hic igitur qui sub prioribus Pontificibus varias, Prothei instar, formas induerat, audita* S. Hormisdæ *electione, mox ad solitas artes dilapsus, Catholicam faciem induere visus est, data ad sanctum Pontificem epistola quam habes tom. IV Conciliorum Labbei col. 1421, ubi tortuosus coluber jam eo se vertit supplex,* ut ad quæ in Scythiæ partibus mota sunt, unde concilium fieri convenire perspeximus; mediatorem se Apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis, unitas sanctæ Ecclesiæ restituatur, *nempe quam ille solus toto ferme malesani imperii sui tempore, dolis, fraudibus et perfidia perturbaverat. Concilium hic videlicet postulare se simulat homo*
C *nequissimus, et non nisi a Vitaliano armis compulsus, ut* Hormisdam *solitis suis fallaciis circumveniat; verum is loco citato vulpi, etsi necdum sibi cognitæ, ita respondet, ut machinationes omnes facile eludat.*

ad quem legatos mittit.

41 *Perturbatissimas illius temporis res Ecclesiæ Orientalis accurate etiam prosequitur laudatus Bencinus apud Blanchinum tom. III pag. 224, ubi synodos expendit Sidoniæ et Heracleæ ab Imperatore; et synodum Romanam ab* Hormisda *indictas, de quibus cum etiam actum sit in Tractatu de patriarchis Constantinopolitanis ante tom. I Augusti, suffecerit notare cum Bibliothecario ex* Synodi *Romanæ constituto, ut de turbis Orientalibus accuratius edoceretur* S. Hormisdas, *neque se solitis magni illius veteratoris artibus circumveniri sineret, legatos* misisse in Græciam, humanitatem ostendens Sedis Apostolicæ; *de qua vide Indiculum apud Labbeum col. 1426.* Inter alia Synodi constituta unum fuit, *inquit Bencinus,* ut cum episcopis lapsis remisso jure ageretur. Jure enim canonum schismatici et hæretici, aut in utroque crimine contumaces, perpetua depositione plectendi erant. *Reliqua habes in Indiculo proposita eadem humanitate, quam certe nec episcopi merebantur, nec impiissimus imperator, qui postquam Vitaliani terrore se liberum sensit, ad innatam perfidiam relapsus, eorum quæ scripserat, et per legatos promiserat, nihil prorsus executus est.*

AUCTORE J. B. S.

qui aliquos conciliant,

42 *Rem satis graphice depingit Theophanes ad annum Alexandrinum* DVI, *nobis 514, ubi corrigenda memineris legatorum Romanorum nomina, quæ ab ipso male expressa sunt. Narratis autem ibi primum Vitaliani militiæ præfecti potentis et vere Catholici adversus fœdifragum Anastasium gestis, ita prosequitur :* Cæterum Hormisdas Romanus Episcopus a Theudericho sollicitatus, et Vitaliano vices redditurus, Enodium episcopum et Vitalianum archidiaconum, indicto Heracleæ concilio, legatos misit. Accesserunt etiamnum ex diversis locis episcopi circiter ducenti, qui tam a scelesto imperatore quam a Timotheo Constantinopolitano episcopo delusi, re infecta, recessere. Impius siquidem imperator, pactis violatis, ad Papam Romæ ne venirent, clam significavit; aliunde vero Vitaliano sacram Romæ mittendam dederat, qua Papam ad concilium Heracleæ celebrandum ut accederet, dolose invitabat. E
Plebs autem omnis et senatus universus Anastasium seu perjurum conviciis impetebat. Ad quæ nefarius ille impudentissime dicebat; haberi legem, quæ imperatorem in necessitate constitutum pejerare et mentiri jubeat. Hæc ille scelestus Manichæorum discipulus.

sed a vafro imperatore

43 *Habes hic monstri illius Cæsarei, cum quo* S. Hormisdæ *colluctandum fuit, genuinam et ad vivum expressam a sancto et integerrimo Græco effigiem. Id autem observandum, plura istic a S. Theophane sub eodem anno combinari, quæ ad plures spectare certissimum est. Et vero ad diversa tempora legationemque Romanam non unam varia illa referenda esse, ex dictis dicendisque statim intelliges. Et de prima quidem jam loqui cœpimus, qua nimirum* reconciliati sunt *Græci nonnulli,* qui obligati fuerant sub anathemate propter Petrum Alexandrinum et Acacium Constantinopolitanum episcopos, *uti supra ex ipso Anastasii Bibliothecarii textu retulimus; qui nec ipse hæc satis apte temporibus sua colligit aut dividit: non enim ulla ratione huc adduci potest* Joannes Constantinopolitanus episcopus, *Cappadocis cognomento notissimus, sub quo tamen ea collocantur, quæ nec ad* F
legationem secundam reduci omnino possunt, ut recte ante me observavit Vignolius, hac in Bibliothecarium notatione :

ficta professione

44 Legatio hæc prior ab Hormisda Constantinopolim missa A. C. DXV contigit, Florentio Cos., ut ex ejus ad Anastasium imperatorem epistola constat; ubi hæc : « Suscipite, ait, preces nostras » per Ennodium atque Fortunatum fratres et coe- » piscopos nostros, nec non Venantium presbyte- » rum atque Vitalem diaconem, vel Hilarium » notarium filios nostros, quorum apud nos fides » in timore Dei studiumque præclaruit, pro vestro » amore transmissas, et placidam vice nostra » supplicationibus conscientiam accommodate. » Quo quidem anno cum Timotheus hæreticus Constantinopolitanus episcopus fuisset, successissetque eidem Joannes Cappadox in episcopatu non ante diem XVII Aprilis A. C. DXVIII; quæ propterea hic de Græcis sub eodem Joanne anathematisatis dicuntur, neque ad secundam Hormisdæ legationem applicari possunt. Idque perspicue patet ex ipsius Hormisdæ *epistola ad Timotheum eadem occasione data* III Non. Aprilis, Agapito Cos., hoc est A. C. DXVII. De prima autem hæc Paulus Diaconus Hist. Miscell. libro XV. « Hormisda vero Romanus episcopus fatigatus a Theodorico, Vita- » liano

AUCTORE J. B. S.

» liano favente, Evodium * episcopum misit et Vi- » talianum archidiaconum ad synodum celebrandam » apud Heracleam. »

* leg. Ennodium etc. et epistolis

15 *Aliæ litteræ a sancto Pontifice et a scelesto imperatore datæ enumerantur citato jam non semel tom. IV Conciliorum Labbei, ut eas non prætercam quas dedit et accepit Dorotheus Thessalonicensis episcopus. Notabilis est epistola col. 1430, per legatos Pontificios missa, cui subjungitur digna Anastasio responsoria, ad quam ita observat Binius :* Hæc epistola cum quibusdam sequentibus scripta est ab Anastasio Imp. anno Domini DXVI, quando edita Catholicæ fidei professione, se Catholicum esse simulavit, ut scilicet hac arte populi favore captato, metum Vitaliani excuteret. Addidit revertentibus Sedis Apostolicæ legatis Theopompum et Severianum homines laicos, quibuscum de rebus ecclesiasticis ageretur. Anastasium his litteris Catholicam fidem veteratorie et per summam calliditatem professum esse, eademque fallendi arte Calchedonense concilium approbasse, ex his quæ superius de ipso scripta habentur, et quæ de eodem scribentur infra manifeste demonstratur. Legati quos misit, fuerant alieni a Catholica religione defensoresque hæresis Eutychianæ, ideoque præcipue Romam venerunt, ut, si fieri potuisset, ipsum Hormisdam ad suas ipsorum partes adducerent. At ubi hæc adeo inexspectata Hormisda comperit, legatos re infecta ad imperatorem redire jussit, jam de Anastasii perfidia, diu piorum verborum involucro relata certior factus.

16 *Sequitur apud Labbeum ea ipsa epistola per similes domino internuntios Theopompum et Severianum ad* S. Hormisdam *directa, eaque tam astute ac nequiter involuta, ut fraudem detegere non usque adeo obvium fuerit. Eamdem prorsus nequitiam sapit epistola inscripta Senatui urbis Romæ; hujus vero sinceritatem data ad archiimpostorem responsio; qui toto illo jam dicto anno* DXVI, *ut etiam advertit Binius, egregie, si unquam, usus est prætenso illo insigni Cæsareo privilegio per fas et nefas mentiendi, atque, si ita vis, pejerandi fortiter, dum interim sincerissimo et constantissimo zelo laboraret sanctus Pontifex, operæ pretium, si non in corruptissima urbe, saltem in Epiro et Illyrico nactus, ut satis patet ex subjunctis ad ipsum litteris Joannis episcopi Nicopolitani, illiusque ad eumdem responsoriis, regulis fidei aliisque, ob quæ ei merito gratulatus est S. Avitus Viennensis episcopus. Decima autem* S. Hormisdæ *ad hunc epistola satis indicat, nihil Constantinopoli a legatis perfectum ob Græcorum perfidiam, unde in animo sibi esse testatur alteram ad illos legationem destinare, quam more suo describit Bibliothecarius num. 3 in hunc modum :*

deluduntur.

17 Misit quoque secundo Ennodium supradictum, et Peregrinum episcopum Mesenensem et Pollionem subdiaconum Urbis, portantes epistolas confortatorias fidei et contestationes secretas numero XIX, et textum libelli per quem redirent. Quod si noluissent epistolæ suscipere contestationes, per civitates spargerent. In quo libello noluit consentire Anastasius Augustus, eo quod in hæresim Eutychianam communis erat. Voluit itaque eos legatos per remunerationem corrumpere. Illi autem, contempto principe, nullatenus consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactionem Sedis Apostolicæ prius operarentur. Tunc imperator repletus furia ejecit eos de urbe per posterulam, et imposuit eos in navim periculosam cum militibus et magistriano et præfectiano Heliodoro et Demetrio ; et hoc dedit eis in mandatis, ut nullam in civitatem ingrederentur. *Habes iterum apud Labbeum dignas zelosissimo Pontifice epistolas per secundam legationem, non solum ad versipellem Cæsarem, sed ad non minus perfidum hæreticum Timotheum patriarcham, ad universos Orientis tum hæreticos tum Catholicos episcopos, ad populum et monachos Constantinopolitanos studiosissime scriptas, quibus quid effectum sit, docet etiam Noster num. 4 :*

Alia legatione.

18 Legati vero Sedis Apostolicæ secretius suprascriptas epistolas fidei XIX, per manus *monachorum orthodoxorum exposuerunt per civitates. Quas omnes tamen epistolas episcopi civitatum, qui erant complices Anastasio Augusto hæretico, timore ejus perculsi Constantinopolim direxerunt in manus Anastasii. Furia ductus Anastasius Papæ Hormisdæ inter alia* exsecrabilia sacræ suæ, hæc scripsit : Nos JUBERE VOLUMUS, NON NOBIS JUBERI. *Hæc evomebat senex furiosus, haud satis memor minarum cœlestium sibi intentarum, quarum tremendus effectus brevi subsecutus est : nam* eodem tempore, *ut Noster prosequitur,* nutu divinitatis percussus est fulmine divino Anastasius et obiit. *Atque hic tragicus finis impiissimo homine dignus; quo demum justissima Dei vindicta e vivis erepto et in barathrum detruso, sub alio Christianissimo principe Justino reflorescere cœpit res catholica, Sancto nostro omnia prudentissime juxta ac felicissime dirigente, ut paragrapho sequenti elucidare conabimur, iis hic prætermissis, quæ cum Syris monachis et Maronitis a sancto Pontifice paterne etiam gesta, a Baronio ad an.* DXVII *et* DXVIII *ex litteris ultro citroque datis abunde illustrata sunt.*

in furias agitur Anastasius.

§ III. Rem catholicam in Oriente sub Justino Cæsare restituit.

Quot probis et vituperiis jam etiam a tot seculis infamis est et odiosa Anastasii imperatoris memoria, tot meritissimis laudibus extollitur successoris ejus Justini pietas et religio. Audi Theophanem ad annum 518 : In cujus locum Justinus pius imperator, vir ætatis provectæ et expertus rerum, a militiæ cingulo exorsus, et ad senatus usque ordinem promotus, Illyricus genere suffectus est. *Rursus sequenti canonio :* Hoc anno Justinus imperii summam adeptus, optimum se omnibus exhibuit. Fuit rectæ fidei studiosus, rerum experientia præstans, et belli gloria præclarus. *Huc spectat potissimum laus ejus prima et præcipua, quod effrænem hæreticorum omnis generis toto prope Oriente dominantem audaciam, non modo compescuerit, verum etiam oppressis jam tanto tempore orthodoxis eos animos addiderit, ut persecutores antea suos ipsi domuerint compulerintque aut fuga sibi consulere, aut ad Catholicam unionem sine mora reverti; quæ quanto zelo et quanta animorum consensione executioni mandata sint, fuse juxta ac diligenter describit Baronius ad annum 518; hic nos ea duntaxat seligimus quæ ad sancti, quo de agimus,* Hormisdæ *gesta proprius referenda sunt.*

Alia Ecclesiæ facies

20 *Atque huc spectat zelosi Pontificis epistola ad aliam Justini, qua se imperatorem electum significaverat, responsoria his plane verbis concepta :* Venerabilis regni vestri primitiis, fili gloriosissime, loco muneris gratulationem suam Catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem, requiem pacis invenire

sub successore Justino,

A nire confidit. Nec est dubium, adeo ad rerum summam cœlesti vos providentia pervenisse, ut vestris temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur injuria. Debitas beato Petro Apostolo imperii vestri primitias reddidistis, quas hac ratione devoti suscepimus, quia ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. Deus qui pietatis vestræ sensibus alloquendi nos vota concessit, ipse circa sincerum religionis suæ cultum præstabit, sicut optamus, effectum. *Eo nimirum unice collimabant sanctissimi Pontificis studia, eo ferebatur summa ejus afflictæ rei Catholicæ restaurandæ sollicitudo, quam cum sua impietate tantum non evertisset decessor, ab hoc stabiliendam confirmandamque non dubitabat. Quo certe spectant* S. Hormisdæ *decreta aliaque eo spectantia apud Harduinum in nota Conc. Collectione a col. 1013.*

qui ipse ad Hormisdam recurrit,

21 *Neque sane dormitavit catholicissimus Imperator; quin rursus ad Pontificem scribens, ad instantiam concilii Constantinopolitani, per Gratum comitem petiit, ut ad pacem Ecclesiæ Orientali* B *reconciliandam, et ad lapsos recipiendos, legatos Constantinopolim mittere ipse dignaretur. Placuit* S. Hormisdæ *consilium, rescribensque denuo, singulariter commendavit ejus de concilianda pace sollicitudinem, monens cœptis insistendum, nomenque Acacii abolendum esse. Sequitur et epistola Joannis episcopi Constantinopolitani, qua ut communionem Romanæ Ecclesiæ impetraret, libellum miserat, quo fidem Catholicam profitebatur, et ipsius Pontificis a se nomen in diptychis descriptum esse asserit; rogat vero legatos, per quos pax constituatur, quamprimum destinari. Hæc porro quam grata fuerint optimo Pontifici, haud distulit indicare, commendans sua epistola Joannem episcopum, gaudensque, Concilium Chalcedonense et divi Leonis epistolas ab eo complexas. Ad Ecclesiæ communionem admittendum pollicetur, si nomen Acacii e diptychis sacris expunxerit.*

conciliando Orienti intentus:

22 *Audiatur modo Bibliothecarius sic textum suum prosequens num. 5 :* Sumpsit itaque imperium Justinus orthodoxus, et direxit auctoritatem suam ad Papam Hormisdam, per quemdam Gratum illustrem nomine, sperans a Sede Apostolica C ut redintegraretur pax ecclesiarum. Tunc Hormisda episcopus, cum consilio regis Theodorici, direxit a Sede Apostolica Germanum Capuanum episcopum, et Blandum presbyterum, et Felicem et Dioscorum diaconos Sedis Apostolicæ, et Petrum notarium, munitos ex omni parte fide, una cum libello, quomodo redirent Græci ad communionem Sedis Apostolicæ. Quibus venientibus juxta Constantinopolim, tanta gratia fidei refulsit, ut multitudo monachorum orthodoxorum, et illustrium virorum multitudo maxima, in quibus Justinianus, et Vitalianus magister militum erant, simul occurrerent ad castellum Rotundum quod dicitur, usque in civitatem Constantinopolim. Qui cum gloria et laudibus ingressi, una cum Grato illustri suscepti sunt a Justino orthodoxo cum gaudio.

ad quem missi Legati

23 *En tandem affulget sperata, vera, quin et gloriosa non solum sancti Pontificis* Hormisdæ, *sed totius Romano-Catholicæ religionis, tandiu antea oppressæ, victoria, contra vero Eutychianorum cæterorumque perfidorum hæreticorum et Constantinopoli et toto reliquo Oriente consternatio; quam Noster eodem stylo enarrare prosequitur :* Omnis itaque clerus una cum Joanne episcopo Constantinopolitano consentiens, gavisus est, eo quod gratanter suscepti sunt. Sentientes quoque hoc qui erant complices Acacii, incluserunt se in ecclesiam majorem, quæ vocatur Sancta Sophia : et consilio facto, mandaverunt Imperatori dicentes : Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est episcopus civitatis nostræ Acacius, nullatenus consentimus Sedi Apostolicæ. Et facto concilio simul cum Justino Augusto in conspectu omnium illustrium, tunc legati Sedis Apostolicæ elegerunt ex suis Dioscorum diaconum ad reddendam rationem. Qui ita exposuit eis culpas Acacii, ut etiam omnes simul cum Justino Augusto acclamarent dicentes : Et hic et in æternum damnetur Acacius.

Auctore J. B. S.

discordiarum radicem amputant,

24 *Atque ac tandem longarum discordiarum radice stirpitus pro eo tempore amputata, ad consummatum partis Catholicæ triumphum nihil defuisse videtur; re præsertim eo studiose redacta quo eam Noster collocatam numeris sequentibus 7 et 8 commemorat.* Eodem namque tempore jussit Justinus Augustus, accepta veritate, ut sine aliqua dilatione facerent libellum omnes episcopi, qui in regno Justini erant; et redeant ad communionem Sedis Apostolicæ. Quod etiam factum est : E et concordaverunt ab Oriente usque ad Occidentem; et cucurrit pax Ecclesiæ. Qui textus libelli hodie in archivo Ecclesiæ reconditus tenetur. Hic præfatus Papa eo tempore perrexit ad regem Theodoricum Ravennam, et cum ejus consilio misit auctoritatem ad Justinum Augustum et cum vinculo chirographi et textu libelli redintegravit auctoritatem Sedis Apostolicæ, damnans Petrum et Acacium vel omnes hæreses.

ut ipsi distinctius

25 *Sequitur apud Labbeum longa epistolarum eadem omnia confirmantium series, quarum unam huc maxime spectantem satis erit describere, ubi omnium feliciter gestorum legati sanctissimo Pontifici rationem reddunt col. 1487 :* Non miramur apostolatus vestri precibus cuncta nobis prospera successisse, scientes quod amplius nostro ministerio vestra pro nobis elaboret oratio. Ita enim totus se ecclesiastici negotii tulit eventus, ut dubitari non possit, beati Petri per singula provenisse miraculum : primum quod tantum in ipsis, qui dignitate funguntur, invenimus religionis ardorem, ut Vitalianus, Pompeius et Justinianus nobis occurrerent in decem millibus, et de adventu F nostro, cum vestra gratiarum actione, gloriari non arbitrarentur indignum. Deinde quod tanta fuit etiam in plebe devotio, ut pars maxima populorum cum cereis simul et laudibus vestris nostrum præstolaretur adventum. Sub hac itaque celebritate secunda feria hebdomadæ majoris Cpolim sospites hilaresque convenimus; posteroque die piissimo principi præsentati, tanto ejus relevati sumus affectu, ut si alia minime præcederent, sola nobis ad solatium piissimi principis gratia suffecisset; sed orationibus vestris majora secuta sunt.

rem totam

26 Nam eo die sub senatus cuncti præsentia episcopi quoque quatuor adfuerunt, quos Joannes Constantinopolitanus antistes pro partis suæ defensione transmiserat, quibus Apostolicæ Sedis libellum ostendimus, omniaque in eo recta canonicaque esse probavimus. Postremo quinta feria, hoc est in Cœna Domini, ad palatium in generali conventu venit episcopus, et perfecto libello consentiens cum summa devotione subscripsit. Quis explicet, quanta illic principis pariter ac senatus lætitia fuerit, quas ibi lacrymas gaudia pepererint, quas voces vel in laudem principis, vel in Sedis vestræ, totius cœtus et cleri favor emisit? Explicari hæc relatione non possunt, sed considerationi vestræ portitorique relinquimus, quod eloqui non vale-

AUCTORE J. B. S.

valemus. A palatio in ecclesiam summa cum celebritate pervenimus, ut fidei animorumque concordiam solemnis quoque celebritas roboraret. Vix credi potest, quis fletus lætantium, quæ immensitas fuerit exsultatioque populorum: ipsa suam lætitiam turba mirabatur: nec dubitari poterat, manum adfuisse cœlestem, quæ talem mundo contulit unitatem. Acacii prævaricatoris anathematizati nomen de diptychis ecclesiasticis, sed cæterorum episcoporum, qui eum in communione secuti sunt, sub nostro conspectu significamus erasos.

S. Pontifici perscribunt.

27 Anastasii quoque ac Zenonis nomina similiter ab altaris recitatione submota; pax est orationibus Vestris Christianorum mentibus reddita; una totius Ecclesiæ anima, una lætitia; solus luget humani generis inimicus, vestræ precis expugnatione collisus. Orate ut Antiochenam quoque similis felicitas illustret ecclesiam, de cujus antistite adhuc tractatus nutare conspicitur; quoniam inter diversa vota populorum de personæ electione non constat. Credimus tamen quod precibus Beatitudinis vestræ de ipsa quoque velociter ordinatio B digna proveniat; ut cœpta pax temporibus vestris per omnem mundum pariter dirigatur, et cunctis in Apostolicam partibus communionem fidemque convenientibus perfecte, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia. *Sequuntur variorum, etiam principum feminarum ad sanctum Pontificem gratulatoriæ epistolæ; tum vero ipsius responsa, maxime ad Justinum, ut cujus opera Cpoli pax vigeret, hoc ipsum Antiochiæ et Alexandriæ faciendum curaret; at quam parum felici successu, docent nostri patriarcharum Catalogi præfixi tomo V Junii et IV Julii. De cætero motus Thessalonicenses et monachorum Scytharum fusius apud Labbeum describuntur. Nos ad reliqua* S. Hormisdæ *gesta properamus.*

§ IV. Alia sancti Pontificis præclare gesta.

Manichæi Romæ denuo expulsi.

Sic *pergit in elogio suo Bibliothecarius num. 9 :* Eo quoque tempore invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exsi- C lio deportavit, et eorum codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit. *Infamem pestem jam Romæ grassantem descripsit Noster in Vita S. Melchiadis; expressius autem sub S. Siricio, ubi* Manichæos in Urbe invenisse *dicitur,* quos etiam exsilio deportavit; *aliis porro legibus a S. Leone Magno et ab imperatore Valentiniano III, ita constricti sunt, ut sperari posset, non facile Romamredituros. Verum sanctissimos Pontifices ea spes fefellit: nam ut in S. Symmacho ad* XIX *Julii pridem diximus, inventi denuo sunt* Manichæi in urbe Roma, *et licet ipse* omnia *eorum* simulacra vel codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremaverit, et eos ipsos exsilio relegaverit, *ex dictis apertissime patet, non ita exstinctam pestilentem flammam, quin alicubi in ipsa Urbe latitaverit sub cinere doloso, donec* S. Hormisdæ *vigilantia et fortitudine denuo excisa et propulsata est.*

Reducti Africani episcopi

29 *Sequitur et alia sancti Pontificis non postrema felicitas, quod ejus* temporibus episcopatus Catholicus in Africa revocatus est post annos LXXIV, ex quo ab hæreticis fuerat exterminatus tempore persecutionis, *sævissimæ nempe illius Wandalicæ annorum non solum* LXXIV *sed* LXXXIV, *cujus Historia seu Commentarius historicus Theodorici Ruinart, triumphantem illum exsulum episcoporum* D *reditum fusius prosequitur cap. 12, unde hæc paucula delibamus, desumpta ex S. Fulgentii Vita, quæ et in opere nostro exstat 1 Januarii, cap. 28, ubi illius scriptor,* Mirabilis, *inquit,* bonitas Hilderici regnare incipientis Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donavit antistitem, cunctisque in locis ordinationes pontificum fieri clementissima auctoritate mandavit. *Non arbitror multum me a vero aberraturum, si felicissimam illam ecclesiasticæ libertatis in gente effera restitutionem sancti Pontificis, in omnes partes sedulo invigilantis, meritis apud Deum adscripsero.*

ab Hilderico rege catholico.

30 *Neque hic prætermiserim quod laudatus Ruinartius ex veteris auctoris fragmento, Tironis Chronico apud Canisium subjuncto, velit Bonifacii ordinationem in ecclesia S. Agilei apud Carthaginem fieri præcepisse Hildericum in regni sui exordio, restituta omnibus Catholicis libertate; contra quam Victor Tununensis in Chronico contendat, id ab Hilderico antequam regnum capesseret, præstitum fuisse, quoniam ipse a Trasamundo sacra-* E *mento fuerat obstrictus, ne posteaquam regnum fuisset adeptus, Catholicis unquam restitueret libertatem.* Hilderix, *inquit,* qui ex Valentiniani imperatoris filia, a Gizerico captivata et Ugnerico juncta, natus est, regnavit annis VII, mensibus III. Hic ergo sacramento a decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut ecclesias aperiret aut privilegia restitueret; priusquam regnaret, ne sacramenti terminos præteriret, præcipit et sacerdotes Catholicos ab exsilio redire, ecclesias aperire et Bonifacium, cum dogmatibus divinis satis strenuum, ad postulationem totius urbis Carthaginensis ecclesiæ episcopum consecravit.

Sedati Scythæ monachi.

31 *Finis non sit si huc adducere et fusius exponere lubeat singula quæ sub hoc Pontifice variis locis acta sunt, pleraque omnia satis nota et pervulgata, præsertim de tumultuantibus quodammodo Constantinopoli et alibi, Romam usque monachis illis, vulgo Scythis, mota quæstione;* De uno ex Trinitate passo, *variis terminis involuta et explicata, cujus causa non pauci cum Baronio eos ferme apertæ hæreseos insimulant, alii cum Pagio excusandos censent, utpote temeritate magis* F *ac zelo minus prudenti quam hæretico spiritu agitatos. Famosam quæstionem verbo hic attigisse sufficiat, quemadmodum et alias Orientales vesanias ex Severo ejusque asseclis progenitas Agnoetarum, Phantastarum, Corrupticolarum et hujusmodi pestes et hydras; atque item de Fausti scriptis eorumdemque refutationibus, quæ aut jam partim explicata sunt, aut dum de Sanctis eorum impugnatoribus agetur, opportunius elucidari poterunt: ea hic duntaxat ex professo prosequimur, ut jam non semel dictum est, quæ ad* S. Hormisdæ *gesta, virtutes ac sanctitatem illustrandam potissimum conducunt.*

Aliis etiam ecclesiis prospicit.

32 *Inter præcipua Romanorum Pontificum præconia meritissime numeratur sollicitudo omnium totius orbis Catholici ecclesiarum, quæ quantum in* S. Hormisda *emicuerit, ex hactenus dictis satis patet: id modo reliquum, ut partes occidentales ab eo minime neglectas ostendamus, id quod breviter complectitur notatio* IX *ad textum Anastasii apud Blanchinum, sub nomine* Sommier, *tom. III, pag. 243, his verbis :* Eamdem firmitatem veteris disciplinæ, quam in scriptis Patrum quærendam proponit, consectatus esse cognoscitur B. Hormisda etiam in regimine ecclesiarum, dum S. Remi-

A Remigio Rhemorum episcopo, per quem Clodoveus rex ad fidem Christianam accesserat, vices apostolicas mandat per universum illius regnum, salvis juribus metropolitanorum quæ antiquitus obtinuerant; cui etiam paternas regulas et decreta a sanctis definita conciliis omnibus servanda mandavit. Pari commendatione Joannem Tarraconensem per Hispaniam citeriorem, per Bæticam vero et Lusitaniam Salussium Hispalensem vicarium apostolicum constituit. *Vide præterea epistola ad universos Hispaniæ episcopos scriptas, quæ inter octoginta S. Pontificis sunt* XXV *et* LI *in collectione Labbeana, in qua etiam invenies, quot concilia ejus tempore variis locis habita sint.*

Donaria Chlodovæi non recte adscripta.

33 *Reliquum Anastasii textum implet enumeratio variorum donorum seu donariorum Romam ad S. Petri missorum, ubi ita orditur:* Eodem tempore venit regnum cum gemmis pretiosis a rege Francorum Clodoveo Christiano donum B. Petro Apostolo. *De regno seu corona antea ab imperatoribus, regibus ac etiam aliis Romam ad ornanda Apostolorum sepulcra mitti solita, jam sæpius a nobis actum est, uti et de cæteris donis* B *seu oblationibus, mox fusius recensendis, quorum nominibus iterum explicandis frustra hic opera sumeretur, cum pleraque omnia inveniri possint in Tractatu præliminari de basilica S. Petri ante tomum VII Junii, uti et apud Cangium aliosque passim. Ad tempus in textu expressum, nempe* eodem tempore, *recte observat Bencinus apud laudatum Blanchinum;* Hanc unam esse ex consuetis amanuensium transpositionibus, cum quæ hic referuntur, ad alterius Pontificis gesta spectent. Clodoveus denatus est anno DXI, ut Francici scriptores probant, Hormisdas vero creatus est Pontifex anno DXIV, *quemadmodum superius etiam annotatum est Commentarii hujus num. 4. En modo longiorem donariorum istorum omnium elenchum, ex ea, quam sequimur, Vignolii editione.*

Auctore J. B. S. Alia Justini dona

34 Eodem tempore misit Justinus Augustus Romam multa aurea vel argentea dona de Græcia; Evangelia cum tabulis aureis et cum gemmis pretiosis pensantia lib. XV. Patenam auream cum gemmis hyacinthinis pensantem lib. XX. Patenas argenteas II pensantes singulas lib. XXV. Scyphum aureum circumdatum regno pensantem lib. VIII. Scyphos argenteos deauratos III pensantes lib. V. Gabatam electrinam pensantem lib. II. Thecas cerei aureas II, pensantes singulas lib. VI. Pallia olovera blattea, cum tabulis auro textis duo: Chlamydem vel stolam imperialem et subfictorium super Confessionem. Hæc omnia a Justino Augusto orthodoxo, votorum gratia B. Petro oblata sunt. *Notanda quæ sequuntur:* Eo tempore Theodoricus rex beato Petro Apostolo obtulit cerostata argentea II, pens. singula lib. LXX. *Ad quæ Baronius ad an.* DXXIII *num. 8:* Sed et quod mirandum fuit, etiam hostis Catholicæ fidei... munus obtulit rege dignum basilicæ Vaticanæ. Munus dixerim, non oblationem; solent enim oblationes tantummodo esse fidelium orthodoxorum, quæ solemni ritu in ecclesiam inferri consueverunt et recipi: munera vero, quæ nulla habita distinctione donantis, in ecclesiam tanquam in gazophylacium E inferuntur.

et quæ ab Hormisda collata sunt.

35 *Pergit textus:* Eodem tempore fecit Papa Hormisda apud Beatum Petrum trabem, quam ex argento cooperuit, pens. lib. MCCXL. Eodem tempore fecit Papa Hormisda in basilica Constantiniana coronam argenteam ante altare pens. lib. XX. Canthara argentea XXVI pens. singula libras duodenas. Item ad Beatum Paulum fecit arcus argenteos II pens. singulos lib. XX. Canthara argentea XVI, pens. singula lib. XV. Amas argenteas III pens. singulas lib. X. Scyphos argenteos stationales VI cum ducibus, pens. singulos lib. VI. Hic fecit ordinationem unam in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros XXI, episcopos per diversa loca LV. Qui etiam sepultus est in basilica Beati Petri Apostoli VII Idus Augusti consulatu Maximi, et cessavit episcopatus dies VI.

DE S. JACOBO EREMITA

C F

AMIDÆ

In Mesopotamia.

P. B.

Sec. VI. Cultus ejus notus in solo Martyrologio Romano:

S*anctus hic eremita* Jacobus *etsi Syriam latissime sumptam incoluisse dicitur; ab aliis tamen eremitis homonymis, qui Syriam aliquando eximia virtutum fama nobilitarunt, certissime diversus est et loco, et tempore, et genere anachoreseos; uti jam ostensum est in opere nostro ad diem* XXVIII *Januarii pag. 868; et mox planum fiet, hujus elogium cum illorum gestis vel obiter conferenti. Mirati vero sumus, cum Amidensis hujus Anachoretæ memoriam nullis ecclesiarum sive orientalium, sive occidentalium Fastis, sive ad hunc diem ac mensem, sive ad alios quoscunque consignatam usquam reperimus, ante reformationem Romani Martyrologii, in quo ad septimum Idus Augusti notatur his verbis:* Amidæ, sancti Jacobi eremitæ, miraculis clari. *Sed neque Baronius hic in annotatis ullum, ut solet, Martyrologum, ullas tabulas allegat, unde hæc annuntiatio deprompta sit; sed solum istud elogium, quod apud Procopium Cæsariensem legitur, et quo solo idem Eminentissimus auctor usus est etiam in Annalibus ad annum Christi 502, num. 40: qui vero posterius de hoc Sancto meminerunt, ut Benedictus Gononus in Vitis insignium Orientis eremitarum pag. 12, Ludovicus Bullavius Historiæ monasticæ Orientalis lib. 4, cap. 11, num. 3, aliique, præter eumdem Procopii locum, solum citant Martyrologium Romanum et Annales Baronii. Fons igitur unicus eorum, quæ de Sancto nostro sciuntur hactenus, videtur esse Procopii textus de Bello Persico lib. 1, cap. 7; quem proinde, licet jam alia occasione datum die* VII *Februarii pag. 162 et sequente, hic denuo, sed ex versione Claudii Maltreti nostri, repræsentandum putamus. Sic igitur habet:*

elogium ex Procopio Cæsariensi:

2 Tunc agebat in Syria Jacobus, eximia vir sanctimonia, ac divinis in rebus exercitatissimus. Quarum commentationi ut securius vacaret, in agro

AUCTORE P. B.

agro Endielorum, unde Amida diei unius iter abest, multis ante annis se compegerat in angustum septum. Id indigenæ, Viri sancti proposito inservientes, non contiguis, at raris vallis condiderant; quo inclusum aspicere adeuntes et colloqui cum eo possent. Quoddam etiam tectum superposuerant, quantulum satis esset ad imbrium niviumque arcendam vim. Hanc ille sedem diutissime tenuerat, ab æstu invictus et frigore, leguminibus vitam tolerans; ac ne his quidem quotidie, sed longa per intervalla consueverat vesci. Eum forte Ephthalitæ nonnulli illac pervagantes, viderunt. Mox animos barbaros libido incessit sagittas in Virum experiendi. Jamque collimabant, cum omnium repente manus ita diriguere, ut ad arcum inertes hæserint. Discurrens rei fama per castra, ubi pervenit ad Cabadem, eum, ut oculis miraculum acciperet, perpulit. Simul vidit, obstupuit, et cum eo Persæ qui aderant: tum barbaris delicti veniam precatus est a Jacobo; qui continuo exoratus, pœna solutos dimisit. At Cabades optionem quidvis petendi fecit, ratus, grandem B pecuniam rogaturum, ideoque jactanter pollicitans ipsius vota cumulate impletum iri. Hoc ille unum poposcit; ut quicunque per id bellum ad se perfugerent, sibi omnes condonarentur. Postulatum Cabades ratum habens, fidei publicæ litteras dedit. Ita multis data salus, qui eo undique confluxerunt, fama rei gestæ exciti. *Hæc ibi; quæ ut melius percipiantur.*

3 *Observa primo, referri ista a Procopio ad tempus illud, quo Cabades, Persarum rex, ad Amidenam urbem aliquandiu jam castra posuerat, antequam illa post octogesimum obsidionis diem, ut idem asserit, potiretur,* Indictione x, Probo et Avieno consulibus, *ut est in Marcellini Chronico, sive anno Christi 502: unde ætas colligi debet, qua Sanctus hic* Jacobus *maxime floruit. Floruit, inquam: nam de obitu ejus non meminit Procopius, multo minus de anno, mense, die, quibus hanc vitam cum æterna commutaverit; quanquam verisimile est, Virum tam austero vivendi instituto jam tum* diutissime *fractum, non diu postmodum superfuisse. Cæterum quod hunc sextum Augusti mensis diem ipsi natalem fecerint Romani Martyrologii reformatores, id eos fecisse putamus, quia certum diem ignoraverint, incertus vero notari non possit. Delegerint ergo qui visus fuerit opportunior. Observa secundo,* Ephthalitas, *de quibus hic agitur, gentem fuisse Persis a Septentrione finitimam, ut ait ipse Procopius ibidem cap. 3. Horum ope Cabades amissum regnum haud ita pridem recuperaverat, nec paucos etiamnum habebat in exercitu. Observa tertio, permagni faciendam hic esse auctoritatem* E *Procopii; tum quia eodem tempore vivebat, quo jam narrata contigerunt; tum quia commendatur plurimum ab historica fide; tum denique, quia de genere eorum fuisse videtur, quos modo Politicos vel Deistas appellant; unde hæc, tanquam religioni suæ (si tamen ea religio est) minus commoda credi potest dissimulaturus fuisse; nisi eorum id vetuisset nimis apud omnes nota tum temporis et celebrata veritas.*

D *tempus, quo floruit.*

DE SS. CC MARTYRIBUS MONACHIS CARADIGNENSIBUS

PROPE BURGOS, IN HISPANIA

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ 1. Eorum cultus, et reliquiæ.

F

C

ANNO DCCCLXXII. *In cœnobio Caradignensi*

D*e antiquissimo nobilissimoque cœnobio Caradignensi, seu S. Petri de Cardena, Ordinis S. Benedicti apud Burgenses, a quibus versus Orientem sesqui leuca distat, in Castella Veteri, obiter admodum actum est occasione S. Sisebuti abbatis ad diem* XV *Martii pag. 412: quippe quod pridem aliunde satis illustratum esset a Prudentio Sandovallio in Fundationibus monasteriorum ejusdem Ordinis per Hispaniam part 1, a fol. 34, et aliquanto anterius ab Alfonso Chacon, sive Ciaconio, in libello singulari de ducentis hisce* Martyribus, *ad maturandam eorum canonizationem edito Romæ anno Christi 1594. At nunc multo minus necesse est ejus descriptioni tempus insumere; quando sparsam quidem illius, sed uberrimam tamen historiam duplici haud parvæ molis volumine publici juris fecit R. P. M. Fr. Franciscus de Berganza typis Matritensibus anno Christi 1719. Opus inscribitur:* Antiguedades de Espana propugnadas etc. *Idem vero hic locus ducentis simul Athletis nostris religiosæ primum perfectionis gymnasium, tum illustris per martyrium palæstra certaminis, sepulcrum denique gloriosum fuit; imo sacrarium cum præcipuis Hispaniæ, Cordubensi scilicet et Cæsaraugustano, non immerito conferendum; ut probant ex Ambrosio de Morales Alphonsus Ciaconius cap. 14, et Berganza part. 1, pag. 134. Neque aliter sensisse dicas virum eruditione celeberrimum Benedictum Ariam Montanum, si Hymnos legeris, quibus* Martyres *nostros exornavit apud Tamayum in Martyrologio Hispano ad hunc diem.*

2 *Sepulti autem una sunt omnes in ea claustri sive ambitus parte, quam innocuo suo cruore perfuderant straverantque corporibus; ea, inquam, quæ, teste Ciaconio cap. 16, proxime subest ecclesiæ, per eosdem tum scilicet Saracenos, qui cædem hanc fecerant, cum universo cœnobio expilatæ ac dirutæ. Christiani, post Arabum discessum hoc* Martyrum *cadavera pietatis officio prosecuti, quantum isti loco venerationis et ipsi detulerint, et censuerint a posteris deferendum, monumento perpetuo testatum reliquere: parieti enim, qui communi* Martyrum *conditorum sepulcro proximus erat, quinis fere supra solum pedibus, duos inseruere lapides, latitudine ambos quartam fere partem ulnæ adæquantes, sed longitudine inæquales; siquidem hac superior, qui ad tres quartas ulnæ unius partes protenditur, digitis quatuor superat inferiorem: una vero ambos con-*

Illorum commune sepulcrum veteri epitaphio,

A *continuat inscriptio Latina, Gothico charactere non alte quidem incisa, dilucide tamen in hunc modum expressa :*

ERA DCCC. LXXII. III F. VIII IDUS AG. ADLISA EST KARADIGNA.

ET INTERFECTI SUNT IBI PER REGEM ZEPHAM CC. MONACHI

DE GREGE DOMINI IN DIE SS. MARTYRUM JUSTI ET PASTORIS.

Hæc post alios Berganzius loco jam assignato ; ubi et observationem hanc subjicit : Persuasum id equidem habeo, binos hosce lapides inscriptos fuisse statim a martyrio : nam si factum hoc fuisset posterius ab iis, qui cœnobium deinceps instaurarunt, utique ad inscriptionem unam unico lapide fuissent usi, non duobus, et quidem inæqualibus ; neque summam ejus tantummodo superficiem litteris perstrinxissent, quod operis deproperati indicium est.

anniversario prodigio, et consecrationis indiciis,

B 3 *Auxit exinde loci religionem prodigium anniversarium, quo videlicet pavimentum,* Martyrum *horum sepulcro impositum, quotannis ad* VIII *Idus Augusti liquorem quemdam sanguineum odoriferumque exsudare consuevit, cujus postridie nullum remanebat vestigium; idque ab immemorabili tempore, imo* ab *ipsa (ut contendit Ciaconius cap. 21)* ipsorum cæde usque ad tempora Henrici IV, Castellæ regis, *qui illud nondum cessasse indicat in amplissimo Privilegio, quod Caradignensi cœnobio contulit die* XVIII *Septembris, anno Christi 1473, quodque integrum legi potest apud Berganzam part. 2, pag. 234 et sequentibus. Hinc forte repetenda lex est aut consuetudo, qua, ut sua etiam ætate observavit Ambrosius Morales in Chronico tom. I, lib. 10, fol. 355, ex reverentia singulari cautum fuit, ne quis illac transiret; sed ut, quocunque pergendum esset, alia id fieret via ; ne locus tam sacer temere calcatus, profanari quodammodo videretur. Certe cum de restituendis ejusdem cœnobii ruinis agi cœpit, peculiarem hujus imprimis hierogazophylacii habitam fuisse rationem ita narrat Berganzius part. 1, pag. 135 :* Quo tempore reædificatum est monasterium *(anno nempe Christi 899, ut ibidem ostenditur pag. 175)* consecrata videtur illa C pars claustri ; quia sepulcrum erat tot corporum sanctorum : ad cujus rei memoriam cruces duæ cum aliquot juxta eas clavibus impressæ sunt extremis ejusdem claustri parietibus. *Claves illas* S. Petri claves *appellant Ciaconius cap. 14, et Antonius de Yepes in Chronico generali Benedictino ad annum Christi 834, cap. 2 ; per illas autem crucibus adjunctas designari ejusdem loci consecrationem ambo consentiunt cum Sandovallio in Monasterio S. Petri de Cardena § 3; et Ciaconius quidem,* argumentum, *inquit,* solent esse certissimum consecrationis et manifestum indicium.

aliisque tabulis insigne, immemorabilem cultum eorum testatur;

4 *Pergit Berganzius, ad eumdem, ut apparet, annum referens ejusdem sanctuarii qualemcumque ornatum, quem sic depingit :* In circumferentia *(istius lateris claustralis)* non procul a tecto affixæ sunt clavis aliquot tabulæ, media tantum ulna latæ, in quibus martyrium penicillo est adumbratum ; etsi jam paucæ admodum istic effigies distingui possint, ob evanidos per ætatem colores. Sub his tabulis dependent aliæ, fundo candido inscriptionem exhibentes cæruleam ; sed neque hujus characteres, nisi perquam rari, jam discernuntur ; tum quia color evanuit, tum etiam quia in medio loci spatio sacellum exstructum est postea, et Martyrum eorumdem nomine dedicatum. Apponam hic translatum ejus exemplar, quod in archivo servatur, tametsi neque hoc integre legi jam potest : VENITE AD JUDICIUM OMNES. IN ISTA PARTE CLAUSTRI SUNT DUCENTI MONACHI HUJUS CŒNOBII, QUI MORTEM SUSTINUERUNT PRO FIDE DOMINI NOSTRI SALVATORIS ET REDEMPTORIS JESU CHRISTI....... FERIA QUARTA....... SALUTIS..... A......... EIA MILITES CHRISTI......... SEMPER VIVET........ SI MONACHUS........ COR VESTRUM* ET HERBA GERMINABUNT. *Tum paulo inferius :* Litteræ, quæ habentur in istis tabulis, Gothicæ sunt et majusculæ. *Hæc testis oculatus. Unde audiendos non putamus, qui de hac epigraphe aliter scripsere ; ut quod characteribus constet Gallicis ; quod in tabulis istis idiomate Latino expressa primum fuerit ; cum Latinum exemplar archivi* translatum *sit ex prototypo tabularum Hispanico, ut affirmat omnino Ciaconius cap. 14; denique quod post abrogatos in concilio Legionensi anni 1091 characteres Gothicos et substitutos iis in usum Gallicos, posita fuerit ; id quod miramur asseruisse Ciaconium cap. 23, ubi de Joanne a* E *S. Dominico, abbate Caradignensi scribens,* Qui claustrum, *inquit,* refecit, et circum tumulos Martyrum illam descriptionem Hispanica lingua, characteribus tamen Gallicis, qui tunc in usu erant, jussit adpingi. *Atqui præfuit Joannes ille, secundum Berganzium part. 2, pag. 228 et seq., ab anno Christi 1448 usque ad 1457. Quis vero credat, tam recentem esse potuisse scriptionem, cujus jam inde a seculo proxime consecuto (quo de illa Ciaconius meminit) neque autographum, neque apographum, tametsi in archivo reconditum, fugientibus, ut fateri cogitur ipse, litteris, legi amplius ullo modo totum potuerit ?*

AUCTORE P. B.

* *addunt alii :* ET OSSA VESTRA

quem et vetusta probant Breviaria :

5 *Ex iis porro, quæ dicta sunt hactenus, elucet opinor satis, Pugiles hosce ab omni retro memoria tanquam vere Sanctos ac Martyres agnitos palam atque honoratos fuisse. Itaque qui plura desiderat in hanc rem argumenta, is auctores consulat jam citatos, Ciaconium imprimis cap. 14, 22, etc., ac Berganzium. Non possum tamen, quin unum illud et longe solidissimum inter Ciaconiana proponam ex cap. 27 :* Hi autem, *inquit,* F ducenti Monachi S. Petri a Cardegna, censentur de numero Martyrum esse, quos ecclesia Hispanica aliquando recepit : nam alias quomodo de iis publicæ preces fierent in multis Hispaniæ ecclesiis ; et honor ac cultus eisdem Sanctorum exhiberentur ; et in Kalendariis sacrorum codicum reponerentur sub titulo SANCTII ET SOCIORUM EJUS MARTYRUM ? Quod se vidisse, Ambrosius Moralius, chronistes regius, per litteras testatus est, dum varia Breviaria *(tunc* antiqua, *ut est apud Berganzam part. 1, pag. 156)* jussu Philippi secundi, Catholici Hispaniarum regis, in bibliothecam S. Laurentii in pium aliquem finem undique conquisisset. Auctoritate autem privata id ecclesias Hispaniæ ausisse et tentasse, alienum a ratione est. Intercessit ergo auctoritas publica Hispaniæ præsulum, qui hoc justis de causis statuerunt, cum notior res esset, et miracula crebriora ad id decernendum et in catalogum Martyrum reponendum adegerunt. *Nequis autem litteras illas Moralio forte suppositas cavilletur, adeat ejus Chronicum tom. I, lib. 10, fol. 355, ubi paucis his verbis priora confirmat :* De hisce sanctis Monachis Officium recitant aliquot Hispanienses ecclesiæ. *Bergansius part. 1, lib. 2, cap. 11, addit etiam Ordinem S. Dominici, qui eosdem Sanctos alicubi Martyrologio suo inscriptos ante*

decre-

AUCTORE P. B.

decreta Romana Officio celebraverit die VI *Augusti; testemque citat ejusdem Ordinis P. Jacobum Bledam in Chronico Maurorum lib. 7, cap. 28. Denique ipse infra Clemens PP. VIII et veterem eorum cultum agnoscet, et* injuria temporum *ætate sua propemodum intercidisse queretur.*

et ipsa tandem Apostolica Sedes asseruit

6 *Cujus quidem rei causam Yepezius centuria 4, fol. 41, subobscure videtur in ipsos monachos Caradignenses conferre; ut qui* sancta quadam, *ut appellat ipse,* timiditate *deterriti, tandem ausi non fuerint Sanctorum suorum Officium aut festum celebrare, quod martyrium illorum per expressam sententiam nondum Sedes Apostolica comprobasset. Sed quæcunque demum eos causa moverit; mirum, illa incitante, quandiu quantumque laboraverint, ut sententiam aliquando talem a summis Pontificibus impetrarent, eaque* Martyrum *suorum honores non tantum pristinos restituerent, sed et novis auctos accessionibus in perpetuum stabilirent. Susceptum ingentibus animis ac potenti patrocinio negotium fuit sub Eugenio PP. IV; sed variis atque insperatis casibus, ut narrat Berganza loco citato, identidem interruptum, sub Clemente tandem VIII propemodum desperari jam cœperat, cum illud ipsi per se* Martyres *visi sunt instaurasse. Venit enim tum forte Burgos e regno Valentiæ doctor Vincentius Ferrerius, canonicus Oriolensis ecclesiæ pœnitentiarius, ibique de sacrario Caradignensi edoctus, ad illud anno 1599 in pervigilio S. Benedicti excurrere pro eximia sua pietate constituit: in eo autem ita commoveri se sensit, ut ne Romæ quidem, quo paulo post alterius negotii causa profectus est, istius diei locique sic potuerit oblivisci, quin, confectis ibi rebus suis, de* Martyrum *horum agitanda denuo causa cogitaret. Adit igitur ultro F. Petrum Arevalium, Caradignensium in Urbe procuratorem, eique consilium aperit; sed fractam diuturnitate fiduciam hominis comperiens, alio vertit animum, ad ipsum videlicet abbatem cœnobii, ad quem litteras continuo dedit, quibus hanc sibi curam deposceret, non aliam pactus mercedem, quam ut in precibus et Sacrificiis memoriam sui præciperet monachis; tum, ut, quoties eos contingeret præterire sanctuarium, toties hac prece* Martyres *suos compellarent:* Date robur, ferte auxilium; ut Vincentius, indignus famulus vester, quod petit, consequi valeat.

primum eos adoptando in Martyrologium Rom. anno 1602,

7 *Conditione, ut par erat, perlibenter accepta, id primum per libellum supplicem tentavit anno 1602 apud summum Pontificem, obtinuitque Vincentius, ut* Martyribus *nostris locus esset in posterum in Martyrologio Romano. Neque vero alia sanctitatis eorum ac martyrii, tam antiqua tot ecclesiarum veneratione subnixi, declaratione opus esse, ipse Sanctissimus Dominus affirmabat; uti probat ibidem cap. 13 Berganzius, cujus hic narrationem contrahimus. Restabat ergo sola mandati Pontificii exsecutio, qua dicto Martyrologio inserti continuo* Martyres *legerentur; neque ulla in Eminentissimo Cardinale Baronio mora fuit, nisi quod nova Martyrologii ejusdem editio, jam ultra mensem Augustum, ad quem hi* Martyres *pertinere debebant, longe promota, vergebat ad finem. Sed post maturam deliberationem cum Vincentio, ne forte, si alia exspectaretur editio publica, res in oblivionem abiret, id expedire demum censuit, ut alia statim editio nova Caradignensium sumptibus adornaretur, in qua ad mensis Augusti diem sextum hæc apponeretur annuntiatio, ab ipsomet Cardinale dictata:* Burgis in Hispania, in monasterio S. Petri de Cardegna, Ordinis S. Benedicti, ducentorum Monachorum cum Stephano abbate; qui a Saracenis pro fide Jesu Christi interfecti sunt, atque ibidem in claustro a Christianis sepulti. *Dictum factum. Sic auctum prodiit Martyrologium Romanum eodem anno 1602 Romæ ex typographia Stephani de Paulino. Qui porro acciderit, ut in consecutis deinde Romani Martyrologii editionibus omissum sit istud auctarium, sicut non divino; ita non video, quid ad legitimam ejusdem auctoritatem possit ultra requiri.*

deinde etiam per Breve Pontificium,

8 *Ferrerius tam prompto prosperoque successu animatus, mox alteram supplicationem Pontifici consignandam instruxit; qua facultatem ab eo consequeretur ecclesiis, Officium de* Martyribus *iisdem publice recitandi. Acceptum libellum Sanctissimus Dominus ad sacrorum rituum Congregationem remisit; hæc ad Cardinalem Baronium; qui singulari erga* Martyres *hos inflammatus affectu, Lectiones eorum in secundo Nocturno proprias sua ipse manu conscripsit; quas deinde approbatas Pontifex Apostolicæ Bullæ inseruit, additis ad calcem his verbis:* Sed et jam pene exstinctam injuria temporum ipsorum memoriam reddit sua auctoritate Sedes Apostolica redivivam, atque eam celebrandam omnibus fidelibus repræsentat. *Data fuit, ut paragrapho sequente videbitur, anno Christi 1603, die* XI *Januarii; die vero* XVIII *Februarii allata ad cœnobium Caradignense, totum illud incredibili gaudio complevit. Itaque abbas postridie per solemne Sacrificium Deo gratias egit; tum die* XX *Februarii Burgos excurrit, inde Vallisoletum, rem omnem hic cum rege Catholico ac proceribus; ibi cum archiepiscopo, capitulo, magistratu communicaturus. Philippo III tam jucundus hic nuntius accidit, ut mox per omnes regni totius urbes publica lætitiæ signa imperaverit; tum abbati, sacellum super* Martyrum *sepulcro meditanti, eam in rem assignaverit decies ac ter mille ducatos, amplioris insuper munificentiæ spem faciens. Abbas domum redux, opus aggreditur ornatu quam potest augustissimo: altari sacelli multas* Martyrum *eorumdem imponit reliquias, mediamque inter illas S. Stephani, abbatis eorum ac ducis, statuam: sepulcrum ipsum, quod sanctuarium appellant, elatiore tabulato contectum est, et ferrei, ne pateat accessus, appositi cancelli, binis ex argento lampadibus reverentiam loco perpetua luce conciliantibus.*

quo mirifice cultus refloruit;

9 *Aderat interea dies sextus Augusti, idemque et* Martyrum *natalis et celebrandæ canonizationi decretus; qui, ut breviter dicam, cum in proxima urbe Burgensi per festivos ignes ludosque, tum præsertim in monasterio Caradignensi tanta pompa, majestate, lætitia, pietate a primis usque Vesperis exactus est, quantam facile concipiet, qui noverit Hispanorum in istiusmodi solemnitates ecclesiasticas magnificentissimam propensissimamque suapte sponte religionem; ad quam accessit eo tempore regia per litteras, Burgorum optimatibus inscriptas, adhortatio; accessit et archiepiscopi Burgensis auctoritas, quam apud sibi subditas ecclesias ad cohonestandum supplicationibus undequaque institutis hunc triumphum interposuit; accessit denique Benedictinæ Congregationis per Hispaniam universæ collata ad majorem illius diei splendorem industria dignitasque: confluxerant enim illuc reverendissimus minister Generalis, qui primas in sacris hisce cæremoniis partes obivit; tum hujus jussu abbates omnino quindecim, definitores quinque, aliique viri ex tota Congregatione*

prima-

A *primarii ad ducentos usque et viginti : quem tamen ipsum numerum aliorum Ordinum, ex urbe Burgensi vicinisque cœnobiis concurrentium, frequentia superavit ; reliqua multitudo ad octo millia capitum credita est pertigisse. Atque hic primus restitutæ per Apostolicam sententiam venerationis eorum fructus exstitit, exinde ad ecclesias quamplurimas largissima reliquiarum communicatione mirifice propagatus.*

exinde cum reliquiis late diffusus.

10 *Et ipso quidem illo anno 1603 tot undique iteratis per dies fere singulos precibus expetitæ illæ sunt, atque concessæ; ut Caradignenses, ne thesaurus hic sacer, quantumvis alioqui locuples, brevi totus effoderetur, efflagitandum sibi necessario duxerint, obtinuerintque Apostolicum Breve, quo cautum fuit, ne cui liceret in posterum absque expressa vel ipsius Pontificis vel Nuntii ejus facultate inde quidquam decerpere, nisi pro ecclesiis cathedralibus aut collegiatis; quæ quidem lex nec loci abbates, nec visitatores, nec ipsos denique Congregationis Hispanicæ Generales eximebat; proposita adversus delinquentes dignitatis, officii, suffragii tam activi quam passivi privatione,* B *aliisque pœnis Sanctissimi Patris arbitrio reservatis. Post hoc decretum et parcior distributio fuit et accuratior haberi cœpit ratio reliquiarum, quo, quot, quales inde quaquaversum asportarentur sive intra Hispaniam, sive in Germaniam, sive in Americam (nam et illuc Procurator generalis RR. PP. Carmelitarum excalceatorum deferendas non paucas expetiit). Harum vero omnium elenchus, quia longior est, quam ut hic referendus videatur, legi poterit apud ipsum Berganzium part. 1, lib. 2, toto capite decimo quinto. Nobis ex eo satis est observasse, occasione reliquiarum increvisse usque adeo* Martyrum *nostrorum cultum, ut ab ecclesiis quatuor, Arcensi, Bunielensi, Ossornensi, Rosensi in patronos optati sint; a pluribus vero diœcesibus, puta Compostellana, Oxomensi, Pacensi, Palentina etc. die* VII *Augusti (quem nunc etiam Burgensis archidiœcesis observat) solemniore quotannis Officio celebrentur hoc fere titulo, ut in illarum directoriis videre est:* Stephani et sociorum Martyrum. Duplex, *aut :* Duplex majus.

C

§ II. Eorumdem Acta.

Perierunt Acta vetustissima ;

H*ujus tam numerosi tam illustris martyrii retustissimas olim historias Mss. exstitisse, testantur Ciaconius cap. 14 et 23, Sandovallius in Monast. S. Petri de Cardena § 3, ac Berganzius part. 1, lib. 2, cap. 7. Et hic quidem tres fuisse commemorat; illi de duabus tantummodo meminerunt* similis antiquitatis; *quarum altera auctorem habuerit Alphonsum III Asturiarum regem, cognomento Magnum, qui eo ipso tempore regnasse creditur, ab anno Christi 866, ut Joanni de Ferreras in Historia Hispaniæ placet, usque ad 912. Utramque Romæ apud D. Didacum Hurtadum de Mendoza, Philippi II regis Catholici tum oratorem,* vidit et legit, *Ciaconio teste, F. Hieronymus Bermudez, vir doctus ex Ordine S. Dominici, et saltem usque ad annum Christi 1594, ut idem indicat cap. 23, superstes. Fuerant autem illæ una cum aliis instrumentis Caradignensibus Mendozio consignatæ postquam ei Philippus rex* Martyrum *nostrorum, uti et Roderici Bivarii, quem et Cidum appellant, urgendam denuo causam apud Christi Vicarium commisisset. Cum vero sacrum hoc negotium feliciter ab eo promotum defectio inexspectata Senensium, quibus præfectus Mendoza fuerat, abrupit ; incertum, ubi is demum omnia sibi tradita monumenta reliquerit ; certe ad hunc usque diem industria nulla detegi potuerunt : id quod Caradignenses merito quidem, sed hactenus frustra, dolent.*

AUCTORE P. B.

salva tamen illorum substantia,

12 *Jacturam hanc utcunque leniunt inscriptiones ac tabulæ paragrapho superiore memoratæ ; deinde quæcunque alia Actorum compendia tum scripta, cum vetustissimæ illæ Historiæ vel exportatæ nondum essent Romam ex Hispania, vel nondum deperditæ: hæc enim, dum isti fontes erant in promptu, aliunde hausta credi non possunt ; alioqui per eosdem statim ac facile, siqua in re adversarentur, arguenda falsitatis. Talia putamus esse, quæ in istis Breviariis, de quibus num. 5 meminimus, absque dubio recitantur ; talia quoque, quæ de cœnobio Caradignensi et his* Martyribus *in Annalibus sive Historia Compostellana Ms. legisse Moralium, ait Ciaconius cap. 14 : Historiam enim hanc scriptam fuisse ante medium seculi* XII, *diximus ad diem* XXV *Julii, pag. 16 :* E *tum quæ post medium seculi* XIII *idem Ciaconius ibidem affirmat scripsisse Alphonsum X, Castellæ ac Legionis regem, cognomento Sapientem, in Historia generali Hispaniæ ; et quæ eodem fere tempore composita referunt Monumenta Caradignana apud Berganzium in Appendice, pag. 588, ubi propositus Hispanice textus, ita sonat Latine :* Æra DCCCLXXII venit rex Azepha in Castellam, et regionem omnem percurrit, et venit ad monasterium S. Petri de Cardena, et occidit ibi ducentos Monachos, qui istic habitabant : erat tunc abbas domnus Stephanus. IV Feria, in die SS. Justi et Pastoris, mense Augusto. *Talia denique censeri debent, quæ in Privilegio (de quo supra num. 3) asserit Henricus IV de cœnobio Caradignensi ;* constare *videlicet sibi inter alia,* positos in eo fuisse Religiosos ducentos, qui Deo inservirent; quadam vero die, SS. Justo et Pastori sacra, regem Zepham potenter et infeste cum suis Mauris ad monasterium dictum venisse ; id eos ingressos esse, et quidquid in illo repererant, rapuisse, jugulatis, quotquot erant, Monachis ; hos autem omnes fuisse in claustro dicti monasterii sepultos ; eorum F gratia quotannis miraculum a Deo patrari ; die enim, quo capite truncati sunt, redeunte, pavimentum claustri, in quo conditi sunt, apparere sanguineo colore respersum.

quæ satis sincere proponitur

13 *Patet enimvero ex his et aliis, quæ legi plura possunt apud Ciaconium cap. 14 et alibi, divina providentia factum esse, ut Historiæ illæ vetustissimæ tum demum interierint, cum jam dudum præcipua illarum substantia tot aliis monumentis, tanquam asylo tutissimo, recepta, fidem historicam extorquere potius, quam exigere posset. Unde non dubitavit Baronius, etiam ante oraculum Pontificium, suis illam Annalibus inserere ad annum Christi 834, num. 12 et sequente ; quod ante et post ipsum recentiores plerique Hispanorum historici, citati apud Ciaconium eodem cap. 14 et Berganzam part. 1. lib. 2, cap. 7 sub finem, factitarunt. Dixi* substantiam illarum præcipuam *ita conservatam fuisse ; quia inter neotericos illos quidam, ubi hoc martyrium describunt, ea non contenti, adsciscenda insuper quædam adjuncta duxerunt, speciosa magis, quam necessaria aut certa vetustate firmata ; imo ne consona quidem inter sese, ut fatetur Yepes cent. 4, ad annum Christi 834, cap. 2 : quibus proinde omnibus præferendam putamus narrationem illam*

hujusce

AUCTORE P. B.

hujusce certaminis admodum simplicem, quam probavit Clemens PP. VIII, et Bullæ, quam propterea totam ad hunc locum distulimus, inseruit. En igitur illam cum subjectis aliquot observationibus nostris :

CLEMENS PP. VIII

in Bulla Clementis VIII,

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut milites Dei inclyti, quorum mors pretiosa emit immortalitatem pretio sanguinis et accepit coronam de consummatione virtutis in cœlis, admirabiliter etiam honorentur in seculo; summa nos ope niti decet, ut quos infirma ævi conditio sensim caligine forsan obduxit, ad celebriorem memoriam nostra authoritate revocentur. In quorum numero recensendi veniunt ducenti illi Martyres, Christi athletæ, quorum in monasterio S. Petri de Cardena, Ordinis S. Benedicti, apud Burgos, dum a tyrannis more bidentium gladiis cæduntur, mens bene conscia B conservavit patientiam.

MM. horum Officium diœcesi Burgensi præscribentis,

15 Hos itaque ac etiam eorum vitam, mores, mortem, monumenta, reliquias, et imagines, ut felicius etiam quam in præsenti vita, sciamus vivere mortuos, qui in Domino moriuntur, omni, quo decet, honore et reverentia decorare et illustrare cupientes; precibus quoque charissimi in Christo filii nostri Philippi tertii, Hispaniarum regis Catholici, ac venerabilis fratris archiepiscopi, et dilectorum filiorum capituli Burgensis, et administratorum ejusdem civitatis, nec non generalis Congregationis dicti Ordinis, ac abbatis et conventus monasterii prædicti nobis eorum nomine porrectis adducti, ex sententia venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris ritibus et ceremoniis præfectorum, officium de communi plurimorum Martyrum pro dictis ducentis Martyribus in dicto monasterio sepultis, cum infra scriptis lectionibus in secundo nocturno recitandis, et ab eisdem Cardinalibus, ac etiam dilecto filio nostro Cæsare tituli Sanctorum Nerei et Archillei presbytero Cardinale Baronio nuncupato revisis et approbatis, et quibus ipse C Cæsar manu propria subscripsit, quarumque tenores inferius ascribi jussimus et mandavimus, ut sub ritu duplici in civitate et diœcesi Burgensi libere et licite recitari possit et valeat, Apostolica authoritate tenore præsentium censemus et declaramus : servatis tamen omnibus Rubricis Breviarii Romani. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

cum tribus Lectionibus

16 Tenores autem dictarum lectionum sunt ejusmodi Quartæ videlicet. Tempore, quo Arabum sæva tyrannis, in Hispania Christianos affligeret, atque Zafa eorum rex impius Castellæ provinciam devastaret, potissimum vero Dei servos, fidei Christianæ propugnatores, viros Religiosos, quos sciret esse ipsorum execrabilis sectæ acerrimos impugnatores, vehementer exagitaret; inter alios venerabiles monachos, qui diversis in locis Hispaniarum propensiore cultu Deo servientes, eorumdem persecutionibus premerentur, feliciores illi fuere, qui apud Burgos in monasterio S. Petri, de Cardena nominati, egregia vitæ sanctitate florentes, digni inventi sunt, qui omnes simul, ducenti numero, ad martyrii coronam promoverentur a Domino Jesu Christo.

17 Quintæ vero. Hi enim sub Stephano ipsorum abbate, viro sanctissimo, ad spiritualem palæstram D jugiter exercitati, et carnem vincere, mundum contemnere, et debellare aereas potestates edocti, audientes, eosdem adesse Arabes ministros sathanæ, ipsorum sanguinem sitientes, nullam suscipere voluere redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem : sed unanimes, Dei armatura potentes, spiritu ferventes, ad quæque mala subeunda perstitere constantes; probeque intelligentes, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, mutuis se exhortationibus ad subeundum martyrium roborarunt atque assiduis precibus munierunt.

propriis

in secundo Nocturno.

18 Sextæ denique. Sic igitur divina gratia confirmati, in monasterii claustro fortes animo consistentes, summa patientia irruentes excepere carnifices : a quibus singuli crudeliter jugulati, optatam coronam martyrii perceperunt octavo Idus Augusti, feria quarta, anno salutis octingentesimo vigesimo quarto. Sepulti sunt ibidem sancti Martyres a Christi fidelibus, qui illuc convenere postquam funesta Arabum cohors inde recessit. Deus autem qui suos milites non solum coronat E in cœlis, sed et in terris efficit gloriosos, ad ipsorum Martyrum gloriam locum illum celebri miraculo illustravit, dum pluribus subsequentibus annis die anniversaria ipsorum cædis, tanquam recenti cruore aspersum, eumdem rubentem ostendit. Sed et jam pene extinctam injuria temporum ipsorum memoriam reddit sua authoritate Sedes Apostolica redivivam, atque eam celebrandam omnibus fidelibus repræsentat.

Datis Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Januarii MDCIII, Pontificatus nostri anno undecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Accuratior epocha martyrii hujus.

19 *Bullam hanc dedimus ex veteri exemplari, Romæ, ut videtur, excuso, et hic inter schedas nostras pridem asservato. Eamdem ante centum annos in Chronico Benedictino vulgavit Yepes centuria 4, partim in Appendice, fol. 433 verso, partim ad annum Christi 834, cap. 2, fol. 41 verso : sed ita Lectiones distribuit; ut exemplar authenticum non videatur habuisse præ oculis;* F *sicut habuit sine dubio Berganzius, cum illud Hispanice interpretatus est part. 1, lib. 2, cap. 13 : hic tamen illum in eo secutus est, quod in Lectione sexta pro* anno salutis octingentesimo vigesimo quarto, *qui etiam diserte exprimitur in Lectionibus olim ad usum ecclesiæ Burgensis excusis, reposuerit* annum salutis octingentesimum trigesimum quartum. *Et sane in priore numero certissimus error est, adeoque palpabilis, ut soli videatur typographo tribuendus, non Cardinali Baronio, qui optime noverat, et hoc martyrium accidisse æra* DCCCLXXII, *et æram Hispanicam triginta tantum et octo annis Christiana vulgari priorem esse; ut liquet ex Annalium tomo nono (ante edito, quam Lectiones hasce componeret) ad annum Christi 834, num. 12. Itaque certo emendari debuit annus* DCCCXXIV. *Sed an recte id factum est per annum* DCCCXXXIV *? Dubitat ibidem Baronius ; nec immerito : eadem enim vetera monumenta, quæ rem hanc testantur accidisse æra* DCCCLXXII, *diem, quo contigit, multo evidentius exprimunt his characteribus,* Quarta feria, octavo Idus Augusti, in die SS. MM. Justi et Pastoris. *Vidit hæc solertissimus Annalium conditor non posse congruere cum anno Christi 834, quo dies sexta Augusti incidit*

A *dit in* feriam, *non* quartam, *sed* quintam; *atque adeo vel omnino adjicienda esse censuit (abjicere tamen ipse non ausus;) vel ad annum Christi 872 necessario referenda cum Ciaconio, ad quem lectores remittit. Ostendit autem Ciaconius cap. 17 exemplis non paucis, frequenter olim apud ipsos Hispanos adhibitam fuisse vocem* æra, *non ad significandam æram Cæsarianam seu vulgarem Hispanicam, sed Christianam: unde colligit, etiam hoc loco vocem illam sic esse intelligendam; ac proinde passos esse* Martyres *anno Christi 872, quo dies sextus Augusti, idemque festus olim SS. MM. Justi et Pastoris, in feriam quartam re vera incidit. Displicuit quidem hæc opinio quibusdam, atque imprimis Yepesio; sed eamdem ita vindicavit nuper Berganzius part. 1, lib. 2, cap. 8; ut illa standum omnino videatur.*

nomen abbatis; numerus Martyrum; tyrannus.

20 *Idem auctor capite præcedente observat, gloriosæ hujus turmæ ducem et abbatem a recentioribus nonnullis appellari* Sanctium, *quod ita nuncupatum invenissent in vetustis Breviariis ac Martyrologiis:* Apud Caradignam tamen, *inquit,* constanter inditum ipsi fuit nomen Stephani, quod
B ipsum illi tribuit antiquum ejusdem cœnobii Breviarium. Creditur vero, nomen Sanctii patronymicum esse. *De numero* Martyrum *nulla est controversia; nisi quod is Moralio visus est major, quam ut solos istius monasterii Religiosos credi posset esse complexus: quocirca ducentos illos Monachos partim Caradignenses fuisse statuit, partim alios, qui tum istuc e vicinis cœnobiis vel perfugii vel consilii captandi causa confluxissent. Verum huic ejus et sequacium conjecturæ refragatur inscriptio data superius num. 4; item vetera testimonia num. 12 recitata; deinde constat ex Berganzio part. 1, lib. 3, cap. 10, pag. 221, restituti post hanc stragem cœnobii Caradignensis alumnos omnino ducentos fuisse; quidni ergo totidem ante ruinam aluisse credatur? Nomen tyranni varie scribitur, alibi Zepha, alibi Azepha, alibi Zapha. Proprium illud vulgo hactenus reputatum, donec Berganzio nuper videri cœpit appellativum et Mauricorum exercituum supremis ducibus commune propter officium; unde existimat, ea voce designari Almundarium, Mahomedis*
C *Cordubensium tyranni filium; sed hæc aliaque parum certa mittentes, ad ea properamus, quæ ut minus ambigua, sic ad* Martyrum *horum gloriam illustriora sine dubio videbuntur.*

§ III. Miracula quædam.

Miracula vetera multa; sed pauca sigillatim nota:

P*rodigia* Martyrum *eorumdem patrocinio frequentia jam olim contigisse, ex Chronico Alphonsi Sapientis probat Ciaconius cap. 21; idem ait Berganza part. 1, lib. 2, cap. 10, manifeste colligi ex multitudine donationum privilegiorumque, olim a regibus, principibus, nobilibus, privatis in hoc sanctuarium collatorum: fatentur ambo tamen, paucissimorum ex iis distinctam ad se pervenisse notitiam. Celeberrimum apud omnes est anniversarium illud, de quo actum est antea num. 3 et 18, quodque desiisse demum cum eversione Saracenicæ apud Hispanos tyrannidis sub annum Christi 1492, Berganzius autumat ibidem cap. 9, num. 104. Huic alterum subjicitur ab auctoribus variis, ut Ciaconio cap. 14, Sandovallio in Monasterio Caradignensi § 3, Yepesio Centur. 4, fol. 41, aliisque, de abbate, nescio quo, ejusdem cœnobii defuncto, et ob eximias virtutes et singularem, dum vixerat, erga hos* Martyres *pietatis affectum digno ab omnibus habito, qui proximo* Martyribus *loco conderetur. Sed aliter Deo visum: corpus enim ejus ibi pridie sepultum, postridie terra rejecit; idque semel et iterum, donec inde destinato abbatibus tumulo illatum, quievit. Tertium, priori non multum absimile, solus, quod sciam, commemorat Berganzius part. 1, pag. 143, in hunc sensum: obierat forte in monasterio Caradignæ abbas quidam Silensis; cui visum fuit sepulturæ locum dare in extremitate istius lateris claustralis, in quo* Martyrum *pignora quiescebant. Verum, ecce, humus ibidem vix refodi cœpta, tantum effundere cœpit aquæ, ut et claustrum inundatura brevi videretur, et monachos a proposito deterreret; ut qui ex hoc prodigio satis intelligerent, Deo id curæ esse, ne consecrata tot* Martyrum *lipsanis area, alterius cujuscunque cadaveris societatem unquam admitteret. Hæc ante Bullam Clementis PP. VIII.*

AUCTORE P. B.

recentiora sunt, sanatio moribundæ vel mortuæ suscitatio an. 1604,

22 *Atque post illam, seculo decimo septimo, acciderunt, jussu reverendissimi Generalis in librum peculiarem accurate relata sunt; unde ea Berganzius transtulit ad Historiam suam part. 1, lib. 2, cap. 9 ac 10; quorum en tibi Latinam epitomen, et fidelem et ad ordinem temporis,* E *quo singula contigere, redactam. Anno Christi 1604 cum P. Fr. Antonius Ordonez per oppidum S. Stephani de Gormaz (in Castella Veteri juxta Durium amnem) iter haberet, multaque in hospitio de nupera* Martyrum *Caradignensium solemnitate narraret, sic erga eos affecit hospitem suam Catharinam Gonçalez; ut coactus quodammodo fuerit, ex eorum reliquiis, quas apud se gerebat, decerptam ipsi particulam ante discessum relinquere. Pauci post hæc dies abierant, cum vicina Catharinæ, Maria Pastor, gravi morbo et paroxysmo tam violento correpta est, ut per horas plures mortua crederetur, et jam corpus ejus ad exsequias comparari juberet maritus. Hoc illa ut audit, id maxime dolens, quod misella supremis Ecclesiæ præsidiis ad æternitatem instructa non fuisset, advolat continuo cum reliquiis suis; easque capiti Mariæ imponens, conjugem ipsius orat, ut ibi depositas tantisper patiatur: spem enim omnino sibi facere* Martyres *Caradignenses, brevi* F *fore ut Maria vel ad pristinam redeat valetudinem, vel saltem extremis Ecclesiæ Sacramentis rite muniatur. Res mira! Post paulum quæ mortua jam aut erat aut putabatur, ad se redit; loquitur; narrat, modo in somnio sibi visam e cœlo descendere pyxidem reliquiarum atque in suo capite collocari. Ad hæc assistentes, id quod Catharina fecisset, edicere; ejus nimirum illam fuisse pyxidem, reliquiis Caradignensibus instructam: tum vero Maria hisce se* Martyribus *enixe commendare, ac brevi sana prorsus valensque consurgere. Hujus porro rei testimonium juridicum ac publicum coram Andrea Lopez de Calle confectum est,* cujus exemplar authenticum in archivo nostro, *ait Berganza,* servatur.

item alia duorum conjugum, 1609,

23 *Anno 1609, die* XXV *Januarii Caradignam ex voto venit eques nobilis, Antonius de Melgosa, adducto secum Francisco Lopez, notario publico Burgensi, cujus instrumento legitimo hæc duo testatus est: primo, conjugem suam, Elisabetham de Medina et Guzman, depositam a medicis, et absque ullo, qui quidem observari posset, arteriarum pulsu decubuisse, quando ei ipse reliquias, quas habebat,* Martyrum *nostrorum applicuerit: postridie vero mane usque eo convaluisse illam, ut acciti medici, pulsumque tentan-*

AUCTORE P. B.

tentantes, profiterentur, id cœlesti prodigio adscribendum esse; neque enim sibi videri ullo naturali modo fieri potuisse, ut adhuc viveret. Secundo, se quoque ipsum deinde in morbum adeo gravem incidisse, ut intra tertium diem desperatus a medicis, ex Ecclesiæ prescripto morientium Sacramenta perceperit: ac tum demum sibi in mentem venisse remedium, quod uxori nuper ipse tam feliciter adhibuisset; easdem ergo reliquias expetisse sese, atque in manus accepisse, et ita Martyrum *illorum opem simul implorasse, simul sensisse paulatim, ac tandem omnino restitutum obstrinxisse se voto, quod nunc exsolveret, adeundi suppliciter Caradignense sacrarium ad meritas* Martyribus *sibi tam sospitalibus gratias persolvendas.*

aliæ plures, an. 1612.

24 *Anno 1612, die* XXIV *Aprilis ibidem ex voto comparuere Martinus de Olivares simul cum uxore sua Joanna Cortes, et una filiarum suarum. Has ambas malum invaserat immedicabile: quare post exhaustam, absque ullo emolumento, medicorum et chirurgorum industriam, votum* B *edidit utraque visitandi sanctuarii Caradignensis, ibique per dies novem continuos supplicationis ergo subsistendi. Vix emiserant votum, cum ambæ et valuere, et, quod promiserant, implevere. Ex hoc prodigio natum est aliud: hujus enim fama Burgos oberrans, fiduciam accendit Joannis Bravi, ejusdem urbis procuratoris, ejusque conjugis Marianæ de Asperilla, qui puellam genuerant ab utero claudam. Hanc ergo Hieronymo Bravo obtulere ad* Martyres *Caradignenses devehendam: suscepit hic; advexit; Sacrum ibidem celebrandum curavit; interfuit clauda; eoque finito, ita cœpit incedere, uti si nunquam claudicasset, integerrime sanata die* VI *Maii ejusdem anni 1612. Eodem anno, die* XII *Junii,* Martyres *equo vectus inviserat Lucas de Zaldivia, Burgensis faber argentarius, una cum uxore, Mariana de Albear. Dum inde domum redeunt per viam acclivem, ita sese equus erexit, ut et equitem supinum excuteret, et illum insuper revolutus opprimeret. Afflicta* Martyres *inclamat uxor; accurrit populus, et gravi pondere gementem eximit: at Lucas nulla parte se læsum admiratus, ad* Martyres *cum ardentissima pietate* C *recurrit; eo solum hunc sibi casum accidisse ratus, quod eosdem ante non illo, quo decuerat, animo comparatus adisset.*

Duo moribundi, an mortui, subito sani an. 1613:

25 *Laurentium Gallum, incolam loci, quem vulgus appellat Cardena Ximeno, eo morbus adduxerat, ut nulla jam amplius vitæ præberet indicia; quando illum uxor et vicini* Martyribus *nostris commendavere, Caradignam simul aliquem delegantes, qui ad eorum aram sacrosanctam curaret Hostiam litari. Is ubi redux ad Galli lectulum accedit, exclamat hic subito familiarissima Hispanis formula:* Deus me juvet! * Unde venio? *Et junctis illico manibus sanctos invocans* Martyres, *continuo surrexit sanus omnino ac vegetus. Idem etiam ejus filio accidit. Unde mox Caradignam adiens die* XXIV *Decembris, anno 1613, bina secum attulit lintea, utriusque videlicet cadaveribus involvendis modo parata, eaque in* Martyrum *oratorio ad æternam rei memoriam deposuit. Subjunguntur hic tria miracula sine anno apposito, credo, quia sub idem tempus evenere. Sunt autem hæc:*

* Valga me Dios!

extincta incendia:

26 *Acceperat a fratre suo, monacho Caradignensi, particulam de reliquiis horum* Martyrum *Petrus Ruiz de Santillana; hanc imposuit capsulæ, capsulam vero ipsam arcæ majori, cui et lumen apposuit, abiturus in agrum cum tota familia:* D *inde porro domum reversus, arcam deprehendit apposita flammula correptam fuisse absumptamque cum omnibus, quæ inerant, præter solam, quam dixi, capsulam, cujus extrema tantummodo superficie tantillum adusta, ultro sese ignis exstinxerat. Quod ille oppido demiratus, capsulam reverenter accepit, et ad cœnobium Caradignense contendens, integram, ut erat, fratri et monachis contemplandam exhibuit. Sed hoc miraculo illustriora, utpote publica, fuere alia duo, quorum alterum contigit Flavionaviæ (vulgo Sant' Ander) in Cantabria, alterum Mirandæ, Ibericæ (Hispanice Miranda de Ebro) in Castella Veteri. Eodem scilicet utrobique die septimo Augusti, quo* Martyres *ducenti per diœcesim Burgensem celebrantur, ingens exarsit incendium; utrobique ad ejus aspectum exanimati cives, et maxime vicini, ac* Martyrum *opem implorantes, votum commune nuncuparunt, semper illum diem se deinceps ut festum ac solemnem observaturos; utrobique subsidentem continuo atque emorientem, sua quasi sponte, flammam admirati sunt.* E

puer illæsus sub rota anno 1616: reliquiæ MM. sanguine tinctæ an. 1617:

27 *Anno 1616 dominus Ludovicus de Salamanca cum domina conjuge et filio octenni Caradignam,* Martyres *veneraturus, rheda petiit. Cum jam inde proxime abessent, filius moræ (ut erat puer) impatiens, gestiensque descendere, dum id facit incautius, ita sub rheda nondum subsistente prolapsus est, ut alteram ejus tibiam corriperet rota posterior; non alio tamen incommodo, quam quod canthi supervoluti indicium appareret in tibia: id quod parentes insigni* Martyrum, *quos impense colebant, acceptum beneficio retulere.*

Anno sequente, cum in sanctuario Martyrum *ossa, Hispalim destinanda, tot effoderentur, quot ad integrum sceletum sufficerent, quædam inter ea reperta sunt sanguineis etiam tum notis aspersa (quod et alias observatum esse, tradit Berganzius, part. 1, lib. 2, cap. 15:) quædam etiam frustra cum tunicæ tum scapularis ex panno nigro crassoque, sed firmo adeo ac tenace coloris, ut aqua fervida, cum eluerentur, neque texturam solverit, neque de pristina tinctura quidquam splendoris ademerit, idque post annos omnino septingentos quadraginta quinque, quibus tam uliginoso fundo, seu luto potius, infossa atque obruta* F *jacuerant: neminem enim alium ibi post* Martyres *conditum unquam fuisse, pro certo habent Caradignenses ex eventu illo duplici, quem supra retulimus, num. 21.*

tela per eandem purpurata an. circiter 1635:

28 *Acceperat illustrissimus dominus Frater Placidus Pacheco, olim Benedictinæ Congregationis in Hispania Generalis, deinde episcopus Gaditanus, at cum res hæc accidit, promotus ad ecclesiam in Extremadura Placentinam anno Christi 1632, in qua et vivere desiit die* V *Octobris, anno 1639; acceperat is, inquam, Caradignæ reliquias* Martyrum *horum notabiles, marchioni del Carpio Cordubæ consignandas; involverat autem illas Burgis telæ candidæ, ad hoc sibi commodatæ a domina Philippa de Haro. Hanc ergo dum evolvit Cordubæ coram ipso marchione ejusque familia, tota jam sanguine purpurata stupefecit omnes. Itaque et hanc sibi una cum reliquiis concedi postulat marchio; sed abnuit antistes; neque enim fas esse, ut alteri cedat, quam illi quæ restituendam commodaverat. Sic Burgos rediit ad Philippam; cujus postmodum testamento legata fuit sacrario Caradignensi; ubi imposita limbo hodieque visitur.*

29 *Anno Christi 1640, die* IV *Februarii, Caradignam venit Lucas Calderon e vicinia Castri*

Xerizii

A *Xeriæ prope Burgos, indicto ibidem Missæ sacrificio gratum in* Martyres *animum exhibiturus; utpote quorum ope per sex dies implorata, sine ullo alio remedio humano, liberatus esset apostemate, quod antea medicorum plurium chirurgorumque artem omnem eluserat.*

sanationes miræ annis 1640 et seqq.

Erat forte in eodem cœnobio D. Petrus de Ocio Gutierrez, peditum Hispanorum centurio, idemque familiaris, ut ibi loquuntur, Sancti Officii (quod munus in Hispania viri nobiles ambiunt,) cum aliquot reliquiæ Martyrum *effoderentur, alio transferendæ; qua occasione particulam et ipse consecutus est cum pauxillo terræ, quæ ossibus tum erutis adhæserat. Dono tam pretioso lætus domum redit (habitabat Calciatæ, vulgo a San Domingo de la Calçada, in Veteri Castella;) ubi intelligit, D. Michaelem, Ducem Stradensem et cognatum suum, vulnerato graviter brachio, ad quod ardentissima febris accesserat, medicorum judicio in præsenti admodum vitæ discrimine versari. Invisit ergo; de* Martyribus, *et allatis modo secum lipsanis narrat; suadet, aquam ut hauriat iis rite* B *intinctis consecratam: intinguntur a D. Josepho, Ducis ipsius fratre et ecclesiæ Calciatensis canonico; æger eam cum fiducia bibit; tantumque eodem illo die profecit, ut redeuntes vespere medici obstupescerent; intra quintum vero diem integerrime convaluit; suo ac fratris nomine subscripto testatus, id miraculo, quantum quidem ambo capere potuissent, esse tribuendum.*

Scripsit idem D. Petrus de Ocio Gutierrez ad cœnobium Caradignense die XXIII *Decembris anno 1656, se hortante, sic a matrona nobili abscessisse prorsus maleficium; sic virum Religiosum Calciatæ in conventu S. Francisci violenta febre liberatum; sic denique infestis plane variolis biennem puerum.*

locus sanctuario contiguus quasi sanguine manans 1674.

30 *Anno 1674, mense Decembri, latus illud claustri novi, quod lateri, in quo* Martyres *quiescunt, contiguum est, per dies multos sudore quodam quasi sanguineo manavit, concurrente ad spectaculum e vicinis circumquaque locis frequenti populo, ipsoque præter alios viros primarios illustrissimo D. Henrico de Peralta et Cardenas, archiepiscopo Burgensi; qui et rei novitate et singulari mentis affectu commotus, cum inde redisset, eodem provisorem suum, theologis non* C *paucis medicisque comitatum, direxit. Theologi omnes, præter duos, locum et liquorem diu atque attente contemplati, hunc censuere non esse naturalem. Medicis experiundi causa visum est colligere defluentis aliquantum humoris ejusdem et in aquam ferventem immittere. Dum id fit, continuo injectus ille liquor coagulatus est; quod spectantes, etiam duo isti, quos dicebam, theologi, miraculum cum cæteris agnovere. Coagulati liquoris pars archiepiscopo concessa: alio, quo madebant, parietes, plurimi linteamina chartasque tingebant; donec ista pars claustri ita tabulis fuit obstructa, ut introspicere quilibet, non tamen ingredi posset; nisi post dies multos, quando ad priorem statum et siccitatem ultro rediit.*

31 *Anno 1675, die* V *Julii ad visitandum idem sacrarium venere D. Josephus de Tosantos Ramirez, beneficiatus Bastidensis, D. Petrus de Salvatierra, cum D. Victore de Tosantos Corcuera, scripto attestantes D. Victorem pestilenti febre varisque liventibus (Tabardillam Hispani vocant) æstuantem, et humanis jam destitutum remediis, Petro et Josepho hortantibus, hausisse aliquantulum aquæ cum insperso Caradignensis* Martyrum *sepulcri pulvere, atque ita statim cœpisse convalescere.*

AUCTORE P. B. reliquæ sanationes miraculosæ

Adduntur hic miracula duo sine temporis charactere, facta in Benedictinarum parthenone, quem appellant S. Salvatoris de Palacios: ubi abbatissa Eleonora de Lerma gravi morbo ad extrema deducta, tertium jam diem cum morte luctata fuerat, cum allatæ tandem ipsi fuerunt Martyrum *nostrorum reliquiæ, ibidem in choro inferiore servatæ: commendat ergo se sanctis Fratribus (ut ibi* Martyres *hi nuncupantur;) et confestim habet meliuscule; exinde mox integram consequitur sanitatem. Ibidem alteri Religiosæ, dum cibos caperet, spina piscis transversa sic fauces præclusit, ut jam jam suffocanda videretur;* E *sed applicitis mox iisdem reliquiis, momento eodem spinam rejecit.* Sed si cætera hujuscemodi prodigia, quæ in archivo consignata reperi, consecter, *inquit hic Berganzius;* similia recensendo, febrium imprimis cum tertianarum cum pestilentium sanationes, et folia multa complenda mihi erunt, et creandum pio lectori tædium.

Ossa sanguine notata hoc seculo.

32 *Et nos igitur hic finem faciemus, ubi id retulerimus, tanquam omnium recentissimum, quod initio capitis decimi ipse de se narrat Berganzius. Ait ergo, inscriptionum ac tabularum veterum inspiciendarum gratia intrasse se Sanctuarium Caradignense una cum reverendissimo P. M. Fr. Joanne Baptista Lardito, Generalis Benedictinorum in Hispania ministri jam tum dignitate, ab anno 1705 usque ad 1709 gesta, defuncto: ac primo quidem admirari ambos cœpisse loci madorem, ut qui se cogeret ad calceos recurrere, quos ad ingressum exuerant; cum tamen ex eodem fundo erui scirent ossa* Martyrum *ita nitida integraque, uti si quantalibet humana industria essent a putredine conservata: deinde reverendissimum illum Patrem tam teneros ibidem animi motus erga* Martyres *percepisse, ut refodi sibi flagitaret partem notabilem reliquiarum, in conventu suo Matritensi S. Martini exponendam; de Brevi autem Apostolico ad id necessario se* F *interea curaturum. Reversus anno sequente Berganzius, locum eumdem ingressus est, ut effossioni dictarum reliquiarum assisteret; viditque in fundo ad mediam tantum ulnam a fossoribus excavato nihil esse nisi lutum: hoc vero etiam usque ad mediam hominis staturam egesto, retegi vidit os unum brachii, tum alterum femoris, ac tandem cranium unum, ab incauto fossore diffractum. Cum autem hæc lipsana eximerentur e luto,* Vidimus, *inquit,* quotquot aderamus monachi, ea variis locis maculas veluti sanguineas referre, quarum una, quæ apparebat in cranio, ad modum palmæ humanæ esset extensa. Depono istud, tanquam testis et spectator.

A

DE S. STAPINO CONF.

J. P.

Episcopo, ut fertur, Carcassonensi in Gallia.

Die VI Augusti. Cultus

Quanquam *Sanctus hic hagiologis admodum ignotus sit; tres tamen potissimum scriptores cultum ejus nos docent: nimirum Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi pag. 584, et 598 editionis anni 1662; Chronicon item historicum episcoporum ac rerum memorabilium ecclesiæ Carcassonensis, auctore Gerardo de Vic, presbytero Canonico, in Supplemento episcoporum ejusdem ecclesiæ, qui, quo vixerint tempore, non indicatur,* ex antiqua, *sicut addit,* serie eorumdem descripta anno MDLII ex antiquiori Martyrologio, quo nunc utitur eadem ecclesia. *Incipit illud Supplementum a* B *pag. 298. Ad hæc, D. Joseph Hieronymus Sementius, Clericus Regularis congregationis Somaschæ, ad Danielem Papebrochium misit libellum Italicum, cui titulus:* Succincta Narratio vitæ ac miraculorum S. Stapini, episcopi Carcassonensis, et protectoris eorum, qui patiuntur infirmitatem podagræ et chiragræ, *Mediolani editum cum hac Superiorum facultate:* Imprimatur. Fr. Michael Pius Torres, sacræ theologiæ magister, et Commissarius S. Officii Mediolani. Jacobus Saita, Canonicus Basilicæ S. Ambrosii pro reverendissimo Capitulo, sede vacante. Arbona pro excellentissimo Senatu. *Tria hæc instrumenta maxime conducent in rem nostram.*

publicus:

2 *Raynaudus pag. 584 hæc scribit:* Omnes hactenus hagiologi hunc sanctum Cœlitem prætermisse videntur. Consignatur festiva ejus memoria VI Augusti. *Ex Narratione Italica pag. 3 habemus, piam erga Sanctum affectionem per multas Europæ civitates diffusam esse. Ad Galliam quod attinet; auctor supra laudatus Chronici Carcassonensis pag. 299 ista memorat:* Ex eadem (antiqua, *uti præmiserat*) traditione surgit beatus Stapinus, qui traditur oriundus ex vico seu oppido C de Dournie, diœcesis Vavrensis: cujus cultus viget a longo tempore in eodem loco, nec non in loco de Ventenac diœcesis Carcassonis; simul in cœmeterio ecclesiæ S. Vincentii Burgi Carcassonis: ubi etiam nunc prostare videmus sacellum seu capellam, quo confluere solita maxima populi multitudo, audituri Sacrum cum Officio Vesperarum, nec non veneraturi reliquias sive leipsana die sexta Augusti, quo die recolitur memoria hujus episcopi. *Castellanus inter adjectos isto die Sanctos ad suum Martyrologium Romanum, annuntiat* In Occitania S. Stapinum *(ad marginem tamen ponitur* Agapetus) tanquam episcopum in ista regione honoratum in duabus ecclesiis ei synonymis. *Quæ ex citato Chronico retuli, sic confirmo ex Italica Narratione.*

ac beneficia podagricis collata in Gallia,

3 *Illustrissimus Joannes Vincentius de Tulles episcopus Vavrensis (vulgo de Lavaur in Occitania superiore) authenticum propria manu testimonium die* XXVII *Junii anno 1663 in Castres (an hic* in Castro S. Izerii, *quia illud invenio in dicto episcopatu?) signavit, qua fidem facit, quod in parochia* de Dornie *suæ diœcesis inveniatur sacellum ad radices montis cum titulo* S. Stapini, *invocati et in veneratione habiti a continua frequentia personarum, quæ pie erga eum afficiuntur, tam sanis quam infirmis; ab iis præsertim, qui arthritide laborant, nec non aliis doloribus calidis ac frigidis; et qui inde redeunt, laudantes Deum, quod* S. Stapini *intercessione, sanitatem recuperarint, teste Italica Narratione a pag. 15. Indidem etiam discimus pag. 17, quod amplissimus D. de Silvacane, illustrissimi D. Caroli Francisci d'Anglure de Bourlemont, (de quo nova editio Galliæ Christianæ inter episcopos Castrenses agit tom. I, col. 78) simile testimonium manu propria dederit Castri, die 2 Junii anno 1663.*

4 *Eadem pag. 17 et sequenti narratur, ab ecclesia cathedrali Carcassonensi celebrari die* VI *Augusti festum* S. Stapini, *tanquam episcopi ac confessoris; in claustro ejusdem cathedralis capellam existere, in honorem Sancti erectam; in qua* E *sit ejus statua in habitu pontificali, prout depictus conspicitur in sacello Dorniensi; ubi magna cum veneratione unum ex ossibus ejus asservari, ejusque partem concessam fuisse pago cuidam vicino, nomine Veutenac (forte Ventenac, ut supra) refertur, nec non in utroque isto loco continua per Sancti intercessionem sequi miracula. Citata Narratio pag. 18 affirmat, in multis aliis Galliæ locis multa conspici sacella, sub ipsius nomine dedicata; ac determinate in urbe Lugdunensi in ecclesia PP. Augustinianorum excalceatorum, ad suburbium vel vicum Crucis Rubræ: ubi præter sacellum, erecta sit etiam congregatio ex utroque sexu, erga* S. Stapinum *pie devoto: cui Alexander PP. VII multas concesserit indulgentias, prout apparet e Brevi, quod Romæ ab eo datum esse anno 1671*, in dicta Narratione Italica legitur pag. 19.* *referuntur.*

** f. 1661*

Quid Mediolani.

5 *Auctor istius Narrationis in sua ante eam præfatiuncula affirmat,* S. Stapino *erectum esse altare Mediolani in æde sacra S. Mariæ Secretæ RR. PP. Somaschorum, ibidemque quotannis ejusdem Sancti festum recoli solemni cum pompa. Quin* F *imo non ibi duntaxat, sed alibi insuper in Italia ipsum celebrari, affirmant litteræ Sementii, supra memorati, quas inter schedas nostras ante me habeo, quando in illis sic scribit:* Quem nunc in Italia, præcipue Mediolani, podagra laborantes celebrant, implorantque. *De Germania ac Belgio vide inferius.*

Formula Sanctum invocandi contra podagram.

6 *Apud Raynaudum pag. 598 exstat sequens religiosæ invocationis monumentum, hoc titulo:* Oratio devotissima ad S. Stapinum contra incurabilem morbum podagræ quotidie dicenda. *Hanc sequitur Antiphona:*

Sancte Stapine, Christi confessor atque episcope, fulgens virtutibus,
Ad Deum funde preces pro te invocantibus,
Ne vexemur morbo podagræ pro nostris reatibus;
Sed sani et incolumes vivere valeamus in hac vili vita tuis intercessionibus.
Et post hujus vitæ finem tecum in cœlestibus
Collocari mereamur in supernis sedibus. Amen.
℣. Ora pro nobis, beate Stapine,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui ad preces gloriosissimi confessoris atque pontificis Stapini erigis elisos, et ab omni dolore podagræ, chira-

A chiragræ etc. reddis liberatos et sanos: concede nobis precantibus, ut non secundum iniquitates nostras retribuas nobis; sed meritis et intercessionibus gloriosissimi confessoris atque pontificis Stapini, ab omni vexatione podagræ, et ab omnibus malis liberemur. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Alia dantur,

7 *Nec vero sterilem eorum qui cum malis hujusmodi conflictantur, istius Sancti invocationem voluit esse Dominus; sed ad illa depellenda valde efficacem. Nam, referente ibidem Raynaudo,* recentia non desunt in principis Palatinæ eleemosynarii primarii sedatis doloribus, hujus sancti Antistitis miracula; qui nuper ad sacellum Tolosam inter et Castrum huic Cœliti dicatum peregrinatus est: hospitique suo ad Tolosam Sancti hujus indicato præsidio, eum pariter cœlestis remedii participem fecit, longoque podagræ tormento solutum gratulatus est. Sanctimonialis in Germania cele- B bris, ex antiquis monumentis sequentem orationem, pium eleemosynarium docuerat; *quam jamjam dedi.*

e quibus comprobatur

8 *Narratio Italica a pag. 19 de miraculis agens, ex narratione sacerdotis, qui Dorniensi Sancti sacello operam navabat, recenset, a Domina quadam præcipua regionis, parvulam, quam habebat, filiam tali modo membrorum usu captam, ut nec brachia, nec crura movere posset,* S. Stapino *commendatam fuisse, edito voto, se, filia sanitati restituta, tot libras ceræ ad ejus altare allaturam esse, quot penderet infans; nec mora, illam, interposita voti religione, brachia movere cœpisse, et impleta ad aram ceræ oblatione, eodem ipso temporis instanti gavisam esse officio pedum, ac libero incessu, quo etiam postea uti perrexerit.*

Quædam prædictæ infantis consanguinea, in territorio Biterrensi ad metam vitæ adducta, ac monita a sua sorore, ut memor esset gratiæ, quam S. Stapini *intercessione acceperat earum cognata, induxit illam, ut simul voto se obligarent Sancto; quod adimplere promisit ea, quæ sana erat. Quo vix facto, infirma pristinæ sanitati fuit restituta: hinc* C *læta una, uti et altera Dorniam se contulerunt, ac promissi Sancto præstiti fidem liberarunt. Hæc e memorata Narratione desumpsi: quibus accedunt sequentia ex auctore Chronici Carcassonensis citato, pag. 300.*

patrocinium ejus

9 Significatum nobis, *ait*, a reverendo P. Josepho de Castel Sarrasin, custode, quem Gardianum vulgus nuncupat, Conventus Fratrum Capucinorum civitatis Carcassonis, se accepisse media epistola a R. P. Leonardo de Paris, similiter Gardiano vel Custode Fratrum Capucinorum alterius ex tribus Congregationibus recurrentibus Lutetiæ Parisiorum, venerabilem sacerdotem Canonicum ecclesiæ Noviodunensis sibi asseruisse, nec tantum chiragræ et podagræ dolores, verum et cruciatus vix tolerandos se alias pertulisse; attamen abhinc tribus vel quatuor annis se maxime levatum hujus ægritudinis onere, postquam singulis diebus Antiphonam cum oratione S. Stapini recitare solitus, cum voto ædificandi sacelli nomine ipsius præscripto. Quod ubi brevi perfecerit, sperat canonicus, se penitus liberatum iri hac omni molestia. Hæc voluimus addidisse, quo firmius constet, preces S. Stapini gratissimas Deo, concedenti levamen imo et valetudinem integram ex hoc morbo: uti quotidie auditur ex multis partibus Ecclesiæ Catholicæ. *Hæc ibi de Gallia.*

Auctore J. P.

adversus eumdem morbum.

10 *Præmiserat idem auctor ibidem ista de Germania pag. 299:* In quibusdam partibus Germaniæ viget ejusdem Sancti cultus nescio qua die, in quibus prædicatur episcopus Carcassonensis, sicuti accepimus a quibusdam ex venerabilibus presbyteris Societatis Jesu, qui nobis asseruere, gratissimas Deo Stapini preces, quando petitur levamen affectorum podagra vel chiragra, sicuti constat de levamine quorumdam. *Quin etiam Sancti nostri patrocinium ad usque nostri Belgii territorium Namurcense sese extendisse, ex litteris suspicarer, die* XX *Septembris 1689 ad P. Danielem Papebrochium Namurco datis; nam earum scriptor, bis se fuisse affirmat in loco, in quo honoratur* S. Photinus *alias* Stamp; *nihil tamen sese certi didicisse addit circa Sanctum istum: pagi d'Anchée, ubi honoratur, seniores credere, quod* E *reliquiæ ablatæ sint a Gallis: magnum concursum esse feminarum, quæ infantes, usu pedum privatos, ad sacellum deferunt. Suspicarer, inquam, hæc intelligenda esse de* S. Stapino *nostro, etsi aliter ibi nomen scribatur; si debita adessent suspicandi fundamenta.*

Incerta et obscura ipsius gesta.

11 *In obscura admodum ignoratione versantur gesta Sancti, quem narratio Italica pag. 5 episcopum Carcassonensem facit; addens, Gallum fuisse; sed quo loco in lucem prodierit, et quibus parentibus, non esse exploratum. De vita ejus solitaria in monte quodam non procul a loco Dorniensi agit pag. 7; de populi ad eum confluxu pag. 9; de didita per vicinas regiones fama ipsius pag. 10. Deinde narrat, quomodo ad cathedram Carcassonensem e spelunca sua a Clero ejusdem civitatis, applaudentibus civibus aliis, sit accersitus: sacrumque hoc munus ex divina revelatione et imperio eum acceptasse, ac meritis exornasse scribit; sed adeo confuse; ut nec nota temporis, nec nomen decessoris ullibi appareant. Ejusdem generis sunt. quæ pag. 17 habet de corpore, quod supponitur, ait sepultum in cathedrali Carcassonensi. At si quæras, quando, a quo, quo teste; altum* F *est silentium. Raynaudo pag. 584 citata* S. Stapinus Castrensis in Septimania episcopus *fuit; sed qua veri specie? Nam cum primus Castrensis antistes sit creatus anno 1317, ex Gallia Christiana apud Sammarthanos; quomodo fieri potest, ut, si* S. Stapinus *noster locum inter eos habere debeat, adeo manserit ignotus? At neque inter Carcassonenses ibidem invenio* S. Stapinum. *Quod si ex traditione longæva istius ecclesiæ, secundum id, quod dictum est supra num. 2 ex Supplemento ibidem allegato, rem confici velis; erunt sine dubio, qui desiderent, eam probari traditionem documento aliquo antiquo ac bonæ notæ. Denique dum auctor Narrationis Italicæ pag. 19 scribit, proferri a se ea, quæ accipi potuere e monumentis ecclesiæ Carcassonensis, et ex longa traditione populi vicini; redibit difficultas cum circa rem, quam modo tangebam, tum circa alia ejus gesta non habebunt eruditi, in quo satis secure acquiescant.*

A

DE B. GEZZELINO SEU GITZELINO CONFESSORE

Slebusrodæ apud Coloniam Agrippinam

J. P.

DIE VI AUGUSTI. *Publicus cultus*

Colonia Agrippina, tot sacrorum pignorum, quæ apud se religiosissime asservat, celeberrimum longe lateque hierogazophylacium, in suo territorio ecclesiam habet parœcialem, vulgo Schlebuschrath vel Slebusrode, Beati nostri cultu et exuviis spectabilem. De cultu sic loquitur Grevenus hac die VI Augusti : Beatæ memoriæ Gezelini confessoris, in Slebusrode Ducatus Montensis quiescentis. *Consentit Martyrologium* B *sub nomine Canisii citari solitum. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii eadem die beatum nostrum Confessorem ita annuntiat :* Slebusrodæ apud Coloniam Agrippinam memoria beati Gitzelini, qui invocatur adversus morbum pustularum et morbillorum, et in capella vulgo dicta sint Gisle Capelchin, sub altari magnum fontem habet, languentibus salutarem. Pingitur cum galero pastorali, et duobus porcis. Fuit enim subulcus. Qui cum quodam tempore vellet visitare ecclesiam B. Mariæ Aquisgrani, fertur pecora sua Domino Jesu commendasse, eoque absente convicaneos conspexisse aliquem, qui in ejus specie absentis vices suppleret. Sed hæc ad Coloniensem pertinent ecclesiam : *quibus distinguas Beatum hunc a B. Schetzelone, qui ad Luxemburgenses spectat, et cum illo a nonnullis confunditur, videlicet a Molano in additionibus ad suum Usuardum hac die, qua sic dicit :* Beatæ memoriæ Gezelini confessoris, qui quiescit in Ducatu Montensi, *additque in notis,* Gezelini Vitam scripsit Archardus, discipulus S. Bernardi : *a Wione in Ligno vitæ tom. II pag. 263, dum cum ita annuntiat :* In Ducatu Montensi, beati Gezelini monachi, et confess. Ord. Cisterciensis, C *et in notis citat additiones Molani, et eumdem, quem ille, Vitæ auctorem : a Ferrario denique in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, his verbis eum referente :* Slesbusrodæ apud Coloniam B. Gezelini monachi Cistertiensis, *et eumdem in notis Vitæ scriptorem allegat. Probatur autem ex iis, quæ hac eadem die scribemus de Schetzelone Luxemburgensi, a tribus dictis hagiologis hunc Beatum cum Montensi seu Slebusrodensi fuisse confusum; ubi etiam expendetur, an is monachus Cisterciensis unquam exstiterit. Eo itaque lectorem mittere placet, ne agendum agamus.*

ex Fastis probatur.

2 *Aliud, quo certiores reddimur de publico hujus Beati cultu, testimonium suggerit Gelenius libro 4 de Coloniæ Agrippinensis magnitudine, inter sacros ac pios Fastos hac item die sic memorans :* Apud Schlebusrode B. Gezzelini eremitæ : cujus fons et memoria frequenti peregrinantium confluxu invisuntur ; sed Acta temporum injuria hominibus perierunt, quæ æterno Retributori nota sunt. Videtur vitæ ejus rigor aliquam habuisse similitudinem cum rigore B. Schetzelonis, Ordinis Cisterciensis Religiosi : unde propter quoque nominis affinitatem, ab aliquibus cum hoc confunditur : sed hujus diversitas deprehenditur in ejusdem Vita apud Benedictum Gononem.

3 *Hanc ego inter Vitas Patrum Occidentis, apud Gononum non reperio; sed Vitam S. Gisleni eremitæ habet, quæ altum omnino Sanctum exhibet. Castellanus adjectis ad suum Martyrologium Romanum eum accenset* Coloniæ *sub nomine* S. Gisisleni *(S. Gisle)* subulci. *Hic etiam meminisse juvat eorum, quæ noster Theodorus Rhay libro suo, qui inscribitur* Animæ illustres Juliæ, Cliviæ, Montium etc. *ad diem VI Augusti de Beato intexuit :* In Montium Ducatu ad Bensbergam arcem in pago Slebus B. Gezzelini anachoretæ : cujus ibidem memoria et fons ejus precibus e terra datus; qui in sacello a perillustri domino Henrico barone de Reuschenbergh Teutonici Ordinis Commend. etc. erecto, frequenti peregrinorum confluxu invisitur, pluribus medicus et salutaris. E

Fons, sacellum.

In notitiis Slebusroda huc missis

4 *Porro in rebus hujus Beati investigandis ulterior a nobis prætermissa opera non fuit; sed litteris interpellavimus P. Antonium Hudigh S. J., provinciæ Rheni inferioris procuratorem, Coloniæ Agrippinæ commorantem; qui indidem die XXVI Maii 1732 officiose respondens, ea quæ accludit in rem nostram, Germanice exarata, manu propria conscripsisse R. D. Pastorem in Schlebuschrath significat, nomine, prout subdit eorum exemplari, Joannem Heimbach, a quadraginta annis eo munere ibidem perfunctum. Sed quoniam scriptum illud non lingua duntaxat Germanica, sed Germanicis etiam characteribus apud nos peregrinis, atque adeo mihi ad fidelem interpretationem Latinam non accommodatis ; expertissimum dominum Ernestum Wipperman, Germanum Salis-Uffleniensem in Comitatu Lippiæ, in hac Antverpiensi urbe medicum practicum juratum, nec non hujus domus nostræ Professæ medicum primarium, hanc rogavi et obtinui. Itaque, quæ perhumaniter* F *petitioni meæ faciendo satis transtulit, iis utemur, in hanc a Viro sententiam redditis, qua illa huc transcribemus sub nomine notitiarum Slebusrodensium.*

Beatus hic Slebusrodensis

5 *Postquam igitur laudatus Heimbachius, e scriptoribus Cisterciensibus, nec non Molano, Gelenio ac Rhayo, egisset de* B. Gizzelini *cultu, die* VI *hujus celebrati, subdit,* Per totum S. Ordinem Cisterciensem hoc festum tali die celebrari. *Habemus in nostro Museo Antverpiensi folium expansum, et anno 1620 Bruxellæ editum hoc titulo :* Kalendarium Sanctorum ac Beatorum maxime illustrium ex Ordine Cisterciensi, mensium ac dierum serie digestum ; *in quo prædicta die signatur* B. Iezelinus eremita in Alemania ; *ast hunc non esse Slebusrodensem seu Montensem ; sed Luxemburgensem, qui in dictis notitiis etiam cum Slebusrodensi perperam confunditur; videtur abunde confici e Commentario Actis B. Schetzelonis prævio, quem paulo post exhibebimus. Confusio autem ista unius cum altero in notitiis Slebusrodensibus facta perspicue ostenditur ex earum contextu, e quo delibo sequentia :* Supra memoratus B. Gezzelinus a Deo per specialem modum ad perfectionem est adductus in juvenili ætate. Speluncas, silvas et campos territorii Montensis in palæstram contra

tra

A tra carnem, mundum et diabolum elegit. Cibus ei non fuit alius quam herbæ et radices: potus erat aqua: vestimenta (siquidem talia nominari mereantur) nihil erant præter lacera frusta. Tali modo per quatuordecim annos seminudus montes et valles in frigore et calore pervadebat: et mirabilem quidem, sed vix imitabilem vitam duxit. Fama ipsius sanctitatis tam longe dispersa fuit, ut B. P. Bernardus abbas in Clara valle ipsi non solummodo vestem dederit, sed etiam... suum proprium habitum ad eum miserit; *ex Menologio Cisterciensi, quod citatur, Chrysostomi Henriquez.*

cum alio Luxemburgensi confusus:

6. *Sequitur deinde in notitiis Slebusrodensibus, quod* B. Gizzelinus *maximo flagraverit desiderio invisendi imaginem Deiparæ Aquisgranensis; quodque voti sui factus compos non fuerit propter gregem a suis superioribus spiritualibus sibi commissum; sed quod, dum suo bono pastori Christo Jesu eum commendasset, iter Aquisgranum versus inceperit, ibique summa cum devotione Deiparam honorarit, illa sine dubio, uti sequitur, vel Angelo pastoritii ejus officii vices supplente etc.* B *Consule dicta superius num. 1.* Id contigit, *si iisdem notitiis credimus,* prope Slebusrodam pagum non longe distantem a Mulhemio. Noster itaque B. Gizzelinus fuit frater laicus et conversus Cisterciensis, qui olim in pagis et villis varia œconomica peregit: sicuti videri potest ex perantiquis abbatiæ Altenbergensis reservatis Mss. *Hæc ibi. Verum qualiacunque sint illa Mss. quæ hic nominantur duntaxat, et qualibuscunque vitæ professione ac officio* Gizzelinus *perfunctus fuerit; de qua re velim et discere et alios docere certiora; clarissimum est e textu modo allegato,* B. Gezzelinum *Slebusrodensem et Schetzelonem Luxemburgensem confundi, si hujus Vitam uti et Commentarium nostrum eidem præfixum conferas cum his, quæ de isto superius jam narrata sunt. Per abbatiam vero Altenburgensem modo nominatam designatur sine dubio Vetus-mons vulgo Aldenberg in Ducatu Montensi ad fluvium Duna, quæ notatur apud Gasparem Jongelinum in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib. 2 pag. 13, in diœcesi Coloniensi; de qua ibidem plura.*

AUCTORE J. P.

cujus cultus cum olim propagatus, tum nunc etiamnum perseverat.

7 *Sæpe dictæ notitiæ præterea referunt, ultimam Beati voluntatem præ magna et illi consueta animi submissione fuisse, ut corpus suum vita functum sepeliretur sub tecti stillicidio; quam ipsius voluntatem aliquo modo impletam fuisse, idque in supra memorata ecclesia parœciali Slebusrodensi, e verosimili conjectura notitiæ eædem volunt:* ubi corpus non solummodo sub quadam affixa appendice istius ecclesiæ *(seu quodam sacello, uti ego quidem intelligo ex sequentibus, isti ecclesiæ annexo)* in latere chori, in aliquo decorato et suspenso clathro, et in lapideo et dealbato sepulcro inhumatum jacet; sed etiam in antro prædicti sepulcri quadratum foramen videre est, ex quo vicinis et remote adventitiis populis omni tempore corpus tangentibus fit ex ipso attactu omnium dolorum capitis levamen; et non aliter, quam per specialem gratiam Dei, et suprema merita ejus pii Servi, ad summam admirationem E omnium, exoptatum effectum obtinent; sicut olim ægroti per attactum umbræ S. Petri, Principis Apostolorum. Et hoc miraculum confirmatur per perantiquam, in supra memorata ecclesia reperibilem, originalem imaginem, in vero habitu Conversi sive laici Cisterciensis Ordinis, *in qua Beatus* una manu portans oviculam, altera autem pedum pastorale, repræsentatur: quam vicini ex Slebisch et Slebusroda olim in summa veneratione habuerunt, et tam in festo Beati, quam aliis festis summa cum devotione circumtulerunt: sicuti etiam in supra nominata appendice ad gloriam ipsius exstructum est altare, in quo quotidiana Missa celebratur per ordinatum sacerdotem cum illuminatione sepulcri. *Hisce subjunguntur indulgentiæ omnium peccatorum, die* VI *Augusti lucrandæ, ad quas harum notitiarum scriptor fideles hortatur; et in cujus fide hæc dicta sunto.*

DE S. CHREMETE ABB. CONFESS.

C

IN SICILIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Cultus et gesta.

MCXVI. *Ceteris ignotus.*

H*ic Sanctum damus, ut antehac alios, in fide nostri Octavii Caietani, ex Opere ejus notissimo de Vitis Sanctorum Siculorum: neque enim alibi aut gesta* B. Chremetis *aut cultum nos reperisse ultro fatemur, præterquam in Catalogo generali Ferrarii, ubi ita hoc die annuntiatur:* Apud Castrum Leonis in Sicilia, B. Chremetis abbatis Ord. S. Basilii. *Quod Martyrologium Siculum, ut ipse vocat, consuluerit, nescio: in Pantheo nostri Carreræ acceptus est ex ipso Caietano. Hic porro requisitis omnibus sic nos instruxit et docuit, ut secure* Chremetem ut eximium Christi athletam *in nostro hoc Opere consignemus. Animadversiones ejus hic expendere juverit, ex quibus id primum observabis; errasse laudatum Ferrarium, dum rotunde asseruit,* Vitam ejus manuscriptam in monasterio S. Salvatoris apud prædictum Castrum servari. *Ipsum Caietanum de monumentis omnibus ad Sanctum spectantibus melius edoctum, audiamus:*

2 D. Chremetis monachorum parentis celebre nomen in oppido Francavillæ et adjacente regione; sed ab alumnis ejus nullis esse commendatum monumentis, indignum fuit. Itaque temporum injuriis intercedendum ratus, quod sanctissimi Viri famæ superest, opere pretium duxi scribere, bono posteritatis. Hanc igitur S. Chremetis Vitam ex iis composuimus quæ per manus a majoribus nostris de eo accepimus, totoque oppido Francavilla, quod monasterio Chremetiano proximum, nota rataque habentur. Hujus sane antiqui monasterii ædificium adhuc manet, nomine sanctissimi Servatoris de Placa insignitum; exstantque in eo monumenta quædam ævi Rogeriani monachorum, Ritua-

Caietano

AUCTORE J. B. S.

Rituales libri ad divinum cultum, Græcique codices manu exarati, quo idiomate antiquis temporibus utebantur. Præterea capitis cranium S. Barbaræ, brachii S. Ursulæ radius et integrum caput D. Chremetis, Græcis characteribus hoc modo inscriptis: CAPUT B. CHREMETIS.

acceptus refertur.

3 Porro Chremetis sanctissimi abbatis caput, summa pietate servatum eadem in æde, maximaque celebritate illius regionis homines venerantur, præsertim VIII Idus Augusti, festo die Transfigurationis Domini nostri Servatoris, cujus nomini ecclesia dedicata est, in altari ad venerationem exponitur: oppidani vero D. Chremetem patronum habent ac reverentur. *Atque hæc ad vetusti constantisque cultus probationem abunde sufficiunt; gesta ejus non minori diligentia describuntur. Cæterum quæ ad Rogerii donationem spectant ejusque instrumentum, ex Græco non satis feliciter versum, hic pluribus memoranda non censuimus: satis nobis sit Vitam ipsam subjungere.*

B

VITA

Auctore Octavio Caietano.

Chremes humana omnia abjicit.

Chremes, sane eximius Christi athleta, extremis temporibus fuit, quibus Sarraceni in insula Sicilia dominabantur. Patria, parentes, ejusque prima ætatis exordia, adhuc ignorata a me sunt. Grandis jam natu, cum Dei sese officiis devovere cuperet, ut id assequi commodius posset, abjiciens humanas omnes curas, ordinaria eorum impedimenta, qui ad pietatem grassari contendunt, desertum locum, neque dum celebrem, palæstram suam delegit. Quem prope locum Francavilla oppidum, longo post tempore, conditum est. Immanis hic vastæque magnitudinis attollitur rupes undequaque prærupta, uno tantum aditu ab occidente. Arduam hanc rupem, ab omni humano cultu alienam, Chremes sibi domicilium voluit, ubi gratiarum stipendia, summo Numini, ob accepta beneficia, pendens, diu noctuque precibus vacabat, corpus cibi abstinentia vigiliisque et algoribus conflictabat. C

Chremeti Deus obsequentes dat feras animantes.

2 Ea tempestate, dum Rogerius Comes, Sarracenos bello persequens, Siciliam obiret, rupem præteriit, qua super cœlestem vitam Chremes agebat. Qui simul atque id accepit, caritatis pretium esse existimavit, si tanto Duci Christiana de re, ac maxime Sicula, benemerenti, obviam iret, adeptas de Christi hostibus victorias gratulaturus: insuper pium Comitem quibusdam donaret munusculis, benevolentiæ suæ lætitiæque argumentis, agrestibus illis quidem, sed quæ pietatem apprime redolerent: quippe cum vitam ille degeret ab officiis cultuque humanitatis abhorrentem et a civitatibus semotam, sane difficile negotium erat, inculto in loco adinvenire, quo virum principem muneraret. Quidnam igitur consilii capiat? Ad plenissima Domini sui promptuaria confugit, preces aliquandiu fundit, mox e silva proxima feras animantes, quæ hominum esui convenirent, venire ad se in Dei nomine jubet.

Quas vocatas ad se ducit ad Comitem Rogerium.

3 Derepente (res sane dictu incredibilis) diversi generis animalium multitudo e silvis, antrisque (audiisse crederes) viri Dei imperio obtemperans, adfuit. Hujus igitur agminis dux Chremes iter ad Rogerium facit, ad quem ut pervenit: summa animi vultusque demissione et hilari aspectu cum salutasset, rogavit, ut ea, quæ ipse duceret animalia, dono acciperet. Rogerius D militesque in summam adducti admirationem, simul ex tali spectaculo incredibilem voluptatem capiebant. Tum demum Rogerius ex Chremete sciscitatur: Quanam arte, quibusve, obsecro, rationibus, hæ belluæ cicures factæ a te sunt? Postquam accepit, dicto ejus, eodem fere tempore, ex speluncis et nemoribus advocatas, ægre in animum inducere poterat, nec fieri posse existimabat, ut grex ferarum, qua timiditate, qua feritate, natura insita, penitus deposita, mansuefactus de subito sit. Tum Chremes, ut palam Dei virtutem faceret, ad animantes versus; Quando, inquit, vos donum Rogerius dedignatur, abite hinc, liberaque vivendi ratione, ut antea, fruimini. Simul illis benedixit Vir sanctus, pristina loca alacritate maxima petivere. Hæsit miraculi magnitudine Rogerius, statimque equo desiliit, demisseque ad pedes Viri sanctissimi provolutus; Quoniam, inquit, tanti sunt apud Deum preces tuæ, quæso te, ut commendare Deo peccatorem me E velis; enixeque, ut sibi bene precaretur, exposcebat.

Rogerius B. Chremetem reveretur.

4 Ut colloquendi finis fuit, Rogerius inclementem illam rupem, itinere difficili, Chremete duce, conscendit. Inde piissimus Comes, quippe cui sacra ædificia mirum in modum cordi semper fuere, prospectu circum capto (qui in mare est ab oriente, ab occidente in apertos campos usque ad Randarii colles, a meridie in Ætnam, a septentrione in Silvam Placensem) cognita loci opportunitate, monasterium ea exstrui super rupe, optimum duxit, et ad Chremetem, Te Pater, ait, ac monasterium tuum silva agrisque, quæ vides, dono, unde vitam tolerent, qui hunc in locum se receperint, tuæque institutum vitæ consectari voluerint. Dein Rogerius, cum Chremetis se precibus commendasset, accepta ab eo benedictione, discessit. Igitur opibus magni Comitis Rogerii monasterium construi cœptum, perfectumque est. Permulti vero fama Chremetis tracti, humanarum rerum laqueis exsoluti, ad nidulum rupi illi affixum, pietatis studio, convolabant.

Monasterium excitat.

5 At Chremes cum in dies magis magisque familiam crescere animadverteret, et majorum vestigiis esse insistendum recte duceret, antiquam F sanctamque Magni Basilii monachorum parentis, vivendi rationem præceptionesque alumnis præscripsit suis; ipse ut dignitate cæteris, ita exemplo vitæ præibat, omnibus omnium se virtutum exemplar exhibens, quod intuentes, perfectam pietatis imaginem ad se transferrent. Diutius tamen id ferre dæmon haud potuit; cum plane intelligeret, a tot palæstritis, et opera magistri, semet illudi. Igitur insidias per invidiam Chremeti struit; quo sublato, reliquam familiam facile pessumdaret. Forte in eo monasterio quidam erant, qui a primis flagrantibusque vitæ studiis per socordiam dejecti, religiosæque disciplinæ pertæsi, severos Magistri mores non tolerabant. His scelerum instinctor venenum instillat, et impellit tandem, ut austerum ac durum senem perdant, sibique de medio tollant. Ubi concepere animo scelus, persequi statuunt. Condicto die, Chremetem alia omnia cogitantem incautumque adorti, prærupta de rupe præcipitem agunt. Nimirum hoc expetunt homines hujusmodi, qui in virtutum exercitationibus defervescunt, probos rectores, quorum vita curaque illis odio est, subvertere, aut amovere procul, ut cupidinibus se dedant suis.

6 Ve-

A *Ejectus vestigium in rupe imprimit.* 6 Verum ut patrati facinoris, atque divinæ benevolentiæ juxta, posteris monumentum relinqueretur, Chremetis viri sanctissimi vestigium divinitus saxo impressum est, cui primo jactu pedem impingens, in imum solum resiliit. Quod vestigium ad nostram usque ætatem, maxima omnium cum admiratione, tum pietate visitur, qua parte rupes ad septentrionem vergit. At homines nefarii Senem male perdidisse jam rati, suo vecordes malo lætabantur. Verum enimvero Deus, quippe cui suorum salus maximæ curæ est, statim dejectum Chremetem per Angelos suos, quos piis viris administros custodesque pollicitus est, suscipi mandat, et ad radices montis incolumem deponi. Hic mitissimus Vir ne minimum quidem pessimo facinore commotus est; verum fasce lignorum compacto, et in humeros imposito, perinde atque monachorum utilitate eo se contulisset, ad monasterium inturbidus ascendit.

Mira patientia injuriam tolerat. 7 Cum ecce tibi ex improviso, qui malefacto exsultabant, alia omnia exspectantes, venire Chremetem et adesse conspiciunt : qui animo vultuque ad hilaritatem composito, humanitate summa salvere alumnos suos jubet. B Tum vero illi attonitis similes, vix ullam loquendi facultatem habere; nescire, per somnium, an per vigiliam negotium ageretur : neque sane num Chremetis simulacrum, an ipsummet Chremetem viderent, recte dijudicabant. Ubi tandem quo cecidisset res, unaque sanctitatem Hominis cognoverunt, demississime, nec sine lacrymis ad ejus pedes abjecti, facinus confiteri, veniam petere, vel ipsius etiam aspectu indignos se dicere, aliaque hujusmodi, quæ summum animi dolorem indicarent. Collacrymantibus filiis injuriam benignus pater condonat. Mox pacis osculo et benedictione omnibus impertita, in pristinam gratiam recipit, ac peramanter tractavit. AUCTORE J. B. S.

Humari expetit sub gradibus Ecclesiæ. 8 Cæterum emigraturus tandem e vita Chremes, congregatos monachos in primis hortatus est, ut perfecte vivendi studium tantumque negotium magna animi contentione capesserent, et ad extremum usque spiritum retinerent : præcipue mutuum inter ipsos amorem conservarent. Demum eis bene precatus, enixe rogat, obsecratque, ne honorifico sepulcro conderetur, sed pro templi gradibus humarent ; ut quicunque ædem ingrederentur, pedibus proculcarent. Tum puram sanctamque animam Deo commendans, efflavit inter alumnorum suorum complexus et lacrymas. Quam gratum acceptumque Deo fuerit demissionis ejus studium ac exemplum, quod moriens reliquit, miraculo demonstratum est. Nam limpidissimæ aquæ fons e terræ gremio scaturiit, ubi sanctissimum Chremetis corpus depositum fuit, et ad nostram usque ætatem scaturit. E Cujus aquam statim atque pio animi affectu quartana laborantes biberint, pristinam valetudinem adipiscuntur. Beatissimi Chremetis caput, summo cultu servatum VIII Idus Augusti, festo die Christi Domini Servatoris, cui ædes monasterii dedicata est, in ara expositum, maxima celebritate ac pietate illius regionis homines venerantur.

DE B. SCHETZELONE CONFESSORE

IN TERRITORIO LUXEMBURGENSI IN BELGIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS J. P.

Cultus; Beatus cum alio confusus; an fuerit Ordinis Cisterciensis; ætas; annus mortis; translatio corporis; an illud inventum; Acta, et eorum auctor.

C F

ANNO CIRC. MCXXXVIII VEL MCXXXIX. *Cultus sacer in territorio Luxemburgensi,*

Luxemburgum, *ampla et munita Belgii urbs, Ducatus cognominis caput, ad Alizontem amnem, a Theodonis villa, Treveris ac confiniis Lotharingiæ ad aliquot leucarum distantiam dissita, merito jure gloriari potest* B. Schetzelone, *cujus nomen variis modis inflectitur, sicut per decursum patebit : proximum quippe ejusdem urbis territorium incoluit vivus; mortuus autem sacris suis exuviis eamdem illustravit, utroque certe titulo celebrandus. Præter ea, quæ Vitæ ejus scriptor de antiquo ipsius cultu notata reliquit, hæc addo ex hagiologis. In Calendario Natalibus Sanctorum Belgii apud Molanum præfixo, hac die signatur nomen* Scetzelonis vel Gisisleni, Luccmburgi. *Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi hæc habet :* In patria Lutzenburgensi beatus Iezelinus eremita, Ordinis Cistertiensis, ad quem divus Bernardus proprium habitum transmisit : vir in diebus suis vere magnus, qui seminudus, et brutorum esca utens, per quatuordecim annos inter montes et nives solus oberravit, et tandem, percepto Dominico corpore, lætantibus Angelis, neminep ræsente, obdormivit in Domino, et post mortem multis miraculis claruit. *Kalendarium Cisterciense assignavimus hac die inter ea, quæ de B. Gizzelino Slebusrodensi dicta sunt : ubi de confusione Molani, Wionis ac Ferrarii actum. In similem etiam errorem impegit Chalemotus, quando in sua Serie Sanctorum etc. Ordinis Cisterciensis,* in Luxemburgensi et Ducatu Montensi *Beatum annuntiavit, duos in unum conflando. Molani vero errorem, in additionibus commissum, recte invenio correctum in ejus Natalibus Sanctorum hac die, qua B. Gizzelino Slebusrodensi subnectuntur ista :* Fuit autem alius Gisislenus, quem Scetzelonem nominarunt : cujus depositionis dies ignoratur, memoria tamen ejus apud Lutcemburgenses, Belgis annumeratos, nunquam desinet. *Saussayus postquam Beatum nostrum recte annuntiasset* in tractu Lutzemburgensi, *et quidem cum titulo* Sancti, *elogio mox illum insigni prosequitur ; circa quod consulat lector Vitam infra a nobis recudendam.*

non autem Coloniensi. 2 *Henriquezius in notis ad hunc diem, occasione annuntiationis Wionis, de cujus confusione modo memini, lapsum istum merito castigans,* Corri-

AUCTORE J. P.

Corrigendus, *ait,* hic auctor, quia pro Ducatu Lutzenburgensi scripsit In Ducatu Montensi, secutus Molanum, qui in additionibus ad Usuardum ait : Item beatæ memoriæ Gezelini confessoris, qui quiescit in Ducatu Montensi ; ex similitudine vocis Germanicæ seductus : nam bergh significat montem ; burg vero burgum seu oppidum : unde ipsi pro Lutzenburg legentes Lutzenberg, pro vinciam illam Montensem seu Bergensem Ducatum appellarunt. *Sed ratio ista nullo modo mihi probabilis est : norat utique Molanus, civis ac theologus doctor Lovaniensis illud discrimen, norunt Belgæ : Ducatum Montensem seu Bergensem, si vis, ab civitate Luxemburgensi toto cœlo, ut ita loquar, distingui norunt. Ratio itaque confusionis, quam Molanus in additionibus commisit, non a confusione istorum locorum, seda confusione unius Beati cum alio repetenda erat Henriquezio, adeo ut, dum Molanum recte correxit in re, in rei tamen causa corrigendus merito sit ipsemet corrector.*

B *Non satis probatur, quod fuerit Ordinis Cisterciensis.* 3 *Vidimus supra,* B. Schetzelonem *cœnobitis Cisterciensibus accenseri : ubi occurrit Henriquezius, dicens, quod ad eum* divus Bernardus proprium habitum transmiserit. *Saussayus autem in elogio Beati,* Eam, *ait,* in opinionem Sanctitatis venit, ut a B. Bernardo tanti fieret, quod inter ipsius Ordinis sidera, haud cogitans, pro meritis, cooptaretur. Nam absenti ipsemet beatus Pater habitum suum transmisit *etc. Sed quod vere ac proprie Confessor noster amplexus fuerit Ordinem Cisterciensem; quodque in illum a S. Bernardo fuerit assumptus, ex antiquis documentis mihi hactenus non satis suadetur : non ex Vita, quam ex Achardi monachi Clarævallensis, ac discipuli S. Bernardi, relatione, ac testimonio oculato, ejusdem scriptor concinnavit. Nam tametsi in ea num. 5 hæc dicuntur :* Beatus itaque Bernardus, audita virtute conversationis illius, dedit nobis præceptum adeundi et salutandi ex nomine ipsius Virum, mittens etiam ei pro signo caritatis nonnulla manuscula ; hoc est tunicam, et caligas, ut pro ejus amore indueret illas. *Et num. 6 :* Tunc eulogiis præsentatis, cum salutationem Patris humiliter et cum reverentia suscepisset, ipsaque C indumenta sibi applicuisset, mox iterum ea deposuit, et ait *etc. Tametsi, inquam, hæc ibi dicuntur ; quo pacto tamen inde extundas,* habitum PROPRIUM, *sive Ordinis Cisterciensis, a S. Bernardo transmissum ad* B. Schetzelonem ; *et hunc ab illo ad dicti Ordinis institutum fuisse assumptum, non equidem video. Nec aliud novi documentum, quo res ista stabiliatur : ut consequens videatur, ipsius non recte mentionem fieri inter Cœlites Benedictinos apud Bucelinum in Menologio istius Ordinis tanquam* monachi sacratissimæ Congregationis, *ait,* nostræ Cisterciensis; *nedum apud Chalemotum citatum posse inter Cistercienses ei attribui* longum virtutis et claustri ac cœnobiticæ vitæ experimentum.

Beati ætas, 4 *De ætate Beati istæc mihi dicenda occurrunt. Inter schedas nostras Mss. exstat una hoc titulo prænotata :* Ex Annalibus monasterii S. Mariæ Luxemburgi collectis a P. Alexandro Wiltheim S. J. De B. Schetzelone. *Quæ dabo deinde ex isto Ms., citabo sub titulo notitiarum Luxemburgensium. In illis itaque sic scribitur de Beati ætate :* Relata inter annum MCXXXIX et MCLIV vita ejus ac morte ; quia ad tempora Folmari abb. Monasteriensis primi pertinere videntur, sic concludit *etc. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum 1134, num. 9,* Fundavit, *ait,* Bernardus pater claustrum sive Hemmenrode D per Achardum, discipulum ipsius, virum sanctissimum, per quem etiam sanctum Ascelinum, tunc temporis in magna sanctitate degentem in illis partibus, affectuose et devote visitavit. *Hinc habemus ætatem, qua Beatus vixit ; at quo anno vivere desiit ? Rem inquiramus.*

5 *Ad annum, ex citato mox Annalium auctore, 1134 Achardus eum invisit ; idque ultimo, sicut mihi videtur probabilius, vitæ Beati quadriennio : quia quæ narrat biographus num. 3 ipsum fecisse* quatuor fere annis ante suam dormitionem, *videntur mihi magis convenire modo ipsius vivendi, quem tunc tenebat, quando Achardus eum invisit; quam illi, quem observarat per decennium integrum, isti, uti apparet, visitationi prævium. Postquam enim dixisset biographus num. 2,* Annis siquidem quatuordecim solivagus, ac toto corpore nudus, montibus et silvis pro Christi amore oberrans et latitans perduravit ; cœlum habens pro tecto, aerem pro vestimento ; pecorinum victum pro cibo humano. Herbis namque agrestibus et crudis, earumque ra- E dicibus... utebatur ; *mox ista connectens cum dicto decennio,* Hujus, *inquit,* rigorem propositi... per decennium integrum, custodivit. *De quadriennio vero vitæ ultimo sic docet :* Postmodum autem quatuor fere annis ante suam dormitionem... bruma sæviente asperrima, cum tellus nivibus obruta, et gelu acriore coercita, nec herbas feris exereret, nec radices effodi sineret : tunc a facie famis et hujus frigoris sustinere non prævalens, tandem ut homo jam fere præmortuus, et obeso corpore, pelle sola circumdatus, cogebatur interdum deserta deserere, *et ad homines utcunque divertere, eorum hospes, victus gratia ; sicut pluribus in Vita exponitur. Et in hoc statu, quo nimirum ad homines suo modo interdum divertere vel invitus cogebatur, convenisse eum videtur Achardus. Audi scriptorem Vitæ num. 5 hæc de eo referentem :* Nos ergo profecti ad easdem partes, una die, cum adhuc tenebræ essent, intravimus locum, ubi quiescere putabatur ; et non invenientes, sciscitati sumus ab hospite, ubinam ille esset. Ille vero respondit : Hac nocte... apud nos in curia mansit. *Andin' tu* ab hospite ; apud nos... mansit ? *Hinc itaque probabilius collige, ab Achardo* F *conventum esse Beatum ultimo vitæ suæ quadriennio : quod si conjungas cum anno 1134, quo rem gestam innectebat Annalista supra citatus ; reliquum erit, ut mors ejus affigatur annis circiter 1138 vel 1139.* *annus mortis,*

locus translationis : 6 *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii suggerit notitias, quibus illustratur locus translationis ; de qua Vitæ scriptor tradit ista :* Postea vero translatum est inde *(de nova ecclesia, super Beati corpus constructa, sermo fuerat)* corpus ejus apud quoddam nobile castrum, quod nominatur Luceleburgum, et in ecclesia Beatæ Mariæ honorifice tumulatum. Porro ad ipsum tumulum ejus miracula frequenter usque hodie fiunt, et sanitates ac beneficia multa, ipso interveniente, fideliter postulantes accipiunt. *Molanus, inquam,* ex litteris Joannis Bertels Lovaniensis, Prælati Lutzemburgensis monasterii, *ad se datis sic memorat :* Monasterium nostrum, in quo Vir Dei requiescit, dirutum est, imo solo adæquatum ab annis triginta tribus. Interim audivi sæpius ab his, qui monasterium inhabitarunt, sæpiusque genua ante sepulcrum Eremitæ flexerunt, qui proprio nomine Gisislenus dicebatur, et in maxima silva prope Luxemburgum habitavit, quæ idiomate Germa-

A Germanico Gruenen-walt appellatur, in qua fons pulcherrimus ex rupe exsilit, qui Schetzelborn vocatur; et quia apud hunc habitabat, a communi populo Schetzel-bruder nominatur, a Latinis frater Schetzelo... Cujus corpus adhuc requiescit in loco desolatæ ecclesiæ. *Cæterum de Joanne isto Bertelio lectorem instruit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica; unde hæc delibo in rem nostram:* S. Benedicti institutum in Munsteriensi cœnobio intra muros urbis Luxemburgensis amplexus est; et anno D. MDLXXVI, VIII Eidus Augusti abbas consecratus, annos XIX præfuit. Hinc ad Epternacensis ejusdem Ordinis monasterii... regimen admotus *etc.; ubi* excessit e vivis... anno Dom. MDCVII. *De Munsteriensi abbatia, ejusque excidio et abbatibus agit laudatus Bertelius in Historia Luxemburgensi pag. 123 et sequentibus; de rebus autem suis pag. 144.*

corpus fuisse inventum,

7 *Verum, ut unde tantisper digressa est, ad Beati nostri sepulcrum redeat oratio, notitiæ Trevirenses testantur, illud post dicti monasterii excidium latere perrexisse. Hæc quippe in illis lego:* B Anno MDXLIV Luxemburgum ab imperatore Carolo V opera Furstenbergii recuperatum est: cui homines plus æquo providi persuasere, solo æquandam Monasteriensem domum. *Qua re breviter perstricta,* Tum scilicet, *prout sequitur,* D. Schetzelonis sepulcrum, quod avorum memoria cereis atque donis multa hominum frequentia cultum fuisse accepimus, ruderibus collapsæ ædis involutum, etiam huc usque latet. *Fama quidem fuit, Beati corpus fuisse inventum, secundum ea, quæ mox referam, anno 1620; sed mendax fuit. Item intellige ex iisdem notitiis Luxemburgensibus, in quibus ista invenio:* Anno MDCXX ad famam inventi corporis D. Schetzelonis, tota urbs ad effossum cadaver spectandum incredibili studio effusa est. Aiebant a majoribus traditum, D. Schetzelonem ante aram maximam ædis D. Virginis, quam a Guilielmo Comite ædificatam diximus, fuisse sepultum. Itaque a Ven. viro Huberto Bistenio..... apud Monasterienses sacro oratore, pluribus ab annis animadversum fuerat, in area, quæ post ædem bello Gallico sublatam supererat, eo loci, ubi D. Schetzelonem situm esse oporteret, C herbas atque gramina dense excrescere; at extra eum locum raras atque aridas esse. Quippe rupes circumfusæ alibi vix palmi altitudine terra teguntur.

fama fuit, sed mendax.

8 Subiit animo, non ex nihilo fieri; placuitque eo loci fodi. Principio terra bene multa eruta (ea nempe gramina lætiora effecerat) mox animadversum, terram in sarcophagi speciem excisam. Tandem detecta quoque hominis ossa: quibus ubi humus studiose amota fuit, visa sunt compagem seriemque suam atque ordinem retinere. Dentium ne unus exciderat: magni corporis fuisse apparebat. Creditum, D. Schetzelonem eum esse. Itaque maxima frequentia homines ex urbe adesse; reperta lipsana per venerationem manu tangere: precatorios globulos ac numos admovere, glebam religiose tollere: rarissimo cuique fragmenta modica ossium concedebantur. Unum plerique dolebant, cum miranda nulla ea inventione evenirent, nihil reperiri, quod argumento esset, D. Schetzelonis ea esse lipsana oportere. Inventa quoque calcaria, antiqua specie, magnisque orbibus, ferreumque extremæ vaginæ munimentum, militem quam eremicolam magis indicabant; opinatique non pauci sunt, ossa illa alicujus esse e priscis Luxemburgensium Comitibus: ejus forte Wilhelmi, qui ædem condiderat. Quare ea honorifice quidem, non tamen ut Sancti, delata in novi cœnobii ædem sunt, ipso Petro abbate pulla in veste subsequente. Fuit Wilhelmus Conradi filius ejus, qui monasterii fundandi primus auctor fuit in pœnam capti violenter archiepiscopi Trevir. Euerhardi an. MLIX. *Factum narratur apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 1 inter archiepiscopos Trevirenses, ex veteri codice istorum præsulum; atque hæc subduntur:* Interim vero episcopus a captivitate datis obsidibus rediit; nec multo post Comitem pœnitentem suscepit: cui pro pœnitentia peregrinationem Hierosolymitanam injunxit; in qua et obiit.

AUCTORE J. P.

Acta edita ac Mss.; eorum auctor

9 *Acta Beati nostri typis edita sunt Duaci anno 1626, hoc titulo:* Vita beati Schetzelonis eremitæ, qui fuit in episcopatu Trevirensi per quatuordecim annos sine tecto, et sine vestimento, contentus etiam victu pecorino; ut puta herbis, radicibus, glandibus, et hujusmodi. Auctore Achardo, Ordinis Cisterciensis monacho: nunc vero e tenebris in lucem edita opera Arnol. de Raisse, apud S. Petrum Duaci Canonico. *Inscribitur* Amplissimo Domino D. Petro Roberti, E Munsteriensis Beatæ Virginis abbatiæ præsuli. *Tria insuper ejusdem Vitæ exemplaria Mss. habemus; sed nullibi in iis invenio, quisnam et ubi ex relatione Achardi eam scriptis mandarit. Aliunde ergo id discendum. Utrumque sic expedio. P. Petrus Franciscus Chiffletius S. J. anno Christi 1660 publici juris fecit librum, cui nomen indidit:* S. Bernardi Clarævallensis abbatis genus illustre assertum, *una cum Scriptorum aliquot opusculis, duodecimi post Christum seculi historiam spectantibus: inter quæ sunt* Herberti Turrium Sardiniæ archiepiscopi de Miraculis libri tres. *Nonnulla ex iis, quæ illorum editor circa istum auctorem præfatur, huc transfero.* Fuisse Herbertum natione Hispanum, patria Legionensem, colligi videtur ex ejus libro secundo de Miraculis cap. 1; *prout ibidem videri potest.* In Claravalle sumpto habitu monastico, inter S. Bernardi discipulos educatus. *Postea ipsi* delatum est regimen abbatiæ de Moris *(in diœcesi Lingonensi Campaniæ Galliæ, ex Jongelino in Notitiis abbatiarum Ordinis Cisterciensis, lib. 1, pag. 68:)* unde postmodum in Claramvallem reversus... scripsit de F Miraculis libros tres anno Christi MCLXXVIII, annis quinque et viginti post S. Bernardi obitum, ut colligitur ex lib. 1, cap. 31; et lib. 2, cap. 13.

quis fuerit

10 Quare, ut monet auctor Chronici Clarævallensis, ex hoc uno anno reliqui investigandi sunt, si quando ante tres annos, vel ante septem aut plures hoc vel illud contigisse memorat. Promotus est haud multo post in archiepiscopum Turrium Sardiniæ: moxque Joannes eremita quædam illi obtulit de vita et rebus gestis S. Bernardi, prætermissa a senioribus, quæ ex nonnullorum ejus discipulorum ore accepta, illius hortatu ediderat. Apud Chrysostomum Henriquez in Menologio, et in Fasciculo Sanctorum Cistercii; itemque apud Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus, permulta occurrunt citata ex libro Exordii Ordinis Cisterciensis, ejusque Appendice, vel ex libro de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis, vel ex Joanne eremita in Vita S. Bernardi, quæ ex his Herberti libris descripta sunt. Unde est, quod Vitæ S. Bernardi per Johannem eremitam longe plura capita ab his auctoribus laudata reperies, quam quæ nos ex autographo veteri huc protulimus: quia scilicet Herberti opus ἀνεπίγραφον, quod Johannis eremitæ lucubrationi pro-

AUCTORE J. P.

proxime subjectum erat, ipsi Johanni ab incautis attributum est, ac pro Vitæ S. Bernardi quadam continuatione habitum. Fontem ipsum damus, quem mirabitur lector tam diu latuisse in membranis Clarævallis *etc.*

indicatur.

11 *Hæc ibi: e quibus discimus, verum laudati opusculi auctorem esse Herbertum istum. Is lib. 1, cap. 5 et 6 refert ea, quæ Acardus, monachus Claravallensis, multorumque cœnobiorum exstructor, sibi tum temporis etiamnum novitio, tanquam oculatus testis narrabat. Inter quæ ibid. cap. 6 exstat historia* Schetzelonis *nostri, seu, ut ibi vocatur,* Schocelini. *Authenticam porro ejusdem fidem persuadent tum jam dicta; tum hæc, quæ in illa de Beato dicuntur num. 10:* Referuntur et alia pene innumera de Viro illo magnalia, quæ quoniam a nobis tanquam longe remotis diligentius investigata non sunt, silentio claudimus, *illa* tantummodo proferentes, quæ fide oculata percepimus. *Cujusmodi non sunt, quæ inter schedas nostras invenio ab aliquo notata:*

B Mors... a campanis omnibus circumquaque, nemine movente, aut trahente, consonantibus manifestata est. Funus moveri loco non potuit, quoties illud auferre, et ad certa templa avehere aliqui nitebantur: donec plaustro impositum, a bobus, nemine minante, ad monasterium B. M. in castrum Luxemburgense delatum est. *Nam quæ hic de funere dicuntur, non cohærent cum Vita num. 10. Cum autem testetur editor Chiffletius, ipsum a se fontem dari; ego rivulos non consectabor, aliaque exemplaria a prælo arcens, ea, quæ excudit, recudi curabo, ac notis illustrabo.*

VITA

Auctore Herberto, monacho Claravallensi, ac Turrium Sardiniæ *a* archiepiscopo.

Ex editione P. Petri Franc. Chiffletii Soc. Jesu.

C

Auctor ex relatione Achardi, monachi Claraval. narrat b c

In *(Claravallensi)* monasterio *b* exstitit Religiosus quidam monachus, nomine Acardus *c*, vir quidem genere nobilis, sed conversatione nobilior. Hic autem, beato Bernardo abbate suo jubente atque mittente, plurimorum cœnobiorum initiator atque exstructor fuit. Hic ergo benignus et magni solaminis vir multa nobis, cum essemus novitii, narrabat exempla: unde nos in amore virtutum sæpius accendebat. De quibus et nos unum saltem stylo mandare decrevimus, eo quod ipsum affectui nostro ardentius inhærere sentimus.

B. Schetzelonis sanctitatem, d

2 Ego, inquit, dum aliquando conversarer in episcopatu Trevirensi pro construendo cœnobio, quod Claustrum *d* nominatur, largiente superna gratia, merui videre et agnoscere hominem sanctum, hominem vere divitem, et vere beatum, nomine Schocelinum *e*. Qui videlicet eo ditior, eo beatior fuit, quo fallaces mundi divitias, tanquam vanitates et insanias falsas, verius despexit, et longius abjecit. Vere enim non qui plus habet; sed qui minus cupit, dives est. Tanto namque fervore hic beatissimus Eremita mundum deseruit, tanto Christum ardore dilexit, ut temporibus et regionibus nostris neminem fuisse D putemus, qui ei in contemptu visibilium, et carnis mortificatione possit æquiparari. Vitam quippe illius omnes possumus mirari, multi etiam æmulari; sed nullus imitari: unde et necesse est amplius venerari. Iste enim pro Christo quotidie moriens, non unam tantum, sed innumeras cruces et mortes sustinuit: quia quot diebus in eremo vixit, quasi tot martyria duxit. Quis namque hominum in hac vita mortali, quantumcunque profecerit, vel sine humano cibo, vel sine tecto, vel sine indumento, vel sine omnibus his diutius vivere possit? Porro Vir iste virilis, vir veræ virtutis, naturam supergressus humanam, cum careret omnibus istis, confortante se Deo, per multa tempora non defecit. Annis siquidem quatuordecim solivagus, ac toto corpore nudus, montibus et silvis pro Christi amore oberrans et latitans perduravit, cœlum habens pro tecto, aerem pro vestimento; pecorinum victum pro cibo humano. Herbis namque agrestibus et crudis, earumque radicibus, interdum quoque sagina *f* et glande pro magnis deliciis utebatur, qui utique E brutorum animalium pastus magis, quam esca hominum esse probatur.

3 Hujus ergo rigorem propositi inexorabili severitate per decennium integrum custodivit. Postmodum autem quatuor fere annis ante suam dormitionem, in corde hyemis bruma sæviente asperrima, cum tellus nivibus obruta, et gelu acriore coercita nec herbas foris exereret, nec radices effodi sineret, tunc a facie famis et hujus frigoris sustinere non prævalens; tandem ut homo jam fere præmortuus et, obeso corpore, pelle sola circumdatus, cogebatur interdum deserta deserere, atque ad proxima rura volendo nolendo *g* descendere. Veniens autem ad excretorias *h* ejusdem viculi casas, si quem ibi pauperculum, et honestæ conversationis hominem manere cognosceret; ad eum libentius divertebat. Diversorium tamen ipsius ingredi recusabat: sed reclinato capite quiescebat in laribus *i* domatis *k*, vel potius in medio curtis *l*. Hoc autem maxime *m* procurabat, ut profunda jam nocte accederet, horaque antelucana recederet. Porro homines illi, qui digni habebantur tanto hospite nobilitari, magnam ei reverentiam deferebant, ita ut nemo de F inhabitantibus auderet ad eum accedere, aut in colloquio molestus existere: nisi forte ab illo permissus, aut etiam vocatus, nimirum metuentes, ne ad ipsos amplius non diverteret, si quietem illius aliquis ibidem importune turbaret. Interdum tamen applicabant ei pro foribus modicum straminis, aut veterem saccum: si vel in eo fortasse requiescere consentiret. Porrigebant nihilhominus fragmentum ei aliquod hordeacei vel furfurei panis, scientes utique, quod aliud nihil acciperet. De quo videlicet pane modicam aliquotiens crustulam ruminabat, residuam vero partem, ad multorum dierum refectionem, secum ad eremum deferebat.

vitæ asperitatem,

nuditatem, n

4 Habebat quoque Vir ille locupletissimus circumligatam renibus semicinctiam *n* vilem atque brevissimam, qua verecundas solummodo corporis partes operire vix poterat, cum eum hominibus apparere compelleret ista tam inevitabilis causa. Possidebat nihilhominus et sacellum parvissimum collo vel renibus appensum, quo supradictas alimonias inferebat. En tota divitis istius Viri proprietas; en gloriosa servi Christi hereditas, et nobile patrimonium, cui vere fideli totus mundus erat divitiarum. Ipse enim tanquam nihil habens, et omnia possidens, in tali nihilo totum obtinuit, quando-

A quandoquidem qui in vili semicinctio totum mundum inclusit, de toto, et pro toto mundo semicinctiam solam elegit. Denique quid aliud cuivis hominum confert copia thesaurorum, atque infinita possessio rerum, nisi ut præsentem vitam ducere, et aliquandiu producere possit: ad quam videlicet transigendam, huic Pauperi nostro, una vetusti panniculi scissura sufficit?

munuscula a S. Bernardo ad eum missa.

5 Beatus itaque Bernardus, audita virtute conversationis illius, dedit nobis præceptum adeundi et salutandi ex nomine ipsius Virum, mittens etiam ei pro signo caritatis nonnulla munuscula; hoc est, tunicam et caligas, ut pro ejus amore indueret illas. Nos ergo profecti ad easdem partes, una die, cum adhuc tenebræ essent, intravimus locum, ubi quiescere putabatur: et non invenientes, sciscitati sumus ab hospite, ubinam ille esset. Ille vero respondit: Hac nocte, inquit, apud nos in curia *o* mansit, cui solito tempestivius recedenti et valefacienti respondimus: Cur, domine Pater, tam cito egrederis, cum media noctis adhuc vix hora transierit? Et ille:
B Modo, inquit, venturi sunt huc propter me viri quidam Religiosi: a quibus nolo me ad præsens reperiri. Hæc autem sæpius et propter alios fecit, quos ad se nihilominus venturos esse prædixit. Quo audito, satis superque mirati sumus, quod tam cito in astutia nostra ab eo deprehensi fuerimus. Callide namque satis putavimus, nos egisse, et incautum, antequam surgeret, prævenisse. In quo videlicet facto manifeste innotuit, quod etiam prophetico spiritu non caruerit. Nos ergo scientes, quod absque beneplacito suo reperiri non posset, per prædictum hospitem ei mandare curavimus, obnixe rogantes, ut gratia ipsius qui nos ad ipsum direxerat, suam nobis præsentiam indulgeret.

Achardus ad Beatum deducitur, et cum eo agens. p

6 Quo tandem annuente clementer, venimus et vidimus eum, non quasi terrenum hominem, sed sicut Angelum cœlestem: cujus conversatio tota in cœlis et de cœlis erat. Tunc eulogiis *p* præsentatis, cum salutationem patris humiliter et cum reverentia suscepisset, ipsaque indumenta sibi applicuisset; mox iterum ea deposuit, et ait: Benedictus Deus, qui dedit in corde apostolici viri, ut peccatoris et miseri hominis memoriam habere dignetur. Et nunc pro amore ipsius, vestimenta
C transmissa obedienter accepi et indui: diutius tamen ea portare non valeo, quia nec opus est mihi, nec ipse mandavit. Dico autem vobis, amicis meis carissimis, quia nihil est mihi molestius, quam ut curæ carnalis sarcinam odiosam, cum tanta difficultate depositam, lassatis et dolentibus humeris denuo imponere cogar. Nos itaque videntes hominem benignum atque affabilem, cum jam ei fiducialiter loqueremur, sciscitati sumus ab eo, cum reverentia tamen, utrumne adhuc de carnis illecebris, vel dæmonum irritamentis aliquid molestiæ toleraret.

mirabilem

7 Tunc ille, ut erat homo jocundus et boni solatii, cum paululum subrisisset, ita loqui exorsus est: Jam diu est, amantissimi fratres, ex quo per gratiam Dei a passionibus vitiorum sentio me non mediocriter exoneratum. Sed quoniam tentatio est vita hominis super terram, quis glorietur, castum se habere cor? Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. In medio siquidem laqueorum ambulantes, et hostilibus gladiis circumquaque patentes, nisi scuto divinæ protectionis assidue muniamur, nunquam cavere poterimus ab his, qui sagittant in obscuro etiam rectos corde. Confidimus tamen in Domino, quia fidelis est, *A. Herberto.* et non patietur nos tentari supra id quod possumus. Et nunc vobis aliquid exempli gratia refero, in quo poteritis advertere, cujusmodi tentationibus aliquoties inquietor. Quadam itaque die, cum brumalis asperitas solito intensiore pruina rigesceret, et nix copiosa de nubibus flueret, tunc torpentibus membris in terra jacebam: verumtamen rerum Sator omnipotens, qui dat nivem sicut lanam, et nebulam sicut cinerem spargit; ipse mihi pro laneo amictu, qui deerat, niveum opertorium dederat, magnum quidem et amplum atque ad unius cubiti mensuram fere condensum, quo circumquaque latius expanso, ita operiebar, ut de corpore meo nihil penitus appareret: tantummodo circa faciem meam virga fumantis anhelitus ab ore procedens, superjectam nivem paulatim undique reliquabat, et modicam fecerat aperturam.

vitæ ejus

8 Interea lepusculus quidam, ante faciem nivis et frigoris fugitans, atque ad pausandum latebras quæritans, casu venit ad ipsum foramen. Qui suavitate caloris illectus, illico substitit, et super E caput meum ibidem accubavit. Tunc ipsa novitas rei subridere me compulit, et subripiente* mihi levitate, dejectus est animus meus a statu solitæ gravitatis, et prolapsus in gaudium vanitatis. Non solum autem; sed et desiderium incidit eumdem lepusculum, ut facile poteram, manu injecta corripere, non ut eum occiderem aut retinerem; sed quia est animal innocens atque lenissimum, ut contrectatione et visu illius aliquandiu delectarer, et dicatum pœnitentiæ tempus hac inepta lætitia interim consumere non vererer, diutius autem suggestori reluctans, desiderium vanum, donante Deo, superavi: tranquilloque corpore manens, pavidam bestiolam secure quiescere feci: donec tandem ultronea voluntate recessit.

* f. subrepente

innocentiam

9 En id est unum de majoribus tentamentis, quæ a multis retro diebus tolerasse me memini, quod videlicet quamvis jocose, et velut exhilarandi vos gratia fortasse videar vobis alacrius, quam oportuit, retulisse; erubesco tamen et doleo, cogitationes meas interdum a vanitatibus istis, velut a muscis volitantibus, inquietari, etiam sine consensu vanitandi. Cum hæc et similia nobis F ædificandi et solatiandi causa Vir ille mirabilis enarraret, tunc beatum patrem Bernardum legatione nostra humillime resalutavit, seseque orationibus ejus devotissime commendavit. Moxque benedicens ac valefaciens nobis, tanquam cervus emissus a Deo, liberis saltibus ad opaca saltuum recucurrit, et veluti avis de manu tenentis elapsa, laxatis in aera pennis, ad avia nemorum cantando* revolavit.

intelligit ac suspicit. Mors, sepultura, miracula. q

10 Nos igitur, videntes, et spiritum loquendi ulterius non habentes, in comparatione talis ac tantæ perfectionis assimilavimus nostras turres *q* favillæ et cineri, et, qui antea putabamus nos aliquid esse, cum nihil essemus, tunc universas justitias nostras quasi pannum menstruatæ existimavimus: sicque percutientes pectora nostra, humiliati atque compuncti nimis, ad propria remeavimus. Referuntur et alia pene innumera de Viro illo magnalia, quæ quoniam a nobis tanquam longe remotis diligentius investigata non sunt, silentio claudimus, illa tantummodo proferentes, quæ fide oculata percepimus. Hic itaque ter Beatus cum, revelante Deo, diem dormitionis suæ jam jamque imminere conspiceret, ad unam de propinquioribus villis accessit, ubique percepto Dominici

A. HERBERTO. minici Sacramenti viatico, lætantibus Angelis, angelicæ puritatis animam reddidit. Ad cujus exsequias venerandas, viri Religiosi, et populi innumerabiles catervatim undique confluentes, corpus ejus honorifice sepelierunt, et super ipsum novam ecclesiam construxerunt. Postea vero translatum est inde corpus ejus apud quoddam nobile castrum, quod nominatur Lucelebugum r, et in ecclesia Beatæ Mariæ s honorifice tumulatum. Porro ad ipsum tumulum ejus miracula frequenter usque hodie fiunt, et sanitates ac beneficia multa, ipso interveniente, fideliter postulantes accipiunt.

Epilogus scriptoris. 11 Hæc et similia nobis neophytis domnus Acardus sæpius referebat exempla, quibus rudimenta tirocinii nostri magnifice roborabat, atque in amore virtutum non mediocriter accendebat. Ad postremum autem etiam ipse deficiens, in senectute bona migravit ad Dominum, et sepultus est in sepulcro fratrum suorum.

ANNOTATA.

B

a Turres, *vel urbs Turritana erat in ora occidentali istius insulæ, ubi incipit septentrionalis; e cujus ruinis crevit Sassaris, translato illuc Turritano archiepiscopatu ab Eugenio IV anno 1441; prout observat Baudrandus.*

b *Hæc, usque ad* Ego, inquit, dum aliquando *etc. accepi ex editis apud Chiffletium lib. 1, cap. 5; ut sint præfatiuncula quædam ad sequentem narrationem, quæ ibi est cap. 6. Hujusmodi præfatiuncula etiam ei præmittitur in aliis exemplaribus. Monasterium autem Claravallense pluribus describit Gaspar Jongelinus in Notitiis abbatiarum Ordinis Cisterc. pag. 20.*

c Acardus, *al.* Achardus. *Inscribitur Kalendario Ordinis Cisterciensis, anno 1617 Divione edito, die 15 Septembris, uti et Menologio apud Chrysostomum Henriquez; apud Chalemotum autem hac die 6 Augusti.*

d Claustrum Beatæ Virginis in diœcesi Trevirensi, *al.* Hemmenrodense; *ex Angelo Manrique in Annal. Cist. ad an. 1134, cap. 8, num. 8; de quo copiosissime lectorem instruet Gaspar Jongelinus in libro singulari, quem de eo edidit, ac Notitiis abbatiarum Ordinis Cisterc. subjecit.* C

e *Varia hujus nominis efformatio est; ex Commentario nostro prævio.* D

f Sagina, *lege* fagina *cum editione Raissii, ac tribus Mss. exemplaribus, quæ ad manum sunt; quam lectionem insuper sensus requirit: id est,* glande fagea. *Vide Cangium in Glossario. Dictionarium Gallico-Latinum, quod notatur anno 1704 Trevoltii excusum, in voce* Faine, *dicit esse fructum fagi, ac speciem glandis, qua porci saginantur.*

g *In dicta editione, ac tribus Mss. tantum est* nolendo.

h Excretorias casas; *id est, uti ex sensu colligo, ab aliis secretas ac scorsim positas. Editio ac tria Mss., quæ dicebam, habent* extractorias.

i *Ibid. est* lateribus.

k Doma, domatis *pro domo ac prædio etc., ex Græco* δῶμα. *Vide Cangium.*

l In medio curtis, *id est, villæ; Vide infra lit.* o.

m Maxime *etiam est in uno nostro apographo: sed in duobus aliis, et in editione Raissii* mane, *minus recte.* E

n Semicinctia *est prætensa ventri castula. Plura Cangius.*

o Curia, *inter alia significat prædium rusticum, et atrium implurium: sicut ibid. videre datur.*

p Eulogiis, *id est, munusculis; secundum dicta num. 5. Plura idem auctor.*

q Turres; *apud Raissium* vires, *suffragantibus duobus Mss. nostris: in alio est* vices.

r *Al.* Luxemburgum; *de quo in initio Commentarii prævii dixi.*

s *Monasterium est Ordinis S. Benedicti; de quo Commentarius prævius num. 6. Mabillonius in Annalibus dicti Ordinis ad an. 1083, quo illud conditum esse constat ex litteris a Miræo relatis in Notitia ecclesiarum Belgii pag. 213, de antiqua ejus structura loquens, scribit* haud longe a muris Lucilibugi seu Luxemburgi, in jugo montis, inter ruinas veteris castri et palatium Mansfeldicum, olim exstructum sub titulo S. Petri; at temporis processu S. Mariæ patrocinio ac nomine consecratum: quod ob excellentiam supra cætera illius tractus cœnobia vulgo MUNSTER appellatur. F

SEPTIMA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI VII IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Faustinus vel Faustus M. Mediolani.

S. Petrus,
S. Julianus seu Juliana, } MM. Romæ.

S. Carpophorus,
S. Exanthus,
S. Cassius,
S. Severinus,
S. Secundus,
S. Licinius, } MM. Novocomi.

S. Donatianus episc. confessor Catalauni in Gallia.

S. Donatus episc. M.,
S. Hilarianus M., } Aretii in Tuscia.

S. Simpronius,
S. Venerius seu Veneria
cum aliis VII, } MM. Antiochiæ.

S. Hyperechius presb. conf. apud Græcos.

S. Donatus conf. Forocornelii in Italia.

S. Celsus

A S. Celsus conf. apud Lemovices in Gallia.

S. Victricius archiepisc. conf. Rothomagi.

S. Donatus episc. Vesontione in Burgundia.

B. Jordanus Forzate Ord. Bened. Patavii in Italia.

S. Conradus Nantuinus Wolfrathusii in Bavaria. D

S. Albertus conf. Ord. Carmel. Messanæ in Sicilia.

B. Vincentius Ord. Min. Aquilæ in Vestinis Italiæ.

S. Caietanus Thienæus conf. Neapoli.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sigebertum (*alias* Sigbrechtum *aut* Sigebrechtum) Anglorum Orientalium regem martyrem *hoc die longiori ornant elogio* B *Saussayus et Bucelinus, quibus subscribunt Ferrarius et Menardus : aliis alium diem præferentibus, ut facit Wilsonus in Martyrologio Anglicano posterioris editionis, quem sequitur noster Alfordus, eum signantes die* XXVII *Septembris. Contra vero Witfordus vetustior et probatior Anglicus Martyrologus præfert* XVI *Januarii, quod Majores nostri scire non potuerunt, cum eo libro tunc caruerint. Vides diem natalem plane ambiguum, quemadmodum et mortis annus incertus est. Testes alios de cultu immemorabili refert Mayhewius hoc die, dum interim inter Sanctos Benedictinos a Mabillonio prætermittitur. In ea vero diei obitus incertitudine, Witfordum, cujus auctoritate potissimum nitimur, præferendum censemus, Sanctumque adeo remittimus ad Supplementum* XVI Januarii.

S. Boisilus abbas *seu præpositus* Melrosensis *in Scotia, nescio cur hoc die referatur a Dempstero et ex eo a Ferrario in Catalogo generali. De ipso jam pridem actum est ad* XXIII Januarii.

S. Asterius Senator capite plexus *signatur apud* C *Græcos in Menæis ac Menæo Chiffletii. Colitur cum S. Maximo apud Latinos* III Martii.

S. Martyris Dometii sub Juliano Apostata *memoria cum elogio inscribitur Menologio Basilii imperatoris. Martyr ille ibidem signatur et laudatur ad diem* XXIII *Martii ; idemque ipsius elogium jam pridem Græce editum fuit apud nos ad calcem tomi I ejusdem mensis pag. 874 ; Latine autem redditum tomo III pag. 459 ad dictum diem; quo actum de illo Martyre fuit : ut mirum sit, elogium idem hodierna die repeti. Vide itaque diem* XXIII Martii.

S. Mariæ Ægyptiacæ *memoria singulari festo Treveris hoc die recolitur, ut in ecclesiæ istius Lectionario diserte signatur, relatis etiam propriis lectionibus. Sanctam hoc etiam die signavit Grevenus. De ea in opere nostro actum est die, quo in Romano colitur,* II Aprilis.

S. Donatus episcopus Euriæ, *seu potius Euræœ, hoc die signatur a Greveno et aliis, haud dubie occasione* S. Donati Aretini, *qui vere huc spectat. De illo actum est die, quo a Græcis colitur,* XXX *Aprilis, quando Majoribus nostris nota, opinor, non erat inscriptio quam Janningus noster in suo Diario Veneto descripserat, notans sese Muriani visitasse monumentum elegans in quo ejus reliquiæ asservantur, in cujus anteriori parte ipsius Sancti effigies, instar mortui jacentis, cum habitu episcopali exsculpta est et auro oblita. Observat præterea, in suprema* E *altaris parte imaginem B. V. Mariæ decenter reconditam, populi venerationi exponi certis temporibus amoto velo. Porro inter imaginem et monumentum prædictum, legi sequentem inscriptionem :* Sereniss. Francisci Molini principis, augustissimique Venetorum senatus marmorum largitione munifica, piisque Murianensium civium eleemosynis, affabre constructo sepulcro, corpus S. Donati episcopi quingentis abhinc annis in altaris stipite reconditum solemni translatione ab Illustriss. ac Reverendiss. Domino, D. Comite Marco Antonio Martino Turcelli Episcopo, ut majori adoretur pietate, decentius collocatum, et beatiss. Virginis Mariæ Gratiarum imagine ex angustiori sacello desumpta, ara ipsa ad decorem et amplitudinem exornata, curantibus adm. R. Nicolao Calura plebano ac RR. capitularibus anno Dom. MDCLVI die VII Mensis Augusti. *Addit Janningus, nullum hujus ultimæ translationis factum fuisse instrumentum, sed nec primæ memoriam scriptam reperiri. Utriusque festum agitur, inquit,* VII *Augusti, quo facta fuerunt : Natalem vero* F *recoli diximus* XXX Aprilis.

S. Megetium *sive* Migetium *episcopum Vesontionensem, S. Donati successorem commemorant hoc die Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, et Saussayus in Martyrologio Gallicano ; credo occasione S. Donati, cujus festum hodie celebratur : nam Chiffletius noster candide fatetur, se ne in Martyrologio quidem Vesontionensi reperisse diem, quo vel obierit, vel cultus unquam ibi peculiariter fuerit* S. Megetius. *Unde Castellanus in indice Martyrologii sui universalis pristinum quidem ejus cultum agnoscit in ecclesia Bisontina ; diem tamen illi consecratum nullum assignat. Nos, quæ ad illius Acta pertinent, jam dedimus in Illustrationibus Claudianis, auctore R. P. Petro Francisco Chiffletio collectis, insertisque tomo I mensis Junii, a pag. 638, ad diem* VI Junii.

S. Dometii monachi Persæ, qui cum duobus discipulis sub Juliano Apostata lapidatus est, *memoriam* Nisibi in Mesopotamia *signat hoc die Martyrologium Romanum. Die* V *Julii pag. 255 exstat apud nos S. Domitius martyr in Syria; qua occasione actum tunc fuit de pluribus synonymis Martyribus in istum unum verosimiliter conflandis ; inter quos est hodiernus Persa,*

remisso

A *remisso tamen circa hunc ulteriore examine in hunc diem, si quid interim veritati congruentius reperiretur. Cum autem nihil in promptu habeam, quod clare ac certo cogat hodiernum* Dometium *ab isto præterito distinguere, mitto lectorem ad ea, quæ dicta sunt eodem die* v Julii.

Africæ *et* Valeriæ *nomina textui Hieronymiano Florentinii assuta, tanquam Martyrum Augustanorum, corrupta sunt ex* S. Afra *etc. de quibus superius ad diem* v Augusti.

S. Afra *Augustana quod variis diebus perperam signata sit, explicatum invenies die qua de ipsa egimus* v Augusti.

S. Hormisda Papa *hoc die signatur inter auctaria Usuardina ex codice Aquicinctino. Satis notum est, spectare ad diem præcedentem, quo de ipso egimus,* vi Augusti.

Justus et Pastor *MM. huc male translati sunt in Kalendariis non magnæ auctoritatis. De iis actum est* vi Augusti.

B *Legit hoc die Ferrarius in Catalogo generali :* Caradignæ in Hispania, inventio SS. martyrum Stephani et sociorum. *Citat* Tab. ecclesiæ Palentinæ. *Vide quæ de iis Sanctis dicta sunt die præcedenti* vi Augusti.

Leobaldum, *ut apud Trecenses* martyrem *hoc die signatum reperit Bollandus, quem Saussayus in suo Supplemento, sed die sequenti,* martyrem *quoque prædicat :* In territorio Trecensi, natalis S. Leobaldi martyris. *A Greveno et aliis eodem illo die ut* martyr *etiam refertur, et ut Trecis coronatus. Verum aliis coloribus depingitur apud Desguerrois in Historia Trecensi, ubi* Leodebaldus *dicitur, alias* Leodeboldus, *de quo in Prætermissis ad* xiv *Junii ita actum est, ut hic vix quidquam dicendum supersit, præterquam quod ex eo tempore nihil prorsus accesserit, unde cultu ecclesiastico donatus unquam fuisse demonstretur. Præter testes ibi adductos, sufficit mihi Mabillonius, qui variis locis de ipso ut symmista agens, nusquam* Sancti *aut* Beati *appellatione ipsum exornat. Si igitur* Leobaldum, *de quo agit Desguerrois in citata Trecensi Historia ad annum* DCL *num. 13 velit Sanctis annumerari, is omnino a* Fundatore Floriacensi *distinguendus est. De quo si nos* C *tempestive doceant Trecenses, referri poterit ipsorum Sanctus aut in hujus mensis appendice, aut in Supplemento generali.*

Romæ, Commemoratio S. Claudiæ, *matronæ nobilis Britannicæ, quæ cum parentibus suis Christianis, aliisque Romam obses missa, imperante Claudio, ibi in matrimonium collocata fuit Aulo Pudenti, non inferioris nobilitatis senatori. Ibidem prima fuisse dicitur Christiana, quæ hospitio exceperit S. Petrum Apostolum, cujus inductu baptizatus ejus maritus, evaserit Christianus. Mater eadem fuit illustrium Sanctorum, Novati, Thimothei, Praxedis et Pudentianæ. Post longam vero sanctamque vitam virtutibus Christianis exercendis insumptam, felicem vivendi finem fecit : apud Sabinum in Umbria, in prædio conjugis sui suburbano, circa annum Christi* CX. *Sacrum autem corpus ejus Romam translatum fuit, ibique a filiis ejus honorificentissime conditum in monumento Pudentis, patris eorum. Ita hoc die scribit Wilsonus in suo Martyrologio Anglicano ; verum securioribus monumentis opus est, ut hujusmodi Sanctam admittamus.*

Auriæ in Gallæcia, translatio sanctæ Euphemiæ virginis. *Ferrarii annuntiatio est una ex pluribus quas plerumque non satis feliciter ex Hispania accersit. De ea* Euphemia *egimus inter* D *Prætermissos ad diem* XXVI *Julii, quo lectorem remittimus, ut de ea translatione statuat, quod ibi de ipsa qualicunque Sancta existimandum censuimus. Qui Tamayi Martyrologium Hispanicum consulere voluerit, plura inveniet ; an magis curanda, ipse viderit.*

Sancti decem mille Ascetæ Thebæi in pace consummati *sunt in Menæis magnis impressis Græcorum, duobus honorati versiculis. Sub Diocletiano valde sævitum est in Christianos per Thebaidem, ex Eusebio Eccles. Hist. lib. 8, cap. 9 ; quos Romanæ tabulæ signant die* v *Januarii, sub notione plurimorum sanctorum Martyrum. Quanquam vero in hodiernorum, quos memorabam, Ascetarum annuntiatione ac versiculis non fit mentio martyrii ; suspicor tamen, eos martyres fuisse ; an in mox dictis sub Diocletiano, sint comprehensi, non divino.*

S. Or in pace consummatus *notatur in Menæis magnis Græcorum impressis : adde Menæum Chifletii, ubi occurrit* Or in pace. *Hic si sit idem* E *cum famoso* Or *seu* Hor, *de quo Ruffinus in Vitis Patrum lib. 2, cap. 2 ; ei incommodant, quæ ad istum locum num. 12 in notationibus de illo scribit Rosweydus, Origenistam fuisse dicens ex S. Hieronymo ; non constare tamen, quod talis obierit. Durior etiam est Rosweydi contra illum sermo ad libri 8 Vit. Patrum cap. 9 Palladii, num. 14, ubi hæc fatur :* Hic est ille Or hæreticus Origenista *etc. Si hunc itaque Menæa designant ; cum de ejusdem conversione nobis non constet, illorum auctoritate (recentiores enim quosdam martyrologos haud equidem moror Latinos ad diem* XII *Novembris) Sanctis eum accensere non ausim, probe gnarus, caute ac circumspecte Menæis istis fidendum esse, quia turpiter depravata sunt, sicut docent exempla in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, tomo I mensis Augusti præfixa, ad seculum octavum parergo 7. Quod si alium* Or *hic intelligendum velis ; cultum ejus publicum proba.*

Godschalcum episcopum Atrebatensem *die præcedenti inter Prætermissos collocavimus, synonymum hoc die nescio unde nobis proferat Molanus in additionibus ad Usuardum his verbis :* F Civitate Novaria, S. Godscalci martyris, ejusdem civitatis episcopi, cujus passio habetur, *quæ in Galesinium transierunt, citantem* Tabulas ecclesiæ Novariensis : in quibus tamen, *teste Ferrario,* neque hac neque alia die reperitur; *neque a me reperiri potuit hactenus. Neque vero nomen Italici quidquam sapit, ut majori luce opus sit priusquam ipsum inter Sanctos referamus.*

Stephani Maconi *,ex Ordine Cartusiano viri sec.* XV *sanctitate celebris præclaram Vitam Latine vulgavit Bartholomæus Senensis, ejusdem Ordinis anno 1626, præfixo titulo* Beati *et quidem imagine radiata, cum sancto Brunone comparata, de cujus interim beatificatione aut licito cultu ea monumenta desiderari patitur, quæ pridem desiderarunt Majores nostri ad Vitam S. Catharinæ Senensis tomo III Aprilis pag. 919, ibi ea rogantes quæ necessaria erant, ut hoc die de ipso agi posset, quorum cum totis ferme sexaginta annis nihil prorsus accesserit, cogimur modo exsequi quod illic præmonitum est ; nempe ut* Stephanum *illum, quantumvis celebrem, defectu probationis cultus hoc die præ-*

A *prætermittamus, de ipso alibi, acturi, si Senenses postulata subministraverint.*

Ulricus et Martinus MM. *in Vilna-Castro apud Livoniam.*
Anonymi duo Martyres *in partibus Orientis.*
Martinus de Sancto Felice, *martyr Lancastriæ in Anglia.*
Richardus Tertiarius, *episc. Foresemproniensis in Picœno.*
Hugo, conf. *Hussariæ in Germania.*
Humilis et Pacifici, *confess. Brufortii in Picœno.*
Bartholomæus Urbinas, conf. *Patavii.*
Amicinus Laudensis, conf. *Laudæ.*
Antonius Purus, conf. *eremita prope Fabrianum.*
Thomas Caccius et Mathæus Nolius, conf. *Novariæ.*
B Justus, conf. *Villafrancæ in territorio Astiricensi.*
Ludovica, vidua *Orbæ in Sabaudia.*

Referuntur ab Arturo cum titulo Beati in Martlio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.

In Gynæceo adduntur Saretrudis *et* Ebana *abbatissæ Ord. S. Benedicti apud Laudunum.*

Agaga *et* Adelidis *Baiocis in Neustria.*

Innocentius Bizzarus *Memphi capite plexus laudatur ab Huebero in Menologio; atque item*

Jacobus de Forosarcinio, conf. *Genuæ in Liguria.*

Theuzzus *seu* Theuzzo *laudatur ut* Beatus *a Wione, Dorganio et Menardo ex Tabulis Wallumbrosanis cœnobii Bergomensis, ut qui etiam inter alia Vitam S. Joannis Gualberti scripserit. Quæro legitimæ venerationis indicia, quæ si exstarent, haudquaquam a Ferrario prætermissus fuisset.*

Potamia Thaumaturga in pace consummata *refertur in Menæis magnis Græcorum excusis. Versiculi duo, qui apponuntur, memorant, pro mirabili Christo peremptam gladio, effundere miraculorum fluvios (Græce ποταμοὺς)* Potamiam. *Patet allusio in Græco ποταμὸς et* Ποταμία

Sancti martyris Diomedis *meminit Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum Apparatus sacri tom. II. Plures inter Martyres synonymos hic* C *quo spectet, incertum.*

In Lusitania, inventio corporis beatæ Mafaldæ reginæ, postea monialis Ordinis Cisterciensis, multis miraculis celeberrimæ. *Henriquezii verba sunt in suo Menologio Cisterciensi, quæ nonnihil amplificantur a Chalemoto, ex quibus de* Mafaldæ *istius inventione docemur: vellem addidissent, quo die obierit, quove religiosa et legitima veneratione colatur.*

Ansulfus *monachus Clarævallensis ab utroque etiam pluribus ornatur encomiis: verum et ibi deest, quod quæritur potissimum, ut de immemoriali cultu certiores reddamur. Solum* Venerabilis *titulum ei tribuit Castellanus, Saussayus* beatæ memoriæ.

Claudius Vivierius *a Saussayo additur, qui Leodii obierit, non semel Ordinis Minimorum provincialis,* vir gravis et eloquens, at super omnia pius.

Ternatius, Gervasius, Gedeon, *et* Hugo *episcopi Vesontionenses hoc die referuntur a Miræo in Fastis Belgicis et Burgundicis. Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani postridie tres priores commemorat, nescio qua causa. Quartus ad hunc mensem certo non spectat; sed ad diem* IX *Aprilis, quo inter Prætermissos a nobis, quia de cultu non constabat, relatus est. Idem haud dubie Castellano de omnibus* D *visum est: cum in indice Martyrologii universalis* Ternatium *Omissis accensuit; cæteros vero ne nominandos quidem uspiam putavit. Sed neque nobis absque vetustioribus publicæ venerationis indiciis, nuda Joan. Jacobi Chiffletii auctoritas, aut quæ hac nituntur, Miræi, Saussayive testimonia sufficiunt, ut eos inter Sanctos aut Beatos tuto numeremus.*

Luchina *Ordinis S. Dominici Tertiaria Soncini in Insubribus celebris, ut* Beata *insigni elogio ornatur ab Arturo in Gynæceo ad diem* XXIII *Augusti, quem inter alios citat Marchesius, dum ipsam hoc die refert* Beatæ *etiam titulo insignitam, privata, opinor, veneratione, cum de legitima ecclesiastica nihil hactenus nobis innotuerit.*

Cibthacum in Scotia episcopum et Pictorum apostolum, nepotem S. Columbæ *hoc die signat Camerarius, quem et alicubi* Sanctum *appellat* E *Dempsterus, in Menologio tamen suo Scotico eum prætermittens. Vellem aliunde de Cibthaci sanctitate et cultu edoceri: neque enim ex eo* Sanctus *continuo dicendus est, quod alicujus Sancti nepos fuerit, ut pluribus in scriptorum Scotorum nomenclatura observat Dempsterus ipse pag. 27.*

Mathildis *seu* Mathilda *Angliæ regina, sanctorum Malcolmi et Margaritæ Scotorum regum dignissima filia, magna sanctitatis opinione illustris, huc a Majoribus nostris remissa est in annotatis ad cap. 10 Vitæ S. Eduardi die* V *Januarii: referturque etiam hoc die in Martyrologio Wilsoni, et a Ferrario in Catalogo generali. Verum in Prætermissis ad diem* XXX *Aprilis, atque iterum ad 1 Maii testatum reliquit Henschenius,* nullum ecclesiasticæ venerationis vestigium *eatenus prolatum; quod cum neque ex eo tempore ullus protulerit, ut ut inviti cogimur* excellentissimam et Christianissimam reginam, *ut eam Aelredus in Vita S. Margaritæ matris ad* X *Junii meritissime appellat, hoc etiam loco præterire.*

Faustinianus *nescio quis,* Ambianensis episcopus *hoc die a Florario nostro Sanctorum Ms. suggeritur, apud Gallicos Martyrologos æque ac apud* F *Sammarthanos plane incognitus, ut vade alio opus sit, priusquam ei locus in hoc opere tribuatur.*

S. Faustum *hoc die Martyrologio suo Mediolanensi inscripsit Petrus Paulus Bosca,* cujus corpus, *inquit,* Caneti ad lacum Verbanum honestissime conditum est, *nec verbum de Sancto proferens, ut facile agnoscas, e Cryptis Romanis acceptum, de quo satis sit hæc paucula hic notasse.*

S. Nicolaum *eremitam Calabrum in Samnio socium SS. Reginaldi et Franci, de quibus actum est* VII *Maii, hoc die ex Gabriele Barrio annotavit olim Bollandus: verum melius a Ferrario, cum alio socio S. Falco signatus est ad diem, quo proinde et nos utrumque collocabimus* IX Augusti.

Pulcheriæ et Irenes imperatricum nostrarum quæ pio sunt in honore, memoria *inscribitur nostro Supplemento ad Menæa Græcorum excusa, ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis. Colitur prima apud Latinos die* X *Septembris; secunda autem inscribitur Menæis prædictis die* XIII *hujus. Vide itaque diem* XIII Aug. et X Septemb.

Item Julianæ, Dyomadæ, Memmiæ, Agapes et aliorum martyrum, *est solius Greveni connexio*

A *rio hodierna, post* Suffronium *Antiochenum, inter auctaria Usuardina, aliis Martyrologis prorsus incognita, ut non videam, aliunde profluere potuisse quam ex iis quæ citata sunt in annotatis ad Acta S. Afræ ad diem* v *hujus mensis, ubi ferme quatuor istæ sparsim computantur in numero Martyrum* xxv, *quos alii Romæ, alii Augustæ tribuendos censent, de qua re disquirendam erit* XII Augusti.

S. Mametem Cæsariensem in Cappadocia martyrem *jam pridem notavimus signari hoc die in Floro a Majoribus nostris edito, sed spectare ad* XVII Augusti.

Glycerium *Consuerannensem in Aquitania episcopum hoc die diserte referunt Saussayus cum elogio et Castellanus, eumque eumdem cum* Licerio *(Gall.* Licar) *esse volant, ubi tamen Sammarthani in Gallia Christiana utrumque accurate distinguunt; et illum quidem seniorem Agathensi concilio subscripsisse fatentur, sed a*
B *juniori* Licerio, *qui sub Carolo Martello floruit, diversum esse ostendunt, hunc solum* Licerium *Sancti titulo honorantes; ut qui colatur etiam inter auctaria Usuardina, die quo res tota accuratius examinari poterit* XXVII Aug.

S. Sozon ex Nicomedia, in ignem injectus, ac sine læsione egressus in pace consummatur, *ex Menæis magnis Græcorum typo editis; versiculis duobus, qui adduntur, canentibus, quod alia Salamandra contra flammam exstiterit* Sozon *martyr: cujus finis extra ignem fuit. Synonymus martyr Pompeiopoli annuntiatur in Martyrologio Romano die* VII *Septembris;* qui... in ignem injectus, reddidisse spiritum *dicitur.* D *In Menologio; quod e Græco Latinum fecit Cardinalis Sirletus, narratur dicto die, quod ex* Lycaonia conversus ad Christi fidem *etc. Item quod* suspensus in arbore et verberatus, tradidit Deo spiritum. *Si propter has diversitates hunc ab hodierno distinguendum censeas; sufficiat de hodierno hæc notasse; ac lectorem remisisse ad diem, quem dicebam,* VII Septemb.

S. Froilani episcopi translatio Legione in Hispania *a Ferrario hoc die notata est; at natalem solemniter celebrari monet* V Octobris.

S. Narcissus, patriarcha Hierosolymitanus, in pace consummatus *notatur in Menæis magnis typo editis: de quo Martyrologium Romanum die* XXIX Octobris.

S. Florini confessoris translatio Curiæ in Rhetia *(vulgo* Grisons) *annuntiatur a Ferrario in Catalogo generali, citante Galesinium, apud quem tamen* Florianus *appellatur, qui et observat, natalem Sancti recoli die, quo et de hac translatione agetur,* XV Kal. Decembris *seu* XVII Novembris. E

S. Chromatius episcopus Aquileiæ *ex Maurolyco et Petro in Catalogo hoc die refertur a Ferrario, qui tamen ingenue fatetur, in Tab. ecclesiæ Aquileiensis et Marlio Romano signari* II Decembris.

Erkantrudis *virgo hoc die signatur in Kalendario Benedictino, melius, opinor a Bucelino relata* XIV *Maii, quo die a Majoribus nostris remissa est ad diem quo colitur S. Burgundofora* VII Decembris.

DE S. FAUSTINO VEL FAUSTO M.

MEDIOLANI IN INSUBRIA

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICUS

Sancti cultus, tempus martyrii, et Acta discutiuntur.

C F

Sec. II. Veteres Martyrologi hunc Sanctum adscribunt Mediolano.

Hic *Sanctus, quem historici recentiores passim filium Philippi vocant, et, nescio quo fundamento, a patre seu familia* Oldanum *cognominant, hac die ab antiquis Martyrologis memoratur: nam Martyrologium Hieronymianum, quod Franciscus Maria Florentinius edidit, consentientibus aliis ejusdem Martyrologii apographis, illum septimo Idus Augusti sic breviter annuntiat:* Medionali natalis sancti Faustini. *Vetus vero Martyrologium Romanum, a Rosweydo nostro editum, eum appellat* Faustum, *et gloriosum martyris titulum eadem die ipsi tribuit hoc modo:* Mediolani, Fausti martyris. *Usuardus autem tempus martyrii præterpropter indicat his verbis.* Apud Mediolanum, Faustini, tempore Aurelii Commodi, martyrizati. *Huic annuntiationi similia habent Ado et Notkerus, quibus hodiernum Martyrologium Romanum militarem Sancti professionem ita addit:* Mediolani, sancti Fausti militis, qui sub Aurelio Commodo post multa certamina, martyrii palmam adeptus est. *Equidem fateor, Baronium hic in signando martyrii tempore vestigia Usuardi aliorumque secutum esse; sed quomodo id cohæret cum Annalibus ecclesiasticis ejusdem Eminentissimi scriptoris, in quibus ad annum Christi 182 operose probat, sub imperio Commodi nullam contra Christianos motam fuisse persecutionem?*

ubi tamen nulla fit de illo commemoratio,

2 *Interim ex his abunde liquet, de vetusto et immemorabili istius* Faustini *vel* Fausti *cultu nullatenus dubitandum esse. Quare vehementer miror, ab ecclesia Mediolanensi annuam hujus Sancti memoriam non celebrari, ut intelligo ex Petro Paulo Bosca, qui in notis ad Martyrologium Mediolanense hac die sic scribit:* Jacet corpus sancti Fausti in ecclesia monialium Sancti Apollinaris Mediolani; ejusque Vitam novissime typis Mediolanensibus edidit Antonius Coherez ex Minoribus de Observantia. Item sancti Fausti meminit Galesinius in Martyrologio, qui Martyrologium Romanum, manuscriptos Annales Hermanni, et monumenta Mediolanensis ecclesiæ citat, Ferrarius in Catalogis, Ambrosius Boronus in ejus Vita, et alii. Ecclesia tamen Mediolanensis, quemadmodum sanctorum Robustiani, Ambrosii, ac Guiniforti martyrum, ne quidem sancti Fausti commemorationem facit, quod ægre ferunt multi vices et liturgi. *Sane mirum est, in Officiis aut sacris Fastis ecclesiæ Mediolanensis nullam de Sancto isto fieri mentionem, cum de legitimo*

A *timo illius cultu constet.*

eumque Galesinius perperam duplicavit.

3 *Præterea miror, notitiam de hoc Sancto, quæ tempore minui solet, post multa secula elapsa crevisse, ita ut recentiores Martyrologii et historiographi ex qualicunque traditione narrent varias Actorum circumstantias, quas antiqui scriptores videntur ignorasse. Exemplo sit Galesinius, qui in Martyrologio suo ad diem septimam Augusti hæc habet :* Mediolani sancti Fausti. Is beati Philippi filius a Caio episcopo baptizatus, quo tempore magna exarsit Christiana persecutio, a fidei hostibus divexatus, nullo eorum impetu retardatus, nec vero expugnatus, ædificata basilica, quæ Faustiniana nuncupata est, et vita Evangelii præceptis conformata, tandem in Commodi imperatoris persecutione, sancte quievit in Domino. *Quinimo Galesinius die* XV *Februarii eumdem* Faustum, *tanquam diversum, nobis sub alia forma sic repræsentat :* Mediolani, sancti Fausti, qui, Marco Aurelio imperatore, pro Christo Jesu dimicans, præclarum fidei Christianæque virtutis B testimonium dedit.

ut Ferrarius, aliique recentiores notarunt.

4 *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum etiam die* XV *Februarii de illo* S. Fausto *meminit; at ibidem in notis recte monet, hunc* S. Faustum *esse eumdem cum illo, qui in Martyrologio Romano ad diem* VII *Augusti refertur. Hinc Petrus Paulus Bosca suspicatur, uno die inventionem aut translationem, et altero martyrium ejusdem Sancti commemorari, ut in notis laudati Martyrologii Mediolanensis ad diem* XV *Februarii indicat his verbis :* Sancti Fausti meminit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, usus testimonio Galesinii. Alterius quidem Fausti martyrium memorat Romanum Martyrologium die septima Idus Augusti, cujus meminerimus infra. De hoc autem Fausto nihil unquam legi, nisi apud Ferrarium, cordatum tamen et solertem alioqui scriptorem; nisi fortasse hic dies sit inventionis aut translationis ejus Fausti, qui septimo Idus Augusti, Aurelio Commodo imperante, martyrium pro Christo sustinuit. Illum autem eumdem esse testatur Ferrarius; ac proinde diem natalem veneramur mense Augusto; inventionem aut translationem hodie factam memoramus ab Henrico Septala, archiepis-C copo Mediolanensi *(hic ab anno Christi 1211 usque ad annum 1230 vel 1231 Mediolanensi ecclesiæ præfuit, ut Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo IV, col. 178, testatur)* ex cœmeterio Caii, vulgo ecclesia Sancti Francisci, ad sacram ædem divi Apollinaris, sive ille vocetur Faustus vel Faustinus, ut alii malunt, de quo infra die septima Augusti.

qui etiam de tempore martyrii

5 *Etiamsi Ferrarius non immerito Galesinium reprehendat, eo quod ex uno* S. Fausto *Mediolanensi duos fecerit, et adversus vetera Martyrologorum testimonia* S. Faustum *martyrem numero Confessorum adscribere videatur, tamen circa alias Actorum circumstantias cum illo concordat, dum in Catalogo Sanctorum Italiæ, die* VII *Augusti, breve istius Sancti elogium ita texuit :* Faustus miles Mediolanensis, beati Philippi filius, a sancto Caio episcopo Mediolanensi baptizatus, multa pro fidei confessione Mediolani passus est, quo tempore gentilium persecutio Christianos maxime premebat. Is, ædificata ecclesia, quæ ex ipso Faustiniana dicta est, et cujus sanctus Ambrosius meminit, ab hostibus fidei comprehensus, vexatus, varieque tentatus, ut ad idolorum cultum revocaretur, denique post multa certamina sub M. Aurelio Commodo palmam martyrii adeptus est VII Idus Augusti. *At ibidem in Annotatione sua cum eminentissimo Baronio observat,* Commodum, licet crudelissimus esset, nullam tamen Christianis molestiam attulisse.

AUCTORE G. C.

inter se disceptant,

6 *Forsan hoc eminentissimi scriptoris argumento inductus Ambrosius Borronus, qui anno 1622 ampliora* S. Fausti *Acta Italice edidit, martyrium ejus sub Adriano imperatore collocat. Verum neutra hæc martyrii chronologia placet Joanni Petro Puricello, qui etiam in Monumentis Ambrosianæ basilicæ num. 81 vel pag. 147 et sequente utramque ex ipsis auctorum illorum principiis ita impugnat :* Cæterum Ambrosius Borronus in ejus sancti Fausti Vita, quam Italice scriptam edidit Mediolani anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, ipsum asserit martyrio coronatum fuisse anno Domini centesimo vigesimo primo sub Adriano imperatore. Quocirca vel per hanc inter ipsos discordiam nonnihil suspicio illa nostra confirmatur. Quem igitur ego suspicor errorem, inde sic etiam suspicor obortum, quod militem hunc E Faustum (ne dicam duos, quemadmodum videbatur indicasse Galesinius) Mediolanensem scriptores confuderint cum Fausta, Philippi Oldani filia, a qua basilica ecclesiaque illa nomenclaturam Faustæ accepisset, atque ex iis unicum Faustum conflarint, tot annis illa posteriorem, maxime vero juxta Galesinii pariter ac Ferrarii sententiam de tempore, quo martyres Protasius et Gervasius occubuerint : hi siquidem opinione ipsorum sub Neroniana persecutione occubuerunt ; cum alioqui Nero ipse mortuus tradatur anno Christi septuagesimo. Cum itaque Martyrum illorum corpora Philippus subinde una simul cum filio suo sepeliverit, consequens est, ut tam Portius, quam Fausta (vel, ut ipsi nominant, Faustus) illius filii, multis annis Faustum illum antecesserint; tametsi vel etiam sub Adriano imperatore, quemadmodum Borrono videbatur, martyrium subiisset anno Domini centesimo vigesimo primo. Sed hactenus hac de re conjecturarum satis, donec clarior in alterutram partem lux nobis affulgeat.

traduntque aliquas Actorum circumstantias,

7 *Gualvaneus de la Flamma, qui exeunte seculo* XIII *Ordinem Prædicatorum ingressus est, et cujus aliqua scripta nuper Mediolani inter scriptores rerum Italicarum tomo XI a col. 537 primum typis excusa sunt, in Manipulo florum cap. 31* F *vel ibidem col. 559 martyrium SS. Gervasii et Protasii sub imperio Neronis constituit, et eodem capite narrat,* Philippum illustrem civem Mediolani cum filiis suis Fausto et Portio *circa id tempus a Caio, tertio Mediolanensis civitatis episcopo, sacrum baptisma suscepisse. Dein cap. 32 duos istos Philippi filios in aula imperatoris Trajani collocat his verbis :* Erant autem in curia imperatoris Trajani duo filii supradicti Philippi generosi, Faustus scilicet et Portius. Faustus Faustam, id est sancti Vitalis; Portius Portianam, id est sancti Victoris ad Corpus, ecclesiam construxerunt, in quibus beatus Castricianus nitentes clericorum choros, Davidicos hymnos personantes, instituit. *Hic auctor cum aliis supponit, Trajanum imperatorem in urbe Mediolanensi palatium habuisse, et in eo aliquandiu commoratum esse.*

quas nihilominus Tristanus Calchus

8 *At Tristanus Calchus lib. 1 Historiæ Mediolanensis pag. 17 et sequente hanc opinionem ita refellit :* Trajanum Cæsarem non solum frequenter Mediolanum venisse Merula absolute scribit ; sed etiam palatium in ea urbis parte ædificavisse, quæ adhuc Palatii nomen tenet. In quo ego lapsum amore laudum civitatis arbitror, cujus gloriæ nimium favebat ; quia nec id apud Latinorum quem-

AUCTORE G. C.

quemquam idoneum scriptorem, quod viderim, legitur, nec ipse in Vita imperatoris, quam ex Dione Græco Latinam fecit, meminit. Nec ratum habeo, quod Blondus temere magis, quam judicio aliquo dixit, Romanos imperatores, quoad per occupationes liceret, Mediolani habitasse Nervam, Trajanum, Hadrianum, et deinceps alios, de quibus, quid ipse sentiam, suis locis res ipsa docebit.

et Joannes Petrus Puricellus

9 *Quod vero attinet ad nomenclaturam ecclesiæ Faustinianæ, quam Gualvaneus Flamma, Donatus Bossius, Tristanus Calchus, Josephus Ripamontius, aliique scriptores Mediolanenses ex traditione popularium suorum passim a Fausto, filio Philippi, sic dictam putant, ea a Joanne Petro Puricello variis argumentis impugnatur: nam præter alia, quæ ex forma et situ loci contra traditionem illam allegat, in laudatis Monumentis Ambrosianæ basilicæ num. 80 huic opinioni opponit sequentia :* Cæterum circa ecclesiam istam Faustæ alterum adhuc mihi recursat in mentem; in quo, si non asseveranter assero, suspicor B tamen, scriptores illos, quos paulo ante nominabam, et alios multos a vero aberrasse. Faustinianam illi basilicam, concordes asserunt, ab uno e Philippi Oldani filiis, cui nomen esset Fausto, appellatam fuisse. Quocirca nunquam illi basilicam nominant Faustæ, sed semper vel Fausti, vel Faustam, vel Faustinianam. Quid si autem Philippo fuissent filius, nomine Portius, et filia, nomine Fausta? Potuissentne tum dici Philippi fuisse duo filii, e quibus Portiana et Faustiniana suum nomen acceperint? Quis hoc neget? Siquidem filii nomen ambitu suo filias quoque complectitur; feminæque simul et masculus si forte pluraliter nominentur, masculinum genus, utpote nobilius, feminino prævalet; atque tam femina quam masculus sub genere plurali masculino comprehenduntur; sicut est inter ipsa Grammaticæ rudimenta receptissimum.

non contemnendis argumentis

10 Tametsi ergo auctores aliqui aliquando tradiderint, binas illas Mediolani basilicas a binis Philippi filiis proprium nomen accepisse; non inde propterea statim sequitur, ut ambos illi fuisse masculos filios existimarint, et sicut e Portio Portianam, sic e Fausto Faustam vel Faustinam, vel C Faustinianam fuisse nuncupatam. Dicerentne vero isti etiam, e Fausto denominatam fuisse ecclesiam Faustæ? Quo id sensu, qua id fronte? Qui ergo præcise constanterque id ipsum ex adverso dicat, absque dubio censendus videbitur denominationem illam, non a Fausto deductam interpretari protestarique, sed a Fausta, Philippi utique filia. Atqui nostro in odæo inscripta manifestissime legitur ECCLESIA FAUSTÆ : sanctusque quin etiam doctor Ambrosius nusquam legitur aliter eam nominasse, quam BASILICAM FAUSTÆ, in epistola scilicet quinquagesima tertia ad Marcellinam sororem, quemadmodum ex ipsius calamo scribit etiam Cardinalis Baronius in ejusdem Vita. Neque igitur sanctus Ambrosius (dicam ego) neque majores illi nostri, e quorum præscripto basilicæ illi Faustinianæ adscriptum in odæo fuit ECCLESIA FAUSTÆ; nec item illic Baronius, aliique omnes hac in re ipsos secuti, censuerunt, eam sic e D Fausto fuisse denominatam, sed potius e Fausta filia et femina.

in dubium revocarunt,

11 Quid, quod ipsemet etiam Philippus, unicum sibi masculum fuisse filium, satis aperte videtur in eo indicasse libello, quem sanctus Ambrosius comperit ad sanctorum Protasii et Gervasii martyrum caput? In eo siquidem Philippus ita scriptum reliquerat in principio : EGO SERVUS CHRISTI PHILIPPUS INTRA DOMUM MEAM SANCTORUM CORPORA, QUÆ CUM FILIO MEO RAPUI, ET SEPELIVI. Et rursum in fine : EGO SERVUS CHRISTI PHILIPPUS ABSTULI CUM FILIO MEO FURTIM NOCTE SANCTA CORPORA. Quod si Philippo supponatur unicus tantum fuisse filius masculus, quid hoc modo loquendi convenientius? Sin autem duo illi fuisse supponantur, quorum alterutrius opera posset ad ejusmodi pietatis officium uti, cum alioqui utriusque non sit usus, sed unius tantum; quidni consentaneum rationi erat, ut non ita loqueretur indiscriminatim et absolute; sed ut illum, quo usus fuisset adjutore, vel expresse E nominaret, vel tacite præ altero utcunque indicaret; vel ad minus diceret, CUM UNO EX FILIIS MEIS, vel quippiam simile? *Hæc ultima ratiocinatio adversarios magis urgeret, si libellus iste Philippi genuinus esset; sed in Actis SS. Gervasii et Protasii § 3 ad diem* XIX *Junii, tomo III istius mensis a pag. 820, jam monuimus, instrumentum illud esse supposititium. Cæterum Petrus Paulus Bosca in notis ad Martyrologium suum Mediolanense die* VII *Augusti ab hac Puricelli sententia non abhorret.*

quos dissidentes relinquere cogimur.

12 *Nolo hic operose discutere opinionem Placidi Puccinelli, qui in Zodiaco Mediolanensis ecclesiæ part. 1 pag. 88 confidenter narrat,* S. Faustum *Philippi filium, conniventia Nervæ imperatoris construxisse basilicam, in qua postea per invidiam, nondum perfecta fabrica, ab hostibus fidei tumultuose occisus fuerit, et sepultus a Castritiano, quarto Mediolanensium episcopo, qui juxta ipsius computum post diuturnam Mediolanensis ecclesiæ gubernationem anno Christi 140 ad Superos migravit : nam ex hactenus relatis abunde patet, recentiores historiographos Mediolanenses de stirpe, tempore martyrii, cæterisque gestis* S. Fausti *inter se non convenire, et quosdam* F *aperte contradicere Usuardo, aliisque antiquis Martyrologis, qui martyrium hodierni* S. Fausti *sub imperatore Commodo collocarunt. Etsi autem eo tempore nulla Christianorum persecutio publice indicta fuerit, potuit tamen tunc temporis Sanctus ille ab aliquo præfecto, vel in quodam ethnicorum tumultu, propter fidem interfici. Porro non est nostrum hæc dissidia componere, cum nobis desint vetera documenta, quibus hanc litem dirimamus. Ex dictis etiam sequitur, Ambrosium Borronum pro suo arbitrio, vel ex populari traditione, ampliorem* S. Fausti *Vitam Italice composuisse. Nos interim Mediolani hodie agnoscimus* S. Faustum *martyrem ; sed simul fatemur, nos ignorare stirpem ipsius, aliaque Acta, donec certiora et antiquiora eorum testimonia proferantur.*

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

PETRO ET JULIANO SEU JULIANA ET XVIII SOCIIS

J. B. S.

SEC. III.

Notissimi sunt in omnibus Classicis Martyrologiis, uti et in Romano, signati hic duo Martyres cum anonymis sociis XVIII, *ut pluribus explicuimus in nostra hoc die ad Usuardum Observatione, rem valde implexam, uti tunc quidem licuit, exponere conati, huc cætera remittentes, si forte verisimiliora occurrerent. Ast hæc nusquam explorare hactenus licuit, apographis Hieronymianis tenebras potius quam lucem affundentibus, quas et Galesinius auget, dum* Sophronium *aliquem inde, ni fallor, accersit, qui Antiochiæ, ut infra dicemus, tribuendus est. Neque dubitando* B *rem conficit Florentinius, dum* Romanos XXVI Martyres *Augustam amoliri conatur. Sit autem numerus* XX, *sit* XXVI, *nihil superest nisi ut cum Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, complecti omnia cogamur hisce paucissimis*: Petrus et Julianus cum aliis XVIII Romæ in Valeriani et Gallieni imperatorum persecutione comprehensi, cum idolis sacrificare nollent, vario cruciati sunt, cumque infracto animo acceptæ fidei confessionem retinerent, ad palmam martyrii pervenere. *Commiseratione dignus est Tamayus, dum corpus aliquod sub* Juliani *nomine e cryptis Romanis in Hispaniam translatum, hodierni hujus nostri* Juliani *esse, rotundissime asserit.* E

DE SS. MARTYRIBUS NOVOCOMENSIBUS

CARPOPHORO, EXANTHO, CASSIO, SEVERINO, SECUNDO ET LICINIO

J. B. S.

SUB MAXIMIANO. *Galesinii compositionem*

Horum SS. Martyrum classem primus, quem quidem noverim, ita formavit Galesinius, quem et solum sibi prælucentem allegavit Baronius, dum eam Martyrologio Romano inscripsit. Citat ille nescio quæ Acta S. Alexandri martyris, quæ exstare *ait* in ecclesiis Bergomen., Mediolan., Novarien. et Aquileiensi; quorum præterea Vita exarata sit apud Boninium. *Si in iis ecclesiis eadem Vita legitur, quam dedit Boninus, seu Mombritius, nullam eam esse oportet. Nominantur quidem in Actis S. Fidelis* Carpophorus *et* Exanthus; *at sociorum istorum ita connexorum Acta antiqua reperiri, necdum me satis docuit Gale-* C *sinius, primus, ut jam dicebam, totius classis compositor, cui ferme similem dederunt nobis hoc die inter auctaria Usuardina codices Florentini; quorum Strozzianus legit:* in Italia Cumis *(alii duo positionem seu locum omittunt)* passio sanctorum martyrum Carpophori, Exanti, Cassii, Severini et Secundini, qui passi sunt sub Maximiano tyranno sacrilego. *Demus,* Cumis *pro* Como *istuc irrepsisse; quæro vetustiora aliqua quæ nos de positione et compositione certiores reddant, quæ nullus hactenus reperit aut saltem suggessit.*

in variis implexam 2 *Fateor equidem in fragmento Kalendarii Romani antiquissimi, a Bucherio editi, reperiri hoc die hanc formalissimam annuntiationem:* VII Idus Augusti, Secundi, Carpophori, Victorini et Severiani, Albano et Ostiense: *qualis ferme etiam in Hieronymianis die sequenti. At quis hæc, obsecro, cum Novocomensibus vel remotissime conciliet, cum ii ipsi certo sint, qui sub quatuor Coronatorum nomine in Romano referuntur* VIII *Novembris, si modo* Severum Secundo *substituas. Est et* Carpophorus *seu* Carpenforus *cum socio* Auxentio, *forte pro* Exantho *in Hieronymianis Lucensibus, unde textum suum eduxit Florentinius: ast hi S. Donato Aretino ita conjunguntur, ut ferme de ejus sociis fuisse videantur. Ex his ergo omnibus lucis nihil, quam frustra aliunde accersiveris, vel si scriptores quinquaginta citet Primus Aloysius de Tattis in suo Novocomensis ecclesiæ Martyrologio, cui adjumenti nihil adferunt Annales, non iis fulti documentis, quæ rem satis solide explicent, nedum comprobent aut stabiliant; ut ea demum sola supersint quæ Ferrarius adduxit, nempe dictarum ecclesiarum monumenta, ex quibus id demum constet, a multis seculis illustres istos Martyres iis locis solemni cultu celebratos fuisse, quorum hæc Acta exhibebimus, prout a laudato Ferrario satis nitide contracta sunt:*

utcumque explicat Ferrarius: 3 Carpophorus et Exanthus milites Maximiano imperatori familiares, quo tempore is Mediolani moram agebat, cum mira quæ a sanctis martyribus Cassio, Severo, Secundo, Licinio et Alexandro, carcere ob Christianam religionem inclusis F fiebant, accepissent, ad eos venientes et allocuti, ad Christum convertuntur. Reversi ad regiam Christum Deum verum et solum libere prædicare cœperunt, deos et eorum simulacra detestantes. Baptizati itaque et in fide confirmati a S. Materno episcopo Mediolanensi una cum S. Fideli, sanctos Martyres e carceribus educunt, Comumque cum illis noctu aufugiunt. Ubi haud procul ab urbe mortuum ad sepulturam delatum, oratione ad vitam revocant, ac in loco, qui Sylvula dicebatur, consistunt. Interea Maximianus, his cognitis, satellites mittit qui Sanctos, recusantes deos venerari, diris suppliciis affectos interficiant. Comprehensos igitur primum virgis eos cædunt durius, deinde ungulis ferreis dilaceratos excarnificant, denique fortes in confessione Christi perseverantes capite plectunt. Quorum corpora ibidem a Christianis condita sunt, quo in loco postea a Luitprando Longobardorum rege templum illis excitatum fuit. Passi sunt VII Idus Augusti.

alia etiam notans. 4 *Notat porro Ferrarius, quod* S. Fidelis, *licet* horum Martyrum socius fuerit, alibi tamen et alio tempore passus sit: de quo propterea Novocomi separatim agatur. *Monet etiam,* S. Carpophori corpus una cum S. Fidelis martyris ex abbatia Aronæ Mediolanum in ecclesiam ejusdem sancti

A sancti Fidelis a S. Carolo Borromæo archiepiscopo translatum esse anno D. MDLXXVI. Ex Vita ejusdem S. Caroli per Joannem Petrum Glussanum patricium Mediolanensem scripta. *De S. Fideli, atque adeo de hac translatione, agendi locus recurret opportunior ad* XXVIII *Octobris. Plura* D *neque movere neque examinare hic lubet, ne Boscæ in suo Martyrologio Mediolanensi silvam ingrediamur, ex qua nihil magnopere solidi video colligi posse.*

DE S. DONATIANO EPISC. CONF.

J. B. S.

Catalauni in Gallia

SEC. FORTE IV. *S. Memmii socius*

Hic ille est S. Memmii primi Catalaunensium apostoli discipulus, socius, Diaconus et in episcopatu proximus successor, in vulgatis Actis ubique cum sanctissimo Magistro laudatus, nec ab eo divulsus, ut jam satis ostensum est ad mensis hujus diem V *ubi de sancto Memmio, et rursus ad diem* IX, *dum de S. Domitiano agetur, re-* B *petendum erit. Neque enim aliud memoriæ traditum novimus aut Catalauno obtinere potuimus, præter illa quæ in brevibus S. Memmii Actis de ambobus ejus sociis et in episcopatu successoribus memorantur. Inter recentiores Martyrologos primi, quod equidem sciam, eum hoc die collocasse videntur Molanus et Galesinius: ille simpliciter et recte his verbis:* Catalaunis civitate, depositio sancti Donatiani episcopi et confessoris; *hic autem, licet etiam breviter, insolubili difficultate sese involvens, dum ita scribit:* Catalauni in Gallia, sancti Donatiani episcopi et confessoris, qui magno religionis nomine vir, Agrippinensi concilio interfuit.

ejusque successor

2 *Si meminisset Galesinius, sese sanctum Memmium Apostoli Petri discipulum appellasse, ab eoque in Gallias missum, non tam facile* S. Donatiano, *ejus in cathedra Catalaunensi immediato successori locum dedisset in qualicunque concilio Agrippinensi, non ante annum* CCCXLVI *celebrato. Neque sane video quid plures alii misceant dum hunc nostrum eumdem sanctum* Donatianum *Cabillonensi synonymo tam rotunde substituunt, nisi sesquiseculo et amplius eum supervixisse contendant. Ast isti controversiæ jam nervos succidisse videmur, primorum Catalaunensium præsulum seriem, dum de S. Memmio ageremus, verosimillime ordinando. Neque vero hic alia supersunt de rebus ad* S. Donatianum *spectantibus, aut virtutibus ejus et sanctitate memoranda, quæ, ut iterum dicam, Catalauno impetrari non potuerunt,* E *opinor quia nihil solidi superest quod de ipso seorsim prædicari queat; ut proinde satis sit, eximii Magistri laborum apostolicorum ejusdemque adeo gloriæ fuisse participem. Brevi compendio omnia complexus est Gallicanus Martyrologus sequenti elogio:*

laudatur a Saussayo

3 Catalauni, natalis S. Donatiani episcopi, qui diaconi ordine præditus, a sancto Petro in Gallias ad hanc civitatem cum sancto Memmio episcopo, Domitianoque subdiacono destinatus fuit: atque per annos fere octoginta eidem obsecundans, regni Dei ibidem constitutionem admodum cum eo provexit. Quo ad supernam requiem translato, fere jam centenarius ecclesiæ illius curam suscepit pastoralem, populumque Dei salutis documentis amplius instituens, perfectam ad religionis observantiam summa sanctarum virtutum exercitatione perduxit. Denique pie factorum meritis cumulatus, placide quievit in Domino. *Quo pacto et missio* S. Donatiani *et ætas intelligenda sint, habes in Memmiano Commentario jam non semel citato.*

C

DE S. DONATO EPISC. MART. & S. HILARIANO ETIAM MART.

J. B. S.

Aretii in Tuscia.

CIRCA AN. CCCLXII. *Plurima de hoc Sancto*

Vix de alio Sancto plura in Musei nostri manuscriptorum collectione reperiuntur quam de hodierno S. Donato, *vix de ullo plura confusa et calamo nimis libero digesta; ut mox patebit, ubi præclara de vetusto ejus cultu testimonia præmisero. A nullo Martyrologo distinctius signatur et melius quam ab auctore Romani parvi, clarissime hoc die ipsum annuntiante:* Apud Aretium, Donati episcopi et martyris, *quo plane modo etiam loquuntur Beda noster seu Florus, Ado, Usuardus, Rhabanus et Notkerus; ut constantissima sit veterum istorum omnium sententia, non de* confessore *hic agi, sed de verissimo* martyre, *qui ut talis ab omni ævo Aretii et in reliqua Tuscia, ubi celeberrimum est ejus nomen, imo tota Ecclesia cultus fuerit, nequidquam repugnantibus hoc die Hieronymianis, tum majoribus tum contractis, in quorum plerisque* episcopus confessor *perperam pronuntiatur, nisi huc Donatum illum,* XXX *Aprilis ipsis ignotum, transtulerint, quem Euroeæ in Epiro episcopum ex Græcis tabulis dedimus ad dictam* XXX *Aprilis, quique in pluribus Actis Mss. et excusis cum hodierno* Donato *ex mera, opinor, amanuensium ignorantia confunditur.*

in Vitis confusa sunt.

2 *Viderunt ea Majores nostri dum ad* XXX *illam Aprilis de* S. Donato *episcopo Euroeensi confessore agendum fuit, ubi ita inchoatur Commentarius:* Hic est alius Donatus ab eo quem episcopum simul et martyrem ad VII Augusti Aretini colunt. Utrumque vitæ sanctitate illustrem seculum IV tulit: hunc, potiente rerum Juliano, pro orthodoxa fide mortem oppetentem; illum aliquot annis post Euroeensibus infulis sub magno Theodosio clarum.

A rum. Unde idem utriusque nomen et exiguum, quo disjungebantur, temporis intervallum facile amborum Actis confusionem induxit : adeo ut non pauca quæ sunt Eurœensi episcopo propria, Aretino attributa reperiamus, illaque ipsa alterius castigationis indiga. *Et sane castigationis non modicæ, ut pridem observavit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, ubi non pauca corrigit in ipsissimis Actis Aretinis, quæ ab Actis Græcis Donati Eurœani longissime distant, ut ipsa consulenti ultro in oculos incurret. En modo ipsam Eminentissimi annotationem :*

ut pridem Baronius

3 DONATI EPISCOPI] De quo Beda, Usuard., Ado ac cæteri hac die. Ejus martyrii Acta sincerissime olim scripta fuisse apparet, ex quibus Gregorius Papa lib. 1, Dial. 7 de fracto calice mutuatur exemplum. Scripta esse feruntur a Severino episcopo, qui quartus a Donato Aretinæ ecclesiæ præfuit. Utinam, sicut ille edidit, integra permansissent ; et non aliquis, sibi visus nimis sapiens, aliqua superaddidisset, quibus cætera revocantur in dubium. Legimus ea in pluribus B codicibus Mss. edidítque eadem Mombritius tom. I in vitis SS., et Petrus in Catalogo, brevi compendio lib. 7 cap. 33. Displicent ea quæ de Juliani educatione Romæ sub Pigmenio, una cum Donato narrantur. Ubi enim Julianus puer vixerit, una cum Gallo fratre in Cappadocia, ubi et adolescentior Athenis eruditus fuerit, ubi demum in Galliis exercitibus præfuerit, satis constat ex Græcorum ac Latinorum antiquis historicis, ac imprimis ex ipsius Juliani epistolis. Illud etiam ab ratione alienum est, ut Juliani persecutionis tempore, qui nec integro biennio imperavit, idem S. Donatus lector fuisse dicatur, indeque consecratus diaconus, ac post multos annos presbyter ordinatus, ac denique adhuc eo imperante, decedente Saturo episcopo, suffectus in locum ipsius, insuper et adhuc eodem vivente Juliano fuerit martyrio coronatus.

aliique observarunt.

4 Quomodo etiam temporibus Juliani lector adhuc fuisse perhibetur, qui a Julio Pontifice Romano ibidem dicitur episcopus ordinatus? Quid autem de ea re sentiam absque aliquo veritatis præjudicio, libenter ac libere dicam. Puto Donati pueritiam et educationem Romæ factam, paC rentumque necem non sub Juliani imperio, sed sub Diocletiano, circa extrema illius persecutionis tempora contigisse : ab illis enim temporibus usque ad Julianum quinquaginta duorum annorum spatium intercedit, quo Donatus fuga lapsus se contulit Aretium, ibique sacris ordinibus a Saturo episcopo initiatus, ac deinde, illo defuncto, a Julio Papa in ejus locum subrogatus, et demum sub Juliano imperatore martyrio fuit coronatus. Hæc si dicamus, cætera omnia, quæ in Actis ejus leguntur, remanent inconcussa : quod si secus fiat, omnia sub prædictorum errorum caligine involvuntur. *Hactenus Baronius, cui non ausim assentiri, cætera omnia* inconcussa *esse, quæ forte eadem libertate* a nimis sapientibus *aucta et exornata sunt.*

Donatum non unum

5 *Atque hæc quidem solam eam Vitam a Mombritio editam spectant, quæ incipit*; Erat quidam puer in civitate Romana, *præter quam videri etiam potest alia multo longior, quam vulgavit Petrus Buonamicus typis Florentinis anno 1607, sub hoc principio :* Beatissimorum martyrum Donati et Hylariani narraturus triumphos, *quæque non semel apud nos Ms. est, cum quatuor aliis diligenter collata. Tum compendia apud Bellovacensem et Equilinum. Item et alia brevior per* *Petrum Boncompagnis. Demum. exempla varia Vitæ ex Græco translatæ, nihil prorsus pertinentis ad eum, quo de agimus,* S. Donatum Aretinum, *cui tamen titulus præfigitur :* Narrationes de virtutibus S. Donati episcopi et martyris, *ut hic semel recte perspicias, quam temere titulus martyris ad* S. Donatum Eurœensem *translatus sit, et vice versa* Donatus Aretinus *noster alterius insignibus exornatus, ut vel etiam in Martyrologii Hieronymiani exemplaribus dictus sit* Donatus episcopus confessor, *et ita quoque in Gelasiano Sacramentario compellatus; siquidem istic de Aretino et non de altero illo, apud scriptores celeberrimo, agatur, ut satis verosimile est, die natali ab uno in alterum a Latinis, tabularum Græcarum ignaris, translato.*

Auctore J. B. S.

6 *Vidit enormem confusionem Florentinius, varie se torquens, ut eam tandem ad sanum sensum reducat, tribuatque singulis quæ cuique propria sunt, hodiernum ab Eurœensi sic distinguens, ut ille martyrii sui palma haudquaquam privandus videatur, satis multis aliis involutus, quæ dis-* E *tinguere et quæ ad rectam normam reducere non magis mihi integrum fateor, quam Majoribus nostris fuerit, secernere fabulas Vitæ S. Donati Eurœensis episcopi eadem libertate insertas; ut proinde ab illis hic recudendis satius etiam abstinendum censuerim; quemadmodum et a donationibus ab Ughello recte convulsis, item ab hymnis contortissimis, a lectionibus Buralianis atque a translationibus controversis, in quibus componendis mirum quantum Buonamicus sese exercuerit. Satis hic erit, ex jam laudato Ughello Actorum compendium paulo expurgatius adducere, in quo* Hilarianum *seu* Hilarinum *recte* Donato *conjunctum existimo, eumque adeo diversum ab* Hilarino martyre Ostiensi, *quemadmodum eum verosimillime distinguendum dixi ad* XVI *Julii. En ipsam satis nitidam synopsim, quam Adoniano elogio, a Surio etiam edito, præferendam fateberis, nisi fortasse displiceat intrusa patria Nicomediensis.*

accuratius distinguentes.

7 *Sic nostrum Ughellus S. Saturo substituit tom. I Italiæ sacræ pag. 450 :* Huic defuncto episcopo S. Donatus natione Nicomedus, Romæque sub disciplina Pigmenii presbyteri educatus, suffectus est : siquidem cum Romæ esset, æstuassetque Diocletiani teterrima persecutio, in qua Pig- F menius cum Donati parentibus crudeliter tortus interiit, Donatus, publicis Ecclesiæ commodis deinceps victurus, profugit Aretium, ubi Hilarinum sanctum monachum, locique episcopum benevolos receptores invenit, a quibus jam lector instructus et ordinatus, tanto ardore fidei Evangelium Aretii divulgavit, ut etiam editis præclaris miraculis, vanissimum idolorum cultum ex toto eliminaverit, tuleritque laudem exstinctæ impietatis. Itaque cum contigisset, Saturum e vita discedere, Julius Pontifex ad eum thronum Donatum evexit circa annum Domini CCCXLVI. Quam ille deinceps ecclesiam usque ad Juliani Apostatæ tempora rexit. Cum igitur Donatum præclara ad Dei majorem gloriam molientem Quadratianus Augustalis comprehendi jussisset, simul cum monacho Hilarino, exquisitis tentatus tormentis, capitali punitus sententia interiit anno CCCLXII, fuitque non procul a civitate sepultus, cum Hilarinus præcessisset Donatum ad coronam aliquot dies; siquidem ille XVI die mensis Julii, hic VII mensis Augusti evolavit ad cœlos. Cæterum Aretini Donatum tanquam protectorem ac præsidem civitatis merito venerantur et colunt, quod in totum jugulaverit impietatem.

Hujus et socii elogium.

8 *Hæc*

AUCTORE J. B. S. *An corpus Beneventi?*

8 *Hæc etiam breviter complexus est Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, quem nihil opus est describere, cum ferme repetat lectionem Breviarii Romani, quæ ad hunc diem in omnium manibus versatur. Hactenus dictis in pacifica* S. Donati *sui possessione relinquerentur Aretini, nisi turbatio aliqua oriretur ex Samnitibus, dum lego apud Mariam de Vipera, ubi sancti elogium retulit ad hanc* VII *Augusti, hæc verba :* Deinde Beneventum translatum fuit [*corpus,*] quo vero tempore, a nemine expressum legitur, et in ecclesia S. Mariæ de Samnitibus collocatum ; ex cujus corporis illatione ipsa ecclesia in cultum et nomen ipsius sancti Martyris nostri episcopi transivit, ubi magna populi frequentia veneratur, cujus festus dies uti ex præcepto Ecclesiæ servatur ; et inter patronos Beneventanæ urbis eum cives sibi adscripserunt. Exstat officium translationis sancti Episcopi nostri in Ms. antiquo codice, quo ecclesia Beneventana ante Breviarii correctionem utebatur. *Non opinor, ægre laturos Aretinos, quod patronus suus etiam Beneventi et alibi celebretur ; at sacro corpore sese privatos haudquaquam agnoscent. Magnus synonymorum Sanctorum numerus et hanc confusionem facile induxerit; sed earum hic sit finis.*

DE SS. MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

SIMPRONIO, VENERIO, SEU VENERIA ET ALIIS VII

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

VII AUG.

Scripsi Simpronio *cum codice Corbeiensi, tametsi Lucensis habeat* Simfloni, *vetustiss. Epternacense* Suffroni, *qualiter ex veteri aliquo codice descripsit Grevenus, cujus solum et unicum auctarium est inter Usuardina. Non satis intelligo, quid sibi voluerit Galesinius, dum ex martyrum Antiochenorum classe* Sophronium *accepit, quem Petro et Juliano hodiernis Martyribus Romanis conjungeret, in quo sane Baronium imitatorem non habuit. Notabilis est confusio codicis Epternacensis, dum ita ibi legitur :* Antiochiæ Suffroni, Veneriæ, et Aretio Donati, et aliorum septem. *At vero patens est horum verborum intrusio,* et Aretio Donati, *imperiti amanuensis ignorantia. Cum Corbeiensis autem consentit, dum anonymos* septem *numerat, qui utrum* germani *fuerint, non ausim ex sola Corbeiensis hujus codicis auctoritate asserere. Id recte notavit Florentinius, sanctos hosce* Martyres minime aliis, huc usque editis Martyrologiis, communes esse. *Cultum vetustissimum abunde probat citatorum codicum consensus.*

DE S. HYPERECHIO PRESB. CONF.

J. P.

Cultus apud Græcos, apophthegmata, ætas

SEC. IV. *Cultus stabilitur :*

Hunc Sanctum apud Græcos hodierna die Menæis magnis typo vulgatis, nec non Menæo Chiffletii Ms. insertum reperio. Menæa sic eum annuntiant : Eadem die (VII *Augusti*) S. Hyperechius in pace consummatur. *Sequuntur hi versiculi :*

Ὑπερέχιος κἂν τάφῳ κατεκρύβη,
Ὑπέρτερος πέφυκε καὶ τῶν Ἀγγέλων.

Hyperechius quanquam sepulcro conditus,
Superior ipsis Angelis tamen fuit.

Patet poetæ allusio in nomine proprio Martyris Ὑπερέχιος, *quasi a verbo* ὑπερέχω, *id est,* emineo, superior sum, *derivato; et in comparativo* ὑπέρτερος, superior, præstantior. *Prædictum vero Menæum ait brevissime* Ὑπερέχιος ἐν εἰρήνῃ : Hyperechius in pace. *Apud Combefisium loco mox designando* τοῦ μακαρίου, *id est,* Beati *titulo donatur, ac* presbyteri ; *in Vitis autem Patrum,* abbatis *nomine, antiquis solitariis adeo communi; ubi pro* Hyperechio *scribitur* Hyperichius. *Tametsi autem Mæneis Græcis non nimia deferenda sit auctoritas circa Sanctos, quos signant, uti docent exempla, in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum ante tomum I hujus mensis, parergo 7 a pag. 94*; ac Ruffinus eum laudans, ut mox dicam, ob errores suos non videatur certam fidem facere de sanctitate* Hyperechii : *quia tamen nihil aliunde nobis occurrit, cur eam merito vel falsam vel suspectam habeamus, atque adeo Sanctus est in ejusdem possessione; ideo ipsum in illa relinquendum, atque reliquis hujus diei Sanctis accensendum putavimus. Idem dictum esto cum proportione circa alios Sanctos, e solis Græcis tabulis notos.*

nonnulla Sancti dicta

2 *Subdo nonnulla ejus apophthegmata e Vitis Patrum a Rosweydo editis. Pag. 519 habes odium contra detractores :* Dixit abbas Hyperichius : Melius est comedere carnes, et vinum bibere, quam comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Evam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solum, sed et audientis animam perdit. *Pag. 566 indicat sensum suum de divina misericordia :* Nocte et die laborat monachus vigilans, in orationibus permanens : pungens autem cor suum producit lacrymas, et celerius provocat Dei misericordiam. *Pag. 571 varia præclara congerit documenta.* Quia sicut leo terribilis est onagris; sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ. Dixit iterum : Jejunium frenum est monacho adversus peccatum. Qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio feminæ rapitur. Dixit iterum : Siccatum jejunio corpus monachi, animam de profundo elevat, et siccat fistulas delectationum jejunium monachi. Dixit iterum : Castus monachus in terra honorabitur, et in cœlis corona ab Excelso coronabitur *etc.*

3 *Pag.*

A 3 *Pag. 583 commendat voluntariam paupertatem:* Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Thesauriza ergo tibi, frater, in cœlo, quia ibi ad requiescendum sine fine sunt secula. *Pag. 587 suggerit arma contra tentationes:* Hymni spirituales sint in ore tuo, et meditatio assidua sublevet pondus tentationum supervenientium tibi. Hujus enim rei exemplum manifestum est viator sarcina alicujus oneris prægravatus; flando et respirando, oneris et viæ paulatim laborem imminuit. *Plura ibidem invenies pag. 603, 611, 618, 626, 633. Cotelerius in Ecclesiæ Græcæ monumentis tom. I, pag. 701 quædam Sancti nostri apophthegmata Græco-Latine edidit. Religiosam vero ascetarum adhortationem, quæ Græce inscribitur* Παραίνεσις ἀσκητῶν, *capitulis seu numeris 159 constantem, publici juris fecit Combefisius in Auctario suo novissimo, part 1, pag. 316 et seqq.*

proferuntur.

4 *De tempore, quo* S. Hyperechius *floruit, ita dissero. Apophthegma, quod e Vitis Patrum pag. 519 excerpsi superius, habetur inter ea, quæ vel auctori vel interpreti Ruffino Aquileiensi presbytero tribuuntur (de qua re videri potest Rosweydus Prolegomeno in Vitas Patrum quinto, pag.* XXIX. *) Cum autem Ruffinus scripserit seculo* IV *ad finem vergente; hinc consequens est, ut noster Sanctus ad dicti seculi tempora, vel forte etiam ad exitum proxime præcedentis pertinere videatur. Ruffinus quidem secundum dicta, de eo scripsit; post hunc igitur vel cum hoc ille vixit: sed cum me lateat, an et quandiu Ruffinum præcesserit; fixi superius seculo* IV *mortem ejus: quo vita anachoretica admodum floruit, uti habemus ex gestis S. Antonii magni. Videsis Commentarium ad ea prævium apud nos die* XVII *Januarii.*

AUCTORE J. P. Vixit sec. 4

DE S. DONATO CONFESSORE

B E

Forocornelii (hodie Imolæ) in Italia.

J. B. S.

SEC. V.

Inter tres Sanctos Donatos hodiernos medium hic locum occupat, non aliunde nobis notus quam ex Catalogo generali Sanctorum Italiæ Ferrarii, de immemorabili ejus cultu ita testantis, ut urbis Imolensis sanctis protectoribus ipsum diserte annumeret. Ætatem conjicit ex eo quod S. Projecti ejusdem urbis episcopi, quem concilio Ephesino anni CDXXXI *interfuisse ad eum annum num. 22 refert Baronius, archidiaconus fuerit, saltem ejus tempore claruerit. Audiatur ipse:* Donatus Forocornelii (quam urbem nunc Imolam vocant) natus sub S. Projecto episcopo vixit et claruit, a quo archidiaconus creatus, eam sanctitatis laudem promeruit, ut seculo defunctus, non modo Sanctus habitus sit, sed et a civibus Corneliensibus in urbis suæ protectorem electus. Corpus seu reliquiæ illius in templo Cathedrali in arca intra B. M. Virginis aram religiosissime asservantur. Dies festus illius VII Idus Augusti ab ecclesia Imolensi celebrari consuevit.

DE S. CELSO CONFESSORE

Apud Lemovices in Gallia.

J. B. S.

VII AUG.

C F

Sanctum hic refero solo mihi nomine et cultus loco notum, de cujus nimirum patria, professione, ætate aut gestis nusquam occurrit vestigium. Neque vero quidquam referunt Tabulæ Lemovicenses, in quibus testatur Ferrarius in Catalogo generali, nil aliud legi, nisi quod caput illius in æde S. Stephani habeatur et populo summa veneratione ostendatur. *Utrum sua inde Saussayus, an aliunde eduxerit, non habeo unde conficiam; plura certe non complectitur ejus annuntiatio hodierna in Supplemento Martyrologii Gallicani pag. 1156, ubi ita loquitur:* Apud Lemovicos sancti Celsi confessoris, cujus caput a Domino signis plerisque clarificatum in æde Cathedratica Sancti Stephani habetur, populoque summa cum veneratione hodie ostenditur. *Tertius de cultu testis est Castellanus in Martyrologio suo universali Sanctum Gallice vocans* Soux. *Atque hæc demum sunt quæ de S. Celso hic memorari potuere.*

A

DE S. VICTRICIO CONF.

ARCHIEPISCOPO ROTOMAGENSI

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Nomen, cultus, patria, ætas et gesta.

CIRCA AN. CDXVII. *In Martiis præteritus*

Confessorem *appellamus* S. Victricium, *non eo solum titulo quod Sanctus in pace quieverit; verum et ea meritissima ratione, qua olim* Confessores *dicti sunt qui pro tuenda Christi fide tormenta subierant, qualia hunc fortissime perpessum fuisse ex S. Paulini epistolis ad ipsum scriptis, patebit quam manifestissime. Hic de nomine primum quærimus, quod aliter expressum se reperisse fatetur Franciscus Pommeræus Ordinis S. Benedicti* Congr. S. Mauri, in sua Rotomagensium antistitum Historia, ut qui etiam* Victoricus *et* Victoricius *alibi enuntietur, sic tamen ut de hoc eodem Rotomagensi archiepiscopo, in serie octavo, intelligenda sint, quo in nomine, quoquomodo expresso, non incongrue advertit, adumbrari quodammodo certamina, e quibus victor evadens, felicia ejusdem omina gloriosissime reportaverit; unde mirum videbitur quam maxime, tam illustrem pugilem, tam celebrem antistitem, tam zelosum, ut etiam manifeste patebit, Nerviorum Morinorumque apostolum, in nullis antiquis seu classicis Martyrologiis usquam fuisse memoratum.*

B

a Baronio signatus est,

2 *Verum id Martyrologis nostris utcunque condonandum est, cum auctores minus fuerint quam compilatores Actorum seu elogiorum quæ undequaque conquisita in Tabulas suas retulerunt, id longe magis mirandum, neminem unum Rotomagi inventum qui sanctissimi sui Præsulis tam illustria gesta posteris commendanda susceperit, ut S. Paulino, tot terrarum spatiis remoto, accepta referre, oporteat quæcunque de illustrissimo Sancto referri aut prædicari possunt. Neque alium ducem invenit Baronius, quem in* S. Victricio *Romanis Fastis sacris adscribendo, laudandove sequeretur; ut proinde hic adscribi mereatur breve sed elegans ad hunc diem eminentissimi Annalistæ elogium ex Martyrologio Romano :* Rotomagi, sancti Victricii episcopi, qui adhuc miles, sub eodem Juliano pro Christo abjiciens cingulum, a tribuno multis tormentis afficitur, et capitis damnatur, sed carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutis liber evasit : postea episcopus factus, Morinorum et Nerviorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Christi perduxit, et demum confessor in pace quievit.

C

laudatus a Saussayo.

3 *Paucioribus de* S. Victricio *egerat Galesinius; at Molanus et Miræus Flandrorum Apostolum meritis laudibus exornarunt. Omnium instar erit Saussayi annuntiatio his verbis concepta :* Eodem die Rotomagi secundæ Lugdunensis metropoli, sancti Victricii illius urbis episcopi et confessoris. Hic, teste beato Paulino Nolano* præsule, etiamnum miles, verum sese Christi confessorem et martyrem præstitit. Dumque adversa pro Christo tolerat, vincula quibus morte plectendus, manus suæ constringebantur, miraculo dissolvit. Factus deinde, mira rerum vicissitudine, antistes, bene composita ecclesia sua, exteris populis evangelizavit; magnis laboribus Morinos ad fidem convertit, item extremos Nervici littoris populos; hisque in barbaris regionibus primus monasteria construxit. Deinde redux ad sedem suam, cui octavus ordine præfuit, tot piis trophæis gloriosus, confessor in pace quievit. Hunc S. Innocentius Papa Apostolicis honoravit rescriptis, quibus cum ad ejus consultationes respondit, tum sapientiam et virtutem egregiam elogiis commendavit præclaris. *Hic habes pleraque omnia quæ ex jam citatis et ex Sammarthanis aut aliis adduci possent.*

E

Sancti patria non satis certa

4 *De vero natali loco non est unde quidquam certi statuas, id indicavit S. Paulinus priore sua epistola, nimirum* S. Victricium in lucem populi sui de extimo [seu extremo] orbis eductum : *ubi et paulo post* Nervici littoris tractum *indicat, non* Ebruicani, *ut recte probavit Rosweydus relatus a postremo Paulinianorum operum editore anni* MDCLXXXV, *quem alibi nominari audio Joannem Baptistam le Brun, nota sua* LVIII. *Porro de* Nervico littore *nova disputatio, cum Nervii seu Tornacenses ad mare neutiquam pertineant, ut adeo latiori paulo significatione verba illa accipienda videantur de Morinorum seu Teruanensium, imo et Boloniensium* extremo tractu, *mari paulo viciniore, ad quem hic Pauliniana verba extendenda sint; certe verosimillime ad eas ipsas regiones quas idem Sanctus indefessis suis apostolicis laboribus Christianæ religionis lumine, quod eatenus vixdum eo pertigerat, zelo suo incomparabili illustraret : utrum jam Rotomagensis episcopus, an ante susceptam ecclesiæ istius curam, non ausim equidem ex Pommeræi saltem mente definire, cum majori auctoritate et fructu jam tum episcopum prædicasse existimem.*

F

ut neque et ætas.

5 *Ad Sancti ætatem determinandam non minus implexa sunt omnia, ut candide fatetur laudatus jam Pommeræus, qui ait nonnullos pontificatus ejus initia differre ad annum* CDVI, *alios ad* CDIV *et ad* CDII, *quos omnes recte idem refutat : quin et eos qui ad annum* CCCXCVI *retrahunt, quos ipsos toto biennio antecedit, notans* CCCXCIV. *At neque sic verum ejus exordium figi supponere licet, si commoratio ejus cum S. Martino Turonensi Viennæ ad Rhodanum, ubi etiam S. Paulinus aderat, consignanda sit anno* CCCLXXXIX, *ut fert recentior S. Martini Vita, vel saltem* CCCXC, *quo tempore, vel ipso S. Paulino teste, certissime erat episcopus* S. Victricius, *utpote quem ut talem istic se veneratum fatetur, ignorans tum temporis quanta junior miles sub Juliano passus esset pro Christo. Annus mortis ferme æque incertus. Si vere ad annum* CDXVII *supervixit, cum episcopum supponamus fuisse jam anno* CCCLXXXIX, *non solis* XXIII *annis, ut vult Pommeræus, sed totis octo et viginti, et forte diutius ecclesiam suam*

guber-

A *gubernaverit. Jam vero si militiam secutus est sub Juliano, passus fuerit anno* CCCLXII, *unde nasci eum ut minimum oportuit circa annum* CCCXL, *ut prope octogenarius ad laborum coronam evocatus sit. Hoc brevi metrico elogio ornari dicitur ab Orderico Vitale :*

Victricius victor, vitiorum fortis et ultor
Ecclesiam Domini mandatis imbuit almis.

Gesta ex S. Paulino accepta.

6 *Gestorum aliqualem seriem non aliunde erui posse jam diximus, quam ex duabus laudati jam sæpius S. Paulini epistolis, quas eo ordine disponit recentior operum ejus editor le Brun (nobis Brunus) supra etiam relatus, ut primam recte censeat quæ in serie ponitur* XVIII, *quæque verosimillime scripta fuerit anno* CCCXCIX, *cum necdum ad infulas promotus esset S. Paulinus, id quod satis indicat ipsa inscriptio :* Beatissimo semper et venerabili patri Victricio Paulinus, *ubi in altera sic loquitur, ut ei dignitate parem sese profiteatur hac formula :* Victricio unanimo fratri Paulinus. *Ipsam porro refert ad finem anni* CDIV, *quo ipso Nolanæ ecclesiæ regimen susceperat. Dubius hæsi, præstaretne ambas hasce epistolas describere, quemadmodum prior pro majori parte a Surio edita est, an potius uterer ea dissertatione quæ ad operum calcem exstat, in quatuor capita divisa, quibus quæ de Sancti gestis dici possunt tam ordinate continentur, ut demum superfluum visum sit, operam ponere in iis alio modo aut ordine operosius digerendis. Habe igitur dictam Bruni dissertationem, quam tantisper Vitam appellare placuit, omissis innumeris prope citationibus, quas criticis licebit in fonte consulere. Nos quæ ad Vitam propius spectant, annotare non negligemus.*

VITA

Auctore Joanne Baptista le Brun
Ex S. Paulini epist. 18 et 37.

CAPUT I.

Historia S. Victricii Rotomagensis episcopi. Arma deponit ; et patitur pro Christo, qui ejus innocentiam miraculis tuetur.

Pro Christo arma exuens

Victricius natus videtur in aliquibus imperii finibus, e quibus in lucem populi sui eum eduxit Deus. Junior erat Martino nato CCCXVI vel CCCXVII anno. Ordinante Domino factus est miles Victricius ; militavit Cæsari, et in ipsa militia primum ad finem ingressum habuit. Cum primo Christi amore succensus est, respuit mente militiam et per insignem concilio militari diem *a*, arma repente exuit, quæ ad tribuni sui pedes abjecit. Quo in furias concitato tribuno, Victricius in verbera districtus est, fustibusque fractus, et sic afflictus, in carcere acuto testarum fragmine subtritus est ; necdum vulneribus obductis, comiti fuit oblatus : qui comes *b*, ut videtur, ad eum cruciandum venerat. De illo potentiore inimico Victricium triumphavisse dicit Paulinus, unde colligitur, hunc comitem tormentis eum admovisse.

A. BRUNO. multa passus, miraculo liberatur.

2 Non ausi sunt satellites rursus ingerere cruciatus ; capitali vero sententia damnatus est Victricius. Sed conspicuis miraculis ejus inimicos tum Deus confudit. Nam dum ad supplicii locum duceretur, carnifex qui præibat, cum ejus cervicem insultans manu tetigisset, quasi ictus sui locum præpalpans, excussis illico oculis, cæcitate percussus est. Sed idcirco ille cæcatus est, ut plures illuminarentur, et ut ipse forsitan lumina mentis acciperet. Quas innodatas arctius catenas, vel exiguo beneficio, rogante Victricio, relaxare noluerant custodes, conversa in eorum conspectu ad Deum prece, sponte de manibus absolutis fluere viderunt, nec ausi sunt eas renectere milites ; sed ad comitem pavidi cucurrerunt, veritatem miraculi confitentes.

An propter fidem

3 Comes ipse de furore ad clementiam, Deo providente, conversus, testimonio militum fidem adhibuit, et eum ad imperatorem misit, cui rem totam sicuti gesta fuerat retulit, qui Confessorem, E ut probabile est, non ut reum detinuit, sed ut sanctum emisit. Paulinus qui supradicta refert non dicit, utrum Victricius voluerit solum arma abjicere ut totum se Deo devoveret, an vero eo quod eum cogere voluerint milites ad aliquid religioni contrarium, ut contigit sub imperatore Juliano ; neque etiam dicit, utrum damnatus fuerit tanquam desertor, an vero pro religione Christiana. In exordio ejus narrationis prima causa una affertur ; Et si fuisset damnatus sicut Christianus sub Juliano, comes, ut probabile est, non eum emisisset laudans ut sanctum, sive antequam illius emittendi mandatum ab imperatore accepisset, sive eo accepto.

vere passus fuerit,

4 Aliunde Paulinus dicit, comitem voluisse in Victricio esse Christi persecutorem, eumque testes fidei punire voluisse : Tribunum, ad cujus pedes arma abjecit Victricius, fuisse sacrilegum ; et milites, qui eum cruciabant, diaboli fuisse satellites. Id sane mirum videri potest, si Victricium, militis solum nomine, qui arma deponere vellet, cognoscebant. Videtur etiam insigniri non debuisse titulo confessoris et martyris, quo a Paulino *c* multoties ornatur, propter omnia quæ hanc ob causam sustinuit ; quin etiam et multi F eadem qua Victricius de causa videntur damnati, qui cum eo emissi sunt, quos omnes Paulinus confessores appellat. Quibus rationibus adductus est Baronius, ut assereret, Victricium sub Juliano passum fuisse ; et in Martyrologio Romano ejus natalis die VII Augusti assignatur.

an ob desertam militiam.

5 Si passus est sub principe Christiano, et tantum ut se Deo devoveret totum, nullo præstantiori exemplo demonstrari potest, quantam quisque sibi vim inferre debet ut gratiæ obtemperet, et exuere etiam omnia ex se non plane noxia : unde etiam evidenter apparet, Deum posse in cœlo coronare homines ex legibus civilibus reos, quas Ecclesia suis legibus defendere non potest. In carcerem fuit conjectus S. Martinus, quod sub armis stare amplius nollet, verum non ob illam præcipue causam ; neque enim in capitis discrimen venit. Victricii virtutes illustri huic rudimento responderunt, quod longorum laborum paucis consummatio est. Semper enim visus est potens meritorum, et gratiarum dives ; et Paulinus asserit, Deum fecisse illum meritis parem Martino. Hic non utens licitis et a commodis abstinens Christianæ paupertatis divitem gloriam tenuit, et fidei virtus in tota ejus vita inclaruit.

AN-

A. BRUNO.

ANNOTATA.

a *Notæ sunt Juliani artes, quibus Christianos milites ad apostasiam allicere solitus fuit solemnioribus sacrificiis, quorum uno constantiam suam testatus sit* S. Victricius.

b *Satis patet, quo munere* Comes *ille fungeretur.*

c *Non video, torquenda esse S. Paulini verba dum fidei causa passum fuisse* S. Victricium *asserit, ut proinde et* confessor *et* martyr *recte appelletur.*

CAPUT II.

Victricius creatur Rotomagensis episcopus. Ecclesiam suam pietate illustrem facit ; Fidem in Belgio prædicat.

B

Quanti eum fecerit S. Martinus,

Deus nolens Victricii virtutem sub modio taciturnitatis obscuram latere, eum super candelabrum apostolicæ sedis Rotomagensis ecclesiæ evexit. Id ante contigit, quam Paulinus hujus seculi curis liber esset, scilicet ante annum CCCXC quo eum tempore Paulinus Viennæ apud S. Martinum vidit, et quamvis eum tunc episcopum duntaxat novisset, non vero martyrem ; omnia amen urbanitatis officia ei exhibuit, seque ac suos ejus precibus commendavit, et singulari prorsus dilectione eum complexus est. Sulpicius Severus narrat, episcopos Valentinianum et Victricium adfuisse cum parens quidam Martino puellam, annos duodecim natam, Carnutibus sanandam obtulit : quod miraculum ad duos illos episcopos remittere voluit Martinus, asserens se iis sanctitate esse multo inferiorem, illosque omnia posse.

quo autem zelo omnes ad fidem

7 Verum ii una cum parente illo Martinum obtestati sunt, qui dimisso populo, adstantibus duobus episcopis et patre, puellæ sanitatem restituit. Ille Victricius fuit proculdubio Rotomagensis episcopus, cum inter cæteros Galliæ episcopos C nullum alium istius nominis agnoscamus. Postquam episcopus creatus est Victricius, in fide et veritate, non in inflatione scientiæ, neque in sublimitate sermonis mysterium Christi annuntiavit, nihil se judicans scire inter homines, nisi Christum Jesum, eumque crucifixum. Illi concessit Deus quod eximiæ duntaxat sanctitatis viris concedere solet, factis scilicet adæquare sermones, et pariter vita ac sermonibus instruere ; atque adeo nullus poterat se excusare difficultatis imperio, cum prius adstringeretur Victricii virtutis exemplo. Ea ratione multorum beatorum beatus parens exstitit. Innumeros circa se utriusque sexus Sanctorum greges coegit, quos Christo sapientibus institutis suis genuerat, et quibus erat fidei formula, sicut et perfectæ virtutis exemplum. Ecclesiæ suæ etiam primævæ illius Hierusalem ecclesiæ speciem dedit, et in ea omnis generis virtus florere videbatur. Intemeratam virginitatem servabant maximo numero filiæ, quibus unus Christus hospes et sponsus erat ; innumerabiles viduæ sancti operibus ministratu pio, noctu diuque ecclesiæ famulatu eas, quibus diabolus ipsarum corpora lacessebat, aggressiones superabant. Multi conjugati arcanam fratrum germanitatem profitebantur, et orationibus sedulis Christum ad sui visitationem et castitatis benedictionem invitabant. D

et perfectionem animaverit

8 Alii vicissim tum ad castitatem conjugalem tum ad continentiam sese exercebant. Ubique misericordiæ pandebantur viscera ; continua diebus ac noctibus Christi Domini nomen prædicatione resonabat. Quotidiano concentu sancta cantica psallebantur per frequentes ecclesias et monasteria, et castissimis cordibus ac vocibus cum in cœlo, tum in terra, sancti delectabantur. Idcirco Paulinus addit Apostolos, cum in Victricio aptissimum sibi diversorium reperissent, eos ipsi esse cooperatos, et effectu divinorum operum probasse, suum spiritum ea in ecclesia exstare, a qua ipsorum aberant reliquiæ ; eos in filiis pietatis ac justitiæ conquievisse ; eos Victricium in omnibus eruditionis suæ filiis dilexisse, et in ipso Christum amavisse ; utque ipsum gloriæ suæ consortem testarentur, eos in illius potissimum diœcesi divina plane miracula fuisse operatos.

Rotomagum illustrans

9 Itaque S. Victricii studiis et cura Rotomagus, vicinis ante regionibus urbs tenui nomine pervulgata, in longinquis etiam provinciis nominari E venerabiliter cœpit, et inter urbes sacratis locis nobiles cum divina laude numerari. Nec solum pontificali dignitate Apostolorum collega factus est Victricius, sed et eo quod illum Deus Speciosum, ut Paulini verbis utar, verbi sui pedem fecit, clarum fulgur in obscuris ante regionibus lumen accendens, *in gentibus populorum remotis,* qui sedebant in regione umbræ mortis, nubem in pluviam uberem deserta rigantem, magistrum denique et doctorem gentium. Diocletiani temporibus Morinos et Nervios in Belgio tenui jam spiritu fides veritatis afflaverat, at pastorum negligentia et frequenti barbarorum incursu incrementum non fecerat.

et Morinos atque Nervios

10 Victricium Deus potissimum in vas electionis excerpsit, in quo sanctificaret illic nomen suum ; in eo enim fides veritatis prima refulsit clarius ac propius apparuit, et caritas incaluit ardentius. Denique ubi quondam deserta silvarum ac littorum pariter intuta loca advenæ barbari aut latrones incolæ frequentabant, tunc venerabiles et angelici Sanctorum chori, urbes, oppida, insulæ, silvæ, monasteria et ecclesiæ plebe numerosæ, pace consona divinas laudes celebrabant. In omnem terram sonus ejus exivit, et Dei nomen sanctificatum est *a*. F

ANNOTAT.

a *Recte, opinor, sensit Brunus, apostolicam ad Nervios et Morinos prædicationem a* S. Victricio *jam episcopo susceptam, postquam nempe Rotomagensi suæ ecclesiæ prospexisset.*

CAPUT III.

Ad Victricium scribit Paulinus. Accusatur de fide Victricius : Romam venit ; et scribit ad Paulinum.

S. Victricii socii

Probabiliter admodum jam episcopus prædicavit in supradictis regionibus Victricius, novissime enim de illo audierat Paulinus cum ad eum litteras dedit anno CCCXCIX. Hæc nota illi fecerat Tychicus, quem S. Victricii carissimum fratrem

et

A et fidelem in Domino ministrum *a* appellat; et tunc luxit Paulinus negligentiam infelicitatis suæ, quod Victricii sanctitatem non satis agnovisset et veneratus fuisset, cum Viennæ apud S. Martinum olim eum viderat, et illius cicatrices non lambisset. Ad eum scribendi quærebat occasionem, nec dabatur, donec, quod optanti aliquando non contigerat, id inspectanti sibi provenit Romæ, quo accesserat Paulinus; nec multo post cum quodam catechumeno Urso concurrit et Paschasius S. Victricii Rotomagensis diaconus, in cujus humanitate et gratia quasi quasdam virtutum gratiarumque S. Victricii lineas, velut speculo reddente, se collegisse dicit Paulinus, quem et institutionis Victricii discipulum et viæ comitem modestia morum, cordis humilitas, mansuetudo spiritus, constantia in fide veritatis, et sermo in omnibus sale conditus probabant.

a S. Paulino Nolam perducti

12 Itaque eum præter gratiam fraterni in sacro diaconatus ministerio contubernii, eo venerabilius amabiliusque suscepit Paulinus, quod de Victricii clero, et corpore, et spiritu esset. Nec illam ex B Urbe ad Victricium redire cupientem passus est proficisci, sed quadam caritatis violentia eum Nolam perduxit; ut diutius per illius præsentiam quasi quadam S. Victricii gratiæ portione frueretur. Illius tamen conversationis non mediocrem consolationem perdidit Paulinus, qui tunc temporis carnali ægritudine afflictus est. Neque vero in infirmitate Paulini duntaxat Paschasius contribulatus et compassus est; sed et in Ursi, quem indivulsum suæ peregrinationis comitem habuerat, gravissimo languore confectus est, in quo Paulinus se perspexisse asserit fidem et caritatem in Domino plenam.

ab infirmitate sanantur.

13 Tandem labore ac fide Paschasii, quem Dominus experiri voluit, potentiam apud se sancti sui confessoris Felicis, Ursus usque ad mortem infirmatus de periculo invenit salutem, et per Paschasii diaconi manus Christo genitus, in lectulo baptizatus est, licet adesset S. Paulinus jam presbyter, et plures alii potuissent præsto esse presbyteri. Cum autem Ursus sana et robusta esset valetudine et Paschasius ad Victricium reditum meditaretur, per ipsum XVIII epistolam suam ad C Victricium dedit Paulinus, in qua cum Paschasium diutius apud se retentum excusasset, de Morinis et Nerviis, quos per Evangelium Christo Victricius genuerat, verba facit, et quemadmodum Rotomagensem formaverat ecclesiam, ut supra enarravimus; denique postquam ejus martyrii seu confessionis texuit historiam, illius videndi summo se teneri desiderio significat.

Quando ipse Romam venerit,

14 Nihil in ea commemorat de Victricii ad Urbem accessione, quam anno CDIV factam fuisse mox demonstrabimus. Exstincto Alarici bello, Honorius ultimis anni CDIII diebus Romam venit, ubi saltem ad vigesimum quintum Julii diem anni CDIV commoratus est. Eodem tempore Victricius Rotomagensis illuc se contulit, et vidit ipse quantis laboribus et quanto studio Rom. Pontifex Innocentius imperatorem sollicitaverit, ne ecclesiasticos viros ad onera et munera civilia pertraheret. De hac Victricii peregrinatione Romam loquitur Paulinus; speravit enim Victricium, qui per tanta terrarum spatia Romam Rotomago venerat, brevi itinere Nolam ad se venturum, qui cum non venisset, fatetur Paulinus, hujus se boni damno non modo contristatum, verum etiam confusum fuisse; neque unquam sibi ipsi magis, neque aliis manifestata fuisse peccata sua, quam cum Dei manus, quæ Victricium tam longe perduxerat, propius ad ipsum accedere non permisit.

A. BRUNO. et qua de causa:

15 Quo consilio hanc peregrinationem susceperit Victricius, non plane perspicuum est, nisi malevolorum linguis mendacibus ejus sanctitati invidentibus, eo pertractum dicamus. Accusatus fuisse videtur quod de fide non recte senserit, de qua cum ad eum scriberet Paulinus, fidem illi catholicam præcipue de mysteriis Trinitatis et Incarnationis longo sermone exponit. Deus vero hac eum affici passus est injuria, ut gauderet rursus de victoria, et donaretur corona qui victor discessisset e pugna, eique secundum B. Paulum liceret dicere, pugnare se a dextris et a sinistris per arma justitiæ, per ignominiam et bonam famam, per gloriam et ignobilitatem: neque enim linguarum iniquarum sagittæ in corpore, armis Dei potentibus septo, locum vulneris, neque nævum in lumine potuerunt invenire: quis enim dubitet in ejus spiritu fidem veritatis habitare, in cujus vita videt fidei exstare virtutem.

ubi se abunde purgat,

16 Nec quisquam in eo confusus est quod rectius de ipso senserit, et nova hæc veræ fidei ipsius necnon virtutis probatio multis in profectum Evangelii venit. Qua de causa Romam venerit Victricius E palam non est; nec satis constat, ut jam diximus, an eo iniquorum criminationibus fuerit pertractus. Utut sit, ibi certe in ore omnium cum doctrinæ tum virtutis ejus laus exstitit maxima; paucis enim interjectis diebus, missa ad eum epistola laudat Pontifex Innocentius, quod in directione doctrinæ, in virtute conversationis, et in aliorum ad Ecclesiæ normam institutione laudem veri episcopi adeptus sit; neque quidquam in ejus doctrina animadvertit quod cum sacris paginis non consentiret. Non multo post reditum ejus Rotomagum misit in Italiam Candidianum, cui brevem ad Paulinum dedit epistolam, quam ipse Paulinus incredibili gaudio accepit; quæque pristinum dolorem, quod Victricius ad ipsum non pervenisset, penitus abstersit:

Paulinum tamen non convenit.

17 De quo tamen suavissime et humillime per responsum conqueritur, et sibi peccatori et ægroto fatetur hoc debitum fuisse solatium. *Nolo enim te*, inquit Paulinus, *ita securum esse de nobis, ut putes jam sanatos esse omnes languores animæ nostræ, in quibus Domino peccavimus et* F *peccamus.* Ea de re multa pro suo more subnectit, et orationum ejus suffragia implorat; reliquum epistolæ spectat ad eam quam sustinuerat persecutionem. Loquitur Augustinus circa annum CDIV de quodam Candidiano presbytero, cujus in cognitionem venerat Paulini opera, et cujus ministerio idem Augustinus librum *De cura pro mortuis* ad Paulinum misit. Portitor epistolæ Victricii ad Paulinum nondum erat presbyteri dignitatem adeptus cum eum Paulinus filium vocet; et tunc temporis videtur potius Victricii, quam Paulini fuisse.

ANNOTAT.

a *Est is procul dubio Paschasius ille, de quo tam multa inferius memorat, sumpta allusione ad S. Pauli discipulum.*

CA-

CAPUT IV.

Ad Victricium scribit Innocentius I Pontifex Romanus.

Ad Innocentium PP.

Eidem forsan Candidiano dedit Victricius litteras ad Innocentium Papam; voluit enim ab eo Pontifice cognoscere, quænam esset Ecclesiæ Romanæ de disciplina et morum directione regula et praxis. Conquestus est de perversa quorumdam agendi ratione, qui divinum judicium non timentes, sed gratiam popularem aucupantes, sacra et vetera Ecclesiæ decreta, nulla ejus sanctitatis habita ratione, infringere præsumebant; quare eamdem Ecclesiæ Romanæ disciplinam servari in sua provincia in votis habuit : cujus æquissimæ petitioni consensit Innocentius, et misit ad Victricium librum, quem vocat Regularem, quasi didasculum et monitorem, in quo non nova præcepta imperare, B sed quæ per desidiam aliquorum neglecta fuerant, quæque Apostolica et Patrum traditione fuerant constituta, ab omnibus vellet observari, habita divini judicii ratione; eaque mittere se asserit Innocentius, ne ipse erroribus et abusibus favere silentio suo videatur; monetque Victricium, ut illa episcopis suffraganeis et vicinis ecclesiis nota faciat, ut cognoscatur quæ sit Ecclesiæ Romanæ praxis, et hanc regulam sequantur quicunque instituendorum Christianorum curam susceperint; quorum observatione aliorum decretorum, quæ hic non notantur, notitiam essent facile assecuturi.

recurrens,

19 Regularis ille liber, quem cum epistola sua Innocentius a se missum dicit, non alius mihi videtur esse ab iis decretis, quæ adeo epistolæ ipsi conjuncta sunt, ut illius partem constituere videantur; quorum primum vetat, *Ne quis extra conscientiam metropolitani episcopum audeat ordinare, vel ab uno episcopo ordinetur.* Secundum prohibet, *Ne in clerum admittatur qui post peccatorum in* C *baptismate remissionem cingulum militiæ secularis habuerit.* Pœnitentiam enim * solam * a clero exclusisse constat, licet militiam secularem quis non fuisset professus.

*lege etiam * sc. publicam*

ab eo epistolam

20 Tertium, quod secundo adjungit Dionysius Exiguus, statuit, *Causas vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam inferioris, ab ejusdem provinciæ episcopis esse terminandas; (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ*, ut habet Justelli editio p. 197) *eosque qui causæ suæ judicium in alias provincias transtulerint, de clericatu deponendos; de causis vero majoribus ubi judicium episcopi tulerint, notum facient summo Pontifici ex consuetudine; et ex decreto Concilii*, ut videtur Sardicensis. Quartum, quintum et sextum prohibent, *Ne clerici ordinentur qui secundam habuerint uxorem, aut viduam : aut ejectam, sive post, vel ante baptismum* contra Hieronymi sententiam : quod observatum asserit a singulis episcopis. Nonum quod *Levitæ et sacerdotes cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur.*

et regulas accipit

21 Licitum fuisse videtur inferioris ordinis clericis pro nutu matrimonio uti, *præterquam iis*, ut ait Innocentius c. 10 *qui in monasteriis diu morati fuerant, ubi perpetuæ addixerant se continentiæ; fuisset enim a ratione alienum, si quod diu servassent, id in meliori gradu positi amisissent.* Notat in eodem articulo, *ante matrimonium corruptos Ecclesiæ benedictionem non recipere cum uxores ducerent; eosque, qui ante baptismum in virginitate non steterant, pollicitos fuisse juxta antiquum Ecclesiæ usum et praxim, cum in clerum admitterentur, se matrimonium non contracturos.* VII articulo prohibetur, *Ne de aliena ecclesia clericum ordinare quisquam usurpet, nisi ejus episcopus precibus exoratus concedere voluerit; et abjectum ab altero clericum altera ecclesia non recipiat.*

22 VIII. *Ut ad Ecclesiam redeuntes a Novatianis, vel Montensibus*, hoc est Donatistis, *per manus tantum impositionem suscipiantur, præter eos qui ab Ecclesia Catholica ad eos transeuntes rebaptizati sunt; ii enim sine longa pœnitentiæ satisfactione nequaquam sunt admittendi.* In undecimo monet Innocentius Victricium, *ne curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos clericos faciat, quippe qui nonnunquam a sacerdotio revocarentur a principibus iis muniis subjiciendos *, in quibus voluptates exhibebant* (ludos scilicet publicos) *quas a diabolo inventas esse non dubium est;* et simul in ejus memoriam revocat, E *quæ ipse Romæ positus videret.* Decrevit duodecimum, *eas, quæ Christo spiritaliter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de seculo recesserit; et eas, quæ vivente adhuc viro, alteri nupserint, haberi adulteras, nec eis concedendam esse agendæ pœnitentiæ licentiam, nisi unus ex eis fuerit defunctus.*

quibus ecclesiam suam

** l. subjiciendi*

23 Statuit decimum tertium *pœnitentiam aliquanto tempore iis esse agendam, quæ nupserint, postquam in proposito virginitatis semper manere promiserant, etiamsi velatæ non fuerint.* Extremi duo articuli citantur ex epistola Innocentii I Papæ ad Victricium Rotomagensem in Concilio Turonensi II et ibi approbantur. Inepte admodum hujusce temporis hæretici iis extremis duobus articulis utuntur, ut hanc Innocentii epistolam suggillent. Illam alii penitus rejiciunt et contendunt, eam non esse Innocentii, quia de verbo ad verbum Siricii epistolam complectitur. Cum vero Innocentius antiquas regulas renovare; et Ecclesiæ Romanæ disciplinam notam facere voluerit, id melius præstare F non potuit quam si majorum instituta traderet.

aliasque instituat.

Quandonam

24 Quamobrem nemo jure dubitaverit de epistola Siricii a Concilio Teleptensi, et a Ferrando laudata, neque de decretali epistola Innocentii, quam Dionysius Exiguus inseruit integram in codice Ecclesiæ Romanæ, et quæ citatur anno DLXX a Concilio II Turonensi et plurimis aliis. Major difficultas versatur in assignando tempore conscriptæ epistolæ, quæ est XV Februarii; eo quod referat epistola, Victricium testem fuisse, quantis molestiis imperatorem præsentem Pontifex Romanus sollicitaverit : idcirco enim asserendum nobis est, eum versatum fuisse Romæ eodem tempore, quo Honorius, qui illuc non pervenit nisi mense Decembri anni CDIII. Ex poemate, quod Claudianus de eo itinere in sextum consulatum suum edidit, constat, eum illuc nunquam antea venisse ex quo fuerat imperator creatus : preterea vero Innocentius pontificatum non adeptus est ante annum CDII.

data fuerit.

25 Si igitur Victricius Romæ adfuerit mense Decembri CDIII, quis putet, Innocentium ad eum scripsisse XV die Februarii anni CDIV? Hoc unum existimari posset, Victricium Romæ adhuc commorantem hanc ab eo institutionem postulasse, et

ab

A ab eodem per formam epistolæ accepisse, quo majoris esset ponderis. At ex his vocibus, *quam ipse nobiscum positus cognovisti*, manifestum est, Wictricium ab urbe Roma jam tum abfuisse; ac re quidem ipsa asserit, hæc a se decreta cum epistola missa fuisse; et hæc verba, *quosdam enim asseris exstitisse*, satis indicant, Pontificem non respondere iis, quæ coram Victricius dixerat; sed ad ea, quæ ex illo tempore ipse Victricius rescripserat. Itaque si ejus Roma discessum ad finem Martii CDIV posuerimus, qui quidem maturius assignari non potest, cum necesse sit, Victricium Rotomago Romam scripsisse, et Innocentium per aliquod tempus suum paravisse responsum, quod ante hunc annum dare non potuit decimo quinto Kalendas, non Martii, sed Januarii, hoc est XVIII Decembris *a*.

26 In quibusdam editionibus et in Ms. Justelli non reperitur quo tempore scripta fuerit hæc epistola, quamvis suo quæque tempori assignentur aliæ epistolæ: et vero quæ sequuntur: *Hæc itaque regula*, etc. ex aliis quibusdam scriptis videntur excerpta, neque cum præcedentibus ullo modo cohærent, nisi de hac regula tota intelligatur epistola. Nihil amplius docet historia de S. Victricio, qui septimo Augusti die inter Confessores Christi colitur ab Ecclesia. Corpus ejus Brennam translatum et in ecclesia S. Remigii repositum fuisse traditur *b*.

A. BRUNO. *Jam dicta epistola.*

ANNOTATA.

a *Sensus imperfectus. Videtur astruere velle annum 405; sed annum 404 satis defendimus Julii tom. VI pag. 553.*

b *Sed combustum an. 1561 ab iconomachis.*

DE S. DONATO EPISCOPO

VESONTIONENSI

E

IN COMITATU BURGUNDIÆ

COMMENTARIUS HISTORICUS

P. B.

CIRCA DCLX. *Natalis ejus hoc die Bisontii celebris:*

De Vesontione, seu Bisontio, metropoli Sequanorum jam sæpius actum est in hoc Opere. Ad eamdem hoc die nos revocat natalis S. Donati, *olim episcopi Bisontini, quam antiquis et exteris Martyrologis ignotus, tam apud suos ab omni memoria celebris; imo celebrior olim, quam forte nunc sit, aut saltem quam subinde fuerit; id quod ex collatione duorum, quæ habemus, ecclesiæ Vesontionensis Breviariorum colligimus: nam in altero (quod membraneum et manuscriptum est, pertinuitque aliquando ad Antonium Bercin, ejusdem ecclesiæ canonicum, et ab eo datum fuit Antonio Monrinello* anno *Christi* MDXXIII) *celebratur* VII *Idus Augusti Officio novem Lectionum; cum in altero (quod Bisontii excusum est anno* MDXC) *ad eumdem diem Officio decoretur trium tantummodo Lectionum; et harum quidem duæ duntaxat ad hunc nostrum* Donatum *pertinent; tertia vero ad* S. Donatum *episcopum ac martyrem Aretinum, cujus ibi jungitur commemoratio. Utroque hoc Breviario vetustius putamus esse Legendarium Bisontinum ecclesiæ S. Pauli, quod nobis, ut alia plurima, exscripsit olim Petrus Franciscus Chiffletius noster, in hoc autem etiam* S. Donatus VII Idus Augusti *dicitur* Christo reddidisse spiritum. *Non est igitur de hoc ejus die et natali et festo dubitandum: neque vero alium ullum assignant Ferrarius in Catalogo generali, Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, aliique, præter unicum, quem quidem viderimus, Castellanum; qui cur Sancti hujus memoriam retulerit ad* XXIII *Julii, ibidem in Prætermissis nos diximus ignorare.*

Acta non magni pretii,

2 *Acta ejus accepimus a R. P. Petro Francisco Chiffletio ex memorato jam cœnobii S. Pauli Legendario, ex quibus manifeste patet, excerptas fuisse Lectiones novem, quas modo significavimus ad hunc diem legi in Breviario Bisontino Ms. Hæc verbis plurimis eamdem omnino materiam distendunt, quæ multo nitidius tractata reperitur in Vita S. Columbani abbatis, auctore Jona, monacho Bobiensi, et* S. Donati *coætaneo, apud Acherium et Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, sec. 2, pag. 14, num. 22. Meliora hisce nostris habuisse videtur Petri Francisci nostri frater Joannes Jacobus Chiffletius, ut nobis quidem apparet ex fragmento, quod ex illis recitat in sua Vesontione, part. 2, pag. 152 et sequente; nec tamen iis anteferre dubitavit laudatum Jonæ monachi textum, quem ibi totum repræsentat, subjecto ex Actis S.* Donati, *seu* antiquis, *ut vocat,* membranis *qualicunque supplemento. Placet nobis eruditissimi viri consilium: neque proinde ex Actis nostris quidquam exhibebimus præter Vitæ coronidem, quæ alibi sola deest.* F *En tibi igitur Actorum loco primum, quæ narrat Jonas his verbis:*

nisi quatenus habentur

3 Erat eo tempore Dux quidam, nomine Waldelenus, qui gentes, quæ intra Alpium septa et Jurani saltus arva incolunt, regebat. Huic soboles nulla erat, ut Juvencus de Zacharia et Elizabeth ait;

Gratius ut donum jam desperantibus esset.

Hic cum conjuge sua, Flavia nomine, et genere et prudentia nobili, ad B. Columbanum ex Vesontionensi oppido pergit; precantes simul, ut pro eis Dominum deprecaretur. Dicunt, se multis opibus esse ditatos; sed cui hereditatem post obitum relinquerent, heredem non haberent *. Quibus vir sanctus: Si voti, inquit, vestri est, ut Largitori donum consecretis, mihique ex lavacro suscipiendum tradatis; pro vobis ego Domini clementiam implorabo, ut non solum quem Domino voveatis, habeatis; verum etiam quanta volueritis, post pignora suscipiatis. At illi promittunt, se ejus imperiis læto animo parituros; tantum pro ipsis Domini misericordiam non desinat implorare. Spondet vir Dei muneribus plenus, se in promptu habere; tantum ne pacti fœdus studeant

* *al.* habere

AUCTORE P. B.

deant violare. Mirum dictu! Vix domum remeant, dono Creatoris alvo gravida mater futura exspectat. Editum mox ad sanctum virum defert, et suis orationibus largitum munus demonstrat: grates Conditori agit, qui sic ad petitiones famulorum suorum quæsita dona largitur. Quem vir sanctus manibus receptum sacravit, sacroque lavacro ablutum ipse suscepit, Donatique nomen imponit, matrique ad nutriendum reddit.

in Vita S. Columbani abbatis.

4 Qui post alitus, in eodem monasterio sapientia imbutus, Vesontionis pontifex effectus, nunc usque superest, eamdem cathedram regens. Qui post pro amore B. Columbani ex ipsius regula monasterium virorum construxit, quod Palatium nuncupant ob veterum monimenta murorum. Addidit post eum bonitatis Largitor famuli sui promissum, alium filium, Ramelenum nomine, qui nobilitate et sapientia pollens, post patris obitum in ejus honore est suffectus; quamvis in seculari habitu, tamen in Creatoris amore pervigil. Nam et ipse in amore beati viri in saltu Jurense *, super Novisanam fluviolum, monasterium ex ejus regula construxit, in quo Siagrium abbatem præfecit.

* Mss. nostra. in Solviorense

B Addiditque Dominus duas filias adhuc pristino muneri, et in seculo nobiles, et in Christi timore perfectas. Post ista munera mater ipsorum Flavia post mariti obitum monasterium puellarum in supradicta urbe Vesontione construxit, omnique munimine roborans, multarum puellarum concionem adunavit. Tantum in eis viri Dei gratia flagravit, ut omnia phaleramenta præsentis vitæ contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent. *Hæc Jonas; quibus* ex antiquis membranis *Bisontinis addit loco citato sequentia Chiffletius:*

et suppleri possunt ex Mss. Bisontinis.
* *f.* monachale

5 Apicem tantæ dignitatis *(episcopalis)* adeptus, nullo modo est a suo proposito alteratus; sed idem permanens ipse, omnibus proficere cupiens in Christo, non desistebat a cœpto officio. Inter canonicos denique commorans, monachali * schema indutus, sic erat inter illos, quasi monachus unus, canonici implens officium, monachi non amittens propositum. Quantam autem solertiam in Catholica lege conservanda adhibuerit, diligentiamque servaverit, non est facile narratu. Fama igitur eximiæ laudis ejus usquequaque propalata, præter solitum multos animabat ad

C videnda summi Evangelistæ Joannis, et protomartyris Stephani limina: qui omnes recreabantur ejus consolatione, et benedictione roborabantur: et siquid apostolico more suis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in suorum expendi usus; sed cunctorum pauperum largiebatur necessitatibus. Præterea monasterium infra urbis mœnia condidit, et in honore beati Pauli Apostoli sacravit, possessionibus ditavit, privilegio munivit; atque inibi fideles viros, sub B. Benedicti et B. Columbani Luxoviensi regula victuros, instituit. Suo denique tempore, matre ejus Flavia cooperante, ex propria hereditate aliud in eadem urbe nobile sanctarum monialium, in honore B. Mariæ, est ædificatum cœnobium, in quo requiescit eadem Flavia in pace, et Sirudis, ejus filia, virgo sacratissima, ejusque loci abbatissa. *Postremis hisce consonant Acta nostra Mss., et continuo Vitam (si Vita dici potest) ita concludunt:* Sanctus autem præsul Donatus, dierum plenus, multis exercitatus virtutibus VII Idus Augusti Christo reddidit spiritum, a quo sumpsit initium; qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

6 *Hæc ut clarius intelligantur, observa primo, hæc Jonæ verba,* Erat eo tempore Dux quidam *etc. referenda esse ad annum circiter 593, aut*

D *594; cum jam scilicet, ut liquet ex antecedentibus, conditum esset a S. Columbano cœnobium Luxoviense; imo cum illud ita jam florere cœpisset multitudine monachorum, ut, quia omnes capere non poterat, ad novum aliud Fontanense cœnobium deducenda fuisset ex eo religiosa colonia; quod vix ante tres quatuorve annos ab ejusdem exortu, qui, teste Mabillonio in Annalibus et alibi, pertinet ad annum 590, accidisse credibile est. Observa secundo, ducem Waldelenum, qui Vesontione domicilium habebat, præfuitque sub Guntramno, Childeberto, ac Theodorico Burgundiæ regibus, tractui, qui a vicinis Alpibus Juranis modo pagus, modo saltus appellabatur Jurensis in moderno Burgundiæ Comitatu; Waldalenum, inquam,* ex Vesontionensi oppido *ad S. Columbanum venisse in monasterium Luxoviense, quod Vesontione distat leucis duodecim versus Lotharingiam: ibi enim tum abbas is erat; ibi* S. Donatus *postea monachus; quod non solum Acta nostra et Breviarium Ms. Bisontinum diserte asserunt; sed etiam colligi potest ex Vita S. Agili abbatis in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec. 2, pag. 318, num. 7.*

Natus est Sanctus circa annum 594.

E 7 *Observa tertio ad hæc Jonæ verba,* Vesontionis pontifex effectus *etc.,* S. Donatum *episcopum Vesontionensem interfuisse cum aliis synodo Remensi sub Sonnatio præside; ut constat ex Flodoardo apud Labbeum Conciliorum tom. V, col. 1689. Hanc autem synodum celebratam fuisse anno Christi 624 post Maium, vel, ut summum, 625, demonstrat Pagius in Critica Baronii ad annum 624, num. 4; ac de anno 625 nunc eruditi consentiunt. Cum vero ex dictis numero præcedente natus videri vix possit ante annum Christi 594, sequitur, ut annus Christi 624 episcopatus ejus exordium fuerit; nisi privilegio singulari, de quo nihil scitur, ante ætatem annorum triginta, tum temporis requisitam, evectus fingatur ad infulas. Sequitur etiam, cum anno saltem 625 sine controversia episcopus fuerit, ut post annum 595 natus existimari non possit.*

episcopus consecratus anno circiter 624.

8 *Observa quarto ad hæc ejusdem verba,* Monasterium virorum construxit, quod Palatium nuncupant; *idem hoc esse monasterium, de quo numero sequente sic meminit anonymus:* Præterea monasterium infra urbis mœnia condidit, et in honore B. Pauli Apostoli sacravit, possessionibus ditavit, privilegio munivit, atque inibi fideles viros sub B. Benedicti et B. Columbani Luxoviensi regula victuros instituit. *Testatur id Joan. Jacob. Chiffletius in Vesontione, part. 2, pag. 153, ubi hæc habet:* Quod Palatium Jonas vocari dixit, monasterium est S. Pauli, quod hodieque mœnibus civitatis adjacet, quibus a Dubi flumine dirimitur. *In Actis dicitur cœnobium istud sepulturæ suæ destinasse:* Visum fuit sibi denique honestum, ut infra urbis mœnia construeret monasterium, ubi post obitum corpus tribueret humandum, *etc. Et vero ibi sepultum fuisse, docet seculo* XI *scriptus antistitum Bisontinorum catalogus, quem dedimus tom. I Junii, pag. 680, ubi de* S. Donato *legitur:* Per istum recepit ecclesia *(SS. Joannis Evangelistæ, et Stephani protomartyris, quæ Vesontione cathedralis est)* villas Domblingum et Arslatum. Ædificavit autem ecclesiam S. Pauli, in qua etiam in Domino requiescit. *Inde tamen pluribus postea seculis reliquias ejus aliis permistas confusasque devenisse ad ecclesiam vicinam, et S. Donati nostri nomine consecratam, contra fratris opinionem tradit apud nos ibidem pag. 687 Petrus Franc. Chifletius;*

Condit cœnobium S. Pauli; ubi sepultus fuit; sed non mansit:

F

A *fletius; ubi plura cum de ecclesia* S. Donati, *tùm de reliquiis ejus invenies. Porrò cœnobium S. Pauli post casus varios tandem ad Canonicos regulares S. Augustini, qui illud etiamnum incolunt, seculo* XI *transiit; ut vide in Vesontione Chiffletiana parte 2, a pag. 198, et apud Pennottum in Historia Ordinis Canonicorum pag. 362. Sunt, qui velint (ut Petr. Franc. Chiffletius a nobis exhibitus tomo I Junii pag. 687, num. 94, et Sammarthani in Bisontinis archiepiscopis, ubi de* S. Donato*) huic S. Pauli cœnobio simul et canonicis ecclesiæ cathedralis S. Stephani sanctum hunc Præsulem nostrum præscripsisse regulas illas seu Commonitorium, quod SS. Pauli et Stephani abbatum nomine vulgatum est in Codice regularum Holsteniano part 2, a pag. 73.*

et parthenonem Jussanum, cui jam senex præscripsit leges:

9 *Observa quinto, hæc verba Jonæ,* Flavia post obitum mariti monasterium puellarum* etc., *explicari partim ab anonymo num. seq., partim in catalogo episcoporum Vesontionensium seculi* XI, *in quo verbis ex illo jam recitatis hæc subduntur:* Et Jusanum monasterium cum matre sua Flavia, B quæ ibi sepulta est, *(supple quod præcesserat)* ædificavit. *Huic parthenoni leges ipse præscripsit, aut potius ex SS. Cæsarii Arelatensis episcopi, Benedicti, et Columbani abbatum regulis compilatas aptavit. Editæ sunt illæ in Holstenii Codice regularum, part. 3 a pag. 78; illustratæ vero a Cointio in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 625 a num. 66; et omnino legi merentur ab iis, qui* S. Donati *nostri insignem humilitatem, prudentiam, virtutesque alias passim emicantes penitius optant inspicere: sed longiores sunt, quam ut hic recudi debeant. Ipse, inquam, eas præscripsit; et quidem non anno 625, quo a Cointio recensentur, sed multo serius: primum jam omnes fatentur, et ex eo colligitur, quod se ipse* Donatum *appellet; deinde quod in regula 77 aperte se prodat episcopum Vesontionensem his verbis:* Illud etiam (quod non credo; nec Deus pro sua misericordia fieri patiatur) si quocunque tempore quælibet abbatissa de hujus Regulæ institutione aliquid immutare aut relaxare tentaverit; vel pro parentela, vel pro qualibet conditione subjectionem vel familiaritatem pontificis hujus C civitatis habere voluerit, Deo vobis inspirante, EX NOSTRO PERMISSO in hac parte cum reverentia et gravitate resistite, et hoc fieri nulla ratione permittite: *atqui inter episcopos Vesontionenses* Donatus *unicus fuit: noster igitur sine dubio fuit. Alterum elucescit ex Prologo, in quo se dicit monialium postulatis hoc opusculo conatum esse satisfacere,* in quantum pro assidua corporali infirmitate divina pietas possibilitatem dedit, et sensus obtusi caligo permisit: *hæc enim caligantem fractumque senem arguunt; non episcopum juvenem, qualem anno 625* Donatum *fuisse constat. Cæterum de Jussano hoc monasterio, quod ab anno 1607 Religiosæ Minimorum familiæ cessit, plura videri possunt in Vesontione Chiffletii part. 2, pag. 154.*

mortuus est post annum 656; at quanto posterius, ignoratur.

10 *Observa denique sexto, Acta nostra, tametsi annum non exprimunt, sed mensem tantum ac diem, quibus Vir sanctus obiit; ætatem ejus tamen omnino senilem non obscure testari hoc epitheto,* dierum plenus. *Sed neque aliunde annus ille determinari potuit hactenus: nam quod Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinis sec. 2, pag. 336, num. 6 defunctum statuit* anno circa DCLI, *qui erat ætatis ejus circiter quinquagesimus septimus; hoc ipsemet evertit in Annalibus ad annum 656, num. 51; ubi docet ex Chronico Besuensi, ipsum superfuisse mense Februario anni 657. Et certe ex illo Chronico, seu potius instrumento legali istic recitato apud Acherium in Spicilegio secundæ editionis tom II. pag. 402, manifestum est,* S. Donatum *saltem usque ad annum illum Christi 657, ætatis autem suæ sexagesimum tertium, pertigisse: nam instrumentum istud, quo Adalsinda abbatissa cœnobium suum Dornatiacum Vesontioni propinquum cum Præsulis nostri consensu, ut asserit Chronographus, donabat monasterio Besuensi, subsignatur:* Anno ab Incarnatione Domini DCLII, Indict. X, Epacta VI, Clotario rege regnante in Francia, primo anno regni ejus, venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente. Die Mercurii proximo ante medium mensis Februarii. *Nemo nunc est eruditorum, qui non agnoscat, hic esse vitium in anno Incarnationis, Indictione et Epacta; sive quod eorum usus in istiusmodi scriptis multo sit recentior (unde hæc interpolatori juniori tribuunt;) sive quod erravit instrumenti conditor, annum Incarnationis 652 conjungendo cum anno primo Clotarii tertii; ut placet Chiffletio nostro in* E *Dissertatione de annis Dagoberti cap. 5. Nemo etiam est, quod sciam, qui hoc instrumentum aut supposititium dicat, aut neget, anno Clotarii tertii primo, ante medium Februarium, fuisse confectum. Cum ergo Clotarius tertius regnare cœperit post hebdomadam secundam Novembris, anno Christi 656; ut recte ostendit Pagius ad annum eumdem in Critica, num. 17; consequens est ex producto monumento Besuensi, ut saltem usque ad medium sequentis Februarii* S. Donatus Besonticam sedem tenuerit. Saltem *dixi; quia prorsus incertum est, quanto vixerit serius.*

AUCTORE P. B.

Refellitur opposita sententia Cointii.

11 *Negat hæc, inquis, Cointius, ubi monumentum hoc idem totum recitat, ad annum 656, num. 37, reprobatque in eo præter annum Incarnationis, Indictionem et Epactam, etiam hæc verba,* Venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente. *Scimus id quidem: sed cur ibi reprobat?* Quia Donatus episcopus, qui concilio Remensi subscripsit, et, teste Chiffletio, annos plus minus viginti octo sedit, prius obierat; *nempe anno circiter 652, quo ipse obitum ejus in Annalibus suis reponit num. 64. Testatur hoc Joannes* F *Jacobus Chiffletius? Qua auctoritate? Sua scilicet, ut patet ex Vesontionis parte 2, pag. 161. Quibus argumentis? Iis, quorum ne unum quidem admiserit Cointius; ex eo nimirum, quod interfuisse Sanctum synodo Remensi putarit anno Christi 633 aut 634, et Cabilonensi concilio subscripsisse anno Christi 660, vel 662. Atqui neque Cointius, neque alius jam quisquam dubitat, quin Synodus Remensis habita non fuerit serius, quam anno 625; Cabilonensis autem, ut ex ejus præfatione liquet, celebrata certissime non fuit post obitum Clodovei secundi, sive annum 656; imo ne quidem post annum 653, ut probat Pagius in Critica ad annum 662, num. 4; quin ipse Cointius referendam censuit in Annalibus ad annum 644, ut ibi videre est, num. 2. Ruit ergo fundamentum, quo nixus unice Chiffletius, annos illos suos* plus minus viginti octo *adstruxit; neque adeo ulla hic ejus esse potest auctoritas, nedum tanta, ut ad legitimum seculi* VII *monumentum vel unico in apice carpendum censeri possit idonea. Accedit hoc etiam, quod ibidem Chiffletius annos quidem* plus minus viginti octo *tribuerit episcopatui Donatiano, quia totidem ab anno 633 aut 634 usque ad 660 vel 662 reperisse se crediderit; sed nusquam asseruit,* S. Donatum *non sedisse diu-*

AUCTORE P. B.

tius: subdit enim continuo: Et facile senserim, ipsum multo etiam ulterius vitam produxisse. *Quid hunc igitur auctorem pro se Cointius allegavit?*

Hæc sunt, quæ de S. Donato *episcopo Vesontionensi addenda putavimus iis, quæ de illo data jam sunt ad diem* VI *Junii a pag, 687.*

DE B. JORDANO FORZATE

EX ORDINE SANCTI BENEDICTI

PATAVII IN ITALIA

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Immemorabilis et hactenus perseverans Beati cultus ex variis monumentis probatur.

CIRCA ANNUM MCCXL. Hic beatus Vir tantum annuntiatur

B

Patavium, *notissima Italiæ civitas, de qua ad diem* XIII *Junii in Vita S. Antonii, qui ab ea urbe cognomen accepit, tom. II istius mensis pag. 703 iterum egimus, hodie celebrat annuam* B. Jordani *memoriam, ut recentiora Benedictinorum Menologia passim testantur. Ut alios Menologiorum scriptores prætermittamus, Arnoldus Wion in Ligno Vitæ lib. 3, seu parte 2 istius operis pag. 263 festum* B. Jordani *die* VII *Augusti sic annuntiat:* Patavii depositio sancti Jordani Forzzatei abbatis; hic diu detentus ab Ezelino tyranno in castello Sancti Zenonis territorii Tarvisini, sed inde clam fugiens, incognitus Venetias adivit, ubi pie diem clausit. Postea, liberata patria, Patavium relatus, inter Divos connumeratur. *Deinde Wionus cæce secutus Bernardinum Scardeonium, aut typographum ejus errantem, ibidem in notis perperam asserit,* B. Jordanum *anno Christi 1228 ex hac vita migrasse. Hugo Menardus in suo Martyrologio, Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, aliique quidam hagiographi in eumdem errorem chronologicum lapsi sunt, ut in observationibus eorum ad diem* VII *Augusti videre est, et ex infra dicendis apparebit.*

C *in recentioribus Menologiis;*

2 *Gabriel Bucelinus in Menologio suo Benedictino eumdem Beatum exornat sequenti elogio:* Patavii depositio sancti Jordani, abbatis Sancti Benedicti Novelli, et confessoris. Hic generosa admodum familia Forzzatea natus, in sancti Patris nostri militiam adscriptus, strenue contra mundum, carnem, et inferos depugnavit. Prior primum, dehinc abbas electus, ab impio illo Ezelino tyranno injuriis appetitus, atque in castello Sancti Zenonis detentus, clam demum effugiens, incognitus Venetias adiit, ibique sanctitate clarus, religiosissimus exsul pie in Domino obdormivit; cujus sacrum corpus, liberata patria, Patavium relatum et condigno honore reconditum, ipse vero pro meritis Sanctorum numero adscriptus est. Decessit Vir sanctus anno Christi MCCXXVIII. *Etiamsi hic Bucelinus aliique supra citati in assignando* B. Jordani *anno emortuali errent, et propter suam ætatem de antiquis ejusdem Beati gestis certam fidem facere non possint, tamen eos allegare voluimus, quia de sanctitate hujus inclyti Abbatis unanimi consensu testimonium dicunt. Sed, ut mentem nostram candide aperiamus, etiam recentior illorum omnium auctoritas nos nondum satis securos redderet de immemorabili istius beati Viri cultu, nisi hic confirmaretur vetustioribus monumentis ac solidis argumentis, quæ jam producemus.*

E *sed ex sollicita reliquiarum ejus conservatione,*

3 *Illustrissimus Jacobus Philippus Tomasinus, Æmonensis seu Civitatis novæ in Istria episcopus, conscripsit idiomate Italico Vitam* B. Jordani, *in qua cap. 28 asserit, beatum hunc Virum Venetiis, ubi animam Creatori suo reddidit, statim post mortem publico populi cultu honoratum fuisse. Sed nullos antiquæ istius venerationis testes allegat, nec allegare potuit, cum vetera monumenta monasterii Veneti, in quo beatus Exsul mortuus est, et quod vulgo* Celestia *nuncupatur, perierint in horribili incendio armamentarii vicini, quod mense Septembri anni 1569 proxima ædificia consumpsit, ut ipsemet illustrissimus scriptor in fine capitis præcedentis fatetur. Attamen ibidem adhuc perseverat memoria gloriosi istius Exsulis, et sanctimoniales memorati cœnobii existimant, translato* B. Jordani *corpore Patavium, sibi relicta fuisse sacra nonnulla ejusdem Beati ossa, de quibus R. P. Dionysius Origo, Societatis nostræ sacerdos, mense Augusto labentis anni 1733 post alia sic ad nos scribit:* Adivi heri moniales una cum eodem P. Riceputi. Plurimas invisimus Sanctorum reliquias, suis nominibus inscriptas, demptis duabus tibiis, in quibus nulla inscriptio, et quæ fortasse erunt, quæ corpori hujus Beati Patavii desunt; in nulla tamen nomen beati Jordani. Hæc sunt, quæ R. V. significare possum: scribam tamen fusius, si quæ, ut spero, erunt scribenda. Interim ne miretur hujusmodi confusionem in rebus adeo sacris, atque in urbe erga Sanctorum reliquias piissima: id enim accidit ex incendio armamentarii cœnobio contigui, ex quo cœnobium ipsum cum archivo, ac plurima tum sacra tum pretiosa supellectili combustum est. *Quidquid sit de Venetis* B. Jordani *reliquiis, jam ad immemorabilem ejusdem Beati cultum in urbe Patavina progrediamur.*

F

antiquo Beati *titulo,*

4 *Post annum Christi 1260, ut infra ex quodam ratiocinio probabiliter eruemus, corpus* B. Jordani *Venetiis in urbem Patavinam translatum fuisse videtur, ibique in ecclesia monialium Benedictinarum circa altare majus collocatum est, ut laudatus illustrissimus Tomasinus supradicto cap. 28 Vitæ Italicæ refert ex antiquo codice membraneo, qui adhuc anno 1650 apud moniales S. Benedicti Novelli conservabatur, et in quo ad diem* VII *Augusti Beatus iste ornatur sequenti elogio:* Hic beatissimus pater et inclytus Jordanus tanquam alter fluvius exiens de paradiso deliciarum madi-

A madidans terram, mentesque aridas irrigans et humectans cœlum petiit exiens de ergastulo carnis: qui ob amorem veræ Religionis consectator voluntariæ paupertatis, ut verus apostolicus exstitit fundator magnificus hujus sacri et colendi monasterii, nec non et aliorum quamplurium; institutorque monacharum albarum in hac inclyta alma egregia Antenorea civitate, demum vero reformator totius Religionis, cujus judicio et auctoritate omnis sententia attendebat totius Marchiæ Tarvisinæ. Captus et captivatus per audacem tyrannum Eccellinum de Romano protervum: novissime relaxatus per imperatorem, exstitit exsul per xx fere annos. Obiit Venetiis in monasterio Cælestiæ. Translatus quiescit hic condecenter juxta altare majus beatissimus Vir Dei. *Saltem hic audimus, Virum illum in veteri codice* beatissimum *nominari, licet ætatem istius codicis probe non noverimus.*

inscriptione sepulchrali,

5 *Etiam nescimus, quo tempore concinnatum sit epitaphium, quod Patavii circa tumulum* B. Jordani *olim marmori incisum fuit, et quod Scar-* B *deonius, Wionus, aliique recitant hoc modo:*

Tu Jordanus eras generosa ex stirpe creatus
Forzatea meritis, quem nostra tulere beatum
Secula; fecisti hæc duo templa sacri Benedicti
Rexistique abbas, tuaque istic ossa coluntur.

Reverendissimus Tomasinus cap. 10 prædictæ Vitæ Italicæ eosdem quatuor versiculos referens monet, hic per duo templa *intelligenda esse duo monasteria sancti Benedicti, de quorum structura ibidem et cap. 20 fusius disserit. Præterea idem eruditissimus præsul cap. 28 observat, epitaphium istud metricum non amplius exstitisse sua ætate, sive anno 1650, quo Vitam* B. Jordani *edidit; etiamsi tempore Bernardini Scardeonii, id est medio seculo decimo sexto, adhuc circa tumulum Beati legeretur. Cum itaque determinatam præcedentium monumentorum ætatem ignoremus, de initio publici cultus nihil tuto statuere possumus. Videtur tamen illa fidelium veneratio erga* B. Jordanum *paulatim crevisse, et ante medium seculi decimi quarti altare eidem Beato erectum fuisse: nam tempore Annæ Buzzacharinæ abbatissæ, quæ* C *ab anno 1356 usque ad annum 1398 isti monasterio præfuit, ab illustri D. Alecta de Carrara oblatum fuit altari* B. Jordani *pretiosum ornamentum, ut in veteri codice Ms. membraneo legitur, cujus antiquum textum Italicum laudatus sæpiusque laudandus Tomasinus eodem cap. 28 memoratæ Vitæ allegat.*

publico senatus Patavini instrumento,

6 *Seculo decimo quinto* B. Jordanus *multis miraculis coruscavit, ut colligimus ex instrumento Latino anni 1470, quod illustrissimus Tomasinus cap. 30 ejusdem Vitæ profert, et quod in libro actorum senatus magnificæ civitatis Patavinæ pag. 24 sic sonat:* Die Dominico, XXIX Julii MCDLXX. Congregato ac loco et more solitis convocato Consilio magnificæ civitatis Paduæ, in quo affuerunt magnificus et clarissimus D. Andreas Leono Paduæ Potestas pro illustrissimo Duce domino nostro Venetiarum, et spectabiles viri D. Bartholomæus de Capitibuslistæ, D. Federicus de Vigontia agens vices D. Anchoani de Buzzacarenis, D. Antonius de Visatis Jurisconsulti ac D. Bernardus de Lazara sapientes ad utilia communis deputati, et alii consiliarii numero sexaginta sex, de quibus aliqui non erant de consilio ordinario, sed vocati ad infrascripta peragenda propter absentiam et penuriam ordinariorum consiliariorum, qui abierant civitati*. Ex quo pronuntiatum fuit per præfatum magnificum D. Potestatem, eos legitime vocari, et ballottationem * prestare posse et debere.

* forte aberant civitate

AUCTORE G. C.

* id est suffragium quod anno 1470 scriptum est,

7 Quo facto, per præfatos spectabiles deputatos uno voto positæ fuerunt infrascriptæ partes prius super eis arrengato (*Italice* arringare *vel* arengare *significat* ad populum *aut* cœtum verba facere, *cui significationi phrasis Gallica* haranguer *consonat*) per dictos D. Antonium primo, et per D. Federicum de Vigontiis secundo loco. Cum hoc tempore ex nova demonstratione corporis beati Jordani Patavini de familia de Forzate reconditi in monasterium ecclesiæ venerabilium dominarum monialium sancti Benedicti hujus urbis Patavinæ ad sui gloriam, divinaque favente gratia, suscitata sint quamplura miracula, ut vero et digno testimonio comprobari et constari * fertur, ex quo publicus recursus per populum ad dictum corpus habetur: quapropter vadit pars, quod per spectabiles dominos deputatos ad utilia nomine hujus magnificæ communitatis compareatur coram reverendissimo domino episcopo nostro Patavino, et cum instantia requiratur et supplicetur eidem, quod sua reverendissima dominatio dignetur inquirere in prædictis et circa prædicta, et, si ea inventa fuerint, ut publice facta prædicantur, de ipsis memoriam in scriptis sumere, et fieri facere dignetur ad futurorum memoriam, et declarationem veritatis; alioquin huic rei finis imponatur, ut in fide Christiana idolatria * cesset. E

* forsan constare

* lege idololatria

Dicta parte ballottata, fuerunt pro parte B. 69, Contra vero partem B. 2 } et sic capta

Natalibus Columbanus
V. Canc. magnificæ Communitatis Paduæ subscripsit.

colligimus immemorabilem ejus cultum,

8 *Post hæc illustrissimus Tomasinus eodem capite Italice narrat, dominos illos deputatos comparuisse coram reverendissimo D. Jacobo Zeno (erat hic vir doctissimus, qui cathedram Patavinam ab anno 1460 usque ad annum 1481 tenuit) et postulationem eorum libenter ac gnaviter ab illo præsule executioni mandatam fuisse. Sed ibidem simul fatetur, instrumenta hujus examinis jam non inveniri, et ea verosimiliter periisse, quando Patavii archivum episcopale deflagravit. Deinde conjicit, celebrationem Missæ et recitationem Officii ecclesiastici ab eo tempore in honorem* B. Jordani *cœpisse. Qualiscunque sit hæc postrema illustrissimi scriptoris conjectura, nos vix dubitamus, quin tunc publicus Beati cultus ab antistite Patavino approbatus fuerit, et ea occasione magnum incrementum acceperit. Cœterum ex relato senatus Patavini instrumento aliquot corollaria deducimus, et primo quidem ex illo eruimus, tunc temporis* B. Jordanum *plurimis miraculis claruisse, ut publica fama testabatur. Secundo probabilissime censemus, antiquam* B. Jordani *venerationem tunc ab episcopo Patavino confirmatam aut saltem tacite permissam fuisse, quandoquidem Senatus Patavinus expresse petiit, ut miracula studiose discuterentur, eoque examine instituto, cultus Beati legitime approbaretur, aut penitus prohiberetur. Denique approbationem seu permissionem illam inferimus a consequenti, ut vulgo aiunt, sive ab effectu publici cultus, qui hactenus perseverat, ut jam ex teste oculato demonstrabimus.*

ac propter hodiernum sacri corporis statum

9 *Janningus noster in Ms. Itinerario, quo peregrinationem suam Romano-Belgicam anni 1686 accurate explicuit, fol. 36 ad rem præsentem notat sequentia;* Patavium veni XXVIII Julii: ibi in ecclesia monialium S. Benedicti, a sinistra ingredientis super altare remotius, ex vario marmore

AUCTORE G. C.

re eleganter elaboratum, quiescit corpus B. Jordani, cujus ibi festum colunt VII Augusti cum Octava, dicentes Officium de communi (si recte memini) confessoris. Arca marmorea est, antrorsum cooperculo ligneo insertis Parii marmoris laminis decoro, clausa; illo autem aperto, per crystallum videtur sacrum corpus habitu abbatis, e panno rubro auro intertexto, indutum cum mitra et pedo. Caput integerrimum est, excepto naso. Os apertum omnes superioris ordinis, inferioris aliquot dentes candidos exhibet. Inscribitur urnæ B. JORDANUS FORZATEUS PATAVINUS. Aliquot anathemata circumpendent. E templo per cancellos monialium conspicitur pulcher hortus, in eoque arbor cornorum (vulgo corgnoli) procerior, aggesta circum terra, quæ muro constringitur. Fructus arboris ad solem induratos dispensant petentibus contra varias infirmitates remedium. Aiunt quoque moniales, quoties ramus arboris aliquis arescit, mortem alicujus e familia sua prognosticari, idque fere, antequam quis moriatur, accidere.

B

publicamque reliquiarum venerationem concludimus,

10 *Laudatus Tomasinus cap. 21 Vitæ Italicæ ex continua traditione de hac arbore corno narrat plura, quorum omnium hæc synopsis est. Cum* B. Jordanus *sacram templi ac monasterii structuram virgula corni designaret, absoluto ædificio, aridam illam virgam terræ infixit, quæ statim prodigiose germinavit. Hinc Beatus intelligens, laborem suum Deo gratum esse, in terram prostratus immensas divinæ bonitati gratias egit. Post ea paulatim hæc virgula excrevit in magnam arborem, quæ semper hoc prodigium proprium habuit, ut in ea tot rami arescerent, quot illo anno ex familia Forzatea morituri erant. Stetit hæc arbor virens usque ad annum Christi 1597, quo stemma nobilium Forzateorum in Claudia Forzate exstinctum est: tunc enim arbor ita marcuit, ut solus truncus remaneret. Monialibus dolentibus, hanc beati Fundatoris sui memoriam periisse, brevi ex radicibus alii ramuli exorti sunt, qui ad magnitudinem prioris arboris excreverunt. Deinde truncus ille excisus est, cujus lignum moniales distribuunt Capucinis et Camaldulensibus, aliisque, ut ex eo rosaria conficiantur. Alii lignum illud redigunt in pulverem, quem ægri ma-*

C

gna cum fiducia sumentes, sanitati restituuntur. Denique nova hæc arbor, quæ in quinque ramos divisa est, cingitur muro quatuor pedibus alto, et producit ingentem copiam cornorum, quæ magna diligentia et devotione colliguntur. Nunc etiam observatum est, exarescente quodam ejusdem arboris ramo, mortem alicujus Superioris monialium, aut aliud imminens infortunium prænuntiari. Sic anno Christi 1629 folia hujus arboris tam flaccida erant, ut ipsa arbor penitus exsiccanda videretur, et anno sequente terribilis pestilentia Patavium afflixit, a qua tamen moniales hujus cœnobii, haud dubie propter intercessionem beati sui Fundatoris, mirabiliter præservatæ fuerunt. De hac corno inferius inter miracula sæpius mentio occurret.

hunc Virum operi nostro secure inseri posse.

11 *Nos interim ex hac publica et hactenus perseverante* B. Jordani *veneratione confidenter colligimus, eam cœpisse ab immemorabili tempore, sive centum annis ante famosum Urbani VIII decretum, de quo jam sæpius in Opere nostro egimus: quis enim credat, piissimos doctissimosque civitatis Patavinæ præsules passuros esse talem cultum, nisi hic secundum mentem Romanorum Pontificum centum annis ante memoratum Urbani VIII decretum usitatus fuisset? Adde, quod ab anno Christi 1500 tabellæ votivæ ad altare* B. Jordani *publice* D *appensæ fuerint, ut infra ex miraculis patebit. His accedit titulus* Beati, *quo in antiquis instrumentis, quæ supra exhibuimus,* Jordanus *ubique appellatur. Quapropter ex his omnibus asseveranter concludimus, immemorabilem esse* B. Jordani *cultum, et consequenter hunc illustrem Virum Operi nostro secure inseruimus.*

§ II. Acta Beati ex Scardeonio, nobile ejus stemma, difficultas chronologica circa nativitatem et Religiosam illius professionem examinantur.

Egregius historicus Patavinus

E

Bernardinus Scardeonius, Canonicus Patavinus, qui scriptis suis historiam patriam erudite illustravit, in Opere de Antiquitate urbis Patavii lib. 2, classe 6, pag. 108 et sequente Beatum nostrum inter claros cives suos ita recenset: Nullo jure poterat indictus hoc loco præteriri beatus Jordanus Forzzateus, vir magnæ pietatis, nec minoris excellentiæ, Prior Sancti Benedicti Novelli nuncupatus: hujus etenim sapientia et consiliis tota fere Respublica Patavina ea tempestate regebatur, utpote ad quem (si quando de rebus magnis consultandum fuerat) tota civitas, tanquam ad Romanum illum senem Catonem, confluere solebat. Quocirca licet et veræ pietati et sanctæ Religioni omni ex parte addictus esset, tamen propter auctoritatem et singularem suam sapientiam, qua plurimum valebat, inter senatores in Republica principem locum et primos honores semper obtinuit. Is enim in illis periculosis seditionibus in vertice montis Meruli castrum munitissimum sibi ædificavit, cujus etsi parva, tamen adhuc aliqua exstant vestigia, quod nunc ad Calciarum familiam devenit.

paucis verbis exponit Beati gesta,

F

13 Erexit insuper duas ædes sacras divo Benedicto, alteram virginum, alteram monachorum, quibus ipsemet abbas præfuit. Is etiam in nimia dissensione Reipublicæ, et maximo totius civitatis tumultu, persuasit populo Patavino, ut sexdecim viri crearentur ex omni nobilitate constituendæ Reipublicæ causa, qui publicis rebus optime consulerent, et prudentissime præcaverent, si quæ forte insidiæ a quoquam tam intra mœnia quam extra in agro pararentur. Verumtamen haud multo post per hos ipsos sic præfectos, pecunia corruptos, vel deceptos potius, urbs ipsa sub nomine Friderici secundi imperatoris Acciolino immanissimo tyranno prodita est; qui mox ex vicario imperatoris factus civitatis tyrannus, misit Bonacursium Forzzateum, qui Jordanum ad se accerseret. Jordanus autem quamvis sciret, tyrannum supra modum sibi infensum esse, et suspicaretur quod esset futurum, tamen cum jam esset confectæ ætatis, noluit turpi fuga vitæ consulere; sed dispositis rebus suis domesticis, intrepidus adivit Acciolinum.

et posthumam ejus gloriam,

14 At illico a Saracenis, qui tunc sub Acciolino militabant, captivus in castellum Tarvisinum Sancti Zenonis perducitur, et ibi arctissimo carcere tandiu occluditur, quousque ab imperatore eo carcere liberatus, Bertholdo Aquilegiensi patriarchæ in monachorum cœnobio custodiendus datur; ubi admirabili patientia, jejuniis et orationibus vacans, multo tempore degit: sed tandem

A dem inde clam abiens, incognitus Venetias adivit, ubi pie ac sancte diem clausit extremum; qui postea, liberata patria, et occiso tyranno, Patavium translatus est, et vulgo cunctis probatus, nunc inter Divos connumeratur. Hujus sepulcrum exstat in basilica sancti Benedicti, ubi integro fere adhuc corpore jacet, ab omnibus sanctitatis titulo decoratus. Inscriptum autem ejus sepulcro inest hoc epitaphium:

Tu Jordanus eras generosa ex stirpe creatus
Forzatea meritis, quem nostra tulere beatum
Secula: fecisti hæc duo templa sacri Benedicti,
Rexistique abbas, tuaque istic ossa coluntur.

Obiit anno MCCXXVIII *(lege* MCCXLVIII, *ut ex infra dicendis patebit)* VII Idus Augusti; qui dies Patavii in æde Sancti Benedicti a monialibus solemniter singulis annis et summa cum veneratione in beati hujus Viri memoriam celebratur. B *Hæc Scardeonius, diligens ac cordatus rerum Patavinarum scriptor, quibus recentior et supra laudatus Vitæ Italicæ auctor addidit multa, quæ jam more nostro singillatim discutiemus.*

quibus biographus Italus multa incerta addidit.

15 *Ut prudens lector saltem generatim quamdam ideam habeat de hac Vita Italica, quam sæpe memoratus episcopus Æmonensis anno 1650 Utini edidit; imprimis scire oportet, privata pleraque* B. Jordani *gesta, aut nunquam litteris mandata fuisse, aut incendio aliisve casibus periisse, ut illustrissimus eorum scriptor ultro fatetur. Quare ignoramus, quo fundamento idem reverendissimus biographus retulerit quædam particularia, quæ huic Viro contingere potuerunt, quamvis ea contigisse non constet. Certe de educatione illius, vita monastica, et studiis litterarum narrat varia, quæ cuilibet simili Beato conveniunt, et quæ potius oratorie exornata, quam historice certa videntur. Attamen publica nonnulla ejusdem Beati gesta testimonio veterum scriptorum solide confirmat. Sed propter hanc ipsam confirmationem suspicamur, alia similibus antiquis monumentis* C *probari non potuisse. Sic cap. 1 Vitæ Italicæ refert, matrem* B. Jordani *in nativitate ejus mirabilem visionem habuisse, et infantem recens natum corusco splendore circumdatum fuisse. Præterea cap. 26 asserit, eumdem Beatum ab Angelo monitum fuisse, ut Venetias fugeret, eo quod Eccelinus tyrannus ei mortem inferre decrevisset. At nullos harum rerum testes aut tabulas allegat. Deinceps igitur fidem similium narrationum penes auctorem relinquemus, et chronologico Actorum ordine tantum examinabimus ea Beati gesta, pro quibus aliqua gravium scriptorum auctoritas citatur, aut saltem probabilis ratio afferri potest.*

Laudatus historicus Patavinus describit

16 *Imprimis reverendissimus biographus cap. 1 fuse agit de nobili familia Forzatea, ex qua* B. Jordanus *ortum duxit, et quæ etiam Transalgardina et Capilistia cognominabatur. Sed cum ille hanc notitiam hauserit ex Scardeonio, audiamus insignem hunc historicum, qui lib. 3 supradicti Operis, classe 13, seu pag. 294, originem avitæ istius stirpis exponit his verbis:* Cum Patavium ab Agilulpho Lombardorum rege esset penitus incensum et dirutum (ut supra dictum est) optimates interim et universi fere cives Patavini partim Venetias migrarunt, partim dispersi per agros et municipia, quæ in agro Patavino multa erant, in locis munitis et arcibus inter agrestes, quomodo melius poterant, habitarunt, quousque Carolus Magnus Gallorum rex a summo Pontifice Adriano ad fugandos Longobardos vocatus, superatis Alpibus, in Italiam cum maximo exercitu transivit. Ad hunc autem regem nobiles quidam Patavini Longobardis infensi, ultro profecti, benignissime suscepti sunt, et alii tribuni, alii centuriones creati, prout cujusque personæ ratio postulabat.

Auctore G. C.

originem nobilissimæ familiæ,

17 Interea qui præstabant ex Transalgarda familia animi virtute et corporis viribus, Carlotus et Transalgardus et Joannes germani fratres sub hoc rege honestis stipendiis merentes, cum essent bellorum studiis et militari disciplina apprime eruditi, concerto aliquando cum hostibus prælio (dum acriter utrimque decertatur) conspicati Stephanum Scardiacum hostium ducem viriliter dimicantem, per confertissimas hostium turmas fixis calcaribus equis, in eum unanimiter impetum faciunt, et magno animo nec minore vi invadentes, armatum equitem viriliter decertantem circumveniunt, crebrosque ictus conduplicantes premunt; qui cum tantam vim sustinere non posset, captivum se hostibus tradidit. Atqui mox, duce E capto, Longobardorum exercitus perterritus, dimissa pugna et projectis armis, fusim in fugam vertitur. Ea re cognita, Transalgardi magnis protinus laudibus ac etiam muneribus a rege donati sunt, et ob tam insigne facinus magnæ eis gratulationes in castris habitæ, et *præcipuo* honore militiæ decorati: qui deinceps in memoriam tam præclaræ victoriæ, posito vetere suo insigni, quod erat ex albo et viridi colore variatum, assumpsere sibi ex munere regio cervum rubeum, colore glauco; quod erat insigne ducis Longobardorum.

ex qua Beatus noster ortus est,

18 Peracto autem eo bello, liberataque tandem Italia a Longobardorum tyrannide, Patavium rursus reædificari cœptum est, et a Carolo Magno data incolis immunitate, civitas non modicum (ut diximus) accepit et novorum ædificiorum et adventantis quotidie populi incrementum. Verum Transalgardus regem secutus, et multis ab eo divitiis et oppidis donatus, in Gallia remansit; Carlotus vero et Joannes in Patavino agro Comites Montis Meruli et Mandræ et Sacischæ ab eodem rege facti sunt, cum auctoritate juris F dicendi, et vitæ necisque in subditos potestate. Interim vero orta non mediocri ex hac occasione invidia, et ex invidia contentione inter Joannem Transalgardum et Simonem Taddum, qui fuit unus ex his, qui una secum sub eodem rege Carolo militaverant, cum dirimi contentio inter eos alia ratione non posset, nisi per duellum, evenit, ut Taddus a Joanne Transalgardo superaretur, quamobrem exinde Joannes ac ejus posteri ex Transalgardis, quasi Taddo vim intulisset, quæ vulgari sermone SFORZA dicitur, SFORZATADI postea dicti sunt. Carlotus autem vir strenuus, et in tota Italia maxime notus, cum et ipse in quodam bello tribunus militum esset, ut a cæteris dignosceretur, transversalem zonam auream (ut mos erat) in militia super thoracem ferre consueverat, quæ quidem Italice LISTA vulgo dicitur: unde factum est, ut CAPILISTA inde corrupto vocabulo postea vocaretur; cujus posteri deinceps, antiquato priore cognomine, CAPILISTII dicti sunt, et ita usque in hodiernum diem appellantur. *Deinde Scardeonius enumerat aliquot illustres nobilissimæ hujus familiæ viros, quibus Jacobus Cagna in Summario nobilitatis Patavinæ pag. 13 et sequentibus multos alios usque ad annum Christi 1566 adjunxit.*

19 *Etiamsi Scardeonius hoc loco expresse non recen-*

AUCTORE G. C. *quam descriptionem Sertorius Ursatus,*

recenseat B. Jordanum *inter posteros stirpis Forzateæ, tamen id alibi satis indicat, dum in superiori Actorum compendio illum* Forzateum *cognominat, quod inclyti stemmatis cognomen Beato nostro etiam in antiquis inscriptionibus additum reperitur. Quapropter jure merito Sertorius Ursatus ipsum inter claros Forzateos diserte memorat, quando in Monumentis Patavinis pag. 200 de illustri hac prosapia sic disserit :* Originem ac nobilitatem hujus clarissimæ gentis hic breviter repetens, sat erit, si dixero, quod Transalgarda gens in familias ex cognominibus illustrium virorum Romano more divisa, et Forzatea dicta a Joanne, qui Simonem de Ta, Patavinum civem egregium singulari pugna vicit ; unde rudi lingua FORZATA fuit vocatus ; et CAPILISTEA a Carloto, tribuno equitum declarato a Carolo Magno, qui zonam in vestibus auream, vulgo LISTA ferebat. Hanc gentem, etiam imperatore Carolo Magno Augusto, viris militaribus claruisse conspicuum est. Referuntur siquidem in ea Transalgardus
B et Joannes sub prædicto imperatore adversus Desiderium regem gloriose pugnantes, qui insignibus donati captivi ducis, hoc est, cervo ore rosam gestante, eis hunc in diem utuntur. Unde non mihi centenis resonent si vocibus ora, multifidusque ruat centum per pectora Phœbus nobilissimæ hujus gentis illustres possem recensere viros, tiaris cardinalitiis, patriarchalibus episcopalibusque infulis, nec non militaribus imperiis condecoratos. Vivit cum orbe gloria Gauslini Transalgardi, Patavini episcopi, ob pietatem et religionem erga templum et cœnobium Divæ Justinæ, ab ipso et exquisite reparatum et summe locupletatum. Emicat beati Jordani abbatis Olivetani sanctitas, qui post innumera, quæ ad patriæ salutem luctuosissimo suo ævo præstitit, Ezelini immanissimi tyranni jussu pœnas arctissimi carceris diu summa patientia maximaque constantia pertulit. Colitur sanctissimum ejus corpus in ecclesia Sancti Benedicti monialium, ubi adhuc integrum visitur.

et Jacobus Cavacius testimonio suo confirmant.

20 *Occasione supradicti Gauslini, præsulis Patavini, Jacobus Cavacius lib. 3 Historiarum cœnobii Divæ Justinæ pag. 44 ad annum Christi 952 de eodem nobili stemmate sic breviter et*
C *eleganter scribit :* In Gauslino cum generis nobilitate egregia sanctitas enituit. Transalgarda familia, ex qua originem habet, etiam imperante Carolo Magno Augusto, legitur viris militaribus claruissé. Referuntur ex ea Transalgardus et Joannes sub Carolo adversus Desiderium militasse, et insignibus donati captivi ducis, quibus hactenus utuntur. Alter ejusdem nominis Transalgardus tribunus militum legitur apud Ungarellum cum Marsilio Carrariensi delectus a civibus adversus Hunnos, honesto funere sub ipsis patriæ muris cecidisse. Sed quæ de Marsilio traduntur eo seculo, minus probantur. Cœterum ea familia novis titulis aucta, in Gallias etiam traducta est. Eadem Patavii modo Forzatea, modo Capilistia appellata, avitum splendorem virtute ac opibus ubique tutata est. Forzatea hac nostra tempestate interiit ; Capilistia illustris perseverat. *Hinc discimus stirpem Forzateorum jam exstinctam esse, cujus exstinctionis tempus supra num. 10 ex illustrissimo Tomasino obiter retulimus.*

Ex anno nativitatis,

21 *Itaque ex claro illo genere ortus est* B. Jordanus, *cujus nativitati laudatus Tomasinus cap. 1 Vitæ Italicæ annum Christi 1158 assignat. Sertorius Ursatus in Historia Patavina, quam anno 1678 Patavii Italice edidit, part. 1 lib. 4 pag.*
D *320 ad annum 1158 huic chronologiæ consentit ; sed neuter antiquiores assertionis suæ testes citat. Videtur tamen illa nativitatis epocha haud improbabiliter colligi posse ex incendio civitatis Patavinæ, quod Scardeonius lib. 1 Operis jam aliquoties citati classe 2 vel pag. 27 sic describit :* Orta interim magna seditione inter Jordanum Sancti Benedicti Novelli Priorem et Luscum Transalgardinum virum nobilem, eo tunc tantus impiorum quorumdam ex sectatoribus processit furor, ut injectus occulto ignis in domum adversæ factionis, majorem et pulchriorem partem urbis devastaverit, ita ut eo incendio tota pene urbs conflagraverit : nondum enim lateritia erat, ut nunc est ; sed tota ferme lignea, asseribus et tignis compacta, atque suffulta trabibus usque ad fastigium.

et tempore incendii Patavini

22 Eo sane tempore hi versus conditi fuere, quos vetustatis probandæ gratia inscribendos his nostris commentariis et posteritati tradendos dignos censui.

Marchia ploravit, Paduam quod flamma cremavit,
Urbis majores tres partes et meliores E
Anno milleno centeno septuageno
Nec non et quarto ; Nonas Martis quoque quarto.
Quot fuerant tecta sub certa collige meta :
Sexcentæ vere bis mille domus cecidere
Bis septem pone, tot collige cum ratione.

Ex hoc quidem urbis incendio credere dignum est, tunc periisse memoriam omnium fere, quæ ad ea tempora Patavii memoratu digna contigerant : nam supra id tempus de gestis rebus aut incremento urbis Patavii infra annos ferme quadringentos, ex quo a Carolo refecta fuerat, nihil prorsus memorabile legitur ; nec etiam monumentum aliquod exstare videtur, ubi conspiciatur antiquior memoria, quam de hoc incendio in quodam rudi saxo, ætate nostra effosso, et in conspicuo loco ad basilicam D. Canciani collocatum, ubi legitur : MCLXXIV ARSIT PADUA.

oritur difficultas chronologica

23 *Si igitur* B. Jordanus *anno Christi 1158 natus sit, tantummodo sedecim ætatis annos habebat, quando Patavium anno 1174 incensum est propter turbas inter ipsum et Transalgardinum exortas, ut calculos subducenti manifestum fiet.*
F *Neque nativitas ejus multum ad anteriora tempora removeri potest, cum usque ad annum Christi 1240 vixerit, et consequenter octogenario major obierit, ut postea dicetur. Porro hinc oritur intricata difficultas, quam non videtur observasse Cavacius, dum lib. 2 laudati Operis pag. 69 ad annum Christi 1174 de eodem incendio Patavino sic scribit :* Dixi factiones et seditiones etiam sacros homines impetivisse. Easdem causas habeto incendii memorabilis, quo urbs lignea fere tota conflagravit. Luscus, Transalgardinus civium potentissimus adversus Jordanum Forzateum, Priorem cœnobii Sancti Benedicti, spectatum virum veteres simultates novis injuriis auxerat. Ille quamvis ex sacra dignitate et disciplina Religionis ultionem nollet, habuit tamen gentiles, qui armis injurias ab Lusco repeterent. Dum clades ultro citroque inferuntur, satelles quidam Transalgardini in ædes adversariorum flammas injecit, ex quibus erumpentes in vicinas, et ventorum auxilio progredientes, tres fere urbis partes hauserunt. Incendii vastitatem prodit carmen relatum a Scardeonio, nempe domos igne consumptas MDCXIV. De eodem mentio est apud scriptorem inventionis sanctæ Justinæ, qui urbem conflagrantem aspexit. Eadem habetur ex rudi lapide ac vetusto apud

ædem

A ædem sancti Canciani.

circa Religiosam Beati professionem, 24 *Quisquis hæc Cavacii verba attente expenderit, haud dubie ex iis concludet,* B. Jordanum *fuisse Religiosum cœnobii Benedictini Priorem, quando occasione inimicitiarum inter ipsum et Transalgardinum civitas Patavina combusta est. At quomodo, inquies, juvenis sedecim annorum monasterio S. Benedicti præerat, aut munere Prioris fungebatur? Implicatum hunc nodum reverendissimus Tomasinus solvere nititur, dum cap. 2 Vitæ Italicæ innuit,* B. Jordanum *tunc decimo sexto ætatis suæ anno fuisse Priorem titularem seu commendatarium, quo nomine Priores aut abbates hujusmodi nunc appellantur. Mabillonius in Præfatione ad partem primam seculi tertii Benedictini § 7 a num. 111 fuse disserit de secularibus abbatibus et advocatis monasteriorum, et ibidem num. 112 affirmat, officia hujusmodi in dignitatem evasisse, quæ una cum annuo stipendio ad heredes transibat. Similes autem tituli et inde emergentia emolumenta plerumque conferebantur nobilibus* B *viris, ac ipsis regum filiis, ut variis exemplis demonstrari posset.*

et titulum Prioris, ab ipso gestum, 25 *Verum solus nobis sufficiet Lotharius, Caroli Calvi filius, ut difficultatem propositam duplici modo dissolvamus: cum enim ille adhuc esset ætate juvenis, fuit abbas in monasterio S. Germani Autissiodorensis, ut testatur S. Hericus, synchronus ejusdem cœnobii monachus, qui in epistola dedicatoria ad Carolum Calvum, quam tomo VII Julii a pag. 221 exhibuimus, eumdem Lotharium appellat* annis puerum, suumque *abbatem, et ibidem præmaturam ejus mortem deplorat. Præterea idem Lotharius fuit abbas cœnobii Reomaensis, ut Petrus Roverius noster in Historia ejusdem monasterii pag. 93 ex antiquis monumentis probat, et ibidem in Illustrationibus suæ historiæ pag. 551 contra quosdam asserit, illum non fuisse monachum aut Regularem; sed eum ex veteri chronico vocat clericum, et numerat inter illos abbates, qui commendatitio vel fiduciario nomine titulum hujus dignitatis gesserunt. Si hæc opinio lectori arrideat, non improbabiliter dicemus,* B. Jordanum *simili modo Priorem monasterii Patavini fuisse, et secundum consuetudinem nobilium honorario hoc titulo appellatum esse.*

de quo varias conjecturas proponimus. 26 *Si vero quispiam cum Mabillonio in Annalibus Benedictinis lib. 35 num. 85, sive tomo III istius Operis pag. 90 contendat, memoratum Lotharium fuisse monachum, non magnopere repugnabimus; sed is simul meminerit, Mabillonium lib. 36 eorumdem Annalium Benedictinorum num. 35, sive tomo proxime citato pag. 120 scribere, quod Lotharius abbas Autissiodorensis* vixdum adolescens *e vivis excesserit, et ibidem numero vel pagina sequente addere hæc verba:* Post mortem Lotharii abbatis dignitatem tulit Boso, qui sub principe minorenni forte jam pro-abbatis officium gesserat. *Dixi, nos huic opinioni non magnopere repugnaturos: nam eodem jure similia de* B. Jordano *affirmabimus, et non immerito suspicabimur, monachos Patavinos hunc nobilem Juvenem sibi Priorem elegisse, eo quod in magna istius temporis perturbatione potentiorem monasterii sui tutelam ab illustribus ipsius consanguineis exspectarent. Quod si neutra hæc sententia placeat, demum dici posset,* B. Jordanum *a Scardeonio in narratione incendii Patavini appellari* Priorem Sancti Benedicti Novelli *per prolepsim, quia ibidem postea officium istud monasticum administravit. Certe nullus veterum auctorum assignat tempus, quo Beatus noster amplexus est vitam monasticam, de qua aliisque ejus gestis nunc agendum est.* AUCTORE G. C.

§ III. Monastica Beati vita, et gesta pro salute patriæ usque ad captivitatem ejus discutiuntur.

Vetera Actorum monumenta 27 Cum *suspicarer, forte quædam antiqua et peculiaria* B. Jordani *Acta in Patavino monialium Benedictinarum archivo superesse, ad P. Philippum Riceputi nostrum Patavii commorantem, et mihi ex litterariis laboribus notum, litteras dedi, quibus significabam, nihil nobis suppetere ad illustranda* B. Jordani *gesta præter Italicam illustrissimi Tomasini Vitam, simulque rogabam, ut vetustiora de hoc Beato monumenta apud moniales indagare non gravaretur. Sed cum litteræ illæ periissent, et consequenter nullum* E *responsum accepissem, post aliquot menses scripsi alteras, quibus officiosissimus vir mense Augusto anni 1733 respondit in hunc modum:* Acta B. Jordani Forzatei, quæ R. V. postulat, Latinis verbis descripta, jam pridem Patavii interière. Horum loco collegi, quæ Italico sermone exarata suppeditarunt sanctimoniales D. Benedicti, ut aiunt, Novelli; quibus Vir Dei, dum in humanis degeret, cœnobium condidit et sacras Ædes, ubi corpus ejus magna religione colitur. Lustrari quoque curavi antiquissimæ gentis Forzateæ monumenta; dein Cassinensium ad sanctam Justinam et Olivetanorum ad divum Benedictum Veterem archiva: sed modicum reperire licuit, quod typis edita episcopi Thomasini Vita non contineat. Hanc igitur diu conquisitam, atque demum obtentam, sollicite expedio cum analectis nonnullis, amica manu exaratis atque solertia congestis. *Nimirum vir humanissimus Italicam Vitam sollicite quærens, nobisque transmittens, ignorabat, illam in Museo nostro jam pridem servari, ut indicaveram prioribus meis litteris, quas non acceperat.*

frustra Patavii indagavimus, 28 *Deinde epistolam suam ita prosequitur:* Non exæquabunt, ut video, eruditorum exspectationem. Nihilominus, cum valde similia sint iis F Patavio itidem submissis, unde R. V. Majores Acta beatæ Beatricis Atestinæ, nostri Jordani spiritualis filiæ, optime concinnarunt sub die decimo Maii, ad sancti Institutoris res gestas adornandas non omnino inutilia fore confido. Cæterum si litteras, quæ mensibus abhinc octo vel novem, ut intelligo, ad me datæ fuerunt, aliquando accepissem, iis dubio procul pari, qua postremis, celeritate obtemperassem: nec segnior ero, si forte denuo, ut cupio vehementer, tantis viris in re tam præclara operam navare mihi contigerit. *Recte sagax vir judicabat, analecta illa non satisfactura esse exspectationi eruditorum: nam pleraque hæc monumenta, quæ exeunte mense Novembri anni 1733 accepimus, ex recentioribus auctoribus collecta sunt, aut ab illustrissimo Tomasino in Vita Italica referuntur. Merito tamen idem eruditus vir confidebat, omnia non prorsus inutilia fore: miracula enim sive beneficia, quæ post editam reverendissimi Tomasini lucubrationem intercessione* B. Jordani *usque ad hæc nostra tempora contigerunt, nobis usui erunt, ut inceptam illorum seriem prosequamur. Itaque ad gloriam* B. Jordani *miracula illa recentiora ex Ms.*

libro

AUCTORE G. C.

libro Italico, qui Patavii in archivo monialium Benedictinarum conservatur, Latine contrahemus, et antiquioribus impressis infra subjungemus. Nunc monasticam Beati vitam, aliaque ejus gesta examinare pergamus.

ideoque contenti esse cogimur Vita Italica,

29 Pluries laudatus laudandusque Tomasinus cap. 3 Vitæ Italicæ tradit, B. Jordanum ex supradicto incendio Patavino transitoriam rerum humanarum vanitatem ita perspexisse, ut rebus caducis nuntium remittere et monasticam vitam amplecti decreverit, suumque propositum statim exsecutioni mandaverit. Deinde cap. 4 et sequentibus Religiosas illius virtutes aliaque exercitia monastica adeo distincte describit, acsi ea omnia oculis usurpasset. Etiamsi non dubitemus, quin B. Jordanus in Religione Benedictina plurimas virtutes exercuerit, tamen opinamur, singulares illas actiones monasticas ab hoc biographo rhetorice pro arbitrio exornatas, et similes de quolibet sancto ejusdem Ordinis alumno probabiliter narrari posse. Certe nemo veterum scriptorum, quorum lucubrationes ad notitiam nostram pervenerunt, monastica B. Jordani gesta singillatim posteritati reliquit.

B

quæ subinde nec secum

30 Dein idem biographus cap. 8 confidenter asserit, B. Jordanum post viginti annos monasticæ solitudinis cœpisse saluti patriæ consulere, quæ propter intestinam civium Patavinorum discordiam periclitabatur, et tunc suasione illius, abrogatis consulibus, substitutum fuisse supremum civitatis rectorem, quem vulgo Potestatem appellant. Quinimo ibidem addit, primum anno Christi 1184 Paganum Turrianum, nobilem Mediolanensem, electum esse ad obeundum istud officium, quod etiam cum magna laude administraverit. Sed hæc imprimis non cohærent cum chronologia ejusdem biographi, dum ipse supra tradit, B. Jordanum tantummodo post incendium urbis Patavinæ, quod anno 1174 contigit, animum ad monasticam vitam appulisse. Quomodo igitur illa electio Potestatis fieri potuit anno 1184, postquam B. Jordanus viginti annos in solitudine monastica transegerat, quandoquidem ab incendio Patavino usque ad annum Christi 1184 decem anni tantum effluxerunt?

C

nec cum historia aliorum conciliari potest,

31 Præterea hanc biographi Itali historiam et chronologiam conciliare non possumus cum narratione Bernardini Scardeonii, qui libro 3 memorati Operis classe 13, sive pag. 270 agens de illustri Estensium stemmate, ibidem ad rem nostram sic habet : Primus vero, qui hic Patavii ex hac ipsa familia perpetuam famam promeruisse fertur, exstitit Obicius vir illustris, qui et armis et sapientia in regenda republica plurimum valuit. Huic uni primum Patavii summa vitæ necisque potestas fuit, antea solis consulibus dari solita : unde ipse primum a populo Potestas appellatus est, et antiquata prorsus consulari appellatione, subinde annui successores, in ejusmodi auctoritate et dignitate constituti, eodem Potestatis nomine appellati. Is in magna concordia anno salutis millesimo centesimo septuagesimo octavo civitatem rexit, et propterea rursum in triennium confirmatus; quo quidem tempore civibus suis summa benignitate et æquitate jus dixit, gessitque hunc magistratum cum maxima concordia et pace totius civitatis. Vides, his verbis Scardeonium Obicio Estensi tribuere omnia illa, quæ Tomasinus Pagano Turriano Mediolanensi adscribit. Porro primam Potestatis electionem, in qua narranda hi duo scriptores secum pugnant, studiosis historiæ Patavinæ indagatoribus ulterius discutiendam relinquimus, et ad alia progredimur.

D

et in qua narrantur nonnulla,

32 Sæpe citatus scriptor Vitæ Italicæ cap. 9 fuse exponit, quomodo B. Beatrix Atestina, cujus Acta ad x diem Maii in Opere nostro illustravimus, suasione B. Jordani monasticum institutum amplexa fuerit. Saltem in hac assertione suffragatorem habet Scardeonium, qui lib. 3 Antiquitatis Patavinæ classe 6 vel pag. 119 in elogio ejusdem Beatæ narrat, illam usam esse in ea re consilio Jordani Forzatei, Prioris S. Benedicti, et Alberti similiter Prioris Montis Vinearum, magnæ auctoritatis hominum et affinitatis vinculo sibi conjunctorum. Forte plura et certiora de hac re dici possent, si adhuc superessent Acta B. Beatricis, ab Alberto ipso conscripta, aliave vetera monumenta, quæ ad dictam diem x Maii, tomo II istius mensis pag. 598 frustra videre desideravimus.

quæ antiquis testimoniis confirmare non possumus,

33 Sequitur caput decimum Vitæ Italicæ, in quo auctor copiose disserit de duobus monasteriis, quorum unum B. Jordanus monialibus, alterum monachis exstruxit. Ea occasione etiam memorat varias lites, quæ post mortem Beati inter moniales et monachos exortæ sunt, et quæ ad rem nostram non spectant. Demum sollicite nos monet, ne inter hæc duo cœnobia numeremus monasterium S. Benedicti Novelli, quod postea fabricatum est. Quidquid sit de vero horum monasteriorum situ, qui ab incolis Patavinis facilius assignari potest, nobis sufficit ad commendandam Beati pietatem, quod ipse duplex cœnobium ædificaverit. Hæc autem pia sacrarum ædium structura abunde probatur ex epitaphio metrico, aliisque veteribus monumentis, quæ paragrapho primo ad immemorabilem B. Jordani cultum demonstrandum allegavimus.

E

et quorum fidem propterea penes auctorem relinquimus.

34 Quatuor sequentibus capitibus reverendissimus biographus explicat, quanta fuerit B. Jordani auctoritas, et quam publica prudentiæ ejus fama, quæ etiam pervenit ad notitiam summorum Pontificum Romanorum, qui non semel hunc virum statuerunt arbitrum, cum inter Canonicos Patavinos et Arnaldum abbatem Sanctæ Justinæ orta esset controversia de eligendo præsule Patavino, ut Jacobus Caracius lib. 2 Historiarum cœnobii Sanctæ Justinæ ad annum Christi 1214 et 1218 eleganter narrat. Porro omissis longioribus instrumentis Latinis, quibus biographus Italus cap. 11 hanc rem probat, solummodo transcribimus breve B. Jordani decretum, quod laudatus auctor in fine ejusdem capitis refert his verbis : In nomine Domini. Ego Frater Jordanus Prior Sancti Benedicti arbiter, laudo et præcipio, quod Capitulum Paduæ eligat episcopum Paduæ concorditer hodie, vel cras usque ad horam nonam sine D. Arnaldo abbate Sanctæ Justinæ. Quod si non fecerit, ex tunc in hac præsenti electione facienda supradictus D. Abbas cum eodem Capitulo eligat. Quantum autem cives Patavini aliique vicini deferrent consilio et auctoritati B. Jordani, jam ex quibusdam scriptoribus coævis breviter audiamus.

F

Ex Maurisio,

35 Gerardus Maurisius, qui Eccelino tyranno a secretis fuit, et consequenter in Beatum nostrum, utpote Eccelini adversarium, plerumque injuriosus est, tamen magnam ejus apud populum auctoritatem prodit, dum inter Scriptores rerum Italicarum, nuper Mediolani impressos, tomo VIII col. 38 sic eumdem cum aliis memorat : Ugutio Pilii, et illi de Camino, et Paduani consilio Fratris Jordani, cujus consilio Paduani regebantur in totum, induxerunt Potestatem Vicentiæ et partem

A tem contrariam illis de Romano ad contradicendum eidem Fratri Joanni. *etc. Deinde præter varias contumelias, quibus hic Eccelini adulator Beatum nostrum impetit, col. 48 ejusdem tomi octavi* Fratrem Jordanum totius discordiæ Marchiæ auctorem et principem *appellat. Quamvis hæc dicteria ab inimico animo proficiscantur, nihilominus eadem satis clare indicant,* B. Jordanum *magna apud cives Patavinos auctoritate valuisse. Porro Maurisius circa finem historiæ suæ narrat captivitatem Beati nostri, de qua inferius agemus.*

et Rolandino, scriptoribus coævis,

36 *Accipe interim aliqua ejusdem auctoritatis testimonia ex Rolandino synchrono, qui lib. 2 cap. 17, sive tomo VIII proxime citato col. 197 occasione expeditionis Patavinæ contra Tarvisinos de eodem Beato sic sincerius modestiusque scribit :* Prius tamen quam civitatem exirent, venerunt quidam de Lombardia, qui dicebantur rectores, instantes cum domno Jordano, Priore Sancti Benedicti de Padua, in quo multum civitas Paduæ confidebat, et cum aliis magnatibus de Padua, quod expeditio sive exercitus remaneret. *Postea idem* B *scriptor lib. 3 cap. 9, seu col. 207 ejusdem tomi VIII inter Scriptores rerum Italicarum hæc habet:* Erat tunc Marchio rector et Potestas Vicentiæ electus per commune civitatis illius et per domnum Jordanum *, Priorem Sancti Benedicti de Padua, cujus tunc arbitrio Padua et Vicentia voluntarie subjacebant. *Denique lib. 4 cap. 3 sive col. 218 affirmat, quod* B. Jordanus *rexerit civitatem Patavinam* non aliter, quam regit paterfamilias domum suam. *Possemus hoc loco accumulare plura ejusdem rei testimonia tum ex coævis tum subæqualibus auctoribus, quos illustrissimus Tomasinus citat; sed cum jam relata ad propositum nostrum sufficiant, brevitatis causa omnia hæc prætermittimus.*

* *in alio Ms. additur* Forzate

præter alias traditiones incertas,

37 *Interea prosequamur examen Vitæ Italicæ, quæ cap. 15 tradit,* B. Jordanum *et S. Antonium Patavinum amicitia conjunctissimos fuisse. Hoc autem scriptor illius probare nititur ex Petro Rodulphio Tossinianensi, qui lib. 1 Historiarum Seraphicæ Religionis fol. 79 verso in Vita S. Antonii memorati scribit sequentia :* Audivit semel abbatem S. Benedicti prædicare quædam verba divi C Pauli scripta ad Dionysium Areopagitam, quibus auditis, aliquandiu visus est in aerem elevari. *At unde reverendissimus biographus novit, per abbatem S. Benedicti hic* B. Jordanum *designari, cum Rodulphius diserte non exprimat, hanc miram S. Antonii sublationem Patavii contigisse? Præterea in vicinia civitatis Patavinæ, si id ibi evenerit, plures erant abbates ex Ordine S. Benedicti, ut facile ostendi posset. Denique Beatus noster ab auctore coævo, cujus textum numero præcedente recitavimus, aliisque antiquissimis scriptoribus,* non abbas, *sed plerumque* Prior Sancti Benedicti de Padua *nominatur. Quod vero attinet ad amicitiam inter Beatum nostrum et S. Antonium, ex vetustis monumentis tantum nobis constat,* B. Jordanum *cum aliis deputatum fuisse ad examinanda S. Antonii miracula, ut colligimus ex bulla Gregorii IX Pontificis, quam tomo II Junii pag. 724 ex Waddingo exhibuimus. Propterea tamen non negamus amorem mutuum inter hos Sanctos vivos etiam viguisse; sed antiquiores harum similiumque rerum testes requirimus.*

confirmamus ea,

38 *Vita Italica capitibus sequentibus commemorat varias res, quas* B. Jordanus *pro salute patriæ fortiter gessit, et quarum nonnullæ ex antiquis scriptoribus confirmari possunt, quemadmodum colligitur ex laudato Rolandino, qui lib. 3 cap. 11, sive inter Scriptores rerum Italicarum tomo VIII col. 208 et sequente sic scribit :* Potestas autem Paduæ et domnus Jordanus cum consiliariis Paduæ, non bene certi quid facerent, multa consilia faciebant. Tandem quoque electi sunt sedecim de majoribus civitatis, quibus datum est arbitrium et potestas, quod in hoc trepidationis negotio adhæreant consilio saniori. *Sed plerique hi electi optimates defecerunt ad Eccelinum cum ingenti patriæ suæ damno, ut supradictus scriptor ibidem post pauca indicat his verbis :* De prædictis namque sedecim majoribus civibus Paduæ aliqui scripserunt litteras clandestinas et occultas; miserunt etiam secretarios suos nuntios Eccelino, quod parati erant et poterant civitatem Paduæ ei dare. Imo cum crederetur, quod aliqui de prædictis sedecim noctu circa confinia Paduæ et Vicentiæ consilia cum Eccelino plura habuissent, Potestas ipse dominus Rambertus prædictus et domnus Jordanus, cum Marchio ivisset ad Este, vocaverunt illos sedecim nocte quadam; et ego jussu Potestatis tractavi et dedi sacramentum E cuilibet de præceptis Potestatis attendendis in rebus et personis : habebam enim tunc sigilli communis officium. Eis itaque præcepit Potestas per sacramentum, quod se cras Duci Venetiarum præsentent, omni occasione sublata. Non fuit autem aliquis de ipsis, qui præcepta Potestatis attenderet præter Comitem Schinellam, qui vir erat sapiens et discretus, habens jam annos septuaginta, civitati Paduæ *utilis,* provídus ad futura.

AUCTORE G. C.

quæ Beatus pro salute patriæ gessit.

39 *His biographus Italus immiscet integras conciones, quas* B. Jordanus *spiritu prophetico ad populum Patavinum instituisse dicitur, et quas potius ab ipso rhetorice compositas, quam a Beato nostro habitas fuisse existimamus. Etiamsi hæc singularia illius dicta factaque nobis ignota sint, libenter tamen fatemur,* B. Jordanum *cum probis quibusdam civibus pro pereunte patria strenue laborasse, quod etiam Jacobus Cavacius lib. 2 Historiarum cœnobii Sanctæ Justinæ ad annum 1236 pag. 90 testatur his verbis :* Plures adhuc optimorum civium Prætori aderant, ex quibus Jordanus et Arnaldus Reipublicæ studiosi invigilabant. Eos maxime Eccelinus oderat, arbitratus, nunquam sibi rem tutam fore, dum ii starent. Ipsi F acriores in tyrannum invehi, et publicæ libertati opibus consiliisque præsto esse. Sed ea erat temporum ac urbis dispositio, ut nullis retinaculis cohiberi posset, quin perditum iret. *Cum itaque beatus Vir imminentem patriæ ruinam omni conatu suo avertere non posset, cœptam monasteriorum fabricam absolvisse dicitur ab auctore Vitæ Italicæ, qui etiam hac occasione disserit de virgula illa, quæ mirabiliter in arborem cornum excrevit, ut § 1 fuse narravimus. Denique idem biographus cap. 22 asserit, Eccelino urbem Patavinam intrante,* B. Jordanum *ad Montem Merulum discessisse. Quidquid sit de hoc discessu, ex antiquis scriptoribus scimus, illum non diu post traditam civitatem Patavinam insidiose ab Eccelino captum et in carcerem conjectum fuisse, ut ex paragrapho sequente patebit.*

AUCTORE G. C.

§ IV. Captivitas et reliqua Beati gesta usque ad obitum, post quem sacræ ejus reliquiæ Venetiis Patavium translatæ sunt.

Maurisius,

Gerardus Maurisius, cujus Historia inter Scriptores rerum Italicarum nuper Mediolani recusa est tomo VIII hujus collectionis col. 50 de captivitate B. Jordani sic contumeliose scribit : Post hæc dominus Eccelinus providus et discretus, invento, quod Frater Jordanus hypocrita cum pluribus contra imperatorem conspiraverat, volentes civitatem Paduæ de manibus et potentia domini imperatoris eripere, ipsum Fratrem Jordanum B captum misit in partibus suis custodiendum, donec dominus imperator venerit. Et cum episcopus Paduanus de hoc fuisset indignatus, et cum maxima multitudine clericorum et Religiosorum venisset coram ipso domino Eccelino, increpando et redarguendo ipsum, quod tantæ fuerat præsumptionis, [ut] in ipsum Fratrem Jordanum manus injiceret violentas; ipse, hoc audito, ira et indignatione maxima commotus, nolens ab aliquibus laicis vel clericis in opprobrium sui et imperatoris impune contemni, ab ipso episcopo pignus duo millium marcarum argenti abstulit in continenti, et eidem de prædicto facto imposuit silentium : pro quo facto plures Religiosi, quasi culpabiles sceleris, de civitate fugerunt. *Memento, Maurisium Eccelino a secretis fuisse, et ubique Beato nostro adversari, ut supra iterum monuimus.*

et anonymus monachus Patavinus

41 *Alter anonymus ejusdem temporis scriptor, qui passim monachus Patavinus appellatur, in Chronico inter Scriptores rerum Italicarum etiam nuper recuso, col. 676 ejusdem tomi VIII proditionem Patavii et captivitatem* B. Jordani *sic simul recenset :* Anno Domini MCCXXXVII. Cum civitas Paduana pacifico statu gauderet, et copia po- C puli et militia strenui, divitiis etiam et gloria esset plurimum decorata, pater proditionum et scelerum, humani scilicet generis inimicus, misit in corda quorumdam magistratuum, ut traderent eam nuntiis imperatoris, et Ecelino de Romano, quem Paduani solebant detestari, et persequi veluti lupum. Malum igitur, quod corde conceperant, opere perpetrarunt, de lupo pastorem ovium subito facientes in suam et patriæ suæ perniciem et gravamen : nam Ecelinum Paduæ inimicum in mense Februario venire fecerunt, et civitatem et populum in ejus manibus credulissimis tradiderunt. Tarvisini autem videntes, se quasi solos in Marchia remansisse, coacti se ac sua Ecelini dominio subdiderunt. Marchio etiam Estensis imperatoris nuntiis, amicorum destitutus auxilio, se subjecit. Postquam autem Ecelinus sub occasione imperii obtinuit Paduæ dominatum, statim optimates civitatis cum filiis suis in exsilium destinavit; quos omnes postea tradidit nequissimo principi Frederico, qui mittens eos in Apuliam, fecit eos in duris carceribus et caveis subterraneis custodiri, ubi ex magna parte miserabiliter perierunt. Domnum etiam Jordanum, quem Paduani quasi patrem Paduæ appellabant, perfidus Ecelinus in carcere alligavit.

42 *Nunc audiamus supra laudatum Rolandinum, testem oculatum, qui lib. 3 cap. 16, sive* D *prædicto tomo VIII, col. 214 eumdem infaustum ac perniciosum Eccelini ingressum in urbem Patavinam cum alia memorabili circumstantia narrat hoc modo :* Sic itaque factum est, quod statim sequenti die, scilicet quarto exeunte Februario, Comes Geboardus et Eccelinus cum sequacibus suis Paduam pacifice intraverunt. Viderunt autem multi, et ego specialiter vidi, quod cum Eccelinus intrabat per portam civitatis a Prato, capirone ferreo * projecto in tergum de palafredo *, ad portam se plicuit, et osculum dedit portæ. Quod tunc quidam inspicientes, et interpretantes ad bonum, dixerunt : « Ecce postquam non est possibile, dominum Eccelinum pacem facere cum omnibus Paduanis, pro bono certe præsagio osculum dedit portis et donat. » Tunc est data civitas comiti Geboardo, recipienti eam nomine imperatoris et vice ejus : sed in consiliis et arengis* loquendo postmodum addebat et loquebatur dominus Eccelinus; nec perpendebat aliquis, qua de causa : dicebat enim verum esse, quod Padua data E erat domino Geboardo pro imperatore, et nuntiis imperatoris cum ipso. Unde si qua fiebant vel tractabantur ulterius in Padua pro communi, nullius valoris erant, nisi facta forent de consilio et consensu domini Eccelini.

cum Rolandino synchrono

** id est gallea in tergum equi projecta

* id est allocutionibus

narrant captivitatem B. Jordani,

43 *Dein idem auctor lib. 4 cap. 3, seu tomo VIII operis proxime citati col. 217 captivitatem* B. Jordani *sic exponit :* Supradicto anno Domini *(nimirum 1237, de quo superius egerat)* sed mense Junii circa finem, præcepto domini Eccelini, Bonacursus de Fonzac cum quibusdam aliis militibus de Pedemonte, et ipsi cum eo iverunt ad domnum Jordanum, Priorem Sancti Benedicti de Padua; et ducto illuc palafredo quodam parato ad equitandum dixerunt, quod in equum ascenderet, et veniret cum eis, quia dominus Eccelinus habebat cum eo loqui, et quædam secum negotia pertractare. Sedit itaque super equum, et ductus est illa die in Pedemonte, et in carcere detentus est per castra domini Eccelini, et nunquam rediit Paduam vivus, quam hactenus non aliter rexerat, quam regit paterfamilias domum suam. F

cui narrationi biographus Italus multa incerta addit.

44 *Hæc sunt omnia, quæ apud antiquos auctores de captivitate* B. Jordani *reperire potuimus, quibus tamen biographus Italus varia superaddidit : nam præter alia istius captivitatis adjuncta, quæ cap. 23 Vitæ Italicæ singillatim exposuerat, capite sequente asseveranter narrat, quomodo crudeles Eccelini satellites, qui* B. Jordanum *ad carcerem rapiebant, viderint cœlestem fulgorem ex vultu ejus emicantem, et nihilominus in sua sævitia perseveraverint, excepto uno, qui divino illo splendore motus ad pedes Beati procidit, et ei suum obsequium perhumaniter obtulit. Tum ibidem asserit, moniales S. Benedicti pro liberatione pii sui Patris sæpe supplices ad tyrannum Eccelinum venisse, sed semper repulsam passas esse. Demum cap. 25 prædictæ Vitæ refert varia patientiæ exempla et pia monita, quibus* B. Jordanus *alios captivos consolabatur. Attamen eodem capite fatetur, res gestas Beati, dum hic in carcere detineretur, multasque alias non fuisse posteritati relictas. Quomodo igitur hæc omnia tam distincte explicat, acsi iis interfuisset? Quapropter non immerito suspicamur, illustrissimum biographum pia illa episodia immiscuisse veris Actis, ut ea jucundius avidiusque legerentur a monialibus, quibus lucubrationem suam Italicam dedicaverat, et in quarum gratiam potissimum Vitam* B. Jordani *vernacule conscripserat.*

45 His

Beatus e carcere liberatus

A 45 *His obiter observatis, pergimus ad liberationem Beati nostri, quæ contigit anno Christi 1239, quando Fredericus II imperator Patarium aliasque vicinas Italiæ civitates adiit, ut laudatus Rolandinus lib. 4 cap 11 sive tomo VIII Operis proxime citati col. 228 exponit his verbis :* Ivit tunc *(nempe anno 1239, ut ex antecedentibus et consequentibus liquet)* dominus imperator Vicentiam, et illic colloquium habuit cum magnatibus omnibus de Marchia Tarvisina, et illuc fecit ad se venire domnum Jordanum, Priorem Sancti Benedicti de Padua, quem Eccelinus in Aslo tenuerat jam quasi per duos annos incarceratum, et quosdam alios nobiles, quos similiter adhuc captivos tenebat in ejus Castro Sancti Zenonis, in Fonte similiter, et in Aslo et Prata; domnum Jordanum donavit domino patriarchæ Aquileiensi; hac tamen conditione facta per consilium Eccelini, quod Paduam non veniret. De aliis quosdam absolvit, et quosdam carceratos adhuc dimisit.

fugit Venetias, ibique obiit mortem,

B 46 *Jam pluries memoratus auctor Vitæ Italicæ cap. 26 hisce addit, Bertholdum patriarcham Aquileiensem* B. Jordano *tunc in eadem urbe Aquileiensi assignasse monasterium, in quod pius Senex benevole receptus studiis variarum virtutum et contemplationi rerum divinarum impense vacabat. Sed hanc dulcem beati Viri quietem turbasse dicitur invida suspicio Eccelini, qui timebat, ne* Jordanus *ab amicis Patavium revocaretur : teste enim eodem Vitæ Italicæ scriptore, Eccelinus satellitibus suis imperavit, ut Aquileiam irent, illumque occulte interficerent. Quamvis illa non abhorreant ab ingenio tyranni, cujus enormia crudelitatis facinora plures historici vivis coloribus depinxerunt, tamen hoc particulare flagitium apud veteres historicos frustra quæsivimus. Insuper laudatus biographus ibidem refert,* B. Jordano *in illo monasterio apparuisse Angelum, qui eum de imminente periculo præmonuerit, et fugam ad urbem Venetam suaserit. At neque illud apud antiquos scriptores invenimus, ut supra num. 15 breviter indicatum est. Attamen immemorabilis traditio, et quædam Mss. monumenta affirmant, illum in urbe Veneta obiisse mortem, cujus incertum tempus jam præterpropter indagare conabimur.*

quam aliqui perperam anno 1228 affigunt,

C 47 *Initio paragraphi primi obiter nominavimus aliquot recentiores auctores, qui obitum* B. Jordani *perperam anno Christi 1228 affixerunt, quibus errantibus accedit Ferdinandus Ughellus, dum in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo V col. 444 occasione alterius Jordani, præsulis Patavini, simul de Beato nostro sic scribit :* Jordanus vero episcopus, postquam perbelle Patavinam ecclesiam annis XIV rexisset, mortalitatem explevit anno MCCXXVIII, quo B. Jordanus Forzatus nobilis Patavinus die VII Augusti Venetiis migravit ad Christum, pro quo provo urbis libertate ab impio Ezellino, diu in carcere maceratus fuerat : cujus corpus Patavium deinde relatum in ecclesia S. Benedicti, ubi integrum fere adhuc jacet, sanctitatis titulo decoratur; cujus Vitam edidit doctus et eruditissimus præsul Æmoniensis Jacobus Philippus Thomasinus, patriæ suæ decus et ornamentum. *Etsi Jordanus præsul anno Christi 1228 ex hac vita discesserit, certe idem annus morti* B. Jordani *nostri erronee assignatur, cum hic primum anno Christi 1237 ab Eccelino fuerit captus, et post biennium ab imperatore Frederico e carcere liberatus, ut supra ex scriptoribus coævis demonstravimus.*

48 *Quærendus igitur est alius mortis annus, qui non facile determinari poterit : nam illustrissimus Tomasinus cap. 28 Vitæ Italicæ asserit,* B. Jordanum *obiisse die* VII *Augusti, anno 1248,* qui erat decimus quartus exsilii ejus annus, *ut ibidem expresse addit. At quomodo hæc inter se et cum chronologia veterum historicorum cohærent? Teste enim ipso illustrissimo biographo, Eccelinus primum anno Christi 1237 Patavium ingressus est, et eodem anno* B. Jordanum *in carcerem conjecit. Quapropter non videmus, quomodo annus Christi 1248 potuerit esse decimus quartus exsilii ejus, cum inter annum Christi 1237, quo Beatus primum Patavio abductus est, et annum 1248, quo ad superos migrasse dicitur, tantummodo decem aut undecim anni effluxerint.*

AUCTORE G. C. et quæ certe post annum 1239 differenda est;

49 *Quod si credere velimus veteri inscriptioni, quam supra num. 4 ex codice membraneo recitavimus, obitum* B. Jordani *usque ad annum Christi 1256 differre oportebit : hæc enim inscriptio tradit, quod Beatus fuerit* exsul per XX fere annos. *Si itaque ab anno Christi 1237, quo* B. Jordanus *exsulare cœpit, computemus novemdecim aut viginti annos, perveniemus ultra annum* E *1256, ut calculos subducenti manifestum est. Cum autem reverendissimus Tomasinus et Sertorius Ursatus nativitatem* B. Jordani *anno 1158 collocent, Beatus in hac hypothesi fere centenarius obiisset, quæ longæva ætas inter tot afflictiones et ærumnas vix credibilis videtur. Præterea non est admodum verosimile,* B. Jordanum *tot annis captivitati suæ supervixisse,* cum jam esset confectæ ætatis, *quando ab Eccelino comprehensus est, ut Scardeonius supra num. 13 testatur. Cum itaque ex coævis scriptoribus constet, beatum Senem adhuc anno 1239 in vivis fuisse, et aliunde non appareat probabile, illum multis annis post hæc tempora vixisse, propter ignotam memoratæ inscriptionis antiquitatem caute initio hujus commentarii historici mortem* B. Jordani *circa annum 1240 in margine notavimus.*

etsi non possimus assignare certum illius annum,

50 *Etiam certo assignare non possumus annum, quo sacrum* B. Jordani *cadaver Venetiis ad urbem Patavinam translatum est. Attamen illustrissimus Tomasinus cap. 28 Vitæ Italicæ probabiliter existimat, translationem illam post annum Christi 1260 contigisse : eo enim anno post varias lites Patavii facta est divisio bonorum et supellec-* F *tilis inter monachos et moniales Ordinis S. Benedicti, qui hactenus communes possessiones habuerant. Sed in illa bonorum et supellectilis divisione, ut ibidem solerter observavit laudatus biographus, nulla fit mentio de hoc sacro reliquiarum thesauro, quem haud dubie monachi et moniales sibi certatim vindicassent, aut inter se divisissent, si tunc eo loco exstitisset. Hinc verosimillime conjicimus, sacrum istud corpus usque ad annum Christi 1260 Venetiis remansisse, et post aliquot annos ad urbem Patavinam delatum esse, etiamsi certum hujus translationis annum determinare non possimus. Supra num. 9 hodiernum sacri istius corporis statum ex teste oculato retulimus. Porro extra arcam marmoream, in qua prædictum corpus fere integrum quiescit, et quam Janningus noster ibidem describit, in eodem monasterio conservatur digitus* B. Jordani *manuali lipsanothecæ argenteæ inclusus, qui sæpe ad ægros defertur, et pro fidelium confluentium osculo exhibetur, ut ex analectis Patavinis ad nos transmissis discimus, atque inferius apparebit ex narratione miraculorum, quæ jam paragrapho sequente ex Vita Italica impressa et ex Ms. libro Italico Latine reddemus.*

nec determinare tempus, quo reliquiæ Beati Patavium translatæ sunt.

§ V.

AUCTORE G. C.

§ V. Miracula seu beneficia, quæ intercessione hujus Beati usque ad nostram ætatem contigerunt, et quæ partim ex impresso partim ex manuscripto libro Italico Latine contraximus.

Beatus Jordanus

Illustrissimus Tomasinus in Italica B. Jordani Vita cap. 31 fatetur, notitiam veterum miraculorum periisse, et propterea se magno labore tantum potuisse colligere recentiora, quæ ibidem Italice narrat, et quæ nos jam ex ipso Latine contrahemus. Anno MDLXXV, quo Patavium horribili epidemia afflictum fuit, ignis ex parte granarii corripuit cœnobium monialium S. Benedicti tanto impetu, ut omnia consumpturus videretur. B Cum incendium semper crescens nec arte nec aqua restingui posset, et jam ædificia templo vicina devorasset, reverendissima abbatissa Isabella Pigafetta et aliæ moniales jusserunt, ut sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum et corpus B. Jordani templo exportarentur. Interea sanctimoniales in terram prostratæ humiliter B. Jordanum orabant, ut monasterium, templum, et ancillas suas ab hoc incendio liberaret. At ecce, dum sacerdotes ad tumulum B. Jordani aperiendum accedunt, ignis subito et ultro exstinctus est.

Circa altare B. Jordani appensa cernitur antiqua tabula votiva, in qua repræsentatur mulier in lecto decumbens, quæ gravi morbo afflicta se devovet B. Jordano, et sanitatem recuperat. Periti pictores judicant, prædictam tabulam sub initium seculi elapsi sive anno circiter MD depictam fuisse.

Prope idem altare pendet altera pictura antiquissima, in qua exprimitur æger in lecto, qui animam exhalaturus post votum Virgini Deiparæ et B. Jordano factum, sanitati restituitur. Circa lectum depinguntur duo, qui flexis genibus orant, et ægrum B. Jordano commendant.

C Mense Augusto anni MDXL Soror Helena Forzate, monialis cœnobii B. Antonii Peregrini (*Acta hujus Beati Majores nostri ad diem primam Februarii illustrarunt*) quæ tunc morabatur in monasterio S. Benedicti, gravi morbo oppressa, sese devovit B. Jordano aliisque Sanctis, et statim pristinam valetudinem recepit.

Ibidem exstat pictura antiqua repræsentans quemdam in lecto decumbentem, qui monstrat in femore vulnus (fortasse est indicium pestis) et qui, invocato B. Jordano, sanitatem pristinam consecutus est.

variis personis

52 Anno MDLXXXIII Soror Laura Mantoua ægrotans, et per octodecim annos continuos usu manuum privata, festo S. Scholasticæ intercessionem B. Jordani devote imploravit, et intra breve tempus sanata est. Hujus rei adhuc ibi exstat memoria, et eam appensa tabella confirmat.

Nobilis mulier Patavina aliquoties abortum passa est, et idcirco magna tristitia afficiebatur. At sese B. Jordano devovens, postmodum proles suo tempore feliciter peperit. Hujus beneficii testis est tabella, quæ ibidem pendet.

Anno MDXCIII excellentissimus dominus Ottonellus Descalzo, publicus Juris professor, periculose ægrotabat. Cum filia ipsius Deodata, monialis cœnobii Benedictini, hoc triste nuntium accepisset, ad B. Jordanum confugit, ac patri moribundo sanitatem rogat. Dum pro eo ferventer orat, in exstasin rapta, videbatur sibi interius audire vocem B. Jordani vel Angelorum, qui dicebant, mortem ejus ad quindecim annos differendam esse, si hæc dilatio oranti placeret. Cum ipsa læta huic conditioni consentiret, et Deo gratias ageret, statim pater melius habere cœpit, et omnimodæ sanitati restitutus, adhuc quindecim annis, id est usque ad annum MDCVIII, post hunc morbum vixit. D

Sorori Margaritæ, moniali ejusdem cœnobii anno MDC duo beneficia collata sunt: cum enim de nocte transiret quemdam locum monasterii, apparuit ei umbra accensam facem manu præferens. Unde illa tantopere territa fuit, ut motum lateris sinistri et usum virium amiserit. Sed invocans B. Jordanum, erga quem optime affecta erat, intra tres dies cum omnium admiratione sanitatem recuperavit. Eadem monialis ex loco satis alto delapsa tam vehementer caput læsit, ut chirurgus de vita ejus actum putaret. At illa cum aliis Sororibus implorans opem B. Jordani, intra paucos dies sanatur. E

Cum scholasticus quidam Romanus accusaretur, quod linteamina in hospitio suo furatus esset, insequentibus eum apparitoribus, fugit ad ecclesiam Benedictinam, ubi R. D. Camillus, confessarius monialium, ab apparitorum persecutione ipsum liberavit. Sed hi in vicinia monasterii illum exspectabant, ut exeuntem comprehenderent. Interea monitus adolescens, ut invocaret B. Jordanum, protectorem miserorum et innocentium, singulari cum affectu opem ipsius implorabat, et sacerdotem monialesque rogabat, ut se eidem Beato commendarent. Postea monasterio exiens versus portam civitatis, invenit virum venerandum, qui ei animos addebat, et ipsum per magnam viæ partem comitabatur. Sic salvus in patriam rediit, et hoc beneficium scriptis ad moniales litteris indicavit.

utriusque sexus,

53 Cum quidam scholasticus Bononiensis lethali morbo laboraret, R. D. Troilus confessarius matrem ejus monuit, ut ad intercessionem B. Jordani recurreret; quo facto, cœpit adolescens melius habere ac omnino sanari. F

Domina Ignatia Zarabella duobus domesticis suis, graviter ægrotantibus, sanitatem impetravit, postquam eos B. Jordano commendasset, et iisdem corna quædam (*de prodigiosa hac arbore corno, ejusque salutiferis fructibus § 1 egimus*) benedicta dedisset.

Mulier quædam per tres dies in partu laborans, appenso ad collum Rosario, quod ex ligno prædictæ arboris corni confectum erat, statim feliciter fœtum edidit.

Maria quædam habitans in pago S. Nicolai, ex tremore et delirio ad mortem usque ægrotabat; sed cum adstantes eam induissent subucula, quæ reliquiis B. Jordani signata fuerat, statim tremor cessavit, et mulier intra breve tempus ad sanam mentem rediit. Filius ejusdem Mariæ cecidit supra rastrum ferreum, et femur dentibus rastri infixit. Cum id videret pater ejus, præ tristitia et stupore non audebat filium elevare aut ferro extrahere. Puer autem alta voce clamabat: Beate, qui sanasti matrem meam, etiam adjuva me. Dein se ipsum ferro extraxit, et intra breve temporis spatium ex vulnere convaluit.

Cum Marietta, incola ejusdem pagi, brachium læsisset,

A læsisset, et tribus mensibus continuos fere dolores passa esset, suasione mariti sui venit Patavium, ibique reliquiis B. Jordani se signari curavit, et brevi sanitatem obtinuit.

Anno MDCXIII domina Peregrina de Bevilaqua prorsus surda facta est. Quare veniens ad ecclesiam monialium Benedictinarum reverenter ac devote oravit B. Jordanum, ut hoc incommodo liberaretur. Simulatque sacerdos reliquiis ejusdem Beati illam attigit, statim auditum recepit. Eadem domina mense Septembri anni MDCXXIII debilitate nervorum, et continuo memborum, ac præsertim capitis, tremore agitata, iterum se B. Jordano commendavit, et signata reliquiis ipsius, protinus sanitatis compos facta est.

Cum Baptista de Limena anno MDCXXI usum brachiorum ac tibiarum perdidisset, ad altare B. Jordani delatus, et sacris ejusdem Beati reliquiis signatos, convaluit.

quæ cum magna fiducia

54 Ineunte Maio anni MDCXXIII quidam, nomine Menegozzus, maxima febri afflictus, patrocinium B. Jordani imploravit, sumensque pulverem, ex dicta arbore corno confectum, sanitati restitutus est.

B

Santinus Dianinus clericus ecclesiæ cathedralis, continua febri oppressus, commendavit se B. Jordano, et prædicto pulvere corni febrim fugavit.

Dum Elisabetha Balda, incola pagi de Camino, febri laborabat, commendans se B. Jordano, statim sanata est.

Soror Aurora Panega, monialis in cœnobio S. Matthæi, febri laborans commendavit se B. Jordano, sumptoque præfato corni pulvere, pristinam valetudinem adepta est.

Clara Fasina, monialis in eodem S. Matthæi cœnobio, tam graviter ægrotabat, ut in præsenti mortis periculo versaretur, et a medicis deposita esset. Sed cum subuculam suam reliquiis B. Jordani signari curasset, et prædictum corni pulverem sumpsisset, ex morbo convaluit.

Prudentia Cittadella, monialis cœnobii proxime nominati, febri oppressa, commendavit sese B. Jordano, et devote sumpto pulvere corni, sine ullis aliis medicamentis febrim fugavit.

C

Romana Pavanella, ejusdem cœnobii monialis, tam gravem dolorem patiebatur, ut se movere non posset. Verum commendata B. Jordano, ejusque reliquiis signata, pristinam sanitatem recepit.

Cum Felicitas Brugnara, monialis jam sæpe memorati cœnobii, in febrim incidisset, devote implorans patrocinium B. Jordani, sumensque prædictum pulverem, protinus febri liberata est.

Mense Februario anni MDCXXIV Elisabetha de S. Vitali, habitans in parochia S. Clementis, variis modis a dæmone vexabatur, ita ut lecto affixa sese movere nullo modo posset. Cum autem amici illam commendassent B. Jordano, et reliquiis ejusdem Beati signari curassent indusium ipsius, eo circumdata statim plurimos dolores pati cœpit, ita ut illud abjicere conaretur; sed a circumstantibus istud retinere coacta, intra tres dies convaluit, nec deinceps ullum dolorem nec infestationem hostium infernalium sensit.

Dum anno MDCXXIV, die XXVI Maii, Angelina filia Laurentii Furlani doloribus arthriticis cruciata commendabatur B. Jordano, ejusque reliquiis signabatur, tertio die morbus evanuit.

Ineunte Septembri anni MDCXXIII Maria, uxor Petri de Tomasi, maximo dolore in manu dextera affligebatur. Quare visitavit ecclesiam S. Benedicti, ibidemque sese commendans B. Jordano, statim omni cruciatu liberata est.

AUCTORE G. C.

Anno MDC Lucretia Seluni, ejusque filiolus quinquennis ita membris capti, ut se movere non possent, usum membrorum recuperarunt, postquam se B. Jordano devoverant.

Medio mense Maio anni MDCXXVIII Joannes de Angelis Florentinus fere ad insaniam redactus, et intercessionem B. Jordani implorans, ad sanam mentem reversus est.

ad patrocinium ipsius confugerant.

55 Anno MDCXXIX Joannes Columbatto paralyticus nocte quadam se ferventer B. Jordano commendavit, et postero die sese ad ecclesiam S. Benedicti in sede portari jussit. Ibidem reliquiis B. Jordani signatus cœpit sequenti nocte quietem capere, et secundo die ad ecclesiam delatus, iterum se signari petiit, omniaque membra sine exiguo aut vix ullo dolore cœpit movere. Denique gratias Beato agens, et tertia vice signatus iisdem reliquiis, pedes domum rediit.

E

Eodem anno Soror Claudia Panizola, monialis ejusdem cœnobii, apoplexiam passa, lumen et motum oculorum perdidit. Postea, adhibitis variis remediis, usum unius oculi recepit, altero interim remanente clauso. Denique videns, naturalia remedia nihil sibi prodesse, confugit ad intercessionem B. Jordani, votoque facto, alter oculus mirabiliter apertus est, sicque cum magno omnium stupore perfectum oculorum usum recuperavit.

Quando mense Junio anni MDCXXXI pestis urbem Patavinam invaserat *(supra § 1 num. 10 idem illustrissimus auctor innuit, pestem Patavii anno 1630 grassari cœpisse)* cœnobium monialium S. Benedicti divinitus a contagione præservatum fuit: etsi enim multæ personæ, quæ contagioso hoc morbo laborabant, et postmodum ex eo mortuæ sunt, familiariter in monasterio conversarentur; tamen idem morbus nullam ex monialibus attigit. Quinimo moniales ab ipso sacerdote suo, qui jam peste infectus erat, et ex ea postmodum obiit, bis Eucharistiam acceperant, et eidem ægrotanti cibum aliaque necessaria propriis manibus ministraverant. Præterea variæ personæ utriusque sexus, quæ monasterio serviebant, et cum quibus moniales familiariter conversatæ fuerant, ex pestilentia interierunt. Quare moniales non immerito adscribunt singulari patrocinio B. Jordani, quod nulla earum hoc morbo epidemico infecta fuerit. F

Tempore ejusdem pestis multi accipiebant folia supradictæ corni, eaque vulneri aut loco maxime affecto imponentes, sanitatem consequebantur. Quare sanati in signum grati animi argentea et cerea anathemata Beato offerebant, ut Soror Camilla de Campo S. Petri, aliæque omnes moniales testantur.

Prædicto tempore pestilentiæ Veneranda, uxor Bartholi Tobiolo, qui habitat in tractu S. Sophiæ, contagioso hoc morbo infecta, dolorem capitis cum maxima febre patiebatur. Quapropter quædam memoratæ arboris folia tumori admovit, seseque B. Jordano commendans in somnum incidit, disruptoque tumore, intra breve tempus plane convaluit.

Catharina Pizata, uxor hortulani monialium, infecta eodem morbo epidemico accepit in vigilia festi Corporis Domini ab abbatissa monasterii, quæ Candida vocabatur, aliquot folia prædictæ corni, et postero die se sanatam invenit.

vel se eidem Beato commendaverant.

56 Nauta quidam, nomine Baptista, usum brachii perdiderat, et continuos dolores patiebatur. Cum autem nullum huic malo reperiret remedium, tribus diebus adiit sepulcrum B. Jordani,

AUCTORE G. C.

dani, et tertia die sanitatem obtinuit. Quare offerens donum brachii argentei, fidem hujus beneficii confirmavit.

Augustinus, victor Patavii, membris contractus, et maximos lateris dolores tolerans, fulcris subalaribus incedebat. Cum autem sacris B. Jordani reliquiis ter signatus fuisset, et Missam in honorem ejusdem Beati celebrari curasset, statim se sanum reperit.

Dum anno MDCXLVI, die III Martii, domina Julia Galatea nobilis Utinensis a dæmonibus vexaretur, post exorcismos collo ejus appensum est Rosarium ex ligno præfatæ corni, et, implorato B. Jordani patrocinio, deinceps ab infernalibus spiritibus libera remansit.

Jacobus Tofan doloribus arthriticis constrictus, per sex menses in lecto decubuit, ita ut se ipsum manu juvare non posset. Cum vero moniales illum B. Jordano commendassent, eique corna quædam prædictæ arboris misissent, melius habere cœpit: quod ipse sentiens, parvo vehiculo altare B B. Jordani visitare decrevit, et post duos dies illud scipione sustentatus adiit, ac brevi perfectam sanitatem recepit. Istud autem anno Christi MDCXLVIII contigit.

Cum Antonius Maria Gasparino jam diu non fuisset usus Sacramento pœnitentiæ, incidit in gravem morbum, et commendans se B. Jordano, protinus magnum de peccatis suis dolorem sensit, ardensque ea confitendi desiderium concepit. Vocato itaque sacerdote, gratiam Sacramentalis absolutionis obtinuit. Eo autem tempore, quo sacerdos illum a peccatis absolvebat, lances ex repositorio suo in pavimentum cubiculi ultro deciderunt, quas plerique adstantes a dæmone dejectas fuisse suspicabantur. Ipse vero æger post brevem somnum asserebat, se a dæmone ad viam inferni deductum fuisse; sed B. Jordanum cum S. Prosdocimo et S. Justina ulteriorem deductionem impedivisse, sibique salutem animæ a Deo impetrasse. Quapropter advocavit uxorem, eique imperavit, ut candelam cum aliquot nummis ad tumulum B. Jordani deferri curaret.

Dominicus nauta habitans e regione cœnobii C Benedictini, et peste usque ad mortem laborans, se cum uxore commendavit B. Jordano, et brevi sanitatem adeptus est. *Hæc sunt miracula et beneficia, quæ illustrissimus Tomasinus Italice edidit, et quibus unum alterumve monitum hic subjungendum duxi. Imprimis Italicum miraculorum collectorem ad gloriam Beati interpretatus sum, ut potui, cum certam quarumdam vocum significationem ignorarem. Sic nesciens, utrum nomina illa Italica* Baptista Barcaruolo *et* Agostino Bottaro *essent appellativa, an propria, ea pro appellativis accepi. Si quid hic aut alibi in mea interpretatione erratum sit, imputent sibi illi, qui peritiores linguæ suæ vernaculæ facile mihi ea Latine subministrare potuissent. Præterea secutus sum seriem miraculorum, prout inveni, etiamsi illa interdum præpostero annorum ordine collocata sint, ut consideranti patebit. Hæc etiam lectorem monitum volo de sequentibus miraculis seu beneficiis, intercessione* B. Jordani *patratis, quæ jam ex prædicto Ms. libro Italico Latine interpretabor.*

57 Carola de Campo S. Petri, monialis Benedictina, lapsu quodam spinam dorsi tam graviter læserat, ut se movere non posset. Cum sese B. Jordano commendasset, ac in somnum incidisset, apparuit ei vir Religiosus, alba veste indutus, et die sequenti mane melius habere cœpit, ita ut chorum intraverit ad audiendam Missam, te publice hoc beneficium eidem Beato acceptum D retulerit.

diversa contulit beneficia,

Cum Soror Leonella Bodoera in quadam recreatione nimium calorem contraxisset, guttur inflatum sensit una cum maximo dolore. Id intelligens soror ejus Marina, collum ipsius Rosario circumdedit, eamque patrocinio B. Jordani commendavit; quo facto, ægra in somnum incidit, et brevi sanata est.

Anno MDCL, die XXVI Julii, Maria Magdalena Lia, monialis Patavina in cœnobio S. Matthæi, per spatium viginti annorum sæpius affligebatur difficillimo morbo, quem medici asthma esse judicabant. Postquam intercessionem B. Jordani imploraverat, se tam gravi malo liberatam sensit, et misit tabulam votivam, in qua hoc miraculum depictum erat.

Soror Angelica Celeste Silvatica patri suo Comiti Aloysio varia beneficia invocatione B. Jordani procuravit, et in diversis morbis hunc Beatum propitium experta est. Dum autem ipsa vehementibus doloribus arthriticis cruciabatur, Rosarium, ex ligno prædictæ arboris factum, parti E afflictæ admovit, et subito non exiguum doloris lenimen sensit.

Cum Soror Clara Tergolina afficeretur gravissimo dolore oculorum, qui prorsus occlusi erant, soror ejus Rosarium suum ipsis applicuit, eamque patrocinio B. Jordani commendavit. Tunc statim sanari cœpit, et brevi tempore perfectam videndi facultatem recuperavit.

Dominicus Augustin invocatione B. Jordani duplex beneficium impetravit: cum enim filius ipsius ægrotaret, et reliquiis B. Jordani signatus esset, placide obdormivit, et postea experrectus dixit: Pater, melius habeo; sanctus Jordanus me sanavit. Præterea eumdem Beatum beneficum expertus est erga suum nepotem, gravi febre oppressum, qui opem B. Jordani imploravit, et de peccatis confessus, subito melius habuit. Quamobrem postero die altare ejusdem Beati visitavit, et febri liberatus est.

Dominicus de Luca in subita quadam insania uxorem suam tam graviter in cervice percussit, ut hæc examinata in terram prolaberetur, et multum sanguinis ex vulnere efflueret. Cum ab omnibus F pro mortua haberetur, eo supervenit rusticus, qui a beato Jordano multa beneficia acceperat, et circumstantibus suasit, ut eam B. Jordano devoverent. Insuper asserebat, quod brevi visuri essent, eam non esse mortuam. Quare omnes in genua provoluti emiserunt votum visitandi altare B. Jordani, et ulterius promiserunt, se curaturos, ut in honorem ejus Missa celebraretur. Spatio trium dierum mulier sine ullo medicamine convaluit, et votum implevit.

58 Soror Beatrix de Campo S. Petri inter alios favores, quos a beato Jordano impetravit, singularem ejus opem sensit, quando tempore quodam per totum corpus magnis doloribus arthriticis vexabatur: cum enim moniales sese ad templum contulissent, ut sacram Eucharistiam sumerent, illa in lecto remanere coacta, commendavit se S. Dominico et B. Jordano, atque ab iis petiit, ut optata sanitate frueretur. Tunc sibi visa est audire vocem dicentem: Indue te vestibus. Quapropter habitum assumens, e lecto descendit. Interim amita ejus Camilla e templo rediit, eamque invenit in cubiculo sedentem, et volentem ire ad templum, ut sacrificio Missæ interesset. Sed moniales id primo permittere noluerunt, et non nisi post iteratam instantiam petitioni ejus consense-

et multis ægrotantibus,

runt.

A runt. Cum vero ad ecclesiam tenderet, videbatur sibi inter eumdem ab his duobus Sanctis adjuvari ac fulciri. Finita Missa, integram sanitatem recepit, et ad cubiculum suum reversa est. Eadem Beatrix alio tempore ingentem cordis dolorem patiens, et se B. Jordano commendans, cor argenteum obtulit, et statim ab hoc cruciatu liberari cœpit.

Domina Comitissa Polyxena Porta Vicentina, uxor nobilis domini Marsiliani Papafava Patavini, intercessione B. Jordani evasit maximas angustias, postquam sese eidem Beato commendaverat, et cornum ex prædicta arbore comederat. Videbatur autem ei exiguus succus istius fructus ad afflictam corporis partem deferri, et morbum fugare. Unde illa grati animi ergo obtulit B. Jordano cor argenteum, et in honorem ipsius curavit Missam celebrari.

Paulus Vesentin sacrista in manu vexatus tumore quodam *(hunc Gorræus in Definitionibus aliique medici* ganglion *appellant)* affectam manum unxit B oleo lampadis B. Jordani, et se eidem Beato commendans, nullum sensit dolorem, etsi tumor ille bis a chirurgis incideretur. Similiter socrus ejus intercessione B. Jordani, in cujus honorem Missam celebrari curaverat, ab improviso ac lethali malo liberata est.

Cum R. D. Joannes Maria Ricllo morti proximus esset, commendavit se B. Jordano, et Missas aliquot simul cum anathemate argenteo offerri jussit. Deinde statim morbo liberatus, altare ipsius visitavit maxima cum devotione, quam toto vitæ suæ tempore conservavit.

Miles quidam gravissima febri oppressus, petiit corna memoratæ arboris, et viva fide se commendans B. Jordano, statim sanus e lecto surrexit. Hæc autem corna passim adhibentur contra febrim, et a multis petuntur.

Julius Celin, hortulanus monasterii, habuit filiolum quatuor annorum, qui fere semper ægrotabat, et propter continuam infirmitatem non poterat incedere. Cum pater promisisset induere puerum habitu Benedictino, eumque reliquiis B. Jordani curasset signari, statim morbo liberatus est puer, ac recte gradi cœpit.

C Dominus Joannes Marinoni, mercator Venetus, qui habebat fratrem febri et periculoso fluxu laborantem, audiens continua beneficia, quæ B. Jordanus clientibus suis conferabat, ægrum B. Jordano commendavit; et eidem Beato sex candelas obtulit; fratrem vero statim pristinæ sanitati restitutum secum duxit ad altare B. Jordani, et in honorem ejusdem Beati Missam celebrari jussit.

Cum domina Paula Dotto, uxor nobilis domini Francisci Vigodarzere, post tres menses a concepto fœtu abortum pateretur, in extremum vitæ discrimen adducta et a medicis deposita est: sed ad intercessionem B. Jordani recurrens, mortem evasit, et anno MDCLXXXIV, die XIV Aprilis, simul cum marito venit ad altare B. Jordani, ut eidem Beato gratias ageret.

subito et mirabiliter

59 Dum anno MDCLXXXIII Franciscus Caloccio, pedissequus eminentissimi D. Gregorii Barbarigo, ad ultimum vitæ periculum adductus et a medicis derelictus esset, implorato B. Jordani patrocinio, statim convaluit, et visitavit altare sui Patroni, ut eidem de accepta sanitate gratias referret, ac sacrosancto Missæ sacrificio interesset. Simili modo filiola ejusdem Francisci jamjam moribunda instans mortis discrimen evasit, cum eam induisset indusio, quod reliquiis B. Jordani signatum fuerat.

Anno MDCXCV, die XIII Januarii, Joannes Baptista Bettini Venetus tanta vesicæ inflammatione correptus est, ut pertinax malum omnem medicorum industriam eluderet, et æger loco urinæ sanguinem emitteret. Cum medici et chirurgi de salute ipsius desperarent, suasione uxoris ferventer se commendavit B. Jordano, et statim, apertis vasis urinariis, perfectam sanitatem obtinuit.

Auctore G. C.

Joannes Petrus Petrobelli - oppressus mortifera febri, quam fluxus et delirium comitabantur, subito sanitatem recuperavit, postquam reliquiis B. Jordani signatus fuerat.

Anno MDCXCIV accidit, ut villicus uvas, quemadmodum tempore vindemiæ fieri solet, adjunctis currui bobus, ad cœnobium monialium Benedictinarum deveheret. Cum vero unus e bobus ferocior jugum excutere tentaret, ita se torsit, ut cornu in ventrem alterius bovis validissime infigeret. Unde hic in terram prostratus, surgere non potuit, et ex percussione mox tumor ad magnitudinem pugillatorii follis excrevit. Monialis quædam miserta est villici ob damnum bovis, vidensque, naturales E alias unctiones animali nihil prodesse, folia nonnulla prædictæ arboris supra tumorem poni jussit. Statim tumor ille evanuit, et bos cum admiratione omnium adstantium surrexit sanus, acsi nihil læsionis accepisset.

Anno MDCCXXVII Valeria Montina, monialis Benedictina, tanto impetu in terram corruit, ut caput ejus comminutum crederetur. Hæc autem nullum remedium tantæ læsioni adhibere voluit præter pauca folia prædictæ corni, et pulverem ejusdem arboris, eoque modo perfecte sanata est. Cum etiam alio casu eamdem capitis partem læsisset, simili remedio sanitatem recuperavit. Postmodum eadem monialis iterum intercessione B. Jordani bis ab atroci dolore liberata est.

Anno MDCCXXX expertissimus dominus Cadorino medicus habuit equum, cujus crus erat ita affectum, ut malum incurabile videretur. Cum uxor medici istius esset devotissima erga B. Jordanum, pauca folia corni cruri applicari jussit, et equus ad pristinum gressum ac vigorem rediit.

Anno MDCCXXX, die X Julii, in choro monialium Benedictinarum tam vorax exortum est incendium, ut intra breve temporis spatium viginti quatuor F sedilia et aliquam supellectilem consumeret. Soror quædam Conversa videns tam triste spectaculum, commendavit B. Jordano monasterium, et ramum quemdam jam sæpius memoratæ corni flammis injecit. Mox stetit ignis, et unica aquæ situla exstinctus est cum admiratione omnium, qui ad auxilium ferendum accurrerant. Porro ramus ille mansit illæsus, et ad perpetuam rei memoriam in capsula pellucida circa altare B. Jordani appensus est.

60 Anno MDCCXXII orta est inundatio, quæ multis locis ac præsertim molendinis cœnobii monialium magnam ruinam minitabatur. Tunc reverenda Soror Anna Maria Marinelli, Priorissa monasterii, tria corna præfatæ arboris in fluvium conjici jussit, et felicem rei exitum B. Jordano commendavit. Mox evulsa est magna arbor, quæ ante molendina transversim ita hæsit, ut his nullum damnum inferri potuerit.

pristinam sanitatem restituit.

Anno MDCCXXX domina Victoria Begiata diu tantis brachii unius doloribus cruciabatur, ut nullo modo posset quiescere. Non cessante cruciatu, brachium incidendum judicabatur; sed ipsa sese B. Jordano commendans, linteum reliquiis Beati signatum, malo applicari jussit, et per tres horas placide dormiens, omnimodam sanitatem adepta est.

Duo

AUCTORE G. C.

Duo rustici, morbo caduco afflicti, visitarunt altare B. Jordani, sumptisque cornis sæpius memoratæ arboris, ita sanitati restituti sunt, ut istud malum nunquam redierit.

Procurator Canonicorum S. Salvatoris tibiam ita læserat, ut chirurgi nullis remediis ei opem adferre possent. Itaque recurrit ad patrocinium B. Jordani et vulneri pulverem foliaque prædictæ corni applicans, sanitatem recepit. Quapropter ad ostendendum gratum animum quotannis in honorem ejusdem Beati candelam aut lampadem accendi jubet.

Anno MDCCXXXII filia nobilis dominæ Comitissæ Borromææ, puellula septem annorum, quæ simul cum alio gravissimo morbo magnam febrim patiebatur, intra paucos dies a medicis deposita est. Quædam Religiosa adstans lecto ipsius, dedit ei imaginem B. Jordani, pieque suasit, ut auxilium ejusdem Beati imploraret. Puellula imaginem illam supra pectus posuit, ac obdormivit. Cum vero experrecta esset, morbi lenimen sensit, et paulatim convalescens, integram sanitatem recuperavit.

Cum Soror Maura, Conversa in cœnobio S. Benedicti, occuparetur in culina, infeliciter magnum veru tanta vi decidit, ut acumine suo non solum pedem monialis transfigeret, sed etiam soleam crepidæ ejus perforaret. Statim illa tantis doloribus affecta est, ut se ad lectum conferre coacta fuerit. Nihilominus jam sæpe dicta corni folia vulneri applicans, integram valetudinem consecuta est.

Soror Margarita, Conversa ejusdem monasterii, pectus ita læserat, ut omnino nigrum esset, et ipsa magnos dolores toleraret. Vesperi se commendavit B. Jordano, et orans in somnum incidit, ac copiose sudavit. Mane experrecta se dolore liberam ac prorsus sanam sensit.

Mulier quædam abortum pati solita, quatuor aut quinque fœtus mortuos ediderat. Cum autem in sexto partu gravissimos dolores sentiret, ac iterum in periculo abortus versaretur, collo ejus appensum est Rosarium, ex ligno corni B. Jordani confectum, et statim peperit prolem, quæ, licet præmatura esset, tamen supervixit, donec gratiam baptismi accepisset.

DE S. CONRADO NANTUINO

WOLFRATSHUSII IN BAVARIA

J. B. S.

Sylloge de cultu, ætate et miraculis.

ANNO MCCLXXXVI. Peregrinus Sanctus

Sanctum hunc sub solo Nantuini *nomine solus mihi suggesserat laudatus laudandusque in hoc opere sæpius Claudius Castellanus Parisiensis canonicus in suis hoc die ad Martyrologium universale additionibus hac formula ex Gallico Latine reddita :* In Frisingensi diœcesi, S. Nantuini peregrinatoris, nati Velipheratusii prope Monachium, ubi exstat ecclesia ejus nomini dicata. *Loci nomen ita Latine alicubi redditur ab Aventino. Natum istic cœlo Sanctum per injustissimum supplicium admitti potest, at vero* unde, cujas quis domo, quibusve majoribus natum, nihil proditum *testantur qui de ipso meminerunt. Ecclesiam ei dicatam esse in qua religiose usque modo colatur, plurimis clarus miraculis, clamant monumenta Wolfratshusiana, inferius producenda, quæ illustravit et in ordine temporis correxit noster Matthæus Raderus in sua Bavaria sancta tom. II a pag. 308, non jam sub solius* Nantuini *seu* Nantouini *appellatione, sed sub* Conradi *prænomine, quod unde accesserit, nusquam expressum invenio : si Aventino credimus, in ipso loco non aliter quam sub* Antuini *nomine notus est.*

in Bavaria combustus.

2 *En ejus verba lib. 7, pag. 718 :* Eodem anno (MCCLXXXVI) Conradus Nantouinus, Romam voti reus profecturus, Wolfratshusium pervenit : ibi quod puerum constuprare nisus fuerit, accusatur. A Ganthero prætore [VII] Idus Augusti ad palum ligatus comburitur. Vulgus insontem credidit, Gantherum Hominis pecuniæ insidias tetendisse prædicat, templum ibi condit, pro martyre colit, frequens coit supplicatum populus, eumdem adhuc accolæ venerantur, divum ANTUINUM vocitant. *Hic ab Aventino corrigitur epocha martyrii, in monumentis Wolfratshusianis perperam expressa, dum annum signant* MCCVIII *eumdemque combinant cum* Rudolfo Bavariæ duce, *quem certissime constat, eo tempore necdum fuisse in rerum natura, ut pluribus etiam demonstrat laudatus Raderus, fons nobis de cætero unicus ex quo quæ hic dici possunt, haurienda sunt. Id unice notandum; genus supplicii tantillum hic differre ab Aventino, quod in craticula Sanctum exustum asserat, quem modo ad palum alligatum audisti. Satis nobis sit quod ambo flammis consumptum fateantur. Sic incipit Raderus :*

a Radero illustratus est.

3 Vita S. Conradi Nantuini ex Rituali parœciæ Wolfratshusianæ descripta est. Wolfratshusium, quod Aventinus Velipheratusium appellat, oppidum est seu forum in superiore Boica ad Loysam seu Libusam amnem, paulo supra quam miscetur Isano ; plus minus viginti millia passuum fere a prætorio Boiorum Monachio. Illic hodieque ædes est D. Laurentio et Conrado Nantuino sacra. Nantuinus, seu Nantwinus Wolfratshusium habitu cultuque peregrini, religionis votique causa Romam petiturus, aut inde reversus diverterat : unde, cujas, quis domo, quibusve majoribus natus, nihil est proditum. Peculiolum an ex paterna hæreditate vel stipe collectum, non constat. Gantherus id locorum præses, homo fœdus et avarus, oculos ad nummos Advenæ adjecit, miseroque pædarestias crimen objecit, perinde quasi puerum de stupro appellasset. Itaque, tanquam lege ageret, contra leges, hominem peregrinum, omni patrocinio causæ destitutum, vinctum damnatumque ultimo supplicio afficit, vivumque ad modum S. Laurentii ferreæ crati injicit, torret, exurit. Innocentiam Viri mox varia testata sunt prodigia, quibus Deus et famam Nantuini purgavit et sanctitatis etiam opinionem conciliavit. *En modo monumenta Wolfratshusiana :*

Audi-

A Audiant legentes hanc chartam inspicientes.

Loci monumenta

4 Notandum quod anno Domini millesimo ducentesimo octavo, temporibus domini Rudolfi ducis Bavariæ, qui tum residentiam habuit corporalem in castro Wolfratshusen, venit quidam Romipeta, nomine Nantuuinus, homo fidelis corpore et animo, qui a quodam judice suo, dicto Ganter, fuerat tentus, et judicio præsentatus, et ab eodem contra justitiam est condemnatus, et ob pecuniam secum inventam, in craticula positus est, in loco ubi nunc basilica a Christi fidelibus est ædificata. Cujus dies anniversarius cunctis temporibus, proxima Dominica ante festum S. Laurentii martyris peragitur. Dicitur vero quod idem frater Nantuuinus obiit per martyrium et percepit vitæ æternæ præmium in die beatæ Afræ, quæ colitur septimo-Idus Augusti. *Restituto deinde parachronismo sic Sancti cultum exsequitur :*

de cultu testantur

5 Cond ita inde est ædicula Martyri, genus supplicii tabula picta super altare collocata, quæ hodieque cernitur, expressum : cujus tabulæ alæ ostendunt, quæ paulo post mortem insecuta sunt. B Nam Gantherus præfectus dynastiæ Wolfratshusianæ, cum non diu post commissam innocentis cædem illac cum famulitio negotiorum causa alio iturus eques transmitteret, cineresque illic dissipati cum ossium reliquiis jacerent, equus occæcatus hæsit, restititque, donec advertens e comitatu servus, tollit exuvias Martyris et ossiculum oculo jumenti admovet, quod illico respexit. Lucem quoque vir et mulier cæci per vota ad Sanctum missa receperunt. Sacra dein pignora sancti Viri collecta et in urnam composita in sacello ejusdem servantur, marmore, quod inscriptam Nantuini habet effigiem, et ad sinistrum altaris latus, ubi anathemata votorum suspensa pendent, parieti insertum est, ibique ad nostrum usque seculum, annum, inquam, MDCXXIV duravit.

6 A Bonifacio Romani nominis octavo Pont. Max. anno duodecimo post necem Nantuini, cum passim vulgarentur miranda Martyris facta et miracula, tabulæ per archiepiscopum Basilium Hierosol. et alios episcopos, quibus delictorum veniæ precantibus et Virum sanctum venerantibus, datæ sunt, Wolfratshusium sunt missæ, quæ diu, tanquam una cum sacris reliquiis conditæ essent, latuerunt. Anno demum MDCIV, impulsu nempe S. Nantuini, quidam e S. Francisci familia et Monacensi contubernio Wolfratshusium ad cineralia a magistratu evocatus, hasce e tenebris erutas, ad populum pro concione vulgavit, adeoque prope sepultam Nantuini memoriam renovavit. Unde mirus populi concursus ad ipsius conditorium factus, mira quoque facta benefactaque Nantuini erga cultores et voti reos ostensa, gazophylacium auctum, templi cultus inde instauratus excultusque, sacellum perangustum in justum templum excrevit. *Alia de miraculis subjunguntur quæ frequentissima et prope quotidiana sunt.*

AUCTORE J. B. S. a Bonifacio VIII approbato.

Citatur diploma. E

7. *Post hæc a Radero describitur memoratum diploma septem Episcoporum qui* cupientes ut ecclesia S. Nantuuini Frisingensis diœcesis congruis honoribus frequentetur et a cunctis fidelibus jugiter veneretur, omnibus vere pœnitentibus et confessis qui ad ipsam ecclesiam.... in festo S. Nantuuini *aliisque ibi* subscriptis... causa devotionis accesserint... singuli singulis singulas dierum quadragenas, de injunctis sibi pœnitentiis, dummodo consensus diœcesani ad id accesserit, misericorditer in Domino relaxant. *Displicet clausula, in qua absque ulla diei nota sic rotunde enuntiatur :* Datum Romæ anno Domini MCCXCVIII, pontificatus Sanctissimi Papæ Bonifacii octavi quinto. *Error manifestus est ; Bonifacius octavus electus* XXIV *Decembris anni* MCCXCIV, *non potuit annum pontificatus sui* quintum *signare anno jam dicto* MCCXCVII, *ut vehementer suspicer, in ipso autographo expressum referri annum* MCCXCIX.

DE S. ALBERTO CONFESS.

ORDINIS CARMELITARUM

MESSANÆ IN SICILIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Cultus ante decreta Sedis Apostolicæ.

MCCCVI. S. Alberti cultus ab obitu cœptus.

Albertus *per insigne Deiparæ Virginis beneficium religiosissimo Carmelitarum Ordini natus mancipatusque, dici non potest, quantum illum et per Siciliam vivus, et per universum terrarum orbem defunctus, ornaverit : ea fuit enim hujus Viri sanctitas, ea inter apostolicos labores prodigia; ut, ne popularium suorum veneratione atque honoribus obrueretur etiam tum viventis humilitas, quæsitis anxie latebris occultanda vulgo nonnunquam fuerit : ea vero eorumdem erga vita jam functum religionis alacritas, ut publicus ibi cultus ejus, Ecclesia permittente, Deo per assidua miracula comprobante, annis omnino centum et quinquaginta, ab anno videlicet 1306 usque ad 1457, expressum Apostolicæ Sedis decretum anteverterit : nam ab ipso statim obitu cœptum, increvisse semper, manifeste docent Acta, quæ dabimus, a numero 21 usque ad finem. Et numero quidem 23, cum in ipsis exsequiis disceptaretur, essetne Deo per funebre Sacrificium commendandus, an invocandus potius colendusque per aliud, ut receptus jam cœlo Confessor, habes Angelos binos controversiam dirimentes,* qui voce clara contonuerunt : « Os justi meditabitur sapientiam. » *Num. 26 describitur corporis elevatio translatioque, facta eodem, quo vivere desierat, anno, et quidem* solemniter. *Num. 27 Leontii presbyter pœnam divinitus inflictam avertit anno 1308 vovendo, se quotannis* S. Alberti *natalem, præmisso jejunio, rite celebraturum : innuitur ergo, jam tum ibi festum ejus consuevisse observari ; id quod anno sequente ad septimum diem Augusti celebratum fuisse Platiæ, aperte traditur num. 29 ; ubi et imaginem ejus publicæ venerationi propo-*

 sitam

AUCTORE P. B.

sitam invenies et sacellum in ejusdem honorem eodem ibi tempore fabricatum, clarumque miraculis. Mitto cætera, ex quibus per se facile lector intelliget, cultum illum toto Siciliæ regno diffusum magis in dies ac magis eodem seculo floruisse.

et latissime propagatus et auctus.

2 *Sed neque Siculorum littoribus circumscribi sic potuit hæc religio, quin una cum prodigiis ad alias quoque regiones extenderit sese. Et Bononiæ quidem ab anno circiter 1423 non solum admissam fuisse ab episcopo, miraculis duobus, ut ita dixerim, coacto, sed et publico auctam Officio, constabit inferius ex Appendice miraculorum. Et quid loca sigillatim alia consecter? Toto diffusus orbe sacer Ordo B. V. Mariæ de monte Carmelo anniversarium ejus festum die* VII *mensis Augusti, per decretum capituli generalis anno 1411 Bononiæ congregati, celebrare jussus est Officio duplice, ut asserit R. P. Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Ordinis ad annum illum num. 6, et alibi. Deinde anno 1420 inter comitiorum ejusdem Ordinis generalium apud Montem Pessulanum statuta narrat idem auctor num. 11, fuisse* quartum: Quod in omnibus Conventibus depingeretur imago beati Alberti cum radiis. *Quæ quidem, et alia, prudentissimos tam illustris familiæ moderatores credibile non est fecisse sine perspecta sibi quomodocunque Romani Pontificis voluntate, tametsi expresso, ut infra dicemus, nondum oraculo publice patefacta, ideoque (ut assolet) a nonnullis pridem in dubium revocata, usque eo, ut religionis obtentu ab aperta quacunque* B. Alberti *veneratione multitudinem avertere conati sint.*

firmatur a Callisto PP. III viva voce.

3 *Cum vero hæc minime ignorarent PP. Carmelitæ, nihil jam dudum optabant ardentius, quam ut* Alberto *fidem aliquando præstarent, qui pridem in exsequiis dederant, quando Siciliæ* rex *(ut est in Actis num. 24)* et populus Messanensis universus publica sanctione sanxerunt, Pontificis maximi per legatos auctoritatem exorandam; cujus porro locupletissima approbatione canonizatus, albo Confessorum Albertus ascriberetur, *etc. Verum hanc spem novis identidem in Sicilia turbis bellisque diu fallentibus, universus Ordo rem eam tandem in se ipse suscepit, idque ab anno Christi 1375, quo capitulum generale, Podii in Occitania congregatum, Annales tom. IV pag. 490 ita decrevisse testantur:* Committimus Priori Generali, quod possit taxare provincias Ordinis conformiter communibus taxationibus, secundum magis et minus, pro obtinendo locum, in quo sepultus est sanctus Eliseus, et pro canonizatione B. Alberti. *Statuti subinde* ad sollicitandam, *ut ibidem scribit Lezana,* canonizationem S. Alberti *procuratores; ut anno 1387 in capitulo generali Brixiensi magister Bartholomæus de Sacca; in capitulo generali Conventus Silvarum anno 1399 magister Philippus de Sicilia; in Apamiensi anno 1426 magister Joannes de Scolio, et forte plures deinceps alii; qui tamen omnes quid effecerint, incompertum est. Longiores certe moras pertæsus Ordinis Generalis, reverendissimus magister Joannes Soreth, per se ipse demum agere constituit; et interposita, qua ob eximias dotes et insignem vitæ sanctimoniam apud Christi Vicarium valebat, gratia, id primum anno Christi 1457 a Callisto PP. III per vivæ vocis oraculum consecutus est, quo facile posset in posterum adversus quoscunque obstrepentes usitatum eatenus Beati cultum defendere. Hoc ipsum deinde ut illustrius fieret et efficacius, qui Soretho successit Christophorus Martignonus a Sixto PP. IV Bullam obtinuit, quæ Callistinum oraculum et referret authentice, et validissime confirmaret. En illam ex editione Octavii Caietani nostri in Animadversionibus ad Vitam sancti Alberti:*

deinde a Sixto IV per Bullam,

4 Xystus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cœlestis aulæ militum numerum adaugeri, sancta lætatur Ecclesia; et propterea eos, qui ex hoc seculo transeuntes, communi opinione fidelium superna patria digni reputantur, præsertim miraculorum celebritate fulgentes, æternitatis memoria decorare consuevit, ut eorum laudes frequentioribus valeant resonare præconiis, et Dominus in Sanctis ejus jugiter collaudari. Idcirco nos ea, quæ pro honorificentia Beatorum, de prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum beneplacito, pie observata fuisse comperimus, libenter, cum a nobis petitur, Apostolico præsidio confovemus. Sanè pro parte dilecti filii, Christophori Martignoni, Magistri Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Callisto Papæ III, prædecessori nostro, pro parte quondam Joannis Soreth, tunc Magistri Generalis dicti Ordinis, exposito, quod beatus Albertus, qui, dum vitam cælibem ageret in humanis, Frater dicti Ordinis fuit, cujus corpus in ecclesia B. Mariæ Messanensis in insula Siciliæ, Fratrum dicti Ordinis, requiescit, clarescentibus miraculis, a Christi fidelibus illarum et diversarum mundi partium in magna veneratione habetur, et propterea in diversis ecclesiis per diversas mundi partes altaria et ecclesiæ ad honorem Dei, et ejusdem B. Alberti commemorationem erecta fuerant; unde desiderabat, quod Christi fideles ipsi in eorum hujusmodi laudabili proposito, per tolerantiam Sedis Apostolicæ, continuare libere et licite possint et valeant: ad quam quidem humilem petitionem cum præfatus Callistus prædecessor annuisset, venerabilis frater noster Guilielmus, episcopus Ostiensis, tunc titulo S. Martini in Montibus presbyter Cardinalis, qui etiam tunc præsens aderat, de licentia et consensu dicti prædecessoris et mandato expresso, vivæ vocis oraculo sibi ab eodem facto, ad tollendum scrupulos de mentibus hominum, et ad honorem Dei, et dicti B. Alberti meritorum exaltationem, de præmissis omnibus et singulis per suas patentes litteras, suo sigillo munitas, attestationem fecit, prout in illis, quas inspici et examinari diligenter ac præsentibus inseri fecimus, plenius continetur.

in qua refertur authentice

5 Quare pro parte dicti Christophori, Generalis moderni, asserentis, quod in præfata ecclesia, et in diversis mundi partibus, per merita ipsius B. Alberti, alia miracula coruscant in dies, nobis fuit humiliter supplicatum, ut attestationi dicti Guilelmi, episcopi et Cardinalis, ac omnibus et singulis in ejus litteris contentis hujusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod digne in memoria vertitur hominum, qui ad gaudia transivit Angelorum, et ad Ordinem præfatum, qui continua gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ protectione fovetur, et sub ejus honore, et speciali titulo fundatus, ac tam per diversos Romanos Pontifices, prædecessores nostros, quam etiam per nos Apostolica fuit auctoritate comprobatus, multiplicibusque virorum excellentium omni tempore, quasi sideribus, decoratur

A ratur ornamentis, dirigentes paternæ considerationis, intuitum, hujusmodi quoque supplicationibus inclinati, attestationem dicti Guilelmi episcopi et Cardinalis, qui dicti Ordinis protector exstitit, ac litteras prædictas ratas habentes et gratas, illa cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolica, ex certa nostra scientia, approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile foret, præsentes litteras ad singulas provincias originaliter destinari, volumus et dicta auctoritate decernimus, quod transumptis dictarum litterarum, manu Notarii publici, et Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, vel Protectoris dicti Ordinis, qui nunc est et pro tempore fuerit, aut alicujus episcopi vel archiepiscopi, seu cujuscunque in dignitate constituti, etiam dicti Ordinis Magistri Generalis, B pro tempore existentis, sigillo munitis, ea prorsus in judicio et extra fides adhibeatur indubia, acsi ipsæ originales litteræ forent exhibitæ vel ostensæ.

oraculum Callisti III

6 Tenor autem dictarum litterarum sequitur, et est talis: « Guilelmus miseratione divina, tituli S. Martini in Montibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis Rothomagensis, universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui est vera omnium salus. Dignum et conveniens judicamus de his testimonium reddere, quæ pacem conscientiæ multorum, et devotionis augmentum concernere videntur. Notum igitur omnibus facimus ac testamur per præsentes, quod sanctissimus in Christo Pater, Dominus noster Callistus, divina providentia Papa III, nuper vivæ vocis oraculo, nobis præsentibus et adstantibus coram Sua Sanctitate, concessit et indulsit reverendo patri Magistro Soreth, Priori Generali Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo præsenti et supplicanti quod de B. Alberto de Drepano insulæ Siciliæ, dicti Ordinis, dum in humanis ageret professori, in cujus honore et reverentia plura altaria et ecclesiæ, ut idem Prior asseruit, ædificatæ fuerunt, C ac ejus crebrescentibus miraculis, publice longo tempore per Christi fideles, tam in eorumdem fratrum, quam etiam in aliis ecclesiis, nulla tamen secundum ritum Romanæ Ecclesiæ præcedente canonizatione, preces et suffragia publice persolvuntur, eadem reverentia et devotio, ut præmittitur, sine alicujus peccati labe et transgressionis nota ac conscientiæ scrupulo per eos atque alios Christi fideles fieri possit et continuari, quousque per Ecclesiam aliud solemnius decernatur. Quæ omnia, cum sic, ut præmittitur, vere et recte sint acta, ad cujuslibet notitiam deducimus et deducenda fore censemus. In quorum testimonio præsentes litteras, per secretarium nostrum infra scriptum fieri jussimus, et nostri sigilli fecimus appensione communiri. Datum Romæ, in domibus nostræ residentiæ, apud S. Apollinarem, die XV mensis Octob. anno Incarnationis Dominicæ MCDLVII, Pontificatus ejusdem Domini nostri anno III. »

et confirmatur.

7 Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, constitutionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejusse noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXVI pridie Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno IV. *Placuit hanc Bullam hic totam adscribere; tum quia ad asserendum legitimum Sancti cultum imprimis facit; tum ut ex ejus lectione quivis intelligat, verisimile nequaquam esse, quod affirmat R. P. M. Josephus Falco in Chronico Carmelitano, Italice vulgato Placentiæ anno Christi 1595, pag. 544, idque sine ullo vetustiore testimonio;* Albertum *videlicet inter Sanctos relatum fuisse, non diu post peractas ejus exsequias, a Clemente PP. V, qui de hac sua sententia mox in Siciliam rescripta transmiserit: id enim si non modo verum erat, sed etiam Pontificio scripto constabat; quid opus erat postmodum vivæ vocis oraculo? Tum cur de hac re neque venerabilis Sorethus meminisset apud Callistum neque apud Sixtum reverendissimus Martignonus? Imo cur Callisto Sorethus tam candide fassus esset, publice cultum hactenus* Albertum *fuisse,* nulla secundum ritum Romanæ Ecclesiæ præcedente canonizatione? *Falconem tamen secuti sunt Didacus de Coria in Dilucidario chronicorum Ordinis* E *Hispanico lib. 10, cap. 48, Ægidius Lcoindelicatus in Paradiso Carmelitano pag. 104, Nicolaus Manerbius in Legenda Jacobi de Voragine Italice versa auctaque, Emmanuel Ferreira in Legendario Ordinis Carmelitici Lusitanico pag. 108, et si qui sunt alii minoris notæ: nam scriptores Carmelitarum præcipui hos duces deserunt, vel etiam tacite refellunt; ut facit R. P. Daniel a Virgine Maria Speculi Carmelitani tom. II, part. 2, pag. 627, num. 2168.*

AUCTORE P. B.

§ II. Cultus post Apostolicæ Sedis decreta.

Post Bullam Sixtinam crevit veneratio.

Quanquam Bullæ jam recitatæ forma multum differat a forma Bullarum, quibus cum idem Pontifex Sixtus, tum alii ejus decessores in solemnibus canonizationibus usi sunt; neque in illa, sicut in his, definiatur sanctitas; sed supponatur tantummodo; neque cultus imperetur; sed sinatur continuari tanquam omnino licitus ac F *laude dignus; vulgo tamen exinde appellari cœpit* Bulla canonizationis S. Alberti, *ipseque propter eam* Albertus *et* canonizatus *et* sanctus. *Carpit hoc impense Lucas Castellinus in amplissimo Tractatu de certitudine gloriæ Sanctorum canonizatorum cap. 1, punct. 17, § 5, et punct. 18 usque ad § 10, item cap. 2, puncto 11, § 2 et 3, denique in Catalogo Sanctorum canonizatorum pag. 431, ubique contendens,* Albertum *nostrum erga quem alioqui se religiose affectum drofitetur, non nisi beatificatum hactenus fuisse ac dici posse. Contra, canonizatum, sed non solemniter, per hanc Bullam cum suo quasi jure censendum esse, asseverat Lezana ad annum 1307, num. 5, et ad annum 1476, num. 2 et 3, quod in ea cultus ejus amplissimus concedatur, neque ad Ordinem tantum, certamve provinciam, aut regnum extensus. Addit, eum olim Ordinis fuisse sensum; ut qui antea ad* Alberti *sui canonizationem urgendam tam sollicitus, post hanc Bullam prorsus acquieverit; non facturus utique, nisi sufficientem in illa canonizationem agnovisset. Ut ut est, sive solemnem ea beatificationem contineat, sive canonizationem non solemnem, ex ea certum est maximum pristini cultus splendorem atque incrementum fluxisse.*

9 *Inde*

AUCTORE P. B.

et notari cœpit in Martyrologiis et Breviariis 7 Aug.

9 *Inde enim cœpisse videtur festum ejus et elogium sacris passim Fastis adscribi; ut colligimus ex Florario Sanctorum, quod anno tantum decimo post laudatam Sixti Bullam in Belgio nostro manu exaratum habemus, et in quo ad diem* VI *Augusti ita celebratur :* In Sicilia, civitate Messana, beati Alberti de Trepano, Carmelitici Ordinis per Siciliam Prioris Provincialis, viri sanctimoniæ sublimitate egregii, ac miraculorum coruscatione præfulgentis. Floruit autem circa annum salutis MCCXCII. *Et repetitur ibidem ejus memoria die sequente, qui proprie natalis est. Legitur etiam ab anno 1490 in Usuardo Lubeco-Coloniensi, aliisque auctariis per nos editis. In ejusdem anni Breviario Romano Venetiis excuso habet Officium hoc die simplex; in altero Romano anni 1522 Officium novem Lectionum cum antiphonis et cæteris proprium. Ab anno 1493 longum accepit elogium in Supplemento Catalogi Sanctorum Petri de Natalibus. Et quid subsecutos deinde Martyrologos, Maurolycum, Galesinium, Ferrarium, cæterosque memoremus, qui hoc eodem* B *omnes die Sanctum hunc nostrum referunt? Unum satis est appellasse Martyrologium Romanum, in quo ad* VII *Idus Augusti natalis per omnes, quæ Romanam sequuntur, ecclesias annuntiatur,* Messanæ in Sicilia, sancti Alberti confessoris, Ordinis Carmelitarum, miraculis clari.

estque apud Siculos valde celebris,

10 *Quanquam vero sola hic apud Siculos Messana ponitur, et merito; quandoquidem ibi Sanctus et mortuus, et sepultus, et primis palam honoribus post obitum, et Patroni titulo, et mirifica civium fiducia ac liberalitate magistratuum decoratus fuit, ut fidem faciunt eorum Acta, in Speculo novissimo Carmelitarum tom. II, pag. 628 recitata : non sola tamen Messana aut reliquiis ejus, aut cultu peculiari, aut patrocinio gloriatur; sed et aliæ per insulam civitates; Panormus imprimis, ubi protectorem urbis electum fuisse, tradit Lezana ad annum 1307 num. 12. electionem vero confirmasse edicto publico de illius Officio cum octava celebrando, non sine propositis indulgentiis, Joannettinum Cardinalem Auriæ, archiepiscopum Panormitanum die* IV *Augusti anno 1626 :* C *accedit oppidum Erycinum, quod et Mons Drepani, et Drepanum montis, et Mons S. Juliani nuncupatum invenitur, quodque Patronum eumdem diutissime veneratum est, et quidem, quantum ex Lezana ibidem num. 6 apparet, Officio proprio, per illustrissimum Hieronymum de Terminis, Mazarensem antistitem, circa annum Christi 1554 approbato, ditatoque indulgentiis non solum pro recitantibus illud, sed etiam pro audientibus. Ex hoc Officio excerpta quædam legi possunt in Speculo jam dicto Carmelitarum tom. II, pag. 629 et sequente. Ibidem, teste Pirro tom. II, pag. 564, in ecclesia parochiali S. Juliani* magno sunt in honore reliquiæ S. Alberti, quæ die VII Augusti solemni pompa per urbem circumferuntur. *Sunt etiam istic aliquæ, ut idem tradit pag. 565, in hospitali domo* S. Alberti, *et in templo S. Joannis, anno 1564 Messana delatæ. Quoniam vero pii clientes illi omnia tandem amiserant instrumenta, quibus antiquior* S. Alberti *in Patronum electio probari posset, eamdem electionem innovarunt, et sacræ Rituum Congregationi submisere, quæ illam* die 2 Julii MDCXLIV approbavit, et confirmavit, et Sancto prædicto, sic in Patronum electo, prærogativas Patronis proprias competentes decrevit : *inter quas unam expresserant supplicantes; ut nempe sibi ejus Officium cum octava concederetur. Ut autem Erycinis nulla in re, quæ quidem* S. Alberti *cultum* D *amoremque spectet, ulla omnino ratione volunt cedere proximi Drepanitani; idem ipsi præstiterunt, idemque ab eadem sacra Congregatione consecuti sunt die* ultima Julii MDCXLV; *uti habeo ex impressis utriusque decreti exemplaribus.* Oppidum *quoque* Veria, *ut est in Speculo Carmelit tom. II, pag. 629,* sub familiæ Abbatum dominio olim constitutum, templum D. Alberto erexit, ubi digitum ejusdem sancti Patris colit.

celeberrime vero

11 *Sed externorum studiis, ut æquum est, ipsius Ordinis pietas maxime post Bullam Sixtinam antecelluit : hic namque anniversaria memoria tum ejus minime contentus, anno 1498 in generali capitulo Nemausensi constituit,* Quod in Vesperis et Matutinis fiat quotidie de S. Alberto et Angelo. *Tum jussu capituli generalis Romæ habiti anno 1564 insertum Kalendario fuit* festum ipsius S. Alberti cum octavo pro die VII Augusti : *quod Officium varii postmodum Romani Pontifices confirmarunt. Vide Lezanam ad annum 1307 num. 6. Ubi etiam docet,* S. Albertum *in Religione Carmelitana semper ut Ordinis universi Patronum ac protectorem fuisse habitum;* E *id quod probat ex Ordinis cæremoniali; deinde ex eo, quod in quodam capitulo generali, Venetiis (nescimus quo anno : nam, vitiose notatus est) celebrato, fuerit decretum* Quod sigillum generalis capituli sculptum sit cum imagine Beatæ Virginis sedentis in throno, et habentis Salvatorem in sinu a sinistris, et duas Sanctorum imagine throno astantes; videlicet Præcursorem sanctissimum, et sancti patris nostri Alberti a sinistris. *Idem adstruit ex decreto quodam Nicolai Audethi, anno 1562 vita simul et Generalatu annorum circiter quadraginta defuncti, in Constitutionibus per Clementem PP. VII approbatis et confirmatis. Est illud quidem longiusculum; sed et Sancto nostro perhonorificum, ideoque hic minime reticendum; sic igitur habet :*

in toto Ordine

12 Item, quia inter cætera eximiæ sanctitatis Ordinis nostri exempla, sanctissimi patris nostri Alberti ubique gentium celeberrima est gratia apud Deum et homines Christianos, cujus miraculis non modo sacra Religio nostra exuberat, sed et orbis fere universus, nec ullæ sunt per universum Christianæ nationes, quæ sanctissimum patrem F nostrum Albertum protectorem non receperint, et propitium atque assiduum apud Deum intercessorem expertæ non fuerint; ne celeberrima fidelium devotio ob negligentiam nostram remittatur (quod impium foret et indecorum :) ordinamus, et præcipiendo mandamus, quod in omnibus Ordinis nostri conventibus et locis post erectum altare gloriosissimæ Dei Genitricis, cujus titulo specialiter insignimur, et in cujus honorem primi et ante alios omnes antiqui Patres nostri in Carmeli vertice templum erexere, et hyperdulium cultum honoremque debitum eidem exhibuere, erigatur et devote teneatur altare in [honorem] ejusdem sancti patris nostri Alberti, cui sit peculiariter dicatum et consecratum : et hoc sub pœna rebellionis, Prioribus tam provincialibus quam localibus, seu vicariis, si contra fieri permiserint, infligenda. *Hæc ibi;* Quibus, *inquit Lezana,* satis juvatur intentum de patronatu S. Alberti in Religione nostra.

Carmelitarum;

13 *Affectum vero ejusdem Ordinis erga Patrem ac Patronum hunc suum inde etiam licet æstimare, quod ejus ubique reliquias tanto servet in pretio.* Illud vero singulare est in S. Alberto, *ait R. A. P. Daniel a Virgine Maria in Speculo Carmelitarum tom. II, pag. 629,* quod sacræ ejus reliquiæ

per

AUCTORE P. B.

A per totum fere Ordinem sint dispertitæ; ita ut S. Albertus tot fere habeat argentea, aurea, aut porphyretica sepulcra, quot Religio hæc insignia monasteria. *Tum in sola Sicilia ex Rocco Pirro nominatim recenset sequentia, Catanense, Ennense, Calatahieronense, Leontinense, Licodiense, Calatabilothanum, Saccense, Leocatense, Sambucense, Calatanixetense, Prizanum, Burgio-Millusinum, Mazarense, Marsalense* (ubi digitus, et baculus S. Alberti sunt in veneratione; *imo et locus, in quem cum asello suo divertisse olim creditur Sanctus, quippe jumentis ideo salutaris habetur, ut refert Lezana ad an. 1155, num. 7,) Drepanitanum, seu potius Virginis Annuntiatæ, prope Drepanum; ubi in ecclesia locupletissima celeberrimaque ad sinistram sacellum assignat Pirrus tom. II, pag. 549* quod partem ædiculæ, seu cellulæ S. Alberti continet; quia in ea Carmelitanam est professus disciplinam, diu vixit, Priorisque onus sustinuit. Sacrum est eidem Sancto; cujus caput atque costas *(nunc forte in alia cœno-* B *bia distributas, quia posteriores Pirro auctores ibi de solo capite meminerunt)* etiam argenteis exornatas thecis, anno MCCCXVI * Messana transtulit M. Cataldus de Anselmo, Montensis *(id est, Erycinus,)* tunc Siciliæ Provincialis. *Adde cœnobium Erycinum, quod, ut idem scribit pag. 564,* decoratur maxime reliquiis S. Alberti patroni, Messana anno MDVIII delatis, *imo et aliis ejusdem Sancti indidem allatis anno 1564, ut idem Pirrus asserit pag. seq. In Monasterio Messanensi, reliquiarum ejus omnium fonte, anno 1659 superfuisse narratur in Speculo Carmelit. tom. II, pag. 629* os brachii S. Alberti intra argenteum brachium, item pluviale, seu cappa, qua sacrum D. Alberti cadaver, feretro impositum, opertum fuit. *In Panormitano* puteum *esse, testatur Pirrus tom. I, pag. 228,* a D. Alberto effossum, unde plures cum aqua valetudinem hauriunt. *Hactenus de provincia Sicula; quod si per alias omnes ita discurratur, quis erit finis?* In Flandro-Belgica nostra provincia, *inquit auctor Speculi Carmel. loco citato,* licet a Sicilia maxime dissita, vix ullus est Conventus, ubi non sit aliquid reliquiarum C S. Alberti: ita quoque in plurimis aliarum provinciarum conventibus. Istarum autem reliquiarum tactu benedicitur aqua, quæ populo Christiano pro variis infirmitatibus, peculiariter febribus, curandis religiose sumitur, nec sine magno fructu: *ut patebit inferius.*

* imo MCCCIX

in quo tamen eminuit pietas SS. Teresæ et Magdalenæ de Pazzis.

14 *Communem hanc totius Ordinis pietatem studio plane singulari complexa sunt duo illa Carmeli sidera, sancta mater Teresa de Jesu, et S. Maria Magdalena de Pazzis: ac de priore quidem id constat ex catalogo Sanctorum, in quos peculiari quodam sensu et studio ferebatur, quem sua manu exaratum in Breviario circumferre consueverat, unde illum Ribera noster in ejus Vita lib. 4, cap. 13 exhibuit: primum enim in eo locum obtinet,* S. pater noster Albertus; *neque id mirum; quandoquidem, ut idem auctor ibidem subjungit,* Mater illa seraphica sæpe S. Albertum Carmelitam per visum conspicata est. *De posteriore fidem faciunt Acta, quæ dedimus die* XXV *Maii; ubi dicitur pag. 198, num. 67, supplicasse Salvatori* die *(non* V, *ut ibi legitur; sed, ut recte scribitur pag. 283, num. 151)* VII Augusti, anno MDLXXXVIII, ut, quoniam is erat dies S. Alberti, advocati sui, totam interius vellet vestire; ut majori cum fervore posset Sanctum istum imitari. *Quam efficax autem hoc patrocinium experta fuerit eodem die, ibi legi potest. Aliud argumentum ducitur ex ejusdem Vita secunda, pag. 283, num. 153, ubi sic habetur:* Consuetudo monasterii istius *(in quo vixit Magdalena)* habet, ut quando Religiosæ propter aliquod impedimentum communicare nequeunt, communicent omnes spiritualiter; eumque in finem, dato consueto signo ad Communionem, conveniunt universæ, simulque per mediam horam orant. Tali occasione cum esset in raptu *(S. Magdalena,)* dixit Confiteor, et, Domine, non sum digna; videns, sacram Communionem a S. Alberto Carmelita sibi porrigi; et fecit omnia, quæ solebat in eo actu facere: finitoque raptu, narravit, vidisse prædictum Sanctum, qui cum sacro ciborio circumiens, singulis sororibus Communionem impartiebatur. *Enimvero tam inusitati favores Patroni, pietatem indicant non vulgarem clientium.*

§ III. Ætas ac fides veterum Vitæ ejus exemplarium.

E

Vita Sancti primigenia scripta an. 80 post obitum ejus;

Acta S. Alberti *integra et primigenia nec vidimus adhuc, nec scimus uspiam superesse. Censuit R. A. P. Daniel a Virgine Maria in Speculo Carmelitano tom. II, pag. 630, num. 2175, ea scripta primum fuisse ab auctore Sancti coætaneo vel suppare. Verum adversantur, quotquot exstant Actorum exemplaria: horum enim nullum novimus, quin miracula exhibeat anno Christi 1385, qui circiter septuagesimus nonus est ab obitu Sancti, patrata: licet enim exemplar Joannis Mariæ de Poluciis eo usque non pertingat apud Surium, quod hic illud ex industria detruncaverit; longius tamen excurrisse, vel extensum ab ipso Polucio fuisse, quam alia, palam fit ex Menologio Carmelitarum per Saracenum edito pag. 319, num. 44 et seq. Quod ait R. P. Daniel, miracula tam sera non fuisse in exemplari vetustissimo; sed illi posterius accessisse; crederem, si probaret. Et vero ex ipso statim Vitæ principio, in quo omnia consonant exemplaria, satis elucet, auctorem ejus primum non tantum fuisse* S. Alberto *annis pluribus juniorem, sed et rerum Sicularum ac temporum oppido rudem. Censeo igitur,* F *donec aliud evincatur, nullam hujus Sancti Vitam integram (nam de compendiosis, siqua fuerunt, elogiis non disputo) fuisse conscriptam ante diem* VII *Augusti anni 1385, quo prodigium accidit, quod in antiquissimis omnibus, quæ nunc supersunt, Mss. exemplaribus describitur. Fateor tamen, illam ab anno jam dicto usque ad 1394 fuisse compositam, et quidem aliter atque aliter, semel, iterum ac tertio:*

ut eruitur ex 3 Mss. antiquioribus,

16 *Nam antiquissima ejusdem exemplaria Mss. tria tantum novimus; unum videlicet, quod reperit et secutus est Vincentius Barbarus; alterum, quod etiamnum servari creditur in bibliotheca Vaticana Cod. 3813; tertium denique, quo usus est Theodoricus de Aquis, et (nisi forte Theodoricum ipsum præ oculis habuit) Joannes Maria de Poluciis, qui cum opere Theodoriciano, ut ex editione Surii licet colligere, mirifice congruit. Hæc tria inter se differunt narrationis ordine, stylo, ætate; si tamen ætas diversa dici potest, cujus omne discrimen intra novennium comprehenditur. De stylo et ordine dicetur loco suo: de ætate vero, dubitare non possum, quin Ms. Barbari prius fuerit Vaticano; Vaticanum autem Theodoriciano: cum enim singulorum auctores anonymi Vitam integram, quatenus potuerunt, complecti mani-*

AUCTORE P. B.

manifeste voluerint; plus tamen aliquid habet secundus, quam primus; plus tertius, quam secundus: nam de administratione provinciæ Siculæ S. Alberto *demandata, et non sine illustribus prodigiis ab eo suscepta gestaque nihil memorat Barbarus; non omissurus utique, si in suo Ms. legisset: de eadem tamen certo meminit Ms. Vaticanum apud Lezanam ad annum Christi 1270, num. 2; sed multo parcius, quam Theodoricus in Speculo Carmelitano tom. II, num. 2197 et sequente; ubi duo superadduntur miracula. Quis vero nescit, istiusmodi auctaria esse posterioris auctoris indicia luculenta? Præterea in miraculo, quo Catanæ hernia liberatus fuit anno 1385, ipso Sancti festo, juvenis quidam Nicolaus, hoc solum de illo subditur apud Barbarum num. 37* quod surrexerit coram, pristinæ saluti restitutus, et sit eum continuo atque solemniter Religionem *(Carmelitanam intelligit)* ingressus. *Hoc eodem anno scribi potuit; non item quod additur in Mss. aliis; illum eumdem videlicet in Religione* laudabiliter *(non vivere, sed)* vixisse; *adeoque mortuum esse post vitam in Religiosa disciplina aliquandiu pie traductam. Vide Theodoricum num. 2217; et Ms. Vaticanum apud Lezanam ad annum 1385, num. 5. Deinde Ms. Theodorici ad calcem Vitæ prodigium de nobili e furca suspenso narrat, quo nullum est in Sancti Vita mirabilius. Cur igitur hoc alia Mss. non attingunt? Opinor, quia serius vel accidit vel innotuit, quam illa scriberentur. Quare Theodoricianum exemplar ætate tertium inter ea statuimus, non tamen anno 1394 recentius; cum hoc ipso anno fuerit a Theodorico exscriptum; ut probat solide Daniel a Virgine Maria in Speculo supra, num. 2163.*

quorum vetustissimum præluxit Vincentio Barbaro

17 *Postremo non minus evidenter id erui potest ex eorumdem exemplarium stylo. Barbarus opusculum suum Nicolao Audetho, vel, ut ipse habet, Audetto, Ordinis tum Carmelitani magistro Generali dedicans, ita scribit:* Alienum tuæ Amplitudini dicatum laborem... exhibemus: alienum, inquam; quod, cum tot annorum marcore et situ obsitam, nec sine Dei providentia, divi Alberti Vitam in manibus haberemus, quæ vestro Carmeli Ordini hactenus desiderata est *(nondum ulla typis excusa prodierat; manuscriptam autem aliam ignorabat Barbarus:)* hanc non solum a nobis in capita distinctam, verum etiam nova quadam interpretatione sub eodem continuato tenore, velut antiqui textus tectorio, Latinitate donatam, nostroque addito Corollario, Amplitudini tuæ felicitatis condonamus: non enim digna erat, quæ sub veteri exemplari, propter fæcutinam barbariem evanidis cum diverticulis infantilibusque regressionibus, exhiberetur, et inordinatæ tandem et situlentæ farraginis fæculentia luminis tui candorem labefactaret. *Vides hic, Barbari prototypon tam putide scriptum fuisse, ut censuerit ipse, phrasibus barbaris Latinas esse substituendas, tum amputandam quoque inanium diverticulorum ac regressionum infantilium ineptam garrulitatem. Atqui hæc vitia non sunt in Ms. Vaticano, ut liquet ex pluribus ejus textibus, apud Saracenum hoc die in Menologio Carmelitarum, et Lezanam ad annos varios, recitatis; multo minus in exemplari Theodoriciano, quod, licet Latinitate non splendeat affectata; neque barbarum tamen est, nec uspiam luxurians, nedum inordinatum; sed Vaticano nitidius. Ut ergo primi cujuscunque operis conatus informes fere sunt, et secundis tertiisque curis magis ac magis elimari solent ac perfici; ita dubium videri non debet, quin Ms. exemplar Barbari fuerit Vaticano vetustius, et Vaticanum Theodoriciano.*

et majorem exigit fidem, quam alia:

18 *Cæterum ex dictis consequens est, ut magnam singula mereantur fidem; quando eodem seculo composita sunt, quo Sanctus excessit e vivis, quo mirabilium ejus operum sopita nondum esse poterat memoria, imo quo superesse tota Sicilia debebant innumeri, qui plura ejus acta ex oculatis olim multisque testibus percepissent. Majorem tamen, mea quidem sententia, vetustissimus is auctor exigit, quem interpretatus est et contraxit Barbarus; primum, quia quidquid hic habet substantiæ, confirmatur ab aliis, eadem omnia narrantibus; non contra: nam duo posteriores quædam habent, quæ non sunt in priori: deinde, quia prior iste magno cum delectu ea tantum scribere voluit, de quorum fide magis constabat; cætera vero, quæ minus certa videbantur, studio prætermisit. Ipsummet audi ex interpretatione Barbari Vitæ et miraculorum historiam ita concludentem:* Fuere et id genus plura, quæ licenter in hujusce libelli fastigium coire potuerunt; sed ea collegi modo, quæ pene innumerabili suggestu jam extra limen proferenda mihi visa sunt, et quibus, quæ constat, sua minus fides abrogatur. *Quibus verbis ostendit, se plura* S. Alberti *gesta scivisse, et quidem satis asserta, ut absque piaculo proferri possent in vulgus; noluisse tamen se illa scripto suo publicare cum cæteris, quia pauciorum testimonio firmabantur, quam ea,* quæ pene innumerabili suggestu, *hoc est, infinitorum fere testium numero, comprobata vulgavit.*

hoc igitur, quia jam desideratur autographum,

19 *Atque utinam illud ipsum exemplar, aut certe apographum, quantumvis barbarum, nancisci contigisset! Sed enim id solatio est, quod fidelem illius consecuti simus interpretem, de quo hæc Antonius Mongitor in Bibliotheca Sicula tom. II, pag. 277:* Vincentius Barbarus Drepanensis, vir politioribus litteris excultus, Græcis Latinisque litteris ornatus inclaruit. Poeta egregius, at nimium obscurus. Vixit circa annum MDL. Hujus, cum laude meminere Leonardus Orlandinus..., qui præceptorem suum vocat; Rocchus Pirrus..., et Vincentius Nobilis. Adhuc juvenis edidit Divi Alberti confessoris Vitam Panormi apud Antonium Maydam MDXXXVI *(qui annus bis ponitur; in Dedicatione scilicet et prologo: at in fine libelli impressio facta notatur* MDXXXVII, die VIII Martii.) In quarto. Iterum ibidem apud Thomam Romulum MDCLXXXVIII in quarto. Edita est etiam in Vitis Sanctorum Siculorum Octavii Caietani tom. II, a pag. 219. Scripsit etiam hymnos, epigrammata, et elegias. *Nos editionem primam habemus ac magnifacimus, non solum quia rara nunc est; sed maxime, quia genuina: nam Caietanus noster, in editione sua anni 1657, immutandum sibi duxit obscuriusculum nec satis familiarem Barbari stylum; tum quædam non satis probata erasit ex textu; denique pag. 222 quæ de Sancti provincialatu aliunde compererat, quasi Barbaro præter mentem excidissent, eidem inseruit; quæ, aliaque si recusa sint in editione Barbari Panormitana anni 1688, quam non vidimus; profecto editionis hujus nostræ pretium non parum augebunt; quam proinde post Commentarium hunc optima fide expunctis, quibus abundat, mendis typographicis, repræsentabimus.*

dabimus ex fideli interpretatione Barbari,

20 *Barbarum diximus vetustissimi, quod habuit, exemplaris fidelem esse interpretem: nam id ipsemet satis aperte profitetur in illo textu dedicationis, quem recitavimus num. 17, cum totum Vitæ libellum* laborem *appellat* alienum; *nihilque*

A *hilque illi a se additum asserit, præter distinctionem in capita et novam quamdam ac magis Latinam interpretationem; nihil ademptum, præter* evanida diverticula infantilesque regressiones; *quæ sane omnia nihil ad operis substantiam faciunt. Suum quidem appellat* Corollarium additum; *sed hoc extra Vitam est et seriem capitum, quibus Vita universa dividitur; nec aliud continet, quam hymnum et oden ad celebrandas* S. Alberti laudes, *item epigramma ad imaginem marmoream Divæ Mariæ Drepanitanæ, ac tandem poema succinctum, seu* Silvulam, *ut ipse nuncupat,* de corruptela languentis orbis. *Quid hæc ad Vitam? Cum ergo Caietanus in Animadversis ad Vitam a Barbaro editam affirmare videtur, interpretem hunc prototypo suo quædam addidisse miracula de suo, deceptum fuisse suspicor præpropera inspectione tituli, qui libello talis præfigitur:* Divi Alberti confessoris Vita, in quinquaginta capita digesta, et ab exemplari veteri longe diversa, cum tot ejusdem miraculis additis, quæ per eum in vita et post obitum, divina cooperante benignitate,
B perpetrata sunt; nunc primum in lucem edita, Vincentio Barbaro Drepanitano interprete; cum ejusdem Corollario nonnullarum rerum. Minerva non reclamante, lector, approperanti parce. *Ambiguitas quædam intuitu primo, fateor, offertur his verbis:* Cum tot ejusdem miraculis additis; *sed adverte,* τὸ ejusdem *non esse referendum ad* Albertum *(alioqui Battologice subderetur,* quæ per eum perpetrata sunt;) *sed ad* exemplar vetus, *in quo quot reperit immista Vitæ additaque miracula,* totidem, *se ait Barbarus ac prorsus eadem addidisse interpretationi suæ, ne unico quidem omisso. Unde et Vitæ et miraculorum non nisi* interpretem *se dicit; at Corollarii, auctorem;* cum EJUSDEM Corollario, *inquit.*

adjecta miraculorum Appendice

21 *Porro cum ad acta nostra ea sola spectent, quorum ipse interpres fuit; non ea, quorum est auctor; illa tantum hic dabimus; hæc, puta indicem capitum, eorumque titulos ac numeros, dedicationem item, duosque prologos, alterum stylo soluto ad municipes suos Drepanitanos, alterum ligato ad ipsum libellum, ac postremo etiam subjunctum libello Corollarium; hæc, inquam,*
C *omnia in editione hac nostra supprimemus. Quia vero extra prototypi sui veteris materiam vagari noluit Barbarus; et sua etiam, uti jam diximus, aliis exemplaribus debetur fides; nequid ex iis desiderari possit, Actis Appendicem adjungemus, in quam congerentur miracula quotquot sive ex laudatis Mss. antiquis, sive aliunde ad notitiam nostram devenerint: cætera quæ ad historiam et chronologiam Vitæ Albertinæ cum apud ipsum Barbarum, tum apud alios etiam recentiores pertinent, egentque commentario, si longioris sint operæ, hic modo discutientur; sin brevioris, remittentur ad Annotata.*

§ IV. S. Alberti ortus, patria, ingressus in Ordinem Carmelitanum.

Acta male alligant conjugium parentum S. Alberti,

Cum *Acta* S. Alberti *primum scribi cœpisse, ex modo dictis, videantur post annum septuagesimum nonum ab ejus obitu, nemo mirabitur, eorum auctori minus perspecta fuisse Sancti primordia, quam quæ vel sub extremam ejus ætatem, vel post felicem ex hac vita decessum contigere; idque non solum quod his antiquiora sunt illa; verum etiam, quod a paucioribus observata; cum videlicet Vir sanctus et virtutum suarum ac donorum cœlestium, quoad potuit, industrius occultator, nondum apostolicis per insulam universam discursionibus, nondum patratis palam passimque miraculis omnium in se popularium animos, oculos, sermonesque converterat. Itaque in ipso Actorum principio, secundum omnia, quæ diximus, exemplaria vetera Mss. parum dignus occurrit homine non prorsus in temporum ratione peregrino antichronismus; cum sive* S. Alberti *natales, sive potius parentum ejus conjugium, referuntur accidisse* temporibus Petri, regis Hispaniæ citerioris et Siciliæ, *ut habet Barbarus; vel,* in diebus Petri, antiqui regis Cathaloniæ et Siciliæ, *ut Theodoricus de Aquis in Speculo Carmelitano tom. II, pag. 631; vel, ut ex Polucio Surius,* ea tempestate, qua Petrus regnum Cataloniæ et Siciliæ obtinuit: *cum enim* S. Albertus, *quemadmodum infra probabitur, anno Christi 1306,* postquam appropinquasset ad decrepitam ætatem, *ut est in codice Vaticano apud Lezanam ad annum 1307, num. 4;* E *sive* ingravescente ætate, *ut scribit Barbarus num. 19, e vivis excesserit, necesse profecto est, ut et conjuncti matrimonio parentes, et natus ex iis* Albertus *regnantem in Sicilia Petrum I longissimo intervallo præcesserint; quandoquidem constat, hunc anno demum 1282, qui fuit ante obitum Sancti quartus tantum et vigesimus, Aragoniæ regno sex annos administrato Siculum adjunxisse.*

et hujus nativitatem temporibus Petri Aragoniæ et Siciliæ regis:

23 *Scio equidem, auctorem Speculi Carmelitani, ut Biographum hic suum defendat, in Annotatis ad prolepsim recurrere non absimilem illi, qua in Christi genealogia dicitur:* Jesse autem genuit David regem; qui postea scilicet fuit rex; *adeoque sic explicari velle Historiam suam: In diebus illustrissimi Petri antiqui, qui postea fuit rex Cataloniæ et Siciliæ, fuit vir quidam, nomine Benedictus etc. At etiam hic sensus falsus est, si referatur (ut referendus videtur, et relatus fuit a Caietano nostro in Animadversis) ad tempus, quo Sancti nostri parentes matrimonium inierunt: statuamus enim quod verisimile est,* Albertum *decessisse sexagenario aliquanto majorem, ac proinde natum circa annum Christi 1240:* F *sequetur, ut Benedicti cum Joanna conjugium, per annos omnino sex et viginti sterile, initum fuerit versus annum Christi 1214, hoc est annis ut minimum viginti quatuor antequam Petrus, Jacobi primi Aragoniæ regis filius, nasceretur, ut certum est ex Annalibus Aragonum Zuritanis ad annum 1234. Quod si contendas, verba jam dicta non spectare ad Benedicti matrimonium, sed ad* S. Alberti *nativitatem, quæ Petri ortum post annos aliquot consecuta sit; respondeo, alias Genealogorum esse leges; alias chronologorum: illi namque in suis catalogis eorum nominibus, qui novum familiæ decus attulerunt, titulos dignitatis adjiciunt ætate quacunque partos: unde Davidi Regis appellatio jungitur, quia primus ex Abrahami familia per Judam ducta ad regnum evectus est. Sed quis mihi vel unum assignet chronologum, qui sive per consules, sive per imperatores ac reges etc. tempora metiatur, unquam epocham sit exorsus a consulum, imperatorum, regum nativitate privata, aut ante initum ab iis re vera consulatum, obtentumve imperii aut regni solium? Et vero multorum principum obscura nativitas est et paucis nota; non item eorum ad summum reipublicæ, imperii, regnive fastigium*

AUCTORE P. B.

AUCTORE P. B.

gium evectio, quæ per omnes provincias proclamatur: unde hæc tempus vulgo notum designare potest; non illa.

cum Petri regnum diu præcesserint: et hæc quidem circa an. 1240; illud circa 1214.

24 *Recte ergo ac fideliter auctoris sui sensum interpretatus est Surius his verbis;* Ea tempestate, qua Petrus regnum Cataloniæ et Siciliæ obtinuit. *Neque alium Barbaro nostro Caietanus in Animadversis attribuit: quia tamen erroneum hunc esse deprehendit, hæc illius verba,* Temporibus Petri regis Hispaniæ citerioris et Siciliæ, *tanquam aperte falsa, ut monet in Animadversis, extrusit e textu. Mitto alios, quibus hæc interpretatio sola placuit. Omnium instar esto Saracenus in Menologio Carmelitarum, cui eadem, ad hunc diem, tam certa est visa, ut ad illam cum historia Sicula et Aragonica conciliandam, non sine errore absurdissimo censuerit, Petri, qui Jacobi Aragonum regis et filius et hæres fuit, regnum in Sicilia seculo solido anticipandum esse; sub eoque referendum Benedicti cum Joanna matrimonium, anno, ut ipse vult, 1186 contractum. Enimvero satius est primigenii auctoris, et qui eum secuti hoc loco sunt, errorem fateri candide; quam vel sic tueri, vel eorum sententiam interpretatione proleptica violare. Cæterum ut nequaquam dubitamus asseverare, et conjugium Benedicti, et* Alberti *tempus natale ab Aragonum in Sicilia principatu longe admodum fuisse remota; ita cum eidem conjugio annum Christi circiter 1214, et* Alberti *nativitati annum 1240 assignamus, id ex mera conjectura nos facere profitemur; cum annus aliter determinari non possit: pendet enim hujus rei demonstratio ex ætate, quam Sanctus vivendo attigit: hanc autem certo annorum numero veteres non exprimunt; sed his, uti dictum est, phrasibus,* ingravescente ætate; et, postquam appropinquasset ad decrepitam ætatem; *quæ latitudinem aliquam patiuntur: unde Lezana, ad annum 1307 num. 3 ad illas explicandas putat sufficere annos 57; Saracenus contra ad annos 80 procurrit. Nobis, quia nihil obstat, viam placuit mediam inire quidem, at nemini ut certam præscribere.*

Locus ejus natalis

25 *A tempore Sancti natali ad locum progredimur; de quo in Animadversis ad ejus Vitam ita Caietanus:* Recens certamen, ac ferme centum ante annos subortum est Erycinos inter et Drepanitanos de D. Alberti solo natali; Erycene, an Drepani Albertus natus sit. *Exarsit ea contentio maxime, postquam Erycini a Sacra Rituum Congregatione Romæ decretum postularunt, et anno 1637 consecuti sunt, in quo, teste Pirro in Sicilia sacra tom. II, pag. 568, hæc verba legebantur:* Sacra Rituum Congregatio censuit concedendum, ut de S. Alberto Carmelita, ORIGINARIO MONTIS DREPANI, Mazarensis diœcesis, possit IN LOCO ORIGINIS tam per seculares quam regulares ejusdem loci recitari Officium. *Meminisse hic oportet, quod supra monuimus num. 10, Erycem, Montem Drepani, Drepanum Montis, et Montem S. Juliani unum idemque esse oppidum illud, quod in altissimo monte tribus tantummodo milliaribus Italicis Drepano seu Drepano Vallis, ut etiam appellatur, distat. Per hoc igitur decretum Drepanitani et sententiam suam convelli, et oppositam canonizari (nam hoc verbo sunt usi) existimantes, apud eamdem Congregationem institere, ut, illo rescisso, aliud sibi concederetur, quo et Sanctus idem pronuntiaretur originarius Drepani, et Officium, Erycinis datum, eodem prorsus modo extenderetur ad sese. At sacra Congregatio id absque matura partium discussione facere recusavit. Citati ergo utrimque ac missi Romam procuratores anno 1644, et suæ quisque partis momenta protulit, et opposita conatus est confutare. Quam vero diuturnalis hæc fuerit, tum quis ejus eventus, e subjecto S. Congregationis decreto, ad Mazarensem ecclesiam, cui Drepanum utrumque subest, directo, collige.*

Mazarien S. Alberti Natalium.

non videtur fuisse Drepanum,

26 Ea est devotio, qua universitates Montis S. Juliani, ac Drepani S. Albertum Carmelitam Confessorem prosequuntur, ut uterque populus suum originarium esse contendat. Unde universitas Drepani ægre ferens, S. Rit. Congreg. sub die VIII Augusti MDCXXXVII canonizasse S. Albertum originarium Montis S. Juliani, et Officium ejus de communi Confess. non Pontif. sub ritu duplici recitari, supplicavit pro revocatione ejusmodi decreti, et declarari præfatum Sanctum originarium Drepani, sibique concedi extensionem Officii eodem modo, quo fuit concessa Monti S. Juliani. Et S. Rit. Congreg. sub die XXI Julii MDCXLV, referente Eminentiss. Card. Montalto, et utraque parte plene informante, censuit, nihil aliud declarandum quoad originem Sancti; sed eam discutiendam esse in S. Rotæ auditorio. Ut vero ab unaquaque universitate prædicto Sancto debitus honor conferatur, ac patria et gentes tanto Patrono congaudere lætarique in Domino recte valeant, Officium concessum universitati Montis S. Juliani extendendum etiam ad universitatem Drepani, respondit: si Sanctissimo videbitur. Et Sanctitas Sua, cui fuit relata ab Eminentissimo D. Card. Præfecto resolutio, in consistorio secreto, habito ult. Julii MDCXLV, annuit.

A. Card. Capponius.

Locus Si ✠ gilli.

M. Gallius S. Rit. Congr. Secr.

sed Mons S. Juliani in Sicilia.

27 *Fueritne res illa deinde ulterius in S. Rotæ auditorio discussa, non comperi; nec meminerunt Erycinorum litteræ, sigillo publico et quatuor senatorum suorum, Salvatoris Zuppino, Caroli Palazzolo, Marii Scuderi, et Josephi Scalisi subscriptione munitæ, et ad nos una cum recitato jam decreto et instrumentis, quibus causam suam Romæ defenderant, perhumaniter destinatæ* die 2 Februarii anno 1662. *Silet etiam R. A. P. Daniel a Virgine Maria Speculi Carmelitani tomo secundo (qui prodiit anno 1680) pag. 643, ubi* de loco nativitatis S. Alberti *dissertationem instituit. Suspicio est igitur, eo, quem dixi, loco substitisse litigia, neque ex re Drepanensium suisse, ut amplius quidquam urgerent; quod satis innuere videtur Joannes Baptista de Lezana, tum Annalibus Romæ edendis occupatus, cum ibi disceptatio memorata ferveret acerrime: sic enim ad annum 1250, num. 12 de illa scribit:* Quamvis autem pro Drepanensi civitate non pauca nec levia subsistere videantur fundamenta, nec vellem ingratus apparere nonnullis ejusdem civitatis alumnis, qui de hoc re mecum locuti sunt; nihilo secius majori et fortiori fundamento niti autumamus eos, qui, non Drepani, sed in Monte Drepani natum esse S. Albertum contendunt. Id ostenditur in libello illo supplici S. Congregationi Rituum oblato. *Possemus inde nos argumenta eorum sigillatim omnia depromere; sed quia majoris id operæ, quam utilitatis apparet; tum quia Romanis Apostolicæ Cameræ typis anno Christi 1645 vulgata sunt satis, omittimus; candide profitentes interea, post Lezanam et alios, ea nobis firmiora videri, quam quæ a Drepanitanis prolata vidimus*

A *dimus hactenus. Et habent hi sane aliunde, quo citra controversiam glorientur : nam si Drepani negetur mundo natum fuisse* S. Albertum ; *ibi saltem Religioni natum esse nemo potest inficiari; cum ad ejusdem urbis territorium et olim pertinuerit et pertineat etiamnum nobilissimum Virginis Annuntiatæ cœnobium,* Alberti *nostri, ut patebit ex Actis, ad sanctiorem vitam nascentis incunabula.*

Dicitur Sanctus anno ætatis octavo Religionem ingressus;

28 *Et quoniam de hoc cœnobio mentionem hic facimus, quæri potest, certumne sit satis, quod passim auctores asserunt, ibi* S. Albertum *anno ætatis octavo Religiosum habitum suscepisse. Sane veterem utcunque opinionem hanc esse, diffiteri non possumus; cum ante finem seculi* XV *Arnoldo Bostio tribuatur in Speculo Carmelitano tom. I, part. 1, pag. 290, et eodem circiter tempore a Baptista Mantuano, viro undecunque celeberrimo, atque Ordinis Carmelitici aliquando magistro Generali, in Hymno de* S. Alberto, *qui in operum ejus editione Parisina anni 1513 legitur tom. I, fol. 248 et sequente, ubi sic habet:*

Cum Puer septem superasset annos,
More Baptistæ fugiens paternum
B Limen, ad sacram properavit almæ
Virginis ædem.

Hæc totidem verbis ad Ordinis ejusdem Breviarium Romæ approbatum translata recitantur ad primas Vesperas festi hodierni. Res eadem asseritur ibidem in secundo Nocturno Lect. 4. Eamdem innuit Surius hoc loco, cum ita notat in margine: Puerulus petit monasterium : *alia est enim ætas* pueruli, *alia* pueri. *Eamdem, ne plures recenseam, diserte tradit in Annalibus Ordinis Lezana ad annum Christi 1258 num. 5; unde dubitari vix potest, quin ubique jam fere recepta sit, ut historice certa. At nobis tantum abest ut talis appareat, ut potius nata videatur ex Actorum Sancti veterum non satis meditata lectione. Nimirum hæc apud Barbarum, Theodoricum de Aquis, et Surium, seu potius Polucium, referunt, rogatum fuisse Benedictum, ut* Albertum *filiolum suum puellæ genere regio clare desponderet; idque cum vix octavum ætatis annum ingressus esset. Tum subdunt, consultam super hac re a Benedicto conjugem fortissime restitisse. Deinde narrant, nullum exprimendo tempus, matrem* C *Filio revelasse votum, quo ante conceptionem Religioni ab utroque parente fuisset addictus. Denique subjungunt,* Albertum *hortatu matris ad cœnobium perrexisse semel incomitatum, ideoque non receptum; iterum deinde cum parentibus; ac tum demum inter Ordinis Carmelitani tirones perlibenter admissum fuisse. Hæc omnia, si perfunctorie percurrantur in Actis, pronum est inter se et cum anno ætatis Albertinæ octavo connectere; quia nullus in iisdem Actis annus alius expressis verbis interponitur, per quem disjungantur. Verum si tantillum attenderis, facile deprehendes, nequaquam esse conjuncta; sed annis etiam pluribus expetitam* Alberti *sponsionem, ab ingressu Religionis manifeste divelli.*

sed hoc vetustioribus ejus Actis repugnat,

29 *Nam primo, cum Acta narrant, Benedictum de Filii sponsione agentem cum conjuge, gravissimis ab ea rationibus absterritum fuisse, continuo hæc subjiciunt apud Barbarum :* Hæc vir audiens, obstupuit; nec amplius de hujusmodi re verbum est conduplicare ausus. *Apud Theodoricum :* Et amplius de hoc mentionem nullam fecit. *Apud Surium :* Nec ullam voluit ejus rei deinceps facere mentionem. *Hæc, ni fallor, non obscure spatium temporis aliquod indicant post rejectam a Joanna sponsionem effluxisse, quo deinceps*

AUCTORE P. B.

Benedictus de eadem uxori persuadenda potuisset facere mentionem, et quo proinde Albertus *domi liber apud parentes mansit : ridiculum enim fuisset mentionem de illa facere postquam Religiosum is habitum palam induisset. Non igitur hunc statim assumpsit Sanctus post propositam repulsamque sponsionem; neque adeo rem hanc utramque inter se Acta connectunt. Secundo, asserunt Acta, Sanctum a dæmone, mulieris formosissimæ speciem præferente,, ad Religionis propositum deserendum, adeundasque secum nuptias fuisse tentatum, idque in ipsis* exordiis pœnitentiæ *suæ, ut significat Barbarus; sive, ut habet Theodoricus,* in suæ nativitatis spiritualis initiis; *aut, uti Polucius,* in ipsis primis conversionis initiis. *Hæccine, obsecro, accommodari puero possunt, octo nondum annis nato? Non ergo Benedicto delatam sponsionem* Alberti *conjungi patiuntur Acta cum initiis conversionis ejus; sed hanc ab illa annis aliquot sejungunt; puta ad ætatem usque lubricam, ut expressis verbis notat Barbarus num. 5. Tertio denique, qui ad annum octavum ætatis* Alberti E *tirocinium referunt, fateri coguntur, vel publicam ejus ac solemnem professionem emissam fuisse anno ætatis ejus nono; quod absurdum est, et post annum Christi millesimum repugnat ecclesiasticæ disciplinæ, annum in masculis Religionem profitentibus saltem decimum quartum ætatis impletum exigenti; ut probat Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part. 1, lib. 3, cap. 55 : vel hoc, inquam, fateri coguntur (quod nemo somniavit hactenus;) vel tirocinium ejus ad annos plures extendere, cum Ægidio Leoindelicato in Paradiso (Italice Giardino) Carmelitano pag. 100 et 101, ac Philippo a Visitatione in Vita Sancti hujus Gallica, probationem ejus ab anno ætatis octavo usque ad octavum decimum prorogantibus; quod Actis veteribus, annum unicum ab ingressu ad professionem apud Barbarum, Theodoricum, ac Surium adstruentibus, apertissime refragatur. Restat igitur, ut Actis vetustioribus hoc loco renuntiet, qui juniorem sententiam, numero superiore propositam, pro vera certaque tueri velit. Atque hæc forte causa fuit R. P. M. Josepho Falconi, cur in Chronico Carmelitano editionis Italicæ anni 1595, pag. 541, relicta cæterorum* F *opinione,* S. Alberti *conversionem seu primum ad cœnobium accessum differendum censuerit usque ad annum ætatis ejus decimum octavum : in quo propius abesse videtur a vero; quanquam difficile est annum certum determinare.*

§ V. Liberatio Messanæ, iter in Palæstinam discussum, Provincialatus ejus, annus mortis, et scripta.

Messanam fame liberavit

Inter clarissima S. Alberti *gesta merito censetur, quod Messanam aliquando Roberti, Calabriæ ducis, obsidione pressam, diraque simul exhaustam inedia, per impetratum divinitus annonæ subsidium ita recreaverit, ut ejus tandem acquirendæ spem hostis abjiceret. Quæritur hic potissimum, quo tempore id acciderit : interest enim hoc accuratissime definire, ne postmodum in obitus anno disquirendo evagemur. Acta vetera Barbari, Theodorici, Polucii in eo consonant, quod rem hanc evenisse testentur post inauguratum in*

AUCTORE P. B.

urbe Panormitana Fridericum Aragonium Siciliæ regem, hoc est post VII *Kalendas Apriles anni 1296, ut explicat ibidem Barbarus, et confirmat, apud Petrum de Marca in Limite Hispanico, ipsius hujus Friderici legatus olim, Nicolaus Specialis, Rerum Sicularum lib. 3, cap. 1; ut Fazellum prætercam aliosque recentiores. Hoc ariete pulsa corruat necesse est eorum opinio, qui* Albertum *non solum hoc fecisse multo citius volunt; sed etiam anno 1292 ad Superos evolasse. At enim quanto hæc Messanensium liberatio inauguratione Friderici posterior fuit? Respondet primo solus Barbarus :* Non post temporis seri circulum : *quæ quidem phrasis ultra pauculos annos non videtur extendi posse. Respondet secundo idem cum Theodorico ac Polucio, id contigisse, Messanam obsidente Roberto, rege Neapolitano. Atqui Robertus ex historia Sicula nunquam scitur infesto exercitu cinxisse, nedum ad extremam famem redegisse Messanenses, præterquam anno Christi 1301, quo id illum fecisse narrant Specialis lib. 6, cap. 1 et sequentibus; Fazellus decadis posterioris lib. 9, Buonfiglius part. 1, lib. 9.* B *Non est igitur, quod hic annus alius inquiratur.*

anno 1301 :

31 *Verum enim, inquis, anno 1301 Robertus Dux tantum erat Calabriæ, non* rex Neapolitanus, *ut Acta referunt. Respondeo 1, titulum* regis *hoc loco non adhiberi pro nota temporis (cum hoc præcedentibus ibidem characteribus designet auctor;) sed pro nota dignitatis, in qua non omnino peregrinus videri potest usus prolepsios; qui tamen si displicet, dic sane, per me licet, Biographum Siculum non satis habuisse perspecta Roberti Neapolitani regis primordia, quæ certum est ad annum Christi 1309 pertinere. Unde respondeo 2, si per titulum* regis Neapolitani *characterem temporis denotare voluerit auctor noster, ipsum sibi aperte reluctari : cum inter annum 1296 et 1309 vel sequentes plus intersit spatii, quam ferant hæc ejus verba,* Non post temporis seri circulum. *Respondeo 3, Auctore nostro seniorem fuisse Nicolaum Specialem; hunc autem res per hæc tempora Siculas minutatim persequi; neque tamen ullam aliam commemorare Messanensium obsidionem ac famem sub Roberto seu Duce, seu* C *rege, præter eam, quam diximus anno 1301 contigisse. Respondeo denique 4, usque ad Roberti regis inaugurationem nequaquam superfuisse* S. Albertum; *ut infra demonstrabitur : adeoque vel explicandum hic esse Biographum ejus primigenium modo jam proposito, vel necessario corrigendum. Neque dicas, in obsidione Messanensi anni 1301 apud laudatos rerum Sicularum scriptores verbum de tam prodigioso* S. Alberti *subsidio nullum fieri : nam neque alibi sive de hoc, sive de aliis ejus miraculis in historica serie meminerunt; cum tamen Fazellus decad. 1, lib. 7, cap. 3* virum *ipsum appellet* miraculis præclarum; *idemque fateatur Buonfiglius in Compendio chronico part. 1, lib. 1, pag. 59; ubi et de sublevata per eum quoquo modo Messanensium inedia memorata non silet; quantumvis exinde sileat per decursum historiæ. Nimirum illi prodigia divina, tanquam profanis historiis minus consentanea, hagiographis consectanda reliquere; quibus proinde silentio suo nequaquam officere voluerunt.*

non videtur umquam fuisse

32 *Alia quæstio est, tametsi nunquam hactenus agitata, quod sciam; fueritne videlicet Sanctus noster in Terram Sanctam aliquando peregrinatus. Asserunt recentiores plerique ex duobus Actorum exemplaribus, altero Theodoriciano, quod num. 2193 sic habet :* Anno Domini MCCLXXXV cum esset Vir Dei in Terra Sancta, erat quidam Judæus, D qui tenebatur morbo epileptico *etc., altero Poluciano apud Surium cap. 12; ubi legitur :* Anno Domini MCCXCV Vir Dei erat in Terra Sancta; ubi Judæus quidam crebro vexabatur morbo comitiali *etc. At nobis locus iste suspectus, imo corruptus videtur ab imperito librario, qui in prototypo suo legerit* in terra Sacca, *putaritque scribendum* in Terra Sancta. *Est autem* terra Sacca, *idem quod oppidum* Sacca; *ut patet ex Nicolao Speciali lib. 6, cap. 9, cui hunc titulum facit :* De eversione castri ad mare de Gulfo, et obsidione terræ Saccæ, *id est oppidi Saccensis, quod in littore Siciliæ meridionali Drepanum inter et Agrigentum fere medium interjacet. Hæc interpolatio incurret in oculos, si præcedentia sequentiaque consideraveris : nam apud Theodoricum num. 2192 Sanctus Drepani sistitur; mox num. 2193, absque ulla descriptione itineris, tribus his tantum voculis,* in Terra Sancta; *tum num. 2194, sine ulla mentione reditus e Terra Sancta, proficisci dicitur* eodem anno versus civitatem Agrigentinam: *quasi vero Drepanum, Terra Sancta,* E *et Agrigentum in eodem circiter terrarum tractu sita essent, et æque commode possent adiri, neque adeo notatu satis digna videretur ex uno locorum illorum ad alterum profectio reditusve. Aliter profecto, quoties occurrunt in Actis nostris, exornari solent et extolli Sanctorum ad Palæstinæ sacraria perigrinationes. Non igitur de* Terra Sancta *hic egisse censendus est auctor primigenius.*

in Palæstina.

33 *Et sane animadvertisse videntur aliqui, nimis hoc loco perfunctoriam jejunamque, ne dicam importunam, esse mentionem Terræ Sanctæ, quam ut sincera posset apparere. Hinc eam Saracenus in Menologio Carmelitarum pag. 304 et sequente pluribus episodiis adornandam existimarit; qua parte nequaquam ei cedere voluit Philippus a Visitatione in Vita Gallica § 10. Laudo equidem industriam; sed fidem dictorum et vetera monumenta requiro; quæ cum ab iis ibi nulla proferantur, facere non possum, quin male interpolatum fuisse hoc loco exemplaris primigenii textum, et* terræ Saccæ Terram Sanctam *suppositam* F *suspicer. Confirmat vero hanc suspicionem non solum quod de Terra Sancta neque e codice Vaticano quidquam citatur, neque verbum ullum occurrit apud Mantuanum sive in Fastis ad hunc diem, sive in Hymno de* S. Alberto; *neque apud Joannem Grossum, aut Palæonydorum; neque in ullo ejusdem Officio proprio : sed vel maxime, quod unicum illud factum, quod Polucius ac Theodoricus in Terra Sancta contigisse scribunt, Barbarus ex antiquissimo omnium exemplari num. 13 diserte cum adjunctis omnibus accidisse narrat in oppido Sacca. Hunc autem cum sequantur Falco in Chronico Carmelitano, Leoindelicatus in Paradiso, Caietanus in Vita Sancti, qui sine dubio saltem Polucianum in opere Suriano omnes viderant, vitiatum hic Polucii textum nobiscum evidenter agnoscunt. Quod vero statuit Philippus a Visitatione, rem prorsus eamdem bis accidisse, et primo quidem Saccæ § 9, num. 4 et 5; deinde iterum prope Jordanem in Terra Sancta § 10, num. 2, ne refutatione quidem opus habet; uti neque, quod ait Didacus de Coria in suo Dilucidario Hispanico antiquitatum Ordinis Carmelitici lib. 10, cap. 17,* Saccam oppidum esse in Terra Sancta.

34 *Affirmat Pirrus Siciliæ sacræ tom. II, pag. 594,* S. Albertum *in cœnobio Drepanitano, totius*

præfuit cœnobio Panormitano; dein Provinciæ Siculæ usque ad obitum,

A *tius insulæ nobilissimo, Prioris onus aliquando sustinuisse; quod quamvis Acta non referant, credi tamen facile potest; cum fere ad provinciam gubernandam nemo quisquam admoveri soleat, qui non ante in administratione unius pluriumve monasteriorum quædam industriæ ad regendum idoneæ specimina dederit. Provinciæ autem universæ, quæ tum per Apuliam Siciliamque extendebatur,* Albertum *olim præfuisse, tametsi tacet Barbarus, omnino certum videtur; cum id certatim asserant Actorum exemplaria reliqua; ut Theodoricianum num. 2197 et sequente, Vaticanum apud Lezanam tom. IV, pag. 400, Polucianum apud Surium cap. 14 et 15; quibus adde præ cæteris, qui id ex officio nosse potuit optime, Joannem Grossum, ejusdem Ordinis ab anno Christi 1411 usque ad 1430 magistrum Generalem, in elogio* S. Alberti, *quod exhibetur in Speculo Carmelitano tom. I, part. 2, pag. 139, num. 601. Itaque Caietanus noster hoc adeo exploratum esse censuit, ut Vitæ Barbarianæ, quasi* B *per solam auctoris aut interpretis incogitantiam prætermissum, aliunde inseruerit; quod nos ad Appendicem potius rejiciemus, ne, quod ipsius non est, ipsi tribuisse; et quod alioqui verum est, neglexisse videamur. Quot autem annis hoc munere sit functus, nullo satis indicio definitum invenimus: nisi quod in codice Vaticano apud Lezanam supra, et Saracenum pag. 306, in eo perseverasse dicitur usque ad obitum; qui quem in annum inciderit, nunc indagandum est.*

quem defigendum putamus

35 *Quanta fuerit auctorum in hujus obitus anno consignando varietas, observat P. Daniel a Virgine Maria in Speculo Carmelitano tom. II, part. 2, num. 2230. Sed errasse imprimis omnes, quotquot illum ante annum Christi 1301 decessisse putarunt, ex modo dictis num. 30 et sequente manifestum est. Non vixisse autem eum usque ad annum Christi 1309, constat ex testimonio multo antiquiore, quam sint Acta nostra, quod inter alia productum ab Erycinis fuit et Sacræ Rituum Congregationi in causa, de qua diximus num. 25, propositum; unde ad Lezanam devenit ad annum Christi 1250, num. 12, qui ait, illud fuisse* Carmelitarum duorum, quorum unus erat Provincialis provinciæ *(puta Siciliæ,)* alter vero cancella- C rius Conventus supradicti sanctissimæ Annuntiatæ Drepani, testantium, vidisse, legisse, et transcripsisse quamdam scripturam antiquissimam, scriptam a quodam Fratre Carmelita Drepanensi, Patre Sebastiano Spinolo anno MDXXI, et ab eo extractam de verbo ad verbum ab alia antiquiori usque a tempore prope mortem Sancti, nempe MCCCIX: in qua scriptura habetur plena relatio, quo pacto reliquiæ S. Alberti, quæ nunc in Conventu sanctissimæ Annuntiatæ Drepani asservantur, eo translatæ fuerint a civitate Messanæ; nempe ex industria Patris magistri Cataldi de Anselmo, Provincialis Carmelitarum, electi anno MCCCIX, et oriundi civitatis Montis supradicti, ad effectum eas transferendi in civitatem Montis *(Erycini scilicet,)* propriam suam, et Sancti patriam. *Hoc igitur tam vetere probatoque monumento subruatur necesse est non solum Maurolyci et Buonfiglii opinio, qua mortem Sancti hujus affixere anno Christi 1322, sed omnium omnino, qui illam anno 1309 posteriorem arbitrantur.*

anno Christi 1306,

36 *Ad annos ergo redacti, qui a 1301 ad 1309 fluxere, quem potissimum deligemus? Placuit Lezanæ et pluribus aliis millesimus trecentesimus septimus; et gravi nititur auctoritate Vincentii Barbari, seu potius antiquissimi, quod interpretatus is fuit, Actorum exemplaris. Itaque neque nos de alio inquirendo cogitaremus, nisi et annus ille litteris tantum arithmeticis, errori perquam obnoxiis, a Barbaro notatus esset, et aperte pugnaret cum vetusto codice Vaticano. Codex enim iste præ cæteris, qui Sanctum omnes exspirasse consentiunt* septimo Idus Sextiles, *hoc est, die septima mensis Augusti, id insuper accidisse observat (apud Lezanam ad annum 1307, num. 4)* circa horam vespertinam Dominicæ diei. *Atqui ab anno Christi 1301 usque ad 1316 nunquam dies Dominica incidit in diem septimam Augusti, præterquam anno Christi millesimo trecentesimo sexto: videtur ergo omnino hic annus, et non alius,* S. Alberto *fuisse supremus; atque adeo a Barbaro, vel ejus typographo, perperam notatus fuisse unius litteræ adjectione annus* MCCCVII *pro* MCCCVI; *qui quidem error in editionem illam facilius credi potest irrepere potuisse temere, quam in codicem Vaticanum hæc verba,* circa horam vespertinam Dominicæ diei; *cum in eadem* E *editione alius haud absimilis observari possit, quo videlicet fol. 28 libellus impressus legitur* anno MDXXXVII, *cum ex fol. 3 et 4 colligatur, impressus fuisse* MDXXXVI.

AUCTORE P. B.

quidquid opponat Caietanus.

37 *Quædam hic objici possunt ex Animadversionibus Caietani, num. 16; ac duo quidem præcipue capita, quæ huc rediguntur: primum: Sanctus in Actis in morbum extremum incidisse narratur, imo et obiisse in media suorum corona extra urbem Messanensem. At nulla Carmelitis Patribus extra illam habitatio fuit post annum Christi circiter 1290, quando suburbano cœnobio funditus injuria bellorum everso, intra urbem commigrare coacti sunt; ut ibidem ex Apostolicis diplomatis comprobatur. Videtur ergo ante annum 1290 ex hac vita sublatus. Respondeo, in Actis dici quidem, Sanctum extra urbem decubuisse, imo et vivendi, quantum apparet; fecisse finem, et quidem circumfusis Fratribus; sed non in cœnobio tum integre subsistente; verum* in quodam tugurio, *ut est apud Theodoricum; ad quod nimirum quietis ipsum amor, et humanæ laudis ac frequentiæ fuga compulerant; quod quidem tugurium cum Barbarus appellet* Religionis locum extra civitatem positum, *satis verisimile est perti-* F *nuisse ad fundum suburbani cœnobii veteris, in quo forte quidam adhuc Fratres ad culturam commorabantur, cæteris pridem intra urbem receptis: nam intra urbem,* Alberto *moriente. Carmelitas habitasse prope castrum, nec procul ab æde cathedrali, ex eo liquet, quod ibi secundum Acta primo sepultus fuerit in Ordinis sui ecclesia; indeque, hac paulo post violata profanataque, translatus ad novum ejusdem Ordinis in urbe monasterium prope Stationem Genuensium et Pontem Leonis, quod etiamnum perseverat. Neutiquam igitur nobis incommodat objectio prima. Altera huc redit: certum est, obiisse Sanctum, antequam Carmelitæ Messanenses e cœnobio ecclesiæ cathedrali propinquo migrarint ad Pontem Leonis. Atqui ex litteris Benedicti PP. IX a Caietano ibidem recitatis colligi potest, eos commigrasse anno Christi 1304. Non vixit igitur* S. Albertus *usque ad annum 1306. Respondeo, litteras illas Benedicti PP. datas quidem fuisse* XIV *Kalendas Junias anni 1304, per easque confirmari donationem fundi Patribus Carmelitanis ad novum cœnobium loco jam dicto inædificandum oblati, et eo transferendi domicilii facultatem concedi. At inde nequaquam sequitur, ut anno illo migraverint: nam exstruendum antea monasterium fuit, quam in illud se possent*

AUCTORE P. B.

possent recipere : ad hoc autem annis facile tribus opus erat. Neque hoc igitur argumentum quidquam officit sententiæ nostræ.

Sancti scripta. 38 *Superest modo, ut Acta subjiciamus. Quia tamen nihil illa de Sancti scriptis memorant, operæ pretium hic fuerit observare tantisper,* Albertum *hunc nostrum inter illustres Ordinis sui scriptores a pluribus recenseri; e quibus ita Trithemius in libello de Viris illustribus Ordinis Carmelitarum :* Albertus de Trapano, Prior Siciliæ Provincialis, vir in divinis scripturis studiosus atque doctissimus, vita quoque et conversatione devotus, miraculisque adhuc vivus coruscans, multa utilia pro ædificatione Fratrum scripsisse dicitur; quæ tamen ad manus nostras non venerunt. *Inter hæc in Bibliotheca Sicula tom. I, pag. 12 Antoninus Mongitor sequentia recensel opuscula, 1* de Piis moribus, *2* de Timore Dei, *3* de Amore fraterno, *4* de Patientia, *5* de Mundi contemptu, *6* de Fallaciis diaboli, *7* Homilias ad populum. *Horum vero quid adhuc, aut ubi supersit, nondum didicimus.* B

ACTA

Auctore anonymo, interprete Vincentio Barbaro, ex hujus prima editione Panormitana anni MDXXXVI.

CAPUT I.

S. Alberti natales, educatio, vocatio ad Religionem et sacerdotium, austera vita, efficacissimæ apud Deum preces.

C

Sancti patria, parentes, prodigiosa conceptio, a b c

Vetustis sane temporibus Petri, serenissimi regi Hispaniæ citerioris, et Siciliæ *a*, vir fuit, nomine Benedictus, ex Abbatum familia *b*, natalium claritate præpollens, Eryce *c*, montano oppido Siciliæ prope Drepanum, oriundus : qui demum Joannæ, feminæ inter primarias cognomento Palitiorum, desponsatur. Itaque satis innocenter una et leni affectu in ea maritali consuetudine viventes, spatio annorum circiter viginti sex steriles prorsus et infructuosi permanserunt. Demum mentis aditu penitiore perquirentes, qui prolem, senectutis fulcimen, sortiri potuissent, votis suppliciter fusis, Dei Genitricem usque rogare non destiterunt, eamque, mutuo voventes, se partum perpetuæ Religioni mancipaturos, non sine jejuniis eleemosynarumque exhibitionibus, preces et vota præeuntibus, exorant. Quo facto, non multo post tempore Joanna se viro gravidam cœpit non dubitanter suspicari. Interim Benedictus, quasi cœlesti promotus * arbitrio, qua hora eum somnus defecerat, in quietis imagine, cereum fulgore luminosum conjugem enixam somniavit. Istud idem diluculo, dum nox occideret, vix etiam quiete detentam uxorem vidisse, aiunt *d*. Post abruptam vero quietem, mutuo congressu uterque utrique rem aperit. D Ambo suspensi demirantur; mox sacrum vereque divinum mysterium profitentur, ac inde ex animis congratulantur. Tunc debiti Joanna memor, genibus innititur, supplicique animo Deo optimo maximo gratulatur. Et, ecce, non desunt jam dudum conceptæ prolis indicia, cui ob naturalem ætatem abnegari posse videbatur. Sic viro suo gratiæ fructum et benedictionis a Domino se suscepisse ait, idque et liquido et constantissime asserens; et Deo perculsa, Hic, inquit, Filius magnus erit, nequaquam cœlestium participationi subtractus, si visa hæc vera sunt. Et excipiens Benedictus, uberem quoque gratiarum actionem Altissimo retulit.

* *f.* permotus

primæ ætatis dotes eximiæ, rejecta sponsalia regia, e

2 Ineunte vero partus plenitudine, dolore comprimitur; nec mora, puerum peperit. Qui postmodum lustratus et formula sacri Baptismatis investitus, regeneratus est, indito nomine Alberto divinæ providentiæ nutu; quandoquidem illud antea nomen in provincia fuisset inauditum *e*. Puer factus, liberalium artium disciplinæ traditur erudiendus; E et Spiritus Sancti gratia præeunte firmatus, insigniter eruditur, moribusque cumulatissime decoratur. Illum itaque gaudibundi parentes summopere diligunt, cunctisque propter egregiam indolem et charus et gratiosus est, mansuetudine ac lenitate clarus usque adeo, ut, vix eo octavum annum agente, Benedictus a viro inter amplissimos regii generis de Filii sponsione, quo ad regiam aliquando dignitatem aspiraret *f*, fuerit interpellatus. Denique persuasus et molliter victus precibus, uxori rem indicat, eam unanimem sibi fore, promittens. At illa, Miror, inquit, mi vir, prudentiam tuam, qui tam fluxis labilibusque rebus seduceris, qui regnum inhias non perpetuum, sed cito defecturum. Omitte inanem gloriam, et istas mundi decipulas. Numquid oblitus es, cedo, Creatoris tui, a quo summum beneficium exorasti? Et quo pacto tuis sane votis respondebis? Cui te rei libere oblaqueasti, hac ipsa te liberare non potes. Quo transversus elatione raperis? Quin expedit nobis Christo pariter, et Genitrici debitum persolvere. Hæc vir audiens, obstupuit, nec amplius de hujusmodi re verbum est conduplicare ausus. F

ingressus in Religionem impeditus primo, g

3 Inspecta denique temporis opportunitate, mater ad se Filium vocari jussit; cui properiter assistenti cunctam de ejus conceptione et voti ligamine *g* seriem retexit. Verum Puer verborum ambitum satis religiosum metitus *, humiliter inquit : Mater, ego libertatem non habeo sub salutari jugo patris constitutus; tamen quid vis maxime faciam? Mundone deservire et me temporalibus immiscere; an Christum colere, eidemque in sacræ Religionis obsequio castum exhibere sacrificium, ut in æternum vivam? Nam sic me voto obligastis. At contra mater, Fili charissime, inquit, votiva ligamenta hæc abolere non studeo. Quin te propensius oro, promissa solvamus : est enim in Deo servitus, regnum perpetuo salutare. Ad hæc rursum Puer : Recte, mater, admones : quæ vis, omnia quam citissime fiant, curabo. Interea loci pater se domum recipit : prandium petit; mensæque mitis adsedit : et Puer hæc coram parentibus clare ac animo promptissimus incipit : Non edam hodie quidquam aut bibam, donec mihi cum benedictione salutem fueritis imprecati. Tunc utrique parentes promoti * benevolentia, faustam adeo benedictionem et salutare iter in Filium corrogant, ipsique bene precantur. Qui, exorata benedictione, ædibus facessit, Carmeli

* *pro* mensus

* *f.* permoti

A meli Ordinis Religionem ingressurus; cujus et opulentum fanum et celebre non plusquam duo millia passuum Drepano distat, plus tamen ad radices Erycis vergens: quod ille ingressus, mox et accersito ædis præposito, quem Priorem nominant, cultum sanctæ Religionis efflagitat. Sed ille Pueri propositum infirmum ratus, primum recusavit, deinde patri reducendum curavit.

at mox, Deipara interveniente, concessus,

4 Vespera consequente Benedictus somno concedit: et, ecce, ad multam noctem Regina cœli, fida generis humani sospitatrix, adstare visa, illumque sic furore percita ac minanti similis increpare: Cur, age, debitum naviter non persolvis? Cur aliena retines? Cur tam votivas pollicitationes moraris? Iste tuus Albertus, quo maxime gloriaris, tuo de sanguine tibi natus est; sed mihi identidem meoque non dissolubiliter servitio nuncupatus. Si mihi meum Servum non reddideris, scias, extremo te funere mortuum confestim ac turpiter efferendum. Sed ille commodum terrore perculsus, excitatur; modumque visionis ordine cum uxore citissime confert. Ambo votum ratum faciunt; et, discussa nocte, cum Filio B una iter ingressi, reverenter Carmelitanam versus ædem contendunt; ædi proximant, et convocato Religiosorum collegio Benedictus somnium præteritæ noctis ordine remetitur. Cui sponte supplices et orantes utrique, Filium obtulere, Religione et Marialibus sacris initiandum. Proximante vero die, quo esset Albertus sacrosanctæ Religioni mancipandus *h*, universi Primates convocantur, et ingenti frequentia constipati, in ædem conveniunt; ubi coram, solemnibus peractis cerimoniis, Albertus habitu Religioso decoratur; vestimenta vero secularia, quæ deposuerat, ipsemet pauperibus, vitam inde mirabilis sanctitatis aggrediens, erogavit.

ibi statim victa tentatio diabolica, * *f.* jam in

5 Sed diabolus, quod a primordiali suæ damnationis initio hominum generi æmulatur, pestilenti versutia stabilitus mortis specimen, Alberto jam jam * ætatis lubrico versanti laqueos orditur, summoque eum studio proposuit a tanto perfectionis gradu deturbare, ejusque exordia pœnitentiæ penitus rescindere. Itaque se in habitum formosissimæ feminæ convertit, et oris extremam pietatem mentitus et gemitum, ubi Dei Servo proximavit, sic fari cœpit: Miseram me! Quid C faciam; cum ipsa tui amoris incendio depeream? Quo me, tuis nuptiis viduata, convertam, cujus amplexus diu charissimos concupivi? Ne (te precor) Juvenis, me genere primariam et ætate floridam, vultuque formosam, et divitem deserere patiaris. Ad patrem revertere; mundo deservias; resipisce: non enim licet te isto in habitu perseverare, quem diu ferre non poteris. Meis, agedum, bonis perfruare, in quibus pars tutior est felicitatis collocata: nam et ipsa illud esse bonum, quod nocet habenti, non arbitror. Si igitur in ista labe permanseris; si ita acerbe ac duriter vixeris; nonne te, obsecro, pedes vel fœdi pulices cruciabunt? Hic nimirum debilis animo et natura prospiceris, dum te maritali isti jugo abrogas. Quare, juvenum pulcherrime, quem solum præ cæteris amandum delegi, ne me istis tantis in malis desere; miserere, quæ tua causa conflictatur. Tunc Albertus subdoli *spiritus palliata* machinamenta suspicatus, Abi, inquit, satan, quo te superbiæ peccatum dejecit; linque me: te enim, non, ut mentiris, hominis simulacrum, sed inventorem mortis et scelerum caput intuendo comperio. Quo dicto, protinus vitiorum persuasor evanuit.

Ex impressis. Vinc. Barbari. professio Religiosa, austeritas vitæ studium sacrum,

6 Remenso cœli circulo sol annum compleverat, cum, fusis precibus, vir Dei Albertus, et humilitate præambula, sacris initiatur, quæ prius a primo Religionis ingressu menti reposuerat. Cæterum in pressione carnis tantæ fuit austeritatis, tam perseverantis pœnitentiæ; ut hujus reddatur in exemplis longe præstans commemoratio: namque duro cilicio feriis (ut aiunt) secundis, quartis, ac sextis, jugi se macerando jejunio, corpus suum identidem retorquebat; sextis vero pane, absinthio mixto, tantum vescebatur, stratoque vitigineo solitus incubare, lanaque vilissima nudus operiri, forinsecus item crassis indui laciniis. Fuit in vita semper abstemius; ne aliquibus forte, ob meri jucunditatem, luxuriæ motibus captari potuisset. Præterea catenarum flagellis nocturnas orationes concinnando, Deum propitiabat. Otia detestabiliter admodum a se virtutis inimica promovit, rebus divinis frequenter intentus, quarum inexplicabili voluptate destinebatur, veritus ne aliquando cessantem satan suis invidiæ retinaculis complicaret. In castimonia continue præfulsit, et omni nota turpitudinis abstinens. Obedientiæ integriter obsecutus est, et E ultroneam paupertatem complexus. Qui mox misericordia pollens, et humilitate decorus, cuncta gratis accepta, gratiæ cœlestis alimentum, fratribus impertitur. Hinc ob insignem vitæ rectitudinem et speciosam morum claritatem divina sapientia fultus, sacrarum Litterarum disciplinas adfabre percaluit; sed cœlestium contemplationis amore mirifice tenebatur. Sæpe ethnicos et catechumenos fulminantibus verborum disseminationibus ad Christianam fidem convertit.

distributio temporis, promotio ad sacerdotium, elusio dæmonis,

7 Utque se in actione virtutum commodius excolere potuisset, modum rebus sapienter adhibuit, citra quem nihil unquam esse potuit diuturnum: nam diem sibi naturalem dividendo, propositum in serum studium prodidit. A prima hora noctis ad usque tertiam orare solitus; exin quiete parum modica recreatus, ut naturæ munus exquirit, ad idem studiosius hora postera reverti; idem matutino consurgere, Deo precibus supplicare, lacrymas fundere, atque demum plecti; oriente autem aurora, ad rei divinæ oblationem et Sacrificii ministerium contendere: his finitis, ex studio pietatis a frequentia subtrahebatur; sic a Tertiis ad F Officium usque vespertinum corpore aliquid operari; mox horariis precibus peractis, ad pristinam pœnitentiæ mensuram revertebatur. Itaque tanta fuit pœnitentia salutari, ut meruerit merito tot miraculorum titulis illustrari. Et quod ad humilitatem pertinet, ad sacerdotium adeo iniquo animo ferens, adeo invitus ascitus est, ut in hæc non exerte minus quam pie Sanctissimus prorupisset: Numquid indignum decet me tantum Sacramentum populo ministrare, cum ad divini cultus honorem aptum me minus inspiciam? Sacerdotio tamen initiatus, Messanam præsulis imperio delegatur: ibi Sancti Spiritus gratia refusus, ac divina cooperante providentia, multiplicia genera miraculorum exhibuit: nam die quodam Dominico, fere nocte intempesta, dum prope ædis aram cernuus orando dulcedinem orationis hauriret, atque ante ipsum, veluti ejus præsentia gestiret, luminoso satis igniculo lampas emicaret, ecce, diabolus, invidiæ radix, assistit, cupiens Sanctum ab re bene gesta prævertere; eoque Psalmographi versiculum legente, « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me, » commodum vi lampas illa devolvitur; quam Deus devolutam a diminutione et luminis

Ex impressis. Vinc. Barbari.

minis oppressione tutam reservavit *i*.

i deprecatio famis extremæ,

8 Imperii summam gerente Jacobo, rege Hispaniæ citerioris et Siciliæ, qui Ferdinando * fratri majori natu successerat, sub recuperati orbis anno MCCXC, Dux Fridericus adhuc puer ex Petri regis parentis cera * ultima, fraternoque ductu Siciliæ dominabatur; qui postea sextum jam ingressus annum septimo Calendas Apriles, et Panhormi rex designatus, ad coronæ fastigium evectus est; non post temporis seri circulum *k*, Robertus, rex Neapolitanus, ingenti classe Messanam petit; eo namque * animo, ut victor de tota provincia triumpharet: exercitum mœnibus admovet, quibus supremum exitium minabatur, castrisque ibi longe lateque munitis, copias circumagit: quibus urbem circumsidentibus, valida fames invaluit; ita tamen, ut hominum præsidia obsessi desperarent. Turbida facta sunt consilia civium, tametsi ad id publico edicto regio ventum erat, ut prius ignibus populata urbe, ad castra socialia Cathinam * versus omnes concurrerent, quam deditione facta, turpiter hostis ea

* imo Alfonso
* i. e. testamento
k
* f. nempe
* i. e. Catanam

B potiretur: ad quod comitiatus populares, magistratuumque conventus et optimatum collacrymantium subscitantur; qui præstare in Deo adminiculum, quam in terrenis principibus, asseveranter reposuisse prædicerent. Nonne Deus est, inquiunt, qui ad se cuncta deferentes a spe non frustratur? Eamus, obsecro, ocyus, et servum Dei Albertum inquiramus, cujus oratione fusa Deo suppliciter liberemur. Id idem ex populo multi repetiverunt: Eamus: ne propter flagitia miseri in humanis esse desinamus. Quam monitionem æque omnes secuti, Albertum conveniunt (nec rei divinæ solemnia adhuc desierant celebrari) et rei sic necessitatem indicant: Sub tuum præsidium confugimus, Serve Dei, fame depereuntes; precatione tua Deum nobis propitiare *; ejus tam beneficæ Matris in nos affectionem converte: dexteram porrige salutarem, nec istis casibus delictorum meritum nos reportare patiaris.

* pro propitia

9 His acceptis supplicationibus, Albertus Deo Sacrificium obtulit; et cœpit in oblatione lacrymatus, mox genua submittens, adprecari: Rex regum, maxime Deus et communis omnium Pater, qui nullorum es hominum saluti unquam otiosus,

qua Messana premebatur obsessa,

C si de tua misericordia non diffidunt; respice de summo cœli populum tuum, tuamque large misericordiam superinfunde; pasce qui nunc esuriunt, qui tantum in deserto populum educasti; tuæ potentiæ brachium protende felicissimum; obfirma urbem timore quassatam; exanimatam tutare, quæ citra operam tuam alioquin salva esse non potest. Non in multiplicato numero fretis, sed in indicibili tuo tantum nomine sit sperandum. Assiste morituris, ne satan sævus hostis sit de tot animarum tuarum perditione triumphator. Cujus dicti finem tonitruum est absonum insecutum, acceptæ precationis indicium, de quo vox item visa est audiri, quæ Dei clementiam exorabilem denuntiaret. Inde cuncti pariter et gaudere cum gratiarum actione et admirari cœperunt. Tunc se ad portum triremes onerariæ numero quatuor * adplicant: earum adventus ignoratur; uberes tamen littori commeatus exponunt; quibus ordine expositis, ignoratæ *l* retrocessere. Messenii * vero sunt rei novitatem admirati, quod late obsessus classe maritima portus tenebatur. Hoc cum audisset Fridericus rex, equestri comitatu frequens, Dei Virum adproperavit, atque illi, quoad potuit, dexteram exosculatus, gratiam retulit, quod effundere Deo precationem non fuerit pro

* Theod. et Poluc. tres
l
* i. e. Messanenses

D populo dedignatus, et, exorata venia, captivitatis liberationem illi, ejectis hostibus, præstare. Sic mira ejus stabiliti sanctimonia cuncti remansere; nec urbs unquam debellari potuit.

ANNOTATA.

a *Hunc temporis characterem rejecimus in Commentario prævio a numero 22.*

b Ex Abbatum familia. *Theodoricus addit, et recte:* Quæ est una de primis regni Siciliæ familiis. *Surius pro* Abbatum *vel* de Abbatibus *male scripsit,* Adalbatibas.

c *De* Eryce *vide dicta in Commentario num. 25. Theodoricus et Polucius hic solam Sancti matris patriam notant, et quidem eumdem Erycem seu montem Drepani.*

d *Joannes Grossus in Speculo Carmel. tom. I, part. 1, num. 601 ait, eos vidisse* filium suum Albertum in habitu sanctæ Religionis Carmelitanæ, et faculam ardentem in manu sua tenentem. *Aliam insuper visionem eorum refert Philippus a Visitatione in Vita Gallica § 1. Sed auctori nostro consonant hoc loco Theodoricus ac Polucius.* E

e *Hinc forte nominis* Alberti *etymologia auctoribus Actorum ejus Siculis, in exemplaribus Theodoriciano et Vaticano, tam ignota fuit; ut in Prologo suo derivatum illud inepte putarint a nominibus Hebraicis* Alab, quod est lacteus vel dulcedo; et Her, quod est fons; et *a nomine Latino* Thus, quod est incensum: *cum origo hujus nominis aperte Germanica sit, significetque hominem* nobilitate dignum, *vel* omnibus, *seu* ubique carum, *ac* dignum; *ut ostendit Schottelius de Lingua Germanica lib. 5, tractatu 2, pag. 1039. Consonat, quod mox sequetur hoc numero,* cunctisque et charus et gratiosus est.

f *Quod hic de regia dignitate dicitur, omittit Caietanus; sed consentiunt Actorum exemplaria vetustissima. Philippus a Visitatione loco citato ait, Jacobum I Aragoniæ regem desponsationem hanc expetiisse filiæ suæ Eleonoræ. Perperam: nam obiit Jacobus I anno 1276, cum nulla tum unquam fuisset inter Aragones Siculosque communicatio, quæ,* Alberto *jam senescente, primum cœpit anno Christi 1282, quo Petrus III Aragonum rex Siciliam primus occupavit.* F

g *De obligatione eorum, qui nondum compotes rationis, Religioni a parentibus per votum addicebantur olim, pro varia temporum locorumque disciplina, disserit erudite Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part. 1, lib. 3, a capite 56. Verum hic nulla est difficultas, cum vota parentum rata fecerit ipse* Albertus, *et ætate quidem ad id idonea; ut colliges ex Commentario prævio num. 28 et sequente.*

h *Religiosum habitum suscepisse* Albertum post paucos dies *ab ingressu cœnobii, colliges ex Theodorico Aquensi num. 2180, et Polucio apud Surium cap. 3.*

i *Addit Caietanus:* Id accidit, Jacobo summa rerum in Sicilia tenente: *idemque hic asserunt Theodoricus et Polucius. Non placet: quia apud eosdem Theodoricum et Polucium accidisse narratur* in continenti, *seu* mox *post susceptum ab* Alberto *ordinem sacerdotii: hunc autem susceptum ab eo fuisse, regnante Jacobo, qui anno demum 1286 inauguratus primum fuit, nequaquam est verisimile: nam quæ ratio fingi potest ejus presbyterium differendi usque ad annum ætatis circiter 46? Censemus ergo, hoc additamentum huc non spectare, sed ad numerum sequentem;*

quo

A *quo refertur a Barbaro.*

k *Adi Commentarium num. 30 et seq.; ubi hoc tempus explicatur.*

l *Theodoricus et Polucius affirmant, plures asseruisse,* rectores navium Angelos fuisse. *Falso ait Buonfiglius pag. 59, eas ab ipso hoste Roberto fuisse submissas.*

CAPUT II.

Miracula quædam ab eo superstite patrata.

Sanat moribundum ex apostemate; a

** f. futurum*

Eodem tempore Messanæ cœnobio, sub titulo Salvatoris *a*, ascitus sacerdos, apostemate in gutture male affectus aggravatur, ita quidem, ut de ejus salute medici fere omnes desperarent; quem mox iidem, ut cadaver et cinerem jam facturum *, destituerunt. Hic igitur Messanæ Servum Dei adesse audiens, ad illum cœnobitas allegari jubet, qui eum sanctitate ejus fretum velit et sic affectum graviter visere non dedignari. B Albertus ubi legationem accepit, pius et gressu alacri, sua præsentia consolari cupiens ægrotum, festinat; ad quem ingressus, ait: Quid me accersiri jussisti, mi frater? Numquid ipse numen deitatis aliquod profiteor? Etsi infirmitate æque omnes naturæ trahimur; etsi peccatorum augemus numerum; in Domino tamen sperare licet, cujus imperio salus omnis atque morborum genera obsequuntur. Et cum dicto, frontem ægroti signo crucis notavit, eumque paululum mento sustulit. Et rursus: Mi frater, Domino Jesu fidem Matrique sanctissimæ, per quam salvantur homines, adhibe. At ille: Adhibeo, inquit, et tuæ simul sanctitati; meque tibi inmedicabili morbo cruciatum committo. Nec mora, his additis, vomicam supremi fœtoris evomuit. Sic pristinæ sanitati restitutus est. Et inde cœperunt Alberti sanctitatis incrementa venerari.

insessam a dæmone liberat; b

** f. prorupit*

11 Interea cum Viro Dei Gelam *b* versus aliquando iter ingredi contigisset; ubi ad suæ Religionis hospitium collatus est, cujusdam claræ feminæ filiam a dæmonio detineri cognovit: ob quod in hæc ipse gemebundus prorupisset *: Satan, quo imperio hæc facis? Et misericordia C motus, perrexit ad juvenem. Cumque de ejus accessu matri renuntiatum esset, confestim charitatis impulsu commota, domo exsilit obviam. Quem visum sic dictis aggreditur: Spero, me divinæ bonitate desolatam solaberis; etsi me tantus dolor miseram desolatur: siquidem quam filiam peperi unicam, impense diabolica detentione distringitur: pessimus ille hostis jam pridem in tam speciosæ puellæ visceribus immoratur. Noli, obsecro, male affectam visere mihique summam præstare jucunditatem dedignari. Ad quam ille ingrediens, cunctis salutari verbo pacem precatur; dein vero cum dæmoniosæ proximasset, illa incunctanter ejus maxillæ alapam nihilque hæsitans impegit. Cui ille propius et alteram percutiendam obtulit, rogans, ut se denuo repercuteret. Qua humilitate princeps superbiæ confusus ac dolenter affectus, incepit lamentari: Heu quam mecum inique agis! Heu quam patior, quando hinc ob tuum adventum protinus avolabo! Ad quem Albertus: Creator tuus ille maximus, qui te tua superbia de paradisi voluptate depulit, te idem de corpore istius insontis exigat. Quo dicto, virguncula misere cœpit contremiscere. Et rursum Albertus: Egredere, satan, Christi nomine, divinumque istud opus illæsum desere. Tum insuper crucis protenso signaculo, eam sacri roris aspergine circumfudit: et est virgo commodum sanitati restituta. Quæ liberatori Deo optimo maximo, et Viro Dei gratias pro meritis egit.

Ex impressis Vinc. Barbari.

sospitat parturientem; c

12 Sed levi fortasse dicas me narratione usum, ubi rei consimilis facta non est continuatio. Proinde ad majora, quæ subsecuta sunt, rerum beneficia devehar. Anno a salutari mundi redemptione MCCLXX *c* Drepani cum inversi fœtus repugnantia primiparam diebus sex eniti contigisset, de cujus vita prorsus medici desperarant, Albertus ad id loci commodum regressus erat; quod non sero fuit, me Hercle, ad parturientis matrem relatum; quæ, ut erat dolore circumsepta, spem perditam revocavit. Quid ni? Per totam enim provinciam, tum propter se, tum etiam propter parentum fulgorem, miræ ejus sanctitudinis incrementa ferebantur. Adiit ergo Religiosum delubrum circumacta cognatorum collegio. Ad cujus inventi vestigia devoluta, sic cœpit ejulare: E Miseram me! Filia mihi, repigrato partu, moritur; neque est, qui ferat morienti salutare subsidium. Transi, obsecro, ad eam, priusquam decebat, quando te diu videre concupivit; ut saltem, si gemitu delicta confiteatur, inveniat anima solatium. Quæ eidem, de inhabitantis ædibus et de regione sciscitanti, respondit: Quid refert, si tibi ædes commostravero? Veni, et vide. Limen igitur jam jam sacrum evaserant, ad ædes, Alberti puero consequente, gregatim contendentes. Ubi is intromissus est, cœpit semianimem illam, quæ Margareta dicebatur, proprio nomine nuncupare; sed ea sensu defecta, jam nihil quidquam respondit. Et tandem, infixo ori digito, Quid, inquit, dolore conficeris; et mihi non loqueris? Fare, age; et parentem, sodes, consolare. Et manu oblinita oleo, ventrique ejus superaddita, sic oravit: Propitius te Jesus, filia, sospitet meritissimo suæ Deiferæ Matris beneficio, et sicut illibata illa virginitate concepit, et mox Virgo, sortita partus indolentiam, peperit; ita tu sine vitæ discrimine, quæ diu parturisti, parias, divinæ Religioni fœtum oblatura. Vix hæc finierat, cum illa obstructos jam F oculos reclusit, veluti sensu recreata; Virique Dei manu comprehensa, Adjuva me, inquit. Et statim recluso utero, quo obsepto partus remorabatur, infantulam peperit, postmodum Domino consecrandam.

Judæum epilepticum sanat et convertit cum familia; d e f

** i. e. obsignatione*

13 Illa corporis tantum; sed quæ sequitur, et corporis et animæ salus. Anno post salutiferum Virginis partum MCCLXXV *d* vir quidam fuit sane Judæus, qui Saccam oppidum *e* Albertum suis disseminationibus impertientem, gravi epilepsia compressus et adiit et opem valetudinis per parentes oravit: quam *illis* efflagitantibus se demum præstaturum pollicetur, si modo se in hæresim *f* Christianam collaturos promittant, et jugem Beatissimæ Matris virginitatem euntes minus inficias et quæ omnia circa Symbolum Christiani profitentur. Quibus, se omnia credere, asseverantibus, cum crucis investitu * ait epileptico: Exigatur abs te morbus iste, si ita res habet, ut prædico de Jesu Nazareno. His actis, melancholicus humor ille discutitur; lentescunt nervi; mens, quæ apprensa erat, dissolvitur repurgata; nec, qui a nullo medicorum sanari potuerat, ex tunc eo morbo comprensus amplius retorquetur. Sic est recte, cum sui stupore famulatus, et multorum

Ex impressis Vinc. Barbari.

rum frequenti convenientia, curatus. Quare spiritu gratiæ in meliora conversi, et sacrosancti lavacri tinctione regenerati, se Christiani cultus in cerimonias asseruere *g*.

g alios item aquis abreptos educit, convertitque ad Christum.

14 Eodem rursus anno, dum Vir ipse Dei provinciam obiret, atque Agrigentum versus, ut Siculos ad sanctitatis formam converteret, proficisceretur, flumini, cui Platano *h* nomen est, proximavit; ibique Judæorum aliquot ingressos jam flumen offendit, et inundatione subita raptos periclitari: qui, Dei Viro cognito, cujus aliquando tot miracula percepissent, eum sui cœperunt assertorem, implorato subsidio, conclamare: In virtute Christi tui, Domine, feliciter assiste: sospita nos, ne aquis hic operiamur. Quibus adhuc clamantibus, ille Baptismi formulam proponit, sub qua Christi nomine potuissent incolumitate potiri. Quod cum non recusassent, cumque omnia insuper, quæ de Jesu Nazareno audierant, se credere asseruissent, ille flumen ingressus, cedentibus aquis *i*, baptizare eos salubriter approperavit: quos inde illæsos eduxit et probatioris officio vitæ
B restituit.

15 Nec inde ad seram diem *, Vir sanctissimus, quia nimia populi convenientia gravari videbatur, Leontinum *k* secessit; ibique, divino illo præsente spiritu, plura, quæ apud quosque oppido præclara sunt, exhibuit; inter quæ id unum in chronicis visum est maxime recenseri. Admolphus * quidam non obscuro loco natus de Lamiarum familia, adeo postrema oppressus est ægritudine, ut pene exanimis exspiraret; cumque medicorum consilium esset, ut funus exstrueretur, mater affectu nimio ac trepidatione concita, et vix eorum auctoritate respectata, ad cœnobium, præsidii gratia, præcincta muliebri comitatu, procurrit; gravidoque sinu et spe et pietate in Servum Dei, cum prope templum est, forinsecus clamat: Eia age, qui Deo gratus es, Alberte, mihi suffragare. Non hinc recedam, donec tuis meritis mihi filius convalescat, tuæ isti Religioni mancipatus. Cumque magis increbuisset ejulatus, e Religiosorum numero aliquot egressi sunt, atque, frustra eam illic Albertum, quando abesset, præstolari denuntiant; verumtamen ejus laciniam tan-
C tummodo se habere commemorant: quam illa, isthæc ut accepit, efflagitare non destitit, certe rata, divinam bonitatem in ea posse salutem operari.

Sanat morientem Religioni devotum;

* *i. e.* non diu post

* *al.* Adinolphus

16 Tandem coacti precario cœnobitæ, ad ægrotum pergunt, atque sub materna fide laciniam semineci superimponunt, cuncta orante Familia. Me Hercule, factum omni seculo speciosum! Ecce, in confinio mortis soporatus juvenis, prope se Albertum stare, mentis officio contuetur, seque illum, maternæ fidei commemoratione relata, ad Christi nomine surgendum exhortari; ob quod divinæ suffragationes, ut compertum est, non remorantur. Tumque is maxime sibi dexteram porrigi * videbatur; quam cum prendisset, est confestim gravi somno discussus; surrexit, ac cœpit loqui clarius, et quæ viderat, ordine recensere. Præterea esus *l* adlubentia proposita, et cibo refocillatus, convaluit. Post hæc Admolphus, ubi se devotatum cognovit, Religionem forti animo accinctus, intravit. Cæterum (ut animosa corda juvenum defervent) ante annum, eo quod ex amplissimis esset, quem odisse cœperat, cultum reliquit, et se militiæ inconsultus addixit. Ad summam, temporis angusto spatio divinam ultionem miser experitur, cum suo cruore fratris illegitimi manus inquinavit; et summum sibi propinatum dolorem mater inhausit.

quam exinde deserens, periit misere;

* *imo* porrigere

D 17 Forte fortuna Vir ille sanctissimus dum Panhormi *m*, toti fere urbi cognitus, immoraretur, die quodam, ut Deo optimo maximo collibitum est, inter lusus a sororcula fratri puero est lumen erutum. Quo casu cœpit universa familia contristari: sed mater præ cæteris ejulatu miserabili quatitur, cum præsertim in aperto esset, chirurgos ad remedium ullum efficax non valituros. Postremo, salutis humanæ repugnato * aditu, ad Dei Servi suffragia confugere, esse satius duxit, et mensuram divinæ benignitatis experiri: ad quem una cum filia profecta, pueri successum totum ordine commonstravit. Cui sanctitate ille præfulgens, Ecquid adhuc ploras, inquit? Deus artus solus adfabre compegit, Deusque solus etiam dissolvit. Cumque illa fletum non cohibens, promerendæ ejus gratiæ studio propensius institisset, nec inde puncto quievisset, dum se reum aliorum exemplo fateretur Vir sanctissimus, in hortulum ædis * interiorem secessit, ibique semotus clam,
E nec alioqui fletu abstinens, cum se prostrasset; Deus, inquit, an nos ineffabili potentia tua propter te genus humanum non creasti? An nos non idem ad tuæ felicitatis gloriam tua clementia nuncupasti? Nonne, ubi nos primo crimine morti deputasti, tandem tuæ bonitati placuit, ut expiati sanguine Filii tui, tecum per fidem et misericordiam jungeremur, et fœdi turpiter ac dehonestati, jam honestaremur? Et, ecce, nunc quod opus mirifice formando membris sapienter et artubus colligasti, et quod speciosius anima, quo ad gloriam viveret, decorasti, illud invidus satan invidiæ cumulo deturpando sugillavit. Placeat igitur tibi istud nunc refigiare, ut, eo suo membro donato, tua potentia veneretur *, hostilis vero malitia collabatur. Et cum ter hæc supplex iterasset, ad mulierem confestim reversus est, quam Christiano nomine compellando, ad Christi fidem, qui solus corpori membra restituit, adhortatur, magnaque dein cum præfatione consolando dimittit.

oculum erutum puero absenti

* *i. e.* obstructo

* *i. e.* cœnobii

* *i. e.* laudetur

prece restituit;

18 Illa vero quam potuit, sui commendationem usa, post conciliatam benedictionem proficiscitur, domumque recepta, puerum quiete
F discussum recteque convalescentem deprendit. Qui subito ut est ea intromissa; Mater, inquit, homo quidam oleo lumen perpetuo tenebris obseratum vere perunxit. Cujus illa cultum et ætatem inquirente, vidisse senio proximum respondit, interioribus atris, exterioribus vero candidis amictum laciniis. Perspectumque habuit in spiritu, Dei Virum adfuisse, quod restituto luminis beneficio visio illa satis luculenter apparuisset. Factum est autem toti civitati cognitum et admirabile. Sic passim lateque ejus amplificabatur commemoratio. Quapropter hinc locum aiunt datum, oleum vel aquam, ubi corporis ejus reliquiæ fuerint perfusæ, multiplicium morborum præstare sanitatem *n*.

n fugit auram popularem; prædicit suum et sororis obitum.

19 Sed tunc Albertus, densa populi frequentia surgere et ad se confluere incipiente, hostili calliditate et inani gloria transversus efferri veritus et demum naturæ fragilitati succumbere, Messanam versus clandestina profectione pedes instruxit, ubi Religionis locus extra civitatem est positus. Ingravescente autem ætate cœpit adversa valetudine conflictari et in quiete illa turbida Deum subinde rogitare, ne se prolixiori amplius dilatione cœleste cœnaculum aditurum permitteret; verum suam aliquando rogationem his verbis emendavit: Quemadmodum tui Filii, Deus, ex animo fieri non permisisti, sed tuam perfici voluntatem mandasti:

A dasti: ita non mihi, ut velim; sed tuæ morem geras voluntati. Dumque orationis incendio rapitur et in exstasi commoratur, clare hanc vocem audivisse dicitur: Inter agmina Confessorum sine fine Deo fruiturus levaberis et æternitati consecraberis. Et si unquam orandi studio ille cunctatus est, nunc tenacius adhærendo perseveravit. Nunc psalmodiam canit, nunc sanctorum Patrum pervolvit oracula atque porro divina mysteria contemplatur; nunc Deiferæ Matris repetendo memoriam præsultat, ejusque votiva collocutione delectatur. Die vero ineunte fatali, Religiosorum cœtum ad se convocari jussit, cui veterum patrum libuerit ex animo mores æmulari: quibus circumsidentibus, dum cœlestem suavitatem pensitaret; ut Apostolus, Cupio, inquit, dissolvi, et esse cum Christo. Qui mox, ut prophetes, hujusmodi prædictionem subjecit; Hodie vitæ labore functus, Deo spiritum reddam ad suam patriam recta subvolaturum, eademque hora soror pariter, qua ipse deficiam, mecum, desertis vitæ fluctibus, conficietur. Quod rei eventu vere
B divinam præ se tulit sortionem: quando ab ipsa plusquam bis centum et quinquaginta millia *o* passuum abiisset *.

o * *f.* abesset

ANNOTATA.

a Cœnobium *hoc magnum ac celebre sancti* Salvatoris *ad Basilianos pertinere, docet Pirrus in notitia ecclesiæ Messanensis pag. 390.*

b Gela *olim a fluvio, cui assidet, cognomine nuncupata, nunc vulgo* Alicata, Licata, *et* Leocate *dicitur, in littore Siciliæ meridionali, ubi distat Agrigento versus orientem milliaribus fere viginti.*

c *Annum hunc* MCCLXX *omittunt Surius et Caietanus: Theodoricus vero hic exprimit annum* MCCLXXXI. *Ex utrovis liquet; Acta* S. Alberti ὕστερον πρότερον *esse congesta: nam quæ de obsidione Messanensi narrata sunt antea, certo posterius acciderunt, quam hæc et quæ modo sequentur. Uter vero annum hic accuratius annotarit; Theodoricus, an Barbarus, quis definiat?*

d *Pro anno* MCCLXXV *Theodoricus habet* MCCLXXXV; *Surius* MCCXCV, *quem nescio cur sequi*
C *maluerit Caietanus, quam Barbarum, cujus nomine Vitam inscribit.*

e *Adi Commentarium num. 32 et seq.; ubi rejicimus eos, qui hoc in* Terra Sancta *contigisse volunt.*

f Hæresis *hic pro* dogmate *seu* doctrina *ponitur simpliciter; ut olim apud Romanos et Græcos; quod miror tamen in Barbaro; qui scire debuerat, inter Christianos ab ipsis propemodum Ecclesiæ incunabulis constanter alium hujus vocis usum et significatum fuisse.*

g *Addit Theodoricus:* Juvenis autem a Viro Dei curatus, ipsum secutus est; cum deinde laudabilem duxisset vitam, in Domino tandem feliciter obdormivit; *quod sequuntur Polucius et Caietanus. P. Philippus a Visitatione narrat hoc miraculum, quasi bis acciderit; Saccæ scilicet, et in Terra Sancta, idque cum variis adjunctis, quæ cum apud antiquiores in vulgatis Actis non inveniantur, solidis fuissent firmanda testimoniis. Vide ipsum § 9, num. 5. et § 10, num. 2.*

h Platanus, *olim Lycus, Saccam inter et Agrigentum variis fluminibus auctus, in mare devolvitur.* Hieme vero, *ut ait Fazellus decad. 1, lib. 6, pag. 127,* adeo intumescit, ut inter immania Siciliæ flumina connumeretur. *Hinc porro etiam collige, Sanctum non e Terra Sancta adiisse Agrigentum; sed e terra seu oppido Sacca, inter quod et Agrigentum iste fluvius occurrit, et ubi proinde præcedens miraculum patratum fuisse credendum est.*

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.

i Cedentibus aquis. *Theodoricus et Polucius asserunt, Sanctum* super undas *ambulasse; sed Barbaro adstipulatur codex Vaticanus, ut animadvertit hoc loco Caietanus. Surius sequentia duo miracula transilit.*

k Leontinum, *seu* Leontium *urbs est ad latus orientale Siciliæ Syracusas inter et Catanam.*

l Esus *ab edo, id est comedo, hic usurpat Barbarus tanquam participium verbi deponentis, ut sensus sit: Præterea cum comedisset proposita quæ adlubebant, etc. Usus tamen iste, quantum scimus, barbarus est, oletque solœcismum.*

m Panhormus, *seu potius* Panormus, *vulgo* Palermo, *urbs est amplissima et regia Siciliæ in littore septentrionali.*

n *De usu aquæ sic consecratæ inferius multa recurrent in miraculis. Cæterum huic miraculo Theodoricus de Aquis ea subjicit, quæ de Sancti* E *provincialatu dabuntur infra in Appendice. Vide interim etiam dicta in Commentario num. 34.*

o *Theodor. et Polucius:* Fere per ducenta et sexaginta milliaria: *unde Rocchus Pirrus in notitia ecclesiæ Messanensis pag. 339 putat, Sancti sororem tum fuisse Drepani (vallis, an montis, parum refert; cum utrumvis Messana 260 circiter milliaribus distet).*

CAPUT III.

Gloriosus obitus; exsequiæ; translatio corporis; tum comitata subsecutaque prodigia.

Interea cœnobitæ dum morti eum inhærentem conspicerent, advigilare cœperunt, et circumacti, precibus invigilare, ejusque mandare animam. Vespertina autem hora Vir Dei plane sensit, ad sui dissolutionem se tendere: tum genibus innixus, in eorum conspectu sic oravit: Deus, qui cuncta tua admirabili potentia creasti, creata tuo arbitratu disposuisti, disposita tua beneficentia sustines, sustine tua misericordia animam meam, eamque spiritus immundi potestatem reformidantem tutare, tutam in tui famulatus electa pulchritudine colloca. Post hæc Psalmum, « Deus in nomine tuo salvum me fac, » ad finem protulit, et Psalmum pariter, « In te, Domine, speravi » dedit absolutum; angelica subinde salutatione et oratione simul Dominica interjecta. Cumque iterum ad Psalmum, « In te, Domine, speravi » concederet, cœlum intuens, promerenti salutem concilians, suique sospitatricem Deiparam advocans, elatius, velut ultimum subderet, exspirans, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum pronuntiavit. Quo dicto, instar lucidæ nubis, anima properiter abiit et in cœlum sustolli visa. Corpus vero lineo cilicio *a* circumamictum et feretro compositum, funebri pompa veneratur. Decessit anno post Virginis partum MCCCVII *b* septimo Idus Sextiles.

Sancti morientis anima in cœlum tolli visa; F *a* *b*

24 Hactenus, quæ de ejus vita fideliter subvenere, contrivimus, et quæ pro exemplo fidei hominum memoriæ non supprimenda visa sunt. Nunc autem ad ea diverticulo transgrediamur, quæ, eo funerato, non minus gloriose quam vere provincia

campana spontaneo pulsu obitum nuntiante, accurritur undique,

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.

cia recognovit. Ad ejus enim transitum, campanum, quod ejus ductu conflatum fuerat, nemine pulsante, cœpit altius personare; corpus odore frequentius halitare, et suaviter astantium nares refundere: ad quod undanter, ut mirabilius spectaculum, Messanensium quam plurimi procedunt, ac Judæi pariter confluunt, quorum pars bona ad fidei orthodoxiam convertitur. Quin ipse Fridericus rex III funus equestri comitatu pedes honestavit. Sic tantum Patronum sublatum universi molliter ingemiscunt. Tamen certatim pro virili parte sanctum cadaver attingere quisque contendit, quando divina virtus inde spiraret, cœtusque languentium prosperæ valetudini restitui videretur: ejus lacinia * frustillatim hinc inde conciditur, quovis affectus gratia frustillum cupiente sortiri, quod sui Servi meritis in ea tot miracula divina clementia voluerit operari.

* i. e. vestimentum

nec sine miraculis instruuntur illustres exsequiæ. * al. Renetia de Palatiis

22 Verum inter cætera dum ad calcem exsequiæ festinarentur, hera quædam non humilis generis ex Paliciorum familia, quæ Venetia * dicebatur, affectus exuberantia percita, de capite ejus nondum funerati amicimen sustulit; quod et anxie custodiri curavit; et quorum illud capiti imponeretur, si ophthalmia, aut quovis oculorum vitio laborarent, illi confestim curabantur. Denique ut B de reliquis taceam, Fridericus rex ejus apparatum funebrem accuratius curari jubet, præsulesque aliquot provinciales in funus coituros mandavit; quorum numerum Guidoctus, archiepiscopus Messanensis et, dicto quorumdam, episcopus Parthensis *c* auxerunt; ad quos item cæteri ordinum et graduum diversorum accessere, funeralem pompam rege confertissimo numero subsequente.

in quibus Angeli Missam intonant, Os Justi etc.:

23 Indicto itaque triduo jejunio, archiepiscopus in cunctis ciborum appetentiam coerceri jubet, preces fundi, eleemosynas erogari, reique divinæ solemnia per templa celebrari; ut aliquod in eo sacrato ministerio divina dignatione prodatur miraculum; quod et factum est: stante enim in delubri meditullio feretro, in quo cadaver illud compositum et venerabile sustinebatur justis honestandum, ecce, tantus odorum halitus largiter cœpit exuberare, ut æque omnes suavitate illa cœlesti nutrirentur et in stuporem procul C dubio traherentur: ad cujus ultramundanæ Seplasiæ *d* vaporarium omnigena morborum genera curabantur; adeo ut sanctimoniæ vas fuisse, turbæ citra dubium faterentur. Tunc autem orta dissensione, inter clerum et populum circa rei divinæ celebrationem turbatum est: clerus mortuorum; populus vero Sanctorum stata solemnia repetenda proponit, et hoc definitis ultro citroque rationibus: alter enim ad jus Pontificium, alter ad devotionis impulsum recursum habuit. Tandem divino nutu standum esse decrevere. Mandat igitur archiepiscopus cunctos orare, Deoque prolixe supplicare, quatenus sciri potuisset, quibus præsertim titulis, quibus honoribus eum decorari maluisset. Quibus orantibus, commodum duo pueri, albis induti poderibus, et stolis aureis in modum crucis præcincti, multoque sole luminosi, sunt altrinsecus stare visi, licet non fuisset eorum aspectus admodum præ fulgore conspicuus; qui tamen voce clara cunctorum cum exspectatione contonuerunt: « Os justi meditabitur sapientiam; » quo dicto, confestim in auras evanuerunt. Itaque Fridericus rex, et archiepiscopus una cum inito præsulum collegio tam claro miraculo cedere statuerunt; effectumque est, ne cœleste arbitrium humano postponeretur. Sic communi consensu fuere Confessorum solemnia celebrata. D

sepulcro conditur mox claro miraculis;

24 Sed his finitis, hora nona sepulturæ corpus honorifice traditur. At rex et populus Messanensis universus publica sanctione sanxerunt, Pontificis maximi per legatos auctoritatem publice exorandam, cujus porro locupletissima approbatione canonizatus, albo Confessorum Albertus ascriberetur; sitque impensa provincialium posteritatis memoriæ consultum. Ad cujus sepulcrum tum cives, tum remoti et exteri confluunt, infirmi, claudi, cæci, leprosi, atque paralytici; qui non sera nimis cunctatione curantur hoc modo: nam languentes ad sepulcrum vel tertium, vel adusque diem quartum et jejunio et precibus indulgentes nocte in concubia lux fulgida circumfundebat, qua circumfusus Albertus, in alba veste perspicuus evidentia videbatur: et quorum ille oculis se non subtrahebat, statim eos sanctitudinis beneficio dignabatur; qui mox parto salutis beneficio, Deum exerte collaudabant, quod hujusmodi gratiæ suo Servo potestatem fecisset. Quo in apertum prodito, passim lateque ejus est amplificata veneratio; cujus alioqui miracula, quæ ad hæc usque secula *e* succedunt, non sunt a Christiano conspectu penitus remota.

sed eo subinde non impune violato,

E 25 Nempe inter cætera quod sequitur, non est sua relatione fraudandum. Eodem anno, quo Albertus imbecillitati naturæ concessit, tempestate bellorum inter provinciales regulos et ipsum Siciliæ regnum ingruente, sepulcrum ejus exhonoratum prorsus relinquitur: in cujus sacrarium stipendiosi milites, refractis pudoris et reverentiæ postibus, temere, quasi canes, irrumpunt, eoque pro stabulo uti satis flagitiose contendunt, equorum numero paleisque fartim intromissis. Sed sui Servi tantam ignominiam Deus ferre non potuit; ex quo factum est, ut quadrupedes cuncti præsentissima morte percussi caderent; milites vero vario morborum genere fœdarentur, tutique admodum pauci evaderent. Inde quidam refractarii perversitatis commoti pervicacia atque iracundia postrema conflagrantes, sepulcrum resignare corpusque ejus quinam esset conditum, videre decreverunt. Sic equis lapidi colligatis vique actis, sepulcrum finditur, lapisque dissilit; et est nulla mortali contractione tactum, sed genibus innixum corpus venerabile repertum; velut in F auctores animadversionem meritam, ad suam ulciscendam ignominiam, exoraret. Quare non post multum temporis evenit, ut omnes contagio pestilitatis interirent. Quid plura? Hic amplius ad hæc usque tempora ausus est diversari nemo.

transferuntur alio reliquiæ, ibique ornantur miraculo:

26 Sed inde cœnobitæ, ejus solemniter extracto corpore et inita fuga, ubi nunc degunt, præfixo domicilio, commigrarunt: et cum loci rursus aptitudinem desiderarent, uniti consulunt, ut pars ibi corporis (quod populo per consultum optime quærebant) relinqueretur; reliqua vero, et principalis, Drepani solemniter veneranda præficeretur: sic utraque Religionis fulta sedes et porro sui Patroni reliquiis non defraudata, præsultaret: ut puta Messanæ, quod hic vitæ munia persanctæ transegerit; et Drepani, quod inde originis paternæ traxerit fundamenta *f*. Paucos post dies, cum prope ejus Religionis cœnobitum statio Genuensium, quam logiam *g* Græco vocabulo nuncupant, flammis correpta conflagraret, quidam puer, Antonellus nomine, supinus in combustionem collapsus est: qui propediem Alberti subsidium memoriter imploravit, deinde Deiferæ Matris præsentaneum et salutare suffragium. Quamobrem citra periculum exstitit cum omnium admiratione

A ratione præservatus. Raptus inde, approperanti plebi, se nihil inter flammas dispendium fecisse, indicat. Quem Deus Alberti meritis illæsum præservavit: ob quod multis annis Carmelitanæ, quoad ejus fuerit, Religioni deservivit *h*.

Sancti venerationi invidens punitur; at resipiscens, mox liberatur.

27 Admirabile est sane narrando puer incrematus; sed id æque atque superius robustæ admirationis, quod dicetur, et suo stilo, medius fidius, prosequendum. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCVIII Leontini, dum Carmelitano cœnobio præpositus pro rostris concionaretur, et inter concionandum beatum Albertum efferendo, Sanctum nominasset, quidam sacerdos invidens, ejus sanctitatis præconium in conspicuo celebrari, dicto reclamavit; illum mentiri, eumque sanctum indignum esse judicari, confirmans. Cui derepente, cunctis videntibus, miserabili cruciatu adusque genua viscera collabuntur. Sic pensum est justum dementiæ supplicium. Medicus tamen accersitur: sed ille quamprimum, non opem suam, verum Alberti maxime necessariam existimavit, qua posse eum liberari, religiose sustinebat. Cujus gravi hortatu B resipiscere persuasus sacerdos, continuo cœpit Albertum invocare, ac se falsum, iniquum, vanum mendacemque coram arguere, quando ejus sanctitati derogaverit invidenter, asseverat, seque id merito supplicium pati: ad ultimum salutare medicamen implorat; ut suo periculo possit ejus sanctitatem non dubitanter disseminare, addens voto se ejusdem felicissimi obitus excubias * celebraturum, ejusque diem perpetuo omni vacatione feriatum, et alioqui festivissimum observaturum. Qui proximo die matutino corpus inungi persentiscit: quod manu scrutatus, jam novit se evisceratione convalidum: festinanter lecto desiluit, seque induit; et cum luce prima ad ædem receptus, Religiosis omnibus se recte valere demonstravit, seque, gratiis Deo persolutis, ad dies præfixas voto persolvendas accinxit.

* i. e. vigiliam

Sanantur immedicabilia mulieris ulcera.

28 Quo facto instructissimus quisque fide Deum sinceritate sublimare; quin etiam, siquis erat divini cultus neglector, contra vereri, cujus * virtutum actiones quotidie reddere * clariorem. Cum inter hæc, anno fere Christianæ salutis MCCCIX hera quædam nobilis Agrigentina, quod mamillæ ulceratione suppuranti triennio laboraret, nec C saluti hominum medicamenta sufficerent, quibus inferna * illa malignitas exulcerari * potuisset, struit ad Virum Dei tota mente salutare confugium; cui se argenti imagunculam oblaturam, pauperesque cœnobitas tres ad ejus nominis venerationem induturam pollicetur; quod, Hercle, temporis momento non incuriose peregit; idque, dum vivit, perpetuo singulis annis futurum, voto nuncupavit. Proxima vero nocte per quietem medicum incertum vigilans videre visa est, qui de Alberti lampade olei pauxillulum sumi, mamillamque probe deliniri prædiceret *, si ea prosperæ valetudini restitui curaret. Mane, relicto cubiculo, se ad Alberti sacellum cum festinatione recepit; reque suppliciter confecta, juxta quietis imaginem, atque insuper adhibito honorifice rei divinæ Sacrificio, domum revertitur; et se commodum nullis ulceribus obnoxiam vicinis indicat, cujus modo fuerat divinitus saluti consultum.

* f. quem
* f. redderent
* f. interna
* pro exstirpari
* f. præciperet

Sanctus miraculo tuetur cultum suum publicum.

29 Sed ne nimis temporum dimensione differar, eodem fere anno, septimo Idus Sextiles, studii gratia popularis, ut moris est, Platiæ *i* (sic enim vulgo dicitur) ejus anniversaria solemnia Carmelitani cœnobitæ gestiunt celebrare; et ecce, detestabilis invidiæ parens diabolus quorumdam clericorum ad invidiam fanatice corda concitavit; qui nequiter nocte illa, quam solemnis dies insequeretur, imaginem Viri Dei inducere * atque rescindere decreverunt: quo clanculum perstructo, quidam, Bonjornus nomine, duodecim fere annis paralyticus, perstrepentis unanimiter turbæ transitum de nocte percepit; cum rei novitate sollicitus, uxorem, quidnam esset compertum ad ostium propere destinavit: quæ mox trepidanti marito factionis adulteratæ manipulum collectum se comperisse renuntiavit, qui furore percitus, ad Alberti imaginem delendam festinasset. Isto accepto, sic affecti cordis ubertate proclamat: Utinam essem corpore validus, neque ullam virium facultatem desiderarem! illam, Hercule, armis summoque studio tutari pertentarem. Me ista, beate Alberte, paralysi assere, totumque ipse patrimonium pro amplificatione tui cultus exponam. Et adhuc aliquot e factiosa manu transeuntibus, rursus adjecit imploratum. Qui post hæc somno corripitur; et, ecce, Albertum peculiari habitu spectabilem, ut ejus erat effigies depicta, conspicatur, virgulamque radiis investitam manu E gestantem, ac languidum se identidem cuspide pertingentem, his verbis: Eia agedum, surge; Deus, gratiarum largitor in Sanctis suis, te istac enervi imbecillitate exuat, te membrorum sinceritati restituat, pacemque tribuat. Cum ille somno emersus, suisque viribus, velut attonito similis, exurgit, armisque viriliter apprensis, factoque impetu, se foras proruit, et adcurrens, factiosam illam cohortem ad cœnobium protendentem persecutus, ad opus inclytum et divinum et religiosum blande hortatus est, et a flagitiis idem diaboli dehortatus, rogavit insuper, ne temere contra picturam illam quid audere contendant. Quibus, quisnam esset, interrogantibus, se Bonjornum esse, promptissime respondit: et cum instanter sciscitarentur, quo pacto sit languor ille dilapsus; strictim cuncta narravit. Quare subito timore perculsi, regressi sunt, Deum optimum maximum, et Albertum efferentes. Et hic primo sacellum fuit ejus observationi dicatum *k*.

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.
* i. e. delere

ANNOTATA.

F

a Lineo cilicio: *quid hic voluerit sibi Barbarus, nescio. Caietanus omittit adjectivum* lineo, *quod sane pro alio videtur suppositum. Theodoricus habet*, nobili cilicio; *Polucius vel Surius*, præclaro cilicio.

b *Imo potius* MCCCVI; *ut vide in Commentario a num. 35.*

c Patthensis. *seu potius, ut scribit Caietanus*, Pactensis *episcopus tum erat Joannes II, ex Ordine S. Dominici; ut colligitur ex Pirro in istius ecclesiæ, quæ Metropoli Messanensi subest, notitia, tom. II, pag. 401.*

d Seplasia *(Festo teste) fuit proprie* forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant. *Sumitur et pro ipsis unguentis aromaticis, et pro loco quolibet, ubi ea prostant: at hic, ut patet, pro Sancti corpore et odore ex eo promanante.*

e Ad hæc usque secula. *Theodoricus:* Usque in hodiernum diem. *Et vero* seculum *sæpe pro cujusvis temporis spatio usurpatum a Latinis legitur. Quare non est, quod hic a prototypo suo recessisse Barbarus, aut propriam ætatem, puta annum Christi 1536, designasse credatur.*

f *Hinc patet*, Drepanum *fuisse nomen æquivocum, et æque significatum olim eo fuisse Drepanum montis, quam Drepanum vallis: nam de*

Dre-

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.

Drepano montis, seu oppido Erycino, hic omnino intelligendus est Barbarus; nisi dicatur secum ipse pugnare superius num. 1. Porro hæc translatio contigit, non anno 1316, ut asserit Pirrus tom. II, pag. 549; sed anno 1309, secundum dicta in Commentario num. 35; ubi etiam videbis, hasce reliquias non fuisse primo destinatas cœnobio Drepanitano; ubi tamen retentæ fuerunt; sed ad oppidum Erycinum, S. Alberti *patriam.*

g Logia *Græce conventum, seu collectionem significat. Indicatur hic haud dubie amplum ædificium, quod sibi Messanæ condiderat mercatorum Genuensium societas; qualia in emporiis celebrioribus plurima videri solent.*

h Deservivit; *per* largas *videlicet* eleemosynas; *ut explicat Theodoricus Aquensis.*

i Platia *oppidum est montanum Siciliæ in valle Netina, 12 circiter milliaribus a lacu Pergusa ad euronotum.*

k *Ex his elucet etiam antiquitas publicæ venerationis* S. Alberti. *Addit vero hic Theodoricus, in hoc sacello* plurima fieri miracula.

B

CAPUT IV.

Continuatio prodigiorum.

Horrenda contumelia in Sanctum ac Deiparam fulmine vindicata: a b

Post secundam vero Olympiada *a* inter ejus honoris auctarium, ex quo id factum est, Drepani *b* quidam aleator infamis, aleæ pene vitio confectus, et instinctu diabolico desperatione adductus, a fide, huic ipsi obstrigilans, declinavit. Accessit igitur ad Mariale delubrum extra civitatem; ubi beati Alberti conspicatus imaginem, Ecquid te toties, inquit, oravi, quo mihi intermedius propitiares, neque unquam infelicissimus exoravi? Ideo qui sanctitatis præconio apud quosque divulgaris, nec mihi rogatus subvenisti, nullo, Hercle, pacto tuam istam sanctitatem hodie concedam. Et mox ad Virginem conversus (ibidem erat imago posita) Heus tu, inquit, passim gratiæ Parens appellaris, et meæ precationi aures obserasti. Hoc dicto concitatus, gladium distrinxit, et ambas dissecuit imagines: C cum statim sectura guttatim sanguis ebullivit. Sed puero, qui hæc viderat, exclamante, nefarius ille prosiliit; et, ecce, qui jam limen evaserat, vibrato tonitruo subita cum coruscatione sublatus est; nec est ejus, nisi cineres, amplius quidquam visum *c*. c

Friderici IV regis moribundi sanatio:

31 Quid? Nonne justas ille pœnas pependit? Facile enim divinus animus irascitur et de injuria illata hominum ulciscitur, ubi non est vacua contumelia. Sed ipse nunc me alio conferam. Anno fere post recuperatum orbem MCCCLXIV Fridericus junior rex quartus, Friderici III nepos, et Petri secundi regis Siciliæ filius, postrema morbi gravitate corripitur; qua quotidie gravescente, de eo medici cœperunt tristius aliquid suspicari et ad ultimum de ejus sperata salute communi consensu desperare. Ob quod proximiores ejus illustris sanguinis Carmelitanæ Religioni devotarunt; sacri habitus gestamen triennio scilicet gestaturum, si jam vita defectum Alberti meritis ad vitam vidissent revocari. Hoc factum est, quando tam salubre subsidium ipsemet, cui fuerant morbo sensus intercepti, præfari * non poterat. Ei cœnobitæ reliquias ejus injiciunt, et aquam, cui fuerant immersæ reliquiæ, stupido ori potandam adjecere. Quam potus, continuo præsenti haustu salutarem cognovit; adeo ut sequenti die fulcro refocillatus D assederit, et inde brevi convalidus, in pedes desilierit. Votum approbat atque Religiosum habitum aliquantisper gestavit. Verum, sacrosanctæ Religionis exorato Brevi *d*, hunc ipsum ante d diem, quod coronandus esset, omisit. Fuit et post biennium statim ad coronæ fastigium evectus *e*. e Habuit hic Alberti notionem tempore Friderici avunculi *f*, cujus ipse consulto, quod ejus canoni- f zationis procurationem sanxerat, summam fidem non dubitanter adhibuit.

* f. profari

drepanensium ab Afris captorum g

32 Cum plura sint hujusce generis, quæ ferre possunt recensendo admirationem, pro pluribus unum succidaneum suggeram. Eodem anno *g* a Libycis piratis et Saracenis navis Drepanitana diripitur, quæ item Tunetum usque, ubi piraterium erat, captiva remulcatur. Nautæ vero ubi sunt expositi, in dirum carcerem conjecti, compedibus asservati, diuque sic ac nequiter cruciati, de salutari præsidio consultare. Sed inter cætera Alberti suffragium seligere, est opportunissime visum; quem supplices alioqui, nec inde fessi, hac depre- E catione rogitabant: Quemadmodum Deo optimo maximo et Christiperæ Virgini te emancipatum esse, animum inducimus; ita te prosperum erga nos advocatum, Alberte sanctissime, experiamur; veni, et tuis, obsecramus, meritis nos in libertatem assere. Hanc ipsam orationem jejunio consecratam ad secundæ hebdomadis exitum continue protulerunt. Sic, cum abstinentia et diætariorum parcitate confecti, sacrosanctis inceptis amplius perseverare non sufficerent, ea naturæ causa intercepta posthabere decernunt.

mirabilis liberatio.

33 Diluculo autem proximo visus est Albertus carcerem, faculæ instar ardentis, illustrare, cunctorumque aciem claritate perstringere, atque ita illos demum de gradu dejectos increpare: Quid aliquando me suppliciter convocastis, et vestrum non stabiliti tam cito propositum deseruistis? Ad quam illi vocem (nil aliud præter summum nitorem cernere erat) clarigantes *, Te nos, inquiunt, invocamus, te veneramur; assiste quamprimum, et desideratæ nos libertati restitue, ne hic desperatione perduci, æternis suppliciis emancipemur. Tunc Albertus, Confidite, inquit, placidiore animo, vosque istam fidei debilitatem exuite: vestrum F enim Deus opus humanum comprobavit: ecce, me vobis salutarem demisit: me consequimini. Quo audito, carceris januæ divelluntur, compedibusque commodum diminutis, consurgunt, ac nihil cunctantes, ad portam usque maritimam claritatem secuti sunt; nec erat ea, medius fidius, obserata. Quo cum venissent, e vestigio lux illa disparuit. Inibi cymbam cœlesti nutu repertam, remis et commeatu succenturiatis, conscendunt: qui inde profecti non cunctanter, prospera trajectione Drepanum appulerunt; Carmelum * cœnobium nudi visunt et alacritate collacrymantes, eaque cymba cum portione patrimonii cunctorum oblata, Deo congratulati sunt.

* an. caligantes

* f. carmelitanum

Naufragantibus apparens S. Albertus, opitulatur:

34 Est quoque tam probabiliter factum quod sequitur. Romanam stationem cum navis quædam Drepanitana navigaret, nautisque aleatoribus et blasphemis colludentibus, ac individuam Trinitatem, totumque cœlestem numerum diffamantibus; dum sic pessime agitur, reflatu crebrescente, commodum repentina tempestas increbuit, mare contumescit, aer obnubilatur, pluviæ condensantur, nimbosi turbines obstrepunt, abscissoque obiter velo, atque pene amissis aplustriis, naufragio navis periclitatur. Tunc duo sacerdotes e Carmelitana cohorte, qui ea navi forte vehebantur,

frequen-

A frequenter Albertum, id saluti profuturum ducentes, invocare non desinunt. Ad hoc nautæ plerique omnes una commoventur, supplices, atque vota nuncupantes. Interim ad naufragum locum compulsi, naufragio dispositi, atque confessi delicta, devenerunt. Sed, Religiosis, quæ animarum incolumitatis interessent, præfantibus, et ad spem cohortantibus, aplustra, maligni spiritus nutu, submerguntur: et, ecce, inter crebros ejulatus evidenter instar Angeli luminosus Vir Dei periclitantibus astitit, hinc inde summa claritate vestitus; sermoneque grato, Blasphemos, inquit, diabolus occidit; Deus autem vitæ beneficio restituit. Illi vero cernui, certatimque sublato clamore rogitant effugium salutare. Quos ille postquam sperare jussit, in cœlum est visus sublevari: cum in conspectu omnium satan præmugiens effugit, et obiter fluctuum tumore posito, sedatisque procellarum alluviis, fit mare tranquillum, secundi flatus oriuntur. Sic prospera usi navigatione, ad Pisarum portum *h* incolumes trajecerunt; mirificam ubi illi liberationem prædicabant.

h

B

sanat hydropem,

35 Quousque me nautica res et navalis narratio moratur? Rursus non absimilia superioribus subjiciam. Anno post incarnati Verbi salutarem adventum MCCCLXXV Panhormi puer quidam hydrope graviter affectus, præ ultima inopia, quæ ad valetudinem opus esset, curam desiderabat; vique morbi crescente, succurrere filio mendicabulo mater insistit: sed quoniam minus hac successerat, aggressa est apud imaginem beati Alberti salubritatem ambire, lacrymari, et abscisse humi prostrata sic adprecari: Quam Deo sis charissimus, Pater, et quam inter vos mutua sit affirmatio, non me clam est: magna enim et mirifice digna confecit iis, quibus est aliquid tuo nomini, tuæque hauriendi suffragii gratia venerationi tributum: te ergo licet invocare; respice paupérculæ matris postremam fortunam, et ne clamorem inclementer obaudi; languenti pacem suffice. His pienter aggestis, olivo ejus lampadis bombycem intinxit, eoque pueri ventrem circumlivit: cum leni quiete subductus, paululum dormitavit, eaque demum discussa, qua contumebat, aquam intercutem et pus omne fluidum umbilico defluxisse

C

compertum est. Quod, eo saluti restituto, non fuit in civitate tenebris offusum: cunctis enim increbuit. Ob quod in Servo suo Deum præsules efferunt, populi jubilant; cujus item sacellum gregatim atque suppliciter visunt.

et febrem lethalem,

* *al.* Guillelmi Peraltæ

36 Ejusdem quasi generis exemplum, sed publicum, adjiciendum inter privata in tempore arbitror. Eadem anno Saccæ, domno Nicolao, regio puero, Vielmi, Paraltæ* comitis, filio, lethali febre oppresso periclitari contigit; ad quem medicorum insularium facile classici convocantur; qui cum artis præsidio usi, nec hilum quidem proficere potuissent, eum propediem letho collapsurum, ægris parentibus indicant. Et quidem paroxysmo continuo tenebatur; quo parentum viscera quatiuntur; utrique medullitus flere; nec ullum lethi reperire suffragium, aut denique valetudinis quibant comminisci solatium; interim ægram vitam trahentes, summum acerbitatis cumulum experiri, et vix ad somnum pernoctes decedere. Sed eo fortunæ casu ferociento, quidam cœnobita sanctitate præcellens, nocturno visu intra ædem in amplexu cujusdam Religiosi sublatum puerum et gestientem somniavit; qui deinde excitatus, habuit sane somni simulacrum religiosissime conjectarium. Cæterum orta luce, Comiti detulit, quæ vidisse meminerat. At illa, quid hoc fortasse Deus innuisset, disquirente, respondit, non posse puerum cura hominum liberari, nisi meritis Alberti, qui in ea æde præ cæteris experitur* miraculorum claritate præstare. Quare mentis sinceritate commota, vigilias festumque ejus solemne consecrare pollicetur, atque illi chlamydes aureas et argenti staticula *i* dilargiri, pauperes in ejus honorem vestire, eumque ipsum in ara faberrime statuare, et denique puerum ad tempus amiculo Religionis induere: tum religiosissimi Alberti reliquias pœnitentiarius transferri jubet, et in aquæ poculum mergi; postremo ejusdem Oratione, cum Dominica item ter atque Angelica oratione simul expedita, puero potandum tradidit. Quod ubi hausit, insani caloris relaxamentum persentiscit; et est postero die similiter factum; cum prorsus ille surrexit, lethali aditu liberatus. Illustres vero parentes, cunctatione depulsa, vota persolverunt.

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.

* *f.* comperitur

i

uti et herniam.

37 Fuit, Hercle, sua dignitate referendum; sed nunc sane ut ex oppidano ad urbicum transgrediar; anno post publicæ salutis ortum circiter MCCCLXXXV Cathinæ puer quidam, cui Nicolao nomen erat, in scrotum dilapsis intestinis, summum temporario cruciatum perferebat. Hic veneranter diem festum, dum celebrarentur Alberti solemnia, frequentavit; qui idem se ad Religiosi cœtus Præpositum recepit; quem ille dolenter affectum conspicatus; Quid petis, inquit; aut quid ita affectus es? Verum ipse cum dicto quam citissime causam demonstravit, ibidem quam plurimis astantibus cœnobitarum, qui deinde morbi malitiam admirari cœperunt. Tunc humaniter exceptum, ubi erat Albertus effigiatus, ad ædiculam duxit, ibique eum geniculari jussit, atque valetudinem obsecrare, et Religioni perpetuæ servitutis emancipationem polliceri. Quod cum fecisset, atque ter ille orasset; ubi ter Dominicam orationem atque simul Angelicam salutationem subdidit, potus tamen reliquiarum aqua, surrexit coram pristinæ saluti restitutus, et est eam continuo atque solemniter Religionem ingressus *k*.

E

k

et ulcera verminosa.

F

l

38 Nunc illud, quod se novissime offert, et sua similiter memoria dignum, minus omittendum est; quod eodem anno hera quædam inter primates Calathanixensis *l* diu verminculosæ mamillæ hianti ulcere nulloque chirurgiæ remedio conferente, laboravit; sed cum aliquando beati Alberti solemniis interfuisset, et tam audisset ejusdem nomen celebre prædicari, totque publice pro concione miracula recenseri, secum hæc vota concepit; argenteam scilicet imaginem Viro Dei se oblaturam, ejusdemque aram aureis amiculis operturam, festumque proximum religiosissime culturam pollicens, si naturæ ille artifex tam fœdæ mamillæ deformationem refigiare non dedignetur. Ea demum aquis reliquirum lota, qui sese torquendo repebant vermiculi, lapsi sunt; et desperatam jam salutem recuperavit *m*.

m

Fuere et id genus plura, quæ licenter in hujusce libelli fastigium coire potuerunt; sed ea collegi modo, quæ pene innumerabili suggestu jam extra limen proferenda mihi visa sunt, et quibus, quæ constat, sua minus fides abrogatur.

Modus, quo plures curati sunt.

39 Interea ne qua exspectatione quis forte suspendatur et hæsitans indecora salutem cunctatione remoretur; modum, quo quamplures ægritudinum conflictatione liberati sunt, explicare libuit. Sumito scilicet vas aqua refusum, atque intus quid Alberti reliquiarum eluito; præterea quotquot inibi fuerint assistentes ter orationem Dominicam, una cum Angelica, ægrotus etiam, si

fari

EX IMPRESSIS VINC. BARBARI.

fari poterit, remetiantur; sacerdos vero supplex subjectam expediat Orationem ac signo crucis innotatum poculum ægroto tribuat hauriendum.

Oratio super ægroto dicenda dum bibit aquam.

Quæsumus, Domine Deus noster, infirmitati huic salubre conferre digneris subsidium; ut, qui beati Alberti confessoris tui memoriam venerantur in terris, ipsius meritis mereantur adversitatibus liberari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ANNOTATA.

a Post secundam Olympiada, *id est decennio post præcedens miraculum. Theodoricus tamen prodigium hoc non refert ad præcedens, sed postponit illi, quod hic narrabitur numero proximo; aitque accidisse* anno Domini MCCCLXX *: sed Barbaro consonat codex Vaticanus apud Lezanam tom. IV, pag. 519, cum id factum asserit* anno Domini MCCCXIX.

B b *Cod. Vatic.:* In terra Trapani; *Theodoricus:* In castro montis Trapani, *id est in oppido Erycino.*

c *Hic brevitatis causa Poluciana Acta sæpius interim truncata, abrumpit Surius.*

d *Caietanus hoc* Breve *appellat* diploma Pontificium: *sed meram fuisse Religionis Carmelitanæ dispensationem hanc, diserte explicat Theodoricus his verbis:* Dispensavit autem Ordo cum eo (quod magnus esset et coronandus in regem) ut ante tempus, promissum habitum dimitteret.

e *Pirrus tom. I, pag. 26 negat, Fridericum III, etsi jam regem, re ipsa tamen solemniter Panormi coronatum fuisse ante annum 1368.*

f Avunculi. *Legendum est* avi: *cum hæc manifeste referri debeant ad ea, quæ supra num. 24 de Friderico II narrata sunt.*

g Eodem anno, *puta 1364, quo præcedens miraculum accidit. At Lezana ex cod. Vaticano hoc refert ad annum 1319; Theodoricus vero ad 1370.*

h Pisarum portus *ad Arnum fluvium in Hetruria, notissimus est.*

i Staticula *pro parvis statuis non semel dicit Tertullianus. Theodoricus tamen, et codex Vaticanus apud Saracenum, de unica Sancti statua* C *argentea meminerunt.*

k *Addit Theodoricus*: Et in habitu Religionis laudabiliter vixit. *Codex autem Vaticanus apud Saracenum:* Et maxima sanctitate floruit usque ad mortem; *ut observavimus in Commentario num. 16.*

l Calatanixa *seu* Calataniscta *oppidum est in valle Mazurensi, qua Netinæ jungitur ad Salsam fluvium.*

m *In hoc miraculo desinit etiam codex Vaticanus, teste Lezana ad hunc annum; non item Theodoricus, neque Polucius; ut patebit ex Appendice subjuncta.*

APPENDIX

Miraculorum aliunde collectorum.

Sanctus inter orandum elevatur:

Cum *Vitæ* S. Alberti *vetera quæ supra commendavimus, exemplaria singula non aspernandæ sint fidei, et in rebus ejus mirabilibus recensendis Barbariano auctiora sint reliqua; imo* D *prodigia insuper multa posterius acciderint, quam eadem exemplaria conscripta fuissent; necessarium duximus ea piis lectoribus ordine, non quo contigerunt, sed quo notata reperimus, ex monumentis variis in hoc supplemento repræsentare. Ordimur a codice Vaticano, qui solus et usitatum ejus orandi modum et inusitatos inter orandum cœli favores apud Lezanam ad annum 1296, num. 2 in hæc verba describit:* Multa alia miracula fecit in vita sua, quæ enarrare nimis esset prolixum; sed istud breve, quod sequitur, menti tradatur in testimonium suæ maximæ sanctitatis. Relatum fuit a suis coævis Fratribus, quod præter Officium, quod quilibet sacerdos dicere tenetur, dictus Pater omni nocte totum Psalterium legebat ante Crucifixi imaginem nudis ac flexis genibus, cum tanta devotione, quod a terra per spatium trium cubitorum levabatur; et postea, oratione finita, ad terram suaviter demittebatur.

Deipara jubente, suscipit Provincialatum, et ornat miraculo

2 *Provinciæ Siculæ præfecturam ab Ordinis magistro Generali sibi demandatam quam mirifice susceperit gesseritque, sic ante Polucium scripsit Theodoricus de Aquis, Speculi Carmelitani tom. II, part. 2, num. 2197 et sequente:* Cum ejus fama per totum Ordinem sanctitatis nomine divul- E gata fuisset, Generalis dictæ sanctæ Religionis sancto Alberto litteris testimonialibus mandat instanter, debere officium Provincialatus assumere. Quibus receptis, humilis Pater dolet in honore esse promotus; sed gaudet potius in labore. Vadit ad Virginem, ipsamque tota mentis devotione precatur, quatenus, si pro meliori foret, sibi manifestaret, officium sumendum. Quem Virgo alloquens, ait: Noli dubitare; sed audacter litteras sume: ego enim custos tui tecum semper ero. Eo vero tempore, quo erat Provincialis, dum visitaret provinciam suam, solebat cum baculo itinerari et cum socio; qui socius consuevit portare vas terreum cum aqua et pane, de quibus se solebant alere in via. Accidit autem quadam vice, cum in itinere essent, et Conventui alicui appropinquarent, ex negligentia socii vas frangi, cadere, et in particulas plurimas comminui. Cumque socius ipsum vas fractum vidisset, et nimium turbatus fuisset, non audebat appropinquare Viro Dei. Quod B. Albertus in spiritu cognoscens, vo- F cavit socium suum, et quæsivit ab eo, quare solito tardius et longius iret, et cur tam tristis esset. Qui cum tremore ei, quod sibi acciderat, enarravit. Et ait ei B. Albertus: Vade cito, et reporta mihi vas cum particulis. Cumque socius cucurrisset, ipsum vas integrum reperit et plenum aqua invenit. De quo socius ultra modum gavisus, ipsum vas Viro Dei præsentavit, et cum ipso ulterius ambulavit.

atque accepta divinitus arcanorum notitia:

3 Cum alio tempore beatus Albertus unum de Conventibus provinciæ suæ causa visitationis intrasset, et una dierum in choro orationis causa cum Fratribus esset, cognovit, unum de Fratribus magnam habere devotionem ad beatam Virginem Mariam. Quod invidens antiquus hostis, ipsum Fratrem a devotione abstraxit, et ad amorem cujusdam mulieris, visione præhabita, excitavit. Cumque Frater vulneratum amore se sensisset, devotionem reliquit; et die quadam cum ipsa locutus fuit pravi operis intentione. Virum Dei hoc non latuit; et Fratrem ad locum secretum vocavit, eique, quæ facere cogitaverat, indicavit. Quod cum Frater audivisset, veniam postulavit; et Vir Dei per orationes suas ipsum Fratrem ad devotionem, quam ad beatam Virginem

Mariam

A Mariam habere consueverat, reduxit. *Hæc, ut monui, Theodoricus cum Polucio, et partim etiam cum codice Vaticano; at quæ sequuntur, solus habet ad calcem Vitæ Theodoricus ibidem num. 2218 et sequente; unde non obscure innuit, accidisse post annum Christi 1385, de quo egerat num. præcedente; narrantur tamen absque ullo temporis charactere, in hunc modum:*

post obitum invocatus, suspensum liberat; sed eventu ferali.

4 Accidit, quemdam nobilem propter delicta capi, et non longe a Conventu Trapanensi, in patibulo suspendi. Frater ejus, qui in alio loco habitabat, cum hoc percepisset, in medio noctis silentio ad patibulum cucurrit, et ad fratrem voce flebili clamavit: Frater mi dilecte, vivis adhuc, vel non? Tunc ille ait: Adhuc vivo. Quod cum alter audivisset, ait: Quomodo adhuc vivere potes, cum tantum spatium horarum in chorda suspensionis ligatus sis? Respondit: Antequam suspenderer, vovi me beatæ Mariæ Virgini, et beato Alberto, in Conventu Fratrum ipsorum, si me in hac vita reservarent, perpetuo serviturum. Beata igitur Virgo Maria cum Alberto sancto me per pedes usque adhuc tenuerunt et a morte præ- B servarunt. Hæc ille cum audivisset, ad Conventum properabat, et Priori ac Fratribus visa et audita enarrabat. Cumque Prior cum Fratribus hæc audivisset, ad patibulum currunt; et ipsum suspensum vivum adhuc reperiunt. Post hæc Prior cum Fratribus ad judicem properabat, et ipsum suspensum liberabat, atque ad Conventum, cunctis videntibus, ipsum ducebat. Post modicum vero temporis spatium ipsum habitu Religionis sanctæ induebat. Vix per spatium unius anni et dimidii in Religione permanserat; et nobilem se considerans, fecit ad se venire de amicis suis nobiles, et quotidie cum illis conversatus est simul et depravatus: tandemque instigante diabolo, cum duobus de amicis suis Conventu exivit; et fracto voto, habitu Religionis se exuebat, et vestibus secularibus indutus, ad alia loca pergebat. Cumque a Conventu per aliquod spatium distaret, cum socii verba derisoria de habitu et Religione loquebatur. Et, ecce, ignis de cœlo descendit et ipsum usque ad cineres combussit. Cumque socii nimis territi, hoc vidissent, fugam ceperunt, et ubique hoc horribile prædicaverunt.

Alia miracula generatim asserta.

C 5 Est notandum, quod quamplurima miracula meritis B. Alberti facta sint; e quibus ista pauca ad laudem ipsius Dei et B. Alberti collecta sunt. Et sciendum, quod soleant infirmi, et nautæ, et mulieres prægnantes intrare ecclesiam B. Alberti, et, secundum quod voverunt, scapulare Ordinis portant; et adveniente tempore, vel ipso exspirante, scapulare ex licentia Prioris exuunt, et postea eleemosynis datis, ad propria redeunt: et ex hoc multa beneficia consequuntur. Est autem consuetudo in multis partibus benedicendi aquam per reliquias sancti Alberti, qua multi ab infirmitatibus liberantur, præstante Domino nostro Jesu Christo. *Hactenus Theodoricus Aquensis, de cujus ætate dictum est in Commentario prævio num. 16. Aliud auctarium peti potest ex Vita* S. Alberti *Poluciana, edita exeunte circiter seculo decimo quinto, quam præ oculis habuit anno 1627 R. P. Petrus Thomas Saracenus, dum in Menologio Carmelitarum ad ejusdem Sancti Vitam pag. 319, num. 44 hæc addidit:*

claudum erigit; pauperi desperanti succurrit:

6 A Joanne Maria Polucio accepimus, quæ infra. Claudus quidam, cui nec etiam fulcris uti permittebatur ad lente ambulandum, portatur ad sepulcrum D. Alberti, cujus miraculis capiebatur quotidie. Cœpit ex corde orare, sanitatem ab eo humiliter petens; et, tacto monumento, virtus statim de illo effulsit, qua libere exsurgit, rectus ad aram pergit, alacer gratias agit, et laudes D. Alberti prædicat. AUCTORE P. B.

Aliud ab eodem. Philippus, nauta Venetus, anno MCDXCII inserviebat domino cujusdam navis, pacta salarii conventione singulo mense accipiendi. Anno expleto, adversante fortuna, dominus ejus nequivit ei menstruam solvere pecuniam. Domum reversus, et, deficientibus auxiliis pro alenda familia (progenitore, uxore et liberis) desperatione ductus, se laqueo tradere decernit et misera morte vitæ miserias terminare. Funem præparat; secunda noctis hora exit domum, ut voluntarium sumet suspendium tristi animo compleat. Vix pedem e limine ostii effert, en, vox inclamat: Quorsum, Philippe? Ad mentem redit: clamat et ipse: O bone Jesu; o sancte Alberte, adjuva me. Rogat auxilium, sistit, et auxiliantem invenit. Nam pœnitentia tactus, domum revertitur, et cum inter nocturnas tenebras per forum D. Marci transiret, atque secrete sanctum Albertum imploraret, pondus ab imperceptibili fulgore jactari ad ejus pedes sentit; et audiit aut vidit neminem. Timore perculsus flectitur; pe- E dibus manibusque jactatum pondus quæritat, et crumenam sericam invenit pecuniis plenam. Lætus se ad propria confert, et seorsum aureos mille invenit. Gratias agit Deo et D. Alberto, qui ejus familiæ inopiæ auxiliari tam liberali manu dignati sunt. Hæc mense Decembri accidisse, scribit Joannes Maria Polucius.

apparet febricitanti, quem sanat:

7 Refert item, Venetiis anno MCDXCVI in ecclesia Majorbii * publice mirum aliud se concionando, pluries enuntiasse testem oculatum. Sacerdos, Marinus nomine, febrium ardoribus acriter urebatur, nec illi salutarem opem medici ferebant; quare in discrimine vitæ versabatur. Mittit pro aqua benedicta reliquiis sancti Alberti; nec obtinet, ita disponente Deo. Cum per nuntium intelligit, aquam minime ei allatam, præcipit aquam non benedictam cyatho adferri; qua adepta, in hæc erumpit verba: O Pater sancte Alberte, scis, me singulis annis tuum sacrum festum cum vigilia solemni ritu observare. Te rogatum cupio, iis hanc benedicas aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Bona fide F bibit, et paulo post somno capitur. Adest ei D. Albertus, dicens: Surge, sacerdos carissime, et da gloriam Deo. Et statim sanitate donatus est. Hæc ille; *inquit Saracenus, et mox ibidem sequentia subnectit:* Addam his, quæ, dum hæc scriberem, in insigni nostri Conventus Bononiensis bibliotheca reperi in manuscripto pergameno Acta sex, per dominum Laurentium de Pinis, archiepiscopatus publicum notarium et civem Bononiensem, rogata, in honorem sanctitatis D. Alberti.

* f. Majorgii pro Georgii majoris

pestem tollit; punit episcopum suo cultui adversantem:

8 Testimonium primum. Bernardinus de Muletis, filius Francisci de Muletis, civis et procurator Bononiensis, dum anno MCDXXIII civitas Bononiæ pestilentiæ contagio acriter vexaretur, uxorem duxit, nomine Bonam, filiam domini Minii de Scardois; quæ gravi pestis morbo detenta, deposita, et a medicorum ope abdicata, abortiva, pro mortua multis horis jacuit. Vir ejus D. Alberto vota facit; preces lacrymatus fundit; aquam Sancti reliquiis benedictam potu tradit. Mirabile dictu; emisso voto, ipsa melius se habet, et cum tota domo protinus liberatur. Voverat pro obtinenda uxoris sanitate, imaginem D. Alberti cum miraculis in cathedrali ecclesia S. Petri Bononiæ pro-

AUCTORE P. B.

propriis expensis pingendam fore ad lævam ostii veteris sacristiæ. Sed dum Bernardinus picturam curat, episcopus prohibet. Oratione instat, ut promissum votum adimpleat; nec valet. En miraculum miraculo additum. Episcopo sequenti nocte D. Albertus apparet, et valida febre percutit. Episcopus pœnitentia ductus, Bernardino amplissimam facultatem facit excogitatæ picturæ pingendæ; et aquam D. Alberti pro sanitatis recuperatione sumit, atque Officium ejusdem S. Alberti cathedrali ecclesiæ concelebrari, dum viveret, mandavit. Notarius, qui supra.

morbos varios pellit; suscitat biduo mortuum:

9 Secundo. Anno MCDXXXIV D. Flora, filia D. Baptistæ de Mezarachiis, cum febribus gravissime ureretur ad mortem, voto vovet imaginem ceream pro sanitate obtinenda, et impetrat. Tabulæ notarii publici supra.

Tertio. Eodem [anno] Jacobus, filius Joannis de Martellis, de parochia SS. Vitalis et Agricolæ, ulcere fœdo et immedicabili vexatur; a quo fœtor putredinis emanantis, mixto sanguine, omnes fugabat. Vovet summis precibus Sacrum D. B Alberto in ecclesia Carmelitarum S. Martini Bononiæ; et sanitate donatur. Notarius, qui supra, in publicis tabulis.

Quarto. Anno MCDXLIX D. Novella, filia D. Francisci de Monterenciis, uxor D. Hieronymi de Brunis, pestifero morbo diu vexata, vovit D. Alberto; et sanatur. Tab. ejusd. not.

Quinto. Anno MCDLV egregius legum doctor D. Joannes de Poetis, civis Bononiensis, febre correptus, ad annum integrum moribundus, vovet B. Alberto, ejus festum celebraturum, dum vitam possidet. Obtinet; et gratias agit Deo. Tabulæ notarii Pini.

Ultimo. Joannes, quondam Joannis de Ravenna, faber lignarius, sub sacramento testatur, anno MCDLVI ejus filium Sebastianum, infirmitate diu gravatum, tandem mortuum esse. Ubique clamor et consternatio parentum. Biduo fere exstincto sepulcrum ei parant. Interim preces D. Alberto fundunt: et, ecce, mirum, o mirum supra naturam ipsam! puer incalescit paulatim, efflat, ocellos aperit, et loquitur. Quod dono obtinet pater a D. Alberto, gratias agit; et sanus factus est. Tabulæ ejusdem Pini. *Ita Saracenus, e quo non* C *piget alia duo depromere, quibus* S. Alberti *Vitam concludit.*

ablatas clam reliquias miraculo cogit restituere:

10 Addam item, *inquit*, quæ mihi bona fide illustrissimus et reverendissimus dominus Laurentius Celsus, Bononiæ vicelegatus, episcopus Castri, retulit anno *(hic omissus est numerus; sed colligetur inferius.)* Dum enim apud Viterbium Patrimonii gubernationem haberet, duo Fratres ultra montes insignem S. Alberti reliquiam noctu devotionis ergo surripiunt e nostra sacristia Viterbii; clam abscedunt; et furtum asportant. Cum die integra itinerati essent, in sero iterum circa mœnia civitatis Viterbiensis iter confecisse dignoscunt. Sequenti die impœnitentes, itineri se tradunt; advesperascente, cum via fatigati essent, adhuc submœnia vident civitatis Viterbii. Horrent, et silent; nec pœnitet eos sacri furti. Se tertio itineri accingunt, et idem eis contigit. Quare Dei judicium agnoscunt, et pavent trepidi: ad R. archipresbyterum Montis Falisci se conferunt; rem ordinate ei dolentes aperiunt, et rogant, sacram D. Alberti reliquiam Carmelitis Fratribus civitatis Viterbii consignare fideliter non dedignetur. Annuit iste; et felicius discedunt furunculi. Archipresbyter sequenti die detulit reverendissimo et illustrissimo domino Laurentio Celso, Patrimonii gubernatori; qui Fratribus nostris ad se vocatis restitutam divina ope reliquiam maxima cum devotione concredidit. Hujus admirandi casus egomet humiliter testimonium authenticum ab eo petii, et obtinui (reperitur modo in bibliotheca nostra Bononiensi) anno MDXCII. D

febrem subito extinguit:

11 Succedit ultimo aliud non omittendum. Anno MDXCII magister Virginius Bentivolus de Bononia, pater in Christo amantissimus, cum die XI Septembris acri febre cum vitæ discrimine diu laborasset, egomet annum agens XXVI ad eum ingressus dolens, de S. P. N. Alberti meritis plura dixi, adhortans ejus benedictam aquam solita devotione bibere. Annuit libentissime. Ad altare accessi; aquam benedixi post Sacrum, et ei attuli; quod et ter idem præstiti. O Dei miram in Sanctis liberalem potentiam! Statim sanitati restituitur. In hujus rei memoriam orationem satis celebrem habuit Frater Dominicus Rota de Bononia anno MDXCVI. Exstant multæ aliæ et pene innumeræ S. P. N. Alberti virtutes, quas jam præmonui, et propositi nostri memores silentio involvere cogimur: E non enim pompa certamus; sed hæc innuisse volumus; ut S. Alberti meritis in hora mortis et in hac valle miseriæ nunc propitium, tunc adjuvantem obtineamus.

mortuum suscitat:

12 *Illustre est etiam in paucis, quod anno 1475 annotavit Arnoldus Bostius, scriptor Ordinis Carmelitani in Belgio nostro præclarus, in libro de Illustribus Viris Ordinis BB. Dei Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmeli, apud Danielem a Virgine Maria Speculi Carmelitani tom. II, part. 2, num. 3006; ubi* S. Alberti *nostri texens elogium, ejusque cumprimis quotidiana universim commendans miracula, unum ita subdit:* Nuper autem, videlicet anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, ut a magistro Guilielmo de Guidonibus, Provinciali Siciliæ, informatus sum, in civitate Agrigento mortuum vitæ reddidit; veluti mater defuncti et narravit, præsentibus illustri principe Domino Antonio, Comite de Calathamperche, et nobili milite domino Joanne de Landoline.

puellam misere affectam sanat,

13 *Neque vero silendum, quod narrat ipse Daniel a Virgine Maria in Appendice Vitæ* S. Alberti *Theodoricianæ subnexa ibidem num. 2225.* Singulare quoque est, *inquit*, id quod Leodii contigit anno MDCLVIII, die VI Januarii, in puella F quadam annorum XXV, quæ per triennium laboraverat symptomatibus ab ulcerato hepate. Pus per os frequenter evomebat, et per inferiores meatus excernebat, ac dolore intolerabili in hypochondrio dextroque latere torquebatur. Pertinax, jamque inveteratus morbus omnem tum artis tum naturæ industriam inanem reddebat. Omni itaque humano auxilio et spe destituta, languentem spiritum inter gemitus et suspiria adhuc ducens, fiducia et devotione ad S. Albertum Carmelitam permota, votum concepit per novem dies sumendi aquam, hujus Sancti reliquiis benedictam. Primo die novenæ hausta ad unciam unam cum media circiter ex dicta aqua, illico se mutari sensit; dolor lateris disparet; symptomata non amplius reditura evanescunt: eadem die sumit tum liquida tum solida, nulla cum molestia, non singultu nec vomitu amplius subsequente. Noctem sequentem dormit, super latere affecto decumbens absque ullo, ne molestiæ quidem minimæ, sensu. Secunda voti die surgit, ambulat, omnia sua munia exsequitur (quod et prima die se potuisse, jure jurando asserit, si tum parentes, tum etiam ipse Pastor, et alii curam ejus habentes permisissent.)

A misissent.) Et sic integram consecuta est sanitatem; ut affirmet, melius valere se, quam meminisse possit, se valuisse unquam ante. *Quæ sequuntur, cum ad hujus prodigii comprobationem legitimam publicamque fidem unice faciant, ibidem legi possunt.*

aliaque præstat beneficia.

14 *Præter hæc omnia, quædam etiam alia recenset præterito pleraque seculo facta R. P. Philippus a Visitatione in Vita Sancti Gallica § 20, quæ hic delibasse suffecerit. Ait ergo Cæsaraugustæ in Hispania tam frequentia ab anno 1600 ejus in cæcos, febricitantes, aliisque detentos miseriis fuisse beneficia, ut ibidem auctoritate legitima in templo Carmelitarum anno 1609 ex iis quatuordecim uno tempore fuerint solemniter promulgata. Asserit etiam, anno 1645 Hippolytum quemdam Drepanitanum in Sicilia locupletem, cum ejus thesaurum vicinus pauperculus furto sublatum in silva quadam defodisset, vovisse Deo, si amissa recuperaret,* S. Alberti *solidam ex argento statuam; tum postridie, cum aliud acturus; equo veheretur, impetu repentino ruptis frænis abreptum a jumento fuisse usque ad eamdem silvam et furti latibulum; ibi vero equum substitisse, terramque calcibus emolitum, infossas domino suo retexisse divitias: hunc autem voti reum, quod promiserat, liberaliter exsolvisse. Huic aliud subjicit, in quo nonnullam quoque partem ipsemet habuerit. Anno 1671 Valencenis Anna Francisca Fagot in solemni ac frequentissima supplicatione elegantem et auream crucem amiserat; inops consilii recurrit ad P. Philippum, cujus consilio rem* S. Alberto *commendans, rem divinam ibidem ad aras postridie fieri rogat. Interfuit ipsa; et inde redeunti canis occurrit, crucem eamdem ore præferens atque offerens ultro. Habet idem auctor cum ibi tum alibi plura, quæ hic libentius attexerem, si fontes assignarentur, unde deprompta sunt. Et vero ad institutum nostrum atque hujus Thaumaturgi gloriam huc usque dicta sufficiunt.* AUCTORE P. B.

B

DE S. VINCENTIO MINORITA CONF.

Aquilæ in Vestinis. J. B. S.

MDIV. *Probatur ejus sanctitas*

Virum *apud suos Aquilanos sanctitatis ulade celebrem, inter Prætermissos jam ferme signaveram, quemadmodum Majores nostri Appollonium ejusdem loci et Ordinis* XXX *Martii referendum censuerunt, defectu probationis legitimi cultus; sed eam peropportune mihi suggessit Itinerarium Janningi nostri dum anno 1686 Roma in patriam rediens ea Aquilæ observavit quæ ad rem sufficere visa sunt. Legeram Gonzagæ elogium et quæ post ipsum scripserunt Waddingus, Arturus Hueberus et alii, præclara sane sanctissimæ ejus vitæ virtutum et miraculorum testimonia; verum, ut jam dicebam, non satis clare ab ipsis expressum erat,* Vincentium *illum Sanctorum honoribus legitime celebrari, id quod laudatus Janningus abunde testatus est. De Beati gestis nihil, quod sciam, superest, præter ea quæ in dictis elo-* C *giis recensentur, quorum omnium instar erit Waddingi satis destincta narratio ad annum 1504, tom. VIII, pag. 57. Arturus eum retulit* XXVIII *Aprilis aliique ipsum secuti; ast ex Janningo satis patebit, hoc ipso die migrasse, quo festum ejus recolitur. Habe modo Waddingi textum:*

ex elogiis Gonzagæ

2 Diximus alias, nos acturos de B. Vincentio Aquilano fratre laico, quem hoc anno plurimis virtutibus insignem ad cœlum migrasse ait Gonzaga, qui hoc ejus elogium subjungit. Vir, inquit, erat summa sanctitate, abstinentia atque humilitate præditus, singulari insuper patientia in laboribus illatisque injuriis perferendis, in oratione vigilantissimus, ita ut integras noctes propter eam duceret insomnes. Spiritum insuper a Deo accepit propheticum, cujus illud insigne est argumentum, quod cum Ferdinandus Arragonius rex Neapolitanus adversus Innocentium VIII bellum pararet, interrogaretque eum an vinceret? Vincentius responderit, nequaquam, et proinde rebus suis consuleret, nec cum Pontificiis manus consereret. Sed Rex ista contemnens, ad pugnam descendit, in qua incredulitatis suæ pœnas luit ab hoste fugatus. Decessit in conventu S. Juliani prope Aquilam, ubi casu effosso sepulcro, post annum ab obitu quartum decimum, inventum est ejus corpus integrum, undique incorruptum, suavissimum exhalans odorem, et decenter repositum in arca nucea et crystallina, translatum est in locum honorificum. Inde cœpit multis clarere miraculis, quorum memoriæ conspiciuntur in donariis et tabellis votivis ad sepulcrum appensis. *Hæc Gonzaga, quibus ex Marco Ulyssiponensi sequentia addit Waddingus:*

et Waddingi:

3 Asperam et solitariam vitam semper traduxit, consortium non solum fugiens secularium, sed et fratrum devitans colloquia. Pane vivebat et aqua, crudas aliquando manducans herbas, sæpius absynthium. Regi Neapolitano prædixit Caroli VIII in Italiam adventum in illius exitium. Sulmonensem Episcopum vita functum e morte revocavit, qui post dies duos et viginti denuo e vivis excessit. Multa patravit miracula: Aquilanum quemdam, per menses quatuor elinguem et mutum, F ut perfecte loqueretur effecit. In urbe Pennensi puerulum utroque distortum crure rectificavit. In S. Angeli civitate adolescentem manibus et pedibus obrepentem, alterum uno pede claudicantem, tertium pedibus sistere impotentem curavit. Per Francavillæ urbem transiens oblatum sibi juvenem claudum et mutum sanavit.

cultus ex Janningo

4 *Hæc quidem de* B. Vincentii *sanctitate et miraculis me dubitare non sinebant; id vero quod desiderabatur, in prædicto Itinerario sic expressum reperi, ubi de Aquila agens, sic diserte notat Janningus:* In ecclesia PP. Franciscanorum Reformatorum prope eamdem civitatem, appellata S. Juliani, asservatur corpus integrum perpulchrum B. Vincentii, ejusdem Ordinis laici, cujus festum agitur VII Augusti, quo item die obiit anno MDIV. Conditur in primo ad sinistrum ingredientis occurrente sacello admodum decenti ornatu, apposita inscriptione hic adjuncta.

D. O. M.

et egregia inscriptione.

5 Sedente Urbano VIII Pontifice Max. et Philippo IV Rege Catholico regnante, ac Neapol. regni Prorege Excellentissimo D. Emanuele de Fonseca et Zuniga Comite Montis Rey et Fuentes Beati Vincentii Aquilani corpus post annos CXXX inte-

AUCTORE J. B. S.

integrum et incorruptum, jam pridem capsa crystallina inclusum eminentiorique loco repositum, atque ab immemorabili in maxima semper veneratione et devotione habitum.

Illustrissimus ac Reverendissimus DD. Gaspar de Gayozo episcopus Aquilanus, regiusque Consiliarius, Seraphici Ordinis devotissimus, et erga pauperculos hujus cœnobii fratres Reformatos pientissimus Pater, pro sua pietate et religione singulari, honorificentius et tutius conservandum atque obserandum curavit, et piis ac liberalibus eleemosynis altare, sepulcrum atque sacellum ad D decentiorem et magnificentiorem formam redegit ac venerabiliora reddidit

Anno Domini MDCXXXIV.

Alia item pro die obitus.

6 *Ut de jam asserto obitus die certiores reddamur, Italicam inscriptionem subjicit, ex loco ubi prius sacrum corpus conditum fuerat. Hæc Latine versa ita sonat :* In hac sepultura quiescit corpus beati Vincentii Aquilani, qui ad meliorem vitam transiit die VII Augusti MDIV.

DE S. CAIETANO THIENÆO CONF.

CLERICORUM REGULARIUM, VULGO THEATINORUM, FUNDATORE

NEAPOLI IN CAMPANIA ITALIÆ

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti patria, natales, nomen, educatio, innocentia vitæ, pia erga Deiparam affectio, studia, virtutes, ædificatio ædis sacræ.

ANNO MDXLVII. *Sanctus Vicentiæ in dominio Veneto*

C*ommentarium, Vitæ hujus præclarissimi Sancti prævium, ordimur ab ejus patria.* Compendium Vitæ, virtutum, ac miraculorum, nec non actorum in causa beatificationis et canonizationis B. Caietani Thienæi, Clericorum Regularium fundatoris, ex secretaria Congregationis Sac. Rituum, Romæ ex typographia reverendæ Cameræ Apostolicæ MDCLXXI *editum, ac deinceps sub nomine Compendii Romani a nobis brevitatis causa citandum, memorat sequentia :* Vicentia... est Venetorum urbs mediterranea, et nobilissima civitas episcopalis, Meduaco minore fluvio divisa, vitiferis C collibus proxima, quam a centum vicis, ex quibus coaluit, dictam volunt. Inter nobiliores hujus civitatis familias, insignis est illa Comitum Thienæorum ; et altera Comitum Portorum, in qua natus est prædictus Beatus. *Verum cum hæc magis perspicue nos doceant, qua e familia, quam e quo determinate loco natales hauserit noster Sanctus, ulterioris in hanc rem commentationis ansam præbent.*

natus ex illustri familia

2 *Antonius Caracciolus, Vitæ* S. Caietani, *quam illustramus, auctor,* Natus est, *inquit,* Caietanus Vicentiæ. *Consentiunt illustrissimus D. Joannes Bapt. Tufus, infra num. 195 a nobis memorandus, P. Josephus Silos in Historia Clericorum Regularium vulgo Theatinorum lib. 1, ac in Vita Italica ; item P. Franciscus Barbaranus de Mironi in Historia ecclesiastica civitatis, territorii, et diœcesios Vicentinæ lib. 2, cap. 86 ; ne alios commemorem : quibus adde bullam canonizationis, uti et lectiones proprias Officio ejus ecclesiastico insertas ; ut prorsus non videam, quid moverit Bailletum, ut in determinando Sancti loco natali uteretur particula disjunctiva, dicens* vel *Vicentiæ* vel *Thieni ortum fuisse, vico tribus quatuorve, uti addit, leucis ab ea distante occidentem versus : unde familia Thienæa, prædicti loci domina, nomen sumpserit. Silosius vero de ejusdem origine sic disserit :* Cujus incunabula vel ab antiquissima ac celeberrima Græciæ urbe, nempe ab Athenis, sunt repetenda, augetque fidem ea stemmatis nomenclatura : nam ab Athenis Thienæos dici volunt : ni mavelis illorum opinioni adstipulari, qui ab Athenio, Arcadio ac Honorio imperantibus, consule, Thienæum genus, nomenque derivarunt. *At quidquid sit de hoc generis nomine satis longe quæsito ; alia in promptu habemus, quæ Thienææ familiæ splendorem commendent ; uti videre licet apud Caracciolum in Vita, aliosque. Cum autem ea Vita a nobis sit recudenda, pluribus de hoc argumento congerendis supersedemus.*

anno 1480

3 Venio, *inquit Caracciolus,* ad Gasparem, F Caietani nostri parentem ; de quo ambigo, præstantiorne domi, an belli exstiterit ; *utroque apud eumdem scriptorem titulo laudatus. Et mox subditur :* Ex eo viro, et ex Maria Portia, pari nobilitate ac virtute matrona, Caietanus nascitur. *At quo anno ? Pergamus cum Caracciolo :* Quo autem anno, *ait,* non admodum clare liquet. Sed si arbitrari licet ; quandoquidem, ut postea dicemus, superioris seculi XLVII haud decrepitus senex obiit, arbitror, nisi me conjectura fallit, illum circiter annum a redempto orbe MCDLXXXV in hanc vitam editum. *Verum natalis annus adeo incertis terminis a biographo isto definitus, occasionem nobis præbet, ut dispiciamus, num pressius aliquid ac certius circa illum dici tuto possit. Potest enimvero. Rem itaque expendamus. Auctor anonymus Vitæ Italicæ, anno 1655 Venetiis excusæ, et pluribus inferius a nobis indicandæ, lib. 1 § 1 memorat, Gasparem Thienæum, sancti Fundatoris nostri parentem, e processu Vicentino, quem citat fol. 333, anno reparatæ salutis 1475, mense Octobri matrimonio junctum fuisse, nec supervixisse ei diutius, quam annis sex, anno utpote 1482 vita functum, parvulis tribus, videlicet Joanne Baptista,* Caietano, *atque Alexandro post se relictis ; ac proin verosimile esse,*

quod

A *quod Sanctus noster, secundo inter illos loco genitus, primam lucem hauserit intermedio annis 1477 et 1480 tempore : indicat tamen, Vitæ scriptoribus Castaldo, Cavo, ac Silosio se suffragari, ac natales istos accidisse anno 1480, affirmat. Illum etiam signat Compendium Romanum, de quo supra. Sed sive annus ille 1480 vere fuerit primus vitæ* S. Caietani, *sive numero rotundo ab auctoribus pro tali fuerit adoptatus, eumdem nos etiam ponimus ipsorum exemplo. Observamus interim, in Vita Castaldiana anno 1616 Romæ recusa, qua utimur, cap. 1 non assignari natalibus annum 1480; sed annum circiter 1485, qui cum dictis componi non potest.*

ineunte, ut quidam asserit, mense Octobri, ac vili loco.

4 *Antonius Thomas Schiara, de quo inferius inter biographos plura, præter annum 1480, cui sancti Fundatoris natales innectit, in mensis Octobris initium eosdem incidisse tradit; qua vero auctoritate, uti nos fugit, ita illud discere cupimus. De facto, quod ex eodem auctore subdimus, idem esto judicium. Refert enim quod* Caietani B *mater, dum in partus esset redacta angustias, ac eniti eumdem non posset in cubiculis splendide exornatis, transferri se curarit cœlesti monitu, per devotam quamdam personam, in cubiculum vilissimum palatii sui : quo vix perducta, partum suum feliciter in lucem ediderit; additque idem biographus, perspicuum hac re præludium a Sancto exhibitum fuisse magni illius odii, quo postea aversatus est omnes mundi pompas ac dignitates; nec non profundæ illius modestiæ, quæ eum ad tam altum perfectionis apicem evexit.*

Divina bonitas elucet in natalibus Sancti:

5 *Cæterum annus 1480, quo primum vitales auras vagitibus implere cœpit Sanctus, maximo Catholicæ religioni fuit emolumento, cum illud acciderit* tres scilicet non amplius ante annos, quam publica illa religionis fax, hoc est Martinus Lutherus, malo quodam astro aurigante, ad morum perniciem luemque in orbem est invectus : quo bonitas illa summa Numinis demonstraret, maturius jugulandis malis curare præsidia, quam mala ipsa existant : nam ut in loco explicabimus, ad effrenem Lutheri insaniam compescendam, opem non exiguam, momentumque C attulit hæc Clericorum Regularium, a Caietano et sociis instituta sodalitas, eadem ipsa tempestate, qua ille, mutato habitu, impietatis Roscius, fabulam exhibuit Christiano orbi oppido luctuosam; *prout observat Silosius nuper a me citatus. Eadem paulo brevius habentur in Compendio Romano. Nunc de nomine, quod Sancto inditum est, dicamus.*

ejusdem nomen,

6 Porro Caietani vocabulum, *teste Carracciolo,* illi parentes indiderunt, ut senioris Caietani, patrui sui magni, de quo diximus, et nomen et virtutem repræsentaret. *Silosius.* Et quidem, *ait,* ut in divinarum, humanarumque rerum scientiis eamdem patrui orbitam pressit Thienæus, ita puriori ingenio de contemptu mundi philosophatus, laureamque feliciori in Athenæo consecutus, illum longe superavit. *Rem ita exponit Compendium Romanum :* Sacro fonte renatus in baptismate, Caietani nomen sortitus est, ut celeberrimi philosophi ac theologi gentilis sui, canonici Patavini, memoriam in familia Thienæa renovaret: cujus meminit Joannes Trithemius libro de Viris illustribus. *Honorificum magni istius viri epitaphium præmiserat Caracciolus verbis, quæ modo ex ipso attulimus, addens præterea, unde id Caietano patruo magno nominis adhæserit, nimirum* quod Caietæ *(urbe regni Neapolitani in provincia Terræ Laboris)* apud Ladislaum regem natus esset. *At nunc ad Confessorem nostrum redeat oratio.*

AUCTORE J. P.

pia educatio, et oblatio Deiparæ :

7 Educatum, *inquit biographus,* fuisse liberaliter et ingenue, nefas est ambigere, utpote apud nobiles parentes, et morum probitate ac civilitate conspicuos. Nihil tamen audivi aut legi de ejus pueritia, adolescentiaque. Id solummodo tradunt, Romam migrasse juvenem, et firmo jam ingenio atque ætate *etc. Verum hanc nos lacunam aliunde suppleamus. Compendium imprimis Romanum paucis verbis multas ineuntis ejus ætatis magnasque prorsus laudes intexit, dum ita enuntiat :* Pie et catholice educatus, ea statim virtutis ac pietatis indole effloruit, ut in ipso ætatis rudimento, omnium linguis Vicentiæ appellaretur SPIRITUALISSIMUS, DEVOTISSIMUS, SANCTISSIMUS. *Hisce proluserat religiosissimæ parentis ejus factum, de quo Silosius* Prætereundum, *ait,* id loci non est luculentum maternæ pietatis argumentum. Enixa namque filium parens, statim a puerperio, sua et illum manu ante Virginis Deiparæ imaginem stitit; obtulitque ejus vitæ primitias, ac summa veluti libamenta magnæ Matri. E Nempe ut primam statim indolem, atque illibatam Puero mentem instillaret, propinaretque lacte suo Virgo; ac feliciter quidem mortalis vitæ diem auspicaretur Filius ab ea luce. Id quod et illustrem illam, non tam generis claritudine, quam filiorum septemviratu feminam, nempe Aletham, divi Bernardi matrem, factitasse legimus. Siquidem quos in lucem edebat filios, tanquam non sibi sed Deo peperisset, singulos ipsamet prona manu offerebat Numini. Hinc factum, ut omnes ceu jam inde ab incunabulis authoritati *, Bernardo generosi agminis duce ac vexillario, stipendia in Dei castris meruerint. Egregium sane utriusque parentis factum, eodem fere successu memorandum.

* f. auctorati

qua annuente insignes

8 Et quidem, quod ad Caietanum attinet, annuisse Virginem pientissimæ matris votis, et facili in ejus pectore pietatem, atque omnigenam virtutem altius impressisse; sequuti subinde in Puero, atque adolescentia mores ingenui, compositi ad omnem modestiam vultus innocentia, ac ipsa in beatissimam Virginem observantia commonstrarunt. Scilicet sive e Majorum indole, sive e cœlo proseminata in animo virtus cum ipso flore ætatis statim floret. F Erupere in primis in Puero maturæ jam pietatis indicia. Summa enim in pauperes munificentia, et commiseratione stipem ipse a domesticis exterisque corrogare; ipse erogare, paupertatis eximius quæstor; futurus deinde grandiori ævo tantus tantæ virtutis assertor et cultor. Elementa ac summa fidei capita, mirum qua memoriæ celeritate arripuit : utque propugnaturum se olim contra capitones ac frontones hæresiarchas fidem, mature ostenderet, ejusdem argumenti disceptatiunculis oblectabatur. Ingenio facili præsentique fuit. *Porro de virgineo integritatis flore, quo Sanctus fuit spectabilis, consuli etiam potest supra citatus auctor anonymus lib. 1 Vitæ § 16, allegans Processum Vicentinum fol. 209, 311 et 317; Neapolitanum autem fol. 144.*

ab ineunte ætate virtutes exercuit.

9 *Cæterum illustrantur et confirmantur ista ex Bulla Canonizationis :* Quem mox ut enixa est mater, Deiparæ Virgini obtulit, commendavitque : cujus vota benigne suscipere ipsa Deipara visa est, eum semper in posterum specialibus favoribus munerans; ipseque vicissim ut matrem illam tenerrimo quodam affectu sæpe compellans, ad ejus patrocinium in arduis omnibus confugie-

bat.

AUCTORE J. P.

bat. Pietati a primis annis addictus, oratione, eleemosynis, aliisque piis operibus animum instruebat, cunctorum oculos in se rapiens mirum in modum, adeo ut ex tunc sanctus ab omnibus nuncuparetur.

Industria in sublevandis egenis, studium orationis, cœlestis ad eum vox.

10 *Ex qualicunque fide Vitæ Ms., e Silosio aliisque collectæ, de qua dicetur infra § 19 num. 204 et 205, cap. 1 subdimus ista :* Summa in pauperes munificentia et commiseratione stipem a domesticis collectam, et anxie conquisitam, egenis erogabat, atque de iis, quæ sibi ad victum dabantur, partem subtrahens, occultansque, tenerrimum adhuc corpus matutinis vespertinisque jentaculis, quibus tam avide pueri recreantur, sæpius privando, jejuniis cruciabat, ut aliorum famem levaret. Cum ejus mens vix idonea orationi esset, et ætas sufficiens, orandi tamen studio et desiderio flagrantissimus, in secretioribus domus suæ penetralibus, adhuc puerulus a domesticis suis sæpe sæpius reperiebatur, vel piorum librorum lectioni intentus, vel in genua provolutus ante altariola, piis imaginibus exornata... B ferventissimas Deo preces et orationes fundere. Crevitque in eo magis hoc pietatis studium, ac amor in Deum, ex quo Spiritus Sanctus in columbæ specie, triplici volatu Caietanum veluti circumvallavit, ac quamdam de cœlo vocem sibi dicentem audivit: Pax tecum, Caietane; cave, quæso, ne eam amittas. *Hæc ibi.*

Studiis adjungit propriam in virtute perfectionem.

11 *Cum virtute conjunxit litterarum ac liberalium artium studia: de quibus hæc notavit Silosius in Historia seu Annalibus lib. 1 pag. 5 : quæ argumento sint, utrumque illud una cum egregii Adolescentis ætate ornamentum floride adolevisse. Nam* emensus humanarum litterarum studia, in philosophiam auspicatissime velificavit. Mox in civilis sacrique juris prudentiam ingressus; utraque laurea publice fuit inauguratus. Verum ceu forensem hunc disciplinarum apparatum nihil pensi habuerit; continuo ad scientiarum principem facultatem, sacramque theologiam se contulit, ut hoc rerum cœlestium lumine ac sapientia acrius arderet, qui egregio in pectore calere jam cœperat æternorum amor. Enimvero ut scientiarum cultu expolire ingenium, præclarum esse duceret; illud præstantius ac sanctius existimabat, exornare virtutum insignibus animum. Quare C flagrantissimo quodam, acrique purioris vitæ desiderio inflammatus, adultam exercere juventutem pietatis operibus impensius cœpit. Hinc excellentium virorum exempla per urbem studiose pervestigare, et sequi: templa qua mysteriis frequentandis, qua fundendis precibus assiduo terere; fori celebritatem ac frequentiam deprecari; secretiora deligere divinis rebus commentandis loca: ut brevi, meritoque manaverit vulgo fama, Comitem Thienæum bonis incitamento; malis terrori esse: illis quidem exemplar; his frenum. *Nec vero insignes adeo ad optima quæque promovenda ardores domi apud se continuit, sed foras in bonum publicum aliorum propagavit. Audiatur Silosius :*

nec non publicam utilitatem templo, quod fundavit, promovet.

12 Auxit hanc pii Juvenis opinionem templum illud, quod divæ Mariæ Magdalenæ, erecto etiam ad egregium hoc opus fratre, suo, ac fratris ære excitavit, dotavitque. Quo et erga sanctissimam Mariam Magdalenam suum interioris animi affectum testatum voluit, et populis, qui in eo pago, Rampazzum vocant, Thienæorum latifundium, morabantur, religiose ac sapienter consuluit: ut templo nimirum viciniore, animarum negotia propensius atque opportunius accurarent. Quæ sane sacrarum ædium substructio rudi- D mentum Thienæi fuit, templa quidem majora ac sumptuosiora facere condiscentis. Concipiebat namque animo, fore, ut novæ olim congregationis fundator, plures divino Numini ædes fundaret, ac magnifice dedicaret. Exstat nunc templum hocce Magdalenæ sacrum, inscriptamque germanorum fratrum pietatem, ad ævi memoriam, legendam refert in hæc verba :

BAPTISTA, ET CAIETANUS DE THIENÆIS FRATRES JURISCONSULTI A FUNDAMENTIS EREXERE AN. DOMINI MDV, DIE X JULII D. O. M. AC D. MAGDALENÆ.

Prædicta confirmantur e Bulla canonizationis.

13 *Superiora roborantur e Bulla canonizationis, quæ sic affirmat :* Quique adhuc puer in exstruendis aris, sacrisque imaginibus exornandis totus fuerat, postmodum adolescens, ut oppidanorum commodo ac pietati serio prospiceret, beatæ Mariæ Magdalenæ ædem una cum germano fratre, in proprio Thienæorum pago, quem Rampazzum dicunt, a fundamentis exstruxit, censuque ad sacra facienda dotavit. *Fulgebat itaque Sanctus noster sicut sol in conspectu Dei et hominum, et sicut lux splendens, novis lapsu temporis cum radiorum accessibus crescebat quotidie magis ac magis in perfectum diem; ut merito sacra Rota apud Charpy de Sainte-Croix in Vita* S. Caietani *pag. 4 sic memoret :* Virtutum splendores et lumina, quibus Servus Dei sicut vestimento fuit amictus, totum vitæ ipsius spatium illustrarunt, quas a vitæ incunabulis usque ad finem comites habuit. *Quæ quemadmodum Romam ipsum discedentem comitatæ fuerint, cognoscamus.* E

§ II. Aula Romana Caietani moribus illustrata, munus in ea gestum; sacerdotium. Pueri Jesu amplexus, Cœlitum patrocinium matri impetratum, præclara de sodalitio Vicentino merita.

F

A Julio PP. II adoptatur inter Protonotarios Apostolicos.

Quæ perparce Carracciolus refert de S. Caietano *Romam digresso, his verbis :* Id solummodo tradunt, Romam migrasse juvenem et firmo jam ingenio atque ætate. Ibi summo Pontifici Julio II honesto gradu inserviisse; postea vero inter sodales divi Amoris adscitum, piis operibus vacasse diligenter; *quæ, inquam, ita refert Caracciolus, ea Silosius in Historia sua hoc modo confirmat et amplificat a pag. 5 :* Tantæ indolis incrementa, ut parem jam pulverem, stadiumque nanciscerentur, Romam concessit Caietanus; eo plane divini Numinis consilio, ut spectare propius inciperet, quo esset loco res Romana, et qua tabe totius Christianæ reipublicæ corpus laboraret, laturus ipse, annis volventibus, fatiscenti seculo opem. In ea luce Quiritium florentissimus Juvenis, etsi tegi opes animi, præstantesque egregiæ mentis impetus pervellet, non diu latuit: hoc enim veræ solidæque virtutis est proprium, et latere velle, et simul effundi ac spargi. Perspecta statim, in eo flore ævi, consilii maturitas, morum probitas, factumque ad omnia ingenium; quæque jam de Thienæi laudibus gliscebat inter aulicos admurmuratio, ad ipsum Pontificem Maximum pervenit. Julius is

erat,

A erat, ejus nominis secundus, qui singulari illum benevolentia complexus, Pontificiæ aulæ adlegit, nec post multo inter Apostolicos, quos vocant Participantes Protonotarios, adoptavit.

quos Participantes vocant,

15 Quæ plane honorifica tunc temporis erat appellatio ac infula, majorique fortasse in pretio, quam nunc est. Et vero summo nunc honori ducit hic ordo præsulum, tantæ virtutis ac sanctimoniæ Virum fuisse aliquando in suo ipsorum cœtu adnumeratum. Quocirca hoc ipso, quo hæc scribimus, anno volventis seculi sexto et quadragesimo, peculiari quadam honoris testificatione inclytam ejus memoriam ac solemnia prosequi decrevere. Festa siquidem sacraque Thienæo luce, in æde nostra D. Andreæ a Valle, instructo agmine adesse solemni ritu habituque sacris ac panegyricæ ejus laudationi occepere, veneraturi anniversaria religione hunc eumdem beatissimi Viri festum diem. Excepta vero communi plausu fuit instituta hæc Protonotariorum celebritas, visusque jure omni honestari ab eo ordine, in quem B ipse non minimum splendoris ac dignitatis refundit claritudine nominis ac sanctitatis. *Quod autem ad prædictum Sancti munus, nec non ad æstimationem, quam Julius PP. II de eo, aulæ suæ adlecto, conceperat, attinet ; breve est illud, quod de Lauro Thienæo, Sancti nostri affine, narrat Vita anonyma Italica lib. 1 § 24, pag. 37, citatque* Bull. *laudati* Jul. II anno MDVIII, die XII Octob. ; *ubi habeantur ista :* Et quia, ut ipse asserit, est dilecti filii magistri Caietani de Thienis, scriptoris et familiaris nostri, affinis. *Quam vero composite, demisse, ac sancte in aula Pontificia se gesserit, prætereundum non est.*

et in aula Romana lucet moribus integerrimis.

16 *Mores in ea a Sancto expressos Silosius pag. 6 graphice describens,* Porro, *ait,* in aula nihil moris aulici Thienæo, ad solida contendenti, adhæsit. Non adfectata fronte hilaritas ad comitatis imitamentum ; non quæsita verborum lenocinia ad mendacia inumbranda ; non officia magnifice venditare ; non vultu tenus servire tempori : quæ prima ac frequentiora sunt scholæ illius aulicæque disciplinæ rudimenta. Verum nihil non in sapientissimo Juvene ingenuum sanctumque : et cum amplissimo in Urbis theatro omnium oculis C expositus, præstantiorem vitæ rationem ineundam sibi persuaserit esse ; statim censeri in eo, quod Romæ erat divini Amoris lararium, cogitavit. Excellentium plane virorum celebritate ac virtute longe clarissimus is erat cœtus ; de quo fuse erit nobis dicendum ; quod in ea veluti officina, nostra cofuerit procusa Congregatio. Quo autem stud admitti in hoc sodalitium postulaverit Caietanus, qua alacritate inierit, ardor ille eximius, quo in egregias piasque eas curas incumbere visus illico est, liquido demonstravit. Tanta siquidem contentione conatuque animi illo veluti in circo cursum cœpit, ut sane non modo æquare alios merito natuque grandiores ; verum etiam longe prætervolare videretur. Erudiebatur hic ille ad magna : ubi, qui nescit tarda molimina, divinus amor, gustumque excitat veræ laudis, statim fastidium aulæ magno pectori ingeneravit ; sensitque Thienæus, majorem infulis ac rerum amplissimarum titulis se indolem gestare. Quare divino quodam igne medullitus correptus adeo incaluit, ut florentes summæ dignitatis spes, Principis benevolentia, favor aulæ adblandientis, atque opulenta ipsa, quæ jam obtinuerat, sacerdotia sordere jam cœperint, totumque se Dei cultui mancipare cogitaverit.

AUCTORE J. P.

Sacerdotio initiatus, summa cum animi munditie ac demissione etc., sacræ rei operam dat.

17 Sacerdotio initiari, id esse purioris cujusdam vitæ initium et causam, sibi persuasit. Nec mora : quod in votis jam diu habuerat, sanctiore eo gradu inauguratur. Quod quidem sacerdotii munus qua mentis puritate animique demissione Vir piissimus cœperit pertractare, conjectari a litteris libet, quas sub id ferme tempus ad Lauram Mignanam, illibatæ vitæ famæque virginem, in cœnobio Sanctæ Crucis Brixiæ commorantem, Roma dedit : ubi, quod doleat, se non eo cultu atque apparatu, qui incruentam aram decebat, accedere, hoc ipso, quo interiore animi sensu litaret, ostendit. Non hic vacat singulas atque integras ejus epistolas exscribere ; unam aut alteram Latinæ fidei redditam, quod e re fructuque sacerdotum fuerit, summe delibaverim. Sic igitur ille ad Mignanam : « Etsi velim, tuum, mater, » nomen ex animo nunquam excidet ; ac tum » maxime meminerim, cum exiguus ego vermis » ac lutum in medio paradisi ac Sanctissimæ » Trinitatis, solis illuminatorem et conditorem » orbis audeo contrectare. Hem cæcitatem meam. » Horum profecto alterum foret jam mihi deli- E » gendum, aut sacris consulto abstinere, velut » indignus ; aut, ceu fidus dispensator thesaurique » quæstor, Deoquam humillime ministrare. Quotidie » a me sumitur, qui alte inclamat : Disce a me, » quia mitis sum et humilis corde ; nec superbiam » ipse meam abjicio. Illuminatorem ac viam » sumo, dicentemque audio : Ego sum via ; » nec viam tamen carpo fugamque e mundo. » Ardet meo in ore ac manibus divinus ille » ignis, qui dicit : Ignem veni mittere in terras ; » et tamen pigro quodam gelu torpescit pectus. » Hæc Thienæus : qui et quotidie illo se recreari epulo, alteris ad eamdem virginem litteris dicit ; precaturque prolixius, ut oret, ne tam continuæ litationis audaciam aversetur ille, qui sumitur (nam sine vita, ait, mors est.) *Quanto autem cum apparatu ad litandam sacrosanctam Hostiam accederet, prodit Vita Ms. e Silosii Historia, aliisque compilata, cap. 2 his verbis :* Octo passim horas ante Sacrificium inter pias commentationes solitus erat transigere. *Vita alia Ms., quam J. B. Caracciolus Clericus Regularis concinnavit, et de qua infra num. 205 pluribus agetur,* Sacra, F *inquit,* religiose peragere, divinorum cœlestiumque commentationibus, et vel minimarum animi labium, quæ ei adesse videbantur, quotidiana expiatione se ad illa instruere, pietatisque erga Deum crebros actus persequi.

Quo modo et tempore susceperit Ordines sacros.

18 *Vita anonyma Italica lib. 1, § 29 nonnulla suppeditat circa præsens argumentum, quæ quia Silosius supra reliquit intacta, atque videtur interesse lectoris, ut ea non ignoret, idcirco narrationem superiorem aliunde supplebimus. Discimus itaque ex laudata Vita, Sanctum nostrum, obtenta a Leone (hujus nominis Papa X tunc sedebat) tum temporis Urbe-veteri commorante, facultate, tribus diebus festivis sacros accepisse Ordines ab episcopo Melopotensi * ; ac die quidem* XXVII *Septembris, SS. Cosmæ ac Damiano sacra, quatuor Ordinibus minoribus ; proxima vero Dominica, in diem* XXVIII *incidente, subdiaconatu ; die autem Lunæ, quæ fuit* XXIX, *festo S. Michaelis, diaconatu ; ac die Martis, quæ annuæ S. Hieronymi memoriæ dedicata, et Septembris est ultima, sacerdotio insignitum fuisse anno Domini 1516, ætatis vero suæ trigesimo sexto. Præter Processum Neapolitanum, quem fol. 66 allegat ad marginem sui textus prædicta Vita ; omnia ista deprompta esse etiam indicat ex instrumento Romæ expedito, citans* Bullam in archivio

* f. Megalopolensi

S. Pau-

AUCTORE J. P.

S. Pauli Majoris Neapoli. *Atque ex his conficitur, quo modo ac tempore Fundator sanctus Ordinibus sacris initiatus sit. Nunc intermissam tantisper Silosianæ narrationis telam resumere placet.*

E Deiparæ manibus accipit Jesum Puerum

19 Jam ex his, *uti habes pag. 7,* ad Mignanam litteris, pleraque etiam colligere est collata in ipsum a Deo beneficia. Illud in primis memoratu dignum; se nempe Natalitia festaque nocte Virginei partus, ad divæ Mariæ Majoris templum, Domini præsepe iniisse, sacris fortasse operaturus; sed audi, qua forte ac deliciarum affusione: sic enim ad eamdem: « Audax ipse nimium, » ipsa sanctissimi Puerperii hora, adorandum » illud verumque præsepe adii: animos mihi » abunde suffecit beatissimus Hieronymus, cujus » ossa propter felicia ea cunabula bene jacent; » eoque mediatore e paventis Virgunculæ, no» væque parentis, dominæque meæ manibus » Infantulum arripui, complexus æterni Verbi car» nem ac vestimenta. O vere durum meum cor! » nam, quod suavissime colliquefieri tunc minime » contigerit, adamas profecto erat. » Hæc ille: B quo non obscure quidem innuit, se ad veros ipsos recentis Pueri amplexus, raro quodam favore Numinis, admissum ea nocte. Quod et sanctissimo Francisco Assisinati, hæc ipsa æterni Infantis cunabula celebranti, contigisse, memoriæ proditum est: ut mirari merito possimus, id Caietano in ipso suæ vitæ sanctioris tirocinio impertitum, quod Franciscus, ad ipsum sanctitatis culmen jam evectus impetravit; libetque hinc conjectari, qualis postea, cujusque notæ fuerit Vir egregius, cui tantis jam largitionibus aderat Deus. *Res autem gesta repræsentatur in imagine, quæ habetur in fronte Bullæ canonizationis ejus, qualem hic vides:*



SANCTI CAIETANI IMAGO POSITA AD PRÆSEPE DOMINI
in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris.

20 *Huic singulari ac rarissimo in paucis favori, magnum ad stabiliendam rei gestæ veritatem, accedit pondus ex Horis canonicis, in quibus Ecclesia summatim eam ita publice legendam præscribit:* Romæ nocte Natalitia, ad præsepe Domini, infantem Jesum accipere meruit a Deipara in ulnas suas. *Id accidisse anno Domini 1517, illud indicio est, quod epistolæ Italicæ (cujus jamjam fragmentum Latinum e Silosio recitabamus) exemplari apud supra designatæ Vitæ auonymæ auctorem § 36,* Romæ XXVIII Januarii MDXVIII Caietanus Thienæus *subscribat. Vita, quam, auctore J. B. Caracciolo, Roma Ms^am accepimus, de loco, et relicto ibidem ad posteritatis memoriam monumento hæc lib. 1 docet:* Locus erat Romæ in basilicæ Liberianæ sacello, Jesu Christi præsepi sacro. Ibi postea Savellius Perrettius, sacer purpureus Senator, marmoreum signum D. Caietani, Puerum Jesum brachiorum complexu continentis, locavit, cum aræ esset patronus, ut rei foret monumentum, hac inscriptione: S. CAIETANUS, AUSPICE D. HIERONYMO, CUJUS OSSA NON PROCUL JACENT, IN IPSA NATALITIA CHRISTI NOCTE ACCEPIT A DEIPARA IN ULNAS SUAS PUERUM JESUM. *Hæc ille.* D *in ulnas suas;*

E *demortuæ matris animam*

21 Illud postremo *(Silosii verbis denuo utimur)* ex his nunc epistolis excerpimus, ereptam Caietano matrem fuisse sub hæc sui spiritus rudimenta; verum quo successu ac precum fructu, ejus mortem juverit Filius, libet hinc luculenter cognoscere. Elata siquidem optima femina, ut Thienæi desiderium mœroremque temperaret Mignana, statim illum litteris appellavit, diserteque monuit, fuisse jam piissimæ parentis animam Deiparæ Virgini oblatam, idque divi Archangeli Michaelis ac D. Monicæ manibus. Cui ille quam modestissime respondit, gratulari se bonæ matris sortem: illud vero negare minime posse, iisdem ipsis Cœlestibus, nempe Archangelo Michaeli ac divæ Monicæ, laborantem ejus spiritum commendasse. Ex quo plane ejus orationis efficaciam intelligimus, ac non aliud scivisse ac nuntiavisse Mignanam perspicimus, quam quod ipse jam impetraverat. *Fragmentum epistolæ, quam Sanctus ad illam scripserit, invenies in auctore anonymo Vitæ antea allegatæ, in qua agitur de argumento, quod præ manibus habemus; verum cum ea ibi non exstet tota, extundere inde haud possumus, quo tempore parentis prædictæ obitus evenerit.* F

precibus juvat.

22 *Oporteret autem, ut diu ante ejus sacerdotium is accidisset, secundum istum auctorem: nam lib. 1, paragrapho 12, qui est de Sancto infante orphano, et paragrapho 13, quem inscribit de morte matris; hunc intexens anno 1488; illum vero annis 1486 et 1487; non obscure significat, multo ante contigisse illam mortem, quam Pueri Jesu complexus oblatus* Caietano *sit (cui tamen officium a Sancto matri præstitum subdit proxime Silosius) neque, ut dicebat idem Silosius,* ereptam Caietano matrem fuisse sub hæc sui spiritus rudimenta: *narrationis enim proxime antecedentis Silosianæ verba magis adultam Sancti ætatem manifestant, quam posuerit biographus ille; verum ut erroris eum convincamus, neutiquam persuadet nobis anonymus iste. J. B. Caracciolus in Vita Ms. annum rei gestæ determinat, ejusque adjuncta sic describit:* Roma primum Vicentiam anno MDXVIII se contulit... ac matris resciscens ægrotationem, sacram Lauretanam ædem tunc lustravit... Matri obeunti fortiter animos ipsemet addebat, sacris obsecrationibus semper præsto adstans; postque fatum supremorum in eam officiorum bene meminit. *Atque hæc sunt,*

quæ

A *quæ e dicta Vita ad præsens propositum pertinentia delibare nobis visum est; in cujus fide illa protulimus, et in rem nostram sufficiunt.*

Aulam Romanam pertæsus redit Vicentiam,

23 *At his missis,* discedentem nunc illum, *Silosii verbis*, Roma prosequamur. Sacerdos, uti diximus, initiatus, ea frequentatione Sacrorum crescente ejus in pectore vi Numinis, intendi etiam aulæ fastidium sensit, ita ut satis sibi, conceptisque incrementis consultum iri existimarit, si ab ea urbe, in qua ab aulicis officiis ac functionibus, non unam in partem animus curæque scindebantur, Vicentiam se, tanquam tranquilliorem in stationem, postliminio revocaret : idque quod in domestico lare ordiri jam cœperat vitæ institutum, fastu omni pompaque abdicata, flagrantiore quidem studio reordiretur. In patriam igitur reverso, et in quibus potissimum pietatis studiis operam poneret, circumspicienti sodalitium occurrit, cui a divo Hieronymo nomen; frequens illud quidem, sed gregarii in eo minutaque e
B plebe homines. Verum qui non genus, et proavos, sed virtutum profectus ac momenta expendebat Caietanus, adscribi inter Hieronymianos hujusmodi sodales, magnanimo suorum natalium atque obtrectantium contemptu, postulavit; idque eo libentius, quod a Romano jam memorato divini Amoris sodalitio derivatum expressumque, iisdem fere legibus temperatum cerneret hoc Vicentinum.

ubi cum suo tum aliorum fructu se addicit sodalitio S. Hieronymi.

24 *Admissus autem in illud est anno 1519, uti licet videre apud Caracciolum, Diarii Vicentinæ sodalitatis verba recitantem : ubi de sacræ Eucharistiæ frequentia a Sancto inducta, aliisque, quæ cum pro laudato sodalitio, tum pro insanabilium nosocomio ac egenis hominibus Vir apostolicus fecit, edocebere; ut necesse non sit, huc transcribere, quæ Silosius e dicti sodalitii Commentariolo de Sancti apud Vicentinos actis commemorat. Dicta confirmantur e Compendio Romano :* Animadvertens, omnia in hoc mundo, et cuncta, quæ fiunt sub sole, vanitatibus et afflictione spiritus consistere, nihilque aliud firmum et stabile inveniri, quam Deo inservire; se totum Oratorio S. Hieronymi, quod Vicentiæ celebre
C est, applicuit, et non tam verbis, vita, exemplo, quam factis, odorem suum in sodalitatem diffudit. Dulci nempe verborum eloquio, eorumdem corda charitatis ardore ita accenduntur, ut precationibus, Sacramentorum frequentatione, pietatis officiis sedulo vacarent. *Tum sequitur de frequentissimo Eucharistiæ usu, ac fame ardente, apud eos impigerrimo Sancti annisu procuratis, e citato Commentariolo.*

Bono etiam consanguineæ suæ invigilat.

25 *Nunc antequam aliud rerum gestarum theatrum aperiatur, narrationi superiori causam, quæ Virum sanctum in patriam revocarit, adjungere lubet. Anonymus lib. 1, § 35, pag. 77,* Exeunte, *ait*, anno MDXVIII, ætatis suæ 38, habuit occasionem Caietanus interrumpendi cursum spiritualium suarum exercitationum Romæ : quia frater vita functus *(ex Processu, quem citat, Vicentino fol. 129)* reliquit ei neptem, quæ annos tunc quasi decem expleverat. Unde sanguinis conjunctio ipsum incitavit et constrinxit, ut patriam reviseret. *Hinc discimus, Sanctum ita invigilasse bono aliorum communi, ut consanguineæ suæ proximæ bonum non neglexerit : nam idem auctor ibidem § 44 Venetiis eum Vicentiam cogitasse memorat, a suis accitum occasione matrimonii Elisabethæ Thienææ, neptis suæ, eoque profectum fuisse initio mensis Aprilis anni 1521; ubi die* XXII *ejusdem mensis et anni dictam Elisabetham cum Joanne Porto conjunctam esse affirmat, citans Processum Neapol. fol. 112 et 130, nec non Processum Vicentin. fol. 195 etc. Exstat apud Castaldum in Vita fragmentum epistolæ, qua Sanctus neptem illam suaviter et paterne ad Eucharistiæ usum hortatur : uti videre ibid. licet a pag. 15. At Venetiis, cujus hic in antecessum facta mentio est, qualem se probarit Sanctus, nunc intellige.* AUCTORE J. P.

§ III. Acta Venetiis, ac Romæ; Ordo Clericorum Regularium, ejusque Fundatores; quis primus inter illos in ipsius institutione antesignanus; cur Theatinorum nuncupatus.

Venetiis de xenodochio publico,

Apostolicos labores, atque uberrimos ex iis perceptos pietatis erga Deum ac charitatis erga proximum fructus intermittere cogitur Vir sanctus, Baptistæ Cremensis, Ordinis Prædicatorum, qui interiora animi sui arcana moderabatur, cujusque a nutu ac imperio totus pendebat, jussu Venetias missus, sicut invenies ex eodem, quem proxime dicebam, Commentariolo apud Caracciolum; ubi illa, Xenodochium, quod Novum appellant, egregie sane, qua erat prudentia, reformavit, vigetque ejus institutio ad hanc usque diem, *jure quodam singulari poscunt, ut hic ea attexam, quæ exstant in Historia Silosii a pag. 8 hisce verbis :* Et vero usque adeo in eo nosocomio præclara reliquit suæ pietatis monumenta, iisque insuper institutis ac legibus adornavit; ut perinde atque si excitasset ipse opus, ejus dici auctor ac fundator meruerit. Quapropter adscitus postea in Beatorum concilium, ornatus luculentissimo egregiæ caritatis testimonio fuit. Nam cum impensam inibi tanti Viri operam in ejus loci existimationem atque honestamentum non mediocre merito rectores computarent, id futuræ olim posteritati testatum magnifice voluere; F
ejusque integram quidem effigiem Regulari habitu ad portam principem ad vivum appingendam curarunt, dedicaruntque veluti conditori operis, publicæ gratitudinis argumentum, apposita hac inscriptione :

Beato Caietano Thienæo Clericorum Regularium, hujusque xenodochii auctori, gubernatores grati animi ergo P. C.

Anonymus lib. 1 Vitæ § 41 pag. 96 de itinere ejus Veneto agit, prænotato ei anno 1519; post Viri autem illuc adventum, anno 1520 ineunti insignes pro Dei gloria labores (uti ibidem habes § 42) innectit.

ac alibi de sodalitatibus sacris bene meritus, Romam revertitur:

27 Sed Caietanus fundatis jam, aut firmatis Romæ, Vicentiæ, Veronæ, Venetiisque sodalitatibus sacris ac xenodochiis, Romam rediit superioris seculi anno circiter XXI, *teste Caracciolo, cujus verbis utor : quæ Silosius sic amplificat :* Venetiis dum hæc ageret, jamque omnium animos sui admiratione compleverat, Dominicanus rector *(de eo dicebam numero proximo)* qui et Venetias se transtulerat, excellentius quiddam ac sublimius in eo conspicatus, iterum ut Romam concederet, jussit. Enimvero, qui magni pectoris adyta jam introspexerat, haud privatæ indolis hominem, aut uni tantummodo urbi parem esse;

sed

Auctore J. P.

sed ad publicam rem Christianam grandioribus consiliis exaugendam a Deo destinatum illum putabat. Forte et ipse Thienæus jam majora animo conceperat. Quare nec imperio moram, nec profectioni excusationem ullam prætexere : et confestim alius quidem, ut ætate (nam annum quadragesimum jam excesserat, et Christi annus agebatur vigesimus supra sesquimillesimum) ita et virtutum apparatu Romam venit.

ubi totus est in quæstu animarum, ac majus opus molitur

28 Ubi nullis, ut antea, aulæ officiis, curisque distractus discerptusque, in perlustranda illa templorum non tam magnificentia, quam sanctitate, in litandis per ea monumenta Martyrum precibus, in quæstu animorum procurando totus erat : donec in memorato divini Amoris larario, superiore quodam lumine concepto, majus opus moliri cœperit, atque ad Cleri orbisque emendationem cogitationes omnes nervosque intenderit. Quæ communia fuere vota ac studia cum egregio illo viro Joanne Petro Carafa, episcopo Theatino, cujus modo vitæ rationes, antequam seculo ac infulis vale diceret, stylo paulo diffusiore sunt enarranda.

B *His subjungitur elogium longum et insigne de rebus a magno illo viro, ac summo deinde, annis volventibus, Ecclesiæ post Christum capite, gestis; sed quia eæ tum ibi, tum in Vita ejus apud Caracciolum legi possunt, legendas hic non exhibemus.* Caietani *itaque Romæ consilia ac facta prosequamur cum eodem Caracciolo; inter quæ præcipuum optimo jure locum obtinet fundatio Ordinis; sicut planum fiet ex sequentibus.*

novum Ordinem fundandi una cum sociis,

29 Caietanus igitur ea quæ secum aliquantisper, molitore Deo, agitaverat, cum Bonifacio a Colle, viro integerrimo, amice communicat. Probat ille, et Sancto correptus Spiritu, se tam præclaro facinori socium offert. Hanc rem non multo post olfecit Joannes Petrus Carafa, episcopus Theatinus, qui postquam diu cupiverat e mundi fluctibus in portum aliquem emergere, ubi primum percepit instituendi Ordinis rationem atque scopum, exarsit illico vehementi desiderio ineundi instituti... Itaque... Caietanum libere convenit, et majorem in modum ab eo petiit, ut se ejusdem voti compotem faceret; *sicut pluribus leges in Vita* Caietani

C *apud laudatum auctorem; in qua item invictum Carafæ in urgendo proposito pectus, ac masculam in eodem exsequendo constantiam pluribus laudata reperies. Triumviri itaque isti* quartum adsciscunt socium, *ait Caracciolus,* Paulum videlicet Consiliarium, fidum Carafæ amicum, et antiqua stirpe ac probitate conspicuum. His quatuor veluti basibus ædificium omne nostri Ordinis superstructum est.

quorum notitia

30 *Priusquam vero ad ea progrediamur, quæ Apostolicum hoc vitæ institutum condecorant; visum est præmittere quædam de Bonifacio a Colle et Paulo Consiliario, qui una cum* S. Caietano *ac Carafa, (de cujus laudibus jam diximus) istum Ordinem fundarunt. Caracciolus simul cum gestis Carafæ ac* S. Caietani, *litteris mandarit amborum Vitas, quæ tametsi breves sint, et proin consuli a lectore sine molestia possint, exhibebimus tamen, quæ de utroque viro in compendium contraxit Silosius sub finem libri primi Historiæ suæ. Et de Bonifacio quidem inde delibamus ista:* Ortus est Bonifacius Alexandriæ, quæ urbs est in Insubria notissima. Genus illi e Collensi familia. Vetustissima ea quidem, quam, ut fidei publicæ tabulis constat, omni ferme ætate cum domi, tum apud externos principes, præfecturarum fasces, honorum appellationes, tituli, opes condecorarunt... Imbutus liberaliter Bonifacius qua moribus, qua litteris, juris prudentiam emensus, D lauream vigiliarum non exigua cum ingenii laude est consequutus. Cumque ea eruditio ampliori quidem theatro facta videretur, Romam concessit; ubi aulicis ac forensibus curis misceri cœpit, ea tamen lege, ut cum aulæ officiis pietatem, tranquillitatem bonæ mentis cum fori strepitu consociaret. In pauperes cum paucis munificus. Æternorum saluti juxta ac saluti animorum intentus. Admissus et ipse est inter claros illos viros divini Amoris sodales, quos ipse, etsi ceu pietatis Romanæ collabentis præsidia ac vindices probitatis admiraretur omnes, Caietanum in primis Thienæum suspiciebat; quocum ob indolis morumque similitudinem, singularem iniit amicitiam : cui ex condita postmodum Congregatione nova accessit germanitas, quovis firmior adamante. *Hæc ibi de Bonifacio Collensi; de Paulo autem illa :*

31 Paulus Consiliarius... e quatuor nostræ sodalitatis fundatoribus ordine postremus; sed omnigena virtute cæteris par. Romanus patria fuit Paulus, e gente Consiliaria, una eademque, ut satis jam constat, cum Ghisleria, cui in exactæ sanctitatis specimen ac illustre Pontificum exemplar, unum Pium V. Ghislerium orbi dedisse, sat fuerit. In Paulo non eximia quidem litteraturæ laus fuit; at consilii vis ingens ingenium abunde pensavit. Quippe ea in rebus agendis inerat prudentia, ut maximis negotiorum momentis rebusque difficillimis explicandis judicio ac dexteritate sua sufficeret. Ad hæc, oris habitus ad modestiam conformatus, singularis nec adfectata morum gravitas, animique candor incomparabilis, omnium facile benevolentiam conciliabat. Cum Carafa pene unanimis fuit, idem utrique ad pietatem impetus ac voluntas; communes animorum sensus : sive aliorum, sive suæ saluti studerent, sive divini Amoris sodalitium tererent, nusquam non simul : ut plane inter prisca illa ac celebrata tot historiarum monumentis amicorum paria, Carafam et Consiliarium adnumeres. Ut vero evectus ad summum rerum apicem episcopus Theatinus, hanc ipsam in Paulum benevolentiam adauxerit, dicemus in loco. Interim satis isthæc fuerit nostrorum patrum, antequam in Clericos Regulares evasissent, delineatio : quos disjunctos patria cœloque ac gente dispares, admirabili Dei sapientia Romæ F pro suo quemque studio coactos, mutuaque amicitia initiatos, ad opus quam excellentissimum in divini Amoris sodalitio erudiit, velut in gymnasio : *cujus cum originem, viros præclaros, locum, institutum, fructusque commemoret noster biographus, quantum in rem nostram satis, ad illum mitto lectorem, uti et ad Silosium lib. 2, pag. 30.*

datur.

E

Primus inter eos

32 *Hisce de Ordinis Clericorum Regularium, ejusdemque origine ita stabilitis, dispicere est animus, quisnam e quatuor laudatis viris fundatoribus primus in illo instituendo fuerit antesignanus ac dux, ac proin quisnam titulo isto vere ac proprie dicendus sit præcipuus ejusdem fundator et architectus. Nos honorem illum* S. Caietano *asserimus : assertum vero sic probamus. Bulla seu Litteræ decretales Canonizationis ejus ita habent :* Romam reversus, inito cum similis memoriæ Paulo Papa IV etiam prædecessore nostro, tunc in minoribus constituto, Joanne Petro Carafa nuncupato, et episcopo Theatino, consilio, de restituendo ad pristinam formam Clero COGITARE CŒPIT. Quare illo ADJUTORE, accitisque duobus aliis, eximiæ pietatis viris ex præfata divini Amoris de Urbe sodalitate, Bonifacio nempe a

Colle,

AUCTORE J. P.

A Colle, nobili Alexandrino, et Paulo Consiliario Romano, Clericorum Regularium Ordinem ad Ecclesiæ primitivæ normam instituit, seu potius instauravit. *Audin' cogitare* cœpit, illo adjutore, accitisque duobus aliis instituit? *Assertionem nostram disertissimo ac luculentissimo testimonio corroborant memoratæ mox Litteræ decretales, quando inter alia humilitatis Servi Dei specimina, unum illud referunt paucis hisce quidem, sed quæ rem nostram maxime evincant, verbis:* Quamvis PRIMUS Ordinis PARENS foret; ejus tamen regimen assumere non est passus; sed memorato, tunc in minoribus constituto Joanni Petro Carafæ illud cessit. *Nonne ergo ex his satis superque liquet, primum novi Ordinis antesignanum, ducem, parentem, ac architectum exstitisse* S. Caietanum?

in condendo Ordine antesignanus,

33 *Jam vero de aliis scriptoribus quid dicemus? Caracciolum dedimus paulo ante; cui adde Castaldum in Vita Sancti cap. 3; Silosium Historiæ suæ lib. 1, pag. 3, ubi dicitur* Thienæus... præcipuus *Ordinis* cum Carafa institutor. *Et libro 2 pag. 33 hæc scribit:* Porro moliri hoc ipse
B secum ardentissime eo tempore cœpit Carafa, quo id ipsum Caietanus animo pervolutabat, collimabantque, impulsore Deo, in idem simul institutum ambo. Cumque neuter alterius mentem sensumque cognosceret, modum uterque excogitabat, quo res bene cederet. Interea temporis evulgare egregium consilium cœpit Thienæus; statimque sparsus rumor in episcopi Theatini aures insusurravit, illum de abdicanda aula cogitare, et condendi novi Clericorum Ordinis mentem cum Bonifacio communicasse. Rescivit id vix Carafa, cum admotis veluti stimulis, ac vehementer incensus, Caietanum ingenti quodam spiritu convenit; et molitum se ait jam diu opus, eamdemque Clericorum Regularium ideam et concepisse pridem animo, ac tum quidem de ea cogitare, NEC ULLI ADHUC MORTALIUM MENTEM APERUISSE. Nunc vero QUANDO IPSE PRIUS DE EA RE SERMONEM HABUERAT, ADMITTI SE MAGNI CONATUS SOCIUM PROLIXE ROGABAT. *Quod dum ob rationes ibidem appositas abnueret* Caietanus; *rem ita perursit Carafa egregio utique animi ardore ad eam inflammatus, ut in tanti moliminis partem admissus sit. Etenim*
C cum nec flecti illum cerneret, eo vir præfervidus exarsit, ut genibus repente nixus, obductoque veluti indignabundus gravissime supercilio, interminatus fuerit, se, nisi ex illo aulæ mundique æstu, in illam, quam tantopere exoptaverat, tranquillitatem assereret, exacturum ab eo olim supremo die suæ animæ rationem. Itaque... dedit Carafæ manus Thienæus, statimque et ipse in genua provolutus, illumque humanissime complexus, Ego te, inquit, mi Domine, nunquam deseram. *Confirmantur ista e Vita apud Caracciolum, quæ cum danda a nobis infra sit suo loco, verba ejus, quibus Silosio consentit, hic pro insertis habemus: atque adeo incommodare nobis minime debent ista, quibus dictam Vitam orditur:* Caietani Thienæi inter quatuor viros nostri Ordinis conditores POST CARAFAM præcipui; *ut videre dabitur mox.*

auctor et parens

34 *Quæ contra objici possunt, in notitiis Mss., Roma ad nos missis, ita diluuntur:* Consentiunt reliqui historici, et scriptores fere omnes tum domestici tum extranei, uno vel altero excepto, qui primum locum in novi Ordinis institutione Carafæ deferunt, satis levibus moti conjecturis; quod primo Carafæ ante Caietanum Pontificiæ litteræ pro approbatione novi Ordinis inscriptæ fuerint, primusque statim post institutum Ordinem Præpositus Carafa fuerit renuntiatus, et adhuc constans Theatinorum nomenclatura ab episcopo Theatino, veluti præcipuo conditore, in novum Ordinem derivata. Quibus tamen, aliisque similibus a laudato historico Silos. lib. 2 § Quo autem ritu etc.; et lib. 3, § Ducem ac moderatorem etc., satis abunde responsum est. Episcopalem enim Ordinem, dignitatemque primum sibi vendicare locum supra inferiores ordines, et hac de causa Carafam episcopum Thienæo presbytero præferri in Apostolicis litteris, omnibus compertum esse debet; et hæc Carafæ dignitas, ejusdemque præ cæteris maturioris ævi reverentia, validum Thienææ humilitatis animique demissionis præsidium fuere pro novi Ordinis præfectura recusanda (*de qua re supra dictum est*).

fuit Caietanus.

35 Ex hac ergo prima Ordinis præfectura Carafæ demandata, et ex iis, quæ Theatinus episcopus egit, maxime apud Romanum Pontificem augustosque Patres in fundatione urgenda, ac novo Ordine primum moderando, factum est, E ut denominatio Theatini præsulis, viri dignitate, litteris, et auctoritate præstantissimi, sociis quoque tribueretur, ac sensim, ut fieri solet, a vulgo ejusdem instituti sectatores præfato nomine appellarentur: quod magis auctum firmatumque est, ubi Carafa, ejus id exposcentibus meritis ac virtutibus, primo ad sacram purpuram, et tandem ad supremam Christiani orbis dignitatem, Pauli IV assumpto nomine, fuit evectus. *Hæc ibi; quibus juvat adjungere ea, quæ Silosius lib. 3 mox designato suæ Historiæ, pag. 69 et 70 recte in rem nostram scribit:* Certe episcopum Theatinum inter quatuor ipsos fundatores ætate provectiorem, celebritate famaque nominis, quam ipse cum ingenii laude, ac in primis eloquentia singulari, tum ad principes legationibus, magnisque pro re Romana curis egregie administratis, sibi conciliaverat, præcelluisse: ad hæc, PRÆCIPUAS ac difficiliores in condendo Ordine partes egisse, et qui summa erat apud Romanum Pontificem augustosque Patres existimatione, flectendis eorum animis strenue adlaborasse: tum quæ ejus erat eruditionis præstantia, ac rerum usus in ordinanda re communi, recentique familia, qua F novarum legum rudimentis, qua prisci instituti regulis prolixius insudasse: postremo hanc etiam fundandæ sodalitatis mentem jam pridem ipsum induisse, erectumque egregie in hanc curam sæpius id secum agitasse; ac proinde tot nominibus promeruisse, ut eam moderandi Ordinis præfecturam primus capesseret, et socii ultro offerrent, nemo est, qui dubitet. At enimvero quod ad institutionis negotium, ac PRÆCIPUUM fundatoris nomen spectat, re tum ad veterum nostrorum Patrum sensum, tum ad historiarum fidem maturius examinata, par est, ut illibata episcopi Theatini laude, suum etiam B. Caietano decus asseratur. *Deinde laudatus auctor duos illos e quatuor Ordinis conditoribus* PRIMARIOS *ac* PRÆCIPUOS *statuit.* Nam, *inquit*, si infularum ac nominis splendorem, primamque Ordinis præfecturam, atque egregios in explicandis difficultatibus conatus spectemus, PRÆCIPUUM hujusce Clericorum reipublicæ caput, patremque Carafam dicemus: si sparsam evulgatamque inter Romanos proceres eam excitandæ sodalitatis mentem; PRIMUS familiæ auctor, Thienæus fuit: ita ut hic quidem, quod ideam operis proposuit; ille, quod opus ipsum igni conatu molitus fuerit, velut æqua-

AUCTORE J. P.

les ac compares, præcipuam quisque laudem, ac principem sibi locum vendicet. *Uterque igitur vere ac proprie primarius ac præcipuus novi Ordinis parens et fuit et dici debet;* ac Caietanus *quidem primus ordine temporis, quia prima ad illum causa movens; quia primus antesignanus, dux ac præmonstrator ejusdem exstitit tribus aliis secum in fundatione sociis. Atqui hæc quidem sufficiunt ad præsens institutum; imo vero non obscure conficiunt, illustrissimum virum Justum Fontaninum, archiepiscopum Ancyranum, in Codice constitutionum, quas summi Pontifices ediderunt in solemni canonizatione Sanctorum, anno 1729 Romæ excuso, melius consulturum fuisse eruditioni suæ, si in nota ad Constitutionem 94, pag. 458, supersedisset his verbis:* Quum vero Caietanus, unus ex quatuor Conditoribus, qui DUCE CARAFFA, cœtum Clericorum Regularium primi instituerunt, primus ex eisdem Clericis Regularibus fuerit ab Ecclesia Romana in Sanctorum canonem relatus; IDEO eorumdem Clericorum præcipuus apud Deum patronus, et primus VELUTI parens haberi potest. B

Errores quidam in hac materia.

36 *J. B. Caracciolus in Vita Ms., quam habemus, lib. 2 nonnullos circa præsens argumentum errores detegens, scribit sequentia:* Morum instaurationem animo revolverat (*Carafa*) et fortasse, ut novo Ordine etiam perficeret, secum agitarat. Et quidem ab Adriano VI de re hac consultus jam fuerat. Imo cum Thoma Gazzella et Marcello Caietano multum Pontifici huic opis tulit in morum censura, et reipublicæ Christianæ administratione. Verum hæc alia plane historia est, quam nostri, *ait*, Ordinis origo, ut perperam ab historicis commisceretur... Alii etiam turpibus erroribus lapsi sunt in nostri Ordinis historia. Spondanus antea dictum Marcellum Caietanum, a patria ita cognominatum, Ordinis conditorem exposuit, et cum nostro Thiene ei Marcelli Caietani Thienis, historia perturbata, nomina faciens, commiscuit, causam imperite ex iis, quæ de hoc Marcello diximus, nactus... Ejusdem scriptoris culpæ vertendus error eorum, qui eum inscite insecuti, Caietanum nostrum Marcellum vocaverunt: quod effecit Aicherius Benedictinus, et Morerius in suo Dictionario. C *Vellemus, ut Acherii locum designasset. In nostra Morerii editione sexta, ad vocem* Gaetan *etc. nihil offendimus simile; uti nec in supplemento, textui ipsius ibidem subjecto: ita ut plane suspicemur, id, quod apud laudatum auctorem Vitæ asseritur, haustum esse ex alia quadam editione et additione prædicti Dictionarii, tot modo supplementis misere deturpati, ut aliud omnino jam appareat. Spondanus, quem biographus duntaxat nominabat, consuli potest ad annum 1524, num.* XIII. *Circa Carafam,* Thomam Gazzellam et Marcellum Caietanum, *de quibus nominatus supra biographus, observa, quod Silosius lib. 1 pag. 25 suæ Historiæ aliter ea referat nomina, dicens:* Adrianus... Joannem Petrum Carafam et Marcellum Gazzellam... Romam accersivit, ut eorum consilio ac opera conclamatis pene moribus... opportune mederetur.

D

§ IV. Difficultates novi Ordinis institutioni interjectæ; approbatio ejusdem Apostolica; professio solemnis; Præpositi electio; varia circa Ordinem expensa.

Post difficultates Ordinis institutioni interjectas ac superatas,

37 V*ariis quidem tametsi non diuturnis difficultatibus, quæ novo Ordini condendo moram injecerunt, superatis, tandem ille Sedis Apostolicæ auctoritate approbatus est. Ad difficultates quod attinet,* Anno igitur, *ait A. Caracciolus,* redempti orbis MDXXIV, festo die Inventæ Crucis, a quatuor jam dictis viris res cœpta est apud Clementem VII Pont. Max. sedulo agitari. Magnis primum difficultatibus impediebatur; *quas ibidem recenset scriptor idem, ac Silosius lib. 2 pag. 34.* E His itaque res implicata nodis, *teste Caracciolo,* vix unquam fuisset expedita, nisi Caietanus in primis, et socii etiam alii strenue respondissent. *Responsa subdit laudatus biographus, uti et Silosius, quem modo citabamus. Rationum ergo momentis, quæ contra objecta fuerant cum diluissent Patres, Matthæo Giberto, celeberrimo Veronensi episcopo, egregiam negotio expediendo, prout legere est apud eosdem auctores, operam conferente, optatum res exitum habuit.* Itaque cum Inventæ Crucis festo die, *ut loquitur Caracciolus,* res agitari cœpta esset, in Crucis itidem Exaltatæ solemni luce fauste confecta est; ut proinde non immerito Crucis insigne nobis assumpsisse videamur.

ejusdem conditores ad nuncupanda religiosa vota se accingunt;

38 *Antequam ulterius progrediamur, factum hic suppleamus ex Silosio, quod Caracciolus indictum reliquit, et ille ita narrat lib. 2, pag. 36:* Ergo de Pontificis Maximi propensiore jam animo, amplissimique senatus suffragio certiores Patres, novæ Clericorum Regularium Congregationis candidati explicare se curis omnibus, censusque ac dignitates abdicare, quo arduum paupertatis iter arriperent expeditius ac sanctius, statuerunt. F Quare signatis tabulis; sua quisque ordinare, et qua consanguineis, qua pauperibus partito prudenter patrimonio, legare ac distribuere. Novæ in primis condendæ Religionis ut usui necessaria sub initium curarent, partem non plane magnam legarunt. Videre est harum donationum autographa in publico Romani Capitolii tabulario, quæ nos in plerisque domorum nostrarum exscripta habemus. Episcopus vero Theatinus, præter bonorum abdicationem, utrumque sacerdotium, Theatinum ac Brundusinum, pro facta a Pontifice, ut diximus, facultate, ea animi alacritate ac celsitudine, qua iniri id genus commoda atque honores solent, dimisit. Episcopali tantummodo dignitate ac nomine illi a Pontifice reservato, ut datis obsignatisque brevibus litteris die XXIV Junii mensis, anni MDXXIV constat.

eaque deinde Romæ in ecclesia S. Petri,

39 *Patres itaque in hunc modum ad emittenda novæ suæ Religionis vota rebus omnibus expediti, ea nuncuparunt die et anno prædictis. Rem gestam describit Caracciolus; cui adde Silosium pag. 37; qui e publico instrumento eam Historiæ suæ ibidem inserit. Sic vero habet:* Die XIV Septembris MDXXIV. In nomine Domini. Amen. In præsentia mei, notarii etc. personaliter constituti

in

Auctore J. P.

A in ecclesia Sancti Petri de Urbe, audita Missa, celebrata per reverendum patrem, dominum episcopum Casertanum, super altare capellæ Sancti Andreæ, reverendi patres dominus Joannes Petrus Carafa de Neapoli, episcopus Theatinus, dominus Caietanus de Thienis, Protonotarius Apostolicus ac juris utriusque doctor, de Venetia; dominus Bonifacius de Collis, Clericus Alexandrinus, et dominus Paulus de Consiliariis, Clericus Romanus, præcedente communione eorum, processionaliter de dicta capella accedentes ad altare majus S. Petri, sedente dicto episcopo Casertano, Sanctissimi D. N. Papæ commissario, vivæ vocis oraculo specialiter ad infrascripta, ut asseruit, deputato, cathedraliter in pede dicti altaris præfatus reverendus pater dominus Joannes Petrus episcopus præsentavit eidem domino episcopo Casertano quasdam litteras Apostolicas in forma Brevis Sanctissimi domini Papæ Clementis septimi, quas ea, quæ decuit, reverentia recepit, illasque præfatus dominus episcopus Casertanus publice legendas mihi notario tradidit hujusmodi
B sub tenore :

recitatis prius a notario

40 A tergo: Venerabili fratri Joanni Petro, episcopo Theatino, et dilecto filio Caietano presbytero Vicentino, ac eorum sociis, et successoribus. Intus vero : Clemens Papa septimus. « Venerabilis frater, et dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod vos et nonnulli alii ejusdem propositi socii vestri, divina, ut creditur, inspiratione ducti, cupientes cum majori animi quiete Deo servire et illi magis pro desiderio cohærere posse, tria substantialia Religiosæ vitæ, paupertatis scilicet, castitatis, et obedientiæ vota emittere, et sub solito et communi habitu Clericali in unum habitantes, et in communi ac de communi viventes, ac Deo humiliter et devote, quantum ipse dederit, servientes sub nostra et Apostolicæ Sedis humili et immediata subjectione et speciali protectione Clericalem vitam ducere decrevistis, supplicareque nobis fecistis, ut de nostræ atque hujus Sanctæ Sedis plenitudine potestatis solitaque clementia in præmissis benigne annuentes, de iis, quæ ad hujus vitæ propositum conducere aut quomodolibet expedire videntur,
C vobis, sociis, et successoribus vestris providere dignaremur.

Sedis Apostolicæ circa novum Ordinem

41 Nos, qui omnium Christi fidelium piis et honestis desideriis libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, vestrisque hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum, ut, quandocumque visum fuerit, possitis tria substantialia Religiosæ vitæ, ut petitis, paupertatis, castitatis, et obedientiæ vota publice emittere, et in manibus cujusque presbyteri secularis vel cujusque Ordinis regularis solemniter profiteri, ac sub solito et communi habitu Clericali, subque nomine ac nuncupatione Clericorum Regularium in communi viventes, in locis religiosis aut secularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub Nostra et Sanctæ hujus Sedis Apostolicæ immediata subjectione et speciali protectione in unum habitare, atque ex vobis inter vos singulis annis Superiorem eligere, Præpositum nuncupandum, qui usque ad triennium et non ultra confirmari possit, aliosque quoscumque seculares Clericos, quavis dignitate fulgentes, seu laicos, qui, Deo inspirante, ad hujusmodi vitæ propositum et communem vivendi modum se conferre voluerint, recipere, et post annuam probationem, ad talem trium votorum professionem in manibus Superioris seu Præpositi emittendam, ad hujusmodi communem vivendi modum admittere : nec non statuta quæcumque, ordinationes, et constitutiones de omnibus et singulis, quæ ad hujusmodi vitæ propositum conducere, moresque et institutum honeste, devote clericaliter vivendi concernere videbuntur;

confirmatione, ac privilegiis,

42 De Missis præcipue, et de aliis divinis Officiis, sive Horis canonicis, prout vobis melius videbitur, celebrandis et recitandis, licita tamen et honesta, rationabilia, et bonis moribus et sacris canonibus non contraria, facere, edere, et pro tempore facta edere, corrigere, reformare, et in parte vel in totum immutare, ac de novo alia, prout vobis expedire videbitur, instituere et ordinare, et juxta illa vivere; quæ postquam a vobis condita et reformata, instituta aut immutata et ordinata, ac nobis seu successoribus nostris exhibita fuerint, Apostolica auctoritate confirmata et approbata sint, et esse censeantur. Et E
ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus potiuntur et gaudent, aut in futurum potientur et gaudebunt Canonici Regulares Lateranenses, congregationes, personæ, et loca eorum, vos et loca vestra uti, potiri et gaudere possitis : quorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus; ita ut litteræ Apostolicæ super eisdem privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, et gratiis eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, et cognominibus, invocationibus, et diebus ad libitum expediri possint, perinde acsi illa omnia et singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem, de verbo ad verbum expressionem, et insertionem fuissent vobis per has nostras litteras sub hac ipsa die expressa et specialiter concessa, tenore præsentium ex certa nostra scientia et ex Apostolicæ plenitudine potestatis vobis, ac sociis, et successoribus vestris in perpetuum concedimus pariter et indulgemus, et ad præmissa omnia et singula, quibuscumque F
impedimentis et contradicentibus amotis, liberam plenamque auctoritatem et facultatem elargimur, non obstantibus nomine, dignitate, et officio episcopali, quæ Joanni Petro supradicto per alias nostras litteras reservavimus, Apostolicisque, et generalibus, aut specialibus constitutionibus, ordinationibus etiam juramento, aut quavis alia firmitate roboratis, etiam siquæ specialiter, seu de verbo ad verbum, exprimenda essent, quæ pro expressis haberi, et quibus quoad effectum præsentium dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Junii MDXXIV. Jacobus Sadoletus. »

solemni ritu emiserunt,

43 Quibus litteris perlectis, ac servatis solemnitatibus et cæremoniis consuetis, præstitisque per dictos reverendos dominos... solitis juramentis in manibus dicti reverendi patris domini episcopi Casertani, commissarii Apostolici, solemnem et expressam professionem emiserunt... oblatisque per unumquemque eorum cedulis professionis hujusmodi, eorum propria manu scriptis, et subscriptis, in manibus dicti rev. patris domini episcopi Casertani traditis, consignatis et derelictis, hujus-

AUCTORE J. P.

hujusmodi sub tenore, videlicet: « Anno Domini MDXXIV, die XIV mensis Septembris Romæ in ecclesia Sancti Petri apud altare majus. Ego Joannes Petrus Carafa Neapolitanus, episcopus Theatinus, profiteor hodie coram Domino, et promitto Deo, et beatæ Mariæ semper virgini, et eidem B. Petro Apostolo, et tibi reverendo in Christo patri episcopo Casertano, commissario Apostolico, ad hæc per Sanctissimum Dominum nostrum specialiter vivæ vocis oraculo deputato, nomine et vice ejusdem Sanctiss. Domini nostri Domini Clementis Papæ septimi, et Præpositi per nos eligendi, quod ero obediens eidem Sanctiss. D. N., et Præposito supradicto, eorumque successoribus canonice intrantibus, usque ad mortem secundum regulam Clericorum Regularium, sub tribus votis, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiæ, per eumdem Sanctissimum Dominum nostrum noviter institutam. Ego Joannes Petrus Carafa episcopus Theatinus propria manu scripsi, atque ore proprio pronuntiavi. »

B

ac proprias vitæ suæ instituto vestes induerunt.

44 *Cumque tantumdem præstitum fuisset a* Caietano, *ac duobus aliis, uti habemus ex iis, quæ in præsenti instrumento sequuntur,* præfatus reverendus pater dominus episcopus Casertanus dictos reverendos patres... genibus flexis humiliter coram adstantes, auctoritate Apostolica in iis sibi attributa, præfatos Clericos Regulares sic adstantes, et obedientes benedixit, et deinde detectis et spoliatis ab eo vestibus, quibus induti erant, eosdem vestibus et biretis Regularium Clericorum solemniter induit et vestivit. *Deinde electus ab illis novis professis fuit Præpositus Joannes Petrus episcopus Theatinus, et a prædicto Commissario, auctoritate Apostolica confirmatus, sicut in eodem instrumento continetur. Et subditur ista clausula:* Acta sunt hæc Romæ in basilica Sancti Petri, Principis Apostolorum de Urbe, in locis præallegatis, præsentibus venerabilibus viris domino Francisco Vannutio, Clerico Romano et canonico Sanctæ Mariæ in Transtyberim de Urbe, nec non Domino Aymo Cichonis, Clerico Burgensis diœcesis, scriptore Brevium Apostolicorum, et domino Leonardo Gratino, Clerico Florentino testibus. Quondam Stephanus de Amandis de prædictis rogatus fuit.

C

cujus et brevis quædam

45 *Habes, lector, prima Ordinis Clericorum Regularium exordia; quem uti penitius exploratiusque cognoscas, consule Historiam illius a Silosio vulgatam. Ad quamdam tamen circa eumdem ideam tibi formandam subservient summa quædam hujus argumenti capita, quæ ex isto opere carptim delibamus, lib. 2. pag. 40 et sequentibus diffusius exposita. Itaque ne signa quædam prognostica, temporisque, quo natus Ordo est, opportunitatem, nec non Clericorum Regularium in Ecclesia antiquitatem, quam a primis ejusdem temporibus repetit, ac deinde per secula deducit, recensendo gradatim ejusdem cultores ac propagatores; ne, inquam, hujusmodi res consecter; historicus laudatus scribit ista de nomine Ordinis pag. 45:* Jam quod nostræ sodalitatis conditores primævam illam, veteremque Clericorum observantiam in ipso Clericali habitu renovare decreverint; non diutius profecto elaborandum, aut commentandum illis fuit, quo se nomine indigitari vellent: recenti namque Clericorum instituto ac moribus, devotisque in commune bonum curis, quæ magis obvia aut aptior, quam Clericorum Regularium nomenclatio? Quam elegerunt fauste Parentes nostri, et Pontifex Max. Clemens VII suo ipse diplomate annuit; eosque de simplici Clericorum Reg. vocabulo appellatos D voluit, quod nulli postea Religiosorum hominum Ordini, nisi cum aliqua appendice contigit: ut fuere Clerici Regulares divi Pauli decollati, qui et Barnabitæ nuncupantur; Clerici Regulares Sommasceni, Societatis Jesu, Ministri infirmorum, Clerici Minores, aliique. At enimvero a Theatinis Carafæ infulis inhæsit nostro Clericorum Regularium sodalitio Theatinorum cognomentum, arbitrio profecto usque vulgi, nomina persæpe suo nutu inscribentis; non quidem ipsius Carafæ consensione, ut falso quidam existimarunt. Nunquam enim vir modestissimus eam sibi celebritatem indulsisset, ut qui infulas ipsas ac sacerdotia abdicaverat, infularum deinde titulos, umbramque nominis adfectaret retinere, atque in suo Ordine æternari. Verum etsi de solo hoc Clericorum Regularium nomine satis superque noti sint nostri homines; eoque nos scriptores passim appellent ceu per antonomasiam, Clerici Regulares: tamen cum ad quamdam discriminis tesseram, tum ad magni potissimum Patris memoriam, admisimus ultro Theatinorum appellationem; quam sive ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, hoc est a Deo derives; sive a verbo θεατήνας (*imo vero* θεαθῆναι) quod est spectare sive spectari; oppido illustris isthæc erit nomenclatio; ceu Dei aut inspectores aut spectaculum simus. Nec ad splendorem decusque sodalitatis nostræ luculentius quid fuerit, quam eo cognomento nominari, quod statim moneat, ipsam veluti theatrum quoddam esse, in quo aut spectetur Deus per ascetarum contemplationem, aut ipse Deus spectet eorum incrementa atque exempla virtutum. E

datur notitia.

46 *Præclaram Ordinis, ac sancti ejusdem fundatoris* Caietani *ideam suggerit Bulla canonizationis* S. Caietani, *his verbis egregie eum laudans:* Clericorum Regularium Ordinem ad Ecclesiæ primitivæ normam instituit, seu potius instauravit; qui videlicet ad eorum morem, quibus cor unum et anima una fuisse legitur, abdicata rerum omnium temporalium cura, ipsaque emendicandi sollicitudine, ex solis eleemosynis sponte oblatis viverent, Deique omnipotentis misericordiam exspectarent; atque ita pristinam illam Apostolicam vivendi formam ex integro redditam, magno cum ecclesiastici nominis fœnore, hæreticorumque illud temere deprimentium rubore, hic Dei Servus in orbem postliminio revocavit, firmavitque Apostolica auctoritate, tribus substantialibus votis, legibus et institutis, statui decorique Clericorum oppido consentaneis... Quam quidem vivendi formam visa est non semel divina providentia, rebus in arcto positis, miraculis comprobasse: cavitque sedulo Caietanus, ne quid unquam ea detrimenti caperet; præsertim cum oblatos ultro Neapoli fundos ac census constantissime recusavit, ea objectans Domini verba: Respicite volatilia cœli; non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. *Cæterum Silosius pag. 59 eorum, qui hoc vitæ institutum laudarunt, elenchum exhibet. Finem vero ejusdem esse, non sibi duntaxat, sed etiam proximorum saluti vacare, idque ex primorum fundatorum mente; idem historicus variis deducit argumentis contra eos, qui aliter censuere.* F

et paupertas præsertim extollitur.

47 *Paupertas autem, de qua dicebam modo, sicut inter omnes plane alios Religiosos Ordines singularem, nativum ac proprium quemdam in hoc Ordine habet splendorem, ita ejusdem et primarium est decus et ornamentum. Eam expen-*

dit

A *dit laudatus historicus pag. 64; ubi inter alia,* Paupertas, quam a nostris, *ait,* parentibus, veluti opulentissimum patrimonium accepimus, ea est, ut quamvis (nostrarum constitutionum verbis utimur) neque per professionem, neque per sacros canones prohibeamur annuos reditus in communi possidere; per Concilium autem Tridentinum nobis sit concessum : nihilominus, voluntarie tamen, ut nullo unquam vinculo astringamur, ab illis abstinemus; *idque vi regulæ, prout invenies loco citato; adeo ut,* si communi patrimonio, proventuque victitare nunc demum consilium foret... novo Capituli generalis consulto, penes quod ferendarum atque immutandarum legum potestas est, refigenda hæc paupertatis statuta essent, aliaque inducenda. *Pag. 65 idem scriptor Urbanum PP. VIII de eximia et admiranda hac paupertate ita alloquentem inducit patres, comitiis generalibus anno 1627 interfuturos :* Singulare id quidem, ait, ac præstantissimum Ecclesiæ decus esse, ac nulli Religiosorum Ordinum juge id paupertatis
B ac providentiæ miraculum experiri contigisse; curarent proinde, ut incorrupta incomparabilis isthæc laus in posteros deducatur; nec sinerent, unicum hoc Ecclesiæ, ac Religiosæ disciplinæ ornamentum dilabi. *Divinæ providentiæ in rebus pene desperatis exempla carptim recenset Silosius pag. 66.*

§ V. Sancti patientia duris probata, Ordinis præfectura, suscepta Romani Breviarii reformatio; præclara de pestiferis ac egenis merita; compositæ discordiæ Veronenses; Venetum valetudinarium promotum; tenax in retinendo apostolicæ vitæ rigore propositum.

C

In depopulatione Romana post durissimas vexationes liberatus, [illegible]endit Venetias, et Ordini præficitur :

Quam graves et acerbas Sanctus noster in famosa illa ac tragica urbis Romanæ expilatione, quæ anno 1527 accidit, perpessus sit ærumnas, quam barbaras vexationes; invenies apud Caracciolum in Vita ejus, ac Silosium lib. 3. Quibus robur accedit e Compendio Romano, ac Bulla canonizationis; e qua rei gestæ epitomen huc transcribo :* Ut autem præclara Servi Dei virtus non in prosperis solum exerceretur, sed in adversis etiam probaretur; *tunc* præ cæteris eximia ejus æquanimitas enituit, cum in immani illa Urbis direptione a militibus deprehensus, creditusque, ut olim, divitiis abundare, ut eas proderet, sævissime tortus; eam tormentorum vim mira animi tranquillitate ac mansuetudine perpessus est; eoque tandem in teterrimum carcerem cum sociis detruso, accidit, ut quadam die canentem cum ipsis laudes alternatim lætiori voce, acsi in odeo essent, audiret Hispanorum quidam tribunus; qui profecto tantam demiratus alacritatem, tantamque in perferendis malis constantiam, illico ut relaxarentur atque in sui gratiam liberi dimitterentur, a commilitonibus suis enixe petiit, obtinuitque. *His ita expositis, mox Venetias nos deducit prædicta Bulla, sic pergens :* Vinculis exsoluti ad Tyberis ripam tendunt, incerti animi, quo potissimum transmitterent : cumque commeatum et pecuniam non haberent, adfuit divina providentia, vel ipsos aggressores interne movens, ad stipem ultro itinerisque viaticum erogandum. Inde venientes ad ostia Tyberina, Venetum oratorem auspicato offenderunt in patriam solventem : a quo benigne excepti et liberaliter habiti, Venetias tandem obtinuerunt. *De modo, quo illuc migrarunt, pluribus agit Silosius; navi eos exceptos dicens die* XXV *mensis Maii solvisse secundis ventis, ac Venetias appulisse die sexta decima mensis Junii.* Hic vero die Exaltatæ Crucis, *uti narrat Caracciolus,* ejusdem anni MDXXVII coactus grex parvus sibi pastorem Caietanum elegit, dignum utique Theatini episcopi successorem.

AUCTORE J. P.

quo munere recte perfunctus, in eo deinde confirmatur.

49 *Silosius primas novi Præpositi curas describens,* Iuita ergo, *ait,* regendæ sodalitatis provincia, eo animum conatusque admovit Thienæus, ut commodiores Clericorumque disciplinæ aptiores domos compararet, in quibus et sacris operari, et curare Sacramenta, et cœtus ad pias conciones cogere, et suarum etiam virtutum
E exercitamentis Deoque vacare posset. Nec post multo, cum splendescere ac polliceri de se magna præclarum vitæ institutum cœperat, oblatæ S. Nicolai a Tolentino ædes, ubi probæ quidem mentis frugique viri mutuo sui ipsorum incitamento exemploque egregie animati, præclara edere pietatis documenta soliti erant... Ergo re piis cum sodalibus transacta, die nona et vigesima Novembris ejusdem anni eo immigrarunt. *Idem, qui supra, Historiæ Clericorum Regularium conditor ad annum 1528 in Ordinis præfectura* Caietanum *fuisse confirmatum refert, hæc in rem nostram scribens :* Quo item anno ipsa Exaltatæ Crucis die, habita Venetiis comitia de eligendo Ordinis moderatore, ac re quidem haud prolixius excussa, consensu plausuque omnium confirmatus in eo Præpositi munere Thienæus, qui præclaram jam indolem, summamque in procuranda familia prudentiam, primo eo magistratus anno mirifice probaverat.

Sub Sancti regimine suscepta Breviarii Romani reformatio,

50 *Ad annum 1529 spectant Litteræ Apostolicæ Clementis PP. VII, Carafæ ac* Caietani *nomine prænotatæ, ac die* XXI *Januarii anni istius signatæ, de reformando Breviario. Earum exemplar edidit Silosius libro 3 Historiæ suæ, inter alia sic præfatus :* Enimvero quod nullæ tunc
F essent preces inculpatæ ac decoræ, plura in dies obtrudebantur Breviaria, non suis quæque nationibus aut provinciis, sed singulis fere ecclesiis, ablegata laudabili illa in eisdem sacris recitandis ac faciendis conspiratione consensuque Fidelium. Quod vero Romæ tunc temporis Breviarium terebatur, nullis non erroribus ac mendis plenum. Damnatæ ab Ecclesia memoriæ auctorum homiliæ : incertæ nulliusque fidei passim historiæ : præposteræ obscuræque admodum rubricæ, præter sermonis inconcinnitatem, plebeiamque plerisque in locis dictionem, quam sugillat notatque merito epistola ad Gibertum Carafa... Ergo in hoc consilium patres incumbere, ac re constituta, transactum cum Clemente Pontifice, ut auctoritatem operi ac stimulos adderet : qui egregiam illam Regularium Clericorum mentem probavit prolixius *etc. Hæc accidere sub dicta* S. Caietani *præfectura. Cur autem hoc negotium impigre susceptum, non habuerit exitum; ibidem invenies. Bulla canonizationis, facta mentione de divini cultus nitore, exactaque sacrorum rituum observantia,* Quarum quidem, *addit,* rerum peculiare

AUCTORE J. P.

culiare studium suis demandavit, et ejusdem Clementis VII prædecessoris jussu, Breviarii Romani reformationem, una cum... Joanne Petro Carafa sodali suo aggressus est : quæ postea novis curis absoluta, in Romano Breviario vulgata est.

labores ipsius apostolici erga pestiferos,

51 *At nunc quemadmodum sanctus Fundator Ordinis sui gubernatione perfunctus sit, aliisque ante apostolicis laboribus egregie distentus, videamus. Ad primum quod pertinet, Silosius lib. 4, pag. 132,* Explevit, *ait,* hoc anno, id est labentis seculi trigesimo præfecturæ vices Thienæus: quo quidem auspice ac moderatore, auctum mirifice strictioris paupertatis studium ac disciplina morum est : cum in eo ipso munere administrando nullum non virtutis ac prudentiæ specimen dederit; insigni præsertim temperamento auctoritatis, qua præerat, et humilitatis, qua se postremum omnium censeri vellet : visumque profecto est, ut æque illi omnes, ac ille omnibus subesse percuperet. *Nunc pergamus ad secundum cum Silosio :* Intra hanc ejus magistratus trieteridem B memoranda ea pestilitas accidit, quæ, ut communis fere Europæ fuit, ita et Venetiis etiam implere scenam suam visa est plane luctuosam... Igitur grassabatur publico funere Venetiis lues, et qui vertere in suæ pietatis argumentum aliorum calamitates atque infortunia egregie noverat Caietanus; sine fructu exemploque elabi cladem ac vastitatem urbis non est passus. Enimvero horribili ea rerum facie metuque nihil deterritus, cui aliena salus, quam sua longe potior, in ea sese vitæ discrimina alacriter injecit. Præire ipse suis Clericis; quorum plerosque præclaro in eo opere socios habuit et commilitones.

ac egenos :

52 *De* S. Caietani *mirifica erga pauperes beneficentia quid dicam? At enim, uti observat laudatus auctor,* non sola Italiam divexavit pestilentia; verum incredibilis etiam annonæ caritas malum cumulavit : quæ quidem fames, quantumvis Italicas urbes omnes pene supra fidem exerceret, Venetiis tamen singulari quodam amore Numinis, ac providentissimi Senatus cura, minus visa est desævisse. Quare cum ingens passim inopum numerus veluti in commune perfugium eo conflueret, pulcherrimus sese Thienæo campus ostentandi C magnifice hoc aliud charitatis genus aperuit. Ea namque temporum difficultate, ceu non tam Clericorum, quam pauperum pater, nihil domesticæ rei suorumque [fuit] sollicitus : princeps illi studium erat, adventantes inopes enectosque fame alere. Quo quidem loco divinam erga nostram sodalitatem atque inusitatum paupertatis genus Dei providentiam quam optimo jure attollunt scriptores nostri : *de qua Caracciolus infra apud nos num. 48; uti et de pestifera ista lue ac fame, quas innectit anno 1528.*

dissidia inter episcopum Veronensem ac subditos ejus

53 Mansit vero Venetiis Caietanus, *teste eodem biographo,* quinque propemodum annos : qui quod nobis argumento vacuis excurrant, non Caietani remissa virtus, quæ nunquam non acerrima fuit; sed nostratium taciturnitas, qui diligentius vivere, quam scribere maluerunt, in culpa est. *Caraccioli itaque penuriam supplebimus ex Historia Silosii lib. 4 pag. 135, ubi sancti Parentis sui iter Veronense, dissidiumque inter Clerum et episcopum ab ipso ibidem loci compositum commemorat. Sequentia igitur brevitatis gratia inde excerpo :* Jam vero Caietano... anno istius seculi primo et trigesimo, nisi me ratio temporum fallit, adhortante ac jubente episcopo Theatino, perarduum plane negotium componere Veronæ contigit. Joannis Matthæi Giberti in formanda ecclesia Veronensi, reformandisque ejus Cleri D moribus egregios conatus, quos Carafa noster vehementius urgebat, innuimus supra... Is igitur Gibertus, dum intrepide conceptum eximiæ mentis opus peragit, qui inire a suis Canonicis Cleroque gratiam debuerat, in eorum invidiam offendit, enatæque utrimque gravissimæ altercationes. Et cives ipsi, quorum etiam vitam arguere ac perstringere præsul flagrantissimus occeperat, quod Christianæ vitæ frenos pati dedignarentur, confidentiam ac vires Canonicis et Clero addere non dubitabant. Dissensiones ac partium studia ut præcideret, monere primum antistes, ac permulcere humaniter obluctantes; tum subaspere comminari, demum dignitatis disciplinæque tuendæ gratia, zelo detonare ac fulgurare voluit.

egregie ab eo composita.

54 Frustra omnia... ita ut ipsemet Clemens Pontifex, qui in Gibertum proniore semper animo incubuit, quod cerneret, longius rem processisse, revocare ab iis fluctibus Romam, velut in stationem, illum statuit : deditque Joanni Baptistæ Sanghæ, qui sibi ab epistolis et arcanis erat, negotium, ut suo illum nomine accerseret, et ipsemet invitamento pondus addidit suo calamo... E Valuit mirifice his fluctibus componendis Caietanus, cujus fama sanctitatis Veronam jam pervaserat, affectumque ac auctoritatem non mediocrem cum apud Canonicos, tum apud cives omnes comparaverat. Quare accitus sub id tempus, cum maxime fax illa civilis arderet, a Giberto, rem ille ita administravit, ut qua rationum momentis, qua opinione probitatis, qua interdum minis, fusis præsertim ad Deum precibus, quas afflictatione corporis efficaciores de more reddere conabatur, turbinem difflavit, pervicitque eam animorum contumaciam, ac restitutum patri obsequium conditionibus utrimque gratissimis consignavit sancivitque. *Hæc Silosius.*

Venetum valetudinarium reformatum.

55 *Rebus hisce narratis subjungit pag. 136 Carafæ curas erga Venetum Insanabilium nosocomium; cujus fuerat olim lectus patronus una cum* Caietano. *Electionis publicis tabulis consignatæ fragmentum ibidem invenies. Ad hæc, optime de illo nosocomio Sanctus fuit meritus : nam in Compendio Romano ita laudatur :* Cum liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut omnes Deo lucrifaceret... prout quamplures incolumes Deo F reddidit. Ac ut id abundantius assequeretur, varia semper animo media meditabatur, prout hospitalis Vicentini institutum, et Incurabilium valetudinarii Venetiarum reformatio optimos ac insignes veræ charitatis peperit effectus. *At priusquam hinc abeamus, conveniendus nobis est Silosius, qui loco citato, ad inane æque ac ineptum commentum digressus, affirmat, S. Ignatium Loyolam, Societatis nostræ fundatorem, Venetiis petiisse a* Caietano *admitti in Ordinem Clericorum Regularium. Verum cum illam evanidam cramben, a R. P. Joanne Baptista Castaldo primo coctam; deinde autem a Silosio recoctam, ac in Historia Clericorum Regularium loco, quem jamjam designabam, lectori adinstar novi, ut ita loquar, ac bene conditi ferculi propositam, tot tantisque rationum momentis tom. VII mensis Julii in Commentario Actis S. Ignatii prævio, § 21 et 22 confutaverim; actum agerem, si hic denuo fabellam istam castigarem, Apostolico etiam judicio habitam pro tali, ac supprimi jussam anno 1659; prout ibidem licet videre a num. 229. Hinc etiam disces, quam frivola sint, quæ Vitæ* S. Caietani *inseruit D. Bernard Clericus Regularis, de quo consule finem hujus Commentarii num.*

num. 204: num. lib. 2 cap. 7, pag. 140 vult, S. Caietanum *tam arcto necessitudinis vinculo Venetiis cum S. Ignatio de Loyola constrictum fuisse, parum ut abfuerit, quin is Clericorum Regularium disciplinæ adscriptus sit; sed lucem cœlestem ipsi significasse suam destinationem. Ne his itaque pluribus immorer, pergo ad alia sancti Confessoris nostri gesta.*

Quam tenax fuerit S. Caietanus in conservando primævo Ordinis sui spiritu.

56 *Vitæ, quam cum suis profitebatur, Apostolicæ rigorem ac perfectionem tenacissime conservabat, et ab Ordinis ingressu arcebat eum, quo Religiosam laxatum iri disciplinam prævidebat; uti comprobat hoc exemplum, quod narrat Silosius a pag. 148:* Is fuit Marcus Antonius Flaminius, vir suo ævo celeberrimus, Græce ac Latine apprime doctus, omnique amœniore disciplina ac bonis artibus instructus; qui postea, quæ grandium ingeniorum frequens infelicitas est, in communem eam cladem de justificatione per solam fidem, quæ plerosque ea tempestate insignes viros involvit, incidit, arcano quidem Dei judicio, ut lapsum erigeret ac revocaret episcopus Theatinus ingenti precum vi ac facundia, ut in loco explicabimus. Is, quod placuerant emendati sanctique nostratum mores ac instituta, exigere ad eam normam suæ vitæ rationes in animum induxit suum. Verum cum non admodum firma ac robusta valetudo erat, ita se instituto severisque ejus legibus obligari animus erat, ut sartam quidem ac tectam constante undique obedientia reliquam disciplinam vellet; sed ut affecto corpori bene esset, mulceri sibi aliquantisper victus rationem, ac frequentius domum animi causa egrediendi facultatem fieri efflagitabat. Decus, quod Ordini vir ejus notæ conciliaret, incitamento futurum putabat, ut eam sibi legum asperitatem temperarent patres; tum se tradendis in Congregatione litteris strenuam operam navaturum; et quod angustas nostras domos cerneret, ut alliceret magis, suffecturum insuper illis amplificandis sumptus, polliceri. Demum quod in id se patrum contubernium admitti maximopere cuperet, ut rex succederet, Franciscum Cappellum, virum gravissimum ac senatorium ac de nostra potissimum Congregatione optime meritum rogavit, ut qua auctoritate, qua precibus rem ipse optatissimam conficeret.

probatur e quodam singulari facto.

57 Egit confestim cum Thienæo litteris Cappellus, nec quidem perfunctorie . . . Caietano, instituti sui atque unanimis disciplinæ tenacissimo, nihil absurdius fuit. Rem cum sociis, præcipue cum Carafa contulit: mox Cappello modeste quidem, quippe cui cum multum deberet, plurimum debere vellet nostra Congregatio; sed summo candore animi ac dicendi libertate, dignam egregia sua mente, dignam instituto responsionem dedit in hunc sensum, quem e prolixiore epistola in pauca hæc verba contraximus: Epistolam scilicet legisse, communicasse illico cum patribus; ejusque sententiæ esse omnes, ut qui adscitum in sodalitium vellet, unius moris in eo futurum, proponat sibi necesse sit: nil siquidem magis cum re communi certare, quam singularitatem. Deberi quidem ætates, vires, valetudinem librari æqua lance, ut una quidem manu, non una eademque omnibus mensura, quidquid opus fuerit, impertiat caritas, ad priscæ sanctitatis exemplar. Dividebatur namque singulis, prout cuique opus erat. Id vero æstimare ac pensitare, Præpositi officium ac munus esse. Flaminium ergo Congregationem ac recessum expetere, bene esse: persuadendum nihilominus sibi fore, Congregationem Dei bonitate nutuque regi, qui sciverit tantumdem lucis moderatoribus infundere, ut cerni cujusque imbecillitas queat: ac tantum caritatis, quæ ejus imbecillitatis onus ferat. Ac proinde si mens est, institutum capessere, ut ad Christi pedes atque inter Religionis brachia strenue sese ac libere abjiciat, oportere, nec majus sibi imperium sui ac libertatem fore, quam cuique ex Ordine. Erogatas vero in communem usum opes, ac studiorum communicationem non admodum movere eos, quibus, quam quodvis commodum, potior est observantiæ rigor et Christi crux. Cæterum præclaram tanti viri eruditionem placere quidem, sed quod dicere ipse inter pauperes Christianæ pietatis rudimenta velit, placere magis. Hæc Caietanus ad Cappellum. Quo spiritu et quam erecta celsaque mentis indole, quisque videt.

Auctore J. P.

§ VI. Acta Neapoli, Venetiis, Veronæ; mira oculorum custodia; prodigia.

Mittitur Neapolim, ac suis ibidem præest religiose, ac magno cum exemplo paupertatis.

Inter *hæc, novum rerum a Sancto nostro Neapoli præclare gestarum theatrum nobis aperit Caracciolus, quem anno 1533 ab episcopo Theatino missum eo fuisse, constat ex Litteris Apostolicis Clementis PP. VII, ab eodem biographo prolatis. Quænam legationem istam antecesserint alia, ibidem leges.* Anno igitur MDXXXIII, IV Nonas Sextiles, Caietanus, *ac socius ejus, de quo ibidem*, Venetiis discesserunt, *referente Caracciolo; dumque Neapolim pervenissent, ac sex alii socii, velut totidem milites subsidiarii a Carafa illuc postea ablegati essent* Caietani *rogatu, Ordo Clericorum Regularium ibidem loci propagatus est. Hi quippe* circa finem Octobris . . . Venetiis profecti, Neapolim incolumes pervenerunt: quibus omnibus, comitiorum decreto Venetiis Septembri proximo celebratorum, datus est Præpositus Caietanus, *prout invenies apud laudatum auctorem; statimque, inquit Silosius lib. 5, pag. 154*, ad Thienæi votum, qui communem eam curam pro delati muneris officio capessere non detrectavit, ordinari res domestica, ac disciplinæ ratio cœpit; sacrorum in primis cultus atque administratio ad Venetæ domus atque instituti exemplar examussim exigi. Antelucanæ siquidem horæ divinis laudibus dedicatæ: diurnis statisque intervallis reliquum divini Officii pensum distributum: expiandis conscientiis, festis profestisque diebus assidui aderant, concionesque habebantur ingenti cum adventantis viciniæ fructu ac voluptate. *Alia, quæ Vir sanctus Neapoli egit, narrant laudatus historicus ac Caracciolus; inter quæ mirifice lucet præclarissimum illud factum, quo pro genuina et apostolica novi sui Ordinis paupertate murum vere inexpugnabilem sese opposuit, quando census annuos, obstinato sibi conatu obtrusos, strenue ac heroice, sola Dei providentia nixus, recusavit, neque acquievit, donec splendidum illud vinculum quam longissime a se suisque amoliretur.*

Miraculum edit in sanatione fracti cruris; ac mira oculorum custodia

59 *Ibidem etiam invenies prodigium insigne, Caietani patratum virtute ac precationibus, in mirifica fracti cruris sanatione.* Hæc porro Caietani precibus, *inquit Silosius libro citato pag. 166*, reddita fratri incolumitas ad quoddam virtutis eximiæ documentum, quod sub id tempus idem met Caie-

AUCTORE J. P.

Caietanus in eadem *(de qua meminerat pag. 165, et quam describit Antonius Caracciolus in Vita apud nos infra a num. 68)* Parvi Stabuli domo edidit, stylum vocat . . . Expugnaverat hoc anno (nescias majore armorum felicitate, an virtute) Carolus Cæsar Tunetum, urbem in Africa florentissimam, expulsoque qui occupaverat, rege Algerii, Muleassem in avitam regni sedem asseruerat, exemplo augustæ munificentiæ in ævum duraturo. Fortunæ triumphisque inclyti Cæsaris plaudere Neapolitanis primum contigit: qui post celebratissimam illam victoriam barbarorum spoliis suaque insignem gloria revertentem illum excepere, cultu quidem, quantumcunque capere aut Caroli virtus ac fama, aut conari munificentissima urbs posset; ut plane nunquam ipse alias exceptus ea triumphi specie ac lætitiæ imitamentis fuerit.

visum suum coercet.

60 *Et postquam augustam urbis faciem, principumque ac populorum accursum descripsisset laudatus auctor, hæc subdit:* Igitur, instructo longo principum virorum ordine, his excultam or- B namentis ac studiis flagrantem Neapolim inivit imperator, nec ulla hominum tam religiosa conditio fuit, quæ frui spectaculo, quod nunquam alias contigisset, non duceret honestissimum. At enimvero abripere præclarum Caietani animum ac mentem, omni illecebra superiorem, isthæc theatra minus potuere. Siquidem triumphabundæ sui ipsius cupiditatis occasionem complexus; cum e suæ cellulæ fenestra inspicere augustam illam principis speciem ac majestatem posset, nec deessent adhortamenta, exorari nunquam potuit, ut insignem pompam vel uno intuitu dignaretur, spectandis interea cœlestibus oratione ac contemplatione intentissimus; spectabilior quidem ipse ea virtutis severitate, quam triumphali cultu ac paludamento imperator.

Gravis ei in dicendo vis: hæreticum virus expugnatum.

61 *Silosius sancti Fundatoris sui egregiam in dicendo vim laudat lib. 6 ad annum 1538, a pag. 207:* Quod vero pertrahere, *ait*, Neapolitanam pietatem potissimum potuit, id profecto Caietani Thienæi, et Joannis Marinonii concionandi vices fuere . . . Inerat quidem Thienæo gravis quædam eruditio ac eloquentiæ facultas, pertractandis flectendisque mortalibus, quo vellet, apprime accommodata; ut perraro quidem telum C contorqueret, quin vel inter secretiores pectorum fibras animos caperet ac salubrius sauciaret. *Ad annum vero 1539 idem historiographus commemorat, quo modo, et a quibus satanæ administris teterrima hæreseos Lutheranæ pestis in urbem Neapolitanam invecta sit, ibidemque disseminatum ac propagatum diræ contagionis malum grassari cœperit; quasnam item in eo impugnando expugnandoque partes egerint* Caietanus *ac patres Theatini. Verum quia de illis rebus, quantum satis, nos instruit scriptor Vitæ, cui hasce nostras Commentationes præmittimus, ideo eas singulatim aliunde huc transcribere, supervacaneum arbitramur. Ad alia igitur Sancti gesta inspicienda gradum faciamus.*

Evocatur ad regimen Venetæ domus, magno Neapoli

62 Anno, *uti est apud Caracciolum*, MDXL Aprili mense in comitiis Neapoli celebratis Caietanus creatus est Præpositus Venetæ domus S. Nicolai. *Adde hæc e Silosio pag. 222:* Plane lætitiam, qua renuntiato suæ domus Præposito Marinonio perfusi Neapolitani patres fuere, mœror compensavit, quo avelli a se Thienæum, hoc est spirantem solidæ virtutis ac disciplinæ imaginem legemque, intime indoluere. Peracerbum et exteris fuit, Viri sanctissimi pietate curaque destitui. Quas vero potissimum perculit profectionis consilium, cœnobii Sapientiæ sanctimoniales fuere, D quæ frui suavissimis moribus insignisque prudentiæ ac sanctimoniæ exemplar illud intueri propius ac venerari, ingens Dei beneficium gratiamque reputabant. Ipsa in primis, quæ fundaverat temperabatque collegium, Maria Carafa, communis Parentis jacturam suis virginibus sibique ingemuit. Plane cum Neapolim Caietanum amandavit Carafa, ea præcipue illius intentio ac mens fuit, ut Maria, quæ formandæ regendæque recenti disciplinæ præsenti ope indigebat, Viri innocentissimi æque ac prudentissimi virtute uteretur. Atque ejus quidem mores non unis litteris apud sororem commendavit Carafa; eoque præsertim anno, quo suscepta Neapolitana expeditio fuit, ad illam scripsit in hæc verba: « Inter meos » caros fratres præcipuus est ille, quem in » oculis fero, meus, inquam, Caietanus. Deus » ipse novit, quam difficile eum a me avelli passus fuerim. Spero autem fore, ut per Dei gra» tiam noscas, quam sit bonus Christi servus, et » quam merito illum ego diligam. » E

relicto sui desiderio.

63 Hæc ille: cujus quidem candidissima gravique testificatione, quam conceperat de Caietano Maria, opinionem adauxit mirifice, cum experta coram Virum est, ejusque modestiam, sapientiam, sedulitatem, quibus ipsam ac cœnobium conatus ille est demereri. Toto hoc siquidem tempore, quo Neapoli egit Thienæus, nescias, suæ domui, an Sapientiæ collegio diligentiorem curam impenderit: ita ut non minus illarum virginum, quam Theatinorum pater videretur: quippe qui et conscientiis expiandis, et instituendis moribus, et communæ disciplinæ procurandæ, et privato etiam cujusque commodo totus aderat. Cum accedere ad monasterium minus poterat, agebat litteris, quarum videre est plura, quæ apud nos sunt, ad Mariam autographa, divina quadam prudentia ac spiritu plenissima; elucetque in iis excellens quædam atque ipsissima Thienæi imago; sive ad virtutem mundique neglectum incitent; sive urgere ac fovere regularem observantiam videantur; sive consolari atque increpare interdum contingat . . . At Caietanus tum alios plerosque suæ virtuti devotissimos, tum illas præcipue verborum lenimentis consolatus, sub ipsum vernum tempus Venetias discessit . . . Exceptus Venetiis ea omnium gratulatione ac benevolentia fuit, qua dignus profecto erat, qui jam pridem eam urbem suarum virtutum admiratione compleverat; illamque tot pietatis officiis ac sanctimoniæ documentis, vel antequam Religioni nomen profiteretur, demeruerat. Quare et accurrere ardentius viri proceres ac vulgus, ut ad ejus cum exempla tum adhortamenta mores suos emendarent; et præstare ipse ea caritatis officia, quæ ad animorum cultum pietatisque institutionem spectabant. F

Insigne paupertatis Apostolicæ specimen Veronæ: regressus Venetias:

64 *Silosius ad eumdem annum pag. 223 refert, Virum sanctum Veronam accersitum fuisse ab Giberto, ejusdem loci episcopo; ubi insigne præbuit* Caietanus *in urgendo ac retinendo Apostolicæ paupertatis rigore exemplum: veritus enim ne hic e liberali ergà se suosque laudati præsulis benevolentia, qua quotidiana victus abunde ac omnino paterne subministrabat subsidia, aliquid detrimenti pateretur, interminatus est antistiti, se Verona discessurum, nisi isti rei finem imponeret: de qua cum tractet Caracciolus, plura hic non addo.* Postea vero, *sicut scribit idem Caracciolus*, quam Veronæ aliquandiu mansit,

rediit

A rediit Venetias ad suam Tolentinatem domum, quam Præpositi titulo tres hos annos rexisse legitur. *Silosius pag. 224 Venetum regressum* ineunte anno quadragesimo primo evenisse, putandum esse *affirmat : reverti siquidem Venetias eo tempore oportuit*, quo celebrari de more comitia generalia deberent. Nam etsi, ubi ejus anni Capitulum habitum fuerit, commentarii nostri non memorent; coactum nihilominus Venetiis fuisse, verosimilius existimamus; quod Tolentinas ac Paulina domus ferme alternis annis eas inter sese Capituli vices partirentur.

cura amplificandæ Religiosæ disciplinæ, ac salutis animarum:

65 *Idem historiographus sanctum Fundatorem qua sui Ordinis, qua externarum personarum bono intentum exhibens, ita orditur septimum librum :* Romæ dum expiandæ religioni, corrigendisque improbis fidei corruptoribus impigre vacat Cardinalis Theatinus; Caietanus cum amplificandæ in Ordine Regularis disciplinæ, tum instituendis ad pietatem exterorum animis sedulam operam navat. Adeo namque, ut sæpe docuimus, ab insigni animorum tractatione ductuque inclaruerat, ut B quisquis ad frugem sese meliorem arcano instinctu Numinis animari sentiret, vitæque rationes cuperet emendari, is Thienæum conveniret, ejus præceptionibus imbuendus. Morabatur adhuc Venetiis. Institutis siquidem Neapoli comitiis generalibus, vertente anno secundo et quadragesimo, renuntiatus ad tertium annum Tolentinatis ejus cœnobii Præpositus fuerat.

miracula:

66 Quo quidem tempore excellentis sanctimoniæ opinionem, quam virtutum splendore concitaverat, editis miraculis comprobavit adauxitque. Enimvero hoc ferme anno putat Antonius Caracciolus, ea illum patrasse admiranda, quæ Jo. Antonius Pratus, quem alias nominavimus, suis litteris consignavit. Ex quibus et alia profecto edidisse Caietanum sanctitatis documenta, dum viveret, conjectari facile potest. Neque enim jure sibi quisque persuaserit, non plerisque a Deo miraculis fuisse Virum sanctissimum honestatum; cujus vita tanto rerum humanarum contemptu, tantaque in Deum fiducia miraculum plane fuit. Existimandum propterea, aut ipsummet celebritatis despicientia metuque occultasse; aut nostros homines, quibus C imitari optimi Parentis probitatis vestigia, quam transmittere in posteritatem miracula prius erat, non adnotasse. Quocirca ut excidisse plura ac magna, dolendum maximopere nobis est; ita haud mediocriter gratulandum, pauca isthæc servata e tanti veluti leonis amplitudine unguem, quo æstimare reliquam molem ac majestatem possemus. Duo igitur gesta hoc tempore Venetiis a Thienæo mira accepimus *etc. Uno eorum nobilem feminam sanitati restituit; altero amentem suæ menti; utrumque nos infra e Caracciolo narrabimus in Vita Sancti; quibus additur tertium; cujus jamjam mentio fiet.*

bene consulit saluti proximi absens per litteras:

67 *Duobus itaque primis a Silosio expositis, sic subditur pag. 237 :* Hæc Venetiis Caietanus; ubi egregiis factis exemplisque virtutum ita aderat, ut latius etiam pertineret ejus sedulitas. Nam quam præsens alibi excitaverat proximorum caritatem, atque egregia semel opera instituerat, ea absens urgere litteris ac monitis conabatur. Id quod datæ sub id tempus Neapolim tum ad Sapientiæ moniales, tum ad alios, litteræ ostendunt. Vicentinæ *item* caritatis leges, ut in xenodochio, quod ipse olim intentiore studio curaque excoluerat, excresceret, vehementer contendebat : compositis namque ad ejus nosocomii sodales litteris, ut egregio operi insisterent, afflictumque hominum genus erigere, quanta maxime possent ope, pergerent; mirum quo ardore animi commonere sæpius videbatur. Neque profecto debere hic volumus epistolæ exemplar, quam inter plerasque ad eos dedit, plenam quidem robusti cujusdam spiritus, ceu ipsamet caritas dictaverit, ac proinde dignam quæ hic apponatur... *Hæc ex illa delibasse, sit satis :* Rogo vos, quæsoque in Christi visceribus, ut si curare vestra Deum maximum vultis, tueri laudatissimum hoc institutum opere quam maxime studeatis. Agite, carissimi fratres, si exhilarare animum meum cupitis, illud anxie contendite, ut quam optime ardentique Caritatis studio res nosocomii atque inopum commoda peragantur, ac sitis ipsi spectatis moribus urbi huic vestræ bonus odor ac lumen. Hoc ipse ob Christi Domini, sanctissimæque Deiparæ amorem voveo, urgere nimirum vos unanimi voluntate præclarum opus : tum rogo etiam atque etiam, ut isthæc non tanquam a me peccatore prolata accipiatis, sed ab eo studio affectuque, quo obstrictum me voluit Deus, ut vos amem et vestræ E sodalitatis incrementa percupiam. Valete. *Hæc ibi; sed Sanctum Venetiis Neapolim avocatum comitemur.*

AUCTORE J. P.

sedat gravissimam tempestatem.

68 Redeunt, *ait Silosius pag. 239*, consequenti hoc anno volventis seculi XLIII anniversaria Congregationis comitia Venetiis habita, in quibus Caietanus, expleto eo in cœnobio triennali magistratu, renuntiatur Neapolitanæ domus Præpositus. *Caracciolus duobus, de quibus dicebamus supra, admirandis, quæ Vir sanctus fecit, additurus tertium, sic fatur :* Tertium, dum Venetiis Neapolim navigio peteret, contigisse opinor. Nam, uti mox dicemus, Neapolim iterum reversus est, electus scilicet anno MDLIII *(imo 1543)* Paulinæ ædis Præpositus. *Subortam itaque tempestatem, quæ extrema omnia minitabatur, injecto in iratum mare cereo agno, extemplo sedavit; uti legere est apud Caracciolum; adde Silosium pag. 240, qui adjungit :* Victrici maris ac tempestatum sacræ illi ceræ ut tribuere miraculum socii; ita Caietani fiduciæ votisque communi consensione suus honor habitus fuit : maxime quod ea erat egregii ejus spiritus virtutisque apud illos opinio, ut imperare ventis potuisse, facile F sibi persuaserint. Porro ex nostratibus non defuere ejus rei testes oculati duo, qui Caietanum comitabantur; nempe Marcus Venetus, de quo alias memoravimus; et Gregorius Marinus, qui a Carafa ante annum duodecimum in Ordinem cooptatus, egregiæ semper frugis atque eximiæ prudentiæ specimen dedit. *Adde ex Caracciolo, quod* Lucretia Carafa, Antonius Caponius medicus, et Raynerius Gualandus, ingenui ac probi homines, et quibus nullum ex mendacio pretium, narrabant de eo Viro mira, quæ temporum injuria, et posterorum in propaganda laude Majorum indiligentia perierunt.

AUCTORE J. P.

§ VII. Iteratum domus Neapolitanæ regimen; iter eo institutum; morbi causa; obitus piissimus; spiritu prophetico idem a S. Petro de Alcantara cognitus; sedati post illum tumultus Neapolitani patrocinio Caietani; nonnullæ ejusdem sententiæ; concursus ad corpus; elogia.

Domui Neapolitanæ præfectus, munus abdicat;

Rediit itaque Caietanus Neapolim anno MDXLIII ad finem Aprilis, comitantibus Marco et Gregorio, Venetis sacerdotibus; *sicut scribit Caracciolus;* B sed hic rursus, *ait*, lector, ingentem quatuor annorum lacunam in narratione ista de vita Caietani facere cogor. Ab anno enim MDXLIII, usque ad MDXLVII nihil reperi de eo Viro dictum aut scriptum. *Dispiciamus itaque an, et quousque lacunam illam nos aliunde supplere possimus.* His igitur sociis *(verba damus Silosii pag. 240)* Neapolim appulit Caietanus: et qui incredibile sui desiderium, cum Venetias discessit, reliquerat; revertentem, ut ejus Acta canonizationis adnotarunt, veluti lapsum e cœlo Angelum excepere cum nostri homines, tum exteri: et ipsemet, quod provenire Neapolitana in urbe ac florere lætius pietatem, pronamque ad omnem virtutis laudem gentis indolem adverteret, ardentiore quodam animi impetu affectuque in eam ferebatur: desudabatque libentius ea in arca, unde fructus longe uberrimos colligeret. *Abdicatum ibidem ab ipso regiminis munus, docet ad annum 1544, pag. 245, his verbis:* Quod vero ad Congregationis administrationem pertinet, inter Venetos ac Neapolitanos patres convenit hoc anno, ut sua quique in domo comitia celebrarent... Neapoli vero, quod Caietanus summis precibus impetravit, ut C munus abdicaret, suffectus Joannes Marinonius fuit.

sed illud iterum admittit coactus. Quid factum in itinere.

70 *Ad annum vero 1547 tractat Silosius de Capitulo generali, quod die* XV *mensis Maii Romæ in ædibus Cardinalis Theatini celebratum fuit; in quo, sicut habes pag. 257,* Neapoli Caietanus Thienæus vel invitus *renuntiatur denuo Præpositus.* Porro Caietano adjuncti socii duo... cum quibus Neapolim discessit: nec sine Thienææ virtutis documento iter absolutum. *Sanctus etenim nocturnum iter peregit, viæ cum emensæ tum emetiendæ incommodo superior, ut in solemnioribus precibus una cum aliis canendis partem haberet; quam et habuit. Res infra dabitur e Caracciolo. Eam peculiari Dei adjumento ac favori adscribit Silosius in Vita* S. Caietani *lib. 1, cap. 20, pag. 129; Angelo utique, prout fert fama, eum comitante, quemadmodum ibidem invenies. Porro de vitæ ejus ac virtutum laborumque meta hæc accipe.*

Causa morbi, tempusque mortis, quam piissime obit,

71 Cum per Italiam, *ait Caracciolus,* Lutheri doctrina latius in dies serperet, probe Neapolitano regno consultum iri arbitratus est Petrus Toletanus prorex, si ea ibi Hispanico more institueretur in hæreticos censura..., Inquisitionis nomen sortita. *At consilium eventu caruit: Neapolis tumultu* D *ac cædibus impletur; uti apud eumdem auctorem legere est.* Porro, *ait*, Caietanus noster... cum primum modis omnibus, qua suadendo, qua rogando, conatus esset exsurgentem seditionem reprimere; mox suo frustratus voto, ex angore animi atque ex vigiliis, quas, Deum noctu obsecrando, egerat, in febrem incidit. *Verum hæc et plura ibidem ac apud Silosium diffusius a pag. 258. Indidem etiam disces, quanto Vir sanctissimus cum sui contemptu, quam pia ad exuendam mortalitatem cum animi præparatione e vita migrarit* VII *Idus Sextiles anno 1547,* ætatis circiter *secundum Silosium* sexagesimo; *imo vero septuagesimo circiter, ex dictis supra num. 3 de ejus anno natali, imo etiam ex ipsomet Silosio, qui lib. 1, pag. 4 dixerat:* Natus est Caietanus anno a Virginis partu octuagesimo supra millesimum quadringentesimum. *Schiara parte 3 cap. 9 affirmat, Sanctum e vita discessisse dictæ diei* VII *Augusti hora circiter decima nona; quæ computatio horarum Italica si ad nostratem exigatur, designat horam pomeridianam secundam cum dimidia circiter. Hisce autem placet attexere verba, quæ Bulla canonizationis sancti* E *Confessoris virtutibus subdit, et sic habent, alicubi tamen a me adhibita emendatione:* Quibus virtutibus cumulatus ac laboribus, vigiliis, ærumnis, jugique sui corporis excruciatione fractus, multoque magis morbo ex animi mœrore correptus, quod, acta per eos dies in seditionem plebe, graviter Deum offendi cerneret: quodque Tridentinum Concilium, in quo maxime fidebat, interruptum videret, spe sua frustratus, et ad extremum usque, integris tamen sensibus, et vigore animi perductus, Ecclesiæ Sacramentis summa pietate ac spirituali gaudio refectus, et veniam a confratribus suis, quos nunquam offenderat, deprecatus, in crucifixi Redemptoris complexu piissime obiit Neapoli die septima Augusti MDXLVII. Qua die populares illi tumultus ipsius intercessione, ut creditur, sedati sunt. *In Horis canonicis Ecclesia sic de eo legendum præscribit:* Denique ex animi dolore concepto morbo, quod offendi plebis seditione Deum videret, cœlesti visione recreatus, Neapoli migravit in cœlum. *Hæc ibi.* F

a S. Petro de Alcantara spiritu prophetico cognitam.

72 *At vero singulare est, quod de morte Sancti divinitus ab alio Sancto cognita memorat sequens biographus, et nos huc transcribimus in ejus fide:* S. Petrus de Alcantara *(inquit Schiara in Vitæ* S. Caietani *compendio part. 3 cap. 9)* qui tunc temporis degebat in Hispania, mortem Caietani spiritu prophetico videns eodem die, quo evenit in Italia, admirando et extollendo ejus sanctitatem, in hæc verba prorupit: Hodie defecit a mundo una e præcipuis columnis sanctæ Ecclesiæ. Hac de re amplam fidem fecit pater Joannes de S. Bernardo, guardianus S. Luciæ de Monte, quondam provinciæ præses, ac procurator Romæ in causa canonizationis S. Petri de Alcantara, et excellens Vitæ ejus scriptor.

Gravissimorum Neapoli tumultuum sedatio

73 *Cæterum, quæ modo tacta sunt de sedatis, ipso deprecatore, popularibus tumultibus, ea sic deducit Silosius pag. 264:* Et quidem quo die Caietanus cœlum iniit, Placidus Sangrius, qui una cum Ferdinando Sanseverino, Salerni principe, adlegatus pridem ad Cæsarem ea super re fuerat, ex Hispania Neapolim appulit. Et quanquam non ea plane regis mandata afferri viderentur, ut tumultuantes dissidentesque acrius a prorege civium ordines componerent, restincta nihilominus ex insperato publica fax illa seditionum,

sedata

A sedata refractariæ multitudinis odia : siluere obstrepentia passim arma ; urbique pax, et securitas, et tranquillitas restituta. Quæ sane cum eo tempore contigissent, cum turbulentissimis iis motibus calor potissimum ac vires adderentur, ac nulla componendi dissidii spes affulgeret ; constans bonorum opinio fuit, Caietani id precibus, mortalitatem non ita pridem exuti, supremo a Numine impetratum. Id quod et civitas ipsa Neapolitana, ne consenesceret annis consequentibus gratia, testatum publicæ observantiæ argumentis voluit. Siquidem communi Sedilium, ut vocat, decreto sancitum, ut quotannis anniversaria ejus obitus memoria ac luce recurrente, funales cerei omnino septem inter solemnia Sacra Caietano dedicarentur, assidentibus ad aram Sacrumque sex-viris, qui conceptis solemnibus verbis, expressaque debiti professione, publice offerrent. Ac veluti insigni beneficio parem nondum gratiam retulissent, in sanctissimum Virum patremque benevolentissimum studium novo postea ac luculentiore testimonio cumularunt.

B 74 Nam celebratis in sua quique porticu ac sedili, ut assolet, comitiis, communi illum consensione plausuque inter urbis regnique patronos adoptarunt. Successum vero isthæc suffragia non habuere, quia tum potissimum temporis Urbanus Pontifex VIII lege cavit, ne referri inter urbium ac regnorum patronos Beatus quis posset, qui relatus inter Sanctos rite nondum fuerit. Redditam porro Neapolitanis tranquillitatem Caietani prece, ceu publicam sua morte calamitatem expiasset, consignatum nostris tabulis gravique elogio voluere prisci patres : nosque luculentissimum id rei testimonium ex Napolitano D. Pauli tabulario hic exscribere, opportunum ducimus. Sic vero habet : « Beatus Caietanus e nobili stirpe » Comitum Thienæorum Vicentinus, unus ex » quatuor Clericorum Regularium conditoribus » Romæ MDXXIV, divino plenus spiritu, verbo » et exemplo ubique præclarus et gloria miraculorum insignis, obiit Neapoli anno MDXLVII, » septima Idus Augusti, ex angore animi ob imminentem civitati cladem et seditiosos tumultus ; » qui tamen precibus ipsius, in cœlum evecti, » sedati sunt. »

patrocinio Caietani vita functi adscribitur

C 75 Quod etiam acerrimo Romanæ Rotæ judicio quam diligentissime excussum, compertumque, non id jactatum vulgo ac temere ; sed constanti inter prudentes viros opinione circumlatum, veluti per manus traditum, continenti ad nos fama derivasse. Quare de Caietano in Beatorum censu adnumerando, descriptis ejus virtutibus rebusque præclare gestis, apud Romanum Pontificem cum agerent judices, commemorata ea temporum calamitate, id plane ex omnium sententia affirmant, versantem in discrimine summo rerum Neapolim et juvisse illum suis precibus vigiliisque, dum viveret, et exstinctum, perorata in cœlo felicius causa, tranquillasse. *Silosius in Vita* S. Caietani *lib. 1, cap. 22 in fine, id probat insuper ex imaginibus impressis circiter ista tempora ; in quibus* Caietanus, *coram Deo prostratus, pro afflicta urbe precabatur, ac legebantur inferius hi versus, nostri, ait, Cudneri Angli :*

publica

Parthenope turbante, dolet, moriturque dolore :
Turba repente silens, laus morientis erit.

76 *Quæ de relata post* S. Caietani *mortem a Carolo V Cæsare de Frederico, Saxoniæ duce, victoria, tanquam si confecti feliciter istius belli pars ad ipsum jam cœlo receptum spectet, tradit Silosius pag. 265 e Caracciolo ; non subsistunt. Hæc quippe non cohærere cum die istius victoriæ, ostendetur infra in annotatis ad Vitam cap. 9 lit. e.*

testificatione.

Auctore J. P.

77 *Apud Caracciolum etiam invenies aliquot e pluribus, quæ interciderint, Sancti sententias ; quibus hasce adjungere lubet e Vita Castaldiana cap. 2, sic a nobis Latine redditas :* Debemus, dum hic sumus, consequi vitam æternam ; quam nos soli adipisci amplius hic non possumus, quia peccatis olim eam perdidimus ; sed Jesus Christus eam recuperavit.

Nonnullæ Caietani sententiæ :

Deum ama, voluntatem tuam dirige ad placitum ejus semper : nec dubita, quin, si ab omnibus Sanctis (fac fieri id posset) et ab omnibus creaturis derelinquaris, ille tibi præsto futurus sit semper in omnibus tuis necessitatibus.

Homines, tametsi sint magni reges, nec habere nec habituros unquam oblectamenti aliquid affirmo in hac vita, nisi per Jesum Christum. Omnia alia oblectamenta sunt fascinationes ac veneficia, quibus diabolus afficit eum, qui sibi morem gerit.

E *Quibus hæc adjunge e Silosii Historia lib. 7, pag. 283 :* Cum excitare rerum humanarum suique contemptum vellet, hæc pronuntiare potissimum solitus erat : Gemere sub hac gravi sarcina mortalitatis omnibus contingit. At quamvis una eademque viventes omnes calamitas ac lues tangat ; iis nihilominus miseriarum seges felicior provenit, quibus carior est vita ; et qui pluris æstimant, plus dolent.

78 *Laudatus supra Caracciolus profert etiam* testimonium, quod Erasmus Danesius, presbyter integerrimus, qui cum eo aliquandiu vixit, scriptum reliquit, *et in quo eximias sanctissimi Fundatoris sui dotes, veluti in pugnum contractas, breviter quidem, sed graphice ac nervose repræsentat, non neglecta etiam externa corporis statura ac conformatione ; quæ cum ibi exstent, huc non transcribimus.* Fateor, *inquit,* non posse me omnes ejus virtutes exæquare dicendo ; illud dixisse, sat fuerit, piissimum illum Sacerdotem floruisse eximia sanctitate, egregiisque virtutum ornamentis. *Præmiserat :* Plura advertere potuissem ; sed tunc præ adolescentia his observandis non vacabam diligenter. *Sed nos, Deo dante, per amplissimum hunc cum a Caracciolo, tum a Danesio nobis apertum in Viri undequaque spectatissimi virtutes ac laudes excurrendi campum exspatiabimur, ac rimabimur tam pretiosa vestigia incipiendo a publico ad ejus feretrum concursu.*

elogia ejus,

F 79 Evulgatum, *ait sæpe citatus Silosius pag. 264,* sanctissimi Viri obitum incredibilis Neapolitanorum sensus excepit, quod in Thienæo patrem ac publicum animorum procuratorem præceptoremque agnoscerent. Plurimus de excellenti ejus virtute insignique sanctimonia per urbem sermo : ac veneraturi examine attritumque vigiliis vitæque asperitate corpus, confluxere in Paulinam ædem omnis ætatis atque ordinis certatim homines. *Ea sic refert ac corroborat Bulla beatificationis :* Ad corpus in ecclesia omnium votis et solatio expositi venerationem ingens populi multitudo confluxit ; quam jamdiu conceptam sanctitatis opinionem multiplici testabatur veneratione, manuum pedumque deosculatione, ac lacrymis, quas optimi apud Deum intercessoris jactura ultro erumpentes trahebat.

quæ in auctore Vitæ non habentur,

80 *Vitæ a Caracciolo in lucem datæ præmittuntur egregia* de Caietano Thienæo variorum scriptorum elogia ; *quæ ex eo sic referimus :* I. Diarium Vicentinæ sodalitatis S. Hieronymi, ad annum MDXIX, fol. 9 : Caietanus Thienæus, Protonota-

et aliunde hic a nobis

Auctore J. P.

tonotarius Apostolicus, canonici juris doctor, devotissimus vir, et divino plenus spiritu, atque adeo vita moribusque sanctissimus. II. Et fol. 33: Reverendus dominus Caietanus, devotus servus Jesu Christi, iniit sodalitatem S. Hieronymi V Idus Januarii MDXIX. Ipse fuit lumen et splendor nostræ societatis, ac beneficentiæ columen. Porro quæcunque dixero, minora sunt ejus Viri merito. III. Jo. Petrus Carafa tunc presbyter Regularis, postea Pont. Max. Paulus IV nomine, in epistola ad Mariam sororem scripta pridie Kalend. Octob. MDXXXIII: Inter meos charos fratres, præcipuus est ille; *reliqua habes superius § 6, num. 62.* IV. Idem episcopus Theatinus epistola ad Mariam Franciscam Longam, eximiam illam matronam, de qua Tursellinus Histor. Laur. lib. 2, cap. 10: Ego vicissim, domina, cognovi, non frustra nos in te fidem habuisse, quia non excepisti jam dictos meos fratres (Caietanum Thienæum, et Joannem Marinonium) ut homines ab hominibus missos, sed ut Angelos sanctos divino Numine delegatos.

B 81 V. Onuphrius Panvinius in Vita Pauli IV citra medium: Caietanus Thienæus, nobilis Vicentinus, vir sanctus. VI. Index Ms. Sanctorum et Beatorum ecclesiæ Vicentinæ, apud Fortunatum Cassinensem: VII Idus Augusti, beatus Caietanus confessor, fundator Ordinis Theatinorum. VII. Andreas Schottus Antverpiensis in Itinerario Italiæ fol. 62: Quibus (illustribus præsulibus) adnumerandus est D. Caietanus Thienæus, unus ex institutoribus patrum Theatinorum. VIII. Jacobus Marzarius lib. 2 Historiæ Vicentinæ, ad annum MDXXIV: Caietanus Thienæus II Protonotarius Apostolicus, sacris humanisque litteris eruditissimus, vitæ vir innocuæ, Ordinem Theatinorum una cum episcopo Theatino, cui postea ad summum Pontificatum evecto nomen Paulo fuit, per hæc tempora fundavit. *Hæc ibi.*

supplentur

82 *Apud Silosium in Vita lib. 2, cap. 14 a Peregrino Bartachio, episcopo Mutinensi Sanctus enuntiatur* Verum et vivum exemplum, a quo insignia promanare possunt bona in homines cujuscunque status, et præcipue in Clerum; cujus ipse Beatus reformator atque instaurator fuit.

ex variis

C *Paulus Emilius Sarascenus hisce eum ibidem laudibus commendat:* Hoc tempore evocatus est in cœlum beatus Caietanus e nobilissima familia Thienæorum, unus ex Vicentiæ Tutelaribus, Clericorum Regularium fundator; qui suos filios divinæ providentiæ invocationem cum primis edocuit. *Josephus Laurentius in epistolis suis ita de illo scripsisse ad aliquem e Comitibus Thienæis, loco citato affirmatur:* Cujus vita integerrima, sanctissima, mors felicissima et miraculis admiranda, uno omnium sermone celebratur ac scriptorum monumentis perhibetur. *Præfatus Vitæ scriptor e fragmento epistolæ Alexandri Cardinalis Estensis hæc memorat:* Dignum sane est, ut gloriosa tanti Viri memoria omnibus commendetur, qui sine dubio novus fuit Apostolus, novus fuit Angelus, a Deo missus ad mores reformandos, et imprimendum crucis signum non in fronte, sed in corde Fidelium mortificatione, suæque vitæ exemplo. Id quod equidem vehementer exopto, tum propter devotionem, qua sum in Beatum incensus, tum propter virtutes atque miracula, quæ ipsum valde conspicuum reddunt. *Consuli potest Silosius libro 7 Historiæ suæ, pag. 292; ubi citationes addit. Atque hæc quidem duo, virtutes nimirum primo, ac dein subsecuta eas miracula, materiem nobis suppeditabunt admodum copiosam pro paragraphis bene multis.* D

83 *At priusquam eo perveniamus, non abs re fuerit elogiis modo productis attexere illud Castaldi cap. 9 Vitæ, in quo Sanctus graviter et eleganter laudatur. Ex Italico autem sic sonat Latine:* Homo, qui cum hominibus aut cum Deo tractans, videbatur Angelus, et tanquam vermem se reputabat: in laboribus indefessus, in cibo parcus, lacrymis magis se nutriens et animarum lucris, quam alia re: in somno brevis, in oratione prolixus, in sacrificio devotus, in vestitu pauper et abjectus, in divino cultu ornatus et exquisitus: secumipso severus ac rigidus; cum aliis benignus ac mansuetus: in conversatione affabilis simul et gravis; unde se amabilem juxta ac venerandum reddebat: verbis parcus, operibus liberalissimus, vera cum caritate cor unicuique pandens. In eleemosynis erogandis ac præstando pauperibus servitio, nesciebatur, majorne esset caritas, an humilitas. In aliis gubernandis, exsecutione imperabat; auctoritate sua executioni mandari faciebat: prudens in prævidendo futuro, confidens in providendo: sapiens supra modum ac discretus E in dando consilio; in animi affectionibus adeo rationi subjectus, ut harmoniam referret motionum animi ejus observatio, animæ nobilitate in ipso corpore relucente.

quorum verba

84 *Anonymus in Vita sancti Fundatoris Venetiis vulgata, lib. 4, pag. 495 Alexandrum Memmolum Venetum, ex Ordine ejusdem Sancti Religiosum, adeo pia animi sensa de eo concepisse scribit, ut examinatus cum juramento sequens posteritati commendarit testimonium, quod ex Processu Veneto apud eumdem anonymum sic ex Italico sonat:* Audivi ego ex relatione multorum Patrum, qui fuerunt eo tempore, quo vivebat beatus Caietanus, fuisse hominem sanctissimæ vitæ, rigorosæ abstinentiæ Religiosæ: et in particulari nunquam quasi visus fuit ridere. Omnibus Officii Horis in choro intererat noctu et interdiu; eratque in illum adeundo primus, et in exeundo inde ultimus. Cumque ex pedum defectuosorum debilitate ægre consisteret pedibus, nunquam sedebat, nec ullo modo se in choro sustentabat fulcro in divinis cantandis laudibus. Ne parvus F quidem imperfectionis nævus in vita ejus inveniri poterat; adeo ut a Religiosis omnibus cum nostris tum aliarum Religionum alumnis, qui eum norant, observatus, æstimatus, ac in veneratione habitus esset tanquam Sanctus.

dantur.

§ VIII. Virtutes. Innocentia vitæ, corporis afflictatio, custodia sensuum, virginitas; eadem in aliis virtus promota; tria excitata mulierum monasteria.

Miram ab ineunte ætate morum innocentiam

Sæpissime *jam memoratus, ac porro memorandus a nobis Silosius Historiæ Clericorum Regularium lib. 7, a pag. 265, optimi sui Parentis virtutes egregie recensens,* Jam, *inquit,* quæ Caietani Thienæi indoles ac sanctitas fuerit, et quibus virtutum pulcherrimarum ornamentis, ad eam vitæ morumque sanctimoniam, ac perfectionem contenderit; etsi ex his, quæ narrata hactenus sunt, abunde nos commemorasse persuasum habemus; nihilominus quod non omnia com-

A complecti stylus, et temporum ratio potuerit, ac pleraque Thienææ virtutis documenta nullum sibi certum locum vindicaverint; suis veluti sub signis singillatim recensebimus. Igitur quæ in Caietano primo occurrit, ea est constans ab ipsis cunabulis vitæ innocentia. Prætervectus nimirum [fuit] inculpate florem illum ætatis, quem scopulum rectius nominaveris: quippe rari admodum sunt, qui non illum suis naufragiis nobilitaverint. Ac Sanctorum quidem plerosque scimus in omni virtutum genere vitam sanctissime traduxisse; quorum si juventutem spectes, eo ætatis æstu atque impetu abreptos reperies, ut ardentis ævi vitium vindicare postea diuturnis cruciamentis, lacrymisque ac sanguine oportuerit. Vicit præclara indole atque instituto communem mortalium conditionem Caietanus: qui ordiri ea pietatis atque innocentiæ laude vitam cœpit, ut novo vivendi genere anteactam telam subinde retexere non oportuerit: constantique disciplina in perfectionis viam ingressus, nihil annis consequentibus, quod B mulctaret aut mutaret, habuerit: ut merito vel in ipso florentis ævi virtutisque tirocinio sanctissimus ac devotissimus audiverit; ut in loco significatum est. *Vide quæ nos supra num. 7 præmisimus.*

coujungit cum severissima corporis afflictatione.

86 Atque hic plane subit statim animos admiratio, Virum vel a prima ætate egregie sanctum, perinde in se ipsum assidua corporis afflictatione animadvertisse, ac si ingentium criminum conscius, fœdatam aliquando animam peracerba pœnarum irrogatione ac vi lacrymarum expiandam existimaret. Et vero non ex eorum numero fuit Caietanus, qui abunde esse reputantes, frenos interna mortificatione animæ facultatibus injecisse, ne in rationem, quæ princeps in homine pars est, facto impetu affectus rebellent: cæterum corpus mitius habent, ac si aliquantisper exercent, lenta id manu faciunt, indulgentque illi pluscula, humanæ cujusdam imbecillitatis aut necessitatis specie. Enimvero in componendis ille animi motibus sensuque omni compescendo adeo totus erat, acsi nulla perdomandi corporis cura teneretur, cum ea vicissim contentione erudire corpus, pœnisque gravissimis plectere studeret, perinde quasi nihil de animi victoria atque imperio cogitaret. In hanc C vero corporis afflictationem nervos vehementius intendebat, quod sciret consensionem quamdam ac fœdus corpori esse cum animo: ut nisi illud frangas, injectoque freno subjicias, frustra profligare hujus cupiditates ac perturbationes speres: et ut sedari facile bella animorum solent severa membrorum disciplina, ita exardescere ad hominis exitium ac virtutum cladem affectus contingit, si corpus foveas.

Pœnitentia ac jejunio

87 Igitur assiduus ac plane austerus sui censor et lictor fuit Caietanus; ut plerique ejus in corpore vindicando cruciandoque institutum moremque obfirmatum cum cernerent, illum magnæ pœnitentiæ virum appellare non dubitaverint. Neque vero consistere in aliqua suppliciorum ac macerationum mediocritate poterat, qui implacabili quodam in se ipsum odio ferebatur. Dicere namque solitum accepimus, se corpus suum tanquam rebellem quemdam infernumque genium odisse. Dictum profecto memorandum, quod vix a quoquam pronuntiatum in omni antiquitate reperies. Et plane qui eo loco corpus habebat, quique non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum colluctationem bellumque sibi esse, cum corpus edomaret, intelligebat; qua contentione illud atterere, qua vivendi duritie, quantisque rigoribus studuerit, haud facile dictu est. Gulæ, quæ desudatas persæpe opes virtutesque omnes juxta vorat, mirum quam strenue illusit. Statis Ecclesiæ jejuniis adduntur ex nostro instituto non pauca, quæ tamen Caietani animum, abstinentiæ avidissimum minime explebant; sed eam sibi præterea victus legem atque austeritatem imperaverat, ut videretur quotidie jejunare: proscriptis namque omnibus ciborum lautitiis, pretiosiora gulæ irritamenta, aut vulgares herbæ aut cocta legumina erant: cibario tantum pane ac gelida [erat] contentus sæpissime. Qua quidem austeriore annona continentique abstinentia in eam sese maciem attenuaverat, ut magno Basilio par, summa confectus inedia ac jejuniis aridus, pelle atque ossibus constare videretur.

Auctore J. P.

nec non somni parcitate corpus atterebat.

88 His porro arctissimis vitæ rationibus accedebat somni mensura [pro] illecebra: aspero namque ac breviore lecto mollissime cubabat in palea, quam nunquam ferme subactam aut mutatam, paulum ab nudo assere aut humo distare diceres. E Severissimæ vero istiusmodi quieti paucæ etiam horæ concedebantur, vigilabatque ad multam noctem, aut studio ad animorum institutionem, aut divinarum rerum commentationibus, aut castigando corpori intentus: nec raro integram noctem incussis strenue flagris aliisque in se ipsum animadversionibus lucubrabat. Ad hæc, ferro etiam præcinctus, ac cilicio indutus, severæ virtuti militabat; ne ullum armorum genus deesset viro pugnacissimo, cui cupiditatum suique triumphus propositus erat. Atque has quidem durissimas corporis exercitationes vel maxime intendebat, cum aut impetrare sibi aliisque a Deo beneficium aliquod institueret, aut arceri publica mala, propitiarique Numen oporteret. Tunc enimvero, quo momentum precibus ac vim adderet, sævire alacrius ac gravioribus sese injuriis incessere, nulla valetudinis habita ratione, solitus erat. *Confirmantur hæc e Bulla canonizationis:* Corpori afflictando integras quandoque noctes insumebat, ferrea catena et flagris illud diverberando: cibus illi vulgaris et parcus; ac sæpissime solius panis et aquæ: somnus brevis, F et in stramentitia culcitra; cujus decubitum etiam in ultima ægritudine ad extremum usque sustinuit, tametsi medicus in illa decumbentem nimium laborare advertens, adnisus fuisset, ut aliam molliorem admitteret. Cui Caietanus, Mene, inquit, tam molliter emori? Atqui in cinere et cilicio mori debeo et volo. *Pergamus ad alia cum Silosio.*

Oculorum custodia

89 Reliquam membrorum disciplinam facile ab austeriori hoc cultu conjectare quis poterit. Oculos namque (quos refrenare, ut perdifficile; ita plurimum interest compositi animi) is rigor erudierat, ut nulla umquam illos abripere jucundissima res potuerit. Quod sane in celebriore illa Caroli Cæsaris pompa, qua Neapolim inivit, aperte commonstravit; quando adduci nunquam potuit, ut oculos ad honestissimum ac longe pulcherrimum spectaculum laxaret, sodalibus adhortantibus, atque ipso in primis triumpho viciniore alliciente, ut diximus. Cum oculis et linguæ custodiam conjunxere Religiosi officii moderatores, ac pari quidem severitate utriusque disciplinam temperandam monuere, ne diffluat evaporetque per isthæc spiramenta animus. Tantum vero in Thienæo coercendæ linguæ studium fuit, ut nunquam lapsus, aut aliquid extra ordinem profectumque aliorum pronuntiasse visus

AUCTORE J. P.

sus fuerit: verborum scilicet longe diligentissimus æstimator, veluti ad rerum pretiosissimarum lancem illa expenderet ac venditaret, quam paucissimis in loco utebatur.

ac linguæ,

90 Neque ejus silentii, quod a primis quidem facibus ad primam lucem omnino servare, instituti morisque nostri est, contentus Caietanus, illud continuatis interdum precibus usque ad prandium producebat, ac persæpe etiam, cum necessarii alicujus officii ratio non interpellavit, dies integros tacuit, imitatus plane Joannem illum, cui celeberrimum a silentio cognomentum; ac Gregorium Nazianzenum, quem diuturni silentii freno linguam perdomuisse litteris constat. *Ita Silosius. Et vero in vita anonymi Venetiis impressa lib. 3, § 16, pag. 445, hæc de Sancto memorantur e Processu Neapolitano fol. 101:* Tria stabiliunt et conservant vitam contemplativam; puritas interna cordis, clausura et custodia portæ omnium sensuum, ac internarum inspirationum executio.

B

illibatus virginitatis candor;

91 *Nihil etiam admisit Sanctus, quod vel per umbram, illibatum mentis candorem obfuscare posse videretur.* Hunc porro animi florem, *ut cum Silosio prosequamur,* ac puritatem excoluisse, eo studiosius visus est Caietanus, quod sciret levi quolibet afflatu corrumpi pulcherrimam ejus formam, ac dehonestari. Armaverat insigni quodam timore animum, quo fallere malorum dæmonum artes atque occasionum incitamenta, ac proinde tueri omni ope egregium castitatis decus studebat. Excipiendis in confessione aliorum sordibus, ne aures ac animus, concepta ea labe, sordescerent, oratione sese impensius munire, ac tum maxime implorare vim Numinis ac Deiparæ patrocinium, curæ erat. Cui paucus semper sermo; cum alloqui mulieres contingeret, paucissimus omnino erat; easque præsertim evitabat, quæ non sine honestatis fraude, nobilitati ac formæ splendore vestium plus nimio indulgebant; ceu noxium ab ea gemmarum aurique luce ignem metueret. Quapropter cum insignem hunc illius pudicitiæ amorem probe jam scirent prænobiles matronæ, illud cum Caietano perpetuo observasse, compertum habemus, ut cum adire illum ad sui eruditionem fructumque peroptarent, non antea au-

C

derent, quam abjecto omni corporis ac vestium cultu, orisque elegantia neglectu quodam castigata, ad illam sese Thienææ modestiæ normam componerent: ratæ haud tutum quidem esse ad illius conspectum sisti eo luxu ac magnificentia, a cujus honestissimo vultu tacite atque aspere objurgari pompam intelligebant. Et vero qui inerat animo ac purissimæ menti pudor, frontem etiam ac vultum rigore quodam plane amabili honestabat, ac paulisper asperabat. Id quod Erasmus Danesius Caietanus, vir integerrimus, qui cum Thienæo olim egerat familiariter, testatum reliquit in eo, quem de ejus virtutibus Commentarium conscripsit. *Vita anonyma Venetiis edita lib. 3, § 16, pag. 441 e Relatione S. Rotæ narrat ista:* Cum sciret, qualiter non poterat esse continens, nisi Deus daret; et hoc ipsum esset summa sapientia, scire, cujus esset hoc donum; adiit Dominum, et deprecatus est illum: qui Servi sui preces, et desiderium exaudiens, continentiæ donum elargitus est; cui pudicitiam, castitatem honestatemque adjunxit. *Et ex dicta Relatione ibidem pag. 443 vocatur* angelicæ puritatis imago. *Nunc redeamus ad Silosium.*

92 Hunc autem pulcherrimæ virtutis amorem instillare aliorum animis, proposita ejus formæ dignitate, omni studio conabatur. Ac multos quidem, quos expugnaverat pene vi sua malisque artibus infernus genius, injecta manu confirmavit tenuitque, ne insignem virtutem prostituerent. Quam plurimos vero usque adeo ad illam suis adhortamentis inflammavit, ut viam ab omni sensus commercio atque illecebra alienam, Religiosis Ordinibus adscripti, illibate traducere elegerint. Atque hoc quidem tuendæ alienæ honestatis studium definiri suæ vitæ terminis noluit Vir sanctissimus. Enimvero postquam esse desiit inter vivos, in mortalium sese conspectum persæpe dedit; visusque gravi quadam specie malos ipsos dæmones ad impurissima provocantes expellere. Duo hic hujusmodi argumenti beneficia denarranda. Alterum Vicentiæ collatum; Venetiis alterum: utrumque tabulis ac jurata fide constat.

D

quam etiam virtutem in aliis obnixe promovit et confirmavit;

93 Vicentiæ quædam erat honesto loco mulier, quam rebelles genii incubi ingenti vi pulsabant, eoque adducere conabantur, ut cui se addixerat pudicitiæ, grandi quodam piaculo admisso abjiceret. Ac jam semel atque iterum, facto impetu, pene dederat manus: cum Caietanus, cui se ex animo commendaverat, mira quadam luce collustratus, illi sese illico ostendit; vultuque ac supercilio perterritos sub squallentium horride serpentum imagine hostes fugavit. Tum objurgata subaspere ab eo mulier, nunquam postea id generis tentamenta experta est; nisi quod non post multo novum in certamen lacessita, sentit vehementius [se] impelli, ut quam B. Patris imaginem, ceu loci suique tutelam, suo in conclavi affixam venerabatur, ejeraret exspueretque: quod ipsa scelus execrata facile est: cum interim testarentur suis ingratiis mali dæmones, certissimum honestatis præsidium ac amuletum vel solam Caietani imaginem esse.

vel post ipsam mortem, quod exemplis duobus

E

94 Venetiis vero illud haud paulo admirabilius contigit. Nobilis quædam virgo ejusmodi pravi spiritus conatibus, integra quidem mentis puritate, libatam corporis pudicitiam floremque conquerebatur. In ejus momenti negotio ac jactura interpellare Caietanum, cujus proxime adesse anniversarium lucem noverat, optimum factu putavit. Neque elusa fiducia est. Siquidem imploranti objecit sese verenda quadam oris specie Caietanus; factoque crucis signo non modo quæ fœdare animum solebant rerum turpissimarum imagines expunxit; verum etiam visus ruinam corporis reparasse; et quem incusso etiam verbere decusserant mali genii, florem restituisse. Scio ultra fidem atque extra miraculorum ordinem videri hanc rem posse; quippe nullam istiusmodi in Divorum historiis recensitam facti admirabilitatem reperies. Et Hieronymus quidem ad virginem Eustochium hæc habet: « Audacter loquar, cum » omnia possit Deus, salvare virginem non potest » post ruinam. » Quo statuere videtur vir maximus, libatam semel virginitatem reflorescere amplius non posse. At enim, etiamsi de formali, ut aiunt, absolutaque virginitate, quam in proposito ac mente theologi ponunt, affirmari id omnino debeat; tamen quod instaurari carnis integritas possit, quæ non ipsa est virtus: sed virtutis materia, nil causæ est, cur inficiemur; cum et confractos persæpe crystallinos aureosque calices sanctorum virorum precibus redintegratos constet; ut de divo Donato, antistite Aretino, ac de Leone, sanctissimo Pontifice, ejus nominis nono, monumenta historiarum narrant.

comprobat;

F

95 Pleraque vero ejusmodi de Caietano fuere juratis testibus comprobata, quæ irrefragabile

ac superiora

Roma-

A Romanæ Rotæ judicium, cum referri Thienæam virtutem ad Pontificem oportuit, testata his omnino verbis voluit: « Plurimi quoque a diuturnis » ac inveteratis carnalium vitiorum vexationibus » exemptos, et hujusmodi illecebrarum stimulis » prorsus immunes sese cognoverunt, ubi Servo » Dei fiducialiter ac devote se ipsos commen» darunt. » Quod enimvero tributum incomparabili ejus puritati non dubitavimus. Nam qua maxime virtute in terris quis claruit floruitque; illa in cœlum postea asserto gloriarum subinde materia ac seges amplissima semper exstitit. Illud hic præterea ad Thienææ puritatis coronidem non dissimulaverim, quod rogati hac de re plerique asseruere: scilicet cum illis aderat objiciebatque sese Caietanus, qui ejus opem in acerrima carnis conflictatione deposcebant, suavissimum quemdam mali citrei odorem afflare consuevisse; qui longe lateque diffusus, diu etiam perdurabat: certissimum profecto ejus virginitatis indicium, cujus luculentum esse symbolum scimus ob perpetuam B viriditatem malum citream.

gravissimis testimoniis confirmantur. Tria a Sancto mulierum monasteria excitata.

96 *Confirmantur supra dicta e Bulla canonizationis his verbis:* Oculos ac linguam ita compescuit, ut integros dies silentio præteriret, et illos semper humi defixos teneret: nec ullis unquam illecebris potuit animus ejus vinci, aut curiositate molliri. Quo factum est, ut si quando prænobiles matronæ eum alloqui vellent, prope accedere non auderent; ni omni femineo cultu seposito, exteriorem corporis habitum ad Christianæ humilitatis ac modestiæ leges componerent. Quippe angelicam ejus puritatem, gravitatem, et modestiam oris reverebantur. Idque singulare in eo fuit, ut adventantes mire raperet ad virginitatis amorem, ac cælibem in cœnobiis vitam capessendam: quique in diuturnis et inveteratis carnalium cogitationum stimulis vexabantur, ab illis se protinus liberos agnoscebant, ubi primum Dei Servo se commendare ex corde aggressi sunt, aut ejus alloquio vel præsentia frui concessum erat. Quare trium monialium monasteria Neapoli excitavit: alterum sacrarum virginum sub arctissima Capuccinorum regula; alterum feminarum, quæ pudicitiæ jacturam aliquando passæ, ad por- C tum salutis per pœnitentiam post naufragium confugiebant; et tertium monialium S. Mariæ de Sapientia nuncupatum, institutrice Maria Carafa, præfati Pauli prædecessoris sorore: a quo illius regimen Servo Dei ejusque Ordini peculiari jure commissum fuit.

§ IX. Rerum terrenarum contemptus, studium paupertatis, fiducia in Deum; divina cum in eum, tum in Ordinem ejus providentiam.

Res caducas hujus mundi

Vita anonyma Venetiis edita lib. 3, § 15, pag. 440 dixisse suis eum refert ex Processu Neapolitano fol. 75: Bona transitoria hujus mundi aliena sunt, nec homini propria: æterna vero sub aspectum non cadentia, propter quæ creatus fuit, propria ei sunt. Quamobrem, illis despectis, ad hæc debemus semper aspirare. *Silosius pag. 168 generosum hunc rerum caducarum contemptum, quo Vir sanctus fulsit, pluribus ita confirmat:* Ac in eo quidem qui opulentissimæ domus commodis honorumque appellationibus ac infulis abdicatis, ac proposita sibi aliisque asperrima vitæ ratione, crucem strenue est amplexatus, eximius ille rerum humanarum mundique contemptus principe statim loco occurrit. Et certe postquam illecebras ac seculi aurum adornare, larvam ac scenam quamdam semel intellexit Caietanus, nihil unquam magni aut pulchri capere magnanimum ac vere aureum pectus potuit: ac summa isthæc omnia, in quæ mortalium vota ac spes incumbere vehementius videntur, celsiore sua mente velut infima abjectaque despectabat. Legere est in ejus, quæ exstant, epistolis, quo loco florentissimas hominum fortunas haberet, quanti faceret rerum fastigia ac purpuras; quod apud illum de mundi existimatione ac fama judicium. Fucum oculis animisque fieri his omnibus, ac quædam ad decipiendum incantamenta esse existimabat. Despectum hunc porro mortalium insigni sui generis et consanguineorum contemptu maxime comprobavit. Ceu dissonam ingratamque auribus E vocem, præclaræ stirpis suorumque commemorationem excipiebat.

Auctore J. P.

nec non familiæ splendorem infimo loco habet.

98 Domo sua ubi semel cessit, illam repetere aut inibi vel ad horam commorari nunquam visus est: siquidem cum redire Vicentiam interdum contingeret; ut ad cognatas ædes diverteret, etsi diu multumque obtestarentur fratres, exorari nunquam poterat; sed publicum urbis xenodochium recta adibat; ibique quanti æstimaret commoda cultumque domus, stramento edocebat, cum interim ægrotantibus eximiis caritatis officiis totus adesset. Quid si neque aspectu dignaretur cognatos, ne oculos forte perstringeret externa illa lux generis, excitaretque aut gloriolæ gustum aut affectum in suos? Et plane dignum memoratu est, quod Neapoli accidit. Nam cum eo pervenissent plerique ejus consanguinei, ut absentem diutius inspicerent; ubi ille ea, quæ prænobiles viros decebat, celebritate ac pompa accessisse inaudivit, affixus Numini et cruci, ingenti quadam animi magnitudine neque alloqui neque intueri voluit: ita ut eo insalutato, ad quem venerant, redire clarissimos viros oportuerit, tantam quidem virtutem suo generi sibique gratulatos; sed quod cognatum illud sanctimoniæ F exemplar usurpare oculis non licuerit, plane tristes: ostenditque peregregie Caietanus, quam illi mundus sorduerat; utque amorem, qui vehementissimus esse solet, in gentiles suos expunxerat; quos etiam humanis honoribus consequendis, non modo humana aliqua ope juvare unquam studuit; sed nec divina quidem, hoc est, ad Deum precibus; quas non nisi procurandis eorum animis, rebus tantummodo cœlestibus impetrandis adhibebat.

Paupertatem plane singularem cum sibi præscripsit, tum suis

99 Atque hinc in altissimam paupertatem evadere perfacile fuit Caietano. Neque vero profiteri severam adeo inopiam rerumque omnium indigentiam potuit, qui non insigni ea mente mundi copiam luxumque contempsisset; sicuti contemni vicissim tam strenue humana res omnis ac pompa minus poterat; nisi fixus cordi tam ingens apostolicæ ac vere magnæ paupertatis amor fuisset. Certe etsi in virtutibus plerisque excellere Caietanus aut æquare alios visus fuerit; in paupertate nescio, an illi anteferri aliquis possit. Supremam namque ejus attigit lineam, ultra quam ut prisco ævo eniti nulli mortalium contigit, ita nostra hac tempestate iis inopiæ legibus atque angustiis victitare nostrum Ordinem, quanquam lateat

nemi-

AUCTORE J. P.

neminem, pene experimento fidem omnes abrogant. Enimvero nullo non solum censu certisque proventibus, verum neque emendicato, ut fusius alibi memoravimus, familiam vivere, ac piaculum omnino ducere, si quis in summa egestate pietatem stipemque fidelium imploret, quid nimvero dignius laude atque admiratione animus concipiet? Floruit in ipso efflorescentis Ecclesiæ sinu hæc olim paupertas, liliorum instar, quæ non laborant neque nent. Sed abruptam sæpius instauravit tandem Caietanus, ac ceu lautissimum patrimonium suorum fidei commisit, nullo prorsus tempore distrahendum aut imminuendum, ac certa spe, nunquam decocturam Clericorum Regularium posteritatem, quam hæc rerum indigentia, et nec precaria paupertas ditaverit ac fulciverit.

apostolicæ vitæ sectatoribus; uti liquet e factis,

100 Qua vero contentione tueri præclarum institutum studuerit Caietanus, celebri certamine, quod collato cominus pede, productisque divinarum Scripturarum testimoniis, Oppidano cum Comite Neapoli iniit, plane edocuit, profligataa insuper Religiosorum hominum phalange atque eloquentia, qui contra obfirmatum Thienæi propositum a Comite stabant. Veronæ autem cum Giberto par contentio fuit, ut diximus, recusata optimi antistitis munificentia, qua ille Christi famulos sustentabat, veritus ne cui se suumque Ordinem inopiæ consecraverat, liberalior erogatio delibaret læderetque; gratulari quippe maximopere videbatur, cum arctiore annona ac victu votæ paupertatis fructum caperet. Contigit autem sæpius, ut ad mensam una cum suis accederet, non nisi modici panis frustulis atque aliquot malis Medicis instructam; et aliquando ad panem quatuor recentes fabas adjunxisse, cujusdam illecebræ loco fuit: cum interim gauderet ipse in sinu, iis lautitiis refici Christi pauperes. Elucebat autem in ipso ejus habitu, externaque re omni præclara hæc virtus. Nam vestis illi e viliore materia ac male sarta. Reputare se aiebat, gemmatam togam induisse, cum centonem gestaret. Cellulæ supellectilem, cultumque Erasmus Danesius, quem supra laudavimus, expressit his verbis *(quæ habes apud Caracciolum in fine Vitæ* S. Caietani*)*.

quæ hic producuntur.

101 Atque hanc quidem supremam rerum egestatem jam pridem, cum nondum cruci nomen dedisset, animo delineaverat voveratque. Domino namque Xavinellio amicissimo, et compertæ probitatis viro dixerat aliquando Vicentiæ, et quidem flagrantissimo e pectore, verba illa: « Non » desistam erogare in egenos quidquid habeo, » donec pro Christo adeo pauper evadam, ut nec » sepulturam mortuus nisi precario obtineam. » Hæc illi in ipso vitæ melioris crepusculo voluntas. Quantum vero is ardor excreverit, declaravit nuncupata postea Deo illa, prisco ævo nata, ac suo seculo obsoleta, de qua diximus, paupertas: cujus laudem ac pretium, ceu nulla virtutum tantum sibi cordi esset, inurere suorum animis verbis novissimis studuit. Nam cum supremam diem animamque ageret, hæc præsertim ad illos: Filii, usque dum vixi, vixi pauper, ac defungi vita in summa inopia peroptavi. Hanc vero commendatam vobis magnopere pervelim.

Heroica S. Caietani, ejusque Ordinis fiducia de providentia Dei,

102 Porro egregium hoc ac prope divinum paupertatis genus, quod adeo impense adamavit Caietanus, incomparabilem quamdam in Deum ejusque providentiam fiduciam evincit. Siquidem non opibus, non fundis, non postulatis ac precibus niti, quin imo eorum omnium opportunitates, scita lege, sibi et posteritati præcidisse, quid plane aliud fuit, quam in divinam omnino spem incumbere, promum et condum cœlum velle, ac non nisi immediate Dei manu curaque ali? Quod sane etsi confidentior quædam virtutis species, ac supra hominem fidere, videri poterit; nulli tamen dubium, quin magnanimam quamdam in Caietanô indolem, ac si recte calculum ponas, non modo insignem in Deum fidem, sed fidei excessum quemdam atque heroicam plane virtutem probet. Fixerint sanctissimi quique viri ac paupertatis flagrantissimi spes suas in Deum; certo qui erectiore id animo fecerit, quam Thienæus, comperies neminem: quando aliorum quidem fiduciæ quædam quæsitæ ab hominibus pietatis opisque mixtura humani quid addit: Caietanus vero purissimam omnino atque haustam solummodo e cœlo spem admisit, atque imploravit quidem liberalitatem stipemque mortalium; sed fusa ad Deum, non ad homines prece.

quæ variis

103 Ut autem certissimæ huic ejus fidentiæ divini Numinis providentia responderit; utque liberalius persæpe ac tempestivius, quam quævis latifundia ac census; secuta subinde cœlestis beneficentiæ argumenta testata luculenter sunt. Et quidem non modo Thienæus ipse opportunam Dei benevolentiam expertus interdum est, cum maxime suprema rei domesticæ angustia premi videretur; verum etiam cum transmissum in sobolem idem paupertatis ac fiduciæ patrimonium fuerat, experiri annis consequentibus et eamdem Numinis munificentiam plerisque nostræ congregationis locis sæpius contigit. Pleraque ejusmodi argumenti exempla raptim superius prosecuti sumus, polliciti celebriora hoc in loco aliquanto fusius explicare. Ergo sublevatam præsenti ope Caietani ac sociorum inopiam Romæ, in summa rerum clade ac discrimine, hic iterum commemorare, supervacaneum puto. Quamvis nihil profecto pronum in viros summe pauperes ac spei plenos divinæ providentiæ amorem manumque evidentius probet, quam in communi direptione Urbis inventos homines fuisse, qui egregio pietatis genere deciduis rapinarum reliquiis hominum equorumque pedibus corruptis, Dei servos humana quavis ope destitutos alerent. Ac paulo post, cum dilabi ab Urbe contigisset, inventam item militum, hoc est prædatorum manum, qui alios cum exspoliarent, Caietano ac sociis commeatum aurumque, quo Tyberim transmitterent, darent. Tum solliciti vehementius cum essent, quo tandem trajicerent; præsto fuisse Venetum legatum; qui sua classe honorificentissime exceptos Venetias perduceret:

ac miris

104 Denique Venetias bono cum Deo appulsos [esse] ut cum Italiam late omnem acerrima fames ea tempestate divexaret; in Venetiarum sinu, ubi egestas mitius grassabatur, minus ea ipsi incommoda sentirent. His providentiæ blanditiis ali Caietani fiducia, confirmarique magis ac magis cœpit. Subsecuta postea in dies insperata quædam subsidia Numinis, Theatinæ spei fortitudinem approbantis. Duo Caietano ipsi evenere; alterum, quod Romanæ Rotæ ad Pontificem narratio recenset, id fuit. Venetiis aureorum summa homini debebatur, aderatque stata dies, qua acerrimus creditor interpellabat. Rem non mortalium cuipiam exponit Caietanus; sed ei, quem et fidem et cœlum oppignorasse in ipsum sperantibus noverat: concepitque vix preces; cum, ecce tibi, venusta plane specie juvenis, qui tot omnino aureos Caietano perhumaniter porrexit, quot

debiti

A debiti solutio posceret: ne quis opem submitteret erogaretque, aperuit. Nulli dubium, quin e cœlo ea pietas fluxerit; cum diligentissime mox conquisitus, nusquam munificus juvenis apparuerit, assertus nempe postliminio astris suis, nova cum stipe opportune reversurus.

paternæ benevolentiæ exemplis ostendit.

105 Neapoli cum Præpositum ageret, aliud divinæ beneficentiæ periculum contigit. Prandii hora appetierat; cum Caietano renuntiatur, præter unicum cibarium panem, nihil omnino esse domi, quod Patribus apponeretur. Visus ille de animi orisque tranquillitate nihil prorsus remittere, ac dari nihilominus consuetæ refectionis signum jussit. Itum in cœnaculum: cumque una patres discubuissent, institutæ paupertatis eos monere, deque eximia ejus laude et collocanda in eum spe diserte perorare. Nec plura: inter loquendum pulsata domus janua, dum accurritur, reperti lectissimi panes: quis vero importaverit, repertus nemo: putandumque, illum eumdem e Cœlitum numero juvenem fuisse, Numinis administrum, atque a secretioribus divinæ providen-
B tiæ eleemosynis: qui, ut aurum Venetiis erogavit, cum solvendum æs alienum fuit; ita Neapoli panem detulit, cum panis defuit, pari atque aurea utrobique liberalitate; documento vero oppido illustri, invectum a Clericis Regularibus id vivendi genus, ingentemque potissimum Thienæi fiduciam quam gratissimam Deo esse: quando veluti cudere in cœlo aurum, ac panificium inibi exercere divina bonitas videatur, ut hanc inopiam juvet.

arctissimam illam paupertatem

106 Nunc ad ea, quæ hereditariæ cujusdam paupertatis ac spei merito posteris contigere, stylum convertamus. Nec alienum ab rerum a Thienæo gestarum serie hanc narrationem putamus. Transmissa namque ab eo fuit in suos, quæ in Congregatione hodieque perdurat fiducia ac generositas; proinde consignandum in illius meritorum censu est, quidquid in ea id generis accidit. *Verum cum ea non acciderint proxime et immediate ipsi Sancto, cujus illustramus Acta; cumque eorum narratio nimis longe nos abduceret, ac videri illa possit apud Silosium a pag. 271; pluribus ea verbatim huc non transcribimus; sed in compendium cogimus. Neapoli itaque allatus fuit pa-*
C *nis, cum patres eo maxime indigerent; de lautioribus item epulis prospectum eis fuit; adde non modicam pecuniæ summam. Hisce subdit auctor, Venetiis templum ac domicilium frequentioribus hujusmodi ac miris divinæ providentiæ favoribus exædificatum; Mediolani vinum, cujus summa patres ibidem penuria laborabant, subministratum; Romæ autem ligna ad parandam refectionem corporis necessaria; Cremonæ plura ejusmodi exempla accidisse; inter quæ ponit illud, quod semel tantum pecuniarum, quantum inopiæ satis esset, allatum sit; ad hæc, quod in horto repertus fuerit nummus aureus, non sine munificæ Dei manus experimento. Deinde S. Carolum Borromæum ejusmodi providentiæ inspectorem Patavii inducit. Denique istiusmodi divinæ beneficentiæ argumenta Placentiæ ac Vicentiæ contigisse affirmat, ac ubique passim in Clericorum Regularium domiciliis.*

longe sibi gratissimam esse.

107 *Quæ ut confirmemus, atque ad Sanctum nostrum redeamus*, Divinæ, *inquit Compendium Romanum*, ejusmodi providentiæ, summæque munificentiæ præclara quidam ac pene innumera expertus ipse est argumenta: et inter cætera, cum aliquando cogeretur pecuniam restituere, nec illa tunc ei suppeteret; quidam ignotus adolescens illam ipsi suppeditavit. Alias etiam cum hora prandii immineret, nec aliud quam unicus panis inveniretur, jussit pulsari campanulam, et convocari patres ad refectorium, acsi mensa esset jam parata: et dum sermonem haberet cum patribus, divina providentia factum est, ut campanula pulsaretur januæ; qua aperta, inventa fuit sporta pane repleta, nec, qui illam attulerit, repertus. *Notum est illud Bullæ canonizationis:* Spe in Deum erecta sollicitudinem omnem projiciebat in eum, ut propterea unicam hanc in Deo fiduciam Ordini suo pro latifundio dederit.

Auctore J. P.

§ X. Amor erga Deum ac proximum; studium orationis.

Quanta

Quam fuit sanctissimus hic Patriarcha rerum caducarum amore vacuus, tam fuit divino plenus. Audiamus Silosium pag. 273: Ergo florentissimæ fortunæ commoda honoresque ac spes mundi omnes abjecisse tam strenue Caie- E
tanum, flagrantissimum jam concepisse ignem, amoremque cœlestium, argumento fuit satis luculento. Atque hic quidem ardor vultu ipso ac verbis sese quam efficacissime explicabat. Sive enim privatim ageret, sive pro concione publice loqueretur, usque adeo gestu inflammari atque oratione videbatur, ut ardere seraphico quodam spiritu diceres: incendebatque statim alios operosior ea vis. Hoc siquidem Viro incitatissimo primum fuit, ut scilicet non sterilis ejus flamma divinorum sensum amoremque in aliorum animis pareret, formaretque ad frugem virtutis. Id quod et scripto etiam præstabat egregie. Videre, profecto est ejus litteras, nullas non cœlesti quodam igne facundissima. Non prolixa in illis urbanitas, non quæsita captandæ benevolentiæ verba; sed plena ardoris dictio, ut stylo exarasse ac dictasse ipsa caritas videatur. Illud insuper jurata fide constat, ut, quoties de cœlestium amore aut verba ipse faceret, aut audiret, rapi arcana vi quadam ac suavissimo mentis deliquio sive ecstasi videretur.

erga Deum

109 Amoris vero delicias cumulabant ex oculis lacrymæ, quibus frequentissime inundabatur. F
Est quidam amoris index atque etiam fomes lacryma; neque enim nisi a flamma liquescunt corda. Quare uberrimos fletus in Caietano manasse necesse est, quem divina et vehementior quædam ardoris vis totum occupaverat. Atque hi quidem lacrymarum imbres Virum sanctissimum copiosius perfundebant, cum celebriora Salvatoris mysteria versare animo contingebat. Cumque præcipuo quodam studio affectuque in Christi nascentis cunabula ferretur, mirum quo sensu ac voluptate delibutus, suavissimam Virginei partus memoriam excipiebat. Certe nil anniversaria ac natalitia ea nocte Caietano jucundius ac sanctius. Quo vehementissimæ devotioni indulgeret laxaretque amori habenas, efformare sibi præsepis imaginem, ac totam illam corporali vagientisque Numinis scenam adornare solitus erat: eoque maxime rei imitamento ac spectaculo ita oblectabatur, ut dulcissimas in lacrymas ac suspiria abiret totus. Dicere item pro concione ad ea cunabula consueverat: ubi cum longe copiosior esset fletus, quam eloquentia, lacrymis potius declamare, quam vocibus, iisque audientium corda inflammare videri poterat.

amoris vi flagraverit;

110 Alia item in Caietano ornamenta, aut animi

AUCTORE J. P.

mi impetus quam pulcherrimos, fœcunda virtutum charitas excitare, atque alere videbatur. Hinc flagrantissimus ille zeli ardor, quo perditorum hominum flagitia infectabatur, et novatorum præsertim mendacia, quibus commaculari candorem fidei, intime dolebat. Quo vero studio et contentione in ejusmodi monstra invectus sit, diximus in loco fusius. Hinc ingens in rebus asperis adversisque patientia, quæ virtutum omnium, sed charitatis potissimum lapis est lydius. Hinc mira in pondere diei et æstus alacritas: ut cum tot ipse Religionis munia, tot corporis afflictationes, laboresque subiret; nunquam defatigatum, relaxantemque subinde otio spiritum quis viderit. Amor quippe, non otium, alimenti ac virium loco erat: ac dicere solitum accepimus, Amanti Deum, quodlibet onus leve esse. *Hisce majoris confirmationis gratia addamus breve illud, ad nervosum, quod habetur in Bulla canonizationis:* Ea in primis divinæ charitatis flamma, quam jam dudum in præfato divini Amoris sodalitio conceperat, æstuabat, ut intra pectoris B sinum contineri cor ejus non sustineret. Hinc juges lacrymæ, suspiria, gemitus, extases, tanti ardoris indicia. Hinc, ut omnes eadem flamma succenderet, discurrebat huc illuc, in similitudinem fulguris coruscantis; atque ut amicum præsulem ob negotiorum copiam, quibus distinebatur, Sacrum quotidie facere omittentem, moneret, Romam advolat, vel æstuante canicula, pioque officio functus, Neapolim illico rediit. *Sic ibi.*

quanta caritate

111 Sed jam, *Silosio pag. 274 præeunte*, ad amorem in proximos orationem convertamus. Æqua nimirum fronte utraque in Deum ac in mortales caritas currit: gliscitque altera ab alterius flamma. Et quidem egregia Thienæi caritas nescio an repræsentari propioribus lineamentis, ac germanius possit, quam quibus Romanæ Rotæ censores descripsere. Horum porro verba sic habent: « Dulcissimum reputans refocillamentum, » continuo animum observare, inventa et nova » moliri, quibus animarum saluti opem præsta» ret, et studio consuleret. Quare assiduo carita» tis opere detinebatur. Sermonibus enim, epis» tolis, consiliis, confessionibus se totum in » animarum levamen dabat. » Quo sane constat, C actuosiorem Caietani caritatem haud quidem mediocri in laude hærere, neque coerceri terminis, communique studio voluisse; sed excogitasse in dies nova, ac præstantiores subinde curas adjecisse, quibus demereri genus hominum posset. Coæva illi pene in proximos caritas fuit; quippe ab infantia nondum enataverat; cum efflagitare ipse stipem, atque erogare sua manu egentibus gestiebat. Crevitque postea, ac robustior in xenodochiis stipendia fecit peregregie. Inservire assiduo ægrotis, advigilare, excurrere, nullo unquam labore aut fœdiore spectaculo aut abjecto opere deterritus.

erga proximum, ita in confesso est,

112 Quæ sane mediocris cujusdam virtutis documenta videri possent, nisi caput etiam pro mortalium salute ac bono generosius devovisset. Grassante siquidem Venetiis lue, luctari ipse cum ea temporum calamitate, atque in decumbentium ministeria involare non detrectavit. Ceu præsenti quodam amuleto muniretur, contemnere pestilentissimam vim morbi videbatur, propiore atque animosiore in ægrotos indole ac manu. Incitatique egregie ejus plerique exemplo ad opus fuere, ut non sua tantummodo ope, sed aliorum etiam, quos inflammavit, caritate, publico malo præsto D fuerit. *Litteræ decretales canonizationis hæc brevissime expediunt, quando in corporum simul et animarum curanda salute eo ipsum pervenisse indicant,* ut grassante, Venetiis pestilentia, ea contagione laborantibus, propriis ipse manibus inservire, ac vilissima quæque munia prompto animo aggredi non formidaret. *At vero cum de curatione animarum injecta sit mentio; Silosium denuo revisamus.*

ut venatoris animarum nomen habuerit,

113 At enim, *inquit*, juvandis maxime animis, eorumque saluti procurandæ totus adfuit; utque aut sacris informaret rudes, aut improbos bonæ frugi mentique restitueret, nulli sibi parcendum studio, nulli periculo, nullis item vigiliis, lacrymisque ac macerationibus duxit: ut merito ob egregiam hanc animi sedulitatem ac in proximorum quæstu solertiam, venatorem animorum quidam appellaverint. Plane cum alterna quies omnibus placeat, ceu vires accipiat virtus paululum resoluta ac remissa, ut inquit ille *(Seneca videlicet, qui ad marginem citatur, de Tranquil. cap. 15)* Caietano nullum laboribus E temperamentum fuit, nec frangi præclara animi indoles atque impetus curarum assiduitate videbatur. Quidquid ab regularis observantiæ vitæque communis occupationibus supererat temporis, curandæ proximorum incolumitati impendebat continenti quadam operum successione: ac inter sacrorum administrationem, inter privata ac publica ad virtutem adhortamenta, inter solatia miserorum assiduasque scriptiones dilabebatur nunquam remisso aut fesso dies. Expiandis potissimum confessione noxis incumbebat, ac singulari quadam tractandorum animorum peritia instructus, mirum qua in eo munere assiduitate et quo fructu versabatur. Inerat perhumana quædam verbis comitas atque arcana vis, qua subire animos fortiter ac suaviter videbatur; privataque sive objurgatione, sive institutione cominus ac brevi ceu telo ita rem conficiebat, ut nullum obsessum criminibus pectus non expugnaret. Dicere solitum accepimus nobilem quemdam virum, qui passus aliquando est [se] exorari, ut Caietano conscientiam aperiret, principio quidem eam peccatorum expiationem subausteram visam, mox suavissimam, expertus nimirum solertissimæ ejus apis aculeum et mel. F

et tum per se, tum per suos

114 Porro intentiore quodam studio in proximorum utilitatem animatum egregie fuisse Thienæum, docet quam ipse cum sociis Clericorum Regularium sodalitatem instituit. Non enim suo tantum aut paucorum profectui maximum hoc opus excitavit; sed qui ampliorem animorum segetem cogitabat, [visus] communi orbis bono actuosum institutum destinasse. Et vero qua exemplorum luce ac incitamento, qua concionum celebritate, qua exquisito templorum cultu, obsoletam Sacramentorum frequentiam instaurasse, exstinxisse plerisque in Italiæ locis hæresum flammam ac lucem, invexisse morum disciplinam, perditissimos quosque ad mentem meliorem revocasse, atque id genus eximiæ caritatis munera obivisse, alibi commemoratum est. Atque hæc quidem præcipua Thienæi laus est, noluisse caritatem suam intra suæ vitæ terminos circumscribi; sed instituto sodalitio illam perenni quadam successione in posterorum animis atque officiis propagasse. *Ad hanc rem stabiliendam egregie conducit illud Litterarum decretalium canonizationis effatum:* Catholicæ fidei zelo, et ad hæreticorum confusionem, Ordinem Clericorum Regularium instituit, ac plurima hæresum monstra, eorum-

A eorumque latebras sedula inquisitione non semel detexit, ac profligavit.

divinam gloriam cum lucro animarum conjunxerit.

115 *Ad hæc, quanto divinæ gloriæ apud alios propagandæ studio, quanto procurandæ animarum salutis desiderio semper arserit Vir apostolicus, liquet ex ejus epistola ad fratres hospitalis Misericordiæ Vicentinos, quæ exstat apud Castaldum cap. 2, et quam ex Italico sic Latinam facimus :* Carissimi in Christo fratres, pax sancta sit cum omnibus vobis. Desiderium salutandi vos facit, ut hanc meam scribam : et gaudeo propter vos, quia divina majestas sua eligere vos dignata est inter tot alios Christianos, et ad illam dignitatem vos provexit, ut in manus vobis tradiderit opus longe gratissimum, curam videlicet et gubernationem gentis vulneratæ ac malesanæ; utque cordi vobis sint opera spiritus ac virtutis, quæ in sancto vestro oratorio ac sodalitio exercitatis; opera veræ misericordiæ corporalis et spiritualis omnia. Proin rogo vos in visceribus Domini mei,
B ut opera ista magnæ vobis curæ ac æstimationi sint, si velitis, ut Deo cordi ac curæ sint animæ vestræ. Ah! fratres mei cari, si consolari cupitis animam meam, efficite, ut semper dici audiam (et dictis facta respondeant) res hospitalis recte et cum caritate gubernari : et opera vestra lumen ac bonus odor sint in ista paupere civitate. Itaque vos oro per amorem Jesu Christi, et sanctissimæ Matris ejus, ut concordi et unanimi voluntate omnes perseveretis in sanctis istis operationibus, Deumque pro me precemini, atque meam hanc accipiatis non a me peccatore, sed ab amore atque obligatione profectam, quam Christus Dominus noster mihi dedit amandi vos, ac desiderandi, ut gloria ejus incrementum capiat in ista sancta societate. Venetiis die XVII Junii MDXLI. Vester in Christo frater presbyter Caietanus. *At nunc denuo audiamus Silosium :*

Hasce virtutes condecorabant

116 Cum hoc autem amore curaque proximorum oppido sollicita, conjuncta in eo fuit, qui nexus perdifficilis, incredibilis quædam mentis quies, animique tranquillitas ac recessus; ut simul in eorum commodum atque opportunitates spargeret cogitationes suas, simul introrsus recollectus
C placidissimo in cogitationis sinu, beato quodam otio frueretur. Videbatur profecto in ipsa divinorum commentatione illud præcipue cogitasse, qui posset mortalium utilitati accuratam operam navare; adeo ardenter ab oratione in externum opus involabat : rursum in ipsa animorum procuratione ac sollicitudine ferventiorem quemdam orandi modum didicisse; ea mentis applicatione ac studio ab actione sibi ac precibus redibat. Igitur præter intervalla temporum, quæ sibi caritas deposcebat, assiduo ferme precandi studio atque exercitatione tenebatur. Enimvero præterquam quod integras persæpe noctes in oratione transigebat, cum ferventiore quodam spiritu agebatur, aut acrior impendentis alicujus calamitatis coquebat cura, orandi mos ac spatium illi hoc erat : antevertere Horas matutinas, ac se statim in odeo sistere consueverat : atque hoc prooemium veluti quoddam erat prolixioris orationis; proludebatque precibus antelucanis, quas cum aliis mox canebat : iisque absolutis, communem meditationis mensuram ex instituto implebat, quam ipse ad provectum diem continuabat. Faciebat mox ad aram, et iterum ad preces ab cœlesti eo epulo vigorosior; et, nisi interpellari contingeret, ad communem usque refectionem attentissima rerum divinarum contemplatione cum Deo agere, meditarique videbatur.

117 Mensam item preces excipiebant; tum ad externa quædam virtutum opera divertebat, donec die advesperascente, opportuniores superno lumini excipiendo tenebras nactus, ad multam noctem divinum cum cœlo commercium summa precandi contentione ac perseverantia producebat. Plane si diem, precesque supputes; majorem ævi partem in divinissima hac exercitatione Thienæum insumpsisse deprehendes. Id quod Romana ad Pontificem narratio contestatur his verbis : « Majorem temporis partem orationibus, et in choro » transigebat. » Addictus porro orationi sic erat, ut cum aliorum saluti procurandæ domo avocaretur, aut extra conclave odcumque morari opus esset, enchiridium, ac lectissimarum quemdam precum libellum gestaret manu, ne scilicet momento exciderent, sed statim ac vacaret, succederet e vestigio oratio, adhæreretque illico Deo mens. Quo autem ardore animi oraret, quas supra memoravimus, manantes uberrime lacrymæ docent. Affirmat id namque Danesius, qui supra, his verbis : « Memini, E
me sæpe vidisse illum inter precandum lacrymantem. » Tum quædam a sensibus abalienatio, elatumque cum spiritu corpus contemplationis vehementiam ostendunt.

AUCTORE J. P. singulares prærogativæ

ac ecstaticæ

118 Visus namque sæpius ingenti quadam vi Numinis afflatus, abreptusque ecstasi ab ipsis vitæ officiis, immotus peragrare jam cœlum, atque cum beatissimis mentibus degere adhuc mortalis. Cum vero clauso interdum ostio orabat, latere preces clandestinæ minime poterant : evulgabant quippe suspiria et gemitus, qui late resonabant, non sine incitamento fructuque audientium. Hac disciplina orandi instituere et alios conabatur, nihil aut frequentius aut efficacius monere : nempe ut quod ipse præsentissimum malorum remedium, atque ad expugnandum cœlum valentissimum machinamentum experiebatur, usurparent et alii; artemque condiscerent tum calamitates feliciter propulsandi, tum arcessendi e cœlo beneficia, quæ peroptarent. Institutæ in primis a se Congregationi perquam familiare hoc exercitium voluit, ut non modo actuoso vivendi genere animos strenue procuraret; verum etiam urbes, Resque publicas prævalido hoc orationis præsidio firmaret, muniretque. F

in orando Deum.

119 *Magnum porro hisce auctoritatis pondus accedit e Litteris decretalibus canonizationis :* Orationi, *inquiunt*, ita addictus erat, ut quidquid a domesticis negotiis, atque animarum procuranda salute temporis aut otii superesset, orationi et meditationi daret, mane matutinas preces maturius antevertens, ac vespere ad multam noctem orans ante aram maximam elevata in Deum mente transigeret. Divinam rem facturus, totus in lacrymas effundebatur; seque eo ministerio indignum reputans, magnæ Matris, cujus erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum Agnum ea, qua decebat, devotione susciperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu, adesse inibi Deiparam, quæ lectissimum Filium prona ac munifica manu porrigeret. *Cæterum quod attinet ad benefactorum nomina, quæ Sanctus publice in cœnaculo e superiore loco recitari instituit pro grata apud Deum ipsorum memoria (de qua re Silosius pag. 276) consule Vitam Viri sancti apud Caracciolum sub finem.*

§ XI.

AUCTORE J. P.

§ XI. Peculiares patroni Cœlites, pia erga SS. Eucharistiam affectio, ejusdem usus in aliis promotus, nitor ac majestas templi, sacrorum ritus, prudentia, mens cœlitus illustrata.

Peculiari pietatis studio venerabatur S. Andream apost., ac S. Petrum,

Erga quos potissimum Cœlites peculiari studio ferretur *S. Caietanus, memorat Silosius pag. 266 :* Ex Apostolis igitur arcano quodam impetu insignique animi affectu D. Andream colebat; et cum ad aram maximam non faceret, litare ad hujus Apostoli altare religiosissime consueverat : forte quod is flagrantissime crucem appetierat, quam ipse summe venerabatur, eamdemque in sui Ordinis insigne ac tesseram legerat. Usurpare proinde B ad effugandos morbos, qui e sacro ejus Apostoli corpore promanat, liquorem solitus erat : probavitque Caietani fidem cultumque divus ipse Andreas, restituta aliquando infirmis eo alexipharmaco incolumitate, ut jam in loco narravimus. Apostolorum vero Principem ejusque clientelam præcipuis etiam officiis reverebatur. Quippe quem non modo communis rei Christianæ; verum et Clericorum maxime Regularium patrem atque antesignanum noverat. Quare cum præscripta ex formula solemnia Deo vota nuncupamus, Petro potissimum dirigi ea voluit : quo plane ostendit, ut sui, ita et suorum totiusque Ordinis patrocinium tutelamque illi commendasse.

S. Franciscum Assisiatem,

121 Eximio quodam insuper cultu Franciscum Assisinatem prosequebatur, proposita sibi absolutissima ejus sanctimoniæ imagine, ad quam se suæque vitæ rationes componeret. Paupertatem præcipue inter incomparabilis viri virtutum gazas, gemmasque commendabat; eamque suis moribus suoque in Ordine tam accurate repræsentavit, ut nihil accessisse ad illam propius visum fuerit. Ut vero plerasque ejus virtutum, insignemque divitiarum contemptum pro modo imitari gratulabatur; C ita quæ supra omnem imitationem sunt, sanctiore quadam invidia venerabatur; scilicet pretiosa illa morientis Numinis monumenta ac vulnera, quibus purissimum Francisci corpus sauciatum inustumque ad maximi amoris sive incrementum sive argumentum fuit. Seraphici igitur Patris veneratione usque adeo afficiebatur, ut cum potissimum anniversaria ea lux appeteret, qua ille in cœlum abiit; excipere illam tenerrimo quodam animi sensu ac singulari lætitia videretur : explicabatque ipso oris habitu religionem affectumque in exactum illud divini amoris totiusque sanctitatis exemplar ac miraculum.

Virginem Deiparam,

122 At enimvero qua pietate sanctissimum magnæ Matris ac Virginis nomen ac dignitatem coleret, haud facile memoratu est. Simul et vitæ lucem, et in Deiparam affectum hausisse, persuasit illico ejus parens, cum ejusdem plane maximæ Virginis instinctu, statim ac sobolem effudit, prægmatura insignique religione ejus illum clientelæ obtulit, uti significavimus; ostenditque postmodum Caietanus præcipuum hunc amorem ac venerationem. Ab Virgine siquidem illi semper cujusvis operis principium; nihil unquam inauspicato, præeunte atque adspirante eo numine, aggressus. Cum conscribere litteras contingeret, præfixum epistolæ una cum dulcissimo Jesu nomine et D Marianum nomen volebat. Certe quæ a præclara ea nomenclatione incipiunt litteræ, ab insigni quadam pietate obsignari necesse est. Cum Christi Domini nomen appellaret; addere indissolubili quodam nexu Mariæ Filium solitus erat. Vim suis precibus momentumque e Mariæ nomine ac patrocinio impetrabat. Dicere solitum accepimus, orare quidem divinum Numen mortales posse; at, nisi Maria interprete, exoraturos plane nunquam. *Quod sequitur de præparatione ad Sacrum, interpellato Mariæ ante illud patrocinio, non describimus. Vide dicta in fine paragraphi proxime antecedentis.*

quam quanti faceret

123 *Porro ad majorem tenerrimi erga Virginem Matrem affectus, quo cor* S. Caietani *incaluerat, confirmationem, auctor anonymus in Vita Venetiis edita lib. 3, § 13, pag. 433, ex illius, quam Carus vulgavit, capite 8 producit ista, quæ ex Italico sic interpretamur :* Non possumus bene nosmetipsos præsentare Christo domino nostro, nisi nos simul offeramus gloriosissimæ Matri ejus Mariæ, amborum filii ac servi. *Et mox anonymus hæc ex eo subdit :* Invocemus sanctissimam E advocatam Redemptoris nostri Matrem, ut immunditiam nostram tegere dignetur, ac repræsentare judici justo, Filio suo. Non recusabit, sed a sua Matre admittet magna debita nostra, non secus ac si illius essent, et per illam solvet Patri suo æterno ac nostro. Et porro sæpe solebat dicere : Ad accipiendum bonum a Deo Domino nostro, non aliud est medium, quam frequenter orare Mariam Virginem. Et oportet aliquando audaces nos reddere ad orandam illam. *Pag. 434 ad venerabilem matrem sororem Mariam Carafam, monasterii Sapientiæ præsidem, scribens ista inducitur ex Processu Neapolitano fol. 70 :* Ora sanctissimam Matrem illam, ut sanctissimæ humilitatis suæ pallio me cooperiat, et me protegat a justa indignatione Filii sui, quam ego provocavi mei ingrati erga divina beneficia animi vitio. *Idem anonymus loco citato ex epistola Sancti ad Lauram Mignanam, loquitur in hanc sententiam :* Nec vero, etiamsi id desidero, possum aut volo, nisi prius a patrona mea Maria Virgine concessum mihi fuerit, ut odio me habeam, ac desiderem contemni. Illa potest hoc efficere : et F aliquod quidem dignum contulit mihi domum, et amorem in me suum ostendit; sed nihil effecit, si hoc mihi non det. Bene illa novit, dixisse se : Respexit humilitatem Ancillæ suæ. Sum erga illam ingratus, servire ei nolo, fugo illam; confiteor omnia. Sed honestum est, ut voluntas ejus fiat, non mea. Scio illam velle, ut ministri dulcis sui et jam parvuli Jesu simus secum humiles; ah! cur istud in me non efficit?

ei quanti eam ab aliis fieri desideraret.

124 Hoc ei honorificum est, hoc in potestate ejus positum est : ab illa fui amatus, tractus, ac vestitus : ah! cur me fatigat? Clama, mater, cum tua stella et magistra conquerere, quod facta sit parca, et alumnum suum derelinquat. Et vero quisnam tantus est ignis, qui cito non deficiat, si multo cinere non cooperiatur? Sensus mei, corpus meum, cor meum redigantur in cinerem : anima ista mea congelata fiat ignis. Id quod sperare ausim, si tua caritas oraverit patronam meam et stellam, dando ipsi de me cautionis aliquid, ac promissi. Quod si mihi illa id concesserit; eam, ac vetulum Sponsum cum parvulo Jesu nunquam deseram; sed per Ægyptum ac desertum, aliaque ejus pericula ad crucem et sepulturam cum illa ero. *Ut virtutis amorem instillaret aliorum animis,*

A *mis, Reginæ cœlorum auctoritatem interponebat Vir sanctus, sæpe, prout dicitur loco citato, illud usurpans, pro quo allegatur Processus Neapolitanus fol. 76,* Optimum ad mortificandam propriam voluntatem, remedium est, considerare, quod sanctum illud exercitium eam mortificandi, docuerint Christus Dominus noster, ac gloriosa ejus Virgo Mater. *Pag. 435 ex eodem Processu fol. 80 dicitur religiosissimus Deiparæ Cliens* quotidie fixis humi genibus recitasse sanctissimum Rosarium; additurque, quod inter mysteriorum istorum fragrantiam sese detineret magna cum animi sui voluptate, atque in hunc modum applicaret ac consecraret animum, ut stimulis devotionis punctus, in lacrymarum profluvium dissolveretur.

ostenditur.

125 *Pio etiam affectus ac sacro quodam horrore correptus fuit erga Virginem Matrem Lauretanam, teste J. B. Caracciolo in Vita Ms., ubi inter alia, quæ de eo scribit ad annum 1523, hæc memorat:* Iterum ad D. Mariæ Lauretanæ B itinere contendit: ubi illud commemoratu dignum accidit, ut ab operando [sacris] licet in altari jam consisteret, necessario ei abscedendum esset tanti templi reverentia exhorrescenti. Ejusdem ædis antistites nostro Perinio id in tabulariis schedis traditum scriptis patefecerunt. Perinius autem nostro Magenio significavit, qui in sua Vita D. Caietani id inseruit. *Superiora autem sic exprimit Bulla canonizationis:* Inter Sanctos, quos patronos ob specialem cujusque prærogativam, atque ad imitandum sibi proposuerat, majori colebat affectu in primis Petrum Apostolorum Principem, ceu suæ Congregationis patrem et antesignanum: cui propterea ex sui præscripto nominatim vota solemnia a Clericis Regularibus nuncupantur: Andream item Apostolum, et Lucam Evangelistam, ob ardens in eisdem desiderium crucis, cujus tessera voluit suum Ordinem insigniri: Franciscum, etiam Assisinatem, ob idem crucis consortium, atque ob paupertatis amorem, præcipuo quodam cultu venerabatur.

Tenerrime afficiebatur erga Eucharistiam,

126 *Jam vero sanctissimo Eucharistiæ Sacramento quam tenere esset addictus, Silosius exponit pag. 277:* Assiduo positis in odeo genibus ante ipsum perstabat meditabundus, et cum avelli C contingeret, restitui postliminio atque affigi iterum loco connitebatur. Ejus amore inflammatus abreptusque, ad aram principem ut plurimum faciebat; utque tantis mysteriis responderet par cultus, octonas persæpe horas ante Sacrificium inter pias commentationes transigebat: at quo putamus ardore animi atque affusione cœlestium sacris operatum; qui ea religione ac tot horarum studio, litationi proludebat? Porro cum ipse eximia ejus pietate incalesceret, excitare ad eam alios, præclarum ducebat. Et quidem in ipso pene ætatis ac virtutis flore, nondum regularum disciplina auctoratus, instaurare hujus venerabilis Hostiæ frequentiam studuit, ut Vicentinæ sodalitatis Commentariis consignatum, in loco diximus. Nam qui accedere ad sacrum hoc epulum quater tantum in anno soliti erant; Caietani monitis exemploque excitati, principio semel in mense, tum singulis hebdomadis; tum, adaucta in rem divinissimam religione, pluries in hebdomada communicabant. Instituto vero Ordine, cum de Christiana republica bene mereri non uno plane nomine cœperat, tum hoc potissimum in commune bonum contulit, quod reflorescere, eo adhortante, ac redire obsoletus jam sacræ Synaxis usus visus fuerit.

Auctore J. P. ac crebum ejusdem usum promovere satagebat.

127 Et quod externa magis specie sensuque movemur mortales, augustissimum Sacramentum inter collucentes faces, et quo elegantiore posset cultu, exponere publicæ venerationi occepit: nempe ut latenti inter ea mysteria divinati piorum affectum multiplex ea lux ac pompa conciliaret. Derivata hinc est gemina in Ecclesiam utilitas. Nam laudatissima hæc divini cultus pars, qua magnificentissimo veluti in theatro luminum sertis, multoque auro redimitam collocari sacram Eucharistiam mos est; propagata ingenti cum pietatis incremento ubique populorum est, atque instaurata frequens ejus usurpatio. Quod utique Caietani consilium et mens fuit: cujus ea potissimum sententia de his mysteriis sæpius usurpandis circumfertur: « Mirum, inquit, omnino est, » posse Christianum hominem, Dominum ac Deum » suum hospitio excipere, et renuere; per hu» jusce vitæ silvam, tot inferni hostis insidiis » circumseptam, atque in caligine summa rerum » ire; et certissimam, quæ hic vitæ cibus est, » tutelam respuere; tum præsentissima quotidie sor- E » bere a malo dæmone venena; et antidotum re» cusare. » Certe qui egregie inflammatus in tantum divini amoris pignus erat; affectus eodem plane sensu omnes peroptabat, curabatque impensius. Sacerdotes præcipue, si quos aut remissius facere, aut intermittere interdum Sacrificium intelligeret, emendare lentam illam in divinissimam Hostiam pietatem flagrantissime studebat. *Sequitur ibidem rarum* S. Caietani *Neapoli Romam tendentis, ut antistitem moneret, qui quotidie non sacrificabat. exemplum: de quo dixi paragrapho 10, num. 110.*

Cordi erant ei nitor ac majestas templi,

128 *Vin' audire nunc, quo universim Vir sanctus divini cultus studio flagraverit?* Tangere hæc illum præsertim, *teste Silosio a pag. 278,* cura videbatur. Quam mundissimam sacram ædem, parietes, pavimenta, ac sacrum maxime instrumentum voluit. Aras ornari decentissime ac pereleganter curavit; et qui gravissimis negotiis implicitus persæpe erat, suffurabatur interdum sese, ac in iis sua manu concinnandis instruendisque accuratam operam ponebat . . . Id quod in Nepotiani non ultima posuit laude Hieronymus, quem non adeo graviores curæ, litteræque distrahebant, quin ipse per se divinas aras Numini adornaret; gaudebantque profecto nitere ab sanctis- F sima atque erudita ea manu templa. In sacri porro ministerii supellectili non tantum munditiam, verum et elegantiam ac pretium peroptabat, ut paupertatem, quam tantopere adamabat, extra Dei templa adamasse videretur. Quidquid enim gemmarum aurique, aut Attalici syrmatis in ecclesiis lucet, ut nihil paupertati detrahere, ita adaugere plurimum populorum reverentiam, inter sacras eas opes divinitatem sibi facile repræsentantium, existimabat. Plane qui a sublimi ea cœli arce despectat modo nostra Thienæus, gaudere vel maxime putamus, duo hæc sarta ac tecta in instituta ab se Sodalitate servari; nempe eamdem paupertatem domi, eumdemque in sacris ædibus splendorem: illam quidem supra hominum fidem; hunc supra paupertatem.

psalmodia, ac sacrorum ritus.

129 Qui etiam, quod magnam divini cultus partem statæ psalmodiæ pensum existimabat, in hanc curam egregie incubuit, et quam gravissime persolvi in odeo voluit, simplici quidem vocis flexu, non cantus modulatione, ut robustiora ac sanctiora primitivæ Ecclesiæ tempora per integra plurium seculorum intervalla consuevere, ut Nicephorus adnotavit. *Iis, quæ subjungit Silosius*

AUCTORE J. P.

losius de emendatione Breviarii Romani, memorandis supersedeo; lectorem mittens ad dicta § *5, num. 50.* Quod vero, *uti narrat pag. 279,* ad sacrorum ritus ac ceremonias pertinet, mirum quam studiose, ac suo quasque ordine locoque paragendas sacras functiones curabat... Siquidem non exemplo tantum, verum et scriptis etiam sacrorum rituum leges præceptionesque consignavit: nam, ut refert Molfesius noster, Ceremoniale Romanum magnam partem cum sociis Caietanus lucubravit...

Virtutes Caietani rara direxit prudentia

130 Has vero virtutes omnes, quas in Caietano strictim enarravimus, prudentia... eaque singulari ac prope divina cumulatas fuisse, non est, cur ostendere fusius aggrediamur. Præcipua quidem in ipso hæc virtus fuit; ejusque præstantiam in ea, quam de illius rebus gestis Joannes Antonius Pratus narrationem conscripsit, testatam voluit in hæc verba: « Vir erat Caietanus summæ » prudentiæ consiliique, ad quem ideo plures » confugiebant. » Et in quadam etiam epistola Andreas Avellinus, vir sanctissimus, ait, se a Raynerio Gualanno, quo usus aliquando est familiariter Caietanus, magna quidem de ejus præsertim prudentia audivisse. Neque profecto ut pulcherrimum, ita difficillimum opus, quale est, novam in Christiano orbe Religiosorum hominum familiam excitare, suisque munire legibus ac institutis, aggredi quis potuisset, nisi cui eximia quædam in agendo prudentia ac solertia inesset. Administrare postea identidem contigit ea indole, ut nullam exacti moderatoris laudem quispiam desideraret. Primas caritati ac benevolentiæ partes dabat. Nam etsi quadam subausteræ frontis orisque gravitate reverentiam maxime timoremque incutere suis videretur; descendere nihilominus a sua illa severitate ac supercilio, quæsita comitate ac benevolentia conabatur. Persuasum namque habebat, amore quam metu Religiosorum hominum cœtius melius regi, ac reddi quam levissimum rectori onus, si subditi ament; docebatque id alios. Nam cum Petrus Fuscarenus, de quo sæpe alias, detrectaret domus præfecturam, et Caietano conquereretur, quod esset suffragatus; is hæc statim ad illum: « Vis, Petre, onus istud » tibi subditisque suavissimum reddere? Cura, » ut ameris cum Deo. » Hac ipse arte subire suaviter suorum animos videbatur, quos excitabat fortiter ac validissime exemplo.

in rebus agendis, ac ingens vis mentis cœlitus illustratæ

131 Stata namque exercitamenta, preces, labores, vigilias primus obire; tum rem communem sedulo curare, singulorum commodis consulere, adesse omnibus, adhortari singulari facilitate, peragebantur egregie veluti ab eo, qui prudentiæ articulos omnes nosceret. *Litteræ decretales canonizationis inter alias ejus virtutes, hanc ita memorant:* Denique obedientia, paupertate, moderatione animi in adversis, prudentia, cæterisque virtutibus ita eluxit, ut constans fuerit multorum opinio, illum sublimioris sanctitatis gradum attigisse, et consuetas metas prætervolasse. *His adde ex Silosio pag. 280 sequentia:* Jam in rebus agendis excellentissima quædam vis mentis elucebat. Præaltum ingenium usus etiam elimaverat, ut, quæ negotia expedienda susciperet, summa dexteritate explicaret. Cujus in agendo felicitatis specimen cum non unum plane dederit, tum illud præcipuum, cum inolitas inveteratasque inter Gibertum episcopum Veronensem, Clerumque simultates composuit. *De qua re meminimus supra num. 53 et 54.* Affusa, *sicut subjungit Silosius,* illi porro e cœlo lux usque adeo interdum inclarescebat, ut supra nostræ vim mentis arcana ac longinqua pervaderet, ac futuris interesset, prædiceretque: ut cum viro nobili, nihil de hac re prorsus cogitanti, publicum votorum sacramentum prædixit; et cui se potissimum Religiosorum familiæ olim adjungeret, indigitavit. Et cum incolumem jam esse quemdam ex nostris Clericis indubitanter pronuntiavit, pro cujus salute rogaverat; necdum scire ipse, aut alii poterant, an impetrasset. Et id genus pleraque, in quibus ad eximiæ ejus prudentiæ lumen accessisse meridiem quemdam lucis melioris constat.

§ XII. Animi demissio, et obedientia.

De profundissima

Silosius loco jamjam citato, At reliquum, *ait,* quæ Caietano inerant, virtutum censum percurrere, prolixius profecto esset. Claudat insigne hoc agmen ea virtus, quæ postremo semper loco censeri cupit, cæterum princeps in ea familia est, lucemque aliis facit, dum latet. Humilitatem appello sive modestiam animique demissionem; quæ, ut in ædificiorum fundamentis accidit, demittitur, ut exsurgat sublimius sanctitas, consistatque æternum elata virtutum moles. Verumenimvero cum hanc virtutem commemoramus, nescio quem statim excitari animi sensum tristitiamque sentimus, qua de insigni modestia conqueri potius, quam enarrare illam cogamur. Nam quod tam decurtata ac mutila transmissa nobis fuerit Caietani virtus, proindeque præclara integraque ea exemplorum luce careat posteritas, humilitas fecit: quam cum colere nesciant viri sancti sine publica quadam jactura ac fraude mortalium; tum in primis Caietanus id maxime contendit, ut præstantissima quæque virtutum decora, resque sanctissime gestas humiliter consepeliret; voluitque locupletiorem exemplis vitam, quam historiam. At occultaverit virtutes alias modestia, se ipsam contegere minus potuit, visa existimationi sanctitatique Caietani vel minimum detraxisse; quando ab summa hac humilitate summam nos excellentissimamque virtutem conjectamus.

Sancti

133 *Quam profundas autem virtus ista in animo Caietani vel ab ipsa ineunte ejus ætate radices egerit, indicat, tametsi non satis convenienter tempori, Schiara part. 1 Vitæ, cap. 4:* Die quodam Comes ejus pater cum hominibus quibusdam sublimis virtutis, sed humilis conditionis, agere eum conspicatus, primo tacite eum reprehendit severo supercilio; deinde vero domum reversus, illum objurgavit his verbis: Nonne ego toties tibi auctor fui, ut concinne componeres ea, quæ ad vitam nobilem spectant, dicens non convenire, ut degeneret in te decus nostræ domus? Tunc Sanctus solummodo es illo tuo vitæ modo ac vili sanguinis nostri depressione? His a Caietano auditis, qui parum curabat splendorem familiæ, dummodo cœlestis amoris flamma in suo corde accenderetur, summa cum modestia patri sic respondit: In pretio mihi est, actionibus meis æquare vitam meorum Majorum, et ab eisdem non degenerare, nedum contemnere decus familiæ nostræ debitum. Sed nec civili vestitu, nec conversatione cum pauperibus, sanguinis splendores obscurantur. *Verum hæc lectori relinquimus combinanda cum dictis supra* § *1 hujus Commentarii num. 3 de natali* S. Caietani, *ac patris ejus morte. At nunc Silosium revisamus, qui, quantopere*

A *topere egregia hæc virtus per reliquam deinceps vitam a Viro modestissimo exculta fuerit, memorare pergit hisce verbis :*

humilitate, 134 Itaque cum duo præcipue ad gloriæ cupiditatem, gustumque elidendum curet humilitas, clam virtutes habere, vitia ac labes in lucem trahere; utramque anxius partem implebat Caietanus. Nam, uti significavimus, siquando aut præclara ederet virtutum documenta, aut præstaret aliis mira; aut acciperet ipse e cœlo magna, nihil odisse magis videbatur, quam celebritatem famamque nominis, cavebatque ab his scopulis rerum pulcherrimarum taciturnitate ac tenebris. Contra vero si quid culpæ aut labis admisisse videbatur Vir sanctissimus, luce vindicabat, evulgabatque errata, ut, imminuta virtutis opinione, excresceret ipsa tutius virtus. Familiarissimum id Caietano vel in ipsis, quæ peccasset natura; cujus labes in humilitatis exercitium atque incrementum vertere consueverat. Nam cum alterius pedum vitio laboraret; id ipse persæpe data opera curabat, ut elata paululum toga pateret ea inconcinnitas, profligaretque ceu collato cominus pede B superbiam, ejusque pedem pes luderet. Jam cum clara, ut diximus, ab Thienæa stirpe esset, floreretque opibus ea gens; nil profecto accidere illi molestius poterat, quam commemorare quempiam genus et proavos, splendoremque divitiarum. Sed neque intuitu consanguineos dignatum narravimus, ne lux illa generis et pompæ, qua venerant, modestiam decoloraret.

cum egregia obedientia 135 Qua item sui abjectione perquam impense præfecturarum insignia ac titulos aversabatur: illas autem sic administrabat, ut cum defungi officio postea contingeret, tanta animi frontisque alacritate abdicabat, ut ostenderet plane, quo sensu capessiverat, quave obiverat tristitia despectuque sui munus. Sed cum parere quam imperare humilitati gratius, id etiam prius fuit Caietano, magistratus omnes deprecari, ut ad alterius sese nutus semper componeret: retinuitque præclarum hoc institutum ac studium ea constantia, ut nunquam vel latum unguem a confessarii seu Præpositi imperio discederet, ut merito præclaro quodam nomine appellatus aliquando fuerit per- C petuo obediens. Atque in hac obedientiæ laude id etiam est assecutus, ut non utcunque parere, satis illi esset; sed votum insuper erat, ut illa Superior præciperet, quæ magis suæ voluntati adversarentur. Ut cum Venetiis Neapolim discessurus, non modo socium nisi ex obedientiæ nutu manuque noluit; verum precatus ex animo est, ut illum sibi adjungerent Patres, qui minus genio suæque voluntati conformis esset, ut in loco memoravimus.

ac vilissimis ministeriis, 136 Illud vero egregium humilitatis documentum, abjectissima quæque officia, cum maxime præesset, obire, atque in everrenda domo aut ecclesia, in linteis perpurgandis, vehendisque oneribus primum esse. Cum infirmis nescias majorne caritas, an humilitas esset: iis namque non modo assiduo adesse, ac morbis demulcendis adhibere tempestivius verborum solatia; verum et viliora aggredi ministeria, et quæ fœdissima visu erant, attrectare, curare, singulari quadam despectione sui videbatur. Jam aliorum virtutem permagni æstimare, sua contemptim habere, quæ humilitatis est indoles, Caietano solenne erat. Ac sui quidem ea omnino erat existimatio, ut indignum se Dei administrum reputaret, ac erubescere pulsarique suamet conscientia videretur, quoties sacerdotem se meminisset. Quapropter cum anniversaria ea dies affulgeret, qua sacerdotio fuerat initiatus, dicere solitus erat: Hac luce insignem illam admisi ambitionis ac superbiæ noxam; vitio scilicet vertens, quod honestari se eo gradu passus fuerit. Quo item spectat, quod cum sacerdotes alios pervetusto domini titulo appellaret; simplici quidem nomenclatione consignaret ut plurimum nomen suum, indignumque se præsigni ea Ordinis nota censeret. *Auctore J. P.*

nec non specie externa copulatam, plurima congeruntur: 137 Hæc porro sui demissio in ipso corporis orisque habitu nimium quantum elucebat. Eamdem quippe quæ affectus facultatesque animæ omnes interne humilitas moderabatur, externe etiam disciplinam egregie temperabat. Oculi siquidem humi defixi vagari ac spargi nunquam visi: vox illi submissior, incessus gestusque omnis ad modestiæ regulam compositi; vestis præterea vilior: externus denique cultus is erat, ut qui in Caietanum incideret, ipsam humilitatis intueri imaginem putaret. Usque adeo humilis et erat et videbatur internæ externæque humilitatis consentu. Quam quidem celebrioris notæ virtutem in ultima ipsa vitæ linea mirifice intendisse scimus; cum E quovis se humanitatis officio indignum putans, nullum curando impensius corpori adhiberi studium voluit, uti diximus. Cumque plura supremo eo spiritu moneret suos, tum humilitatem in primis commendavit, eamque pronuntiavit sententiam vere auream: « Anima nostra æternæ felicitatis ab dui» cissimo Redemptore sibi promeritæ cupida, eo » eniti velociore gradu in sublime videbitur, expe» dita hoc corpore, quo descenderit profundius, dum » viveret. »

quæ 138 *Jam vero quæ ex Silosio retulimus de profundissimo ad abjectissima quæque Sancti descensu, corroborare juvat aliunde. Vita anonymi Venetiis vulgata lib. 3, § 18, pag. 449 de humilitate ejus tractans, ex Cavo cap.* II *illud ipsius effatum profert :* Oportet humiliari ad discendum Christi alphabetum. *Idem anonymus pag. 450 e Sancti scriptis promit hos vilissimi de semetipso sensus characterismos :* Orate pro me. Vobis commendo animam meam. Orationibus omnium me commendo. Orate, et orari curate pro me Impetrate misericordiam a Domino pro me. Commendo tibi, mater, et filiabus tuis omnibus animam meam pauperem. Orationibus vestris meipsum totum commendo. Ora, frater mi, ne fiat F fuga mea in hieme, vel sabbato, vel dum prægnans sum vel nutriens. Ego peccator sum, parvi me facio: recurro ad vos, servi Domini, ut pro me oretis Christum, ac Virginem ejus Matrem. *Neque ab hisce modestiæ flosculis abludebant inscriptiones ejus,* Caietanus indignus *vel* indignus presbyter. *Pag. 451 e Processu Vicentino fol. 312 dantur ista :* Se exercitabat multum in humilioribus domus exercitiis; libenter serviebat infirmis nosocomii; displicebat ipsi honor, et demississime de se sentiebat.

aliunde, 139 *Et ex dicto Processu fol. 48 ista ibidem notantur :* Præ magna humilitatis virtute, quam habebat, semper se omnium minimum æstimabat; et si boni aliquid operabatur, non sibi id attribuebat, sed gratiæ divinæ, monstrando semper, quod ad rem aliquam ineptus esset : nolebat æstimari et in pretio haberi ab aliis. *Pag. 452 indicatur, quod, quando manifestabat damna, quæ sensuum illecebræ corrumpentes voluntatem, animæ Christianorum subministrant, subjunxerit, ut ibid. e Processu Neapolitano fol. 88 scribitur :* Totum id sum expertus per meam infinitam malitiam. *Castaldus cap. 7 affirmat, eum præ oculis habuisse*

istam

AUCTORE J. P.

istam sententiam : Omnis perfectionis janua consummatioque, est cogitatio, se divinis indignos beneficiis, et quod bona, quæ Deus facit nobis, nullam habent rationem ex nobis; sed solum procedunt ab infinita divini Numinis bonitate. *Porro solitum eum dicere asserit anonymus supra citatus pag. 453 ex Processu Neapolitano fol. 101 :* Duplex est humilitas : una nascitur e virtute; alia stabilitur a caritate. Vera est illa, quæ virtutis et charitatis amore exercetur. *Et ex eodem Processu fol. 75 :* Non promittamus nobis facturus eras (*forte legendum* facturos nos) magna : qui hodie nec minima scimus, possumus ac volumus facere. *Ex dictis conficitur, Virum illum adeo magnum apud Deum et homines, vere parvulum in oculis suis fuisse.*

pluribus testimoniis

140 *Unde mirum non est, eum, qui potiores aliis ex animi modestia deferebat partes, non e suo arbitrio, sed ex aliorum placito per obedientiam vitæ suæ normam ordinasse. En tibi, præter ea, quæ dabat supra Silosius, nonnulla alia specimina.* Obedientiam præ cæteris professus est, *teste sacra Rota apud anonymum pag. 446;* sciebat enim, illam esse meliorem quam victimam, B magisque proficuum auscultare, quam offere adipem arietum. Hinc alienis potius servire mandatis voluit, quam in propriis dominari. *In iis autem, qui amplectendæ Religiosæ vitæ ejus institutum desiderio flagrabant, inter primas conditiones requirebat sincram obedientiam, et propriæ voluntatis abdicationem, ut refert anonymus pag. 448; ubi ista e Caro allegat; quorum sensum ex Italico sic reddimus :* Oportet cogitare de projiciendo se libere atque absolute ad pedes Christi, et in brachia nostra, nullam sibi amplius libertatem promittendo, arbitrium sui ipsius nullum; nec curando aliud, quam hoc solum; mortificare videlicet sic omnem opinionem propriam ac voluntatem, ut clavis affixa sit sanctæ cruci. *Et vero quanto in pretio eam haberet, non obscure indicavit sanctus Fundator, quando illam simul et caritatem arctissimo affinitatis nexu copulavit; uti constat apud anonymum loco citato, qui e Processu Neapolitano fol. 70 dixisse eum ita memorat :* Caritas filia est ac mater sanctæ obedientiæ voluntariæ, et quasi navis, quæ conducit ad salutis portum : C sine illa crassæ columnæ, et alti montes (homines videlicet magnis talentis, aliisque apparentibus virtutibus sublimes) submerguntur in profundo mari inferni; quia si caritatem non haberem, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, et nihil sum. *Breve denique est illud, sed latissime patens de Sancti obedientia testimonium Processus Neapolitani fol. 78 apud anonymum pag. 451 :* Erat humillimus cum omnibus, unicuique sese promptе submittens.

corroborantur.

141 *Coronidis loco placet hisce attexere verba, quæ habentur in Litteris decretalibus cononizationis, hoc modo expressa :* Humilitate : demissione animi ac vilissima sui æstimatione insignis, fratres et agnatos, qui magno cum comitatu Neapolim ad ipsum invisendum perrexerant, ne alloqui aut de vultu quidem excipere voluit : quippe qui ob Christi amorem mundo, et pompis ejus jam dudum valedixisset. Non alio nomine aut titulo se epistolis obsignabat, quam Caietani presbyteri miseri peccatoris. Abjectissima quæque ministeria vel in seculo degens capessivit. Et quamvis primus Ordinis parens foret, ejus tamen regimen assumere non est passus *etc., quæ dedi num. 32.* Defectus corporis ad confusionem pandebat; animi vero dotes, atque accepta a Deo dona pro viribus occultabat. Quo si quando, caritate exstimulante, quidquam rarum vel insolitum suis a Deo precibus impetraret, Sanctorum potius intercessionibus, quam vel ipsanis aut orationis virtute tribuebat. D *Has, aliasque hactenus a nobis expositas sanctissimi Viri virtutes Deus, qui suorum erga se liberalitate vinci non sinit munificentissimam suam bene illis faciendi voluntatem, prævenisse fertur benedictionibus dulcedinis suæ prorsus singularibus; de quibus nunc dicetur.*

§ XIII. Apparitiones Christi Domini; ac Deiparæ Virginis; miracula a Sancto vivente patrata.

Cor ejus præ divini amoris impetu mirifice exsilit, et sursum avolat :

Reverendus pater D. A. Thomas Schiara Vitæ S. Caietani in compendium redactæ part. 3, cap. 3 narrat, ejusdem Sancti, dum orationi vacaret, cor e pectore exsiliisse, ita rem gestam describens, quam uti et alias proxime hic subjungendas e textu ejus Italico Latine vertimus :* Quadam vice, dum Caietanus oraret, amore cœlesti ita accensus est, ut, in ecstasim sublatus, E senserit cor suum per internos divini ignis impulsus e pectore exire, et duabus flammis, alarum loco, avolare recte illud viderit ad cœlum, stupente natura, quæ gratiæ arcana penetrare non valens, cogitabat, num homo posset vivere sine corde, vita dependente a corde. Tunc dici vere poterat, Caietani cor fuisse solum Deum, quem Caietanus unice amabat. Unde cum Deo amabat Deum, et amando Deum cum Deo, vita vivebat quasi omnino divina. Hinc perspicuum sit, amorem divinum tantopere fuisse dilatatum in Caietano, ut in corpus etiam ipsius dominatus fuerit : ejusque cor volans ad cœlum significavit, nihil in se terreni haberi.

Christus ei apparet :

142 *Ibidem cap. 4 refert, Christum apparuisse Caietano crucem humeris portantem.* Die quodam altissimæ contemplationi, *inquit*, intento Caietano apparuit Christus Dominus noster crucem humero gestans, et S. Franciscus Assisias F ad dextram. Caietanus tenera commiseratione affectus, quod cerneret suum amorem pondere gravatum, juvare eum volebat; dumque portando ligno subintrare non posset, admodum in illa re laboravit. Denique ad S. Francisci preces, Christus desideratam ei gratiam fecit, ut in portanda cruce se juvaret; et illi dixit, quod eum ac Religionem ipsius eligeret ad salvandas animas sua morte redemptas. Id quod postea apparuit in tot peccatoribus obstinatis ad pœnitentiam reductis; in tot hominibus perditæ conscientiæ, virtute acquisitis; in tot hostibus Crucifixi, adorationi crucis lucrifactis; in tot animabus *etc.*

Deipara infantulum Jesum tenendum præbet :

143 *Cap. 5 scribit,* Caietanum *a beata Virgine iterum accepisse in ulnas Infantem Jesum; idque sic memorat :* Caietanus die Circumcisionis contemplans teneri mysterii istius sublimitatem, in ecstasim raptus, beatam Virginem inter brachia gestantem Infantulum Jesum conspexit; amatumque suum pignus illi consignans, diu istud in suo tenere sinu ipsi permisit. Vir sanctus tum temporis adeo magno gaudio delibutus est, ut ex oculis effunderet flumina tenerrimarum lacrymarum *etc.*

144 *Cap. 6 alteram ac plane miram Christi apparitionem*

A *apparitionem sic exhibet laudatus auctor :* Dum infirmus esset Caietanus, ac absorptus in Deo per contemplationem, apparuit ei Christus, dixitque : Caietane, ego huc veni, ad concedendam tibi gratiam, quam vis. Mihine, respondit Sanctus, mihine, qui nihil mereor, oblatio tam ampla? Agedum, cum velis, Domine mi, in meum nihilum collocare bonitatis tuæ favores, ac malum meum tua magnificentia beare, oro te, fac, ut nomen meum prorsus oblivioni detur in mea Religione, ita ut nullus unquam de me sermo fiat. Gratiam istam abs te peto per tua ac beatissimæ Virginis, Matris tuæ, merita. Quam gratus acciderit Domino iste humulitatis heroicæ actus; sine mora ei manifestavit, dum tenerum ei amplexum dedit, et latus suum apertum ad ipsius os porrexit.

alia mirabili Christi apparitione gaudet,

145 *Huic apparitioni ibidem cap. 7 subjungitur ista :* Sub supremos vitæ suæ dies, quando, ingravescente malo, lectulo suo affixus, Christi passionem meditabatur, et in corde ejus accendebantur inflammata desideria moriendi in cruce, ad imitationem sui amati Crucifixi; aliunde vero dum B se indignum deputabat hujusmodi morte; ecce, Dominus denuo ei apparet, ad illum præcise modum, quo fuit extensus in cruce, nimirum vulneratus totus, ac nudus; et ita eum affatur : Siccine ploras, Caietane? Tum Caietanus, Domine, inquit, hoccine me rogas? Ac deinde subjunxit : Ploro, quia velle te mori iterum, ostendis, Domine. Scenam istam mitte : cum ad tanti horroris spectaculum, videre te non possim ac vivere. Respondit Christus : Caietane, nudam tibi dedi meam crucem; non est æquum, ut sic permaneat; sed convenit, ut aliquis in ea affigatur. Tu deberes cruci affigi, ut fores mei similis; verum, quia miseret me tui, volo iterum cruci imponi.

uti et alia

146 Postquam hoc audisset Sanctus, totus amore plenus ac dolore, contenta voce exclamavit : Quomodo, Domine, visne iterum mori? Scito, aliud nihil unquam mihi fuisse in votis, quam martyrum. Solum hoc subjungo, quod alio modo ac magis crudeli, si dari queat, mori desiderarem, quia ut in cruce, in qua tu es mortuus, moriar, non sum dignus. Ut paucis absolvam, mi Deus, voluntatem meam habes. Tibi C itaque, respondit Christus, fiat favor hic, et, quoniam ego pro te mortuus sum, esto et tu crucifixus pro amore mei. Hoc dicto, levavit eum a terra, ac superimposuit cruci, fecitque, ut in anima sentiret per intervalla pœnas Calvarii montis, clavos, fel, spasmos, agonias, derelictiones; idque tanto cum dolorum excessu, quantum tolerare poterat homo, et non mori. *Benzius lib. 3 Vitæ num.* XXI *refert Sanctum, in ecstatico mentis excessu positum, angelica manu refocillatum fuisse fructu e paradisi cœlestis vineis decerpto. Ad hæc, sæpius visus est Christus, eodem memorante, suum illum Servum ponere in corde suo, arcto eum amplexus stringens.*

magis mirabili : cui adde angelicam refocillationem etc.

147 *Denique memoratus Schiara cap. 8 beatissimam Virginem spectabilem* S. Caietano *sese exhibuisse infirmo narrat, rem ita referens :* Dum Caietanus graviter conflictaretur magna cum infirmitate, quæ postrema extitit, totus divinæ voluntati conformatus, hinc quidem pati desiderans, ut suo alimentum præberet amori; inde autem mori exoptans, ut sine mora transiret ad vitam in suo [summo] Bono, perfectius illud amandi gratia, suavem habuit visionem, in qua Matrem Dei, splendoribus undique illustratam, ac officiosis Seraphinis comitatam, ad se accedere conspexit. Ad appartitionis majestatem, Caietanus præ reverentia Virginem versus se inclinans, profunda cum adoratione, Domina, inquit, benedicito mihi. Cui Maria cum aspectu prorsus sereno respondit : Caietane, benedictus tu esto a Filio meo. Scito, non aliud pertinere ad me, quam ut te conducam mecum in paradisum eo modo, qui tibi magis placuerit, atque ut amoris tui sinceritatem mea præsentia remunerer. Sic cense, o dilecte mi; si reginæ majestas privet te confidentia filiali erga me; ecce me matrem tuam. Tu mihi es filius per gratiam, dum ego sum mater Jesu, qui fratrem te suum vocat. Vitæ S. Caietani scriptores memorant, eum, dum virgineum erga se attenderet favorem, omnino absorptum remansisse, atque adeo fuisse a mente alienum, ut mortuus videretur.

Sub finem vitæ dulcissimis a Deipara favoribus recreatur,

AUCTORE J. P.

148 Eodem etiam tempore sustinebat interius crudelem pugnam, a cacodæmone sibi illatam, Deo id ita permittente, ut e victoria cœlesti coronæ incrementum accederet. Caietanus itaque singulari Reginæ Angelorum patrocinio gloriose de inimico triumphavit... Beata Virgo, prout refertur in Processu canonizationis ejus, heroem victorem ad patiendum excitavit, ac deinde Angelorum choris mandavit, ut triumphatricem ejus E animam comitarentur ad cœlum empyreum. Deinde aspectum majestate quidem præditum, sed suavem convertens in Caietanum; Caietane, inquit, Filius meus te vocat. Eamus in pace. *Atque hæc quidem sunt visiones, quas e citato biographo huc produxi,* a diversis, *prout addit,* auctoribus distincte descriptas; *penes quos sit earum fides. Præter has, quæ viventi Sancto adscribuntur, gratias, ut vocant, gratis datas; tria* S. Caietanum, *dum etiamnum viveret, edisse miracula, habemus ex Antonio Caracciolo in Vita apud nos infra cap. 8, a num. 89 e Prati synchroni testimonio relata, quibus præmiserat aliud cap. 7 num. 69 ac seqq., publico deinde Romanæ Rotæ calculo comprobatum, secundum dicenda inferius § 16.*

ab eaque contra dæmonem defensus, ad cœlum invitatur. Miracula vivens edidit.

§ XIV. Cultus beatificationi prævius impetitur; et magis inde confirmatur. F

Sic *vita erat* S. Caietani; *hujusmodi, uti supra* narravimus, virtutum ornamentis, ac illecebrarum cœlestium delictis affluebat. Quam ubi excepit beatissima mors,* Fama sanctitatis, *prout loquuntur Litteræ decretales canonizationis,* quæ in vita invaluerat, gloriosius, et longe lateque post obitum diffusa, miram in modum percrebuit non traditione solum et memoria singularium ejus virtutum; sed excellentia miraculorum, signorum, et gratiarum, quibus in vita, et post mortem mirificavit Dominus Sanctum suum. *At de signis, miraculis, ac favoribus, hujus Servi Dei patrocinio obtentis, alias erit nobis dicendi locus. Apage interea temporis frivolum illud ac frigidum Bailleti ad diem* VII *Augusti col. 104 in* Caietani *Vita :* DICITUR (On dit) Deus voluisse hominibus post mortem ejus dare indicia sanctitatis ejus per signa extraordinaria, quæ subsequentibus temporibus effecerint, ut opera data sit informationibus circa vitam ejus, ac miracula ejus secundum formas ordinarias. *Sed his missis, de egregia, quam Sanctus post mortem reliquit,* vene-

Mortem consecuta sunt fama sanctitatis, ac miracula.

AUCTORE J. P.

veneratione loquamur, Ex abdito *enim*, *uti præfatur Antonius Caracciolus in Vita*, virtutum ejus thesauro promanasse arbitramur Vicentinorum (ut alios prætercam) in eum reverentiam ac religiosum cultum, qui adeo jam excrevit, ut imaginem ejus, quam privato saltem cultu venerentur, passim exquirant *etc.*

Testimonium sanctitatis Thienæi in Menologio Vicentino:

150 *Historiæ Clericorum Regularium conditor sæpissime jam memoratus*, Illud, *inquit a pag. 292*, Thienææ virtutis ac sanctitatis pervetustum testimonium est, quod Joannes Baptista Castaldus (Vitæ Caietani cap. 9) memorat. Contigit, cum is Vicentiæ moraretur, ut ad divi Felicis Cassimensis congregationis cœnobium se conferret. Aderat inibi Fortunatus, ejusdem congregationis monachus, qui dum ad humanitatis argumentum, prisca ac celebriora ejus asceterii monumenta ostenderet; inter alia Vicentiæ urbis Fastos sive Menologium manuscriptum inspectandum præbuit: in quo Sancti sive indigenæ sive ejus ecclesiæ olim præsules notabantur: quos inter sub eadem ipsa, qua excessit, die censetur Thienæus in hæc verba: B Septimo Idus Augusti beatus Caietanus confessor, fundator Ordinis Theatinorum. Quod postea Menologium Julii Carcani, patricii Vicentini, opera typis expressum Romæ fuit Superiorum permissu: cui titulus: Index Sanctorum et Beatorum magnificæ urbis Vicentinæ. Singulorum ibi effigies et nomen et dies natalitia; exornatque eos etiam Fastos Thienæi commemoratio. Quo plane edocemur, prisca quadam religione et cultu veneratam Viri Sancti memoriam atque in eam statim egregiæ virtutis formam floruisse, ut adscribi olim in Divorum classe meruerit.

cui adstipulatur Paulus PP. V.

151 Secundæ huic de Thienæo opinioni visi etiam Pontifices Maximi adstipulari. Enimvero Paulus optimæ memoriæ Pontifex quintus, ut proniora in defunctorum venerationem populorum vota compesceret; cum publicas ea de re sanctiones evulgasset, professus omnino est, nihil iis se legibus de Caietani cultu imminutum velle; imo mentem esse, ut et erga præclara ejus merita religio perduraret, glisceretque; et Beati nuncupatio, utpote pervetusta constantique gentium pietate incitata, usurpari passim ac vulgo posset. Atque C hanc postmodum animi sententiam comprobatam vivæ vocis, ut aiunt, oraculo voluit, explicata sua mente geminæ augusti Senatus celebriori purpuræ, Joanni primum Delfino, Cardinali Vicentino, mox Roberto Cardinali Bellarmino: id quod etiam Venetæ Reip. Oratori conceptis verbis declaravit. Ac tandem compositis litteris, Deodato Gentili episcopo Casertano Nuntio Apostolico Neapoli jussit, ut cæterorum quidem cultum ad earum ordinationum regulam exigeret; quod vero ad Caietanum Thienæum pertineret, nihil pristini honoris externæque pietatis decerperet immutaretque. Hac igitur communi omnium ordinum existimatione commendata diu multumque Caietani sanctitas, demum severiore Romanæ Rotæ censura accuratissime ac rite discussa, accedente Sedis Apostolicæ auctoritate, nutuque, exposita publicæ venerationi fuit. Anno siquidem labentis seculi nono et vigesimo supra millesimum sexcentesimum, illum Beatorum numero adoptavit Urbanus octavus.

Ex eo quod cultus impetitur,

152 *Verum antequam eo usque perventum fuit, machinæ quædam ad evertendum beati Viri cultum adhibitæ sunt; sed eo successu, quem Silosius Historiæ Clericorum Regularium tom. 2, ad annum 1615, pag. 360 sic memorat:* Quodam religionis zelo allatum Romam, Caietani effigiem, contra quam Pontificiæ sanctiones caverent, D prostare in ecclesia populorum pietati. Ad hæc, marmoream erectam ad publicam domus januam ejus statuam e regione Pauli IV, Maximi Pontificis, inscriptisque ad documentum auro litteris ac Beati appellatione diserte apposita, clarum miraculis ipsum dici. Quo quidem visum infringi Romanas ordinationes, censuramque adhibendam. Negotium Apostolico Neapoli Nuntio demandatur, adiret ad D. Pauli, ac re propius inspecta, amoveri imaginem atque inscriptionem juberet. Quod molestissimum sane Patribus. Sed qui modum non excessisse, persuasum habebant; ut imperata facere minime detrectarunt, ita nihil antiquius habuere, quam summum Patrem per idoneos interpretes appellare. Perorandam causam suscepit Venetæ Reipublicæ orator, ad quem Viri e Veneta dominatione tueri famam ac sanctitatem spectabat. Accessere et plurium augustorum Patrum studia, qui favere Ordini ac æquitati singulari voluntate visi sunt.

magis ille deinde

153 Itaque interpellatus tantorum capitum auctoritate ac officiis Pontifex. Moveri loco Thienæi E effigiem, ac litteras ab ejus simulacro expungi, nimis quidem severe jussum conqueruntur, Virum præclari Ordinis conditorem, excellentique subnixum virtute, sanctitatis fama non modo in Veneta regione, sed etiam alibi locorum annis abhinc omnino septuaginta, hoc est, ab ipsius statim excessu floruisse: miraculis jam tum claruisse: Beati nuncupationem hæsisse vulgo ab ejus item exitu, atque in scriptis etiam monumentis, illiusque imaginibus legi, affirmarunt. Antiquitatem, merita, publicam famam satis habere ponderis, ut Virum sanctissimum communi lege solvant. Præciperet proinde summus religionis Antistes, retineri in sua possessione Caietanum. Explorari rem diligenter Paulus Pontifex voluit, ac demandatum Petro Cardinali Aldobrandino negotium; qui non perfunctorie quidem, sed tabulis juratisque ad veri fidem testibus adhibitis, mox ad augustorum Patrum cœtum, qui rebus fidei summo jure præsunt, detulit pervetustam de Thienæo opinionem, ac famam nominis Beatique appellationem esse: adstipulari item miracula; idque in plerisque Italiæ regionibus. F

confirmatur.

154 Aderat Pontifex, qui testatus diserte est, suas de Beatorum cultu ordinationes ita ratas velle, ut adultæ jam veterique populorum pietati minime detraherent. Nempe reprimendæ vulgi facilitati novisque religionibus temperandis factas; cæterum suam stare vetustati venerationem ac cultum, par esse. Quocirca moneri Neapolitanum Nuntium jussit, nihil in Paulina Clericorum Regularium basilica de Thienæo novandum: atque adeo stare loco ejus imaginem, atque inscriptionem sineret. Quo sane nullus reportari illustrior triumphus potuit, ipso sacrorum rege adjudicante Thienæo litem; fecitque is turbo, ut radices firmius ageret communis de Dei Servo existimatio, cum maxime convelli spiritus cultum omnem putarent. *Jam vero quemadmodum Vir sanctissimus ad solemnes ad publicos Beatorum honores evectus fuerit, pluribus hoc loco declarandum restat.*

§ XV.

A

§ XV. Sancti Beatificatio; Officium ac Missa; lætitia publica, miraculum.

Perruptis difficultatibus beatificationi præviis,

Vita sancti Confessoris nostri a Silosio vulgata lib. 3 cap. 1 tractat de eo altaribus admoto cum titulo Beati; ubi non abs re observat, si in universa rerum sanctissimi Patriarchæ serie eventus sit aliquis singulari dignus admiratione; hunc esse, qui in legitimo ejus cultu versatur. Elapsis jam quippe ab ejus obitu annis fere septuaginta, nulloque interea temporis de comprobanda ipsius vitæ sanctitate sermone habito; temporis antiquitas, multarum rerum singularium oblivio, ac personarum, quæ penitus eum habuerant cognitum ac perspectum, proindeque ad mirabilia de illo affirmanda perquam erant accommodatæ, defectus, videbantur perspicue indicare, operam B *insumi frustra in aggrediendo tam difficili incepto, in quo Sedes Apostolica tanta cum accuratione ac rigida adeo cum censura procedit. Quia tamen ipsamet antiquitas, quæ causam reddebat desperatam, eam animabat simul; cum omnis evidentiæ uti et probationis in rebus antiquis locum suppleant vox a majoribus tradita, ac fama haud interrupta; gravissimum juxta ac periculosum negotium illud assumptum est: quod, Deo bene favente, atque fervido illius, qui hoc promovebat, annisu superatis, quæ occurrebant, obstaculis, felicem tandem exitum habuit. Atque his quidem, quæ ex laudato Vitæ scriptore præmisimus, subjungitur pag. 206.*

decretum S. Congregationis Rituum

156 Decretum sacræ Congregationis Rituum de solemni beatificatione beati Caietani Thienæi, Clericorum Regularium fundatoris. Theatina. Die sabbati XXII Septembris MDCXXIX. Facta per S. Rotæ Auditores relatione Sanctissimo de Processibus, auctoritate Apostolica fabricatis super sanctitate servi Dei Caietani Thienæi, nobilis patricii Vicentini, Patrum Theatinorum fundatoris; iisque in S. Rituum Congregatione de mandato Sanctitatis suæ per plures sessiones, citato etiam ad hoc, C et audito promotore fidei, ad relationem illustrissimi Cardinalis Antonii Barberini acerrime discussis; cognito primum super validitate dictorum Processum; deinde super virtutibus heroicis, et demum super miraculis in vita, et post mortem intercessione dicti Servi Dei, ab Altissimo patratis;

pro ea obtinetur;

157 Eadem sacra Rituum Congregatio unanimi illustrissimorum Patrum consensu censuit, tuto posse, quandocunque Sanctissimo placuerit, deveniri ad solemnem canonizationem dicti Servi Dei, Caietani Thienæi; et interim posse concedi, ut ipse Dei Servus in posterum Beatus nuncupetur, et ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus Officium de communi confessoris non pontificis, in die ejus obitus recitari, et Missa celebrari juxta Breviarii ac Missalis Romani rubricas, etiam per sacerdotes Regulares, et seculares, ad eorum ecclesiam confluentes; in civitate vero Vicentiæ, ubi natus; et in civitate Neapolis, ubi sacrum ejus corpus requiescit, in omnibus ecclesiis tam Regularium, quam secularium Missa, et Officium respective celebrari, et recitari valeat: ac pro præsenti anno duntaxat prædicti Patres Theatini solemnem beatificationem cum Officio in die eis bene visa, hic Romæ in ecclesia S. Andreæ de Valle; nec non alii ad illam confluentes celebrare possint, et valeant. Joannes Baptista Cardinalis Detus.

AUCTORE J. P.

cui, uti et votis regum ac principum annuens Sedes Apostolica

158 *Nec diu Urbanus PP. VIII distulit annuere sacræ Congregationis decreto, ac piis religiosissimorum multorum principum petitionibus (qui incensissimis ea de causa apud sanctam Sedem institerant votis) nimirum Ferdinandi de Austria Romanorum regis, Ludovici XIII regis Francorum, serenissimæ Reipublica Venetæ, Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiæ, Ferdinandi magni Etruriæ ducis, Cæsaris Estensis ducis Mutinensis, Mariæ Magdalenæ archiducis Austriæ, Christianæ de Lotharingia magnæ Etruriæ ducis, Elisabethæ de Sabaudia principis Mutinensis, aliorumque insignis notæ dominorum, prout legere est apud Silosium; quorum quidem preces talem habuerunt locum apud memoratum Christi Vicarium, ut super isto negotio litteras Apostolicas benigne expediverit, quas dictus auctor pag. 208 sic recenset:* Indultum Sanctissimi D. N. Urbani octavi celebrandi Missam, et recitandi Officium de E beato Caietano Thienæo, Clericorum Regularium fundatore. Urbanus PP. VIII ad perpetuam rei memoriam.

indultum concedit,

159 In sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, ad ea, per quæ servorum Christi veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia Christi Fidelium, et præsertim Catholicorum regum et principum vota exposcunt, nosque conspicimus, in Domino salubriter expedire. Sane nomine dilectorum Præpositi Generalis, et Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, nobis nuper expositum, quod facta nuper per dilectos etiam filios causarum Palatii Apostolici Auditores nobis relatione de Processibus, Apostolica auctoritate fabricatis super sanctitate servi Dei Caietani Thienæi, nobilis patricii Vicentini, dictæ Congregationis fundatoris; iisque in congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus Præpositorum, de mandato nostro per plures sessiones, citato etiam ad hoc, et audito Promotore fidei, F ad relationem dilecti filii nostri Antonii, sanctæ Mariæ de Aquiro diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, acerrime discussis; cognito primum super validitate dictorum Processuum, deinde super virtutibus heroicis, ac demum super miraculis in vita, et post mortem, intercessione dicti Servi Dei ab Altissimo patratis; iidem Cardinales unanimi consensu censuerunt, tuto posse, quandocunque nobis placuerit, ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Caietani Thienæi deveniri.

ut Clerici Regulares celebrare de eo Missam, et Officium recitare possint;

160 Quare pro parte non solum Præpositi Generalis, et Clericorum prædictorum; verum etiam carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum regis, in imperatorem electi, et Ludovici Francorum regis Christianissimi; nec non dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis et Reipublicæ Venetorum, aliorumque Christianorum principum nobis fuit similiter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Caietani Thienæi deveniatur, idem servus Dei Caietanus Thienæus Beatus nuncupari, atque Officium et Missa de eo, ut infra, celebrari possit. Nos piis Ferdinandi regis, in imperatorem electi, et Ludovici regis,

nec

AUCTORE J. P.

nec non Venetorum Ducis et Reipublicæ, aliorumque Principum, ac Præpositi, et Clericorum prædictorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, ut ipse Dei servus Caietanus Thienæus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus Officium de communi Confessorum non Pontificum, in die ejus obitus recitari, et Missa celebrari juxta Breviarii et Missalis Romani rubricas, etiam per sacerdotes seculares et Regulares, ad eorum ecclesias confluentes:

quod pro civitate Vicentina ac Neapolitana ad omnes ecclesias extendit.

161 In civitate vero Vicentina, ubi natus; et in civitate Neapolitana, ubi sacrum ejus corpus requiescit, in omnibus ecclesiis tam secularium quam regularium, Missa et Officium, ut supra, respective celebrari et recitari valeat. At pro præsenti anno duntaxat dicti Præpositus Generalis, et Clerici solemnem beatificationem cum Officio et Missa in die bene visa, hic Romæ in ecclesia S. Andreæ de Valle, nec non alii ad illam confluentes celebrare libere et licite possint, et valeant, B Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus, et impartimur, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentium reassumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Congregationis, vel alicujus notarii publici manu subscriptis, et alicujus personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut Præpositi, vel Vicarii Generalis ejusdem Congregationis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die VIII Octobris MDCXXIX, Pontificatus nostri anno septimo.

Publica Romæ

162 *Quanta vero cum apud Clericos Regulares, tum apud alios lætitia exceperit rei adeo utrisque optabilis finem, tametsi nullus dixero, facile quilibet intelliget. Dicam tamen breviter, nonnulla delibans ex iis quæ refert Silosius loco citato pag. 211. Quanquam enim apertis ac publicis lætitiæ significationibus celebrare tunc temporis solemne illud festum, vi Indulti supra memorati, Romæ duntaxat licuerit Patribus Theatinis;* C *Neapoli tamen aliquanto cum splendore illud peractum fuit in æde S. Paulo sacra. Ossibus quippe sancti Fundatoris ibidem loci quiescentibus, rationi erat congruum, ut et major inibi esset lætitia, et majore cum pompa et magnificentia manifestaretur. Ut igitur tacitus prætercam solemnem supplicationem, templumque ac Beati imprimis sacellum egregie adornata; in domus istius claustro exstabat oratorium antiquum, divino Amori sacrum, ad similitudinem Romani (de quo supra num. 16) cui tot inter illustres viros sanctus etiam* Caietanus *annumeratus fuerit; ac notasse juvat, ibidem supra portam litteris aureis hanc fuisse inscriptam epigraphen:*

BEATO CAIETANO THIENÆO,
SOCIETAS DIVINI AMORIS,
CUI DUDUM PARUIT, SODALI OPTIMO,
NUNC SUPPLEX PROCUMBIT TUTELARI FORTISSIMO:
UBI MILES, INDE TRIUMPHATOR.

ac Neapoli lætitia.

Hoc ex oratorio moveri cœpit dicta supplicatio; quam tubas inter ac tibias præcedebat vexillum D. Joannæ Austriacæ, religiosissimæ principis, ac famosi D. Joannis Austriaci filiæ affectu ac sumptibus elaborari curatum. Pulchro ac longo D *ordine sequebatur magnus nobilium præcipuorum Neapolitanorum numerus, ardentibus facibus instructus: pone illos veniebant Patres Theatini ordine binario, ac tædiferi: postremo autem loco portabatur ab illis etiam in habitu sacerdotali statua; quæ postquam ad templum pervenisset, aræ principi imposita est. Proxime secutus Missæ solemnis cantus suavissima cum musica; uti et a prandio Vesperæ: in quibus comparuere delecti urbis domini, una cum dono, nomine communi oblato; atque elegans oratio panegyrica fuit recitata. Inclinato ad vesperam die, ubique spectabantur ignes festivi; volitare per aera pyroboli; infinita super fenestras, locaque eminentia ardere luminaria, concomitante ecclesiarum omnium æris Campani pulsu, nec non sonitu plurimorum tuborum ignivomorum reboante. Porro festiva hujusmodi gaudia singulari cum applausu et affectu populi, ad tres usque vesperas continuata fuere; quibus non defuit mirabilis quidam eventus, ad confirmandam novi Beati gloriam. Unum unicum retulisse suffecerit probationis gratia, quod in fide Silosii, uti alia, quæ modo narrabam, ex Italico sic profero:* E

Miraculum tunc factum narratur,

163 Monasterium Conceptionis monialium Theatinarum, situm ad pedem montis, quem S. Martini nuncupant, a venerabili matre sorore Ursula Benincasa fundatum; tanquam illud, quod nostrorum directioni ac disciplinæ suberat, in communem pariter lætitiæ partem venit, et in altissima ac spectabilissima conventus parte, nec non in aliis itidem locis accendit quadringentas fortasse lampades, quæ bonam noctis partem arserunt. Tantum tunc domi erat ad usus domesticos repositum olei, ut ad mensem duntaxat unicum posset sufficere. At quid accidit? Postquam liberaliter ac diu subministratum esset, quod sufficeret tot luminaribus, alimentum, et quando in animum inducebant, consumptum illud fuisse, observarunt, quod mensura prior ne vel tantillum quidem diminuta esset, quodque etiamnum suppeteret pro uno mense. Magnus moniales stupor invasit; ac Cæcilia Genuina, quæ postea loco, tunc autem peno præerat, rei gestæ testimonium sua manu scriptum dedit. F

ac magnificentia apud Clericos Regulares, Romæ præsertim,

164 *Parce quidem, e supra dictis, Sancti beatificatio per universum celebrata Ordinem est, et quasi primoribus, ut ita dicam, labris degustata: in anniversaria tamen ejusdem memoria majori splendori ac magnificentiæ laxata sunt frena. Anno autem illo, quo Romæ soli indultum fuit privilegium sacros honores celebrandi die* XIX *Novembris; universus Eminentissimorum Cardinalium cœtus solemnem hanc festivitatem sua præsentia honoravit in sacello S. Andreæ de Valle; quo principum Oratores, atque Curiæ Prælati, una cum nobilitate Romana ac inferioris notæ hominibus etiam confluxere, adeo ut templum illud ingentem non caperet multitudinis adeo copiosæ concursum. Ditissimus fuit ædis sacræ et altarium apparatus: musicus concentus, in plures choros distinctus, exquisitissimus: nec defuit eloquentissima in laudes Beati oratio. Hisce superaddit Silosius cumulatissimam miraculorum ac cœlestium favorum, suffragantibus beati Fundatoris meritis impetratorum congeriem; quibus nos suum alibi locum dabimus, perrecturi interea ad supremam ipsius dignitatem in terris, quando solemni ritu Sanctorum numero a Sede Apostolica adscriptus est.*

§ XVI.

§ XVI. Miracula publico Romanæ Rotæ calculo comprobata.

Religiosi cujusdam Theatini crus fractum

Inter vitas S. Caietani a variis editas, exstat una, quæ sub nomina Euretæ Misoscoli scripta prænotatur; ad cujus calcem Italicam adjecta sunt documenta quædam Latina circa dictum Sanctum; interque alia, quæ usui nobis erunt, occurrunt primo loco miracula. Et quoniam publico sacræ Rotæ, quam vocant, judicio comprobata sunt, atque adeo majoris quam alia, quæ sic probata non sunt, auctoritatis: ideo præmittere ea huc visum est una cum titulo, qui hisce constat verbis: Miracula a sacra Romana Rota approbata pro canonizatione S. Caietani Thienæi, Clericorum Regularium fundatoris. Miraculum in vita. Fracti cruris sanatio. Quidam e Religiosis B. Caietani instituto addictis, cœnobio ad res obeundas egressus, tam graviter in via prolapsus est, ut alterum sibi crus frangeret. Accersitus est medicus, qui post applicata varii generis remedia, cum nihil se proficere intelligeret, secandi cruris, ut reliquo corpori vita constaret, consilium cepit. B

a Sancto sanatur.

166 Quo intellecto, medicum Caietanus rogavit, ut in posterum diem sectio differretur. Noctu vero cum ad cubiculum infirmi ipse perrexisset, ipsumque præ doloris acerbitate reperisset insomnem; primum quidem accommoda eum consolatione recreavit, exhortans, ut se divo Francisco commendaret; mox ut detracta fascia sibi vulnus ostenderet, rogavit; quo conspecto in genua procidens, ægrum, ut una secum orationi incumberet, monuit, eaque breviter absoluta, signo crucis vulnus signavit, osculatusque est, illoque rursus alligato, recessit. Reversus mane medicus, ab infirmo, ut se haberet, petiit: cui ille nullum se amplius dolorem sentire respondit, amotaque fascia, crus integrum solidumque conspexit, ita ut vix tanti vulneris vestigium superesset.

Moribundo salus restituitur,

167 Miracula post mortem. Sanatio moribundi. Miraculum I. Comes Georgius Trivultius gravissima viginti dierum febri eo redactus est, ut non modo cibum aut aliud quidpiam, quod reficiendæ naturæ ingereretur, non retineret, sed ne deglutire quidem valeret: quo conspecto, medici, cum insuper ne arteriæ quidem in eo pulsum reperirent, plane de infirmi salute actum esse pronuntiaverunt. Collatum ei fuerat extremæ unctionis Sacramentum, perque Cardinalem Borromæum Mediolani archiepiscopum impertita, ut vocamus, benedictio. Cum Olympia uxor ejus, animo, ut par est, afflicta, noctu Religiosos S. Antonii, qui mariti animam veluti mox egressuram Deo commendarent, accersivit. Venerunt illi, et inchoato jam pietatis officio Olympiam consolantes, ut maritum B. Caietano vera et viva fide commendaret, hortati sunt. Cumque illa respondisset, Non videtis conclamatum jam esse? replicaverunt, confideret, Caietanum ei maritum suum restituere velle. Excitata est religiosorum vocibus Olympiæ fides, quæ, flexis genibus votisque nonnullis nuncupatis, salutem a Caietano postulavit, infirmoque deinde modicum juris porrexit: quod ille non sumpsit modo, sed retinuit; et post brevem requiem adeo convaluit, ut mane accedentes medici ab omni eum febri morboque liberum invenerint non sine circumstantium admiratione ac lætitia, laudantes Deum in Sanctis suis. C

Auctore J. P. uti et mulieri item conclamatæ

168 Sanatio moribundæ. Miraculum II. Helena Gritta, nobilis Veneta, cum fere per mensem * e febri continua magnisque angoribus decubuisset; ingravescente deinde malo, ne cibum quidem retinebat: vix ullum proferre verbum poterat, lectoque affixa jacebat immobilis. Cumque hoc in statu per alios quinque et viginti dies perdurasset, eos, a quibus invisebatur, deficiente jam voce, ut se beatis Andreæ et Caietano Theatinis commendarent, rogavit: continueque venerandum senem quemdam, qui beatus Caietanus esset, sibi videre videbatur, consolantem atque ut speraret hortantem. Desperaverant jam omnino infirmæ salutem medici: munita fuerat sacrosanctæ Eucharistiæ extremæque unctionis Sacramentis tanquam jamjam moritura: cum videns nihil spei in humana ope repositum, aliquid reliquiarum beati Caietani a præfatis Religiosis petiit. Cumque earum nihil ad manum esset, reliquiæ beati Andreæ Theatini illi porrectæ sunt una cum imagine beati Caietani, atque interim res divina ab uno dictorum Religiosorum pro infirmæ salute facta est; in qua, ut Caietanum pro sanitatis restitutione rogaret, ipsa petierat. Sacrificio peracto, intimo cordis affectu Caietani opem imploravit, et sine mora repentinus in membra vigor rediit, languorque una cum angore recessit: datumque cibum potumque sumpsit ac retinuit: altera post die per domum deambulavit, nec multo post domo, ut prius consueverat, egressa est, pristinis viribus et sanitate confirmata. E

* al. per duos fere menses.

Inveteratus morbus articularis,

169 Sanatio inveterati morbi articularis. Miraculum III. Petrus Francus Venetus molestissimo sinistri brachii dolore decimum jam amplius annum conflictabatur, adeo ut ne vestire se quidem absque alterius auxilio poterat; quod ex morborum articularium genere medici pronuntiaverunt. Cum quadam die vehementius solito discruciatus ad ecclesiam Sancti Nicolai Tolentinatis accessit, positisque ante imaginem beati Caietani genibus, enixe eum, ut sanitatem sibi a Deo impetret, rogavit; et repente omni dolore liberatus, pristinæque incolumitati restitutus sanusque permansit.

febris letalis feminæ,

170 Sanatio mortiferæ febris. Miraculum IV. Veronica Zannina *, puella octennis, febri maligna, laterum dolore, et pleuritide correpta est, eoque deducta, ut, desperato humano subsidio, a medico veluti jamjam moritura desereretur. F Admonita est puellæ mater, ut eam ad imaginem beati Caietani, quæ in ecclesia Sancti Antonii erat, deferret, ac eidem multis jam miraculis claro commendaret. Fecit ea, ut monebatur; moribundaque filia ante B. Caietani imaginem collocata, emissis precibus, ut ei salutem impetraret, efflagitavit. Oraverat aliquamdiu, cum insignem sibi obtinendæ gratiæ spem ingeri sensit, receptamque filiam domum retulit, inque loctulo reposuit: quæ illico somno correpta, per sesquihoram dormivit; ea deinde expergefacta matrem, quæ pro cubilis foribus *assidebat, compellavit, cum tamen per* dies septem ne verbum quidem esset eloquuta; qua ingressa, Mater mea, inquit, venit ad me senex ille nigra indutus veste, quem Caietanum vocant, capitique meo manum imposuit, ex quo sanam me et incolumem sentio: Da quod comedam: nam fameo; vestesque meas mihi porrige, quibus induere me cupio. Comedit, seque non sine adstantium stupore ipsamet vestibus induit, ac sine alicujus auxilio ad ecclesiam S. Antonii perrexit ac sana permansit.

* Silos Zannanina

ac viri:

171 Sanatio febris lethalis. Miraculum V. Franciscus

AUCTORE J. P.

ciscus Virga Mediolanensis cum ex vehementissima febri decumberet, adeo ut ne movere quidem se posset, nec aliud jam ei quam sepulchrum superesset; admonitus est, ut B. Caietani opem imploraret: quod ubi peregit, se a tergo impelli sensit, ut lecto exiliret; et sine mora consurgens, seque vestibus suis induens, perfecta se incolumitate donatum cognovit.

oculus pessime affectus,

172 Oculi pessime affecti sanatio. Miraculum VI. Helenæ Tomasellæ Vicentinæ quinquenni dexter oculus quodam humoris defluxu, crustulisque ex eo natis gravissime affectus est, crassa insuper nebula organum occupante; ingemebat anxia filiæ calamitate mater, et præsentaneo amittendæ lucis periculo territa, cum recordaretur miraculorum, quibus in dies Caietanus inclarescebat; ab eodem filiæ suæ sanitatem petiit, seque binos oculos argenteos oblaturam promisit; posteraque die ab omni eam humoris fluxu, nec non crustulis nebulaque liberam reperit.

oculus item alterius læsus; * *al.* lanea

B 173 Læsi oculi sanatio. Miraculum VII. Francisca Berta Veneta, linea * veste in oculum impacta, magnis per aliquot dies doloribus divexata est, sanguine suffuso, lacrymisque exundantibus ac nebula lumen offuscante; allatus est ei a matre, ut vocant, Agnus Dei, in quo B. Caietani reliquiæ contineri dicebantur. Invocavit ægra Caietani opem: cumque oculum ter prædicto signo signasset, dolore statim depulso, ac lacrymarum sanguinisque fluxu cessante, pristinæ incolumitati restitua est.

ac comitialis morbus

174 Liberatio a morbo comitiali. Miraculum VIII. Vienna Musca Vicentina comitiali morbo per annos duodecim miserandum in modum divexata est, ita ut viginti quatuor horarum spatio ter ex eo caderet, singulisque vicibus per binas ternasve horas, et quandoque diutius prostrata conflictaretur. Venit ad eam quadam die Religiosus quidam ex Ordine Theatinorum, Vicentiæ commorans, qui cum illam non mediocriter ex præfato morbo afflictam reperisset, obtulit ei imaginem B. Caietani, exhortans, ut se sancto huic Servo Dei commendaret. Vovit illa, se quotidie postquam a lectulo surrexisset, antequam aliud quidpiam aggrederetur, orationem Dominicam et salutationem Angelicam coram ejusdem imagine recitaturam.
C Cumque votum hoc emitteret, semel jam ea die ex morbo ceciderat. Mirandum dictu! Votum illico sequuta est salus, atque a tam atroci morbo libera mulier permansit.

sospitantur.

175 Accidit ut post duos menses quadam die votum illa per oblivionem non persolveret: adfuit sine mora negligentiæ corrector morbus, quo, ut ante votum consueverat, correpta est. Illa, tam insigni admonitione emendata, statim ut a prima morbi procella defervuit, voto satisfecit, iterumque a morbo remansit libera: donec post quatuor menses rursum voti oblita, idem persolvere neglexit; statimque præfatus eam morbus invasit: sub cujus initium filia ejus, quæ tunc aderat, orationem Dominicam salutationemque Angelicam coram Caietani imagine pie pro matre recitavit, illamque, ut potuit, Beato commendavit; statimque ad sanitatem mulier rediit, abrupta ulteriore afflictionis duratione; deinde ipsamet quoque voto suo sine dilatione satisfecit: neque unquam postea illius est oblita, et jugiter a morbo permansit libera, inque solida firmaque sanitate perduravit.

176 Sanatio ulceris pessimi. Miraculum IX. Catharina Buranella Veneta per tres annos pessimo ulcere in superiore palati parte laboravit, carne ad nares usque perforata, tantisque inde doloribus discruciabatur, ut nonnunquam febri corriperetur. Tria erant ulcera, unum in foramen abeuntia; et cum misera biberet, vinum per nasum excurrebat. Admonita est, ut beato Caietano se commendaret, ejusdemque imago ad hunc effectum ei tradita est. Invocavit illa intimo cordis affectu Caietanum, et naribus prædictam imaginem applicuit orique inseruit; sique sanitatem reciperet, tabellam miraculi indicem ad imaginem ejus, in ecclesia S. Nicolai Tolentinatis collocatam, portare promisit; seque cubitum recepit, Caietani imaginem ori applicatam tenens: ac mane cum expergisceretur, perfecta se incolumitate donatam cognovit. D

Quibus accedunt ulceris pessimi,

ac hydropis sanationes, * *al.* Catotia

177 Sanatio hydropicæ. Miraculum X. Dignamerita Latotia * Veneta cum jam annum tertium decimum aqua intercute laboraret, tam vehementi dolore dorsi correpta est, ut omnia sibi ossa comminuta viderentur, neque ullatenus movere se valeret. Hoc modo affecta cum noctu expergisceretur, ingens in cubiculo lumen velut per fenestram infusum, ac prope lectum Religiosum quemdam ex Ordine Theatinorum conspexit. Quo viso, multum jam diei processisse existimavit, eumque Religiosum, qui confessiones ipsius audire consueverat, a quo inviseretur, esse putavit. E
Mox ut B. Caietanum esse animadvertit, eum invocans, O beate Caietane, exclamavit, o Caietane sancte! Postque has voces Caietanus una cum luce evanuit, eodemque tempore omni se morbo liberatam perfectæque sanitati restitutam cognovit, continuoque surgens, solitas suas orationes recitavit, neque postea aqua intercute, vel doloribus aliove morbo laboravit; cum tamen quotannis ægrotare bis terve solita esset, singulisque vicibus mensem vel amplius afflictari.

nec non liberatio energumenæ,

178 Liberatio energumenæ. Miraculum XI. Julia Crotta Mediolanensis puellula a dæmone arrepta miserandum in modum vexabatur, cumque exorcizaretur, respondit dæmon, se in ecclesia S. Antonii ante imaginem B. Caietani exiturum. Puella, voto a parentibus nuncupato, ad prædictam ecclesiam perducta est, et ante imaginem Caietani constituta: ubi post orationes aliquot iteratas et exorcismos, spiritus malignus ter B. Caietanum nominans, ab obsesso corpore egressus est, puellamque concussam exanimi similem reliquit; quod profectionis suæ signum fore prædixit. F

item miraculum insigne in S. imagine.

179 Signum evidens animæ precibus Beati adjutæ. Miraculum XII. Bartholomæus Trivellinus, incola civitatis Venetiarum, ex lethali morbo decumbens, cum jam esset morti proximus, presbyterum, a quo extremæ unctionis Sacramentum reciperet, accersivit. Qui postquam advenit, conspectam super infirmi lecto B. Caietani imaginem chartæ impressam, eidem osculandam tradidit; ut hæc verba, Ora pro me, beate Caietane, ter diceret admonuit; quo peracto, prædictam imaginem presbyter in lecti angulo inter columnam ejusdem ac ferramenta reposuit, ita ut cadere nullatenus posset; cumque infirmus jamjam animam esset efflaturus, eadem imago absque ministerio humano, relicto, ubi posita erat, loco, super faciem moribundi sese collocavit. Quo non sine stupore conspecto, presbyter eam accepit, ægrotoque eam osculandam porrexit, qui, osculo libato, continuo spiritum suo reddidit Creatori. *Miracula illa contractius perstringuntur in Compendio Romano. Litteræ Decretales pro canonizatione Sancti, eorum pleraque summatim relationi*

suæ

A *suæ interserunt. Silosius insuper consuli potest lib. 7, a pag. 284 suæ Historiæ, ubi ea refert mutato stylo; sed illud, quod superius primo loco narratum est de fracto ac sanato crure, præmiserat. lib. 5 pag. 166.*

§ XVII. Acta in causa solemnis canonizationis.

Sicut negotium Sanctos canonizandi, summa cum maturitate peragi solet;

Desumemus *præsentis argumenti materiem ex Silosio lib. 3 Vitæ; qui postquam cap. 17 affirmasset, tot et tam frequentibus, quæ retulerat, miraculis, in omnis hominum generis utilitatem a Dei Servo patratis, tantum sibi æstimationis admirationisque eum conciliasse apud populos, ut nihil magis desiderare viderentur, quam virtutem adeo heroicam videre præmiatam ejusque memoriam debito Sanctis cultu honoratam; vere, uti prosequitur laudatus auctor, ultimis hisce temporibus ob continuas res mirabiles, quæ intra atque extra Italiam audiebantur; ob promptum omnibus patrocinium; ob communem applausum et acclamationem; familiæ privatæ, civitates, provinciæ, ac regna talibus eum publicæ venerationis splendorisque ac cultus testificationibus prosecuta sunt, ut pio hujusmodi erga illum religionis impetu, ac singulari adeo nec non communi animorum conspiratione velle viderentur viva voce Sanctorum albo eum inserere. Verum quia inter omnia Romanorum Pontificum opera, nullum est illo sanctius, quod magnas animas declarat Sanctas; nullum illo sublimius, quod ad tam spectabilem dignitatem, atque ad publicam totius Christiani orbis venerationem evehit homines virtute præstantes; nullum denique majore cum studio ad legum ecclesiasticarum ac sacrorum canonum normam exactum, quam illud, quod in Sanctorum canonizatione versatur; in tam gravi negotio proceditur merito lento pede, nec sine longis consultationibus ac maturis juxta et prudentibus observationibus, virtutem ac miracula ad ingeniosissimum examen severamque censuram revocando.*

B

C

ita etiam accidit in S. Thienæi causa;

181 *Hoc ipsum accidisse beato Patriarchæ, quo de agimus, recte observat Silosius: is etenim evolavit ad cœlum anno 1547, et anno demum 1671, id est, anno post obitum suum centesimo tertio ac vigesimo, Sanctorum catalogo adlectus est. Præcessere Processus varii variis in locis formati ad comprobandas egregias ejus virtutes: sed duo postremi, quorum alter in provincia ac civitate Aletiensi seu Lyciensi, alter Romæ fabricatus est, rem perduxere ad optatum finem. In aliis informationibus, ac primis potissimum Neapolitanis, insignis quidem fuit copia miraculorum, quæ producta fuere; sed in istis ultimis, habita majore ratione ponderis quam numeri, novem duntaxat in medium prolata esse, asserit laudatus Silosius; et sunt illa, quibus curata videlicet sunt immedicabilis gangræna in manu Francisci de Core; tumor periculosissimus in coxendice et in tibia Jacobi Rubini; distorti pedes atque ad gressum inutiles Ursulæ Cala; malum exulcerati cancri, qui lupa dicitur, Josephi Aielli; pestilens ulcus in humero sinistro Cataldi Bastæ; maligna febris, apoplexia, convulsiones et alia gravissima mala Nicolai, filii Ducis Caffarelli, cum apparitione Sancti; digiti siderati ejusdem nobilis, in instanti unico soluti; ultimum denique locum obtinet puer octennis, qui e puteo, in quem inciderat, et in quo erat mortuus, fuit extractus, ac vitæ restitutus. Tria ex dictis miraculis dantur inferius num. 183 et 184; de pluribus ac illustribus aliis consule Gloriam posthumam, quam exhibebimus post Vitam.*

AUCTORE J. P.

quæ quemadmodum acta sit,

182 *Hæc autem causa quemadmodum acta sit, et quibus gradibus Viri beati promota fuerit canonizatio, placet referre ex Litteris decretalibus Innocentii PP. XII super eadem canonizatione postea confectis; ubi habentur ista:* Verum editis deinde novis decretis ejusdem Urbani prædecessoris, siluit causa; donec super ejus reassumptione a fel. rec. Innocentio PP. X, etiam prædecessore nostro, signata fuisset commissio: confectisque novis Processibus super iis, quæ post indultam venerationem supervenerant, prævia memoratæ Congregationis declaratione emissa die XXIX Novembris MDCLVIII, quod de percrebrescentia famæ venerationis et cultus erga præfatum beatum Virum concludenter constabat; in Congregatione coram... Clemente X prædecessore, die II Novembris MDCLXX habita, referente bo. me. Federico tunc tituli S. Petri ad Vincula presbytero Cardinali Sfortia nuncupato, idem Clemens prædecessor de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium, iisdem sacris Ritibus præpositorum consilio, de præfatorum Processuum relevantia constare pronuntiavit, et ex novem tunc propositis et discussis miraculis, tria tanquam concludentissime probata, et supra naturæ creatæ vires patrata approbavit. *Ea ibidem sequuntur, et exstant in Decreto jamjam producendo.* Quapropter eadem Congregatio, accitis iterum consultoribus, censuit unanimi voto, sic annuente eodem Clemente prædecessore, posse quandocunque ad solemnem dicti Beati canonizationem, juxta ritum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sacrorum canonum decreta tuto deveniri, eumque cum Deo regnantem definiri, et universali Ecclesiæ colendum et venerandum proponi. *Hæc ibi. Instrumentum vero publicum super hac re confectum exstat apud Silosium a pag. 349, et sic sonat:* E

exponitur

183 Neapolitana canonizationis beati Caietani Thienæi, Clericorum Regularium Fundatoris. F
Discusso dubio proposito per Eminentissimum D. Cardinalem Sfortiam in Congregatione coram Sanctissimo, in vim processuum auctoritate Apostolica nuper confectorum in civitate Lyciensi, et in Urbe, super iis, quæ post indultam eidem Beato venerationem supervenerunt, Sanctitas sua de consilio Fratrum, de illorum relevantia constare pronuntiavit, et ex novem miraculis tria approbavit, tanquam concludentissime testificata, et super vires totius naturæ creatæ patrata. Primum siquidem Processus Lyciensis sanationis Franciscæ de Core a cancro exorto in vola manus sinistræ, mox exulcerato, gangræna invaso, et in sphacelum converso, cum brachii et partium cordi adjacentium infestatione, nil prorsus juvantibus humanis remediis, frustulorumque putrid carnis inde facta erosione ponderis unciarum quinque absque ullo dolore percepto ab infirma; ita ut chirurgus sequenti mane vellet ei manum abscindere, et brachium ustione curare; sed præcedenti nocte, uncta manu oleo lampadis prædicti Beati, cui sese toto corde commendaverat, postmodum se sanam et incolumen, manumque jam emortuam et fœtentem, vivificatam absque ullo cicatricis signo comperit non absque omnium admiratione.

e documentis publicis;

184 Secundum, quod est quartum ex eodem Pro-

AUCTORE J. P.

Processu, Josephi de Aiello, spatio quatuordecim annorum laborantis cancro exulcerato, lupa appellato, in sinistræ coxendicis parte posteriori; qui tribus digitis distans a genu incipiebat, et ad inguinem extendebatur quatuor digitis in latitudinem progrediens, et tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens ac depascens, putridus insuper ac fœtens, invocata ope Beati, unctaque coxendice oleo lampadis ante ipsius aram ardentis, sanus et incolumis visus est absque ullo cicatricis vestigio, pelle siquidem extensa et æquata, naturali insuper colore prædita, acsi tali morbo nunquam invasus fuisset. Tertium denique, quod est primum Processus Romani, Nicolai filii Ducis Gasparis Caffarelli, qui febri maligna correptus, convulsione cum intensione et extensione manuum, pedum et trunci totius corporis modo emprosthotonico deformi instar sirenis, thoracis musculis convulsis, absque loquela aliisque infirmitatibus et symptomatibus lethalibus oppressus, viribus consumptis, et a medicis proclamatus, veluti eadem et nocte XXIX suæ infirmitatis moriturus; emisso tandem voto dicto Beato, qui illi B radiis et splendoribus circumfusus apparuit, statim et incontinenti sanus, incolumis et robustus compertus est cum omnimoda virium recuperatione, æque ac si hujusmodi infirmitatibus nunquam laborasset; medicis cæterisque illud admirantibus, et Deum mirabiliter in Servo suo collaudantibus. Expletis igitur omnibus, quæ nova exigunt Decreta sanctæ memoriæ Urbani octavi; accitis iterum per Sanctissimum consultoribus, unanimi voto eadem S. Congregatio censuit, sic annuente Sanctissimo, quandocunque tuto deveniri posse da solemnem dicti Beati canonizationem juxta ritum S. R. E., et sacrorum canonum dispositionem, eumque definire regnantem cum Deo, et universali Ecclesiæ colendum et venerandum proponi Hac die II Novembris MDCLXX. Martinus episc. Portuen. Card. Ginettus. Loco ✠ sigilli. Bernardinus Casalius S. Rit. Congr. secret.

§ XVIII. B. Caietanus Sanctorum numero adscriptus, cæremoniæ et apparatus, Officia ac Missa.

C

post quæ, uti et post principum preces,

At *redeamus ad Litteras decretales Innocentii PP. XII, in hac causa quænam acta fuerint insuper sub Clemente X memorantes:* Accedentibus itaque clarissimorum in Christo filiorum nostrorum, tunc suorum, Leopoldi Romanorum regis, in imperatorem electi; Caroli Hispaniarum regis Catholici, et Mariannæ reginæ viduæ, ejus matris; nec non tunc in humanis agentis Ducis, et Reipublicæ Venetorum, ac bo. me. Ferdinandi Mariæ, dum vixit, utriusque Bavariæ ducis, sacri Romani imperii principis electoris, et Adelaidis ejus conjugis, aliorumque principum Christianorum; nec non tunc existentis Præpositi Generalis Clericorum Regularium nomine totius Ordinis, ac demum civitatis Neapolitanæ precibus; postquam præfatus bo. m. Antonius tunc episcopus Prænestinus, Cardinalis Barberinus nuncupatus, vice sim. mem. Martii episcopi Portuensis, Cardinalis Ginetti nuncupati, memoratæ Congregationis præfecti, morbo tunc detenti, summam Processus, suamque et aliorum suorum collegarum d. S. R. E. Cardinalium sac. Ritibus D præpositorum sententiam (cui cæteri in eodem consistorio præsentes Cardinales unanimi adhæserunt suffragio) retulerat, et in sequenti publico consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti patriarchæ, archiepiscopi et episcopi in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanæ Curiæ prælati, ipsiusque Clementis prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius magister Marcellus Severolus, nostræ, tunc suæ consistorialis aulæ advocatus, de beati Viri vita, virtutibus et miraculis dixerat, ac præfatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, Caroli Hispaniarum regis Catholici, tunc in humanis agentis Ducis, et Reipublicæ Venetorum, et Ordinis Clericorum Regularium supplices preces instauraverat;

secutæ sunt

186 Idem Clemens prædecessor ejusmodi preces perlibenter excepit, quibus supremi sanctitatis honores beato Viro expetebantur, et sicut gavisus summopere fuit, excitatum eidem triumphum animadvertere in obsequiis principum, et in veneratione populorum; ita jure merito fore confidit, ut inimitari non pigeret, quem celebrare E delectabat. Quia tamen in maximi momenti negotio, illius erat exploranda voluntas, qui Sanctorum principatum tenet, omnes idcirco et singulos hortatus fuit ex animo, ut precationibus, jejuniis, eleemosynis, cæterisque eximiæ pietatis operibus difficillimam illam ad investigationem auxilium eidem de Sancto comparare contenderent, sine quo impervia sunt mortalium oculis consilia divinitatis. Quin etiam sententiam præfatorum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, nec non patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum omnium tunc in Urbe commorantium, ad rem in terris cœlestem consultissime decernendam exquisivit: qui in sequenti consistorio semipublico, ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam nostris, tunc suis, et Sedis Apostolicæ notariis, et causarum palatii Apostolici Auditoribus, ex iis, quæ ab eo proposita et ex Processu relata fuerunt, ad solemnem canonizationem beati Caietani posse procedi, publicis suffragiis censuerunt.

Litteræ decretales Clementis PP. X,

187 Quorum unanimi consensu audito, cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctaritate, sacrorum canonum institutis præfate S. R. E. consuetudine, ac novo- F rum decretorum præscripto agenda et observanda erant, idem Clemens prædecessor aperiens os suum in benedictione, et gratias agens divinæ clementiæ, quod tantam suo Servo gratiam contulisset, solemni illius canonizationi peragendæ Dominicam secundam post Pascha, nempe duodecimam diem tunc immediate sequentis mensis Aprilis anni reparatæ salutis millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, ac primi Pontificatus sui, designavit.

quibus solemni ritu

188 Qua adveniente, in sacrosancta B. Petri Apostolorum Principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, et familiaribus suis, clero seculari ete rgulari, ac maxima populi frequentia mane convenerat; iteratis primo, secundo et tertio pro canonizationis decreto instantiis, per venerabilem fratrem nostrum Palutium episcopum Sabinen., tunc basilicæ XII Apostolorum presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, Caroli Hispaniarum

A spaniarum regis Catholici, et tunc existentis Ducis, et Reipublicæ Venetorum, post sacros hymnos, Litanias, aliasque preces, ac post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam; ad honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, ad Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac sua matura deliberatione præhabita, et divina. ope sæpius implorata, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum, tunc in Urbe existentium consilio, beatum Caietanum una cum beatis Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando, et Rosa de S. Maria, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesia universali quolibet anno, die septima Augusti memoriam ejusdem inter sanctos confessores non pontifices recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

B. Caietanum Sanctorum numero adscribit,

189 His peractis, Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum, Patris sempiternum Filium, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno
B Te Deum solemniter decantato, peculiari oratione etiam per beati Caietani merita precatus fuit, atque ad altare Beati Petri Apostoli cum ejusdem beati Caietani commemoratione celebravit, omnibusque Christi fidelibus inibi præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in die festo ejusdem sancti Caietani sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

et quæ ab Innocentio PP. XII editæ sunt.

190 *Ea vero, quæ in dictis Litteris decretalibus continentur, mox ita corroborat laudatus Innocentius PP. XII :* Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relatione, aliisque præmissis ex eo quod super illis ipsius Clementis prædecessoris litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio,
C relaxatio, aliaque præmissa a dicta die duodecima Aprilis anni MDCLXXI suum consequantur effectum, acsi super illis ipsius Clementis prædecessoris litteræ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes litteræ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem, relaxationem, aliaque præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur... Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii, Pontificatus nostri anno primo. ✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Et infra habentur subscriptiones Cardinalium.*

Referuntur cæremoniæ et apparatus,

191 *In manibus habeo Italicum exemplar, anno 1671 Romanis typis editum hoc titulo :* Relatio cæremoniarum, et apparatus facti in basilica S. Petri, in canonizatione quinque Sanctorum, id est, S. Caietani Thienæi, S. Francisci de Borgia, S. Philippi Benitii, S. Ludovici Bertrandi, et S. Rosæ de S. Maria, facta a S. D. N. PP. Clemente X, dedicata illustrissimo ac reverendissimo Patri P. F. Hyacintho Libelli, Magistro sacri palatii. *In dicto exemplari narrantur ista, quæ ex Italico reddita, sic sonant :* Inter functiones magis conspicuas majoris pietatis ac devotionis, quæ in magna illa reipublicæ Christianæ metropoli celebrari solent a Christi Vicario, quin primus canonizationi Sanctorum debeatur locus, nullus relinquitur dubitandi modus. Verum si ulla unquam exstitit, quæ publice vulgari typis meruerit, illa certe est, quæ pro sanctis quinque, Caietano Thienæo, Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando, ac Rosa de S. Maria, Sanctorum albo adscribendis celebrata fuit in magno templo S. Petri in Vaticano. *Deinde transitur ad ipsam rei gestæ narrationem; cujus majestate, pompa ac magnificentia singillatim recensendis supersedemus.*

AUCTORE J. P.

Officium sub ritu semiduplici,

192 *Postquam sanctissimus Dominus Clemens X anno 1671, die XII Aprilis Sanctorum catalogo adscripsisset* Caietanum, *biennio post Officium sub ritu semiduplici de eo legendum præcepit, uti patet e litteris Apostolicis, in quibus hæc habentur :* Itaque eximia S. Caietani Thienæi Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum fundatoris, quem nos Sanctorum catalogo solemni ritu adscripsimus, in Ecclesia Dei merita, pio peculiarique devotionis affectu recolentes, E
sinceramque nostram in eum pietatem aliquo honorum incremento magis testatam esse cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, de eodem sancto Caietano quotannis die VII Augusti celebretur festum cum Officio de communi Confessorum non Pontificum sub ritu semiduplici de præcepto, ab omnibus Christi fidelibus tam secularibus, quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, et sub eodem ritu in Calendario Breviarii Romani apponatur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVII Martii MDCLXXIII, Pontificatus Nostri anno tertio. I. G. Slusius.

ejusque approbatio;

193 Officium, *prout notatur in ejus ectypo, quod in manibus est*, ab Eminentiss. et reverendiss. D. Card. Bona diligenter revisum, pro Clero universali militantis Ecclesiæ, tum seculari tum regulari utriusque sexus Sac. Rit. Congregatio approbavit, ac imprimi posse concessit hac die XIV Aprilis MDCLXXIV. F. M. episc. Portuen. Card. Branc. loco ✠ sigilli. Bernardinus Casalius S. R. F
C. secr. *Porro Officium illud anno 1685 sub ritu duplici legendum ab omnibus Christi fidelibus præscribitur his verbis :* Urbis et orbis. Sanctissimus Dominus noster, Dominus Innocentius Papa XI de consilio Eminentissimorum, et reverendissimorum Cardinalium Sac. Rituum Congregationi præpositorum, habitæ die XXIV Januarii MDCLXXXII, et ad enixas preces ab Eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Cybo nomine Religionis Clericorum Regularium Theatinorum reiteratas, præcepit, ut Officium sancti Caietani, quod hactenus sub ritu semiduplici de præcepto quotannis die VII Augusti in festo ejusdem Sancti recitatum est, in posterum sub ritu duplici recitetur ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus tam secularibus quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, et in Calendario Breviarii, et Missalis Romani respective imprimi, et apponi mandavit. Hac die IV Augusti MDCLXXXV. N. Card. Ludovisius. Locus ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. secr.

recitatio hebdomadaria PP. Theatinis indulta.

194 *Anno 1694 facultas PP. Clericis Regularibus Theatinis conceditur semel in hebdomade ritu semiduplici recitandi Officium de sancto suo Fundatore diebus non impeditis, de qua re exstat*

AUCTORE J. P.

sequens indultum : Cleric. Regul. Theatinorum. Sacrorum Rituum Congregatio, referente Eminentiss. et reverendiss. D. Card. Iudice ad humillimas preces reverendiss. Patris D. Caroli Coppolæ, Generalis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, benigne concessit omnibus, et singulis Religiosis utriusque sexus prædictis facultatem semel in hebdomada Officium alias approbatum S. Caietani, eorum Fundatoris, sub ritu semiduplici recitandi, non tamen in diebus impeditis Officio novem lectionum, vigiliarum, Quatuor temporum, Adventus et Quadragesimæ. Die XVII Julii MDCXCIV. A. Card. Cybo. Loco ✠ sigilli. B. Inghirami Sac. Rit. Congr. sec.

§ XIX. Scriptores, qui S. Caietani gesta litteris commendarunt.

B

De Sancti gestis scripsere Joan. Ant. Pratus, illustriss. Tufus,

Primo *inter eos, qui illam suscepere provinciam, loco a nobis memoretur* Joannes Antonius Pratus Mediolanensis, *qui* prope octogenarius Patavii diem clausit extremum. Venetiis auctoratus nostra disciplina, *inquit Silosius parte altera Historiæ Clericorum Regularium, ad annum 1600,* ac Præposito Thienæo, sub quo Religiosæ vitæ tirocinium deposuerat, suscepit solemni ritu vota... Scripsit hic de vita, rebusque a beato Caietano gestis Commentariolum, a quo sanctiorum ejus morum exempla, ac quædam magni animi documenta exstant; quæ nunc cum fraude mortalium ac nostri præsertim Ordinis, obvoluta suis tenebris laterent. Scripsit ea porro adulta ut ætate ita et probitate, ut timeri a viro gravissimo atque integerrimo fucus minime potuerit. Itaque Sodalitati et sanctissimi Parentis consignata scriptis virtute, et suis etiam exemplis profuit. *Commentariolum istum nec vidimus, nec scimus, an typis unquam excusus sit. At vel nulla vel facilis est jactura; nam illum præluxisse aliis ex eodem Ordine biographis, qui in Actis Sancti conscribendis, ineunte seculo* XVII, *Pratum excepere,* C *conficimus ex eo, quod Antonius Caracciolus in Vita, de qua mox dicetur, postquam tria Sancti miracula narrasset, apud nos cap. 8, num. 91 sic subdat :* Hæc sunt, quæ Joannes Antonius Pratus, octuagenario major, anno MDXCVIII scripto testatus, publicis nostri Ordinis monumentis inferri voluit.

Illustrissimus D. Joannes Baptista Tufus, Acerrarum episcopus, in Historia Clericorum Regularium, quam anno 1609 Romæ lingua Italica vulgavit, gesta S. Caietani *exhibet cap. 9. Scriptorem istum pluribus laudatum invenies apud Silosium Historiæ Clericorum Regularium parte altera lib. 10, pag, 459. Virum hunc deinde alii excepere.*

Antonius Caracciolus; cujus lacunas

196 *Anno quippe 1612 in lucem prodiit Coloniæ Ubiorum liber Latinus hoc titulo :* De vita Pauli IV Pont. Max. Collectanea historica, opera et studio Antonii Caraccioli Clerici Regularis conquisita, digesta atque edita. Item Caietani Thienæi, Bonifacii a Colle, Pauli Consiliarii, qui una cum Paulo IV, tunc Theatino episcopo, Ordinem Clericorum Regularium fundaverunt, vitæ ab eodem auctore descriptæ. *Librum hunc, a reverendissimo Patre D. Joanne Antonio Angrisano, Congregationis prædictæ Præposito Generali, Romæ apud S. Silvestrum in Monte Quirinali, die* XXIV *mensis Augusti 1611 approbatum, dedicavit auctor Paulo V Pont. Maximo. Parvam pro tam magno Sancto, cujus Vitam incipit ibidem pag. 176, sibi suppetere materiem, indicat variis ejusdem locis. Etenim in ipso exordio, aggredi se scribit* opus, ut mole perexiguum, quod ejus Viri actus majorem longe partem cum damno posterorum lateant, ita difficili rerum conquisitione, quæ me diu tenuit, plane laboriosum. *Pag. 177 suam* hanc... lucubrationem... multis hiantem lacunis *affirmat. Pag. 214* Mansit, *ait*, Venetiis Caietanus quinque propemodum annos; qui quod nobis argumento vacui excurrant, non Caietani remissa virtus... sed nostratium taciturnitas, qui diligentius vivere, quam scribere maluerunt, in culpa est. D

nos aliunde supplevimus, atque hic eum laudamus

197 *Pag. 233 :* Ea est veterum, et nostrorum maxime, gestorum conditio, ut non nisi aliqua ex parte corrosa temporis dente ad posteros pervenerint. *Denique pag. 250 sic profitetur candide :* Rediit itaque Caietanus Neapolim anno MDXLIII ad finem Aprilis... Sed hic rursus, lector, ingentem quatuor annorum lacunam in narratione ista de vita Caietani facere cogor. Ab anno enim MDXLIII usque ad MDXLVII, nihil reperi de eo Viro dictum aut scriptum. *Sed nos curtiorem, quam par est, laudati biographi supellectilem supplere aliunde conati sumus in hoc Commentario nostro prævio. Quia vero Vitam istam recudere suo loco, fixum habemus, tum quod Latino idiomate et magna cum fide fuerit elucubrata; non erit a proposito alienum, brevem auctoris notitiam hic præmittere. Facile sileri patimur, quod laudatus Antonius Caracciolus, episcopi Potentiæ coadjutor destinatus, honorificum illud munus admittere præ modestia Religiosa detrectarit; de qua re Silosius initio hujus paragraphi citatus, ad annum 1598 pag. 86 et 85 ; apud quem etiam ad annum 1604 pag. 149 laudatur ob notas in Constitutiones Clericorum Regularium, quæ anno 1610 Romæ sunt editæ, tanquam* vir ex nostris, *ait idem Silosius,* uti alias significavi, quem nihil vetustatis, ac sanctioris ævi latuit. *Nihil attinet etiam dicere de aliis ipsius lucubrationibus, de quibus vide indicem, dicto Silosii tomo subjectum.* E

a dotibus singularibus.

198 *Facile, ut iterum dicamus, illa sileri hic patimur; mirum tamen nobis accidit, nihil in isto indice ad voces* Antonius Caracciolus *notari de Vitis Quatuorvirum, qui Ordinem Clericorum Regularium fundarunt, modo memoratis; quem tamen eumdem fuisse, persuadent nomen, cognomen, ætas, eruditio. Circa librum itaque istum, quatenus Sancti nostri gesta continet, observamus : 1° scriptoris diligentiam, ex* difficili rerum conquisitione, quæ me, *uti aiebat supra num. 196,* diu tenuit; *2° laborem; nam* opus suum plane laboriosum *affirmat; 3° sinceritatem, qua et ingenue profitetur locis variis, laborare se penuria documentorum, et in istorum defectu abstinet ab affectatis exaggerationibus, floridulis expressionibus, ac phaleratis ornamentis, longe in hoc discrepans a bene multis aliis scriptoribus, qui, materia sibi deficiente, paucas quidem res, at multa verba obtrudunt ; 4° sermonis Latini nitorem, quo gesta Sancti exprimit ; 5° denique antiquitatem, qui utpote eidem Sancto suppar vixerit. Atque hæ sunt Caraccioli dotes, quæ nos moverunt, ut illius Vitam præ aliis ad prælum seligeremus.* F

His addе Castaldum,

199 *R. P. D. Joannes Baptista Castaldus* S. Caietani, *fundatoris sui, Vitam Italice vulgavit. Secunda impressio, quam ante me habeo, in*

lucem

A lucem prodiit Romæ anno 1616. In Proœmio Vitas quatuor primorum Ordinis Theatini Patrum laudat ab Antonio Caracciolo editas, quas utique quia is scripserit gravi ac compendioso stylo Latino, continuatum historiæ filum prosequendo, ac vera narrationis suæ testimonia proferendo; significat tamen, se non credere quod sit vituperatione dignus, si... assumpto alio ordine, habuerit plura notanda mira, ea cum sinceritate etc. Nos viri pro suo sancto Parente labores cum laudamus, tum verbulo indicamus, melius eum fuisse prospecturum suæ narrationi, si in ea abstinuisset a pura puta illa fabella; de qua ipsum supra convenimus num. 55. Cæterum mira illa, quæ indicabat modo, tam ex historico Ordinis sæpissime citato, quam aliunde nos supplere haud neglevimus per hujus Commentarii decursum; ut necesse neutiquam sit, Vitam istam Italice excusam, Latine reddere ac recudere.

B 200 Anno 1645 typis Veronensibus, sub nomine Euretæ Misoscoli, Vita laudati Sancti in lucem prodiit; seu, ut dicamus quod res est, pie potius adornata panegyris, ex intima videlicet pœnitentis animi amaritudine profecta, qua vanam juvenilis suæ ætatis in scribendo licentiam serio deplorat, sicut videre licet pag. 1 et seqq. Dedicationi, quæ Vitam præcedit, subscribitur F. Pona; post Vitam Italicam sequuntur Latine miracula a sacra Romana Rota approbata pro canonizatione, decretum Sacræ Congregationis Rituum de solemni beatificatione, et indultum Urbani PP. VIII celebrandi Missam, ac recitandi Officium.

nec non Euretam, uti se vocat, Misoscolum,

201 Anno 1650 de præclarissimis sui Fundatoris gestis cumulatissime meruit Josephus Silos Bituntinus, identidem superius a nobis memoratus, quando ea Historiæ Ordinis sui patri priori tunc vulgatæ intexuit. Bernardinus Benzius, de quo mox redibit sermo, pag. 60 Cygnum Latii eum appellat; at magis hyperbolice, nostro quidem judicio, quam vere. Tametsi autem non invita prorsus Minerva scripserit, ut tamen in iis, quæ ex ipso in Commentarium nostrum transcripsimus, magis perspicua ac emendata prodiret oratio, hic et illic spongia usi sumus, intacta tamen rerum substantia. Candide tamen ac lubenter profitemur, viri laboribus ac studio pro S. Caietano susceptis C debere nos potissimam hujus Commentarii medullam.

Silosium, Barbaranum,

Anno 1652 R. P. F. Franciscus Barbaranus de Mironi, Ordinis FF. Capucinorum, librum secundum suæ Historiæ ecclesiasticæ Vicentinæ impressit; cui S. Caietani gesta intexuit cap. 86 et sequentibus.

202 Anno 1654 Bernardinus Benzi ex Ordine Clericorum Regularium, Sancti sui gesta publici juris fecit Venetiis edita, ac illustrissimo Joanni Francisco Morozini, patriarchæ Veneto, dedicata. Vellemus, ut narrationi suæ, quam dedimus supra § 13 num. 146, apposuisset testimonium aliquod fide dignum, vel saltem auctoris nomen, unde illam hauserit, quo plus auctoritatis ac roboris eidem conciliasset. Huc etiam spectant, quæ dicentur num. 204.

Clericum Regul. anonymum,

Anno 1655 Vita S. Caietani Thienæi, annitente Fr. Nicolao Auxentio, typis Venetiis subdita fuit. Is in Præfatione ad RR. PP. Clericos Regulares, indicat, auctorem istius Vitæ esse ex eorum Ordine, ac nomen ejus ex timore ac respectu humano se abscondisse. Ibidem etiam illam adeo bene ordinatam, adeo venuste explicatam, adeo sanctorum Patrum auctoritate adornatam, adeo piis ac moralibus digressionibus ditatam, adeo novis Beati actionibus locupletatam, adeo supra processus, pro ejus canonizatione fabricatos, stabilitam esse affirmat, ut religioni sibi duxerit, eam sub oblivionis tenebris sepelire. Res ut maximæ est eruditionis, ita indefessi etiam laboris; quanquam si et Acta Sancti, et nostrum circa ea institutum spectes, polyanthæam, ut ita loquamur, potius referat, quam historiam. Quæ in rem nostram erant, non parca manu inde delibavimus; prout perspicuum est ex hoc Commentario.

Auctore J. P.

203 Hosce Vitarum scriptores subsecutus amplissimus D. Charpy de Sainte-Croix, Galliarum regi a consiliis, Vitam suam Gallicam typis commisit Lutetiæ Parisiorum anno 1657, ac Eminentissimo Cardinali Mazarino inscripsit. In fine præfationis ad lectorem, fatetur auctor, extraxisse se Vitam S. Caietani ex Annalibus Ordinis ejus, nihilque eidem inesse propriæ inventionis, præter materiæ colligationem; idcirco laudandus potissimum, quod in publicis ac muneri suo propriis negotiis tantum otii invenerit, ut de Sancti rebus gestis ad communem Galliarum utilitatem evul- E gandis adeo pie ac religiose mereretur.

Charpium Sanctacrucium;

204 Josephus Silosius toties a nobis ac merito suo superius laudatus, sanctissimi Patriarchæ sui Vitam anno 1671 Italice Romanis typis in lucem dedit; libro primo vitæ seriem; lib. 2 virtutes, lib. 3 miracula ejus describens. In manibus etiam meis est Vita in compendium contracta, auctore P. D. A. Thoma Schiara, ex Ordine PP. Theatinorum, quæ in tres partes divisa est, ac illustrissimæ atque excellentissimæ dominæ Leonoræ Buoncompagni Borghese inscripta. Prodiit Romæ anno 1688. Miræ prorsus sunt Christi Domini, ac Virginis ejus Matris apparitiones, quas sancto suo Fundatori accidisse scribit, quasque nos antea ex ipso protulimus § 13, a diversis, et distincte quidem, prout addit, auctoribus descriptas: verum quam nos impense cupimus, ut illæ sint veræ, tam dolemus, nullum præter varios ac vagos istos auctores nobis ibidem distincte occurrere documentum, quo probare possimus, res adeo mirabiles vere ac solide credibiles esse. Novimus quidem nonnullas ex iis indicari apud Benzium lib. 3 num. XXI et sequentibus; sed nullum ibidem F scriptorem, monumentum antiquitatis nullum citari legimus.

ac plures alios;

Apud me etiam est Vita alia Gallica S. Caietani, una cum regulis disciplinæ ac pietatis, ex Ordinis Clericorum Regularium Constitutionibus, sanctis Conciliis, atque Ecclesiæ Patribus, ad Cleri ac Fidelium omnium ædificationem extractis, Lutetiæ Parisiorum anno 1698 in lucem edita a D. Bernard, Clerico Regulari. Præter hosce biographos, notatos insuper invenio Stephanum Pepe, Bernardum le Champ du Moulin, qui Gallice scripsit (nisi forte est idem iste D. Bernardus, quem modo nominabam) item Fortium e Congregatione S. Philippi Nerii, ac Caietanum Magenium. Collectionem historicam rerum ad S. Caietanum spectantium compilavit neotericus Legendista Gallus, supra num. 2 et num. 149 hujus Commentarii nominatus; idem ille, qui toties ac merito vapulat in Opere nostro. Atque hæc quidem sunt, quæ de excusis sancti Patriarchæ Vitis ad notitiam nostram hactenus pervenere: quibus denique addimus binas Mss., quas anno 1733, quo hæc scribimus, a RR. PP. Clericis Regularibus Roma accepimus. Et operosum quidem Patrum Religiosissimorum pro sanctissimo suo

Con-

AUCTORE J. P.

Conditore in utraque laborem veneramur; sed neutra tamen optatis nostris respondet.

duos denique collectores recentissimos.

205 *Utraque perspicuis characteribus, et idiomate Latino exarata est; earumque altera ex Historiis potissimum Clericorum Regularium, a Silosio editis, aliisque probatis auctoribus excerpta scribitur; altera vero auctorem prænotat J. B. Caracciolum C. R.; sed majore cum conatu, nec minore erga sanctissimum Fundatorem studio, quam nostro (quod dolemus) adjumento utraque est collecta; quia utpote ad nostras tunc demum post longam moram pervenit manus, quando collectio nostra rerum* S. Caietani *erat jam pene ad finem perducta. Accedit eo, quod, ex quo Vita, quantum nos quidem scimus, antiquissima inter eas, quæ alicujus justæ sunt amplitudinis, ac Latine prodiere, ab* Antonio *Caracciolo concinnata in promptu nobis aderat, cogitandum non esset amplius de illa prælo subjicienda, quam J. B. Caracciolus collegit integro post Antonium sibi synonymum, et eo amplius, seculo. Ea tamen, quæ in utroque dicto exemplari in rem nostram*
B *erant, neglecta non sunt ita, ut eorum compilatores præter bonæ voluntatis laudem, ipsa etiam re gestis Sancti sui, quæ illustravimus, subsidia contulerint, uti in Commentario hocce prævio licet videre. Ac illam quidem, quam primo loco indicabamus, quia non præferebat collectoris nomen, Vitam Ms. e Silosio aliisque collectam nuncupavimus supra num. 10; aliam vero, I. B. Caraccioli Vitam Ms.; quo characterismo memineris eam distinguere a Vita typis edita alterius Caraccioli synonymi identidem in dicto Commentario allegati. Nunc antequam hujus Caraccioli Vitam subdimus, monitum paucis te, lector, volumus 1º nos eam in capita ac numeros more nostro dispescuisse; 2º a non paucis illam expurgasse mendis typographicis; 3º Annotatis illustrasse; quibus subnectetur Gloria Sancti posthuma.*

VITA

C

Auctore R. P. D. Antonio Caracciolo Clerico Regulari.

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor ex defectu monumentorum a

Caietani Thienæi inter Quatuorviros nostri Ordinis conditores, post Carafam præcipui *a*, gesta aliquot, quæ tempus atrox, et severa nostratium incuria obruere non potuit, scribere aggredior. Opus, ut mole perexiguum, quod ejus Viri actus, majorem longe partem, cum damno posterorum lateant, ita difficili rerum conquisitione, quæ me diu tenuit, plane laboriosum. Illud vero mihi interim persuasum habeo, his licet paucis virtutum exemplis, non invitari modo, sed etiam quibusdam quasi stimulis incitari posse eos, qui ad hæc legenda audiendave studiose accesserint. Adeo luculentam *perfecti* Viri imaginem vel paucorum gestorum lineæ, si non ad vivum referunt, indicant nihilominus arguuntque veluti leonem unguis.

b 2 Habet quippe hoc, ille *b* ait, omnis celsa virtus, ut tametsi non æque appareat ac niteat, sibi tamen eadem sit, et more solis obscuri vim suam exerceat in occulto. Ex abdito enim virtutum ejus thesauro promanasse arbitramur, Vicentinorum, (ut alios prætercam) in eum reverentiam ac religiosum cultum, qui adeo jam excrevit, ut imaginem ejus, quam privato saltem cultu venerentur, passim exquirant, et meam hanc de sanctis ejus moribus rebusque gestis lucubrationem, brevem licet, ac multis hiantem lacunis, summis votis efflagitaverint, et pene conviciis extorserint. D

non tam Viri sancti vitam, quam ejus imaginem exhibet.

ANNOTATA.

a *Quo sensu Sanctus dici possit post Carafam præcipuus Ordinis conditor, quo ipsi in eodem condendo par, quo item ante ipsum primus ejusdem fundator; invenies in Commentario huic Vitæ prævio* § 3.

b *Citatur ad marginem in editione Coloniensi* Sen. epi. 116. *Citationes autem aliæ, quas eadem editio per Vitæ hujus decursum apponit, in hac nostra, quod semel monuisse sufficiat, non assignabuntur, sed in illa videri poterunt ab eo, cujus hoc intererit.*

E

CAPUT I.

Natales, nomen, Romæ gesta; sodalitium Divini Amoris ac Hieronymianum; iter Venetum, xenodochium reformatum.

Sanctus Vicentiæ natus e stirpe, a

Natus est Caietanus Vicentiæ *a*, quæ Italiæ in Venetis urbs est ornatissima; genus ei ab utroque parente illustre admodum, et cum paucis comparandum. Porro nos etsi majorum decora (nam aliena videri possunt) non maximi facimus, nequaquam tamen ducimus prorsus prætereunda: quippe prosapiæ claritudo præsentem virtutem si non majorem, longe certe clariorem facit. Itaque raptim memorabimus e Thienæa stirpe F Hugutiones duos, alterum *b* ante CDXX annos Cœlestino III *c* Summo Pontifice S. R. E. Cardinalem, eumdemque ab Innocentio III in Picenum adversus Marcwaldum *d* tyrannum summa cum potestate legatum: alterum Gregorii XI *e* primum ad Venetos, mox ad superiores Pannonios Oratorem: Joannem item cognomento Taurum, Hugutionis Cardinalis fratrem, qui consiliorum Caroli III *f* Andegavensis conscius participsque et primarius administer fuit. Is ipse multorum ab eo oppidorum urbiumque dominio auctus, a Ladislao *g* rege, Caroli filio, in Tuscos ituro, Neapoli prorex constituitur. b d e f g

viris sago

4 Neque ea dignitas postrema illi obtigit: nam paucis post annis Mediolanum accersitus, Insubriæ excelsa cum dignitate præficitur, donec Philippus Maria Vicecomes *h*, cujus tum pueri tutela ipsi delata fuerat, adolesceret *i*. Et vero nostrorum propemodum ætate patrum inclaruit Caietanus Thienæus III, qui Cortisnovæ in Pannonia dominus, apud Ferdinandum *k*, et Maximilianum II Augustos *l*, dux alæ equestris, et Pannonici regni magnus vexillifer, post militiæ egregie navatam operam, anno MDLX fato concessit. Neque armis solum, sed etiam litteris ea gens claritudinem famæ promeruit. Nam Caietani nostri h i k l

A tri patruus magnus (ut alios taceam) qui Caietanus et ipse vocatus est, quod Caietæ *m* apud Ladislaum regem natus esset; solida eruditione; adeo excelluit, ut publicum a Patavina schola habuerit testimonium, quod in sepulcro ejus hodieque in hæc verba legitur: « Caietano Vicentino ex clara Thienæa familia Canonico Patavino, viro integerrimo, Theologorum sui ævi facile principi, Philosophoque eximio, cujus doctrina cuncta orbis gymnasia illustrantur, locus hic datus est. »

et toga insigni. 5 Mitto alios complures præclaros viros, qui Frederico III *n*, ac Maximiliano I *o* Cæsaribus, Franciæ regibus, Reip. Venetæ, Ferrariæ Ducibus, aliisque dynastis operam suam militari gloria conspicui, atque eximiis præfecturarum insigniti nominibus probaverunt. Mitto intimos regum consiliarios, cameræ, et Rotæ Romanæ (ut vocant) Auditores, eadem stirpe prognatos. Prætereo quod Thienæi Cuniæ *p*, Estensi *q*, Malatestææ *r*, aliisque ejusmodi nobilissimis familiis per legitima innexi connubia, inter Italiæ proceres locum, et lucem eximiam tenuerunt *s*. Hæc B volui recensere, ut Caietanus dicere posse videatur, se non tam quod hæc mundi decora habuerit, quam quod hæc pro Christo reliquerit, lætari.

Parentes ejus, nomen,. 6 Venio ad Gasparem Caietani nostri parentem, de quo ambigo, præstantiorne domi, an belli extiterit, adeo dum domi esset, prudentia ac pacis artibus; dum sub signis cataphractorum turmam duceret, animo impiger, manu strenuus, industrius, fortis fuit. Ex eo viro et ex Maria Portia, pari nobilitate ac virtute matrona, Caietanus nascitur. Quo autem anno, non admodum clare liquet. Sed si arbitrari licet, quandoquidem, ut postea dicemus, superioris seculi XLVII haud decrepitus senex obiit, arbitror (nisi me conjectura fallit) illum circiter annum a redempto orbe MCDLXXXV *t* in hanc vitam editum. Porro Caietani vocabulum illi parentes indiderunt, ut senioris Caietani patrui sui magni, de quo diximus, et nomem et virtutem repræsentaret *u*.

educatio, gesta Romæ; 7 Educatum vero fuisse liberaliter et ingenue, nefas est ambigere, utpote apud nobiles parentes et morum probitate ac civilitate conspicuos. Ni- C hil tamen audivi aut legi de ejus pueritia, adolescentiaque *x*. Id solummodo tradunt, Romam migrasse juvenem, et firmo jam ingenio atque ætate. Ibi Summo Pont. Julio II *y* honesto gradu inserviisse; postea vero inter sodales Divini Amoris adscitum, piis operibus vacasse diligenter *z*. Hujus sodalitii, quod celebre cumprimis atque illustre per id tempus in Urbe exstiterit, quodque ex eo tanquam e schola virtutum prodierint. Quatuorviri nostri Ordinis conditores, hi videlicet quorum nunc vitas *aa* scribimus, operæ equidem pretium facturum me arbitror, si hoc loco originem atque institutum, quantum ad rem satis erit, exponam.

sodalitium ibid. Divini Amoris: 8 Exortis auctore Luthero *bb*, monstro illo flagitiorum atque scelerum immanissimo, fœdis hisce hæresibus, quæ aquilonares plerasque provincias nostrorum ævo patrum miserrime infecerunt, in media etiam Italia, atque in ipsa urbe Roma, (ut malum ex malo seritur) pravi in dies pullulabant mores; quibus non solum populi, sed Clerici etiam atque Religiosi homines passim contaminabantur: atque adeo ii qui imperitæ et infirmæ plebi ad virtutem præire debuissent, suo eam exemplo inflectebant ad vitia. Nonnulli igitur, qui Romæ erant solida probitate viri, ut tantis malis aliqua ratione pro sua virili parte possent occurrere, et labantem ecclesiasticum ordinem ad pristinam puritatem, dignitatemque revocare, Leone X Pont. Max. *cc* sodalitium insigne fundaverunt in ipsa urbe Roma, eique a Divino Amore nobile cognomentum imposuerunt. A. ANT. CARACCIOLO.

cui inter alios præstantissimos viros adscribitur Caietanus 9 Primi et præcipui sodales Gaspar Contarenus *dd*, Jacobus Sadoletus *ee*, Matthæus Gibertus *ff*, Joannes Petrus Carafa, Caietanus Thienæus, Aloysius Lippomanus *gg*, Latinus Juvenalis, Tullius Crispoldus, et Julianus Dathius memorantur. Accessere postmodum, ut sit, complures alii, ad quinquaginta scilicet aulæ Romanæ proceres. Tanta est in utramque partem vis exemplorum. Locus, quo ad conciones sacrasque preces conveniebant, erat ædicula SS. Silvestri et Dorotheæ in regione Transtiberina *hh*, prope illam meritoriam tabernam *ii*, quam veteres Christiani, Alexandro imperatore *kk* pro ipsis adversus ethnicos rescribente, in templum vero Numini dedicatum, Callixto I Summo Pont. mutaverunt: non longe item a Janiculo colle *ll*, ubi Apostolorum princeps Petrus cruci fuerat affixus. E

magno cum fructu. 10 Itaque libenter eo secedere Patres, et qua Numini laudibus celebrando, qua hominibus salutari doctrina imbuendis sese certatim exercere: ubi et Apostolum Petrum, quippe Judæum, degere cum Judæis solitum, et primitivos illos Christianos hæc eadem pietatis officia obiisse sciebant. Accedebat commodum, quod ea ædicula cum attiguis domibus, in cura esset jam dicti Juliani Dathi, qui tunc ejus sacerdotii et parœciæ rector, atque apud Lateranensem basilicam presbyteris pœnitentiariis præfectus, magna vir auctoritate, et prudentia probitateque conspicuus in Urbe erat. Quocirca cum ejus hortatu optimi ii præsules statis diebus illo concederent, reviviscere paulatim cœpit pristinus pene intermortuus Christianorum calor: ab eoque postmodum sodalitio, circumquaque increbrescente fama, eamdem rituum morumque formam sumpsere alia, quæ plerisque Italiæ urbibus a Romano isto derivata, eidemque subdita, passim conflabantur.

Vicentinum S. Hieronymi, 11 In quorum numero Hieronymianum, quod Vicentiæ constitutum est, cum virorum, qui in illud adlecti præstantia, tum officiorum, quibus ii assidue vacabant, utilitate, dignum profecto fuit, in quod et Caietanus noster, Vicentinorum facile piissimus, adscisceretur. Igitur reversus Roma in eam civitatem, horum quoque Hieronymianorum sodalium numero adscribi petiit et impetravit. Inseram huc ipsissima verba e Diario Vicentinæ sodalitatis excerpta, ut quam alta ac solida ad virtutum ædificium fundamenta Caietanus præjecisset, lector agnoscat: F

cui etiam acenseri voluit, 12 « Exceptus in societatem Caietanus est perhumaniter anno sal. MDXIX. Is vero efficaci verbo, sedulo obsequio, beneficentia in pauperes, et insigni vitæ probitate præire cæteris, et sodalitati bonæ famæ odorem in dies parere. Multa ab eo Viro egregie patrata memorantur. Referre libet nonnulla. Primum sodales induxit, ut qui antea quater tantum in anno Eucharistiam sumebant, deinde duodecies minimum id facerent. Suo illo suavi alloquio cœpit paulatim corda sodalium commovere, atque igne caritatis accendere, idque præcipue inter communicandum. Sua enim ipse manu panem cœlestem dum sociis porrigeret, identidem alloquebatur, afficiebatque adeo, ut de frequenti Sacramentorum usu instaurando consilium ceperint; multique eorum qualibet hebdomada, multi festis etiam diebus, qui intra hebdoma-

A. ANT. CARACCIOLO. *ad insignem pietatem informavit;*

domadam inciderent, ac sextis insuper quibusque feriis sanctis Christi epulis alerentur.

13 Statuit deinde Caietanus societatem locupletare Romani Pontificis privilegiis, et piacularibus diplomatibus, quibus per Dei gratiam nunc fruimur. Ea ipse sua industria ac solertia non difficile obtinuit, utpote in Romana aula diu versatus, et rerum gerendarum apprime gnarus. Præcipue vero postquam nos insanabilium ægrotorum curam suscepimus, ejus opera impetratum ab Urbe est; ut S. Jacobi Augustano, uti vocant, nosocomio, quod aliorum per Italiam princeps est, Vicentinum istud uniretur, ab eoque veluti a capite dependeret. In hunc itaque modum firmata jam sodalitate atque nosocomio, cœpit is aggregare huc inopes, mendicosque complures, quibus quotidie suis ipse manibus ferebat opem, eosque ignitis plane verbis inducebat ad tolerantiam ærumnarum.

inde ex obedientia Venetias profectus.

14 Postremo is qui sodalitatem jam constituerat, legibusque muniverat, ipse idem se sponte sua subdidit Baptistæ Cremensis e Dominicano Ordine Religiosi viri nutui atque imperio. Hic divino, reor, instinctu in animum induxit suum, B Caietano præcipere, ut, relicto lare familiari, propinquis agnatisque omnibus, deserto item nosocomio, quod nuperrime fundaverat, abjectaque cura nostri sodalitii, quod tum rerum gestarum claritudine celebre esse incipiebat, Venetias concederet. Reputabat quidem secum Caietanus, tot sodales eosque feres omnes pauperie pressos, et vix suarum manuum labore, vel collectitia ad templi fores stipe vitam tolerantes, si ipse discederet, se pessime habituros: verumtamen fide nixus eximia, et obedientiæ atque obsequelæ virtutem cæteris omnibus anteponens, cum omni sua supellectili et domestico instrumento Venetias commigravit, ibique xenodochium, quod Novum appellant, egregie sane, qua erat prudentia, reformavit, vigetque ejus institutio ad hanc usque diem. In eamet urbe excitavit animos virorum feminarumque nobilium, atque plurimorum e plebe. Denique igniculi ab eo jacti ardent in dies magis magisque. Ea, opinor, opera piissime instituta caussæ exstiterunt placandi irati Venetæ urbi Numinis.»

C

ANNOTATA

a *Consuli possunt, quæ de Hugone seu Hugutione dicuntur apud Ciaconium in Vitis Pontificum ac Cardinalium tom. I col. 1159.*

b *Sedit ab anno Christi 1191 usque ad 1198.*

c *Præfuit ab anno 1198 usque ad 1216.*

d *Spondanus in Annalium Baronii Continuatione ad annum Christi 1202, Innocentii III quintum, Marcwaldi mores breviter describens,* Inter alia, *inquit,* quæ Innocentius Papa toto orbe diligenter et utiliter curavit, de Siciliæ regno sollicitus, quod (Marcwaldus senescallus imperii, qui in præcipua gratia cum Henrico imp. olim exstiterat, vir potens, ingeniosus et subdolus, sibi arte et armis subdere omni conatu, auxilioque etiam Saracenorum studens, pessumdare non cessabat, in gravissimum damnum Ecclesiæ, regni et Friderici pupilli, sæpe ideo excommunicatione perculsus, atque etiam aliquando armis repressus *etc. Et post paulo ad dictum annum agitur de ejus morte. Videri etiam potest Pandulphus Collenutius Historiæ Neapolitanæ lib. 4, ac Francisci Pagii Breviarium Pontificum Romanorum tom. III in Innocentio laudato, num.* XXII.

e *Romanam cathedram tenuit ab anno 1370 ad 1378.* D

f *Res ejus gestas describunt Collenutius paulò ante citatus lib. 5, Raynaldus Annal. eccles. tom. XVII, Spondanus tom. II Continuat. Annal. Baronii.*

g *Pleniorem de illo notitiam dabunt auctores continuo circa Carolum parentem ejus assignati.*

h *Raynaldus ad an. 1412, num. 6,* hoc anno Joannem Mariam Vicecomitem Mediolani ducem a civibus, ejus tyrannidis pertæsis, interemptum *refert* . . . principatum vero capessivisse Philippum Mariam fratrem, sumptoque de conjuratis supplicio, pristinæ amplitudini restituisse, auxisseque. *Porro de familia Vicecomitum consuli potest Corius in Historia Mediolanensi fol. 5. Imhovius in stemmatis Desideriani stirpe 10, tabula 31,* Johannes Maria Anglus, *inquit,* Dux Modiol. II. n. VII Septembris MCCCLXXXVIII, occ. XVI Maii MCDXII, improl . . . Philippus Maria Anglus Vicecom., Comes Papiæ, dein Dux Mediol. III, Dn. Genuæ, nat. XXIII, Sept. MCCCXCII ✠ XIII Augusti MCDXLVII.

i *Joanni, cognomento Tauro, superaddit alium Silosius Histor. Cler. Reg. lib. 1 pag. 4 his verbis:* E Floruit insuper ante annum fere ducentesimum Robertus, excelsi vir spiritus, compertæque satis apud plerosque Europæ principes virtutis.

k *Successit Carolo V imp. anno 1558; decessit 1564, quo ei suffectus Maximilianus II, ejus filius.*

l *Si anno 1560 Caietanus ille, uti mox hic dicitur, obierit; sequitur ex nota proxime data, ut Maximilianus ille vocetur hic* Augustus *per prolepsim.*

m Caieta, *vulgo Gaeta, urbs est regni Neapolitani in provincia Terræ Laboris, probe munita, ad radices collis in peninsula, cum duplici arce, et portu amplo in ora maris Tyrrheni. Hæc e Baudrando sufficiant. De Caietanis episcopis agit Ughellus Italiæ sacræ tom. I, ubi col. 578 et seqq. prolixiores de ista urbe præmittuntur notitiæ. Respectu autem Caietani, de quo hic, nostrum Sanctum suspicor vocari in Comm. prævio num. 84* Caietanum Thienæum II.

n *Electus est Fridericus III vel IV anno 1440.*

o *Friderico patri, anno 1493 mortuo, successit in imperio.* F

p *Imhovius in libro, qui inscribitur* Corpus historiæ genealogicæ Italiæ et Hispaniæ, *anno 1702 Norimbergæ edito, pag. 155 et seqq. exhibet Barbianæ familiæ inter Insubricas nobilissimæ, et Comitum de Cunio ex ea ortorum genealogiam.*

q *De Estensibus Sansovinus in libro de Origine ac factis familiarum illustrium Italiæ fol. 367 verso, pluribus te instruet.*

r *De hac familia Sansovinum mox citatum consule a fol. 221.*

f Mittimus, *inquit Silosius supra assignatus,* Ferdinandum, Adrianum, Simonem, Georgium, Octavium Thienæos; qua civili, qua militari prudentia laudatissimos.

t *Vide quæ de anno natali diximus in Commentario nostro prævio num. 3.*

u *Hæc confirmavimus in Commentario num. 6.*

x *Hæc pluribus exponit Comm. num. 7 et seqq.*

y *Sedit ab anno 1503 ad 1513.*

z *Confirmantur et amplificantur ea ibid. § 2.*

aa *Secundum dicta in Commentario num. 196.*

bb *Cœpit apostasiam anno 1517.*

cc *Ecclesiam gubernavit ab anno 1513 ad 1521.*

dd *Res*

A dd *Res ab eo præclare gestæ exstant apud Ciaconium Vit. Pontificum et Card. tom. III col. 578 et seqq.*

ee *Laudatur apud Ciaconium mox citatum a col. 640.*

ff *De eo Vide Commentarium prævium num. 53; Vitam, quam illustramus, num. 27; Ughellum in episcopis Veronensibus tom. V Italiæ sacræ col. 993, Silosium tom. I variis locis, in indice ad illum designatis.*

gg *Est is Opere suo de Vitis Sanctorum notissimus. De viro isto Ughellus modo citatus col. 1041, et tom. IV inter episcopos Bergomenses a col. 702.*

hh *De hac agit Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ Regione 8 pag. 596.*

ii *Militum utique veterum seu emeritorum ac infirmorum receptaculum, ex Pancirolio ibid. pag. 584. Videri etiam potest Panvinius de Septem Urbis ecclesiis, inter ea quæ habet de ecclesia S. Mariæ trans Tiberim, ubi de fonte olei ex dicta taberna exundante.*

B kk *Imperavit ab anno Christi 222 usque ad 235.*

ll *De Janiculo atque Vaticano colle disserit Baronius in Annal. eccl. ad an. 69, num. 16.*

CAPUT II.

Deus ob Caietanum Reip. Venetæ propitius; bona pauperibus distributa; molitio novi Ordinis; ejusdem socii.

Afflictissimæ Europæ calamitates Hæc in eo Commentario de Caietano leguntur. Et vero postrema ista verba attentius consideranda sunt; innuunt enim calamitosa illa tempora, quibus tota pene Europa exitiali bello misere afflicta fuit, tunc scilicet, cum capta Rhodo *a*, et Jerosolymitanis *b* militibus aut occisis, aut inde fugatis, in Cretam, Cyprum aliasque vicinas Venetorum provincias Turcicus furor C inhiare videbatur: cumque Italia Gallis, Hispanis, Germanisque invadentibus diu quassata direptaque, Venetorum nihilominus ditioni, fortunisque usque eo favit Deus, ut et Turca e Rhodo in Pannonios arma converterit, et aliis Italiæ Regulis extremo discrimine implicitis, Veneti soli inter tot diras Europæ clades non tantum incolumes tutique steterint; verum etiam oppida atque urbes, quas pridem amiserant, felicissime recuperarint.

16 *mitigat Deus, a Caietano placatus;* Quos tam prosperos eventus tametsi alii aut Columnæ, aut Liviani Ducum fortitudini industriæque attribuant, sanctius tamen atque verius jam dicti Diarii scriptor, piis operibus, atque assiduis precibus, quæ, Caietano auctore, per ea tempora Venetiis institutæ Deum placaverunt, adscribit. Adeo verum certumque est, non facile a barbaris hostibus posse eos lædi, qui intra suos fines habeant insignes aliquot divini cultores Numinis amicosque, quorum rogatu atque innocentia reliquis vel noxiis Rex ille cœlestis parcat. Alioquin Deo sceleribus violato atque infenso, valida vis copiarum, commeatuumque et humanæ potentiæ aut prudentiæ fulcra, quid tandem sunt nisi vani fastus nutriculæ, et certæ pignora calamitatis?

17 Sed Caietanus fundatis jam, aut firmatis Romæ, Vicentiæ, Veronæ, Venetiisque sodalitatibus sacris, ac xenodochiis, Romam rediit superioris seculi anno circiter XXI, versans animo, qua potissimum ratione illud reipsa præstaret, quod diu antea conceperat, et sodali suo Dominico Xanivellio probatæ pietatis viro fidenter Vicentiæ dixerat in hæc verba: Non desistam erogare in egenos quidquid habeo, donec pro Christo adeo pauper evadam, ut nec sepulturam mortuus nisi precario obtineam. Et vero suo ejusmodi voto abunde ille potitus est. Nam Romam, uti diximus, reversus postquam aliquandiu piis sese operibus, una cum Divini Amoris sodalibus exercuit, amplissimo in pauperes, propinquosque tenuiores distributo patrimonio, atque opulentis sacerdotiis, non, ut plerique faciunt, in suorum commodum; sed in Summi Pontificis manus libere dimissis, Clericorum Regularium factus parens et auctor, ad extremam, uti cupiebat, se redegit inopiam. Quod quemadmodum gestum sit, locus iste postulat, ut exponam. *A. Ant. Caracciolo. qui Romam redux, suis bonis in pauperes distributis,*

E 18 Caietanus, exerto quippe vir ingenio, et ad Dei gloriam procurandam exaugendamque semper intentus, sensim animadvertit illam morum atque animorum corruptelam, quæ Christianos populos longe lateque pervaserat, majus omnino esse malum, quam ut unius secularium Clericorum sodalitii, nec perpetuo duraturi ope aut industria posset sanari; et venenum quod tam alte radices fixerat, excutiendum non nisi perpetuo et præpotenti pharmaco videbatur. Accedebat, quod ii sexaginta viri, qui ad B. Dorotheæ societatem inierant, neque Romæ degere, neque dum Romæ essent, assidue salutaribus iis officiis, utpote suis quisque privatis rebus impliciti, incumbere poterant. *novum Ordinem*

19 Ipse itaque divino, uti par est credere, motus instinctu, in eam venit cogitationem, si primævum illud atque Apostolicum institutum sua ætate instauraretur, sacrorumque ac solemnium votorum nuncupatione perpetuo firmaretur, non ineptam eam fore reparandæ Christianæ reipublicæ rationem. Clericos quidem sacrorum ministros egregiam olim laboranti Ecclesiæ tulisse opem: sed, ut sunt res mortalium pronæ casibus, jam eos mole sua atque senio defetiscere. Excitari igitur oportere mortalium animos novo atque Apostolico spiritu, et Clericis, quos ingenti populorum exitio improbitas inscitiaque corrupisset, Clericos alios atque alios debere suffici, quorum opera, damnum quod illi per pravum exemplum Christiano orbi intulissent, sarciretur. Sciebat non secus olim venisse, cum alias sæpe, tum vero potissimum, quando Augustinus *c*, pastor ille eximius, Clericorum Ordine ad Apostolicam formam restituto, Africam Europamque pene universam hæresibus perpurgavit, et Ecclesiæ Catholicæ egregium ornamentum addidit. *meditatur; F c*

20 Ad hunc fere modum Caietanus ratiocinabatur. Neque ejus profecto votum elusit eventus: quippe nostra primum sodalitas, Italiam, intra quam hactenus consistere libuit, verbo atque exemplo excoluit; deinde vero post sexdecim annos, ea quæ a Jesu *d* fauste appellata est, et aliæ atque aliæ toto pene orbe diffusæ, brevi, cogitata in opus, spem in rem, propitio Numine deduxerunt. Caietanus igitur ea quæ secum aliquantisper, molitore Deo, agitaverat, cum Bonifacio a Colle, viro integerrimo amice communicat. Probat ille, et Sancto correptus Spiritu se tam præclaro facinori socium offert. Hanc rem non *rem probante, ac socium se ad eam offerente Bonifacio a Colle; idquod Carafa d*

multo

A. ANT. CARACCIOLO.

multo post olfecit Joannes Petrus Carafa, episcopus Theatinus, is videlicet, cujus jam *e* gesta retulimus, et qui diu cupiverat e mundi fluctibus in portum aliquem emergere; ubi primum percepit instituendi Ordinis rationem atque scopum, exarsit illico vehementi desiderio ineundi instituti, quod monasticæ simul et clericalis vitæ munera laudesque conjungeret.

obnixissime etiam orat.

21 Itaque ut nunquam fere non erat ad virtutum ardua capessenda optime animatus, Caietanum libere convenit, et majorem in modum ab eo petiit, ut se ejusdem voti compotem faceret: esse sibi si non meritum, certo studium par atque cæteris, et similem propemodum sacri sodalitii imaginem se concepisse animo, quam non fuerit ausus cuiquam patefacere: proinde sibi et amico et episcopo, et avide cupienti non esse saltem postremum in eo optimo facinore locum denegandum. Ille admiratus viri animos et nulli præclaro operi angusta pectora, gratias primum agere, quod tantus antistes pauperum Clericorum vitam adeo cupide vellet amplecti; deinde vero (ut Carafæ B impetum ardoremque reprimeret) excusare se multis modis, atque difficultates, quæ multæ et gravissimæ certe inerant, opponere; scilicet per sacros canones, quos Carafa ipse probe nosset, non licere episcopo, deserto suo et Christi grege, ad claustra secedere. Videret tempora fortium exemplorum valde indiga: proinde ne se intra muros absconderet, qui oppositus esset a Deo murus pro domo Israel adversus hujus temporis Philisthæos: pergeret potius cum aliis episcopis ductare Christianas acies; se vero aliosque privatos homines sineret sub signis contineri inter gregarios milites.

et tandem exorat.

22 His aliisque ejusmodi dum Carafam Caietanus dehortari nititur; ille, ut erat ingenio præfervidus, et recti consilii, quod semel apprehendisset, tenacissimus, nihilum his dimoveri difficultatibus, imo magis magisque inardescere. Denique multis verbi ultro citroque habitis, Carafæ ardor eo processit, ut fixis repente humi genibus, vultu subirato ac propemodum minaci protestatus fuerit Caietano, se in die judicii de sua anima ab eo rationem coram Christo judice repositurum *f*, C nisi protinus se e seculi turbis ad quietam Religiosæ vitæ stationem admitteret. Tum Caietanus obstupescens viri constantiam, facundiam, gravitatem, procubuit et ipse in genua, eumque complexus amantissime, Ego te, inquit, mi Domine, nunquam deseram.

Tribus hisce accedit Paulus Consiliarius.

23 Junctis itaque animis viribusque sedulo vestigant, quanam ratione mature cum Deo id quod proposuerant, perficerent: mutuisque cohortationibus sese invicem accendunt. Antequam autem ad rem aggrederentur, quartum adsciscunt socium, Paulum videlicet Consiliarium, fidum Carafæ amicum, et antiqua stirpe ac probitate conspicuum. His quatuor veluti basibus ædificium omne nostri Ordinis superstructum est: atque adeo has quatuor rosas inter medios humanorum pectorum hiemes, B. Dorothea *g*, ut Cæsareæ quondam, tunc Romæ iterum protulit. Cæteri, qui ad triginta octo fuisse referuntur, etsi ad primum novi instituti nuntium incaluerant, et se quisque socium ineundo Clericorum Ordini prompte obtulerant, difficultate tamen rei, et arctissimæ paupertatis voto, quod ii quatuor conceperant, perterrefacti refrixerunt.

D

ANNOTATA.

a *Hoc argumentum multis deducit Spondanus ad annum 1522, num. 14 et seqq.*

b *De Ordine Hospitalariorum S. Joannis Hierosolymitani, qui deinde Rhodii, ac denique equites Melitenses vocati sunt, plurima collegit Hippolytus Elyot in sua Historia tom. III, cap. 12.*

c *Acta S. Augustini illustrabuntur et expendentur die 28 hujus mensis.*

d *Quæ spectant ad Societatis Jesu institutionem, finem, media etc., invenies tom. VII mensis Julii, die 31 in Commentario prævio ad Acta S. Ignatii de Loyola § 30 et seqq.*

e *Hujus quippe gesta noster biographus edidit in eodem volumine ante Vitam* S. Caietani. *Porro de hoc atque aliis Ordinis Clericorum Regularium fundatoribus, de quibus proxime hic erit sermo, tractat Commentarius supra § 3.*

f Reposco *caret supino, ut Grammatici loquuntur, ac proin locus hic erat circumlocutioni per* fore *vel* futurum, ut reposceret. E

g *Acta ejus apud nos illustrata sunt ad diem 6 Februarii.*

CAPUT III.

Superatæ difficultates; professio Religiosa; primus Ordinis Præpositus, paupertas, nomen, incrementum.

Novi Ordinis molitio magnis difficultatibus agitata;

Igitur anno redempti Orbis MDXXIV, festo die Inventæ Crucis a quatuor jam dictis viris res cœpta est apud Clementem VII Pont. M. sedulo agitari. Magnis primum difficultatibus impediebatur, plerisque Romanæ aulæ proceribus novum id fore pronuntiantibus, Clericos a monachis, habitu, nuncupatione, nonnullo etiam instituto distinctos, adinstar nihilominus monachorum, septis claustri rigide contineri, et solemnibus Christo nuncupatis votis obligatam vitam ducere. Præterea, F non videri, posse eos sese tolerare, nisi aut stipem emendicato quærerent, quod ferme inusitatum Clericis, aut certos census proventusque sibi compararent, quod nullo modo sibi Patres persuaderi patiebantur. Apostolicam vero illam rationem vivendi ex ultroneis oblationibus, haud prospere his temporibus successuram, in queis virtutum cultus et charitas potissimum in egenos, adeo refrixisse cernitur, unoquoque propemodum quæ sua sunt quærente, non quæ Jesu Christi.

quas Caietanus cum suis

25 Neque etiam facile impetratu fuit a Summo Pontifice, ut Carafæ liceret, relicto episcopali munere, ad privatam vitam emigrare. Noverat enim Pontifex, quantum præsidii in eo viro reperire posset respub. Christiana, iis maxime temporibus, quibus præstantes virtute, consilio, pietate homines operæ pretium esset ad gubernacula adhibere, non autem in claustra aut in solitudines ablegare. His itaque res implicata nodis vix unquam fuisset expedita, nisi Caietanus in primis, et socii etiam alii strenue respondissent, nihil se, nihil posteros, modo Christo fiderent, Deique regnum sedulo quærerent, de victu cultuque corporis unquam fore sollicitos: illud unum agerent: cætera Christo sponsore adjicienda, neuti-

A neutiquam se ambigere : Apostolos, primosque Evangelii sectatores longe infestius pietati, ac caritati seculum incurrisse, neminem tamen eorum aut fame aut algore consumptum, nisi siquando persecutorum rabies iisce modis divites simul et inopes cruciavit.

diluere conatur:

26 Census proventusque perpetuos quod plerique alii Ordines retineant, se quidem nequaquam improbare ; at inficiari non posse, illud esse perfectius institutum, quod Evangelicam paupertatem impensius servat. Divitias sæpe esse seminarium litium, et perniciem libertatis. Itaque rogare se Purpuratos Patres Sanctissimumque Pontificem, ut faveret instaurationi Clericalis instituti, quod Apostoli dedicassent, virique Apostolici longa serie suo exemplo firmassent. De Theatino episcopo, sperare se non minus illum reipub. Christianæ fore utilem Clericorum Ordinis parentem, quam [si] Theatinæ ecclesiæ præsul exstitisset. Neque illum tuendæ Christianæ causæ sese reddere ineptum, quod Religiosum iniret institutum; sed ipsummet, qui antea in acie dimicaverat primipilus, postmodum veluti de sacra quadam turri, B memorando posteris exemplo, una cum sociis, propugnaturum.

ac res, maxime eam promovente Giberto ep. Veron., confecta est. *a*

27 His aliisque rationibus ea, quæ objecta fuerant, diluebant Patres : quibus magnum profecto robur addidit Matthæus Gibertus *a*, celeberrimus ille Veronæ episcopus, qui quod apud Clementem gratia, apud Cardinales plurimum auctoritate valebat, nostros magnopere juvit. Et quidem eo diligentius incubuit Gibertus expediendæ rei, quod percuperet se iis aggregare, adeoque ea ratione ex aulæ se subducere strepitu, atque turbinibus. Verum sui is laboris fructu votoque potiri non potuit. Abnuerunt enim Patres tantum præsulem sibi socium adjungere, quocum pontificiæ rectionis curas Clementem partiri probe nossent : atque adeo nunquam illum permissurum, ut se destituto rebusque publicis, ad alia se conferret vel optima studia : ex episcoporum numero satis sibi fore Carafam, cujus auctoritate, consilio, ope juvaretur. Itaque cum Inventæ Crucis festo die res agitari cœpta esset, in Crucis itidem Exaltatæ solemni luce fauste confecta est; ut proinde non immerito Crucis insigne nobis C assumpsisse videamur.

Vota Religiosa Patrum; *b* *c*

28 Erit autem fortassis pretium operæ, si quo modo quatuor ii viri ad B. Petri in Vaticano colle Deo sese votis *b* obstrinxerint, breviter hoc loco narravero *c*. Clemens VII, cujus jam sæpe meminimus, e Medicea stirpe Pont. Max., ut renascentem Clericorum Regularium Ordinem Apostolica protectione foveret, et sibi, hoc est, Christi Vicario proxime subjiceret, jussit Joanni Baptistæ Bonzianio *d*, Casertæ *e* episcopo, et Apostolico Datario *f*, ut Pontificio nomine jam dictorum quatuor virorum solemnia vota exciperet, atque Apostolica auctoritate roboraret. Accesserunt itaque eo festo die nostri Patres, una cum Bonzianio ad ædem augustissimam Vaticanam, universo Clero, ac maxima omnium ordinum multitudine prosequente; et celebrato a Casertano episcopo ad altare Sancti Andreæ solemni Sacrificio, ac cœlesti pane professuris Patribus rite porrecto, aram Sancti Petri, quæ ejus templi est primaria ac sacratissima, bini adeunt : ibique Clementis VII diplomate *g* per notarium clara voce recitato, primus Joannes Petrus, tum Caietanus, deinde alii duo solemnia Religionis vota summo Numini devotissime nuncuparunt : quorum formulas *h* singulis autographis descriptas Bonzianius summi Pontificis nomine recepit, probavitque.

A. ANT. CARACCIOLO.

primus eorum Præpositus Carafa,

29 Post hæc, quoniam jam dicto diplomate concedebatur nostris, ut Præpositum sibi, quem vellent, eligerent, idcirco secedentes ii quatuor viri parumper ab adstantium cœtu, cum de ea re inter se aliquantisper deliberassent, in Joannem Petrum cunctorum suffragia convenerunt. Ipsum igitur jam designatum electumque primum Clericorum Regularium Præpositum, Casertanus episcopus, qua pollebat potestate roboravit atque firmavit. His rebus ingenti ipsorum religione et adstantium plausu lætitiaque peractis, abeunt Patres in pauperem domunculam, quam Bonifacius Via Leonina ad Campum Martium possederat. Eam inhabitarunt nostri ferme biennium in summa omnium egestate, illud scilicet Apostolicum institutum religiose servantes, ut nullos census possiderent, nihil a quoquam peterent; si quid ultro deferretur, id solum cum gratiarum actione reciperent.

arctissima paupertas, quam alii improbant, alii laudant.

30 Placuit Patribus, et Caietano in primis paupertatis amantissimo, eo modo vitam instituere, ac facto potius exemploque, quam lege aut præcepto præire posteris, maxime cum probe scirent, E Christum Dominum ejusque Apostolos, hoc est primævæ Ecclesiæ Clericos, eadem et ipsos ratione vixisse. Tuti igitur tanto exemplo Patres, vitam ejusmodi nulla adacti præceptione, sed pro libitu ineunt, eo magis admirandam, quo rarior per id tempus virtus vel in Clericis visebatur. Porro, ut ipsa virtutis initia nunquam propemodum adversario carent, detrahere nostris multi, et invidiosissime obtrectare, veluti novo hominum generi, et e Clericis monachisque permixto. Alii tamen, quibus probitas, et religio grata atque amata, quod probe ipsi et cum virtute viverent, suspicere eos, et magnis laudibus *i* exornare. *i* Denique ut de priscis illis sacerdotibus vel ab Ethnico scripum est, Tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, et supercilia humum spectantia, perpetuo Numini, verisque ejus cultoribus, ut puros eos commendabant et verecundos. Inde usus manavit in vulgum, quemque castigatius severiusque viventem non aliter appellandi, quam Theatinum. F

Theatini secundum nominis etymon, contemplationi dediti, simul tamen actuosi *k*

31 Et sane quanquam a nostris ea agnominatio nunquam aut raro usurpata est, placet nihilominus vocabuli vel a vulgo impositi decora significatio, quæ a spectando sive contemplando *k* utcunque deducitur. Tametsi, ut verum fatear, non adeo contemplationi rerum cœlestium vel tunc dediti nostri, ut actuosæ vitæ opera, præcipue ea, quæ dicuntur spiritalia, negligerent. Rari quidem egressus, sed siquando aut habenda concio, aut ægrotus quispiam invisendus cohortandusque ad patientiam cæterasve virtutes foret, vidisses nostros prompte excurrere, ut igniculos divini amoris in proximos spargerent, æmuli scilicet Angelorum, quibus mos est ita se ad homines profundere, ut Deum interim amare non desistant. Postea vero, anno scilicet ejus seculi XXVI e jam dicta domo Martiana, ad aliam sub monte Pincio sitam, et monasterio B. Mariæ a Populo attiguam migrarunt Patres. Istam, ut Onuphrius ait, neque amœnitate commodam incoluerunt usque ad anni XXVII Junium mensem, quando scilicet, uti mox dicemus, clade Borbonica dirius divexati, Urbe excedere coacti sunt.

in procuranda salute animarum.

32 Interim ab rerum humanarum cura semoti, ad spiritualem cœlestemque vitam sese aliosque, quos poterant, instituerunt. Et licet procul a conspectu hominum, nempe ad Urbis mœnia seces-

A. ANT. CARACCIOLO.

secessissent, ægrotis nihilominus in nosocomio, uti pridem cœperant, assidue inservire; iis aliisque labes suas fatentibus aurem præbere; agentibus animam, ad ultimum usque spiritum adsidere; languentes egenosque, verbo, re, qua poterant, sublevare; Sacramentorum usum, qui insolens ea ætate erat, modis omnibus instaurare studebant. Porro ut ejusmodi salutaria officia præstare possent commode, auxit illorum numerum Deus: quippe nonnulli alii et eorum exemplo, et Numinis instinctu agitati, iis aggregati sunt.

Ordo auctus sociis octo; l

33 In his, Bernardinus Schottus *l* Sabinus, Hieronymus Consiliarius, et Andreas Versus Romani; Jacobus Yvannius Hispanus, Thomas Guerrerius Siculus, Marcus Pasqualinus Venetus, Matthæus Seravallensis, et Petrus Laicus Perusius, duodecimum numerum compleverunt: quorum octo postremorum Indices Diariaque nostra vix nomina nuda significant, severo nimirum veterum more, ut plurimum facerent, minimum de se loquerentur aut scriberent. Sed ea certe severitate silentii male posteris consultum est, orbatis B videlicet domestica exemplorum luce, et efficaci incitamento virtutum. Scimus quidem universe Joannem Petrum Carafam, tunc juvenem et Apostolicum Protonotarium, una cum Hectore Vernacia, B. Baptistæ Genuensis genitore, fundasse *m* Romæ nosocomium insanabilium, atque inservisse Patres nostros, et Caietanum maxime, frequenter ægrotis: quidnam vero egregii in eo præstiterint, aut quandiu rebus iis studuerint, id vero clam nobis est.

quorum gesta se latere, conqueritur hujus Vita auctor.

34 Accepimus item eos non raro habuisse sermonem ad populum, Carafam præcipue et Thienæum, quibus promptior inerat dicendi facultas, atque cum instante Borbonica irruptione, tum capta jam Urbe, cunctos ad constantiam tolerantiamque fuisse cohortatos. Hæc tamen aliaque ejusmodi de plurimis, quæ ii fecerint, perpauca, non tam e nostrorum, quam ex alienorum potius scriptis aut traditione, fortuito atque jejune notata desumpsimus. Secesserant igitur Patres, ut jam diximus ad Pincianam domum, ibique sacram ædiculam pro opibus instruxerant. Puto, nisi me conjectura fallit, exstitisse *n* prope veterem C illam S. Felicis ædem in eo colle sitam, ubi S. Gregorius Magnus tertiam decimam homiliam ad populum habuisse legitur. Ibi itaque nostri modum cum ad alios instituendos juvandosque prodeundi, tum, ut semetipsos spiritalibus documentis imbuerent, domum secedendi, facilius liberiusque servabant.

ANNOTATA.

a *Videri possunt de eo Annotata ad cap. 1 lit. ff.*

b *Quomodo se ad illa accinxerint rerum temporalium abdicatione, refert Commentarius num. 38.*

c *Publicum rei hujus gestæ instrumentum dat Commentarius num. 39.*

d *Plura de eo dabit Ughellus tom. VI Italiæ sacræ a col. 661.*

e *Civitas est Campaniæ Felicis in Tifatis montibus, vulgo Capuanis collocata, de qua Ughellus tomo mox citato col. 607.*

f Datarius Papæ, officium magnæ æstimationis, estque prælatitium, et aliquando Cardinalitium. Sic appellatur a DATA, et signatione supplicationum expediendarum, atque ædes DATARIA dicitur. Antiquitus hoc officium ad archidiaconum de D jure spectabat. De officiis archidiac. cap. VII, *prout dicitur in Hierolexico Macrorum.*

g *Diploma illud protulimus in Commentario a num. 40.*

h *Formulas habes ibid. num. 43.*

i *Ordinis notitiam ac laudes videsis ibid. a num. 45.*

k *Est quippe* θεάομαι *specto, video. At de nomine PP. Theatinorum plura sunt præmissa in Commentario num. 45.*

l *Egregia viri gesta ac dotes intexuit Historiæ suæ Silosius tom. I variis locis. Laudatur etiam apud Ciaconium in Vitis Pontificum et Cardinalium tom. III a col. 846, et apud Ughellum inter episcopos Placentinos tom. II Italiæ sacræ col. 291.*

m *Ab utroque xenodochium fuisse fundatum, sed Vernaciæ opera postea absolutum, affirmat Silosius lib. 1, pag. 25.*

n *Quo potissimum loco exstiterint ædes illæ, postquam e Caracciolo retulisset Silosius lib. 3 pag. 75, alium designat situm accuratius exploratum,* E *qui apud ipsum videri potest.*

CAPUT IV.

Caietanus, ac socii ejus crudeliter Romæ excruciati, ac miro modo liberati.

Roma dum capitur,

Dum autem his studiis in summa tranquillitate incumbunt (ut est omnis vita mortalium ad miserias ærumnasque proclivis!) ecce reginam urbium et Sacratissimam Petri Sedem Cæsareus exercitus, ductore Borbonio *a*, nefarie capit atque diripit. Erant in iis copiis pleræque acies Germanorum, qui nativam ferociam hæretica immanitate cumulaverant. Reliquæ ex Hispanis Italisque conflatæ, ecclesiastico auro, (quod Tholosanum *b* iis certe exstitit) jam dudum sceleratissime inhiabant. Igitur in Urbem pari furore irrumpentes *c*, impietatis et libidinis execrandam rabiem exsaturare cœperunt. Emersisse ab inferis F Arianorum atrocitas videbatur, ejus temporis scilicet, cum (ut Lirinensis ait) temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati Levitæ, oppleta Sanctis ergastula atque carceres.

ac crudelissime expilatur; Patres omnium sunt egeni; d

36 Eadem enim in sancta Urbe scelera, strages atque funera passim edebantur: et quod extremum impietatis est, neque ipsi (proh nefas!) sacerdotum Principi, et Vicario Christi *d* pepercerunt. In tanta autem rerum acerbitate, nostri, qui jam ad duodecim creverant, posteaquam veluti ad publicum restinguendum incendium cum propriæ etiam vitæ periculo accurrentes, se parum proficere perspexerunt, in Pincianam domunculam se ea fini includunt, ut assiduis precibus lacrymisque vel Romæ irata placarent Numina, vel sibi saltem ipsis Lutherianum gladium propediem exspectantibus martyrii lauream obtinerent. Interea vero vitam martyrio propiorem degere; nam improvisa clade intercepti, nulloque commeatu instructi, ægerrime vitam ducebant; pressis videlicet infanda calamitate, aut fugatis Urbe amicis beneficisque omnibus: traduntque contigisse non semel, ut unicum cibarium panem inter duode-

cim

A cim sodales partiri oportuerit.

Caietanus insuper 37 Sæpe quidem in eam domum irruptum est a barbaris: sed unica Patres armati paupertie, semper hostes prædonesque impavide repulerunt. Bis tantum in eos ii, qui avaritiam non poterant, sævitiam exercuere; semel Hispani; Germani iterum. De Hispanis postea dicemus. Inter Germanos autem erat miles quidam, quem Caietanus, cum dives esset, hoc est, antequam pro Christo se mundo atque opibus abdicasset, inter gregarios famulos diu habuerat. Is vero, ut e domo Thienæa, atque urbe Vicentia discessit, militiæ se dedens, ad suos Germanos Lutheriana hæresi infectos reversus est: indeque Georgium Franispergium *e*, impiissimum illud hominis monstrum, sectatus, in Italiam, atque adeo Romam venit.

a famulo quondam suo, 38 Dum Romæ igitur esset, quantum tum urbem cæde, direptione, vastitate Borbonicus exercitus magis magisque perditum ibat, olfecit nefarius miles, Caietanum Thienæum, herum quondam suum locupletem, ad montem Pincium delitescere; ratusque habere eum secum nummos atque opes suas pristinas, spe prædæ illectus, eo una B cum aliquot impiis grassatoribus convolavit. Non fuit opus perfringere januam aut domum diruere, indeque protrahere abditos: patuit illico humilis ea casa prædonibus, et nostri ultro processere, non divite ornati infula, sed habitu, uti decebat pauperiem ex voto professos. Obstupuerunt barbari Saxones primo adspectu: mox latibula opum suspicati, extorquere aurum vi tormentorum parant. Caietanum igitur, cujus imaginarias opes jam animo devoraverant, semotis reviuctisque sodalibus cæteris, adoriuntur; ex eoque primum quærunt, quo retruserit suas opes.

aliisque dire excarnificatur, 39 Instabat reliquis molestior is, qui Caietano olim fuerat famulatus, et moræ impatiens, injecta in mitissimum Senem impia manu, nisi revelet aurum, sæva supplicia comminatur. Is lenissimis verbis extemplo quod verum erat prodidit; fuisse quondam se, ut vulgo dicunt, divitem: sed quartum jam annum agi, quod mutato vitæ instituto, abjectisque fortunis omnibus, religiosam inopiam pro Christo amplecti maluerit, quam incerto divitiarum stulte niti. Ad hæc illi frementes, fu- C rentesque, et prædam sibi præreptam indignantes, diris et infandis illigatum modis Caietanum insontem varie torquent, compressis scilicet artubus inter arcarum labra, totoque corpore funibus in altum sublato *f*. Truci ejusmodi supplicio quid præterea carnificinæ adjecerint, nusquam ego legi; sed animo comprehendere, ex parte saltem, unusquisque poterit.

ac summis 40 Legi autem (quod porro ad Caietani nostri laudem facit egregie) B. Augustinum in hanc rem gravissime docentem: (juvat ipsa ejus verba hic ponere) « Eos, qui olim in irruptione Gothica sub Alarico rege etiam non habentes quod prodererent, dum habere credebantur, torti sunt, profecto inter illa tormenta paupertatem sanctam confitentes, Christum fuisse confessos. Quapropter etsi non meruerunt ab hostibus cædi, non potuisse tamen sanctæ paupertatis confessores fine cœlesti mercede torqueri. » In quem Augustini locum insignis ille theologus Franciscus Mayronius scribens, mirifice laudat eos, qui pro Christo pauperes facti, sanctam paupertatem libere fassi, strenue pro ea tormenta sustinuerint, asseritque martyres dici posse, si pauperiem profitendo, mortem subierint. Et merito quidem has excruciata paupertas laudes habet: simili quippe nomine *g h* Titum diaconum *g*, Elphegum episcopum *h*, Deusdedit *i*, et Suranum abbatem *k* in Sanctorum Fastis celebratos lego. Huic vero rei firmandæ possem et alia adducere, nisi meminissem non disputationes me nunc texere, sed brevem Historiam.

A. ANT. CARACCIOLO. *i k*

idcirco laudibus extollitur. 41 Interim autem arbitror, nequaquam ambigi posse, ista ad Caietanum nostrum utcunque pertinere, qui non ut innumera hominum mendicabula, extrema adactus necessitate, sed promptissima voluntate inops fuit: ac proinde sanctam paupertatem inter sæva etiam tormenta professus est. Ideo enim illum impii prædones rabie adacti excruciarunt, quod sua bona pro Christo prodegisset, sanctamque inopiam libere atque hilare fateretur. In iis Vir ille tormentis certe non obiit, nihilominus tamen in eum jam dicta verba Augustini probe quadrare existimo, Non potuisse sanctæ paupertatis Confessorem sine cœlesti mercede torqueri. His itaque Caietanus noster perfunctus ærumnis suppliciisque teterrimis, gratias egit, ut S. Marcella quondam egisse legitur, quod pauperem se non fecisset captivitas; sed invenisset, quod et voce et opere loqueretur, Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redeam.

E

Aliæ vexationes, ludibria, vincula et carceres 42 Sed non hic fuit ærumnarum finis. Quippe post aliquot dies etiam ab Hispanis illuc usque irrumpentibus Patres nostri capti, vexati, ludibrio habiti, vincti, abreptique in diversos fuere carceres. Insignis autem exstitit oris vultusque habitus, atque ad martyrium apparatio, qua viri illi prædones teterrimos excepere. Ad sacram ædiculam omnes una descendunt, eamque pro temporis opumque angustia diligenter exornant: lampades omnes accendunt tanquam festivissimum diem celebraturi ante aram maximam ad ornandum præsens Numen, figunt humi genua, et vultu ad pietatem composito, atque inflexa cervice (ut victimas crederes) prædonum impetum præstolantur. Mirum dictu! Vidisses eos inter pericula extremi exitii, clamoresque ac gemitus, qui ex immani cæde undique personabant, corpore immotos, animo impavidos, unam spirantes sperantesque cœlorum beatam sedem, humana hæc interim, bona, mala, quasi origini suæ, id est Deo proximos, despicientes. Porro spectaculum istud adeo præclarum si non amorem aut reverentiam, certe admirationem aliquam a nefariis illis militibus elicuit. Quippe ubi irrupere in ædiculam, nemo F ipsorum ausus est sacras eas victimas, tametsi neci ultro expositas, neci dare. Sed posteaquam aliquantisper attoniti substiterunt, ab uno ex eis præciso fune, quo lampades dependebant, lychni pensiles in subjectorum capita deciderunt: ab altero autem, jacto in pronam Bonifacii cervicem lato gladio (quem ille ictum intrepidus excepit) per summum ludibrium divexati fuere.

summa cum virtute tolerata: 43 Ast ubi viderunt impii sacrorum derisores nihil eos, qui mori pro Christo cupiebant, ejusmodi terricula expavescere, comprehensos vinctosque et fœdis convitiis oneratos in diversas custodias rapiunt. Primum enim ad B. Jacobi, cui attiguas ædes Hispanicarum acierum primores occupaverant, dein vero ad Vaticani palatii angusta quædam cubicula supra horologium sita pertrahunt, diutino et tetriore carcere macerandos. Iis locis dum hostiliter haberentur, mire eluxit, veluti noctu stellæ, excelsa nostrorum virtus et constantia. Nam et Bonifacii tolerantia, et Carafæ magnanimitas atque incredibilis zelus, et omnium simul non victa adversitatibus pietas inflexit tandem immanem militum feritatem ad mitiora consilia. Caietanus autem licet longe minore quam

Carafa

A. ANT. CARACCIOLO.

Carafa esset apud Hispanos auctoritate, non desistebat tamen in loco eos admonere, arguere, inque eorum animis religionis igniculos, sceleribus pene jam obrutos, excitare. At nihil aliud consecuti sunt ipse, Carafa, cæteri, nisi ut, quos libere increpantes sustinere non poterant, [in] interiorem custodiam a se longius abegerint.

a quibus tandem

44 Igitur e Jacobæis ædibus extractos, in Vaticanum carcerem amandarunt; arbitror, ut tandiu squalore, fameque vexarent, donec ab episcopo, cæterisque nummorum aliquid exsculperent. Ii tamen nihil prorsus, nisi sacrarum precum Breviarium habebant. Sed, faciente Deo, res bene utcunque vertit. Nam quod divitibus pecunia conferre solet, id pauperibus Clericis unicum, quod jam dixi, Breviarium egregie contulit. Res hoc modo gesta est. Invitaverat aliquando centurio ille, qui nostros conclusos carcere tenebat, tribunum militum Hispanorum (ut mutuo muli scabunt) ad lautum convivium, quod in Vaticano supra horologium apparaverat. Accedit itaque invitatus ad condictam B diem atque horam. Et dum mensa instruitur, ecce audire sibi videtur e proximo cubiculo (id clausum, quia carcer, erat) susurrum quemdam mutuo psallentium hominum, et divinum Numen exorantium. Tum ad hospitem conversus quærit, quinam hominum illi sint. Hospes, spernentis in modum, Sunt Clerici, inquit, aliquot, pars nostræ prædæ.

Caietanus cum suis

45 Rogat tribunus, ut se cernere eos faciat. Ille morem gessit; et, reserato carceris ostio, videt iste matura ætate ac moribus viros adeo composite et graviter preces Deo solventes, ut Sanctorum cœtum sibi aspicere videretur. Et revera Paulum, opinor, atque Sylam referebant, itidem in custodia Philippensi laudibus Deum celebrantes. Hoc adeo præclaro spectaculo commotus tribunus, indignatusque homines eximie probos in tanta mala projectos, petiit enixe a centurione, ne eos diutius detineat: videri sibi prorsus innoxios, qui religiosos ritus, pietatemque divini cultus etiam in carcere tuerentur. Cum autem centurio obstinatior rem in tempus aliud differret, multis ultro citroque habitis super ea re verbis, Ego, inquit tribunus, nihil profecto apud te cibi C sumam, nisi hos extemplo liberos, quo volunt, abire sinas. Tandem igitur centurio, partim ne subrusticæ asperitatis notaretur, partim quod nulla spe lucri pauperes Christi servos vinctos ibi haberet, reseratis foribus, educit atque dimittit.

miro modo liberatur.

46 Patres gratiis centurioni, et tribuno in primis actis, e Vaticano ad Tyberinam ripam recta abeunt. Hæc omnia Bernardino nostro Schotto, qui post Cardinalis fuit, palam narrante, comperta sunt *l*; atque pauca isthæc solummodo e multis, quæ ipse cum aliis in ea clade passus referre solebat, nunc posteri memorant; cætera, utpote nequaquam scripto tradita, perierunt. Interim tamen ex his vel paucissimis, quæ sciuntur, id ipsum de nostris his fortissimis Patribus dici posse arbitror, quod de sanctis Christi Confessoribus Vincentius Lirinensis scripsit. « Eos a defensione fidei Majorum nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non homines, non dæmones. » VIII itaque Kal. Junii ereptos extremo periculo duodecim illos viros, per medias Urbis flammas, mediosque armatos hostes Deus ipse quasi nube tectos ad Ostia Tyberina perduxit incolumes.

D

ANNOTATA.

a *Spondanus ad annum 1527, quo luctuosissima ista tragœdia accidit,* Quinto Maii, *inquit,* Borbonius in pratis prope Urbem metatus cum exercitu, ut plerique habent, quadraginta millium ex Germanis, Hispanis et Italis (quem tamen numerum alii multum imminuunt) militari insolentia præconem misit, qui iter per ipsam Urbem, ut cum exercitu in regnum Neapolitanum iret, sibi concedi postularet. Et sequenti die in ipsa aurora, eo animo, ut aut victoria potiretur, aut mortem oppeteret, exercitu suburbio Vaticano, qua mons et templum Sancti Spiritus situm est, admoto, in primam aciem sese conjiciens, pugnam primus inchoavit, atque illico sclopeti glande percussus, mortuus concidit. *Ita Spondanus e Guicciardino; quibus de causis merito id passus sit, ostendens. De cujus item flagitiis agit Silosius lib. 3, pag. 79.*

b Aurum Tholosanum, *vetus est proverbium,* quod ita dictum accepimus, *inquit Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 3, cap 9;* Quum oppi- E dum Tholosanum in terra Gallia Q. Cæpio consul diripuisset, multumque auri in ejus oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. *Adagium itaque hoc dicitur* in eum, qui magnis ac fatalibus afficitur malis, novoque ac miserando exitio perit, *teste Paulo Manutio in Adagiorum collectione, Ursellis anno 1603 edita, pag. 433; ubi plura inveniet curiosus lector.*

c *Irrumpentium in Urbem militum barbaries describitur a Spondano ad annum supra citatum, num. 4.*

d *Clementi videlicet VII; de cujus probrosa captivitate videri potest Spondanus ad eumdem annum num. 6.*

e Ejus nempe Ducis, cujus ingenium ac mentem Lutherianam vel hinc liceat conjectari; quod cum alii alio arma ac spes suas nefaria in ea expeditione destinarent, aurato ipse laqueo, quem sinu gestabat ostentabatque jactabundus suis persæpe copiis, jugulum Romani Pontificis designabat. Quod F teterrimi viri votum, superbosque in sacrorum Principem conatus is exitus excepit, ut antequam ad sacram Urbem appelleret, repentina paralysi correptus, ac remensus in Germaniam iter, vitam consceleratam morte haud dispari clauserit, *affirmante Silosio lib. 3 pag. 82. Consuli etiam potest Vita anonyma* S. Caietani *Venetiis Italice edita anno 1655, lib. 2 § 13.*

f Ea *videlicet* corporis parte, qua pudor pœnam conduplicabat, *teste Silosio pag. 83.*

g *Martyrologium Romanum die 16 Augusti sic annuntiat:* Romæ S. Titi diaconi, qui Urbe a Gothis occupata, pecunias pauperibus distribuens, a tribuno barbaro jussus est occidi. *Apud Baronium in Annal. eccl. sub finem anni 426,* inter sanctos adscriptus *dicitur* Martyres. *At de eo agendum nobis erit dicto die.*

h *S. Elphegum archiep. Cantuariensem ac martyrem egimus die 19 Aprilis, tom. II istius mensis, ubi pag. 630 inter alia, quæ ex Gervasio in Actis Pontificum Cantuariensium proferuntur, sunt ista:* Dixit Lanfrancus, quod Angli quosdam sibi instituissent Sanctos, inter quos et quemdam Elphegum archiepiscopum, quem Dani occiderunt, eo quod pro redemptione sua homines suos nollet spoliare. *Cui* cum probabili ratione monstrasset Anselmus, Elphegum, pro justitia passum,

A passum, verum Dei martyrem esse etc. *Vide Baronium ad dictum diem in notis, et S. Elphegi Vitam cap. 6 tom. citato pag. 638.*

i *S. Deusdedit exstat in Martyrol. Rom. die 9 Octobr.*

k *Vide, quæ de illo tanquam martyre dicta sunt ad diem 24 Januarii pag. 606; ubi de ejus cæde post aurum, quod Longobardi ab illo petierant, et non impetrarant.*

l *Superiora confirmantur ex dictis in Commentario prævio § 5.*

CAPUT V.

Sancti præpositura Venetiis, divina ibidem providentia, ablegatio Caietani Neapolim.

Venetias perducti Patres, Caietanum eligunt Præpositum:

Inde, ductore Augustino Amulio, inclytæ Venetiæ amantissime suscepere, uti Magius in narratiuncula de Vita Carafæ superius retulit; eam quippe hic longius repetere non est opus. Venetiis autem antequam firme domicilium nostri figerent, primo in æde S. Euphemiæ *a*, mox ad B. Gregorii paulisper substitere. Hic vero die Exaltatæ Crucis ejusdem anni MDXXVII coactus grex parvus sibi pastorem Caietanum elegit *b*, dignum utique Theatini episcopi successorem. Et strenue quidem se gessit in eo munere Caietanus, partesque omnes boni præsulis explevit. Nam industria, labore, constantia præire cunctis: suavitate morum, modestia, misericordia nulli non obsequi: contigitque, quod est rarissimum, ut illi nec facilitas auctoritatem, nec severitas amorem diminuerit. Denique spectatissima Viri exempla magnam certe vim habuere ad omne virtutum genus suorum animis instillandum *c*.

divina erga eos providentia.

48 Accidit autem, dum essent Venetiis, pestilitas illa *d*, et quæ perpetua ejus est comes sive subsequa, fames, ex incredibili annonæ exorta caritate, quæ anno XXVIII supra sesquimillesimum Italiam atque Europam pene universam depopulata est. Ea tempestate plurima nostrorum Patrum, et Caietani in primis benignitas in pauperes, qui Venetias miselli et palabundi turmatim confugerant, enituit *e*. Miram nostri vicissim Dei C providentiam, et nullo mundi æstu arescentem caritatis fontem sunt experti. Quippe quod urbe Roma extrusos Venetias petere oportuit, adversitas visa est, sed beneficium fuit. Venetiæ enim eo anno longe minus quam reliquæ Italiæ urbes annonæ caritatem famemque senserunt. Nostri itaque, qui nihil a quoquam petendo, nihil ipsi certorum censuum habendo victitare decreverant, et magna profecto, si Romæ perstitissent, premendi rerum inopia fuerant, iidem, moderante rem Numine, Venetias, hoc est in tutam ab his calamitatibus civitatem, destinantur, ut summo Parenti deinceps libere fiderent, et sollicitudinem omnem (uti princeps nostri Ordinis Petrus monet) in Deum projicerent; quoniam ipsi cura est de nobis.

Inde Caietanus cum socio Neapolim ablegatur:

49 Mansit vero Venetiis Caietanus quinque propemodum annos, qui quod nobis argumento vacuis *f* excurrant, non Caietani remissa virtus, quæ nunquam non acerrima fuit, sed nostratium taciturnitas, qui diligentius vivere, quam scribere maluerunt, in culpa est. Anno autem MDXXXII ab Episcopo Theatino, qui tum ædi S. Nicolai *g* Præpositus erat, Caietanus, et Joannes Marinonius *h* Neapolim ablegantur. Persæpe quidem et diu petierant a Carafa Neapolitani proceres, ut Neapolim, hoc est, in patriam suam ipse reverteretur, ibique, uti Venetiis fecerat, Clericorum Regularium Ordini a se recens fundato domicilium figeret. Sed Carafa, vel quod a patria libenter abesset; vel quod Campaniæ regionem, et Neapolim ipsam Lautrechi *i* obsidione, et insequentibus ærumnis misere afflictam sciret, ejusmodi petitioni ægre assentiebatur.

A. Ant. Caracciolo.

Comes Oppidanus, qui habitationem ibid. aliis pararat,

50 Interea Joannes Antonius Caracciolus, Comes Oppidi *k*, vir munificentia et cæteris virtutibus ea ætate clarus *l*, cellulas quasdam ad monasterii formam suo sumptu ædificatas prope ædem S. Mariæ de Misericordia *m*, Benedicto Titionio, ejusque sodalibus, qui Religiosam vitam meditabantur, jam concesserat incolendas. Contigit autem, ut Benedictus adhuc anceps quodnam institutum sibi suis servandum præfigeret, excitus sanctitatis nostrorum Patrum fama, quæ Neapolim usque pervenerat, Venetias ire, et paucis diebus (ut quondam S. Hilarion apud B. Antonium fecisse legitur,) omnem eorum vitæ rationem discere, F eamque postmodum Neapoli in jam dicta æde Misericordiæ servare statuerit. Sed Benedicto, postquam Venetias pervenit, adeo placuit Tolentinatis domus secessus, et nostri Ordinis institutio, ut, mutato repente consilio, non jam Neapolim redire, sed Venetiis cum nostris Patribus degere, et Clericus Regularis fieri optaverit atque impetraverit.

accessum Theatinorum urget:

51 Hic est ille Benedictus Titionius, qui postea Severus *n* vocatus est a severa scilicet vitæ ratione, quam, in se pie sæviens, ad obitum usque tenuit. Comes itaque Oppidanus spe sua, quam de Titionio ejusque sociis conceperat, frustratus, enixe petiit a Carafa, ut aliquot e suo Ordine Neapolim mitteret. Sed cum ille rem longius differret, Caracciolus, primoresque alii Neapolitani a Clemente VII Pont. Max. quod cupiebant obtinuere. Opportune enim accidit, ut per idem tempus Patres de abeundo Neapolim ancipites, Christi Vicarium super ea re consuluerint, ut quid facto expediret, ipse perscriberet. Itaque supremi Pastoris sacri diplomate jussi sunt Patres Neapolim proficisci. Debeo hic ponere integra Summi Pontificis verba, ut ejus in nostrum Ordinem amor, et nostrorum Patrum erga eum vicissim fides atque observantia E pateflat.

Clemens vero PP. VII,

52 « Clemens Papa VII venerabili Fratri Joanni Petro episcopo Theatino, et dilectis filiis Caietano presbytero Vicentino, ac eorum sociis Clericis Regularibus nuncupatis. Venerabilis Frater, et dilecti Filii, salutem, et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, vos per hoc ferme quadriennium a nonnullis devotis, etiam nobilibus laicis ex civitate Neapolitana, crebris pulsatos precibus, ac demum ab ipsa civitate publicis litteris vehementius fuisse rogatos, ut illuc aliquot ex vestris Clericis mitteretis, qui locum in eadem civitate jam nomini vestro constructum recipere, atque inibi Domino famulari valerent: vosque itineris longinquitate ac difficultate deterritos, simul et de vobis ipsis humiliter sentientes, nec ad satisfaciendum illorum exspectationi vos idoneos cognoscentes, hactenus illorum precibus acquiescere distulisse: sed cum hinc tam devotæ civitatis vel preces contemnere, vel devotionem fraudare, vel certe liberalitatem aspernari durum et inhumanum; illinc tanto vos itineri credere, tam longe posita loca recipere, et, quod majus est, tantam opinionem exspectationemque sustinere, audax nimium, et supra vires vestras vobis esse videatur;

A. ANT. CARACCIOLO.

videatur; hæretis in ancipiti, nec omnino vel quid statuatis, vel quod petentibus responsum detis, invenire potestis.

dato super hac te diplomate,

53 Quapropter divino auxilio assiduis orationibus invocato, ad nos tandem confugiendum putastis, nobisque pro vestra in nos, et in hanc Sanctam Sedem pietate humiliter supplicari fecistis, ut quodcumque nobis super eo videretur, vobis paterne consulere de solita Sedis Apostolicæ benignitate dignaremur. Nos igitur devotioni vestræ satisfacere, quantum cum Domino possumus, cupientes, consultationi ac petitioni vestræ taliter respondemus. Quod cum ex Domini præcepto, nos omni petenti tribuere, atque angarianti mille passus, alia duo simul pergere debeamus : cumque nos Paulus Apostolus non quæ nostra, sed quæ Jesu Christi sunt, quærere doceat : quemadmodum ipse non quod sibi esset utile, sed quod multis, ut salvi fierent, se quæsisse testatur; debetis et vos aliquid laboris assumere, ut juxta Domini præceptum valeatis proximorum utilitatibus inservire. Quod siqua vobis imponi contigerit, quæ vires gravare videantur, non debetis in virtute vestra B confidere, sed in eo, qui dives est in misericordia, et qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dat verbum evangelizantibus virtute multa.

in virtute sanctæ obedientiæ illam præcipit.

54 Quare ne ulterius sub ambiguitatis velamine latitantes, perplexæ cogitationis æstuetis angustiis, vobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut aliquos ex vestris Clericis ad eamdem civitatem Neapolitanam quam citius destinetis, qui loca quæcumque oblata recipere, atque in iis divino cultui, et humanæ saluti se uniendo juxta Clericalia instituta, et vestras laudabiles consuetudines Altissimo valeant in virtutum exercitio famulari : ne illius fidelissimæ civitatis, quæ fidem Catholicam ab ipso beatissimo Petro Apostolorum Principe, ut pie ibi creditur, acceptam semper constantissime fidelissimeque servavit, devota desideria diutius differantur; nec tu, frater Episcope, patriæ tuæ te amanti et roganti defuisse videaris. Volumus autem, ut ibi omnibus iis privilegiis et gratiis gaudeatis, quibus alibi vobis per hanc Sanctam Sedem, et per nos aut concessum est aut concedetur in poste- C rum, uti et potiri et gaudere, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum in civitate nostra Bononiæ sub annulo Piscatoris, die XI Februarii MDXXXIII, Pontificatus nostri anno decimo. Blosius. »

Carafa eo mittit Caietanum, qui præclarum edit exemplum circa socium;

55 His acceptis Carafa, permotus etiam et patriæ iteratis precibus, et Mariæ sororis *o*, quam ut matrem venerabatur, assiduis postulationibus, Caietanum Thienæum, et Joannem Marinonium Neapolim misit, non adhuc certus illic domicilii firme constituendi, sed ut aliquantisper experiretur, an res succederet, atque ut istis eo missis, et patriæ desiderio, et Summi Pontificis placito aliqua ratione satisfieret. Decora autem et memoranda exstitit in procinctu ejus expeditionis Caietani responsio : cui cum a Carafa dictum esset, ut ipse sibi socium, quem cuperet, eligeret; Egone, inquit, socium eligam, quem malim? Imo oro atque obsecro hunc, quem cernitis, Christum confixum Cruci, (aderat quippe Crucifixi imago) vobis ut inspiret, illum mihi jungere socium, qui meæ maxime omnium adversus sit voluntati. Hæc ille, digna prorsus, quæ posteri animo imprimant. Verumtamen contra quam precatus est, tunc semel evenit; faciente nimirum Deo, ut is eligeretur, non qui ejus adversaretur placitis, sed qui omnium promptissimus obediret : nam illi D a Patribus datus est socius Joannes Marinonius Venetus, vir adeo virtutum omnium ornatus insignibus, ut neminem profecto eo præstantiorem Neapolim mittere potuissent.

et ambo Romæ a Clemente excipiuntur benigne.

56 Anno igitur MDXXXIII, IV. Non. Sextiles Caietanus et Joannes Venetiis discesserunt. Romam cum pervenissent, illico Clementem Pontificem adeunt, qui ut eos vidit solis ardore torridos, Quo, inquit, abitis, filii, cum tanto vitæ discrimine in rabido hoc caniculæ æstu? At satius nobis est, Caietanus respondit, vitam hanc negligere, quam tua jussa vel momento, Pater sancte, morari. Miratus simul et delectatus obsequelæ promptitudine Pontifex, ac benigne eos contuitus, dimisit, Crucis signo abeuntibus bene precatus.

ANNOTATA.

a Quæ extra urbem est parœcia, *uti habet Silosius pag. 87.*

b *Quænam electionem istam consecuta sint, refert Commentarius num. 49.* E

c *Addi his possunt, quæ dici in Commentario num. 51.*

d *Quomodo Sanctus tunc se gesserit, invenies ibid.*

e *Ea declarantur ibid. num. 52.*

f *Auctorem Vitæ supplevimus num. 53.*

g *In eam immigrarant Patres die 29 Novemb. 1527, teste Silosio lib. 3 pag. 87; ubi de hoc loco plura.*

h *Viri elogia dantur a Silosio sparsim tom. I; odor autem sanctitatis ac virtutes etc. ibid. lib. 11. Vitam conscripsit Joannes Bapt. Castaldus.*

i *Neapolitana Lautrechii expeditio, uti et viri obitus ac elogia habentur apud Spondanum ad an. 1528.*

k Oppidum, mediterranea... Ulterioris seu Superioris Calabriæ civitas, Comitatus titulo insignis, ad radices Asprimontis constituta, *notatur apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ, col. 579 occasione episcoporum ejusdem loci; ubi etiam plura alia ad illum attinentia licet videre.*

l *Laudatur etiam apud Silosium lib. 4 pag. 146; qui pluribus rem gestam, de qua hic, narrat.* F

m *Loci situs paucis indicatur infra num. 57.*

n *Viri elogium contexit Silosius lib. 7 pag. 237 et seq.*

o *Cumulatissimis eam elogiis prædicat Silosius; quem tu consule lib. 1 pag. 11 et 12, et lib. 4.*

CAPUT VI.

Sex alii Neapolim missi, mutatio domicilii, paupertas Apostolica a Sancto defensa.

Carafa statum migrationis Neapolitanæ edoctus

Ii Neapolim profecti, in cellulas quasdam sacræ ædi B. Mariæ de Misericordia attiguas, Joannis Antonii Caraccioli, Oppidani Comitis, sumptu, uti dictum est, coemptas apparatasque officiosissime excipiuntur. Placuit Patribus loci Deiparæ dicati sanctitas, læta item amœnitas et solitudo : quippe qui extra portam Januariam longiuscule a mœnibus urbis dissitus, infrequens per

ea

A ea tempora erat, et raris cultus accolis. Et vero solemne propemodum fuit iis, qui Religiosos Ordines fundavere, locis vulgo abjunctis severa spiritus dedicare primordia, ex iisque post inita beneque firmata cum Cœlitibus fœdera, ad humana et turbida hæc veluti Elias aut Joannes alteros prodire. Itaque significavit Carafæ Caietanus, nostros opportunum quidem contemplationi nactos esse locum: mitteret igitur quamprimum alios, quibuscum una possent Religionis officia obire: sperare se iis adjunctis, Neapolitanos cives, quibus adhuc vix de vocabulo cogniti essent, in dies magis magisque ad audiendum Dei verbum, atque ad virtutum imitanda exempla illuc usque allecturos. Sin minus; aut mutato domicilio, aut certe alia quapiam ratione præstituros, ut nihil a se diligentiæ atque religiosi officii jure a quoquam desiderari posset.

sex alios eo mittit, quibus præest Caietanus: alterius ad Ordinem accessio.

58 Carafa igitur extemplo sex alios veluti subsidiarios milites Neapolim ablegat, videlicet Marcum Venetum, et Petrum Veronensem, Michaelem Monopolitanum, et Laurentium sacerdotes; duos item Clericos, Hieronymum Consiliarium *a*, atque Andream Versum Romanos. Hi circa finem B Octobris, invitante nimirum adulti jam autumni *a* temperie, Venetiis profecti, Neapolim incolumes pervenerunt: quibus omnibus, comitiorum decreto Venetiis Septembri proximo celebratorum, datus est Præpositus Caietanus. Sequentis anni Februario, die SS. Faustino et Jovitæ martyribus dedicato *b*, Petrus Veronensis, is qui doctoris *b* lauream ob spectatam eruditionem jam olim Parisiis acceperat, et postquam Cancellarius fuit, ecclesiæ Baiocensis episcopatum a Francisco I Gallorum rege oblatum strenue recusaverat, vir scilicet gemini Juris, ac Græcæ linguæ peritia, et, quod majus est, probitate morum eximius, sese Deo solemni formula Religiosis votis obstrinxit, Sacrum faciente Caietano Præposito.

Domicilium mutant, quia suo instituto

59 Deinde vero IX Kal. Aprilis ejusdem anni XXXIV supra sesquimillesimum Patres ad unum omnes e domo S. Mariæ de Misericordia discessere. Discessionis caussæ hæ fuisse perhibentur. Prima, quod tametsi loci solitudo, uti jam dictum est, non nisi grata dicatis Deo mentibus, et contemplationi cœlestium contigisset, aventi- C bus tamen divini verbi semina cum spe fructuum spargere, et sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ (quod proprium Clericorum est munus *c*) admi- *c* nistrare, nequaquam opportunus videbatur loci a turbis abjuncti diuturnior incolatus: experiebanturque quotidie quod, tametsi ad ipsos videndos fovendosque vis sanctitudinis paucos aliquot jam antea etiam notos illuc usque pertraheret, reliqui tamen plerique omnes vix de nomine aut ne vix quidem nostros Patres, novique Ordinis institutum noverant: tantum abest, ut ad ipsos divinum verbum audituri, et cœlestia Sacramenta percepturi, atque altari servientes debitis alimentis foturi accurrerent.

nec Apostolicæ paupertati accommodatum:

60 Accessit caussa altera, quæ eos extemplo inde abire compulit. Ea fuit quotidiana fere Oppidani Comitis cohortatio, qua Patres sollicitabantur, ut adinstar aliorum multorum Ordinum, certos proventus censusque perpetuos sibi præberi paterentur. Neque id verbotenus agebat Caracciolus; sed oblata eis non spernenda vi pecuniæ, e qua postmodum legitime fœnerata perpetuos census exigerent, magis ac magis urgebat, propositam a se conditionem consiliumque ne recusarent. Atque ut id facilius persuaderet, adjunxit sibi Religiosos aliquot, qui dicerent, male nostris consultum iri, nisi, relicta pristina vivendi ratione, e sponte oblatis mature suorum securitati commodoque prospicerent. A. ANT. CARACCIOLO.

cujus primævum spiritum

61 Patres contra et Caietanus maxime Apostolicæ paupertatis eximius amator, initam semitam insistere, in animum induxerant. Quocirca eadem propemodum Religiosis illis et Caracciolo respondere, quæ nostri auctores Ordinis Romæ de hac ipsa re ambigentibus quibusdam jam pridem responderant; videlicet, tutius sibi perfectiusque videri, Christi exemplo hac eadem ratione viventis, quam incerto divitiarum niti; et cum Apostolis sancte desipere, quam ex humanæ prudentiæ tametsi non illicitis legibus vitæ modum inire. Neque jam honorificum sibi fore in re tam gravi, mutato repente, quod pridem pro libito ceperant, consilio, lubricis censibus, et terrenis spebus velificari. Quod ad me attinet, inquit Caietanus, nolo ego, qui mea omnia pro Christo dimisi, nunc copioso proventu aliena recipere. Conversusque ad Religiosos illos; Dicite vos mihi, ait, Patres, redditus hos vestros, quorum securitatem tantopere prædicatis, unde- E nam exigitis? E prædiis, inquiunt, atque agris; quos annuo proventu vectigales habemus. Bene est, ait Caietanus. At quanam ratione certi estis, colonos promissos census vobis quotannis soluturos? Ex pacto, responderunt, in scriptum relato, tabulisque publicis, quas, cum illi vectigalia pendere abnuunt aut procrastinant, proferre possumus, et in jus vocatos ad solvendum adigere. Ast ego, inquit Caietanus, longe certiores habeo facultates, et firmiores tabulas. Si enim vos prædiis chartisque nitimini, habeo ego Christi chirographum, et obsignatas ejus sanguine paginas, quæ mihi meisque certissime pollicentur, nihil unquam nobis Christo famulantibus defuturum. Quærite, inquit, primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Itaque de hac una re merito sum sollicitus, num scilicet regnum Dei quæramus, et justitiam ejus; hoc est, an æternorum bonorum acquisitioni et Christianæ legis observationi strenue ac serio incumbamus.

contra eos, qui contentiebant.

62 Hoc unum si adfuerit, nihil ambigo de eo, quod sequitur, omnia videlicet terrena hæc, quæ ad sustentandam mortalem hanc vitam faciunt, adjicienda, hoc est absque nostra anxia procu- F ratione fore præbenda. Hujus certe promissi veritatem longo hactenus experimento cognovimus: toto etenim hoc decennio reipsa comperimus, nihil nobis vel in maxima ea annonæ caritate, quæ ante sex annos contigit, sive ad corporis cultum, sive ad templi ornatum, per Dei gratiam Venetiis defuisse. Ad postrema hæc Caietani verba Oppidanus Comes, At aliud, inquit, Venetiæ sunt, aliud Neapolis. Si ibi ejusmodi institutum successit, vereor, Neapoli non succedet. Tum Caietanus magno animi impetu, Mihi quidem, ait, certum est, illum ipsum Deum, qui est Venetiis, esse et Neapoli. Atque his dictis, utrimque discessum est.

forti et insigni libertate Sanctus defendit,

63 Post aliquot vero dies, cum vidisset Caietanus adhuc persistere Comitem in sua sententia, et vix eum velle Patres in ea domo de Misericordia degere, nisi quam proposuerat certorum redditunm conditionem acciperent, convocatis mane fratribus, jussisque, ut quisque sumpta veste extima, Breviarioque sacrarum precum, se sequeretur e domo illa, ad unum omnes egressi sunt, obseratisque templi atque domus januis, claves ad Comitem cum his verbis Caietanus remisit:

Caie-

A. ANT. CARACCIOLO.

Caietanus aliique Clerici Regulares tibi, Comes, significant, se domo tua abire, æramentis, quæ dederas, omnibus, aliaque suppellectili tibi relictis, atque experiri se hoc modo velle, an Deus Venetiarum sit et Neapolis Deus.

Patres aliam migrant in domum, quam pia matrona d

64 Profecti igitur inde Patres alacri animo, et in Apostolica paupertate constantissimo, in nosocomium Insanabilium, hoc est, in Christi domum recepti sunt ab eximiæ virtutis matrona Maria Laurentia Longa *d*, quæ se suaque omnia pauperum atque ægrotorum servitio addixerat, eique nosocomio summa cum potestate præerat. Comes autem Oppidi ob rei novitatem, Christianamque Caietani libertatem primum stupore defixus est: postea vero ut se collegit (erat quippe vir pius, et veræ virtutis idoneus æstimator) abrupto discessu, non est indignatus Patribus, alienatusve, et nihil prorsus de amore erga eos obsequioque diminuit. Jam enim multo ante noverat Caietani sinceritatem et ingenuam indolem. Itaque rogare eum etiam atque etiam, ut æramenta saltem, et cæterum domesticum instrumentum, quod Patribus jam donaverat, recipere vellet. Id vero tandem obtinuit. B

eis benigne suppeditat. * *f.* Laurentiam

65 Diversabantur igitur Patres apud jam dictam Mariam Franciscam * Longam, ut quondam Romæ apud Paulam S. Epiphanius. Illa viro suo Joanne Longo, nobili juris-consulto, et Ferdinando regi Catholico a supplicibus libellis, demortuo, cum insanabili paralysi in æde Lauretana divinitus sanata *e* fuisset, tanti beneficii probe memor, insanabilibus curandis fovendisque piam navabat operam. Ex eo autem die, quo Joannem Petrum Carafam, et Bonifacium a Colle Neapoli viderat, (fuere namque hi duo Patres Neapoli anno sal. MDXXX, ut Mariæ Carafæ ad monasterium S. Mariæ de Sapientia emigrare meditanti opem ferrent) magno desiderio capta est, ut nostri, et in iis Carafa præsertim, Neapoli domicilium figerent. Caietanum itaque aliosque a Carafa Venetiis missos ingenti cum lætitia atque humanitate excepit. e

Epistola Carafæ ad eam data

66 Quocirca illi Carafa scripsit in hæc verba: « Litteræ tuæ, domina, satis virium habere potuissent ad nos hinc permovendos, ut istuc veniendo divinæ voluntati per te nobis ostensæ obsequeremur. Sed quoniam id equidem nunc præstare non potui, visum est ad Septembrem usque differre, et videre interim, an Deus mihi istuc veniendi vires et facultatem tribuat. Porro de mea in hac re voluntate debes tu quidem esse extra omnem dubitationem, non solum ob patriæ meæ beneficium, cui servire debeo, sed etiam ut tuo desiderio per nos satisfiat. Inde ortum est, ut exigentibus id a nobis urbis istius rectoribus, coacti simus mittere fratres nostros Caietanum et Joannem, quos ab initio tuæ potissimum fidei commisimus, tibique uni præcipue commendavimus, nulla aliorum amicorum aut propinquorum facta mentione. C

producitur.

67 Quapropter ex ea re cognoscere potuisti, quam egregie erga te affecti simus, et quam fidenter in te una, Deo in nobis inspirante, spem habeamus. Ego vicissim apertissime cognovi, non frustra nos in te fidem collocasse: quia non excepisti jam dictos meos fratres ut homines missos ab hominibus, sed ut Angelos sanctos a divino Numine delegatos: et pergis insuper fovere eos eximia caritate, nostrumque meritum et opinionem longe superante. Itaque cum nihil ambigere debeas de meo in hac atque in omni alia re, quam tibi gratam novero, prompto animo; illud solummodo est reliquum, ut assiduis orationibus a Deo impetretur lumen, quo divinam ejus voluntatem dispicere atque exequi valeamus. Venetiis IV. Non. Maias MDXXXIV. » Litteras hasce huc inserere volui, ut et sanctæ illius mulieris virtus, et ejusdem de Caietano ac Joanne, quos tam honorifice exceperat, eximia existimatio cognosceretur. D

ANNOTATA.

a *Fratrem, teste Silosio ibidem, Pauli; de quo Commentarius noster num. 31.*

b *Die videlicet 15 istius mensis.*

c *Finis quippe instituti Clericorum Regularium est, non propriæ duntaxat, sed etiam aliorum saluti vacare; id quod in Commentario prævio a nobis tactum num. 46, pluribus deductum invenies apud Silosium, quem ibidem citavimus.*

d *Insignis istius mulieris res gestas inserit idem historiographus libro 5.*

e *Miraculum illud describitur ibidem pag. 170.*

E

CAPUT VII.

Alia Neapoli domus; patratum a Sancto miraculum; iter Romanum; data Patribus ædes sacra S. Pauli.

Alia Neapoli

Ædes autem, quibus excepti fuerunt, erant eo ipso loco, ubi postea illis dirutis fundatum est monasterium mulierum Pœnitentium, quæ vulgo Convertitiæ appellantur. Quoniam autem tanta erat domicilii angustia, ut nulla ratione possent nostri inibi libere degere, et Regularis vitæ obire officia, quin etiam Mariæ Longæ non parum incommodi (quod tamen illa libentissime tolerabat) sua præsentia præbere viderentur; idcirco Patres prid. Kalend. Sextiles ejusdem anni iterum mutatis sedibus ad aliud huic pene contiguum domicilium commigrarunt: ad illud videlicet, quod deinceps vulgo nuncupatum est, Parvum Stabulum, eo quod, stabulo in sacram ædiculam converso, formam referret Bethleemitici templi, quod S. Hieronymus, aliique cum eo Regulares Clerici ad Christi cunabula prope Paulæ *a* et Eustochii *b* monasterium incoluerunt. F a b

Theatinorum domus describitur:

69 Et pulchram quidem cernere erat ex illo Bethleemitico exemplari expressam sacelli faciem, ara videlicet maxima eo ipso stabuli loco, ubi præsepe jumentorum fuerat, constituta. Visum est nequaquam alienum ab instituta narratione minuta hæc persequi: quandoquidem ista certe domus Parvi Stabuli vocabulum sortita, Ordini nostro Neapolim incolenti rudimenta atque incunabula spectatissimæ virtutis exhibuit. Cum enim Patres inibi degerent, et puriore cultu Deum honorare pergerent, atque ægrotis, qui proximo nosocomio detinebantur, incredibili caritate ac diligentia assiduam opem ferrent, ecce Caietani virtute atque precationibus patratum est insigne illud miraculum de luxati fractique cruris sanatione, quod frequenti et constanti seniorum relatu ego aliique nostrum complures sæpissime audivimus.

in qua S. Caietanus fractum

70 Id ita gestum esse tradunt. Erat in ea familia frater e laicis quidam Clericorum ministerio addictus. Hic cum forte domo exiret, infigit alterum

A rum pedem in clathratam subterraneæ cellæ fenestram; dumque eluctatur, ut extrahat, crus prope talum miseris, confringit modis. Domum reportatus triste spectaculum facit mœstis fratribus, et patri ipsorum Caietano. Advocatur e proximo Insanabilium nosocomio chirurgus, qui ubi multa adhibuisset suæ artis subsidia, sed incassum omnia, tandem sæviente in dies vulnere, fractum crus redintegrari non posse pronuntiat. Secandum igitur consulit, ne reliquo corpori extremum exitium creet. Idipsum et alii medici asseverant. Chirurgus itaque lenitum crus et pedem cataplasmatis, atque obligatum fasciis, vesperi deserit, mane ut secaret rediturus.

ac desperatum crus

71 Caietanus (qua erat charitate) misertus hominis miseram vicem, acerbos adeo dolores ea sectione subituri, profunda nocte, cum cæteri omnes dormirent, lucernam quamdam ferream et rudem sibi ipse gerens, miserrimum ægrotum sensim, ne expergefaceret, adit: sed reperit vigilantem, quod, uti credere par est, et præsens fracti cruris dolor, et imminentis cruciatus B repræsentatio omnem ab eo somnum excusserat. Ipse * primo aditu salutat: mox longiuscule suavissimis verbis affatus consolatusque hortatur, ut se beato Francisco fidenter commendet, certoque speret, illum, potentissimum apud Deum patronum, sibi neutiquam defuturum. Poscit deinde, ut sinat se fascias resolvere, et crus fractum inspicere. Annuit ille; et Caietanus leniter crus atque pedem palpans, ut vidit cruris ingentem tumorem, et vulneris acerbitatem, figit genua ad lectuli spondam; monet, ut et ipse secum ægrotus preces fundat.

* f. Ipsum

miro modo sanat.

72 Post brevem precationem, impresso vulneri Crucis signo, atque osculo, crus fasciis obligat, atque abscedit. Mane Chirurgus, uti pollicitus fuerat, revisit ægrotum: rogat (ut fit) quo modo se habeat. Ille, nihil propemodum doloris se amplius sentire. Fasciis igitur resolutis, reperit medicus (mirum dictu) crus integrum, et plagæ adeo atrocis vix vestigia. Ne mireris, sincere lector, nos ignorare nomen ægroti, et diem qua res tanta accidit c. Ea est veterum, et nostrorum maxime, gestorum conditio, ut non nisi aliqua ex parte, corrosa temporis dente ad posteros pervenerint. C Adde his solemne sanctorum virorum studium celandi res suas, quæ cognitæ plausus parerent: «Quia (ut ille ait) laudem ab hominibus non requirentes, quantum in ipsis fuit, omnes virtutes suas latere voluissent.» Et ut simile prorsus habeas exemplum, observa, lector, neque juvenis illius, cui beatus Antonius Patavinus crus amputatum consolidavit d, vocabulum sciri. Non ideo tamen aut gravissimi etiam historici indignum reputarunt quod scripto traderent, aut ejusmodi narrationi mutilæ fidem posteritas abrogavit.

Roma Neapolim reversus,

73 Ad Caietanum redeo, qui cum jam biennium domum Stabuli summa cum laude rexisset, anno MDXXXVI Octobri mense una cum Petro Veronensi, et Michaele Monopolitano e, ad celebranda comitia Romam abiit. Sub idem ferme tempus Venetiis profecti sunt Joannes Petrus Carafa, episcopus Theatinus, Bonifacius a Colle Alexandrinus, Paulus Consiliarius Romanus, et Nicolaus Veronensis, Romam et ipsi petentes. Cum enim Carafa a Farnesio Pontifice f jam tertio fuisset Romam accersitus, atque paulo post adlectus in Cardinalium numerum g, id caussæ fuit, ut nostra comitia in ea urbe Decembri mense (loco scilicet et tempore nostris tunc insolito) haberi necesse fuerit. Electis igitur Bernardino Schotto Venetæ, et Petro Veronensi Neapolitanæ domus Præpositis, Caietanus Neapolim reversus est. Ibi is proceribus multis, atque Petro Toletano h proregi jam notus gratusque, Christianæ prudentiæ, atque eximiæ probitatis crebra exempla, uti pridem cœperat, edere deinceps perrexit.

A. ANT. CARACCIOLO.

domum cedit

74 Interea Maria Francisca Longa in sui ipsius, mundique contemptu magis magisque proficiens, quemadmodum diu ante, nempe anno sal. MDVI, adjuvante concionatore quodam Monopolitano e Dominicana familia, Insanabilium nosocomium construere cœperat, ita nunc hortatu Caietani, qui ejus confessiones excipere solitus erat, monasterium sacris virginibus, ex instituto S. Claræ i, quæ Cappucinæ k dicuntur, exædificare, eoque constructo seipsam ex voto divinis obsequiis perpetuo tradere meditabatur. Id consilium, quod divinitus (uti par est credere) afflata conceperat, cum Caietanus modis omnibus cuperet, ut operi mandaretur, ab ac etiam æde Stabuli, eique attigua domo abscedere constituit, ut, nostris inde abeuntibus, Mariæ Longæ inibi monasterium construendi daretur opportunitas. E

ut in ea ædificaretur parthenon.

75 Nam jam diu antea eo fine, stipe piorum aliquot hominum, qui nostrorum Patrum erant amantissimi, coempta illa domus fuerat, et nostris ea conditione tradita, ut quandocunque Clerici Regulares, aut ad aliud domicilium intra Neapolim migrare, aut Neapoli prorsus abscedere contingeret, ea domus Mariæ Longæ, et sacris Virginibus extemplo cederet. Dum discessionem igitur ex ea æde Parvi Stabuli adornarent Patres, Neapolitani proceres multa animo designare loca, e quibus aliquod * nostris incolendum traderetur. Sed dum consultando, et exortas difficultates expediendo tempus extrahitur, Caietanus, ut erat celso vir animo, et nulli addictus loco, potius Neapoli cum tota familia penitus abire, et Venetias reverti decernit, quam eam Parvi Stabuli domum, in qua sacrarum virginum monasterium ædificandum erat, diutius incolere.

* imo aliquis incolendus

Exposita migrationis causa,

76 Itaque ipse, et Petrus Veronensis Præpositus, certi jam se Neapoli discessuros, Petrum Toletanum proregem, qui tum Puteolis l erat, adeunt, cum ut illum, qui aliquid jam de hac F Patrum cognitione * audiverat, de caussis discessus certiorem facerent, tum etiam, ut tanto proceri m, qui multa sibi atque reliquis Clericis Regularibus benevolentiæ signa ostenderat, gratias saltem agerent, qui referre non poterant. Exponunt igitur proregi caussam suæ discessionis, Quod, inquiunt, jam quatuor totos annos Neapoli mansimus, et ter mutatis sedibus, nullum adhuc certum aptumque locum nacti sumus, id, nisi fallimur, indicium non obscurum est, Deum nolle, hic nos diutius permanere. Tuo itaque concessu, præstantissime princeps, statuimus, propediem his regionibus emigrare. Prorex hæc audiens ægre tulit, religiosos adeo viros, quorum virtute multa præclare gesta inaudiverat, Neapoli eo potissimum tempore abscedere, quo ejusmodi hominum, non minus vitæ exemplo pollentium, quam eloquio, ea civitas maxime indigeret. Proinde explicate respondet: Si Deus vobis, Patres, videtur ostendisse, hinc debere discedere, is ipse mihi suggerere videtur, me nulla ratione debere vos dimittere. Consistite igitur; nam certe loca non deerunt. Ite autem et incolite Sancti Pauli ædem. Curabimus nos interim, ut adversa omnia, quæ obstare poterunt, quamprimum expediantur.

* f. abitione

A. Ant. Caracciolo. assignatur Theatinis ædes S. Pauli,

77 Hoc accepto humanissimo responso, Patres, gratiis actis, Neapolim redeunt; admirati summam Dei providentiam in eos maxime, qui rerum suarum minime anxii, curam omnem sollicitudinemque in ipsum projiciunt. Prorex vero jam mandaverat Joanni Mariæ Tolfio, Sanvalentiniano Comiti, juberet suo nomine laicis sodalibus fratriæ S. Pauli, qui sacellum in eo templo et cubicula aliquot habebant, ut ea Patribus inhabitanda cederent. Post aliquot vero dies, anxius fortasse, ne Caietanus aliique de obtinenda Paulina æde ambigerent, neve iterum de discessu cogitarent; binas ad Patres e Summa, Vesevi *n* municipio montis, litteras dedit *o*, rogans ne discederent, pollicensque, se brevi facturum, ut ea ædes libere ipsis traderetur. Quod profecto præstitum est egregie. Nam sacello fratriæ extemplo potiti sunt Patres, et non multo post totius templi atque attiguæ domus, Vincentio Carafa *p* S. R. E. Cardinali Neapolitano, et Scipione Tarracina abbate concedentibus, possessionem inierunt, Prorege, et civitatis Magistratibus summa lætitia affectis: nam et hi, ut desiderium, quod retinendorum Neapoli Patrum habebant, re ipsa ostenderent, publico civitatis nomine miserant Romam Joannem Baptistam Perezium, qui cum Cardinalibus Neapolitano, et Theatino de hac re diligentissime ageret.

ac libera ejusdem possessio datur.

78 Reverso igitur Roma Perezio cum prospera rei expeditione, Patres Apostoli Pauli basilicam libera et certa jam possessione adepti sunt XIV Kal. Jun. MDXXXVIII. Est vero ea basilica Neapoli valde insignis *q*, ac frequenti populorum concursu a prima ejus structura apprime celebris, utpote ex publico civitatis voto, eo prorsus loco super eversum Dioscurorum *r* fanum a Christianis condita, ubi anno salutis DCCXC *s* Carolo Magno rege *t*, de Saracenis, qui illuc usque irruperant, nobilem victoriam *u* consecuta fuerat die Conversionis S. Pauli; uti Vaticanus m. s. codex *x* diserte docet. Hæc aliquando fusius narrare libuit, ut Proregis, et Neapolitanorum procerum erga nostros singulare studium, et Caietani atque aliorum Patrum insignis virtus, quos ut ii in ea urbe retinerent, tantopere laboraverint, palam fieret.

ANNOTATA.

a *Colitur 26 Januarii; quo die apud nos agitur de ejus monasterio tom. II istius mensis pag. 712.*

b *De ea agetur die 28 Septembris cum Martyrologio Romano.*

c *Veritas hujus miraculi confirmatur ex Commentario § 16, ubi illud dedimus inter alia, quæ Romanæ Rotæ calculo approbata sunt.*

d *Tomo II Junii ad diem 13 ejusdem mensis, quo Sanctus iste Romanis Fastis inscribitur, ac nos de eo tractavimus, pag. 719 sermo est de alicujus anonymi crure contracto ac sanato.*

e *Meminerat de eo biographus noster apud nos num. 58; sita autem Monopolis in provincia Bariensi Apuliæ, a qua eum sic denominari censemus. Silosius* Mazzalursii *insuper ei nomen dat lib. 7 pag. 255, ubi etiam laudat.*

f *Paulo videlicet PP. III, qui sedit ab anno 1534 usque ad 1549.*

g *Enuntiatur Cardinalis die 22 Decembris 1536. Vide apud Ciaconium tom. III col. 600 et 602.*

h Vir quidem egregiis imperandi artibus et, qui decent principes, populari cum humanitate conjunctis moribus basilice instructus; pietatis vero laude inter paucos spectatus, *teste Silosio lib. 6 pag. 200.*

i *Ejus acta illustrabuntur ad diem 12 hujus.*

k *Hippolytus Helyot in Historia Ordinum monasticorum etc. tom. VII, cap. 27 pag. 203 agit de illis, easque et* Capucinas *et* filias Passionis *dictas scribit; ac deinde subdit Vitam venerabilis matræ Mariæ Laurentiæ Longæ, earum fundatricis, supra num. 64 et seqq. laudatæ.*

l *Urbs est notissima, quæ milliaribus aliquot Neapoli distat.*

m Proceres *numero plurali dicunt auctores. Juvenalis tamen citatur satyra 8 habere* τὸ procerem. *Porro proceres sunt capita trabium, seu mutuli quidam in parietibus exstantes; unde sunt, qui volunt per metaphoram dictos principes civitatis; at de etymis hujus vocis plura congerit Vossius in suo Etymologico linguæ Latinæ, ubi etiam agit de casibus numeri ejusdem singularis.*

n *Designatur mons Vesuvius, poetis* Vesevus, *nunc* il Monte di Somma, *octo milliaribus distans Neapoli in ortum, prope Summam castrum; unde nomen ei recens editum; uti observat Baudrandus.*

o *Earum alteram quidem ad diem 24 Aprilis; alteram vero ad 8 Maii datas scribit Silosius lib. 6 pag. 202.*

p *De eo Ughellus inter archiepiscopos Neapolitanos tom. VI Italiæ sacræ col. 226.*

q *Ampliorem ædis hujus sacræ notitiam suggerit Silosius lib. 6 pag. 202 et 203.*

r *Id est Castoris et Pollucis; qui quasi* Διὸς κοῦροι, *id est, Jovis filii, sint nuncupati. Silosius pag. 202 citata affert Græcam inscriptionem, quam in templi fronte legi affirmat, et quæ argumento sit, locum illis primo excitatum fuisse.*

s *Silosius pag. 204 eosdem temporis characteres notat; sed pag. 205 putat, Adalgesium, Desiderii Longobardorum regis filium, e Græcia in Calabriam reversum, inde Neapolitanis contra Saracenos auxilio venisse, ac pro anno 798 scribendum 789; quo ipsius in Italiam adventum signat Sigebertus in Chronico: cujus verba hic addo:* Adelgisus, filius Desyderii regis, qui victo patre ad Græcos confugerat, animatus auxilio Græcorum ad Italiam venit, aut ad repetendum regnum, aut ad inferendam ultionem. *Sigeberto Joannem Villanum et Herempertum adstipulari affirmat ibidem Silosius, monentes, uti addit, hoc anno Neapolitanorum victoriam, ac cladem Saracenorum contigisse.*

t *Carolum magnum, submissis fortissimis ducibus Bernardo et Aymone, opem Neapolitanis tulisse, asserit Villanus apud Silosium mox citatum; sed inter istius herois gesta ego id hactenus non reperi.*

u *Aliam ante hanc Neapolitanos a Saracenis retulisse victoriam, asserit Silosius pag. 203.*

x *De codice Vaticano, ejusque scriptore, ac fide tractat Silosius pag. 204 ex Antonio Caracciolo.*

A

A. ANT. CARACCIOLO.

CAPUT VIII.

Hæresis Lutherana, et impietas Neapoli detectæ ac repressæ; specimina paupertatis Veronæ; reditus Venetias; miracula.

Hæresis Lutherana Neapoli,

Et vero conceptæ ab his opinioni, nostrorum probitas, eruditio, diligentia reipsa optime respondit. Nam sub idem fere tempus immanis morum atque animorum pestilitas Neapolim invasit, quæ Paulinorum Patrum (sic enim a jam dicta æde S. Pauli ibi deinceps vocati sunt) et Caietani cum primis zelum Catholicæ fidei, virtutemque declaravit. Rem altiuscule repetam, ut quanto in discrimine ea urbs, adeoque finitima ora fuerit, cognoscatur. Campania *a* (ut e reliqua B Italia) varie his annis quassata est bellis, adscitis ad vastitudinem, quasi non sola sibi exitium inferre suffecisset, exteris etiam et efferis nationibus. Verum (quod deterius multo est) hæretici homines regiam urbem Neapolim, a Petro ipso Apostolorum Principe fidei documentis institutam *b*, Lutheriana labe inficere studuerunt. Nam primo Germani equites ad duo millia, et sex millia peditum, qui post direptam Romam eo convolaverant, ut Lautrechum obsidentem repellerent, impii dogmatis, quod Luthero propinante imbiberant, multa et nefaria exempla passim ediderunt.

ac impietates luporum sub ovina pelle latentium

80 His postea alio amandatis, unus Joannes Valdesius Hispanus *c*, qui anno MDXXXV Neapolim venit, longe majorem mentium stragem dedit, quam multa illa hæreticorum militum millia. Hic enim litteris tinctus iis, quæ ad comparandam eruditi opinionem satis vulgo essent; placido aspectu, quique innocentiam præ se ferret, comitate, suavitateque sermonis, teterrimam impietatem incredibili vaframento occultabat. Itaque brevi ad se traxit multos, his artibus illectos C deceptosque. In his duo fuere cæteris omnibus insigniores, et digna corvo ova, Bernardinus Ochinus, et Petrus Martyr Vermilius *d*, ambo hæreticorum postea antesignani. Bernardinus, magni concionator nominis, ostentatione asperrimi victus atque indumenti, egregiæ sanctitatis famam sibi conciliaverat. Petrus vero linguarum peritia excultus, in cœnobio Sancti Petri, cui præerat, epistolas Pauli Apostoli publice exponendo, ad sensum hæreticorum dextere pervertebat.

detectæ

81 Initium detegendæ impietatis a nostris factum. Quippe Caietanus, perspicaci vir ingenio, rem odorari cœpit. Advertit enim dogmata, quæ illi satanicæ reipub. triumviri de purgatoriis pœnis, de Summi Pontificis potestate, de libero hominum arbitrio, de reorum justificatione, passim inspergebant, sapere novitatem temerariam, atque adeo detestabilem impietatem; observaveratque Ochinum ab usque anno MDXXXVI, quo in æde Sancti Joannis Majoris concionatus fuerat, ambiguis quibusdam dilemmatis, et obtrectatione in ecclesiasticos magistratus, cœpisse auditores nequissimis persuasionibus inescare. Hoc vero anno MDXXXIX, nempe paulo post quam nostri Paulinam ædem adepti sunt, is ipse Ochinus cilicino indumento, et raucis declamationibus, hoc est, instrumentis ad concitandam multitudinem instructissimus, e metropolitani templi pulpito multo liberius apertiusque Lutheriana serebat dogmata.

a Caietano ac fugatæ

82 Caietanus igitur, qui ad hos audiendos, observandosque et ipse ire, et alios dedita opera mittere solitus erat, nihil jam cunctandum ratus, Cardinalem Theatinum, qui tum Romæ Paulum III P. M. ad instituendum in ea urbe supremum Inquisitionis magistratum magis magisque sollicitabat, de iis rebus atque hominibus impiis certiorem fecit; et Neapolitanos interim ipse monuit, ut porro sibi caverent. Denique conatus est modis omnibus hypocritis illis larvam detrahere. Quocirca etsi illi sub ovina pelle lupi aliquot annos cum magna Campaniæ pernicie latitaverunt; tamen aliquando tandem, crescente nimirum in dies nequitiæ suspicione, et patefactis promiscuis, et pudibundis virorum ac feminarum cœtibus, quos clanculum cogebant, omnes, ut periculo præverterent, quod sibi ab urbe imminebat, alius alio aufugerunt. E

magno cum pietatis fructu,

83 Ad fugæ istorum nuntium Cardinalis Theatinus, missa ad Ochinum e solis sacræ Scripturæ verbis contexta epistola, qua demulcendo, qua increpando, conatus est reducere errantem ad Catholicas aulas *e*. Sed frustra id fuit. Nam ille paulo post, relicta Italia, Tigurum Helvetiorum *f* una cum Cacomartyre convolavit. Porro Caietanus aliique nostrates, fugatis jam hostibus, magnam apud pios quoslibet gratiam inierunt: confluebatque ad B. Pauli ædem e præcipua nobilitate atque e popularibus innumera multitudo, ut inibi salutaria Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramenta perciperent, et Caietani ac Joannis Marinonii sermones auscultarent, quos illi vicissim de rebus cœlestibus absque pompa quidem verborum, sed cum eximio proventu virtutum habebant. Jamque nostri, cum spectata in dies vitæ morumque sanctimonia, tum studio humanæ salutis, quam dies noctesque nullis parcentes laboribus procurabant, tantam sibi potentiorum ac tenuiorum benevolentiam conciliaverunt, ut tametsi rarissime eos per urbem cernerent, nihil tamen aut crebrius in ore, aut fixius in animo, quam Paulinos Patres haberent. F

ac Theatinorum existimatione,

84 Ii vero qui turmatim S. Pauli templum adibant, adeo sacri loci, et incolarum veneratione perfundebantur, ut veluti Numine tacti, non dico strepere, aut petulantius fabulari, sed ne hiscere quidem auderent. Itaque in maxima multitudine maximum silentium servabatur. Admirabantur autem templi decorem, et sacri instrumenti munditiem diligentissime procuratam: ritus cerimoniasque composite et ordinate peractas; novum sed a veteri ævo deductum sacras preces canendi modum; nostrorum innocentiam, modestiam, gravitatem, quam fixis humi obtutibus, paucis verbis, sedato vultu, exporrecta ad omnia religionis et charitatis officia voluntate, constantissime exhibebant. Hæc libens memoro, ut veterum mores ritusque Patrum, quos posteri hactenus haud omnino segniter per Dei gratiam retineant, etiam atque etiam deinceps imitando exprimant.

quorum suppetiæ recensentur.

85 Jam vero superiore anno MDXXXVIII aucta fuerat Neapoli familia Clericorum Regularium: scilicet, ut tot tantisque laboribus pares esse possent, atque ut aucto colonorum numero augeretur et spiritalium fructuum messis. Quocirca præter nonnullos novitios, qui Neapoli adsciti sunt,

Bernar-

Bernardinus Schottus, Præpositus S. Nicolai, duos clericos Venetiis jam miserat, videlicet Severum Titionium, Fundanum diaconum, de quo supra diximus, et Jacobum Yvannium Hispanum, illum inquam, qui in clade Romana vitæ discrimen, ærumnasque ingentes una cum aliis, quos initio memoravimus, subierat, Hi Neapolim incolumes pervenerant VII Idus Junii præteriti anni. Anno autem MDXL Aprili mense in comitiis Neapoli celebratis Caietanus creatus est Præpositus Venetæ domus S. Nicolai. Itaque relicto Joanne Marinonio, piissimo illo sene, quem iisdem comitiis Patres Paulinæ ædi præfecerant, ipse una cum Petro Veromensi, Marco Veneto, et Bernardo Tudertino *g* Venetias revertit.

Post genuina, quæ Veronæ

86 Circiter vero annum MDXLI, nisi me temporum ratio fallit, Caietanus simul cum Joanne Antonio Prato Mediolanensi clerico, aliisque quibusdam Veronam concessit. Testatur enim Pratus in sua narratione, quam de Caietani gestis scriptam *h* reliquit, se aliquandiu cum eo Veronæ vixisse. Id autem non potuit esse ante hunc annum, quia Pratus nondum in Ordinem nostrum adscitus fuerat. Neque post annum MDXLII; nam initio quadragesimi B tertii Caietanus Neapolim rediit, uti mox dicemus. Sed cum de re certi simus, de tempore anxii esse desistimus. Igitur Caietanus Veronam aliquando abiit, et incoluit una cum aliis nostratibus easdem Nazarenas cellulas, quas anno vigesimo octavo Bonifacius incoluerat, uti in Vita Bonifacii dicemus *i*. Eo usque a Giberto episcopo, qui tum, relicta aula Romana, Veronæ ad suos populos præsens aderat, quotidie cibi, qui nostris abunde sufficerent, mittebantur.

Caietanus lederat.

87 Et primis quidem diebus, ne tanti præsulis benevolentiæ nihil omnino concedere videretur, connivere voluit Caietanus. At ubi jam id veluti ex instituto assidue ab eo fieri animadvertit, episcopo libere significat, ne deinceps amplius ad se mitteret cibariorum: satis eum jam fecisse liberalitati, aut Christianæ beneficentiæ: sineret se suosque posthac Religiosam inopiam pro voto experiri; alioquin virtutem, quæ nullo incommodo exerceatur, facile enervari. Audiit hæc cum admiratione Gibertus, et gavisus est valde, tam fortes Christi milites intra Veronæ mœnia, C se procurante, contineri. Ipse tamen nihil remittit de sua mittendæ alimoniæ consuetudine. Itaque Caietanus, qui perfectissimæ, et quam posteri admirari potius quam plene assequi possunt, Christianæ libertatis, et paupertatis exempla reliquit, comminatus est episcopo, se suosque sodales, siquid certi mittere deinceps pergeret, illico Veronæ finibus excessuros.

paupertatis exempla,

88 Atque hac demum ratione Giberti erga nos liberalitatem Caietanus sancte cohibuit. Ipse vero soli innixus Dei providentiæ, atque adeo solis fortuitis piorum oblationibus vivere statuens, læta omnia sperare, quæ Christi Evangelium, hoc est, divini verbi firmitas adpromitteret. Interea tamen ad illum sodalesque ejus ad extremam egestatem sponte redactos, et vix a quoquam in ea urbe cognitos, raro nummorum aliquid aut ciborum erogabatur. Quocirca ad cibarium panem non nisi herbas aut legumina e domestico horto producta adjiciebant. Ova vix Lupercalibus *k* aliquot habuere. In ejusmodi nihilominus rei familiaris angustia augebatur in dies magis magisque Caietani constantia. Noverat enim virtuti cibum esse jejunium, et paupertatem.

89 Postea vero quum Veronæ aliquandiu mansit, rediit Venetias ad suam Tolentinatem domum, quam Præpositi titulo tres hos annos rexisse D legitur. Cum Venetias igitur rediisset, puto (nisi me annorum supputatio fallit) patrasse eum tria illa, quæ Pratus in suo testimonio narrat, admiranda. Referam cum fide, et absque fuco verborum. Primum. Ad nobilem quamdam mulierem, ex ægritudine morti jam proximam, et subsidiis omnibus destitutam Caietanus accurrit, consulit, ut sacrum liquorem, qui e corpore S. Andreæ apostoli promanat, delibet: facit illa; et subito convalescit, atque post aliquot dies e lecto surgit. Hæc vero res divinitus gesta, tametsi B. Andreæ meritis tribui debere videatur, a Caietani tamen virtute non est censenda aliena, quo consulente, orante, ac porrigente, eas guttulas illa hausit: nam et S. Thomas Aquinas (ut alia exempla referre supersedeam) per B. Agnetis reliquias miracula nonnulla fecisse legitur, quæ nihilominus inter ipsius gesta jure merito recensentur *l*.

Venetias redit; ubi mulierem morti proximam sanat,

90 Alterum. Diaconum quemdam e nostratibus phrenesi apertaque dementia diu laborantem, medici, cum nihil cætera cura profecissent, jubent aeris mutationem experiri. Caietanus ægerrime assentiebatur: noverat enim quantum discriminis atque incommodi ob id subire soleat Religiosa familia, imminuto scilicet per ejusmodi dimissiones sodalium numero, et laboribus curisque in reliquos derivatis. Accedebat, tutius secretiusque intra claustra contineri posse mente captum hominem, neque e re fore instituti nuper Ordinis Clericorum Regularium, prodire foras nostratem diaconum, vulgi deridiculum et fabulam mox evasurum. Cum igitur hinc ista rationum momenta, illinc medici, et spes salutis nonnulla, quam ii fecerant, Caietanum premerent, ad solitum suum perfugium vadens, totam noctem Deum orando et gemendo transegit tanta constantia atque affectu, ut exaudiri meruerit. Itaque spe fideque plenus, sodalibus, ipso audiente Prato, qui hæc retulit, Mihi, ait, fratris istius salutem a Deo donatam scio. Itaque nihil opus est amplius, ut cœlum aut domicilium mutet. Hæc porro verba protulit, dum e sua cellula summo mane egrederetur, et antequam quidquam de salute clerici inaudire potuisset. Ita vero evenit, ut prædixerat; quippe eo ipso die ille convaluit, F adeoque ad mentem plene rediit, ut sacerdotio postmodum fuerit initiatus.

phreneticum menti restituit, E.

91 Tertium, dum Venetiis Neapolim navigio peteret, contigisse opinor. Nam, uti mox dicemus, Neapolim iterum reversus est; electus scilicet anno MDLIII * Paulinæ ædis Præpositus. Rem hanc mirifice gestam idem Pratus narrat, sed adeo summatim et strictim, ut si ego pluribus exponam, de meo adjecisse videri possim. Paucis itaque rem expediam. Obortam in Adriatico mari procellam, et magno impetu navem, qua is aliique vehebantur, impetentem, atque adeo jamjam submergentem, Caietanus fidei et precationum confisus anchora, jacto in iratum mare cereo agniculo, exemplo sedavit *m*. Hæc sunt quæ Joannes Antonius Pratus octuagenario major, anno MDXCVIII scripto testatus, publicis nostri Ordinis monumentis inferri voluit. Certe Caietanus ejusmodi fuit, ut credi de eo majora his possint. Quin etiam ob egregiam Viri sanctitatem, et rerum gestarum magnitudinem a nonnullis quoque exteris statim post mortem privato cultu quotidie honorari meruit. Et vero Lucretia Carafa, Antonius Caponius medicus, et Raynerius Gualandus, ingenui ac probi homines, et quibus nullum

ac mare Adriaticum sedat.

* lege 1543

A lum ex mendacio pretium, narrabant de eo Viro mira, quæ temporum injuria, et posterorum in propaganda laude Majorum indiligentia perierunt.

ANNOTATA.

a *Inter alias plures Campanias synonymas vocatur hæc Campania Felix.*

b *De S. Petri Apostoli Neapolim adventu varia congerit Antonius Caracciolus in libro singulari, quem de Sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis scripsit, cap. 3 sectione 6.*

c *Silosius pag. 210 et 211 eum depingit.*

d *De sycophantis illis consuli potest Silosius pag. 211.*

e *Insignis ad Ochinum Cardinalis Theatini parænesis exstat apud Silosium a pag. 213.*

f *Urbs est in Gallia Celtica, nunc Zurich incolis, satis nota.*

g *Fuit laici ordinis; de quo Silosius tom. 1, lib. 3, pag. 93 et 94; lib. 8 pag. 330; lib. 15 pag. 601.*

h *Vide dicta in Commentario § 19 in initio.*

B i *Ibi sic loquitur biographus noster :* Ædem S. Mariæ Nazarenæ primum incolunt. *Et, nonnullis interjectis, de suo tempore hæc addit :* Ostendunt hodieque Veronenses Nazarenas illas cellulas, quas prisci nostri incoluerunt Patres.

k *Erant apud gentiles solemnia quædam sacra sic dicta, quæ mense Februario fiebant a Lupercis in honorem Panos, pastorum dei. Hic vero per hanc vocem intelligo dies sacro quadraginta feriarum jejunio ecclesiastico prævios, sive, ut ita dicam, antecinerales.*

l *In Vita S. Thomæ Aquinatis apud nos edita tom. I Martii ad diem 7 ejusdem mensis habentur ista pag. 675 :* Cum prædicti Doctoris socius pateretur febrem continuam, venit ad eum Thomas, ut sua visitatione infirmum reficeret, atque in Domino confortaret : quem cum ad patientiam induxisset, consuluit, ut ad B. Agnetem specialem devotionem conciperet, a qua beneficium valetudinis pro certo speraret. Cujus merita apud Deum cum prædictus Doctor implorasset, reliquias dictæ Sanctæ, quas ad pectus suspensas ex devotione portabat, orans supra pectus infirmi posuit, et infirmus sanus et hilaris in lecto resedit. C Quod miraculum aliqui attribuerunt magistro oranti, alii vero prædictæ Virgini : sed melius dicitur, utriusque meritis esse factum, ut utriusque ad Deum preces ascenderent, et infirmo sanitatis gratiam virgo sancta, mota Doctoris precibus, obtineret.

m *Res gesta confirmatur in Commentario num. 68.*

CAPUT IX.

Rarum pietatis exemplum; contractus morbus, piissimus obitus, duo singularia precibus ejus attributa; sententiæ; compendium vitæ.

Rediit itaque Caietanus Neapolim anno MDXLIII, ad finem Aprilis, comitantibus Marco et Gregorio Venetis sacerdotibus. Sed hic rursus, lector, ingentem quatuor annorum lacunam *a* in narratione ista de vita Caietani facere cogor. Ab anno enim MDXLIII usque ad MDXLVII, nihil reperi de eo viro dictum aut scriptum. Hujus vero anni Maio mense Caietanus e comitiis Romæ celebratis Neapolim eum Præpositi titulo rediens una cum Petro Veronensi sacerdote, et Jacobo Clerico, pervenit Atellam *b* Campaniæ urbem, ipso pervigilio dominicæ Ascensionis, diu post solis occasum. Captus igitur desiderio persolvendi solemnes Matutinas preces simul cum Paulinis sodalibus, noluit Atellæ ea nocte diversari; sed fessus licet longo itinere, Neapolim usque ad multam noctem excurrit. Itaque ea ipsa hora, qua domum S. Pauli ingressus est, viatoriis vestibus vix depositis, per summum silentium odeum recta adit, et ingenti cum alacritate ipse aliique divinas laudes canunt. Quæ res quantam omnibus admirationem, lætitiam, et virtutis incitamentum attulerit, non est dictu facile. Adeo magna est vis exemplorum.

A. Ant. Caracciolo. Tendens ad præposituram Neapol., rarum in itinere pietatis specimen dat. a b

93 Contigit vero hoc anno, ut Neapolitani motus, jam antea ad finem superioris excitati, in magnum et exitiabile incendium exarserint. Brevi rem digeram, ne quod copiosissime alii narrant historici, hoc ego loco cum tædio lectorum repetere, et, quod aiunt, actum agere videar. Cum per Italiam Lutheri doctrina latius in dies serperet, probe Neapolitano regno consultum iri arbitratus est Petrus Toletanus prorex, si ea ibi Hispanico more institueretur in hæreticos censura, quæ, quod severe in capita, fortunasque prave sentientium inquirat, Inquisitionis nomen sortita est. Ejus consilii conscius et laudator Joannes ejus frater, Cardinalis Compostellanus *c*, duos Inquisitores Dominicanos Roma miserat, qui diplomate Proregi ostenso, rem conficerent.

Erigendum Neapoli tribunal Inquisitionis E *c*

94 Sed tantus ob id repente tumultus excitatus est in civitate, ut Prorex veritus, ne, si rem urgeret, plebs nobilitati reconciliata junctis viribus in se Hispanosque irruerent, tecto lenibus verbis consilio, se mutasse sententiam civibus persuaserit. Interim per emissarios occulte animos Neapolitanorum pertentat; sed incassum ea industria abiit : nam crebrescentibus sermonibus, omnes propemodum, etiam ii, qui pietatis fama inter eos excellebant, unanimi consensu Inquisitionem exsecrati sunt, eoque perducta res, ut urbs tota ad extremum fere exitium ruerit. Hinc enim Prorex auctus firmo Hispanorum militium præsidio, quos Cæsarianæ triremes Genua advexerant, animos resumpsit. Illinc Neapolitani ingentem exsulum et sicariorum turbam in urbem admiserunt, atque adeo omnia hostiliter agebantur. Quocirca plenæ tumultu et cædibus viæ, fora, atque ipsæ domus : eæ enim displosis tormentis diruebantur immaniter.

turbulentissimos ibidem tumultus excitat : F

95 Porro Caietanus noster hæc cernens, cum primum modis omnibus, qua suadendo, qua rogando, conatus esset exsurgentem seditionem reprimere, mox suo frustratus voto, ex angore animi atque ex vigiliis, quas Deum noctu obsecrando egerat, in febrem incidit. Non potuit enim sustinere piissimus Senex, et caritatis flamma vehementer incensus, tot scelera in dies patrari, tantam in Christiana urbe stragem edi. Præ vehementi autem desiderio extinguendæ turbulentissimæ seditionis, crebro vel cum ægrotaret, illa Danielis prophetæ verba in ore habebat : « Exaudi Domine : placare Domine; attende et fac : ne moreris propter temetipsum Deus meus : quia nomen tuum invocatum est super civitatem, et super populum tuum. » Et quidem jam antea quam lecto

quas quia Vir sanctus componere non posset, febrim contrahit;

A. ANT. CARACCIOLO.

lecto decumberet, instituerat publicas Sanctorum litanias, ad quarum finem hæc eadem Danielis verba cum aliis e sacra Scriptura excerptis piissime contexuerat. Ea nos habemus manu Joannis Marinonii exarata.

qua ingravescente, recusat secundum medicum ac molliorem culcitram;

96 Ingravescente febri Antonius Caponius medicus Caietanum adit, rogatque ut alterum saltem advocet ad se curandum medicum : sese quidem nulli mortalium de benevolentia in eum diligentiaque concedere : at plura videre duos, quam unum. Itaque operæ pretium fore, ut alter accersatur, quocum, quæ facto opus sint, communicet. Caietanus ad hæc, Nil opus est, inquit, mi Antoni, ad me pauperculum curandum, alterum adesse medicum. Ea tu age, quæ ad rem utilia videbuntur. Id certe satis erit. Instat iterum Caponius, ut saltem super durum suum paleis infartum saccum laneam culcitellam poni sineret, atque fractum senio et febre corpusculum ea mollitie aliquantulum solaretur. At ille, qui, ut in cruce cum Christo vixerat, in cruce itidem decreverat mori, sancte subiratus medico, Mihine, ait, molliorem culcitram? In cinere et cilicio, in B cinere et cilicio mori debeo et volo. Atque hæc verba sæpe ingeminans, in suo aspero et stramentitio lectulo, omni rejecta mollitudine, constantissime perstitit.

perceptis deinde Ecclesiæ Sacramentis, piissime moritur.

97 Postquam vero se jam morti proximum vidit, integris adhuc sensibus, Pœnitentiæ et divinæ Eucharistiæ, atque Extremæ denique unctionis Sacramenta poposcit. His rite expiatus munitusque, et æternæ beatitudinis desiderio magis quam febre exæstuans, ad exuendam mortalitatem strenue se comparat. Interea adstantibus sodalibus inter alia hæc dixit : Arbitror, fratres, nemini, quod sciam, me unquam intulisse mali aliquid, aut molestiæ. Siquis tamen, me inscio, se læsum aut molestia mœroreve a me affectum existimat, ecce, ego veniam ab eo, quisquis fuerit, demississime posco. Magnum sane verbum, et simile prorsus illi, quod Moyses et Samuel, Israelitici duces populi, protulerunt. In hunc igitur modum Caietanus, caritate ditissimus, ad Christum, quem tantopere dilexerat, atque imitatus fuerat, emigravit VII Idus Sextiles MDXLVII.

Sedatio turbarum Neapol., ac victoria Caroli V attributa precibus ejus. d e

C 98 Duo vero contigerunt in orbe Christiano non multo post Caietani mortem, læta et fausta bonis omnibus, dura et exitialia improbis. Alterum, Neapolitani dissidii et tumultus sedatio, quæ a plerisque, merita Viri noscentibus, precibus Caietani jam in cœlum recepti fuisse a Deo obtenta dicebatur *d*. Alterum, victoria *e* Augustissimi Cæsaris Caroli V de Saxoniæ Duce, quem Hippolytus Portius, Comes Vicentinus, equestris alæ f ductor, e prælio evadentem primus *f* omnium cepit, et a Cæsare nobile præmium reportavit. Fuit autem inclytus iste Hippolytus Caietani nostri g gentilis ex materna *g* stirpe.

Sententiæ h

99 Memorabiles vero sunt Caietani sententiæ, variis ab eo occasionibus dictæ aut scriptæ. Inter multas, quæ interciderunt, has paucas *h* reperi, quas, ne et ipsæ intercidant, hoc loco ponendas duximus.

I. Divinam Eucharistiam non esse sumendam, ut Christus sese in nos commutet, sed ut nos in seipsum : hoc est, non eo scopo communicandum, ut Christus nostram faciat voluntatem, sed ut nos ejus voluntatem sequamur atque exsequamur.

II. Mundi delicias et voluptates non esse aliud, nisi dæmonum præstigia, quibus homines a se excantatos non replet aut nutrit, sed inflat solummodo. Deum autem solum habere in sua potestate veras et solidas voluptates, quæ scilicet vere satient, et D expleant humana corda.

III. Petro, Veronensi conquerenti de Præpositturæ onere sibi imposito, cui non esset ferendo, Caietanus dixit : Vis, Petre, onus istud tibi subditisque levissimum reddere? Cura ut ameris cum Deo.

Caietani.

100 IV. Comitem Oppidanum famulis suis crebriuscule, et ob leves causas (ut morosi senes faciunt) irascentem, his aliquando repressit : Dic mihi, quæso Comes, esne tu adeo prompte Deo obediens, quemadmodum tibi homini ab hominibus vis obediri?

V. Bartholomæo Scayno sibi alioquin amicissimo roganti, ut filio suo, quem judicem fieri cupiebat, apud quemdam procerem faveret; libere respondit : Ut judices populis dentur, quibus justitia per eos administretur, id quidem bonum est ; at Religiosos viros immiscere se curis secularibus, et procurare, ut quisque judex eligatur, id vero non est bonum.

VI. Elizabethæ Thienææ, fratris filiæ, scripsit, non secus homini patriæ suæ, quæ cœlum est, oblito, E accidere, atque viatori, qui in caupona sese inebriet, et vino madidus, viam, quæ ad patriam ducit, reperire non possit.

Testis oculati i

101 Hæc sunt, mi lector, quæ de Caietano Thienæo narranda et posteris transmittenda habuimus. Ut autem brevem corporis animique ejus descriptionem, atque adeo omnium, quæ diximus, veluti compendium habeas, ponam postremo hoc loco testimonium, quod Erasmus Danesius, presbyter integerrimus, qui cum eo aliquandiu vixit, scriptum reliquit in hæc verba *i* : « De Caietano hæc dico, fuisse eum adeo venerabilem senem, ut plane verear, an satis sim, narrare ejus Viri eximiam probitatem, ac virtutem. Exstitit enim vita præstanti exemplo conspicua : in conversatione humilis, mansuetus, modestus, pauci sermonis : in precationibus assiduus : erat enim cernere eum jugiter in odeo persistentem fixis humi genibus, aut precarios globulos, vel libellum aliquem pium manu gerentem, meminique me sæpe vidisse illum inter precandum lacrymantem. Erat etiam cibi parcus ; imo sæpissime jejunabat. Plura advertere potuissem : sed tunc præ adolescentia his observan- F dis non vacabam diligenter.

compendiosa de moribus, corporis habitudine,

102 Sermo gravis, devotus, tunc maxime, cum inter refectionem verba ad fratres faceret. In operis domesticis, laboribusque primus omnium semper ; verbi gratia in mundandis lixivio linteis, in everrendis cubiculis, et tota domo, inque aliis hujusmodi vilibus exercitiis. Noctu primus omnium ad vigilias excitabatur, primus ad odeum descendebat : quo loco alacriter, ac meditate, et cum decenti pausa Psalmi canebantur. Cum ei de more ante sanctissimum Christi Corpus, aut alibi alias genu flectendum esset, profunde ad humum usque demittebat genu. Persoluto Matutino precum officio, eodem quo psalluerat * loco, genibus humi fixis, mente orabat ad horam usque Sacrificii. Deinde animo demisso et humili labeculas suas quotidianas confessus, religiosissime sacrificabat, idque ut plurimum ad S. Andreæ, vel ad summam aram ; me vero ut patria Caietanum, et novitium, ad sibi Sacrum facienti administrandum, frequenter adhibebat.

* *imo* psallerat

ac virtutibus ejus

103 Post hæc rursus ad psalmodiam accurrebamus. Tum vero recitatis Prima, Tertia atque Sexta, expletisque Sacrificiis, ad mensam accedebamus. Ea frugalis et exigua, ex iis scilicet, quæ mittebantur. Et sæpe contigit, nihil nos in cœnaculo

A naculo reperisse, nisi modicum panis frustum, et forte aliquot mala Medica. Memini vero quadam die, nihil nos præter panem et quatuor recentes fabas habuisse. Interim tamen Dominus providebat, animum alicujus pii hominis movens, ut quidpiam nobis mitteret. Quapropter Caietanus instituit, ut benefactorum nomina publice in cœnaculo de superiore loco recitarentur. Plurimas præterea gratias iis agebat, Deum semper laudans, quod, ut nobis munifici essent, inspirasset; diligenterque nos omnes admonebat piissimus Senex, ut Deum pro illis exoraremus. Ut paucis dicam, Caietanus erat vita prorsus irreprehensibili, castus, mansuetus, misericors. Erga ægrotos præsertim magnam ostendebat benignitatem: suis eos cibabat manibus. Marcum Pasqualinum, gravi et diutina valetudine laborantem, eximiis charitatis officiis prosecutus est, atque adeo omnium ille salutem enixissime procuravit.

descriptio. 404 Privatim vero in sua cellula summam pauperiem coluit. Culcitra stramentitia, paleis scilicet infarta, et semilacera; pulvillus item e paleis, tabella vilis, et scabellulum, pauci libelli, et sacra imago chartacea. His ille cubiculum instruebat B divitiis. Vestes interiores, exterioresque e panno crassiore. Statura erat mediocri, neque pusilla, neque valde procera, vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulum macie extenuato, genis nonnihil rubentibus. Oculis atque ore suavitatem benignitatemque spirabat; barba attonsa et canescente. Comam usque ad extremas aures promittebat, ut eorum temporum mos erat. Pileo primum rotundo ad Venetorum morem, postea cruciato usus est. Fateor, non posse me omnes ejus Viri virtutes *k* exæquare dicendo: illud dixisse sat fuerit, piissimum illum Sacerdotem floruisse eximia sanctitate, egregiisque virtutum ornamentis *l*. »

ANNOTATA.

a *Hanc utcunque supplet Commentarius in initio* § 7.

b Atella, urbs Campaniæ in Italia, testibus Ptolemæo et Strabone, postea episcopalis sub archiepiscopo Neapolitano, 7 milliaribus a Neapoli in C Boream Capuam versus, nunc vicus tantum, S. Arpino dictus, teste Sanfelicio, in provincia Terræ Laboris, 3 milliaribus a Clani fluvio, et vix uno milliari ab Aversa urbe, quæ illi successit in episcopatu, et nova Atella dici potest, media inter Capuam ad Septentrionem, et Neapolim ad meridiem, 8 mill. pass. utrinque distans, ut ego vidi, dum illas partes lustrarem anno MDCLXVII, *inquit Baudrandus.*

c *Plura de eo invenies apud Ciaconium tom. III col. 644.*

d *Eventus ille pluribus confirmatur in Commentario num. 43.*

e *Victoria ista accidit die 24 Aprilis anni 1547; uti constat ex Gestis Caroli V imperatoris, anno 1564 Gandavi idiomate Flandrobelgico editis, ubi has de illa temporis notas invenio graphice signatas:* Prælium hoc Cæsarea majestas vicit die vigesima quarta Aprilis, postridie S. Georgii ac pridie S. Marci, anno Domini nostri MDXLVII. *Eosdem diem ac annum ponunt Spondanus et Raynaldus in Annalibus suis, nec non Labbeus in Compendio chronologico anno 1666 Lutetiæ Parisiorum excuso (apud quem tamen mirum est in Historiæ chronologicæ parte 3, anno 1670 ibidem vulgata, pag. 523 signari 24 Augusti) ne Calvisium in Opere chronologico ad annum æræ Christianæ 1547, et Struvium in Corpore historiæ Germaniæ tom. II pag. 1047 commemorem. Ex his consequitur, ut victoria illa* precibus Caietani jam in cœlum recepti *adscribi non possit, cum ea neutiquam contigerit post ipsius mortem, quæ utpote evenit die 7 Augusti anni 1547.* A. ANT. CARACCIOLO.

f *Magnam esse controversiam, a quonam captus fuerit Saxoniæ Dux, Hispanis, Hungaris atque Italis hanc gloriam sibi vindicantibus, memorat Struvius mox citatus, pag. 1048: ubi etiam Nat. Comes lib. 2 exeunte citatur pro* Hippolyto Portio.

g *De Maria Portia, Sancti matre, egimus in Comm.* § 1.

h *Hisce nonnullas alias adjecimus ibid.* § 7 *num.* 77.

i Ex Italico, *uti ad marginem exemplaris, quod recudimus, notatur.*

k *Latissimus circa eas campus aperitur in Comm.* § 8 *et seqq.*

l *His adde, quæ præmisimus in Commentario num. 78 et seqq.*

E

GLORIA POSTHUMA

Ex Miraculis.

§ I. *Miracula primo a Sancti morte seculo patrata, atque ea primum quæ ad animorum commoda spectant.*

De miraculis a Sancto, dum viveret, patratis *diximus supra in Commentario* § 6; *de iis autem, quæ approbavit Rota Romana, ibidem* § 16. *Alia itaque nunc damus, ea præmissuri, quæ primo ab ejus morte seculo evenere. Silosius postquam enarrasset miracula,* quæ publicis tabulis *(ita loquitur part. 1, Historiæ sui Ordinis, lib. 7 pag. 286)* actisque gravissima Romanorum judicum decreta consignarunt; alia nunc miracula accensenda *indicat;* quibus etsi ab irrefragabili eo judicio pondus non accesserit; ea tamen sunt, ut aut jurata in processibus, testium fide constent, aut ea quidem auctoritate, famæque constantia comperta, ut nullus relinquatur suspicioni locus. Perstringenda illa porro, non fusius enarranda, atque ea quidem serie, ut prius, quæ ad animorum curationem aut fructum; tum quæ ad corporum commoda; postremo quæ spectare ad fortunæ bona videntur, delibemus. *Sequentium miraculorum fides.* F

2 Atque ad animorum quidem frugem quæstumque nescio, an contingere aliquid majus aut fructuosius potuerit, quam quod Vicentiæ accidit Caietani ope. Franciscum quemdam, quem Farfarellum nominabant, violatæ fidei quæsitores capitis, ceu relapsum, damnaverant; et quod bonos omnes maximopere afficiebat, obfirmaverat adeo in sua sententia animum, ut nulla prorsus argumentorum machinamenta expugnando essent, luderetque doctissimorum hominum operam insigni pertinacia. Inter viros doctos, qui hominis contumacissimi salutem urgebant, erat ex nostratibus Joannes Centurella; qui, ut frustra conatus omnes esse advertit, experiri auxilia, atque opem Cœlitum statuit, interpellavitque Caietanum, ut quando *Hæreticus ad frugem reductus,*

EX EDITIS.

do is idem erat Franciscus, qui eamdem Valdesii atque Ochini *a* orbitam anxius premeret, quorum ipse olim insanias, atque impetus strenue fregerat, adesset modo infelicissimi capitis impietati ac pertinaciæ arietandæ : putare se, haud ardentiore tum quidem zelo exarsisse, dum ageret inter mortales; quam arderet nunc caritate, inter meliores transcriptus. Res enimvero supra fidem hominum visa. Nam haud opus longiore conflictu fuit. Cumque de lustralibus Purgatorii flammis, quas ille pernegabat, cœpta dissertatio esset; primo statim ictu dedit hæreticus manus, effususque in lacrymas, deprecari de genu, ac intime errorem cœpit. Nec post multo orthodoxæ pietatis, fideique confessione, Sacramentisque Ecclesiæ rite initiatus, singulari constantia irrogatum supplicium subiit. Plane quam difficile est hæreticorum adamantes, atque æs triplex circa pectus frangere; tanto putandum est flagrantiore studio hujus causam in cœlestibus subselliis perorasse Caietanum : qui, cum agitari de fide ac religione contigit, nunquam non [fuerat] ardentissimus.

B

sedata inter Thienæos discordia,

3 Gentem Thienæam affine cognatumque præsidium experiri par fuit, ac eo quidem affusiore beneficentia, quo propior Caietano. Simultates inter sese quam gravissimas duo ab ea stirpe viri proceres exercebant; ac totum jam quinquennium implacabile odium tenuerat. Amicorum ac gentilium in id animorum fœdus incumbentium monita obfirmata ac pertinax utriusque in eo dissidio mens excludebat. Cum præsentem Caietani opem deposcendam quidam ex consanguineis duxit : statimque implorata ejus fide, visa repente ea inimicitiarum flamma subsedisse. Id vero Caietani suffragio factum potissimum, declaravit tranquillatum tum maxime discordiarum œstrum, cum minime speraretur : ac illorum alter dicere postea solitus erat, nil se admirari vehementius, quam secutum extemporaneum illud fœdus.

redditus linguæ usus ad confessionem sacramentalem,

4 Illud etiam a domesticis ejus domus fastis petendum. Flaminia Thienæa in Divi Petri asceterio, quod celeberrimum Vicentiæ est, sub D. Benedicti disciplina diu vixerat; senectaque jam ætate, ac morbi vi quadam ineluctabili conflictata, supremo decumbebat. Integra quidem piissimæ virgini mens erat; verum ita linguæ usum interceperat languor, ut expiare in extrema ea vitæ periodo noxas suas minus posset. Itaque rogare cognatum numen, quod potentissimum cœlo non dubitabat. Nec mora : instauratum linguæ officium; adnumeratisque expedite labeculis confessario, non ita post multo summa animi tranquillitate occubuit.

C

uti etiam alius menti restitutus ante mortem;

5 Contigit vero Syracusis ingens ejusmodi beneficium Joanni Allegriæ, nostri Ordinis sacerdoti. Fuit is adeo vehementi ac præcipiti correptus febri, ut quarto statim die ab humanis excesserit. At pridie quam obiret, abalienatus prorsus mente, supremo tantummodo Sacramento initiatus; cæterum neque expiari confessione, neque muniri ad longe difficillimi certaminis præsidium Eucharistia poterat. Perculit peracerbe ea fratris calamitas nostrates. Tum Caietanum, cujus anniversariam ea luce memoriam exceperant, ut rectam infirmo mentem impetraret, impensius orare. Audiit ille suorum vota : ac visus illico sui compos Joannes; qui habitis primum Thienæo gratiis, quod opportune adfuisset; ut ea pietatis officia maturarent, monuit; iisque vix sacris procuratus, prolapsus in eadem morbi deliramenta iterum est; exhalavitque postera die animam non sine iterato præsentique sanctissimi Parentis patrocinio : paulo siquidem ante obitum restitutus denuo sensibus fuit, ut pie inter flagrantissimæ caritatis actus, atque exempla virtutum exspiraret.

D

impotenti animi ac fœdæ cogitationes refrenatæ,

6 Pronam adhuc animorum curationi Caietani manum duæ honesto loco feminæ Venetæ, Juliæ nomine, testantur : quarum uni Brixianæ cognomentum erat; alteri Zoæ. Brixiana præfervida quidem indole, ac facilis indignari, temperare impotentiam, ardoremque animi minus poterat, dolebatque eo vel maxime, quod indigere æquanimitate in prolixiore viri morbo videbatur. Igitur continenti oratione rogare integram hebdomadam Thienæum statuit, ut impetraret. At neque constitutam precum periodum absolvi passus Caietanus. Nam primo statim die injici quoddam animo frænum sensit Julia, adolevitque patientia; ipsamet vehementius nimirum admirante, tolerantem laborum atque ærumnarum indolem tacite suspensisque adeo vestigiis successisse; litavitque mox auctori gratias, quem Caietanum fuisse deprædicabat. Zoa vero, implorata ejusdem Thienæi tutela, idem sibi orandi spatium ad molestissimarum quarumdam cogitationum, quæ mentem magnopere fœdabant, victoriam præscripsit. Beneficii sine ulla mora compos facta. Verum quod postea promissis non staret, angi, cruentarique iisdem telis cœpit : donec, liberata penitus fide, rediit suus iterum candor, ac tranquillitas menti : et quod iterum acceperit, his quidem Thienææ beneficentiæ obnoxia mulier fuit.

E

quidam de culpa monitus per Sancti imaginem.

7 Atque id genus animi affectionibus attulisse persæpe opem Caietanum, compertum habemus : quo loco non dissimulaverim præclaram, quam iniit, rationem monendi, mulctandique virum cum paucis probum, qui ad perfectionem virtutis via grassabatur. Consueverat is ad vesperam ante Caietani imaginem explorare animum, exactique diei horas ad examen libramque revocare. Ergo noxas attentius dum recognosceret; qua die errasse graviusculo contigisset, aversam mire imaginem advertebat, quo et aversari eam noxam, et vindicandam acrius docere videbatur Thienæus. Recte magistram vitæ effigiem illam dixeris : quippe labentes diei horas non indicabat modo, sed, si quæ nulla fruge aut segnius fluxissent, perstringebat, F emendabatque.

ANNOTATA.

a *Consule de illis Vitam* S. Caietani *cap. 8.*

§ II. *Beneficia corporis prædicto seculo Sancti ope collata; mali genii repressi.*

Puer mortuus vitæ redonatur :

Hactenus de animorum morbis, *ait Silosius pag. 287.* Vocant nunc corporis beneficia. Et quidem exstinctos ad vitam revocasse, hoc quidem inter miracula maximum, supremumque communi calculo existimatur. Hac porro laude insignia Caietani merita honestari divinum Numen voluisse, tabularum fide constat : habeturque in Actis Mediolanensibus fuse, quod hic raptim enarrabimus. Anna, Camilli Aquavivæ uxor, lapsum e superiore loco filium Franciscum ut vidit, ut accurrit : at nullam in eo corpusculo superfuisse vitæ particulam cum cognovisset, exstinctum filium pene secuta ipsa est, exhausta ingenti vulnere doloris. Ut vero sese paulisper collegit, spe-

are

A rare nescio quid animus jussit: superiore certe instinctu [fuit] erecta. Cumque jam Caietani ejusque patrocinii fama evulgatis undique beneficiis percrebuisset, commendare sanctissimi Viri pietati filium statuit. Ergo post plusculas ab ejus obitu horas, Caietano in D. Antonii templo illum sistit, obfirmavitque strenue animum, non inde se recessuram, nisi impetrata postliminio puero lucis usura. Vix illa ardentiores eas preces concepit; cum aperire, ac versare oculos puer, recepto nimirum spiritu, ac vita: abiitque domum mater incolumi sobole, compertam Caietani opem continenti gratiarum actione compensatura.

opem fert Sanctus

9 Jam cum proximæ fato sint, quæ difficili puerperio utuntur; quæcunque ereptæ ab eo discrimine sunt, censeri profecto inter reportata de ipsa morte trophæa poterunt. Narrantur plane de Thienæo istiusmodi victoriæ non paucæ. Mediolani bis in ea pariendi difficultate compellatus, bis adfuit salutaris. Et Angela quidem, honesto loco femina (vix nuncupatum a viro votum fuit) cum et sua et sobolis incolumitate peperit. Susanna vero Castillionia præstantiore quadam ope non B modo ab ingentibus se cruciatibus liberari, suscepto voto, sensit; verum et enixa felicissime fœtum est, lectoque statim desiliit ea virium firmitate, acsi nunquam peperisset.

parturientibus;

10 Vicentiæ, Valeriæ Ferramuscæ experiri adhuc valentius Caietani tutelam ac suppetias contigit. Enimvero et partus ad umbilicum nondum perductus exitum intempestivius maturabat, et eo insuper situ uterum urgebat, ut periculum congeminaret: ac demum correpta vehementiore febri Valeria, commune id erat medicorum suffragium, non evasuram ab eo nisu incolumem. Quid multa? Admota Caietani lipsana visa periculum metumque omnem protinus abegisse: effuditque illa felicissime puerperium, ac Thienæo acceptam retulit sanitatem ac sobolem. Sed ejusmodi in partu mirabilia divina ac præsentissima ejus virtus frequenter peperit.

ac omni

11 At enimvero malorum genus omne percurrere, quæ imploratum Caietani nomen difflavit, infinitus pene labor esset. Nullibi non jugulatos morbos reperies. Et quidem quod ad febres attiC net, ab iis aut nuncupato Thienæo voto, aut orata utcunque illius ope, convaluere, Mediolani Antonius Montegnanus, qui supremo spiritu luctabatur: Franciscus Cermina, sexennis puer, cujus jam florem ævi decusserat ac protriverat pene mors: Leonardus Galerius, et Hippolyta Coira, uterque acutissima febri confectus. Vicentiæ, Serena Poiana Trissina, Petrus Magre, Catharina Mainentes, Horatius Pasqualinus, aliique satis multi. Genuæ, Dominicus Caressetus: Ferrariæ, Lavinia Pia Thienæa, Scandiani marchionissa: Neapoli, Ferdinandus Carafa, Laurini dux. Ex nostratibus vero conclamati jam fuerant Romæ Marcus Romanus, qui tum maxime Caietani apotheosim apud Cardinales accurabat; Cremonæ, Stephanus Santinus; Vicentiæ, Stephanus Foppolus, notæ probitatis presbyteri: ereptique periculo beati Parentis præsidio fuere.

malorum genere

12 Innumeras item alias valetudinis species effugasse egregiam ejus virtutem, pro comperto habemus. Mediolani Franciscus Vercellinus a calculis ac dysuria, nulla spe vitæ, laborabat; viso noctu Thienæo, ut ejus se patrocinio commendavit, convaluit. Vicentiæ Josepho de Leonardis e Capucinorum ordine ob vehementiorem quemdam corporis nixum, miserandum in modum diffluxerant viscera, ut ferro medicinam facere cogitarent jam medici. At longe mitius actum, Caietano adspirante. Ad susceptum namque fratris votum suam illico sese in stationem fusa intestina recepere. Leonida Montia, in divæ Mariæ Aræcæli cœnobio sanctimonialis, articulari morbo sesquiannum conflictata, remedium omne exhauserat, nullo quidem operæ pretio. Curavit Caietanus voti ream. Modiolani Francisco Landriano, duodenni puero, excreverat ad renes insanæ magnitudinis tumor, discruciabatque intime Matris adhortamento dum precarios globulos ad Caietani imaginem recitat, visa statim diffluere, ac solvi lues.

EX EDITIS.

laborantibus,

13 Venetiis Paschettæ Comatiæ alte prolapsæ luxatum corpus voti nuncupatione in artus rediit. Ejusmodi præcipiti casu afflictæ, Bartholomea Merzaria, et Catharina Bellosia, eodem patrocinio erectæ, ac redintegratæ. Corneliæ Canalis digitum ab levissima quidem cuspide ea lues corripuerat, ut reliquo jam corpori metuerent medici. Admota Caietani imagine virus evanuit. Vicentiæ Dianam Bessolam annos haud minus quadraginta pituitæ pernicies fluxusque divexabat: E frustra quæsita medicorum arte remedia, ac preces ipsæ erant; quippe servata Thienæo curatio; cujus ope implorata rediit sanitas. Petrus Francus dolorem, qui duodecim jam annos brachium occupaverat, fusis ad Thienæum precibus, dispulit. Contracti jam Paulo Moretto nervi, orata ejusdem ope, soluti. Idemque nervorum vitium iisdem nempe suppetiis a Florentia Elisabetha Mutia emendatum. Atque hæc de morbis satis. Nam sicui percurrere eorum syllabum, ac censum vacat, qui ob effugatas ægritudinum lues, recuperatamque corporum incolumitatem Caietani munificentiæ sunt obnoxii; adeat in ejus Vita Castaldum nostrum, qui raptim, ne et ipse tædio legentes afficiat, damnatos voto innumeros pene commemorat.

ac cum periculo aquarum

14 Jam, quod inter æstuantis pelagi fluctus interminari, ac sævire atrocius mors videatur; quæ in eo procellarum conflictu, metuque adsunt cœlitus præsidia, æstimari pluris solent. Nec defuit inter Caietani trophæa perdomitum mare, ac fracta superbientium undarum impotentia. Ex ejus generis miraculis narrandum hic unum aut F alterum. In Venetis æstuariis ea vi impetiere cymbulam fluctus, ut excusso, projectoque statim in mare ventorum impetu rectore, nil propius esset, quam ut exigua ratis, et quos vehebat, sorberentur. Affulsit, salutare ceu sidus, Caietanus. Siquidem nuncupatum vix a quadam femina, atque ab ipso, qui furenti cum pelago luctabatur, rectore, votum fuit; cum, ecce tibi, sedata momento tempestate, visum mare Thienæi nomen, ac potentiam, posito fastu, demissius venerari. Erepti naufragio beneficii testem ac monumentum ad Caietani imaginem tabellam dedicarunt.

luctantibus.

15 Illud gentili suo tempestive impensum. Comes Antonius Thienæus, adnatare ad cymbam cum oporteret, frangi atque exhauriri in medio conatu spiritum sensit, ut mari emetiendo desperaret jam vires suffecturas. Statuit a domestica statim tutela opem implorare: nec lusit fiducia. Nam adesse commodum sub pedibus ceu ramum quemdam sensit, cui innixus, refectisque modicum viribus, moliri se iterum cœpit: sed cum latera iterum lacertique conanti deficerent; orato denuo Caietano, eadem rami ope respiravit, enatavitque mox in lintrem habitis, precario quem acceperat spiritu ingentibus Servatori suo gratiis.

Relatæ

16 Quædam nunc malorum dæmonum victoriæ

EX EDITIS.

riæ delibandæ: quæ sane beneficia eo mortalibus potiora, quo vehementiore quidem tyrannide corpus divexatur; refuso etiam in animum magnam partem exitio. Quippe ab infensissimi hostis propinquitate clades, ut propior, ita acerbior. Ergo ex multis pauca memorabimus. Venetiis Joanna Moretta exagitata a rebellibus istiusmodi geniis erat: et quo urgebant vehementius imprecationes ac sacra; eo resumere vires robustiores inferna illa phalanx videbatur. Tandem compellatus Caietanus; ad cujus nomen visus illico frangi hostis; ut, qui cæteris præerat, Pulcher nomine, sacrorum vi carminum diceret, dare se potenti nomini manus, nec ferre jam posse suavissimum odorem, citrio malo persimilem, quem puellæ objectus efflaverat. Itaque evasit stygia ea lues, non amplius puellam ausa divexare. Hunc porro citrei odorem frequenter inhalasse Caietanum, cum spectandum sese mortalibus daret, diximus, cum de ejus virginitate sermo fuit; ubi et alias dæmonum victorias commemoravimus *a*.

B 17 Venetiis item lacessebant acrius Luciettam Albericam pravi dæmones, objiciebantque sese multiplicem induti aspectum; ut qua minis, qua blanditiis ab tuendæ virginitatis consilio deterrerent. Cumulabant porro artes, atque odium suum inferni veteratores. Quippe ut illa sacrorum usum abrumperet, suadere conabantur, actum jam de ejus salute, ac destinatam devotamque æternis fletibus. Quid inferorum candidatæ prodessent Sacramenta, atque usura divinorum? Aperire hæc animi turbamenta confessario, id demum optimum experiebatur remedium Alberica. Edoctus siquidem iste, quantum inesset Caietani nomini, ac tutelæ in rebelles dæmones momenti, compellabat protinus ejus opem; quo firmari puellam in egregio honestatis proposito, atque ad divina inflammari vehementer sentiebat. Atque hinc ad exactam stygis victoriam uti ipsamet Caietani appellatione, ac patrocinio statuit, constituto fundendis precibus certo dierum numero: quo expleto, visus illi Thienæus gravi specie, qui blandissimis usus verbis, ab iis posthac hostibus non amplius provocandam ac divexandam monuit. Profligatum C vero omnino adversarium consecuta mox animi tranquillitas demonstravit. Ad eumdem fere modum aggressi Mediolani Hippolytam Trumbam iidem hostes, id efficere maxime conabantur, ut a Sacramentis abhorreret. At ejusdem Thienæi fides implorata egregie triumphavit. Visa namque Hippolyta ab eo præsidio proniore quidem studio et lustrare conscientiam, et divinissimo refici epulo. Cujusmodi patrocinii parcimus plura hic exempla adnumerare.

de malo genio victoriæ memorantur.

ANNOTATA

a *Adisis Commentarium nostrum prævium § 8, num. 92 et seqq.*

§ III. *Fortunæ bona per Sanctum sospitata.*

Felix per Sancti tutelam velificatio:

Pergimus ad ea, *præeunte Silosio pag. 290,* quæ fortunæ bona vulgo nuncupantur, quibus aut tuendis aut amplificandis, non segnius adfuisse Caietanum, hæc ejus potissimum documenta declarant. Joannes Donatus Nardarinus, cui Venetiis e re nautica quæstus, observasse diutius se narrabat non sine admiratione, navigium quodD dam suum nullis unquam pelagi casibus obnoxium, celerius quidem, ac longe quam alia prosperiore velificatione cursum conficere: reputasse vero apud animum suum, non id aliunde, quam a Thienæi tutela accidere potuisse. Quippe Caietani nomine appellari illud voluerat; ejusdemque inibi imago cernebatur, ventorum, marisque moderatrix.

negotiator quidam angustiis liberatur:

19 Est et illud longe majore admiratione dignum. Subducturus negotiator quidam cum sociis rationes; advertit, mille aureos in accepti, expendique commentario minime consignatos: reductaque sæpius re ad calculum, nusquam id pecuniæ adnotatum reperit: ac ne lusos fortasse, ut assolet, errore quodam oculos præteriisset ea summa; quod falli manum minus posse existimaret, exscribere rationes omnes quam accuratissime ac singillatim voluit. Itaque quod prætermissa oblivione quadam ac negligentia revera esset summa, id demum tuendæ existimationi fideique remedium erat, si solveret. Interea multa de Caietano, collataque mortalibus ejus ope, felici admurmuratione Venetiis narrabantur: qua ille miraculorum fama excitatus, in ea non exigui momenti jactura E compellare ejus patrocinium statuit. Ergo ecclesiam Tolentinatem ut adiit, orare ad Caietani imaginem impensius, adesset, qua soleret virtute, ac tutela. Nec multa: dum rationes post paulo recognosceret, adscriptam in loco, quæ deerat pecunia, reperit, perinde ac si suo ipse in tempore consignasset. Quis inibi illam adnotarit, Caietanus, an ex Angelorum numero aliquis, supremo videlicet Numine ad Caietani preces id imperante, parum refert.

res sericaria ad meliorem successum reducitur:

20 Hujusce argumenti illud item est, quod equidem non dissimulaverim: et quamvis in tenui præsidium, non tenuis profecto Caietano ex eo gloria. Vicentiæ bombyces ad sericum procurare impensius, in more positum est. Quod sane inauspicatius quotannis Claræ Ghellinæ contingebat. Quippe, quo illa in eam curam incumbere diligentius videretur, eo res cederet infelicius, exstincta nimirum magnam partem sericaria ea sobole. Aderat Cassandra Muzzara, Claræ mater, quæ irriti laboris, adversæque nimium fortunæ F successionem filiæ indolens; votum Caietano nuncupavit, ut eo anno, quo afflato jam consueto a sidere bombyce corrumpi maxime cœperat sericum opificium, eas ille curas benigne fortunaret. Vix implorata ea fides: cum visa sisti clades, et quamvis grassata in majorem eorum partem lues jam esset: is nihilominus ab his, qui superfuere, proventus fuit, ut cæterorum jacturam longe compensarit; adaucta nimirum Caietani precibus paucis illis virtute, qua opulentius ac magnificentius lucubrarent.

Medico Germano misere profugo et afflicto succurrit;

21 Plura istiusmodi exempla, quæ meminisse pretium foret: sed prætermittimus; unum id solummodo enarrantes, quod Germano cuidam medico accidit. Emensus hic diu pericula, ac longissimi itineris labores fuerat: pulsatus undique calamitatibus, malorum quamdam iliadem circumferebat. A suis etiam ita divulsus, ut quo aut ipse, aut illi sub sole essent, neque ipse scire posset, neque illi. Ergo post menses undeviginti jactatus vi, lusuque fortunæ, Vicentiam appulit. Tum casu ad D. Stephani, nostri Ordinis ædem: ubi Caietani imaginem, multis insignem tabellis, hoc est, profligatæ omnigenæ adversitatis trophæis, conspicatus; excitare ad bonam spem animos cœpit, ac sanctissimi Viri nomen, opemque ex animo implorare. Nec mora: affulgere illico dies lætio-

A lætiores occepere, dilabique calamitatum genus omne, suis, sibi restitutis. Cujus quidem beneficii, ut posteritatis documento exstaret memoria; idem ipse, qui accepit, tabula eleganter descripsit, dedicavitque Caietano: nosque hic exscribere, non pigebit:

de qua re profertur inscriptio.

22 « Deo optimo maximo ac beato Caietano » Thienæo. Post exantlatos indeviginti mensium » tempore labores, dolores, terroresque acerri- » mos, dum extorris patria, invisus omnibus, sic » avulsus a meis, ut nec ipsi de me, nec de ipsis » ego rescire quidquam potuerimus; Italiam, » Germaniam, orbem ipsum oberro miser, ac pro- » fugus; afflictis, perditis, desperatis rebus omni- » bus, humana amissa ope: divina spe cœleste » confidenter ante imaginem B. Caietani Thienæi, » Vicentiæ in templo S. Stephani, imploravi au- » xilium; Caietani preces, Caietani merita inter- » ponens meis erga Deum precibus. Et extemplo » restitutus meis, mihi mei sunt. Ergo voti æque » reus et compos, hoc syngraphum meum ante B » sacram illius iconem appendi volui. Actum Vi- » centiæ octava Januarii MDCXXVII. Joannes Lupus » nobilis Germanus. » Quæ hactenus enarravimus, non suo quæque tempori censuimus adscribenda, quippe in multiplici ea mirabilium silva, ac censu minus necessarium. Sciverit lector, ea successive ita contigisse, ut labentibus ab ejus excessu annis, nullus pene fuerit, non Caietani virtute, ac miraculis nobilitatus; omnisque ejus promerita dies loquitur ac testatur.

Continuata Sancti miracula, apud Platienses præsertim in Sicilia, a

23 Hoc ipso, quo hæc scribimus, anno seculum fauste absolvitur, quo Vir sanctissimus exuit mortalitatem *a*; neque longiore hoc ævo, aut consenuisse patrocinium, aut defatigatas in audiendis mortalium votis ejus aures videmus. Adest ille ubique gentium, animorum et corporum procuratione: compluunt etiamnum e cœlo beneficia ad Caietani nomen: damnantur quotidie votis miseri; gratique animi indices tabellæ consecrantur. At enimvero, etsi plerisque in locis, prona quidem manu, populorum religionem erga sua ipsius merita alat munifice; nihilominus, nescio quonam pacto, sive id civium pietas conciliaverit, sive C quia suus etiam Divis est genius, atque animi propensio, Platia *b*, quæ est urbs in Siciliæ mediterraneo, civium opumque censu notissima, Caietani tutelam, ac beneficentiam nostra hac tempestate usque adeo experitur, ut nullibi ille frequentius ac largius opem suam erogaverit. Cœpta hæc ejus in Platienses munificentia anno supra millesimum et sexcentesimum quadragesimo primo, cum inter ejus urbis tutelares Divos ab illustri eo senatu est cooptatus.

tum temporis potissimum, quando eum delegerunt patronum;

24 Nam etsi beneficiis aliquot antea eos cives demeruerat Caietanus, tamen cum decretus illi patrocinii hic honor fuit, ceu compensare magnifice pietatem vellet, rupto velut obice, pleniore in illos sese amne effudisse visus est. Enimvero innumeri pene censentur, qui, orata ejus ope, conceptisque votis, ac sacræ potissimum ejus imaginis gestatione, a gravissimorum morborum incommodis convaluere: plerique a suprema ipsa vitæ linea gradum revocantes, gaudent precario vivere; ac satis multi animorum curationem assecuti, obnoxios se ampliori beneficio prædicant: ut jure quidem merito felicitatem urbis ab ea Caietani clientela, ac præsidio proximæ quæque urbes, pagique invideant. Sed hæc raptim commemorasse abunde est. Effusa namque populorum vota, ac patrata inibi mirabilia singillatim enarrandi suus erit locus, cum ad nostra hæc tempora excurrerit, Deo dante, Historia.

EX EDITIS. quibus adde miracula Neapoli facta

25 Verum his adhuc recentiora habemus, quæ de Caietano memorentur. Nam postquam hæc scripsimus, vertente anno hujus seculi quadragesimo octavo, postremis hisce diebus, ac præcipue sub ipsa ejus solemnia, insigni quadam miraculorum copia, ac facilitate testatam sanctitatem suam voluit in Paulino *c* Neapolis cœnobio, ubi sacri ejus cineres jacent *d*. Commodum id quidem: nam tum maxime de ipso in Sanctorum censum asserendo agitabatur; ac jam Pontificiæ ea super re manaverant litteræ, ut scilicet Innocentii decimi Pontificis maximi eximiam in ejus apotheosim voluntatem communis etiam plausus, ac recentia populorum beneficia et comprobarent et urgerent.

per flores ornandæ S. Caietani aræ inspersos,

26 Accidit id porro mirifica ac peramœna quadam miraculorum assiduitate: floribus namque rem agit, qui Christi bonus odor fuerat. Enimvero, qui ejus aræ ornandæ spargi flores, præcipue gelsomina solita erant, cum quis superiore quodam instinctu, implorato Thienæi nomine, gravi cuidam morbo adhibuisset; succêssit fauste pietas, convaluitque dicto citius. Cumque is, quam a sa- E cro cinere flores virtutem hauserant, candide evulgasset; manavit brevi latius rei rumor: atque impertita subinde aliis atque aliis salute, usque adeo Thienæis gelsominis crevit fama, ac pietas, ut vix jam sufficiat mortalium votis ingestum aræ longe copiosus solito salutarium florum ver. Quo sane præsidio novi quotidie, gravesque curantur morbi; loquunturque pictæ; atque exaratæ pro parietibus tabulæ; ac ipsimet prædicant, qui beneficia accepere. Diceres, e cœli areolis afferri flores, quando tam divina, præsentique ope valent. Innuimus hæc; ac parce, apis in morem, flores hosce delibavimus: dicturi postea fusius; nam gratius profecto in loco, suisque veluti in floralibus gelsomina isthæc, rosæque efflorescent. *Sed quia Historiarum Clericorum Regularium continuatio nobis in promptu non est (quamvis, ut esset, operam dederimus) nec quidquam habemus præter tomum primum ac secundum, miraculorum istorum defectum supplebimus e Vita Italica* S. Caietani, *a laudato Silosio conscripta, inde extracturi ac latinitate donaturi sequentia, non tamen omnia, quæ memoratus auctor refert, ne nimium excrescat* F *narratio, ac tædium afferat lectori. Cum autem Vita ista in lucem prodierit anno 1671, miraculorum continuationem usque ad istum annum pertexemus.*

ANNOTATA.

a *Anno videlicet Christi 1547.*

b Platia (*Piazza*) oppidum amplum Siciliæ insulæ in valle Netina, in monte Armelino, 12 mill. pass. ab Enna dissitum in meridiem, et 40 ab Augusta in occasum. *Ita locum describit Baudrandus.*

c *De basilica S. Pauli Patribus Theatinis tradita, unde eorum ibidem cœnobio nomen inditum est, vide Vitam a num. 78.*

d *Circa Sancti sepulcrum ac sacellum consuli possunt dicenda inferius num. 115 et 116.*

§ IV.

EX EDITIS. D

§ IV. *Sancti miracula postmodum conscripta, ac continuata usque ad annum Christi* MDCLXXI.

Ingens miraculorum a Sancto patratorum

Antequam S. Caietani *miracula cum laudato mox Silosio prosequamur, juvat breviter præmittere, quidnam, exacto post ejus mortem primo seculo, scriptum circa ea posteris reliquerint nonnulli auctores. Charpius Santacrucius in sua ad lectorem præfatione ita scribit :* Deus miraculis infinitis, quæ operatur in dies Taurini, Genuæ, Mediolani, Vicentiæ, Venetiis, Neapoli, Palermi, Liburni, et ubique locorum, in quibus recurritur ad istius magni Sancti preces, voluisse videtur homines docere, nihil in se esse absconditum, quod non revelet tempore suo, nihilque demissum, quod non erigat. Et certe res
B est mirabilis seculi nostri, spectare ecclesiam, ubi corpus ejus Neapoli requiescit, assidue tanta populi multitudine plenam, ut sacra ipsius lux nihil differat ab aliis omnibus annuis festis; ita ut is, qui omnia, quæ Deus operatur per B. Caietanum Thienæum, miracula mandare litteris aggrederetur, mundum replere voluminibus posset, cum ad illa enarranda omnes Italiæ linguæ vix sufficiant, omnesque, quæ inde accipiuntur, litteræ affirment, Deum illa non distillare, sicut per suos alios Sanctos facit, sed abundanter ea fundere, ac pluviæ adinstar super terram.

multitudo.

28 *Hæc ille : in quibus tametsi alicubi oratoria quadam auxesi usus sit; non ubique tamen immensa eum superjectione locutum fuisse, perspicuum fiet ex mox dicendis. Auctor Vitæ, anno 1657 typis Venetis excusæ, e variis Processibus, quos citat, ad promovendos Servi Dei honores sacros formatis, colligit amplam cœlestium gratiarum ac prodigiorum messem, quæ ipsius ope sint facta. Biographum illum subsecutus R. P. D. Stephanus Pepe, Ordinis Clericorum Regularium, anno 1657 Romæ lingua Italica in lucem*
C *edidit* Mirabilia a Deo patrata per intercessionem B. Caietani Thienæi, Clericorum Regularium fundatoris, *ac Eminentissimo Domino Cardinali Carolo Barberino dedicavit; opus adeo in mirabilibus istis recensendis vastum, ut ejusdem collector tres illorum centurias compleverit. Quænam in hac materia ante ipsum facta sint, nihil attinet commemorare, cum in promptu sit Vita Italica Silosii, de qua diximus in Commentario prævio § 19 num. 204. Nam quoniam auctor ille et in colligendis Sancti rebus diligens fuit, et post laudatum Pepeum scripsit miracula Sancti sui Parentis, lib. 3 Vitæ anno 1671 typis vulgatæ; dubitare non possumus, quin ante se habuerit miracula antea ab illo edita, eaque selegerit, quæ in rem suam judicaverit maxime accommodata. Capiti autem sexto libri prædicti titulum hunc præfigens* Nova mirabilia Caietani, *ea, quæ post centesimum ab obitu Sancti annum contigere, recenset isto ac pluribus capitibus sequentibus. Sit itaque eorum, quæ inde excerpimus.*

PARS PRIMA.

Miracula per flores altaris S. Caietani patrata.

Periculosissimæ febres istorum florum applicatione sanantur,

Joannes de Lauro, Religiosus de Observantia S. Francisci, febri adeo pestifera correptus est, ut exiguo temporis spatio a medicis fuerit derelictus, et ad vitæ extrema jam esset perductus. Quando soror quædam, a qua multum amabatur, misit ei flores aliquot, e Beati ara sublatos. Erat ille quidem salutis exspes; verumtamem donum eo, quo per facultatem licuit, modo reveritus, pectori illud suo superimposuit, eodemque instanti adeo cœpit malum minui, ut paulatim exinde totus convaluerit.

Franciscus Antonius Grimaldus ad eamdem mortis extremitatem pervenerat, et jam tantum non exhalabat animam : sed uxor viva fide erecta, ad Sancti Sepulcrum se contulit; peractisque ibidem E ardentibus supplicationibus suis, aliquot cum altaris floribus domum rediit : ubi comperit, quod moribundis non solum etiamnum viveret, sed quod paullo ante aperuisset oculos, atque ad se rediisset. Cognovit autem illa, hoc totum accidisse tum temporis, quando pro eo supplicabat : et adhibitis sine mora floribus, quos secum tulerat, infirmus, stupentibus medicis, sanitati omnino redonatus est.

Sed ordinaria florum salutiferorum tropea fuerunt febres hujusmodi : quas vitandi tædii gratia vel assignasse suffecerit. Andreas Fisienus a medicis derelictus, non aliis ecligmatibus, quam floribus Caietani vincit morbum. Dominicus de Paulo bibit vini aliquantulum, in quo Beati gelsomina exstiterant, et a mortali febri convalescit. Thomas de Alexio iisdem gelsominis desperatam jam salutem recipit. Angela Marfitata crudeli dum febri, ac feroci phrenesi misere conflictaretur, isto florum remedio utrumque superat malum. Joanni Mazzo salutaria applicare gelsomina, ac pestiferam fugare febrim, una eademque res fuit : et eodem die egressus est lecto ac domo. F

Camilla de Juvene præter ardentissimam febrim, internis atque acerbissimis doloribus vexata, ultimisque jam Ecclesiæ subsidiis munita, supremum exspectabat mortis ictum; sed postquam gelsomina aliquot deglutiisset, mox convaluit. Hoc remedio Teresia de Sale; hoc Dominicus Carbona; hoc Joannes Bapt. Trambottus, Felix Ferratus, Andreas Scalandrinus, Paulus Maggius, Magdalena Rosa, Prudentia de Guardia, Dominicus Lensanus, ac centum alii pristinæ sanitati restituti sunt.

uti et varia

30 Ad alia morborum genera progrediamur. Franciscus Caracciolus, spectatæ nobilitatis vir, acutissimis viscerum doloribus graviter cruciabatur : nec præstantia fomenta, nec alia artis remedia quidquam juvabant. Voto tabellæ argenteæ se obstringit, et rosa ex ara Beati desumpta, quam manducavit, malum omne evanuit. At dum interea procrastinaret promissum solvere, redeunt dolores lentitudinem istam castigantes : unde suo cum damno commonefactus, votum solvit : cumque non haberet in promptu florem quempiam, parva chartula, cui rosa, quam signicavimus, involuta fuerat, iterum sanitatem obtinuit.

Hippolyta Albertina, nobilis matrona, præ magno

A magno in una ex auribus tumore, ac præ dolore intolerabili, quem sentiebat, nec noctu nec interdiu ullam quietis partem capiebat. Timebant valde medici, ne tumor in apostema degeneraret, quæ in tam delicata parte summi res periculi fuisset. Idcirco ad porrigenda opportuna remedia fuit ars adhibita. Sed Hippolyta plus sapuit, et applicatis parti offensæ Beati floribus, in instanti unico libera ex isto malo omnique timore evasit.

Cassandræ Eliantoniæ eodem modo aures sanatæ fuerunt. Diu illa surda fuerat, nullo ad hoc malum invento remedio. Audiit rumorem et famam, quæ circumferebatur de Caietano, et ad templum S. Pauli digressa, illa gelsomina, quæ e Beati cineribus vim suam effectricem acceperant, surdis auribus applicuit, eaque illis admovit ad horam unam. Qua elapsa, usus aurium e vestigio ad ipsam rediit.

alia mala

31 Liviæ Pacificæ infra sinistram mammillam enati sunt tumores aliquot; eratque periculum, ne malum, cordi utpote nimis vicinum, vitæ ejus insidiaretur. Ne autem illud serpendo dilataretur, opus erat prompto remedio. Invocat itaque
B medicam Caietani manum, et applicatis pectori corrupto floribus ejus, quidquid fuerat mali, evanuit. Quos flores dum applicuisset etiam duobus nepotibus, ad mortem usque infirmis, ambo convaluere.

Catharina Reada, pluribus mensibus uterum ferens, ad partum necdum maturum adeo moveri se sensit, ut secundum opinionem obstetricis, aliarumque mulierum rei peritarum, abortus non procul abesset. In tam gravi periculo recordatur Caietani: se illi commendat; et postquam paucas bibisset stillas ex aqua, in qua fuerant gelsomina ipsius, subito sensit, fœtum remitti ad suum proprium situm, qui postea sine ullo suo matrisque damno in lucem prodiit.

Margarita Rossa talem sanguinis copiam emittere cœpit, et tanta cum vehementia, ut ex impetu isto tantum non fuerit suffocata. Dumque interea nec sumere, nec retinere cibum posset; gelsominum, ex ara Beati acceptum, quod deglutiit, unico momento periculosum illud profluvium stitit, ac sanitati eam restituit.

C Martha Renda male habebat a furiosissima phrenesi; quæ præter verba inconcinna, quæ proferebat, non domesticos tantum, sed totam viciniam surdam reddebat stridoribus. Ad hæc, hujusmodi cum rabie arrodebat digitos suos, et manus inferebat omnibus, qui ad se accederent; et quadam vice in amitam *a* suam, quia volebat se admonere, insiliens, pugnis illam male excepit. Propter hasce ipsius furias, medici vel a dæmonio possessam, vel incredibili amentia captam illam existimabant. Nec vero helleborus, nec exorcismi quidquam juverunt. Tandem consanguinea, quam memoravimus, gelsomina aliquot ex altari Beati nacta, capiti ejus illa imposuit. Mirabilis enimvero res! Subito ea ad mentem rediit, furiosamque istam dementiam paucis floribus domitam videre licuit.

remedio isto sospitantur.

32 Juliæ Victoriæ Verdianæ ex improviso quodam casu brachium male affectum fuit. Quod, vel quia imperitus erat chirurgus, vel ipsa admodum annosa vetula, atque ossa facile haud poterant conjungi, prorsus remansit inutile; illudque collo suo appensum gestabat non absque continua molestia. Postquam igitur illa Beato se cum fide commendasset, ac flores aliquot brachio alligasset, adeo sanum et integrum paulo post illud reperit, quasi nullo malo laborasset.

Similis, sed majore forsan commiseratione dignus fuit casus alicujus personæ, cujus nomen in oblivione est. Currebat annus sanctus, et illa devotionis suæ gratia Romam tendebat. Per viam, dum non advertit rhedam quampiam, quæ transibat, fractus ei fuit ex rota pes, et quasi totus detritus. Dolor erat magnus: dumque socii operam dabant, ut invenirent, qui eum medicaretur; Subsistite, inquit: mecum enim habeo isti malo remedium; flores utique ex B. Caietani ara depromptos. Vespere igitur illis pedi obtrito alligatis, mane tam sanum eum invenit, ut viam Romanam libere prosequi posset. EX EDITIS.

Sebastianus Pappalardus, quantus quantus erat, gravissimis correptus erat doloribus; et quando non inveniebatur, quod eum juvaret, remedium, veneficio affectus credebatur. Hortabantur eum, B. Caietani ut opem imploraret; verum is, qui alios frustra invocarat Sanctos, parum fidei ostendebat se adhibere hujusmodi auxiliis spiritualibus. Nihilo tamen minus uxor tantum effecit, ut eum induxerit, permitteret sibi applicari unam rosam Beati, atque oleo lampadis ejus ungi. Quid deinde? Acerbi dolores subito remittere cœperunt; ac E
postea prorsus evanuerunt.

ANNOTATA.

a *In Italico est* zia; *quæ vox significat amitam ac materteram: nos vero cum hic tum infra in prima significatione eam sumimus.*

PARS SECUNDA.

Miracula per oleum lampadum.

Sanantur vulnera hoc oleo.

Victoria Vollera, nobilis matrona, vulneribus facile quinque, quæ in cruribus ejus erant aperta, graviter laborabat, ac asperrimis doloribus lecto tenebatur. Malum illud, quod prope accedebat ad lepram, medici censebant incurabile. Non tamen remediis ac diligentiæ parcitum, ne saltem ulterius serpendo pergeret.
F Videns itaque bona domina, nihil artem prodesse, ac plagas etiamnum inveterascere; animo tamen concepit, recurrere ad medicum sapientiorem ac peritiorem. Caietanum viva cum fide invocat: isque nocte proxima ei apparens, Victoria, inquit, ne graveris mane ad templum S. Pauli te conferre. Pete ibidem oleum lampadis meæ, eoque te ungens, sanabere. Hoc dicto, disparuit. Illa expergefacta, supra modum læta, nec non desiderio accensa, quanto citius, et quanto melius potuit, viam cepit S. Pauli. In eundo principium et quasi pignus favoris habuit: nam ubi animo fingebat, dolorem motu exacerbandum, magis eum invenit diminutum, quam auctum. Postquam igitur illuc pervenisset, efficaces preces suas porrigit, crura arrosa ungit, et illico convalescit. Eadem ipsa deinde eodem Caietani balsamo unxit neptis suæ ubera corrupta, multisque plagis infecta, et ea sanavit.

Liviæ de Bartholomæo brachium dextrum ex plaga quadam pestifera adeo corruptum ac putridum erat, ut medici, perdita multas post curas opera, de ejusdem sectione deliberarint. Sed illa, quia gratiæ, quas Caietanus præstabat in dies, in ore erant omnibus, statuit etiam experiri commune illud patrocinium. Magna cum fiducia accedit ad ejus altare: ubi postquam accepisset ex oleo miracu-

EX EDITIS.

miraculoso, ac partem illo aspersisset offensam; subito ad pristinum suum statum rediit brachium vegetum ac sanum, sicut ante fuerat.

guttura corrupta, cæcitates;

34 Salutifer idem liquor sanavit guttur Angeli Capuani, multis plagis malo corruptum. Guttur pariter Caroli Caccavi crudeli ac præcipiti angina in posterum clausum, sorbendo paucas duntaxat guttulas istius balsami, sanum omnino evasit. Eamdem præstantem virtutem experta etiam fuit in gutture Victoria Manfredi, puella octennis. Dum enim comederet nescio quæ pruna, unus e nucleis tali modo eidem ipsius gutturi transversim inhæsit, ut nulla ratione inde illa ejicere eum posset, nec alii extrahere. Molestiæ par erat periculum: nec deglutire illa, nec respirare poterat. Sed post viginti horarum spatium, oleo Beati aspersa vespere, mali causam mane abs se abegit facillime.

Oculi, tenerrima et tam necessaria hominum pars, pluribus vicibus isto Caietani liquore illuminati sunt. Ita evenit Antoniæ Venatæ, matronæ nobili: quæ uno oculorum privata, præ multitudine lacrymarum, quas in obitu mariti profuderat, B cæcutivit ex altero. Has inter tenebras ad Caietanum recurrit, ac lampadem ejus; quæ subito lucem restituit oculo isti, qui ultimo loco eam defecerat.

Similis fuit eventus Portiæ Bizarræ, quæ ex gravi aliqua infirmitate cæcutiebat utroque oculo. Duobus potentibus patronis eodem tempore se commendavit, sancto nimirum Nicolao Bariensi, ac B. Caietano; suaque pro medicina adhibuit manna unius, atque oleum alterius. Mirabilis enimvero res: cœperunt prompte dissipari tenebræ illæ; donec exiguo temporis spatio evanuere omnino, et antiquum oculis lumen denuo rediit.

Sic pariter Magdalena Larderia, puella triennis, sanitatem recepit. Cecidit illa, et caput in saxum impegit. Vulnus nullum apparebat exterius; sed interius adeo caput offensum permansit, ut malum descendens sub oculos, cæcitatem eis intulerit. Grandi dolore affecti sunt parentes: sed Beatum invocantes, et oleo ejus ungentes puellam cæcam, hoc collyrio instantanee sanatam accepere.

morbi, letale vulnus unum

35 Integra jam sese offert familia, ex isto olei fonte salutem consecuta. Franciscus Antonius Pannucius miserum domi habebat nosocomium. C Uxor, filii ac filiæ, ad mortem usque omnes infirmi: qui extremo jam muniti Viatico, magnis passibus ibant ad æternitatem. Nihil aliud remedii superesse videt Pannucius, quam ut ad Beati aram accederet: atque inde domum ferens paulum olei, ac multum fidei, ut male affectam familiam unxit, omnibus valetudinem reddidit. Illos inter erat puella quindecim forte annorum, quæ omnino a mortali febri libera, adeo tamen debilis permansit, ut pedibus ægre posset consistere. Beatum invocat; qui proximo tempore matutino illi necdum omnino expergefactæ apparet, leviterque eam tangens, Esto, ait, bono animo: nam intra duos dies redibit ad te firmitas ac vigor. Et sic evenit.

Vicentiæ Framontanæ, quia verbis amare punxit personam, gravi inde doloris sensu affectam, culter in pectore ob injuriam infixus fuit. Vulnus maxime letale habitum: unde illa extremis Sacramentis munita, ad mortem se paravit. Verum ab quadam sua familiari accepto consilio, ut ad Caietanum, peritum ac pium medicum, confugeret; sine mora id fecit, addens votum ei dandi vestem quamdam suam pretiosam. Nec mora, adhibito oleo salutari, mortalis ictus non tantum non perrexit ulterius; verum etiam, iterata mirabili unctione, plaga prorsus sanata est: eaque promissam vestem altari ejus appendit, tanquam triumphatæ mortis tropæum. D

ac alia duo, malum colicum, calculus, aliæque infirmitates;

36 Carolus Calefanus ob simile vulnus prope cor inflictum, vitæ erat exspes. Hortantur eum, ut confugiat ad Beatum, ac præstantem virtutem olei ejus. Nec recusavit ille: sed dum modo debili se commendat, visa fuit sibi plaga magis exasperari. Tepiditatis itaque suæ pœnitenti, et fidem accendenti apparuit ei Sanctus in candidissima veste, vicinæque salutis securum illum reddidit. Hac spe fretus oleum petiit, pectus madefecit, dumque indormisceret, e plaga jam putrefacta malum omne egestum est, et cum stupore medici redditus pristinæ sanitati fuit.

Incurabile pariter fuit vulnus Francisci Carusi, quod cultello venenato ventri ejus illatum fuit. In casu tam periculoso non excidit ei fiducia erga Sanctum. Ei sese commendat, et, edito voto, parum olei stillat supra mortalem plagam; brevique temporis spatio salutem recuperavit. Idem ille Franciscus paulo ante alia cum gratia singulari E expertus fuerat patrocinium, ac virtutem olei Caietani. Quippe acerbissimo malo, quod colicum vocant, correptus; dum ex una parte a medicis deponitur, ex altera Caietanus eodem liquore eum sanat.

Necdum ista olei ac gratiarum vena exhausta. Si asperrimis cum doloribus cruciat malum calculi; oleo isto evanescit: prout evenit Camillo Soprano, qui oleo illo aspersus, mox duos crassos calculos emisit. Si nervi relaxati motum ac quietem tollunt humanis membris; oleo isto iidem nervi ac membra ad officium suum redeunt. Ita accidit Victoriæ Vocarellæ, ex isto morbo per annos decem lecto detentæ, dictoque oleo valetudini restitutæ.

Si nascuntur apostemata pestilentia, adjumento illo discedunt: idque apparuit in Anna Ferraria, quæ postquam grave apostema octo forte annis passa fuerat in gutture, confestim illud evanescere vidit.

inter quas sunt deliquia, phreneses, crura male affecta, ac rupta:

37 Ad ipsam prope mortem deducebant Adrianam Florentiam mortalia deliquia: quæ ubi tribus annis continuis tolerasset, tandem ad Beati lampadem convaluit.

Asperrimi dolores ac tristitiæ, nec non phreneses et fœdissimi tumores gutturis affligebant Vincentiam F de Aquila: illoque solo remedio in fugam conjecit tot mala.

Monialis cujusdam Neapolitanæ in monasterio, quod de Splendore nuncupant, crus rumpitur; cui antequam humana ope medicina afferretur, Beati oleo curata fuit. Crus pariter Lucæ Meratoris, a molestissimis fluxionibus male affectum, e B. Caietani lampade subitam salutem recuperavit.

Magnus tumor in Masinæ Bonellæ crure exortus, cum pauca vel nulla salutis spe, per menses quinque sollicitam eam tenuit; verum adhibita istius liquoris efficacia, una cum tumore alius omnis cito abscessit timor. Hujusmodi ab inflationibus convaluit etiam Venetia Aputia, quæ vespere se ungens, mane sana et vegeta crura sua reperit.

Commiseratione dignus fuit casus Joannis Dominici Botti, octennis pueri, qui dum e loco viginti pedibus alto lapsus cum impetu esset, communis fuit sensus, ambo ejus crura rupta fuisse. Et vere illo a quadam perita muliere inspecto, judicatum est, eidem mederi, esse operam perdere. At mater vivæ fidei plena Beato ipsum commendat,

A mendat, et repetita olei unctione, brevi tempore ad pristinum statum suum reduxit.

38 Porro numerus personarum a mortali febri curatarum pene infinitus est. Catharina Viva ad ultimum mortis punctum reducta; dum etiam caput modo horribili inflatum ipsi esset, veluti per auctarii accessum; hoc oleo periculum evasit. Victoria Guerrera e febri ardentissima inciderat in phrenesim, ac paucis horis vi istius liquoris ad sanitatem rediit. Sic Julius Cæsar Romanus. Sic Joannes Bapt. Martinus. Sic Anna Partialis, quæ ad sacram anchoram istam recurrens, medici insuper præsentiæ favorem obtinuit, dum Beatus ipsi apparuit. Dorothea Castagnuola isto auxilio quasi e mortis faucibus eripuit filium suum septennem. Josephus Vitulus, quando mortis malo cedere videbatur, hoc remedio triumphavit de pestifera febri. Camillo Perso jam apparabantur justa funebria, ac paucis stillis lampadis Caietani evasit incolumis. Mathias Renzus bis ad mortem usque infirmatur; bis liquore salutifero valetudini pristinæ redonatur. A morbis similiter desperatis sospitantur Petrus Biseglia, Dominicus Rossus, B Tobias Coppola, Josephus Capuanus, Dominicus Paduanus, Nicolaus Antonius Gallucius, Carolus de Paula, Franciscus Imenesius, Thomas Longobardus, Nicolaus Gallinarus, Andreas Agnellus Christinus, Juditha de Marinis, Angelus Bonadonna, Gratia Anastasia, Catharina Ferraria, Julia Romana, Laura Alfana, Julia Curiale, monialium excalceatarum abbatissa, ac mille alii.

adde febres pene infinitas.

39 Hactenus pretiosi istius liquoris mirabilia malis aliorum salutaria, sunt exposita; nunc adjungamus nonnulla miracula, quæ in ipso oleo visa sunt: quandoquidem non unica duntaxat vice, sed sæpe etiam accidit illud, quod de fonte Manduriœ *a* narrant scriptores; ut usu nihil omnino sit diminutum; sed cum fœnore accreverit. Duæ matronæ nobiles Neapolitanæ, Eleonora Carafa, et Hippolyta, ejus nurus, item Carafa, testimonium de illo perhibent: quæ præterquam quod balsamo istius olei puerum quemdam suum, morti vicinum, sospitem reddidere, affirmant insuper, quod ex illo eodem oleo suo, pluribus aliis sæpius communicato, ampulla nulla sui parte unquam fuerit diminuta.

Oleum Sancti

C Rem mirabiliorem referebant Octavius Clodinius, dux Lizzanensis *b*, et ducissa ejus uxor. Acerbo malo Dux laborabat. Et quia malum erat inveteratum, medici nihil invenientes remedii, de vita valde dubitabant. Quamobrem is ad magis efficacia conversus remedia, Caietano causam suam commendavit: et quoties malo premi se sentiebat, oleo lampadis ejus adhibito, singulare sentiebat levamen. Accidit aliquando, ut, dum solito asperius invaderetur, consuetum deferri ad se jusserit antidotum: sed a famulo responsum tulit, vasculum jam esse vacuum, idemque affirmavit homo quidam Religiosus, qui ibi aderat, ac pridie vacuum etiam illud viderat. Acciperet modo, aiebat tum Dux, atque ad se deferret. Mirabilis enimvero res! e scrinio, in quo conservabatur, illud extrahens, plenum conspexit. Crevit porro mirabilis res ista, ac miraculi certitudo: quia dum eodem oleo Dux pro se usus esset, et aliis etiam inde subministrasset, nunquam defecit, liquore salutifero per occultam venam crescente.

40 Portia Bizarra heræ suæ jussu ad altare Beati portavit vas olei, lampadibus ejus alimentum; darique sibi rogavit ex eo, quod tum temporis ardebat ante imaginem. Illa, cui ea data erat provincia, fuit parca, et exigui alicujus vasculi vix fundum eo obtexit, dolente Portia, quod tam avara fuisset. Evenit, ut, dum officinam aromatum, rei nescio cujus emendi gratia, fuisset ingressa, simul atque vasculum vidit propola, induxerit in animum, oleum illud esse Beati, ac virtutem ejus cœperit extollere, affirmans, se a calculi doloribus ad extrema perductum, eo fuisse sanatum. Et ipsa etiam mulier celebrandis mirabilibus ejusdem effectibus se dedit; at doluit, parum sibi ex illo concessum fuisse. Tunc aromatum propola, Quid, inquit, num B. Caietanus non est talis fortasse, ut vasculum, si voluerit, implere possit? Hoc dicto, cum stupore omnium qui aderant, cœpit oleum adeo accrescere, ut necesse fuerit, os vasculi digitis mox obturare, ne foras effunderetur.

ex editis. variis usibus applicatum, non modo non minuitur;

41 Simile quid accidit alteri cuidam Portiæ; quæ propterea quod parcum liquoris istius obtinuisset sibi dimensum, interius illam hoc male habuit. Sed superata illa tristitia, fixum habuit, interesse rei sacræ ad Beati aram. Qua finita, E domum rediit. Dumque vasculum extraxisset, admiratione simul atque horrore correpta fuit, videns id ita plenum, sicut desiderarat. Idem testatur Dominicus Testa, qui per sex menses continuos ex vasculo suo oleum subministraverat plus quam quinquaginta personis. Magni certe res stuporis fuisset, quod parum olei tot hominibus sufficeret; sed majoris sine dubio fuit, quod, ubi intra illud tempus pluribus vicibus liquor esset consumptus, vasculum denuo repletum sit. Ita pariter evenit Margaritæ Meloniæ, quæ istius olei beneficio sanitatem consecuta, aliis infirmis liberaliter illud distribuere cœpit: verum ampulla ita evacuata, ut ne guttula quidem superesset, dum male eam habet, quod nec pro se, nec pro aliis quidquam amplius prompti illius adjumenti apud se esset, plenam illam reperit.

sed etiam

42 Similia sunt exempla alia, quæ restant; eaque referre, tetricum esset. Finem itaque imponat Flaminius Specieus, mercator dives et æstimatus. Is in lætitiis nocturnis, quæ in honorem Beati quotannis Neapoli celebrari solent, officinam etiam suam convertit in ædem sacram, concinno cum ordine ante piam Caietani effigiem F accendens multa lumina; quorum bona pars arsit ad tres horas, quandiu duravit oleum. Alia deinde exstincta sunt summa cum diligentia, ne in officina, in qua multi erant panni bombycini, aliqua scintilla infortunium quodpiam excitaret. Postridie mane Flaminius in officinam reversus, comperit, ante imaginem, quam diximus, ardere etiamnum lucem unam. Ille in animum inducere, ex inadvertentia solam illam remansisse accensam; sed dum domestici omnes affirmarent, et quidem cum juramento, omnes fuisse exstinctas, persuasum habuit, credendum esse, quod a superiore quadam manu fuisset accensa, et quod miraculose accrevisset illi oleum: cum fieri non posset, ut exiguo alimento, quod ei erat appositum, ad duodecim, quibus duraverat, horas potuisset perseverare.

augetur.

ANNOTATA.

a Lacus Andurianus ab oppido vicino Anduria cognominatus, quem ita quoque Bocatius vocat. Plinius oppidum Manduriam appellat, et lacum describit, ut sit ad margines plenus, neque exhaustis aquis minuatur, neque augeatur infusis.

Parvo

ET EDITIS. Parvo a littore intervallo abest. *Ita Leandri Alberti interpres Latinus in Descriptione Italiæ inter alia, quæ habet de Apulia Daunia. Plinius supra memoratus consuli potest lib. 2 cap. 103 editionis Dalechampianæ, pag. 125.*

b *Lizzanum est castrum in diœcesi Tarentina, teste Silosio infra apud nos num. 110. De Tarento autem dicemus postea in annotatis ad num. 86 lit.* k.

PARS TERTIA.

Miracula sacris imaginibus, et sola Sancti invocatione perpetrata; alia in favorem mortuorum ac moribundorum.

B

Inter innumeros per Sancti imaginem obtentos favores, sanantur febris pestifera,

Imaginum seu excusarum, seu in tela pictarum hujus Servi Domini notissima est vis, multisque experimentis confirmata; earumque usu singularia successive obtenta fuere beneficia. Quæ ore populi circumferuntur, innumerabilia certe sunt. Nos pauca quædam ex iis hic ponemus, et quæ majoris sint fidei, e Processibus Neapoli pro canonizatione ejus formatis extracta. Onufrius Pulverinus a pestifera febri correptus, ea præ se ferebat indicia, quæ ostenderent, haud longe eum abesse a morte. Ad malum illud accedebant alia non modica. Acerbissimus quippe stomachi ac capitis dolor tam vehementer illum excruciabat, ut ad insaniam redigeret; ad hæc, interna perturbatio nec interdiu nec noctu ullam, ei quietis partem dabat. Omni itaque humana spe deposita, divino auxilio, ac præsertim piæ cuidam Caietani imagini sese commendat. Quid plura? Postero die febris ardor omnino exstinctus est, et omne aliud evanuit malum.

alia item letalis,

44 Bonus quidam sacerdos, nomine Andreas Belflorus, per dies quadraginta cum mortali ac pertinacissima febri colluctabatur; quæ non modo non remittebat quidquam, sed contra augmentum capiebat. C Lingua arida ac nigra inexstinguibilem prodebat sitim: deliriis conjungebantur deliquia: arteriæ ejus pulsu nihil erat inconstantius: in frigido denique corpore, ac mediam jam partem cadavere, non deerant sudores, certissimi mortis indices ac præmonstratores. Amicus igitur nonnemo infirmi eo interveniens, et miratus valde, quod ad sacram Caietani anchoram nondum recurrisset, exhortatus eum fuit, ut Sanctum invocaret; et quo piam ejus affectionem accenderet, Beati effigiem osculandam ipsi porrexit. Qua re inflammatus, spe bona animum explevit. Invocat, rogat: nec fiduciæ eum suæ fructus subito frustratus est. Nam Sanctus spectabilem se illi præbens, Assurge, inquit, quia sanatus es. Et tunc illi redire videbantur animi ardor ac vigor, nec non valetudo integra. Ac paulo post ad Beati sepulcrum bene de se meriti congruas persolvit grates.

morbus decretorius, acerrimi cruciatus.

45 Nicolaus Cantilena, octogenarius forte senex, ad supremam deductus luctam, jam per biduum tum clauso tum aperto ore animam agebat. Filia ipsius magnum inde hauriebat dolorem, ac interius mota, vivaque spe freta, imaginem Beati inventam pectori moribundi statim applicuit. Nec mora, is, qui totus erat destitutus sensibus ac vitæ officiis, non aliter quam si e gravi evigilasset somno, ad suum pristinum statum rediit.

Tactu imaginis Beati Magdalena Rupula convaluit similiter a brachio, quod frigore torpebat, D quodque, motu amisso, asperrimis etiam doloribus cruciabatur. Atrocissimi cruciatus similiter torquebant Annam Marmoniam, et eodem modo evanuere. Ita etiam impositus est finis internis tormentis Sabbatini Vitalis, quæ diligentiam ac studia medicorum fatigarant. Veronicæ Lombardæ ubera intolerabili adeo dolore cruciabantur, ut indicarent, absconditum ibi latere inimicum crudelem, qui apertam inferre aliquando posset ruinam. Applicuit illis effigiem Beati, inveteratumque jam ac molestissimum malum subito fugatum fuit. Stephano Riffo in corporis parte quadam sensus tenerioris, enatus fuit tumor ad magnitudinem unius ovi. Medici causam ignorantes, valde timebant magnum aliquod damnum. At simul Beati imagine tactum, simul depulsum fuit. Mirabili rei eventui interfuit sacerdos quidam Dominicanus, filius Stephani, qui sua manu fidem de hac re facere voluit, atque ad Caietani altare detulit. E

Phrenetico medetur imago Sancti, miro modo ad eum accedens.

46 Joannes Paulus Julianus Sidereus acutissima vexabatur febri, cui accedebant dolores capitis tam singulares, ut in furiosissimam phrenesim inciderit. Rabie hujusmodi stimulatus, horrendis vociferabatur modis: quæ ad manum erant, mox in mille dilacerabat frusta. Inter ista deliria nonnunquam reddebatur mentis compos, et norat optime, se quo mali vis adduxisset loci. Quadam singillatim vice mentis compos, et Beati imaginem aspiciens, quæ erat in cubiculo, cum precatur, ut siquidem ad animæ utilitatem ita conduceret, salutem impetraret; sin minus; malle se cito emori. Res mirabilis! imago ista clavis affixa erat muro, at sponte sua soluta, recta ad infirmi caput ire visa est; ubi dum quiesceret, dolor immoderatus fuit fugatus, nec diu post febris evanuit.

Duabus

47 In monasterio, quod Neapoli delle Scortiate dicitur, non longe ab ædibus Theatinorum S. Pauli, erat Faustina Piattia, quæ cum ætate juvenis, tum corporis habitudine elegans esset, externi splendoris ac vestis nitorem multum sibi placere ostendebat. Illa ad mortem usque infirma F fuit, eoque paucis in diebus redacta, ut ultimum jam exhalatura spiritum videretur. Sociæ, ætatis juvenilis florem miseratæ, nec non pietate ac tenero affectu motæ, ad Caietani patrocinium se converterunt, moribundam vivido modo ipsi commendantes. Sequente igitur nocte Beatus ei apparens, luce magna circumdatus, Sana es, dixit. Cui Faustina nihil a proposito aberrans respondit: Equidem magnum adeo beneficium non mereor: verum ne patiar iterum graves ultimæ istius luctæ molestias, malim mori potius. Non, dixit Caietanus; Sana es: sed scias, in posterum tibi fore conveniens, ut ad ornamentum animæ advertas, non corporis; et indumento illo, quod dixerit is, qui tibi a sacris confessionibus est, contenta vives. Quotquot ibidem præsentes aderant, summa admiratione correpti sunt, quod adeo expedite loqueretur moribunda; multumque admiratio accrevit, ubi prorsus eam sanatam viderunt. Et interrogata narravit rem gestam, ac vestem nigram interea induit secundum usum Theatinorum.

mulieribus

48 Ex febri pestilente sed admodum horribili similiter ad mortem usque infirmabatur Magdalena Candovalia: nam dum corrupta et attrita essent ejus viscera, tantam vermium copiam ex ore emisit, ut res incredibilis esset: ac brevi tempore

de

A de salute ejus conclamatum fuit. Illa tamen nihilominus sperare non desiit, quia, etiamsi loqui non posset amplius, fecit tamen, ut a Caietano intelligeretur. Quid præterea? Versus vesperam, quando ei moriendum esse prænuntiabant, prehendi capillis sese sensit, atque in aurem sibi dici: Sum Caietanus, quem paulo ante invocasti. Cur etiamnum manes in lecto? Assurge, quia sanata es. Magdalena hoc monito excitata, vere se sanatam fuisse observavit; gressumque tentans, libere incessit ac vegete magna suorum cum admiratione; quibuscum ad S. Pauli digressa, convenientes persolvit gratiarum actiones, et testimonio confirmavit quidquid sibi acciderat.

ac puero moribundis apparet Caietanus, et salutem restituit.

49 Vicinus mortis debito erat pariter Josephus de Angelis, sexennis puer. Febris letalis exasperata erat ex crudelissima tussi, cui etiam accedebat comes profundus letargus; ita ut medici paucas horas morti ejus præfigerent. Post præstantia, sed irrito conatu, adhibita remedia, sola supererant auxilia divina. Mater igitur, cui nomen Victoria Savia, ad Caietanum conversa, multis cum lacrymis eum invocat; et, ecce, de improviso B puer, isto gravi somno ac letargo solutus, serena cum fronte et certo quodam risu inclamat matrem; et, Sum sanatus, ait, et obnixe te rogo, ut beati Caietani veste me induas. Victoria tam teneræ ætatis pueri pietatem mirata, rogavit eum, quomodo sciret, se sanum esse, et quisnam suasisset ipsi habitum B. Caietani. Risum tum resumpsit puer; sed manifestare nolens quidquid sibi evenerat, Scio, inquit, sanatum me esse per intercessionem Beati: cæterum nolite amplius aliquid percunctari. Creditum certo fuit, ipsi apparuisse B. Caietanum, qui eodem tempore monuit illa de re patrem. Erat is Marinus de Angelis, qui cum tunc temporis in civitate, cui præerat, Foggiensi a degeret, de filii morbo nihil sciebat; sed sibi nocte quadam dormienti visus est videre illum jam mortuum, ac matrem lacrymis ubertim fusis eum deplorantem, funebri interea apparatu ac sepultura procuratis. Inhorruit ille ad res hujusmodi, et ingentem clamorem edidit; sed repente Caietanus sese ipsi exhibens, Ne metue, inquit: acerbissimo isti ictui remedium attuli, et a Domino impetravi, C ut filius tuus vivat. Ecce, qui mortis manibus jam raptus erat, salvus et incolumis matri suæ redditur. Marino e somno vigili, quantumcunque pristinæ mentis serenitati restituto, aliqua tamen animi trepidatio superfuit; et uxori totam rem, prout erat gesta, exposuit. Quæ, inita supputatione atque habita ratione temporum, comperit, eadem hora Caietanum apparuisse filio ac reddidisse salutem, ac patri illud significasse.

Alii e mortis faucibus erepti;

50 Mirabile pariter fuit somnium Marcelli Lombardelli. A medicis ille depositus, et extremis Ecclesiæ præsidiis munitus, cogitare secum cœpit innumerabiles favores, quos Caietanus promiscue faciebat; atque in animum induxit, patrocinium idem in angustiis suis propitium sibi reddere. Vivido itaque cum affectu eum invocat; eodemque isto tempore dum somno corripitur, videbatur sibi jam esse mortuus, ac sepeliri: nec non Caietanus extensa manu extrahere sese e sepultura. Nec mendax fuit somnium; nam postquam evigilasset, sanum sese prorsus reperit, et sarcophagum illum, suo præparatum cadaveri, ad Sancti sepulcrum ipsemet detulit. Verum in hoc moribundorum genere magna superest miraculorum copia; retulisse ea, quæ jam dixi, uti mihi persuadeo, suffecerit. Pergamus itaque ulterius ad personas illas, quæ vel jam erant mortuæ, vel constanti opinione pro mortuis erant habitæ.

EX EDITIS. mortuus ad vitam revocatus;

51 Dominicus Sivarola, e territorio S. Mariæ, quæ vulgo dicitur Angrisone, non longe admodum Neapoli distante, mortali correptus febri, parvo temporis spatio erat conclamatus. Qui dum in ultima mortis lucta versaretur, medici uxori ejus denuntiabant, versus vesperam e vita eum esse discessurum; sicut evenit: nam in ipso horæ istius tempore spirare desiit. Et quandoquidem nullum vitæ vestigium in vultu, nullum in toto frigido corpore apparebat, deposuerunt eum de more ut sepeliretur, et crucem etiam pectori imposuerunt. Uxor quidem in periculosa infirmitate commendaverat eum B. Caietano: sed non est novum, tam cito aliquando non obtineri gratias: et illud, quod tunc ei impetrare non licuit, postea obtinuit majore cum miraculo. Etenim dum dormiret, visa sibi fuit audire vocem, quæ diceret: Corpus mariti tui unge oleo B. Caietani, et vivum videbis. Surgit illa, et quia in promptu non habebat oleum illud, et quia erat difficile tempore noctis illud procurare; magna cum fiducia flexis humi genibus orat obnixe, ita faceret, ut capillitium illud c, quod supra defuncti feretrum projicere debebat, ex voto ac memori animo pro vita marito E reddita, portaret ipsamet Neapolim ad suum altare. His dictis, dum cadaver illud aspicit, observat, quod oculis apertis levi cum suspirio indicaret, se vivere, et paulo post potum posceret. Mulier supra modum læta, lecto illud repositum aliquanto cibo restauravit: et mano visum est ita sanum, ut non multis post diebus ambo in viam se dederint, et ad Beati sepulcrum, soluto voto, debitas ei gratias retulerint.

item alius,

52 Trentula, castrum etiam Neapoli vicinum, similem eventum conspexit in persona Thomæ Viti. E gravissima quadam punctura ad vitæ finem pervenit; atque inter sacerdotum preces exspiravit: ita ut uxor, cui Marthæ Paganæ nomen, secundum usum communem humi eum deposuerit cum effigie Crucifixi supra pectus: et quia erat Sabbatum sanctum, petiit a parocho, ut in unica diei illius Missa memor esset animæ mariti. Religiosissime ea afficiebatur erga Caietanum et in illo gravi morbo non pepercerat votis ac precibus; nec post mortem abjecerat fiduciam. Igitur F fide plena, repetit vota et orationes: dumque defunctus inciperet respirare subito, vidit, quod, salute recuperata, sanatus esset: cujus rei vulgata fama, omnes concurrerunt; et vix credentes id, quod oculis ipsimet suis videbant, phantasma esse existimabant.

nec non mulier.

53 Duo hujusmodi prodigia edidit Ischia b, insula Neapoli haud procul sita. Diana Berardina postquam e gravi apoplexia per dies quinque destituta fuisset pulsu arteriæ, motu, et alio vitæ signo, a medicis post multa experimenta fuit decisum, quod jam esset mortua. Misera igitur ad sepulcrum deposita est, jacuitque ex defunctorum more humi extensa per diem integrum, donec Neapoli rediisset mater: quæ filiam in illo statu conspicata, ad mortem usque indoluit, omnemque viciniam lamentis ac stridoribus implevit. Inter hæc, bona mulier, Carmosina Melia nomine, hujus miseræ matris causa ad pietatem mota, vivaque fide ad Caietanum conversa, puellæ defunctæ vitam ab eo flagitavit, imagine Beati eam etiam tangendo, quam in tela depictam induere solebat. Res enimvero dictu mirabilis! In ipso temporis puncto illa ad vitæ officia rediens, cœpit movere sese, et debili voce invocare Caietanum. Lecto eam reposuere, variis remediis eam restau-

 rantes;

EX EDITIS

rantes; ac in diebus paucis ad priorem statum reversa est.

Puer in aquis suffocatus vitam recipit;

54 Aliud miraculum ita se habuit. Nicolaus Roccolus, puer triennis, ad maris littus ludens, sive quia inconsiderate ultra, quam debuit, fuit progressus, sive quia raptus a mari, suffocatus est. Dum aquis supernataret, et a quibusdam, qui illac transibant, visus esset nautis, nec satis discernerent quidnam hoc rei esset, appropinquarunt; et conspicati, quod esset infans submersus; ex aquis illum extraxere, et in vadosa ista ora reliquere. Fama eo traxit multos insulæ homines; et inter alios advenit illuc mortui infantis soror, quæ paulo ante reliquerat eum ibidem ludentem : et partim ob fratris mortem, partim ob iræ paternæ timorem, planctui et lamentis insolabiliter indulsit : at melius sibi consulens, de auxiliis divinis cogitavit. Et primo lacrymis potius, quam verbis Beatum oravit, fratrem vita functum sibi ut redderet, et qui ubique tot faciebat miracula, sibi ut succurreret in gravi illo infortunio, ac paternæ iræ se subtraheret. Interea dum pluribus vicibus easdem repetit preces, a bonitate divina et a B B. Caietano audita atque exaudita est : quandoquidem is, qui jam diu fuerat mortuus in illo littore, oculos aperire cœpit, ac vertere circum : surgit, incedit, omnibus, quotquot ibidem aderant, mirantibus.

uti et fœtus recenter editi.

55 Francisca Maximina, mulier Neapolitana, edidit fœtum sine spiritu, sine motu, sine gemitibus; constansque obstetricis ac quatuor aliarum feminarum opinio fuit, mortuum fuisse. Quid tum postea? Mater Beato illum commendat; atque is sine mora plorare cœpit adinstar omnium aliorum infantium, ac movere se, indicans, se vivum esse. Frigidus pariter ac mortuus, affirmante obstetrice, in lucem prodiit infans Antonii Pistacchi : sed Beati patrocinio commendatus, postquam horis pluribus quasi omnia mortis indicia præseferret, reviviscere visus est, atque in beneficii memoriam, Caietani nomen ipsi in baptismo inditum fuit. Ita evenit Camillæ Comiti, ob infantem, qui sine ullo vitæ indicio in lucem prodierat, redivivum exhilaratæ. Et hic similiter in fonte lustrali Caietani nomen accepit. Magna in æstimatione fuit mirabile illud, quod Mutinæ judicis C uxori accidit : quæ dum enixa esset infantem exsuccum et frigidum, nigrumque adinstar carbonis, colore videlicet mortis depictum; existimarunt omnes, quod e sinu materno esset editus absque vita. Quid igitur? Mater fiduciæ plena eum Beato commendat : et ecce illum statim palpitantem, ac respirantem, colore fusco et omni alio malo fugato. Atque is etiam in gratam animi pro beneficio tesseram, ac ob facti memoriam, Caietanus fuit nominatus.

ANNOTATA.

a Foggia, *inquit Baudrandus,* oppidum lepidum Italiæ in regno Neapolitano, et in provincia Capitanata, probe cultum, et tributo, quod ibi solvitur notum, vulgo la Dogana di Foggia, prope Cerbalum fluvium. Vix 8 milliaribus ab ora maris Adriatici, et decem a Manfredonia in ortum distat.

b *Id est, in mari Thyrreno. Plura geographi.*

c *Aliis* Ænaria, *quantum ego quidem assequor, ut uxor illa suos capillos, quos præ dolore evellendos vel abscindendos erat feretro mariti superinjectura, deferre posset ad aram Sancti, tanquam superatæ mortis tropæum.*

D

PARS QUARTA.

Infortunia ex lapsu mirifice sospitata.

Duo pueri

Aureliæ Aureæ filiam, duorum duntaxat annorum infantem, quia necdum expedite poterat gressum movere, intra canistrum, uti usus ferebat, incedere jusserant. Dum ergo huc et illuc inconsiderate circuit, delapsa fuit e scala quadraginta gradibus alta. Impetus, quo ruit in pavimentum, magnus exstitit : unde mater dolens in animum induxit, conclamatum esse de vita filiæ. Nec respiravit illa, nec motum ullum, nec sensum habuit : et præter hæc, vultus uti et totum parvum corpusculum erant obtrita. Ast dolor matris tametsi acerbissimus, nec memoriam Caietani, nec ejus auxilii fiduciam abstulit. Itaque cum fide eum invocat, atque in partibus magis offensis oleo E ipsius eam inungens, sine mora ulla se moventem, oculos aperientem, et paulo post perfecte sanatam conspexit.

post mortalem lapsum sospitantur.

57 Lapsus præceps Richardi de Sio, trimuli infantis, pari commiseratione dignus fuit. Stabat ille supra fenestram domus suæ, quæ quia erat trium tabulatorum, erat altissima; dumque ludit puerorum more, misere delapsus est. Amita, quæ præcipitem agi eum vidit, opem ipsi ferre non potuit; sed gravi horrore correpta, Beatum duntaxat invocare Caietanum. Adeo autem infeliciter in vivum infans impegit saxum, ut caput ipsi ac totum corpus obtrita fuerint. Multi, qui eo accesserunt, casus acerbitatem miserati sunt : sed quia nomen Caietani erat memoratum, firmam spem concepere, futurum, ut, si viveret etiamnum, ipsi succurreret, vel, si esset mortuus, ad vitam revocaret. Igitur eadem amita, quæ Beatum invocarat, multas inter lacrymas oleo suo infantem unxit : isque continuo vitæ signum motu dedit : lingua, quæ exterius prominebat, recessit, et verbum aliquod proferre cœpit : ac tandem subito integer atque sanus apparuit. F

Alii plures,

58 Neapoli certe plura mirabilia sunt visa in lapsu Angeli Vetrenti, qui dum inhabitaret casam vicinissimam ecclesiæ Clericorum Regularium S. Pauli, infirmabatur ibidem febri mortali, et a medicis desperatus, prope aberat a termino vitæ. Malum erumpebat in gravia deliria, et accidit quodam vespere, dum quiesceret, ut, furiose evigilans, se conferret, tametsi vacillando, ad puteum altissimum forte palmorum centum, qui erat in ipsomet ejus cubiculo, in eumque se projiceret. Ad strepitum uxor, quæ erat in vicino cubiculo, rata id quod erat, confestim accurrit, et conscia, quod viveret, recta volavit ad ecclesiam S. Pauli : quam dum clausam offenderet, magna jam noctis parte transacta, exspectavit in limine; ubi lacerans capillos, et ubertim plorans, Abs te, inquiebat, Caietane, volo vitam et salutem mei mariti : abs te, quam dare te posse, scio. Atque illud pluribus vicibus repetens, domum reversa est, ut opem ferret ei, qui in puteo patiebatur. Nec mora; spectata ibi fuit congeries rerum mirabilium, quandoquidem is, qui propter angustiam et altitudinem putei, dum inter cadendum hic et illic impingeret, debebat esse graviter læsus, et deinde submergi, cecidit in hunc modum, ut nulla sui parte mali quidquam

passus

A esset, nec madidus. Accedit eo, quod ille, qui e febri pestilente erat morti vicinus, e puteo, in quo fuerat unius horæ spatio, sanus et integer fuerit extractus.

59 Puteus alter Neapoli pariter rem non minus mirabilem subministrat. Carolus Ciminus, novem circiter annorum puer, dum haurit aquam, una e situlis, sicut contingere assolet, tanta cum vehementia descendit, ut eum una secum raperet. In isto periculo invocavit ille Beatum, eumque videre visus est circumdatum magna luce. Mater, Julia Sposita nomine, suspicabatur e strepitu aliquid infortunii, et illuc subito cursu contendit: sed comperit, eum jam præcipitem actum. Tertio illum vocat; sed quia nihil acciperet responsi, mortuum esse censuit: et subito ante imaginem Caietani, quæ a puteo haud aberat procul, pluries amarissimis cum lacrymis clamavit: Da mihi *filium meum*, Caietane. Grave infortunium totam quasi viciniam illuc convocavit. Interea homines advenerunt tres, artis putealis periti; quorum unus in puteum descendens ac circumspectans, dum eum non vidit, mortuum jam fuisse in fundo B existimavit. Opus itaque fuit, ut alius ex illis eo descenderet uncinis instructus, aliisque artis instrumentis, ac magno præsertim ligone, quo tandem Carolus extractus est, multo luto sordidus, omnique vitæ indicio destitutus. Hic mater ad eamdem imaginem iterabat lamenta ac preces: et, ecce, puer respirando ad vitam redit: omnesque summis laudibus extulere virtutem ac miraculum Sancti, nemine dubitante, quin mortuus fuisset is, qui duabus tertiis horæ partibus, nec plus nec minus, fuerat sub aquis: quando communis hominum intelligentium opinio est, quod ne robustissimi quidem homines, nedum debiles pueri, tandiu sine respiratione perdurare possint.

qui in puteum ceciderant,

60 Nicolaus Ursinus, puer sexennis, in puteum etiam incidit, ad palmas sex aquis obtectum: in fundo hora media is exstitit: foras absque vita extractus est: mater largo cum fletu Caietanum invocat: et cum stupore omnium, qui aderant, de improviso surgit puer salvus et incolumis. Nicolaus de Jacobo, annorum septem puer, in puteum cecidit centum palmis altum. Dumque cadit, Beatum invocat: qui spectabilis ei apparens, C Surge, inquit. Et absque ulla corporis læsione pedibus constitit: et viri, qui ad eum extrahendum descenderant, istius utpote rei periti, ad oram aquæ illum sedentem invenerunt sanum ac salvum: qui etiam testimonium dedit ipsemet, quomodo sibi apparuisset Sanctus, et ab isto discrimine liberasset. Ita quoque accidit Carolo Rosso; cui in puteum etiam lapso, et Caietanum invocanti, manum porrexit Sanctus, et e periculo isto eripuit. Ita alteri cuidam juvenculæ evenit, quæ eodem modo in puteum illapsa, et Caietani nomen invocans, non potuit non submergi in ista profundissima aqua.

a morte liberantur.

61 Franciscus Zizza, puer quinquennis, cecidit e scalis, quæ in tres divisæ erant partes, quarum singulæ numerabant gradus quadraginta, easque, quantæ quantæ erant, emensus est. Matri, quæ aspiciebat eum cadere, nihil per tempus licuit, quam ut invocaret B. Caietanum. Audivit eam is atque exaudivit, ac infantem lapsum manu prehendit, ac suaviter in terra quiescere fecit nulla vel minima etiam sui parte læsum, si solum in vultu livorem excipias, lapsus indicem. Divinam opem mox ille cum manifestavit, tum Caietanum sibi spectabilem apparuisse adjecit, illa ipsa forma et illo habitu, quem præfert imago ejus ad S. Pauli. E longis pariter scalis præceps est lapsus Antonius Marola, et adeo vehementer in marmor impegit, ut arteriæ pulsus ac sensuum expers esset; ac proin mortuis jam annumeratus; præsertim quia e vulnere, quod ei erat inflictum, non prodiret sanguis. Cogitabat pater, curandum sibi esse, ut sepulturæ traderetur; sed mater spem non deposuit. Nulla mora, ad S. Pauli se contulit, et ante miraculosam Caietani imaginem oravit, impetravit: nam domum reversa, filium vivum ac sanum offendit.

Mirabilia *EX EDITIS.*

62 Quod jam narramus de Anna Maria Brancata, audiri certe absque interno horrore non potest. Bona illa mulier scalas scandens, infeliciter lapsa est traversim, et in nescio quod instrumentum impegit, in quo prominebant exterius aliqua acutissima ac crassa ferramenta, quæ certo illam vulnere plus uno transfigere debebant. At quid accidit? Invocato Caietani nomine, naturam ea commutarunt: nam quando, transfixis jam vestibus, penetrarunt ad vivam carnem, non perrexerunt ulterius; crevitque miraculum: nam duo e magnis illis clavis, præ pondere ac impetu lapsi corporis, E infracti sunt, ut claris indiciis cognosceretur divina virtus, per quam non tantum non offenderant quocumque modo mulierem istam ferramenta illa; verum etiam rupta ipsamet fuerant. Et vero patrocinii Caietani vis hæc fuit: qui Annæ Mariæ apparens, dixit illi, hanc sese gratiam ei impetrasse. Illa autem hanc narrans adjunxit, quod postquam in grati animi tesseram Sancto accendisset lampadem, tantumque olei eidem imposuisset, ut horis circiter sex durare posset, sufficerit pro novemdecim.

in lapsibus.

63 Lucia Meschina pariter ex altissimis scalis transversim decidit. Nullum in præcipiti lapsu auxilium habuit, quam nomen Caietani pluries invocatum. Quo tempore dum Caietanus ipsi clare appareret, mortem quidem illa evasit; sed impedire haud potuit aliud infortunium: brachium quippe tanto cum impetu in terram impegerat, ut illud fregerit. Vivaci cum affectu repetit invocationem: voto se alligat curandi, ut celebrentur aliquot Missæ, et appendendi ad aram brachium cereum; et sine mora ad locum rediere suum ossa luxata, brachiumque spectatur integrum, quale prius fuerat. Missæ fuerunt celebratæ; sed brachii, quod promiserat, F oblita, acriter pœnas dedit: nam, nervis induratis, motum ac usum brachii istius amisit. Menses duos illa tenuit pœna, donec voti memor, pristinæ sanitati reddita est.

Varia

64 Lapsus pueri, qui Onufrii Bolini erat filius, si adeo gravis non fuit, habuit tamen, unde esset non mediocriter luctuosus: sed enim, uno fallente pede in lubrico, per scalam cecidit, tantaque cum vehementia caput in terram illisit, ut ore, lingua ac dentibus male offensis, nec loqui posset, nec comedere. Dumque dolores remediis ingravescerent, integram questibus noctem consumpsit: donec matutino tempore sequente imaginem Sancti conspicatus in cubiculo suo, nec non lampadem, quæ ante illam ardebat; visu isto sensit se plenum spei bonæ; signisque oleum illud petiit, et eo unctus, magno cum præsentium omnium stupore cœpit loqui, ac manducavit, surrexitque absque ullo prorsus malo.

alia

65 E culmine altissimæ domus cecidit Anellus Josephus Comus, puer quadrimus. Vehementer percussit capite terram, et præ multo sanguine, quem ex ore, e naribus ac dentibus emittebat, interius et graviter quidem læsi capitis indicia dabat. Quotquot ad misere accurrebant lapsum, de

lapsuum

EX EDITIS.

de vita ejus desperabant. De spe tamen non decidebat mater, nomine Laureta Billota: invocat B. Caietanum, ejusque oleo filium inungens, ut respirare illum vidit incipere, inter brachia eum cepit, recta ad Beati altare se contulit, ibique tantopere ploravit, et oravit, ut una cum filio prorsus sano domum reversa sit.

Quadrimus item erat infans, qui ex editissimo loco ac summo cum periculo præceps agebatur. Domus Neapolitanæ, in ordines utique quatuor seu tabulata erectæ, sunt altissimæ. In unius itaque istarum ædium fastigio, ac super fenestram stabat Franciscus Pera. Lapis cui innitebatur infans, ibidem emotus decidit, eumdemque infantem secum traxit. Mater illum vidit; et tametsi præ terrore minus hoc animadvertere potuisset; quia tamen erga Caietanum affecta admodum erat, magna voce protectorem suum inclamavit. Quid tum postea? Is, qui e tam alto loco delapsus præceps, debebat totus obteri, hoc modo cecidit, ut nulla sui parte læsus apparuerit, et mox sanus surrexerit ac salvus. Quod autem hoc contigerit manu Caietani, ex eo colligitur, quod illud saxum, modo memo-

B ratum, quantumvis durissimum, in plures tamen partes infractum fuerit. *Tria alia lapsuum sospitatorum exempla sequuntur apud Silosium, quæ ibi videri possunt.*

sospitatorum

66 Præter modum commiseratione dignus etiam fuit lapsus præceps Josephi Moralis infantis, qui secundum ætatis annum necdum compleverat. Ex altissimis Castri Neapolitani fenestris, quæ exonerandis tormentis bellicis subserviunt, delapsus fuerat in ejusdem propugnaculi fossam. Parentes, qui id viderunt, vix præ horrore invocare potuerunt B. Caietanum. Quid plura? Ubi illuc concurrissent, infantem invenerunt integrum ac sanum, non secus ac si e tam edito loco non decidisset. Rogatus autem, quisnam auxilio sibi fuisset; B. Caietanum aperte indicavit. Idem accidit infanti alteri bimulo, Josephi Feli filio: qui e scalis triginta palmos altis præceps excidit sine ulla vel minima læsione, interrogatusque similiter, ecquis sibi tulisset opem; B. Caietanum fuisse, respondit. In simili infortunio tria beneficia numeravit Hieronyma Anastasia, B. Caietani auxilium implorans. Primo quippe ex altissima suæ domus

C fenestra cecidit; cumque non posset non graviter læsa esse, nihil inde damni sensit. Deinde, in loco, in quem delapsa fuit, profundissimus erat puteus, in quem enimvero dum præceps agi deberet, eum evasit. Tertio, nonnulla ex vasis illis viriditatem frondium ostentantibus, atque exponi ad fenestras solitis; post ipsam delapsa, sine dubio nocere ei non modice debebant; et tamen non tetigerunt illam.

At prætereundum non est id, quod Francisco Sicilia, Casertano evenit. Commorabatur is Neapoli, negotiorum suorum causa, in vico, qui a S. Antonio nomen habet. Accidit, ut in illo hospitio, in quo erat, excitaretur incendium; et adeo repente increvit flamma, ut modus non superesset eam evadendi. Quandoquidem vero ab illa parte, qua ardebat ignis, omnis jam exitus erat præclusus; ab alia autem erant adeo alta meniana *, ut exsultum tentare multo majus esset periculum; quidnam ille aget? Memor est Caietani, spes in eo suas figit, invocat; ac deinde magno cum animo ac fide ex altissima fenestra exsiliens, evasit incolumis absque ullo vel minimo corporis detrimento.

* *Ital.* balconi

67 Vir ille Casertanus in memoriam mihi revocat prodigium aliquod singulare, quod paulo ante acciderat in urbe Casertana *a*, ac de incendio D etiam est. PP. Augustiani anno LII hujus seculi, die XXIV Augusti, ex populi istius ac sua devotione collocare debebant solemni ritu in sua ecclesia imaginem B. Caietani. Unde in ordinem direxerunt numerosam supplicationem, et exornatis splendide ecclesia et sacello, quod ei destinarant, nihil prætermisere, quod exhilarare festum, ac pompam illam, Sanctique honorem amplificare posset. Cives etiam pro sua industria omnes magnificentiæ partes implere satagebant. Illos inter Andreas de Januario, propterea quod suam domum dicta supplicatio debebat pertransire, apparavit nescio quos ignes artificiosos; qui dum suo tempore accensi essent, et hac atque illac, ut solent pyroboli *, volitarent; unus ex illis se ingessit in officinam, in qua simul cum rebus aliis, quæ ibidem vendebantur, erat pulvis nitricus; qui ab igne tactus, in hunc exarsit modum, ut impetuose conquassarit cubiculum superius, in quo erant mater et uxor ejusdem Andreæ, ut festivitatem spectarent. Strepitus ac spectaculum horribile supra modum perterrefecit et exanimavit E miseras mulieres. Nullum periculi videbant effugium, jamque exspectabant, vivas sese hisce in ruinis sepultum iri, si ipse Caietanus, cujus agebatur solemnitas, non succurisset. Lacrymis itaque ubertim profusis, ac pio cum affectu eum invocant; et, cubiculo isto confestim destructo, ceciderunt in officinam, easque pone sequuntur ligna ac lapides, nec non universa illa ruina. Quid fit? Illæ, quæ in isto temporis articulo a flamma absorbendæ videbantur, et a lapidum vehementia opprimendæ, sanas se atque illæsas invenere in terra positas. Hujus memorabilis beneficii picturam e voti religione expressam ad Beati altare attulerunt. *Hæc ibi. Alia, ne justo longiores simus, missa facimus, quæ videri possunt apud citatum biographum.*

exempla congeruntur. *a*

* *Ital.* razzi

ANNOTATA.

a *De hoc loco adisis quæ notavimus ad cap. 3 Vitæ lit. e.*

PARS QUINTA. F

Pericula rhedarum ac carrucarum mirum in modum fugata.

Celebre illud fuit Neapoli, quod accidit in illo vico, cui Virginum nomen indidere. Auriga quidam ut Sacro interesset in vicino templo, solam reliquit carrucam duobus vini doliis onustam. Puer annorum undecim, nomine Didacus Casaburus, consueta ætati isti cum levitate partem carri superiorem ascendens, rem ita gessit, ut is ex gravitate illa inverteretur, unumque e doliis supra ipsum ceciderit, eumque tali modo oppresserit, ut pulsu arteriæ, motuque ac respiratione fuerit etiam destitutus, omnesque eum judicarent mortuum, aut vitæ spei expertem: præsertim quod bono temporis intervallo sub pondere dolii existere cum oportuerit; donec accesserint plures personæ, quæ illum inde extraxere. Accurrit eo quidam sacerdos qui, solam animæ salutem curans, ubi eum sæpius inclamasset, ut aliquod ex ipso signum eliceret, et absolveret eum a peccatis, nec tamen indicio ullo responsi quid-

Pueris

A quidquam acciperet, inde abscessit. Verum dum abit, tenero quodam insolitæ pietatis affectu motus fuit, ut rediret: reperitque, puerum vivere quidem, sed adeo debili esse respiratione, ut tam mortuus quam vivus videretur. Quia itaque potens Caietani intercessio in ore erat omni populo, videbatur ei interna quædam vox dicere, ut in tam miserando casu ipse quoque Sanctum invocaret. Quo factum est, ut multa cum fide puerum primo signans cruce, mox protulerit ista verba: Per intercessionem sancti sui confessoris Caietani liberet te Dominus ab omni malo. Res dictu atque auditu mirabilis! eodem illo temporis puncto videtur quasi e somno excitari, oculos circumagit, loquitur, surgit, sanusque omnino parentibus suis traditus est. Ita etiam pariter evenit alteri puero quadrimo, Ignatio Falangæ dicto, per dolium vinarium, quod supra ipsum lapsum, diu eum oppressum detinuit; donec plures eo digressi, ut ipsi opem ferrent, invocato Caietani nomine, salvum et illæsum eum offenderunt.

misere obterendis

69 Æque mirabilis fuit casus, qui Vito Fortunato accidit. Pueri plures simul ludebant, sicut eorum est mos: et, ecce, rapidissima quædam B rheda effusissimis habenis accedit ad locum, in quo erat turba illa. Huc et illuc, infortunii vitandi gratia, se proripiebant. Soli Vito tam expedito esse non licuit, quin ab ea tactus fuerit: qui dum lapsus esset humi, super ejus genua transierunt fervidæ rotæ. E vicina fenestra viderunt eum in isto periculo mulieres aliquot, tamque terrifico commotæ spectaculo ac commiseratione, una omnes voce clamarunt: O beate Caietane, serva eum. Nec mora, nonnullæ ex eis illuc accurrerunt; et quæ primum captæ fuerant pietate, postea stupore consternatæ sunt: Puer quippe haud aliter quam si nihil mali sibi accidisset, e terra jam surrexerat, et gradiebatur expedite. Quanquam vero nullo vulnere offensus fuisset in genibus, exiguum tamen livoris inde contraxit, in testimonium prodigii.

salutem confert

70 Alius nobis occurrit puer annorum quinque, cui nomen Nicolaus Golioneus: qui dum rhedæ fugam præcipiti cursu currentis declinare non posset, in hunc modum humi dejectus, ac conculcatus est, ut rotæ super ejus vultum transierint. Sero accessit pater, ac semimortuum in C ædes eum deduxit; nec quisquam fuit, qui de ipsius vita non desperarit, cum vultus ejus esset obtritus, fractaque etiam ossa, et vulneratum pariter caput. Sed bonus pater optime gnarus, invocationem Sanctorum omni infortunio ac qualicumque arte medica præstantiorem esse, ad Caietani patrocinium mox recurrit: votum edit, orat, puerum ungit oleo lampadis ejus. Quid plura? Brevissimo tempore (res enimvero, quæ a medicis fieri haud posse judicabatur) sanitas ipsi ac vultus restituta sunt; nec ullum tanti mali signum ei superfuit.

sospitator S. Caietanus:

71 Camillæ Mustolæ tenerior ac delicatior fuit filius, anno utpote non plus unico natus, ac proin cum multo majore damno lædi debebat per hujusmodi infortunium. Fuit is relictus in inferno domus limine; dumque ibidem maneret, accidit, ut magno cum impetu transiret rheda rapidissima. Exhorruit infans, lapsumque apprehenderunt eum rotæ in tibiis ac humeris. Mater, amita, aliæque e vicinia succurrere ei quando non poterant, B. Caietano illum commendarunt. Mater præsertim, sive ut non aspiceret filium in frusta concisum, sive ut securius auxilium procuraret, cura de illo amitæ relicta, ad ecclesiam S. Pauli veloci gressu se contulit, et ante aram Beati, lacerans sibi capilles, et tota in dolorem soluta, alta voce clamare cœpit, et orare pro filio suo. Inter hæc, amita ipso cum infante etiam supervenit, totaque ecclesia resonante femineis stridoribus, multi commiseratione tacti illuc concurrere. Res enimvero mirabilis! quando infantem vestibus exuunt, ut damnum explorarent, ubi in animum inducebant, corpusculum illud a se repertum iri omnino obtritum, ac diffracta ossa, invenerunt revera illud integrum; si excipias nescio quem levem livorem, quem in uno humerorum observarunt: ad hæc pes unus aliquantum erat ei inflatus. Sed unum æque ac aliud indicium oleo lampadis cito evanuit. Erat ibi tunc mulier, a dæmone possessa, quæ dixit, infantem, si persona illa, quæ fuerat locuta, tacuisset, sine dubio in frusta redigendum fuisse; significans, invocationem Sancti liberasse eum. Paria fuere infortunium ac gratia parvulæ infantis, Augustinæ Magræ filiæ; supra quam transeunte similiter rapida rheda, solo Caietani nomine nihil ea damni accepit. Ita etiam Alexio Caracciolo, et Antonio Rotæ, qui ad ejusdem nominis invocationem, post lapsum infra rhedam, inde sine ullo damno extracti sunt. E

quos favores

72 Favores, quos Caietanus pueris concessit, maturæ ætatis viris denegati non sunt: nonnullos ex his narrabimus. Erga Beatum devotissime erat affectus Joannes Antonius Basileus: sæpe visebat altare ejus, gestabatque ipsius in tela imaginem collo appensam. Serviebat is mercatori telarum, easque vendendas circumferebat per urbem Neapolitanam. Evenit, dum casu quadam vice vacillaret in lubrico, ac in faciem procideret, ut pone eum venerit carrus frumento onustus, unaque rotarum per tibias ejus ac humeros transierit. Paulo ante inviserat Beati sarellum, illiusque memor, subito eum invocavit. Tunc quidem videbantur non esse exauditæ ejus preces: quia præ pondere istius carri misere obtritus, vivere diutius, uti communis ferebat opinio, non poterat. Accessit ad eum sacerdos; sed adeo mentis impotem, ac motu carentem invenit, ut nullum pœnitentis animi signum ex ipso elicere potuerit ad absolutionem. Oleum tamen Beati petiit, ac cum fide eum unxit: et sine ulla mora, omnibus, quotquot præsentes aderant, stupore attonitis, ad mentem F rediit: unde de noxis suis commode confiteri potuit; domumque delatus plenam ibidem mox consecutus sanitatem est. Nam sacerdos, quem diximus, persuasum habens, parum ipsi superesse vitæ, sequebatur eum, ut in extremo illo articulo ei opem ferret; sed adeo sanum ipsum offendit, ut quasi totus sibi restitutus, mensæ accumberet comedendi gratia: die autem postero exiit domo de more, visusque est incedere ac telas suas vendere. Miraculum illud, quod accidit in celebri quadam via, omnium linguis celebratum, maximoque in pretio habitum fuit, quod utique par non haberet: quia carrucæ hujusmodi portare solent tredecim modios frumenti, qui forte conficiunt bis mille libras; præterquam quod rotæ suapte mole sint gravissimæ.

ad maturioris ætatis personas a

73 Duo alii, nisi in promptu affuisset auxilium Caietani, misere etiam obtriti fuissent. Unus fuit Antonius Rochus, qui ex urbe Aversa a Neapolim profectus, hunc in modum decidit ex anteriore carri parte, ut rotæ supra ipsum ruerint; sed invocans Caietanum, e terra surrexit salvus et incolumis. Alter fuit Joannes Grimaldus, qui e carruca delapsus, adeo sese movere expedite non potuit, quin rotæ transirent super tibias; sed eodem

dem

EX EDITIS.

EX EDITIS.

dem nomine evasit periculum ac damnum: totaque tibiæ offensio fuit levis quidam dolor, qui ei superfuit, ac postridie reipsa evanuit.

74 Hujusmodi exstitit gratia Didaco Burgosio, militi Hispano, collata: nam dum in area palatii regalis dormiret sub dio, transivit per ejus humeros furibunda rheda; verum infortunio expergefactus invocat B. Caietanum, et ubi se graviter læsum deputabat, prorsus se animadvertit indemnem. *mirifice*

Ludovicus Julianus rhedarius duos juvenes equos condocefaciebat ad vecturam; qui, postquam præcipitem sese illi in fugam dedissent, censebat, quod e re sua esset, exsilire e rheda: at non potuit illud efficere tanta cum dexteritate, quin humeri, et unum e brachiis infra rotas permanserint. Verum, invocato Caietano, evasit incolumis.

Equi etiam rhedæ, in qua erant duæ feminæ nobiles, Hippolyta Mascambruna, et Antonia Lubrana, in desperatam sese præcipitavere fugam: nec frenum illos juvabat, nec concursus populi frequentis, ut auxilium ferret. In quo periculo clamabant bonæ mulieres alta voce: O beate Caietane, siste illos. Hoc dicto, ab illis uti et a famulis visus fuit vir in habitu Theatino, qui birreto fugam sistebat: et creditus fuit ipse Caietanus, qui invocatus advenerit ad illas angustias. B

75 Majore commiseratione dignus eventus, qui Antoniæ Vizencæ accidit in urbe Aletiensi *b*. Illa, dum duo equi furiis acti rhedam post se trahebant, cecidit, dumque non posset fugere, rotæ pone eam fuere, et tibiam unam adeo graviter disrupere, ut, ossibus diffractis, sola pelle adhæreret reliquo corpori. Dolor ac lamenta fuere magna: et quia humanum omne auxilium erat frustra, totam sese in brachia Caietani conjecit. Orat, plorat. Mirabilis vere res! Caietanus idem subito sese ei spectabilem exhibuit, qui propria sua manu reponens ossa loco suo, ita sanavit tibiam, ut nullum in ea mali vestigium superesset. *etiam extendit.* *b*

ANNOTATA.

a *Consule ea, quæ supra diximus in Annotatis ad cap. 9 Vitæ lit.* b.

C b Aletium, *Italis Lecce, urbs est in provincia Hydruntina regni Neapolitani; de qua, uti et de ejusdem episcopis (quos* Aletinos seu Lupienses, sive Lycienses *vocat) agit Ughellus tom. II Italiæ sacræ col. 89 et seqq. Consuli præterea possunt Leander Albertus in mediterraneis Salentinorum, Ferrarii nova Topographia in Martyrologium Romanum fol. 4 verso, aliique.*

PARS SEXTA

Mirabiles eventus in mari.

Imperium, quod in pelagus ac ventos exercuit ille Servus Domini, infinita demonstrant exempla; e quibus tamen propter magnam copiam, multa hic omittere convenit. Primum demus locum illi, quod accidit D. Joanni Austriaco, Philippi IV filio: qui mense Octobri, anno hujus seculi quinquagesimo quinto, duabus in triremibus classiculæ Neapolitanæ, non multum favente tempore, vela faciens ex insulis Balearibus *a*, cito percepit, quod tres naves barbaræ probe armatæ, quantum colligi poterat, plenis velis sese insequerentur. Retro redire, jam tempus non permittebat: unde necesse erat, instare remis, ac ventis se committere. At tergo ejus mox imminebant Turcæ, qui tormentis bellicis ac sclopetis triremes male vexare, non sine multorum morte, cœperunt; quos inter exstitit marchio Serranus, armorum administratione admodum celebris. Audaciam atque animos auxit, quod e mancipiis quibusdam transfugis audirent, una triremium vehi regiam Joannis personam: ac proin intelligentes, prædam fore splendidam æque ac locupletem; eo velociter cursum intenderunt, atque ita eam cinxerunt, ut nullum pateret effugium. In tam gravi discrimine bonus princeps animis vel tantillum non cecidit. *Joannes Austriacus* *a* D

77 Triremis remiges ac milites excitans, e pectore extraxit schema aliquod, in cujus altera parte exstabat effigies Virginis Rosarii *b*; in altera autem B. Caietani: ac ferventibus exhortationibus addebat, quo in patrocinio deberent collocare spes suas: quantum quidem ad se attineret; si hoc periculum evaderent, spondebat omnibus libertatem, ac beato Caietano triremem. Hoc sermone erectis animis, nec non remigibus nervos omnes intendentibus, etiamsi a globorum hostilium grandine multum passi essent, e medio navium istarum exiit obsessa triremis: nox ingruit, ac tenebræ opportunitatem dolo subministravere: nam iter instituerunt versus Africam, præter hostis exspectationem: et inde postmodum, mutato cursu, secundo vento Genuam deflexerunt, triremi S. Agathæ in barbarorum potestatem deducta. Continuo gratias egerunt beatissimæ Virgini ac beato Caietano, cujus singulare beneficium agnovere. *e Turcarum manibus eripitur:* *b* E

78 Sequitur nunc eventus, qui non unum, sed plura complectitur mirabilia. Triremis una classiculæ Neapolitanæ ex Hispania in Italiam vehebat Cardinalem de Retz *c*, et, ecce, per viam quatuor triremes Turcarum, quæ vento valido ac secundo actæ, velocissime eam insequebantur: jamque videbantur eam assecuturæ, ac prædam acturæ. Prima, quæ navis præfecto erga Caietanum piissimo affecto incidit cogitatio, fuit de implorando ipsius patrocinio: quo visus est eodem tempore remittere inimici, qui sequebatur, impetus, et triremi, quæ fugitabat, spiritus addi: unde tempus habuit, ut incolumis evaderet: cumque infortunia non desint in mari, en tibi novum discrimen. Postquam enim non longe ab insula Sardiniæ de improviso sæva esset exorta tempestas, ventorumque furiis hac atque illac excussa triremis, parum abfuit, quin vel ab undis absorberetur, vel impingeret in scopulum aliquem. Decertabant fortiter remiges ac naucleri; sed procella erat multo impetuosior, quam ut vel consilio vel brachiis superari posset, eoque tandem loci redacta est navis, quæ a vento impugnabatur, ut scopulo allisa sit; omnesque eam dissolutam esse existimantes, plorarent vicinum naufragium. *quas etiam,* *c* F

79 Jam vero illa, quæ paulo ante Beati invocationem experta fuerat, eadem quoque sibi persuasit, quod deberet esse anchora sacra in casu tam desperato. Omnes itaque certatim eum invocant. Ipsemet Cardinalis precibus vacans exhortabatur illos, ut preces continuarent, utque in tam potente Patrono spem ponerent. Navis præfectus magna voce promisit, si evaderent periculum, se curaturum confici vexillum, S. Michaelis Archangeli (ejus enim nomen triremi erat inditum) ac B. Caietani effigie insignitum, atque in beneficii memoriam deferri ad altare ejus. Audivit *uti et tempestatem evadit Cardinalis de Retz.*

A divit voces, ac votum Servus Domini et, cœlo confestim faciem mutante, evanuit tempestas, suaque mari tranquillitas rediit: triremis, nulla sui, quod timebant, parte læsa, e scopulis exiit, iter resumpsit, feliciterque Centumcellas *d* appulit; ubi Cardinalem reliquit, qui Romam perrexit. Inde post plenis velis Neapolim pervenit. Navis præfectus non immemor voti, fieri jussit magnificum vexillum, deferrique illud curavit ad aram Beati non sine magna pompa; *quæ describitur apud laudatum biographum.*

Classe Hispanica vento misere jactata, navis una

80 Eodem circiter tempore, id est, anno MDCLIV Barcinone discessit classis Hispanica, decem et octo magnis navibus constans, et navigatione secundis ventis cœpta, serenitas in fœdum nimbum postea conversa est. Nam non longe a Sardinia mare funesti nescio quid murmuris insonare primo auditum est, sed paulo post majore auctum furore, apertum navibus istis bellum intulit: quæ huc et illuc fuerunt dispersæ, quocumque turbo furiosus eas deportabat, adeo ut archithalassus signum daret, ut unusquisque, quoad posset, rebus suis prospiceret ad grave illud periculum evitandum. B Una e navibus, illa utique, quæ secum expertissimos vehebat nautas, probe instructa erat, et præ se ferebat, quod mari obsistere posset, et quassationibus ejus resistere: sed frustra: quoniam undarum rabie crudeliter percussa, ac dissoluta, puppi ac prora ruptis, et gubernaculo etiam amisso, per dies quinque ac totidem noctes adeo errabunde vagata est, ut, quo sub cœlo degeret, incompertum haberet. Tandem ad insulam quamdam Tuneto *e* vicinam pervenit; ibidemque etiam perseverante procella, nec effugium illa nec requiem habuit. Quamobrem omnes jam defatigati, ac de ulteriore cum mari pugna sine gubernaculo, sine anchoris, sine velis, spem abjicientes, fixum habuere, regis Tunetani potestati tradere navim illam, quæ adeo labefactata non poterat amplius subsidio esse.

post horridam tempestatem feliciter sospitatur,

81 Aderat ibi sacellanus, qui dum audiret desperatum illud consilium, Cur, inquiebat, humanis auxiliis destituti, ad divina non recurrimus? Habeo sacram imaginem beati Caietani; si ad illam preces nostras porrexerimus, nullus dubito, quin consueta cum benignitate nos exauditurus sit. C His dictis excitati, non secus ac si Angelus aliquis certam sibi salutem promitteret, spem omnes bonam concepere: et tunc bonus sacerdos, fiducia plenus, dictam effigiem protulit, et coram omnibus eam posuit eodem isto loco, in quo navarchi gubernaculum dirigere assolent, exhortans illos, ut potens Sancti patrocinium invocarent. Tunc apparuerunt magni motus interni: flexerunt genua, plorarunt, orarunt, vota nuncuparunt, Caietanum certatim inclamarunt. Nec diu eos favor moratus est. Momento unico nebulæ, quæ tempestatem excitabant, dissipatæ sunt, quievit mare; venti, qui impetuose flabant, laceris illis velorum pannis, quæ supererant, se insinuabant, et spatio horarum quatuor ac viginti, quanquam gubernaculo exarmati, Usticam *f* non longe dissitam ab urbe Messana insulam attigere. Nemo fuit, qui non perspicue divinam hic agnosceret bonitatem. Summo perfusi sunt gaudio, ac debitas Caietano grates persolverunt, qui, dissipata procella, felicem illam navigationem impetrarat.

et ab interitu deinde miro modo liberatur.

82 Neque hic stetit Sancti beneficentia: navis quippe præfectus, qui jam statuerat recta Messanam contendere ad illam restaurandam, et ad recreandos post præteritas molestias animos, et qui jam ita erat comparatus, ut a magistratu istius urbis peti juberet triremem, ut suorum partem in illam transferret; quia navis eorum admodum debilitata tot certe hominibus vehendis erat impar; multi sese interposuere, qui magna cum fide loquentes, Quid opus est, inquiebant, ut Messanæ subsistamus? Beatus Caietanus, qui a marina rabie paulo ante nos liberavit, jam navis rector ac ventorum arbiter factus, ipsemet, uti speramus, Neapolim prospere nos conducet. Hoc dicto, secundissimus Neapolim versus spirare cœpit ventus, eademque viginti quatuor horarum periodo in portum Baianum *g* illos invexit. Et ibi etiam nova beneficia Caietani patrocinium manifestarunt. Etenim, cum aliquantulum sit flexuosus Baiæ portus, non modica ad illius ingressum opus est nautarum peritia. Nihilominus sine puppi, et sine alio nauclero, quam Caietano, facillime illum tenuere. Denique non parva admiratione dignum fuit, quod, postquam aqua ad multo plures quam quindecim palmos navim ingressa esset, eam sine alterius labore intus prorsus E defecisse invenerint. Porro navis præfectus una cum viris præcipuis ad ecclesiam S. Pauli se contulit: ibique piis gratiarum actionibus amplum de Sancti tutela, quam toties erant experti, testimonium ediderunt. Affuit ibidem etiam nauta, velorum rector; qui summa cum fide affirmavit, vela, postquam imago illa sacra publice fuisset exposita, multo melius processisse, quam si a puppi directa fuissent; ac judicare se, clarissimum esse miraculum, quod ingens illa navis, puppi carens, non impegerit in molem arenariam aut scopulum aliquem.

Navis alia ventorum periculo ac piratarum erepta:

83 Navis quædam Neapolitana, cui nomen sanctissimum Rosarium, Calarim *h* Sardiniæ profecta, salutis exspes vagabatur; sed, invocato Caietani nomine, statim quievit mare. Primo isti ventorum prætervito periculo, ecce, secundum piratarum successit, qui tribus cum navibus probe armatis discurrebant; et fuisset facillima eorum præda: sed, eodem patrocinante, prædatores transiere ulterius, non animadversa vicina navi, sine dubio a Caietano obfuscati. Beneficium hoc excepit tertium: nam dum rediret, novaque impeteretur ac multo sæviore tempestate, tota fuit submersa a puppi extima. Verum imago beati Servi Domini eidem puppi affixa, fuit stella salutaris, F quæ placavit undas ac ventos primo contrarios, deinde faventes, qui eam paucis horis Neapolim promoverunt: ubi nautæ omnes ad Beati aram accesserunt, suum sospitatorem veneraturi, ac vota reddituri, quæ spoponderant.

servatæ triremes:

84 Eodem tempore copias triremium Neapolitanarum, quæ ad istius regni gubernationem deferebant Comitem Castriglium, nimbosus turbo oppressit; ac tres potissimum ex illis aliæ ab aliis sejunctæ plus discriminis incurrerunt. In quarum una, nomine S. Joannes, fuit aliquis, qui inalta ac spectabili parte imaginem Beati exposuit. Quid præterea? Fuit illa indomiti maris frenum; neque illi soli, sed duabus etiam aliis auxilium tulit. Nec multo ante tempore triremis alia ejusdem classiculæ mirum in modum sospitata est. Stabant omnes in obsidione Barcinonensi, et quando minus habebant, quod timerent (erat quippe mensis Julius) venti vehementissimi insurrexere, qui huc et illuc eas dispersere per ista littora. Illa, quæ S. Bernardi nomen gerebat, media jam sui parte erat submersa. Quid fit? Nomen ac patrocinium Caietani invocant; et, ecce, absorpta triremis emergit.

alii favores

85 Inter maria omnia periculosissimum est Adriaticum:

EX EDITIS. ticum : ubi sua etiam mirabilia patravit Caietanus. Ragusam *i* versus iter ceperat D. Martinus de Neapoli, abbas S. Benedicti : dumque videbatur in portu navigare, venti furiosissimi adeo cœperunt navem, qua is vehebatur, impugnare, ut necesse fuerit, eam omnino illorum ludibrio permittere. Erat abbas religiosissime erga Caietanum affectus. Eum invocat; alios, eum ut invocent, hortatur. Et, ecce, facies maris mutatur; ventique pacati brevissimo temporis spatio navem conduxere Ragusam, et abbas anno subsequente Neapolim revertens, in superatæ procellæ memoriam, ad Sancti sepulcrum dedicavit pictam tabellam.

navigantibus 86 Nec minus periculum incurrit, nec consecutus fuit minus mirabilem gratiam Dominicus Lereus : quem, vento bene favente, cum navi frumento onusta Tarento *k* profectum, de improviso tam furiosa tempestas invasit, ut opus fuerit, ventorum potestati se committere, et huc atque illuc errare, usque ad maria ac littora Barbariæ : sed oleo lampadis Sancti ad pristinam mare rediit tranquillitatem ac pacem, et Neapolim feliciter pervenit : ubi ipse cum nautis duo supra viginti, B sine procrastinatione nudis pedibus ad Caietani sepulcrum ivere, ac votum persolvere. Eodemque die Dominicus Paulus eo pervenit cum suis nautis etiam calceis exutis, qui in sinu Tarentino prope submersi fuerant, projecto in mare multarum mercium onere, et nomine Caietani evasere liberi.

impertiti 87 Similis procella bis in eodem itinere, Panormo Neapolim versus, dum invasit Joannem Godardum, eadem invocatione ventos sedatos conspexit, et paucis horis ad portum appulit. Sic Bartholomæus Boncorus manifestum evasit naufragium, Vico *l* vela faciens Panormum. Ita Dominicus Torminellus in quodam itinere Hispanico plura pericula superavit. Primo occurrit piratis, et mirabili modo ex iis ereptus est. Deinde pugnandum ei fuit cum implacabilibus ventis, ac vicit. Tertio, ex Hispania reduci res ei fuit cum febri letali, et adjutorio illo, quo superaverat mare, superavit malum. Josephus Galanus Neapolim inter ac Procidam *m* navigio exiguo evitavit illa pericula, quæ ingente navi non effugisset; quod intercessionis S. Caietani favore contigit. C *Silosius hisce addit nonnullas alias gratias; ad quem nos, ne nimium excrescat narratio, lectorem mittimus.*

ANNOTATA.

a *Binæ istæ insulæ sunt notissimæ, quarum major dicitur Majorica; minor vero Minorica; utraque in mari Mediterraneo seu Iberico sita, atque ad Hispaniam Tarraconensem pertinet.*

b *De primo hujus erga Virginem Matrem piissimi cultus institutore, et antiquitate operose dissertum est tomo I Augusti pag. 422 et seqq.*

c *Per hunc intellige Joannem Franciscum Paulum Gondium (de Gondi) famosum illum et indecorum erronem; secundum ea quæ pluribus describuntur in Monumentis chronologicis et dogmaticis historiæ ecclesiasticæ subservientibus, ab anno 1600 usque ad 1716, ac Gallice editis anno 1720, tom. II ad an. 1652, pag. 241 et seqq. De eo ex Hispania in Italiam triremi transvecto mentio fit pag. 252; mors autem ejus pag. 263 innectitur anno Christi 1679. De illo etiam agitur apud Ciaconium in Vitis Pontificum et Cardinalium tom. IV col. 686; de Henrico autem de Gondi Cardinale* D *de Retz, ibid. col. 448; ubi mortuus fuisse refertur anno 1622. Cum vero Silosius memoret miracula, quæ post primum a morte* S. Caietani *seculum accidere, consequens est, ut non hic; sed ille, quem paulo ante designabam, intelligendus hoc loco Retzius sit.*

d *Italis Civitavecchia. Oppidum est provinciæ Patrimonii in ditione Ecclesiæ, ac in ora littorali maris Tyrrheni.*

e *Urbs est Africæ notissima, ac piratica infamis, ad mare Mediterraneum.*

f *Insula ista jacet in Italia in mari Tyrrheno Siciliam versus, prope insulas Lipareas.*

g *In sinu videlicet Baiano in Campania Italiæ prope Puteolos.*

h *Urbs hæc Sardiniæ insulæ caput est.*

i *Oppidum Siciliæ insulæ in Valle Netina.*

k Tarentum *urbs archiepiscopalis regni Neapolitani in provincia Hydruntina. Vide Ughellum Ital. sac. tom. IX col. 153.*

l Vicus *parva est regni Neapolitani in provincia Terræ Laboris urbs prope sinum Neapolitanum.*

m *Insula est prope sinum Neapolitanum in mari Tyrrheno.* E

PARS SEPTIMA.

Infirmitates variæ Sancti patrocinio depulsæ, parturientes liberatæ.

Joannes Lemosius in civitate Senogalliensi *a* adeo male habebat a mille morbis, ut dicere de se soleret ipsemet, quod secum portaret integrum nosocomium. Is pio erga S. Caietanum studio accensus, et cum lacrymis ac suspiriis eum invocans in templo majore, coram omni populo ac ipso episcopo, malis tot, quæ jam inveteraverant, fugatis, revixit, et integram salutem recuperavit. Franciscus Cusanus, a nativitate membrorum usu captus, usque ad annum ætatis septimum ita vixit, ut pedibus suis ne unum quidem passum promovere valeret. Tandem pater ab beatum Caietanum sese convertit, ac votis nonnullis F pro eo factis, oleo lampadis ejus vespere illum unxit; et mane (res mirabilis!) sanum invenit ac corpore erectum, nec non expedite incedentem vidit. In insula Capreana *b* Bartholomæus Amitranus infans, qui duos necdum expleverat annos, gravissimis fuit morbis correptus : cæcus, surdus ac mutus factus est, nervisque retractis etiam jacebat usu membrorum carens. Dumque nullum prodesset remedium, conducunt eum parentes Neapolim ad Servi Domini sepulcrum. Quo antequam pervenissent, in ecclesiæ gradibus aperuit infans oculos, solvit linguam, et usum aurium recepit; atque ad ipsum sepulcrum recuperavit pariter motum ac gressum. *Recensentur varia*

89 Nicolaus Aiellus Nolanus vehementissimo quodam malo usum pedis amisit, reliquo corpore male affectus; atque ita ut truncus in lecto decumbebat. Apparuit ei Caietanus, magno animo ab ipso invocatus : quem dum sacro crucis signo signaret in fronte, e lecto is surrexit continuo, antiquo suo vigore præditus, ac perfecto membrorum motu. Franciscus Parentius ita etiam contractus erat : unaque potissimum tibia hunc in modum ei erat decurtata, ut uno fortasse palmo *infirmatorum Sancti patrocinio sanatorum*

brevior

A brevior altera permanserit: neque incedebat ipse, sed manibus reptabat. Jam vero dum in castro, (cui nomen Passanesi) a patria ejus non longe distante, præstantem inquirit chirurgum, nescio quem, intrat majorem ecclesiam, ubi visa ab ipso fuit effigies beati Caietani cum multis donariis. Magna igitur erectus spe, continuo rogat Sanctum: et, ecce, sensit subministrari tibiis subitam quamdam virtutem, quæ suapte sponte ad pristinam rediere æqualitatem, et ab omni alio malo ipse convaluit.

exempla. 90 Angelæ Battinellæ famosa Neapoli salus fuit. In lumbis ad partes corporis inferiores nullus ei sensus, nullus motus inerat, et tam deformis etiam erat ei vultus, ut os ad aurem pertingeret: et lecto portatili, qui rotis vehebatur, delata victum emendicabat per civitatem. Illa res magnas de B. Caietano narrari audiens, viva fide accensa est: dumque suas ei preces porrigeret, sequente nocte Sanctus ei apparuit, tactuque salutari curavit vultum ejus male affectum, atque aliorum membrorum integram ei salutem dedit. Illa vero in accepti beneficii memoriam, ad ejus altare appendit B lecti, quo vehebatur, rotas, nec non sediculam, in qua sedebat, quando usu membrorum capta fuerat.

Tribus annis absque motu, et absque sensu ullo jacebat Angela Paganella, oculorum etiam lumine, auriumque ac linguæ usu privata. Sanctum interpellat, et sequenti nocte videt eum ad se venire, his verbis usum: Ego sum Caietanus; et huc veni, tibi ut salutem redderem. Et hoc dicto, evanuit. Illa vero dum mane expergefieret, advertit, se videre, audire, et loqui; ad hæc, quia nervi ejus etiamnum erant infirmi, dum gressum tentat, vidit, quod pristino suo cum vigore moveret passus sine ullo impedimento. *Ex iis, quæ auctor congerit a pag. 301 circa curatam a Sancto oculorum cæcitatem, sufficiant sequentia:*

Cæci 91 Thomas Angelus eadem ista caligine involutus, per urbem Neapolitanam, ductore puero, incedebat; quando communis fama Caietani venit ad ejus aures; et quomodo virtus ejus ad illustrandos pariter oculos sese extenderet. Quamobrem spe excitatus, ad clarum illud sanctitatis C lumen etiam ipse recurrit. Invocat illud, talemque ex eo splendorem accipit, ut ad pristinam suam lucem redierit. In S. Antonio, quod castellum est non procul Neapoli, fuit quædam mulier, cui præter multarum infirmitatum, eam lecto affigentium, amplam congeriem, accesserat cæcitas: sed, audita fama, quæ circumferebatur, beati Caietani, sese ei commendat; et sine mora unum oculum recuperat; dumque denuo ad eum invocandum recurrit, alterum item recipit: unde crescente fiducia, petiit integram sanitatem, eamque integre obtinuit. Quo factum, ut potuerit sine mora in viam se dare, et iverit debitas ad Sancti altare persolutura grates pro egregia adeo beneficiorum congerie.

illuminantur: 92 Julia Ferrigna perdidit sinistrum oculum; quæ res fuisset parvi momenti, si crassus humor, qui illum abstulerat, concretus, et ad magnitudinem nucis Avellanæ perductus, non inhæsisset fœde oculo. Tentatis remediis, intellexere parentes, contumacissimum fuisse morbum. Ad Caietanum itaque se convertunt, filiamque corroborant, ut viva cum fide sese illi commendet. Potandam ei dant aquam, in qua fuerant Sancti flores: ejusque oleo illam ungunt. Quid amplius? Mater, quæ aliquantulum inde recesserat, audivit, se vocari cum festinatione a Julia; rediret, ac videret mirabilia magni Servi Domini. Venit, vidit, ac malum omnino fugatum fuisse reperit. *De curatis oculis plura dat Silosius pag. 303; de faucibus autem ac gutture ista:* EX EDITIS.

strumæ, angina etc. curantur: 93 Josephus Pepeus, paucorum annorum puer, et Columna Vannalucia de Cilento strumis corrupti, post multas curationes, sed frustra omnes, balsamo olei Beati convaluerunt. Angina laborabat Claudia Vindicta, et adeo violenta, ut supremis Ecclesiæ munita præsidiis, nihil exspectaret quam ultimum ictum; sed eodem præstanti liquore vicina fugit mors, et integra rediit salus: prout etiam accidit Petro Augustinaccio, qui ista medicina eodem die, quo medicorum judicio exire debebat e vita, sanus e lecto exiit. Malum gutturis, pestilens puerorum contagio est. Ex hoc ad extrema deducto Blasio Veneto, annorum paucorum puero, jam cogitabat pater de ejus sepultura; sed interius monitus, ut ad hunc peritissimum medicum recurreret, id fecit, eodemque tempore, quo eum unxit oleo ejus, vivum filium ac vegetum recepit, et parvus sarcophagus, ad sepulturam ipsius præparatus, Sancto pro tropæo fuit, ad altare ejus appenso. Subito etiam malo E eodem suffocati convaluerunt Hieronymus ac Dominicus Sauli, pater ac filius.

Ad fauces pertinet illud, quod infanti Teresiæ Muriscæ evenit. Dederat ei parvum nescio quod tintinnabulum, quo tempus falleret, uti cum infantibus agi assolet; et inconsideratus infans, cibi quidpiam esse censens, illud sine mora glutivit; sed dum durus bolus per exiguas fauces nec transire posset, nec infans eum rejicere, remedia omnia, quæ poterant, frustra adhibita sunt. Respirare itaque non valens, vultum mutavit infans, et parum videbatur abesse a morte. Altare Beati, ad quod delatus est, supremum exstitit remedium: quo vix invocato (res mira!) tintinnabulum foras projecit, vigorque et vita ad eum rediere. Alteri quoque non majoris ætatis infanti ita accidit; in cujus gutture pomum, quod degiutire volebat, permansit, ita ut nec sursum nec deorsum promovere illud posset. Fauces ejus unxerunt oleo Beati, et, ecce, facillime foras prodiit pomum, et respiravit infans tantum non strangulatus. Unxerunt etiam fauces Pauli Bambagiæ, pueri sexennis, ac continuo ejecit monetam cupream, quam glutierat, et quæ gutturi ejus inhæserat, cum periculo suffocationis. F

prægnantes 94 Victoria Pignatella, nobilis domina Neapolitana, quinto mense, quo erat gravida, abortum est passa. Dumque timerent admodum ejus vitæ propter ardentissimam quæ accesserat febrim, medicum eo advocarunt magnum illum Domini Servum: ad cujus solum nomen, cessantibus illico doloribus ac febri, convaluit. Evenit anno sequente, ut eodem mense dolores renovarentur iidem nec minus contumaces, nullo juvante remedio. Unde vicinus timebatur abortus. Quid fit? Ad eumdem recurritur medicum, et unico momento omnes una cum doloribus cessarunt timores, suoque tempore partus jam maturus feliciter in lucem prodiit, indito ei in baptismo Caietani nomine. Sexto mense, qui multo est periculosior, Elisabetha Fides abortum habuit. Accessere gravissimi dolores cum acutissima febri, adeo ut visum fuerit medicis, illam admonere de vicina sua morte, ideo maxime quod, mortiferis correpta deliquiis, soleret sensibus destitui. Amici itaque ei, erga Caietanum utpote multum affectæ, indicarunt, quod illo præstanti patrocinio pristinam consequi posset sanitatem. Applicuerunt ei flores alta-

EX EDITIS.

altaris ipsius, et sine mora ad se rediit; evanuere dolores, deliquia et febris, ac sanata fuit. Sexto mense abortus similiter accidit Neapoli Catharinæ Venetiæ, ac Felici Medinæ: quæ ambæ præter modum discruciatæ, periclitabantur valde de vita sua: sed altera per oleum, per votum altera Sancto factum, quasi e mortis faucibus ereptæ sunt. In pari periculo ac pene depositam se vidit Hieronyma Gargana post abortum. Mortalia deliquia eam invaserant, nec erat remedii quidpiam, quo juvari posset, si preces demum sororis excipias: quæ flexis genibus Servo Domini eam commendat: eodemque tempore infirma ad se reversa est, sanamque se sensit, affirmans, se a Sancto sospitatam fuisse.

ad Sancti opem confugiunt,

95 Arianna Ragiona Caietano erat devotissima, et in more positum habebat, varios, prout ferebant tempora, flores altari ejus admovere. Jam vero, quando illa conceperat, Sanctum oravit subito, ut istis in angustiis sibi adesset. Doloribus igitur tactæ, en, Caietanus spectabilis ei apparens, dixit, partum necdum esse maturum. Et vere dilatus fuit tunc temporis; sed aliquot B post diebus rediere dolores, et rursum Beatus ei apparuit, dixitque, ut bono esset animo; quia brevi esset in lucem editura infantem. Sic accidit secundo die: illa vero in grati animi significationem, nomen Caietani ipsi dedit. Simili apparitione fuit de vicino partu certior facta Elisabeth Irlandesia; prout evenit, nomenque ei imposuit Caietani. Mulieres duæ, quarum uni nomen Victoria Seguinea, alteri Nuntia Linaria, gravissimis partus doloribus pene e vita proscriptæ; sed oleo lampadis Beati, emisere in lucem ambæ filium masculum: et Victoriæ suum obtigit lac in tempore, quod aliis vicibus concessum ipsi haud fuerat; ac pro certo habebat, beneficium illud a Caietani manu sibi collatum fuisse. Mense integro doloribus partus conflictabatur Angela Vitaliana, per varia temporis intervalla mortalibus animi defectionibus correpta, ita ut judicio medicorum non posset vivere. Sed admonita a matre, Sancto se commendat, et quæ diu cum morte certaverat, momento uno peperit: cui beneficio insuper adjunctum fuit miraculum aliud. Nam dum infans editus haberet brachia ac pedes con- C torta, Beato interpellato, subito res tota restaurata fuit.

ac mirifice juvantur in edendo partu.

96 Plura pericula subiit Hieronyma Gargiola in duobus gemellis, quos peperit; sed ea superavit per Caietani invocationem. Lucretiæ Volæ partus obierat, prinsquam editus esset in lucem: ad quem extrahendum, nulla obstetricis ars, nulla medici suffecit, adeo tenaces egerat radices in isto sinu: unde censebant periti, partum illum fore matri fatalem. Cognovit tamen Lucretia, unicum sibi superesse effugium, videlicet patrocinium Caietani. Eum itaque invocat, et sine iteratione precum, facile foras protrusit mortuum infantem. Nec vero hic stetit favor: quia e corrupto lacte pessime affectis ejus mammillis, timebatur valde grave aliquod malum: sed invocato iterum Caietano, morbus pestilens evanuit. Postremo, dignum vere insolito nescio quo eventu mirabili fuit illud, quod accidit in partu Mariæ Mezzettæ. Habitabat illa in castro, nomine Calamosca, quo pervagata fama maximorum prodigiorum Caietani, summum ibidem incrementum ceperat: quia mirabiles per flores præsertim altaris ejus quotidie audiebantur eventus. A quatuor igitur diebus memorata Mezzetta patiebatur crudelissimos partus dolores; omnique deinceps vigore amisso, medici affirmabant, ægre hunc D partum prodire vivum posse in lucem. Amici erant ei auctores, ut, quoniam tam promptum erat omnis mali remedium, illa quoque id adhiberet, seque Servo Dei commendaret. Mulier bona non distulit executioni mandare illorum consilium; florem Beati comedens, vivaci modo se ipsi commendavit. Quid dein? Eodem tempore cessarunt dolores, et egregium masculum in lucem edidit: hic vero aliud cum stupore mirandum prodidit; quod, tametsi oculis suis vidissent multi, vix tamen fidem invenit. Etenim dum vagitus edit infans, et labia aperit; conspicitur in ejus ore flos ille, quem comederat mater. Unde cognoverunt et affirmarunt omnes, huic, tanquam instrumento, deberi salutem matris ac filii.

ANNOTATA.

a *Urbs hæc jacet in Ducatu Urbinate ac ditione Ecclesiæ, ad mare Adriaticum.*

b Capreæ, *insula, Ital. Isola di Capri, in regno Neapolitano ac mari Tyrrheno, non procul a Surrento.* E

PARS OCTAVA.

Ubera et calculus curata; latrocinia ac maleficia etc. depulsa, uti et pestifera lues Neapoli.

Gratia Vitellia proxime post partum afflictabatur mammillis adeo periculose ac male affectis, ut medici timerent, ne, quia cordi tam erant vicinæ, partem veneni sui transmitterent ad partes magis vitales, ipsamque e vita subito tollerent. Ad illam denuntiationem valde exhorruit mulier; sed non ignara potentiæ Caietani, ad aram ejus venit; ibique orando et lacrymando obtinuit gratiam: die quippe sequenti, rupto quasi aggere corrupti humoris, omne prodiit malum, ac convaluit. Eodem malo atrociter cruciata Dominica Maggia, nec quietis aliquid invenit illa, nec medici remedium; judicabaturque, non longe admodum abesse manifestum interitum. In casu tam desperato, ad patrocinium Caietani, omni alia cura deposita, recurrit: oleo ejus inunxit mammillas, ac sensit subito dolorem, ac malum ipsum mitigari, et, continuato istius balsami usu, reipsa sanitatem consecuta est. F

Mammillæ

98 Teresiæ Garofolæ mammillæ e malo pestifero erant nigræ instar carbonis, et per incomparabilem duritiem, qua laborabant præterea, indicabant, adhibendum esse ferrum et ignem: jamque duris adeo ac severis experimentis præfixus erat dies. Verum Teresia salutem alia invenit via: nam in benignas Caietani manus se tradens, exiguo tempore sine instrumenti rigore, valetudini pristinæ restituta est. Ferrum pariter et ignem evasit Victoria Fortunata, cui mammillæ induruerant adinstar lapidis: sed enim simul atque se unxit oleo Beati, malum evanuit. Latebat malum, quod excruciabat mammas Annæ Ricciardæ, quod dum medici non nossent, cæcorum more procedebant, et ab insidiis timebant. Mater opportunam curationem invenit; etenim filiæ mammillas ungens

pessime affectæ, Caietani præsidio convalescunt.

A ungens oleo Beati, ita rem gessit, ut malignus humor, qui in fundo latebat, foris prodiens se manifestaret: unde hostis cognitus, remediis opportunis superatus est.

Calculo laborantes

99 Veniamus jam ad alium morbum vere formidabilem, molestiæque ac periculi plenum; malum, inquam, calculi. Antonius Parnesius, sacerdos Neapolitanus, isto malo, ac ejusdem acerbissimis doloribus cruciabatur adeo, ut judicarint medici, procedendum esse ad sectionem. Porro Antonii debilitas non patiebatur tam extraordinaria remedia. Quamobrem interne admonitus, ut perfugium haberet ad Caietanum, bona fiducia plenus, Beatum orat, et facit, ut parvula quædam ejus neptis recitet etiam ter orationem Dominicam, et ter salutationem Angelicam. Quo facto, prodit sponte sua calculus non mediocris magnitudinis, et sine ullo doloris sensu. Fuitque magni stuporis res medicis, quomodo per adeo angustos meatus potuerit exire calculus istius magnitudinis absque dolore. Præ illius mali acerbitate eo redactus est Nuntius Pettillus; ecclesiæ Triventinæ vicarius generalis, ut a medicis fuerit depositus. B Ungit se oleo Beati: nec mora, ejicit foras calculum magnitudinis unius nucis. Diebus quindecim doloribus hujusmodi cruciatus fuerat Alfonsus Madonna sine ulla requie, et sine spe. Demum e S. Joanne a Teduccio (castrum est non procul Neapoli) portari se jussit ad altare Beati: ibi supplicat, Beati patrocinium implorando; et domum redux, emisit foras crassum calculum; et subito permansit sine doloribus, et sine malo.

Sanctum sibi propitium habent;

100 Puer tenellus annorum septem eodem morbo similiter cruciatus fuit sine ullo remedio. Deliberarant jam medici de sectione; sed puer dolore affectus, cum fide ad Beatum se convertit, et per intervalla integram consecutus est salutem. Orans quippe prima vice, emisit calculum: orans secunda, alterum: orans tertia, tertium: adeo ut orare pergens, pergeret emittere adusque duodecim calculos: quorum nonnulli tantæ fuere magnitudinis, ut mirabile admodum fuisset, si eos foras ejecisset vir maturus. Multo tenerioris ætatis erat Carolus Tuscanus, cum non excederet annum unum cum dimidio. Is dum eodem morbo discruciaretur, a medicis jam condemnatus erat C ad sectionem. Sed parentes, quorum utique affectus non poterat spectare filium ferro subjectum, ad breviorem ac leniorem medicinam se converterunt. Unxerunt eum oleo Beati; et, ecce, subito prodit calculus tam enormis magnitudinis, ut haberent omnes, quod mirarentur, e tam parvo infante eum exiisse.

quos inter exstitit Cardinalis Sfortia. a

101 Federicus Cardinalis Sfortia *a* e calculo, qui in renes descenderat, perquam acerbos patiebatur dolores, nullum e variis remediis expertus lenimen. Doloribus se junxit febris, longis vigiliis comitata: unde valde periclitabatur ejus vita. Malo cognito, contestati sunt medici expertissimi, esse illud immedicabile, nisi per vulnus. Malo pejus videbatur remedium, præsertim in persona Cardinalis, qui præterquam quod ageret quadragesimum nonum ætatis annum, climactericum ac proin periculosissimum, adeo ei erant præ gravitate morbi debilitatæ vires, ut valde dubitaretur, an ferrum sustinere posset. Nihilominus tamen ne vel tantillum quidem trepidus, duræ sese sectioni exposuit; sed non sine divino patrocinio. Nonnullos itaque Sanctos in singulares sibi patronos delegit, ut unus, qui sorte extraheretur, esset is, qui suæ curationis primariam exerceret præfecturam, ac sectoris manum dirigeret. Fuerunt illi S. Nicolaus Bariensis, S. Antonius Patavinus, S. Franciscus Paulanus, S. Franciscus Xaverius, et alii ad duodecim usque; quos inter erat etiam beatus Caietanus: et is fuit, quem sors declaravit directorem difficilis istius operationis; et quoniam prompta sua beneficentia jam ubique inclaruerat, certam spem dedit felicissimi successus, qui etiam secutus est. Incisio quippe facta fuit levissima manu, dolor moderatus, febris, quæ curationibus hujusmodi succedere assolet, levis exstitit, ac cito evanuit. Ad hæc, lecto detentus fuit diebus non plus viginti: ubi ad perfectam vulneris sanationem requiritur mensium trium quies. Hinc conclusere medici, affuisse sine dubio divinam manum, et Caietani patrocinium: cui deinde magnanimus Cardinalis gratum sese exhibuit dono argenteo, et lampade etiam argentea librarum fortasse sexaginta, quam Neapolim ad sepulcrum sui sospitatoris misit, ac una ipsum non mediocris magnitudinis calculum in perpetuam accepti beneficii memoriam crystallo inclusum.

Varii in eventibus desperatis liberantur.

102 In eventibus desperatis Caietani opem experti sunt Petrus Maura, qui evasit hostes eo ipso temporis articulo, quo educto e vagina gladio armisque ignovimis tergo ejus imminebant: Franciscus Garzia, qui prædonum manus, quando id E fieri non posse videbatur, effugit per Sancti invocationem: Franciscus Celentius, qui non fuit adspectabilis aggressoribus, gladios manu tenentibus, ut eum in partes conciderent. Antonius Verderosa e mediis erupit gladiis intactus. Joannes Baptista Peregrinus subduxit se laqueo, quem duo hostes capitales collo ejus jam aptarant. Thomas Ferrarius, cœnobita Cœlestinus, in silva quadam involutus sine ductore, foras eductus est a Beato, qui ei apparens viam monstravit. Antonius Vincentius nomine Caietani exstinxit magnum ignem, qui domum suam redigebat in cineres. Franciscus Paulillus in gravis furti crimen vocatus, ac falso convictus, eodem tempore, quo se commendat Beato, ille, qui vere furatus fuerat, conscientiæ stimulis punctus restituit. Joannæ Vespolæ non parva pecuniæ summa restituta fuit per eamdem invocationem. Ita etiam accidit quibusdam nautis, dum fieri non posse videbatur, ut furtum detegeretur. Elisabethæ Baracanæ res quædam pretiosæ F restitutæ sunt eodem tempore, quo amissionem commendabat Caietano. E manibus piratarum extractus est Angelus Venetus cum sua navi, quando jam captus esse videbatur. Franciscus Ignatius eodem modo Turcis ereptus est, quando jam in eorum manus pervenerat. In omnibus hisce aliisque innumeris eventibus desperatis, veluti ex machina comparuit Caietanus, virtuteque divina illud, quod apparebat indissolubile, fuit evolutum.

Mirum Sancti adversus dæmones imperium.

103 Sed verissimum est, quod omnes adversitates humanas, ac mala quælibet superent implacabilia odia, quibus nos persequuntur communes adversarii nostri, eorumque insultus. Quod vero Servus Domini norit eos refrenare ac castigare, multi a crudelibus adeo monstris infestati, ac liberati testantur. Et certe ultimis hisce temporibus nihil magis frequenter visum est ad sepulcrum ejus, quam hujusmodi homines a dæmonibus possessi, qui eo conducti sunt, ut a dura ista obsessione liberarentur. Audiebantur horrendi stridores ac strepitus, nec non altissimæ lamentationes, quod viderent se fugari e corporibus humanis. Toto die spectabantur lapides, clavi, imagunculæ cereæ, capillorum tricæ, similesque fœditates, quæ energumeni miseri ejiciebant ex ore. E parietibus

jam

EX EDITIS.

jam pendent res hujusmodi, tanquam continuarum Sancti victoriarum tropæa. Dicere solebat monachus Basilianus, Joannes Baptista Hispanus dictus, vir in exorcismorum usu exercitatissimus, quod, dum quadam vice honoratam aliquam personam solitis Ecclesiæ armis adjuraret, sponte sua dæmon ipse sit professus, beato Caietano adversus spiritus tartareos eamdem illam esse potentiam, quam habuere S. Dominicus, S. Franciscus, et S. Antonius de Padua. *Atque hi quidem sunt cœlestes favores, e Silosii Vita accepti, ac latinitate a nobis donati, quibus magnus Dominus, ac mirabilis in suis Sanctis Deus, Servum hunc suum illustrare apud homines voluit. Alios bene multos numero, ac genere suo insignes, quos laudatus biographus per varias discurrendo Europæ regiones, recenset lib. 3, cap. 15, non transcribimus, ob rationes paulo post a nobis assignandas. Nunc itaque exponemus egregium ejusdem ac singulare patrocinium in pestifera contagione, quæ Neapolim infestavit, et quam laudatus auctor enarrat cap. 16. Relatio ejus ex Italico Latine sic sonat:*

B

Exponit auctor luem pestiferam.

104 Quia notabilis nimium fuit successus pestiferæ luis, quæ contaminavit, ac miserum in statum redegit nobilissimam urbem Neapolitanam, et nimis etiam manifestum ac opportunum auxilium, quod sua intercessione ibidem porrexit Caietanus, narrationem hanc ab aliis separare decrevi, ut distinctiorem lectori de ea darem notitiam. Recens etiamnum est istius calamitatis memoria, nec locum facit animos funesta recordatione exasperandi. A tenuibus ac non bene cognitis principiis, sicut usuvenire fluminibus assolet, adeo accrevit malum, ut sepulcris, campisque ipsis colluviem ac numerum cadaverum non capientibus, publicæ viæ iis occuparentur, non a vivis amplius, sed a civibus mortuis atque inhumatis usitatæ. Prompta Dominorum Neapolitanorum per opportuna subsidia fuit providentia. Ad curandos infirmos plura sunt aperta nosocomia; plura ad mortuorum sepulturam destinata loca: non parcebatur pinguibus ministrorum stipendiis, nec restricte dabatur, quidquid pertineret ad medicos et medicinas. In capaciori nosocomio, cui a S. Januario

C

nomen, erant semper septem fortasse millia infirmorum; e quibus prope sexcenti moriebantur quotidie, et totidem eo ingrediebantur mortifero mali ictu vulnerati. Subsidiis humanis accedebant divina: prompta quippe erat Sacramentorum administratio, et recurrebatur ad patrocinium beatissimæ Virginis, gloriosi sancti Januarii, aliorumque urbis tutelarium Sanctorum; et quia Caietani nomen tot quotidianis beneficiis, in generis omnis ac status personas diffusis, admodum tunc erat celebre, videbatur in eo potissimum nixa communis fiducia: et monitu quodam interno spem omnes firmissimam concepere, futurum, ut die anniversario ejus festo sacra, quod celebratur septima Augusti, videri posset singulare aliquod miraculum.

quæ diris modis Neapoli grassata,

105 Dum itaque crudeliter sævire pergeret strages, ac divinæ justitiæ gladius neutiquam parcens per afflictam circumageretur urbem, tunc potissimum concepta de illius Servi Domini patrocinio fides revixit. Quamobrem ubi dicta solemnitas appeteret, omnes communi censuere suffragio, piam quamdam exercitationem adhibendam esse, qua rogaretur Sanctus, isti ut causæ advocatus accederet, et ipsi se disponerent ad accipiendam gratiam. Unde nobiles duo ad nosocomii regimen deputati, vere magni animi ac magnæ pietatis

D

viri (quorum unus nuncupabatur D. Philippus de Dura, alter vero D. Thomas Guindazzius) fervida efflagitatione sibi porrecta, decreverunt, ut diebus novem antecedentibus, in dicti nosocomii sacello exponeretur sanctissimum Sacramentum una cum Sancti imagine; ibidemque cum aliis pietatis exercitiis recitaretur Rosarium beatissimæ Virginis. Id quod tali modo exsecutioni mandatum, ut tribus diebus proxime festum præcedentibus, ad Servi Dei honorem factus sit maxime solemnis ac magnificus apparatus per pretiosum altare, luminaria, ignesque lætitiæ testes: quibus pietatis significationibus finem imposuit communio generalis, ipso solemnitatis die magno cum affectu et compunctione cordis peracta.

et S. Caietani patrocinio mirifice exstincta est.

106 Res enimvero mirabilis! Ipsamet pestifera lues diem illum reverita est, non secus ac si voluisset eum observare cessando ab omni opere servili; et constans fuit opinio, ne unicum quidem illo die mortuum fuisse: et exhinc in posterum, debilitatis viribus suis, cœpit cum progressu temporis deficere, donec omnino cessavit. Beneficium inæstimabile adeo fuit manifestum, ut opus ei non fuerit testimonium. Duo tamen nihilominus

E

memorati nobiles, casu quo contingeret, ut dubitaret aliquis de gratia, quæ veluti tangebatur manibus, et ad confirmationem externorum, plenam scriptis suis peculiaribus fecere fidem; quæ postea in lucem data sunt, et omnium manibus circumlata, uti et alia personarum fide dignarum; quales erant medici locales, nec non cancellarius ac secretarius, aliique hujusmodi ministri. Adde ipsam constantem opinionem eorum, qui contagio fuerunt infecti, ac dein curati. Quippe post purgationem dierum quadraginta, in locis ad hoc destinatis, liberati ac sanati, nec non alia mali suspicione vacui, turmatim et recta se contulerunt ad ecclesiam S. Pauli, ut suum cum debita gratiarum actione agnoscerent sospitatorem. Et de hac quoque re prodierunt in lucem certissima testimonia typis edita. *Agitur ibidem deinde de numerosis proxime post pestem congregationibus ac solemnibus supplicationibus ad Sancti altare; adde magnifica vexilla manibus gestata, ac beatissimæ Virginis uti et ejusdem Sancti effigie insignita, cum hac inscriptione:* Ob urbem a peste liberatam. *Denique urbis Neapolitanæ moderatores, prout subdit Silosius, accepti beneficii memores, singulari affectu, voluntatumque concordia, nemine dissentiente, decreverunt, apud summum Pontificem obnixe urgendum esse, ut in album Sanctorum adscriberetur, essetque urbis Neapolitanæ patronus. Litteras super hac re ad Alexandrum PP. VII datas profert laudatus biographus pag. 340 et sequentibus.*

F

ANNOTATA.

a *Agitur de eo apud Ciaconium tom. IV col. 677.*

GLO-

A

GLORIA POSTHUMA

ex singulari erga Sanctum veneratione per varios Europæ tractus diffusa; sepulcrum Neapoli; domus Lutetiæ Parisiorum.

Pluribus aliis, quæ omittuntur, miraculis instruimur de Sancti cultu

S*ilosius lib. 3 Vitæ cap. 15, præter insignes illos ac frequentissimos cœli favores, quos quasi Neapoli ejusdemque locis conterminis non egressus, capitibus præcedentibus narraverat, et quos modo nos ex ipso retulimus, commemorat seriem bene longam plurium aliarum gratiarum, quas magnus noster Thaumaturgus liberali patrocinio contulit in miseros mortales in diversis Europæ regionibus. Sed quandoquidem superiora illa, quæ* B *in Latinum sermonem convertimus, sufficere censemus ad gloriam Sancti posthumam, longumque nobis esset, ac lectori fortasse tetricum, alia hisce accumulata exhibere, quæ loco citato videri possunt; iis huc transcribendis supersedemus; ita tamen, ut varii illi Europæ tractus, quos percurrit laudatus biographus, præbituri nobis sint novæ materiæ argumentum expendendi, quantopere sese in illis Europæis regionibus et amabilem præstiterit noster Sanctus Thaumaturgus singulari beneficentia, et quam tenero in illis pietatis affectu amatus fuerit, veneratione ejus quaquaversum diffusa. Argumentum quidem præsens obiter attigimus supra e Sanctacrucio § 4 in initio; sed singillatim illud pertractemus, delibantes e Silosiana narratione, quæ huc spectant. Miracula vero videantur in supra dictis.*

regno Neapolitano,

108 Principium, *inquit*, dabit ipsum regnum Neapolitanum, ad devotissimam adversus Caietanum affectionem provectum exemplo suæ ecclesiæ metropolitanæ, a qua, tanquam a capite, in alia membra derivare facile potuit peculiarem quemdam affectum, ac reverentiam erga Sanctum. Provincia, quæ Neapoli remotissime distat, in extrema C quasi Italiæ ora sita, illa est, quam Hydruntinam vocant, et quæ etiam dicitur Salentinorum. Ibi, ac præsertim Aletii, præcipua ejusdem urbe, nescio quid peculiaris affectus ostendit Sanctus, ac singularem beneficentiam, promptamque in succurrendum voluntatem. *Res probatur ibidem ab exemplis.* Similia sunt, *uti subdit*, alia innumera miracula, quæ Caietanus fecit in ista provincia; ob quæ fuere ei multis in locis consecrata sacella et altaria, atque expositæ ejus imagines publicæ venerationi.

in urbe

109 In urbe Tarentina habuit Beatus altare suum in ecclesia principe, ac plurima gratanter mirabilia ibidem patravit. Quod communis lues pestifera anni quinquagesimi sexti, in istam urbem sese non intulerit, communi suffragio acceptum ipsi retulere: maxime, quod eodem illo tempore visum sit in ejus statua inusitatum aliquod miraculum, quod D. archiepiscopus, nec non canonici omnes, et quotquot concurrerunt eo, observarunt. *Res gesta ibidem exponitur.*

ac diœcesi Tarentina,

110 In diœcesi Tarentina castrum existit, quod Lizzanum nuncupant, ubi placitum fuit Sancto populos istos consolari beneficentia incredibili ac crebris miraculis. Dux Octavius Clodinius ex peculiari ac pia affectione, qua eum prosequebatur, illud effecit, ut in ecclesia majore esset altare ipsius nomine nuncupatum; ejusque ad exemplum eo concurrebant populi isti, ut in suis necessitatibus preces porrigerent, non sine singularibus beneficiis, per quæ communis devotio talem progressum ac incrementum cepit, ut nullum certius in calamitatibus suis haberent perfugium, quam nomen et altare Caietani. Venit Neapoli ad meas manus longus catalogus miraculorum, summa cum fide collectorum ab archipresbytero istius territorii: *e quibus pauca ibidem memorantur a Silosio.*

EX EDITIS.

in utraque Calabria,

111 Inde nunc transeundo in Calabrias ambas, multa ibidem annotanda essent; sed ne longiores simus, pauca attingemus: *quæ lector inveniet apud sæpe laudatum auctorem. Hinc in Siciliam pergens, amplam sese ibidem reperturum asserit scribendi materiem.* Platia, non obscuri nominis in medio istius insulæ civitas, prima fuit, quæ suæ devotionis, nec non benevolentiæ ac potentiæ Beati fructum sensit. Quandoquidem currente anno hujus seculi quadragesimo primo, observantia ac pietas istorum civium eo jam processerat, ut in publicam atque constantem ejusdem testificationem, communi consensu eum civitatis patronum delegerint, ac patrocinium hujusmodi celebraverint omnino magnifice et religiose. *Favores, patrocinante Sancto obtentos videre licet apud eumdem scriptorem.* E

item Panormi, et alibi.

112 Nobilissima urbs Panormitana nos invitat; quæ dum ostentat Beati sacelli parietes, quod in magnifica S. Josephi ecclesia exstat, omnigenis donis ornatos, videtur subministrare scriptoribus integram beneficiorum, rerum mirabilium ac portentorum historiam, quæ in favorem hominum piorum patrata sunt: qui postquam in suis necessitatibus recurrissent ad ipsius patrocinium, apertum sinum, ac promptam Beati manum invenerunt. *Ad hæc, si* reliquam ingrediamur Italiam, fortasse non reperiemus, *teste Silosio*, civitatem, quæ in pretio non habeat nomen, sanctitatem intercessionem Caietani, ac annotandi materiem nobis non suppeditet. *Enimvero gratiæ singulares, quas Sanctus in Dominio Veneto, Vicentiæ potissimum, larga manu effudit, argumento sunt quod istius Italiæ tractus homines ad sui amorem, fiduciam, ac publicam venerationem beneficis illis ac piis irritamentis egregie provocarit. At de hisce locis consuli potest biographus, quem diximus, uti et de Urbino in Umbria.* F

Liburni exstat sacellum multis spiritualibus favoribus insigne.

113 *Liburnum in Tuscia suam etiam Silosio dicendi materiem præbet.* Sed hic, *ait*, silentio peætereundem non est, quod porro ita accreverit pietas erga Sanctum, ut ei consecrarint sacellum in æde sacra PP. Augustinianorum, quo certatim confluunt cives, ac externi; ibidem celebrantur plures per diem Missæ in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad accipienda nova. Ibidem quotannis cum pompa, musica, ac panegyricis dictionibus memoria ejus festa agitur: et Innocentius X ad fovendam publicam devotionem, eodem isto die ibi concessit indulgentias plenarias. Ad hæc, crescente ulterius affectu ac ardore populorum, memorato sacello adjuncta fuit sub Sancti auspiciis congregatio seu societas, ab eodem Pontifice Innocentio multis indulgentiis plenariis locupletata, id est, eodem die, quo sodales ibidem inscribuntur, et in articulo mortis, nec non die VII Augusti, annuæ Beati memoriæ sacro, ac in multis aliis solemnitatibus anni præcipuis: in altari etiam, ut diebus Lunæ singulis, uti et Veneris, ad Missam quamlibet, una anima

EX EDITIS.

ma e purgatorio eximeretur.

Quidnam in Hispania ac Lusitania, nec non regno Valentino.

114 Nunc Italia egressi si per alias Europæ partes exspatiemur, occurrent enimvero eventus alii notatu digni, in Hispania potissimum ac Lusitania. Quandoquidem postquam Ulyssipponem pervenisset, in orientales Indias inde profecturus, pater Ambiverius *(Clericus Regularis, de quo egerat auctor paullo ante)* dici facile non potest, quanta cum veneratione exceptum fuerit, ipso annitente, nomen Caietani, et quanta cum gratiarum copia cognoscendum populis illis sese ipse subito præbuerit. In Hispania, ac præsertim Matriti, per famam miraculorum brevi tempore visum est ejus sacellum frequentari ab omni personarum gradu; plus semel a Philippo IV rege, et a Maria Anna regina visitatum; quæ invocatione ac patrocinio Sancti adjuta in difficillimo partu, magnæ lampadis voto sese ei obstrinxit, quam sine mora confici Neapoli jussit, et ad sepulcrum ipsius appendi, cum reditu sufficiente ad perpetuum lumen conservandum. Multæ sunt res mirabiles in duabus illis civitatibus regiis patratæ; sicut multæ sunt illæ, quas in præsentia operatur Sanctus in urbe Valentina, ac quasi toto ejusdem B regno; ubi Caietani didita fuit fama, et conspirante affectu ad ipsum recurritur in communibus ac privatis necessitatibus.

Vetus

115 Sed S. Caietani *sepulcrum, de quo facta modo fuit mentio per transennam, ut ita dicam, propius inspiciendum se offert; quod cum aliquot post Viri sancti obitum annis, translato illuc e priore sepultura ipsius sacro deposito, una cum novo loco splendorem novum acceperit, ad gloriam Sancti posthumam conducet ea, quæ in hanc rem scripta exstant, litteris mandare. Silosius in Historia Clericorum Regularium tom. 1 lib. 15 inter ea, quæ narrat ad annum 1581, pag. 605 et 606 memorat instauratum Paulinum templum Neapolitanum Clericorum Regularium, ac translatum alio cœmeterium, et eadem occasione,* Tum quidem, *inquit,* commodum quædam reperta in inferna templi parte conclavia fuere, pervetusto atque arcuato opere, quibus nil mortuis contumulandis opportunius... Quocirca cum transferri hoc tempore consepulta in veteri conditorio ossa C in subterraneam eam ecclesiæ partem deberent, visum prudenter nostris, ut præstantissimorum Patrum corpora... in eodem quidem cœmeterio, sed separatim conderentur; concinnatoque dextrorsum loco, illa cum eadem humo reponenda inibi curarunt. Demandata res tunc fuit Petro Caracciolo, qui et reliquam templi exædificationem curabat... Atque is quidem postea multis post annis, cum de Thienæi ac Marinonii corpore studiosius inquireretur, quorum agitari jam sanctitas cœperat, ac Thienæi præsertim virtus publicum in examen revocata, Romanis jam calculis rite comprobaretur; testatus ex fide est, factam tunc temporis fuisse cinerum translationem; ostenditque quo D potissimum tumulati loco fuerant; et ut certior res esset, effodi altius jussit; inventique inibi, prout ipse affirmaverat, consepulti manes lætitia omnes affecere.

ac recentior locus sepulcri.

116 Qui postea locus dedicatus beato Patri Caietano fuit, estque secundum ad dextram templi partem sacellum, quod maculosi marmoris crustis loricari jam cœptum, columnisque vario item ex marmore exornari, splendidissimam plane faciem superne repræsentat. Respondetque exterior pars hæc sacelli subterraneæ peramplæque testudini sive hypogæo, quod exstructum, picturisque ac emblematibus magnifice excultum ideo voluere nostri, quod inibi prætiosæ beatorum Caietani et Marinoni reliquiæ... jaceant. Ac præterea excitandæ impensius Fidelium pietati erga sacros beatissimi Patris nostri cineres, apertum in extima sacelli parte nobile spiramentum fuit quod intuentium oculos recta ad aram transmittit, quæ in ejus cryptæ medio excitata, Caietani Pario e marmore simulacrum præfert; docetque eo illum monumento tegi, communicato nimirum cum Marinonio sepulcro; ut quorum eadem fuerat vita, E atque unanimis ad invicem caritas, eadem complecteretur urna extinctos. Id quod inscriptum in superiore sacello marmor luculento carmine declarat. *Noster Augustinus Oldoinus in Athenæo Ligustico inter Joannis Bapt. Justiniani Galeatii, Clerici Regularis, lucubrationes pag. 323 assignat.* B. Caietanum ovantem Neapoli, se tres de illo discursus.

Domus Parisiensis rex Galliæ cum matre primum lapidem ponit.

117 *Sit mihi fas bona cum lectoris venia hisce meis lucubrationibus coronidem imponere singulari aliquo atque ad gloriam Sancti posthumam illustrandam non ignobili certe facto, quod dedici, quando superiora ad prælum præparaveram. Lutetia Parisiorum vel* S. Caietanum Thienæum *in suo Ordine, quem condidit, vel Ordinem ipsum in suo conditore; dicamus potius, utrumque simul insigni publicæ æstimationis titulo condecoratum vidit; quando Eminentissimus Cardinalis Mazarinus, domus Clericorum Regularium ibidem fundator, serenissimum Galliarum regem Ludovicum XIV, nec non serenissimam reginam,* F *matrem ejus, oravit atque exoravit, ut primum exædificandæ istius domus lapidem ponerent; unde Sanctæ Annæ regalis nomen eidem inditum fuit. Domum hanc laudatus rex constanti ac regia munificentia deinde etiam sustentavit (teste D. Bernardo in fine Vitæ Gallicæ* S. Caietani; *e qua hæc didici) Ludovico parenti suo in hoc non degener, qui sui erga Congregationem Clericorum Regularium studii præbuit testificationes, quando in illius, qui eam instituit, promovenda beatificatione interposuit auctoritatem suam; prout ibidem licet videre.*

OCTA-

A D

OCTAVA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI VI IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Cyriacus,
S. Largus,
S. Smaragdus et socii, } MM. Romæ.
S. Nazarius,
S. Juliana V.,
S. Agape V.,
S. Eutychianus,
S. Corintho,
B S. Diomedes,
S. Metrodora V., } MM. Nicomediæ.
S. Hormisda M. in Persia.
S. Eleutherius,
S. Leonides, } MM. in Græcia.
S. Miron episc. conf. Thaum. in insula Cretensi.
S. Marinus Senex M. Anazarbi in Cilicia.
S. Severus presb. conf. Viennæ in Gallia.
S. Theodorus hegumenus conf. apud Græcos.
S. Mummolus abb. conf. Burdigalæ in Gallia.
S. Æmilianus ep. conf. Cyzici in Hellesponto.
B. Rathardus presb. conf. Diessen. in Bavaria. E
B. *Altmannus* episc. Pataviensis.
S. Famianus conf. Galletii in agro Romano.
B. Hugolina virg. Vercellis in Insubria.

VIDE APPEND. TOM. VI AUG. NOT. I.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Ultanum Lindisfarnensem monachum, *longe ab eo diversum qui* I *Maii colitur, nescio unde hoc die eruerit Menardus in suo* C *Martyrologio Benedictino. Apud Colganum, in recensendis Sanctis Hibernis minime parcum, ex Harpsfeldio signatus est* XVII *Januarii, quo die a Bollando Colganus necdum editus consuli non potuit. Si tamen vere eo die colatur, de ipso agi poterit in Januarii Supplemento ad dictam diem* XVII Januarii.

S. Valerii ep. Trevirensis translatio *signatur in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellen. Vide quæ de ipso dicta sunt, die quo colitur* XXIX Januarii.

S. Colmanum Lindisfarnensem episcopum, *nescio cur hoc die referri velit Colganus in notis ad vitam septimam S. Patricii pag. 181 columna 1, notatione 167; ubi agens de insula Inisbosinde ita loquitur :* In qua colitur S. Colmanus episcopus Lindisfarnensis, *qui* obiit anno DCLXXIV, VIII Augusti *quo frustra remissus est in Prætermissos* VII *Martii. Memoria hic lapsum oportet Colganum, qui Sanctum illum* Colmanum *retulit* XVIII *Februarii, quo die gesta ejus a Majoribus nostris illustrata sunt, ut istic videri potest* XVIII Februarii.

Sancti Apostoli Mathiæ certamen *cum parvo elogio legitur in Menologio Sirletiano. Egimus de eo* XXIV Februarii.

S. Quiriaci episcopi passio Hierosolymis sub Juliano *rotunde hoc die annuntiatur in codice Usuardino Pulsanensi; alii potissimum insistunt translationi ejus, hoc die, ut volunt, Anconam factæ. De Quiriacis vel Cyriacis satis disputatum est. De Martyre Hierosolymitano, deque ejus translatione videndus tomus I Maii a pag. 439, ubi res tota pridem discussa est* IV Maii. F

S. Theodomum *Lucensem in Etruria episcopum, cur hoc die Castellanus in auctariis suis retulerit, fateor me prorsus non intelligere, cum scire potuerit et debuerit, eum Lucæ coli* XIX *Maii, quo die in Actis nostris relatus est sub vero nomine* Theodori, *ubi etiam dictum est, ab aliquibus* Thodomum *et* Theodolum *appellari; videantur ibi dicta tom. IV pag. 329* XIX Maii.

S. Justinus martyr, cujus corpus requiescit in majori ecclesia Beatæ Virginis Parisiis, *memoratur hoc die a Munerato, Greveno et Molano : at jam in auctariis Usuardinis monuimus, eumdem ipsum hunc esse, qui ab Usuardo ponitur* I *Augusti, quo etiam die Acta ejus illustravimus, ut proinde recurrendum sit ad* I Augusti.

Sic S. Felix *martyr Gerundensis huc etiam translatus est in codice Hagenoyensi, ex jam dicto primo die quo Acta ejus illustrata sunt. Vide igitur iterum* I Augusti.

S. Faustinus martyr Mediolanensis *hoc die perperam signatur in codice Usuardino Centulensi : spectat ad diem præcedentem quo de ipso actum est* VII Augusti.

Vale-

A Valerianum M. *signant additiones Cartusiæ Bruxellensis : quem autem inter tot synonymos indicare velint, nemo facile divinaverit.*

Duo Martyres ex Tyro *exstant in Menæo Chiffletii, ne nomine quidem tenus noti.*

Marinum monachum et martyrem in Apulia *hoc die solus nobis signat Ferrarius in Catalogo generali, quem in majori suo de Sanctis Italiæ non memoraverat. Virum celebrem fuisse novimus, at legitime unquam cultum ut Sanctum, alia quam solius Ferrarii auctoritate stabilitum vellemus.*

Ternatius *cum aliis episcopis Vesontionensibus, a Saussayo in Supplemento hoc die signatus, ex aliis pridie prætermissus est.*

Rogerius monachus S. Bernardi discipulus, *primus cœnobii Meyrensis in Gallæcia Prior, sic ibi vitam instituit, ut toti illi regioni mirifice profuerit, laudatus a symmystis et* Beati *titulo donatus, a quo tamen nobis hactenus abstinendum censemus.*

Cœlestia petiit David Douglasius, nobilissimo ortu, qui cum in Anglia Eboraci Catholicus deprehenderetur, capite amputato cœlestium cœtus meruit
B anno MDLXXV. *Verba sunt Camerarii in Menologio suo Scotico.*

Didacus *Cisterciensis monachus, quem in serie Prætermissorum laudavimus 2 Julii, utpote quod ab Henriquez et aliis tunc signatus sit, hoc die in Kalendario Cisterciensi sic annuntiatur :* Obiit B. Didacus Velazquez S. Raymundi egregius coadjutor, *nempe dum* Mahumetanos fugavit, et Ordinem militarem de Calatrava instituit. *Deerat ibi legitimi cultus probatio, quæ cum ex eo tempore non accesserit, cogimur et hic eum denuo in eadem serie relinquere.*

De Leobado *hoc die a Ferrario signato, satis fuse egimus in Prætermissis diei precedentis.*

In Hungaria adventus sanguinis Domini nostri Jesu Christi *est Greveni singularis commemoratio : verum quæ ad Christum Dominum ejusque sanctissimam Matrem spectant, ad aliud opus pertinere, jam sæpius et abunde indicatum est.*

Alia est ejusdem Greveni annuntiatio his verbis concepta : Item festum quindecim Auxiliatorum,
C quorum nomina hæc sunt Gloriosa Dei genitrix semper Virgo Maria, Blasius, Dionysius, Erasmus, Panthaleon, Vitus, Georgius, Ciriacus, Christoferus, Agatius, Eustachius, Egidius, Barbara, Catharina, Margareta. *De singulis jam actum est vel agetur suo loco. Coluntur præcipue sub isto* Auxiliatorum *titulo Langhemii in Germania, ubi soli* XIV *numerantur, de quibus Missam habemus et librum Germanicum Vitarum compendia continentem. Est et apud nos liber Italicus Panormi excusus qui numerum* XV *servat, etiam absque beatissima Virgine. Neque vero in nominibus plane conveniunt dicta opera, quæ hic satis est indicasse.*

Demum et Paymon martyr *absque ulteriori notitia a jam toties dicto Greveno memoratur, quem aliis etiam Fastis insertum cuperem.*

Guilielmus martyr *Gazæ in Palestina*,
Raymondus Rœdanus martyr *Condomi in Gallia*,
Franciscus Gallus confessor *in Aprutio*,
Joannes a Bucca confessor *Panormi*,
} *Titulo beati donantur ab Arturo in*

Electus confessor *Dii in Delphinatu*, D
Gregorius confessor *Spoleti.*
Jacobus a Testera confessor *in regno Mexicano*,
Andreas de Olmos confessor *in India occidua*,
Elandia a Corceyo virgo *in territorio Bixunt*,
} *Martyrol. Franciscano et ultima etiam in Gynæceo, uti et tres sequentes.*

Hedwigis regina vidua *in Polonia*,
Cæcilia Gonzaga *Mantuæ*,
Cæcilia alia *etiam Mantuana*,
} *adduntur ab Huebero in Menolog. sed absque titulo*

Gertrudis martyr *in Anglia*,
Anonyma *in Brabantia*,
Adeltrudis vidua *in Arvernia*,

Hartwicus *abbas Tegernsensis in Bajoaria refertur hoc die a Mabillonio inter Sanctos Ordinis, verum cum solo* venerabilis *titulo.*

Joannes Abercrombius presbyter a sathanæ ministris propter fidem peremptus *signatur hoc die in Menologio Scotico Dempsteri.* E

Orus *aliquis Eliotarum archimandrita pro anno Christi 370 notatur in Acie bene ordinata P. Philippi Visitantini, quod sâtis est hic indicasse.*

Item beatæ memoriæ Helgeri confessoris, Ordinis Prædicatorum, filii Comitis, *sunt verba Greveni, quæ Usuardo ipsi parum apte tribuit Marchesius in suo Diario Dominicano, ubi de Ordinis sui scriptoribus acerbius conqueritur, quod de tanti Viri gestis tam parce et jejune egerint. Nos cultum ejus quærimus, de quo nihil compertum est hactenus, ut vel sepulturæ locus ignorari videatur, licet hinc inde* Beati *titulo donetur.* Ursionem, *nescio quem, nec unde acceptum,* Hilgero *jungit Florarium.*

Rinalducci *duo, ambo Perusini laudantur etiam hoc die a Marchesio, sed simpliciter.*

Alphonsus a S. Matthæo *signatur ab eodem et eodem modo in Lusitania.*

Sancti decem Ascetæ Ægyptii, in pace quiescunt, *ex Menæis magnis Græcis. Adde Menologium Sirletianum. At de his sufficiat hoc loco meminisse.* F

De Artemia *Diocletiani, ut volunt, filia, et quidem virgine et martyre jam non uno loco egerunt Majores nostri, ut* XVI *Januarii ad Vitam S. Marcelli num. 20,* XVI *Martii in Prætermissis et alibi, nusquam ausi inter Sanctos ei locum dare, quidquid in nonnullis Usuardi auctariis, Pancirolo et aliis* Sanctæ *nomine insignita sit. Ferrarius cum ad* XII *et* XVI *Augusti nescio qua occasione etiam memorat. Nobis hic plura dicenda non sunt, cum in hodierno Commentario ad Acta S. Cyriaci etc. § 2 a num. 20 de ea abunde actum sit.*

Dariam, *inter plures synonymas unam, ad hunc diem referri cupit Colganus in Vita S. Brigidæ pag. 545 notatione 67, ex Martyrologio Tamlactensi, ubi ita annuntiari dicitur :* Hac die Dariæ virginis quæ obiit anno octuagesimo ætatis suæ. *Vellem, ea adjecisset, ex quibus de gestis, virtutibus, miraculis et cultu conjectura fieri posset. Certe ex iis verbis non conficitur quod nobis necessarium est, ut* Dariæ *isti locus hic dari possit.*

Certamen sancti martyris Antonini *refertur cum elogio in Synaxario, ex Menologio Basilii imperatoris collecto. Agemus de eo cum Menæis magnis excusis die proximo* IX Augusti.

Arcisium *nobis hodie describit Usuardus Bruxellensis, qui apud alios ignotus est : nec mirum,*

cum

A *cum nomen corruptum sit ex* Ursacio *cujus proprium elogium hic male aptatur, referendum nempe ad* xvi Augusti.

S. Dubricii archiepiscopi urbis Legionum in Britannia *est additio Cartusiæ Bruxell. ad Grevenum: nobis alius istius nominis Sanctus notus non est præter Landaviensem in Wallia episcopum qui colitur* xiv Novembris.

S. Faganus *a Wilsono ad hanc diem in Martyrologio Anglico refertur, tanquam distinctus a* Fugatio, *quem eidem Martyrologio ad diem* xxvi *Maii inseruit. Ut nihil hic dicamus de fabulosa Wilsoni annuntiatione, quam Majores nostri in Actis S. Josephi ab Arimathæa ad diem* xvii *Martii jam partim exploserunt, probabilius putamus, hunc* Faganum *esse eumdem cum* D Fugatio, *qui a Pontifice Romano ad Lucium Britannorum regem, fidei prædicandæ causa missus fuit. Præter Alfordum nostrum, aliosque severiores criticos, ad eam identitatem agnoscendam nos movet Joannes Brompton, auctor Anglus seculi* xii, *qui inter decem veteres Angliæ Scriptores editus, col. 725 illum fidei præconem, qui ad Lucium regem seculo secundo missus est,* Faganum *appellat. Cum itaque decessores nostri* Fugatium *inter Prætermissos die* xxiv *et* xxvi *Maii remiserint ad Acta S. Lucii regis Britannorum, nos* Faganum *remittimus ad eadem Acta, quæ cum Martyrologio Romano illustranda sunt die* iii Decemb.

DE SS. CYRIACO, LARGO, SMARAGDO ET SOCIIS MARTYRIBUS

B E

ROMÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Antiquus horum Martyrum cultus; sed intricatæ de iisdem Martyrologiorum annuntiationes.

Colligimus immemorabilem horum Martyrum cultum ex veteri ecclesia

Jam a multis seculis celebrem fuisse horum Martyrum venerationem, colligimus ex Anastasio Bibliothecario, qui inter Vitas Romanorum Pontificum de Honorio I Papa sic scribit :* Fecit et ecclesiam beato Cyriaco a solo, via Ostiensi, milliario septimo, ubi et donum obtulit. *Deinde in gestis Leonis III, et Benedicti pariter III enumerat dona, quæ Pontifices isti in eadem ecclesia obtulerunt. Ex* via Ostiensi *et* milliario *ab urbe* septimo *confidenter concludimus, hæc ad* S. Cyriacum *nostrum et hodiernos Martyres spectare. Opinioni nostræ assentitur Paulus Aringhus,* C *dum lib. 3 Romæ subterraneæ cap. 5 de ecclesia illa tradit sequentia :* Quæ quidem ecclesia, *inquit,* una cum cœmeterio, solemni ritu Deo dicata fuit in honorem beatissimi illius martyris Cyriaci, qui cum Largo et Smaragdo, et aliis viginti sub Maximiano, pro fidei confessione datis cervicibus, martyrio coronatus est : quorum recolenda jugiter memoria in Martyrologio Romano, iterato laudum præconio celebratur; natalis nempe xvii Kalendas Aprilis, et translationis vi Idus Augusti; cum sanctus Marcellus Papa e via Salaria eorumdem corpora in Lucinæ matronæ prædium, via Ostiensi, septimo ab Urbe lapide, transtulit, ut eorumdem testantur Acta.

et cœmeterio sancti Cyriaci,

2 *Quod vero attinet ad cœmeterium* S. Cyriaci, *de quo Cencius Camerarius et Petrus Manlius etiam meminerunt, et quod ab immemorabili tempore nomen hujus sancti Martyris gessit, id ab Antonio Bosio, indefesso sacrarum cryptarum indagatore, diligenter investigatum est, ut laudatus Aringhus libro proxime citato cap. 9 testatur his verbis :* Verum his omnibus, quæ manu oculisque assecutus jam fuerat, nullatenus Bosius acquiescens, eamdem rursus Ostiensem viam perlustrare excogitat, ut perantiquum saltem beati Cyriaci cœmeterium, quod ipsamet via, septimo ab Urbe lapide, exstare didicerat, curiosus investigaret. Anno igitur a partu Virginis sexcentesimo septimo supra millesimum, mense Maio, constanti animo iter aggrediens, ad locum tandem pervenit, qui, ut a loci ejusdem incolis accepit, Sancti Cyriaci prædium, nuncupabatur. Porro hoc juxta Tyberim situm erat, in cujus sinistro prædii latere exiguus mons quidam seu collis attollitur, ubi in jugi medio, pervetustæ sancti Cyriaci ecclesiæ vestigia conspiciuntur, et in ipsiusmet collis summitate collapsorum ruinæ insignium ac prægrandium ædificiorum conspiciendæ F exhibentur : locus vero adhuc beati Cyriaci nomen obtinet.

quod Bosius indagavit,

3 Nullus autem, etsi omni inter perscrutandum studio adhibito, cœmeterii aditus adinveniri potuit; adnotare tamen juxta præmemoratæ ecclesiæ ruinas licuit, cryptam quamdam calce oblinitam substerni, quæ duabus columnis seu pilis suffulcitur, quadriforme in tholi medio foramen præ se ferentem : quæ quidem crypta an alicujus quondam cœmeterii pars fuerit, an potius cubiculum quoddam colligendis in unum conservandisque aquis veterum Romanorum opera atque industria destinatum, penitus latet. Quamvis, etsi aquis illam excipiendis servandisque usui olim extitisse asseratur, nil minus obstet, quin et eadem pariter cœmeteriali Christianorum usui postmodum inservire, eidemque adjungi potuerit. Id certum interim est, cœmeterium ibidem existere, ut ipsemet Bosius se ab ejusdem loci incolis accepisse fatetur; detectos nimirum ibidem fuisse aliquando secretos quosdam ac abditos terræ hiatus, per quos nonnulli inferiorem terræ sinum penetrantes, se quamplura defunctorum ossibus referta sepulcra vidisse testati sunt, ut in aliis, quæ tot adnumerantur,

AUCTORE G. C.

rantur, cœmeteriis quivis unus videre ac contemplari consuevit. *Nullos etiam hujus cœmeterii aditus detegere potuit Marcus Antonius Boldettus, quamvis anno 1715 eumdem locum operose examinaverit, ut ipsemet in Observationibus suis Italicis ad cœmeteria Martyrum lib. 2 cap. 18 pag. 540 indicat. Etsi autem certiora et clariora hujus cœmeterii monumenta hactenus inveniri non potuerint, tamen ex memoratis Pontificum Romanorum donis ac ipsis collapsæ jam ecclesiæ istius ruderibus facile eruimus immemorabilem* S. Cyriaci *cultum, qui nunc ex Fastis ecclesiasticis non parum confirmabitur.*

vetustisque Martyrologiis

4 *Antiquum Kalendarium Romanum, quod Leo Allatius Operi de Consensione Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ a col. 1487 inseruit, hac die memoriam solius* S. Cyriaci *celebrat; sed nec titulum martyris ei addit, nec locum confessionis aut martyrii exprimit. Eodem plane modo ad diem* XV *Julii et* VIII *Augusti refertur in altero Kalendario Romano, quod inter annum Christi 714 et 731 exaratum est, ut editor illius Joannes Fronto in Prænotatis pag. 62 ostendit. Fronto* B *autem in notis ad* XV *Julii putat, ea die repeti nomen ejusdem* S. Cyriaci, *eo quod tunc aliqua ecclesia sub ejus patrocinio consecrata fuerit. Quidquid sit de hac conjectura, videtur Wandelbertus hæc aut similia Kalendaria secutus esse, dum die* VIII *Augusti solum* S. Cyriacum *simpliciter exornat sequenti versiculo :*

Æthereum senis penetrat Cyriacus honorem.

At idem Martyrologus duos socios adjungit S. Cyriaco, *quando ad diem* XVI *Martii sic canit :*

Septima post decimam Aprilis de more Kalendas
Præcedens, Cyriaci et Largi splendet honore;
Smaragdique simul pretioso sanguine vernat.

Ex his versiculis utcunque colligimus, hos tres Sanctos pro Christo sanguinem fudisse. Gregorius I Papa in Libro Sacramentorum diserte indicat, S. Cyriacum *laurea martyrii coronatum fuisse, ubi* VI Idus Augusti *annuam solius* beati Cyriaci martyris *festivitatem triplici commemoratione celebrat.*

in quorum tamen annuntiationibus

5 *Kalendarium Romanum seculi* IV, *quod Bucherius noster primum typis vulgavit, die* VIII *Augusti plures* S. Cyriaco *sodales ita addit :* Sexto *(subintellige Idus Augusti)* Ballistaria *, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, et Smaragdi. C *Georgius Eccardus, qui ex Ms. codice Cæsareo nuper idem Kalendarium in Corpore historico medii ævi tomo I col. 23 et 24 edidit, verosimillime juxta apographum suum inverso dici ordine ac continua serie refert sequentia :* VI Idus Aug. Secundi, Carpofani, Victorini, et Severiani, Albano et Ostense, VII Ballistaria Cyriaci, Largi, Crescentiani, Mimmiæ, Julianæ, et Ixmaracdi. *Forsan in illo codice Cæsareo duæ diversorum dierum annuntiationes confusæ sunt : nam in Martyrologio Hieronymiano, quod Edmundus Martene tomo III Thesauri anecdotorum exhibet, et quod ab annis circiter mille conscriptum existimat, die* VII *et* VIII *Augusti hæc distincte leguntur :* VII Idus Augusti. Faustini, Ansenti, Quiriaci, Donati confessoris, Carpofori. *Dein autem immediate in altera linea sic sequitur :* VI Idus Augusti. Romæ Secundini, Cyriaci, Agapæ virginis, Severiani.

* *forte via Salaria*

circa nomina hodiernorum Martyrum

6 *At hic nulla fit mentio de Largo, Smaragdo, Crescentiano, Memmia, et Juliana, quos vetustissimum Kalendarium Bucherianum una cum* S. Cyriaco *recenset. Unde non prorsus temere suspicamur, in hoc Martyrologio Edmundi Martene* D *aliqua nomina Martyrum perperam omissa ac transposita esse. Hæc suspicio nostra crescit, quia in alio veteri Martyrologii Hieronymiani apographo, quod Franciscus Maria Florentinius notis illustravit, sub eodem die* VI Idus Augusti *plures Sanctos simul legimus in hunc modum :* Romæ natalis sanctorum Secundini, Severiani, Carpofori, Victorini, Albani. Et in via Salutaria Hostensi Cyrici, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, Ciriacitis, et Smaragdi, Secundi, Albani, Victoriani, Faustini, Donate, Felicis. *Sed propter hanc annuntiationem quispiam dubitare posset, utrum omnes isti fuerint sodales* S. Cyriaci, *et an ad eamdem Martyrum classem pertineant, quandoquidem in antiquiori nostro Martyrologio Epternacensi Sancti illi ita memorantur :* VI Kal. Augusti. Romæ Secundi, Severiani, Carpofori, et in Albano Victorini, item Cyriaci, Largi, Crescentiani, Nemici, Julianæ, Cyriacitis, Zmaragdi, Secundi, Albani, Victuriani, Faustini, Donatæ, Felicis.

distinctionem,

7 *Florentinius hoc loco in notis propter particulam* item *putat, in prima Martyrum Romanorum classe* S. Cyriacum *desiderari, vel textum* E *hujus Martyrologii ita legendum esse :* Item in Albano, Cyriaci, Largi etc. *Præterea ibidem ex codice Corbeiensi probat, aliquos ex his Martyribus via Ostiensi passos esse vel antiquitus coli consuevisse; alios via Salaria, et ab imperito librario sæpius* viam Salutariam *pro* via Salaria *vitiose scribi. Denique ex variis Martyrologiorum collationibus concludit, in illa annuntiatione verosimiliter diversas Martyrum classes indicari, quamvis has conjecturas suas fide amanuensium niti non diffiteatur. Nobis insuper videntur hic nonnulla Sanctorum nomina luxata et repetita, ita ut clarior horum Martyrum distinctio sperari vix possit.*

præfectum,

8 *Verum hæc intricata difficultas augetur ex Martyrologio Usuardino, quod ad diem* XII *Augusti post matrem S. Afræ, aliasque martyres Augustanas, in autographo Carolino sic habet :* Passi sunt item eodem die in præfata civitate *(non potest intelligi nisi civitas Augustana. de qua immediate antea agit)* Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia, Juliana cum aliis viginti. *Anonymus monachus Benedictinus, qui Parisiis Martyrologium Usuardinum anno 1718 ex codice San-* F *Germanensi tandem in lucem protulit, in observatione sua ad hunc locum notat, præcedentem Martyrum annuntiationem in Carolino autographo sic se habere, quemadmodum retulimus. Sed ibidem asserit, illam ab ipso Usuardo correctam esse, atque nunc ita legi :* Eodem die passi sunt Romæ sub præfecto Pertinace Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia, Juliana cum aliis viginti. *Si Sancti isti Romæ martyrium subierint, quis facile credat, illos distingui ab hodiernis nostris, cum hic ferme computetur idem Martyrum numerus, et occurrant eadem fere nomina, quæ in Kalendariis et Martyrologiis ad diem* VIII *Augusti recensentur?*

et palæstram martyrii

9 *At memorata Usuardi correctio nondum facta est in Martyrologio Romano, quod die* XII *Augusti hæc habet :* Augustæ Vindelicorum sanctæ Hilariæ, matris beatæ Afræ martyris, quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna et Euprepia, et Eunomia ancillis suis. Passi sunt eodem die in præfata urbe Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia et Juliana cum aliis viginti. *Neque hanc Usuardi correctionem secutus*

est

A *est Episcopus Equilinus, dum in Catalogo Sanctorum, post relatum S. Hilariæ ac sociarum martyrium, lib. 7 cap. 55 plures ex illa Martyrum classe nominatim ita expressit :* Quiriacus, Largus, Crescentianus, Meminia, Juliana, Leonides, Eutythianus, Diomeda, Chariton, Philadelphus, Agapes, et Petrus cum aliis tredecim apud eamdem civitatem Augustam in Creta *(hic verosimiliter vocabulum* Creta *vitiose pro* Rhetia *scriptum est, ut in Actis S. Afræ ad diem* V *Augusti ostenditur)* passi sunt : qui omnes pro confessione nominis Christi decollati martyrium consummaverunt pridie Idus Augusti. Hæc Ado ex Martyrologio Hieronymi. *Ego in Adone et Martyrologio Hieronymiano ad hanc diem nihil simile inveni.*

intricatæ difficultates occurrunt.

10 *Si ex Adone aut Hieronymo constaret, hos Martyres Augustæ Vindelicorum die* XII *Augusti passos esse, non prorsus improbabiliter mihi persuaderi sinerem, Martyres illos Augustanos ab hodiernis Romanis differre, etiamsi magna similitudo inter nomina eorum reperiatur. Verum non est etiam contemnenda Usuardi emendatio, cui* B *veteres aliquot Musei nostri codices adstipulantur. Ea tamen correctio non tollit omnem difficultatem, licet nobis facilius persuadeat, aliquos ex hodierna Martyrum classe ad diversos dies referri, aut forte totam pugilum illorum turmam cum altera perperam confundi : Usuardus enim notat, hos Martyres Romanos* sub præfecto Pertinace *passos esse, cum tamen Ado et Acta, Usuardo antiquiora, diserte affirment, hodiernos Martyres Romanos jussu Maximiani imperatoris* sub Carpasio vicario *post varia tormenta capite truncatos fuisse. Vides hic undique tenebras, quas hactenus dissipare non possumus, nisi aliquid lucis accedat die* XII *Augusti, quo hæc omnia accuratius discuti poterunt. Interim ex dictis patet, nos de omnibus* S. Cyriaci *sociis nihil certi statuere posse. Quapropter etiam in titulo hujus Commentarii tantum expressimus ea Martyrum nomina, quæ in hodierno Martyrologio Romano invenimus. Attamen per decursum videbimus, quinam ex illis apud alios Martyrologos nominentur.*

Iidem Martyres in plerisque Martyrologiis

11 *Pleraque Martyrologia hos Sanctos bis memorant, et uno die martyrium illorum, ac altero translationem eorumdem celebrant : ut enim alia hoc loco prætermittamus, vetus Martyrologium Romanum, a Rosweydo nostro editum, decimo septimo Kalendas Aprilis hæc tradit :* Ro- C mæ, Cyriaci martyris, Largi et Smaragdi, et Crescentiani martyris, et aliorum xx. *Die autem sexto Idus Augusti memoriam S. Cyriaci, non expressis sociorum nominibus, ita repetit :* Romæ via Ostiensi, Cyriaci martyris cum aliis XXI, quando VIII die mensis Augusti reconditi sunt. *Hic obiter observo, Martyrologium istud circa numerum sodalium* S. Cyriaci *sibi non constare : cum enim antea* S. Cyriacum *cum tribus nominasset, illi et his alios* XX *socios addit, adeoque classem* XXIV *Martyrum constituit ; postea vero tantum Martyres* XXII *universim computat, dum soli* S. Cyriaco *commilitones* XXI *adjungit. Sed relicta hac minoris momenti discrepantia, ad alias Martyrologiorum annuntiationes procedamus.*

bis celebrantur,

12 *Ado Viennensis die* XVI *Martii et* VIII *Augusti ampliora horum Martyrum Acta in compendium redegit ; at illa Actorum synopsis scatet erroribus historicis, ut paragrapho sequente ostendere conabimur. Quare Usuardus, qui Adonem præ oculis habuit, prudenter plura ex his omisit, et in Martyrologio suo ad diem* XVI *Martii breve eorumdem Martyrum elogium texuit his verbis :* Romæ passio sancti Cyriaci diaconi, qui post longam carceris macerationem, reliquata pice perfusus, et in catasta extensus ac tractus, etiam nervis et fustibus cæsus, ad ultimum cum Largo et Smaragdo, et aliis viginti, jubente Maximino, capite truncatus est. Horum tamen festivitas sexto Idus Augusti recolitur, quo die a beato Marcello Papa eorum corpora sunt levata, et venerabiliter tumulata. *Dein autem die* VIII *Augusti idem Martyrologus de his Sanctis iterum sic breviter agit :* Romæ via Ostiensi, natalis beati Cyriaci diaconi, et sanctorum martyrum Largi et Smaragdi cum aliis viginti, tempore Diocletiani imperatoris. *Saltem Usuardus utroque loco viginti tres fidei Christianæ pugiles constanter numerat. At non satis clare intelligo, quomodo hic* S. Cyriacum *cum sociis collocet* tempore Diocletiani imperatoris, *cum superius illum,* jubente Maximino, *interfectum fuisse scripserit. Facile tamen fieri potuit, ut* Maximinus *pro* Maximiano *scriptus fuerit, quem etiam auctores antiqui, præsertim Græci, sæpius cum Maximino confuderunt.*

AUCTORE G. C.

E

ac sub diversis imperatoribus collocantur.

13 *Propterea forsan Martyrologium Romanum, quo hodiedum utimur, pro* Maximino *substituit* Maximianum, *et martyrium eorumdem Sanctorum Diocletiano ac Maximiano ad diem* VIII *ita tribuit :* Romæ sanctorum Martyrum Cyriaci diaconi, Largi, Smaragdi, cum aliis viginti, qui in persecutione Diocletiani et Maximiani passi sunt decimo septimo Kalendas Aprilis. Eorum corpora, a Joanne presbytero via Salaria sepulta, sanctus Marcellus Papa in prædium Lucinæ via Ostiensi hac die transtulit : quæ postea in Urbem delata, in diaconia Sanctæ Mariæ in via Lata recondita fuerunt. *Cum Usuardus hos Martyres primum collocaverit sub Maximino vel Maximiano, ac dein sub Diocletiano, ut supra vidimus, collector hodierni Martyrologii Romani verosimiliter utrumque tyrannum expressit, etiamsi hæc chronologia conciliari non possit cum Adone, qui diserte asserit,* S. Cyriacum *a Maximino captum et carceri mancipatum esse* post mortem Diocletiani *(tunc nimirum Sanctus ille ex Perside Romam rediisse dicitur) ac postea demum,* jubente Maximino, *caput amputandum præbuisse. Si in re tam obscura conjecturam facere liceat, cum hodierno Martyrologio Romano suspicabimur,* S. Cyriacum, *ejusque socios laurea martyrii coronatos fuisse in terribili et communi illa persecutione, quam Diocletianus et Maximianus post initium seculi quarti contra Christianos ubique concitarunt. Illud autem, quod Ado huic conjecturali chronologiæ contrarium tradit, desumpsit ex Actis horum Martyrum, quæ jam paulo exactius discutiemus.*

F

§ II. Auctoritas veterum Actorum examinatur.

Cum Acta horum Martyrum antea a nobis edita fuerint,

Bollandus noster ad diem XVI *Januarii ex variis Mss. codicibus edidit Acta S. Marcelli Papæ, quibus gesta* S. Cyriaci *aliorumque martyrum immixta sunt, et cum eminentissimo Baronio censuit, ea omnia hinc inde correctione quadam indigere. Insuper hæc Acta S. Marcelli, forte propter vicinitatem nominis et temporis, cum gestis S. Marcellini prædecessoris non parum confusa sunt, quemadmodum in Actis S. Marcellini Papæ, ad diem* XXVI *Aprilis illustratis, accuratius*

AUCTORE G. C.

tius observatum est. Ex hac utriusque Pontificis confusione, aliisque anachronismis aperte colligimus, anonymum Actorum illorum scriptorem longe distare a tempore, quo res istæ contigerunt. Sed etsi ignoremus determinatum seculum, quo auctor anonymus ea scripsit, tamen confidenter asserimus, scriptorem illum ante seculum nonum seu tempora Adonis Viennensis vixisse: nam ex ipsa Actorum lectione liquet, Adonem hæc aut plane similia præ oculis habuisse, dum composuit duplicem S. Cyriaci *et sociorum annuntiationem, quam mox referemus.*

ex duplici Adonis annuntiatione

15 *Porro non judicamus, gesta horum Martyrum ex amplioribus S. Marcelli Actis hic excerpenda aut recudenda esse, ne actum agamus; ut enim eruditus lector etiam hoc loco de illis cordatum judicium ferat, sufficiet sola Actorum istorum synopsis, quam Ado ad diem* XVI *Martii et* VIII *Augusti ex longioribus Actis fideliter ita contraxit:* Romæ natale S. Cyriaci, qui post longam carceris macerationem, quam sub Maximiano pertulit, cum Sisinnio condiacono suo, et Smaragdo et Largo, post multa facta miracula, B in quibus filiam Diocletiani Artemiam, ipsius rogatu a dæmonio curavit ac baptizavit; filiam quoque Saporis regis Persarum Jobiam, missus illo pro hoc a Diocletiano, æque liberavit dæmonio, ac baptizavit cum ipso rege et aliis quadringentis triginta; rediens Romam post mortem Diocletiani, tentus est inter alios Christianos a filio ejus Maximino, et in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit, ut die processionis suæ nudus, catenisque obligatus ante rhedam ejus traheretur. Et post hoc eductus de carcere cum sociis Largo, Smaragdo et Crescentiano, per Carpasium vicarium pice reliquata caput ejus perfusum est. Et rursum post dies quatuor eductus denuo de carcere, in catasta extentus, ac tractus nervis, et fustibus cæsus, post dies, jubente Maximiano, capite truncatus est cum Largo et Smaragdo, et aliis viginti. Scriptum est in gestis Marcelli Papæ. Porro ipso tempore Maximinus interfecit sororem suam Artemiam.

C

hic exhibemus compendium eorumdem

16 *Dein Ado die* VIII *Augusti memoriam eorumdem Martyrum repetit, et alteram Actorum partem sic in compendium redigit:* Romæ via Ostiensi, milliario septimo, natale sancti Cyriaci martyris. Postquam Maximinus Augustus jussit, ut omnes, qui erant in custodia una cum Cyriaco diacono, capite truncarentur, et promiscui sexus numero viginti et unus decollati via Salaria intra thermas Salustii foras muros essent, eorum corpora collegit noctu Joannes presbyter, et sepelivit in eadem via sub die septimo Kalendarum Aprilium. Post dies vero octo veniens beatus Marcellus episcopus cum Lucina, matrona Christianissima, corpora Sanctorum condivit cum aromatibus et linteaminibus; deinde sustulit ea, et transtulit in prædium suum via Ostiensi, milliario ab urbe Roma septimo, et manu sua recondidit in sarcophagis lapideis, cum quibus et beatum Cyriacum, octavo die mensis Augusti. Carpasius vero vicarius petiit domum beati Cyriaci, quam donaverat ei Diocletianus Augustus; et eam statim Maximinus Augustus concessit. Et ingressus in eam, invenit locum, ubi sanctus Cyriacus fontem ædificaverat, quem consecraverat sanctus Marcellus Episcopus, ubi venientes ad fidem baptizabat sanctus Cyriacus: in quo loco Carpasius balneum sibi statuit. Et dum lavissent et epulas exhibuissent Carpasius et novemdecim pariter cum ipso, ac deriderent fidem Christianam, subito D ceciderunt, et mortui sunt. Beatorum autem Martyrum passiones, id est Cyriaci, Largi, et Smaragdi, suis locis in præsenti Kalendario notatæ sunt XVII Kalendas Aprilis sub Maximino Augusto et Carpasio vicario. *Hæc omnia Notkerus in Martyrologio suo ad diem* VIII *Augusti, paucis mutatis verbis, ex Adone etiam transcripsit.*

in quibus eminentissimus Baronius

17 *Priusquam de hac historiæ synopsi judicium nostrum proferamus, juverit audire, quid eminentissimus Baronius de ipso Actorum fonte censuerit, dum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 309 num. 6 sic scribit:* Exstant Marcelli Papæ Acta, in nonnullis tamen (ut superius quoque attigimus) corrigenda; ut, quod ad præsentem rem spectat, de tempore, quo Marcellus passus, loco Maximini Maxentius restituendus est. Rursum vero cum in iisdem agitur de Cyriaco diacono cum Largo atque Smaragdo misso a Diocletiano ad Saporem regem Persarum, ut ejus filiam a dæmone obsessam liberaret, et quæ habentur de eodem rege Persarum ab eodem baptizato, haud nobis satis arrident: nam cum duo E fuerint Sapores, reges Persarum, senior claruit temporibus Valeriani imperatoris, quem et captivum duxit, et ignominiose usque ad obitum usus est, de quo Julius Capitolinus, Trebellius, Victor, Eutropius auctor est. Post hunc autem regnasse ponuntur in Perside Hormisdas, et Vararanes, ac tertio loco Narses.

aliqua corrigenda existimat.

18 Est mentio de Narsete apud Vopiscum in Probo; hunc vero fuisse avum Saporis junioris atque Hormisdæ ejus fratris, testatur Eutropius, adversus quem bellum gessit (ut dictum est secundo tomo Annalium) Galerius Maximianus, de quo triumphum egisse Diocletianum anno decimo octavo sui imperii, Eusebius tradit in Chronico; licet Cassiodorus, quem refellimus, ejusmodi triumphum in aliud tempus referat. Huic autem Narseti successisse Misdatem, tenuisseque regnum annos septem et menses novem, testatur Agathias; post quem regnasse Saporem affirmat, quem dicimus juniorem: regnumque cepisse hoc anno *(nimirum Christi 309, cujus gesta Baronius ibi recenset)* dici fortasse posse videtur, si Narsetem F desiisse regnare dixerimus ab eo tempore, quo a Romanis est superatus. Sic igitur nullo pacto seniori, sed juniori Sapori potius ea, quæ scribuntur in Actis Marcelli forent aptanda. Verum nulla est memoria, eum fuisse aliquando Christianum; quod non reticuisset Constantinus, cum ad eum litteras scribens, quæ adhuc exstant, commendat illi Christianos, qui erant in Perside. Porro ab hoc eodem Sapore diram persecutionem adversus Christianos fuisse excitatam, Sozomenus, Theodoretus, et alii testantur. Quamobrem tota illa historia de profectione Cyriaci cum sociis in Persidem, deque filia regis, ipsoque Sapore cum aliis baptizatis, fide nutat, ac veritate vacillat. Si secus aliis placet, ipsi viderint; nos pro recta ratione temporum hæc oportuit discussisse.

Præter alia quæ in iis narrantur,

19 *Bollandus noster in notis ad Acta S. Marcelli Papæ similia breviter observavit, atque idcirco Majores nostri die* XVI *Jobiam illam prudenter inter Prætermissos collocarunt his verbis:* Jobia, filia Saporis regis Persarum per S. Cyriacum a dæmone liberata, occasione sancti Cyriaci refertur hoc die a Laherio in Menologio virginum Gallice edito. Mallemus antiquiora testimonia de ejus virginitate et martyrio. Refertur ut virgo a Greveno et Canisio XXIV Martii. Sed neque illi satisfaciunt. Quæ de ea sciuntur, dedimus in Vita

S. Mar-

A S. Marcelli Papæ capite tertio, XVI Januarii. *Deinde eamdem Jobiam die* XXIV *Martii rursus prætermiserunt. Cæterum, si operæ pretium foret, ex variis antiquis monumentis evidenter probari posset, Saporem II sive juniorem circa annum Christi 310, cum adhuc in utero matris suæ lateret, regem Persarum electum fuisse, adeoque non potuisse tempore Diocletiani filiam habere. Sed breviter indicato hoc Actorum errore, qui ultro in oculos incurrit, ad alias eorumdem circumstantias discutiendas progrediamur.*

S. Artemia tanquam Diocletiani filia,

20 *Etiam nobis suspecta sunt, quæ in his Actis de Artemia, tanquam filia Diocletiani et sorore Maximini, sine ulla verisimilitudine narrantur: antiqui enim scriptores tantum meminerunt de quadam Diocletiani filia, nomine Valeria, quam imperator diis cum uxore sacrificare jussit, ut Lucius Cecilius in libro de Mortibus persecutorum cap. 15 exponit his paucis verbis:* Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes, et primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit. *Ex hoc Lucii Cecilii textu quidam colligunt,* B *feminas illas antea Christianam fidem amplexas fuisse: cur enim, inquiunt, Diocletianus illas ad sacrificium* coegit, *cum gentiles sponte diis immolare consueverint? Alii tamen existimant, illas sacrificare jussas esse, licet superstitionibus ethnicis addictæ forent, ut cæteris hæc impia sacrificia faciendi exemplum præberent.*

propter contrarium testimonium Lucii Cecilii

21 *Non est hujus loci fusius de hac controversia disceptare: nam certe non immerito dubitari potest, an mulieres istæ post impium sacrificium, quod tunc peregerunt, ad fidem Christianam et pœnitentiam redierint. Hinc nobis non displicet opinio Nicolai le Nourry Benedictini, qui in Dissertatione ad laudatum Lucii Cecilii librum cap. 9 art. 1 inter alia ad rem nostram habet sequentia:* In controversiam adhuc vocari potest, utrum Prisca et Valeria, prius quam Diocletianus Christianos vexare cœperit, Christianam religionem revera amplexatæ sint. Et id Baluzius quidem penitus inficiatur: Cecilius quippe haud obscure testificatus est, Priscam et Valeriam ausas non fuisse impio Diocletiani decreto refragari. Atqui si Christianam fidem revera profitebantur, cur aliis Christianis mulierculis et pueris, qui tanta C fortitudine fidem suam ad dirissimam usque internecionem confessi sunt, timidiores, sese nefandis ethnicorum sacrificiis tam facile coinquinaverunt?

antiqui scriptoris,

22 Huc accedit, quod deinceps sæpius in hoc Cecilii libro earum fit mentio; nullibi tamen ullum prorsus religionis Christianæ, ab eis susceptæ, vestigium exstat. Quin imo non propter hanc religionem, sed conditionem et pudicitiam, uti mox dicemus, interemptæ dicuntur. Alii tamen eas aut Christianas fuisse, aut saltem Christianis favisse inde arguunt; qui ad gentilium diis sacrificandum coactæ fuerint: gentiles enimvero non invito et ingratis, sed sponte et ultro diis sacrificabant. Quid vero si post hoc sacrificium peccati eas non pœnituerit, aut præ timore celaverint pœnitentiam? *Profecto maxime mirum foret, quod Cecilius synchronus ad commendationem fidei Christianæ non indicasset, primarias istas mulieres huic religioni nomen dedisse, aut post lapsum resipuisse, et pro eadem fide interfectas esse. Etsi igitur gratis concederemus, hanc filiam Diocletiani duplex nomen habuisse, et Valeriam etiam appellatam fuisse Artemiam, tamen nimis temerarie istam tam dubiæ fidei ac pœnitentiæ feminam Sanctis adscriberemus.*

AUCTORE G. C.

nobis suspecta est

23 *Hinc iterum laudare cogor prudentiam Majorum nostrorum, qui ad diem* XVI *Martii de hac prætensa Diocletiani filia inter Prætermissos sic meminerunt:* Artemia filia Diocletiani per sanctum Cyriacum liberata a dæmone, et dein ab eodem Sancto baptizata. In Actis S. Marcelli Papæ XVI Januarii num. 20 narrato ipsius Cyriaci martyrio subditur: IPSO TEMPORE MAXIMIANUS AUGUSTUS INTERFECIT SOROREM SUAM ARTEMIAM. Quæ verba etiam adduntur ad hunc diem in Martyrologiis Mss. Tornacensi, Lætiensi, Bruxellensi, aliisque; item apud Rabanum et alios. Corpus ejus creditur esse Romæ in Campo Martio in ecclesia Sancti Silvestri, ubi colitur aut cum S. Cyriaco, aut postridie, ut Panciroluis tradit VIII aut IX Augusti. Ab aliis refertur cum S. Serena matre XVI Augusti. *Ne extra limites hujus Commentarii intempestive evagemur, de S. Serena ad diem* XVI *Augusti cum Martyrologio Romano distincte agi poterit, et tunc operosius indagari, an Serena illa unquam Diocletiani imperatoris uxor fuerit. Oblata igitur occasione, nobis hic tantum sermo est de Artemia, quæ si fuerit* E *soror Maximini vel Maximiani, ut in Actis S. Marcelli et quibusdam Martyrologiis dicitur, certe non fuit filia Diocletiani imperatoris, cum Diocletianus non habuerit filium nomine Maximinum vel Maximianum. Ex Lucio Cecilio novimus, filiam Diocletiani Maximiano Galerio nuptam fuisse.*

contra quorumdam eruditorum opinionem,

24 *Scio, Antonium Gallonium Vitam S. Artemiæ inter virgines Romanas Italice edidisse, licet ibi in observationibus non dissimulet difficultates, quæ opinioni suæ opponi possunt. Quinimo arbitror, virum illum doctum sententiam mutaturum fuisse, si sua ætate Liber Lucii Cecilii de mortibus persecutorum prodiisset. Id etiam suspicor de illustrissimo Joanne Tomco Marnavitio, qui Acta SS. Artemiæ et Serenæ copiosus liberiusque in Regia sanctitate Illyricana Latine vulgavit. Non ignoro, a Carolo Bartholomæo Piazza in Hemerologio sacro ad diem* VIII *Augusti annuam memoriam S. Artemiæ recoli, et reliquias hujus Sanctæ in variis urbis Romanæ ecclesiis assignari. Sed quam ille Hemerologus ex recentiore scriptorum quorumdam sententia et populari tra-* F *ditione vocat filiam Diocletiani, probabilius existimo, esse aliam istius nominis virginem vel martyrem, illasque Romanas reliquias forsan spectare ad S. Artemiam, quæ fuit una ex filiabus S. Gallicani martyris, quarum Acta Henschenius noster ad diem* XVIII *Februari illustravit. Juxta talem aliquot seculorum traditionem reliquiis alicujus S. Artemiæ apponi potuit lamina plumbea, quæ Romæ anno 1726 in ecclesia S. Celsi sub altari majore inventa est, et cui inscribi dicitur:* ARTEMIA VIRG. FILIA DIOCLETIANI. *Sed de antiquitate hujus inscriptionis ex oculata characterum aliarumque circumstantiarum inspectio ne judicandum esset. Quare illos, quorum interest, rogatos volo, ut has reliquias earumque epigraphen magis illustrent. Cæterum miror, clarissimam illam S. Artemiam martyrem, si fuerit filia Diocletiani, neque veteri neque hodierno Martyrologio Romano inscriptam esse.*

et displicent alia nonnulla adjuncta,

25 *Non est quoque prorsus incredibile, ignotæ alicui S. Artemiæ virgini aut martyri, cujus sacra ossa Romæ conservabantur, applicatam fuisse historiam Artemiæ Diocletianeæ, eamque opinionem tempore ac vulgari traditione propter similitudinem nominis invaluisse, quia præsertim*

apocry-

AUCTORE G. C.

apocrypha illa narratio in quibusdam Mss. codicibus legebatur: nam in Actis SS. Anthimi et sociorum martyrum ad diem XI *Maii, apud nos tomo XI istius mensis pag. 619, cum circumstantiis parum verisimilibus narratur, quomodo* S. Cyriacus *primum Artemiam filiam Diocletiani a dæmone liberaverit, ac deinde in Persidem profectus fuerit, ut eumdem dæmnem, qui eo transmigraverat, ex filia Saporis regis Persarum ejiceret. Henschenius quidem in Commentario prævio monet, appendicem illam, quæ ibi caput tertium constituit, in præcipuis Mss. codicibus deesse, et ex aliis sanctorum Actis verosimillime transcripta fuisse.*

quæ nec cum his Actis,

26 *At saltem codices illi, in quibus hæc appendix legitur, aliis Actis contradicunt, cum ibidem martyrium* S. Cyriaci *diverso plane modo sic referatur:* Post hæc reversum Romam Cyriacum Lucina suscepit cum Largo et Smaragdo eunuchis, qui cum duabus virginibus dominabus suis Memmia et Juliana conversi fuerant: quæ virgines cum singulos haberent sponsos, Tarpeium B et Persium, explicuerunt eis talia sacra, quo dicerentur debere puniri, nisi diis libamina ponerent. Sed cum nec ad conjugium, nec ad sacrificium consensissent, in suo agro in via Ostiensi occisæ sunt. Dictumque est Tarpeio et Persio: Cyriacus amicus est imperatoris; si non eum tenueritis, faciet de vobis querimoniam, et peribitis. Tunc insidiati sunt ei, et invenientes eum in loco, ubi martyres sepelierat, orantem, ibi tandiu ceciderunt, quoad usque de corpore exiret. Et hunc beata Lucina sepelivit cum Largo et Smaragdo, et Memmia et Juliana. *Hoc loco itaque dicitur* S. Cyriacus *occultis insidiis appetitus, et clam ab hostibus tandiu cæsus, donec animam exhalaret. At in Actis S. Marcelli, et compendio Adoniano idem* S. Cyriacus *cum aliis martyrii sociis,* jubente Maximiano, *post varia tormenta capite truncatus fuisse traditur. Has et alias utriusque narrationis circumstantias inter se et cum Martyrologio Usuardino conciliet, qui potest: ingenue enim fateor, me iis componendis imparem esse.*

nec cum historia conciliari possunt.

27 *Adde, quod ipsa S. Marcelli Acta cum chronologia et secum pugnent: nam initio affirmant,* S. Cyriacum *ex Perside Romam rediisse* post mortem Diocletiani, *eumque tunc primum a Maximino vel Maximiano comprehensum, et postmodum laurea martyrii coronatum esse.* C *Deinde narrant, S. Marcellum Pontificem corpora* SS. Cyriaci *et sociorum martyrum, quæ Joannes presbyter via Salaria jam sepelierat, aromatibus condita et linteaminibus involuta ad viam Ostiensem transtulisse. At quomodo hæc inter se cohærent, quandoquidem S. Marcellus Papa anno Christi 310 obiit, et Diocletianus post abdicatum imperium vitam usque ad annum Christi 313 protraxit? Quinimo* post mortem Diocletiani *persecutio contra Christianos jam plane cessaverat, cum Constantinus imperator eo tempore versaretur in urbe Romana, ut ex veteri historia et unanimi Chronologorum consensu constat. Non hic repeto memorata de Sapore rege Persarum, qualis tempore Diocletiani imperatoris nullus fuit. Nihil hic etiam dico de morte utriusque Maximiani, quæ ante obitum Diocletiani contigit, aliisque erroribus historicis et chronologicis: nam ex dictis abunde patet, Acta illa ab imperito quodam posteriorum temporum scriptore composita aut plurimum interpolata esse. Nunc de altero Ms. instrumento, quod ad* S. Cyriacum *nostrum pertinere dicitur, judicium feramus.* D

§ III. Quid censendum de conversione, patria, et nobilitate S. Cyriaci, quæ in Ms. codice Palatino narrantur.

In codice Palatino, jam Vaticano,

Floravantes Martinellus in Opere Italico, cui titulus est Primum Trophæum sanctissimæ crucis, *de hoc* S. Cyriaco *varia refert, et ad fidem narrationi suæ conciliandam, pag. 77 laudati Operis citat antiquum Ms. codicem Heidelbergensem, quem in Bibliotheca Vaticana num. 5516 conservari testatur. Putamus, transmissum esse ad Majores nostros fidele ejusdem codicis apographum, quod in margine* ex codice Palatino 591 *excerptum notatur: nam cum fragmento Latino, quod Floravantes Martinellus loco proxime citato edidit, nostrum ecgraphum prorsus concordat.* E *Cum tamen Martinellus solummodo partem istius narrationis Latine vulgaverit, nos integram ex Ms. nostro dabimus, et illam qualemcumque prudenti lectoris judicio subjiciemus.*

post quamdam præfationem narratur,

29 *Itaque nostrum codicis Palatini apographum sic habet:* Si juxta Evangelicæ rationis gloriam, qui Sanctos honorat, Deum honorare conspicitur, qui suis in Sanctis mirabilis prædicatur. Honor igitur est Omnipotentis, cum sacris Martyribus ordo debitus exhibetur. Isti enim sunt Sancti, quorum animæ gaudent in cœlis qui etiam in cœlesti gloria post Apostolos locum habere merentur: de quorum collegio beatissimus Cyriacus gloriosus martyr enituit, cujus passio veneranda demonstrat; quantum in tormentis pro Christi amore constans exstiterit, et de principibus mundi quam mirabiliter triumphaverit. Sed quia in passione ejus nihil de genealogia illius scriptum esse comperimus, cum iis, qui gesta Martyrum describebant, sola Vita vel passio forte cognita fuerit, et maxime qui de longinquis regionibus martyrio coronandi veniebant ad Urbem; sicut in gloriosis martyribus Stephano et Laurentio, et F multis aliis passio sine genealogia scripta percipitur, sic apud nos de beato Cyriaco sola passio declaratur, cum nullus fuerit, qui apud nos de origine ejus quidquam scripserit: tempus enim persecutionis grande satis atque molestum vix permittebat eos, qui gesta Martyrum describebant, de solo martyrii certamine aliquid dicere, cum in cavernis atque speluncis miserabiliter viverent et martyres ipsi, et qui de martyribus aliquid dicere præsumebant.

quomodo S. Cyriacus,

30 Sed postquam crevit Ecclesia, et fides Christiana cœpit vigere secura, e diversis mundi partibus suscitavit Omnipotens sapientes atque doctores, qui et nova condere documenta, et vetera in melius reformare studentes, tam de Vita Sanctorum, quam de gestis et genealogiis eorum, cooperante Domino, plenius scripserunt. Hæc ideo nos præmisimus, ut de beato Cyriaco cognoscant, qui ejus gesta lecta prædicta noverunt, ob hoc genealogiam illius depressam fuisse silentio, quia dum tempore persecutionis de Tuscia venit ad Urbem, carnis consociis Largo et Smaragdo cohærens, et beati Marcelli monitis sacris obtemperans, dum per martyrii palmam, coronam suscipit sempiternam, sola ejus passio historiogra-

A riographis scribenda relinquitur. Post multa vero annorum curricula cum ad ejus sacras reliquias Dominus multa miracula faceret, suscitavit Omnipotens viros illustres et sapientia præditos, qui assertione veridica, in quantum divino munere perceperunt, sapienter tractare conati sunt, quam claris parentibus beatus Cyriacus exstitit oriundus, et quam maxime propter nobilitatem et sapientiam, claram adeptus sit dignitatem, ita ut famosus in gloria etiam ipsis imperatoribus clarus exstiterit.

in Tuscia natus

31 Nuper vero quidam dicti illustres viri Canonici ab ecclesia Sancti Cyriaci, quæ est in Tuscia, venientes et accedentes ad Urbem, et curiam Apostolicam ob causam aliquam requirentes, et ex maxima reverentia famosam ecclesiam Sancti Cyriaci martyris, quæ media Urbe mira lapidum structura et digna veneratione longe lateque refulget, summopere visitantes, sicut plenius audietis, tam verbis quam scripturis apud præfatam ecclesiam gesta gloriosi Martyris veraciter, ut credimus, intimare curarunt. Sanctus igitur Cyriacus, martyr venerabilis et præclarus, de Tuscia, B ut dictum est, oriundus exstitit, famosis et præclaris parentibus natus, cujus pater Quintus Sexius, mater vero Quincia vocabatur : ipse quidem tunc non Cyriacus, sed Sextus Sexius dicebatur. Id ergo creditur Romanæ nobilitatis obtinuisse, quod clara parentum nomina veterem nobilium gloriam præferebant : multos enim antiquos nobiles Urbis in historiis legimus sic vocatos. Ipse quoque Martyr beatus ad hoc, ut creditur, geminatum sortitus est nomen, cum Sextus Sexius diceretur, ut ejus sapientia, prudentia, nobilitas quoque quanta fuerit, notaretur : sic enim Caium Cæsarem, Marcum Catonem, Quintum Tullium, et plures Romanos geminatis et inculcatis nominibus legimus fuisse vocatos, ut eorum sapientia dignior et clarior, cum de eis legitur, haberetur.

ex nobili stirpe,

32 Pater itaque ejus in Tuscia marchio fuit, cui et filius ejus beatus Cyriacus successit in eadem dignitate : nam et ipse post patrem marchio factus, pluribus annis eamdem provinciam sua sapientia judicavit : erat enim arte philosophus, et semper aliquid novi dicere vel discere procurabat. Nulla quidem poterat esse dies, in qua novi C aliquid non proferret. Exstitit ergo prius mundi philosophus, ut postmodum Christi philosophus haberetur : amator sapientiæ factus, ad veram sapientiam, quæ Christus est, pervenire meruit. Sic namque Petrus et Andreas prius piscium piscatores fuerunt, ut postea, sicut Veritas dicit, piscatores hominum efficerentur.

abhorruerit ab idololatria,

33 Tempore illo Diocletianus et Maximianus Romanum regebant imperium; qui, cum, fama vulgante, Sancti prudentiam et sapientiam cognovissent, illum quantocius ad se vocare studuerunt, et eumdem in magno honore habere cœperunt. Hoc etiam de beato Sebastiano fecisse leguntur, quem ab ipsis Mediolanensium partibus ad Urbem vocaverunt. Cum ergo beatus Cyriacus tanta litteratura et scientia præditus præfatis imperatoribus carus esset, contigit, illum templum Martis intrare cum sacerdotibus Martis, qui brutorum animalium spurcitias immolabant. Statim scelus Vir beatus abhorruit, et ex sapientia sibi data perpendens, idololatriam esse vanam, cum ipse nunquam idolis immolasset; quia cognoscebat, verum Dominum nunquam hac spurcitia delectari : considerans quoque Martem, cui sacrificia offerebant, virginum stupratorem et obscœnum hominem exstitisse, qui nulla veneratione dignus existeret, imo erat pro suis sceleribus flammis perpetuis exurendus, cœpit intra se ipsum meditando deficere ; quia in tali cultura tam obscœna vel fœtida summum bonum haberi non poterat.

Auctore G. C.

et, Deo per revelationem monente,

34 Ex tanta desidia cum secum conferret meditando de talibus, sopor irruit super eum, et graviter obdormivit. Sed omnipotens Deus, qui neminem vult perire, et vas electionis jam sibi elegerat istum, per visionem allocutus est eum dicens : Exsurge, qui mortuus sedes, et revivisce. Mortuus enim est, qui sine fide est, quia sine fide impossibile est placere Deo. Dicitur igitur ei : Exsurge et revivisce, hoc est, suscipe fidem, pro qua vitam obtineas sempiternam. Evigilans igitur Vir sapiens, et quid hoc esset admirans, cœpit nimio pavore terreri, et in tantum febricitare, quod innixus brachiis famulorum vix potuit ad hospitium remeare. Per totam igitur noctem intra se ipsum de veri Dei cultura discutiens, et philosophiam suam multa meditatione revolvens, cum in ea nunquam posset veri Dei culturam invenire, ad fidem Christianorum se convertit, quos sæpe viderat pro amore Christi usque ad effusionem sanguinis decertare. E

mirabiliter ad fidem Christianam

35 Mane autem facto, fidem Christianorum cœpit velle scrutari, et baculum sumens, sicut erat infirmus, lento gradu pergere cœpit, donec ad Christianorum domicilia perveniret. Divina dispensante clementia, ante fores Christianorum, nescius tamen, quod Christiani interius haberentur absconsi. Clausis igitur januis, sicut Omnipotens voluit, Missa cantabatur interius. Psallentium cum voces Vir beatus aure mentis intenta, et Evangelium cum legeretur, audiret, jam pro se dictum esse considerans, quod in Evangelio dicebatur : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ : hoc enim Evangelium referebat. Vere qui sequitur Christum, quia via, veritas, et vita est, non ambulat in tenebris vitiorum, quia lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, se diligentes illuminat, cujus misericordiæ lux præclara jam beati Viri præcordia illuminanda possederat. Propterea Vir jam secus hoc audiens et prudenter intelligens, ostium sine mora pulsavit. Illi vero, F qui intus aderant, aperientes, et Virum talem, tamque carum et acceptum imperatoribus cognoscentes, graviter timuerunt, ne per eum accusati vel capti mortis legibus subjacerent.

conversus fuerit,

36 Ipse vero jam Domino carus, suum non differens desiderium adimplere, Christianæ fidei sibi petiit gratiam revelari. Intelligentes autem, qui aderant, beatum Virum a Domino esse directum, et ejus desiderio satisfacere cupientes, transmiserunt eum ad Gaium Papam per viros satis idoneos et fideles, Sisinnium, Smaragdum, et Largum. Angelus autem Domini summo Pontifici ante prædixerat, ut illum digne reciperet, qui baptizandus sibi transmitteretur, subjungens etiam, quod eumdem jam Christianum, vocaret ex nomine Cyriacum. Suscipiens ergo eum Gaius episcopus honorifice, baptizavit, et, sicut ab Angelo monitus fuerat, Cyriacum vocavit. Baptizatus autem beatus Cyriacus, domum rediit festinanter, et servos suos omnes liberos fecit, cunctamque facultatem, quam habuerat, familiæ suæ et pauperibus Christianis erogare, et, sicut de fide Christi concepit, adimplere curavit : nam et Christianis sine mora lætanter adhæsit, quanquam imperatoribus cognosceret satis esse molestum ; inter quos digne multo tempore conversatus,

AUCTORE G. C.

tus, impositum sibi suscepit ordinem levitarum, per quem Deus est multa miracula operatus, sicut in passione sua plenarie legitur, donec ad martyrii coronam per multa tormentorum genera, Domino cooperante, pervenit, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. *Tum in eodem codice sequuntur Acta S. Marcelli Papæ, quibus martyrium* S. Cyriaci *immixtum est, et quæ paragrapho præcedente discussimus.*

de qua tota narratione

37 *Cæterum in hac nova narratione nobis displicet titulus marchionis Tusciæ, qui* S. Cyriaco *ejusque patri tribuitur, quia istud politicæ dignitatis nomen non erat tempore Diocletiani usitatum. Etiam non placet, quod Christiani dicantur tam alta voce tunc Missam et Evangelium cantasse, ut* S. Cyriacus *id foris audire ac intelligere potuerit. Equidem scio, hic ad miraculum recurri posse; sed miracula non sunt multiplicanda sine quadam necessitate, et illa sine authenticis testimoniis temere non admittimus. Occurrunt hic quoque alia parum verosimilia, quæ cordatus lector facile observabit. Denique tota hæc historia,* B *antiquioribus martyrii scriptoribus ignota, nititur auctoritate quorumdam Canonicorum, qui* post *multa annorum curricula, ut auctor noster loquitur, patriam, nobilitatem, et conversionem* S. Cyriaci *primum patefecerunt. At vetustiores tabulas, irrefragabiles harum rerum testes, productas oportuit.*

judicium nostrum profertur.

38 *Certe Razzius aliique hagiographi Tusci videntur hanc auctoritatem ignorasse aut contempsisse, cum* S. Cyriacum *inter Sanctos suos populares non recenseant. Non videtur etiam Cosimus Della Rena istud testimonium magni fecisse, quando post diligentem veterum monumentorum indagationem in serie ducum et marchionum Tusciæ pag. 3 Maurizium vel Maurizionem anno Christi 593 primum istius regionis ducem assignat. Neque ipse Floravantes Martinellus, qui ex Ms. codice Vaticano fragmentum hujus narrationis Latine vulgavit, fidem adhibuit iis, quæ hic auctor anonymus de nobilitate* S. Cyriaci *tradit : nam in laudato Trophæo sanctissimæ crucis pag. 123 asserit, hunc* S. Cyriacum *fuisse servum Thrasonis, ditissimi viri, cujus jussu Christianis, qui ad laborem in thermis Diocletiani construendis* C *damnati erant, cibos deferebat. Quapropter hæc historia exiguam fidem mereri nobis videtur, et ulteriorem illius censuram erudito lectori relinquimus.*

§ IV. Sepultura S. Cyriaci, et translatio reliquiarum ejus ad urbem Romanam.

Post obscurum prologum

In *memorato codice Ms. Palatino, nunc Vaticano, narratur sepultura et translatio* S. Cyriaci, *quibus auctor vix intelligibilem hunc prologum præfigit:* Cum me circumseptum recogito, vetustam protoplasti inobedientiam magis magisque reminiscor inertem, et meas ad aures cum perveniunt vestra imperata verba, o sanctissime cœnobita, importabile mihi a vobis videtur jugum fore impositum. Quare non ut recusem laborem, si callem voluissem calcare sine reprehensione, sed ne antiquæ radicis superbiæ videatur hereditari propaginem, ut possum, ut valeo, defretus adminiculo, vestris obsecundabor præceptis, et quamvis immeritus, tamen indubitanter confisus veridica nostri Redemptoris sententia pollicentis, Petite et accipietis; pulsate et aperietur vobis, quærite et invenietis, vobis satisfacere D propono. Unde rogo, ut mecum una petatis, ut sua gratia valeamus accipere, quod petimus, mecumque quæratis, ut, quod ab eo quærimus, sua bonitate invenire possimus : si vero pulsemus, ut dignetur ipse, qui mare aperuit Rubrum, nobis desideratum thesaurum aperire ; unde ad laudem almifici agonistæ sui Cyriaci inoffenso pede valeamus percurrere.

et imperitam Actorum synopsim

40 *Dein sequitur ipsa historia, cujus initio imperitus scriptor crassos aliquot anachronismos immiscuit, ut evidenter apparebit ex sola narrationis lectione, quæ sic habet :* Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo bisque seno *(eo anno 312 Diocletianus jam diu imperium abdicaverat, et S. Marcellus Papa e vivis excesserat)* postquam ex infima stirpe Diocletianus ad Romanum provectus esset imperium, suoque adjutorio in republica assumpsisset Maximianum, cognomento Herculeum, atque se ipsum in Alexandriam, Herculeum in Africam direxit, Romæ Christicola E sanctus Marcellus, Papa creatus est; cujus sanctitate atque bonitate cœpit Christianorum numerus, Deo adjutore, bene pullulare : ex quorum collegio sibi virum elegit sanctissimum, omnique honestate ornatum, nomine Cyriacum, ætate plenum, et omni bonitate compertum, cui levitare imposuit officium.

auctor anonymus refert,

41 Igitur Diocletianus reversus e Mesopotamia, et Maximianus inito bello cum Narzeo inter Tamilicum et Carrhas, dum inconsulte egisset, fugatos e prælio, vix ad Diocletianum recuperato flatu pervenit, cui Diocletianus dedit exercitum, et ita munitum et stipatum innumerabili armatorum caterva ubi de Narzeo triumphabat, potenti virtute remisit : cujus fortissima castra diripuit, uxores, sorores, liberos cepit, et cum copiosissima Persica ope ad Diocletianum Mesopotamiæ est reversus ad patriam usque, et ab eo honorifice est susceptus. Post peractum triumphum Romam reversi, Narzei conjugem, sorores et liberos ante rhedam principis ob triumphum Reipublicæ declarandum, catenis una nexos duxerunt, a quo Diocletianus inaniter tripudians, coli se F fecit et adorari a populo, quia olim Cæsares a plebe salutabantur. Herculeus vero ab Africa veniens, cœpit Christicolas variis vexare procellis, inter quos almifico Cyriaco post varia tormentorum genera intra thermas Salustii via Salaria foras muros caput jussit amputare cum aliis bis denis unoque, cujus præfati levitæ corpus separatim reposuit Joannes presbyter. Octo denique peractis diebus, asportabat eum beata Lucina, ut pene omnibus notum est, in prædio suo via Ostiensi, milliario ab urbe Roma plus minus octavo, et recondidit studiosissime sanctus Marcellus, Papa hujus almæ urbis Romanæ. Ibi requievit caput et brachium ejus usque ad tempora sanctissimi Agapiti junioris Pontificis, imperante domino Ottone, a Deo præordinato pacifico principe. Consul vero Romæ præerat Albericus vir illustrissimus.

qua occasione seculo decimo

42 Annis denique evolutis a Domini Incarnatione plus minus nongentis quadraginta, fuerunt tres sorores jam dicti Alberici, quarum una vocabatur Mororea, alia Stephania, tertia Theodora, quæ ut veniam a Christo possent invenire culparum, cœnobium juxta viam Latam in loco, qui ad arcum Tiburii vocitatur, studiosissime fabricari fecerunt : hunc in honorem S. Stephani dedicari fecerunt, et plurimis donis eum ditaverunt

runt, ibique Dei famulas in Dei servitio locaverunt, quarum mens cœpit æstuare, ut si forte Deo revelante invenire valuissent sanctum corpus, quod in ipso loco reconderent: eodemque tempore quidam Dei servus solitariam vitam eligens manebat juxta cœmeterium via Ostiensi, in cujus fastigio erat depicta imago Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis ad lævam, Archangeli almi Michaelis ad dexteram, hanc bene observans, studiosissime in Dei servitio ibi persistens incessanter, ut valebat, ministrans. Huic memorato viro copulatæ sunt jam dictæ devotissimæ mulieres, Deo administrante, optima amicitia, et sæpe ab illis rogatus, ut veniret, et spiritualibus verbis eas instrueret; quem cœperunt obnixe deposcere, si forte in illo cœmeterio sciret aliquod sanctum corpus, cujus certum notum habuisset titulum, quem in sua consecrari fecissent ecclesia.

43 Ille vero annuens votis earum, innotuit eis, in suo cœmeterio latere almificum caput et brachium martyris Cyriaci, quæ summa cautela, si voluissent et earum fuisset libitum, tali vero sub conditione, ut ita domum illam suis ditarent patrimoniis, ut in ea honorabiles haberent exsequias, asportare caput potuissent: quæ ita tripudiantes ac lætabundæ effectæ sunt, tanquam si immensum invenissent thesaurum. Dictis auditis, finem implere studentes speculatores fidelissimos direxerunt cum eo, et, divina annuente clementia, ita invenerunt, ut Dei servus prædixerat. Retractis vultibus, reiteraverunt dominabus suis gaudia exspectata retulerunt visa. Hoc audito, dictæ matronæ quasi de gravi evigilaverunt somno, ut quondam patriarcha Jacob, vivere Joseph nuntio referente, cognovit, et fultæ servorum suorum fideliumque solatio, ad cœmeterium perveniunt Ostiense, et ut prædictus vir Dei promiserat, sanctissimum invenerunt locum, et titulum invenerunt superpositum tumulo continentem ita: HIC RECONDITUM EST CORPUS ALMI LEVITÆ ET MARTYRIS CYRIACI A MATRONA LUCINA RECONDITUM.

reliquiæ S. Cyriaci inventæ fuerint,

44 Tunc fugientes sandapila vespillones geminantes ad urbem festinanter perduxere Romuleam; verum non procul a cœmeterio ita immobile stetit sanctissimum caput, ut nullo modo vehentes movere valerent. Tunc, consilio habito, tristes ac mœrentes voverunt, ut, si per earum proprietates se permisisset vehere, magnifica dona illi impertirentur: quarum vota Deus ex alto prospiciens, moveri se permisit sanctissimum caput, et ubi illarum tendebat libitum, e vestigio sequebatur; illæ vero præviæ erant capiti sancto, et Tyberinum alveum transmeantes in spatiosum campum, qui olim Merui vocabatur, deveniunt; ibique se cum grandi honore fixit. Hoc cernentes sæpe dictæ matronæ, in stuporem nimium versæ, magno cœperunt mœrore deficere, donum ei pollicentes, si moveri dignaretur, totam illam hereditatem, quæ illarum erat, propriam suis usibus vindicaret.

et non sine frequentibus

45 Hoc dono accepto, festino motu se movit usque dum pervenit ad locum, qui Cryptulum nominabatur, ibique iterum se refixit, eo quod illarum erat proprium, ut suo sibi jure acquireret; illæ vero statim summa alacritate ei contradiderunt, et irrevocabiliter condonaverunt: ab eodem namque loco, ubicunque illarum erat proprietas, beatissimo Martyri perpetuo jure donaverunt ad portam usque ducentes Portuensem. Intrantes vero castrum, trans Tyberim transeuntes insulam Lycaoniæ, per Tarpeanam radicem calcaverunt callem. Exinde cum summa reverentia pergentes juxta clivum Argentarii reclinantes læva manu ad regionem, quæ via Lata nuncupatur, adveniunt. Veniens vero sanctissimum caput plaustro in locum, quo diximus, tanto pondere cœpit gravari, et ita immobile permanere, ut nullo pacto humanis posset viribus moveri. Tunc adjuncta sunt multa paria boum, et nec sic moveri valebat.

publicisque miraculis,

AUCTORE G. C.

46 Fit repente concursus populorum, et congregatio subito facta est senatorum nobiliumque Romanorum, collectio clericorum: omnes admiratione nova stupentes nimis multa dicebant. Tunc vero, inito consilio, Pontificem petierunt, illique cuncta narrantes retulerunt. Ad hæc sanctus Præsul Agapitus tale cum clero, Deo annuente, invenit consilium, ut per semetipsum veniret, et tam grande prodigium propriis oculis viseret. Veniens ergo sanctissimus Pontifex ad locum, ubi immobile permanebat vehiculum, nimia admiratione territus, variis cœpit mens ejus cogitationibus fluctuare. Tunc ille, qui incitavit corda illarum, ut a via Ostiensi Romam adducerent, ille almo Pontifici jaculavit mentem, et ita cœpit alta voce clamare: Audite cives, senatusconsultus, populusque Romanus. Hoc, quod cernitis, Dei judicio actum est, providentia Deique dispensatione. Si millia hic paria adjungantur boum, et si omnium, quos Romana virtus in unum valet coadunare, manibus trahatur, nihil est, quia quod Dei providentia fixit, nullo pacto humanis viribus moveri potest. Rejiciantur cunctæ vires hominum; disjungantur omnia juga boum; elongentur stimuli bubulcorum: hos tantum ibi geminos dimittamus, qui plaustro nexi sunt, et nullus ejus sit prævius, nullusque ducatum præbeat illis, et a nullo trahantur. Nos denique ex intimis præcordiis Dominum nostrum Jesum Christum puris mentibus rogitemus, ut, quemadmodum ostendit Israelitico populo in eremo viam, et qui per buculas feras, calles direxit rectos ducentes Jerosolymam, arcam Domini reportantes, ipse hoc dirigat plaustrum ad suam præfatam voluntatem.

quibus Agapitus II Papa interfuisse dicitur,

47 Tunc universa Romanorum caterva una cum serenissimis matronis, lacrymosis vocibus Deum flagitare cœperunt, ut sanctissimum caput, ubi suum velle foret, dirigeret. Ad has igitur lacrymosas preces impetum fecerunt boves, et moverunt plaustra, nullo ducente. Omnes procul adstantes denique flagitantes *, læva manu currentes inoffensam viam ad portam præfati cœnobii, quam sæpe fatæ matronæ fabricaverant illustrissimæ, perduxerunt, ibique aliquantulum steterunt. Tunc prostrata humo super memorata Maroesa * serenissima matrona votum vovit, et donum attulit, chartulisque firmavit fundum unum, qui vocatur SYLVA MAJOR, cum diversis adjacentibus locis et vocabulis suis, nec non et alium fundum, qui POLAGIUM vocatur: similiter et alium, qui nominatur REATINA, cum aliis compluribus locis tali sub conditione donavit, ut quicunque ab usu ibi in ævum persistentibus subtraxerit, nisi resipuerit, anathemate maranatha cum diabolo feriatur. Cumque votum complevisset, trahentes plaustra boves introduxerunt cœnobium. Igitur sanctissimus Præsul rogatus ab illis potentissimis matronis recondidit corporis caput almi martyris et levitæ Cyriaci intra monasterium juxta regionem viæ Latæ secus arcum Tiburii, et sicut olim vocabatur ecclesia Sancti Stephani, mutavit Pontifex nomen

Romam translatæ;

* *lege* omnibus adflantibus *et* flagitantibus,
* *al.* Maurotia

AUCTORE G. C.

nomen monasterii, ut vocaretur Sancti Cyriaci, quod et permanet usque in hodiernum diem. Actum est temporibus gloriosissimi Ottonis Augusti, præsidente Romæ sanctissimo Papa Agapito, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, potestas, imperium sine fine per omnia secula seculorum. Amen.

in qua narratione aliqui errores notantur.

48 *Nescio, quam fidem hæc anonymi narratio mereatur, quandoquidem in gestis Agapiti II Papæ, aut alibi in Historia ecclesiastica nullum ejusdem vestigium reperire potui. Certe scriptor hujus narrationis multum aberrat a recta chronologia imperatoris Diocletiani, ut superius verbo indicavimus. Nec minus hallucinatur in antiqua historia, dum supra num. 41 affirmat, quod Romani victores* Narzei conjugem, sorores, et liberos ante rhedam principis ob triumphum reipublicæ declarandum, catenis una nexos *duxerint: nam Petrus patricius et magister, antiquus scriptor Græcus, ubi hanc ipsam Maximiani Galerii victoriam memorat, apud Labbeum nostrum in Excerptis de Legationibus pag. 26 magnam Romanorum erga Persas victos moderationem laudat* B *his verbis:* Persæ captivi haud quidquam in captivitate contumeliæ passi sunt; sed ita in mancipio fuerunt, ut parum abesset, quin æque liberaliter haberentur, acsi domi suæ, ut nobiles solent, fuissent. *Quis ergo facile credat, Narzei conjugem, sorores ac liberos catenis una nexos ante rhedam victoris ductos aut tractos fuisse? De hac Persarum clade etiam ethnici illorum temporum scriptores meminerunt, atque inter alios Sextus Rufus, vel Rufus Festus modestiam Romani victoris in Breviario suo historico cap. 25 ita commendat:* Rex Persarum Narseus effugit; uxor ejus et filiæ captæ sunt, et cum maxima pudicitiæ custodia reservatæ: pro qua admiratione Persæ non modo armis, sed etiam moribus superiores esse Romanos confessi sunt; ac Mesopotamiam cum Trans-Tigritanis quinque regionibus reddiderunt. Pax facta usque ad nostram memoriam reipublicæ utilis perduravit. *His breviter observatis, fidem totius præcedentis narrationis penes auctorem relinquimus, et subjungimus alteram prodigiosam earumdem sacrarum reliquiarum historiam, cui tamen facilius credimus, eo* C *quod ab auctore synchrono et oculato teste conscripta fuerit, ut ex paragrapho sequente apparebit.*

§ V. Insigne miraculum, quod Romæ ad reliquias sancti Cyriaci contigit.

Scriptor quidam synchronus testatur;

In *laudato codice Palatino seu Vaticano legitur prodigium de reliquiis* S. Cyriaci, *quod a Benedicto quodam, ministro ecclesiæ sanctorum Cyri et Joannis, in urbe Romana scriptum est, et cui præfigitur hic prologus:* Cantate Domino canticum novum, in Sanctis suis ipsum pariter collaudantes, quoniam memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, cujus et laudes cum omnis in gloria cantatura * testetur, mihi tacenti illud, de quo Isaias dicit, Væ mihi quia tacui, posset aliquis imprecari. Exemplo igitur illius, qui dixit Annuntiate inter gentes studia ejus, quoniam requirens sanguinem eorum rememoratus est, ego Benedictus, sanctorum Cyri et Joannis indignus minister, ad laudem et gloriam excellentissimi martyris Christi, beati Cyriaci,

* *forte* creatura

quæ temporibus istis Dominus fecit per ejus merita D gloriosa audientibus intelligentibus omnibus, tam præsentibus, quam futuris in posterum, dignum duxi per secuturam annotam inferius revelare. Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCXXXIII, Pontificatus Domini Gregorii Papæ noni anno ejus decimo, sexto Idus Maii, novum faciens Dominus super terram in monasterio monacharum Sancti Cyriaci de Urbe, ipsius intercedentibus meritis, mirabilia magna fecit, et quia magna sunt judicia ejus secundum illud, quod Scriptura ait, Magna sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia omnipotentis virtutis ejus, qui facit mirabilia magna solus, qui in capite Martyris Christi, qui fuit membrum de ipso Capite, potentialiter et ineffabiliter operatus est Dominus. Ipsi soli, cui omnis gloria debetur et virtus, cui flectitur omne genu, debemus adscribere, atque ipsius magnificentiam in contritione, confessione, atque satisfactione peccatorum nostrorum dignis laudibus commendare.

sacerdotem ex Saxonia venisse Romam,

50 *Tum sequitur ipsa historia, cujus alterum apographum sine prologo olim Spira accepimus, curante nostro P. Philippo Kiselio, quod cum vitioso ecgrapho Vaticano seu Palatino jam contulimus. Sic autem sonat:* Magnus Dominus et E laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis, qui facit magna mirabilia et inscrutabilia, quorum non est numerus. Magnus quidem consilio, et incomprehensibilis cogitatu. Et quis non timebit eum? Ipse etenim, qui est gloriosus in Sanctis, faciens prodigia in cœlo sursum et mirabilia in terra deorsum, novum et inauditum ostendit in Urbe miraculum, immensis extollendum præconiis et divinis * laudibus commendandum. Quidam enim clericus, et diu vere sacerdos muneribus sacris dotatus, Henricus nomine, in monasterio Sancti Cyriaci de Geronrod in Saxonia constitutus, quod ab ipsa sui fundatione monasterio Sancti Cyriaci de Urbe subjectum fuit tam in capite quam in membris, per longum temporis spatium, sicut eo accepimus referente, in divinorum officiorum obsequio suum devote præstiterat famulatum. Tandem divina gratia ipsum inspirante, terram sanctam atque sepulcrum Domini gloriosum visitare proponens, transitorias hujus mundi F divitias dereliquit, et qui in sortem Domini vocatus fuerat, soli Domino desiderans militare, deseruit patriam et parentes, et in sanctæ religionis proposito aggressus est sanctum iter, in quo post multos labores et post multa viarum discrimina fatigatus ad Urbem venit, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum limina cum omni devotione visitavit.

* *al.* diversis

quo desiderante videre reliquias S. Cyriaci,

51 Postmodum vero monasterium Sancti Cyriaci de Urbe cum omni studio omnique diligentia requirendo, cum pervenisset ad locum, cum quanta devotione, cum quanta lacrymarum effusione ante altare gloriosissimi martyris Christi, beati Cyriaci, procumbens oraverit, admirari possumus, sed vix sufficimus explicare. Oratione autem perfecta, instanter petebat cum multis lacrymis postulando caput sibi beatissimi Martyris demonstrari, asserens confidenter, quod in partibus suis prædicabatur, et habebatur pro certo, quod quicunque in compunctione cordis cum devotione spiritus locum attenderet vulneris, quod ipsi Martyri tempore passionis suæ illatum fuerat crudeliter a tyrannis, videret e loco vulneris sanguinem emanare. Accendebat etiam ad piæ devotionis fervorem animos adstantium monacharum hanc Antiphonam de Martyre voce melliflua præcinendo:

A do : Liquans picem hostis piceus, canos Martyris deformaturus, mutans de sene juvenem, sic exercens tyrannidem ; ad cujus rei causam moniales et alii quamplurimi circumstantes, admirantes non modicum, titubabant caput ostendere Martyris gloriosi, ne, si contingeret, tantum miraculum minime apparere, prædicti sacerdotis et aliorum multorum devotio tepescere videretur. Sed fide corda purificans, cujus victoria mundum vicit, et caritas cuncta vincens, abbatissæ et monialium animos inclinaverunt, ut pari voto et consona voluntate piis desideriis annuentes, sacerdoti præfato caput ostenderent Martyris gloriosi.

caput istius Martyris sanguine stillavit,

52 Sane tunc temporis commissa erat nobis a summo Pontifice cura et sollicitudo monasterii antedicti, et sine nobis hujus rei negotium expediri non poterat, nec decebat. Unde ad præsentiam nostram accedens dictus Henricus, supplicabat instanter, quod ejus desiderium impleretur. Verum nos honorifice suscipientes eumdem, de statu monasterii Sancti Cyriaci de Geronrod ipsum sollicite perscrutantes, de causa itineris, de conditione B personæ, cujus religionis et professionis existeret, requisivimus diligenter; et quidem responsum super his congruum accepimus, et virum invenientes devotum, ejus petitionibus condescendimus humiliter et devote, atque sigillum nostrum, sub quo sacratissimum caput cum aliorum multorum Sanctorum reliquiis fuerat consignatum, per quemdam fidelem clericum, Paulum nomine, ad dictum monasterium curavimus destinare : erat enim tunc temporis religiosa Dei ancilla Artemia, venerabilis monasterii abbatissa, cum sororibus suis Deo devotis Concordia, Margareta, Angela, Scholastica, Romana, Agnete, Theodora, Prasina, Agatha, Catharina, Hermenia, Praxede, Cæcilia, Merentiana, Constantia Benencasa, Ottolina, Eugenia, Aurea, Sophia cum aliis sororibus suis oblatis in eodem monasterio disciplinam regularem professis; in quarum præsentia et plurimorum utriusque sexus illic adstantium apertum est argenteum vas, quo gloriosum caput cum aromatibus reconditum videbatur : ex quo sanguis recens manifestissime atque apertissime distil- C labat, ita quod vas prædictum a superiori parte erat interius madefactum, et tota capitis superficies pretiosissimo sanguine irrorabat, et testa crescens et quasi tumida impleverat vas ad summum, ita quod nihil videretur de vase inane, aut vacuum remanere.

quod miraculum

53 O quanta erat ibi devotio monacharum! Quanta erat ex devotione singulorum et singularum ibi adstantium inundatio lacrymarum! Vix posset humanæ linguæ sermonibus explicari. Fecit Dominus ista signa, ut diximus, sexto Idus Maii, sequenti sabbato post Ascensionem dominicam circa Vesperas. Mane autem facto sequentis Dominicæ, ad monasterium venimus, diligentissime omnia inquirentes : vidimus enim, agnovimus, credidimus et credimus indubitanter, Jesum Christum Filium Dei, qui est Sanctorum virtus et gloria, mirabilia hæc fecisse ad laudem et gloriam Martyris sui. Unde mandavimus statim, pulsatis campanis, Missarum solemnia celebrari. Sed dum hæc fierent, multitudo maxima virorum et mulierum, audientes Dei magnalia, currebant ad monasterium et clamabant : Miserere nostri Jesu Christe, Fili Dei vivi, per merita beati Cyriaci martyris tui, fortissimi athletæ. Et quidem omnibus, cum toto desiderio petentibus, mirabilia hæc videntur *. Cantato Evangelio, nos cum clericis et multitudine copiosa populi processionaliter de ipso monasterio exeuntes intra septa ejus et in claustro caput ostendimus, sanguine cruentatum, et, quod est auditu mirabile, multis videntibus, a superiori parte capitis sanguis distillabat, et decurrebat inferius in argenteo vasculo, in quo reconditum cernebatur. His factis, narrare cœpimus laudes Domini et virtutes ad populum et beati Martyris gloriam et honorem. Quibus peractis, miraculose factum est, ut credimus volente Deo, ad posteriorum memoriam, quod aliquæ guttæ sanguinis ceciderunt super casulam et mantile, quibus ornatus erat sacerdos deferens caput gloriosum; et ne obliviscamur operum Domini et mandatorum ejus, usque in hodiernum diem prædictæ guttæ manent in casula et mantili. Cunctis autem Deum interim laudantibus et benedicentibus Sancto ejus, processionaliter omnes in ecclesiam redierunt, et caput super altare sanctum reponitur, et Missarum solemnia interim consummantur; quibus peractis, omnes ad propria redierunt, et caput in suo loco reponitur sub nostra custodia et sigillo.

AUCTORE G. C.

* al. panduntur.

E

præter alia prodigia

54 Post hæc autem circa meridiem omnis fere Romanus populus ad monasterium anxius currens, omnes una voce clamantes, opportune siquidem et importune etiam, quod videre volebant mirabilia Dei magna. Unde clerus cum populo iterum caput sanctum a monasterio ipsum in campum Camilli processionaniter detulerunt, atque ibidem ab omnibus miraculum visum est et cognitum, et manifestissime declaratum : ibi enim cuidam mulieri, Blancæ nomine, uno privatæ lumine, fuit visio restituta, sicut ipsa nobis et multis aliis declaravit. Quædam etiam mulier, quæ latus amiserat, et de lecto non poterat surgere aliqua ratione, audito miraculo, se Martyri commendavit, et statim surgens, ad monasterium venit, et pristinæ restituta est sanitati, sicut ipsa multis audientibus hæc narravit. Ibidem etiam miraculose factum est, quod aliquæ guttæ super indumento lineo Stephani, Canonici Sancti Marcelli, distillaverunt, sicut multis innotuit manifeste.

coram magna populi multitudine

F

55 Quia vero scriptum est, honorificum esse atque conveniens revelare opera Domini, non est aliquatenus omittendum, quod Henricus jam dictus post primam sanguinis visionem nusquam comparuit : propter quod erat opinio diversorum, quod ipse fuerit sanctus Martyr, asserentibus aliis, quod Angelus fuerit, a Domini latere destinatus : et cum omnis fere populus loqueretur de ipso, ejus præsentiam affectantes, continue usque ad crepusculum in divinis laudibus et sancti Martyris præconiis perstiterunt. Vespere autem facto, et processionaliter capite in sacrario monasterii collocato, propter denuntiationem et famam tanti negotii venerabiles patres et domini D. Romanus, episcopus Portuensis, et D. Stephanus titulo Sanctæ Mariæ trans Tiberim, et plures Cardinales ad monasterium venientes, et super facto ipso scrutinium facientes, oculata fide viderunt mirabile, quod a Deo factum erat; et quidem in oculis eorum satis mirabile videbatur.

publice iteratum est,

56 Altera vero die, secunda scilicet feria, jam quasi coagulato sanguine, qui in vase effluxerat de argento, aqua cœpit clarissima de ipso capite distillare : et ab ea die, qua cœpit miraculum fieri, usque ad septimam diem, quotiescunque aspiciebant sanctissimum caput, toties in eo novum et mirabile videbatur. Eapropter ad Dei laudem et ad memoriam beati Cyriaci martyris gloriosi, ad exemplum etiam fidelium, volentium

de

Auctore G. C.

de virtute proficere in virtutem, auctoritate domini Papæ, diem istam, in qua Dominus Martyrem suum tanto miraculo exaltavit, statuimus annuatim solemniter observari et perpetuo haberi celebrem in monasterio prætaxato. Omnibus autem, qui ad dictam diem convenerint corde puro et fide non ficta, et qui eam celebraverint reverenter, suorum veniam promittimus peccatorum, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, Deus in secula seculorum. Amen.

et ad cujus historiam nonnulla observamus.

57 *Nunc quædam ad hanc historiam breviter observanda occurrunt, ac primo quidem circa tempus, quo publicum hoc prodigium contigit, videtur in alterutrum annum error irrepsisse : nam supra dicitur id factum* anno Christi MCCXXXIII, Pontificatus domini Gregorii Papæ noni anno decimo, *cum tamen secundum exactiores chronologos annus decimus Gregorii IX Pontificis cum anno Christi* MCCXXXVI *concurrat. Secundo notandum est, Marchionem Geronem seculo decimo abbatiam Gernrodensem fundasse monialibus, quæ illam usque ad seculum decimum sextum incoluerunt,* B *quando paulatim virgines Lutheranæ monialibus Catholicis successerunt, ut videre licet apud Henricum Meibomium, qui tomo II Scriptorum Germanicorum a pag. 417 Annales Gernrodenses typis vulgavit. Quamvis autem hæc abbatia ad moniales pertinuerit, tamen ibidem etiam clericos S. Cyriaci fuisse, colligimus ex diplomate Rikinzæ, abbatissæ Gernrodensis, quod in Spicilegio ecclesiastico Germanici imperii part. 3 pag. 88 refertur, et cui inter alios testes anno Christi 1205 subscribit,* Henricus capellanus curiæ nostræ et Canonicus Sancti Cyriaci martyris. *Meibomius tomo proxime citato pag. 476 producit idem diploma, cui post Henricum alii testes ita subscribunt :* Bartholdus custos, Christianus sacerdos, Cono sacerdos, Fredericus sacerdos, Paulus diaconus, Ericus subdiaconus, Johannes subdiaconus. Cum prædictis Canonicis Sancti Cyriaci interfuerunt huic contractui complures alii de familia ecclesiæ nostræ, bonæ opinionis viri.

C

§ VI. Reliquiæ quædam sancti Cyriaci Roma Bambergam translatæ.

In supradicto codice Vaticano refertur,

I*n jam sæpe citato apographo codicis Palatini seu Vaticani etiam narratur, qua occasione pars reliquiarum* S. Cyriaci *in Germaniam translata fuerit, et huic narrationi præfigitur sequens titulus :* Qualiter brachium sancti Cyriaci translatum sit ad partes Trans-Alpinas, ac in Bamberga reconditum per Ottonem imperatorem. *Deinde nobis ignotus hujus translationis narrator ante eam ita præfatur :* Legimus, quod in initio primi hominis plasmator Deus omnia, quæcunque operatus est, bona atque perfecta perfecit, et hominis juri supposuit, ut cuncta suo subessent servitio, jubar solis, splendorque Titaniæ, Marsque, Cyllenius, Jupiter simul et Venus, tardus nec non Saturnus, cunctaque immense radiantia astra : animantia, volucres cœli, limphis spirantibus pisces, et quidquid sub cœlo est dedit sibi utendum; unum ei tantummodo interdixit pomum tali sub intimatione, ut, si ex ipso comedisset, statim interiret mortem. Sed quia invidia diaboli mors intravit, seducta mulier decepit virum, et vir magis uxoris, quam Creatoris, sancita observans, D incurrit mortem, et sibi et cunctis posteris propaginem tantæ maledictionis reliquit. Sed Creator condolens, ut vidit suam se perdere creaturam, proprium Filium misit in mundum, et ut nos a dæmoniaca potestate eriperet, ad mortem tradidit illum et interitum; per mortem Filii sui nos exaltavit, et qui eramus filii tenebrarum, facti sumus filii lucis. Concupiscentia quidem, quam primus parens habebat, in tantum pullulavit, ut huc usque perduret. Et quia in longum protraxi hunc sermonem, recurramus ad illud, qualiter e corpore sanctissimi levitæ et martyris Cyriaci pars aliqua e suo sancto cœnobio, invidiæ livore et odii fomite, fuit subtracta, qualiterque omnipotentis Dei administratione, vice recompensationis et suæ immensæ misericordiæ, causa consolationis particula corporis sanctissimi Nicolai est ibi allata.

quomodo Otto imperator

59 *Tum ipsam translationis occasionem ac historiam sic narrare incipit :* Modico igitur interposito tempore postquam sanctum caput almi levitæ et martyris Cyriaci in monasterium, quod juxta Viam Latam est situm, fuit advectum atque honorifice collocatum; regnabat eo tempore Otto E potentissimus imperator, Romæ vero Pontificatum gerebat quintus decimus * Papa Johannes, Alberici excellentissimi consulis filius; monasterio namque præerat Pretiosa, ancilla Christi eximia, humillimaque abbatissa. Hoc igitur tempore artifex totius malitiæ chelydrus ille, qui suum virus infudit primi hominis menti, ut Factoris sui frangeret fœdus, ipse jaculavit mentem jam dicti Pontificis, et sui cordis ruinam immisit, nec dicendum nuntium jam fatæ abbatissæ misit. Illa spiritu inflammata divino, ita gratum suscepit mandatum, acsi aspis vel basiliscus terribilem sibi sibilum immisisset; abrenuntiavit, refutavit, repugnavit, et per omnia interdicendo mandavit. Ille tali nuntio responsum audivit, grave in corde telum accepit, ita ut odii fomitem circa eamdem Dei famulam ministraret; et cœpit quotidie æstuare, qualiter illi suoque monasterio grave potuisset damnum inferre.

** lege duodecimus*

Romam venerit.

60 Interposito non multo tempore, Romæ gloriosissimus imperator advenit, humotenus genu F flexo quærendo, supplicando, rogando, basilicam Sancti Petri Apostoli adivit, et humillime diutissime oravit, atque imperator piscatoris annulum desiderantissime flagitavit, ut desiderium suum ad libitum impleret. Accidit, quod aliqui ex Romanis imperatoris adventum Pontifici intimare curarent. Accepta a Clavigero Petri imperator licentia, palatium petiit imperiale, se cathedra sublimavit, assidentibus adstantibus secum procerum innumerabilium circumvallatus, vulgusque promiscuum Pontifici tale mandavit nuntium, ut suum citissime ante adesset conspectum : hoc namque Pontifex ut audivit, talia ad eum dicenda remisit : Hodie dentur nobis induciæ; mane sancti Petri, suoque veniemus servitio. Transacto denique die, superveniente nocte, lucescente mane, concursus factus est nobilium Romanorum ad Constantinianum palatium, Romano præsidente Pontifice, annuentibus consulibus, præcipuis senatoribus, prætorianis præfectis, præfectisque navalibus, militibus etiam atque commilitonibus, decurionibus una cum pentacontarchis tali voce affatus est Præsul : Audite cives, senatus populusque Romanus. Otto Romanorum imperator augustus nobis suis mandavit nuntiis, ut Sancti Petri visitemus basilicam, ejusque sistamus

A mus præsentiam. Si vobis bonum videtur, nobis proferte sententiam. Ad hæc omnes simul consona voce cœperunt respondere : Nobis æquum videtur et sanctum, ut pater visitet filium, et nos omnes in tuo suoque veniemus servitio.

61 Statim ut hæc Præsul audivit, ipse cum omni Romanorum præsidiò iter arripiens, Romam pertransiens, pontem, qui Adriani cognominatur, transambulans, civitatem, quæ Leonina vocitatur, ingrediens, ad radicem cum venisset Vaticani montis juxta naumachiam equo desiliens, ipse cum omnibus Romanorum consulibus, senatoribus ac principibus, Sanctissimi Petri petierunt basilicam, ejusdem confessioni se instraverunt; cumque ex intimis præcordiis rogitantes, ut pro eorum Deum exoraret delictis. His peractis, imperiale petierunt palatium; rex vero ad se cernens venire Pontificem, de solio suo assurgens, obviam Papæ cucurrit, manusque ei apprehendit, in solio suo cum sedere fecit, pedesque ejus osculabatur, et vice Petri Apostoli honorifice illum tractavit. Post hæc interius petierunt cubiculum, singulare tenuerunt consilium. B Admonuit, prædicavit, ac de multis illicitis, quæ audierat ab eo, peractis caute leniterque, ut bonus pater, castigavit. Sed sicut sancta dicit Scriptura, Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis, et prudentissimus Salomon consequentia verba ad hanc dedit sententiam, Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit, ille infelix, unde resipisci * deberet, inde ad pejora delapsus est. Hoc dum imperator mente animo factisque cognovit, quamvis invitus, dimisit eum, prout ad tempus suum petere libitum. *In hac ultima periodo videtur aliquid transpositum aut omissum esse, quod sensum intellectu difficilem reddit.*

et, suadente Joanne Papa,

* *lege* resipiscere

62 Tunc imperator cœpit eum obnixe rogare, ut, si sua bona voluisset frui voluntate, suumque adjutorium in omnibus invenire locis, suum adimpleret desiderium et corporibus sanctis, a quibus Roma tuebatur atque tuetur, aliquam partem ei donaret. Ille, ut audivit, immenso repletus gaudio, magno cordis exsultans tripudio, ad imperatorem tale fertur dedisse responsum : Audi consilium meum, optime princeps; testis C est mihi Deus, quod veridicam tibi profero sententiam. Cariora in hac terra non inveniuntur, exceptis reliquiis Petri et Pauli Apostolorum. Est Romæ monasterium puellarum juxta regionem, quæ Via Lata nuncupatur, in loco, qui nominatur ad Pinea, secus arcum Tiburii, in quo reconditum modernis temporibus caput sancti Cyriaci martyris et levitæ, qui fuit ordinatus a sancto Marcello episcopo, et temporibus Diocletiani, multis fatigatus tormentis : post necem namque Diocletiani ejus privignus Maximianus, cognomento Herculeus, jussit, et gladio decollatus est, et a Lucina serenissima matrona Via Ostiensi est sepultus, ibique latuit usque ad tempora sanctissimi Agapiti II Papæ atque nostra Ottonis piissimi imperatoris. Nunc peractis paucis temporibus, per duas gloriosissimas matronas, sorores supradicti Alberici Romanorum senatoris in præfatum monasterium caput ejus advectum, ibique a prædecessore meo, sanctæ recordationis Præsule Agapito honorifice est locatum. Nunc illuc una eamus, et ex ejus reliquiis sanctis quantulumcunque tibi donamus.

brachium S. Cyriaci

63 Hoc dum imperator audisset, immenso repletus est gaudio, tanquam immensum invenisset thesaurum, Deo gratias referens, Pontificemque cœpit rogare, ut sine mora, quæ promiserat, impleret. Ille iniquus Pontifex vulnus, quod in corde ex parte jam fatæ abbatissæ, ut desiderabat, exterminare æstuabat, rogabat imperatorem, ut simul ascensis equis cum omni Romanorum conventu ad monasterium convenirent prædictum; quod et fecerunt, portas monasterii [et] ecclesiam intrantes. Violenter tumulum, in quo [corpus] ipsius olim reconditum erat, confregit, et pollutis manibus non erubuit tangere locum sanctum, et relictum cum eo brachium cum humero dedit imperatori. At vero imperator, dum talem ac tantum se sensit habere thesaurum, gaudens et exsultans Vaticanum petiit palatium ad naumachiam juxta templum Apollinis secus ædes Neronianas.

AUCTORE G. C. *ex Romano monialium cœnobio*

64 Hac tempestate, ceu fulmine, percussa prædicta abbatissa cum omnibus Deo servientibus et sororibus crines evellentes, pectora percutientes, genas unguibus discerpentes magno cum ululatu immensoque luctu palatium petierunt, pedibusque imperatoris cum maximo ejulatu et lacrymis se profuderunt, proclamationem maximam E coram rege fecerunt. Tunc rex cœpit inquirere, quali ex progenie illa foret abbatissa exorta, quæ cum tanta constantia coram rege contendere audebat. Illa vero antiquam cœpit exponere genealogiam. Imperator ut audivit, et recognovit illam suam esse propinquam vicinamque affinitate junctam, cœpit ei humillime supplicare, ut culpam jam factam ei parceret, et ab eo, quidquid peteret, impetraret. Hoc cum illa audisset, ex parte consolationem accepit, cecidítque vestigia ejus osculans, et flens tale ab eo rogavit accipere donum : Audi, serenissime imperator, si cum Deo velles pacem habere, audi consilium meum, qualiter brachium sanctum, quod deturpatum habes, restaurare curabo. Et quia hoc bene scio, quod facere nolis; date mihi nuntium vestrum talem, qui sit nobilis et prudens, et eloquentissimus : et detur mihi pretium, qualiter Constantinopolim possim adire; et, si placet tuæ majestati nuntius vester una veniat mecum, qui ex vestri parte roget imperatorem Basilium, ut mittat nobis particulam aliquam ex corpore sancti Nicolai confessoris, si forte miserrima mens mea in aliquo consoletur. Cumque hoc imperator audisset, gaudenter verba suscepit, immensum thesaurum F statim ei adduci præcepit, prudentissimumque virum, qui ad ejus latera assistebat, qui comes palatii vocabatur, ejus potestati donavit, præcepitque cancellario suo, ut epistolam a se mandatam statim faceret, suoque sigillo signaret; qui cancellarius statim præceptum implevit, sigilloque signavit, et abbatissæ donavit, atque optimam rex ei suam promittens voluntatem, magno cum gaudio ad suum reversa est cœnobium.

nequidquam conquerentibus monialibus

65 Imperator vero, data licentia abbatissæ ac suis, ipse namque Apostoli Petri confessionem petiit, sese ibi humo prostravit plorans, et rogans nimis Deum, pro suis exorans delictis, prosperum sibi ac suis deposcens iter, qualiter ad suam repedare patriam possit indemnis. Hæc et alia his similia deprecatus, Dei sanctique Apostoli licentia impetrata : suos animos * admonuit iter arripere. Accepta vero parte veneranda corporis Cyriaci, quam diximus, confingi super dorsum equi præcepit tale figmentum, in quo brachium sanctissimi Levitæ digne ad vehendum maneret, dignissimumque iter perageret. Dei implorato auxilio, iter incipiens, tripudians et exsultans au-

in Germaniam transtulerit,

* *forte* amicos

ream

AUCTORE G. C.

ream Romam dimisit. Cœptum peragens callem, veloci cursu pervenerumt Tusciam, quæ Tuscia a thure vocatur, eo quod populus illius superstitiose in sacrificiis deorum vivere solebat. Citissime Senense devenerunt oppidum. Inde per Lucensem transiliunt civitatem, variisque transmeatis locis, Placentinam sunt urbem ingressi, ingredientibus vel transfretantibus Padum, qui et Eridanus vocatur, spatiosis equitatis campis, Cotias pervenerunt ad Alpes. Ascensi vel descensi montem, qui Buxdone dicitur, Longobardiam ingressi, velociter pervenerunt *Ticinum;* exinde vero Mediolanum, quæ Liguria nominatur, eo quod leguminibus est ferax. Dextera declinantes manu, Veronam venerunt, quam arrigat Athesis fluvius: inde angustos meatus peragrantes, civitatem, quæ Tridentum vocatur, pertranseuntes, chewaliarum * velocitate Trans-Alpinas adventarunt ad partes. Magna cum lætitia pervenerunt Sueviam, quæ provincia Bavaria nuncupatur.

* *id est forte* equorum

66 *Deveniens* vero ad urbem imperator, quæ Babinberga vocatur, ibi se cum parte corporis Sancti, quam adduxerat, concito gradu fixit, ibique tam diu persistit, usque quo honorandum oratorium honorifice dedicavit. Archiepiscopis, coepiscopis, innumera quoque Christiana plebe coadunata, talia imperator dicere cœpit verba: Audite, beatissimi patres confessores et filii, donum quod ex parte omnipotentis Dei, sanctique Apostoli Petri, seu aureæ egregiæ matris nostræ Romæ allatum habemus, vobis intimare curamus. Sciatis in veritate, charissimi patres ac fratres: Adest brachium usque ad humerum sanctissimi Martyris et levitæ Christi Cyriaci, a Marcello Episcopo ordinati, jussu Maximiani capite cæsi, et a matrona serenissima, quæ Lucina vocabatur, ante multos annos sepulti. Nunc quod nobis immeritis tale ac tantum Christus nobis dignatus sit dare patrocinium, observemus et custodiamus illum, veluti pupillam oculi nostri, ut in die tremendi judicii placidum illum et benignum intercessorem apud judicem Christum habere mereamur.

ac Bambergæ B

67 His dictis cum archiepiscopis, coepiscopis, simul cum rege coacervatis, honorifice et venerabiliter recondiderunt partem sanctissimi corporis martyris Cyriaci, et consecraverunt ecclesiam, suoque nomine firmaverunt: innumeris et amplissimis, immensisque ditavit et exornavit donis, ibique Deo servientibus religiosis clericis statuit servos, et ancillas locavit, ut amodo et in ævum nunquam in eadem ecclesia Christo servile decesset servitium; præcepitque ille posteris eorum modo et usque in seculi finem, annuatum pensionis votum, [ad] Sancti Cyriaci cœnobium Romæ humillime deferrent: sancivit, roboravit, et anathemate a Christo omnibusque suis fidelibus, interdicentibus præceptum sive contradicentibus, votum perpetuo subjugavit. Sed Dei opitulante clementia, bene optimeque usque hactenus observatur præceptum. Sæpe vidimus, ex climatibus ipsis adventare ditissimos duces, opinatissimos comites, et ex bonis suis ibi vota persolvere. Sæpe etiam lustravimus ipsius gentis adduci plurimos [cum] variis et spectatissimis donis sericis, velis aureis, argenteisque monetis, [et vidimus] altarium tegmina auro contexta, complura [ornamenta] optimis ac diversis contexta plumariis operibus aureis. Tintinnabula ærea, clarissime resonantia, ab eis missa, usque hactenus habentur, innumeraque dona sancto monasterio annue persolvuntur, Dei justo disponente judicio, ut, sicut in absentia ex parte reliquiarum abstracta, Dei ancillæ olim nimium et pene usque ad mortem fuerant contristatæ, immensisque doloribus afflictæ, merito posteræ earum in ævum usque tali modo exsultarent.

honorifice collocaverit. C

D

68 Nunc aliquantulum, prout vires sufficiunt, te obnixe flagitamus, o sanctissime levita et agonotheta Cyriace, ut pro nostris, quemadmodum te scimus valere, Deum exores flagitiis, famulos famulasque tuas in ejus servitio semper informet, pacem conferat, quietem nutriat, morbos auferat, castimonia decoret, et tuis intercessionibus sua nos protectione conservet, et quemadmodum tuam jugiter deservimus ecclesiam, tuam ubique inveniamus clementiam, ut tecum dicere valeamus: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Post hæc auctor anonymus narrat, quomodo abbatissa Pretiosa cum comite palatii Constantinopolim profecta, ab imperatore Basilio obtinuerit reliquias S. Nicolai Myrensis, de quibus ad diem* VI *Decembris agendum erit, et tunc Annotationes Floravantis Martinelli in laudato Trophæo crucis pag. 143 et sequente consuli poterunt. Porro ignoramus, quantum fidei tribuendum sit huic narrationi, cum apud scriptores Bambergenses de istis* S. Cyriaci *reliquiis, de tam celebri ejusdem Martyris oratorio, aliisque hic relatis, nullam mentionem inveniamus.*

licet scriptores Bambergenses de hac re non meminerint.

E

69 *Gelenius lib. 4 de Coloniæ Agrippinensis magnitudine in sacris et piis fastis Agrippinensibus ad diem* VIII *Augusti insignes hujus* S. Cyriaci *reliquias diœcesi Coloniensi attribuit his verbis:* Coloniæ in ecclesia Sanctorum Apostolorum, et in diœcesis Coloniensis oppido Geiseckæ Sancti Cyriaci, cujus ibi caput pretiosa herma inclusum, hic corpus mere aurea tumba olim inclusum; sed tumbam hanc rapuit Comes Obersteinius etc. *Colonienses autem sibi persuadent, sacras illas reliquias pertinere ad hunc* S. Cyriacum, *ut patet ex Petro Cratepolio Minorita, qui in opusculo de Sanctis Germaniæ pag. 47 et sequente sic scribit:* Sanctus Cyriacus diaconus post longam carceris macerationem reliquata pice perfusus est, et in catasta extensus, attractus nervis, et fustibus cæsus est. Postremo ingenti constantia una cum Largo et Smaragdo, et aliis viginti, jubente Maximiano tyranno, capite truncatus est. Hujus sancti Martyris caput Coloniæ conservatur in Sanctorum Apostolorum collegio, quod sanctus Peligrinus Roma illuc transferri curavit. *Peligrinus ille fuit præsul Pataviensis, et e vivis excessit anno Christi 991, ut apud Marcum Hansizium nostrum tomo I Germaniæ sacræ pag. 228 licet videre. At jam supra Benedictus, testis oculatus, nos docuit, seculo* XIII *Romæ caput istius sancti Martyris publicis miraculis coruscasse. Coloniensibus igitur probare incumbit, sacrum ejusdem Martyris caput post hæc tempora ad diœcesim suam delatum fuisse. Etiam alii scriptores varias hujus* S. Cyriaci *reliquias regionibus suis vindicant. Sed merito dubitari potest, an reliquias alicujus Sancti homonymi ad hunc celebriorem non retulerint, quandoquidem jam triginta et plures hujus nominis martyres vel Sancti in Opere nostro illustrati fuerunt.*

et alii reliquias ejusdem Martyris sibi vindicent.

F

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS

NAZARIO, JULIANA, AGAPE VIRGINIBUS, EUTICHIANO CORINTHOPE, DIOMEDE ET METRODORA VIRGINE

Ex Hieronymianis. J. B. S.

VIII. AUG. *Ut ut confusa in pluribus sint hodierna hujus Martyrologii apographa, et luxata hinc inde nomina apud Florentinium in numero septeno Nicomediensium Martyrum satis conveniunt, excepto solo Corbeiensi, in quo* Justa *aliqua adjicitur.* Agape *certe seu* Agapa *ubique signatur, quam satis mirum esset, hinc fuisse acceptam, et solam quidem transiisse in tot auctaria Usuardina, ut nullus hoc die Sanctus vel Sancta tam frequenter repetatur, sed nulla addita positione seu loco* B *martyrii, unde dubium manet, utrum vere ex posita classe desumpta sit, præsertim si Castellanus sufficientia momenta repererit ut eam Trevirensibus adscriberet. Jam septem synonymæ variis diebus in Actis relatæ sunt, at non video cum ulla earum confundi posse. De reliquis sex nominibus, licet amanuensium vitio hinc inde corruptis, non est quod pluribus disquiramus. Martyrologii antiquitas de eorum cultu sufficiens reddit testimonium : cumque* S. Agapam *iis annumeratam reperiamus, licebit tantisper supponere, eamdem ipsam esse, de qua tot alii Martyrologi hoc die loquuntur, et quidem martyrem censebimus, quidquid Equilinus lib.* XI, *num. 244 eam asserat* in pace quievisse. E

DE S. HORMISDA MART.

IN PERSIA

J. B. S.

SEC. IV. *Insignis hujus Martyris nomen celebre reddidit Theodoretus Historiæ suæ lib. 5 cap. 39, ubi et plures alios colligit gloriosissimos pro Christi fide pugiles, quos regis Saporis immanis crudelitas ad martyrii lauream perduxit. Apud veteres Martyrologos, quos Classicos appellamus, notus non est, nec magis apud recentiores in auctariis Usuardinis recensitos, neque vero Baronius in annotationibus ullum citat ex quo ipsum acceperit, ut primus ipse censendus sit qui sanctum hunc* Hormisdam *Martyrologio Romano adscripserit in fide Theodoreti, quem Nicephorus aliique secuti sunt, ut historici illius verba descripsisse, id totum sit quod de hoc* S. Hormisda *referri potest,* C *quæque adeo aliunde accersenda non putavi. Scio equidem apud Sozomenum, de eadem Saporis persecutione loquentem, dum viginti episcopos enumerat lib. 2 cap. 13 in fine, etiam* Hormisdam *aliquem recenseri, ast hunc cum nostro hodierno confundendum non esse, ex adjunctis certissimum est. Audiendus proinde solus Theodoretus ex editione Valesii loco citato, ubi ita loquitur :*

Hormisda quidam erat valde nobilis apud Persas ex Achemenidarum stirpe, patre ortus præfecto. Hunc rex cum Christianum esse didicisset, ad se adduci, et Deum Servatorem suum negare jussit. Verum ille, regem ea imperare respondit, quæ nec juxta essent nec utilia. Is enim, inquit, qui summum omnium Deum facile contemnere ac negare didicerit, regem multo facilius contemnet, cum hic homo sit morti obnoxius. Quod si extremo supplicio dignus est is qui tua sceptra negaverit, O ! rex, quanto graviora meretur supplicia qui Deum universi hujus conditorem negat ? At rex, qui horum sermonum sapientiam mirari potius debuerat, fortissimum athletam divitiis et honoribus spoliavit ; nudumque, solo tectum subligaculo, camelos exercitus trahere præcepit. Multis post diebus elapsis, rex e camera prospiciens, F videt optimum illum virum solis radiis perustum et pulvere oppletum. Tum paternæ memor nobilitatis, eum ad se accersit, et lineam tunicam induere jubet. Post hæc animum illius, partim ex præteriti temporis ærumna, partim ex præsenti ejus benignitate mollitum ratus : Nunc tandem, inquit, abjecta illa contentione, fabri filium pernega. Tum Hormisda, divino repletus zelo, tunicam discerpsit, et ante regem projecit, et addens : Si hujus causa me a pietate recessurum existimas, habe tibi munus tuum cum impietate. Hanc constantiam animadvertens rex, eum, ut erat, nudum ex imperii finibus ejecit.

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ELEUTHERIO & LEONIDE

J. P.

Cultus e Martyrologio Romano ac Fastis Græcis.

DIE VIII AUGUSTI. Cultus apud Latinos ac Græcos, præsertim CPoli.

Hoc *Athletarum par inscribitur Martyrologio Romano his verbis :* Sanctorum martyrum Eleutherii et Leonidis, qui per ignem martyrium consummarunt. *Eodem fere modo annuntiantur in Menologio Sirletiano, ac Menæis magnis Græcorum excusis, quæ hoc eos disticho prosequuntur :*

Ἀμφοῖν Ἀθλητῶν οὐ θυόντων τῇ πλάνῃ
Κοινὴν κατακρίνουσιν οἱ πλάνοι φλόγα.
Athleta dum non libat errori duplex,
Communem ad ignem damnat erronum furor.

B *Præter Menæum Chiffletii, in quo Martyrum istorum nomina sunt, illos memorat Supplementum Ms. ad Menæa typis edita, e Synaxario Ms. Sirmondi ac Ms. Chiffletii ; ubi semel quidem additur* τῶν νηπίων, infantium ; *adscriptis insuper superius litteris* dom. *per quas intellige Menæum membranaceum conventus PP. Dominicanorum Parisiis, congregationis S. Ludovici ; sed in dicto Supplemento mox apponitur alia lectio, præfixo nomine* Sirm. Ἐλευθ. Λέον. καὶ τῶν νηπίων, *id est*, Eleutherii, Leonidis, et infantium : *quo videntur indicari Martyres distincti a prioribus. Quidquid sit, Martyrum nostrorum cultus singularis Constantinopoli, indicatur his citati Supplementi verbis :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ οἴκῳ τῆς ἁγίας Εἰρήνης πέραν ἐν Ἰουστινιαναῖς. Agitur E autem eorum solemnitas in æde S. Irenes trans portum in Justinianis : *de qua Cangius CPolis Christianæ lib. 4, pag. 148.*

DE S. MYRONE THAUM. EP. & CONF.

IN INSULA CRETENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Cultus, elogia, Sancti gesta, tempus vitæ, Actorum compendium, quod hic datur.

FORTE ANNO CIRCITER CCCL. Annuntiationes ejus et elogia

In Creta S. Myronis episcopi, miraculis clari, *annua inter alios Cœlites memoria annuntiatur hac die in Martyrologio Romano. Præiverant tabulæ sacræ Græcorum. Signatur* C *enim cum in Menæo Chiffletii, tum in Menologio, a Cardinale Sirleto Latine reddito, quod sic fatur :* Eodem die (VIII *Augusti*) commemoratio S. Myronis, episcopi Cretæ, cognomento Thaumaturgi. *Deinde aptatur ipsi sequens elogium :* Hic natus in Aurace *(imo Rhaucia)* urbe Cretensi prope Cnossum, divina pietate ornatus, præcipue vero misericordia, atque in pauperes caritate insignis, ordinatusque presbyter in sancta Dei Ecclesia, postea vero et episcopus constitutus, multis miraculis editis, annum prope centesimum agens, migravit ad Dominum. *Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, Sancto huic etiam dat titulum* Thaumaturgi, *et hoc elogium, quod e Græco versum sic sonat :* Myron sanctus ac magnus pontifex ex insula Cretensi fuit oriundus, imperante Decio, parentum genere clarorum filius : a quibus matrimonio junctus, religiose vitam instituebat, et diligenter terram excolens, pauperes e frugibus alebat. Dumque aliquando haberet hortum ciceribus consitum, et nonnullos invenisset, qui in eodem cicera aliquot furati essent ; videbantur illi quidem colligere cicera, capiebant autem spinas ; quos, datis eis ciceribus, dimisit. Et postquam alios invenisset in area qui impleverant saccos suos frumento, et non poterant eos levare, humeris eorum superimposuit saccos, et abire jussos ac non amplius furari dimisit. Deinde sacerdos, ac postea episcopus consecratus, misericordiæque erga pauperes neutiquam oblitus, in pace obdormivit. *Habemus ista in Actis, quæ dabimus post hunc* F *Commentarium : quia tamen solemus Latine vertere textum Græcum dicti Synaxarii, quem dedimus ad calcem tomi primi hujus mensis ; ideo idem hic faciendum duximus. Alibi* S. Myron *notatur die* IX *hujus, secundum dicenda num. 8.*

2 *Menæa magna Græcorum impressa huic elogio similia memorant ; sed sequentia inde excerpimus, ac Latine reddimus, quæ in dicto mox elogio non sunt :* Draconem, qui regionem illam devastabat, exegit, et fluvii, quod Tritonis nomen habet, exundationem repressit, dum fluvium esset transiturus, eumque videret exundantem. Qui jussu Sancti ligatus, priorem ad cursum redigi non poterat, donec redisset Sanctus, domumque reversus, virgam suam misisset : qua postquam hi, qui erant missi, aquam turbassent, fluvium convertere ad proprium iter. His atque aliis pluribu perpetratis, vitæque reliquo religiose ac sancte traducto, celebrandis splendide Martyrum monumentis intentus, quando jam annos circiter numerabat centum, ad Dominum emigravit. *Hisce confirmantur ea, quæ leges in prædictis Actis. Elogio Menæorum præmittitur hoc distichon :*

proferuntur.

Μύρων

A Μύρων ὁ θεῖος ἀρετῆς μύρου πνέων
Εὐωδίας πρόσεισιν ὀσμὴ Κυρίῳ.
Divine, dum virtutis unguentum exeris,
Myron, fragrantia Domino suavis datur.

Acta ejus Græca, etsi non dentur integra;

3 *Præter hæc, quæ de Sancto nostro jam dedi, habeo Vitæ ejus Græcæ apographum e codice Vaticano 1190; de quo plura apud nos die* XXVII *Maii, tom.* VI *ejusdem mensis pag. 692. Tametsi autem Vita ista ibidem dicatur danda hoc die* VIII *Augusti; re tamen jam in tempore ac loco expensa, illam typis non committam totam et integram, prout jacet, propter rationes num. 5 allegandas; sed singularia quædam excerpam, quæ de* S. Myrone *narrat prædictum apographum; relicta eorum fide penes auctorem :* Accedit ad regionem quamdam, cui nomen Soreos, quæ ad dexteram occurrit naviganti ad sinum Nicomediæ; et hospitio excipitur apud virum, cognomento Cornelium, longoque tempore cum eo versatus est. Is ipsum instituit disciplinis. Postquam autem ædificasset ædem Deo orando sacram, ac comperisset, semen a se terræ mandatum multiplicem cognitionis divinæ protulisse fructum, mox ad presbyterii gradum ascendit. B Gnarus autem, Diocletianum Nicomediam profectum id operam dare sedulo, ut omne Christianorum genus, ætatem omnem exscinderet, eam potissimum, in quam Sanctus impensa cura incumbebat, Mantinium ac Cretam versus is navigavit, ac matrimonio conjunctus est. Tota vero prorsus ipsius mens ac cogitatio erat intenta misericordiæ. Et excolebat terram, nec non e frugibus inde provenientibus suggerebat ipsis abunde pauperibus omnia ad usum eorum accommodata *etc.*

nonnulla tamen

** l.* Rhauciensem

4 Dum autem, Christo bene favente, omnia ex ejus sententia procederent, iterum ad Soreos revertitur; quam dum multiplicatam offendit, dignitate episcopali servus Christi initiatur; et in regionem Auraciensem * discedit : ubi erroris spinas radicitus evellit, pietatisque semina operose terræ committit. Divina vero gratia magnas pietatis segetes, S. Myronis imbribus eas irrigantibus, ostendente, denuo reditum instituit, indeque ad insulam Cretensem reversus, idem quod Soreos accedens præstiterat, cujus incolas profunda ignorantiæ caligine detentos videbat, ipsos etiam Cretenses ad cognitionis splendorem deducit. C Nec vero in iis, qui ad frugem redibant, in viam reducendis multum ab ipso temporis est consumptum; sed brevi gratiæ vis in plurimorum animis operabatur, qui salutare baptisma requirentes, sacro Christi adjungebantur gregi. Hisce ergo Dei benignitate e voto peractis, contigit, ut illi, qui impietatis etiamnum errore detinebantur in Creta prædicta, festo quodam dæmonis, quod ab ipsis colebatur, libamina offerrent idolis, eaque facerent omnia, quæ animæ a malis dæmonibus infessæ faciunt. Postquam gregis Christi sectatores divino pleni zelo sæpius hæc fieri conspicerent, ac, quæ illo die multa cum rabie agebantur, justam in iram consurgunt, et alter alterum adhortantes procedunt adversus idola; quæ dum omnia mox contrivissent, atque in terram ac pulverem redegissent, cultoribus illis ostendebant eorum, qui coluntur, infirmitatem.

inde fragmenta extrahuntur omissa longa visione.

5 Quæ quidem res gentiles tunc in stuporem ac timorem rapuit, luctus potius quam vindictæ tempus esse existimantes. Postquam autem observassent diem, quo Myron Dei famulus sacris operabatur mysteriis, et ex cancellis, quæ aderant prope ascensum, aqua ei superinfunderetur, id ex injuria factum ratus, sacram liturgiam isto quidem die peragit; sed destructo deinde oratorio, aliud ædificat in locis maritimis, ignarus videlicet, quod pone thecam venerabilis Martyris, qui multorum efficientia prodigiorum erat celebris. *Sanctus* in regionem Auraciensem discedit, indeque ad insulam Cretensem reversus *supra dicebatur; sed quomodo hæc cohærent cum* Rhaucia, insulæ Cretensis urbe prope Cnossum, *ex Actorum compendio, de quo infra, num. 1? Consule insuper, quæ de corrupta in Menæis voce* Αὐρακῇ *dicentur infra in Annotatis lit.* b. *Auctor prædictæ narrationis subjungit visionem a Sancto nostro habitam, ac suis ab ipso expositam; sed quia 1° ea tam longa est, ut maximam partem materiæ, quam dicta complectitur narratio, impleat; 2° quia usu et experientia doctus sum non multum deferre hujusmodi Græculorum parergis; ideo visionis istius narrationem a nostro Opere arceo. Substantiæ synopsis est hæc; quod ad horridum spectaculum sit deductus* S. Myron; *quod inde ab Andrea et Joanne Apostolis, quos putabat esse, in sinum Abrahæ, tum in locum, qui mansiones apud Salvatorem multas, meritis cujusque* E *secundum mensuram virtutis accommodatas, adumbrabat; alterius in civitatem, cujus venustatem, symmetriam, magnificentiam, delicias, pretiosos lapides, aurum etc. ibidem pluribus describit biographus ille; denique ad paludes septem, suo quasque tormentorum genere instructas. Verum hæc satis : ut reliquis, quæ sequuntur, supersedendum censeam. Quæ ibidem sunt de fugato dracone, ac exundante fluvio coercito, noscuntur ex superioribus.*

Auctore J. P.

Mira corporis S. Myronis sine corruptione integritas.

6 Ego, *ait dictæ Vitæ scriptor,* videns ab Athleta etiam vita functo naturam superari, ad Dei laudem exsurgo : etenim aliquando oculis in sepulcrum Sancti conjectis, sacrum ipsius cadaver sum contemplatus; quod superstes et a vi mortis non superatum remanserat. Hæc enim, quæ jactat omnem se animalis compagem tridui spatio solvere, annis jam ducentis nullum generosi Sancti capillum corrumpere potuit : nam capitis coma erat frequens et incorrupta; formæ autem character perstabat, pellisque firmitas erat illæsa, ne abjectis quidem barbæ pilis : quin etiam aperuit orbem oculorum *etc.* F

Ætas scriptoris Vitæ et ipsius Sancti.

7 *Si vera narrat in isto exemplari auctor ille tanquam oculatus testis; ex Decio ac Diocletiano, quibus* S. Myron *secundum dicta superiora fuit contemporaneus; ex annis item circiter centum, quibus vixisse, ibidem memorabatur; ex annis denique ducentis a morte elapsis, quibuscum mira illa corporis integritas connectitur; consequens est 1° ut prædictus auctor vixerit seculo sexto. Si vera, inquam, narrat : nam sponsorem me ponere non ausim, quod Vitæ ejus exemplar secundum omnes et singulas suas partes sit sincera, ab episodiis Græculis immunis, atque ab uno eodemque auctore primitus conscripta. Consequens est 2° ut, notis istis ita positis et admissis, Sanctus noster vivere desierit ad seculum quartum circiter medium æræ vulgaris. Menæa magna Græcorum excusa nullam temporis notam determinatam ponunt; tametsi memorent,* μετὰ τὸ παύσασθαι τὸν διωγμόν, *id est :* postquam cessasset persecutio; *sive uti habet versio Menæorum Raderi manuscripta,* pace data Ecclesiæ, *eum ad episcopale solium fuisse evectum. Quod si referendum sit ad tempora Constantini magni, apprime cohærere poterit cum tempore mortis jam dicto. Compendium Actorum antecedentibus consonat in signandis Sancti natalibus sub Decio, uti et in ætate fere centenaria*

AUCTORE J. P.

vitæ ejus. Verum cum alibi crassis parachronismis inquinatum sit exemplar illud, sicut suo loco ostendam, juvare vix quidquam nos hic potest. Quæ cum ita sint, ponamus tanquam hypothesim saltem, Virum sanctum obiisse medio circiter seculo quarto. Quia vero non scimus, quod istud Actorum compendium sit typis vulgatum; et quia brevem rerum a Sancto gestarum summam continet, ideo illud excudimus, variis tamen locis castigatum.

Actorum compendium,

8 *Acta porro, quæ refert dictum compendium, asservata apud nos fuere inter alia plura, sub eodem involucro,* descripta, *uti in eodem notavit noster Janningus,* ex uno codice vetusto Ms. bibliothecæ Cæsareæ, de quo Lambecius tom. VIII Comment. pag. 100. Cum autem totus fere codex iste, certe major pars ejus, describenda foret, nobisque anno MDCLXXXVIII Viennæ existentibus scriptor aptus non reperiretur; speciali gratia Augustissimi Cæsaris licuit eumdem codicem conferre Antverpiam, ibique descripta hæc omnia sunt, remissusque codex Viennam. *Cæterum Acta illa hoc titulo prænotantur :* Μηνὶ Αὐγούστῳ
B θ' τοῦ ἁγίου Ἱερομάρτυρος Μύρωνος ἐπισκόπου Κρήτης. *Id est :* Mense Augusto *(die)* nona sancti hieromartyris Myronis, episcopi Cretæ. *Lambecius Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi libro 8, pag. 122 recte observat sequentia :* Competit hic titulus HIEROMARTYRIS S. Myroni voluntate tantum, non autem etiam actu. An forte igitur is, qui codicem hunc scripsit, per inadvertentiam erravit, pro Ἱεράρχου, qui titulus S. Myroni in principio ipsius narrationis recte tribuitur, perperam scribens Ἱερομάρτυρος ?

quod excudimus,

9 Similiter enim ibidem etiam hæc verba Βίος ἐν ἐπιτομῇ καὶ θαύματα, male omissa sunt, *secundum ea, quæ de eodem hoc codice et eadem narratione idem scriptor ibidem habet pag. 200, num. 44, ubi etiam noster Sanctus sine titulo* hieromartyris, *et alio insuper die refertur his verbis :* Μηνὶ Αὐγούστῳ ιζ'. Βίος ἐν ἐπιτομῇ καὶ θαύματα τοῦ ἁγίου Μύρωνος ἐπισκόπου Κρήτης. *Id est :* Epitome vitæ et miraculorum S. Myronis episcopi Cretensis. *Hæc ibi. Sed nos ad superiora redeamus.* Cæterum, *sicut præmiserat Lambecius pag. 123,* quod ad titulum HIEROMARTYRIS, *qui* S. Myroni *ibi tribuitur, attinet, improprie is ibi*
C *usurpatur, quia in ipsa illa Vita expresse legitur,* EUM OBIISSE IN PACE *(Vide eam infra num.* D
5) Voluntas igitur ibi accipitur pro actu, et significatio tituli hieromartyris latitat in his, quæ ibidem leguntur, verbis : Μαρτυρισάντων δὲ κατὰ τοὺς ἐκείνου χρόνους *etc. (quæ infra dabuntur num. 3.)* Fuit ergo S. Myron martyr eadem ratione, qua S. Anscharius primus archiepiscopus Hamburgensis; de quo successor ejus S. Rembertus in ipsius Vita, libro primo Originum mearum Hamburgensium subjuncta, scribit hoc modo *etc. Porro Lambecius Codicem prædictum ita commendat pag. 100 :* Decimus quartus codex manuscriptus historicus Græcus est membranaceus, pervetustus, elegans, et optimæ notæ in folio; sed injuria temporis aliquot foliis in fine mutilus; constatque nunc foliis trecentis ac tredecim, paginatim in binas columnas divisis, et ab Augerio Busbeckio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim fuit comparatus Constantinopoli.

parachronismis depravatum.

10 *Cæterum puncta chronologica, quæ ex personis compendio isti insertis occurrunt, temere et imperite adeo, prout supra innuebam, congesta sunt, ut nullum ex eis fixum assumere satis tuto audeam, vi cujus* S. Myronis *natales, gesta, ac* E
finem vitæ suis chronologicis notis innectere liceat. Cujus vitio id factum sit; illiusne, qui Acta Sancti in compendium primus collegerit; an alterius, qui ea deinde transcribens additionibus e suo penu promptis oscitanter ac crassa Minerva interpolarit, equidem ignoro. Sed quomodocunque id contigerit, hoc constat, misere contaminata ea esse. Etenim num. 1 sancti Viri natales ponuntur sub Decio imperatore; num. 3 ipsius ordinatio episcopalis sub Gallo; qui ambo, et unus quidem proxime post alterum, medio seculo tertio imperarunt : ibidem dicitur ista ordinatio facta a Pinyto; qui non videtur esse alius, quam Pinytus, episcopus Cnossensis, qui floruit anno Christi circiter 170, secundum ea, quæ dicam in Annotatis lit. o. *Denique eodem num. 3 narratur Sanctus noster, post martyrium Fabiani PP., Babylæ Antiocheni, Alexandri Cæsariensis, ac decem Sanctorum Cretensium, qui omnes spectant ad medium seculum tertium, vacasse ecclesiis, dum jam esset presbyter. Quæ omnia veluti ægri somnia pessime connexa quis simul combinet?* F

ACTORUM COMPENDIUM

Auctore anonymo, e codice vetusto bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis

Natales, misericordia erga pauperes

a
b c
d e

Sanctus thaumaturgus ac Christi pontifex *a* Myron in Rhaucia *b*, insulæ Cretensis *c* urbe prope Cnossum *d*, imperante Decio *e*, natales hausit, e nobilibus parentibus oriundus; omnique, Deo adspirante, in virtute enutritus, a parentibus matrimonio jungitur. Ingenti autem erga Deum desiderio accensus, una cum sua conjuge terram excolebat, et pauperibus prospiciebat e fructibus. Tanta vero erat in agris ejus ubertas frugum, ut ex frumento, vino et oleo sufficeret, quod in omnes insulæ pauperes atque indigos effunderet, neque id ad eorum duntaxat usum, sed etiam ad vectigalia, quæ ærario publico pendebantur. Fertur, dum aliquando e vase quodam vellet promere pauperibus vinum; adeo odoriferum ac copiosum illud emanasse, ut ex tanto
f miraculo Myronis *f* nomen merito inditum ei fuerit. Ad hæc, alias aurum e vase redditum esse, ac fratribus distributum.

Ὁ ἅγιος καὶ θαυματουργὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ ἱεράρχης Μύρων γεννᾶται ἐν Κρήτῃ τῇ νήσῳ ἐν Ῥαυκίᾳ τῇ πόλει πλησίον Κνωσσοῦ, ἐπὶ Δεκίου τοῦ βασιλέως, ἐξ εὐγενῶν φὺς γονέων· καὶ πάσῃ ἀρετῇ ἐνθέῳ τραφεὶς ζεύγνυται γυναικὶ παρὰ τῶν γονέων. Καὶ δὴ αὐξήσας τὸν πρὸς Θεὸν πόθον, μετὰ τῆς συμβίου αὐτοῦ ἦν ἐργαζόμενος τὴν γῆν, καὶ παρέχων τοῖς πένησιν ἐκ τῶν καρπῶν. Τοσαύτη δὲ χάρις ἦν εὐφορίας εἰς τὰς ἀρούρας αὐτοῦ, ὥστε πάντας τοὺς πένητας καὶ ἀπόρους τῆς νήσου ἐπαρκεῖν δύνασθαι ἀπό τε σίτου καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου, μὴ μόνον εἰς τὴν αὐτῶν χρείαν, ἀλλὰ καὶ εἰς τοὺς διδομένους τῷ δημοσίῳ φόρους. Φασὶ δὲ ὅτι ποτὲ βουληθεὶς παραχέσθαι οἶνον πτωχοῖς ἀπό τινος πίθου, τοσοῦτος ἐξέβλυσεν εὐώδης τε καὶ πολὺς, ὡς ἐκ τοῦ τοιούτου θαύματος εἰκότως αὐτὸν Μύρωνα προσαγορευθῆναι· ἄλλα τέ ποτε χρυσὸς ἀπὸ τοῦ πίθου ἀναδοθῆναι, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς διανεῖμαι.

II. Οὗτος

A II. Οὗτος ὁ Ὅσιος ἄρουραν εἶχεν ἐρεβίνθων, ἐν ᾗ κλέπται εἰσελθόντες καὶ ταύτην καταδηῶσαι βουληθέντες, ἀκάνθαις περιεπάρησαν. Ἄλλοτε δὴ πάλιν εἰς τὴν ἅλωνα αὐτου δώδεκα κλέπται παραγεγονότες, καὶ τοὺς σάκκους αὐτῶν ἐμπλήσαντες οὐκ ἠδυνήθησαν τούτους βαστάξαι. Ἐλθὼν τοίνυν ὁ Ὅσιος, καὶ θεασάμενος αὐτους δι᾽ὅλης νυκτὸς κοπιάσαντας, καὶ μηδὲν ἀνύσαντας, αὐτὸς μόνος ἀναβαστάξας τοὺς σάκκους, εἰς τοὺς ὤμους αὐτῶν ἀνέθηκεν, παραγγείλας αὐτοῖς, μηδενὶ μηδὲν εἰπεῖν. Ὁσάκις δέ τινος χρείαν ἔχητε, παραγίνεσθε φανερῶς, κἀγὼ ὑμῖν παρέχω. Τούτῳ ὁ Κύριος ἐχαρίσατο τὴν χάριν τῶν ἰαμάτων, καὶ ἰᾶτο τοὺς ἐν ἀσθενείᾳ· καὶ ὅπου δ᾽ἂν τὴν χεῖρα ἐπέθηκεν ἐπί τε καρπῶν καὶ ἑτέρων εἰδῶν, ἐπληθύνοντο.

III. Μαρτυρησάντων δὲ κατὰ τοὺς ἐκείνους Φλαβιανοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, καὶ Βαβυλᾶ Ἀντιοχείας καὶ Ἀλεξάνδρου Καισαρείας, καὶ τῶν ἐν Κρήτῃ Ἁγίων δέκα, καὶ ἑτέρων πολλῶν, αὐτὸς ταῖς ἐκκλησίαις ἐγόλαζεν ἤδη πρεσβύτερος ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων καταθεὶς, προτρεπόμενος πάντας εἰς τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτύριον. Δέκιου δὲ τελευτήσαντος, καὶ Γάλλου βασιλεύσαντος, ἐπαύθη ὁ διωγμὸς τῶν Χριστιανῶν, καὶ ψήφῳ παντὸς τοῦ λαοῦ χειροτονεῖται ἐπίσκοπος ἐν τῇ Κνωσ-
B σῷ ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Πινύτου ἐν τῇ Ῥαυκίᾳ· ᾧτινι καὶ μετὰ τὴν ἐπισκοπὴν τὴν τῶν θαυμάτων χάριν ὁ Κύριος περισσοτέρως ἐδωρήσατο. Δράκων γὰρ φοβερὸς, ἔχων ἔνοικον δαίμονα παλαμναῖον, ἐδείκνυεν αὐτὸν ἐκ συμπτωμάτων ἀρχαίων, καὶ κατέβλαπτε πολλούς· οὗτος ἰδὼν τὸν Ὅσιον διερχόμενον, ποταμηδὸν κατέῤῥει τὰ δάκρυα κλίνων αὐτοῦ τὴν κεφαλήν. Ὁ δὲ Ὅσιος, πρῶτον μὲν τὸν ἐμφωλεύοντα αὐτῷ δαίμονα ἀπήλασε πᾶσιν ὁρώμενον καθάπερ καπνὸν ὑπὸ πνεύματος ἐλαυνόμενον. Ἔπειτα πρὸς τὸν δράκοντα εἶπεν· Ἔξελθε καὶ σὺ ἀπὸ τῶν ὁρίων τούτων, μηδέποτέ τινι φαινόμενος, ἢ καταβλάπτων τινά. Παραυτὰ οὖν καθ᾽ ἕτερον τόπον ἑρπύσας, ἀφανὴς γέγονεν.

IV. Καταλαβούσης δέ ποτε κυριακῆς, καὶ βουλόμενος εἰς ἐπίσκεψιν ἀδελφῶν τῆς πόλεως Κνώσσου παραγενέσθαι, καὶ μή τε τῆς συνάξεως τῆς κυριακῆς ἀπολειφθῆναι, ἦλθεν ἐπὶ ποταμὸν τὸν καλούμενον Τρίτωνα, καὶ πλημμυροῦντος, ηὔξατο καὶ εἰσήει σὺν τῷ ἵππῳ αὐτοῦ, τοῦ ποταμοῦ ἀναχαιτίσαντος τὸ ῥεῖθρον ἑαυτοῦ καὶ παραχόντος πάροδον τῷ Ὁσίῳ τοῦ διαβῆναι ἀβρόχως ἅμα τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ. Ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης ὕπνωσε, καὶ ὁρᾷ τινα δεδεμένον ὀπίσω τὰς
C χεῖρας, καὶ παρακαλοῦντα αὐτὸν λῦσαι. Ὅστις διαναστὰς καὶ γνοὺς τὴν τοῦ ποταμοῦ στενοχωρίαν, ἀπέστειλε δύο τινὰς μετὰ τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, καὶ τύψαντες τὸ ὕδωρ, ἔφησαν· Λέλυσαι, ποταμὲ, πορεύου ἀβλαβῶς εἰς τὸν τόπον σου.

V. Γενόμενος δὲ περὶ τὰ ἑκατὸν ἔτη ὁ Ἅγιος ἐπιμελῶς καὶ περιφανῶς τὰς τῶν ἁγίων Μαρτύρων μνήμας ἑώρταζεν, ὑπαναγινώσκων πᾶσι τὰ ὑπομνήματα αὐτῶν καὶ πρὸς τὸν ὅμοιον ζῆλον αὐτοὺς διεγείρων, καὶ εὐχόμενος τῆς αὐτῶν μερίδος πάντας ἐπιτυχεῖν. Κατακλιθεὶς τοίνυν ἐν νόσῳ καὶ διαθέμενος τὰ ὑπολειφθέντα αὐτῷ τῆς χρείας πράγματα δοθῆναι πτωχοῖς, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο, παραδοὺς τὸ πνεῦμα τῷ Κυρίῳ, κατατεθεὶς ἐν τῷ ἰδίῳ περιβόλῳ ἐν ᾧ πλεῖσται θαυματουργίαι τελοῦνται εἰς δόξαν τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

A. Anonymo. miraculis illustrata.

2 Sanctus ille agrum habuit ciceribus consitum; quem dum fures ingressi deprædari vellent, spinis transfixi sunt. Contigit alias iterum, ut fures duodecim intrarent aream ejus; qui, postquam suos implessent saccos, non potuerunt eos tollere. Accessit itaque Sanctus, illosque per totam noctem laborantes conspicatus, nihilque promoventes, solus ipse saccos sustulit, atque humeris eorum imposuit, monens ipsos, nulli ut quidquam dicerent: quoties autem aliqua, inquiebat, re opus vobis fuerit, accedite palam; et ego vobis dabo. Hunc Deus donavit gratia sanitatum, et sanabat infirmos; et ubicunque imposuit manum sive supra fructus, sive supra alterius generis res, implebantur.

Presbyter factus excitat alios ad martyrium, g h i k l m n o p

3 Flaviano *g* autem tunc episcopo Romano, Babyla Antiocheno *h*, Alexandro Cæsariensi *i*, ac decem Sanctis Cretensibus *k*, nec non aliis multis martyrio coronatis, ipse vacavit ecclesiis, dum jam presbyter ab episcopis constitutus esset, omnesque ad martyrium pro Christo subeundum excitavit. Gallo post mortem Decii imperante *l*, cessavit Christianorum persecutio *m*, et omnium votis consecratur *n* episcopus in Cnosso a sanctissimo episcopo Pinyto *o* in Rhaucia *p*: eique post episcopatum magis contulit Dominus gratiam miraculorum. E Draco namque terribilis, qui dæmonem inquilinum habere se sanguinis avidissimum, ac multis infestum, ex antiquis ostendebat eventis; ubi Sanctum videbat prætereuntem, lacrymas ubertim profudit, caput suum inclinans. Sanctus vero dæmonem in eo latitantem primo expulit, qui videbatur ab omnibus tanquam fumus a vento exactus. Deinde, Exi et tu, inquit ad draconem, a finibus istis, nulli unquam apparens, aut damnum cuiquam inferens. Statim igitur ad alium proserpens locum, videri posthac desiit.

ac miraculis clarus q

4 Die quadam Dominica, dum ad visitandos urbis Cnossensis fratres proficisci vellet, et in solemnitate diei Dominicæ neutiquam desiderari, venit ad fluvium, cui Tritonis *q* nomen inditum. Is dum exundaret, orabat Sanctus, et cum equo suo ingressus eum est; qui cohibebat fluxum suum, et accessum Sancto præbuit, ut simul cum suis comitibus transiret siccus. Postquam vero advenisset vesper, somnum cepit; videtque aliquem, manibus F a tergo ligatis obsecrantem, ut se solveret. Qui consurgens, et fluvii angustiam noscens, duos quosdam misit virga sua instructos; percussaque aqua dixerunt: Solutus esto, fluvie, ac citra damnum vade ad locum tuum.

anno ætatis circiter centesimo migravit ad Dominum.

5 Sanctus autem, centum jam circiter annos natus, sanctorum Martyrum memoriam diligenter ac splendide celebrabat, eorumque monumenta omnibus prælegens, ad similem illos excitabat zelum, et orabat, ut omnes partem cum illis consequerentur. E morbo igitur decumbens, ac constituens, ut, quæ sibi reliqua essent, utensilia darentur pauperibus, requievit in pace, Domino spiritum tradens, ac depositus in proprio septo: ubi plurima patrantur miracula in gloriam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ipsi honor et imperium in secula. Amen.

ANNOTATA

a Pontifex, *non autem vere martyr. Vide Commentarium prævium num. 8 et 9.*

b In Rhaucia, ἐν Ῥαυκίᾳ; *corrupte Menæa magna Græcorum,* ἐν Ἀυραχῇ, In Aurace; *uti et Menologium Sirleti, de quo Commentarius noster num. 1. Agitur quippe hic de* Rhauco *vel* Rhaucia, *urbe mediterranea insulæ Cretæ: de qua Stephanus Byzantinus in Onomastico urbium alphabetico sic meminit:* Ῥαῦκος, πόλις ἐν μεσογείῳ τῆς Κρήτης. Τὸ ἐθνικὸν, Ῥαύκιος, καὶ Ῥαυκία. Rhaucus, urb

in

A. ANONYMO. in mediterranea parte Cretæ. Gentile, Rhaucius, et Rhaucia. *Hujus loci etiam mentio fit apud Cellarium in Notitia orbis antiqui lib. 2, cap. 14, pag. 824. Goltzius in Thesauro rei antiquariæ titulo* XVII, *qui regionum, populorum etc. nomina exhibet,* ΡΑΥΚΙΩΝ *meminit e numismate quodam.* D

c Creta, *una inter maximas Europæ insulas, quæ ad Græciam spectant, notissima est ex mappis geographicis. Prædictus Cellarius plurima ex variis de ea collegit pag. 814.*

d Cnossus, *nobilissima mediterraneæ Cretæ quondam urbs, a mox dicto geographo illustratur pag. 822; ubi de Jovis sepulcro, labyrintho, civitatis potentia ac bellis, usu navalis Heraclei, et Minois regia. De hac urbe Strabo lib. 10 : sed illam nunc excisam esse lego.*

e Decius *imperavit ab anno Christi 249 usque ad 251. Sanctus hic sub Decio natus; infra autem num. 3 sub Gallo, ejusdem successore, qui vivere desiit 253, consecratus quomodo dicitur episcopus?*

f *Est enim* μύρω stillo, fluo : τὸ μύρον, unguentum : ὁ μυρῶν, ὄντος, redolens.

g Flavianus, *a quibusdam Græcorum dictus, secundum nos tom. XI Januarii, die 20, pag. 252, idem est, qui Latinis* Fabianus, *et colitur ab illis dicto die. Sedit ab anno 236 ad 250.*

h Babylas, *episcopus Antiochenus et martyr, est apud nos ad diem* XXIV *Januarii, tom. XI istius mensis, pag. 569. Sedit ab anno circiter 237 ad 250, ex dictis in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum, quæ habetur ante tomum IV Julii, pag. 16.*

i Alexander, *Hierosolymorum episcopus, ac Cesareæ in Palæstina martyr anno 250, datur tom. XI Martii, die* XVIII, *pag. 614.*

k Decem Sancti Cretenses *martyres sub Decio passi signantur in Martyrologio Romano, die 23 Decembris.*

l *Hunc locum Castigavi in Commentario num. 10; et paulo ante lit.* e.

m Persecutio *sub Gallo mota fuit Romæ saltem. Apud Eusebium quippe a Valesio editum, Eccles. hist. lib. 7, cap. 1 Dionysius Alexandrinus,* Sed neque Gallus, *ait,* culpam Decii intellexit: nec prospexit, quid tandem illum pessumdedisset. Quin potius ad eumdem lapidem ante oculos suos E
B impositum impegit. Qui, cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent; viros sanctos, qui pro pace et incolumitate ipsius, preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit. *Ad hæc, cum S. Cornelius PP. a Gallo imperatore in exsilium missus, et in eodem mortuus; tum S. Lucius, ipsius successor, exsilio etiam multatus. Vide Pagium in Critica Baroniana ad annum Christi 252, num. 12, 13 et 17. Dixi, motam fuisse sub Gallo persecutionem* Romæ saltem. *Etenim modo citatus Pagius num. 18 vult,* Galli et Volusiani persecutionem localem fuisse, ac Romæ tantum excitatam; *quibus vero utatur argumentis, ibidem videre licet. Post quæ concludit, non videri persecutionem sæviisse in Oriente.*

n Consecratio *illa sub Gallo imperatore fieri haud potuit, secundum dicta in Commentario num. 10, et ea, quæ modo præmisi in Annotatis, et proxime hic sequentur.*

o Pinytus *ad diem* X *Octobris in Martyrologio Romano sic annuntiatur :* In Creta insula beati Pinyti inter episcopos nobilissimi. Hic Cnosiæ urbis episcopus sub Marco Antonino Vero, et Lucio Aurelio Commodo floruit *etc. Baronius ad annum Christi 172, ex S. Hieronymo meminit de eleganti admodum epistola, ad Dionysium Corinthiorum episcopum ab eo scripta; de qua etiam ad annum 175. Dionysius ergo ille cum claruerit anno circiter 170, sicut alibi etiam lego; quomodo componi potest cum Pinyto isto, a quo consecratus sit episcopus* S. Myron *post Decii imperatoris vitam, tempore videlicet Galli, successoris ejus? Quomodo cum Fabiano et aliis, ad medium seculi tertii æræ vulgaris spectantibus? Vide Commentarium num. 10. Suspicor autem, hunc Pinytum Martyrologii Romani esse eumdem cum eo, qui notatur superius in textu Compendii Actorum, quod castigamus.*

p *Sensum hunc æquivocum et obscurum ita intelligo, ut velit dicere auctor, quod* Pinytus *fuerit*
C *episcopus* Cnossensis, Myron *autem* Rhauciensis. *Sic etiam intellexerit eum Lambecius supra citatus; quia pag. 200 hæc habet :* Epitome vitæ et miraculorum S. Myronis episcopi Rhauci seu Rhauciæ urbis in insula Creta. *Atque hoc sensu, quia hæc urbs est in Creta, Sanctus noster dici utcunque posset* episcopus Cretæ; *qualis vocatur in Commentario nostro supra num. 1 et 8; nec non in titulo apographi nostri Vaticani, de quo ibid. num. 3.* F

q Tritonis *nomine vocatas paludes enumerat Ortelius in Thesauro geographico in voce* Triton. *De hoc fluvio etiam meminit Diodorus Siculus lib. 5.*

DE S. MARINO SENE MART.

ANAZARBI IN CILICIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Patria; publica apud Latinos ac Græcos veneratio; elogia; tempus martyrii, Acta.

SUB DIOCLETIANO. *Patria Sancti,*

Anazarbus, *vel, uti est apud Stephanum Byzantium De urbibus,* Ἀναζαρβά, Anazarba, *mediterraneæ Ciliciæ campestris ad Pyramum fluvium urbs,* sic vocata, *teste eodem auctore,* a præposito vel ab Anazarba conditore. *Ex Joanne Moscho apud Rosweydum in Vitis Patrum lib. 10, cap. 51, pag. 876, uti et e concilio Chalcedonensi actione 1 apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 79 habemus, quod fuerit metropolis Ciliciæ secundæ. Julianum Anazarbenum dedimus jam*

A *jam pridem in Opere nostro ad diem* XVI *Martii, tom. XI ejusdem mensis, pag. 421. Nunc autem damus* S. Marinum *hodiernum, ex laudata urbe oriundum. Plura de ea geographi; quos inter Cellarius in Notitia orbis antiqui tom. II, pag. 154. De patria hæc sufficiant. Addo ista de cultu.*

cultus ex Martyrologio Romano, ac Fastis Græcis;

2 *Martyrologium Romanum sic memorat :* Anazarbi in Cilicia sancti Marini senis, qui sub Diocletiano imperatore, et Lysia præside flagris cæsus, in ligno suspensus ac laniatus, feris tandem objectus interiit. *Præcesserant Græci : agunt enim de eo Menologium Cardinalis Sirleti, Synaxarium Basilianum, codex Taurinensis, ac nostrum Supplementum Sirmondo-Chiffletianum ad Menæa excusa; quæ hoc quidem die de eo nihil; die autem* XVIII *Octobris in illis breviter signatur* Memoria sancti martyris Marini senis, *quam sequitur hoc distichon :*

Γέρων Μαρῖνος ἐξελέγχει γραῦν πλάνην
Τόλμη νεάζων, καὶ τελειοῦται ξίφει.
Veterem arguens Marinus errorem senex,
Juvenescit ausis, enseque amittit caput.

Vetulam videlicet idolatriam reprehendit Mari- B nus *non tanquam imbellis senex, sed instar vegeti juvenis etc. Ex caracteribus adjunctis hic satis clare designatur Martyr noster hodiernus; an idem ille occurrat die dicta* XVIII *Octobris in Menologio Sirleti, quod suspicor, an alius; ex confusa hac annuntiatione* Commemoratio sancti Marini, *haud satis perspicue liquet.*

elogia :

3 *Inter alia elogia, quibus sanctus laudatur, Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, hæc habet, quæ ex textu Græco ad calcem tomi I hujus mensis excuso sic verto* Sanctus hic martyr Marinus, imperante Diocletiano, ex urbe Anazarbensi fuit. Dum autem Christianus esset, multosque ex infidelibus Christo aggregaret ac baptizaret, præsidi Lysiæ indicatur : vinctusque et adstans coram ipso, ac Christum confessus, graviter cæsus est, ac ponderosis ferreis vinculis oneratus, in custodiam injectus. Postera vero die interrogationi subjectus, Christumque abnegare coactus, ac sacrificare idolis, cum eo adduci non posset, pedibus in ligno suspensus, ac flagris percussus, deinde autem lampadibus adustus est; dumque ad extremum usque spiritum in C Christi confessione perseveraret, gladii sententia mulctabatur, atque extra civitatem pertracti sacrum ejus caput amputatum est; corpus autem ipsius projectum canibus in cibum, a quodam Xantio pie sepulcro traditum est. *Menologium Sirleti de sepultura sic loquitur :* Corpus canibus et feris projectum Xanthias et Sapritius collectum sepelierunt extra urbem Anazarbum, in agro Randano. *Codex autem Taurinensis a hæc docet :* Κατέκειται τὸ τίμιον αὐτοῦ λείψανον ἔξωθεν τῆς αὐτῆς πόλεως εἰς κτῆμα τὸ ἐπίκλην Λάραν δραμῶν ἀπὸ μιλίων ἕξ. Jacet venerabile ejus corpus extra eamdem *(Anazarbensem)* urbem, in possessione, *quæ cognomen habet* Λάραν δραμῶν, spatio milliarium sex.

AUCTORE J. P.

ac variæ eorum lectiones, tempus vitæ.

4 *In elogio nostri Athletæ, quod est in nostro dicto Supplemento dicitur* 1° Προαχθεὶς τῷ ἡγεμόνι ἐν Ταρσῷ perductus ad præsidem in Tarso. 2° Εἰς δευτέραν ἐξέτασιν ἀχθεὶς : ad secundam interrogationem ductus. 3° *Post pedum suspensionem,* τέμνεται τὸ σῶμα τοῖς ξίφεσι, καὶ πῦρ κατὰ τῆς τμηθέντων μελῶν δέχεται. *Id est,* Corpus gladiis scinditur, et ignis abscissis membris ejus applicatur *Baronius de Martyrio ejus breviter meminit tom. II Annal. eccl. ad annum 285, num. 14. Castellanus fere consonat Baronio, dum ad textum* E *sui Martyrologii universalis apponit in margine annum circiter 289. Nos Martyrum sub Diocletiano signavimus, Acta secuti; e quibus quænam ex rebus modo præmissis confirmentur aut illustrentur, singillatim non ostendimus; cum ea, utpote brevissima, levi negotio de illis consuli possint.*

Acta.

5 *Descripta porro illa sunt e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ; de quo Lambecius in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib. 8, pag. 400, num.* XIV *hæc docet :* Decimus quartus codex manuscriptus historicus Græcus est membranaceus pervetustus, elegans, et optimæ notæ in folio; sed injuria temporis aliquot foliis in fine mutilus : constatque nunc foliis trecentis ac tredecim, paginatim in binas columnas divisis, et ab Augerio, Busbeckio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim fuit comparatus Constantinopoli. *De Martyrio autem* S. Marini *nostri, quod ex apographo nostro, hic et illic a nobis in levioribus correcto, typis committimus, agit laudatus auctor pag. 421. Placet sua brevitate narratio præter morem Græcis usitatum, qui argumenti ornatum potius, quam sinceram in referendis Martyrum gestis historiæ expositionem affectare soliti, dum eam* F *comere ac polire episodiis gestiunt, quæsita nimium verbositate non raro corrumpunt.*

ACTA

Auctore anonymo

E Codice Ms. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

Ὁ ἅγιος μάρτυς Μαρῖνος ὁ γέρων ἦν ἐπὶ Διοκλετιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἡγεμονεύοντος τῆς τῶν Κιλικίων χώρας Λυσίου· ὑπῆρχε δὲ ἐκ τῆς Ἀναζαρβαίων μετροπόλεως. Οὗτος κρατηθεὶς καὶ προσαχθεὶς τῷ ἡγεμόνι ὄντι ἐν Ταρσῷ, ἐπερωτηθεὶς, ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι, καὶ δοῦλον τοῦ Χριστοῦ ὑπάρχειν. Τοῦ οὖν Λυσίου παρακελευομένου αὐτῷ θῦσαι, καὶ ὑποχομένου τὰς ἐκ τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς λήψεσθαι, ὁ ἅγιος Μαρῖνος εἶπεν· Τὰς τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς καὶ τὴν σὴν φιλίαν, προσκαίρους οὔσας, ἐκτρέπομαι· τὴν δὲ περὶ τὸν Χριστόν μου καὶ σωτῆρά μου γινώσκω ἐλπίδα· τοῖς γαρ προσερχομένοις αὐτῷ ζωὴν αἰώνιον μένειν. Ταύτης ἐρῶ, ταύτης ἐφίεμαι· εἰδώλοις δὲ οὐ θύω, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων τυγχάνουσι. Καὶ ὁ Λυσίας φησί· Τὴν

Sanctus a Lysia præfecto cum blanditiis

Sanctus martyr Marinus senex tempore Diocletiani imperatoris vixit, Lysia Ciliciæ provinciam moderante. Natales hausit e metropoli Anazarbæorum *a*. Hic comprehensus, ad præsidem, qui erat Tarsi *b*, adductus, atque interrogatus, Christianum se ac servum Christi esse confessus est. Dum itaque Lysias juberet ipsum sacrificare, et honores ab imperatoribus accepturum promitteret; S. Marinus dixit : Imperatorum honores, et amicitiam tuam aversor, fluxa utique et caduca; spem vero, quæ est in Christo ac servatore meo, novi; vitam quippe æternam manere eos, qui accedunt ad ipsum : hanc amo, hanc appeto; idolis autem non sacrifico :

a
b

A. ANONYMO.

co : Opera enim sunt manuum hominum. Cui Lysias : Canitiem tuam honorans et senectutem venerans, injuriarum conciliator sum apud Deos. Ac pœnas ei minatus est, si non sacrificaret. Dixit Martyr : Qui Christum desiderat, non cedit minis, non succumbit gladio. Unde tormenta tua contemno, Christum indutus.

tum tormentis ad idolorum cultum frustra compulsus,

2 Et Lysias, Clementia, inquit, fori judicialis non sufficit ad frugem Senis. Quamobrem ipsius jussu, pallio Martyrem exuerunt, humique extensum virgis virentibus sanctum Senem ceciderunt ; ac deinde, ferramentis gravibus ei circumpositis, in carcere concluserunt. Postero autem die abducitur, ut interrogetur. Aitque Lysias : Dic mihi, o Senex, qui vitæ cursum consummasti, atque ad mortis portas pervenisti, persuasumne tibi est sacrificare ; an in animæ tuæ contumacia etiamnum perduras ? Cui Martyr : Ego fide Christi roboratus, dæmonibus haud sacrificio ; sed honoro Deum, qui fecit cœlum et terram : qui ex nihilo cuncta produxit : cujus providentiæ suaviter

B ac multis modis subjacent ea, quæ ab ipso ordinata sunt. Tum præses, Flecti, ait, nescius mandatis nostris Senex hic coram nobis adstat. Et ipsius e pedibus imis in ligno suspensi corpus gladiis secari jussit.

tandem capite plectitur,

3 Sanctus vero, dum secaretur, dixit : Vide, Domine, adjuva, ac dona patientiam Athletæ tuo, ut culpæ expers consummem cursum hujus certaminis, Ubi autem rursus cogeretur sacrificare, dixit : Domine, qui mearum flammam cupiditatum a juventute exstinxisti ; qui hujus me gratiæ accessu dignatus es ; ne me nunc a satana decipi sinas. Jussitque Lysias gladiorum sectionibus admoveri flammam ignis, ut gravius ei cruciatuum inferret tormentum. Et in omnibus confusus homo nefarius, ensis sententia ipsum mulctavit. Urbe ergo egressi sanctum ejus caput amputarunt, corpusque ipsius postquam canibus ac feris devorandum projecissent, illud, sicut erant jussi a præfecto, custodierunt, ne a Christianis subduceretur, et Pugil ab ipsis coleretur tanquam martyr.

C

et decenter a Christianis sepelitur.

4 Sanctus vero Xanthias ac Sapricius orantes ac non procul inde degentes (aliquot post dies fulgetris, tonitruis, atque imbribus horrendis nocte media exortis, nec non custodibus ob signa e cœlo ostensa aufugientibus) occasionem captarunt, magnoque cum timore potuerunt surripere sacrum corpus incorruptum : et in propriam urbem cum festinatione abduxerunt ; Sanctumque omni cum diligentia decenter coopertum imposuerunt speluncæ, quæ adjacet imæ parti montis : et ibi manentes, una cum ipso certamen perfecerunt, dignique sunt habiti apud ipsum sepeliri, pulchram pro Deo confessionem adimplentes, nec non præmia victoriæ a Servatore reportantes in loco, qui vocatur Rhadamnus, sex quasi milliaribus extra urbem Anazarbenam : in qua celebratur Pater, honoratur Filius, et magnificatur sanctissimus Spiritus : cui gloria, et potestas in secula seculorum.

πολίαν σου τιμῶν καὶ τὸ γῆρας αἰδούμενος, πρόξενος ὕβ- D
ρεων γέγονα τοῖς Θεοῖς· καὶ κολάζειν αὐτὸν ἀπειλήσας, εἰ μὴ θύσῃ. Ὁ μάρτυς εἶπεν· Ὁ περὶ τὸν Χριστὸν πόθος οὐκ ἀπειλαῖς ἐνδίδωσιν, οὐ ξίφει ὑπείκει· ὅθεν καταφρονῶ σου τῶν βασάνων Χριστὸν ἐνδεδυμένος.

II. Καὶ ὁ Λυσίας εἶπεν· Τὸ τοῦ δικαστηρίου ἀνεξίκακον οὐχ ἱκανὸν πρὸς πειθὼ καταστῆσαι Γέροντα. Καὶ προστάξαντος, ἀφελόμενοι αὐτοῦ τὸ παλλίον, κατὰ γῆν τε ἁπλώσαντες, ῥάβδοις χλωροῖς ἔτυπτον τὸν ἅγιον Γέροντα, καὶ μετὰ τοῦτο σίδηρα βαρέα περιθέντες αὐτῷ κατέκλεισαν ἐν τῇ εἱρκτῇ. Καὶ τῇ ἑξῆς ἄγεται εἰς ἐρώτησιν. Καὶ φησιν ὁ Λυσίας· Λέγε μοι, ὦ Γέρον, ὁ τὸν τοῦ βίου δρόμον καταναλώσας, καὶ πρὸς θανάτου πύλας ἐλάσας, ἔπεισας σαυτῷ θῦσαι ἢ τῇ τῆς ψυχῆς σου ἔτι ἐπιμένεις ἀπειθείᾳ ; Ὁ Ἅγιος εἶπεν· Ἐγὼ τῇ τοῦ Χριστοῦ στομούμενος πίστει, δαίμοσιν οὐ θύω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν Θεὸν τὸν ποιήσαντα γῆν, ὃς ἐκ μὴ ὄντων τὰ πάντα παρήγαγεν, ὅυτινος τῇ προνοίᾳ φιλανθρώπως καὶ πολυτρόπως διακεῖται τὰ προσταχθέντα παρ' αὐτοῦ. Καὶ ὁ ἡγεμὼν ἔφη· Ἀκαμπὴς ἡμῖν οὗτος ὁ Γέρων περὶ τὰ προσταχθέντα καθέστηκεν. Καὶ ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐξ ἄκρων ποδῶν ἐπὶ ξύλου ἐναρτηθέντα τέμνεσθαι αὐτοῦ τὸ σῶμα τοῖς ξίφεσιν. E

III. Ὁ δὲ Ἅγιος τεμνόμενος ἔλεγεν· Ἴδε, Κύριε, καὶ βοήθει, καὶ χάρισαι τὴν ὑπομονὴν τῷ σῷ ἀθλήτῃ, ἵνα ἀμέμπτως τελέσω τὸν δρόμον τῆς ἀθλήσεως. Καὶ πάλιν ἀναγκασθεὶς τοῦ θῦσαι εἶπεν· Κύριε, ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν μου τὴν φλόγα ἐκ νεότητος κατασβέσας, ὁ ἀξιώσας με ἐλθεῖν εἰς τὴν χάριν ταύτην, μὴ ἐάσῃς με νῦν ὑπὸ τοῦ σατανᾶ πλανηθῆναι. Καὶ ὁ Λυσιὰς ἐκέλευσε πυρὸς φλόγα ταῖς τῶν ξιφῶν τομαῖς προστεθῆναι, ὅπως βαρυτέραν αὐτῷ τῶν ἀλγηδόνων ποιήσῃ τὴν Βάσανον. Καὶ ἐν πᾶσι καταισχυνθεὶς ὁ παράνομος, ἔδωκεν αὐτῷ τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν. Καὶ ἐξελθόντες ἔξω τῆς πόλεως τὴν ἁγίαν αὐτοῦ ἀπέτεμον κεφαλὴν, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ῥίψαντες κυσὶ καὶ θηρίοις βορὰν, καθὼς προσετάχθησαν ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος, παρεφύλαττον αὐτὸ, ἵνα μὴ κλαπῇ ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν, καὶ προσκυνῆται ὑπ' αὐτῶν ὡς μάρτυς.

IV. Οἱ δὲ περὶ τὸν ἅγιον Ξανθίαν καὶ Σαπρίκιον προσευξάμενοι καὶ παραμείναντες (μετά τινας ἡμέρας μέσης νυκτὸς ἀστραπῶν καὶ βροντῶν καὶ ὑετῶν ῥαγδαίων γεγονότων, καὶ τῶν φυλαττόντων ἀποδρασάντων διὰ τὰ ἐξ οὐρανῶν σημεῖα) καιροῦ λαβόμενοι, μετὰ δέους πολλοῦ ἠδυνήθησαν ἁρπάσαι τὸ σῶμα τὸ ἅγιον ἄφθορον· καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν πόλιν μετὰ σπουδῆς ἀπήγαγον, καὶ περιστείλαντες τὸν Ἅγιον μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἔθεντο ἐν τῷ σπηλαίῳ, τῷ πλησιάζοντι τῷ τοῦ ὄρους προπόδι, καὶ παραμείναντες τὴν σὴν αὐτῷ ἄθλησιν ἐξετέλεσαν, καὶ μετ' αὐτοῦ τεθῆναι κατηξιώθησαν, τὴν καλὴν πρὸς τὸν Θεὸν ὁμολογίαν πληρώσαντες, καὶ τὰ βραβεῖα τῆς νίκης παρὰ τοῦ Σωτῆρος κομισάμενοι ἐν τόπῳ καλουμένῳ Ῥαδάμνῳ ὡς ἀπὸ μιλίων ἓξ ἔξωθεν τῆς πόλεως Ἀναζάρβου, ἐν ᾧ δοξάζεται Πατὴρ, καὶ τιμᾶται Υἱὸς, καὶ μεγαλύνεται τὸ πανάγιον Πνεῦμα, ᾧ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. F

ANNOTATA.

a *De ea Commentarius noster num.* I.

b *Tarsus, Ciliciæ urbs, Doctoris gentium patria, abest ab ora maris Cilicii aliquot passuum millibus, quam ab Anazarbo 80 plus minus lego distare. In Geographia sacra Caroli a S. Paulo, anno 1704 edita, pag- 288 notatur metropolis Ciliciæ primæ. Cydnus amnis mediam urbem interfluit. Apud Strabonem lib. 14, pag. 673 editionis Parisiciensis anni 1620 sic ea laudatur :* Tantum autem Tarsensibus studium rerum philosophicarum, et disciplinarum, quas encyclicas dicunt Tarsenses, incessit, ut superaverit Athenas, Alexandriam, et si quis alius nominari potest locus, ubi philoso-

phorum

A phorum et artium ad humanitatem pertinentium scholæ haberentur. Id interest, quod Tarsi qui studia ista colunt, fere sunt indigenæ; peregrini non facile eo ventitant. At indigenæ domi non desident, sed ut perfectionem consequantur, peregre abeunt; perfectique libenter in alienis versantur locis, domum redeunt pauci *etc. Plura ibidem invenies.* D

DE S. SEVERO PRESB. CONF.

VIENNÆ IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Cultus, patria, ætas et gesta.

Sec. V. Indus Viennæ apostolus

Raro sane exemplo, fidei apud se prædicatorem hoc die nobis annuntiat Vienna Galliæ S. Severum *natione* Indum *qui seculo* V *urbem illam mire illus-* B *traverit, non Episcopus, ut male in Catalogo suo retulit Petrus Equilinus, sed presbyter duntaxat, ut monumenta Viennensia disertissime testantur. Virum laudat Ado in Chronico ætate sexta ad annum* CDLII, *his verbis :* Eo tempore Severus presbyter, natione Indus, vir miraculis clarissimus, destructo idolorum templo, ubi error gentilis centum Deos cultura insanissima adorabat, ecclesiam Beatissimi Stephani proto-martyris, ut consecraretur, pro foribus Viennæ parabat. Sed cum diu reditum beatissimi Germani sustineret, quia idem pergens, ad dedicationem domus se dixerat venturum, contigit ut die ejusdem dedicationis, antequam officia inchoarentur, beatissimum episcopi Germani corpus per Viennam deportatum, in eamdem ecclesiam ipsam novam repausandi gratia perveheretur, sicque Viri Dei promissum impletur. *Parachronismum prætereo quo S. Isicii vel Izichii tempora male cum* S. Severo *ibidem connectuntur.*

ab Adone et cæteris signatus;

2 *Lectorem hic moneo, notandum singulariter annum illum adventus corporis S. Germani, seu potius ejus obitus epocham, ex qua errores varii scriptorum Viennensium omnino corrigendi sunt,* C *ut jam patebit ubi de* S. Severi *ætate statuendum erit. Prius audiamus Adonem, ipsum in suo Martyrologio ita celebrantem :* Apud Viennam, Galliæ urbem, natalis S. Severi presbyteri et confessoris : qui, ut ejus gesta testantur, natione Indus, fide Christi fervens, causa Evangelii prædicandi, laboriosissima peregrinatione suscepta, etiam ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo et miraculis ad fidem Christi convertit, dumque in pace quievisset, conditus in basilica S. Stephani, signis clarus mira fidelium veneratione colitur. *Hinc de more in Usuardum transiit totamque ejus progeniem. unde et in hodiernum Martyrologium Romanum, cum hac sola differentia, quod dubitasse videatur Usuardus, utrum Sanctus, quo de agimus, vere Indus genere fuerit.*

notanter a Lievræo,

3 *Ex ejus textu rem intelliges, sic enim legit :* Apud Viennam Galliæ urbem, sancti Severi presbyteri et confessoris, qui ut ejus gesta testantur, causa Evangelii prædicandi laboriosam peregrinationem suscepit, et ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo et miraculis ad fidem Christi convertit. *Vidit hoc, opinor, Baronius, atque ad primigeniam phrasim recurrens apertius expressit :* Viennæ in Gallia, sancti Severi presbyteri et confessoris, qui ex India Evangelii prædicandi causa laboriosam *etc. Antiquissima, ni fallor, annuntiatio est ipsius Viennensis ecclesiæ apud Le Lièvre pag. 128 :* VI Idus Augusti. Apud Viennam Galliæ urbem, natale S. Severi presbyteri et confessoris ; qui, ut ejus gesta testantur, natione Indus, fide Christi fervens, causa Evangelii prædicandi, laboriosissima peregrinatione suscepta, etiam ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem, verbo et miraculis ad fidem Christi convertit. Cumque in pace quievisset, conditus in basilica S. Stephani, signis clarus, mira fidelium veneratione colitur. E

a quo et ejus epitaphium.

4 *Hæc ita rem explicant confirmantque, ut pluribus Martyrologiis hic citandis supersedendum censuerim, omissa quoque elegantiori Martyrologi Gallicani oratione, ut quæ in omnium manibus versetur. Huc magis spectat Sancti ipsius epitaphium, cujus veram ætatem non facile quis exploret. Refertur a laudato scriptore Viennensi Lievræo pag. 127 :*

Occubat hoc tumulo speciosus mente Severus
Qui quondam hoc templum funditus instituit.
Nec solum hanc ædem, sed cætera tecta sacravit,
Plurima constituit vinctus amore Dei.
Divina sic fretus ope, quod semper ubique
Quo posuit dextra, aura metalla tulit.
Sed quid plura loquar ? laudetur gratia Christi,
Qua sic in cunctis viget ubique bonis.
Exsulibus qui dona suis largitur operta,
Et peregrinis olim condita distribuit. F
Obiit VI Idus Aug. an. CDXXX.

Errores Chronologici

5 *Cum Sancti Actis non male consonant quæ hic poeta utcunque cecinit. Displicet notatus obitus annus* CDXXX, *quod mirum est, non observasse Lievræum qui in eodem suo opere pag. 12 scripserat, templum centum deorum eo loci olim exstitisse, ubi modo conspicitur* ecclesia à S. Severo ædificata anno circiter CDXLV. *Neque id tamen satis apposite, nam cum in gestis legatur S. Germani ep. Autissiodorensis sacrum corpus Viennam delatum fuisse dum de ecclesia dedicanda ageretur, Sanctus autem ille an.* CDXLVIII *primum vivendi finem fecerit, rectius sane diceretur, templum istud paulo serius ad finem perductum; id vero apertissimæ falsitatis arguitur,* S. Severum *obiisse anno* CDXXX. *At enim justos calculos chronologicos hic exigere frustra quis tentaverit, fatente nupero Viennensis ecclesiæ illustratore D. de Maupertuy, Viennenses historicos ad scopulos chronologicos passim allisisse; quemadmodum et hic manifestus est quod cum Adone velint omnes sub S. Isichio episcopo, sanctum* Severum *Viennam appulisse, cum constet aliunde, viginti illum et*

amplius

AUCTORE J. B. S.

amplius annis S. Severo *posteriorem esse, ut in hoc opere nostro non semel probatum invenies; recentissime ad Acta S. Germani tom. VII Julii pag. 262 in Annotatis.*

plures corriguntur

6 *Inter varias exerrantes notas chronologicas unicam certam invenies, quod, admissa ut vera historia de adventu corporis S. Germani Viennam, ejusque delatione ad templum S. Stephani recens ædificatum dedicandumque, id contigisse omnino debuerit anno ipso quo S. Germanus Ravennæ obiit, nempe* CDXLVIII; *ut tunc cum maxime Viennæ celebrem fuisse oporteat* S. Severum, *quem eo pervenisse circa annum* CDXXX *(qui pro obituali perperam signatus fuerit) satis verosimile est, vitamque produxisse ad tres vel quatuor annos post dicti templi consecrationem; quo fiet ut hic saltem admitti possit Adonis calculus, quod anno circiter* CDLII *ad laborum præmium evocatus fuerit* S. Severus, *in eadem ecclesia S. Stephani sepultus quam ipse fundaverat, ut ex brevi ejus Vita mox intelliges. Brevi, inquam, atque ex ipso Viennensi Breviario, anno* MDXXII *excuso desumpta, omissis quatuor aliis Mss. multo longioribus, pro* B *captu et arbitrio describentium exornatis, ex quibus nec hilum extuderis quod ad rem illustrandam vel minimum conducat.*

etiam ex Vita.

7 *Quin imo in brevi licet Vitæ compendio bini admiscentur articuli qui cum genuinis S. Germani Actis conciliari omnino nequeunt. Primus quidem quo dicitur* S. Severus toto biennio præstolatus *S. Germani adventum seu potius promissum reditum ex Italia. Quod quam falsum sit, inde datur intelligi, quod eodem ipso anno inde reductus sit mortuus quo Armoricanorum gratia eo perrexerat. Alter error est, quod velit, præsente ejusdem S. Germani corpore, peractam dictæ jam non semel ecclesiæ S. Stephani dedicationem* die Dominico illucescente VII Kalendas Junii *seu* XXVI *Maii; ubi interim certissimum est, dictum S. Germanum non obiisse ante* XXXI *Julii, atque eodem ipso anno, quo mortuus est, Autissiodorum relatum fuisse. Quæ rursum probant, quod superius insinuatum est, scriptores Viennenses chronologicos calculos aut ignorasse penitus, aut saltem imperitissime combinasse. En modo ad verbum lau-* C *datas supra lectiones, pro ut in Breviario relatæ et excusæ sunt.*

VITA

Ex Breviario Viennensi anni MDXXII.

Ex Inda Viennam appulsus,

LECT. I. Igitur beatus Severus, natione Indus, parentum genere clarus, mundana facultate non modicus, in fide tamen Christi perfectus. Qui cum amborum parentum morte parvulsus derelictus, omnia quæ sibi a parentibus fuerant derelicta, pauperibus credidit eroganda. Inviolabili cursu peracto, ad presbyterii locum accessit sublimatus. Qui cum, peregrinatione suscepta, ac tantis terrarum marisque spatiis transmeatis, Viennam maximam Galliarum urbem pervenisset, ad locum quemdam, cui Vogaria nomen est, priusquam ad urbem accederet, pausandi gratia aliquantum temporis requievit.

LECT. II. Qui eodem in loco, succisa arbore fanatica, subterraneaque pecunia, Domino largiente, reperta, basilicam in honore S. Albani D fabricavit. His rite peractis, et gentilibus illius loci baptizatis, ad præfatæ urbis mœnia pervenit. Perambulans totius civitatis spatia, ad eum, ponte transmisso, pervenit illico locum, ubi templum erat, cui præ multitudine idolorum, centum deorum nomen conditor vetustus imposuit, quod Jairæ supereminet flumini, eminusque vicinum ponitur civitati.

reperto thesauro basilicam fabricat:

LECT. III. Templo illo, cum simulacris idolorum, virtute divina, ad petitionem Sancti subito ad solum prostrato, maximaque multitudine paganorum, ipso auxiliante, ad agnitionem plenissimæ veritatis perducta, cœpit cum plebe devota, in honorem beati Stephani, in eo, qui prius idolorum fuerat locus, fundamentum fodere, et orationis futuræ machinam collocare: cumque terræ maximam partem egererent, subito vas argenteum, plenum probatissimis solidis repositum invenerunt; quod ad sacrosancti altaris Viennensis ecclesiæ ministerium, usque in hodiernum diem noscitur deservire. E

everso fano aliam ædificat.

LECT. IV. Cum beatus Severus opus cœptum divinæ virtutis instantia fabricaret, contigit beatissimum Germanum, Autissiodorensis civitatis episcopum, dum Romam properaret, Viennam urbem attingere. Cumque ad locum operis prædicti accederet, casu contigit, venerabiles viros Germanum episcopum et Severum presbyterum sibi invicem obviare; et ita se propriis noscuntur salutasse nominibus, ac si notitiam pristinæ cognitionis longinqui temporis habuissent.

Illac transiens S. Germanus

LECT. V. Hic igitur sancti Viri oratione completa, beatus Germanus opus cœptum a beato Severo congaudens, eum sic alloquitur: Rogo, inquit, frater, ut hujus templi spectabile votum, nostræ parvitatis tantum præstolari digneris adventum, ut cujus in præsentia ædificii machinam admiramur, in ejus consecratione, per benedictionis cumulum, uterque lætemur. Annuente S. Severo, et sibimet valedicentibus invicem, beatus Germanus iter cœptum arripuit.

spondet se consecrationi ad futurum,

LECT. VI. Cumque beatus Severus opus inchoatum celeritate, qua poterat, expedisset, transacto perinde biennio, sancti Germani præstolabatur eventus *. Victus tamen plurimorum fidelium devotione, ne dedicatio exspectata differretur, ad beatum Ysicium, ejusdem civitatis episcopum acceditur, et quæ erant huic operi necessaria præparantur. Contigit ut nullus cereus applicato igne posset accendi Mirantur omnes, et hæc per ordinem beato Ysicio intimantur. Cumque iterum ad ipsius solemnatis peragenda mysteria dies illucesceret statuta; dum undique omnes ad sanctam ecclesiam procederent, subito præ foribus civitatis corpus adesse S. Germani beato Severo denuntiant. Namque die illucescente Dominico, in septimo mensis Junii Kalendarum, et sanctum B. Germani advenit corpusculum, et venerabiles reliquiæ S. Stephani sunt conditæ cum honore psallentium.

sed adfertur demortui corpus. F

* *lege* adventum

LECT. VII. *Consummatis igitur duobus in honore Sanctorum sacratissimis locis, tertium beatus Severus ædificare rursus aggreditur locum. Medio* igitur qui quatuor montibus ponitur colle, qui subjectæ imminet civitati, reperit etiam ibi, largiente Domino, sicuti fecerat prius, auri non modicum numerum solidorum; quod cum sustulisset, opus cœptum ædificavit, et ibidem veneranda patrocinia beati Laurentii martyris cum honore debito collocavit.

Tertiam item exstruit,

LECT. VIII. Igitur cum beatus Severus severissime

Sanctissime moritur.

rissime corpus suum diversis abstinentiæ modis afficeret, et luctantem animam contra spiritalis nequitiæ jacula præpararet, decrevit fundamenta Domini in montibus sanctis et planis posita locis assidue circuire, ibique sine intermissione, Domino sacrificium laudis offerre. Hoc divini muneris opus cunctis diebus vitæ suæ peragens, virtutibus plenus in Domino quievit. Accidit enim ut quadam nocte dum iter de Vogeria loco ad civitatem ageret, semivivum jacentem media in via invenisset, ipsum compellans, nullum in eo viventis sonum audisset, intellexit, non humana illum sed dæmonum cæde mulctatum fuisse.

Lect. ix. Quem continuo oratione ad Deum fusa, signoque crucis impresso, in ipsius adhuc noctis crepusculo incolumem reddidit. Et mox ut exercitus meridiani dæmonii nequitiam didicit hæc fecisse, eos Sancto succensus Spiritu, perpeti cursu, consequitur consecutisque stare jubet immobiles. Cumque jam relaxari dæmonia precarentur, ad ejus imperium omnis illa dæmonum pompa, velut fumus recessit. Sic interventu beatissimi Viri, et homo vexatus sanitati pristinæ redditur, et præfatum, ut diximus, iter a periculo dæmonum liberatur. Multas etiam alias per venerabilem Virum, admirabiles atque præcipuas virtutum gratias, divina ex fide petentibus, est pietas operata, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, laus et potestas in secula seculorum. Amen.

Fugata prius dæmonum turba.

DE S. THEODORO SEU THEODOSIO HEGUMENO CONF.

Cultus apud Græcos.

J. P.

Die VIII Augusti. Cultus, elogium.

Nomen hujus Sancti duplici modo, quo eum expressi in titulo, efformatur. *De cultu ejus publico apud Græcos, constat ex Menologio Sirletiano, Menæo Chiffletii Menæis magnis Græcorum impressis, ac Synaxario ex Menologio sub nomine Basilii imperatoris toties a nobis citato; cujus e textu Græco, ad calcem tomi I hujus mensis Augusti excuso, sequens elogium profero :* Memoria S. P. N. Theodosii. Sanctus pater noster Theodosius a teneris unguiculis Christi præcepto obediens, quod dicit : Qui non reliquerit patrem et matrem, et fratres ac sorores, et agros ac domum, et non tulerit crucem suam, et sequitur post me ; non potest meus esse discipulus; reliquit omnia, et sublata in humeros cruce sua, secutus est eum alacri animo, ac monachus factus, elongavit fugiens in solitudine. Nunc quidem degebat in montibus, nunc vero in speluncis vitam instituebat, ac nutriebatur ex arborum fructibus, herbisque, quæ petris adnascebantur, noctu atque interdiu Deum obsecrans pro sua mundique salute. Sic vitam instituens, miraculorum etiam gratiam accepit ; multisque infirmis sanitati restitutis, gaudens emigravit ad Dominum.

Officium hegumeni.

2 *In Menologio Sirletiano sub* Præpositi Oroborum ; *in Menæis autem magnis sub* hegumeni Oroborum *titulo annuntiatur. Pro* Theodosio *utrumque exemplar scribit* Theodorus ; *quibus adde nostrum Menæi Chiffletiani apographum. Porro locus seu monasterium* Oroborum, *Græce* Ὀρόβων, *incomperta mihi hactenus sunt. Est autem nomen appellativum* ὄροβος, *Latine* ervum, *quod significat herbam quamdam; de qua vide Lexica. In Prætermissis ad diem* XXVI *Junii, occasione S. Theodori encæniorum templi in Rhesio, dictum fuit, nos Theodorum a Martyribus et Studita diversum nullum novisse, nisi cum qui* τῶν Ὀρόβων, *id est* Margaritorum *hegumenus colitur hoc die* VIII *Augusti. De hac voce meminit Cangius in Glossario Græco-barbaro. An vero nominis prædicti derivatio ab herba ista, an potius a margaritorum etymo proveniat, liberum esto penes lectorem judicium.*

DE S. MUMMOLO ABBATE CONF.

Burdigalæ in Gallia.

J. B. S.

Sec. VII. Vetusto cultu gaudet.

De *hujus Sancti cultu potius quam de vitæ gestis agendum hic nobis est, fatente Mabillonio seculo 2 Sanctorum Ordinis sui pag. 674,* De S. Mummoli abbatis Floriacensis gestis paucas res exploratas haberi : *ut vel de nomine ex Martyrologiis dubitandum esset, aliis* Mummolus *aliis* Mommuralus, *aliis* Mommolenus *vel* Mommolinus *scribentibus, nisi apposita dignitas* abbatis Floriacensis, *de uno eodemque sermonem esse abunde edoceret. Seculo licet* VII *floruerit, apud classicos tamen Martyrologos notus non est ; inter Usuardi auctaria primus eum collocavit Belinus, in secunda sua editione ipsum hoc modo annuntians :* Bourdegalis, depositio Mommurali abbatis Floriacensis cœnobii, *quæ totidem verbis descripsit Molanus in priori sua editione, in aliis nomen ita corrigens :* Bourdegalis, depositio Mommoli abbatis Floriacensis cœnobii, *quo modo etiam effertur in vetusto Martyrologio Floriacensi apud Mabillonium in Benedictinis Annalibus tom. I pag. 546, licet in Breviario Ms. monasterii S. Crucis, ubi Sancti sepulcrum et reliquiæ ostenduntur, sub nomine* S. Mummoleni *(vulgo* Mommolin*) colatur, teste iterum Mabillonio in Actis pag. 676 num. 7.*

Eoque Burdigalæ valde solemni.

2 *Ibidem numero sequenti refertur mendosum ejus epitaphium a laudato Mabillonio meritissime correctum et restitutum, ex quo Chronologus Burdegalensis Darnal, operis sui pag. 40 bona fide scripsit, vixisse Sanctum* trecentis et septuaginta annis, *ubi verosimillime legendum* circiter septuaginta annis. *Certius testari potuit idem Chronologus, memoriam ejus quotannis hoc die recoli in monasterio S. Crucis, quod ita refert Mabillonius pag. 678 num. 12 :* S. Mummolus sexto Idus Augusti et per octo continuos dies a Burdigalensi

AUCTORE J. B. S.

digalensibus colitur ac frequentatur magna religione, ægrisque capitibus sæpius mederi fertur. Ejus memoria in pervetusto Martyrologio Floriacensi anno MLXXXVII exarato VI Kalendas Augusti consignatur et quidem primaria manu, in hunc modum : MUMMOLI ABBATIS, qui in antiquiori Martyrologio adscriptus est manu recentiori. Ejusdem reliquiæ in monasterio nostro S. Crucis apud Burdigalam in monumento marmoreo, columnis æque marmoreis innixo, ac theca lignea deaurata vestito adservatur, præter brachium alterum quod scrinio argenteo inclusum est.

An primus abbas Floriacensis?

3 *Quæ de initiis Floriacensis monasterii ibidem et in Annalibus memorantur, huc non spectant, uti nec explicatio commutationis factæ cum rege, qua fundus a Leodebaudo, ad S. Anniani abbate, impetratus sit, ubi Floriacense cœnobium conderetur : satis nobis sit Sancti cultum prosequi, ea etiam disputatione prœterita, utrum vere primus, an solum secundus istius cœnobii abbas fuerit. Citatus jam non semel Mabillonius Annalium tom. I pag. 380, primum abbatem præfectum ait, Rigomarum,* eoque post annos quinque mortuo, Mummolum. *Menardus vero in* B *observatione ad Martyrologium Ordinis hoc die ita rotunde pronuntiat :* Fuit sanctus Mummolus primus abbas cœnobii Floriacensis, qui, ut sibi divinitus revelatum fuerat, misit S. Aigulphum discipulum suum ad montem Casinum, ut inde Floriacum asportaret reliquias S. P. N. Benedicti, easque honorifice sepelivit in loco sibi a Deo monstrato, ut docet Adrevaldus in libro de translatione corporis S. Benedicti. Postea in extremam Hispaniam peregrinatus est voti reus ad sepulcrum S. Jacobi. Inde revertens venit Burdigalam ; ibique in monasterio S. Crucis spiritum reddidit Creatori, ut refert dom. Joannes d'Arnal monachus ejusdem loci in Vita quam de S. Mummolo composuit.

Ex D. Jacobi redux Burdigalæ moritur.

4 *Quam hic* S. Mummoli *Vitam nobis oggerat Menardus, quis satis conjiciat, post ea quæ superius de ejus rebus parum exploratis ex Mabillonio diximus ? Certe fabulosa est quæ in citato Chronico et hic adstruitur peregrinatio ad S. Jacobi sepulcrum, pro eo quo Sanctus vixit seculo* VII, *et quæcunque aliæ alibi assertæ ante seculum* IX, *quas omnes rejectas invenies in Commen-* C *tario ad Acta S. Jacobi* XXV *Julii, mensis istius tom. VI a pag. 32, ut rectius alii sentiant, Burdegalam profectum Sanctum ad propagandum Ordinem suum Benedictinum fundandumque fortasse ipsissimum S. Crucis cœnobium in quo diem clausit extremum circa annum 679, ibidem exinde religiose cultus ut jam satis notavimus. Adducitur in Annalibus tom. I pag. 546 paulo distinctius vetusti Martyrologii Floriacensis testimonium, in quo ita legatur :* VI Idus Augusti, Burdegalis depositio S. Mummoli abbatis. *Addit porro Annalista ;* quo die in illa urbe, *ut ex Actis jam retulimus,* uti et apud Floriacenses festive celebratur ejus memoria. *Atque hæc dubitare non* D *sinunt de antiqua et constanti veneratione* S. Mummolo *exhibita.*

Laudatur quod S. Benedicti corpus in Galliam deportari curaverit.

5 *Præcipuum quod ad nos pervenerit* S. Mummoli *memorabile factum, illud est quod ex Menardo jam attigimus atque in citatis Annalibus pag. 428 paulo distinctius narratur : procurata nimirum ab ipso corporis S. Benedicti translatio in Galliam anno 653 dum Floriacense monasterium regeret :* Qui in lectione sacrorum librorum assiduus cum libros Dialogorum a B. Gregorio Papa conscriptos sedulo evolveret, excidium Casinensis monasterii, a Longobardis eversi ingemuit, ob eam maxime causam, quod sub his ruinis sacrum beatissimi Patris corpus consepultum ac neglectum jaceret. Tandem ejus animum impressa subiit cogitatio, ut tantum thesaurum ex illis ruinis erueret et in suum transferret monasterium. Non alius ad hoc opus magis idoneus ei visus est quam Aigulfus monachus. *Hujus etiam Sancti Vita exstat dicto tomo II pag. 658 in qua num. 6 rem prosequitur Adrevaldus,* cujus facti, *inquit,* dignoscentiam si quis scrupulosius nosse cupit, libelli de E hac re compositi lectione addicere quibit. *Neque ea procul accersenda est, cum habeatur tomo eodem toties citato a pag. 337 ; quæ res etiam brevius legi potest apud Boscium in Bibliotheca Floriacensi cap. 11 pag. 28.*

Cætera in Saussayi elogio.

6 *Paucis omnia quæ de* S. Mummolo *dici possunt, complexus est Saussayus elogio suo quod hic demum describi meretur :* Burdegalis, depositio sancti Mummoli abbatis primi Floriacensis et confessoris. Is cum Leodebodus abbas S. Aniani Aurelianensis, vir multæ pietatis, basilicam ad Ligerim in honorem sanctissimæ Dei Genitricis et Petri Apostolorum principis ædificavit, sanctitatis fulgebat admirandæ insigniis. Ob quæ ab ipsomet Leodebodo reverenter accersitus ; illic ascetis, quos non paucos collegerat, in abbatem præfectus est ; tantumque novo coalescenti religioso cœtui felici suo regimine decus attulit, ut ad antiquorum cœnobiorum, qui prisca adhuc pietatis decora retinebant, existimationem illud suum sanctis institutionibus ac exemplis proveheret. Quod ut fulciret Patriarchæ religiosorum præsidiis, Aigulphum prædilectum discipulum, postea successorem et martyrem, non sine divina aspiratione Cassinum ad sancti Benedicti reliquias F sacratissimas, in neglectu jacentes, afferendas misit, votisque potitus, condecenti veneratione easdem excepit, atque cultu debito in sacrario Floriacensi, ubi hactenus requiescunt, collocavit. Post hæc vir Dei, studio augendæ pietatis Burdigalam perrexit, ubi dum animarum intendit lucris, talentorum fœnore satis locupletatis, Domino ad præmium invitante, felici clausura cursum sanctæ conversationis terminavit. Sepultus autem in ecclesia S. Crucis, mirabilia edidit magnifica, quibus ut populo potenter est opitulatus, sic et memoriæ suæ venerationem peperit sempiternam.

DE

DE S. ÆMILIANO EP. & CONF.

CYZICI IN HELLESPONTO

Cultus ex tabulis Græcis, ac Martyrologio Romano, elogium, ætas. J. P.

Sec. IX. Veneratio apud Græcos:

Ecclesia Latino annuo sanctum hunc Præsulem cultu veneratur, Græcam secuta. Atque in hujus quidem variis Fastis memoria ipsius inscribitur, videlicet Menologio Sirletiano, ac Menæis magnis impressis, cum parvo utrobique elogio; sed Menæa addunt insuper hos versus:

Ψυχῆς πολὺν θεὶς Αἰμιλιανὸς λόγον,
Τῆς σαρκὸς ἠλόγησεν ἄχρι καὶ τέλους.
Ὀγδόη Αἰμιλιανοῦ ὀστέα δέξατ' ἄρουρα.

Salutis animæ tanta cui cura exstitit,
Bona corporis neglexit ad vitæ exitum.
Octava tellure ossa excipit Æmiliani.

Typicum sub nomine S. Sabbæ editum, Menæum Chiffletii, Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum, Augustus Moscorum figuratus apud nos ante tomum I Maii pag. XXXIX *ipsum signant. Menologium denique Basilii imperatoris, postquam Sancti memoriam præmisisset, hoc eum elogio laudat, quod ex Græco sic sonat:*

elogium:

2 Sanctus pater noster, magnusque hieromartyr ac confessor Æmilianus temporibus imperatorum iconomachorum urbis Cyzicenæ episcopus fuit. Non eluxit autem duntaxat religione, cognitione, ac reliquis dotibus, quæ genuinos pontifices decent; sed etiam misericordia, compatiendi affectu ac benignitate exercuit animi patientiam. Divino autem zelo fuit pro orthodoxa fide, et criminabatur eos libere qui non adorabant venerabanturque sanctas et colendas imagines, hæreticos ac Christi inimicos eos appellans. Postquam vero accusatus esset a veritatis hostibus apud Leonem Christi osorem, comprehendunt eum ac vinctum illi sistunt; et millenis ærumnis prius subjectus, exsilio deinde mulctatus, multis in exsilio tentationibus toleratis, finem fecit vivendi. *Dixi de cultu Sancti apud Græcos; nunc, quisnam apud Latinos sit, intellige.*

cultus apud Latinos.

3 *Martyrologium Romanum annuam ejus memoriam his verbis annuntiat:* Cyzici in Hellesponto sancti Æmiliani episcopi, qui pro sacrarum imaginum cultu a Leone imperatore multa passus, demum in exsilio vitam finivit. *Molanus in additionibus ad Usuardum suum anno 1573 editum sic habet breviter:* Die octava, sancti Æmiliani confessoris in Cyzico. *De ætate, qua vixit, hæc occurrunt.*

Vixit sub Leone Armeno, non sub Isaurico.

4 *Floruit sub Leone Armeno, qui imperavit ab anno 813 usque ad 820. Probatur hoc ex Menæis magnis Græcorum ad diem* VIII *Martii, ubi in elogio S. Theophylacti, Nicomediensis episcopi, habemus ista, quæ ex Græco sic sonant:* Magnus Nicephorus postquam præsulum lectissimos, Æmilianum Cyzicensem, *una cum aliis ibidem enumeratis,* ac beatum Theophylactum ad se evocasset, ad impium et apostatam imperatorem se confert; *Leonem nempe Armenum, ex Vita S. Nicephori patriarchæ CP. apud nos die* XIII *Martii, tom. II dicti mensis pag. 293. Consule præterea, quæ dicta sunt de S. Theophylacto Nicomediensi tom. I Martii pag. 787. Congressum istum contigisse anno 815, et ab Leone Armeno episcopos tunc in exsilium missos, non anno 814, quo idem congressus refertur a Baronio; monuimus tom. I mox citato, pag. 788, num. 7; ad hæc, causam imaginum anno primum 815 vexari cœpisse, ac motam tunc adversus earum cultores persecutionem, probat Pagius in Critica Baroniana ad annum 814, num. 2 et 3. Mirati porro jam ridem fuimus aliud* σφάλμα μνημονικὸν *ejusdem Eminentissimi Annalium ecclesiasticorum conditoris, dum pro Leone Armeno, sub quo Christi fidem confessus est Theophylactus (de quo supra), atque adeo noster* S. Æmilianus *secundum dicta, seculo nono, describit anno Christi 733, num. 2, Leonem Isauricum imperatorem, contra sacrarum imaginum cultores sævientem. De istis ergo ibi jam pridem; ast huc potissimum spectat id, quod occurrit apud eumdem sapientissimum Annalium ecclesiasticorum parentem, inter ea quæ narrat ad an. 731 num. 5: ubi inter alios, qui veritatis orthodoxæ causa a Leone Isaurico in exsilium ejecti sunt, ponitur* vir sanctissimus, qui successerat S. Germano in Cyziceno episcopatu, Æmilianus: *cujus exsilium nihil occurrit quod cogat differre ultra dictum annum 815, quo præsules alios ista pœna mulctatos dixi.*

Stetit pro auctoritate Ecclesiastica.

5 *His de causis generosum hoc sanctissimi Episcopi nostri effatum, quod pro auctoritate ecclesiastica in os imperatoris intrepidus impegit, referente illud Baronio ex Theosterícto, istius temporis auctore (de quo apud nos tom. I Aprilis, pag. 253) ad annum Christi 814, anno proxime sequenti innectendum est. Sic vero habet:* Æmilianus Cyzici episcopus, Si quæstio, inquit, ecclesiastica, imperator, hæc est, ut dixisti; in ecclesia inquiratur, ut mos est. Altius enim et a principio ipso ecclesiasticæ quæstiones in ecclesiis, non in palatiis regiis inquiruntur. *Hæc ibi ex gestis S. Nicetæ apud Surium ad* III *Aprilis. Exstant ea etiam apud nos ex Ms. Græco Vaticano eodem domo primo Aprilis pag. 254 et seqq.*

A D

DE B. RATHARDO PRESB. CONF.

FUNDATORE COENOBII DIESSENSIS

IN BAVARIA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Fama sanctitatis et cultus ex secutis miraculis; ætas non satis distincta, variæ loci vicissitudines.

Sec. IX. Licet in sac. Fastis præteritus.

In eo Sanctorum numero, ut plures alii ejusdem gentis, computandus B. Rathardus, qui non ex Fastis sacris aut Martyrologiis noti sunt, quorumve gesta antiquis Actis aut monumentis celebrantur; id ferme solum posteritati relictum est, quod ex illustrissima familia Andechsiana seu Andecensi, de qua in hoc opere nostro non semel actum est, originem ducens, calcatis mundi illecebris, sacerdotio initiatus, bonorum suorum non alium heredem voluerit præter Christum Dominum, fundando nimirum in Diessensi oppido, seu veteri Damasia, canonicorum Ordinis S. Augustini cœnobio, in quo vitæ reliquum tam sancte exegisse memorant, ut post obitum multis iisque insignibus miraculis inclaruerit. Susceperitne regularem jam dicti Ordinis habitum, non est qui satis clare definire ausit, quod nempe veteres notitiæ prorsus deficiant, ex quibus præter perennem miraculorum famam certi aliquid erui possit. Elogium dedit noster Matthæus Raderus in sua Bavaria sancta tomo I a pag. 86.

B

aliunde satis probatur ejus sanctitas.

2 Ex ipso et nostro etiam Andrea Brunnero in Annalibus Boiorum aliisque recentioribus sua collegit auctor Vitæ, idem, opinor, Innocentius Keferloher, monasterii Diessensis decanus, qui S. Rathonis Acta composuit, data a Papebrochio ad diem XIX Junii tom. III a pag. 892. Porro Vita ista nostra multis ante annis missa fuerat ad P. Bollandum præfixo hoc titulo : Vita beati Rathardi presbyteri, qui Diessense monasterium Ordinis canonicorum regularium S. Augustini primus fundavit et rexit. Anno Domini DCCCXV. Utrum titulus iste satis apposite conveniat cum iis quæ in S. Rathonis Vita scripsit laudatus Innocentius, aliorum esto judicium. Necdum omnino inducor ut credam, quod istic tamen insinuari videtur, B. Rathardum vere fuisse regularem canonicum : rexisse monasterium cæteraque in eo administrasse tanquam verum fundatorem, nemo est qui non ultro admiserit.

C

An ex familia Andecensi ortus.

3 De Andecensi familia non minor ferme difficultas ; si enim illa in Rattoldo principium sumpserit, ut Innocentius ipse fatetur in laudata S. Rathonis Vita ; Rattoldo autem senior aut saltem æqualis fuerit B. Rathardus, merito quæritur qua ratione ex Andecensi illo capite censeri possit progenitus. Dentur B. Rathardo anni vitæ duntaxat sexaginta, si mortuus est, quemadmodum ipsi statuunt anno DCCCXV, natum oportet seculi octavi anno circiter LV : atqui vix natus tunc erat totius illustrissimæ familiæ stipes jam dictus Rattoldus, quem patrem fuisse volunt S. Rathonis mortui anno CMLIV, patet satis aperta consequentia, ex qua etiam incerta redditur B. Rathardi genealogia Andecensis. Interim tamen, utcumque ea habeant, malumus ut mera nostra dubia hæc accipi, quam ut contra torrentem niti velle videamur ; stabit sua beato nostro Rathardo constantissima sanctitatis ac miraculorum fama, cujuscunque demum familiæ fuisse perhibeatur.

et an conveniat ejus ætas

4 Neque Bruschium præteriero, ubi de Augustanis episcopis agens ita loquitur : Hauto, aliis Hanto, comes de Andechs Bavarus, maximus episcopatus Augustani locupletator et donator, successit S. Symberto. Præfuit adhuc anno Domini DCCCXL sub Ludovico Pio. Somnia igitur sunt quæ eum septem tantum annis præfuisse affirmant. Habuit fratrem religiosissimæ etiam vitæ Rathardum canonicum, qui Damasiani insignis monasterii apud Bavaros fundator esse legitur. Atque hoc postremum est quod ad rem nostram pertinet quam proxime, iis probatum argumentis quæ ex narratione mox subjungenda manifeste intelliges. Variæ tum nostri hujus Diessensis cœnobii tum Werthensis S. Rathonis vicissitudines, vix ullam patiuntur molestiam. Vellem clarius explicaretur Hungarorum, seu, ut alii malunt Arnoldi, cognomento mali, Bavari famosissima depopulatio, cujus epocham mihi quidem distinctius explicare hactenus satis promptum non est.

E

cum Bavariæ per Hungaros excidio.

5 Non videntur cohærere B. Rathardi ætas et memoratum Bavariæ excidium, quod si acciderit annis duntaxat quadraginta post dicti Beati obitum, ut in Vita disertissime asseritur, is vero mortem obierit DCCCXV, ut contra Raderum satis clare innuit Keferloherus, contigerit immanis ea vastatio circa annum DCCCLV, quo necdum natus erat S. Ratho, utpote qui primum obiit anno CMLIV, qua tamen eadem calamitate monasterium ejus Werthense involutum, receptissima est scriptorum opinio. Quis hæc satis apte conciliet ? At enim et hoc condonandum est hominibus ipsis, qui digerendis chronologicis calculis non ita assueti sunt. Veram fuisse totius Bavariæ vastationem, veras monasterii Diessensis vicissitudine, reperitas item sacri corporis translationes ac depositiones ex toto contextu perspicue intelliges. Habe modo Vitam qualemcumque qua cætera omnia explicantur.

F

VITA

Auctore Innocentio Keferloher Decano Diessensi ex Ms.

Anno post receptum a Christo genus humanum decimo quinto supra octingentesimum, Ludovico Pio Caroli Magni filio rerum potiente,

beatus

B. Rathardi genus, fundatio Diessensis, obitus et miracula

A beatus Rathardus ex nobilissima et sanctissima Andecensium principum familia natus, sacrisque sacerdotii initiatus, heredem bonis suis ex asse Christum relicturus, a quo heres olim æterni regni scriberetur, auctore et auxiliatore Hautone germano fratre, episcopo tunc temporis Augustano, eo ipso, qui S. Symperto successit, ad Damasiam, oppidum superioris Bavariæ, ad lacum Ambræ situm, nunc vulgo Diessen dictum, ædem S. Georgio megalomartyri sacram instituit, eamque canonicis regularibus S. Augustini, qui locum hodieque colunt, adjuncto monasterio, assignavit. Ipse post exercitam in omni virtutis genere vitam, eodem loci defunctus, humili tectus cippo, ad extremum templi angulum humatus est : quanquam virtus sanctorum Virorum sepeliri cum cineribus haud possit. Statim enim ex beneficiis passim ad conditorium ejus accurrentibus, præstitis, sese Viri sanctitas, veluti solis ab aurora relucentis jubar, diffudit.

Destruitur cœnobium ab Hungaris :

2 Quadraginta annis post, Conradus Lotharingiæ Dux, Othonis Germanorum tunc regis gener, incertum, rariorene an perniciosiore perduellio- B nis scelere, Hungaris in socerum conductis, in Bavariam descendit, tanta barbarorum mole, ut vulgo, nisi a terra absorberentur aut obruerentur a cœlo, negarent se posse vinci. Cæterum per hujus impetum tempestatis eas Bavaria clades passa est, quas se neque hodie putet eluxisse. Certe nullum pene Sanctorum hominum contubernium est, quod non ad illius luctuosissimi temporis memoriam ingemiscat, etiam qui annales monstrare nullos possunt, fama velut per manus tradita, excidia sua incendiaque majorum lacrymis exstincta memoriter recitant, et adhuc eversoribus fortunarum suarum convicium faciunt. In quam profecto sortem calamitatis beati Rathardi quoque asceterium venit, quod una cum beati Rassonis Werdensi, solo æquatum est.

quibus ad internecionem cæsis.

3 Exinde Hungaris in Campo Licio ad internecionem cæsis, cum domus beati Rathardi haud parvo tempore in situ et squalore jacuisset, Udalricus quidam et Adelbertus e sacrorum virorum censu presbyteri animum adjecere ad beati Rathardi ædem instaurandam : qui dum rudera et C aream purgant, solumque adæquant, ac terram jaciendis fundamentis aperiunt, in grande saxum incidunt; mirati quo casu in eum locum delatum esset. Tumulus erat beati Rathardi jam olim post eversum templum ignoratus, et cum ipso templo eadem ruina, ipsum quoque sepulcrum beati Viri sepultum.

invenitur Beati corpus,

4 Presbyteri dum saxum moliuntur, nec quidquam tamen, quamvis a multis adjuti, proficiunt, Udalricus ad consilium Numinis per preces et vota confugit, divinaque re sanctissime peracta, redit ad molem saxi, solusque nullo negotio levat, quam antea complures nulla ratione movere poterant. Udalricus dum jacentis verticem intuetur, spectaculo territus, attonitusque clausam reliquit, quoad divinitus per visum nocturnum admonitus, remoto cippo sacras beati Rathardi exuvias, cœlestes passim odores spargentes, nudavit, debitaque veneratione prosecutus est. EX MS.

cujus translationes describuntur,

5 Adrepsere inde ægri, et inter hos captus omnibus prope membris, et distortis pedum cruribus, ad Paschales ferias, emendatoque corporis vitio sanus erectusque domum lætus recurrit. Hartwicus inde præsul cœnobii sacros beati Rathardi artus ex angulo templi in medium prolatos, honoratiore tumulo collocavit; ædem instauratam Anselmus Antistes Havelburgensis, bona pontificis Augustani Walteri venia, ante annos quingentos, millesimo, inquam, centesimo quarto decimo, sexto Idus sextiles dedicavit. Stetit inde quatuor prope seculis, annos trecentos octoginta, ad alterum et vicesimum loci præsidem et præpositum Conradum; qui animadversa fatiscentium parietinarum ruina, laborantes vetustate muros demolitus est, ædemque a fundamentis excitavit, beatique Rathardi cineres honesto sarcophago clausos, altari medio intulit, postquam propriis manibus lavisset ex aqua et vino Religiosus quidam noster, ut ipse de se testatum reliquit, anno MCDLXXVIII. E

prima — *secunda* — *tertia* — *et quarta.*

6 Cæterum aucta beati Viri veneratione, hæc ipsa sacra ossa majorum pietate ad cultum publicum proposita vidimus, quando auctoritate reverendissimi domini Petri episcopi Adrymitteni generalis vicarii Augustani diu post, hoc est MDCXX in aram summam recondita fuerunt. Donec tandem exuberante in Beatum devotione suorum in Christo filiorum, ejusdem sacrum corpus e parochiali Sancti Georgii, in proxime subjecti monasterii sui ecclesiam regularem solemni pompa et communi populi lætitia deportatum est. Ubi etiamnum religiosissime colitur. Sed memoria B. Rathardi specialius ac solemnius celebratur VI Idus Augusti, quo die beati Viri translatio illa postrema facta est.

NOTA.

F *In hac narratione id præcipue notandum occurrit, quod auctor ejus in ipso principio recte Raderum correxerit, in elogio suo, pro anno 815 signantem an. 850,* Ludovico Pio rerum potiente, *qui jam ab anno 840 obierat.*

Quæ autem de monasterii eversione et restaurationibus hic paulo obscurius memorantur, explicatiora invenies in citata non semel B. Rathonis Vita tom. III Junii pag. 898 a num. 18. Consuli etiam potest Chronicon Diessense, ab Edmundo Duellio inter Miscellanea editum 1724, lib. 2, a pag. 125.

DE

A D

DE B. ALTMANNO EP. PATAVIENSI

APUD GOTTWICENSES

IN AUSTRIA

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Beati cultus et reliquiæ.

Anno MXCI. Sanctitatis ejus elogia vetera;

Beatus Altmannus *eximiæ sanctitatis ac virtutum suarum præcones habet illustres tum suppares, tum etiam coætaneos; et inter hos quidem excellunt Lambertus Schafnaburgensis, et Bertoldus presbyter Constantiensis: prior apud Pistorium Nidanum* B *pag. 243* Altmannum Pataviensem episcopum, virum *appellat* apostolicæ conversationis et magnarum in Christo virtutum: *posterior in Appendice ad Hermanni Contracti Chronicum sub anno 1091*, Altmannus, *inquit,* sanctæ recordationis Pataviensis episcopus, in causa S. Petri, et in ecclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes et exsilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum VI Idus Augusti. Hic in episcopatu suo tria cœnobia clericorum, juxta regulam S. Augustini communiter viventium, instituit; et tertium *(Raitenbucchense videlicet, secundum Hansizium nostrum Germaniæ sacræ tom. I, pag. 282, et Meichelbeckium Historiæ Frisingensis tom. I, parte 1, pag. 266)* in Frisingensi episcopatu, in Allodio Welphonis ducis per clericos suos ædificavit, et regularibus disciplinis instituit. Hic fuit tantæ sanctitatis, continentiæ et religionis; ut reverendissimo Papæ Gregorio *(VII,)* sanctoque Lucensi episcopo *(Anselmo, de quo egimus die* XVIII *Martii a pag. 647,)* imo omnibus religiosis reverendus esset et amabilis; schismaticis vero et sceleratis odiosus et formidabilis. C Unde in obitu suo bonis magnum mœrorem; malis vero magnam reliquit exsultationem. *Æqualibus ejus accenseri etiam potest, qui ipsum in sede Pataviensi proxime secutus est, Ulricus, sive Udalricus, quique paucis omnia complectitur, dum illum in publicis instrumentis apud Hundium a Gewoldo illustratum in Metropoli Salisburgensi tom. II, pag. 552 et 556, semel iterumque compellat* Sanctissimum Prædecessorem *suum.*

cultus publici primordia;

2 *Sed hæc si ad publicum Beati cultum, quem hoc loco spectamus maxime, comprobandum non sufficiunt; clariora hujus indicia suppeditabunt, qui de beati hujus Viri laudibus aliquanto posterius meminerunt; ille imprimis, qui in ipso cœnobio Gottwicensi, ubi conditus erat* Altmannus, *priorem ejus Vitam ante medium seculi duodecimi commendandam posteritati suscepit: neque enim is tantum virtutum ejus heroicarum copiosissimum texit elenchum, neque aut* Hominem Dei, *aut* Præsulem Deo dilectum, *aut* Beatum, *aut* Sanctum *nuncupat modo; sed et cap. 5, num. 34 et 35, prodigia describens, jam tum ad ejus tumulum frequenter spectata, luculente significat, eo, tanquam ad publicum sanctuarium per ea tempora miseros quoslibet undequaque suppliciter ac religiose cœpisse confugere; quod sane inchoati palam et saltem tolerati tum cultus argumentum est minime dubium. Crevit ille vero subinde, crescentibus ibidem tanto numero miraculis, quantum indicat Vita secunda a numero 54. Et quanquam neutrius Vitæ auctor de festo beati Pontificis anniversario meminit; et hoc tamen ab illa circiter ætate institutum fuisse credibile est. Id certum, quod sacri ejus corporis inventionem elevationemque præcesserit celebritatis hujus* E *annuæ institutio: hoc enim docemur ex apographo quodam Gottwicensi, cujus hæc est inscriptio:* Additiones ad Vitam B. Altmanni, episcopi Passaviensis, adscriptæ post Vitam ejusdem Sancti, cujus prior prologus ad Michaëlem abbatem *(ab anno 1564)* in Gottwik incipit: Christus Jesus. Invenitur in monasterio S. Mariæ in Gottwik in Austria, prope Cremsium. *Textus autem sic habet:*

festum anniversarium indulgentiis Romanis decoratum annis 1300, et 1496;

3 Anno Domini MCCC, mense Martio, Pontificatus Bonifacii Papæ VIII anno sexto, Romæ datæ fuerunt a XXIII Episcopis pro festo B. Altmanni quædam indulgentiæ; et aliæ a XX Cardinalibus anno MCDXCVI, die XIV mensis Januarii, Pontificatus Alexandri Papæ VI anno quarto. Quarum quidem indulgentiarum Bullas originales reperire est in archivo abbatiæ Gottwicensis. Eodem anno Domini MCCC, in die S. Quirini martyris, tempore Domini Ulrici abbatis Gottwicensis serenissimus princeps D. Rudolfus, dux Austriæ, venit Gottwicum, quærens corpus domini Altmanni, inventumque per dominum Ulricum, abbatem prædicti monasterii, sub ara Sanctæ Crucis deposuit; ubi usque hodie in pace requiescit. F Amen. Ita habet tabula B. Altmanni picta in abbatiali ecclesia Gottwicensi. Sed observandum, hic circa annum factæ hujus translationis, sive elevationis, errorem irrepsisse: nam anno MCCC non fuit abbas Ulricus, sed Heinricus. Quam ob rem aut loco Ulrici scribendus erat Heinricus; aut dicta translatio contigisse debet anno circiter MCCCLX; quo tempore Ulricus abbas vixit. Translatum fuit porro sacrum corpus e crypta in navim (ut vocant) ecclesiæ. Dies S. Quirini est XVI mensis Junii, ut constat ex antiquis Calendariis.

corporis inventio, translatio et elevatio circa an. 1360;

4 *Ex his collige primo, tametsi constaret, hanc translationem seu elevationem contigisse anno 1300; tamen hac antiquius esse anniversarium Beati festum, et forte multo antiquius; quandoquidem indulgentiis jam dictis ditatum fuit eodem anno 1300,* mense Martio; *illa vero mense demum Junio facta est. Collige secundo, cum in tabula hic citata certo sit erratum vel in numero 1300, vel in nomine abbatis Ulrici, sub quo inventum elevatumque sit Beati corpus; multo verisimilius esse, quod error in numerum, quam in ejusdem ecclesiæ tum abbatis nomen irrepserit; cum in antiquis monumentis longe frequentiora passim occur-*

rere

A *vere soleant numerorum vitia, quam nominum. Accedit etiam, quod hujus inventionis et elevationis auctor præcipuus fuisse scribatur* Rudolfus dux Austriæ, *quo nomine multo probabilius intelligendus videtur Rudolfus IV dux Austriæ, (sub quo prælaturam Gottwicensem obtinebat Ulricus per annos quinque, ab anno scilicet 1360, quo creatus est abbas, usque ad 1365, quo Rudolfus excessit e vivis,) quam Rudolfus III, qui Austriæ ducatum obtinebat anno 1300, cum Gottwico præesset Heinricus : hujus enim Rudolfi III tam exquisitam erga Sanctos eorumve reliquias nemo uspiam commendat religionem : at Rudolfum IV in ea totum fuisse, testantur annales Austriaci apud Hieronymum Pezium tom. II, col. 806, ubi de illo legitur :* Zelus etiam permaximus ad decorem domus Dei in hoc evidentius se demonstrat, quod ex universo orbe, maxime tamen ex omnibus locis Domus Austriæ, quam solus pacifice gubernabat, Sanctorum reliquias undique collegit; et easdem auro et argento decoratas præfatæ Viennensi ecclesiæ *(S. Stephani)*... custodiæ commendavit; *etc. Malim igitur inventionem hanc* B *elevationemque referre ad annum 1360, quam ad 1300.*

translationis hujus festum anniversarium ; imago Beati vetusta ;

5 *Collige tertio antiquitatem instituti apud Gottwicenses festi translationis* B. Altmanni *die* XVI *Junii, quo die de illo meminimus in Prætermissis : ab hac enim inventione, translatione et elevatione omnino duxisse videtur exordium; certe aliud nullum apparet. Collige postremo,* tabulam B. Altmanni pictam in abbatiali ecclesia Gottwicensi, *de qua jam dictæ Additiones mentionem faciunt, earum auctori satis quidem vetustam apparuisse ad faciendam fidem; sed non ipso tempore translationis pictam subscriptamque; quippe cujus epocham pugnantibus inter se characteribus expressam repræsentet; quod sane indicium est, haud paulo serius depictam fuisse. Fallor vero, nisi ad illam ipsam respexerit P. Maurus Helman, ejusdem cœnobii Gottwicensis Prior, cum die* XXXI *Augusti, anno 1668 ad quæsita quædam P. Joannis Gamans nostri ita rescripsit :* Pingitur B. Altmannus a ducentis annis et ultra cum splendore circa caput, ut sanctus episcopus, pontificalibus indutus, barba quidem rasa.

festi natalis solemnitas Gottwici et Officium ;

C 6 *Addit ibidem de Præsulis nostri cultu Helmannus :* Colitur apud nos tum publice, tum privatim, ut Sanctus. Commemoratio specialis non habetur neque pro die ipsius depositionis, neque translationis. Celebramus autem festum depositionis hodie Dominica obitus ejus diei, qui est octavus Augusti, proxima solemnissime, ut Patroni, de Communi confessoris pontificis; fitque de ipso concio : qua finita, benedicitur pontificaliter a Reverendissimo nostro largior eleemosyna, et in pauperes ad honorem et memoriam Fundatoris distribuitur. *Quam antiquus autem usus ibidem sit de* B. Altmanni *laudibus pro concione disserendi, Additiones. de quibus egimus num. 2, innuunt his verbis :* In bibliotheca denique Gottwicensi exstat antiquissimus codex Ms. Sermonum Petri abbatis, in quo sunt duo sermones de eodem Beato *(Altmanno)*. Duo *(tantum)* fuerunt Petri abbates in Gottwico; unus ante ducentos annos *(puta ab anno 1403 usque ad 1432, secundum Bucelinum in Germania sacra, part, 2, pag. 201)*; alter vero ante trecentos *(præfuit enim ex ejusdem Bucelini calculo ab anno 1309 usque ad 1317.)* Utrius sit ille codex Sermonum, non constat. *Porro quod ibi Antistitis beati solemnitas non ipso die natali, sed huic proxima Dominica celebretur etiam nunc (ut ex Proprio Sanctorum Ecclesiæ Gottwicensis, anno 1696 Crembsii typis excuso, docet Hieronymus Pezius Scriptorum rerum Austriacarum tom. I, p. 115), id eo fieri suspicamur, ut accolarum ad illam confluentium utilitati et commodo consulatur; uti fit alibi passim in ecclesiis, præsertim extra urbes populosas collocatis.*

AUCTORE P. B.

in quo jam quædam propria recitantur.

7 *Cæterum jam Officio Beati, olim de Communi, quædam accessisse propria idem ibidem Pezius asserit, cum inter alia, quæ jam de cultu ejus Gottwicensi dicta sunt, ita scribit :* Agiturque de eo divinum Officium cum Missa tanquam de Communi (ut aiunt) unius confessoris et pontificis, cum hac peculiari Oratione : « Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per B. Altmanni confessoris tui atque pontificis, qui in hac ecclesia requiescit, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum nostrum » etc. Et in Antiphona ad Benedictus (ut admodum reverendus ac religiosus D. P. Mauritius Hoppel, cœnobita Gottwicensis, nos edocuit) hæc in Altmanni laudem decantantur : « Eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia Sanctorum. » In Antiphona quoque ad Magnificat : « Dum esset pontifex et Legatus Apostolicus, terrena non metuit; sed pro Ecclesia, ut columna marmorea stetit. » Additurque hic Versiculus cum suo Responsorio : « Exsurge, beate Altmanne; et alumnos tuos protege... » Denique sub finem Completorii, præter alias peculiares comprecationes, a Gottwicensibus Benedictinis quotidie de more recitari solitas, piis etiam hisce versibus beati fundatoris sui Altmanni opem implorant : E

« Altmanne, a quo conditum
Hoc nostrum est cœnobium,
Et cujus hic sunt lipsana,
Semper pio nos adjuva. »

Notatur ejus festum apud Martyrologos quosdam.

8 *Quæ his præmittit ibidem Pezius, non æque probari possunt; hæc scilicet, quæ veterum de sanctitate* B. Altmanni *testimoniis ita subnectit :* Quæ omnia tametsi sanctitati Altmanni episcopi non parum patrocinari videantur, in Sanctorum tamen album necdum relatus est. *(Hoc verum putamus, si de relatione per canonizationem solemnem intelligatur)* nec ejus nomen recentioribus Martyrologiis, aut vetustis Kalendariis inscriptum hactenus invenimus. *Hoc miramur in Viro tam erudito quam laborioso ac sagace : cum hujus Beati nomen ad hunc diem* VIII *Augusti pridem inscriptum inveniatur Kalendario Benedictino Dorganii, Catalogo generali Sanctorum Philippi Ferrarii, Fastis Coloniensibus apud Gelenium, Menologio Benedictino Bucelini, ubi bis refertur: semel hoc die cum elogio luculento, iterum die* XVI *Junii propter festum translationis; universali denique Martyrologio Castellani.* Sed et nusquam per Austriam (quod quidem sciamus) publicus ei cultus impenditur, præterquam in Gottwicensi Ordinis nostri monasterio, ab ipso episcopo Altmanno fundato. *Hoc ipsemet emendatum postea candide voluit tom. II, col. 281, ubi sic habet :* F

Cultus Gottwici cœptus, ad varias ecclesias propagatur

9 Erudite lector, monendus es, repertum a nobis fuisse in insigni bibliotheca Tegernseensi *(monasterii videlicet Benedictini longe celeberrimi in Bavaria superiore)* codicem manuscriptum seculi XV, Acta B. Altmanni, pontificis Pataviensis, et Officium de eodem ecclesiasticum continentem; cujus Officii tale est exordium : « O mater Ecclesia, Felix et fœcunda, Altmanni præ-

conia

AUCTORE P. B.

conia Prome lætabunda » etc. At quorsum hæc, inquies? Ut demonstraremus, B. Altmannum, Pataviensem episcopum, non a Gottwicensibus solum hac ætate (ut olim opinabamur); sed etiam ab aliis fortassis pluribus ecclesiis publico jam dudum cultu fuisse honoratum. *Et sane ut inficiari nemo potest, quin ad ecclesiam Gottwicensem cultus ejus publici primordia spectent (quippe ubi sepulcrum ejus, ubi corpus, ubi cœpta primum et continuata miracula palam supplicantium frequentiam invitarint); ita dubitari non potest, quin inde paulatim longius fuerit propagatus, et maxime ad ecclesias illas, ad quas e Gottwicensi thesauro sacrarum ejus reliquiarum pars aliqua subinde translata fuit. Quantum enim alibi lipsanorum ejus aliquid acquirendi desiderium ferbuerit, tum quid earum Gottwico exportatum sit alio, colligere est ex Additionibus Mss. Gottwicensibus ad Beati Vitam, unde sequentia recitamus :*

per communicationem reliquiarum ;

10 Anno Domini MDLXXXI, die VIII mensis Novembris Ernestus archidux Austriæ misit Melchiorem Cleselium, cathedralis ecclesiæ S. Stephani Viennæ Præpositum, postea S. R. E. Cardinalem, in Gottwicum ad abbatem Michaelem, ut ab eo repeteret corpus B. Altmanni, idque receptum Viennam deportaret. Cujus rei epistola originalis, ab archiduce ad abbatem per Cleselium transmissa, exstat in supradicto archivo abbatiæ Gottwicensis. Abbas vero sacrum corpus e Gottwico, ne scilicet monasterium tanto ac tali thesauro suo privaretur, neutiquam dimisit. Est igitur etiamnum ibidem, et quotannis solemnissima festivitate colitur *(insinuatur hic forte, quod Pezius asserit tom. I, col. 135,* Altmanni *exuvias Gottwici* quotannis per ejusdem Beati festivitatis Octavam publicæ devotioni fidelium exponi.) Partes ejus quædam datæ sunt Annæ Mariæ, Mathiæ imperatoris pientissimæ consorti augustæ; Carolo archiduci, Ferdinandi II imperatoris fratri; et aliquibus Prælatis; quæ in diversis ecclesiis religiose asservantur. *Idem affirmat P. Maurus Helmannus in epistola superius memorata his verbis :* Crus unum hinc secum asportavit augustissima Anna Maria, imperatoris Mathiæ pientissima conjux, abbatis Georgii Falbii tempore, Viennam Austriæ; ubi apud RR. PP. Cappucinos intra eamdem civitatem in capella Cæsarea inter alias reliquias in argentea deaurata capsa inclusum colitur. Aliæ partes in varias ecclesias delatæ.

quarum pars major Gottwici remansit.

11 *De veteri reliquiarum ejus apud Gottwicum statu hæc Bruschius (ut ut heterodoxus, et beati hujus Præsulis alibi sæpe calumniator infrunitus) in opusculo de Laureaco et Patavio Germanico lib. 2, pag. 150 :* Sepelitur *(Altmannus)* in Gottwicensis monasterii, a se fundati aut certe renovati, crypta; ubi miraculis claruisse dicitur. Illic et pedum ejus episcopale, et infula ostenditur, qua usus est : quæ omnia miram simplicitatem ostendunt; pompam vero omnino nullam. *De recentiori earumdem ibi statu, ita citatus Helmannus, toto amplius seculo posterius :* Quod locum, situm, structuram etc. sepulcri B. Altmanni attinet, hoc tempore *(anno 1668)* significare nil possum; quia scilicet majoris templi nostri reformatio de facto jam sudat, nec ante sesqui annum videbit finem. Quid deinde cum sepulcro Fundatoris fiet, adhuc latet. Quantum ad reliquias; hæ majori ex parte servantur in monte nostro extra sepulcrum. De pedo superior pars penes nos exstat, ex ebore simpliciter elaborata; quam modernus dominus abbas noster, reverendissimus Gregorius Heller, suo novo argenteo inaurato baculo, honoris gratia, inclusit. De tiara, vestimentis, aliisque utensilibus invenire nihil amplius est. *Innuit ibidem tamen, etiam superesse aliquid, cum subdit :* Optarem, ut effigies monasterii nostri, quam modernus reverendissimus Prælatus noster typo edidit, esset ad manum. Ibi sigillum, quo beatus Fundator usus fuit, videret ad vivum : quod quidem figuram habet rotundam instar imperialis, et in medio media statura B. Altmanni, pedum in dextra tenentis, oculis se objicit; in circumferentia autem scribuntur hæc litteris antiquissimis : ALTMANNUS PATAVIENSIS EPISC. *His, inquam, innuit, sigillum authenticum, saltem ætate sua, superfuisse.*

Beati Epitaphium.

12 *Hæc sunt, quæ de Beati hujus cultu comperire nobis licuit; nisi forte eo etiam referri velis epitaphium, quo sepulcrum ejus præterito seculo condecoratum fuit, ut narratur in Additionibus Gottwicensibus, jam non semel laudatis, in hunc plane modum :* « EPITAPHIUM B. ALTMANNI. Venerare, viator, sacra ossa B. Altmanni episcopi Passaviensis, hujusce monasterii fundatoris, quæ Rudolphus Austriæ dux huc transtulit anno salutis MCCC. Obiit beatus Vir anno Christi MXCI. Fundavit monasterium anno MLXXIII. Lapidem hunc memoriæ et pietatis ergo posuit Georgius Talbius* abbas. » Nota. Monasterium Gottwicense cœptum est ædificari circa annum Domini MLXX; sed perfectum est primo, et litteræ fundationis sunt datæ anno MLXXXIII, non MLXXIII, ut perperam habet Epitaphium. *De anno translationis jam satis diximus num. 4, Annotatio loco suo discutietur inferius. Georgium illum abbatem Bucelinus Germaniæ sacræ part. 2, pag. 202 hoc adornat elogio :* Georgius Falbius, sacrosanctæ theologiæ doctor, magnus cum Ordinis, tum religionis Catholicæ restaurator, summis principibus apprime dilectus, præfuit *(Gottwico)* annis XIX; obiit anno MDCXXXI, XXII Maii. *Mirabitur forsitan lector, cum toties hic recurrat cœnobium Gottwicense, tanquam* B. Altmanni *sacrarium primum ac præcipuum, quod ejus hic descriptio præter morem nostrum omissa sit; verum cum Acta utraque legerit, in quibus illud fuse depingitur, mirari desinet. Quod si loci ejusdem imaginem ductis accurate lineis expressam quis volet, adeat Meriani Topographiam Austriæ, ubi ante paginam 33 cum proximis oppidis conjunctam inveniet sub nomine* Ketwein. *Et plura sperare jubemur ex Annalibus Gottwicensibus, quibus aiunt nunc insudari.*

* f. Fabius

§ II. Vetera ejusdem Acta.

Acta Beati duplicia: priorum ætas.

Antiqua B. Altmanni *Acta duplicia sunt, alio utraque tempore, alio stylo, alio auctore composita. Priora digessit anonymus quidam Benedictinus (aut forte Rupertus abbas, de quo mox dicetur num. 18; certe) cœnobii Gottwicensis alumnus; ut ipse cum in Prologo suo, tum alibi manifestissime prodit. Ætatem, qua floruit et hæc Acta conscripsit, indicat partim in ipso principio, cum opusculum suum offert* Domino Cholhocho, venerando illustrique Patri Gottwicensis cœnobii; *partim cap. 5, num. 36, ubi auctor idem (secundum annotata ibidem ad litteram f) mortem commemorat Regimari episcopi Pataviensis : sequitur enim ex utroque loco, ut scripserit post annum Christi 1138, quo Regimarum decessisse ostendit Marcus Hansizius noster*

Germa-

A *Germaniæ sacræ tom. I, pag. 302; et ante finem anni 1141, quo mortem Cholhochi, seu Chalhochi, aut Chaldehohi collocant abbatum Gottwicensium catalogi apud Bucelinum Germaniæ sacræ part. 2, pag. 203, et Hieronymum Pezium in Scriptoribus rerum Austriacarum tom. II, pag. 281. Scripsit ergo, vel potius edidit, lucubrationem hanc suam annis ferme post gloriosum* Altmanni *obitum quinquaginta.*

fides,

14 *Dixi :* Vel potius edidit; *quia potuit pridem ante collegisse materiam, quam eam a Cholhocho juberetur* stylo terso et redolente Latinam phrasim excolere. *Unde operis editio, a Beati decessu paulo remotior, fidem auctoris elevare non debet in iis, quæ ad ipsius Acta proprie pertinent; (quod addo, ne parerga de origine gentis Saxonicæ et id genus alia quædam probare continuo videar :) quantam enim in illis mereatur auctoritatem, statuere cuivis licet ex his ejus verbis in Prologo :* Ab his itaque, qui præsentes viderunt, et ejus obsequio familiariter adhæserunt, quælibet ejus gesta investigabo, et hæc posteris insinuare curabo. *Hinc ita scriptor Vitæ posterioris cap. 4,* B *num. 49 de hoc nostro prioris Vitæ auctore pronuntiat :* Huc usque ex scriptis priorum S. Altmanni gesta narravimus. Quis hominum putet, illos aliquid incertum, vel (quod sacrilegium esset) aliquid falsum ad posteros transmisisse; cum optime noverint, Deum nullius egere mendacio? *Hæc vero etiam ipse de solis Actis* B. Altmanni, *non de parergis dicta voluit; cum hæc vel omittat, vel refutet; ut videre est cap. 1, num. 6.*

impressio duplex

15 *Acta hæc priora jam bis minimum prælo cusa prodiere; et primum quidem Augustæ Vindelicorum anno 1619 per Ordinis Benedictini abbatem Joannem ex codice Ms. cœnobii, cui præerat, Lambacensis in Austria. In hac editione merito queritur V. C. Hieronymus Pezius tom. I, pag. 114, non omnia satis ex fide veterum manuscriptorum expressa esse; imo non pauca desiderari; ut quæ infra dabuntur in exemplari nostro a numero 22 usque ad numerum 26, item a numero 30 usque ad 32, et rursus a numero 34 usque finem Vitæ. Mirum enimvero, cum resecare hæc omnia Joanni visum est, quod auctoris* C *Prologum retinuerit; quandoquidem ex hoc facile ac solide deprehendi poterat prototypi mutilatio : ibi enim plura promittit auctor, quam Joannes exhibeat; quanquam cætera quoque, quæ rescidit, ex plurium, imo omnium, quotquot reperta sunt hactenus, Mss. codicum collatione satis aperte revincantur. Excitavit ergo justum hæc editio uberioris alterius desiderium; cui ab annis aliquot cumulate satisfecit Hieronymi Pezii nunquam nobis laudata satis diligentia, qua ex variis exemplaribus Mss. Vitam hanc integram, præmissis observationibus, additisque, ubi codices vel tantillum differre comperit, variationibus, emisit in lucem, Scriptorum rerum Austriacarum tom. I, a columna 112. In hujus fine exemplari primigenio, quod Anonymus abbati suo Cholhocho obtulit, certissime quædam addita sunt; utpote Cholhochi obitum consecuta usque ad annum 1155. Eane vero adjecerit Anonymus ipse, Cholhocho forte usque eo superstes; an alius quispiam, non satis liquet.*

ante hanc nostram.

16 *Nos editionem hanc Pezianam hic, apice nullo mutato, repræsentaremus, nisi ad manum esset manuscripti Gottwicensis apographum, olim a Gamansio nostro impetratum discussumque; tum, ut iterato et quam accuratissime cum autographo conferretur, ad Gottwicenses remissum, atque huc ita tandem ab eo destinatum. Inscribitur illud :* Incipit Vita beati ac Deo digni viri Altmanni, episcopi Pataviensis, qui obiit anno Domini millesimo nonagesimo primo, die octavo Augusti, duorum insignium monasteriorum, Beatæ Virginis Mariæ in monte Gottwich ad Danubium in Austria, et divi Nicolai confessoris ad Œnum extra muros urbis Pataviæ, magnifici fundatoris. *Non est istud quidem vetustissimum; sed Vita secunda recentius exaratum : ex hac enim librarius, quisquis fuit, Anonymi veteris historiæ ad calcem attexuit omnia, quæ hic nos in Vita secunda, ad quam sine dubio spectant, a numero 54 usque ad finem exhibebimus. Uti tamen eo placuit, tum quod ex eodem cœnobio prodeat, ubi compositum ac servatum fuit olim exemplar hujus Vitæ primigenium; tum quod singulari diligentia videatur ad sinceros codices fuisse exactum, ut colligimus ex hac ejus coronide :* Finit Vita B. Altmanni, episcopi Pataviensis, et antistitis Gottwicensis, summa cura elaborata et descripta, plurimisque in locis a mendis correcta. *Consonat plerumque cum editione Pezii non solum rebus,* E *verum etiam verbis; ut ex collatione comperimus. Sicubi vero discrimen occurrerit observatione dignum, lectorem in loco monebimus : nam iis, quæ ad rem et sententiam nihil conferunt, minutatim absque operæ pretio in Annotata congerendis cur immoremur?*

Acta posteriora bis etiam excusa;

17 *Acta posteriora bis etiam typis vulgata sunt : semel Ingolstadii anno 1612 per eruditissimum Sebastianum Tengnagel, J. U. doctorem et Cæsareum Viennæ bibliothecarium, inter Vetera monumenta contra schismaticos a pag. 32; iterum vero Lipsiæ anno 1721 per R. D. P. Hieronymum Pez, monasterii Mellicensis, Ordinis S. Benedicti in Austria inferiore professum, inter Scriptores rerum Austriacarum tom. I, a columna 135. Prior autographum eorum, uti et reliquorum, quæ simul edidit, monumentorum, in epistola dedicatoria, collectioni universæ præfixa, nuncupat* membranacea quædam opuscula, cæteroquin situ squalloreque peritura, *quæ se ait* e tineis blattisque excussisse *atque* exscripsisse; *quibus verbis membranarum illarum, in bibliotheca, ut aiunt, Cæsarea repertarum, vetustatem indicat. Doluit non immerito Pezius, editionem hanc sibi præsto non fuisse, cum suam adornaret : est enim admodum* F *sincera dignaque quæ cum cujusvis ætatis exemplaribus conferatur, etiam illis, quibus usus ipse fuit, Ms. videlicet Campililiensi, quod seculo* XIII *exaratum censet, et Ms. cœnobii B. V. Mariæ, vulgo ad Scottos, Viennæ in Austria, quod ad seculum* XIII *existimat proxime referendum.*

auctor eorum Gottwicensis; sed incerti nominis

18 *Auctoris nomen ætasque nobis incerta videntur : et nomen quidem; quia licet posteriorum horum Actorum Prologo adscriptus legatur in Ms. Pataviensi, quocum collatam accepimus editionem Tengnagelii,* Rupertus abbas, *et in Ms. Campililiensi apud Pezium* Rubertus abbas; *non invenitur tamen, eodem teste, in Ms. cœnobii B. V. Mariæ ad Scottos : nec reperit in suo, ut asserit, Tengnagelius. Imo Wolfgangus Lazius* Robertum abbatem *inscriptum vidit Actis prioribus; ut videre quivis potest Commentariorum reipublicæ Rom. lib. 12, cap. 9; ubi textus Vitæ* B. Altmanni *citatus, et Roberto abbati, tanquam auctori tributus, ex Actis prioribus (numero apud nos 32) certissime desumptus est; non autem ex Actis posterioribus, ut patebit ex horum (apud nos numero 40) qualicumque inspectione.*

Auctore P. B.

tione. Quis vero in hac tanta veterum codicum discrepantia tuto pronuntiet, priorumne; an posteriorum; an neutrorum B. Altmanni *Actorum fuerit auctor Rupertus abbas? Nam si priorum cum Lazio quis dixerit; opponentur codices duo Actorum posteriorum, præter alios tum priorum, tum posteriorum, qui nec Ruperti nec alterius ullius nomine insigniuntur: sin posteriorum; cum anepigraphis occurret codex Lazianus: si tandem neutrorum; favebunt quidem utriusque Vitæ codices illi qui auctorem nullum exprimunt nomine; sed obsistent alii, Rupertum, Rubertum, et Robertum præferentes: favebit etiam illud, quod auctores tam Vitæ prioris, quam Vitæ posterioris, non uno se loco significent monachos fuisse monasterii Gottwicensis; atqui in Gottwicensium abbatum catalogis nullus istius nominis occurrit abbas: ergo abbas ille Rupertus, Rubertus, aut Robertus, monachus Gottwicensis non fuit: ergo neutrius Vitæ auctor fuit: nam quod eruditus Pezius eumdem fuisse Rubertum illum putet cum abbate Gottwicensi* Rudmaro, *id in tanta nominum diversitate vereor ut quisquam probet.*

et ætatis; nisi quod multo junior fuit auctore prioris Vitæ.

B 19 *De ejusdem ætate æque quidquam exploratum videtur. At enim, inquis cum Tengnagelio, eam scriptor ipse num. 29 manifestat his verbis:* Sanctus vero Præsul, annitente pio principe marchione Luipoldo, hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo, *etc. Constat etenim, Luipoldum, qui primo loco ponitur, fuisse S. Luipoldi seu Leopoldi, Austriæ marchionis, patrem, et Leopoldi, cognomento Largi, avum. Constat etiam ex Austriæ Chronicis apud Freherum et Hieronymum Pezium, in Austriæ principatum sancto parenti ad cœlos evocato successisse Leopoldum Largum, seu quintum, anno 1136; decessisse vero anno 1141 aut 1142. Indicat ergo Biographus, scripsisse se tempore inter annum utrumque interjecto. Respondeo 1. Si verba jam recitata, sint omnia scriptoris Vitæ secundæ, ipsum sibi aperte refragari: nam hoc loco asserit, se scripsisse eodem omnino tempore, quo demonstravimus num. 13, compositam fuisse Vitam primam; alibi vero hoc ipsum, nec minus aperte, negat; ut num. 3, ubi Vitam primam appellat,* antiquiora
C scripta; *num. 40, ubi ait:* Huc usque ex scriptis priorum S. Altmanni gesta narravimus *etc.; num. 54, ubi orditur miracula, quæ post Vitam primam usque ad ætatem suam, utique posteriorem, contigerunt. Unde respondeo 2, verba citata non esse auctoris Vitæ secundæ; sed ineptum importunumque glossema; id quod ex eo etiam colligit et confirmat Pezius, quod in codice Campililiensi non legantur hæc,* Hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo. *Dixi ineptum importunumque glossema; quia existimo, illud vere scriptum fuisse alicubi ad marginem prioris Vitæ, cujus ætati aptissime quadrat, et quidem superstite Leopoldo Largo; atque inde in secundam Vitam intrusum ab aliquo fuisse, qui temere crediderit, eodem ambas tempore conscriptas esse.*

tametsi non scripserit post annum 1300.

20 *Idem C. V. Hieronymus Pezius in observationibus huic Vitæ præviis, scriptoris hujus ætatem aliunde colligit; statuendo videlicet primo, hunc fuisse Rubertum abbatem; deinde, hunc Rubertum abbatem non alium fuisse, quam Rudmarum, abbatem ab anno 1173 usque ad 1199 Gottwicensem. Sed neutrum fundamentum apparere potest solidum, ne ipsi quidem Pezio: nam ad primum quod attinet, qui memorata paulo ante verba* (Hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo) *ideo spuria reputavit, quia in codice* D
unico Campililiensi non reperiuntur, tametsi reperiantur in pluribus aliis; quo pacto sinceram solidamque judicare potest inscriptionem nominis Ruperti abbatis, *quæ a duobus, ut minimum, codicibus abest? Relege dicta num. 18. Alterum fundamentum primo debilius est, utpote sola nimirum similitudine (quæ sane perexilis est) nominum* Ruberti et Rudmari. *Posset, nostra quidem sententia, certius aliquid erui ex antiquitate Mss. exemplarium, si de hac aliunde ferri posset judicium quam ex solo ductu litterarum; nam hic, si de uno tantum alterove seculo disputatur, quam incertus si index, norunt qui in vetustis codicibus utcumque versati sunt. Nos interim, qui Vitæ hujus nullos istiusmodi codices habemus, id solum audemus affirmare, quod auctor illius opus hoc suum concinnaverit ante annum Christi 1360; cum de Beati corporis inventione, translatione atque elevatione, superius num. 4 memoratis, non faciat mentionem; imo ante annum 1300; quandoquidem ignoravit indulgentias, de quibus egimus num. 3: nam si eorum omnium scivisset* E
aliquid (ut absque dubio scivisset, si scripsisset posterius) profecto nequaquam silentio potuisset involvere sive in Prologo suo num. 1 et 2, sive in Actis num. 46 et sequentibus; ubi profert, quidquid potest, ad ejus gloriam et sanctitatem quibusdam incredulis persuadendam.

Quare hæc etiam demus; et unde.

21 *Cæterum dubitavimus primo, expediretne Vitam hanc secundam priori totam subjungere, an ejus tantummodo fragmentum illud, quod a numero 54 usque ad finem extenditur. Et certe quæcunque numerum illum præcedunt, necessaria non esse, fatemur ultro; quando in iis nihil quidquam, quod quidem ad Vitæ substantiam spectet proprie, continetur, quin ex Vita priore depromptum sit. Visum tamen est tandem, ab exemplo clarissimi Pezii non recedere, neque hoc adeo monumentum subducere lectoris aviditati; tum quia satis antiquum est, tum quia limatiore judicio calamoque compositum, quam Vita præcedens, cujus historiam et purgat simul et confirmat; tum denique quia incitandis ad pietatem legentium animis longe accommodatius; qua parte vix dubium est, quin viris religiosis, ac præsertim concionatoribus, gratissimum sit futurum.* F
Dabitur vero illud hic ex editione Tengnageliana, collata olim cum Ms. quodam Canonicorum regularium ad S. Nicolai prope Patavium, a quo perparum differt; et modo cum editione Peziana, a qua discrepat aliquanto frequentius, et ex qua non nunquam, ubi hæc emendatior apparuerit, castigabitur. Verum antequam ad ipsa procedamus Acta, juverit, quæ in iis omissa sunt, supplere; quæ obscurius narrata, discutere; quæ non satis distincte digesta, ad continuam temporum seriem, quantum quidem fieri poterit, revocare; idque cum exemplo, tum adminiculo potissimum R. P. Hansizii nostri, Germaniæ sacræ tom. I a pagina 256.

§ III. Actorum ejus ordinatio simul et suppletio usque annum Christi MLXXVII.

Quo tempore Beatus noster editus in lucem fuerit, Acta neutra significant; nec est etiam alibi, unde illud omnino presse atque anguste desinia-

A *Natus est Altmannus circa initium seculi XI,* *desiniamus; est tamen, unde laxius; etenim in Vita priore num. 7 dicitur una cum SS. Gebehardo, post episcopo Salisburgensi, et Adalberone, dein Herbipolensi antistite, litterarum studiis operam in eodem lyceo dedisse. Erat ergo amborum circiter æqualis; uti disertius affirmatur in Vita S. Gebehardi apud nos Junii tom. VI, part. 1, pag. 149; ac proinde natus videri debet versus initia seculi* XI; *nam eo referendum esse ortum Gebehardi, satis indicat auctor Apologiæ pro Henrico IV imperatore, apud Freherum in rerum Germanicarum Scriptoribus tom. I, pag. 215, cum ita scribit :* Vidimus etiam ibi Gebehardum, dictum quondam Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopum, qui post multa ecclesiæ stipendia cœpit jam *(anno scilicet, ut ex præcedentibus liquet, 1086)* quasi puer centum annorum militare in castris Saxonum. *Adalberonem quoque quam certum est anno 1045 ad Herbipolensis ecclesiæ clavum accessisse; tam est verisimile primam lucem hausisse sub seculi ejusdem initium.*

B *nobili apud Westphalos familia :* 23 *De loco natali ac genere hæc tantum Vita prima num. 2 :* In... Westphalia Altmannus claris parentibus editus. *Addit Bruschius in Laureaco lib. 2, pag. 128, ex* perveteri, *ut ait,* Chronico, *prodiisse illum* ex celebri ac perveteri Putinensium ducum (qui in Austria quidem vixerunt; sed in Saxoniæ et Westphaliæ principum aulis serviverunt) genere. *Hoc si credi potest, credi debet ex fide perveteris Chronici, non Bruschii; qui certe nullam prodit, cum priorem sententiam non ex ullo Chronico, sed ex suo scilicet erga Romanæ Sedis defensores affectu ita continuat :* Fortassis extra matrimonii et honesti conjugii vinculum illigitime natus. *Dic, os impudens, qui Virum undequaque maximum laudare non audes, nisi ex* perveteri Chronico; *qua fide illum, quo argumento, quo teste calumnieris? Profer sane, si potes, aliquid, quo maledicum tuum illud* fortassis *utcunque confirmes; aut si non potes, quia nullum uspiam occurrit atrocis adeo suspicionis indicium, sed quæ illam redarguant, plurima; mentitum esse te splendide, confitere. Cæterum neque* perveteri *isti, sed ad hunc usque diem ignoto,* Chronico *tantum nunc aliqui tribuunt, quin ge-* C *nus* Altmanni *a Westphalica Wetinensium, quam a Putinensium Austriaca familia malint accersere. Vide Hundium in Metropoli Salisburgensi tom. I, pag. 305, Hansizium hoc loco, pag. 259, num. 3, aliosque : nam cum tenebris hisce lucem non possimus afferre, Actis acquiescendum putamus.*

quid egerit a puero usque ad an. 1064; 24 *Jam quæ ab ineunte ætate usque ad episcopatum gessit Beatus, ea quoque certis dimetiri finibus perdifficile est. Et annos quidem absque dubio multos junior ac discipulus in scholis posuit; quandoquidem in Vita prima num. 2 dicitur, antequam ad publicum Ecclesiæ ministerium assumeretur, fuisse* divinis et secularibus litteris apprime eruditus. *At ubi id factum? Silet utraque ejus Vita; forte quod non uno in loco didicerit omnia, sed aliis atque aliis. Parisiense tamen Athenæum adiisse cum SS. Gebehardo et Adalberone supra memoratis, narratur in Adalberonis ejusdem antiqua Vita apud Hieronymum Pezium tom. II, pag. 7, num. 4. Ibi adeo illustrissimi collegæ prædixisse censendi sunt, quæ in vita nostra prima referentur num. 7. Inde porro, non secus ac de B. Adalberone traditur,* dulcibus abundanter theoriæ refectus fructibus, sapientia plenus regressus *in patriam,* apud Paterbrunnem, *inquit num.* 2 *Biographus noster,* canonicus fuit, in quo loco multis annis scholas rexit. Deinde Aquisgraniæ canonicis præpositus fuit : quo tempore etiam in palatio Henrici III capellanus claruit : quo defuncto *(anno Christi 1056)* reginæ Agneti fideli obsequio adhæsit; cum qua Pataviam venit, *anno 1057; quo videlicet Agneti Bavariæ ducatum cessisse notant Marianus Scotus aliique. Subjunguntur continuo iter ejus Hierosolymitanum, et in ipso reditu promotio ad cathedram Pataviensem, de quibus jam mox. Ex hac interim serie patet, nullum assignari posse tempus, quo monachus fuerit Benedictinus, uti credidit Trithemius de Viris illustribus Ordinis illius lib. 4, cap. 242, et post eum Dorganius ac Bucelinus; non item cautiores alii, ut Wionus, Menardus, Mabillonius, Pezius. Patet etiam ex eadem, non esse admodum antiquam eorum opinionem, qui illum Coloniensis ecclesiæ et canonicum et Præpositum fuisse tradunt, Bruschii videlicet in Laureaco pag. 129, Hundii in Metropoli Salisburgensi tom. I, pag. 305, Gewoldi, aut quorumdam potius aliorum apud ipsum in notis ad Hundium ibidem pag. 368, ac demum etiam Gelenii de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib. 4, pag. 712.* AUCTORE P. B.

D

25 *Expeditionem, de qua modo meminimus, quæque in vita prima describitur num. 3 et 4, Hierosolymitanam susceptam fuisse anno Christi 1064* autumnali tempore, *sive mense Novembri* post transitum S. Martini, *asserunt, qui tum florebant, Lambertus Schafnaburgensis in editione Pistorii, pag. 171, et Marianus Scotus ibidem, pag. 452 : reditum vero iidem cum æquali suo Bertholdo Constantiensi referunt ad annum sequentem, Christi 1065, quem hoc insuper charactere confirmat Bertholdus :* Quando et Pascha celebratum est VI Calendas Aprilis. *Iidem, præter Marianum, qui tacet, eodem anno 1065 et obitum Egilberti Pataviensis episcopi, et* Altmanni *successionem locant; et hunc quidem Lambertus designatum ait fuisse ante reditum; quod etiam affirmant Acta Beati priora num. 5; licet annum non exprimant; qui ex laudatis chronologis pro certo haberi debet. De die aut mense, quibus episcopatum sit exorsus, nihil compertum; nisi quod id fecisse videatur et aliquandiu post mortem decessoris, (quam incidisse anno illo in diem* XXIII *Maii, notant apud Hansizium pag. 254 Schritovinus et Chronicon Tegerseense;) et ante diem* XIX *Julii; quod ex ipsis Beati litteris apud eumdem Hansizium pag. 280 eruitur; utpote consignatis* anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII, XIV Kalendas Augusti, anno pontificatus nostri XXIV : *non potest enim anno 1088 dies* XIX *Julii, seu* XIV *Kal. Aug. pertinere ad Pontificatus ejus annum* XXIV, *sed ad* XXIII *duntaxat, si anno 1065 Pontificatus ejusdem annus primus post diem* XIX *Julii sumpserit initium; ut per se patet.* *quo Palæstinam adiit; anno seq. fit episcopus ante 19 Julii.* E

26 *Quam sancta fuerint pastoralis ejus officii principia, narratur in Actis (prima semper intelligo, nisi aliud addam) num. 6. Eminuit in primis cura splendoris ecclesiarum; et ante alias quidem, ut æquum erat, cathedralis suæ; ad quam possessionibus necessariis augendam nullum non movit lapidem usque ad annum Christi 1067, cujus mense Martio donationem Henrico IV imperatori insignem extudit; idque non per se tantum, sed et per adhibitos, qui tum in aula valebant unice, deprecatores Epanem, antistitem Newburgensem, Gebehardum archiepiscopum Salisburgensem, ipsasque adeo augustas Agnetem ac Bertham; quarum hæc Henrici conjux erat; illa mater.* *an. 1067 ditat ecclesiam suam.*

AUCTORE P. B.

mater. De qua re tametsi sileant Acta, publicum tamen instrumentum dubitare non sinit. Exstat illud et legi potest apud Bruschium in Laureaco lib. 2, pag. 133; apud Gewoldum in additionibus ad Hundii Metropolim Salisburgensem, tom I pag. 368, et apud Hansizium hic, pag. 257.

an. 1072 juvat initia aliarum ecclesiarum; et monasterium erigit Pataviense S. Nicolai;

27 *Anno Christi 1072 Gebehardo, archiepiscopo suo, vices reddidit; cum enim hic utilitates Ecclesiæ propriis anteferens, novum erigere meditaretur in Carinthia apud Gurcenses episcopatum, adjutorem in primis* Altmannum *habuit; ut indicat supra citatus Gebehardi Biographus pag. 151, et multo expressius Gurcensium episcoporum catalogus, quem dedimus tom. V Junii pag. 520. Nec nullam eidem suo metropolitano operam commodasse videri potest in cœnobii Admotensis fundatione; quando hujus tabulis, teste ibidem Hansizio pag. 258, eodem tempore* testis primo loco subscripsit: *eodem enim anno confectas fuisse tabulas illas, etiam Lazius tradit; licet Chronica vetusta pleraque cum Vita Gebehardina ejusdem cœnobii fundationem consignent anno Christi*
B *1074. Eodem anno Christi 1072 duo et ipse Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobia moliri cœpisse dicitur; Gotwicense videlicet, de quo sæpius in Actis infra dicetur; et Pataviense, de quo eadem agunt num. 8. Ac Pataviense quidem serius exstructum non fuisse, satis, opinor, certo constat ex litteris Alexandri PP. II, ad* B. Altmannum *super hac re datis* v Nonas Martii, Indictione xi, *sive anno 1073, in quibus exstare jam cœnobium istud ponitur. Adi Gewoldi Additiones ad Metrop. Salisburg. tom. II, pag. 535; aut si instrumentum Altmannianæ hujus fundationis cum aliis plurimis ad idem cœnobium spectantibus desideras, ea ibidem congesta invenias a pagina 530 usque ad 585. In tabula tamen fundationis observa, perperam ad calcem legi:* Acta sunt hæc in cathedrali nostra ecclesia apud Pataviam, anno Domini millesimo septuagesimo quarto, Indictione nona, xii Calend. Junii: *nam neque annus hic valere potest, neque Indictio. Non annus; quia in ipso textu instrumenti citatur approbatio et confirmatio fundationis a Gregorio PP. VII concessa mense Martio anni 1075. Non etiam Indictio;* quia nona *Indictio circa hæc tempora*
C *non congruit anno 1074; sed 1071 et 1086; quorum neutri tabula quadrat: non enim confecta fingi potest anno 1071, ob causam jam dictam: non vero etiam anno 1086; quia confecta est* in cathedrali ecclesia apud Pataviam; *hanc autem* B. Altmannus *anno 1076 deferere coactus, nunquam postea recuperavit. Corrigendi hic igitur temporis characteres, et reponendus vel annus Christi 1075 post confirmationem Gregorianam; vel 1076 ante* Altmanni *exsilium. Posteriorem hunc præfert, et probat Hansizius pag. 259.*

at Gottwicense quando?

28 *At monasterii Gottwicensis initia minus adhuc extra dubium posita sunt: nam auctor Additionum Gottwicensium supra num. 12 contendit, illud* cœptum esse ædificari circa annum Domini MLXX; *alii, sed æque et magis recentes, huic rei assignant annum Christi 1072, alii 1073: alii primordia cum fundatione et consecratione confundunt, et hæc ita confusa ad annos referunt omnino diversos; ut Chronicum, quod in* Altmanno *pag. 258 citat Hansizius, Neoburgicum Ms., et in quo ad annum 1072 hæc legi asserit* Altmannus episcopus in monte Kotobig ecclesiam S. Erindrudis et primum altare S. Mariæ consecravit; *idem addit,* id ipsum legi in alio Chronico D
Austriaco Ms. vetustissimo bibliothecæ Cæsareæ: *in Epitaphio Beati, quod supra dedimus num. 12. legitur:* Fundavit monasterium *(Gottwicense)* anno MLXXIII; *in Chronico Leobiensi apud Hieronymum Pezium tom. I, col. 773 consecratum dicitur anno 1077; in Zwetlicensi ibidem,* col. 974, *et in Australi apud Freherum tom. I, pag. 318 eadem consecratio alligatur anno 1082; at in Chronico Claustro-Neoburgensi apud eumdem Pezium tom. I, col. 440, affigitur anno 1083, quo et cœnobium primo perfectum fuisse, ac datas fundationis litteras, affirmat auctor Additionum Gottwicensium loco mox assignato.*

Ante 1083, quo dicitur ejus ecclesia perfecta et consecrata.

29 *Nos quod ad fundationis litteras attinet (quas auctor ille æque ac Lazius eumdem annum signans Comment. reip. Rom. lib. 12, sect. 7, cap. 3, vidisse censendus est) aut ecclesiæ Gottwicensis jam absolutæ consecrationem, quam nusquam post annum 1083 notatam invenimus, facile patimur, annum illum defendi ac retineri. Verum si de cœpta loci ædificatione quæritur; hanc illa nequaquam sinunt ante reformatam in cœnobiis S. Floriani, S. Hippolyti, et S. Agapiti seu Cremifanensi disciplinam collocari: hujus enim expeditionis narrationi num. 10 diserte subjungunt:* Post hanc destructionem *(id est reformationem)* INCHOAVIT meliorem ædificationem: E
in monte quippe excelso, qui vocatur Gottwig, condidit sanctæ Dei Genitricis decorum habitaculum *etc. Scio, non semper in his Actis res ordine, quo contigere narrari; sed quis tum negligi dicat ordinem, cum expressis verbis indicatur, nisi falsi arguat historicum? At enim, inquis, reformationes illæ, secundum Bruschium in Laureaco pag. 149, Hundium in Metropoli Salisburgensi tom. I, pag. 307, Rettenpacherum in Annalibus Cremifanensibus lib. 2, cap. 9, pertinent ad annum Christi 1080: imo Hansizius noster eas refert ad 1081, et multo quidem, quam illi, commodius. An vero credibile est, inchoatam tum demum tantæ molis fabricam, uno aut sesquianno non ad fastigium pertigisse modo, sed etiam ad consecrationem et usum sacrum fuisse satis comparatam? Durum hoc; fateor. Sed an Bruschii et sequentium tam certa est auctoritas, ut quemquam ab anonymo nostro cogat recedere? Quid si ergo negemus, reformationes illas tam diu* F
fuisse dilatas?

sed non ante an. 1072, quo tria monasteria reformavit Beatus:

30 *Favebit certe Bernardus Noricus, Cremifanensis monasterii seculo* XIV *cœnobita, dum apud Hieronymum Pezium tom. II, col. 58 in Catalogo abbatum Cremifanensium ita scribit:* MLXXII. Ditricus præfuit, qui fuit monachus in Gœzz, et per Altmannum episcopum advocatus, huic loco præficitur *etc. Nam cum idem hic sit* Ditricus, *seu* Theodoricus, *quem Acta nostra num. 10 adductum illuc ab* Altmanno, *et præfectum asserunt ipso reformationis tempore, consequens est, ne hæc (et quidni etiam aliæ duæ, huic ibidem præmissæ?) facta sit anno 1072; non 1082, ut habetur apud eumdem Pezium tom. I, col. 1306. Favebit etiam Eynwicus in vita venerabilis Wilburgis apud eumdem, tom. II, col. 219, dum ait,* Altmannum ad interventum summi Pontificis, Domini videlicet Alexandri, ipsam ecclesiam *(S. Floriani)* in sui protectionem recepisse [et] ad ejus restaurationem devoto animo operam dedisse. *Obiit enim Alexander PP. II mense Aprili anno 1073. Favebunt denique, quæ dicentur infra num. 35. Atque ita licebit et Actis nostris inhærere, et initia Gottwiensia vel ipso anno 1072, vel certe diu ante 1081 collocare:*

ita

Auctore P. B.

A *ita quoque facile intelligetur cœnobium illud jam tum a mense Maio anni 1082, quo Austriaci plurimi post cladem a Bohemis ac Bavaris acceptam ad extremam redacti sunt egestatem, ita constitutum fuisse, ut sufficere Beato potuerit, ad* multa millia pauperum *tum ibidem alenda; ut fecisse traditur in Actis num. 25. Vita quoque nostra secunda non solum aperte ponit num. 21, Gottwicum ædificari cœpisse post reformationes jam dictas; sed etiam num. 23, ante promulgata per beatum Antistitem S. Gregorii PP. VII adversus clericos incontinentes decreta, vel certe antequam in hæc et illum propudiosum istud hominum genus Henrici IV imperatoris iram et arma suscitasset anno, ut mox videbitur, 1076.*

An. 1074 agit contra clericos conjugatos: 1076 expulsus, fit Legatus Apostolicus, et adest conventui Triburiensi.

31 *Vix anno 1074* B. Altmannus *Romani Pontificis et concilii, ineunte Quadragesima Romæ celebrati, mandata receperat; quin, contemptis pervicacium insidiis, nec sine præsentissimo vitæ discrimine, ea festo S. Stephani sub anni vertentis exitum, ut referunt Acta num. 11 ac 12, sit exsecutus; pridie scilicet, quam assisteret traditioni cuidam piæ, quæ in Metropoli Salisburgensi per Gewoldum aucta, refertur tom. III, pag. 159,* B *et cujus auctor fortassis ipse Welfoni, Bavariæ duci, fuerat: spectabat enim ad cœnobium Raitenbucchense; quod ipsi primordia sua debuisse, supra jam notavimus num. 1. Furebat interim perditissimorum sacerdotum per Antistitis invicti constantiam ab ecclesia simul et sacris altaribus proscripta libido, donec Henricum, Romano et ipsum fulmine jam tactum efferatumque, eo per calumnias impulit, ut fortissimum Virum exsulare tandem coegerit; quod medio circiter anno 1076 accidisse existimamus: siquidem Acta num. 14 jam ab Ecclesiæ communione separatum fuisse imperatorem asserunt, cum infamium calumniatorum querelas exciperet; separatus autem non fuit ante secundam hebdomadam Quadragesimæ anno 1076; ut constat ex concilio tum Romæ, teste Lamberto Schafnaburgensi ad hunc annum, habito: deinde eadem Acta num. 15 referunt, ejectum Antistitem in Saxoniam contendisse primum, deinde Romam, ubi constitutus fuerit Legatus Pontificius; qua potestate reversus in Germaniam eodem adhuc anno 1076,* XVII *Kalendas Novembris interfuit conventui Triburiensi, ubi de Henrici exauctoratione actum est, ut fusius narrat Lambertus, et* C *citatus hic apud Hansizium Bertholdus Constantiensis Ms., auctior edito; a quo et episcopi plures numerantur, quos in eodem conventu ab Henrici ad Pontificis et Ecclesiæ partes traductos* Altmannus *absolverit anathemate; et leges, quas Henrico, si retinere vellet imperium, intra definitum tempus implendas, præscripserit.*

§ IV. Continuatio ab anno MLXXVII usque ad MXCI, quo Beatus obiit.

An. 1077 Forcheimii et Goslariæ proscribit Henricum imp.; et ab hoc spoliatur: 1081:

Germaniæ præsules principesque Romano Christi Vicario fideles, ubi, promissis elusis, ad ingenium redisse Henricum cognovere, ad Forcheimium, uti condixerant, ad III *Idus Martias anno 1077 collecti, redacto in ordinem imperatori Rudolphum suffecerunt Sueviæ ducem. Isti vero conventui inter alios* Altmannum *adfuisse, notat Hansizius pag. 265; neque res dubia videtur; quando, quæ hic sunt acta, cum actis in colloquio Triburiensi, cui inter primarios interfuerat, omnino cohærent. Illud etiam indicio fuit, quod aliquanto post rediens ex Italia, et per Carantaniæ fauces in Bojariam irrumpens Henricus, ibi facultates opesque eorum, qui adversabantur,* sed maxime PATAVIENSIS EPISCOPI, inter suos divisit; qui in ecclesiarum bona inhumanissime grassati sunt. *Verba sunt Bertholdi Ms. loco mox assignato producta. Ibidem quoque probat Hansizius, Præsulem nostrum eodem anno mense Novembri ad congressum Goslariensem, iterandis in Henricum anathematis indictum, venisse. De anno sequente, sive Christi 1078, nihil admodum apud scriptores reperit memorabile; nisi quod Gobelinus Persona in Cosmodromio, ætate 6, cap. 55 tradit in hæc verba:* MLXXVIII, Henrici XXII, Poppo episcopus Paderbornensis et Altmannus episcopus Pataviensis dedicaverunt ecclesiam monasterii SS. Petri et Pauli in Paderborn, post civitatis incendium anno XXI. *De quo etiam Bucelinus in sua Germania, part. 2, pag. 132; ubi de hoc cœnobio Benedictino Abdinghoffensi.*

E

assistit Romæ 3 conciliis 1079 et 1080, quo redit in Germaniam:

33 *Annum 1079 totum ab ipso ferme principio Romæ Legatus noster Apostolicus exegit; ut adversus Pagium ostendit hic P. Hansizius pag. 266 tum ex epistola S. Gregorii PP. VII, tum ex relatione Bertholdi Ms., qui cum tunc narrat duabus ibi synodis assedisse; et priori quidem* XI *Februarii; posteriori vero intra hebdomadem Pentecostes. Quæ fuerit secundi hujus itineris Romani causa, ibidem Bertholdus indicat, de prima synodo scribens,* Ad quam, *inquit,* licet furtivo vix diversiclinio, itinerantes Cardinalis Romanus, PATAVIENSIS, et Metensis episcopi, pro tot suarum et ecclesiasticarum injuriarum causis Apostolicæ Sedi proclamandis, plerisque insidiarum et custodiariorum articulis Dei gratia secure pertransitis, gratulanter pervenere. Ubi in audientia totius synodi se proclamantes episcopi, gratanter auditi, acceptabantur. *Imo vero ex eadem S. Gregorii PP. epistola constat, Præsulem nostrum non nulla etiam parte anni 1080 Romæ commoratum esse: data fuit enim eodem illo anno, teste Brunone in Historia belli Saxonici apud Freherum tom. I, pag. 147, ubi legi potest; data fuit, inquam,* Regi Rudolfo, *ad quem ita Sanctus Pontifex:* Quid jam in duabus synodi nostræ conventionibus de rege R *(Rudolpho)* et de H *(Henrico)* statutum.... sit...., per nostras litteras et per nostros legatos (nisi forte capti sint) apertissime potestis cognoscere; et siquid adhuc remanserit, per episcopos Metensem, et PATAVIENSEM..., qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos pervenerint, quasi in promptu habetis audire. *Mansit ergo sine dubio Romæ saltem usque ad judicium illud adversus Henricum et pro Rudolpho decretorium, quod ibidem pronuntiatum fuit* Nonis Martii, Indictione III; *uti subscribitur apud Labbeum. Et cum hic finis esset rei, quem Romæ præstolabatur unice; haud sane distulisse diu postea credi potest reditum in Germaniam; quod et ex Chronica Augustensi apud Freherum tom. I, pag. 351, eruitur; ubi auctor schismaticus, textu licet mutilo, satis innuit,* Altmannum *mense Junio ejusdem anni 1080 apud Welfonem Bavariæ ducem et fuisse et plurimum valuisse.* F

ubi Leopoldum Austriæ marchionem sibi et Ecclesiæ conciliat

34 *Nescio, an ad priorem Beati ex Urbe reditum, an ad hunc referri debeat hæc epistola S. Gregorii PP.:* Ex quo a nobis discessisti, Frater Carissime, *etc. Liquet ex ea certe, quam constanter impositum semel Apostolici Legati munus*

imple-

AUCTORE P. B.

impleverit; ut qui a canonum rigore tam iniquis temporibus, nisi ex Romani Pontificis auctoritate, recedere nullo pacto sit ausus : nam eo epistolam integram pertinuisse aiunt Acta nostra num. 31. Æque incertus equidem sum, huc, an alio referam epistolam ejusdem Pontificis aliam, cujus apud Biographum nostrum num. 30 hoc profertur initium : Interrogavit nos Religio vestra de sacerdotibus in fornicationem lapsis, aliisque criminibus irretitis, quidnam de illorum gradu foret censendum. *Est, qui illam ad hoc forte tempus pertinere existimet, hoc est ad annum Christi 1081; verum cum de sacerdotum incontinentia sententiam suam Gregorius in Romana synodo anni 1074 satis exposuerit, eamque per submissa ad* Altmannum *cæterosque Germaniæ præsules decreta eodem anno promulgandam submiserit, videtur propositum* Altmanni *dubium, adeoque et Gregorii responsum synodum istam præcessisse potius, quam secutum esse. Hoc certius, quod narrat Hansizius ex Anonymi Garstensis Chronico ad hunc annum 1081; Leopoldum videlicet Austriæ marchionem* Altmanni *sive industria, sive virtutibus, sive his potius et illa simul victum, Henriciana* B *factione ejurata, ictoque palam fœdere, ad partes Catholicas transiisse : Chronici verba sunt :* Antistes Altmannus, marchioque Leopoldus, aliique principes jurabant in unum contra regem Henricum. *Huc ergo refer, quæ in Actis nostris leguntur initio numeri 26. Eodem referri posse censet Hansizius monasteriorum trium reformationem. Et sane ad eam rem peropportuna poterat esse conciliatio Leopoldi. Consideranda tamen videntur, quæ supra diximus num. 29 et 30; imo et istud, quod eodem hoc anno contigit :*

eodem anno binis S. Gregorii PP. VII litteris honoratur:

35 *Nam cum, Rudolfo rege Idibus Octobris anni 1080 per Henricianos cæso, Catholici Germaniæ principes de novo rege legendo cogitarent, idque S. Gregorio, cujus in Teutonia gerebat vices, pro suo munere per epistolam significaret* Altmannus, *quædam addidit super moderatione canonum adversus improbos illorum temporum sacerdotes latorum. Respondit Sanctissimus Pontifex anno 1081 post habitam nuper in Quadragesima Romæ synodum, per litteras, quarum initium exhibet Biographus noster num. 30, sed quas integras legere est in Labbei Conciliis tom. X, col. 278, et hic apud P. Hansizium pag. 269 : respon-* C *dit, inquam, hæc inter alia :* Quod vero de sacerdotibus interrogastis, placet nobis, ut præsentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam,... pro tempore rigorem canonicum temperando debeatis sufferre : de his namque pacis et tranquillitatis tempore (quod, Domino miserante, cito futurum credimus) convenientius tractari, pleniusque poterit canonicus ordo servari. *Atqui nihil minus præstitit* S. Altmannus, *cum dicta cœnobia severissime purgavit; ut patet ex Actis num. 9 et 10. Non igitur hoc tempore videtur ea reformasse, sed alio præcedente; cum dubitari non possit, quin religiosissime semper in omnibus Pontificum Romanorum non mandata solum, sed et consilia nutusque servaverit. Porro ad eumdem hunc annum spectat altera S. Gregorii ad* Altmannum *epistola hoc principio :* Quia vicem nostram in Teutonicis partibus Prudentiæ tuæ commisimus *etc. Hæc non citatur in Actis nostris; sed exstat inter Gregorianas apud Labbeum supra col. 284, et Hansizium pag. 271 : est autem hortatoria, cum ad revocandos a schismate episcopos, tum ad revocatos benigne suscipiendos, et inter hos quidem sigillatim episcopum Osnaburgensem.* D

Anno 1082 redit ad ecclesiæ partem in Austria sitam

36 *Quæ superioribus litteris commendata fuerant anno eodem exsecutus, quoad potuit,* Altmannus, *cum probe Catholicos jam sibi patronos conciliasset Leopoldum Austriæ, et Ottocarum Styriæ marchiones, in quorum ditionibus ab Anaso flumine ad Orientem pars maxima protendebatur diœceseos Patavinæ, ad ecclesiam tandem suam, imo ecclesiæ, quam dixi, partem, sub annum Christi 1082 reversus est. At ubi sedem in ea fixerit, auctores disputant. Hansizius pag. 272 asserit, eum* Laureaci seu Anasoburgi, *vulgo* Ens, *ad fluvii cognominis ostia,* potissimum agitasse, *secutus haud dubie Schritovinum sive Schrettweinum, qui seculo* XV *floruit, in Catalogo Ms. Vindobonensi archiepiscoporum et episcoporum Laureacensis et Pataviensis ecclesiarum : hujus enim hæc verba citat pag. 283 :* Ipse (Altmannus *post exsilium)* cathedram suam in Laureaco posuit sub alis Luitboldi marchionis. *Contra Bruschius de Laureaco pag. 147,* Postea, *inquit,* in Austriam reversus (B. Altmannus *ab exsilio)* in Mauterensi oppidulo Austriaco reliquum vitæ exegit, E tantum *(hoc falsum est)* illustrando suo Gottwicensi cœnobio vacans. *Hunc sequitur Hundius in Metropoli Salisburgensi tom. I, pag. 807, idque totidem verbis, nisi quod mendax illud* tantum *expungat. Posteriori sententiæ favent Acta num. 25, cum de* Altmanno *et monte seu cœnobio Gottwicensi hæc referunt :* In quo monte cum dilectis sæpius spiritualia tractavit : *more, ni fallor, a sanctis episcopis olim usitato, quo ad proximum suæ sedi monasterium identidem excurrentes, distractum negotiis pastoralibus animum colligere recessu sacro ac prece piisque colloquiis reficere consueverunt. Ad hoc autem, si in Mauterensi oppidulo habitavit, opportunissimum erat Gottwicum, utpote (si mappis fides) leuca inde vix una dissitum; cum Laureaco distet ab ortu in occasum leucis horariis octodecim circiter.*

ubi tum juvat fundationem Garstensem; dedicavit eccl. Cremifan, et pavit millia pauperum:

37 *Ut ut est, hoc anno 1082 beatus Præsul non solum Laureaci fuit; sed ibi etiam Styriæ marchionem juvit in fundatione cœnobii Garstensis, ecclesiam illam ipsi, Behambergensi parœcia per commutationem recepta, concedendo. Superest forte etiam nunc apud Garstenses authenticum contractus hujus instrumentum; certe ex eorum libro traditionum illius initium et finem recitat in Opere suo diplomatico Ludewigius tom. IV, pag. 193, ubi initium hoc est :* In nomine sanctæ F et individuæ Trinitatis, Altmannus, Dei gratia Pataviensis episcopus, Christi fidelibus in perpetuum, qualiter nobilis vir Ottaker, marchio Styrensis, *etc. Finis vero hic :* Acta sunt autem hæc apud Lauriacum an. Incarnationis Domini MLXXXII. *Plura Hansizius pag. 273. Hoc eodem anno Rettenpacherus in Annalibus monasterii Cremifanensis pag. 147 solemni ritu dicatam ait fuisse ab* Altmanno *ejusdem cœnobii ecclesiam, oppido Mauterensi, Gottwicoque, in adversa tamen Danubii ripa, vicinam; quam et aliarum decimis locupletasse dicitur apud Hansizium pag. 274. Videtur ergo jam tum Mauteræ substitisse; quod magis firmat insignis illa caritas, quam eodem hoc anno, ut probat Hansizius pag. 272, post cladem Moribergensem vastationesque Bohemorum a mense Maio circiter in eversos funditus bonis agricolas tum Gottwici, tum domi suæ exhibuit, secundum Acta nostra num. 25 : nam domum illam, sive episcopium ejus, in oppido Mauterensi tum fuisse, res ipsa loquitur : cum enim pugnatum fuerit versus Austriæ Moraviæque confini qua,*

Pulka

A *Pulka fluvius in Teyam labitur; ibique sit illa terra, quam totam (puta usque ad Danubium) Acta narrant redactam fuisse in solitudinem, profectò miseros illos trans-Danubianos ad loca cis-Danubiana proxima, ut Mauteram, Gottwicum, et his vicina, confugisse credibilius est, tanto præsertim numero, quam Laureacum, inde perquam longe remotum.*

an. 1083 fundat Gottwicum: 1085 subscribit synodo Quedlinb. Deinde Hermannus ejus ecclesiam invadit:

38 *Ad annum 1083 jam supra retulimus num. 29 fundationem cœnobii Gottwicensis ejusdemque ecclesiæ consecrationem, de quibus Acta numero item 29. Hisce subjungit Hansizius ea, quæ narrat Biographus noster de Beati severitate adversus injustum possessorem num. 25, de liberalitate ejus, de cultu ac reformatione ecclesiarum suæ diœceseos num. 18, de pœna Comitis perjuri num. 24. Nimirum Leopoldo ejus consiliis per omnia favente, liberrimum nactus erat et muneris sui, et potestatis, et virtutum, quibus excellebat, exercitium. Anno 1085 Saxoniam revisens, hebdomade Paschali interfuit ac subscripsit generali synodo Quintilineburgensi adversus Henricianam et Wecilianam hæresim; de qua vide Labbeum tom. X,* B *col. 404 et 1831. Tertia vero post hanc synodum septimana, vel, ut habet auctor schismaticus Apologiæ Henrici IV imperatoris apud Freherum tom. I, pag. 197,* secunda hebdomada post Pascha, *in conciliabulo Moguntino ab episcopis Henricianis inter primos Ecclesiæ Catholicæ vindices non solum proscriptus fuit* Altmannus; *sed et subintrusus ei in cathedram Pataviensem Hermannus ille schismaticus, quem Acta num. 17 sedisse asserunt* per biennium, *et Bertholdus Constantiensis in Appendice ad Hermanni Contracti Chronicum anno Christi 1087 narrat exspirasse; ut suo loco dicetur. Hujus autem tyrannis Anasum flumen prætergressa non est; nam quidquid inde versus Orientem erat, sub Leopoldi et Ottocari tutela legitimus Pastor usque ad felicem obitum pacate sancteque administravit: ibique hoc anno 1085 creditur diaconum suspectum Sacrificio arcuisse; quod memorant Acta num. 17.*

an. 1086 S. Gerbehardum deducit: 1087, absens apparet Hermanno morienti:

39 *Annus Christi 1086 Bavarorum principum et reconciliatione cum duce suo Welfone atque Ecclesia Romana, et victoriis insignis fuit; idemque ecclesiis Salisburgensi ac Wirciburgensi (incertum, qua ex causa) fortunatior, quam Patavinæ: illis enim pastores suos Catholicos et* C *sanctos restituit; non item huic. Venit* Altmannus *tamen in partem triumphi, cum alterum eorum, Gebehardum videlicet, metropolitam suum, ab exsilio novennali Salisburgum deduxit; quod hoc anno contigisse diximus tom. VI Junii, part. 1, pag. 154; licet in sequentem rejiciatur in Chronico Admontensi apud Hieron. Pezium tom. II, col. 181. Anno 1087 a Bertholdo coævo consignari monuimus interitum Hermanni, pseudoepiscopi Pataviensis, de quo Acta nostra num. 17. Ita vero laudatus chronographus Constantiensis:* Eodem quoque tempore, quidam schismaticus (*Hermannus,*) qui Pataviensem episcopatum, vivente adhuc legitimo Pastore, jam dudum (*a biennio*) invasit, de hac vita discedens, certissimum suæ damnationis exemplum reliquis schismaticis dereliquit: cum enim jam in extremis jaceret, seque ad æternam damnationem jamjam abiturum non dubitaret, apparuit ei ejusdem ecclesiæ Episcopus (Altmannus, *licet absens,*) ut tanto evidentius culpam sciret, quam apud inferos luere deberet. Rogavit tamen eum, ut ei culpam indulgeret, ipsumque ab excommunicatione solveret. Rogavit quoque circumastantes, ut eum de episcopatu (*seu episcopali palatio*) eveherent, nec eum in episcopatu sepelirent. Sed hæc verba astantibus quasi deliramenta videbantur. Ipse autem sanæ mentis (*esse se*) protestatus, itidem rogitare non cessavit; sed incassum: nam ante ecclesiasticam absolutionem morte præventus est. Nonnulli tamen, qui tam periculosæ morti ejusdem schismatici aderant, compuncti sunt; qui et postea ad legitimum Pastorem redeuntes, veniam et absolutionem consecuti sunt. *Hæc Bertholdus. Cæterum Hermanno schismatico in eamdem sedem schismaticum continuo successisse Tyemonem, Acta nostra testantur; et hunc* Altmanno *superfuisse, probat Hansizius pag. 284; qui et pag. 279 ait exstare Beati nostri litteras, anno hoc 1087 scriptas, quibus cœnobio Garstensi datæ sint decimæ in Furth.*

an. 1088 recuperat ecclesiæ suæ prædia: 1089 dedicat Lambacensem ecclesiam:

40 *Idem eodem loco alias ejus litteras exhibet, datas* apud Lauriacum anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII, XIV Kalendas Augusti; *quibus testatum apud posteros reliquit, quot ecclesiæ Pataviensi prædia juraque, olim alienata, Ottocarus Styriæ marchio,* sedula *sua* commonitione E *adductus, tum resignaverit. Initium earum est:* Altmannus, Dei gratia Pataviensis episcopus, et Apostolicæ Sedis Legatus *etc. Unde patet, hac illum dignitate non tantum sub S. Gregorio, sed etiam sub ejus successoribus ornatum fuisse; id quod mox iterum elucebit: neque immerito sane; cum Ecclesiam in Germania tot motibus concussam cum paucis illis validissime sustentarit, de quibus ad annum 1089 ita Bertholdus meminit:* In Teutonicis partibus, quatuor episcopi (*nam Gebehardus obierat*) in Catholica communione perstiterunt; videlicet Wirceburgensis, PATAVIENSIS, Wormatiensis, Constantiensis, sed et Metensis episcopus; quorum confortamento reliqui Catholici schismaticis a principio restiterunt. *Eodem anno 1089 a S. Adalberone, ep. Wirciburgensi per epistolam invitatus ad solemnem Lambacensis ecclesiæ dedicationem, eas primum litteras reposuit, quas, ob insignes caritatis ejus, fortitudinis, aliarumque virtutum characteres, hic omnino repræsentarem, nisi cum Actis S. Adalberonis, quibus insertæ sunt, referendas in Opere hoc nostro scirem ad diem* VI *Octobris: deinde Lambacum excurrit; et cum amicum sanctissimum in celeberrimi istius monasterii fundatione* F *conficienda, quo pollebat consilio, adjuvisset, una cum illo ecclesiam consecravit* anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIX, XVII Kal. Octobres; *ut est in Actis memoratis, et suo tempore fusius illustrandis.*

an. 1090 ordinat S. Thiemonem archiepisc. Salisb. Dein moritur 1091.

41 *Annum 1090 sic orditur Bertholdus Constantiensis:* In Bajoaria fideles S. Petri (*ita nuncupat Romano-Catholicos*) jam adeo contra schismaticos invaluerunt, ut in Saltzburgensi episcopatu Catholicum ordinarent archiepiscopum; quem statim religiosissimus PATAVIENSIS EPISCOPUS et Urbani Papæ Legatus, cum Wirceburgensi et Frisingensi episcopis, solemniter consecravit. *Fuit archiepiscopus ille Salisburgensis S. Thiemo, seu Theodmarus, de quo mentionem faciunt Acta nostra num. 31 et 33; nos autem faciemus uberius ad diem ejus martyrio consecratum* XXVIII *Septembris. Denique Bertholdus idem ad annum Christi* MXCI *sic habet:* Altmannus sanctæ recordationis Pataviensis episcopus,... in senectute bona migravit ad Dominum VI Idus Augusti. *Textum integrum dedimus initio Commentarii num. 1. Consentiunt Acta num. 32; item Vita S. Adalberonis episcopi Wirciburgensis in fine, et plura melioris*

AUCTORE P. B.

lioris notæ Chronica; ut adeo de anno, mense, ac die obitus nulla possit esse controversia; quidquid ad annum sequentem respexerit Bruschius in Laureaco pag. 150. Atque hic esto Commentarii finis; quando, præter dicta § 1 de cultu, nihil suppetit, unde cætera, quæ post obitum ejus facta narrat uterque Biographus, possimus aliunde supplere.

VITA PRIOR

Auctore monacho Gottwicensi suppari.

Ex Ms. cœnobii Gottwicensis collato cum editione R. D. P. Hieronymi Pez. in B *Scriptoribus rerum Austriacarum tom. I, pag. 115.*

PROLOGUS

Domino Cholhocho, venerando illustrique patri Gottwicensis cœnobii, servus addictus famulatum offert.

Auctoris ætas ac fides. Laudabile quidem opus, sed tamen plenum sudore jubes me, reverende pater, aggredi; et gravius onus, quam ut humeris meis sustineri queat, imponis: quando nimirum desideras, ut sancti præsulis et antistitis Pataviensis Altmanni [Vitam] stylo terso et redolente Latinam phrasin excolere velim, utque virtuosum omnibusque Virum admirabilem producam; et præcipue, ut ea proferam, quæ circa hunc locum, cujus ipse fundator exstitit, gesta sunt. Tuæ igitur jussioni parebo; licet crassus calamus scientiaque impolitus fuerit, id oneris subibo, viresque naturæ et Musarum dotes experiar. C Cœptis ingentibus faveat magni Olympi Regnator, ducatque ad bonos exitus ratem; prodeatque in lucem Vir singularis, omnibus videndus *a*. Ab* his itaque, qui præsentes viderunt, et ejus obsequio familiariter adhæserunt, quælibet ejus gesta investigabo, et hæc posteris insinuare curabo: scilicet unde ortus; quo loco conversatus sit; qualiter ad episcopatum pervenerit; quæ et quanta in eo perversa * pertulerit: qualiter locum nostrum construxerit, in quo post solutum vinculum corporis et animæ sepultus requiescit: qualiter Canonica Religio in monasticam professionem sit permutata: qualiter idem locus per patrum successiones usque ad nostra tempora in Dei laudibus succreverit. Opto te, pater sanctissime, in Domino semper valere. Amen.

* *al.* adversa

ANNOTATA.

a *Huc usque Ms. Gottwicense differt ab editione Augustana Joannis abbatis Lambacensis, qua usus fuit in sua Pezius; sed differentia non attingit substantiam; in sequentibus vero fere etiam verbis cum illa consonat.*

CAPUT I.

B. Altmanni patria, natales, dignitates ecclesiasticæ ante episcopatum, peregrinatio Hierosolymitana, promotio ad infulam.

Scripturus Vitam et actus venerandi præsulis Altmanni, non ingratum reor lectoribus fore, primo ortum Saxonicæ gentis breviter prælibare, de qua idem Vir Domini cognoscitur originem duxisse *a*. Gens itaque Saxonica de exercitu Alexandri Magni traditur oriunda: post cujus mortem Ptolomæus, Antiochus, et alii complures regnum inter se diviserunt, ac diuturnis bellis orbem longe lateque presserunt. Quædam vero pars exercitus de gregariis militibus, quæ superstes remansit, ingressa mare, pyraticam exercuit. Hæc E classis * armis instructa cum manu valida ad Albinum * fluvium perveniens applicuit, terram Thuringorum hostiliter invasit; quæ, habitatoribus occisis, cuncta illorum bona diripuit, et omnia loca eorum usque ad montem, qui Rombsperg *b* dicitur, usque in hodiernum diem perpetuo jure possedit. Hi homines longis cultellis (ut hodie Slavi) pro gladiis utebantur, qui lingua eorum sachs dicebantur; a quibus Sachsones, non Saxones, appellantur: qui viri strenui, nimis bellicosi, viribus et opibus inclyti, circumfusis gentibus sæpius bellum intulerunt, suosque terminos usquequaque dilataverunt. Horum audaciam tandem Julii Cæsaris virtus perdomuit armis; ac Romanis tributarios fecit *c*: post cujus excessum ad pristinam ferociam reversi, Francorum regibus congressi, victores exstiterunt, finesque eorum longo tempore gravi dominatione tenuerunt; usque quo Caroli Magni *d* strenuitas eos multis præliis victos subegit, atque ad Christianæ religionis professionem adegit. F

B. Altmannus apud Saxones *a*

* *al.* classe
* *al.* Albim

2 Qui Carolus plures episcopatus in diversis locis per totam Saxoniam constituit; de quibus Baderbrunn in Westphalia, quæ est tertia pars Saxoniæ, instituit: ut enim totus orbis in tres partes dividitur, scilicet Asiam, Africam et Europam; ita Saxonia (imo Sachsonia) in tres dividitur; ut in Gestis eorum scribitur. Ea pars, quæ eurum respicit et Bohemiæ et Poloniæ confinis est, orientalis Saxonia vocatur: ea vero, quæ septentrionem tuetur et Daniam attingit, aquilonaris Saxonia appellatur: quæ autem versus Rhenum et occidentem intendit, Westphalia nuncupatur. In hac ergo Westphalia Altmannus claris parentibus editus, divinis et secularibus litteris apprime eruditus, apud Baterbrunnen canonicus fuit, in quo loco multis annis scholas rexit: deinde Aquisgraniæ canonicis præpositus fuit: quo tempore etiam in palatio Henrici tertii capellanus claruit. Qui Henricus, cognomento Pius, filius Conradi imperatoris, palatium Goslariæ ad radicem montis Rombsperg, de quo argentum tollitur *e*, construxit, et basilicam ibidem Apostolorum Simonis et Judæ ædificavit. Quo defuncto, Altmannus reginæ Agneti fideli obsequio adhæsit; cum qua Pataviam venit, quando tunc temporis episcopus Egilbertus episcopatus infulam tenuit.

in Westfalia claris ortus parentibus, et honoribus auctus,

3 Eo tempore *f* multi nobiles ibant Hierosolymam

peregrinatur in Terram Sanctam, g h i

A lymam invisere Sepulchrum Domini; quadam vulgari opinione decepti, quasi instaret dies judicii, eo quod Pascha evenisset *g* illo anno sexto Calendas Aprilis, quo scribitur Resurrectio Christi *h*. Quo terrore permoti *i* non solum vulgares, sed et populorum optimates genere et dignitate insignes, et ipsi diversarum civitatum episcopi, magna gloria et honore fulti, patriam, cognatos et divitias reliquerunt, et per arctam viam crucem bajulantes, Christum secuti sunt. Quorum primus dux et incentor fuit Guntherus Bambergensis episcopus, vir tam corporis elegantia quam animi sapientia conspicuus. In cujus comitatu nominati multi viri et clerici et laici, tam de orientali Francia quam de Bavaria fuerunt; inter quos duo præcipui canonici exstiterunt: videlicet Ezzo Scholasticus, vir omni sapientia et eloquentia præditus, qui in eodem itinere cantilenam de miraculis Christi patria lingua nobiliter composuit; et Conradus, omni scientia et facundia ornatus, qui postea in nostro loco canonicis prælatus et præpositus fuit *k*. Quibus Altmannus ex latere reginæ B cum multis viris inclytis de palatio honoratis, factus est comes itineris et socius laboris.

multaque adversa passus in itinere, l

4 Igitur difficile iter peregrinationis aggressi, multas insidias in via a paganis perpessi sunt, et multos ex sociis cum rebus amiserunt *l*. Proh nefas! Hostes Christi, ipsorum sacerdotum Christi dorsa insilientes, eos per campum agitaverunt equitando, calcaribus, ut equos, urgentes. In hoc itinere contigit quoddam memorabile, quod exempli gratia intersero; ut per hoc illi terreantur, qui sapientum consiliis obstinata mente renituntur. Erat in eadem profectione quædam nobilis abbatissa, quæ, posthabita cura Sororum commissarum, contra omnium sapientum consilium, tantæ peregrinationis subiit periculum. Quæ a paganis capta, in conspectu omnium tam diu ab impudicis est stuprata, donec ad opprobrium omnium Christianorum, ultimum efflaret spiritum. His et aliis multis opprobriis pro Christo ab inimicis Christi affecti, et in omni loco spectaculum et Angelis et hominibus effecti, quia per multas tribulationes regnum Dei intraturos se elegerunt, tandem post multas tribulationes Hierosolymam C pervenerunt. Ibi vota sua persolventes, et hostiam laudis Deo offerentes, ad patriam revertuntur gaudentes. Dum in Pannoniam perveniunt, et in Wurzburg *m* lætos dies ducunt, Guntherus Deo amabilis episcopus de hoc seculo migravit, et gaudium Domini sui, super omnia bona constituendus, intravit.

eligitur absens episcopus Pataviensis, n

5 Eodem tempore etiam Egilbertus *n* episcopus Pataviensis defungitur, atque in cœlesti gloria Beatis pro dignis meritis conjungitur. Post cujus mortem Agnes regina regnique optimates consilium ineunt: omnes Altmannum in locum defuncti episcopi eligunt: clerus collaudat; populus conclamat, omnes consona voce dicentes, Altmannum episcopali honore dignissimum, quem doctrina et pietate scirent plenissimum. Mox mittuntur in obviam viri ex honoratis in Pannoniam, qui virgam pastoralem et annulum sponsalem electo deferant, eumque decente honore ad sedem sibi a Deo præparatam deducant. Quo adveniente, infinita multitudo utriusque sexus obviam ivit, [et] Pastorem electum cum magno tripudio excipit: deinde a Gebeharbo Juvavensi venerabili archiepiscopo *o* consecratur, et benedictione accepta, Pataviam reversus denique, cum hymnis et canticis exceptus, in episcopali cathedra inthronizatur.

Ex MS. Gottwicensi.

Deo tum per miraculum ejus merita comprobante,

6 Et quia hunc honorem a Deo promeruerit, ejus vita laudabilis declaravit: erat enim doctor veritatis, amator castitatis, bonis ornatus moribus; et ideo Deo acceptus erat et hominibus. Clerum monebat ad pudicitiæ amorem, populum docebat Dei timorem; dissidentes revocabat ad pacis concordiam; largis eleemosynis pauperum sublevabat inopiam; corpus jejuniis et vigiliis castigabat; spiritum precibus et fletibus humiliabat; et quod alios docuit, in hoc se ipsum exemplar vivis operibus præbuit. His et talibus fulgens virtutibus, factus est Deo carissimus: quod ipse hujusmodi miraculo dignatus est declarare omnibus. Erat in eodem oppido Pataviensi quædam femina, cujus filia unica erat leprosa: cui sæpius oranti et salutem filiæ a Domino instanter poscenti in somnis est revelatum; si ablutionem manuum Altmanni episcopi post sacramenta Missarum acciperet, et filiam ea perungeret, sanitatem corporis reciperet. Quæ dum illa fideliter fecisset, et filiam aqua ablutionis perunxisset, ita a lepra sanata est, quasi nunquam a lepra fuisset perfusa.

cujus futurum episcopatum dudum ante prænuntiaverat. p

E 7 Et quia superius mentio facta est Gebchardi episcopi, non est hic silentio prætereundum, de eo et sociis ejus; scilicet Altmanno Pataviensi et Adalberone Wurzburgensi episcopis præsagium *p*. Cum adhuc scholares essent, et quadam die ad cujusdam fontis fluenta forte panem comesturi, sed non saturandi, resedissent, ad invicem concludebant *, et se episcopos futuros pronuntiabant. Gebehardus dixit, se in Salisburgensi ecclesia episcopum futurum; Adalbero, Wurzburgensis ecclesiæ episcopatum se adepturum; Altmannus Pataviensem cathedram possessurum: quod totum ita probavit eventus: nam et Gebehardus in Salisburgensi ecclesia est pontifex infulatus, et Adalbero in sede Wurzburgensi antistes sublimatus, et Altmannus in Pataviensi cathedra præsul ordinatus. Sed et hoc notandum, quod quisque eorum in loco, quem ipse construxit, requiescit: Gebehardus namque cœnobium, quod dicitur Admons, construxit; in hoc ipse sepultus requiescit: monasterium Lambach ab Adalberone ædificatur; in hoc et ipse nunc tumulatur: cœnobialis vero ecclesia in monte Gottwich ab Altmanno construitur; in hac et ipse sepelitur *q*. F

* *al.* contudebant

ANNOTATA.

a *Falsus est vir bonus, cum hanc suam Saxonicæ gentis descriptionem existimavit non fore ingratam: displicuit enim jam olim auctori Vitæ secundæ; qui et hanc sine dubio notat his verbis num. 3:* Scribere autem quæ ad rem non pertinent, et amplificandi causa a narratione longius digredi, nec vos petitis, nec ego spondeo. *Itaque totam hanc fabellam resecuit; quam si quis confutatam videre desiderat, adeat præter alios Albertum Krantzium in Saxonia ab ipso operis exordio, seu pag. 1.*

b Rombsperg, *aliis* Ramsberg, Ramelsberg, *et* Mons Ramelinus, *prope Goslariam in ducatu Brunswicensi. Vide mox litt.* e.

c *Et hoc de Julio Cæsare fabulosum ostendit Krantzius ibidem pag. 21.*

d S. Caroli Magni *Acta dedimus ad diem 28 Januarii.*

e *Detectæ ibi primum argenti venæ dicuntur sub Ottone I imperatore. Vide Heineccii Antiquitates Goslarienses lib. 1 ad an. Christi 968.*

f *Anno scilicet 1064 (qui septimus erat, ex quo Pataviam* Altmannus *advenerat) circa medium*

Ex ms. Gottwicensi.

dium Novembrem; uti dictum in Commentario prævio, num. 25.

g Evenisset *pro* eventurum esset, *anno videlicet sequente, seu 1065.*

h Resurrectio Christi *contigisse dicitur ac dici debet 6 Kal. Aprilis ab omnibus, qui mortem ejus alligant diei 25 Martii, de quibus jam satis egimus tom. III Martii pag. 540, et tom. I Aprilis in Diatriba præliminari, exercitatione 1.*

i Quo terrore permoti *etc. Hoc, tanquam incredibile, refutat auctor Vitæ secundæ num. 6. Et sane apud chronographos istius ætatis, qui de hac peregrinatione meminerunt, nemo, quod sciam, hunc affert suscepti itineris causam. Tum cur illo præsertim anno Pascha incidens in diem 27 Martii magis præsagire viris cordatis poterat instans Dei judicium; quam aliis tot annis præcedentibus, quibus in eumdem omnino diem Pascha recurrerat?*

k *Vide inferius num. 29 in fine.*

l *Imo Marianus Scotus in Chronico ad an. 1065 ait, illustrium perigrinorum illorum* duo tantum millia ex septem millibus *rediisse. Lege hunc si lubet; nisi mavis adire Lambertum Shafnaburgensem, qui ad eumdem annum hujus expeditionis historiam fusius narrat. Neuter tamen ea memorat, quæ modo hic sequuntur in Actis nostris. De* abbatissa *quoque nihil est in Vita secunda.*

m Wurzburg *in Pannonia nullum est: ergo corruptum hic est exemplar Gottwicense. Pezianum habet,* Wiczenburc; *Campililiense,* Wisenburc; *Vita secunda apud Pezium et Tengnagelium,* Wizzeburg *et* Wizzenburc; *quod idem videtur esse cum hodierno nomine* Weissenburg, *quo significari possunt civitates duæ ex Oriente per Pannoniam redeuntibus in Germaniam obviæ; Alba Græca scilicet seu Belgradum, et Alba regalis, vulgo* Stulweissenburg, *Austriæ multo propinquior: hanc designari hoc loco censuit vel Tengnagelius, vel operis ipsius editor Gretserus noster, cum ad marginem in Vita secunda nomen* Wizzeburg *Latine interpretatus sit* Albam regalem.

n Egilbertus, *qui et* Eigelbertus, Angelbertus, Engelbertus *etc., ab anno 1045 episcopus Pataviensis, obiit anno 1065 die 23 maii; uti dictum in Commentario num. 25.*

o *De* S. Gebehardo archiepiscopo Juvavensi, *seu Salisburgensi, cui suberat Pataviensis, egimus Junii tom. VI, part. 1, pag. 149.*

p *De hoc* præsagio *vide dicta in Comment. num. 24. De* S. Adalberone *episcopo Wurzburgensi, seu Herbipolitano, agendum erit die 6 Octobris. Extant ejus Acta apud Joannem abbatem Lambacensem, et Hieron. Pezium tom. II Scriptorum Austriæ, ab initio.*

q *In Vita S. Gebehardi dicuntur eo tempore, quo suum quisque episcopatum prædixerat, vovisse singuli, singula se cœnobia condituros, ubi olim vita functi quiescerent. Porro de cœnobio Admontensi vide Acta S. Gebehardi; de Lambacensi, Acta S. Adalberonis modo assignata; de Gottwicensi hic plura sequentur.*

CAPUT II.

Zelus ejus in purgandis fundandisque cœnobiis; constantia adversus presbyteros conjugatos; expulsio per Henricum IV; elevatio per S. Gregorium PP. VII.

Quæ autem in episcopatu præconiis digna fecerit, quas persecutiones propter justitiam a membris diaboli pertulerit, sequens sermo explicabit. Quia noverat, se ad hoc a Deo super familiam Dei constitutum, ut destrueret et dissiparet, et ædificaret et plantaret; in quibusdam locis servitium diaboli destruxit, in quibusdam servitium Christi instruxit. In primis namque in suburbio Pataviensi ecclesiam in honorem sancti Nicolai super ripam Œni fluminis constituit *a*, quam multis prædiis et vineis dotavit: et huic loco præfecit Hartmannum Præpositum, virum omni sapientia et facundia præditum, qui Rudolphi regis *b* capellanus floruit, et Urbano Papæ suisque successoribus notissimus fuit. Hic religiosos et clericos et laicos sibi adscivit, quos communem vitam sub regula beati Augustini ducere docuit. Hoc modo igitur Altmannus cultum Dei * ædificavit; qualiter autem destruxerit, dicemus.

Ædificat cœnobium S. Nicolai;

* cultum Dei *omittitur in aliis Mss.*

9 Est locus in Norico Ripensi *c* dictus ad Domum Floriani sancti. In hoc erant Clerici conjugiis et lucris * secularibus intenti, negligentes servitium Dei. Hos providentia Episcopi eliminavit, et religiosas personas ad serviendum ibi Deo congregavit. Porro ipse locus fertur quondam a monachis inhabitatus; sed ab Ungaris destructus; denuo ab Egilberto episcopo *d* reparatus, clericis est mancipatus. In alio cœnobio, scilicet Sancti Hippolyti *e*, erant clerici ebrietati, voracitati et libidini, et usuris impliciti; quos episcopus Altmannus canonica censura expulit de loco, et religiosos viros pro eis restituit; quibus præfecit Engelbertum, virum omni prudentia et eloquentia præditum. Porro clerici expulsi, furiis comprehensi, ægre ferentes expulsionis suæ opprobrium, sumptis armis, audacter ingressi sunt monasterium; fugatis omnibus, cellarium Fratrum effregerunt, et vinum in terram effuderunt. Quod statim ultio divina secuta est; nam omnes in amentiam versi, avia petierunt deserti. Præterea Sancti Agapiti monasterium, quod Crembsmunster *f* dicitur, erat tunc temporis satis magna infamia respersum: nam monachi illi, jugo regulæ abjecto, ac monastico ordine relicto, longe præ secularibus seculariter viventes, proprietatem habentes, per omnia vitiorum crimina erant insanientes, detractores, murmuratores, rebelles, protervi, ventri et luxui tantum dediti, et ad omne opus bonum reprobi. Horum prælati erant voluptatum amatores, religionis spretores, lucris inhiantes, subditos flagitiis superantes. Hi viri pestiferi substantiam monasterii luxuriose vivendo dissiparunt; demum sanctuarium Dei igni incenderunt.

purgat monasteria S. Floriani, S. Hippolyti, et S. Agapiti;

* *al.* curis

10 Hos solertia Episcopi cum magno labore de loco ejecit, et venerabilem virum Theodoricum abbatem ibi præfecit; qui monastici tramitis sectato-

deinde instituit Gottwicense.

A sectatores de Goize *g* adduxit, quos sub magisterio beati Benedicti per normam regularis vitæ verbis et exemplis instruxit. Unde magnam persecutionem a rebellibus regulæ sustinuit; quam ipse patienter tulit, sciens scriptum : Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem a malis patiuntur. Sed is locus postmodum per Adalramum *h*, virum generosum et abbatem prædicandum, tanta religione et honestate est immutatus, ut cæteris circumquaque abbatiis prædiis, ædificiis, libris, picturis, et aliis ornamentis sit prælatus; insuper et viris litteris eruditis et artibus egregie peritis insigniter usque hodie fulgeat ornatus. Post hanc destructionem inchoavit meliorem ædificationem *i* : in monte quippe excelso, qui vocatur Gottwig, condidit sanctæ Dei Genitricis decorum habitaculum; in quo ipse postmodum sepultus, receptus est in æternum Dei habitaculum; sed qualiter hoc sit factum, suo loco plenius explicabimus.

Infectatur fortissime

11 Cum itaque bonus Agricola vineam summi Patris familias excoleret fidelis *, sterilia sarmenta amputando et botriferos palmites propagando, Pataviensis ecclesia, imo totum regnum Teutonicum, sacerdotum vita commaculabatur; quia pene omnes publicis conjugiis, ut populares, ubique infames tenebantur. Unde et Apostolica censura digne indignata, decreta quoque versum * sacerdotes *k* per ecclesias direxit, viros divinis Officiis mancipatos a contubernio feminarum retraxit. Cui cum omnes episcopi prono animo obedirent, et suos canonicos, et per villas sacerdotes monitis et minis a conjugibus prohiberent, Altmannus, collecto undique Fratrum concilio, in ipso Pataviensis ecclesiæ gremio epistolas ab Apostolico missas coram omnibus recitari præcepit; canonica jura proposuit; consecratos viros ab uxoribus abstinere censuit. Qui graviter dolentes, se consueta relinquere, et insuetis colla submittere, responderunt, se nec velle, nec posse hanc consuetudinem deserere; quam ab antiquis temporibus constaret eos ab omnibus antecessoribus episcopis habuisse.

* al. videlicet

* f. quoquoversum ad

B

conjugia sacerdotum ;

12 Quibus ipse e diverso respondit, nec se velle, nec posse consentire eis ad hoc flagitium, unde et ipse haberet periculum, et illi æternum subirent supplicium; præsertim cum scirent scriptum : Non solum qui faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Sed cum ei nulla ratione assensum præberent, magis autem pravo consilio de interitu ejus tractarent; ut sapiens medicus, interim conticuit, secretum consilium cum sapientibus super hac re habuit. Adveniente autem festo sancti Stephani, cum plurimi convenirent primates et populi, fortis Præliator Christi accensus zelo Dei, tota arma justitiæ convertit in ipsam arcem iniquitatis, et fortiter aggressus est debellare impugnatores castitatis : nam coram omni frequentia cleri et populi ascendit in ambonem, et publice recitavit Apostolicæ epistolæ tenorem, gravi interminationis auctoritate interdicens canonicis et presbyteris conjugia, secundum canonum et Apostolica instituta. Qui omnes unanimiter furore repleti, jam tunc impræsentiarum Dei Famulum furibunde manibus discerpsissent, nisi divinum auxilium et optimatum præsentium præsidium furentibus obstitisset.

C

quare ab his apud Henricum imp. oneratus calumniis,

13 Qua tempestate Henricus quartus, filius Henrici Pii imperatoris, admodum puer in regnum electus, absque frænis disciplinæ pro libitu delicate educatus fuit, omnium bonorum acerrimus impugnator. Qui vix adolescentiæ metas transgressus, totus ferebatur in præceps, ut equus et mulus; curam regni negligens, gulæ et luxui serviens, regiam mansuetudinem in tyrannidem commutavit : liberam dominam, scilicet Ecclesiam, ut ancillam, servituti subjugavit : dum omnia jura ecclesiastica more Jezi *l* vendidit, et omnia loca replevit luxuria, et regnum totum permiscuit sanguine, incendio, rapina. Præsules venerandi de sedibus suis ejiciuntur; homines abominandi ecclesiis Christi præficiuntur; principes odiis et inimicitiis exardescunt; milites agricolis omnia sua diripiunt; oritur undique luctus et clamor; regnat ubique metus et mœror. Quo ululatu exterritus * Papa Gregorius, vita et doctrina vere Apostolicus, eumdem Henricum non regentem, sed omnia perdentem, ad audientiam sui vocavit; renitentem venire excommunicavit.

Ex ms. Gottwicensi.

l

* al. excitus et excitatus

Patavia expellitur ;

14 Hunc talem virum, ab ecclesia alienum, Patavienses clerici, imo jam hæretici, adeunt; horrenda crimina Episcopo suo impingunt, et totis viribus laborant, ut eum de honore episcopatus ejiciant. Quorum querimonia Henricus flexus, hostiliter ingressus Pataviam, cuncta loca adulteriis polluit; expulsos ab Altmanno bonis suis restituit. Quo recedente, Fratres de Sancto Nicolao, loca polluta, scopis et aqua benedicta emundaverunt, et incestos de loco pepulerunt. Quod factum dolentes fautores Henrici, servos Dei violenter extrahunt de ecclesia Sancti Nicolai, ac virgis publice cæsos, ut Pharisæi Apostolos, de finibus suis ejiciunt; hæreticos et incestuosos loco sacro præficiunt. Pastoribus ergo a furibus et latronibus fugatis, confestim dominicus grex a sævis lupis invaditur; ovile Christi in diversa dispergitur; substantia servorum Dei a raptoribus dividitur; sed illi rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt, et pro persecutoribus suis oraverunt. Sic episcopalis sedes Pataviæ facta est sedes sathanæ, et ecclesia fidelium facta est ecclesia malignantium; et locus, ubi prius erat habitatio Christi servorum, factus est prostibulum scortatorum.

E

dumque Romæ confirmatur in episcopatu, et fit legatus Apostolicus,

15 Altmannus itaque Deo dignus sic, prævalente iniquitate, de sede sua propter justitiam ejectus, in Saxoniam, scilicet patriam suam, revertitur; ubi, quasi in exsilio, inopia et egestate afficitur, sciens se hic non habere manentem civitatem; et ideo futuram patienter inquisivit per multam tribulationem. Post hoc adiit Apostolorum limina, exponens Papæ Gregorio cuncta suæ tribulationis discrimina; cui etiam pontificatum reddidit, eo quod illum a laica manu *m* susceperit. Apostolicus vero ejus condolens casibus, retinuit eum secum per aliquod tempus. Et cum die quadam in ecclesia positus, Altmannum restituendum cum Cardinalibus disponeret, et ipse onus episcopatus humiliter renueret, subito columba volitans per cuncta loca oratorii, quasi errabunda, venit super caput Altmanni. Quod dum omnes admirati divino nutu factum crederent, et eum dignum officio pontificali proclamarent, Papa nihil moratus, mitram de capite suo tollens, capiti Altmanni imposuit, eumque episcopum et Romanæ Sedis Legatum constituit; et auctum benedictione in propriam sedem *n* cum gaudio remisit.

F

sedis ejus partem occidentalem Hermannus invadit.

16 Dum hæc Romæ geruntur *o*, interim fautores Henrici Moguntiæ contrahunt concilium malignantium, in quo proferunt inauditum omnibus retro seculis judicium, Papam Gregorium, per omnia Catholicum, ipsi ab Ecclesia abdicati, abdicantes, omnesque sequaces ejus, ipsi damnati anathemate damnantes. Quo facto Gregorius, pervigil

Ex MS. GOTTWICENSI.

vigil Pastor Ecclesiæ, ab Urbe violenter armis fugatur; ovile Christi a sævis lupis dissipatur. Wickbertus * hæreticus, vir omni spurcitia plenus, Apostolicam Sedem invasit; qui Sacerdotium profanavit; totum populum et regnum fœdavit. O facinus! Electi Ecclesiæ Pastores a sedibus suis deturbantur; lupi rapaces subrogantur. Quorum factione Altmannus præsul sua etiam sede privatur *p*; Hermannus ducis Luytoldi F. *q* pontificali infula sublimatur; super quo facto quale gaudium diabolus in suis habuerit, audire licebit. In expulsione sui Pastoris cantavit clerus exsultans: Laqueus contritus est et nos liberati sumus. In successione * Hermanni invasoris cecinit lætus: Advenisti desiderabilis, quem exspectamus in tenebris. Quid hic dicendum vel scribendum? Hoc utique, quod Dionysius Areopagita scribit ad Joannem Apostolum, in Pathmos exsilio relegatum, dicens: Ut quid ab impiis Christus crudelis reputatur, quod in judicio separabit malos a bonis? Nonne multum dolent in eorum cohabitatione, et nimium exsultant in eorum separatione? Graves sunt eis etiam ad videndum, quos timent,
B eorum pessimis viis fore impedimentum. Juste ergo justus Judex eos in judicio ab invicem separabit; dum illos supplicio, istos æterno gaudio mancipabit.

* sive Guibertus

* al. susceptione

ANNOTATA.

a *Anno nempe 1072, aut citius; ut ex Commentario discet num. 27.*

b Rudolfus *Sueviæ dux a Catholicis deposito Henrico suffectus est rex Germaniæ anno 1077; occubuit vero 1080. Non videtur ergo Hartmannus Præposituram S. Nicolai diu tenuisse; cum hujus Rudolfi regis capellanus deinde evaserit. Nimirum Henriciani Catholicos e cœnobio ejecerant disperserantque Canonicos; ut infra narrabitur num. 14. Hinc forte in Præpositorum hujus monasterii catalogo non legitur apud Hundium seu Gewoldum in Metrop. Salisb. tom. II, p. 582: quanquam alioqui ab ipso principio parum accuratus est iste catalogus: utpote Ludgerum Præpositum statuens ab anno 1063 (quo nec cœnobium exsistebat, nec episcopus erat* Altmannus*) usque ad annum 1080. Cæterum de Hartmanno plura*
C *inferius num. 39 et seqq.*

c Noricum *regnum extendunt geographi ab occasu usque ad Œnum fluvium et fines Rhætiæ, ab ortu usque ad montes Cecios, sive fines Pannoniæ, a meridie usque ad Dravum flumen et paulo ulterius, a Septentrione usque ad Danubium, a cujus ripis tractus vicinior* Noricum Ripense *appellatus creditur; remotior vero, Noricum Mediterraneum. Ad Ripense spectat cœnobium illustre Canonicorum Regularium S. Augustini; utpote vix duabus leucis a Danubio dissitum, Anasum inter et Tranum flumina. Ectypon hujus dat Merianus in Topographia Austriæ post pag. 52.*

d Ab Egilberto episcopo; Altmanni, *scilicet, uti jam dictum, decessore.*

e *S. Hippolyti, vulgo* Sanct-Pœlten, *itidem Canonicorum Regularium celebre monasterium est, sed a priori multum distans versus orientem et ad fluvium Trasum sedens cum oppido cognomine. Vide Merianum ibidem pag. 31 et ante illam ectypon secundum.*

f Crembsmunster, *nunc fere* Cremifanum *nuncupatur, a fluvio, cui adjacet, Cremeso, vernacule* Krems. *Est ordinis Benedictini. Modernam ejus delineationem habes amplissimam apud Rettenpacherum in Annalibus Cremifanensibus; minorem vero apud Merianum in Topograph. Austriæ post pag. 52.* D

g De Goize; *ita etiam editiones Joannis abb. Lambacensis, et Pezii. In Annalibus Cremifanensibus pag. 146 legitur,* de Gœzze. *Bernardus Noricus supra citatus in Commentario prævio num. 30 scribit.* Gœzz. *Notissimum est monasterium ordinis Benedictini* Gorze *circa Metas in Lotharingia; sed* Goize, Gœzze, *aut* Gœzz *nondum comperi, ubi sit, aut fuerit. Cæterum de tempore harum reformationum egimus in Commentario num. 29 et seq.*

h *Bernardus Noricus in Catalogo abbatum Cremifanensium scribit* Adalrammum, *et præfuisse asserit ab anno 1090 usque ad 1120. Consonat Rettenpacherus, nisi quod* Alramum *appellet, lib. 2 cap. 9.*

i *Vide Commentarium num. 28 et seqq.*

k Sacerdotes, *id est,* episcopos; *ut patet ex eo quod statim sequitur;* cui cum omnes episcopi... obedirent *etc. Hæc autem accidisse diximus anno 1074.*

l More Jezi; *et ita quoque Joannes abb. Lambac.; at Pezius legit* Giezi; *et recte. Vide lib. 4 Regum, cap. 5.* E

m *Agnetis augustæ videlicet et optimatum regni favore; non tamen sine cleri collaudatione, conclamatione populi, et omnium consona voluntate, ut supra dictum num. 5. Audet vero temerarius atque hæreticus Bruschius, quæ hic fecisse narratur Vir sanctissimus, appellare* protestationem nimium Pharisaicam, *imo* sycophanticam; *et* hypocrisim. *O judicem vere Pharisaicum!*

n In propriam sedem *remisit illum Pontifex, quantum in se fuit; sed occlusam illam ipsi tenuere qui ejecerant. Rediit ergo in Germaniam et eodem anno 1076, quo Romam abierat, haud procul Moguntia jam Legatus Apostolicus interfuit conventui Triburiensi; ut ostensum est in Comment. num. 31.*

o *Nota, biographum nostrum, vel ignorasse, vel certe subticuisse secundum iter* Altmanni *Romanum; hinc ea, quæ hoc loco multa conglomerat, subjecit itineri primo, cum re vera contigerint post secundum, de quo consule Comment. num. 33.*

p *Privatus quidem beatus Præsul jam diu fuerat sede sua per ejectionem et exsilium; sed nemo tamen ab Henricianis in eam fuit intrusus ante annum 1085, quo illam hic Hermannus invasit; ut vide in Comment. num. 38.* F

q Ducis Luytoldi F. *Consonat Joannes abbas; sed Pezius habet :* Frater ducis Liutoldi; *Vita secunda num. 28 :* Frater ducis Luitoldi. *Sed quis dux ille Luytoldus?* Forte Francorum, *inquit in Laureaco Bruschius pag. 144 : Hansizius vero in episcopis Pataviensibus pag. 276 censet, fuisse ducem Carantanorum, seu Carinthiæ; at qui hoc circiter tempore Carinthiæ ducatum obtinebat, a Megisero in Annalibus Carinthiæ Germanicis pag. 741 non* Luitoldus *appellatur; sed* Luitolphus et Leopoldus, *neque de fratre ejus* Hermanno *meminit. Unde nihil hic certum videtur.*

CA-

A

CAPUT III.

Solicitudo ejus in administranda parte diœceseos sibi subdita; quædam ejus miracula; severa constantia adversus improbos, etiam potentes.

Hermanno mortuo subintruditur Thiemo, Altmanno infra Anasum sedente, a * al. Tiemo et Tyemo b

Hermannus autem vixit per biennium, et judicio Dei vitam cum infula amisit: qui tamen dicitur in extremis pœnituisse, et induvias suas *Altmanno* episcopo pro absolutione anathematis *misisse a*. Quo defuncto, quidam Wurtzburgensis canonicus, *Theymo* * nomine, indignus cidari, sedem Altmanni pecunia invasit; et episcopatum tantum usque ad Anasum fluvium *b* magis oppressit quam rexit. Altmannus vero in orientali provincia clerum et populum caute * gubernavit: et cœpto operi, in monte Gottwich toto nisu instabat. In quo loco dum quadam die Missarum solemnia, celebrarentur, et quidam diaconus adventitius *c*, sinistræ famæ, Evangelium lecturus, B benedictionem ab eo peteret, Episcopus eum diutius intuens, stolam de collo ejus abstulit, et alium legere præcepit. Unde patet, venerando Viro aliquid de eo revelatum, quod aliis fuit celatum. Qui verecundia compulsus, de monte ad Henricum fugit, et pessimum crimen Episcopo et omnibus Fratribus imposuit; sed ab eo confutatus, pessima morte periit.

* al. canonice

c

ibique decorem domus Domini

18 Nunc operæ pretium est evolvere, ad quam uberem fructum terram sterilem vomere sani dogmatis præsul Altmannus perduxerit, quam incultam et sentibus plenam suscepit. Ante ejus adventum omnes pene ecclesiæ in illo episcopatu erant ligneæ, nullo ornatu decoratæ; imo ipsi earum presbyteri (ut ita dicam) erant lignei; quia conjugiis et terrenis negotiis dediti, in divinis Officiis penitus ignari, « Miserere mei Deus » pro Canone, « Attendite » pro Passione legebant: nunc autem ejus industria omnes pene ecclesiæ in episcoC patu sunt lapideæ, libris, picturis et aliis ornamentis decoratæ, et, quod maximum est, castis et eruditis viris bene munitæ. Insuper illa tota patria crebris cœnobiis monachorum et canonicorum refulget; in quibus die ac nocte magna diligentia divinum Officium fervet. Fama quippe ejus opinionis attraxit ex omni climate ad eum viros summæ religionis, quos per diversa collocans monasteria, providit eis vitæ necessaria.

mirifice promovente, d

19 Erat namque in domo Domini columna marmorea, de qua fertur prædixisse Sibylla *d*, cum distinxisset secula per diversa metalla scribens, domum magnam erigendam, septem columnarum generibus fulciendam; quarum primæ essent aureæ, secundæ argenteæ, tertiæ æreæ, quartæ ferreæ, quintæ marmoreæ, sextæ ligneæ, septimæ, quæ et ultimæ, arundineæ. Hoc ipsa quidem in spiritu vidit futurum; sed nos jam cernimus factum: magna etenim domus erecta, est Ecclesia vivis lapidibus constructa, per latitudinem totius orbis diffusa; cujus primum aureæ columnæ erant Apostoli; deinde Apostolorum successores, castitate et eloquentia, ut argentum, nitentes: æreæ vero columnæ erant Doctores beati, doctrina * dulciter, ut æs, sonantes: porro ferreæ columnæ erant Martyres, in tribulatione patientes, omnia adversa, ut ferrum, vincentes: marmoreæ autem columnæ erant episcopi in fide recti, in operibus firmi; ex quibus Altmannus, ut varium marmor, diversis virtutibus domum Domini suffulsit, et tempora usque ad finem vitæ verbo et exemplo ornavit: ligneæ vero columnæ erant, et sunt, carnales prælati, terrenis tantum studiis implicati, qui a vitiis, tanquam lignum a vermibus, facile corrumpuntur et adversis leviter franguntur: arundineæ denique columnæ sunt Simoniaci, qui non intrant per Ostium, id est Christum; sed per pecuniam, quasi per murum, ascendunt; oves mactant et perdunt; non gregem Christi, sed se ipsos pascunt; lac et lanam sumunt, et omnia spiritualia emunt cum Simone, cum Jezi * vendunt; et ideo sub ædificio domus Dei, ut arundo, subsistunt *.

* al. doctrinæ boatu

Ex MS. Gottwicensi.

* al. Giezi
* al. subsidunt etiam in se ipso.

20 Episcopus Altmannus machinam domus Dei quatuor principalibus virtutibus, quasi quatuor fulcris, sustentavit; quibus sibi commissos, quasi in quadrigis, de terrenis ad cœlestia sublevavit: prudentia quippe floruit, dum sibi in futurum E vivis operibus providit; fortitudo illum roboravit, dum minas terreni imperii non formidavit; justitia se induit, dum errantes ab errore ad viam veritatis reduxit; temperantiæ adhæsit, dum in his singulis modum non excessit. O Virum omni laude prædicandum! Qui exemplo Christi convertit naturam aquæ in saporem vini, quod hoc modo traditur factum:

Aqua illi in vinum vertitur.

21 Quadam die præcepit pincernæ, ut sibi in mensa poculum aquæ secreto apponeret; et ne hoc sibi assidentes sentirent, spumam cervisiæ superfunderet. At ille fecit, ut sibi fuerat imperatum; apponens Episcopo aquæ poculum. Sed cum Vir Dei illud ori admovisset, non aquæ liquorem invenit, sed optimi vini saporem: qui putans, pincernam sibi illusisse, et vinum pro aqua propinasse, mandati sui transgressorem duriter increpavit: sed ipse maximis juramentis, se aquam, ut sibi jussum fuerat, adposuisse, affirmavit. Episcopus autem divinæ gratiæ opem sentiens, et celare cupiens, conticuit; sed cœleste munus celari non potuit: nam pincerna, sublato de mensa poculo, invenit optimum vinum. Qui postmodum in nostro loco factus monachus, rem ordine F retulit omnibus. Benedictus Deus, qui facit mirabilia magna solus; qui Famulum suum in hoc facto mirificavit; qui omnes justos ab initio mundi signis et miraculis clarificavit *e*!

e
Ab insesso eodem bis dæmonem expellit;

22 Alio tempore dum sacro altari Missas celebraturus adstaret, contigit, ut quidam dæmoniosus horribiliter in ecclesia clamaret. Interrogavit Vir Dei, quidnam hoc esset. Responderunt ei adstantes, hominem ibi atrociter a dæmone vexari et vix a multis ligatum teneri. Quem Præsul Deo dilectus jussit ad hospitium pauperum duci, et cibum ei in nomine Domini dari: a quo confestim spiritus nequam recessit; et homo sanus ad propria rediit. Mira mirandis succedunt et Virum mirandum omnibus futuris seculis ostendunt.

Quidam clericus dæmone plenus ad eum adductus est; quem Homo Dei, continuata oratione expulso dæmone, curavit: peccatum, pro quo diabolus dimissus * erat, abdicare imperavit, prædicens ei [quod] si peccatum iteraret, dominium diaboli non evaderet; jussitque, ut in Christi nomine in claustro communem cum Fratribus vitam duceret. Pro quo Fratres petebant, ut eum ad presbyterii gradum promoveret: sed venerandus Præsul eis prædixit, quia ei ordinari

* al. permissus

non

Ex MS. Gottwicensi.

non expedit. Tandem victus precibus Fratrum, ordinavit eum presbyterum, prænuntians ei terribile judicium Dei, si nollet vitare horribile peccatum. Qui per aliquod tempus Missas celebrans, et interim interdictum scelus evitans, deinde, quasi oblitus Episcopi admonitionem, ut canis ad vomitum, ad pristinam rediit consuetudinem; et eodem momento in se, ut prius, sævum sensit dæmonem; a quo iterum sanctus Vir immundum spiritum expulit, et penitus eum ab officio altaris submovit; et iterum atque iterum de nefando opere admonens prohibuit.

item alium dæmone liberat; alios duos morbo.

23 Qui terrore Episcopi et recentis timore supplicii aliquo tempore a peccatis abstinuit; sed quia, heu! longa consuetudo carnalis concupiscentiæ vertitur in legem naturæ, defuncto Episcopo, ad stultitiam suam rediit; quam dum sæpius iteraret, diabolus, ut scribitur, assumens septem alios nequam spiritus, eum intrat; crudeliter die ac nocte vexat; omnia turpia et nefaria gesta ab eo per os ejus propalat. Quid plura? Impurus homo, qui blandis Episcopi verbis a peccato non vincitur *, duris vinculis stringitur; custodiam Angelorum aspernatur. Tandem in festo B sanctæ Mariæ, quadragesimali tempore, precibus Fratrum a maligno spiritu eripitur, et post triduum Oleo unctus, et Corpore Christi munitus, defungitur.

* *i. e.* non abstrahitur

Alius clericus erat pessimo dæmone pervasus; ut vix aliquis sanus insani manus evaderet: quem Episcopus benedicens, dæmonem ab eo exire compulit, et hominem sanitati restituit.

Unus ex Fratribus orationi et veniis *f* valde deditus fuit; unde et periculosum fluxum sanguinis incidit; qui missus ad Episcopum, ab eo meruit benedici; et mox sanitati redditus est.

Item alius Frater precibus et veniis magno studio intentus, interius totus est confractus; qui simili modo curatus Episcopi benedictione, revertitur cum exultatione.

In hostes Ecclesiæ

24 Amabilis Deo Præsul exemplo Christi pro suis quidem inimicis oravit; sed Deus omnes adversarios ejus, ut hostes David, prostravit. Quidam Comes partis Henrici, venit ad Episcopum, promittens ei cum juramento fidelitatis obsequium; qui forte agmen cornicum conspiciens, sibi im- C precatus est dicens, ut, quot cornices cerneret, tot dæmones animam ejus possiderent, si fidem promissam Altmanno non servaret. Sed non multo post rupto fœdere pacis, ad Henricum convertitur, et hostis Ecclesiæ efficitur. Quem vinculis anathematis innectit Episcopi animadversio; et continuo sequitur divina ultio: nam inopinate circumfusus ab hostibus, multis sauciatur vulneribus, et pene detruncato femore, claudicat, ut Jacob, immo ut Æneas *g*, omni tempore. Quanta autem constantia Altmannus episcopus Deo dilectus potentes seculi represserit, quos pertinaciter jura ecclesiastica calcare sensit, cum nullum de suis propinquis secum haberet, uno exemplo cognosci poterit.

quam fuerit severus et efficax.

25 Erat ibi quidam prædives nobilis homo, qui defuncti fratris sui beneficium, quod de episcopatu habuit, quasi hæreditario jure obtinere voluit; sed episcopus, jure illius terræ contradicente, ei præstare noluit. Unde ipse magnam injuriam sæpe Episcopo intulit; quod * Dei Servus diu patienter tulit; sed justitia exigente compulsus a suis, eum demum mucrone anathematis perculit. Cujus communionem cum quique religiosi declinarent, et primi orientalis provinciæ * ejus consortium devitarent, verecundia cogente, in loco sancti Hippolyti *h* Episcopum adiit: ante D cujus pedes diu profundissima nive nudis pedibus jacuit. Qui vero non prius meruit habere locum reconciliationis, donec villam, quæ Rattalsdorff dicitur, tradidit in jus episcopalis dominationis; et sic tandem, multis nobilibus petentibus vix Præsul exoratus, absolvit eum a vinculo excommunicationis. Acceptam autem villam mox delegavit super altare sanctæ Mariæ in Gottwicensi cœnobio.

* *al.* quam

* *i. e.* Austriæ

ANNOTATA.

a *Adi Commentarii num. 39.*

b Usque ad Anasum fluvium, *vulgo* Ens; *a quo quidquid inde versus orientem ditionis erat ecclesiæ Pataviensis, jam ab anno saltem 1082 recuperasse* Altmannum *ac subinde constanter tenuisse, in Commentario diximus.*

c *Hoc factum refert Hansizius ad an. 1085.*

d *De vaticiniis Sibyllarum, et eorum auctoritate sinceritate legi meretur Nicolaus le Nourry Benedictinus in Apparatu ad bibliothecam* E *maximam veterum Patrum tom. I. dissert. 12, cap. 3.*

e *Joannes Lambacensis hic oppido Vitam detruncat.*

f Veniis, *id est* genuflexionibus, *ut explicat Vita secunda num. 34.*

g *Omisisset, opinor, hæc et alia biographus, si judicii fuisset paulo castigatioris maturiorisque Cæterum Jacob Patriarcham nemo nescit claudicasse post luctam nocturnam ex tactu nervi femoris Gen. 32. Æneam quoque Virgilius lib. 12 post inflictum in bello pedi vulnus claudicantem exhibet etc.*

Alternos longa nitentem cuspide gressus.

h In loco S. Hippolyti, *id est in cœnobio S. Hippolyti, de quo supra meminimus cap. 2 litt.* e.

CAPUT IV.

Misericordia ejus in pauperes eximia; fundatio cœnobii Gottwicensis; epistolæ Pontificum Rom. ad ipsum; obitus ejus ac sepultura. F

Beatus in pauperes profundit omnia.

Interea marchio Leopoldus *a*, coadunatis primoribus sui regiminis in villa, quæ Tulna *b* dicitur, dominium Henrici tyranni jure jurando abnegat; Altmannum præsulem magnis laudibus prædicat; omnes fautores Henrici de sua potestate expellit; omnes Apostolicæ Sedi et ejus Legato obedientes armis defendit. Unde et Henricus ira succensus, marchiam Leopoldi tradidit duci Bohemorum *c*, instigans eum ad odium Christi bellatorum. Dux vero animo crudelis, collectis Slavis et Barbaris *, Altmanni et Leopoldi fines hostiliter intrat; cuncta igne et ferro vastat. Cui Leopoldus cum omni populo suo in loco, qui Myriberg *d* dicitur, occurrit; eum ultra progredi non sinit. Ibi instructa acie, utrinque tubis clangentibus, primitus cum telis et pilis concurrunt; deinde gladios cominus stringunt: ingens ibi certamen magnis viribus geritur; multus utrinque populus sauciatus sternitur. Tandem occulto Dei judicio hostis victoria potitur: nostrates

* *al.* Bawaris, *et recte.*

A tes victi fugam ineunt; quos adversarii insequentes passim per campum cædentes sternunt; alios captivos cum præda abducunt; totam terram illam in solitudinem redigunt. Hac infelici strage patrata, magna fames secuta est, quæ reliquias populi consumpsit, qui manus hostium vix evasit. Qua necessitate compulsi, omnes Altmannum adeunt, alimoniæ auxilium petunt; quibus fidelis Dispensator ex intimo corde compatiens, cunctam supellectilem episcopii sui, ad ipsum usque linteamen, vendidit, et indigentibus cuncta distribuit. Unde Pater pauperum est dictus. De monte quoque Gottwicensi multa millia pauperum aluit; in quo monte cum dilectis sæpius spiritualia tractavit.

Etymologia montis Gottwicensis. *e*

27 Unde autem tracta sit etymologia vocabuli hujus montis, paucis pandam lectori, ut a majoribus accepi *e*. Terra, qua nunc orientalis dicitur, quondam a Gotthis inhabitata fertur: quæ gens Martem præ cæteris diis colebat; eoquod ipsa præ cæteris gentibus bellicosa erat; et ipsum Martem de sua gente originem duxisse memorabat. Hic gladium habuit longe aliis dissimilem nostræ B ætatis, inexperta arte fabricatum, incredibili chalybis duritia lunatum *, ut nulla ferri materia obstaret, quin illam, ut fragile lignum, secaret. Hunc gladium Vulcanus, Græcorum in fabrili arte peritissimus, fertur fabricasse, et Marti duci Gotthorum pro munere obtulisse. Unde fabulose dicitur Mars Vulcani conjugem amasse, et Vulcanus æneis catenis Martem colligasse; quia et Mars Vulcani artem amavit, et ipse Marti arma subministravit. Quorum uterque in deum relatus est a sua gente. Hic gladius post multa annorum millia inventus ab Attila Hunnorum rege traditur; cujus terrore tota pene Europa ejus ditioni subditur. Ab hoc gladio dux Gotthorum primitus Mors est dictus; postmodum, O littera in A mutata, Mars est appellatus: Mars autem lingua eorum Wick dicitur. Ergo a Gotthis et Wick, mons vocatur Gottwick; non, ut vulgus dicit, Gottewig. In hoc monte fertur dux quidam, nomine Gotfrid, habitasse; et ibi Wick, id est Martem, deum coluisse: quod adhuc fossæ et valles testantur et antiqua ædificia vel idola ibidem reperta.

* al. limatum

et impositi cœnobii descriptio;

28 Hic mons ab aliis montibus aliquo spatio disjunctus, excelso vertice nubibus pene conjunctus, situ oblongus, forma rotundus, prius silva nemorosus, nunc vineis et pomiferis arboribus C consitus; prius lacunis, nunc puteis irriguus; prius pascuis, nunc ædificiis inclytus, septem ecclesiis decoratur, quia septem donis Spiritus sancti sublimatur. In uno quippe jugo cœlo contiguo gestat ecclesiam sancti Georgii martyris honori constructam, cui inclusa *f* cum ædificiis suis conjungitur: aliam in excelsa rupe in honorem sanctæ Gertrudis *g* virginis erectam, cui habitaculum hospitum copulatur: tertia in planitie sui in honore sanctæ Mariæ perpetuæ Viginis sustollitur; quæ et principalis cernitur, et octo altaribus insignitur, cui claustrum Fratrum nectitur: quartam in honore sancti Benedicti erigit, cui domum infirmorum subjicit: quinta est peribolus, in honorem sancti Joannis * constructus, capellis * Fratrum conjunctus: sexta iterum est peribolus, in honore sancti Nicolai consecratus, præcelsæ turri innixus: septima in radice montis, in honore sancti Blasii dedicata, juxta rivulum præterfluentem posita; et est habitatio Sororum *h*, et mansio Fratrum in pistrino servientium. Et quia nostra congregatio ad octo beatitudines festinat, nunc octavam in honore sancti Gotehardi ædificat.

* al. Joannis Baptistæ
* al. capitulo

Ex ms. Gottwicensi.

uti et Norici Ripensis, in quo situs est mons ille. *i*

29 Hic mons in Norico Ripensi situs, primatum tenet inter montes circumjacentes ab amœnitate, jucunditate, fertilitate et salubritate. Et *i* quia Noricum hic sæpe nominamus, etymologiam ejus, si placet, exprimamus. Bavari traduntur ab Armenia oriundi; qui cum magna multitudine, de finibus suis egressi, hanc terram sunt ingressi, et expulsis Aboriginibus, pro eis ibi habitaverunt, et terram ex nomine ducis sui Bavari Bavariam nominaverunt. Hanc post multos dies Norix, filius Herculis, expugnans, Noricum ex suo nomine vocavit; in qua etiam civitatem Tiburtinam, quæ nunc Ratispona dicitur, ædificavit. Ideo scilicet vocatur Ripensis, quæ nunc orientalis dicitur, quia subductis montibus, ripa Danubii undique vineis et arboribus fœcundatur. Sed qualiter hic mons ad tantam profecerit gloriam, paucis expediam.

Quomodo fundarit Beatus monasterium Gottwicense. *k*

30 Cum Præsul sæpe dictus, et adhuc sæpius dicendus, Altmannus quadam die in villa Mautarum *k* dicta resedisset, et amœnum montem eminus vidisset; quæsivit ex illius loci incolis qualitatem illius montis. Qui cum ei quædam pene incredibilia narrarent, mulam suam sterni jussit, et multa turba comitatus, stricto ac prærupto calle E lætus ascendit montem, quodam, ut reor, præsagio; quia nimirum per arctam et angustam viam erant cœlum ascensuri, qui ibidem Deo erant servituri. Itaque, monte lustrato, cernens locum spatiosum, aptum ad construendum monasterium statim fixit ibi tentorium; et succisa silva, quæ tunc temporis densa ibi succreverat, inchoavit ædificare oratorium. Cumque in ambiguo esset, in cujus Sancti honore attitulari debuisset, aliis consiliantibus hoc in honore sancti Michaelis archangeli dedicari, quia ipse sit præpositus paradisi; aliis consiliantibus e contra, hoc nomine sancti Petri templum attitulari, eoquod ipse sit janitor cœli; repente et inopinate venit quidam nuntius, Bohemorum a ducibus missus, afferens Episcopo tabulam egregie cælatam et pretiosam, in qua imago sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Græco opere formabatur, quæ adhuc in eadem ecclesia pro reverentia servatur. Hanc Deo amabilis Pontifex deosculans, quasi missam divino oraculo, incipiens « Te Deum laudamus » locum protinus assignavit Sanctæ Mariæ titulo. Tabulam vero in quercum, quæ adhuc ante altare stabat, suspendit, quoadusque totum opus basilicæ perfe- F cit. Quæ sublimiter perfecta, et celebriter ab ipso dedicata, multis allodiis *l* est ab eo dotata, *l* multis ornamentis ditata. His ita rite celebratis, undique Religiosis Fratribus congregatis, vitam communem sub regula sancti Augustini instituit; locum cuidam prudenti viro, nomine Ottoni, commisit; qui injunctum sibi officium strenue complevit. Post hunc suscepit regimen Conradus Præpositus, cujus mentionem fecimus *, vir morum gravitate valde honorabilis, et omnium morum probitate laudabilis: hujus sapientia locus ædificiis et divitiis crevit, et prædiis, beneficiis, et honestis viris profecit eximie.

* num. 3

Epistolæ Pontificum Rom. ad B. Altmannum,

31 Exstant plures epistolæ a Romano Pontifice Altmanno episcopo missæ ex quibus aliquas huic operi inserimus, alias propter fastidium prætermus. Saxones parti B. Petri faventes, Rudolphum ducem regem constituerunt *, per quem vesaniam Henrici represserunt. Rudolpho autem interfecto *, festinabant principes alium regem pro eo constituere, quo possent gladium Henrici suis cervicibus impendentem repellere. Quos Papa monet, ne improvide, sed consulte idoneum regem eligant, qui sibi debito jure obediat, scribens Altmanno

* anno 1077
* anno 1080

*Ex ms. Gottwicensi. * al. Hirsaugiensi*

manno episcopo hoc modo : « Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto in Christo Fratri coepiscopo Pataviensi Altmanno, et venerabili Hirschaugiensi * abbato Wilhelmo salutem et Apostolicam benedictionem. Prudentiæ Vestræ gratulamur, quod, sicut oportebat, nuntiare nobis vera studuistis » *m*. Item aliam epistolam mittit eidem, in qua ei hanc potestatem concedit, ut presbyteros in fornicationem lapsos, si vere pœnituerint, in pristinum gradum restituat; si negligentes et inutiles, eos penitus abjiciat *n*. Cujus textus talis est : « Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto in Christo Fratri Altmanno, Pataviensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Interrogavit nos religio vestra de sacerdotibus in fornicationem lapsis, aliisque criminibus irretitis, consulens, quidnam de illorum gradu foret censendum. »

et earum occasiones.

32 Item aliam epistolam eidem pro tuenda Ecclesiæ libertate mittit, cujus textus est : « Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto in Christo Fratri Altmanno, Pataviensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Quia te
B credo sincero corde amare pro Deo sanctæ Ecclesiæ honorem et libertatem, volo et præcipio, ut summopere cum clericis tuis vel laicis, qui ad hoc apti videntur, procures, ut Sponsa Christi non habeatur amplius pro ancilla. » Item aliam ei epistolam mittit, in qua ei rigorem canonum pro tempore flecti permittit, cujus hic est textus : « Gregorius, Servus servorum Dei, dilecto in Christo Fratri Altmanno, Pataviensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex quo a nobis discessisti, Frater carissime, aliquoties legatus ex tuo nomine ad nos venisse meminimus. » Item Urbanus Papa mittit ei epistolam, in qua mittit ei Pallium, Tyemoni archiepiscopo, suis manibus consecrato *o*, deferendum; cujus hic est textus : « Urbanus Episcopus, Servus servorum Dei, carissimo Fratri Altmanno, episcopo Pataviensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Strenuitatem tuam in Dei rebus et Ecclesiæ laboribus audientes, in Domino gaudemus, et ideo preces vestras in his, quæ contra morem nostræ videntur Ecclesiæ, audivimus » *p*.

Moritur B. Altmannus, q r

C 33 Nunc quem finem vitæ sortitus sit Altmannus episcopus, breviter, ut accepimus, explicabimus. Transactis in episcopatu viginti sex annis *q*, examinatus ut aurum in camino tribulationis, in villa, quæ Zeiſſmaur *r* dicitur, febre corripitur, a Religiosis viris oleo consecrato perungitur, et sic dominicis Sacramentis munitus, omnes sibi subditos benedicens, vinculis carnis lætus absolvitur [anno Domini millesimo nonagesimo primo, sexto Idus Augusti. Et sic obiit Altmannus venerabilis ac beatus *s*,] mundo flente, cœlo gaudente, ab Angelis susceptus, in præparatam sibi a Deo mansionem inducitur. Mox rumor circumquaque volitat, obitusque amabilis Pastoris ovibus omnibus nuntiatur. Quæ lingua explicare poterit, quantus populus ad ejus exsequias confluxerit? Accurrit ad exstinctum Præsulem tota pene patria : luctu et planctu replentur omnia. Vix tandem a mœstis Christi sacerdotibus venerandum corpus tollitur, ac multa turba nobilium et plebeiorum comitante, cum magna gloria in montem Gottwich defertur; ubi occurit ejulans ei caterva Fratrum, cum magno fletu dans mugitum et ejulatum; carissimum Patrem cum lugubri cantu excipit; turbamque pauperum ob ejus memoriam abunde reficit.

34 Fama mox per populum volat : pauperes et divites ad obsequium Episcopi vocat : omnes D
dolore percussi, certatim ruunt; proceres cum plebibus cursim veniunt : inter quos venerandæ memoriæ archiepiscopus Theymo *t*, ab ipso Altmanno olim *u* consecratus (postea Hierosolymam petens, a Paganis occisus et martyrio coronatus est) ad dilecti Amici venerabile corpus anhelus, lacrymas ubertim cum omni clero et populo fudit; Hostiam laudis pro anima ejus cum devotione Deo obtulit. Corpus vero cum debito honore in ecclesia sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ terræ traditur : cujus sepulchrum dignatus est Dominus miraculis celebrare, per quæ voluit ejus merita populis declarare *x*.

et maximo concursu sepelitur in ecclesia Gottwicensi. t

ANNOTATA

a *Hoc anno 1081 accidisse probavimus in Comment. num. 34.*

b Tulna, *vulgo* Tuln, *oppidum est inferioris Austriæ ad flumen synonymum, ubi fere in Danubium influit; distatque Vienna in occasum quinque circiter leucis Germanicis.* E

c Duci Bohemorum, *qui tunc erat* Wratislaus.

d Myriberg, *alii* Muoriberch, Moriberch, Meurperg, Maurenberg *etc., nunc vulgo* Meylberg. *Vide Commentarium num. 37, et Hansizium pag. 272.*

e *Quæ sequuntur hoc numero, fabulosa diximus esse tom. VI Junii, part. 1, pag. 151.*

f Inclusa, *id est ædes, aut cella, in quam amore solitudinis monachi quidam sese non exituir concludebant; quos propterea* inclusos *appellabant. De his multa Cangius in Glossario. Vide etiam infra num. 38. In Vita secunda num. 50 vocatur* quoddam arctum habitaculum.

g S. Gertrudis *etiam legit Joannes abbas Lambacensis; at Pezius*, Erindrudis; *etc., ni fallor, melius; quia notior hac ibi ac celebrior erat, quam illa; ut facile colliges ex Actis* S. Erindrudis *sive* Erentrudis *virginis et abbatissæ Nonnenbergensis prope Salisburgum, quæ illustravimus ad diem 30 Junii. Favent Chronica in Comment. num. 28 citata.*

h Et est habitatio Sororum. *Cuspinianus in Austria, ubi de abbatibus agit et cœnobio Benedictinorum Gottwicensi, hæc subdit :* Cui annexum F
est monasterium, ut vulgo loquimur, monialium, bene provisum redditibus et censibus.

i *Quæ hic narrat biographus, iisdem omnino verbis refert Lazius de Gentium migrationibus pag. 28* ex libro Annalium vetusto. *Nobis Italia non videntur, ut longo commentaria digna sint explicari. Adeat, qui similibus delectatur, vel Aventinum in Boiorum Annalibus, vel ipsum Lazium in opere memorato : uterque copiosos habet indices, per quos facile singula reperiantur.*

k Mauttarum; *Pezius*, Mutar; *Joannes Lambacensis*, Mautern, *ut hodieque nuncupatur. De hoc oppido redi ad Comment. num. 36. Habebat ibi tum hospitium* Altmannus; *at nondum stabilem habitationem, ut postea : alioqui non adeo peregrinus fingi posset in proxima vicinia. Vide commentarium num. 28 et seqq.; ubi actum est de primordiis monasterii Gottwicensis.*

l Allodiis, *id est, fundis patrimonialibus, nemini, ut feuda solent esse, obnoxiis. Vide Lexica juridica.*

m *Exstat integra hæc epistola inter Gregorianas apud Labbeum Conciliorum tom. X., col. 278, sub anno 1081. Nota vero, quæ hoc et seq. numero referentur hic et apud Pezium, de-*

siderari

A *siderari in editione Joannis Lambacensis.*

n *Ex hoc argumento consequi videtur, ut hæc epistola præcedentem antecesserit; cum sit illa serior.*

o *Adi Commentarium num. 41, ubi S. Thiemonem archiepiscopum Salisburgensem ordinatum a* B. Altmanno *diximus anno 1090.*

p *Utinam prodeant aliquando, sicubi forte latent, hæ omnes epistolæ, aliæque plures, quas biographus noster Gottwici olim aut alibi vidit, et* propter fastidium *prætermisit: neque enim dubium esse potest, quin longe plurimas ad eum dederint summi Pontifices, quorum per tot annos in tanta rerum Germanicarum et ecclesiasticarum vicissitudine ac tumultu legatione tam strenue functus est. Earum unam tantum alteramve assignavimus in Commentario.*

q Viginti sex annis. *Totidem sunt, et quidem completi a mense circiter Julio anni 1065, cum episcopatum suscepisse diximus, usque ad mensem Augustum anni 1091.*

r Zeislmaur, *habet etiam Joannes Lambacensis; at Pezius in Vita prima,* Zeizinmure, *in secunda,* B Zaizinmure, *pro quo Stengelius corruptissime* Zarzimor: *Bruschius* Zeysselmaur. *Baudrantio est oppidum Norici olim, Latine* Cetium *et* Cetia *dictum, nunc pagus Austriæ inferioris ad Danubium fluvium, ubi recipit Antzespach amnem vix duobus milliaribus Germanicis Neoburgo, quatuor vero Vienna, in occasum distans; Gottwico autem versus ortum quinque circiter.*

s *His uncinis inclusa non habet editio Peziana; sed nostro apographo consonat Joannes Lambacensis, et Vita secunda num. 44, imo et Bertholdus Constantiensis,* Altmanno *synchronus; etc. Præterea idem annus ex editione prioris Vitæ Peziana manifeste colligi debet ex eo, quod Beatum obiisse notet,* Transactis in episcopatu XXVI annis, *si conferatur cum dictis in Commentario num. 25.*

t *De* S. Theymone, Thiemone, *seu* Theodmaro *vide Commentarium num. 41.*

u Olim *non legitur in aliis exemplaribus: et huc videtur male intrusum; cum hæc ordinatio peracta fuerit anno 1090.*

x *Hic desinit editio Joannis Lambacensis.*

C

CAPUT V.

B. Altmanni jam sepulti miracula quædam et apparitiones.

Dæmoniaci, muti, claudi, cæci, mente capti etc.

I. Quidam namque clericus a dæmone obsessus, multis trahentibus, vix ligatus ad ejus tumulum est perductus: qui dum omnia clamore et diro fœtore repleret, et Fratres obnixe pro eo orarent, subito obsessus corruit; videntibus omnibus, scarabeum nigrum evomuit, qui protinus nusquam comparuit; et cunctis Fratribus Deum laudantibus, qui advenerat ligatus et insanus, recessit a nexibus corporis solutus, et mente sanissimus.

II. Item quædam puella immundo spiritu invasa, a parentibus est ad tumulum beati Viri adducta; quæ sine mora a dæmone liberata, recessit a nexibus corporis soluta et mente sanissima.

III. Item quædam puella immundo spiritu invasa, a parentibus est ad tumulum beati Viri adducta; quæ sine mora a dæmone liberata recessit cum maximo gaudio sana *a*.

Ex ms. Gottwicensi.

IV. Item puella per aliquot annos lumine privata, ad sepulcrum Episcopi est illuminata.

V. Quædam mulier habuit filium parvum, a nativitate mutum et claudum; quem illuc deferens, juxta sepulcrum Episcopi posuit: ipsa cum fletu de templo exiit: post pusillum puer loquelam et gressum recepit, et post matrem incolumis clamando cucurrit; at illa laudabat Deum in cœlis, qui in Sanctis suis est mirabilis.

ad Beati tumulum liberati,

36 VI. Quidam miles per sex annos mente captus, ad sepulcrum ejus nesciens advenit; sed mente recepta, sanus et sciens recessit.

VII. Alius homo curvus scabellulis innixus, venit illuc repens; sed incolumis factus, abiit erectus et gaudens.

VIII. Quidam toto corpore debilis vix baculo sustentatus, tumbam Antistitis adiit, sed infirmitate per beatum Virum depulsa, baculum deposuit et sanus abiit.

IX. Quodam tempore magna et sæva tempestas venti et turbinis orta, montes concussit, tecta domorum, ecclesiarum, et turrium excussit. Qua graviter tonante et omnia perturbante, quidam Frater mente captus, in oratorium Sancti Michaelis viginti pedes pene altum ascendit, nobis *b* inscii, sed interim nocturnales laudes canentibus, de alto lapsus, in pavimentum decidit; sed vivus est sublatus, licet non diu victurus: nam eadem die post sacri olei unctionem et sacri Corporis Christi communionem vitam finivit. Quis dubitat, hoc meritis beati Viri adscribendum, qui cadenti supposuit intercessiones manuum *; ne sanguine collapsi hominis pavimentum violaretur, et sic, necessitate cogente, ecclesia denuo dedicaretur *c*? E

* *al.* intercessionis manum

c

B. Altmannus per visum accusat Regimarum ep. Patav.;

d

37 Visionem *d* cuidam Fratri spirituali divinitus revelatam de Altmanno episcopo, et Regimaro ejusdem sedis prælato, silentio non præteribo. Qui Regimarus tertius post eum episcopus, vir admodum in secularibus peritus, in spiritualibus minus eruditus, terrenis inhians, pecuniam undequaque congregans, subito reliquit aliênis divitias suas, et nihil invenit nisi miserias et tenebras. Visio autem talis erat. Videbatur sibi, quod Romæ esset in concilio, et Altmannus cum coepiscopis sedisset infulatus cultu eximio: qui consurgens stetit in medio, petens prolocutorem ab Apostolico. Cui cum data esset copia fandi, protulit coram omnibus verba sceleris infandi, dicens: Altmannum Pataviensem episcopum in cœnobiis et parochiis statum bene dispositum reliquisse; sed Regimarum, sedis suæ invasorem, omnem religionem in eo destruxisse. Ipse autem Regimarus stabat a longe timore perterritus, tristis et pallidus, pannosis vestibus indutus. Itaque Apostolicus super hac re interrogans *e* episcopos justitiam, accepit ab omnibus damnationis sententiam: qui eodem anno incidit in infirmitatem, in qua duravit usque ad mortem *f*. F

f

alteri apparet gloriosus:

38 Aliam visionem de eo nullo modo silebo, quam multis profuturam spero. Quidam habitu secularis, sed fide et actione spiritualis, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, raptus est ad inferni loca; ubi vidit multa intolerabilia judicia et supplicia; in quibus multos principes et mediocres, quos hic cognovit, vidit; a quibus multa audivit, quæ postea nobis retulit: scilicet pro qua culpa essent, et pro qua culpa ibi essent. Deinde ductus est in campum florum, odore et luce clarissimum, millibus lætantium plenum. Erat mons marmoreus omni amœnitate conspicuus, in quo affirmabat se vidisse Gottwicense monaste-

Ex MS. GOTTWICENSI.

rium maximo splendore coruscum: in quo vidit [B. Altmannum] cum Fratribus, quos hic cognovit, summa vultus et habitus honestate fulgidum, multa cum eo locutum. Eodem schemate Sigilbertum *g* cum Annone *h* episcopo et suis Fratribus vidit, a quibus multa mandata accepit, quæ postea reversus, retulit.

g h

item alteri apparens, jubet Gottwicense cœnobium reformari; *i*

39 Jam videtur tempus esse, ut suspensis auditoribus promissum solvam, et qualiter canonica vita in monasticam vitam permutata sit, evolvam *i*. Tempore venerandi præsulis Altmanni venit in montem Gottwick quidam presbyter religiosus, natione Scotus, professione monachus, nomine Joannes; quem Episcopus ob religionem vitæ valde dilexit, et eum juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis Inclusum fecit: hic verbo et exemplo multum loco profuit. Defuncto Episcopo venerabili, inimicus homo, qui super bonum triticum ab Altmanno seminatum, seminavit zizania, et bonam famam fugavit de monte, et infamem fecit. Namque viri impudici de locis suis aut expulsi, aut fugitivi, in Gottwich propter rerum inopiam confluxerunt; qui sub obtentu Religionis, quam specietenus prætulerunt, suscepti sunt. B Horum infandis actibus cœpit locus infamari et a gloria prioris status obfuscari. Cumque in dies infamia longius et latius crebresceret; et non modo claustralis religio, sed ipsum vulgus montem abhorrerent, eidem Joanni Incluso Altmannus episcopus in somnis infulatus apparuit; ut locum de cœno purgaret, et ut fœtorem stercoris de monte extergeret, admonuit.

item alteri, qui canonicis mutatis in monachos, ibi factus est abbas;

40 At ille visionem intelligens, et Præposito Fratrum rem aperiens, jussit turpes de monte ejici; deceptos vero ab eis jussit pœnitentiæ subjici. Qui cum infamiæ notam non possent effugere, cogitaverunt omnes locum relinquere. Quo comperto, Joannes Inclusus dedit consilium, ut mutarent habitum, et sic evaderent tam infamis facti opprobrium. Fit consensus omnium; eligitur professio monachorum. Mox Conradus Præpositus hujus rei gratia mittitur Romam, ut ab Apostolico impetraret hujus mutationis licentiam. Qua impetrata, cum gaudio remeat; Dedalrico * bonæ memoriæ episcopo, Altmanni successori, consensum C Romani Pontificis nuntiat; consilium suum super hac re postulat anno MXCIII *k*: cujus consilio Hartmannus, cujus superius mentionem fecimus *l*, abbas eligitur; cujus religionis et eloquentiæ fama ubique divulgabatur; qui tunc temporis in monasterio Sancti Blasii *m* prioratus officio fungebatur. Huic Hartmanno, ut ipse postea retulit Fratribus, episcopus Altmannus in eodem loco Sancti Blasii in somnis apparuit; virgam pastoralem ei, et locum Gottwicensem commendat.

* al. Udalrico

Hartmanno scilicet, cujus hic elogium

41 Igitur Hartmannus, cunctis flentibus, de Sancto Blasio cum Religiosis viris in Gottwich proficiscitur; ubi ab omnibus favorabiliter excipitur; ab Udalrico episcopo abbas præficitur: sub quo omnes monachicum habitum sumunt; sancti Benedicti regulæ colla devoti submittunt; fit magna lætitia in populo dicente: Quia hæc est dexteræ Excelsi mutatio. Hartmanni exhortatione multi nobiles, relicto seculo, ad Deum convertuntur: multa prædia et beneficia per eum monasterio conferuntur. Hic honorem loci ædificiis, libris, picturis, palliis, et Religiosis viris ampliavit; et tempora sua honestate suaque probitate perornavit: erat enim summo Religionis studio deditus, prudentia tam seculari, quam spirituali eximie præditus; copiosa disertus eloquentia, morum exuberans elegantia. Unde principibus totius regni erat acceptissimus, et ipsi regi Henrico V familiarissimus; qui et eum in archiepiscopatu Juvavensi sublimari disposuit; sed zelus Udalrici Pataviensis episcopi eum prohibuit, qui eum dignitate sibi præferri doluit. Rex tamen eum in regali abbatia Campedonensi *n* præfecit; et episcopus Augustensis eum abbatiæ Sancti Udalrici *o* prætulit; nec non dux Carinthiæ abbatiam Sancti Lamberti ei commisit. Propterea * Papa Urbanus eum valde familiariter habuit, eumque Gebehardo Constantiensi venerabili episcopo in Apostolica legatione adjutorem constituit; cui et hanc epistolam misit: « Urbanus Episcopus, Servus servorum Dei » etc. Item Paschasius * Papa litteras ei mittit, in quibus eum et sibi subditos a communione excommunicatorum prohibet; quarum textus hic est: « Paschasius Episcopus, Servus servorum Dei, carissimis Fratribus Hartmanno abbati Gottwicensi, et ejus congregationi, salutem et Apostolicam benedictionem. Cœlum et terra transibunt; verba autem Dei non præteribunt. Ipse enim prædixit, quod cernimus, quod quotidie experimur; quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum » etc. D E

* al. præterea

* al. Paschalis

insigne textur; ut cui etiam secundo Beatus apparuerit:

42 Uterque autem Papa dedit ei ad Gottwicum privilegia; quæ usque hodie servantur in ecclesia; quæ et imperator Henricus suo chirographo confirmavit: qui et ipse quamdam insulam ob Hartmanni petitionem Sanctæ Mariæ delegavit. Ex hujus disciplina sunt multi abbates in diversis locis constituti, qui omnes vestigia magistri sui secuti sunt in virtutibus. Inter quos discipulos Henrici regis filius *o* claruit, qui ad episcopatum Spirensem electus fuit; sed morte præventus, apicem regiminis minime obtinuit. Erant sub illo et alii viri prædicandi, ingenio et artibus præditi, scriptores, pictores, sculptores, fusores et aliis artibus præclari. Hic abbas quodam tempore passus est capitis gravem dolorem; cui Altmannus episcopus in somnis apparuit; quid pateretur, inquisivit: qui, caput sibi dolere, respondit: Episcopus vero blanda manu caput tetigit, et, continuo dolorem depulit. Abbas autem ut evigilavit, nullum dolorem sensit. Cum domnus Hartmannus regimen Campedonensis monasterii teneret, interim nobilis Frater, Erchinfridus nomine, abbatiam in F Gottwich ex consensu Hartmanni et Udalrici episcopi, et electione Fratrum regebat. Hic primitus laicus in armis vivens, deinde seculum relinquens, litteras studiose didicit, et usque ad nomen abbatis pervenit, qui et bona monasterii in multis auxit *p*.

p *huic successere Nanzo, Chadehoch,*

43 [Hartmanno autem obeunte, quidam ex Fratribus, Nanzo nomine, regimen abbatiæ suscepit, qui prius per plures annos Prioratum tenuit; vir admodum providus, gravis moribus, in secularibus et spiritualibus peritus. Hic etiam locum pluribus libris et ædificiis honestavit, et gregem commissum bonis exemplis illustravit.

Post hunc custos ecclesiæ, Chadehoch *q* nomine, ex liberiore genere natus, omnium Fratrum electione, et Regimari episcopi (Udalrici successoris) consecratione est abbas ordinatus. Qui et ipse nihilominus ecclesiam libris et velis et aliis ornamentis venustavit; prædiis, vineis, possessionibus satis locum sublimavit.

Gerhohus, et Wernherus.

44 Quo decedente, successit Gerhohus, vir nimiæ mansuetudinis et humilitatis, genere clarus, scientia præditus, moribus gratus. Hujus temporibus in expeditione Jerosolymitana obiit dominus Reginbertus, Pataviensis episcopus; cui successit in episcopatu filius Luitpaldi marchionis

Cuonra-

EX MS. GOTTWICENSI.

A **Cuonradus.** Hic secundo ordinationis suæ anno, suggestione quorumdam Fratrum nomen et locum abbatis appetentium, multis eumdem abbatem injuriarum molestiis afflixit, regimenque susceptum deponere coegit. Videns enim ipse abbas episcopum sibi nimis infensum et infestum, quia erat vir magnæ humilitatis et mansuetudinis, majori cessit, nomenque abbatis et curam episcopo resignavit. Obiit autem eodem depositionis suæ anno, Fratribus, quorum instinctu depositus fuerat, multis tribulationum et infirmitatum doloribus et ærumnis, Domino illis vicem reddente, post mortem suam afflictis. Episcopus vero ex ministerialibus Ratisponensis ecclesiæ Wernherum constituit abbatem, ætate juvenem, scientia clarum, morum honestate et probitate decoratum. Hic quorumdam malivolorum diabolicis consiliis occisus r, quia immatura morte præventus, nihil dignum memoria facere potuit; nisi quod regularis tramitis normam in aliquibus dilapsam reformavit, quantum valuit.]

B

ANNOTATA.

a *Tertium hoc miraculum videtur idem esse cum præcedenti. Itaque neque apud Pezium in hac Vita, neque usquam in Vita secunda ponitur.*

b Nobis insciis. *Hinc iterum liquet, biographum, cum res hæc accidit, Gottwici monachum fuisse.*

c *Bonus vir fuit biographus noster, qui ecclesias pollui crediderit fortuita et improvisa effusione sanguinis humani, absque ullius injuriæ aut peccati interventu : nam quid hic peccasse potuit infelix Frater,* si mente captus *erat ?*

d Visionem *hanc, et aliam numero proximo sequentem etiam habet Pezius; sed omittit utramque Vita secunda.*

e Apostolicus interrogans, *nominativus est absolutus pro ablativo; et in medii ævi scriptoribus frequentissime recurrit.*

f *Obiit Regimarus anno Christi 1138; unde collegimus in Commentario num. 13, hunc auctorem scripsisse posterius. At enim, inquis, quæ hoc numero, imo quæ hoc toto capite quinto narrantur, non sunt auctoris primigenii, qui opus suum Cholhocho obtulit; sed recentioris alterius.* C *Deinde hæc ipsa visio non satis congruit cum gestis Regimari apud P. Hansizium in episcopis Pataviensibus; et ab invidis conficta videtur. Hoc secundum caput facile crediderim a malevolo quodam impostore, aut phantastici nimiam cerebri Fratre confingi potuisse, vel e somnio colligi, et credulis monachis persuaderi : sed primum illud qui probabitur ? Duplici, ais, argumento : primum petitur ex editione Joannis Lambacensis, in qua primigenii auctoris narratio terminatur per numerum nostrum 33. Respondeo, miseram esse editionem illam, et in ea Vitam genuinam turpiter mutilari. Turpiter, inquam; quia ex ipso Prologo biographi, qui in editione illa commodum amputatus non est, et in quo totius operis partitio describitur, mutilatio manifestissime deprehenditur. Adi Comment. num. 13. Alterum argumentum ducitur ex stylo, qui hic passim Rhythmicus appareat; non item ante caput quintum; adeoque diversos arguat scriptores. Respondeo, neque hic ubique Rhythmos affectari, neque nusquam antea. Imo in ipso Prologo stylum hunc suum esse, prodit auctor his Rhythmis :*

Ab his itaque, qui præsentes viderunt,
Et ejus obsequio familiariter adhæserunt,
Quælibet ejus gesta investigabo,
Et hæc posteris insinuare curabo.

Sic num. 3 narrat, quod multi nobiles adierint Hierosolymam

Invisere sepulcrum Domini,
Quadam vulgari opinione decepti,
Quasi instaret dies judicii.

Similia sequentibus numeris 4, 5, 6, 7, 9, 10 etc. passim occurrunt. Atque adeo ex Rhythmico stylo qui observatur hic illic in capite 5, sequi potius videtur, ut qui illud composuit, idem omnino præcedentia composuerit; quam contra.

g Sigilbertum *episcopum tempore* B. Altmanni *fuisse in Austria comperit Hansizius in* Altmanno *pag. 267, sed, ut ibidem testatur, nondum satis sibi notum. Pezius hoc loco non* Sigilbertum *legit; sed* Sigilberch; *quod auget tenebras, quas ego me fateor nondum posse discutere.*

h *Forte* S. Annonem *indicat archiepiscopum Coloniensem, seculo* XI *inclinante celeberrimum, cujus Acta refert Surius ad diem 4 Decembris.*

i *Nimirum hoc biographus promiserat in Prologo.*

k Anno MXCIII. *Desunt hæc in editione Peziana. Vide mox litteram* m. E

l Hartmmannus, cujus superius *etc. Nusquam* Hartmanni *supra mentionem facit auctor, præterquam num. 8. Ergo idem utrobique Hartmannus est; qui proinde post calamitatem cœnobii S. Nicolai, cujus fuerat Præpositus, et post obitum Rudolfi imperatoris, cujus egerat sacellanum, ad institutum S. Benedicti transiit.*

m In monasterio S. Blasii. *De hac re ita Bertholdus Constantiensis in Chronico ad annum 1094 :* In nigra sylva, in loco qui de S. Blasio cognominatu, monasterium in honorem ejusdem Sancti a fundamentis cœpit ædificari III Idus Septembris..... Ipsa quoque die inceptionis hujusmodi ædificationis dominus Otto, venerabilis abbas, ejusdem loci Priorem, dominum Hartmannum, in Orientale regnum..... cum aliis confratribus suis direxit, ad novam abbatiam in episcopatu Pataviensi, in loco, qui Cotewich dicitur, instituendum, *etc. Hinc patet primo, recte notatum esse mox assignatum in Actis hoc numero annum* MXCIII; *patet præterea, errare Bucelinum Germaniæ sacræ part. 1, pag. 202, cum ait, Hartmannum ex Priore cœnobii S. Blasii Admontensis (quod est in Styria, non* in Nigra silva*) designatum fuisse primum cœnobii Gottwicensis abbatem.* F

n In regali abbatia Campidonensi, *quæ usque adeo excellit apud Suevos, ut censeatur facile princeps in Germania. Describitur a Bruschio Monasteriorum Germaniæ centuria prima, a fol. 25, a Carolo Stengelio in Monasteriologia. Abbatum series est apud eumdem Bruschium a fol. 28, apud Bucelinum Germaniæ sacræ part. 2, pag. 29; ac tandem apud Franciscum Petrum in Suevia ecclesiastica pag. 228; sed in ea nusquam apparet Hartmannus hic noster.*

o *Itaque refertur in catalogo abbatum cœnobii SS. Udalrici et Afræ apud Bruschium citatum fol. 137, Bucelinum Germaniæ sacræ part. 2, pag. 90, Khammium Hierarchiæ Augustanæ part. 3, pag. 34; sed omnes isti præfecturam ejus illam ordiuntur anno 1094; finiunt 1096 : quæ et alia ibidem notata non videntur cum hac historia nostra consistere. Sed enim hæc et quæ sequuntur, minus ad* B. Altmannum *pertinent, quam ad monasterium Gotwicense : ad hujus proinde Annalistam (quisquis est) enodanda remittimus.*

p *Hic desinit in exemplari nostro narratio pri-*

mæ

EX IMPRESSIS.

mæ Vitæ : nam quæ continuo in eodem subjunguntur : His itaque explicitis, redeundum arbitror etc. *non sunt hujus auctoris ; sed alterius qui Vitam secundam composuit; in qua legi possunt iisdem omnino verbis a numero 54 usque ad finem. In editione primæ Vitæ Peziana protrahitur eadem Vita per duos numeros, quos hic uncinis inclusos adjicio; sive ejusdem sint scriptoris additamentum, sive diversi ; de qua re dictum est in Commentario num. 15.*

q Chadehoch, *idem, qui* Cholhochus, *cui Vita in principio dedicatur.*

r *Anno videlicet Christi, secundum Peziani catalogi calculos, 1155.*

VITA ALTERA

Auctore incerto, sed Gotwicensi, ex editione Tengnagelii, collata cum Ms. Pataviensi, et cum editione Hieronymi Pezii.

B

PROLOGUS AUCTORIS.

Altmanni miracula

Conditor ac gubernator rerum universarum, de quo Scriptura testatur, quod præcipit soli, et non oritur; et claudit stellas quasi sub signaculo ; ipse ad temperandam hujus noctis caliginem, quæ nostris temporibus profundior inhorruit, ea luminaria, quæ posuit in firmamento, ut luceant super terram, nonnunquam clarius effulgere; et quæ dudum sibi tantum interluxerunt*, cum jocunditate etiam hominibus clementer facit innotescere. Inter quæ ego non immerito numerarim B. Altmannum, Pataviensis ecclesiæ venerandum antistitem; qui post occasum hujus mortalis vitæ inter sidera cœli collocatus tam crebro nobis *a* desuper novo micat splendore; videlicet in virtutibus et signis, quæ per eum operatur mirabilis in Sanctis suis Deus: ut non incongrue ad C eum B. Job dixisse judicem; cum te consumptum putaveris, orieris, ut Lucifer. Ad ejus enim merita delaranda fugiunt dæmones, paralytici curantur, illuminantur cæci, contracti restituuntur, et variarum pelluntur damna incommoditatum. Erisne ergo, præsens ætas, adeo cæca, ut tanti luminis claritas, quo Deus illustrat et mirificat Sanctum suum, ingratos oculos tuos non perstringat? Non conterreat ? Non ad se attendere faciat ? Dixerit hucusque generatio prava et exasperans : Signa nostra non vidimus ; jam non est propheta. En, qui facit nobiscum signum in bonum et consolatur nos per mèrita Famuli sui, innovat signa et immutat mirabilia usque ad diem hanc.

* *al.* intus luxerunt

de ejus sanctitate dubitare non sinunt.

2 Ergone dubitabis de Viro hoc, o incredule, quod ipse non introierit in potentias Domini, qui tam potenter adesse non tardat supplicibus suis ? Non quidem audis vocem, umbram non vides, manum non sentis, ut quondam in Apostolis ægri audiebant, videbant, et sentiebant: et tamen sentis beneficia, et ad invocationem ejus pristina gaudes incolumitate. Crede igitur, apud Deum vivere, et apud eum plurimum posse, quem tibi tua sanitas probat etiam invisibiliter affuisse. Proinde, crede Sanctum, prædica D probatum, qui jam non se, sed quem Deus commendat : qui jam non de se ipso testimonium dicit ; sed cui dant testimonium tres qui sunt in cœlo, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Itaque si leprosi, qui habitabant in porta Samariæ, semetipsos arguunt, si diem boni nuntii taceant civitati; multo magis nos arguendi et incredulitatis atque ingratitudinis peccato erimus notandi, si Ecclesiæ Dei tantas Dei laudes, tanta hujus Sancti præconia, tantum apud nos repositum thesaurum invideamus vel abscondamus.

Hæc Vita quomodo et unde sit composita.

3 Conabor quamobrem vestris victus et adjutus precibus, reverendi domini et Fratres, scribere aliquid de vita et miraculis tanti Pontificis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quæ mihi nulla est, et quam ego cum Apostolo stultitiam novi fore apud Deum ; sed sermone simplici et pio proponam lectori, quidquid ex antiquioribus quibusdam scriptis *b*, recentique memoria vos filii veritatis indicaveritis et astruxeritis. Scribere autem quæ ad rem non pertinent, et amplificandi causa a narratione longius digredi, nec vos petitis, nec ego spondeo. Spondeo vero si E quid in his scriptis corrigendum, mutandum, aut tollendum æstimaveritis, id æquum mihi non turbare animum : quippe qui nec amicis, quorum oculi non sunt columbarum, sed aquilarum, hæc carpenda nego ; pro quibus nullam quæro gloriam ; sed tantum vobis debitam exhibere obedientiam, et ejus de quo scribimus, apud Deum intercessionem et misericordiam.

ANNOTATA.

a *Ex hoc et aliis pluribus locis colligimus, biographum hunc fuisse Gottwicensem. Vide mox iterum num. 2 in fine, ubi Beati corpus appellat* tantum APUD NOS repositum thesaurum.

b Ex antiquioribus quibusdam scriptis ; *hoc est ex Vita prima. Consule Commentarium num. 19.*

CAPUT I.

Beati natales et gesta ante episcopatum, diu prædictum, ac tandem collatum.

F

Beati patria, nobilitas, eruditio, humilitas;

Beatus igitur Altmannus de gente Saxonum oriundus ; nihil tamen ferum, aut saxeum ab illa didicerat natione ; sed tanquam gemma pretiosissima, quæ ex auro fulgentior nitet, sic ille claris parentibus in omni bonitate et honestate clarior effulsit. Qui liberalibus traditus studiis, eo intus aspirante et docente qui docet hominem scientiam, tam divinis quam philosophicis elegantissime institutus est disciplinis. Et licet nonnullos scientia hæc inflet ; hunc tamen Virum illa non inflabat ; sed ornabat, sed commendabat. Longe fuit et alter ab his, qui plus sapiunt, quam oportet sapere ; qui fastu scientiæ suæ spernunt simplices et conculcant humiles. Alioqui nisi humilibus assensisset, et nequaquam alta sapuisset, quomodo intrasset in eum Spiritus Sanctus ille, qui sacrarum scientiarum Dominus est ; cum non requiescat nisi super humilem et quietum et trementem verba sua? Unde etiam secundum ejus sententiam qui dixit, quod humilem spiritu

sequi-

Ex impressis.

A sequitur gloria, dignus habitus est exaltari, qui tam prudenter apud se didicerat humiliari.

dignitates ante episcopatum;

5 In ecclesia ergo, quæ dicitur Paderbrunne, non solum canonicus, verum etiam ad regimen scholarum delectus et multis annis adstrictus est. Crescente vero tanti Viri fama, consequenter crevit et gloria. Quare in illa nobili ecclesia Aquisgrani, quæ longa jam antiquitate, sede Teutonici decoratur regni, canonicorum Præpositus meruit sublimari. Eo quoque in tempore in palatio Heinrici tertii imperatoris in rebus agendis fidelis et prudens inventus est. Puto, quod tunc experiebatur Deus in Famulo suo, an dignus futurus esset, cui, quod majus erat, crederetur, si in eo, quod minimum est, fidelem comprobasset. Defuncto itaque imperatore, in ipso tamen probata fidelitas defuncta non est, quam infatigabiliter servavit Agneti imperatrici inter turbines casuum diversorum, quibus tunc miserabiliter confundebatur regnum et sacerdotium.

peregrinatio Hierosolymitana,

6 Ea tempestate nonnulli nobilium, amore ac desiderio Hierusalem cœlestis, quæ sursum est, et quæ libera est, et est mater nostra, hanc terrenam Hierusalem, in qua Redemptor humani
B generis opus salutis nostræ, quod dedit ei Pater ut faceret, misericorditer consummavit, aggressi sunt invisere, et exemplo sanctarum mulierum quæ quondam venerunt cum aromatibus, etiam ipsi cum odoramentis votorum ac precum suarum locum adire et videre, in quo positus erat Dominus. Quis opinari audeat, diversarum civitatum pontifices, viros prudentia ac nobilitate insignes, summos honores, patriam, cognatos, divitiasque contempsisse pro quadam vulgari opinione, quasi dies extremi instaret judicii; eo quod Pascha illo in anno celebrandum occurrisset* vi Kal. Aprilis, quo videlicet inscribitur Resurrectio Christi *a*? Ego magis putaverim, pia devotione permotos, aut crebrescentibus undique malis conturbatos laborem hujus peregrinationis arripuisse: et quod decebat sapientes et religiosos, dies malos potius insumere voluisse in reddendis votis Domino Deo suo, quam sine fructu omni in talium temporum periculo conversari. Fuerunt in hac multitudine viri præcipui; Sifridus, Moguntiensis archiepiscopus, et Guntherus, Babenbergensis episcopus, et cum eis viri nominati tam
C clerici quam laici. His quoque S. Altmannus cum pluribus honoratis de palatio comes adjunctus est.

* *al.* occurrit

a

multis exercita malis;

7 Igitur ingressi iter propositum, inciderunt in latrones: inimici namque Crucis Christi, eorum cooperatores et socii de quibus David conqueritur: In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, insidiis eos circumvenientes, complures eorum despoliaverunt, vulneraverunt et peremerunt. Docemur certe hic, non modo descendentes ab Hierusalem in Jericho pericula pati latronum; verum nihilominus ascendentes ab Jericho, id est, ab hoc mundo in Hierusalem, non solum invisibilium, sed etiam visibilium insidias sustinere inimicorum. Utrorumque insidias et laqueos considerans Sanctus, confitetur, et dicit: Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Et iterum de Domino dicit: Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. At viri virtutis, quorum erat in timore Domini fiducia fortitudinis, rebus adversis fortiores, per damna et ludibria atque verbera, quibus eos crudeliter et multipliciter affecit sæva barbaries, tandem Hierosolymam pervenerunt; ubi reddentes Deo vota, quæ distinxerant labia sua, et visitatis debita veneratione locis, in quibus Dominus et Salvator noster in terra visus est et cum hominibus conversatus est, et præcipue loco passionis ejus et resurrectionis atque in cœlos ascensionis; quia non habebant ibi manentem civitatem, sed futuram inquirebant, patriam, quam liquerant, revisere, et exinde ad patriam cœlestem transmigrare communibus votis optaverunt.

reditus, et evectio ad sedem Pataviensem,

8 In Pannoniam vero pervenientes, cum in castro, quod nostra lingua Wizzeburch appellatur, demorarentur; Guntherus, venerabilis episcopus de hoc seculo migravit ad Dominum, auditurus, ut speramus, illud Euge serve bone *, qui pro apportato et multiplicato talento vocatur intus in gaudium Domini sui. Defungitur eodem tempore etiam Egelbertus, Pataviensis episcopus, illis admistus in cœlis, quorum dignitate adornatus est in terris. Post cujus excessum, collato invicem consilio, favente Agnete imperatrice, nec minus regni optimatibus, omnium patri conniventia, beatus Altmannus in locum defuncti in Pataviensi sede episcopus denominatus est. Applaudit clerus, populus congaudet, et nemine dissen- E tiente, hunc pontificalibus infulis dignissimum approbant, quem decus generis, vitæ sanctitas, sanitas doctrinæ, et testimonium commendaret famæ inviolatæ. Mittuntur proinde in obviam viri honorati, qui virgam pastoralem et annulum pontificalem electo in Pannoniam deferant, ac talibus insignibus, quid de eo superna ordinaverit dispositio, fideliter attestentur.

* *al.* servi boni

quam ornavit continuo oratione jejunio, eleemosyna, etc.,

9 Vocatus ergo a Deo tanquam Aaron; non ipse sibi sumens honorem, nec instar multorum fugientem insequens, aut reclamantem obsequiis deliniens, ab ovibus sibi commendatis cum maximo tripudio exceptus et post modicum a reverendo archiepiscopo Gebehardo debita benedictione consecratus, a Spiritu testimonium reddente spiritui nostro quia filii Dei sumus testimonium accepit, quod vere sit ipse filius cui sanctus Pater efficaciter imprecatus est dicens: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Directus est in eo ab illo die et deinceps Spiritus Domini. Jam exhinc totus succenditur in amorem Dei; et illius refectus visione, minus de reliquo respexit in va- F nitates et insanias falsas; constans in jejuniis, in vigiliis perseverans; creber in orationibus, laborabat per singulas noctes in gemitu suo, et lacrymis stratum suum rigabat: abscondebat eleemosynam in sinu pauperum, ut ipsa oraret pro eo, cum ille orare minus potuisset. Et hæc quidem agebat in abscondito, ut Pater suus qui videt in abscondito, redderet ei.

quæ ipse quidem humilitate premebat,

10 Sed quoniam acceperat ab Apostolo, providere se debere bona non solum coram Deo, verum etiam coram omnibus hominibus; quod a primæva ætate decretum sibi fuerat, optimis foris ornabatur moribus, quales idem docere videtur Apostolus, cum sive Timotheum, sive Titum instruit, dicens: Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, benignum, modestum, et amplectentem eum, qui secundum sanam doctrinam est, fidelem sermonem. Et tamen in omnibus his ad exemplum B. Job, non vidit solem, cum fulgeret desuper, nec lunam incedentem clare; quia, ut B. Gregorii verbis utar, Cum opus suum etiam aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gloriam Vir sanctus illud non attendit; sed, dum pro eo extolli timuit, ab intuendo eo oculos mentis

EX IMPRESSIS.

tis avertit: [per solem quippe fulgor boni operis, et per lunam opinio intelligitur bonæ operationis.] Nam, sicut luna illustrationem a radio solis accipit; ita fama a bono opere vires et favoris gratiam, quasi claritatem luminis, aspergit. Sanctus ergo Vir, quem nec opus manifestum, nec fama laudabilis extulit, nec solem fulgentem desuper, vel lunam incedentem clare vidit.

at miraculo Deus illustrabat.

11 Porro cum nemo accendat lucernam, et ponat eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, placuit invisibili et soli Deo, qui lucem habitat inaccessibilem, Lucernam hanc, quam ipse Pater luminum accenderat, ut luceret coram hominibus, et viderent opera ejus bona, et glorificarent Deum suo testimonio his, qui tantum vident in facie, et cor intueri nequeunt, amplius, quam innotuerat, innotescere et manifestare: manifestare autem sic:

Erat in civitate Pataviensi femina quædam, cujus filia unica plaga lepræ percussa est. Cui sæpius oranti et salutem filiæ a Domino suppliciter postulanti, revelatum est in somnis, si de ablutione manuum B. Altmanni post Sacramenta Missarum B filiam perungeret, pristinæ sanitati redderetur. Quod dum illa fideliter fecisset, sanata est filia ejus ex illa hora. Quid minus habere videtur Sanctus iste, ab illo magno propheta Elisæo, qui lepram Naaman Syri curandam docuit in Jordane? Ille septies sanandum jussit lavari; hæc semel lota, secundo lavari non eguit: quia sanitatem illico sensit, quam optavit.

Episcopatum hunc suum olim prædixerat; uti suos Gebehardus et Adalbero;

12 Nec hoc solo miraculo Dominus declaravit, cujus apud eum meriti dilectus Famulus suus fuerit; quin etiam per antecedentes prophetias jam dudum præsignaverat, quid post plures annos futurus erat. In annis enim adolescentiæ constituto, cum simul essent ipse, et Gebhardus, cujus supra meminimus, et Albero, postmodum Wirzeburgensis episcopus, accidit, ut super marginem fontis alicujus panem comesturi consedissent. Inter mutua colloquia, quibus pauperem mensam condiebant, meliora de se sperare et quodam occulto ac præsago spiritu prædicere adorsi sunt. Aitque Gebhardus: Ego in Salzpurgensi ecclesia episcopus futurus sum. Albero vero; Et ego, inquit, in Wirzpurgensi cathedra præsidebo. C At Altmannus: Et ego Pataviensem sedem episcopus gubernabo. Vaticinium hoc rerum probavit eventus: singuli namque in ecclesiis, quas sibi delegerant, sublimati, ne infructuosæ arbores ab ipso, qui plantaverat eos in domo sua, invenirentur, reddiderunt fructum temporibus suis: singula quippe monasteria in suis constituerunt episcopiis, et sepultura sua illustraverunt: Gebhardus namque in Admontensi; Albero vero in Lambacensi; Altmannus in Kotwicensi monasterio requiescit in Domino.

omnes in fundatis a se cœnobiis

13 Corpora quidem illorum illic in pace sepulta sunt; sed vivent nomina eorum in æternum. Quomodo non viverent, quæ in libro vitæ adscripta tenentur: cum vere ex illis fuerint, quibus Dominus repromittit; et non delebo, inquiens, nomina eorum de libro vitæ? Sunt, qui vocant nomina sua in terris suis, nec tamen cognoscuntur ex nomine; quia deleti sunt de libro viventium et cum justis nequaquam conscribuntur. Unde et districtus Judex dicturus est eis in illa tremenda separatione bonorum et malorum: Discedite a me maledicti in ignem æternum; quia non novi vos. Horum, secundum sanctum David, perit memoria cum sonitu: aut, si qua est, hæc non in benedictione, sed in maledictione est. Numquid enim parum erat illis, molestos esse homi- D nibus; quia molesti erant et Deo; sicut de similibus eorum testatus est Isaias? Et ideo longe est ab eis, quod de dilecto Deo et hominibus dicitur: Cujus memoria in benedictione est.

(cœnobia enim illi malebant, quam, ut alii, castella condere)

14 Attendite, quæso, pontifices seculi nostri, quæ vobis memoria succedat: non de constructione ecclesiarum; sed castellorum, quæ vos in excelsis et præruptis montibus, pauperum sudore et viduarum minutis instauratis. Ad quid autem? nisi ut abinde pellantur homines; non dæmones: ut ibi vincti gemant in ergastulis, deficiant in suppliciis; ut ibi peccatores non convertantur, sed puniantur: puniantur non ad peccatorum veniam; sed ad vestræ injuriæ vindictam. Vos Sancti Domini, ministri Dei nostri, de quibus nobis sermo est, saniore consilio instruxistis monasteria de oblationibus fidelium et rebus ecclesiarum, unde abiguntur dæmones, et ubi recipiuntur pauperes, convertuntur peccatores, et sanctæ simplicitatis ac beatæ paupertatis religio conservatur: ubi die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini, quos a solis ortu et occasu, E ab aquilone et mari, ex omnibus populis et linguis, ex omni ætate et conditione, sexu et natione congregavit ad glorificandum se, qui de servientibus sibi omnibus facit cor unum et animam unam.

sepulti; imo illa, ut patroni, perpetuo protegentes.

15 Et vos licet somno vestro requiescatis, ut semper optastis; et requiescatis a laboribus vestris; haud tamen crediderim, spiritus vestros deesse locis, quæ viventes tanta devotione construxistis et dilexistis. Credo, vos adesse cunctis illic degentibus; astare, videlicet orantibus, succurrere laborantibus, lapsos allevare, et vota singulorum in conspectu divinæ majestatis promovere. Putaverim, vos cum Domino de cœlo prospicere, ut videatis, si est intelligens, aut requirens Deum; et si quem inveneritis segnius agentem, et mentiri Deo in votis suis, et claudicare a semitis Domini, reor, vos illico cum Angelis pacis amare flere, et querelam gemitus coram facie Domini pro eo, vel contra eum, qui ejusmodi est, medullitus deponere. Attendendum quapropter est, Fratres et domini, qua disciplina reverentiave F vobis conversandum sit, inter quos, cum sanctis Angelis isti Patres, et patroni vestri * adsunt, discurrunt, et vestræ * saluti indesinenter invigilant, ne quid irreligiosum, vel indecens, vel incorrectum reperiatur, quod eos contristet, aut elonget.

* *al.* nostri

* *al.* nostræ

Sed redeundum jam ad narrationem est: non enim doctoris apud vos vicem gero, sed narratoris, earum tantum rerum, quas vos scriptis docueratis *, aut voce viva.

* *al.* docueritis

ANNOTATA.

a *Vide annotata ad priorem Vitam cap. 1, litt.* f, g, h, i.

CAPUT II.

Duo cœnobia ab illo fundata; tria reformata; eliminata sacerdotum incontinentia, et amissus propterea episcopatus.

Itaque beatus Dei Famulus quotidie cum Propheta adjiciens ad laudem Domini opera Dei, non

Condit Altmannus cœnobium S. Nicolai;

A non suis meritis, sed divinæ attribuit misericordiæ, dicens cum Psalmista : Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam : et cum Apostolo : Gratia Dei sum id, quod sum. Ut autem non fallaciter subsequeretur : Et gratia ejus in me vacua non fuit; ædificavit Vir sanctus in suburbio Pataviensi in honore S. Nicolai ecclesiam super littus Oeni fluminis, pluribus eam ditans rebus et possessionibus. Præfecit autem illic Hartmannum Præpositum, virum sapientia et facundia commendabilem, qui Rudolpho regi charissimus, etiam Urbano Papæ, suisque successoribus notissimus fuit. Hic, ut religiosus erat ipse, sic religiosos clericos et laicos * undecunque colligens, communem eos vitam ducere sub regula S. Augustini verbis et exemplis diligenter instituit.

* *al.* monachos

exinde collapsam alibi disciplinam

17 His ita peractis, indefessus Christi Minister manum suam misit ad fortiora; vere fortiora, quia longe plus affert difficultatis ac laboris radicatas et inveteratas evellere pravitates, quam bonas a primordio inserere disciplinas. Ergo, quia nomen ipsum episcopi, Ecclesiæ Dei eum superintendere admonebat, consideravit agrum et B vineam, quam sibi locaverat Dominus; et, ecce, totam repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Sed quas putas quidem ego dicam urticas et spinas? Utique in corde negligentium prurientia terrena desideria et punctiones vitiorum. Et quam maceriam? Certe disciplinam patrum, quæ in corde pravorum lapsa jacebat. Unde totum hoc? Quia dormiebant homines, et venit inimicus homo et superseminavit zizania in agro, quem Pater familias optimus optimo severat semine. Homines prælatos ecclesiarum accipe, quorum torpor et somnolentia inimico homini, id est, diabolo, fiduciam præstat et locum seminandi in agro Domini semen suum. Ager autem universalis est mundus. Sed ad eum non nobis est sermo. Agrum vel vineam, quodlibet intelligo monasterium : agros plures vel vineas, plura monasteria. In his vitia invalescentia lætam tunc temporis strangulabant frugem, sanctam dico religionem. In his vitis vera conversa fuerat in amaritudinem. Ego sum, ait Christus, vitis vera. Iste dulcis et C rectus Dominus, nonne convertitur in amaritudinem ei, qui horret, quæ sunt recta, quæ sancta, quæ pudica, quæ bonæ famæ, quæ virtutis, quæ districtionis? Nonne amarum judicat Christum, qui renuit gustare et videre, quam suavis sit ille?

moresque depravatos

18 Sic se habente agro, vel vinea Domini, non credes, Virum Domini ab imo pectore ingemuisse ad Dominum et dixisse; Ut quid operatur agricola? destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Deus virtutum convertere; respice de cœlo, et veni, et visita vineam istam. Dicit vero mihi Unicus tuus : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. En quanta subcreverunt, quæ tu non plantasti, o Pater? Numquid constituisti me, ut evellam, et destruam, et dissipem, et disperdam? Aggrediar spinas istas se invicem complectentes : una enim adhæret uni, ut ne spiraculum transeat per eas. An quia tu dicis nobis servis tuis, ut sinamus utraque crescere usque ad messem, rem tam arduam, tamque difficilem dissimulabo? Siquidem non ignoro, Ecclesiaste docente, quod qui transfert lapides (graves scilicet ac duros pravorum mores) affligetur in eis. Et, qui scindit ligna (id est, pertinacium corda) vulnerabitur ab eis. Ergo, si concedis; crescant utraque.

EX IMPRESSIS.

non ferens,

19 Sed quid agemus, qui spinas crescere cernimus, et triticum suffocari? Sollicitus quidem es, ne forte colligentes zizania, eradicemus simul et triticum. Sed non est labor in discernendo, triticum sit, an zizania : manifesta sunt scandala hæc; non egent accusatore; etiam sine teste constant. Publica fama; imo infamia clamat. Nonne hic clamor jam dudum ascendit ad te? Ego tuus qualiscunque vicarius descendi ad eos, et video quod sic cuncta opere compleverunt. Non invenio illic saltem Decalogum præceptorum tuorum, cujus respectu parcere debeam, qui parcere mallem. Tuo igitur fretus auxilio, et Apostoli tui consilio, auferam malum de domibus tuis, quas decet sanctitudo. Et si quid ex hoc tristius occurrerit, verbis Doctoris tui consolabor, qui ait : Infidelis si discedit, discedat!

tria reformat monasteria SS. Floriani, Hippolyti, et Agapiti :

20 Igitur pestilentes quosque et corruptos et abominabiles factos in studiis suis, de sanctis locis undique proturbat; providens vice illorum religiosos tam prælatos, quam discipulos. Inde, jam reflorere religio; inde suave redolens redire sanctitatis opinio; inde reverentia exhiberi servis Christi. E Hoc tam felici ausu solliciti Cultoris innovata sunt novalia cœnobiorum, et seges fœcundior surrexit; quoniam infructuosum fuisset serere super spinas. Hinc jam domus sancti Floriani martyris fructificavit suavitatem odoris, et flores ejus, fructus honoris et honestatis. Sic Cœnobium sancti Hippolyti scholarum studiis usque nunc insigne : sic monasterium sancti Agapiti martyris in Chremismunster : quia Dominus dedit benignitatem, dederunt et ipsa fructum suum *a*.

a

fundat cœnobium Gottwicense

21 Quemadmodum vero de Abraham scriptum est, quod erat vadens, et ultra progrediens ad meridiem : sic et in sancto hoc Viro videre fuit; eo quod et ipse filius esset Abrahæ. Non suffecit novum cœnobium instituisse, instituta correxisse; adhuc progreditur ad opus excelsum; in monte excelso construere videlicet basilicam magnificam sanctæ Dei Genitrici ac semper Virgini Mariæ. Nam cum quadam die in villa, quæ Moutarn dicitur, resideret; attendit eminus montem, vicinis montibus non contiguum, quem vulgus Kotwich F appellabat. Visus est mons ille amœnus et ad habitandum satis idoneus. Cujus qualitatem cum ab incolis didicisset, mulam suam repente sterni jubet, et multa turba comitatus, stricto quodam et prærupto calle montem ascendit, suo instruens ascensu, quod tantum per arduas et angustas semitas mandatorum Dei de terris itur ad astra. Lustrato itaque monte toto, dum cerneret locum spatiosum et ad construendum monasterium aptissimum, fixo statim tentorio, silvam, quæ condensa illic succreverat, succidi, et oratorium præcepit inchoari.

et B. V. Mariæ nomine dedicat.

22 Cumque adhuc ambiguus penderet, cui Sanctorum potissimum attitularetur, pro diversis votis et affectu, diversis diversa consulentibus, contigit supervenire nuntium, a ducibus Bœmiorum transmissum. Ferebat iste tabulam quamdam Episcopo, quæ pro munere digne offerretur tanto Viro; in qua cernebatur imago beatæ Virginis Mariæ Græco opere mirabiliter expressa, merito in eadem ecclesia adhuc conservata, et perpetuo conservanda. Hanc Deo amabilis Pontifex pia veneratione deosculans, quasi divino commonitus oraculo, locum protinus assignavit eidem gloriosissimæ Dei Genitrici Mariæ. Cumque opus basilicæ

EX IMPRESSIS. licæ prospere consummasset, atque celebriter dedicasset; providit larga benevolentia possessiones inibi habitaturis. Providit quoque ornamenta divinis congrua ministeriis. Quibus rite peractis, collectis in unum viris religiosis, et præposito eis viro prudente Outone *, sub Regula B. Augustini vitam eos ducere jussit spiritalem.

* *al.* Utone *et* Ottone

23 Subit nunc animum, quod cantatur in Psalmo.: Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet. Quid viderat peccator hic, ut irasceretur, fremeret, et tabesceret? Haud dubium; quod dispergentis res suas in pauperes justitia ejus manet in seculum seculi; et quod cornu ejus exaltabitur in gloria. Sic nimirum in hoc Dei famulo malignus hostis vidit, quod invidit. Vidit, ejus apud Deum cumulari merita; vidit ejus occupata otia multorum proficere saluti et conversationi *. Struit ergo insidias, et opponit impedimenta, quibus irretitum ab istis oporteat desistere, quæ tantorum profectui dolet prodesse. Consuetis itaque utitur instrumentis, et per membra sua efficiendum non dubitat, quod per se efficere minus sperat. Quo vero ordine, explicandum superest.

fremente cum suis dæmone, et rem evertere satagenti

* *al.* conversioni

B

24 Fuit eo tempore per universum fere regnum Teutonicum grave scandalum et communis querela de incontinentia sacerdotum: neque enim occulta latebat; sed frons meretricis facta erat eis, et erubescere erubescebant. Delata est res ad aures Romani Pontificis; visumque, ut decretalibus epistolis tantam enormitatem argueret et prohiberet. Annuunt et congratulantur episcopi; et pro posse, salutaribus mandatis cooperantur. Quam ob rem B. Altmannus, collecto Fratrum concilio in Pataviensi sede, litteras super hac re ad se directas recitari jubet, obsecrans et exhortans, ne gravis judicetur pudicitia, quæ speciali apud Deum remuneratur corona: quæ, cum omnis fidelis animæ insignis sit ornatus, eos tamen permaxime debet adornare, qui sanctam et immaculatam hostiam Corporis et Sanguinis Christi pro universis nobis divinæ offerre debent majestati. Quid plura? Pluribus verbis bonus Pater et prudens Doctor tantæ virtutis et tam amplectendæ puritatis suadet amorem; sed non persuadet. Tuentur se illi antiquitate temporum et auctoritate antecessorum suorum: quorum neminem in hujusmodi severum tulerint et violentum. Respondet Servus Christi, se quoque ab his velle quiescere, si mandatum Domini Papæ indulgeat. Nunc autem timere se sibi, timere illis; pro eo quod scriptum sit, non solum eos, qui faciunt; sed et qui consentiunt facientibus, dignos esse morte. Nihil ergo proficiens, solvit consessum.

per occasionem decreti Pontificii contra presbyteros conjugatos:

C

25 Sapientioribus autem communicans consilium et secretum commendans, adveniente festo sancti Stephani protomartyris, quem illa ecclesia patronum veneratur, cum plurimi de magnatibus ad diem solemnem convenissent, quia justus ut leo confidit, coram omni frequentia cleri et populi ambonem conscendit, et quod Apostolicæ indicant litteræ, imperterritus enarrat. Deinde addit interminationem auctoritatis; ut, qui obsecrationibus noluerunt flecti, frangantur districtione. Illico clamor et furor ab omni parte perstrepit. Et forte impræsentiarum Famulum Dei furibundis manibus discerpsissent, si non divina virtus et optimatium præsentium probitas furentibus obstitisset. Regnabat his diebus Heinricus IV, filius imperatoris Heinrici qui cognominatus est Pius, admodum puer et absque frenis disciplinæ in voluptatibus enutritus. Completum est in eo dictum Sapientis, quo vaticinatur dicens: Væ terræ, cujus rex puer est. Quid ejus tempore passa sit Ecclesia, quid regnum; quanti pastores ab ovibus suis sint abacti, humanus sanguis quantus sit effusus, quæ patratæ luxuriæ, incendia, rapinæ, orbem non latet, et scriptores temporum non tacuerunt. Ad hunc religionis hostem, castimoniæque oppugnatorem, ob suam tyrannidem a Papa Gregorio VII excommunicatum, confugiunt miseri, quibus exhorruit castitas. Apud talem judicem tales accusatores et tales testes merentur audientiam: et Viro Dei crimina detestanti affingunt crimina, quibus eum pontificali honore credunt devestire. D

hoc enim B. Altmannus fortissime executus,

26 Poterat Vir iste, si coram astitisset, abbreviato verbo respondisse pro se, quod etiam magister suus Christus respondit pro se: Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me; sed in humilitate judicium ejus sublatum est, affirmantibus adversariis, ut quondam de Salvatore Judæis: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Et si respondisset, quod Christus respondit suis lapidatoribus (Multa bona opera operatus ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?) verum quidem et apertum * dedisset responsum: sed apud tales, non satis fuisset. Flexus ergo Heinricus, Pataviam hostiliter ingreditur, et Herodis vice confundens fasque nefasque, pro libito cuncta peragens, criminosos quosque ab Episcopo pulsos rebus et dignitatibus suis restituit. Quo recedente, cum facta crudelia Fratres de S. Nicolao, qui in suburbio civitatis constituti, Religiosam vitam agebant, pariter detestarentur; a fautoribus Heinrici de monasterio violenter extracti, et virgis publice cæsi, et de finibus illis sunt ejecti. Substantia eorum raptoribus cedit, et ecclesia bonorum cœpit esse synagoga satanæ.

ab Henrico IV. impudicos illos protegente, de sede dejicitur.

E

* *al.* aptum

ANNOTATA.

a *Pleraque hic inobservata prætereo; quia in Vita præcedente sunt explicata.*

CAPUT III.

F

Iter Beati Romanum; firmata et aucta dignitas; reditus et eum secuta miracula; justa severitas; misericordia; liberalitas in ecclesias et cœnobia.

Prævalente itaque iniquitate, B. Altmannus de sede sua propter justitiam ejectus, in Saxoniam, patriam suam, revertitur. Post hæc adiit limina Apostolorum, et causam viæ, et ordinem injuriæ Gregorio Papæ seriatim exponit. Et quia sancti quique verentur, omnia opera sua, episcopatum Domno Papæ resignavit, hoc offensus scrupulo, quod ejus investituram a manu laica recepisset. Cumque aliquantisper cum Papa lassus requiesceret; die quadam eo in ecclesia posito et de S. Altmanni restitutione cum Cardinalibus conferente; illo vero honorem tanti oneris humiliter recusante, columba quædam cuncta basilicæ loca oberrans, tandem ad pauperculum et humi-

Romæ cedere volens dignitate, prohibetur miraculo, et fit Legatus Apostolicus:

lem

A lem spiritu venit Altmannum; et quasi diceret: Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam, et quod sequitur: Viduam ejus, id est Pataviensem ecclesiam legitimo sponso viduatam, benedicens benedicam, et pauperes ejus saturabo panibus, capiti Antistitis insedit. Cunctis videntibus et intelligentibus signum, Papa nil cunctatus, mitram de capite suo tollens, ejus capiti imposuit, episcopumque ac Romanæ Sedis Legatum constituens, auctum benedictione remisit in propria; quasi diceret abeunti: Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos; manete in dilectione mea.

sed, intrusis in ejus cathedram a pseudopapa pseudoepiscopis,

28 Interea fautores Henrici IV Moguntiæ contrahunt concilium; quo præsidente, ipsi viderint. Ibi schismatici et ab Ecclesia præcisi, Papam Gregorium, virum Catholicum et Patrem universalem, Patrem negant, ejusque sequaces, ipsi damnati, damnant. Deliberat in his Pastor Ecclesiæ urbe et armis cedere, puto, rememorans Salvatoris licentiam, qua dixit discipulis suis: Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Quo facto, Wichpertus quidam, cujus laus non est in Pontificum catalogo, Apostolicæ Sedi in-B truditur. Quid dico, intruditur? Propria ambitione invadit, anhelat, et præripit. Abhinc veri pastores ubique terrarum sedibus suis proturbantur; subrogantur vero schismatici vel Simoniaci. Horum etiam factione Altmannus a grege suo fugatur; et Hermannus quidam frater ducis Luitoldi substituitur. In hoc maledictio in Judam prolata, id est, Episcopatum ejus accipiat alter, citius completa est. Vix enim biennio oves alienas totondit et mulsit, et pastoris nomen, quod falso gerebat, cum vita finivit. Dicitur tamen in extremis pœnituisse, et episcopalia quæque Altmanno episcopo reddidisse, et absolutionem anathematis ab eo suppliciter requisisse. Succedit huic, pecunia tamen impetrante, Timo, canonicus Wirzpurgensis, et episcopatum usque ad Anesim fluvium prædo violentus oppressit.

partem tantum diœceseos redux obtinet, in qua cœpta Gottwicensia perficit.

29 Sanctus vero Præsul, annitente pio principe marchione Luipoldo, hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo *a*, cujus nobilitas, pietas et fidelitas ditissima usque nunc constat hæreditate, in orientali provincia clerum et populum strenue gubernavit, et inchoato operi in monte Kotwikcensi, a quo eum fraus inimici per supradicta impedimenta C præpedire tentaverat, devotus invigilavit. In quo loco dum aliquando Missarum solemnia celebraret, et quidam diaconus adventitius et sinistræ famæ, Evangelium lecturus, benedictionem peteret; Episcopus diutius intuens benedicendum, stolam de collo ejus abstulit, et alii legere præcepit. Unde patet, quod aliquid de illo revelatione didicerat, quod cæteri nesciebant. Confusus miser confusione, quæ adducit peccatum; non confusione, quæ gloriam adducit, ad Heinricum pravorum refugium fidens confugit; et volens criminari Episcopum et Fratres, cum audientia judicaretur indignus, Deo ulciscente, pessima peccatorum morte multatus est.

Aqua in vinum ipsi convertitur.

30 Et quia tempora instabant periculosa, et schisma grave increverat, quod prima capita imperii genuerant et ad incrementum quotidie fovebant; placuit Deo, qui consulere non cessat universis, ad confirmandam vacillantium fidem, decenti signo Famulum suum honorare, et Catholicum ministrum suum fidelibus quibusque commendare. Præceperat quippe pincernæ suo propter arctiorem et secretiorem abstinentiam, aquam sibi in mensa apponere et, ne sciri posset, spuma cervisiæ operire. Fecit ille quod sibi imperatum fuerat. Quam cum Vir sanctus ori admovisset, sensit vinum, et optimum illud vinum. Putans autem, pincernam sibi illusisse, transgressorem valde indignans increpat. Verum ille horrendis juramentis, quod sibi jussum fuerat, apposuisse confirmat. Episcopus quidem rem celare cupit; sed pincerna, sublatum de mensa poculum *, quid Episcopus biberet, gustu certius explorat. Et hic postmodum in Kotwigcensi monasterio monachus factus, rem ordine refert; ut ille benedicatur in omnibus, qui ad gloriam Sanctorum suorum et ad confirmationem et consolationem pusillanimorum facit mirabilia magna solus.

* *pro* sublato poculo

Dæmoniacum liberat;

31 Adhuc ad laudem Dei de Famulo Dei aliquid non fastidientes accipite. Quis enim fastidiat signa tam insignia, quæ invisibilium adstruunt fidem, et probant, Dei non defecisse virtutem? Recede, o insipiens, qui dicis in corde tuo: Non est Deus, et qui tanta perfidia insultas dicens: Ubi est Deus tuus? Ecce in sancto habitat laus Israel: in Sancto suo, quæ vides, operatur Deus. Si ille non adsit, quid faciet homo? Quid aget pulvis, qui dictum sibi novit a Domino: Sine me E nihil potestis facere? Scito ergo, esse et adesse Deum, qui operatur, quæ operari non potest homo. Quod si putas, quod hoc operetur homo; vade, et tu fac similiter: impera dæmonibus, et illorum experire obedientiam. Quod si restiterint; illum venerare, illumque devotus amplectere, in quo Deus et per quem operatur talia. Quare Judæis es deterior? Illi aiebant de Christo: Si non esset hic homo a Deo, non poterat facere quidquam. Sed tamen audi, et a tua incredulitate convertere. Quandoque astabat sancto altari Episcopus venerandus, Missas celebraturus: audit post se dæmoniosum horribiliter in ecclesia vociferantem: interrogat, quidnam hoc sit: indicant adstantes, hominem ibi atroci dæmone vexari, et vix, ligatum, a multis teneri: jubet Præsul ad hospitium pauperum vere adduci pauperem, et cibum ei in nomine Domini apponi. A quo spiritus nequam confestim recessit; et homo sanus ad propria remeavit.

item alterum semel et iterum;

32 Volo adhuc, o incredule, aliquid, quod convincat, Famulo Dei nec prophetiæ spiritum defuisse, licet ingratum tibi, enarrare. Clericus quidam dæmone plenus, ad eum est adductus. Ille F continuata oratione acrius instans, dæmonem fugavit, ac peccatum, cujus causa huic immundo spiritui permissus fuerat, interdixit. Prædixit, si peccatum iteret, quod iteretur in eum continuo peccati supplicium, præcipiens, ut in claustro cum Fratribus vitæ se tradat meliori. Petunt post hæc Fratres Episcopum, ut eum promoveat in presbyterum. Ait Præsul, hoc illi non expedire. Victus tamen pietate Fratrum, rogata indulget, sed sub contestatione, quod terribile Dei non evaderet judicium, si non caveret interdictum sibi peccatum. Aliquot igitur annis devitat peccatum, et acceptum honeste complet officium. Negligens tandem Episcopi comminationem, revertitur miser ad vomitum suum; et eodem momento etiam dæmonem patitur acerrimum.

de quo et futura prædicit;

33 Rursus Vir sanctus miserans miserum, hostem consuetis armis aggreditur, atque triumphat: et ab officio altaris liberatum removet, iterum et iterum de nefando opere sanatum commonens et prohibens. Qui perterritus pro recenti flagello, aliquanto tempore abstinet a peccato. Sed, proh dolor! longa rursus victus consuetudine, post excessum Episcopi, relabitur in peccatum. Ergo secun-

EX IMPRESSIS. secundum vocem Domini malignus spiritus assumens alios septem spiritus nequiores se, intrat ad peccantem; et crudeliter nocte ac die vexantes, quæque turpia et nefaria ab eo gesta, ore suo captivum fateri compellunt. Stringitur ejulans ille vinculis durioribus, conjectus in custodiam hominum, qui custodiam demeruerat Angelorum. Tandem in Annuntiatione Dominica, precibus Fratrum a maligno spiritu vix ereptus, et post triduum oleo sacro inunctus, et Corpore Christi munitus, terribiliter flagellatus, defungitur. Credimus, quod traditi satanæ in interitum carnis spiritus salvus fiat in die Domini.

item tertium; sanat etiam fluxum sanguinis et herniam.

34 Alter etiam quidam clericus pessimo dæmoni traditus, ita ut vix aliquis sanus insani manus evaderet, ab Episcopo benedictus, et a dæmone liberatus, et pristinæ sanitati est restitutus.

Unus ex Fratribus prolixioribus orationibus et plurimis genuflexionibus instanter deditus, usque ad desperationem fluxum sanguinis incurrit. Hic missus ad Episcopum, ejus meruit benedictionem, et cum benedictione continuo sospitatem.

Alius item Frater etiam precibus et genuflexio-
B nibus supra vires intentus, vitalium incidit rupturam. Qui similiter benedictione Episcopi curatus, ad suos cum gaudio reversus est.

Obstrictam ipsi et Ecclesiæ fidem violans post excommunicationem punitur;

35 Quantum periculum sit mentiri Spiritui Sancto, primus Pastor Ecclesiæ satis declaravit, cum in Anania et Sapphira peccatum hoc repentina morte castigavit. Quia ergo Sanctus iste, verum se Spiritus Sancti præbuerat habitaculum, merito in mentientes sibi Dominus ulciscitur, cui etiam Propheta dicit: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Comes quidam partis Heinrici regis venit ad Episcopum, cum juramento promittens fidelitatem et famulatum. Conspexit ille forte agmen cornicum, precatusque est sibi, dicens, ut, quot cornices cerneret, tot dæmones ejus animam possiderent, si fidem promissam non servaret. Sed non multo post pœnitens promissi, ad Heinricum hostem Ecclesiæ redit ipse hostis. Quem Episcopus anathemate cauterizans, probro perfidiæ suæ insignitum, divinæ permittit ultioni. Nec mora; et illa ferit reum. Siquidem inopinate ab hostibus circumfusus, multisque sauciatus vulneribus, et truncatus pene femore, quia claudicaverat a pro-
C missione, in signum transgressionis suæ ab eo die ac deinceps claudicavit pede. Miratur quis, an illa in eo completa sit imprecatio, quam miser ille imprecatus est sibi? Ego plane non negaverim; qui non ignoro, in plerisque multo tempore dæmonia latuisse muta, multosque deterius a dæmonibus vexari intus, quam si discerperentur foris.

alius percussus anathemate, ipsi se subdere cogitur.

36 Quanta vero constantia strenuus Pastor lupos hujus seculi a direptione rerum ecclesiasticarum represserit, cum nullo parentum juvaretur auxilio vel consilio, subjecto exemplo cognoscitur: nec tamen erat solus, cui semper aderat Deus. Unde et vere dicebat: Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia, quæ placita sunt ei, facio semper, et illud in Psalmo: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus. Erat quidam prædives et nobilis vir, qui defuncti fratris sui beneficium, quod ab Episcopo * receperat, quasi hæreditario jure usurpavit. Episcopus jure provinciæ contradicit. At ille cum injuria tentat tollere, quod cum justitia non poterat. Sustinet Servus Dei ad tempus hominem vesanum s m, daet optans ei locum pœnitentiæ. Illo in malitia perseverante, jaculo anathematis vindicavit. Cujus communionem cum quique religiosi declinarent, et qui primi erant orientalis provinciæ, verecundia et cunctorum exprobratione cogente, in villa S. Hippolyti Episcopum adiit; et in profunda nive ante pedes ejus prostratus et supplex diutissime, satisfecit. Nec tamen meruit reconciliationem, donec villam, quæ Ratoldesdorf dicitur, tradidit in jus episcopii; et sic demum multorum nobilium precibus vix intervenientibus a vinculo excommunicationis absolutus est. Acceptam autem Episcopus villam delegavit super altare B. Mariæ in Kotwigcensi cœnobio. D

* al. episcopio

Post cladem a schismaticis acceptam in Austria,

37 Inter hæc marchio Luipoldus, coadunatis primoribus suis in villa, quæ Tulna dicitur, abhorrens tyrannidem Heinrici regis et schisma, cujus auctor factus fuerat, dominium ejus jurejurando abnegat, omnes fautores ejus de provincia pellit: Apostolicæ vero Sedi et ejus Legato Altmanno obedientes totis viribus fovet et protegit. Quapropter rex ira succensus, marchiam ejusdem Luipoldi contradidit duci Boemiorum. Nil ille distulit; sed collecto tam de sua, quam de vicinis provinciis permaximo exercitu, ad fines marchionis advenit. Nec ille segnior cum omni populo suo in loco, qui Meurberch dicitur, hostibus occurrit. Sed, proh dolor! ab adversariis E insperate circumventus, cum, turbato exercitu, in aciem se colligere nequaquam possent, fuso prius utrimque multo sanguine, hostis prævaluit. Hæc sunt judicia tua, Domine. Sic tu Domine taces, impio conculcante justiorem se. Numquid victrix causa tibi placuit? Si placuit; non ad vincentium placuit salutem; sed ad damnationem: sic enim perditorum perfici sinis perditionem, sic eos ruere facis in tuam severissimam districtionem. Victi autem causa, haud dubium, tibi placuit; quia meliore devotione circa Ecclesiam tuam et Romanum Pontificem, tam gravem hostem exacerbare non timuerunt; et quia putabant obsequium se præstare tibi, si hostes tuos repressissent, non pepercerunt animabus suis, sed in castris tuis, victoribus fide fortiores, devoti occubuerunt.

grassante fame, plura egentium millia Beatus aluit. Monetur a Pontifice, ut mala quædam tantisper dissimulet.

38 Secuta est autem stragem istam fames maxima, ut fideles suos Dominus experiretur in operibus misericordiæ, quos satis comprobaverat in fortitudine constantiæ. Nihil sibi in hac necessitate pater Altmannus retinuit; usque ad ipsum linteamen cunctam episcopii supellectilem vendidit, et indigentibus distribuit. Unde quoque Pater pauperum dictus est. Præcipue tamen in monte Kotwigcensi plurima millia pauperum a famis periculo conservavit. F Quam vero negotiosus fuerit in causa Ecclesiæ, quæ tempore suo tanto turbine confundebatur, indicant epistolæ tam crebro ad eum a Domino Papa directæ: in quibus inter alia etiam hoc consulere et significare Papa videtur, ut quæ in tam gravissima sanctæ Ecclesiæ perturbatione dissimulari ac tolerari aliquatenus possent, non sublata penitus, sed temperata districtione, quiescant: cum autem, miserante Deo, victoria et pax Ecclesiæ reddita fuerit, de redintegratione justitiæ, quantum ipso auxiliante possibile fuerit, sollicite cogitare, et totis viribus elaborare. Hinc capitulum illud de incontinentia sacerdotum, a tam invicto Propugnatore castitatis dissimulatum, non approbatum remansit.

Cura ejus de cœnobiis et ecclesiis extruendis ornandisque.

39 Porro quantum ecclesia Pataviensis ejus præsulatus tempore in constructionibus et correctionibus monasteriorum, et structuris et ornamentis ecclesiarum, et honestate ministrorum profecerit, dicerem, si non contradiceret ex magna parte status, imo casus rerum præsentium. Et tamen ego vermiculus neminem in hac parte judico. Quis

enim

A enim sum, qui judicem alienum servum? Suo Domino stat, aut cadit. Ipse enim sanctus Episcopus tempore Reginari *, qui tertius post ipsum successit, permutationem melioris status in eumdem antistitem citius vindicandam, cuidam religioso Fratri revelare dignatus est. Videbatur illi, quod Romæ esset in concilio, et B. Altmannum eximio cultu cum episcopis pluribus infulatum illic assidere. Qui consurgens, stansque in medio, a Domino Papa petit advocatum causæ suæ. Quo accepto, querelam proponit de Reginaro episcopo, asserens eum Pataviensem episcopatum in cœnobiis ac parochiis optime dispositum invenisse; ejus vero negligentia cunctam pene religionem in eo deperiisse. Stabat autem Reginarus retro a longe perterritus b. Quærit Apostolicus super hac re ab episcopis sententiam; nec aliam, quam damnationis, accepit ab omnibus. Eodem ergo anno idem Reginarus infirmitatem incidit, in qua, etiam usque ad mortem, perduravit.

* al. Reginmari

ANNOTATA.

B a *Diximus hoc esse intrusum aliunde glossema in Commentario prævio, num. 19.*

b Perterritus. *Addit editio Peziana :* tristis et pallidus, et vilibus vestibus indutus.

CAPUT IV.

Ejus sanctissimus obitus; solemnes exsequiæ; miracula quædam ad sepulcrum.

Beatus Præsul febre correptus,

Nunc ergo, quem finem vitæ; verius autem, quod principium vitæ sortitus sit beatus Vir, explicemus : sicut enim scriptum est; Cum consummaverit homo, tunc incipit. Transactis igitur in episcopatu XXVI annis, post multos labores et adversus bestias Ephesi pugnas, cum jam placeret Domino, emeriti Militis sudores remunerare, in villa, quæ Zarzimuor * dicitur, febre correptus est. Qua invalescente, intellexit nuntium C mortis. Ad quem, etiamsi pro fragilitate humana inhorruit, pro conscentia tamen bona gavisus est, sciens, quod hac porta intraret in gaudium Domini sui. Itaque, quia non dixerat sibi, pax et securitas; non repentinus ei supervenit interitus. Rememoraverat ille semper novissima sua, et ea jugiter desideraverat, dicens quotidie in corde suo : Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

* al. Zaizinmure

ad mortem se comparat

41 Quapropter sentiens imminere sibi dissolutionem corporis sui, in quo jam diu perigrinabatur a Domino, lætus orabat dicens : Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Et quia noverat, et persæpe docuerat, quod ad quantumlibet justorum emigrationem adversarii colliguntur spiritus, etiam contra hos pugnabat, dicens : Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. Et cum ad illud districtum examen superni Judicis sollicitus intenderet, gemitu, quo poterat, et intimis suspiriis adorans et supplicans ait : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Advocans etiam Sanctorum quemque, quem amaverat, quem veneratus fuerat, et illam ante omnes beatam et gloriosam Dei Genitricem Mariam, cui tam decorum constituerat habitaculum, ut ipsa eum in præparatum sibi a Deo pia deduceret tabernaculum; nec non et illum Dei sanctissimum confessorem et pontificem Nicolaum, cujus quoque ecclesiam summa devotione instituerat; illis se totum commendat : illos viæ suæ comites et duces præparat. Illis nihilominus administratoriis spiritibus, quorum virtus et potestas contrarias arcet potestates, se totum circumvallat; ut merito inimici dæmones dicere cogantur : En lectulum hujus Antistitis ambiunt fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Quid hic astamus? Superant nos isti virtute et multitudine. Nonne ipse est, qui a corporibus aliorum tanta nos fugavit potestate? Præsertim cum plures sint cum illo, quam nobiscum.

Ex impressis.

42 Igitur non in castris, non in armis, non in famulantium decore tunc temporis sanctus Præsul spem repositam habuit; sed in Domino Deo suo et conscientia bona et fide non ficta. Unde et ait : Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. Hac nostra E ætate hoc idem vir nobilis et prædives Otto de Lengenbach sensit et confessus est. Qui, cum in extremis ageret, raptus (sed quomodo, nescio; Deus scit) multaque rediens ad se, narrans ostensa et intellecta, quorum relatu tunc plurimi mirati et compuncti sunt, tandem singula, quæ multa sibi fuerant, denominans castra; Quid nunc, inquit, opis ferunt castra mea? Præpotentes domini mei? Carissimi amici mei? Ex his * de omnium desperans auxilio, religiosis quibusque multa se commendabat contritione. Intellexit namque tunc vere, quam difficile dives intrat in regnum cœlorum. Unde ingemiscens clamabat : Heu miserum, quod plus unquam possedi divitiarum, quam simplicem victum et vestitum!

spe plenus;

* al. Et sic

43 Agente itaque in extremis hujus mortalis vitæ venerando Antistite, non opus erat, ut de providendo exitu suo quis eum commoneret : ipse enim sibi providerat toto tempore vitæ suæ; et, quia bene vixerat, feliciter moriebatur. Alioquin si tunc primo commoneri eum necesse fuisset, recte respondisset, quod venerabilis Chuono Ratisponensis ecclesiæ episcopus, ante vero Sigbergensis abbas a, astantibus, et, tunc demum morituro consulentibus, fertur respondisse : ait enim : Bene F quidem me monetis, o filii, ut in hora ac metuenda meæ prospiciam saluti. Numquid hoc salutis proponebatis consilium, quando placuit vobis, ut munera libenter acciperem; ut spiritalia simoniace venderem; ut judicia perverterem; ut peccata subditorum dissimularem? Sero providerem modo : si hucusque minime providissem. Sic beatus Dei Famulus mature sibi prospexerat, et ideo expeditius transmigrabat.

ut qui eam semper ante oculos habuisset;

a

44 Igitur a religiosis viris Oleo sacro inunctus, et dominicis Sacramentis refectus, benedicens filiis suis, et eos cœlesti Patri obnixius commendans, viam universæ carnis lætus ingreditur anno ab Incarnatione Domini MXCI, VI Idus Augusti, flentibus cunctis et planctu miserabili lugentibus, se tanto Patre orbatos, se tanto Pontifice destitutos. Non quidem invidebant ejus gloriæ; sed, suæ magnæ dolebant miseriæ. Illum gaudebant ab Angelis suscipi et in beatas mansiones electorum adduci. Pro se gemebant in hac lacrymarum valle, sine Consolatore misere conversari, et in hoc mari magno sine Gubernatore conquassari. Ubinam enim his diebus, qui in filios suos patris gerant affectum, et patris exsequantur officium?

et supremis Ecclesiæ præsidiis munitus, exspirat sanctissime 8 Aug. 1091;

EX IMPRESSIS. officium? More struthionum indurantur in filios, quasi non *sint sui*; et consuetudine mercenariorum, *pro lucris temporalibus astant* in prosperitate, a quibus ipsi primi fugam petunt in adversitate. Longe fuit hoc ab hoc sancto Patre, in quo superabundabat et patris dilectio et pastoris sollicitudo et vigilantia in prosperis, et constantia in adversis.

ac miro concursu sepelitur apud Gottwicenses; ubi plurimis fulget miraculis;

45 Confluit interea ab omni parte populus innumerabilis ad exsequias Pontificis. Luget tota provincia, sublimium dignitas, ætas omnis, sexus uterque. Vix tandem a Christi sacerdotibus sustollitur corpus venerandum, ac multa nobilium turba comitante, cum infinita populi multitudine, magna quidem Dei gloria, sed gravi bajulantium mœstitia in montem Kotwigcensem affertur *. Quis jam enarret mugitum et ululatum Fratrum illic habitantium, quo mons totus increpuit, lugentibus cunctis Patrem carissimum, Patrem piissimum, Patrem sanctissimum? Advolat populus quotidie multus divitum et pauperum illum Deo, et se sibi suppliciter commendare. Inter quos reverendæ memoriæ archiepiscopus Salzpurgensis Tiemo, ab episcopo Altmanno, upote a suffraganeo suo, consecratus, qui etiam postea Hierosolymam petens a paganis est illustri martyrio coronatus, anhelus occurrit; et cum lacrymis uberrimis defunctum infudisset, obtulit pro eo Sacrificium salutare et corpus venerandum cum debito honore in Ecclesia sanctæ Dei Genetricis commendat sepulturæ: ubi, ad probanda tanti Viri merita, crebre fiunt signa virtutum variarum *b* in laudem Dei Patris omnipotentis, qui cum unigenito Filio suo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

* *al.* transfertur

B

ibi enim liberat energumenos, cæcos, claudos, mutos, insanos, debiles;

46 Quidam clericus sævo dæmone correptus, vix, multis ligantibus atque trahentibus, ad ejus tumulum est perductus. Hic omnia horribili clamore ac diro fœtore replebat. Pro quo cum Fratres instantius orarent, repente corruit; et videntibus cunctis, nigerrimum scarabeum evomuit, qui etiam protinus nusquam comparuit. Laudabant universi Deum. Isque, qui advenerat ligatus et insanus, sanus recessit et solutus a nexibus mentis et corporis.

Item puella quædam immundo spiritu pervasa, a parentibus est ad sepulchrum Viri Dei adducta, et sine mora liberata atque sanata.

C

Alia itidem puella per plures annos lumine orbata, per merita ejusdem Famuli Dei, lumen quod amiserat, invenit.

Mulier quædam habens filium parvulum a nativitate mutum et claudum, ad sepulchrum Episcopi miserandum deposuit; ipsaque miseranda cum fletu magno ab ecclesia exivit. Post modicum puer, loquela et gressu restituto, matrem insecutus est ambulans et loquens recte.

Quidam miles per sex annos mente captus, ad sepulchrum ejus sine mente accessit; et mente recepta, sanus recessit.

Alter quidam homo totus contractus, et scabellulis quibusdam innixus, venit ad corpus sancti Episcopi rependo; sed incolumis factus, exsiliit et ambulabat et laudabat Dominum.

Item quidam toto corpore languidus, vix sustentante baculo, tumbam Antistitis adiit; sed infirmitate per beatum Virum pulsa, baculo jam non eguit; quia lætum et sanum se persensit.

quanquam his aliisque miraculis

47 Quodam tempore, cum subita et sæva tempestas montes contereret*, et tecta domorum et ecclesiarum ac turrium dirueret, Frater quidam mente captus, in oratorium S. Michaelis, quod admodum in alto situm est, conscendit, cunctis ignorantibus, et interim nocturnales laudes psallentibus. Hic ab alto in pavimentum delapsus, vivus tamen sublatus est, licet non longe supervicturus. Eadem quippe die, post sacri Olei unctionem, et vivifici Corporis Christi communionem carne solutus est. Nemo dubitet, hoc meritis beati Viri adscribendum, cujus intercessio cadentem excepit, ne sanguine illius basilica respergeretur; quam ipse regalem aulam Deo ac beatæ semper Virgini Mariæ devotus consecravit. His et aliis plurimis miraculorum signis, quæ ad nostram non credimus pervenisse notitiam, magnificavit Dominus Sacerdotem suum; qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus. Quanquam etsi ille signum fecisset nullum, nihil tamen ex hoc ejus derogaretur sanctitati vel apud Deum, vel apud homines. Signa quippe sanctitatem non efficiunt, sed ostendunt. Siquidem de Joanne Baptista, quo inter natos mulierum nemo major surrexit, Evangelium attestatur, quod signum fecerit nullum. De ipso quoque Domino Salvatore scriptum est, quod non fecerit signa multa, propter incredulitatem quorumdam. Quid ergo mirum, si Sanctus iste, obstante sibi præsentium temporum incredulitate, nihil operatus fuisset virtutum, nihil sanitatum? Verum gratia divina, quæ repromittit, quod ipsa glorificantes se glorificet, hunc Dilectum suum, ut dilectus fieret nihilo minus hominibus, et ut memoria ejus in benedictione constaret, etiam magnitudine signorum similem illum fecit in gloria Sanctorum.

D

* *al* concuteret

E

ipse mirabilior fuit per vitæ sanctimoniam:

48 Mihi tamen hunc Virum, vel quemlibet aliorum hujusmodi mira facientem diligentius intuenti, longe mirabilior videtur ipse, qui facit, quam ea, quæ facit. Etenim si in rebus insensibilibus plus admirationis habet interius consideranti causalis ratio*, quæ efficit, quam id, quod efficitur: multo dignius, atque religiosius admiranda est illa sanctitas, quæ in conspectu divinæ majestatis sic placet et acceptatur, ut ejus intuitu et interventu hominum pellantur incommoda, et optatæ tam animarum, quam corporum restituantur sospitates; multo, inquam, amplius admiranda est ipsa intus, quam quæcunque miranda facit foris. Mirantur ergo alii, videre cæcos, claudos ambulare: mirentur saltem paralyticorum, dæmonum fugam: ego potius admirabor tanti Antistitis merita quæ talia tam potenter operantur, quam ipsa. Tu itaque prædica in laudem Dei, quæ Sanctus Dei meritis suis et fide supplicum operatur in aliis. Ego semper admirabor mirabilia, quæ fecit in vita sua: mirabor humilitatem, castitatem, pietatem, caritatem, devotionem, sollicitudinem in agendis, prudentiam in disponendis, discretionem in imponendis, in tolerandis longanimitatem, et in adversis fortitudinem. Hæc mirabilia vitæ suæ ego miranda judico, maxime quod nostris temporibus hæc cernimus rariora, quam illa signa, quæ tamen credentes omnes secutura Dominus pollicetur dicens: Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, etc.

* *al.* causa vel ratio

F

nam miracula aliquando etiam non sancti fecerunt.

49 An adhuc forte non assentis plus mirari vitam sancti Viri, quam signa; quæ, occulta Dei permissione nonnunquam faciunt etiam viri non sancti? Nosti quippe, quod quidam reprobi et reprobati dicturi sunt Domino: Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et signa multa fecimus? Sed esto: tuo te permitto judicio. Mihi tamen semper mirabilius constabit, pepulisse a corde avaritiam, super-

A superbiam, luxuriam; quam ab aliorum oculis cæcitatem, a membris ægritudinem, a corpore dæmonem. Verum, quia non semper constat nobis, qui in facie videmus et non in corde, quis sit internus status Sanctorum, quæ virtus, quæ libertas; secundum magnam misericordiam suam agit Dominus, ut per exteriora miracula agnoscatur, quam admirandi intus sint, per quos ipse foris tam mira operatur. Pensemus ergo, Fratres charissimi, qua veneratione amplectendus sit hic Famulus Dei, cujus merita probare et commendare per tanta miracula dignatus est Dominus. Sit nostræ diffidentiæ (siqua tamen est; absit autem, ut ulla sit) invincibile argumentum, quod ille animarum nostrarum morbos et languores promptus et potens est curare, qui tam crebro tamque pie infirmitates corporum non tardat allevare. Nec enim dubitari debet, plus illum prodesse velle animabus, quam corporibus; quoniam quidem illarum salus æterna est; illorum vero cum ipsis pariter post modicum defectura.

B *Unde hactenus narrata auctor acceperit; et quæ sit illorum fides.*

50 Hucusque ex scriptis priorum S. Altmanni gesta narravimus. Quis hominum putet, illos aliquid incertum, vel (quod sacrilegum esset) aliquid falsum ad posteros transmisisse? Cum optime noverint, Deum nullius egere mendacio. Sed et ea, quæ quotidie sub oculis præsentium fiunt mirabilia, prioribus attestantur, priora confirmant et augent. Ad quæ describenda, priusquam accedamus, explicabimus forsan non inutiliter, qua causa, quo ordine monasterium Kotwigcense, quod illum fundasse et sacris ossibus suis illustrasse supra retulimus, a prima sua institutione, Canonicorum videlicet Regularium, in monachicam professionem, ut impræsentiarum cernere licet, demutatum sit.

ANNOTATA.

a Chuononem, *seu potius* Chunonem *hunc inter episcopos Ratisponenses numerat Hundius in Metropoli Salisburgensi tom. I, pag. 196 vigesimum primum, aitque sedisse ab anno 1126 ad 1130, quo ad S. Emmeranum sepultus fuerit.*

b Crebre fiunt signa virtutum variarum. *Pezius:* Crebræ variarum incommoditatum usque hodie fiunt sanitates, *et consonat Ms. Pataviense.*

C

CAPUT V.

Gottwicensis cœnobii reformatio; Beati apparitiones et miracula recentiora.

collapsa fœde Gottwicensium Canonicorum disciplina,

Tempore venerandi Antistitis venit in montem Kotwich presbyter quidam, natione Scotus, professione monachus, conversatione religiosus. Congruebat ei nomen, quod habebat: dicebatur enim Joannes, quod sonat, gratia Dei. Dilexit hanc gratiam in illo antistes Altmannus; et, ut liberius ille secum habitaret, quodam arcto habitaculo, juxta ecclesiam Beatæ Mariæ pro desiderio et petitione sua eum conclusit. Videbant homines opera illius bona, et glorificabant Patrem suum, qui in cœlis est. Verba quoque illius libenter audiebant; quoniam et ipsa gratiam sapiebant et ædificationem. Post obitum vero beati Altmanni, in cujus diebus agni illius monasterii pascebantur in ordine suo, nonnulli sub specie agnorum corda gerentes lupina, ex diversis locis pulsi et profugi, illo confluxerunt. Qui post modicum vere lupi apparentes, atque in rabiem versi, et lupinis dentibus aliorum simplicitati venena suæ malitiæ infundentes, innocentiam et bonam famam, quæ inibi sanctissime floruerat et bonum odorem suum longe lateque diffuderat, corrumpere et inficere non timuerunt. Unde factum est; ut locus ipse fieret contemptui, horrori et detestationi.

Ex impressis.

Beato post obitum bis apparente et jubente, in monasticam commutatur.

52 Beatus igitur Altmannus, cujus oculos credimus esse super locum ipsum die ac nocte, per visum prædicto apparuit Joanni, commonens, ut de cœno montem ipsum purgaret, et fœtorem stercoris abstergeret. Intellexit vir Dei visionem, eamque Præposito Fratrum referens, consuluit turpes quosque exinde projici, et seductos ab eis pœnitentia emundari. Quod tamen, cum infamiam, cujus fœtor longius processerat, minus reprimeret, prolixiori tædio victi, loco cedere omnes decreverunt. Rursus ergo ante fatus Joannes divino inspiratus consilio, consulit, ut professionem pariter mutarent et habitum, asserens et promittens, si mutarent, et augerent votum, quod tunc prioris infamiæ totum exuerent opprobrium. Placet consilium: placet etiam, ut eligatur Religio monachorum. Proinde consultum videtur, ut res ipsa ad Domnum Papam referatur. Placet et illi mutatio dexteræ Excelsi. Igitur Chuonradus Præpositus, qui Outoni secundus successerat, et se hujus mutationis pium fautorem et auctorem præbuerat, consensum Romani Pontificis Oudalrico Pataviensi episcopo, qui beato Altmanno successerat, citius indicat, et in hoc tanto negotio suæ quoque auctoritatis et discretionis postulat consilium. Itaque Oudalrico episcopo consulente et annitente, Hartmannus, qui Prioris officio fungebatur in monasterio S. Blasii, abbas eligitur. Et merito: erat enim vir religiosus, in sacris litteris optime instructus, suavis sermone, et ad cunctorum hominum qualitatem informandam, seu fovendam, convenienter dispositus. Huic, ut ipse post Fratribus narravit, S. Altmannus in somnis apparuit, cum adhuc in prædicto monasterio Sancti Blasii foret constitutus, virgamque pastoralem ei tradidit, et cœnobium Kotwigcense regendum commendavit. E

F

et continuo sub abbate Hartmanno mirifice floret:

53 Assumptis ergo viris Religiosis electus abbas, cunctis flentibus, qui ejus pridem lætificabantur contubernio, proficiscitur, atque ad oves a Deo sibi commendatas perveniens, favorabiliter excipitur, et communibus omnium votis ab episcopo Pataviensi debita cum benedictione confirmatur. Exhinc inhabitantes ibi, sine mora et refragatione priorem mutant habitum, mutant et animum, mutant et studium. Exsultabat super hoc terra, magis autem cœlum; ubi gaudium celebratur super uno peccatore pœnitentiam agente: quanto amplius super tantorum salute et correctione? Ex tunc multi nobiles de seculo ad Deum converti, et tanti viri se disciplinæ tradere, suaque omnia in usum monasterii conferre cœperunt. Crevit per eum abinde fama et reverentia loci: surrexerunt ædificia, librorum copia crevit, et omnis ornatus mysteriorum divinorum. At nihil hoc fuerat, si scilicet profecissent parietes, et sub ruina mores mansissent. His potius instruendis vir sagax invigilavit, sciens, quod non in manu factis habitat Deus, sed in rationabilibus sanctarum animarum templis, quæ piis votis eriguntur, proficiunt religione, et consummantur perseverantia.

54 Et quia gloria, ut quidam sapiens ait, etiam invitum sequitur, cœpit vir iste magnus haberi

Et impressis, ut et sub successoribus ejus.

beri ab his quibus erat nomen magnum juxta nomen magnorum qui sunt in terra; et ideo passim offerebantur ei dignitatum infulæ, et multorum regimen monasteriorum. Factumque est, ut rex Heinricus V eum Campedonensi præficeret abbatiæ, nec minus episcopus civitatis Augustæ eum monasterio S. Oudalrici præponeret; Duxque Carinthiæ cœnobium S. Lamberti ei gubernandum commendaret. Hujus diebus, quoniam gratus et acceptus erat Curiæ Romanæ, privilegia impetrata sunt, quibus locus ipse munitus et corroboratus est. Eo autem de hac luce submoto, successerunt ei viri prudentes et Religionis amatores; quorum industria et vigilantia monasterium eo usque profecit; ut cunctis viventibus, indubitanter liqueat, quod vere Dominus est in loco illo, nec est ibi aliud, nisi domus Dei et porta cœli. Benedictus in omnibus, qui omnia, quæcunque voluerit, facit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis: ipsi honor, laus et gloria, et gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

B

Recentiora B. Altmanni miracula: dæmoniaca liberata,

55 His ita explicitis, redeundum, arbitror ad ea miracula memoriæ hominum commendanda, quibus usque in hodiernum diem sub oculis nostris merita Famuli sui Dominus attestatur, atque ad ejus conversationem imitandam præsules nostrorum dierum suscitat et invitat. Nam si fallax hujus mundi gloria ipsos delectat, longe plus illa eis petenda foret, quam Dominus gloriæ eorum aviditati communicaret, non cum umbra hujus mortalis vitæ finiendam; sed tam hic, quam futuræ beatitudinis in regno sine fine beata et inconcussa soliditate permansuram. Quodam tempore, in festo Dedicationis ecclesiæ puella quædam sævissimo correpta dæmone, in conspectu Fratrum divinas laudes psallentium ad tumbam S. Altmanni astans, miserabiliter torquebatur. Et, ecce, repente horrendis vocibus exclamans, ut adjuvaretur, postulabat. Sed quis hominum tanto horrori accedere præsumeret? Affuit tamen invisibiliter beatus Antistes, et miseram illam in præsentia cunctorum a tormento salvam fecit atque dæmonio. Illa in se reversa, sacram Dominici Corporis communionem sibi dari petiit, per quam a maligno spiritu ultra se tutandam non dubitavit.

C

cæcitas, ac pedis tumor depulsa,

56 Unus ex famulis monasterii multo tempore lumine orbatus oculorum, cum loca sancta peragrasset, ubi meritis Sanctorum sanitatis gratiam sperabat, nec invenisset, ad monasterium rediit, et in suis tenebris, ut prius, tristis mansit. Incidit aliquando menti ejus, ut suum potissimum Patronum prece indefessa pro restituendo sibi lumine imploraret. Cumque crebrius atque devotius oraret, die quadam, cum ad valvas basilicæ, puero regente gressus ejus, egressurus pervenisset, subito ait puero: Sine me, quatenus per me gradiar: video quippe. Et ab ea hora exivit ad opus suum, videns et gaudens et laudans Deum.

Puer quidam, cujus pes enormiter intumuerat, adeo ut vix discerneretur, an membrum illud pes fuerit, ad sepulcrum beati Viri adductus; cum parentes ejus pro eo fideliter oravissent, domum relatus, et illico, noxio humore erumpente, sanitati restitutus est.

item gravissimus ac diuturnus morbus,

57 Erat quidam de conventu Fratrum ejusdem monasterii diu gravissima infirmitate depressus, desperatione recuperandæ incolumitatis non parum mœstificabatur. Revelatur cuidam Sorori ejusdem loci, eum pristinæ sanitati restituendum, si ad memoriam beati Altmanni oblationes pro illo offerantur et Missa una pro fidelibus defunctis illic, ægroto præsente, celebretur. Advehitur ille in gestatorio, quatuor portantibus, duobus aliis hinc inde nutabundum sustentantibus. Inter sacra mysteria viribus sensim accrescentibus, alieno sustentaculo se non egere adstruebat. Missa vero completa, ad domum infirmorum regreditur, suis jam nitens pedibus, uno tantum Fratre eum adjuvante. Integra vero sanitate post paucos dies recepta, impiger ad officia sua surgebat, egrediens et regrediens ad imperium abbatis sui. D

paralysis, et mortis periculum,

58 Puella quædam de vicina villa, quæ Murlingen * appellatur, filia cujusdam honesti et noti militis, cui nomen erat Wolfkerus, repentina paralysi a media parte corporis correpta est. Vocabatur autem illa Bertha. Affuit illi medicorum ars, profuit vero nihil. Consulit medicus ipse, per merita S. Altmanni divinum potius implorandum auxilium. Adducitur illa ad sepulcrum Viri Dei. Oravit; oraverunt et parentes ejus: exauditaque est oratio fideliter supplicantium, et sanitas restituta exauditionis facta est signum. Mansit tamen, ad excitandam majorem sanatæ devotionem et evidentiorem divinæ gratiæ manifestationem, aliquid infirmitatis in manu puellæ. At illa in anniversaria depositionis die sancti Antistitis ad pium et expertum recurrit Medicum: et inter orandum, quod petebat, optatum accepit remedium. E

* al. Vilingen

Mulier quædam de villa, quæ Huntesheim dicitur, diuturna et gravi ægritudine ad mortem usque fere adducta, et viribus omnibus destituta, gravi portantium labore ad tumulum Famuli Dei adducta, pristinæ sanitati est restituta.

cæcitas, claudicatio,

59 Item puella parvula, de villa, cui vocabulum est Panse, diu lumine privata, inibi est illuminata.

Puer etiam quidam de villa alia, dicta Marquartesdorf, utroque debilis et claudus pede, vespere illo advectus, et ab innumeris, quid mali pateretur, visus, cum pervigilem cum iis qui eum adduxerant, duxisset noctem, primo mane reddita sibi incolumitate, curatus est.

Ex eadem villa mulier quædam cæca visum recepit.

Matrona quædam nobilis atque devota de castro suo, quod Hofstein * appellatur, adveniens, et puellam quamdam cæcam secum afferens, cum ad sepulcrum sancti Viri instantius orarent, quo diu caruerat, recuperato lumine, puella illa gavisa est. Ob cujus signi tripudium et testimonium eadem matrona prædictam puellam acsi filiam propriam assumpsit, et jugiter secum retinuit. Erat autem nomen puellæ Truta. F

* al. Hofstetin

Eodem tempore alia mulier quædam de villa, quæ dicta est Beheimkirchen, cum fuisset cæca, interveniente S. Altmanno, vidit, et gavisa est. Et illa Alheidis dicebatur.

Altera item mulier de villa vocabulo Indernich *, nomen habens Heilka, cum novem hebdomadibus, sicut juramento confirmabat, non vidisset lumen, ad tumulum sancti Viri Dei lumini restituta est.

* al. Maunich

Heinricus quidam nomine, et ipse civis forensis villæ quæ dicitur Heinvelde, homo maturus et qui veritatis ab omnibus habet testimonium, cum oculum ramusculo quodam percussum irremediabiliter doleret, ejusque visu penitus careret; cum ad sacra ossa hujus Antistitis fideliter et supplex oraret, pulso dolore, sanitatem et visum recepit.

60 Quædam mulier paupercula de partibus Bavariæ cum prole nuper genita venerat, et necessario-

A cessariorum causa in servitium cujusdam matronæ in Chremesensi civitate se contulerat. In cujus servitio per aliquod tempus morata, dolore oculorum accedente, defectum visus passa fuit. Et heu, quantis accidentibus, misera subjacet! Jam quo putas dolore non cruciabatur, quam et cæcitas urgebat et grave onus paupertatis premebat? Nec enim sibimet, nec proli nuper genitæ, pro qua magis sollicitabatur, prodesse poterat *a*. Cumque a servitio prædictæ matronæ defectus visus illam cessare cogeret, et matrona ab administratione victualium cessavit. Hæc nocte quadam, pro tanto suo defectu in lacrymas resoluta, divini luminis gratiam per merita beati Præsulis medullitus implorabat. Et, qui desiderium pauperum exaudit, et hujus orationes audivit, et lacrymas vidit. Nam cum mane surrexisset, ad omnium membrorum officia, visu regente, expedita fuit. Sed omnes singillatim eventus eorum, qui ad memoriam sancti Antistitis beneficia luminis meruerunt, propter fastidium lectoris describere omitto. Nam, præter eos, qui infaustas orbitates pertulerunt, rarus fuit oculos dolens, qui remedium non consequeretur.

et frequentissime cæcitas ac dolor oculorum

B

61 Erat mulier quædam, dæmonium habens tantæ importunitatis et tanti furoris, ut vix aliquis quiret habitare cum illa. Clamor et furor, ubicunque fuisset: omnia enim membra spiritu furoris agitabantur. Interdum etiam idem dæmon, quia Sciens interpretatur, organum hominis obsessi ad proferendam litteraturam movebat; quasi eadem mulier litteraturæ scientiam et modum urbanæ pronuntiationis ab ipsis studiis consecuta fuisset. Et certe, quod quibusdam virum videbatur, Symbolum per omnia, ut fides Catholica habet, pronuntiabat. Neque tamen id mirum: cum auctoritas dicat, dæmones habere fidem, sed non opera. Hæc, cum solemni processione plebis plebesanæ parochiæ *b*, quæ Tuln vocatur, ad memoriam beati Viri ducta venisset, meritis sancti Præsulis invasorem pessimum propellentibus, liberata fuit. Et videntes turbæ manifesta ejus liberationis signa, eo magis Deum et præconia dilecti sui Altmanni glorificaverunt, quia ipsam ad diversa Sanctorum limina sine effectu ullius virtutis adduxerant.

insessio dæmonis.

Ex impressis.

62 Sed quia alternis uti, est delectabile; aliud miraculum testimonio astantis ecclesiæ solemniter celebratum accipias; ut, quanta sit hujus sancti Præsulis meritorum prærogativa, plenius agnoscas. Quidam debilis eam corporis pertulit molestiam, ut attenuato vitali sanguine venarum contractus erectus ire nequiret; sed, pro officio pedum, manibus reptando se traheret. Is in longinquo positus, in villa, quæ Lo dicitur, cum hujus gratiæ mira opera comperisset, spe sanitatis tumbam salutarem beati Viri, oraculo quodam divino, elegit expetendam. Ubi cum votis et precibus, pro defectu corporis et molestia, ut puta, potioribus medullitus insisteret; ecce, mirum dictu! nervi diu contracti, cum fragore se cœperunt extendere, et aridi meatus venarum vitali sanguine infundi. Itaque accepto robore, contractus ille super pedes constitit et Curatori suo magnis vocibus benedixit. Gloria tibi, Christe, qui per merita Sanctorum tuorum usque modo operaris, et sic elisos erigis; ut eorum, qui tibi placuerunt, mortalibus claritatem innotescas.

membrorum contractio.

E

ANNOTATA.

a *Hic desinit Ms. Passaviense ad S. Nicolai.*

b Plebesana parochia *dici videtur, quæ fontem habet baptismalem, ac subjectam proinde plebem. Vide Cangium in Glossario; ubi hunc ipsum locum citat.* Tulnam *autem exhibet Merianus aliquanto longius quam leucis quatuor Germanicis Gottwico distantem versus ortum.*

DE S. FAMIANO CONFES.

ORDINIS CISTERCIENSIS ANACHORETA

GALLESII IN HODIERNO AGRO ROMANO

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

F

J. B. S.

De Sancti cultu gestis, ætate et professione.

An. MCL. Abdicatis Coloniæ omnibus.

Priscam Faliscorum regionem hic describendam non suscipimus, multo minus disputaturi, utrum Gallesii *nomen veteri ipsi Faliscorum capiti subinde inditum sit. Nobis abunde sufficit, quod hodiernum* Gallesium *civitas Italiæ sit in ditione Ecclesiæ et provincia Patrimonii,* alias episcopalis et Fescennia dicta, nunc episcopatui civitatis Castellanæ unita. Erat olim in Tuscia Suburbicaria, sita ad Tiberim fluvium in limite Umbriæ; inter Civitatem Castellanam ad meridiem et Hortam ad Septentrionem ad v millia passuum, et xxv milliaribus ab Urbe Roma in Arctos. *Hæc ferme ex Baudrantio, quæ paucis huc adducimus, ut pateat quam mirabiliter* S. Famianus, *proprio nomine* Quardus *dictus, Germanus origine, patria Coloniensis post 42 annorum peregrinationes, ibi demum sacras suas exuvias deposuerit, factus exinde oppidi titularis Patronus, plurimis miraculis inclytus; ut satis mirum sit in sacris Fastis, saltem Usuardi auctariis locum non habuisse, ut adeo primam ejus memoriam nobis suggerere debuerit Ferrarius in utroque catalogo, quem recentiores passim imitantur. Præcesserat Miræus in Fastis Belgicis; secuti sunt Gelenius in sua Colonia, Henriquez, Chalemotus, Bucelinus, quin et Tamayus, solito suo Sanctos Hispaniæ vindicandi privilegio egregie usus, præterquam quod multa confundat quæ refutatione digna non censui. Addi potest et Castellanus.*

2 *Ferrarii elogium totam ferme Vitam complectitur, ne errore quidem prætermisso, quo in ea dicitur,* S. Bernardum S. Famiano *præmortuum, quem constat, toto triennio supervixisse, nec migrasse ante annum* MCLIII, *cum noster obierit anno* MCL. *Sed turpius labitur Gelenius, dum ita scribit:* Galesii, in regno Neapolitano, S. Famiani Quardi Coloniensis, Godscalci et Guimaræ conjugum opulentorum civium filii, quorum facultatibus distributis in pauperes, Famianus lo-

sacras peregrinationes suscepit.

ca

AUCTORE J. B. S.

ca sancta in Cisterciensi habitu invisens, obiit MCL, miraculis clarus et ab Hadriano IV Papa in Catalogum Sanctorum relatus. *Gallesium* in regno Neapolitano *frustra quæsieris : Si per* loca sancta *sola Hierosolymitana intelligeret, tolerari id posset, at cum totam Sancti peregrinationem etiam ad alia loca sancta, tum Italiæ tum Hispaniæ indicare videatur, hic denuo cespitat, nam siquid in Vita certum est, id constat, pauculis ante obitum annis eum habitum taliter qualiter induisse in Gallæcia, unde postremam ad loca illa sancta Hierosolymitana peregrinationem suscepit.*

De cultu dubium non est.

3 *Utcunque ea habeant, de perpetuo et constanti cultu dubitari omnino non potest, testante præsertim Vita num. 10 :* Cujus Viri sanctitas et miraculorum fama oppida, civitates et proximiores provincias brevi pervagavit ac crebuit, ita ut virorum, mulierum puerorumque pene infinita multitudo, dicti Sancti devotione affecti, Gallesium accedere properarent. Quapropter ab Adriano IV Pontifice, anno ab ejusdem Domini salutifero natali MCLIV, mutato sibi Quardo nomine, ob miraculorum famam, latina nuncupatione FAMIANUS dictus et in Divo- B rum numerum relatus fuit, et extra oppidum, circa ipsius tumulum, sacra illi et insignis ædes a Gallesino populo exstructa fuit. *Rem magis confirmant illustrantque quæ de institutis festis ac singularibus gratiis toti canonicorum collegio sub annum* MDXI *a Papa Julio II concessis ibidem memorantur.*

Vita paulo recentior

4 *Porro S. Famiani gestorum series seu Vita qualiscunque qua auctoritate nitatur, non æque promptum est definire. Exstat ea bis in nostra sacra supellectile excusa majori et minori forma seu in folio, ut aiunt, et in quarto, cui annus impressionis apponitur : Gallesii apud Augustinum Colaldum anno* MDLXXVI, *præfixa rudiori ipsius Sancti effigie, pro mero pictoris arbitrio efformata :*



5 *Huic effigiei subjungitur titulus in utraque* D *editione hoc modo expressus :* Ex Vita beati Famiani civitatis Gallesii patroni, *subindicare volens auctor Anonymus, aliam vitam ibidem asservari, ex qua hæc contracta fuerit, ut ex altera appendice clarius intelliges. Seculo* XVI *antiquiorem non esse, ex eo manifestum redditur, quod disertissime in ea signentur tempora Julii PP. II, quem constat obiisse* MDXIII. *Vixit igitur Vitæ istius scriptor totis quatuor post Sancti obitum seculis, ut de pretio ejus fieri possit conjectura, ea nempe quod ex monumentis, inter quæ ipsius Breviarium adducitur, atque ex traditionibus compilata, ac demum anno superius indicato typis excusa fuerit, ea simplicitate ac fide, ut de ea recte censuisse videatur Manriquez in Annalibus Cisterciensibus ad annum* MCXLII *dum ita loquitur cap. 9 num. 3 :* Res ejus gestas antiquior Ferrario edidit auctor Anonymus, brevi quidem compendio, sed mediocri stylo, et ea solum narrans quæ certæ fidei. *Ut curanda prorsus non sit recentior alia, quam anno* MDCXVI *Gallesii prodiisse memorat, mutato in variis et rerum et temporum ordine, quem multo securius ex Anonymo ita distribuendum existimavimus.* E

sed ex antiquis collecta.

Gestorum series.

6 *Cum sexagenarius fuisse dicatur dum Deo beatam animam reddidit, anno* MCL, *retrocedendo natum oportet* MXC *: erat autem annorum* XVIII *dum vitæ pœnitentis institutum aggressus est. Romam primum cæteraque Italiæ loca sacra veneratus toto sexennio in ea regione commoratus est, anno circiter* MCXIV *inde in Gallæciam profectus, ibique annis tribus sub boni senis Antonii directione institutus, ad S. Jacobi celeberrimum sepulcrum perrexit*, ubi postquam aliquandiu maxima cum devotione permansisset, *anno* MCXVIII *solitudinis amore captus, in silvam secessit ad flumen Minium, non procul ab ecclesia aliqua, hodie ignota, SS. Cosmæ et Damiani, illic in austerissimo vitæ genere ad annos* XXV *perseverans, ut adeo non ante annum* MCXLIV Cisterciensem religionem, tunc maxime florentem mire profiteri *cœperit*, ibique per annos duos in maxima sanctitate regulariter vixerit, *nimirum ad annum usque* MCXLVI, *quando* de superioris licentia, Hierusalem sanctam et sepulcrum Domini gloriosum humiliter visitavit, annis tribus in sanctorum locorum peregrinatione consumptis *unde* fine vitæ *demum* appropinquante, protracta peregrinatione in annos ferme XLII Romam iterum reversus est *anno* MCL. F

et susceptus habitus Cisterciensis.

7 *Porro vitæ finis in Actis ipsis ita describitur ut commentario opus non sit. Quærendum superest, qualem habitum Cisterciensem susceperit, et quando ad sacros Ordines promotus fuerit. Compendio usus Anonymus, nil mirum si multa prætermiserit, quorum nec ipse certam notitiam post tot secula assequi potuit. Cisterciensium regulam sub vitæ finem professum esse, jam ex ipso ostensum est, non claustralem, ut patet, aut cœnobiticam, sed anachoreticam. Audi rursus Manriquezium loco citato num. 2 :* Ergo Quardus in eremitam susceptus est, pristinam vocationem, quantum sub jugo religionis liceret, conservaturus. *Alteram partem sic etiam ibidem definit laudatus Manriquez :* Ferrarius statim ad Ordines promotum, alii jam sacerdotem admissum ferunt, quod mihi verius, atque inde faciliorem viam stratam ad solitudinem. *Utrum eo argumento verius eligat, non est qui explorare, nedum solvere possit. De sacerdotio aut ejus susceptionis tempore nusquam in Actis vel verbum præterquam sub finem num. 5, ubi disertis verbis* sanctus Christi Sacerdos

Famia-

A ***Famianus nuncupatur. Reliqua ex subjecta hic Vita facillime intelliges.***

VITA

Ex editione Gallesina anni MDLXXVI.

Coloniensis origine

Beatus Famianus ex Germania nobilissima provincia, et Colonia inclyta civitate oriundus: qui Quuardus proprio nomine vocabatur, altæ fuit staturæ, formosus, virtutibus omnibus, et beatitudine decoratus, magnificis natalibus: cujus pater Gotthiscalchus, et Giumera mater nuncupabantur, nobilitate præcipua, et divitiis undique affluentes. Quas idem Beatus caducas esse conspiciens, easdem cæteraque mundana omnia deserere, et sacras adire delicias, mente disposuit, incommutabiles et perpetuo duraturas fore dignoscens. Quapropter floridam ejus juventutem mundanis vestibus spoliavit, et clericali habitu
B indutus honesto, passionisque Christi signo victrici in pectore assidue deferendo, in illius amore fulgebat, et in devotione caritatis perfectæ persistens erga Christi pauperes manus pias proferendo, legem Dei in omnibus observabat.

sanctam peregrinationem aggressus.

2 Volens namque beatus Famianus antedictus viam ingredi salutarem, per quam arctam et angustam ad atria tenditur Salvatoris, parentibus, patria, divitiis, et mundanis illecebris derelictis; ad urbem Romam beatorumque Petri et Pauli Apostolorum principum basilicas visitandas pium iter arripuit et gressus direxit salutares. Quo in itinere preces assiduas pro sui omniumque salute ad Dominum deferebat, et locorum quorumcunque ecclesias, et alia pia loca visere omnimode conabatur, suumque corpus, in quo spiritus Domini assidue permanebat, laboribus, jejuniis, verberibus pro sua salubri pœnitentia macerabat.

loca sancta Italiæ veneratur et S. Jacobi.

3 Sexto autem Kalendas Septembris dierum illorum, cum ad urbem Romam et limina Apostolorum Petri et Pauli præfatorum beatus Sanctus applicuisset, Beatissimæ Virginis, Apostolorumque prædictorum, ædes venerandas etiam
C atque etiam visitabat, ac orationibus, et jejuniis insistendo, eamdem Dei Genitricem, et Apostolos sanctos apud Deum et Patrem in sui præcipuos et speciales patronos paravit, ac etiam alia pia Urbis loca, ad illa interim accedendo, venerari non desistebat; in qua Urbis et aliorum postmodum Italiæ locorum peregrinatione annis sex consummatis, sequenti anno Galitiam, ob nimiam in divum Jacobum devotionem ardenti desiderio permigravit: et apud monasterium Sancti Antonii, sub magisterio et disciplina Antonii abbatis, per annos tres continuos conversatus est, de cujus venerandi abbatis licentia, ad corpus sancti Iacobi venerandum (pro ut voverat) accessit.

Post pœnitentiam 5 an. fit Cisterciensis.

4 Ubi postquam aliquandiu maxima cum devotione permansisset, inde in silvam quamdam juxta flumen Minon in ecclesiis Sancti Pladi *a* et Sanctorum Cosmæ et Damiani annis viginti quinque Deo fideliter sponteque deservivit. Et deinde in ecclesia Sancti Laurentii *b* Cisterciensium Religionem, tunc maxime divi Bernardi aliquot ante *c* annis vita defuncti sanctitate florentem, abbate et monachis omnibus assentientibus, mire professus est, ibique per annos duos maxima sanctitate regulariter vixit: de cujus postmodum Superioris sui licentia, et permissione Hierusalem sanctam, et Sepulcrum Domini gloriosum humiliter visitavit, et annis tribus in sanctorum locorum peregrinatione consumptis, ab omnibus semper caritative et benigne receptus, humaniter exstitit pertractatus. *Ex edit. Galles.*

Visitata Hierusalem,

5 Cum autem finis vitæ sancti Viri hujus et terminus in Domino quiescendi appropinquaret, ex præfatis sanctis locis digrediens, protracta peregrinatione in annos ferme quadraginta duos jam corpore ingravescens, Eugenio tertio sedente, quieturus, Romam iterum reversus est; ubi a divis Petro et Paulo in somnis monitus, ut Gallesinam peteret civitatem, quam Deus omnipotens per ipsum visitare dignabatur; ibique onerosam carnis sarcinam deponendam et Deo spiritum reddendum fore, prædixerunt. Nec abnuit sanctus Christi sacerdos Famianus, sed statim dicto obaudiens, arreptoque itinere, brevi agrum attigit Gallesanum, et in topho quodam ex itinere fatigatus sedendo (cum siti laboraret) saxo illo viatorio suo baculo percusso, aqua optimi saporis illico emanasse visa est, perennem efficiens fontem *d*. E

d monetur Romæ in somnis, Gallesiam adeat,

6 Et ob id gratiis Deo actis, ecclesias Gallesani agri statim Vir sanctus visitare adortus est, orando continue pro dictæ civitatis pace et salute, ad quam tanquam Patronum ex dictorum Apostolorum revelatione, se destinatum fore percipiebat. Et tandem ab Ascaro quodam nomine, indigena et nobili viro, exceptus hospitio, quinto decimo a sui adventus die infirmari cœpit, et cum sui corporis dissolutio jam jam instaret, Blasium Gallesanæ ecclesiæ archipresbyterum accersiri fecit, cui post multa mortem suam octavo abhinc die futuram esse, prædixit, et a Deo confortatus, e lectulo exsiliens, manuque archipresbyteri apprehensa, locum sibi juxta aquam, in quo ejus corpus sepeliri desiderabat, (erat enim domus Ascari hospitis in mœnibus civitatis sita) e specula digito demonstravit, qui locus parum conveniens, archipresbytero memorato pro tanti Viri sepultura cum videretur, homini Sancto respondit, satius videlicet esse, ut in Dei Genitricis Mariæ templo, intra civitatem posito, quam hortulo in illo, ubi nec ecclesia nec ecclesiæ locus esset, honorifice conderetur. F

ubi æger sepulturam eligit,

7 Sed in proposito persistens, cognito ab archipresbytero, hortulum et locum illum dicti Ascari hospitis esse, statim ab illo et conjuge ejus honoranda præfatum locum ad ipsum sepeliendum (prout petiit) impetravit. Octavo autem die archipresbytero et sacerdotibus omnibus dictæ civitatis ad eum accedentibus injunxit humiliter, ut ejus corpus post obitum custodire dignarentur; nam Dei magnalia visuri essent: nec multo post Ascarus supradictus, qui tunc et diu jam renum doloribus laboraverat, se ad lectulum sancti Viri per famulos asportari fecit, et illius devote manus deosculatus, ab illo quo detinebatur morbo, continuo liberatus, summas Deo optimo, et beato Famiano gratias egit.

et sanctissime moritur.

8 Quo facto, sanctus Vir, in cœlum suspiciens, clero adstante et orante, Christo tradidit spiritum sexto Idus Augusti anno a Natali Domini millesimo centesimo quinquagesimo, suæ autem ætatis sexagesimo; ex quibus in sancta peregrinatione quadraginta duos fere consumpsit, prout ex pagellis quibusdam Breviario annexis et manu ejusdem Sancti inscriptis compertum est, quem librum penes se moriens tenebat; ad cujus

Ex edit. Galles.

corpus visendum pariter et venerandum factus est Gallesini populi concursus non modicus: sicque clero et populo psalmis et hymnis ecclesiastico ritu summa devotione decantantibus, beatum corpus ad locum prope, et extra civitatem, juxta aquas honorifice deportaverunt, et a mane usque ad vesperas beatum corpus custodientes, mirum (quod Deus meritis Beatissimi Viri operatus est) accidit.

Ingens populi confluxus

9 Nam surdi duo de civitate prædicta ad beatum corpus accedentes, auditum illico receperunt; multique alii male habentes, sanitati sunt restituti. Beatum deinde corpus clerus et populus omnis pie ac devote sepelierunt. Nec multi interfuere dies, quod cum quidam de civitate prædicta (qui male a dæmonio vexabatur) ad illius sepulcrum fuisset adductus, liberari meruerit; muliercula itidem, Domini de Verchiano castello ancilla, quæ diu cæca fuerat, ad eumdem locum adveniens, oculorum lumina recuperavit: multique alii de eadem civitate Gallesii variis detenti languoribus, Deo [se] per preces et merita sancti Famiani commendantes et juxta ejusdem B tumulum orantes, curati sunt.

et varia miracula, ob quæ canonizatur.

10 Cujus Viri sanctitas et miraculorum fama oppida, civitates, et proximiores provincias brevi pervagavit ac crebuit, ita ut virorum, mulierum, puerorumque pene infinita multitudo dicti Sancti devotione affecti, Gallesium accedere properarent. Quapropter ab Adriano quarto Pontifice anno ab ejusdem Domini salutifero Natali millesimo centesimo quinquagesimo quarto e, mutato sibi Quuardo nomine, ob miraculorum famam latina nuncupatione Famianus dictus, et in Divorum numerum relatus fuit. Et extra oppidum circa ipsius tumulum sacra illi et insignis ædes a Gallesino populo exstructa fuit.

Exstruitur ipsi ecclesia multis gratiis ornata.

11 Quæ postea Munaldi episcopi largitione (comprobante id Nicolao quarto f Pontifice) anno a Christo nato millesimo ducentesimo octuagesimo quinto Deiparæ Virginis, quæ intra civitatem est, ædi connexa, archipresbyteri et canonicorum ipsius interioris Virginis ædis cura regitur, ingenti cum munere Julii Papæ secundi, qui ipsum Famiani templum octavo mensis Augusti (quo die festum in illius memoriam magno hominum C concursu celebratur) pie visitantibus delictorum omnium veniam, nec non archipresbytero et canonicis amplissimam quæcunque delicta condonandi facultatem concessit, prout in litteris sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo undecimo, decimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno octavo.

Patrocinii invocatio.

12 Cujus quidem sancti Famiani meritis, et intercessione Deus omnipotens civitatem hanc Gallesanam et populum ejus ab hostibus protegere, pacem et concordiam elargiri, mentis et corporis sanitatem concedere (prout hactenus fecit) de cætero non dedignetur; qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ignotum nomen, haud dubie corruptum. forte ex* Placido.

b Ursariam *volunt fuisse, cœnobium postea tam magnificum, ut* Escurial de los Bernardos *nuncupatum fuerit.*

c *Jam errorem correximus. Pro* ante, *legendum* post.

d *De miraculoso fonte sic poeta cecinit:*

Quos sitiens muscoso [illegible] fornice, duxit D
Marmoris e venis [illegible] Famianus aquas.
Sic olim Hebræus populus miracula Mosis
Obstupuit, fontem quem dedit icta silex.
Ergo novo merito jactant se Mose Falisci,
Quos alit Hortanus quosque Amerinus ager.

e *Verosimilius 1155, cum Adrianus non nisi mense Decembri anni 1154 electus fuerit.*

f *Vult dicere Nicolaum IV, postea comprobasse quæ eo anno a Munaldo gesta fuerant. Vide de his notam Pennatii, de quo infra, pag. 460.*

APPENDIX

De Ms. Officio, Missa et recentiore imagine.

Compositum Officium,

Quæ ad Vitæ illustrationem seu Commentarium prævium non spectabant, huc remisimus, paucis exponenda. Est inter Mss. nostra Officium E *per omnes partes suas extensum cum hymnis, antiphonis, lectionibus cæterisque Sancto propriis: item Missa ex more Ecclesiæ; verum quæ usu Gallesii unquam recepta fuisse nusquam indicatum invenio, utpote quæ recentiora sint, seculo primum* XVII *composita. Viri docti juxta ac pii meditationes esse, docet epistola ipsis præfixa, cujus hic est titulus:* Frater Melidonius Giardinellus Coranus Ordinis eremitarum S. Augustini, sacræ theologiæ magister, admodum reverendo clero et præclaris civibus Gallesinis et universæ reipublicæ S. P. D. *Sequitur exordium, paulo, quam par erat, comptius et inflatius, cujus soli postremæ parti rem ipsam explicanti locum hic dedimus, ubi orator provinciæ, a se ultro susceptæ, rationem reddit in hunc modum:*

privata auctoritate.

2 Pluries visitatis atque sæpe sæpius honorifice veneratis sacris exuviis B. Famiani, istius vestræ non secus vetustæ quam præclaræ civitatis Gallesinæ patroni vigilantissimi; quod, inquam, flammescenti animo meo et vehementi devotionis ardore concupiverim, et in ipsum Divum ingens exarsit desiderium, ut perficerem, quod solemniori et propria tum Officiorum tum Missarum F sancta compositione tumque hymnorum dulcissima editione quotannis ejus festum celebraretur, in quo etiam ejusdem rutilantia et ingentia miracula ac vitæ sanctitas admirabilis divinis canticis promerentur. Hanc igitur meæ devotionis annonam vobis mitto, hanc dono; sed placido animo ac hilari mente sumite: et velut quæ vestra jugis ac eximia tunc in me fuit humanitas et benevolentia non modica, ita etiam iisdem indies magis magisque me ipsum prosequi velitis, ut vos omnes majorem in modum prosequor. Valete. Datum Ortæ III Non. Julii MDC.

sed nunquam receptum.

3 *Hinc manifesta fiunt, quæ jam dicebam de prædicti Officii et Missæ ætate eorumque compositore, sane non usque adeo ineleganti; si modo par esset eorum auctoritas ex summi Pontificis aut saltem Ordinarii approbatione, de qua cum altum sit ubique silentium, id unum modo superest, ut de recentiore, memorata etiam in Commentario superius imagine, quam nobis videre non licuit, paucula etiam subjiciamus ex alio Ms. cujus hic est titulus:* Acta ejusdem, (*nempe* S. Famiani) ex imagine et hymno antiquo. *Anno* MDCXXVI Romæ S. Famiani *effigies æri incisa prodiit in qua talis*

A talis inscriptio visitur: S. Famianus monachus Cisterciensis in Galletia. Subjicitur vero iconi tale Distychon:

Claudus adest firmus, cæcus videt, utitur aure
Surdus, ab obsessis spiritus ater abest.

Circumdant effigiem ejus gesta duodecim iconculis expressa: singulis versus quatuor ex hymno tali subjiciuntur, in quibus ordinem rerum tantillum desideres.

Vitæ compendium.

4 Romam videns exsultavit,
Illam ita salutavit,
Salve Roma orbis terrarum
Caput celsum et præclarum.
Quinque lustra segregatus
Vixit, locis conversatus
In desertis, ubi angebat
Valde corpus et premebat.
Loca sancta peragravit,
Compostellam visitavit,
Hierosolymam petivit,
Ubi Christum exquisivit.
Inde rediens terrena
Cuncta spernens et amœna,
B Cisterciensem ingressus
Est et Ordinem professus.
Romæ manens beatorum
Jussu tunc Apostolorum
Urbem adit Gallesinam
Ad docendum Dei doctrinam.
Ibi primo ad se vocato
Civitatis jam curato,
Monet, mortem suam futuram,
Signat atque sepulturam.
Mira signa demonstrantur
Languidique relevantur,
Crure civis impeditus
Sanus fit et expeditus.
Plane sensibus orbati
Exstiterunt integrati,
Surdi auditum receperunt,
Verba muti protulerunt.
E longinquo deportati
Claudi sic debilitati
Firmi ad suos revertebant
Grates dignas Deo reddebant.
Ad sepulcrum accedentes
Sancti, et illud attingentes
C A dæmonibus vexati
Sunt extemplo liberati.
Carum lumen oculorum
Cæca mulier suorum
Fertur statim recepisse,
Ducem viæ reliquisse.
Post a Papa numeratus,
Inter Sanctos nominatus
Est a fama Famianus
Et patronus Gallesanus.

APPENDIX

ALTERA

Ex Ærario sacro Pennatiano edito anno MDCCXXIII.

Expenduntur monumenta

Quæ dicta sunt hactenus, pridem scripseram, cum in manus meas venit Sancti ipsius Vita Italica in quinque libros distributa, cum subjuncto Latino Ærario sacro, pro Historia Vitæ S. Famiani sacerdotis confessoris et monachi Cisterciensis compilanda, opera et studio Splendiani Andreæ Pennatii, Protonotarii Apostolici et Vicarii generalis Urbis veteris collecto. *Vult dicere, opinor, vir amplissimus ac eruditissimus, monumenta Latina ibi produci, ex quibus Sancti Vitam diligenter ipse et ornate elaboraverit, eo ordine ut libro 1 complectatur ea quæ ad Sancti natales, educationem et vitam spectant: lib. 2 recenseat ultimam peregrinationem et pretiosam mortem: lib. 3 agat de ejus cultu, chronologia et itinerario: Lib. 4 narrentur ejus miracula post sepulturam patrata: lib. 5 extollatur heroica ejus sanctitas, proponaturque vera devotio Sancto exhibenda per novemdialia exercitia satis fuse ibi deducta, quæ omnia extenduntur ad paginas 127 forma, ut aiunt, quarta, sed quæ superius abunde explicata sunt in Vita Anonymi, quam solam dandam censui et modo etiam censeo.*

AUCTORE J. B. S.

a Pennatio suggesta.

6 *Sane operæ pretium non putavi, ea Latine reddere quæ fusiore sua oratione exornavit Pennatius, satis habens hic ex Ærario ea seligere quæ alibi antea reperire non licuerat. Et primo quidem satis diligenter inquirit in Vitas antiquiores,* E *ut vocat*, S. Famiani, *quarum primam in sex lectiones distinctam, ut vetustissimam describit a pag. 136 variisque et longissimis notis operosius illustrat, non magno certe operæ pretio. Sequuntur* Acta ab Anonymo scripta et Gallesii excusa per Augustinum-Colaldum anno Domini MDLXXVI: *estque ipsissima Vita superius jam a nobis data, ex priori illa nimirum paulo ornatius reddita, nostrisque necessariis annotationibus abunde explicata. Subjunxit tertio loco Vitam ex Tamayo de Salazar, quam totam prætermittere poterat, æque ac elogia quibus Martyrologum illum plus nimio prædicat. Neque ad rem magnopere conferunt Epitome Antonii Massæ, aut Ferrarii, Henriquez et aliorum elogia.*

Approbatæ Romæ

7 *Magis placent approbatæ Lectiones solemnem cultum confirmantes. qui ex Romana Officii concessione atque ad vicinas urbes extensione mirifice hoc seculo accrevit. En ipsius sacræ Congregationis decretum:* Exponentes clerus et populus Gallesii, se recitare singulis annis de Communi Officium Sancti Famiani Confessoris non Pontificis et asserti Protectoris principalis ejusdem Gallesii, pro F extensione orationis et lectionum secundi et tertii Nocturni propriarum, alias sub die tertia Decembris MDCCI, pro Congregatione monachorum S. Bernardi, Ordinis Cisterciensium approbatarum, sacræ Rituum Congregationi demisse supplicaverunt. Et sacra Rituum eadem Congregatio ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Gabriellii, pro utroque clero seculari et regulari Gallesii prædicti extensionem petitam benigne indulsit atque concessit die XXIV Aprilis MDCCVI. *Sequitur extensio ejusdem Officii ad civitates Hortanam et Castellanam. Jam, quæ huc maxime faciunt, Lectiones ipsas describimus.*

Lectiones

8 Lect. iv. Famianus, antea Quardus, Coloniæ Agrippinæ nobili genere, Gothescalco patre et Guimara matre natus, studiis primo mediocriter imbutus, inde parentibus et patria derelictis, decimo octavo ætatis suæ anno Romam profectus est, ut sanctorum Principum Apostolorum limina visitaret. Per Italiam sexennio peregrinatus, locisque præcipuis devotionis invisis, in Hispaniam Compostellam ad S. Jacobi Apostoli corpus venerandum contendit, eamque provinciam per triennium inhabitavit, sub moderatione cujusdam

AUCTORE J. B. S.

jusdam sancti senis. Postea Syriam petens sepulcrum Domini aliaque Palæstinæ loca religiosissime perlustravit. In Gallæciam regressus, ad devia silvasque penetravit, ubi pane non nisi raro, plerumque herbis et aqua reficiebatur. Deinde in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani annos viginti quinque in eodem vitæ genere transegit, donec in cœnobio Ursariæ habitum Cisterciensem induit.

quæ præcipuam Vitæ partem

9 Lect. v. Id novitium receptus ædiculæ sancti Laurentii addictus est, ad ripas Mynii tyrocinium peracturus, ac pristinam vocationem, quantum sub jugo religionis liceret, conservaturus. Delatum id sanctitati hominis Dei, delatum notæ et annosæ probationi. Non quod eremus monachis Cisterciensibus sit prohibita, sed quod ex Regula vita cœnobitica semper præcedere debeat anachoreticam. Emissa itaque solemni professione, sacerdos ex obedientia ordinatus est. Rursus Famianus, facultate a suo Abbate obtenta, Romam Eugenio III Pontifice maximo Ecclesiæ præsidente, ad limina sanctorum Apostolorum Petri et Pauli invisenda profectus; ab iisdem Apostolorum Principibus in somnis admonetur, ut Gallesium in Faliscis peteret, ubi spiritum Deo redditurus erat. Ut eum locum attigit Vir Dei, itinere fatigatus, ac siti laborans, ex silice virga percusso fontem mirabiliter eduxit, qui adhuc perseverat et infirmis prodesse solet.

B

complectuntur.

10 Lect. vi. Quinto decimo post die ægrotare cœpit, et accersito illius ecclesiæ archipresbytero, diem suæ mortis prædixit: et mox lectulo exsiliens, manuque illius apprehensa, locum sibi juxta aquam, in quo suum corpus sepeliri optabat, digito demonstravit. Nec multo post ejus hospes nomine Ascarus, gravissimo renum dolore vexatus, ad lectulum sancti Viri se per famulos asportari fecit, et illius manus devote deosculatus, repente convaluit. Demum beatus Famianus, die a se prænuntiata, en cœlum suspiciens, clero adstante et orante, obdormivit in Domino vi Idus Augusti anno reparatæ salutis millesimo centesimo quinquagesimo, suæ ætatis sexagesimo. Tanta autem fuit crebrescentium miraculorum ejus celebritas, ut non diu post illius obitum Romanus Pontifex ipsum Sanctorum albo adscripserit, et Quardi nomine deposito, eum ob signorum famam, Famianum appellari mandaverit. Exstat Gallesii ecclesia in ipsius honorem Deo dicata, cui eadem Indulgentia a summis Pontificibus concessa fertur, qua ecclesia sanctæ Mariæ angelorum prope Assisium condecorata fuit, eo quotannis innumeris ad venerandum illius sacrum corpus, usque ad hanc diem incorruptum, ex finitimis populis confluentibus.

D

non sine aliqua differentia.

11 *Obiter dictum sit, nonnulla in his, præsertim lectione* iv *observari quæ cum ante dictis non ex omni parte consonant, sed ad aliorum opinionem potius deflectunt, præsertim circa tempus susceptæ a sancto peregrinationis Hierosolymitanæ, de qua pluribus agit laudatus Pennatius. Nobis sus deque est, utram opinionem quis amplecti voluerit. Ad celebrem ejus cultum et ad posthumam gloriam magis spectat sancti ipsius Famiani sepultura, saltem effigies corporis, ut hic asseritur, etiamnum incorrupti. Eam operi suo præfixit Pennatius, dignam plane quæ adperpetui miraculi commendationem hic etiam repræsentetur.*

E



Effigies S. FAMIANI Sacerd. Conf. et Monach. Cisterc. obiit Gallesii 8 Aug. 1150 æt. 60 cuius Corpus incorruptum ibidem seruatur.

De miraculis

12 *Celeberrima alia* S. Famiani *miracula jam supra in Vitæ fine et in rhythmo breviter deducta sunt, superest ut ad totius rei complementum, inter innumera et prope quotidiana, nonnulla seligantur quæ ex Pennatii libro 4 Latine reddita hic subjungimus.*

MIRACULA.

Multa habet Pennatius

Quam gloriosum fuerit jam totis sexcentis annis S. Famiani *sepulcrum docet fama constantissima quotidianis signis illustrata, ut ex omni hominum afflictorum genere vix repertus fuerit, quin beneficium ibi aliquod se impetrasse profiteatur. Id cum maxime deplorat Pennatius et merito, tam negligentes fuisse in iis rite colligendis Gallesianos, ut partis longe maxime nulla supersit authentica memoria litteris debite consignata. En hic e multis paucula curationes singulares sub titulo :* De liberatis energumenis.

ex quo hic

13 *Anno* mdcxvi *die* viii *Augusti ipsa Sancti solemni festivitate, mulier quædam, cujus nomen non exprimitur, a malo dæmone obsessa, ad ejus sepulcrum tetro spiritu liberata fuit, cadens prope exanimata dum ab exorcizante ex S. Joannis Evangelio proferrentur hæc verba :* Et verbum caro factum est. *Eodem anno postridie seu* ix *Augusti mulier quædam Hortensis, nomine Juditha, Gallesium venit ad idem sepulcrum etiam exorcizanda, e qua expulsus nequam spiritus fateri compulsus est, id* S. Famiani *meritis factum esse, hoc*

relicto

A relicto signo quod lampadem exstinxerit. Sequuntur consimilia alia et æque illustria annis MDCXVIII, item MDCCXI, MDCCXXI et MDCCXXIII ad idem sepulcrum patrata, quibus alteram classem subjungit. De liberatis a febribus aliisque infirmitatibus.

a morbis varii generis

15 Prima ponitur Ludovica uxor Bernardini Pento, quæ a febribus sanata fuit, alioque gravi malo in altero ubere, ut legitur in antiquo anathemate in Sancti ipsius ecclesia appenso. In altero item anathemate testimonium quod Perna Gallesina, uxor Philippi de Corchiano, a febribus liberata fuerit una cum suo filio. Anathema etiam exponi voluit mulier aliqua, Jacoba nomine, quæ cum infirmaretur ad mortem, a filia sua Rosa S. Famiano commendata, mox plane convaluit. Plurimis a Sancto beneficiis cumulata Margarita Pensani, natione Sicula, non solum gratias egit Gallesii anno MDCXVII, sed Romam profecta Sancti cultum mirifice propagavit in sacello SS. Salvatoris apud PP. Dominicanos supra Minervam, iis anno MDCXLIX testamento legatis, quibus ejus festivitas quotannis VIII Augusti solemniter celebraretur. Habes ibidem memorabiles alias curatio- B nes ad hoc usque seculum mirabiliter multiplicatas, præsertim cap. 5, ubi de S. Famiani fontis salutari aqua agitur.

in specimen

16 Vir quidam insessus furibundis spiritibus, qui saxis homines et cultris impetebat, hausta prædicti fontis aqua, ab infernalibus hospitibus continuo remansit liberrimus. Antonius nepos illustrissimi Lancettæ a medicis derelictus, eamdem aquam bibendo pristinæ valetudini restitutus est, venitque acturus gratias S. Famiano argenteam ei lampadem offerendo. Percrebrescente Romæ fama tot curationum quæ per aquam sæpe dicti fontis impetrabantur, R. P. Generalis Ordinis S. Bernardi mulionem eo destinavit, ut mulas tres oneraret lagenis ea aqua repletis. At ille observata primum fontis tenuitate, de re exsequenda plane desperavit. Verum ubi lagenas implere cœpit, vidit aquam tam abundanter excrescere, ut probe oneratis mulis, fontem non sine summo stupore, in eodem prorsus quo repererat statu abiens reliquerit. Anno MDCLXXXVIII R. D. Bernardus Pollione Bassannelli pastor, Scrofano ad propria rediens sensit equum cui insidebat subito excæcatum, adeo ut fræno eum deducere summo suo incommodo coactus fuerit. Opportune ad sospitatoris fontem pervenit, modicumque aquæ in equi oculos exspuens, facto crucis signo Sanctoque invocato, visus equo restitutus est, unde commode ipsi domum pervenire licuit. Recentiora ibi habes istius generis plurima. E

AUCTORE J. B. S.

descripsimus

17 Ast hæc in specimen dedisse sufficiat: finis non sit si singula prosequar. Sequentibus capitibus enumerantur, qui a præcipitiis, lapsibus, diversisque malis ac periculis hoc ipso seculo liberati sunt.

DE B: HUGOLINA VIRGINE

Vercellis in Insubria.

J. B. S.

AN. MCCC. Ad cultum confirmandum

De hujus stupendæ prorsus Virginis cultu aliquandiu dubitandum fuit, tametsi binæ Vitæ ad manum essent in quibus expressissime Sancta appellatur: dubitandum, inquam, fuit, quod diligentissimus Italicorum Sanctorum collector, Alexandrinus ipse vicinusque adeo Vercellensibus Philippus Ferrarius de ipsa nec in majori suo Sanctorum Italiæ, nec in altero suo uberiori C Catalogo vel verbo meminisset, neque certa alia monumenta suppeterent præter insolitam imaginem, Hugolinam seu Ugolinam exotico modo referentem cum epigraphe S. Ugolina ora pro nobis Deum. Favebant quidem Scriptores Franciscani Gonzaga, Waddingus et Hueberus, Beatæ saltem titulo eam decorantes numerantesque inter Ordinis Tertiarias, ut infra patebit. Contra vero pugnare videbatur Arturi du Monstier in vastissimo suo Ordinis totius Martyrologio altum de ea silentium, ubi tamen innumeri alii referuntur Beati titulo ornati, quem certo necdum promeriti sunt. Prævaluisset cæteris Castellani in discernendis Sanctis explorata peritia, Hugolinam in Martyrologio suo universali inter Sanctos diserte collocantis, si aliunde jam diu desiderata Vercellensia monumenta rem totam confirmassent.

valuit itinerarium Papebrochii.

2 Opportune demum ea casu ferme reperta sunt in Itinerario Romano Majorum nostrorum Henschenii et Papebrochii, qui in reditu Vercellis transeuntes ea diligentissime notarunt, quæ hic descripsisse, erit Beatæ cultum abunde demonstrasse. Ubi de templo PP. Minoritarum S. Mariæ de Bethleem prope Vercellas agitur, inter alias reliquias in altari publicæ venerationi expositas, enumerantur duæ hermæ ex ligno inaurato, quarum altera B. Favorini de Vercellis eremitæ, altera dimidiam partem [continet] ossium B. Hugolinæ, cujus adhuc celeberrimus cultus VIII Augusti. Altera pars ossium cum capite in proprio ejus sacello, seu templo vicino est, quod undequaque picturis de vita ejus circumductum anathematisque appensis, cujus altare pulchrum ex inaurata gypso pro tabula continet dictas reliquias. In latere dextro prope altare locus est in quo prius dicta ossa quievere, quod adhuc testantur hi versus in marmore: F

Sacra ibi servantur Ugolinæ virginis ossa

Quæ patris incestum fugiens deserta petivit.

Ostenderunt etiam nobis bullam Indulgentiarum anno MDCXLI XI Augusti concessarum, ecclesiam S. Hugolinæ visitantibus.

et Vercellensia monumenta;

3 Hisce præsidiis abunde munitus ea exspectanda non putavi, quæ Vercellis iteratis litteris frustra postulaveram, verum ea colligere continuo aggressus sum quæ ad præclarissimæ Virginis originem, ætatem et gesta illustranda, inter monumenta quantumvis modica repereram. Sunt ea, ut jam dicebam, stupenda imago, cui Sanctæ titulum rectæ præfigi modo constat, ac Vitæ geminæ Italicæ more gentis compositæ a P. Ludovico Vercellensi (di Vercelli) ex Ordine Minorum observantium, quarum brevior edita est Taurini anno 1632, altera Mediolani 1655, ambæ non gestorum deductæ narrationes historicæ, sed verbosissimæ orationes panegyricæ, neque adeo dignæ, quæ latine reddantur, ut longe præferenda censuerim brevia quidem sed nitida elogia apud Gonzagum, Waddingum et Hueberum nobis relicta, quibus quæ ultra adjungi poterunt, ex utroque opusculo

AUCTORE J. B. S.

opusculo subjicere non negligam. En igitur Gonzagæ verba ex pag. 344, unde cum cæteri sua acceperint, hæc sola satis prælucebunt. Acturus de Franciscani isthic cœnobii primordiis in hunc modum orditur :

atque item

4 Cum nobilis ac devotus quidam Vercellensis, nomine Janomius, post lustrata omnia Terræ sanctæ loca, Vercellas, quæ sibi patria erat, rediisset, valedicturus huic seculo nequam ac Deo opt. max. felicius obsecuturus, eremitorium quoddam, ad trecentos passus a Vercellis, Transpadana Italiæ civitate, prope antiquam ædiculam, beatæ Virgini Mariæ sacram, humiliter satis construendum curavit; inibique sumpto eremitico habitu, in maxima abstinentia, vigiliis atque oratione ad ultimum usque vitæ halitum perseveravit. Post aliquantulum vero temporis cum Vercellensis quædam pulcherrima virgo, nomine Ugolina, virginitatem Christo sponso servare decrevisset, atque cruento humani generis hoste id maxime procurante, a proprio parente ad incestum sollicitaretur, prudens virgo, ne aliquando proposito frustrata tantum donum amitteret, relicta B paterna domo, nemineque conscio, ad præfatum eremitorium se recepit.

Gonzagæ narratio.

5 Ubi et per quadraginta septem continuos annos sub vilissimo habitu, atque efficto masculino sexu, sub Ugonis nomine in clausa quadam cellula, ne ab aliquo videri posset, ex oblatis tantummodo eleemosynis victitans perseveravit. Ea igitur cica annum Domini MCCC defuncta, ac honesto loco, ob sanctitatis signa, quæ circa ejus obitum evenere, a Vercellensi populo ejusque Episcopo, qui totius rei gestæ series a religioso quodam patre Dominicano, qui præfatæ virgini Ugolinæ a sacris confessionibus erat, revelata est, ibidem tumulata, præmemoratum eremitorium plurimis annis habitatore caruit. Erat nihilominus ædicula sibi contigua, ob miracula quæ meritis beatæ Ugolinæ ibidem contingebant, Vercellensibus summe commendatissima. Cumque omnimodam minaretur ruinam, ne tanta populorum ad ipsam devotio aliquando evanesceret, tum a Vercellensibus, tum quoque a reverendissimo Guilielmo eorum episcopo, *eo res perducta est ut ædicula FF. Observantibus concessa in pulcherrimam ecclesiam erecta fuerit circa annum MCDLIII.*

Horrida effigies

C 6 *His præmissis sensim accedimus ad clariorem* S. Ugolinæ *ejusque austerissimæ vitæ notitiam, quam non parum juvabit horrida effigies parvulo ejus ecclesiæ frontispicio, quemadmodum hic repræsentatur, appicta, ut me postea docuit noster P. Joannes Baptista Mosca qui Mediolano notitias quas potuit Vercellis acceptas ad me demum misit, hactenus dicta plane confirmans addensque dictam* S. Hugolinæ *ecclesiolam, veteri eremo contiguam, a Majori PP. Minoritarum Bethleemitico templo 40 circiter passibus distare, sic tamen ut cum eo conjungatur interjecta porticu, per quam inde in PP. conventum patet aditus. Pergit Mosca in hunc modum :* Visitur picta effigies supra portam, B. Ugolinæ stantis nudis pedibus, capillis sine lege solutis : cilicio vestitur, dextra manu crucifixum gestat, sinistra vero rosarium B. V. Deiparæ, ejusque Officium. Sub imagine autem est hæc inscriptio : B. UGOLINA VERCELLENSIS EREMITA DE CASAMIS. *En ipsam.*



non satis exprimit pœnitentias.

7 *Ut ut expressam hic habeas innocentissimæ Virginis pœnitentis terrificam effigiem, procul tamen abest ab immanibus cruciatibus quibus tenerum corpusculum per annos continuos quadraginta septem atterere non destitit, perpetuo nempe jejunio solis pane et aqua interrupto, duris flagellationibus, humi et quidem inter spinas cubationibus ut jam taceam horrendas et fere quotidianas cum humani generis hostibus eam dire verberantibus colluctationes, adeo ut ad sanguinis effusionem non raro acutis ipsam cuspidibus pungerent : quibus potissimum oratorie describendis operam ponit Vercellensis, quæ utinam a scriptore aliquo synchrono accurate enarrata haberemus.* F *Citatur quidem Vita a Sanctæ confessario P. Valentino ex Ordine Prædicatorum, ast ea, quantumvis institerimus, ad manus nostras non pervenit : iis vero tantisper sepositis, originem ejus, ætatem vitæque decursum ex laudato Vercellensi paucis conemur eruere.*

Discutitur Virginis ætas,

8 *In eo peccat orator quod præmissa longa Vercellarum descriptione, parentum nomina indicare prorsus negligat, satis habens, eam Vercellensem nobilibus parentibus de Cazzami natam pronuntiasse. Id etiam in eo desideres quam maxime quod in Sanctæ ætate definienda turpissime cespitet. Etenim in priori seu minori Vita pag. 10 annum natalem signat 1239; pagina autem 33 mortuam ait anno 1300 die* VIII *Augusti nihilominus tamen vixisse asserit* annis septuaginta et uno. *Erorrem utcunque agnoscit et corrigit in Vita altera, dum pag. 28 ad eremum ipsam deducit anno ætatis quarto decimo, quibus si adjungantur quadraginta septem austeræ solitudinis, non exsurgent anni plures quam 61, ut ibi fatetur pag. 97, obitum denuo referens ad annum 1300, sed diem* XVI *Augusti, multa divinando, cur* VIII *ejusdem mensis hodie colatur, quod nostra parum interest, modo certus sit ipse solemnis venerationis dies* quo

A *quo ipsam hic collocamus. Neque curandum censuimus, quod alicubi scriptum memorant* S. Hugolinam *obiisse anno 1288, contra quam scriptores omnes alii, saltem quos consulere licuit, cum P. Ludovico Vercellensi in anno emortuali 1300 unanimiter conveniant.*

et unde nomen acceperit. 9 *Hunc porro in expendendis minutiis non imitabor. Disputat ille de ipso* Hugolinæ *nomine, nempe an notum antea unquam fuerit non Vercellis solum, sed tota Italia et reliquo orbe : ad rem propius spectat, quod ipsa virgo adhuc tenella, ut tutius et securius latere posset, masculum habitu se finxerit sub* Hugonis *nomine, sicque tota reliqua vita, ipsismet Vercellensibus ignota, tetro isto in eremitorio, solis piorum hominum eleemosynis sustentata, arctissimum vitæ genus constantissime tenuerit, solis jam dictis pœnitentiis assiduisque corpusculi macerationibus intenta, quibus perpetuum adjunxit orationis studium, quo soli divino sponso Christo Jesu dignum fidelissima virgine sponsa præberet spectaculum, innumeris proinde cœlestibus deliciis ab ipso cumulata, donataque, in humanis viribus intole-* B *rabili prope cruciatuum exercitio, perseverantiæ laurea, dicamus et meritorum corona, tot etiam ac tantis illustrata prodigiis, ut vel viva etiam non nisi* Sancti, *quod virum habitu præferret, nomine appellaretur.*

Non sine prodigiis moritur. 10 *Quanta vero gloria in obitu et post obitum illustrata fuerit, fusius more suo prosequitur Vercellensis : sufficiat hic notasse, quod diem mortis, si non et horam prædixerit, ad quam sanctissime, ut vixerat, sese præparavit, non absque signis multis et mirabilibus, incumbente inprimis cellulæ altissima columna ignea, quo spectaculo commota prope universa civitas ad eam concurrerit, aliis pluribus circumvolantibus luminibus, mirandum in modum stupefacta, quin et multiplici ac suavissima harmonia Angelorum purissimam animam in cœlum evehentium : quorum omnium testis ipse Episcopus omni qua potuit solemnitate curavit funus, quod odorem spirans fragrantissimum attonitos populares omnes mirifice recreavit. Gloriam vero posthumam testata sunt innumera miracula, præsertim beneficia prope incredebilia, non eo solum tempore, sed totis quatuor et amplius seculis a piis cultoribus impetrari solita,* C *quæ hic distinctius enarrari possent, si Vercellensium in sanctissimam patronam suam pietas hucusque se extendisset. Id solum reliquum est, ut brevia Sanctæ elogia, non eo quo ipsa modo scriptor noster edidit, sed continua oratione hic subjungamus, saltem primum :*

AD DIVAM HUGOLINAM

Virginem Vercellensem

ELOGIA.

I

Hugolina stemmate clara, virtutibus clarior, sanctitate emicat inter Vercellenses sola. Puella fugit cives, ipsa dives, a patre recessit, ad desertum accessit, quis non miratur? Novem lustris eremum plus coluit, mundana noluit, oblectamenta carnis dissolvit sua fuga. Quænam prudentior? Phalanges cacodæmonum sprevit, Goliam perterruit, Holofernem insidiantem interemit. Huic palma et triumphus Mortua vivebat, inventam pater quærebat, in solitudine cæcutiebat, sed lumen non amittebat. Quis talia audivit? Vixit ignota Virginis Mariæ devota, Christo exsolvit sua vota. Satis miranda. Vestibus pretiosis exuta, nudos induit, vultus assiduis jejuniis pallebat, non jejuna manus pauperes alebat, et quo magis humiliatur, corpus cœlesti nube sublevatur, cœlestibus civibus socianda. Vatem dicit, suspendium procuratori prædicit, abiit in malam crucem, qui Hugolinam noluit habere ducem. Valde timeant peccatores. Ut Deo attentius serviret, pluries flagra perpessa, non defessa, multoties tentatur, sed non superatur, inter victrices victrix. Sæpius ingemuit, non fremuit, pluries lugebat et diabolum spernebat, loricam ferebat; ipse timebat, illa vincebat, illum illudebat. Novum victoriæ genus. Jejunia coluit, silentium non abhorruit, in gravibus certaminibus immobilis stetit, a Virgine semper victus dæmon recessit, ob Dei gratiam. Tandem decessit, non recessit; clausit lumina, non numina, apparent lumina: super spinas ultimum clausit diem, in æthere primum apparuit, spiritum Christo commendavit, et terræ corpus donavit, in hoc loco tumulatum. Miraculis in terra fulget, in cœlo ut sol refulget, peccatoribus veniam indulget, concedit optata Virgo rogata. Hanc lector adora.

Auctore J. B. S. E

II

Dives nata in Veneris cella
In Bethleem renata,
Virgini, non Veneri nata.
Quin Veneri moriens, oriens Virgini
Veneris egreditur cella
Cœlum ingressura beata.
Habuit patrem natalibus clarum
Obscurum moribus,
Amantem, et amentem.
Amavit Virginem non virginitatem,
Animi venustatem
Obscœnis labris fœdaturus.
Fœdavit oculis, non fœdavit osculis,
Invasit Virginem, virginem expertus.
Patrem et patriam deseruit
Desertum amans.
Exuit animum feminæ,
Dum vestem induit anachoritæ,
Et Hugonis nomen.
Profuga sacrum velut asylum
Inivit nemus, neminem visura mortalium.
In quo cœli quærebat cives,
Reperiebat averni.
Inediæ indulsit multum, egestati parum,
Fomitem exstinxit fame, siti semper exarsit,
Plus ab oculis aquæ regessit
Quam ingesserit,
Qua soporem et saporem haustus exclusit.
Maluit arvorum dumetum
Quam avorum domum.
Armis ubi se texit in campo certatura,
A mundo fugiens munda servatur;
Ab immundo spiritu non fugit,
Fugit ille, illa fugavit.
Immanes etiam manes
Stygiis terrebant larvis.
Ut arvis abiret
Illis cædentibus.
Contuso corpore, integro animo
Interdum cadebat, cedebat nunquam,
Inermis furias superavit, armis se ipsam,

Délu-

ICTORE
IB. S.

Deludens inferi flammas
Flammis abdita superum
Matronis vanis.
Mundi vanitatem improbando
Vanescentes sentiebat oculos.
A vanis affectos.
Consumpta veste, caritate servata
Induens nubem nubes sæpe transcendit
Ætheris iter exploratura.
Annis demum, non armis, deficiens,
Animo constans,
Cum Angelis obiit, quæ vixit ut Angelus.
In iisdem spinis occubuit, quibus decubuit.
Plorata ante mortem
Mortua ante ploratum,
Ante ortum a patre,
Post obitum a patria exoptata,
Vivens vocata filia, exstincta mater,
Lucentem patriam liquit
Lugentem non dereliquit.
Suscipit preces
Quæ precibus fuerat suscepta,
B Acquisivit in cœlo
Quod in terra quæsierat,
Reditura discessit, non decessit.

III

Rege vos regum genitæ, Sionis
Inclytæ cives celebrate Divam
Vosque jam summo data clara Phœbo
Sidera laudes.
Plectra mutescunt hominum, fidesque
Conticuit, nostro fugit ore melos,
Hinc Hugolina tua poscit æther
Carmina fastus.
En micat gemmis, violis, rosisque
Tota florescit, redimita serto
Duplici, duplex quoque vestis ornat D
[illegible] Purpura, byssus.
Nam licet blandum Veneris theatrum
Lumen inspexit puerile primo
Lusit haud lusit Veneris dolosa
Retia et hamos.
Lusit et patris temerata labra
Acta vesanis jaculis amoris,
Quæ osculo Natæ petiere fœdo
Ora pudicæ.
Sed fuga lusit; laribus relictis
Sprevit auratum laqueare, summa.
Tecta traducens in opaca silvæ
Antra latentis.
Hic toga sexum simulat virilem,
Hugo sum fatur; meritoque migrat
Feminæ nomen, fuit hæc Virago
Fulta trophæo.
Hic (stupor!) beluas metuens, decora
Pellici forma, fugat ore gratiam
Pupuram: pallens laceros imago
Occupat artus. E
Hic fame sensus cohibet rebelles
Pendet e dorso toga texta ferro,
Sævit in corpus manus aspra et angit
Membra flagellis.
Fervet hic flamma puriore summi
Numinis parta facibus, penetrat
Æthra mens, Sponsum videt, hæret, ardet,
Delitiatur.
Dæmon ah dæmon tua fræna morde:
Virginem cædes furibunde virgis;
Inde quid? Nectis capiti coronam
Nobiliorem.
Ergo sint nobis tua serta, Virgo,
Scuta quæ sistant stygios furores,
Nostraque in cœli spatiis triumphans
Esto precatrix.

NONA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI V IDUS AUGUSTI COLUNTUR

F

C Sanctus Secundianus, S. Verianus, S. Marcellianus, MM. in Tuscia.
S. Romanus miles M. Romæ.
S. Numidicus et socii MM. in Africa.
S. Crescentianus,
S. Largus,
S. Tiberius,
S. Amius,
S. Tiberianus,
S. Theodotus,
S. Nomedianus,
S. Laudacus,
S. Julianus,
S. Polycarpus, *Martyres*

S. Primus,
S. Xistus,
S. Agatopus cum aliis XI,
S. Felicisimus,
S. Carpoforus,
S. Zemaragdus et alii X,
S. Onion,
S. Tiburtius,
S. Valerianus,
S. Dionysius,
S. Felix,
S. Euticianus,
S. Gagius,
S. Melciades, in Oriente.

S. Stepha–

A S. Stephanus, S. Urbanus, S. Lucius, S. Memorius, S. Satirus, S. Numidus, S. Ladicus, S. Julianus, S. Polycarpus, S. Magnus, S. Silvanus, MM. Alexandriæ.

S. Martinus Brivensis, Lemovicis in Gallia.

S. Domitianus, episc., Catalauni in Gallia.

B S. Antoninus, Martyr apud Græcos.

S. Firmus, S. Rusticus, MM. Veronæ in Italia.

S. Samuel, presb. Edessenus CPoli.

S. Erneus, abbas apud Cenomanos in Gallia.

S. Gregorius Spatharius, S. Julianus, S. Marcianus, S. Joannes, S. Jacobus, S. Alexius, S. Demetrius, S. Leontius, S. Photius, S. Petrus, S. Maria Patricia et duo adolescentuli, MM. CPoli. D

B. Hathumarus, ep. conf. Paderbornæ in Westfalia.

B. Joannes Ord. Minorum in monte Alverno Italiæ. E

S. Falcus, S. Nicolaus, conff. eremitæ in Apulia.

B. Joannes Plebanus, B. Leo Bembus, conf. Venetiis. VIDE APPEND. TOM. VI AUGUST. NOT. 4.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Beatus Joannes monachus in monasterio S. Andreæ Romæ *signatur hoc die a Menardo in Martyrologio Benedictino, quemadmodum et* S. Merulus *in ejusdem Ordinis parvo Kalendario. Qua id ratione factum sit, equidem non intelligo : de utroque cum socio S. Antonio, ex Gregorio Magno actum est* XVII Januarii. C

S. Earcongatham *Anglam virginem hoc die perperam signavit auctor Cabineti Gallici, spectat ad* XXIII Februarii.

S. Apostoli Matthiæ *memoriam hoc die reperio in Menæis magnis Græcorum excusis; quibus adde Typicum Sabbæ, Martyrologium Arabico-Ægyptium, Menæum Chiffletii, Augustum Moscorum figuratum ante tom. I Maii pag.* XXXIX : *pro quo nomine scribitur* S. Apostoli Matthæi *in nostro Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, nec non apud Possevinum tom. II Apparatus sacri pag. 368 in Calendario Ruthenorum; sed secundum dicta mendose. Actum est de isto sancto Apostolo apud nos die, quo colitur apud Latinos* XXIV Februarii.

S. Suibertus Verdensis episcopus *nescio cur hoc die signetur a Camerario. Tu videsis die* XXX Aprilis.

S. Eudaldi translatio *refertur hoc die a Tamayo Gesta ejus illustrata sunt, die quo colitur* XI Maii.

S. Constantini archiepiscopi τῆς βασιλίδος πόλεως, *id est*, urbis Constantinopolitanæ, *memoriam invenio in apographis nostris Sirmondo-Chiffletianis, quibus supplentur Menæa Græcorum excusa. De eo egimus die* XXIX Julii.

B. Walleni abbatis Ordinis Cisterciensis in Anglia (*alii* in Scotia) *hodierna annuntiatio est Menardi in Martyrologio Benedictino, qui in annotatis addit elogium, ab Henriquez in Menologio varie amplificatum, contractum autem a Chalemoto. Meritis sane laudibus Virum præclarissimum sub* Waltheni *nomine jam inter Sanctos retulimus ad diem* III Augusti. F

De S. Richardo *confessore, ob insignes reliquias Dertonæ in Insubria hoc die fieri Officium sub ritu duplici, docent nos schedæ inde acceptæ : vellem explicuisset scriptor de quo S. Richardo ibi sermo sit; an de rege Anglo, Lucæ deposito, ut habes ad* VII *Februarii, an de S. Richardo item Anglo, Andriensi episcopo, quem in Actis dedimus* IX *Junii. Utcunque fuerit, satis hic est, ejus celebritatis meminisse.*

Inventio sine manu factæ ac venerabilis imaginis τῶν Καμουλιανῶν, conscripta a S. P. N. Gregorio episcopo Nysseno, *notatur in Menæis magnis Græcorum impressis ; quibus fere consonat Menologium Sirletianum.* Nyssenum quidem ad manum habeo, *ait Raderus in Observationibus Mss. ad Menæa prædicta,* et quidem ipsius editionem Græco-Latinam ; sed nihil apud illum de hac imagine reperio. *Circa patronymicum* Καμουλιανῶν, Camulianorum, *lucem afferunt ea, quæ observat Ortelius in suo Thesauro geographico ; quem tu consule ad voces* Camuliani episcopi, et Camulienses.

Benignus presbyter confessor *hoc die a Dempstero relatus, quis sit doceri cupimus.*

Ericus

A Ericus VI *rex Daciæ perfidorum insidiis interfectus, ita hoc die memoratur a Greveno inter auctaria Usuardina :* Item sanctæ memoriæ Erici regis Daciæ et martyris. *Ubi per* sanctæ memoriæ *satis indicat, nec ejus tempore pro Sancto agnitum, Videri potest ad diem* VII *Januarii Vita S. Canuti ex Saxone sub finem, atque item Pontanus pag. 336.*

Urraca monialis Hispana et abbatissa *ab Henriquez et Chalemoto* Beatæ *etiam titulo donatur, quem aliis argumentis probatum cuperemus, quæ certe a Tamayo neglecta non fuissent.*

Julianus, Alexius, Jacobus et socii martyres, pro cultu imaginis Salvatoris nostri Jesu Christi, in Carmelo Hierosolymitano, ad Portam auream constitutæ, multas ærumnas et martyrium passi sunt anno DCCXL. *Ita refert Philippus Visitantinus in Acie bene ordinata.*

Claudianus, *nescio quis* et socii MM. *adjecti in annotatione aliqua Ms. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quo spectent, non satis conjicere licuit.*

Cono *S. Hildemari discipulus, ex abbate Aroasiensi in Artesia episcopus Prænestinus, legationibus in Gallias et in Syriam celebris, laudatur in sancti Magistri vita, ad* XIII *Januarii capp. 5, 6, 7 et 8, in quorum ultimo dicitur* Præneste civitatem sedis suæ, spiritu suo ad Deum evocato V Idus Augusti, gleba sui corporis honorasse anno Domini MCXVII. *Constat nobis de præclaris Viri gestis, sed de cultu altum ubique silentium.*

B

Lemovicis, natalis S. Maximi martyris, antiquo ex cultu emeritæ coronæ, magis quam vitæ vel mortis historia conspicui. *Verba sunt Saussayi hoc die in Supplemento sui Martyrologii, quæ vellem paulo explicatiora nobis suggeri : uti et quid velit per suam hodiernam annuntiationem :* Bituricis, octava S. Stephani Protomartyris.

In Anglia, depositio beati Hugonis, Eliensis episcopi et confessoris, sanctitate et doctrina clarissimi, *refertur hoc die apud Wionem in Martyrologio Benedictino. In annotatis vero recitat præclarum ejus elogium ex Matthæo Westmonasteriensi et Matthæo Paris; quorum hic Hugonis hujus, qui decessit anno Christi 1254, die* IX *(vel, ut mavult Warthonus Angliæ sacræ parte 1, pag. 335, die* VI*) Augusti, æqualis fuit; ille seculo toto junior : addit et Polydorum Vergilium in Historia Anglicana lib. 16 circa finem; sed errat : non enim de hoc Hugone istic agitur; sed de Hugone Balshamio, qui nostro post Willelmum in sedem Eliensem successit. Wionem secuti sunt Dorganius, Menardus, Bucelinus, Martyrologi omnes Benedictini; prætcrea Wilsonus in Martyrologio Anglicano, et hunc porro Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Sed cum horum omnium ætas ea sit, ut ad publicum ac legitimum Hugonis cultum asserendum sufficere per se non possit; neque aliunde, sive ex auctoribus, quos ipsi pro se citant, sive ex aliis, utcunque veteribus, cultus aliquando publici vestigium huc usque nobis ullum occurrerit, religio fuit inter Sanctos hic ei locum dare; tametsi meritissimis Viri tanti laudibus nihil detractum velimus; quidquid pro genio suo Godwinus Heterodoxus mussitet in Commentario de præsulibus Angliæ. pag. 313. Utinam saltem*

C

D *constaret, Hugonem hunc nostrum esse, cujus nomine et festo gaudet hoc die ecclesia Avorensis in diœcesi Bituricensi, ut satis timide suspicatur Catherinotius in Sanctuario Bituricensi pag. 28! Sed id frustra in ipso loco examinatum est nuperrime.*

B. Simeonis Achaici depositio *annuntiatur hoc die in Menologio Benedictino apud Bucelinum,* in Augia divite, *cum elogio seu Vitæ compendio, e scriptis Joannis Egonis, in Augiensi cœnobio Prioris et anno demum 1643 vita functi. Habemus hujus Egonis opus de Viris illustribus monasterii Augiæ majoris seu divitis scriptum anno 1630, ac typis a Bernardo Pezio vulgatum anno 1721 in Thesauro anecdotorum novissimo tom. I, part. 3, col. 627. Ibi de Simeone monacho, tanquam Beato agitur col. 634, et col. 770, diciturque Vita ejus,* a vetusto Augiensi, anonymo tamen, conscripta, hodieque exstare. *Et hanc accepimus beneficio Gamansii nostri, exscriptam* ex Ms. codice Augustano *SS. Udalrici et Afræ, et quidem satis misere et inepte compositam. Daretur hæc tamen, si vel ex ea, vel ex Egone, vel ex Bucelino, vel aliunde publicum Simeonis hujus cultum potuissemus eruere. Nunc ejus hic interea meminisse sufficiat.* E

Referri hic possunt Tamayi verba, hoc modo concepta : In universali Ecclesia Vigilia S. Laurentii martyris Romæ passi, origine Hispani, quæ nulli conceditur Divo, præter Apostolos, generaliter, ob insignem agonistæ triumphum et celebre archilevitæ trophæum.

Raynerum Ordinis Prædicatorum *ex Cantipratano* venerabilis *titulo recte donat Rayssius in natalibus Sanctorum Belgii.*

Nicolaum *vero ejusdem Ordinis, Brugis olim celebrem,* Beatum *appellat eum insigni elogio quod apud Marchesium (qui de Raynero non meminit) variis ex fontibus exornatur. Tum vero apud eumdem sequuntur*

Michael Archangelus Nanui, *cujus vita fusius describitur. Tum*

Soror Philippa a Jesu, *cui in Anno sancto Belgico et in Viridario Germanico additur*

Dominica a S. Hieronymo.

Thomas, Bonaventura, Joannes,	*Martyres in Anglia.*	*Beati titulo donantur ab Arturo in Martio Franciscano et ultima etiam in Gynæceo.* F
Richardus,		
Algothus, conf. et doctor exim. *Scaris in Gothia,*		
Toribius a Benevento, conf. *in Mexico,*		
Anna a Conceptione, virg. *Ulyssipone in Lusitania,*		

Prudentior Hueberus ab omni titulo abstinet, jam dictis superaddens

Octavianum Penterieder *Bavarum in Gran-Cayro.*

Luciam de Catalagirone *Salerni in Sicilia, quibus accedunt PP. Capucini*

Bonaventra de Reghio *in Marchia Anconitana.*

Petrus Pomeranus *prope Genuam.*

Joannes de Soria *Romæ.*

Hieronymus de Rhegio *in Calabria.*

Ivo de Multa *in Sicilia.*

Bernardinus de Asculo *prope oppidum S. Joannis rotundi.*

Augustinus de Pesto *prope Bononiam.*

Alexander de Interamni *prope Assisium.*

Ange-

A Angelus de Florentia *in Thuscia.*
Andreas de Sicilia *prope Neapolim.*
Alexander de Catana *ibidem.*
Petrus de Urbino
Joannes Baptista de Asculo } *in Marchia Anconitana.*

S. Auctor *Metensis episcopus loco non suo hoc die memoratur in editione Lubeco-Coloniensi, cæteri codices Usuardini melius ipsum retulerunt die sequenti* x Augusti.

Irenes (τῆς νέας) junioris in Sanctis Apostolis *(ædes sacra est CPoli; de qua Cangius lib. 4 a pag. 105 in sua CPoli Christiana) memoria habetur in nostro ecgrapho ex Menæo conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis. Huic synonyma occurrit die* VII *hujus mensis; a quo ad diem* XIII *ejusdem mensis dilata est, uti videre est inter Prætermissos ad dictum diem* VII. *Consule itaque dicenda ad diem* XIII Aug.

Maurilius *Rothomagensis archiepiscopus, vir sane omni memoria dignissimus, necdum scitur in propria illa sua ecclesia ullo unquam sacro cultu honoratus fuisse, cum in Breviariis sive* B *anni 1627 sive aliis nulla prorsus ejus exstet memoria. A Menardo et aliis Benedictinis titulo* Beati *donatur, quem etiam ei vindicat Mabillonius seculi sui* VI *parte 2 a pag. 222. Præcesserat Saussayus Sanctorum collector satis munificus; ast oculatior Castellanus non aliam ei quam* venerabilis *appellationem adscribere ausus est, ita in Martyrologio suo universali hoc die annuntians :* Rothomagi, VENERABILIS Maurelii episcopi, cui Joannes Abrincensis librum suum de ecclesiasticis Officiis dedicavit. *Non putamus nobis integrum esse alium ei titulum tribuere donec clariora accedant cultus argumenta, rem totam interim cum Legendario Gallico examinandam remittentes ad diem quo de S. Maurilio Andegavensi agendum erit* XIII Septembris.

Apud Sequanos, sanctorum Amoris et Viatoris D martyrum *annuntiatio hodierna est novi Martyrologii ecclesiæ Parisiensis anni 1727, sumpta, ut saltem colligere licet, ex Castellani adjunctis hoc ipso die in Martyrologio suo universali, ubi* crudeli morte interemptos *memorat, apposita utrobique nota* seculi V. *Unde par illud Martyrum solus Castellanus eruerit, ignoro equidem, solliciteque adeo sed frustra percurri sacros Fastos antiquos et recentiores ut ipsorum vel vestigium reperirem, quos nempe Saussayus ipse penitus ignoraverit. Erant inter chartas nostras subsidia subobscura, a P. Chiffletio olim submissa, in quibus pro ipsa hac die referebantur* Amor seu Amator et Viator in suburbio Lugdunensi, *quemadmodum annuntiantur in Codice Usuardino Castri Caroli, sed quorum sepulturæ inscripta notabantur hæc verba :* D. op. Max. et SS. MM. Amori et Viatori Thebæis militibus, *ut quos ferat popularis traditio, ex communi cæde Agannensi fuga elapsos, matyrii coronam invenisse in vico* Cevenna *dicto, unde alii translatos volunt a S. Guntramno rege ad locum qui modo a S. Amore* E *appelletur* Saint-Amour, *quos proinde spectare oportet, non ad seculum* V *sed ad seculum* III. *Atque hæc utriusque* synonymi Paris *sola et unica notitia est quæ ad nos pervenit hactenus : nam quæ de duobus istis Thebæis in sua Historia Italica scripsit Baldesanus, pretii sunt valde exigui, imo nullius. Si distinctiora, et solidiora accesserint, erit locus quo res tota, perquam ambigua, ut satis patet, et implexa, paulo accuratius examinari poterit, saltem ubi de Thebæis agetur* XXII Septembris.

Romæ in cœmeterio, depositio Diunisi episcopi *est annuntiatio Hieronymianorum, in Epternacensi aliter contorta. Quid hic indicetur, quærit Florentinius. At parum id nostra refert qui cum Romano Martyrologio aliisque sacris Fastis de eo acturi sumus, die quo in Ecclesia colitur* XXVI Decembris

DE SS. SECUNDIANO, MARCELLIANO & VERIANO MARTYRIBUS

IN TUSCIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Cultus eorum, Acta, locus martyrii.

SUB DECIO. *Cultus antiquus et celebris*

Quam sit antiquus Martyrum horum in Ecclesia cultus ad V Idus Augustas Martyrologia passim vetusta testantur, atque imprimis Hieronymianum, a Florentinio ex variis apographis editum, inter quæ præstat ætate cæteris Epternacense, quod sub initium seculi octavi scriptum, sic habet :* In Tuscia, Veriani, Marcelliani, Secundiani; Romani, Largi, Tiberiani, Theodori, Nomediani, Landici, Juliani, Pauli, Carpi, Primi, Xysti, Agatopi, et aliorum XI. *Hic primi tres nostri sunt; cæteri ex aliorum ibidem codicum fide neque ad nostrorum societatem, neque ad Tusciam, sed ad Orientem pertinent. De solo* Xysto *dubitari potest; quia in codicibus Lucensi et Corbeiensi duo* Xysti *proferuntur hoc die; alter inter Martyres Orientales, alter nostris adjectus : sed hunc male istic geminatum a librariis fuisse, cum ex Epternacensi apparet, qui* Xystum *unicum refert hoc die; tum ex Usuardo ac Notkero, qui, cum nostros ex Martyrologio Hieronymiano prompserint, nullum inter illos* Xystum *recensent.*

2 *Et Usuardus quidem tres tantum ita proponit :* Apud Coloniam Tusciæ, natalis sanctorum Secundiani, Marcelliani, et Veriani; qui tempore Decii sub consulari Promoto primum cæsi sunt; deinde in equuleo suspensi, et ungulis abrasi, atque igne lateribus apposito assati, triumphalem martyrii palmam capite cæsi meruerunt. *Notkerus vero tametsi nostris Martyribus quartum* *apud Martyrologos.*

AUCTORE P. B.

tum addit aliquem; non tamen Xystum; *quem proinde ad Orientales, quos præmittit, unice reductum invenerit. En textum ejus:* In Colonia, Faustini, Marcellini, Secundiani, Veriani, juxta Martyrologium beati Hieronymi: cum a nostratibus, apocryphorum deliramenta sectantibus, a beato Sixto, propter continuationem temporum baptizati, et a Decio, dicantur interempti. *Et sane* Faustinum *nostri aggregat Martyrologium Hieronymi in Codice Lucensi; at Corbeiensis hoc die nusquam* Faustinum *habet; Epternacensis vero vetustissimus corrupte* Faustinianum *appellat; sed Romæ passum dicit, jungitque Dionysio episcopo. Neque* Faustinum *ergo, neque* Xystum *satis constat huc oportere referri; neque adeo relati etiam fuere in Martyrologium Romanum, Usuardo per omnia consonans, nisi quod martyrii locum simplicius exprimat,* in Tuscia.

Acta horum MM. propria, Perusinis MM. perperam aptata.

3 *Plura de cultu recurrent inferius. Nunc observari velim, Martyrum nostrorum Acta ante Notkeri Usuardique ætatem exstitisse; quandoquidem hic iis in elogio jam recitato manifeste usus est; ille vero judicium de iisdem tulisse videtur addendo:* Cum a nostratibus, apocryphorum deliramenta sectantibus, *etc.: nam si verborum illorum sententiam satis assequor, carpuntur his Acta Martyrum eorumdem, tanquam apocrypha, et saltem eatenus a vero delirantia, quatenus tempora Decii imperatoris usque ad B. Sixti Pontificatum continuant; cum revera Decius interierit sub finem anni Christi 251, hoc est annis propemodum sex ante, quam S. Petri cathedram B. Sixtus ascenderit. Et vero quotquot hactenus prodiere eorumdem Actorum exemplaria utcunque vetera, hoc vitio laborant; unde et a Baronio ad annum Christi 253, num. 29 eatenus* corrupta *pronuntiantur. Sed id modo non agimus. Constat interim ex dictis, hæc Acta, qualiacunque sint, saltem a seculo* IX *agnita conscriptaque fuisse, tanquam propria* SS. Secundiani, Marcelliani, et Veriani; *ac proinde posterius iis erepta per insigne plagium fuisse, ut MM. Perusinis Florentio et Sociis, quorum veteribus Martyrologis ne nomina quidem innotuere, mutatis iis, sed parum caute, quæ in Perusinos quadrare non poterant, aptarentur. De qua re videri potest Papebrochius noster Junii tom. I a pag. 33; imo etiam anterius ibidem a pag. 23.*

primo composita videntur ante seculum 6;

4 *Siquis autem ulteriorem eorumdem Actorum ætatem exigat, rem postulat non facilem definitu. Id certum, quæ nunc supersunt, ab æquali Martyrum scriptore composita non esse; cum S. Sixti Papæ ac Decii imperatoris tempora prorsus ignoraverit. Dubitari quoque non potest, quin varia eorum exemplaria, prout aliis alia reperiuntur ampliora non verbis modo, sed etiam rebus, ad ætatem quoque diversam spectent. Sic illa, quæ occasione SS. Florentii et Sociorum ad Kalendas Junias a pag. 25 ex* Ms. Codice ecclesiæ Urbevetanæ *dedit illustravitque Papebrochius, censuit idem ipse pag. 38* pluribus post *Martyrum horum* passionem seculis *fuisse scripta; nec temere; nam aperte significant, translata jam tum fuisse ex priori sepulcro ad ecclesiam Tuscanensem Martyrum eorumdem corpora; quod seculo demum septimo circiter contigisse creditur. Sic alia, quæ habemus, ejusdem Papebrochii manu exscripta* Ex Lectionario Ms. Cardinalis Mazarini, *ut sunt Urbevetanis longe verbosiora, ita iisdem, ex adscripta ipsiusmet Papebrochii posteriore censura, non paulo sunt recentiora. Utrisque præivisse putamus illa, quæ Surio præluxerunt; quod in prima Martyrum sepultura desinant. Universis autem priora videri possunt, quæ seculo* XIII *Vincentius Bellovacensis inseruit Speculo suo historiali, lib.* II, *cap. 50 et 51, quæque deinceps seculo* XV *totidem plane verbis* Mombritius *(ut est in Macrorum Hierolexico pag. 83)* ex antiquo Passionario Ms., in archivio Lateranensi conservato, descripsit, et tempore Sixti IV typis mandavit. *Sunt hæc certe cæteris multo simpliciora brevioraque; tametsi non crediderit vir quidam in hoc genere versatissimus, ante medium seculi* V *fuisse conscripta, ut refert Tillemontius Nota 7 in Persecutionem Decii. Nos, ut multo antiquiora non dicimus; ita nihil in iis offendimus, quo censeri debeant multo recentiora. Subjicientur adeo Commentario huic nostro.*

sed subinde cum in aliis tum in loco martyrii interpolata,

5 *Sed contracta sunt, inquis, ex aliis longioribus. Credam, ubi ostenderis, alia longiora non fuisse ex brevioribus hisce desumpta et instar aliorum plurium ab interpolatoribus more olim solemni dilatata et verbis et vitiis, quorum aliqua in Martyrum nostrorum Actis amplioribus observata reperies Junii tom. I, pag. 37, quæ hic non occurrunt. Illud quoque quam habet veri speciem, quod in Actis majoribus narrantur Martyres iidem et capite truncati, et sepulti, et illustres deinde patrocinio fuisse in loco,* qui dicitur Colonia, sexagesimo secundo milliario urbis Romæ. *Ubi, cedo, locus ille aut est, aut fuit? Sane nondum innotuerat, opinor, ullis Martyrologis ante seculum* VIII, *cujus initio circiter conscriptum diximus longe vetustissimum illum inter omnes, qui reperti sunt hactenus, Hieronymiani Martyrologii codicem Epternacensem: non enim in illo, ut in aliis passim recentioribus, et post interpolata Martyrum Acta descriptis,* in Colonia *cæsi notantur; sed* in Tuscia. *Imo vero quamvis ista* Colonia *seculo* IX *usque adeo invalesceret, ut annuntiationi veteri adjungendam putarit Usuardus ac posuerit:* Apud Coloniam Tusciæ; *hæc tamen additio eruditissimos Romani Martyrologii reformatores in Usuardino textu, quem adoptant in cæteris, sic offendit, ut, ea rejecta, substituerint,* In Tuscia. *Ante hos Maurolycus, Galesinius, Felicius hoc die pro* Colonia, Centumcellas *posuere. De* Colonia *quoque et* LXII *ab Urbe* Milliaribus *nihil habet Equilinus in Catalogo lib. 7, cap. 12. Displicuit ergo viris magnis et locorum in Italia peritis ista pridem* Colonia, *undecunque demum Actis olim et inde Martyrologiis irrepserit.*

quem Coloniam appellant, et ibi locant,

6 *Et quidni merito displicuerit? Cum enim exstitisse dicatur in Tuscia, cujus nemo nescit angulos olim a Romanis omnes descriptos ac suis quosque passibus dimensos fuisse, qui factum esse credi potest aut fingi, ut nunc vel oculatissimis antiquitatum scrutatoribus omnis ejus memoria prorsus evanuerit? Evanuisse dico; tametsi non ignorem esse, qui eam nuper invenisse se putent; atque imprimis auctorem illum Censuræ Viterbiensis in Dissertationem chorographicam Italiæ medii ævi, inter Italicarum rerum scriptores Mediolani vulgatam tom. X: contendit enim,* Coloniam *in Actis et Martyrologiis memoratam eumdem omnino locum esse cum oppido Tuscania, seu Tuscanella, in ditione Patrimonii S. Petri ad Martam fluvium sito et lacui Vulsino aliquanto propriore, quam Tusco seu Tyrrheno mari. Sed præter ea, quibus hunc censorem in opusculo apologetico, separatim edito Mediolani anno 1729, refellunt pag. 47 et sequentibus clarissimi Socii Palatini, objici ipsi etiam possunt Acta Martyrum*

A rum nostrorum longiora, unde absque dubio ad Usuardum et alios ista, qua de agimus, Coloniæ promanavit; ac deinde ipsius ecclesiæ Tuscaniensis, uti et Cornetanæ versus ejusdem Martæ fluminis ostia positæ traditio: Acta etenim illa Coloniam suam locant ad sexagesimum secundum ab Urbe lapidem; cum Tuscania non attingat quinquagesimum: tum eodem loco, in quo Martyres jugulati sunt, mox conditos fuisse ac subinde cultos aliquandiu significant; hoc autem cum ecclesiarum civitatumque jam dictarum traditione, ut infra videbitur, non potest consistere; quando secundum hanc Tuscania Martyrum horum corpora, non nisi diutissime post martyrium ad se translata, primum accepit.

bi non videtur unquam exstitisse: 7 *Aliam ergo Coloniam in Tuscia Socii ibidem Palatini, sed nihilo felicius, assignant ac tuentur. Aiunt, hujus nominis oppidum perantiquum exstitisse in agro Senensi apud lacum Prilem seu Castellionis: de hoc enim apud Frontinum (qui Vespasiano imperante floruit) mentionem fieri. Esto sane; tametsi parum liquet.* Illic igitur, *inquiunt,* in Colonia Tusciæ passi sunt B SS. MM. Secundianus etc., de quibus Usuardus IX Aug.: In Colonia Tusciæ etc., et quidem rectissime. *At hoc enimvero probatum solide volumus. Quo igitur argumento firmatur? Nimirum hic unicum Viri clarissimi pro se Tillemontium, hominem (cum ipsi sint Itali) externum, allegant. Verum hic tandem loco assignato et male truncato (Nota 7 ad Persecutionem Decii) quid asserit? His nempe Usuardi aliorumque vocibus,* In Colonia Tusciæ, *intelligi Coloniam jam propositam in agro Senensi. Intelligi hanc dicit: fatemur. An recte intelligatur, sive an camdem omnino Usuardus revera intellexerit, neque Tillemontius dicit, neque nos quærimus. Hoc demum hic agitur unice, utrum, qui Coloniam illam pro vera Martyrum illorum palæstra designant (sive Usuardus id faciat, sive alii quicunque,) eam recte et ex vero designent. Hoc autem ipsum tantum abest ut affirmet uspiam Tillemontius, ut eodem illo loco duobus argumentis impugnet, quæ dissolvere ne tentat quidem. Primum ex eo petit, quod Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ non asserat,* S. Secundianum, *(nedum* C *Socios ejus) apud istam Coloniam coli, cum alias, ubi colitur, Tusciæ civitates enumeret; et ibi secundum Acta sepultum invocatumque fuisse necesse sit, ubi occubuit: alterum ex eo, quod ei (et Sociis) apud Surium (et in omnibus Actis longioribus) caput amputatum narratur milliaribus 62 ab urbe Romana: ea vero distantia sit nimis parva, quam ut congruere ulla ratione possit lacui Castellionensi (aut Coloniæ, ultra lacum illum collocatæ.) Hoccine est* adstipulari *sententiæ affirmanti? Cur igitur id a reliquo Tillemontii textu viri, quos veneror, eruditi rescindunt?*

cum hi MM. verisimilius occubuerint apud Centumcellas. 8 *Hæc certe objecta Tillemontii (ut aliud esset nihil) tam solida nobis videntur, ut interea, dum liquido confutata viderimus, neque Coloniam illam, neque locum quemvis alium 62 ab Urbe milliaribus distantem habituri simus pro Martyrum horum palæstra; sed eam potius retenturi, quam Acta simpliciora satis innuunt, non procul abfuisse Centumcellis: cum enim eo Decii jussu destinati fuerint ad Promotum, vel ad idola revocandi, vel cruciatibus gladioque subjiciendi; cum ibidem equuleos, ungulas, ignem, Promoto jubente et inspectante, sustulerint; cum ibi quoque lata in eos fuerit ab eodem sententia capitis; quid causæ fingi potest, cur inde longius a conspectu judicis exsecutio fuerit imperata, et non potius in loco civitati saltem vicino, ac supremis istic forte reorum quorumlibet capite damnatorum suppliciis auctoritate pridem publica destinato? Huic opinioni favent Acta, ut modo insinuabam antiquissima, quæ dabimus; favet ecclesia Tuscanensis in litteris communibus, nomine* Primicerii et Canonicorum ecclesiæ cathedralis Tuscanensis *perhumaniter et ultro ad nos datis anno 1731; favet cultus, apud Centumcellenses, olim, ut aiunt, quam nunc, solemnior; favet vicinorum Centumcellis oppidorum bis, ut mox indicabimus, Romæ examinata, bis confirmata traditio; favent Maurolycus, Galesinius, aliique superius memorati. Hunc vero qualemcunque locum (neque enim jam certus assignari potest) si olim ex Actis interpolatis* Coloniam, Colononiam, Coloniacum *aut* Colomatiam, *ut variant Mss., vocitatum fuisse suspicaberis, per me licebit; modo illum, ex iisdem, non procul Centumcellis removeas, neque adeo ab urbe Roma milliariis* LXII, *sed* XLII. E

AUCTORE P. B.

§ II. Translationes reliquiarum, et veneratio.

Translationum notitiam, in Mss. nostris obscuram,

M*artyrum nostrorum corpora, resectis capitibus, projecta mox in mare, ab eoque sub noctem proximam ad littus appulsa reperisse, et juxta martyrii locum tumulasse servum Dei Deodatum, Actorum exemplaria prorsus omnia referunt. Eodem loco aliquandiu sepulta mansisse, atque adeo inclaruisse miraculis, ex codicibus suis Mss. docet Surius, cum de primo illo sepulcro subdit:* Ubi illorum vigent orationes, præstante Domino nostro Jesu Christo. *De translatione earum ex illo in alium locum neque Acta simpliciora, neque auctiora Surii mentionem faciunt. Innuitur illa primum in Urbevetanis apud nos Junii tom. I, pag. 37, sed non describitur, his verbis:* Quorum orationes florent in ecclesia B. Petri Apostoli in civitate Tuscana; *tum hoc ibidem versiculo, unde auctorem colligas Tuscanensem fuisse:* F

At caro Sanctorum jacet hic veneranda virorum.

In exemplari Mazariniano, quod inter vetera Mss. amplissimum ac luculente recentissimum est, tenebris locus hic totus involvitur, dum narrat interpolator, ipsum illum Deodatum, qui Martyres sepultura donavit, cum factus esset episcopus Tuscanensis, super sanctorum corpora basilicam miræ pulchritudinis *exstruere cœpisse, quam B. Felix in eadem sede Deodato defuncto suffectus consummarit. Quid enim sibi vult episcopatus Tuscanensis post tot secula tandem detecta primum antiquitas? E quibus demum tabulis Deodatum ac Felicem episcopos, nemini antea notos, nusquam posterius agnitos, producit auctor ille? Tum* basilica miræ pulchritudinis *quam inepte condita fingitur seculo* III*? Sed enim ubi constructa tum illa fuit? In urbe; an in agro Tuscanensi; an procul inde ad 62 ab urbe Romana lapidem, ubi sepultos primum fuisse Martyres ait? Non meminit fabulator; oblitum diceres, si scisse crederes unquam. Hæc sunt interim unica monumenta, quæ de Martyrum horum Actis et reliquiis notitiam utcunque veterem nobis exhibebant olim.*

10 *Hæc*

AUCTORE P. B.

illustrarunt rogati Tuscanienses in submisso commentario,

10 *Hæc autem cum neutiquam sufficeret ad illustrandam illarum translationem, a Ferrario ad hunc diem perspicue quidem satis, sed nimis breviter notatam, ad ipsos Tuscanienses recurrendum fuit; a quibus anno 1686 munitum publica fide Commentarium, Italice scriptum, accepimus; de quo meminit Henschenius noster Junii tom. I, pag. 52. Continet is primo querelam de monumentorum loci veterum jactura penuriaque : nimirum* Tuscania, *teste Baudrantio,* urbs alias ampla et dives, sexdecies expugnata et vastata fuit. *Secundo auctores aliquot memorat, qui de Martyribus his egerunt; sed vulgo notos. Tertio, Lectiones tres exhibet proprias de nostris Martyribus, ecclesiæ Cornuetanæ concessus et approbatas Romæ, die* III *Martii * anno 1674, uti adnotatur. Quarto, eorumdem Acta, a 150 jam annis Italice versa per Fratrem Pacificum Peregrini, Viterbiensem, ex Ordine Prædicatorum. Quinto, Historiam translatorum* Secundiani, Veriani et Marcelliani *corporum a civitate Centumcellensi ad Tuscaniensem seu Tuscanensem ab eodem auctore vernacula lingua conscriptam. Sexto, notitias aliquot cum veteres tum recentes, ad eorumdem Martyrum sepulcrum, reliquias, et cultum illustranda subjectas. Septimo, notitias aliorum Sanctorum apud Tuscanienses præcipue celebrium. Ex omnibus tria nobis necessaria videntur, utpote aliunde ignota; et primum quidem Historia translationis; alterum subjunctæ notitiæ Tuscanensis ecclesiæ; tertium, Lectiones Cornuetanæ; de Lectionibus his tamen agam paulo inferius.*

* *al. Maii*

B

per historiam scriptam sec. 16

11 *Ad Historiam translationis quod attinet, cum a Pacifico Peregrini forte ex sola Tuscaniensium ac vicinorum non scripta traditione fuerit concinnata, idque vix ante sesquiseculum, satis habebimus ejus hic substantiam et adjuncta præcipua ex longiusculo exemplari Italico per Latinum compendium summa fide delibare. Eccum igitur illud : Corpora Martyrum nostrorum ab Adeodato clam primum et obscuro loco condita, quia apud Centumcellas martyrium ipsi sustinuerant, ab ejusdem oppidi civibus, cum stabilitus ibi jam floreret veri Dei cultus, intra muros recepta, ac sub aram principem honorifice translata, per annos ibi deinde septuaginta quieverunt; donec scilicet eversa postmodum per intestina bella civitate, incolisque ad oppida circumjecta dilapsis, ipsi Martyres indecorum inter media : ruinas ossium suorum situm ac neglectum indignati, pio cuidam Orchensis castri ad sextum inde lapidem archipresbytero semel, iterum, ac tertio per quietem apparuere, minaciter imperantes, ut justas adeo querelas ad episcopum Tuscaniensem sine mora deferret. Paret is demum; itaque rem persuadet antistiti suo, ut post triduum indicto jejunio consecrandum, solemnem reliquiarum translationem decernat. Oppidis propinquis consilium innotuit. Dum ergo ad præstitutum diem turmatim undequaque Centumcellas accurritur, dissidentium inter se partium tumultus exstitit non facile componendus; cum ad se quæque depositum hoc transferri oportere contenderent. Divino tandem instinctu episcopus Tuscaniensis, Quid si, inquit, fratres, litem hanc nostram Deo ipsisque Martyribus dirimendam committimus? Eruamus adeo loculum eorum, et ita ut erit, marmoreum et clausum carpento imponamus; hoc juvencis binis et jugo nondum assuetis permittatur : ubi vero substiterint illi jugumque porro detrectaverint, ibi pignora sacrosancta servantur. Placuit omnibus mirifice conditio, statimque res exsecutioni mandatur.*

C

D

a Pacifico Peregrini, Ord. Prædicatorum,

12 *Vix ad vehiculum juncta satis erant jumenta, cum recta Cornuetum versus intendere cursum; sed oppido jam proxima, vicinum ad fontem deflectunt; ubi interquievere tantisper, dum civibus advolantibus, et, quæ alio destinari jam cernerent, Martyrum corpora intueri saltem aperto sarcophago ac venerari postulantibus, fieret satis. Eminuit vero hic inter eos matronæ cujusdam venerabilis audax facinus : neque enim oculos illa tantum in arcam, sed et manum ausa protendere, digitum unum* S. Secundiani *manibus avulsum sustulit; quem subinde in excitata sumptibus suis, et Martyris nomine insignita Cornueti ecclesia publicæ venerationi, quæ perseverat hodieque, proposuit. At boves post moram non longam clausumque denuo sepulcrum ultro progressi, Tuscaniam non dubio tractu spectabant. Quanto autem ad eam propius accedebant, tanto cvarus ingravescebat magis; usque eo, ut rupes durissimæ ponderi cedentes, impressos rotarum canthos etiamnum exhibeant non procul a mœnibus oppidi, ubi ad perpetuam hujus miraculi memoriam sacellum struxere Tuscanienses, Martyrum suorum imaginibus decoratum. Processerunt juvenci tamen usque ad ecclesiam tum cathedralem S. Mariæ Majoris; ad cujus ostium in genua provoluti, salutasse quodammodo feruntur istic asservata duorum et viginti Sanctorum lipsana. Inde porro ad Civitatem (sic appellatur nobilior oppidi regio) sacram sarcinam promoventes, ante vetustum ibi tandem et exile S. Petri oratorium succubuerunt simul ambo, simul exspirarunt. Ibidem ergo depositi sub altare Martyres fuere tam effuso civium gaudio, munificentia tam prolixa, ut sacellum humile in magnificam brevi basilicam; Martyrum vero receptaculum angustum in amplissimum verterint hypogæum; et utrique demum antistitum suorum sedem affixerint. Prostant ibidem adhuc elata in fenestram oppositam atrio bovis utriusque cornua, æternum posteris monumentum.*

E

in qua et posterius miraculum narratur;

13 *Huic narrationi subdit aliam Peregrinus de miraculo Martyrum Tuscaniensi, quod quia ex pluribus unicum selegisse se dicit, hic summatim expediemus. Irruperant aliquando in Italiam ingenti numero exteri, nescio qui (ipse Britones nuncupat) et muris Tuscaniensibus jam exercitum infestum admoverant, cum intempesta nocte repentinis facibus collustrari visa sunt mœnia : in media vero luce tres hi Martyres habitu ornatuque se spectabiles præbuerunt,* Secundianus *in primis, qui et vexillum præferebat rubeum, alba cruce distinctum. Hostes, oppidanorum principem hunc esse rati, eo vim omnem impetumque convertunt; sed frustra : nam cæteris cœlesti virtute retroactis, dux barbarorum solus in murum evadens ab obsessis necatur; et rejectus ad suos eximis tantum illis terrorem attulit; ut fugam præcipitantes, insequentium Tuscanorum armis facile deleti sint. Exinde victores onusti spoliis ad Martyrum sacrarium ovanti pompa revertuntur, gratiam Sospitatoribus suis debitam rite persoluturi. Ne autem beneficii recentis memoriam ingrata posteritatis delere posset unquam oblivio,* S. Secundianus *ex eo tempore depingi cœpit in posterum cum inserto dextræ vexillo, quale tum ad urbem tutandam extulerat. Hæc, sed uberius, Peregrinus. Addunt alii, indidem fluxisse Tuscanæ civitatis insignia, crucem albam in fundo rubeo referentia. Scio equidem, non placituram eruditis opellam hanc viri, quantumvis*

F

A vis Religiosi; quia, cum vetera narret, admodum ipse recens, fontem non indicat, unde hauserit; tum quia studiose vitat ubique, quæ potissimum ad historiæ lucem fidemque pertinent; propria scilicet personarum nomina et omnes omnino temporum characteres. Sed nimirum, ut ante monebam, auctor hic solam indigenarum sectatus famam videtur, quæ adjunctorum istiusmodi negligens, nuda plerumque facta proponit ac retinet, aut certe in his unice constans esse solet et consona; sic ut in iis aliquam, in cæteris nullam prorsus faciat fidem. Nunc ad alterum caput, seu notitias, in eodem commentario subjunctas anno 1686.

et per cultum post alteram translationem, ibidem observari solitum

14 Docemur in iis 1, basilicam S. Petri, temporis, ut aiunt, et bellorum injuria contractis ea parte mœnibus, ex cathedrali tandem et urbana collegiatam esse factam ac suburbanam; quæ causa multis abhinc annis fuerit ex ea transferendi sacras Martyrum exuvias intra muros ad parochialem ecclesiam S. Laurentii; ubi nunc in proprio sacello singulorum crania cum suis quæque ossibus in tres arculas cameratas distributa serventur, et quotannis palam honorantur die VIII Augusti; qui dies istic eorum solemnitati sacer ab oppidi clero celebrari soleat Officio duplice primæ classis cum Octava; Antiphonis insuper et Hymnis propriis, quæ in libris quibusdam vetustis ac membraneis ibidem exstent adhuc in ecclesia S. Mariæ Majoris. 2, ut sacrarii prioris memoria refricetur, ad S. Petri relictum esse marmoreum loculum, in quo et Centumcellis positi, et inde ad ecclesiam illam advecti olim fuere; et ibidem coram oppidi magistratu, ministris, ac populo semel mensibus singulis Hostiam incruentam litari. 3, aliquot Martyrum eorumdem reliquias argenteo brachio inclusas, concessas esse ecclesiæ S. Jacobi Majoris, quæ modo cathedralis est: has autem ob recentia beneficia quarto quoque mense bis, concurrente clero tam seculari quam regulari, magistratu quoque ac populo, publica per oppidum supplicatione deferri ad ecclesiam S. Laurentii; et inde porro etiam (sed festo eorum anniversario tantum) ad ecclesiam S. Petri. 4 denique in ipso palatio magistratus ædiculam esse eorumdem nominibus dedicatam, ubi quotidie Missa celebretur, æque ac in eorum sacello Laurentiano. Sed redeo ad primam translationem, de qua paulo ante Peregrinum audivimus.

Traditio et possessio Tuscaniensium impugnata pro Jotro in Gallia:

15 Etenim Tuscanienses anno 1722 epistolam accepere conficto Comitis Cyriaci et sociorum nomine die X Decembris Monte Hastato datam; in qua præter alia contendit auctor, Martyrum nostrorum corpora non Centumcellis Tuscaniam; sed Roma in Gallias olim fuisse translata, ibique hodiedum veneratione magna servari in antiquo Benedictinarum parthenone Jotrensi, vulgo Jouarre, Meldensis diœceseos; ita testari Martyrologia Saussayi, Franciscanum, Saliniense, et Bisunticense (addere poterat et Martyrologium Castellani, ad quod nuper accessit Parisiense) ad mensis hujus diem IX: brevi quoque in lucem edendam esse ab Henschenii sociis scripturam, sive folium, de hac re tractantem. Quanto confidentius egisset ille, si Maldensis ecclesiæ Breviarium cognovisset anno 1640 editum, ex quo illustrissimus ac reverendissimus Dominicus Seguierius ab omnibus ecclesiis, monasteriis, collegiis et Ordinibus omnibus item clericis diœcesis suæ celebrari mandat de Martyribus hisce Officium semiduplex cum Lectionibus secundi Nocturni propriis die XII Augusti, ibique hæc inter alia recitari: Eorum corpora Roma in Gallias translata, in Jotrensi Meldensis agri cœnobio magno cum honore et cultu asservantur! De nobis, quos Henschenii Socios appellat, quid sibi velit, non satis intelligimus: neque enim scripturam ullam sive folium super hac re adversus Tuscanienses aut promisisse nos meminimus uspiam, aut unquam habuisse.

Auctore P. B.

sed Romæ in Lectionibus propriis

16 Interim Comes ille, quisquis fuit, animos Tuscaniensium ad firmandam traditionem suam ac reliquiarum possessionem accendit potius, quam terruit, nam hinc factum existimamus, ut utramque Romæ discutiendam et comprobandam obtulerint; votique tandem compotes anno 1729, die X Augusti a sacra rituum Congregatione pro clero suo universo Lectiones proprias consecuti sint, quas ex typographiæ Vaticanæ exemplo subjicimus: Die VIII Augusti. In festo SS. MM. Secundiani, Veriani, et Marcelliani, civitatis Tuscaniæ principalium patronorum, Duplex I Class. cum Octava. In secundo Nocturno. LECTIO IV. Secundianus nobilis Romanus, omnium disciplinarum scientia præditus, atque ideo principibus carus, cum, E sæviente Decii persecutione, Christianorum constantiam in tormentis sæpius conspexisset, divina præventus gratia, statuit, relictis idolis, ad Christi fidem converti. Quam deliberationem Marcelliano amico suo communicans, in eamdem ipsum sententiam traxit. Ab hoc proposito cum Verianus, communis amicus, utrumque divellere conaretur, factum est, Deo aspirante, ut idem, mutato consilio, Christi quoque amore succensus sit. Quare ad Timotheum presbyterum accedentes, ab ipso instructi et baptizati fuerunt: tum a Cornelio Pontifice confirmati, et se Christianos esse palam professi, facultates suas pauperibus erogare cœperunt.

LECTIO V. Horum igitur conversionem cum Valerianus Præfectus intellexisset, ad tribunal evocatos, placidis primum verbis a suscepta fide abducere tentavit; cumque nihil proficeret, in carcerem prius detrudi, postea ad Centumcellas in exsilium deportari mandavit, præmonito Tusciæ consulari Promoto, ut eos diis sacrificare compelleret; renuentes suppliciis et morte puniret. Quare Promotus Saturni simulacrum adorandum proposuit; sed cum illi idolum execrati, in ejus faciem conspuissent, confestim corruit in frusta comminutum. Qua de causa judex vehementer iratus, Christi Milites fustibus cædi, in F equuleo suspendi, ungulis excarnificari, facibusque ad latera admotis exuri jussit. Demum securi percussi, Martyrium consummarunt. Dum vero torquerentur, unus ex satellitibus repentina morte occubuit, alii a malignis spiritibus obsessi et atrociter vexati sunt.

bis asserta.

17 LECTIO VI. Martyrum corpora in profundum maris projecta, sed ad littus mirabiliter delata, ab Adeodato Christiano non procul a Martyrii loco sepulta, et a Centumcellensibus in ecclesiam translata fuerunt. Sed civitate funditus eversa, tandiu latuerunt, donec vicinioris ecclesiæ episcopus divino monitu ea transferre cupiens, ut exortas de sacris pignoribus possidendis inter finitimas civitates contentiones dirimeret, carpento imponi mandavit, alligatis bobus jugo nondum assuetis; qui absque ductore Cornetum versus iter arripuerunt, progressique, ad mœnia civitatis steterunt. Cumque illic Cornetana mulier brachium Secundiani venerabunda accepisset, reassumpto cursu se juvenci proripiunt, et Tuscaniam pergunt, ibique subsistunt. Tuscanienses vero in ecclesia S. Petri reliquias collocarunt *. Quæ

postea

AUCTORE P. B.

postea in parochiali S. Laurentii ecclesia tertio Idus Januarii millesimo sexcentesimo decimo octavo depositæ, ibidem magna ejusdem populi devotione venerantur; eorumque festum, ceu principalium civitatis Patronorum, die octava Augusti ex antiqua et immemorabili consuetudine celebratur. *Lectiones hæ Lectionibus Cornetanis seu Cornuetanis, Romæ anno 1674 (ut num. 10 dictum) concessis, omnino consonant usque ad interpositum asteriscum *; inde vero usque ad finem Cornetanæ sic habent:* Et Cornetani brachium Secundiani in ædem S. Joannis Chrysostomi deposuerunt, atque ibi in occulto loco diu mansit usque ad annum millesimum sexcentesimum nonum, quo repertum et magna populi frequentia in cathedralem ecclesiam translatum est. Cujus festum tanquam Patroni et Protectoris, ex antiqua et immemorabili consuetudine sexto Idus Augusti celebratur. *Obiter hic observari velim, non* digitum *tantummodo* S. Secundiani, *ut supra narrabat Peregrinus, sed et* brachium *ejus depositum apud Cornetanos dici; deinde, hoc depositum hic dici* in ædem S. Joannis Chrysostomi, B *cum Peregrinus depositum fuisse velit in ecclesiam* S. Secundiani. *An hæc ergo deinde mutavit nomen? An hic non de prima illa, sed de alia posteriori translatione ac depositione sit mentio? Præterea, festum notari non die* IX *Augusti, sed* VIII*; quod servatum hactenus a majoribus suis Tuscanenses existimant, ne die* IX*, qui Martyrum proprie natalis est, festivæ celebritati officeret Vigilia S. Laurentii.*

adversus Jotrenses et San-Farenses

18 *Cæterum non stetit hic defensio Tuscanorum; sed altero post hæc anno plura in hanc rem nobis pro se adversus Jotrenses argumenta suggesserunt, quæ longum esset hic repræsentare; quando hæc duo sufficiunt. Primum: Martyrum Jotrensium corpora, teste Saussayo et Breviario Meldensi, Roma venerunt. Non sunt igitur ea Martyrum nostrorum: nostros enim non Romæ, sed in Tuscia cæsos ac sepultos fuisse, Acta ipsorum omnia testantur, quibus favent vetustissima Martyrologia superius assignata; inde autem translatos unquam postea fuisse Romam nec veterum asseruit quisquam, nec modo asserere neoterici possunt, postquam in Lectionibus mox recitatis ipsa bis apertissime Roma reclamavit. Telum hoc usque adeo validum* C *est, ut Meldenses ac Parisini declinare illud, quam retundere maluisse videantur; et hi quidem in recentissimo Martyrologio locum, unde corpora Jotrenses acceperint, ita subticendo:* In Tuscia, natalis SS. Secundiani, Marcelliani et Veriani martyrum; quorum reliquiæ in Meldensem diœcesim allatæ, partim in Jotrensi, partim in sanctæ Faræ monasterio asservari traduntur: *illi vero in Breviario jam dicto Acta Martyrum nostrorum sic Jotrensibus accommodando, ut quæ in iis de Tuscia, de Centumcellis, de Martyrum sepultura sine dubio legerant sibi nequaquam commoda, solertius expunxerint quam fidelius; quasi quos probare non poterant Romanos, videri saltem Romanos voluerint, ut sibi credi possent.*

ulterius

19 *Secundum argumentum huc reducitur: Acta omnia Martyrum nostrorum certamen et sepulcrum in Tuscia collocant; ibidem omnia Martyrologia vetera venerationis eorum sedem assignant; alibi nulla, censendi sunt ergo in Tuscia permansisse. In Tuscia autem nullus omnino locus est, civitas nulla, quæ illorum sibi possessionem arroget, præter solam Tuscaniam (non Cornetani solo* S. Secundiani *brachio gloriantur; Clusini quod de ejusdem Patroni sui reliquiis habent in* D *ecclesia sua cathedrali, Tuscaniensium liberalitati acceptum referunt:) ibi ergo quiescere dicendi sunt, quacunque demum occasione vel tempore delati fuerint; quod addo, quia translationis annum neque traditio locorum, neque monumenta vetera certum indicant: non traditio; nam id satis liquet historia Peregrini: non etiam vetera monumenta; quia merito suspecta sunt, nec satis insuper clara, utpote ab ipsis Tuscaniensibus aliter atque aliter explicata. Duas illi nempe inscriptiones proferunt, alteram ex marmoreo et antiquo lapide qui modo in ecclesiæ cathedralis archivo servetur sic notatus:* ✠ HIC REQUIESCUNT CORPORA SS. SECUNDIANI, VIRIANI, ET MARCELLIANI MART. ANNO DOMINI CCCXXII; *alteram ex superstite lamina plumbea, in qua hæc leguntur:* ✠ ANNO DNI. CCCCCCXLVIII. INDICT. VI. CORPORA SCORUM. SE. VI. MAR. ET DOD. A DOMO SCORV. TRANSLATA SUNT IN CIVITATE TUSCANA. *Priorem inscriptionem anno 1686 Tuscaniensis ecclesia nobis exposuit de translatione Martyrum ad ecclesia Centumcellensi ad suam; at nuper, in dissertatione anni 1731, eadem in-* E *dicari volunt eorum translationem ex primo tumulo, seu loco martyrii, ad secundum intra urbem et ecclesiam Centumcellensem. Sed miramur interpretatione dignam videri potuisse viris, qui ultro fatentur, usum* annorum Domini *ante Dionysium Exiguum prorsus nullum fuisse.*

20 *Altera inscriptio quanquam ea parte tam aperte interpolata dici non debet, cum sit ætate Dionysii seculo toto recentior; obscura tamen ipsis Tuscaniensibus visa est: nam anno 1686 per eam designari scripserunt Martyrum translationem ex ecclesia S. Petri suburbana in ecclesiam S. Laurentii; at nuper aliter statuerunt; fuisse videlicet olim in eversis dudum Centumcellis ecclesiam Martyrum horum sepulcro et nomine celebrem: eam vero hic significari per* Domum Sanctorum; *adeoque sententiam epigraphes hanc esse:* Anno Domini DCXLVIII, Indictione VI, corpora sanctorum Secundiani, Viriani, Marcelliani et Deonati *(illius ut putant, qui Martyres primo sepeliit)* a Domo, *sive æde aut ecclesia propria,* Sanctorum *Centumcellensi* translata sunt in civitatem Tuscanam. *Placet quidem hæc interpretatio longe præ alia, quam omnino falsam putamus;* F *certam tamen hanc esse quis asseret? Quis* domum Sanctorum *asseverabit aliam non fuisse, quam ecclesiam Centumcellensem? Quis demonstrabit, anno 648 prostratas desertasque jacuisse Centumcellas; aut episcopo tum caruisse (qui anno sequente subscriptus legitur concilio Lateranensi;) vel si non caruit, eum istiusmodi translationi non intercessisse? Ut ut est, Possessio Tuscaniensium, quandocunque sit adita, certo antiqua reputari debet; quandoquidem expressis verbis adstruitur in Martyrum nostrorum Actis Mss. Urbevetanis, de quibus egimus num. 9, et Romanis bibliothecæ archigymnasii Sapientiæ, e quibus hæc nuper accepimus:* Quorum orationes florent in ecclesia B. Petri in civitate Tuscanensi, ubi sunt et corpora. *Hæc autem Acta licet interpolata, vetusta tamen esse, ex eo collegimus maxime, quod Usuardo aliisque Martyrologis a seculo saltem nono præluxerint: inde enim locum martyrii* Coloniam *appellare didicerunt, cum in Actis antiquioribus nomen omnino nullum exprimatur. Hæc profecto omnia nisi ad possessionem Tuscaniæ vindicandam abunde sufficiunt eorum adversariis, proferant hi sane pro se meliora, quam huc usque protule-*

confirmatur.

A *protulerint; alioqui Martyrum nostrorum iis nomina concedemus, non corpora; et corpora quidem vera Martyrum, sed non illorum, quorum exstant jam olim Acta, et apud Martyrologos hoc die memoria.*

ACTA

Auctore anonymo, ex editione Mombritii tom. II, fol. 263.

Secundianus spectata Martyrum fortitudine motus, a

Sub Decio Secundianus togatus *a* una cum Veriano præfecturam agens, in Christianos sæviebat. Qui Secundianus tandem secum tacitus cogitare cœpit, cur Christiani tanto amore flagrantes, mallent pro Christi nomine duriter mori, quam delicate vivere, et blandis persuasionibus principum assentire. Cumque esset eloquentissimus, et omnium B scientiarum seculi peritissimus, Marcellianum, qui et ipse sapientissimus erat et Christianorum persecutor, domum suam invitavit, et cum eo de variis artium sermonibus disputavit. Tandem ad artem grammaticam sermonem retorquentes, ad locum Virgilii veniunt; ubi de interpretatione seculi novi loquentes, velut apparente Domino in carne renovatus est mundus, ita tempore Octaviani, ad cujus laudem suos describit libros, dicit, aurea secula hoc modo nasci :

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna :
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

ad Christum convertitur cum Marcelliano et Veriano.

2 Cumque sollicite perquirerent, de quo Virgilius hoc dixisset, cœpit Secundianus loqui de Christianis, qui tanto flagrabant amore, ut pro nomine Christi mallent mori, quam idola adorare. Aiunt enim, inquit, resurrectionem et judicium fore post mortem, illamque vitam, quam post istam caducam expectant, futuram perpetuam et immortalem; ubi nullus dolor et gemitus, sed pax et perenne C gaudium. Idola vero, quæ nos adoramus, Deus eorum omnino abominatur Christus. Super his Marcellianus admirans ait : Quid est Christus? At ille respondit : Christus dicitur unctus. Numquid non legisti, quid ejus historiographi dicant; eum scilicet mortuos suscitasse, leprosos mundasse, cæcum natum illuminasse? His ejus signus Christiani fidem dantes, pro ejus ardenti amore coronari desiderant. Unde et ego credo, quod ipse est Deus et Dei filius, qui crucifixus et mortuus et post triduum resuscitatus in cœlum ascendit. Quando enim aut a quo auditum est deos nostros talia fecisse; quos scimus semper sordidissime ac turpiter vixisse? His et aliis ejus verbis consensit Marcellianus; tertius quoque, qui nomine Verianus. Hos tres itaque Timotheus nomine presbyter accersitus baptizavit. Sanctus vero Papa Sixtus eosdem consignavit.

Ex Mombritio.

Eam ob causam jussu Decii

3 Post hæc Secundianus a Valeriano Præfecto requisitus, introivit ad eum; et subito immutatus est vultus ejus, tanquam vultus Angeli. Valerianus ob tanti luminis fulgorem stupefactus, ipsum interrogatum, et in christianitatis proposito permanentem, jussit in custodiam retrudi. Qui cum comprehensus duceretur a militibus, Marcellianus et Verianus clamabant : Ut quid innocentem in custodiam retruditis? Si pro confessione Christi nominis hoc a vobis patitur, et nos Christiani sumus, qui eum pro amore Christi ad palmam martyrii sequimur. Tunc iratus Valerianus, eos cum illo simul in custodia mancipari jussit; et Cæsari Secundianum christianum effectum nunciavit. Quod ille vix credens, eum ad se deduci præcipit, et ait : O Secundiane, cur immutatus est vultus tuus? Qui respondit : Clarior et hilarior E est nunc vultus meus solito, quia jam in conspectu regis æterni contemplatione mentis assisto, qui me de tenebris ad lucem perduxit suæ visionis.

Centumcellas abducti, martyrio coronantur.

4 Denique, jussu Decii, Viri sancti ducti sunt Centumcellas, et traditi Quarto Promoto consulari Tusciæ. Qui cum eos juberet sacrificari, et nollent acquiescere; jussi sunt exspoliari, et fustibus cædi. Deinde illis in simulacrum expuentibus, subito cecidit, et confractum est. Tunc Promotus jussit eos in equuleo suspendi, et latera eorum ungulis caprarum radi. Illis autem inter hæc Deo gratias agentibus et orantibus, Promotus jussit ad eorum latera flammas adhiberi. Cumque diu affarentur, repente unus ex ministris, qui cæteris acrius ad pœnam inferendam insistebat, mortuus est. Cæteri vero a dæmonibus arrepti clamare cœperunt : O Sancti Dei, ut quid nos vestris torquetis orationibus! Nam hæc eadem tormenta, quæ vobis injuste inferimus, nos irremediabiliter cruciant; vobis autem nihil mali præstant. Videns hoc Promotus, jussit Sanctos Dei capite truncari, et eorum corpora in mare præcipitari. Quæ tamen Dei providentia de profundo ad littus applicuit, et ea servus Dei Deodatus nocte colligens F sepelivit secus locum, ubi decollati fuerant, quinque * Idus Augusti.

* *al.* quinto

ANNOTATA.

a *Cum nihil in Actis his occurrat, quod explicatum non fuerit in Actis amplioribus ad diem primam Junii pag. 37, ne actum agamus istuc lectorem remittimus.*

A

DE S. ROMANO MILITE MART.

ROMÆ

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus ex Fastis, Acta, Sanctus cum alio confusus, publica veneratio, corpus.

ANNO CCLVIII. *Annuntiationes e Fastis sacris,*

Martyr *hic, cum ex Actis S. Laurentii, tum aliunde notissimus, ita simpliciter signatur in Hieronymianis a Florentinio editis, hac die :* Natalis sancti Romani. *Romanum parvum addit locum ac munus :* Romæ, Romani militis. *Plura Ado :* Eodem die *(nono Augusti)* Romæ, sancti Romani B militis, qui in confessione S. Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari : et mox jubente Decio, cum fustibus exhibitus ac decollatus est. *Adonem transcribit Usuardus. Similia memorant Rabanus et Notkerus. Hagiologus metricus Wandelbertus ita de eo canit :*

Romanus quinis martyr milesque refulget.

Romanum Martyrologium, quo hodiedum utimur, fere consonat Adoni, dum hæc refert : Romæ sancti Romani militis, qui concessione beati Laurentii compunctus petiit ab eo baptizari : et mox exhibitus, ac fustibus cæsus, ad ultimum decollatus est. *Ubi Decius non comparet, et recte; sicut mox in loco dicam.*

Acta in quo corrigenda.

2 *Acta ejus una cum plurium sanctorum aliorum Martyrum gestis leguntur immixta Actis S. Laurentii apud Surium; e quibus infra delibabimus de Pugile nostro fragmentum. Pro Decio, sub quo perperam dicitur Sanctus martyrum consummasse, substitui debet Valerianus imperator ex dictis ad diem 6 hujus mensis in Commentario S. Sixti PP. II Actis prævio § 7 num. 69, ac porro dicendis in Commentario S. Laurentii die 10 ejusdem mensis § 4, num. 36. Unde consequens, ut* S. Romani *certamen eidem* C *anno, quo duorum istorum Martyrum triumphus, innectendum sit, æræ nimirum vulgaris 258, secundum ea, quæ mox narrabit allatum fragmentum de baptismo ejus.*

Piazza hunc Martyrem memorans

3 *Carolus Bartholomæus Piazza suo Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis hodierna die intexit* S. Romanum militem, *uti et compendium parvum martyrii ejus; sed perperam addit, sancti Pugilis matrem, Christianæ fortitudinis mulierem, hoc gavisam omnino fuisse, ac cantasse Psalmum* Credidi; *de qua Prudentius, in venerabilem raptus stuporem, circa illud factum heroicum cecinerit :*

... Deinde ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis Davidici
Pretiosa Sancti mors sub aspectu Dei.

Quem etiam auctorem, constantiam admiratum sancti Martyris, ex equulei catasta intrepide populo prædicantis, subjunxisse Piazza affirmat :

Audite cuncti; clamo longe ad prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

hallucinationem non unam committit.

4 *Sed hemerologus ille hallucinationem non unam committit. Nam Prudentius in hymno, qui apud me est decimus* Περὶ Στεφάνων, *sive de* Coronis *et e quo versus isti sunt excerpti, agit de* S. Romano, *martyre* Antiocheno, *qui toto cælo a nostro homonymo Milite diversus est. Ruinartius inter Acta Martyrum sincera et selecta, ex Eusebii Cæsariensis lib. 2 de Resurrectione etc., (quem librum Sirmondus vulgavit, et qui inter Opera varia ab eo collecta habetur tom. I a col. 39 editionis Venetæ anni 1728) Ruinartius, inquam, ejus gesta inde narrat a pag: 379 editionis Parisiensis, signato Christi anno* CCCIII. E *Martyrium vero Parvuli, cum S. Romano passi ex hymno Prudentii refert a pag. 382. De utroque Martyrologium Romanum die* XVIII *Novembris his verbis in compendium a me contractis :* Antiochiæ natalis S. Romani martyris, qui tempore Galerii imperatoris.. celebri martyrio coronatur. Passus etiam est ante ipsum puerulus, nomine Barula, qui.. cum in unum Deum, quem Christiani colunt, credendum esse respondisset, verberibus cæsus, jussus est decollari. *Prædicto itaque die Romanus ille dabitur a posteris nostris, ac tum examinari poterit, unusne ille, an duo synonymi : de qua re interim consuli possunt notationes Martyrologii Romani, ac Ruinartii admonitio pag. 379. In alterum insuper errorem satis crassum impegit Piazza, quando verba matris laudati Pueruli, quibus hunc illa compellat apud Prudentium, inepte attribuit hodierni* Romani *militis ac martyris matri. De hac certe nihil in fragmento, quod infra dabimus, Actorum. Res vero ista evidens est, si quis inspiciat Prudentii hymnum. Sic enim ibi ille, et valde pathetice :*

Puerum poposcit carnifex, mater dedit : F
Nec immorata est fletibus : tantum osculum
Impressit unum : Vale, vale dulcissime.
Et cum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris, ait, patrone exsilio.
Dixit : deinde dum ferit cerviculam
Percussor *etc.*

Veneratio publica, ac reliquiæ.

5 *At nunc dispiciamus, quænam sint notanda circa publicam nostri Pugilis venerationem, et reliquias. Prædictus Piazza affirmat,* S. Romani *nostri festum celebrari variis locis Romæ : nimirum ad S. Laurentii extra muros, ubi vas etiam esse memorat, quod exponitur, et in quo ille simul cum multis aliis baptizatus fuerit a S. Laurentio; ibidem vicinam item extitisse olim ecclesiam antiquissimam, a primis Christianis in ipsius honorem dedicatam in loco, quo sacrum ejus corpus fuerit sepultum : Ad S. Laurentium in Fonte in Montibus; ubi fons, ad ipsius baptismum adhibitus, atque idem locus, in quo eumdem accepit : Ad S. Catharinam de Funariis, ubi pars corporis ejus, ac pars ad S. Laurentii in Lucina, uti et reliquiæ ad S. Annam de Funariis. Hæc ille; quæ auctoris fidei relinquo. Tamayus postquam hoc die sanctum Militem hunc suo Martyrologio*

A *tyrologio Hispanico intexuisset, utpote qui* ad fidem conversus beatum Levitam Hispanum spiritualem habuit parentem, *addit satis liberaliter :* Totius Hispaniæ in se cultus interiora convertit. *De templis Toleti, et alibi agit in notis ibidem. Annuam Sancti commemorationem Ecclesia Catholica sacris suis ministris hac die præscribit in Breviario Romano, uti notum est. Sed quid de loco, quo sacrum ejus quiescere fertur corpus, Lucensibus ac Ferrariensibus illud sibi vendicantibus?*

Lucenses Sancti corpus

6 *A Lucensibus stat Florentinius in notis ad* IX *Augusti, ubi hæc scribit :* Hujus sancti Romani corpus ab antiquissimo tempore Lucæ in Thuscia veneratur, insigni ejus nomini dicato templo, et in majori ara deposito. Romanum hunc, nunc Romanum vocat Galesinius, et sub Juliano coronari Romæ meruisse narrat ex libro scripto, Annalibus Hartimani monachi, et tabulis ecclesiæ Lucensis : ad quam urbem postea delatum esse, in Martyrologio affirmat. Ex quibus tabulis hoc acceperit, me fateor ignorare. Hoc unum scio, ut in diptychis B ecclesiæ Lucensis, Deo favente, ostendemus, ab immemorabili tempore, et ante octingentos annos Romanum militem, S. Laurentii prævium in passione socium, in urbe illa, et propria ecclesia veneratum. Plures sub Romani nomine fuisse martyres qui Romæ agonem perfecerint, fatemur, et pluribus in locis etiam eumdem sanctum Militem veneratum, sive ex reliquiarum parte aliqua, sive nominis similitudine, scimus.... Sed non alius Lucæ præter jam dictum, ab antiquissimo tempore veneratur.

sibi vendicant;

7 *Cæsar Franciottus in Historia miraculosarum imaginum etc. pag. 47 et seqq. agit de Sancto nostro, et de præsenti argumento hæc memorat : duas nimirum esse opiniones circa Pontificem, qui corpus illud Lucensibus dederit, aliis Eutychiano Papæ, Felici hujus nominis primo donum illud aliis attribuentibus : deinde pro eodem sacro pignore nominat Supplementum Chronicarum lib. 8; quod consuli a lectore potest pag. 170 editionis Brixiensis. Denique memoriam, uti vocat, antiquam translationis hanc affert :* Hic est corpus S. Romani martyris, baptizati a B. Laurentio, et fuit translatum de ecclesia veteri ad ecclesiam istam novam per episcopum Lucanum A. D. MCCLXXXI Kal. Novemb. *Apud Ughellum Italiæ sa-* C *cræ tom. I col. 884 inter episcopos Lucenses signatur* Fr. Petrus Angelelius Lucen. Ord. Præd... Paganello suffectus... anno MCCLXXII ; *cui substituitur* Paganellus hujus nominis secundus... electus MCCLXXV... Decessit MCCC. *Quæ non cohærent cum iis, quæ habet Franciottus, qui istam translationem a laudato Petro Angelellio factam tradit anno 1281. Quidquid autem sit de possessione sacri istius depositi, quod sub nomine* S. Romani *martyris, qui hac die colitur, penes se esse volunt Lucenses ; liceat nobis desiderare pro illa re antiquiora testimonia.*

quod etiam Ferrarienses

8 *Marcus Antonius Guarini in Compendio historico ecclesiarum etc. civitatis ac diœcesis Ferrariensis lib. 4, pag. 197, de S. Romano Ferrariensium hæc memorat, quæ sic Latine reddimus :* In illa *(ecclesia nimirum S. Romani)* magna cum veneratione asservatur corpus S. Romani M., quod olim ab Innocentio II donatum fuit Cardinali Griffoni tituli S. Pudentianæ, ac episcopo Ferrariensi *(anno* MCXLIII) qui illud ibidem deposuit in marmoreo sepulcro in capsa plumbea (postquam id antea populo ostendisset) cui etiam laminam adjunxit item plumbeam, incisa ei sequente inscriptione : HIC REQUIESCIT CORPUS SANCTI ROMANI MARTYRIS, QUOD EST INTER DUAS LAUROS IN VIA LABICANA, MILLIARIO AB URBE TERTIO. Hoc sanctum corpus populo etiam fuit ostensum a B. Alberto Pandoni Brixiensi, episcopo Ferrariensi (*anno* MCCLX) sicut etiam fecit Petrus Boiardi, rogatu marchionis Nicolai III, reservato foris capite ; quod postea ex pia dicti Marchionis affectione repositum fuit in magna lipsanotheca argentea. Ad contemplationem ducis Herculis I, publice pariter exhibitum fuit, dum Joannes Borgia Cardinalis S. Susannæ cathedræ Ferrariensi præesset *(anno* MCDXCVI) instituta ad hunc finem magnifica et bene ordinata supplicatione : in qua canonici ecclesiæ cathedralis capsam, ubi ea jacebat ; Dux vero, D. Sigismundus ipsius frater, D. Alfonsus dicti Ducis primogenitus, D. Franciscus Gonzaga, aliique magni domini portavere umbellam. Quo facto, collocatum fuit supra aram majorem in marmoreo deposito, quatuor columnis sustentato : ubi permansit usque ad XXIX Augusti : quo tempore contigit, ut collocaretur in sacello ad dexteram in egressu chori (*anno* MDLXXIV). E

AUCTORE J. P.

apud se depositum

9 Sed postea ab iis, qui operam navant telis sericis, ac mercibus minutis (*ita reddimus Italicum* drappieri *ac* merciari) altari majore toto fabricato e marmore, dictoque sacello picturis, quæ dicti Sancti martyrium repræsentabant manu Sebastiani de' Filippi, nec non aliis ornamentis instructo, a Joanne Fontana episcopo nostro, solemni cum supplicatione, gyrando per forum, translatum in illud fuit die III Maii (*anno* MDCVII) Inventioni Crucis sacro : ubi majore cum dignitate custoditur. *Hæc Guarinus, appositis ad marginem iis annorum notis, quas nos narrationi ejus intexuimus. Apud Ciaconium in Vitis Pontificum Romanorum et Cardinalium tom. I col. 994 in prædicto Griffone leguntur ista :* Cui cum Innocentius II S. Romani corpus dono dedisset, illud Ferrariam detulit, et condidit sub marmoreo sepulcro in templo eidem Sancto consecrato. *Hæc ibi brevissime.*

credunt.

10 *Tametsi autem supra diserte non exprimatur, quod Romanus M., quem venerantur Ferrarienses, sit hodiernus synonymus Miles ; in Ms. tamen nostro quod continet fragmentum Italicum, superius e Guarino a nobis Latine redditum, ac* F *nomine nostri Andreæ Lazari subnotatum, alia nonnulla adscribuntur, e quibus perspicuum est, quod Ferrarienses non alium sibi attribuant Romanum, quam hodiernum. Nam indidem habetur, mercatores vel artifices telarum sericarum, ac minutarum mercium, eum ab antiquo sibi protectorem adlegisse ; et quamvis non sit communis patronus urbis, urbem tamen totam die* IX *Augusti, qua mortis ejus memoria recurrit, festam ipsius lucem celebrare ; tali die ex antiqua consuetudine eum, qui artium supradictarum principem locum tenet (vulgo* in massaro dell' arte) *solere distribuere aliis mercatoribus quasdam quasi placentas formæ rotundæ (vulgo* foccacine *dictas) quæ ex farina, melle, saccharo, ac aromatibus constent : quibusque impressus cernitur* S. Romanus *equo insidens, et militari habitu indutus, litteris majusculis hac circum obeunte inscriptione :* S. ROMANUS PROTECTOR NOSTER. *At sicut per nos non stabit, quo minus pergant Ferrarienses isti in pia sua persuasione, ita probare ipsis incumbit, corpus illud, quod possident, esse hujus Martyris, et non alterius e catacumbis Romanis extracti ; ideo præsertim, quia in supra*

relata

AUCTORE J. P.

relata inscriptione apud Guarinum, dicebatur corpus S. Romani martyris, quod est inter duas lauros in via Labicana; *hodiernus vero* Romanus *M. ac miles in mox dando Martyrio dicitur sepultus* in agro Verano *(qui est ad viam Tiburtinam) in cœmetterio B. Cyriacæ, ut videre est apud Aringhum tom. II Romæ subterraneæ lib. 4, cap. 16. Deinde cum eadem inscriptio, de qua modo, signet* corpus S. Romani martyris *sine titulo* militis; *cur et unde Ferrarienses S. Romanum suum cum ista titulo venerantur?*

Factum aliquod singulare in Gallia erga sanctum Martyrem.

11 *Superest parva aliqua, sed singularis notitia circa rem, quæ in honorem* S. Romani *martyris in loco quodam Galliæ observatur. Claudius Castellanus in litteris ex* Montaumer *apud Crisciacum Brigensium (vulgo* Crécy en Brie) *die* XXII *Octobris anno 1685 ad Papebrochium nostrum datis, testatur, in loco, cui nomen* la Ferté-Gaucher (Firmitas Galtherii in Meldis *dicitur apud Adrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 194)* comedi carnes in pervigilio S. Laurentii, ac jejunari VII Augusti, idque *ab immemorabili tempore; quia* parœcialis ecclesia *titulo S. Romani martyris insignita sit.*

B

MARTYRIUM

Ex Actis S. Laurentii apud Surium ad diem x *Augusti.*

Eadem hora *(qua S. Laurentius inter tormenta Deum orabat)* unus ex militibus, Romanus nomine, credidit Domino Jesu Christo, verbis beati Laurentii permotus: dixitque ad illum: Video ante te hominem pulcherrimum stantem cum linteo, et extergentem membra tua. Quamobrem adjuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas. Tum Decius *a* furore et dolore percitus ait ad Valerianum: Arte magica victi sumus; jussitque beatum Laurentium solvi a catasta et elevari. Porro Romanus urceum afferens cum aqua, opportunitatem captabat, qua eum offerret beato Laurentio. Cœpit autem animo æstuare Decius, et præcepit beatum Laurentium reddi Hippolyto tantum in palatio. Tum Romanus accessit, et aquam offerens, misit se ad pedes B. Laurentii; rogavitque cum lacrymis, ut baptizaretur. Et acceptam aquam benedixit, et baptizavit eum. Decius id audiens voluit, ut cum fustibus ipsi exhiberetur Romanus. Qui ubi in Decii conspectum venit, etiam non interrogatus, clamavit magna voce: Christianus sum: et, jubente Decio, eadem hora capitalem excepit sententiam. *Ductusque extra portæ Salariæ muros, decollatus est* v *Idus Augusti. Venit autem Justinus b presbyter noctu, collec*tumque corpus ejus sepelivit in crypta in agro Verano.

D a b E

ANNOTATA.

a *Res gesta sub Valeriano imperatore. Vide Commentarium prævium num. 2.*

b *De eo Martyrologium Romanum ad diem 17 Septembris.*

DE S. NUMIDICO & PLURIBUS ALIIS

MARTYRIBUS AFRICANIS

J. B. S.

Ex S. Cypriani ep. 35 al. 40.

Sec. III. In fastis antiquis præteritus

C

Hic *celebrem presbyterum* S. Numidicum *a S. Cypriano laudatum in Martyrum classe collocamus, non solum confessorem fidei, sed ut Martyrem et vere martyrium passum, tametsi in glorioso certamine vitam non posuerit, quemadmodum ex S. Cypriani epistola mox demonstrabitur, ex qua sola nimirum repetenda sunt quæ de tota hac classe dici possunt. Quod numero fuerint sancti illi Athletæ nusquam exprimitur, neque de loco passionis constat, neque de tyranno sub quo ipsam consummaverint, S. Cypriano nullum appellante, quamvis ex rerum ordine satis pateat, indicari potius persecutionem Decii quam Valeriani, vel ipso teste Baronio in Annalibus, quidquid hujus nomen Martyrologio* Romano *inseruerit, a quo nempe sacris Fastis sub hac formula adscripti sunt:* In Africa, commemoratio plurimorum SS. Martyrum qui in persecutione Valeriani, hortante eos S. Numidico in ignem conjecti, martyrii palmam adepti sunt. Ipse autem Numidicus, licet cum aliis in rogum injectus, et lapidibus obrutus fuisset, a filia tamen effossus, et semivivus repertus curatus est, ac postea ob ejus virtutem, in ecclesiæ Carthaginiensis presbyterum a beato Cypriano meruit cooptari.

laudatorem nactus est

F

2 *Antiquis omnibus seu classicis Martyrologiis, quin et auctioribus Usuardis ignotos fuisse ex nostra editione facile intelliges, ut solus Molanus primus fuisse videatur qui inter secundaria sua auctaria de ipsis hoc modo meminerit:* Natale sanctorum Numidici presbyteri et martyris cum aliis multis de quibus Cyprianus in epistola ad diaconos, presbyteros et plebem Carthaginiensem. *Hunc crediderim Galesinio præluxisse dum hoc etiam die ita scripsit:* In Africa, S. Numidici presbyteri et aliorum multorum Martyrum, quos beatus Cyprianus martyr in epistola ad ecclesiam Carthaginiensem scripta laudat. *Hunc saltem vidisse Baronium existimo, tametsi in notis suis neminem citet præter S. Cyprianum his verbis:* Horum egregia certamina, invicto animo suscepta et consummata, Numidico fortissimo agonotheta hortante, scribit S. Cyprianus epist. 35, qui et de Numidico iterum epist. 40 edit. Pamelii. *En modo ipsam illam S. Cypriani epistolam.*

S. Cyprianum.

3 *Sequimur Pamelii editionem, cui hoc argumentum, inferius examinandum proponit.* Nuntiat, *inquit*, clero et plebi, Numidicum a se ordinatum presbyterum, paucis dignitatem illius commendans. *Titulus est:* Cyprianus presbyteris

et

A et diaconibus et plebi universæ, carissimis ac desideratissimis fratribus salutem. *Incipit :* Nunciandum vobis fuit, fratres carissimi, quod pertineat ad communem lætitiam, et ad ecclesiæ nostræ maximum gloriam. Nam admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginiensium numero, et nobiscum sedeat in clero, luce clarissima confessionis illustris, et virtutis ac fidei honore sublimis, qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit : quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris (vel conservatam magis dixerim) lætus aspexit.

ex quo patet martyrium.

4 Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus, et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquireret, semianimis inventus, et extractus, et refocillatus, a comitibus, quos ipse præmiserat, remansit invitus. Sed remanendi, ut videmus, hæc fuit causa, ut eum clero nostro Dominus adjungeret, et desolatam, per lapsum quorumdam, presbyterii nostri copiam gloriosis sacerdotibus adornaret.
B Et promovebitur quidem, cum Deus permiserit, ad ampliorem locum religionis suæ, quando in præsentiam protegente Domino venerimus. Interim quod ostenditur, fiat, ut cum gratiarum actione suscipiamus hoc Dei munus, sperantes de misericordia Domini ejusmodi ornamenta complura, ut redintegrato Ecclesiæ suæ robore, tam mites et humiles faciat in consessus nostri honore florere. Opto, vos, fratres carissimi ac desideratissimi, semper bene valere.

AUCTORE J. B. S.

An et ab ipso presbyter ordinatus?

5 *Porro ecclesiæ Carthaginiensis clero adscriptum fuisse* S. Numidicum *patet ex epistola 38 ejusdem Pamelianæ editionis, cujus hic est titulus :* Cyprianus Caldoino et Herculano collegis, item Rogatiano et Numidico compresbyteris salutem. *Eumdem denuo Rogatiano conjungit sequenti epistola 39 : utrumque vero impensius laudat epistola 40, eos asserens*, presbyteros confessores, et gloria divinæ dignationis illustres. *Unum est quod in recitata superius epistola adversus Pamelium controvertitur, utrum nempe ex ea satis eruatur, quod hic in præfixo argumento ait*, nuntiare Cyprianum clero et plebi, Numidicum a se ordinatum presbyterum. *Ad quæ verba Baronius in Annalibus ad annum Christi 253 num. 95 ita accurate observat :* At non hunc *(Numidicum)* modo a Cypriano ordinatum putamus esse presbyterum (quod alii tradunt) sed cum jam alterius cujuspiam ecclesiæ presbyter esset, tam præclaro exantlato martyrio, eo honore Cyprianus ipsum esse dignum existimarit, ut
E in primaria totius Africæ ecclesia Carthaginiensi presbyterio fungeretur. Suadent enim id illa verba, ut Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginiensium numero. At de nova ordinatione ipsius ne verbum quidem. *Atque hæc a Baronio recte observata, satis sit hic annotasse.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS IN ORIENTE

CRESCENTIANO, LARGO, TIBERIO, AMIO, TIBERIANO, THEODOTO, NOMEDIANO, LAUDACO, JULIANO, POLYCARPO, PRIMO, XISTO, AGATOPO CUM ALIIS NUMERO XI, FELICISSIMO, CARPOFORO, ZEMARAGDO & ALIIS X.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

IX AUG.

C *Classem Martyrum hic expressam in Oriente collocandam suadent codices Hieronymiani, hoc die, si usquam, perturbati. Frustra quærit Florentinius in qua potissimum Orientis parte coronam martyrii consecuti sint. Cum iis confusi* Firmus et Rusticus *Veronensibus infra vindicantur. Notkerus nullum nominavit, satis habens, paucis enuntiare :* In Oriente, passio multorum Martyrum. *Rabanus de ipsis non meminit. Præcipua confusio occurrit*
F *in vetustissimo Epternacensi, dum ex nominibus propriis urbes fingit aut positiones, Tuscos Martyres cum hisce Orientalibus connectens, classesque mire implicans, quas accommode distinguere nemo facile possit, ut adeo præferendum censuerimus textum codicis Corbeiensis, ex Florentiniano nonnihil correctum, nempe alterum* Tiberianum, *ibi bis positum in* Tiberium *commutando, et ubi in fine novemdecim ponit, solos decem cum aliis codicibus asserendo.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

ONION, TIBURTINO, VALERIANO, DIONYSIO, FELICE EUTICIANO, GAGIO, MELCIADE, STEPHANO, URBANO, LUCIO, MAMORIO, SASTIRO, MIMIDO, LADICO, JULIANO POLYCARPO, MAGNO & SILVANO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

IX AUG.

Neque hic Martyrum manipulus præcedenti multo purior est. Ab omnibus præfigitur Antoninus *de quo cum seorsim ex Fastis Græcis actum sit, hic repetendus non fuit. Variant non nihil in nominibus codicum textus, præsertim Epternacensis. Purior hic etiam visus est Corbeiensis, ex quo proinde nomina descripsimus, plura numero quam alii laterculi referunt. Ad varios nomina efformandi modos quod attinet, frustra sane in iis componendis laboraveris. Contorti sunt maxime in jam dicto vetustissimo Epternacensi; paulo nitiodiora dedit Florentinius, nos hic Corbeiensem ad litteram secuti sumus. Ex Hieronymianis conctractis non nisi novæ tenebræ hoc die affunduntur.*

B E

DE S. MARTINO BREVIENSI MART.

IN LEMOVICIS GALLIÆ

SYNOPSIS

J. B. S.

De cultu, loco ejusque traditionibus.

IX AUG. *Signatus est in Hieronymianis.*

Inter plures Martinos Sanctos hic primus, ni fallor, ætate, at solo nomine notus, ex apposito Brivensis *a cæteris distinguitur. Martyrem fuisse, cultumque ejus vetustissimum, abunde probant codices Hieronymiani, ut qui in ipso Florentinii textu ultimo loco diserte, quamvis corrupte annuntiatur:* In Urbe Lemovis, S. Martini Brivinsis. *Paulo distinctius in codice Corbeiensi:* Urbe Lemovicas S. Martini Brivatensis. *Adde Hagiologium Franco-Galliæ* C *Labbei pro cultu etiam antiquum ferens testimonium :* In urbe Lemovis S. Martini Brivensis. *Recta est annuntiatio in Usuardino Burdegalensi:* Apud Brivam, sancti Martini Martyris. *Ipsum etiam, tametsi a Saussayo præteritum, Catalogo suo generali inseruit Ferrarius. Cæteris clarior Castellanus, locum paulo distinctius determinans, ipsum adscribit Brivæ Curretiæ (Gall.* Brive la gaillarde) *quæ a Baudrantio paulo pluribus describitur, nitidius a Valesio in Notitia Galliarum. Atque hæc cultum stabiliunt, quibus accedat brevissimum elogium apud Bernardum Guidonis ex Bibliothecæ Labbeanæ tomo I, pag. 632 :* S. Martinus Martyr Brivensem villam decorat, cujus fama signorum, usque ad aures Valeriani * imperatoris pervenit. Cujus gesta habentur. *Ita ille, præclare sane de Sancto meriturus, si ipsa adjecisset. Verum est quod subsequitur; Festum ejus recoli* v Idus Augusti.

* *forte* Valentiniani

Locum describit Valesius.

2 *Juverit tantisper audire Valesium ipsum, locum accurate explicantem sub titulo* Brivæ Curretiæ : Vicus erat in finibus Lemovicum, regnantibus Chlodovei magni nepotibus ac pronepotibus, nunc municipii instar se ferens, a ponte flumini Curretiæ imposito BRIVA CURRETIA Gallice, hoc est pons ad Curretiam cognominatus : cujus in basilica B. Martinum, Martini Turonici episcopi discipulum sepultum esse affirmant incolæ, et ob præsens auxilium sæpe expertum summopere venerantur. Vulgo BRIVE LA GAILLARDE, hoc est Briva hilaris nuncupatur. *Quod hic hodiernus S.* Martinus, *forte ob nominis synonymiam* Martini Turonici discipulus *fuisse dicatur, nemo facile composuerit cum jam asserta ætate Valeriani, ubi verosimiliter indicatur Valentinianus, ut qui se Sancto commendasse perhibetur. Neque* F *vero discipulatum istum suggessit loci traditio, quam nobiscum communicare dignatus est sæpe laudatus in Opere adjutor noster Cl. D. le Bœuf ecclesiæ Autissiodorensis canonicus et succentor, a quo sequentia summatim accepimus.*

3 *Narrant, inquit, Brivenses, intellige ex receptis ibi traditionibus,* S. Martinum *suum dici Hispanum origine, illustri, imo principe familia ortum, inter medias gentilis aulæ corruptelas fidem Christianam constantissime tenuisse, at subinde periculosas tentationes veritum, deserta occulte patria, varias suscepisse peregrinationes, quas in Italiam usque extendunt : pervenisse tandem in pagum Petragoricum, ubi se receperit in locum Savignac dictum, ibique contracta cum sancto aliquo presbytero, Laurentio nomine, singulari amicitia, cum eo Brivam progressus sit, fidei propagandæ gratia, quam dum magno zelo annuntiat, adversus idololatras acriter insurgens, ab irritato gentili populo lapidibus obrutus, et ab eorum aliquo capite minutus, ac demum a socio Laurentio decenti sepultura donatus sit. Hæc qua demum ratione cum S. Martini Turonensis temporibus aut gestis, de quibus supra, conciliari*

De Sancti origine quid Brivenses sentiant,

A *liari possint, prorsus non intelligo.*

et quanta ipsum veneratione prosequantur.

4 *Quæ præterea ad cultum spectant ita enumerat : Sancti Patroni sacrum corpus, in nominis sui ecclesia collegiata hodiedum asservari prædicant Brivenses : cranium vero et maxillæ partem deposita esse in busto magnifico, quod perseverans fama a S. Eligio fabricatum memorat. Superest et aliud notabile Sancti monumentum ; pallium nempe seu vestis quæ a tot seculis incorrupta perseverat, tametsi panni aut linteamina quibus involvitur, successive corrumpantur. Est et Brivæ constans memoria quod Valentinianus imperator, cum hoste conflicturus, de prælii alea sollicitus sese S. Martino Brivensi summa fiducia devoverit, quodque victoria feliciter reportata, ad Sancti ecclesiam argenteum calicem miserit, quem volunt usque hodie superstitem exhiberi. Quod demum postremo ait le Bœuf, S. Ruricium Lemovicensem episcopum de S. Martino in litteris suis præclare meminisse; id me fateor necdum reperisse, neque aliud superesse quod hic adjungi possit.*

AUCTORE J. B. S.

DE S. DOMITIANO EPISC.

CATALAUNI IN GALLIA

J. B. S.

SEC. IV. *Alter S. Memmii socius*

B *Hic ille recurrit tertius Catalaunensium Episcopus de quo jam dicta sunt ferme omnia quæ a nobis referri possunt, ubi superius ad* V *hujus S. Memmii gesta illustrare conati sumus, et* VII *de S. Donatio egimus. Id ad* S. Domitianum *spectat potissimum quod S. Memmii Vita in principio refert; missum nempe ipsum cum destinatis in Galliam apostolis, duodeviginti ab urbe Roma milliaribus subito morbo oppressum interiisse, quem S. Memmius ope S. Petri ad vitam revocatum, Catalaunum secum duxerit, subdiaconi munere fungentem, ubi sanctissimo magistro constantissime allaborans, in eadem sede, post S. Donatianum, jam haud dubie ætate gravis, succedere meritus sit, ubi habes quidquid ad hujus Sancti laudem conferre potest. Sitne hic certus obitus dies, non disquirimus, ordine jam dicto in Romano Martyrologio post Molanum collocati sunt. Addemus hic, quemadmodum et in aliis fecimus, Saussayi elogium, ad normam eorum quæ de S. Memmio diximus, intelligendum : nam quod aliqui volunt, conciliis ipsum subscripsisse, ultro fatemur, id nobis non satis exploratum : quibus addi possunt quæ recentiores magis involvunt quam explanent.* E

a Saussayo laudatus.

2 *Sic igitur laudatus Martyrologus more suo non ineleganter Sanctum celebrat :* Catalauni natalis S. Domitiani episcopi, qui cum S. Memmio episcopo et Donatiano diacono, a S. Petro missus in Galliam, civitate ista ad Christi Evangelium communi ipsorum opera conversa; tertius ordine Antistes, nempe post Donatianum, qui proximus B. Memmio successerat, eam in Dei timore ac amore gubernavit : amplificataque circumquaque religione sanctissima, senio admodum gravis, at vegetior apostolico spiritu et sacerdotali vigore, beatæ æternitatis tramitem ingressus, piorum laborum plenam remunerationem retulit a Domino.

DE S. ANTONINO MARTYRE

Cultus ejus apud Græcos; martyr synonymus an ab hodierno distinguendus?

J. P.

C

DIE IX AUGUSTI. *Annuntiatur ejus memoria in Fastis Græcis; elogium.*

Variis fastis Græcorum sacris memoria hujus Martyris Antonini *seu* Antonii *hodie intexitur. Menæa magna excusa sic memorant :* Eodem die (IX *Augusti)* certamen sancti martyris Antonii, qui fuit Alexandrinus. *Sequitur parvum de eo elogium; in quo inter alia narratur, quod* in medio igne inventus sit illæsus, flamma ne vel ad capillum quidem usque ipsi nocente. *Excerpta, quæ habemus e Menæis Ambrosianis :* Certamen sancti martyris Antonini, qui fuit Alexandrinus. *Elogium præcedenti consonat, adscriptis eidem nominibus* Taurinensis *utriusque codicis videlicet, ac* Sirmondi; *id quod argumento est, in istis documentis de nostro Martyre etiam agi. Breve est illud in Menologio, quod, interprete Cardinale Sirleto, ab Henrico Canisio vulgatum est :* Eodem die natalis sancti martyris Antonii Alexandrini; qui propter Christi confessionem in fornacem ignis injectus, spiritum Deo commendans, coronatus est martyrii corona. *Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, sanctum Pugilem nostrum commemorat die* VIII *hujus, et sequenti elogio prosequitur, quod e* F *Græco textu, ad finem tomi primi hujus mensis Augusti excuso, sic Latine interpretor :* Antoninus Christi martyr ex urbe quidem Alexandria natales hausit; sed fuit Christianus, ac religiosus, nec non timens Deum. Hac de causa ab idololatris comprehensus, ad præsidem adductus, et interrogatus, Christum confessus est. Itaque in ligno suspensus, vehementer rasus est, et a lictoribus, nec non a militibus, qui circumstabant præsidem, Christum coactus abnegare, ut a tormento liberaretur. Ast ille potius magna voce Christum verum Deum denuntiavit; idola vero eorumque cultores convitiis ac ludibriis affecit. Tormentis autem diu toleratis, sententia ignis mulctatus est. Et sic postquam orasset, et circumstantes docuisset solum Christum cognoscere Deum, in caminum injectus beatam suam animam Deo tradidit.

Sanctus synonymus die 14 Februarii an ab hodierno distinguendus?

2 *Ad diem* XIV *Februarii actum est apud nos de Martyribus Alexandrinis; quos inter unus est nomine Antonius; qui ab hodierno tamen videtur distinguendus propter supplicium plane diversum, quo martyrium complevisse fertur : nam hodiernus in fornace per ignem; alter vero in mare mersus,*

AUCTORE J. P.

sus, cursum per aquam consummavit. Accedit eo, quod hic ultimus alios sibi adjunctos habeat; noster vero solus annuntietur. Cæterum valde obscura sunt, quæ elogium supra de eo memorabat, adeo ut inde ne quidem extundi queat, quo tempore aut loco sit passus. D

VID. APPEND. TOM. VI AUGUSTI NOT. 3

DE SS. FIRMO & RUSTICO MART.

VERONÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Immemorabilis horum Sanctorum cultus, varia eorumdem Acta, et tempus martyrii.

CIRCA ANNUM CCCIV. *Hi Martyres, veteribus Martyrologis noti,*

Annua horum Martyrum memoria in antiquis Calendariis et Fastis ecclesiasticis celebratur; sed vix intelligo, quid sibi velint apographa quædam Martyrologii Hieronymiani, in quibus iidem Sancti, ni fallor, hac die sic annuntiantur : v Idus Augusti. In Oriente natalis SS. Firmi, Rustici, Permi. *At in Martyrologio Hieronymiano, quod Edmundus Martene tomo III Thesauri Anecdotorum a col. 1547 inseruit, et quod ab annis circiter mille exaratum existimat, tantum leguntur sequentia :* v Idus Augusti. Firmi, Rustici, Dionysii, Permoni, Gagi, Syxti. *Rhinoviense vero et Richenoviense, quæ tomo* VII *Junii cum aliis edidimus, eodem die hæc habent :* v Id. Aug. In Syrmio Rustici. Et in Oriente Crescentiani et Tiburtii. *Alias annuntiationes vide in notis ad antiquissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium apud Franciscum Mariam Florentinium, quocum suspicor, laterculos luxatos aut transpositos esse, et verba illa* in Oriente *ad alios Sanctos pertinere : nam apud Rabanum Notkerum, aliosque Martyrologos iidem Martyres urbi Veronensi sic expresse adscribuntur :* In Verona civitate, Firmi et Rustici, qui tempore Maximiani imperatoris et Anullini, consiliarii ejus, passi sunt. *Similes annuntiationes vide in Auctariis Usuardi nostri illustrati, aliisque recentioribus Martyrologiorum collectoribus, ex quibus hodiernum Martyrologium Romanum hac die eosdem Sanctos ita annuntiat :* Veronæ sanctorum Martyrum Firmi et Rustici, tempore Maximiani imperatoris. B C

præcipue Bergomi

2 *Memoria horum Martyrum ab immemorabili tempore usque ad præsens celebris est apud Veronenses, ut illustrissimus Augustinus Valerius in antiquis hujus ecclesiæ monumentis testatur. Bergomates vero eosdem illos Sanctos, tanquam populares suos, solemniter celebrant, ut patet ex propriis Bergomensis ecclesiæ officiis, quæ anno 1707 recusa sunt, et in quibus ad diem* IX *Augusti Lectiones secundi Nocturni ita recitantur:* Firmus Bergomi ex nobili Crotorum familia ortus, a sancto Alexandro Christi fide imbutus, in ea tantum profecit, ut sæviente Diocletiani et Maximiani persecutione, non modo in ea ipse persisteret, sed etiam alios confirmaret : quod cum ad Maximianum, Mediolani tunc exsistentem, perlatum esset, ab eo statim jussus est comprehendi, et ad se perduci. In itinere obviam factus Rusticus, qui erat affinitate et fidei professione conjunctus, eidem se martyrii societate conjunxit. Quare vincti Mediolanum ducti, in carcerem conjiciuntur. *Quantum attinet ad patriam, quæ hic S. Firmo tribuitur, antiqua Acta et quædam Martyrologia eamdem illis Sanctis passim assignant. Quid autem de determinata eorum nobilitate sentiendum sit, jam sæpe per decursum Operis nostri indicavimus, præsertim dum in Martyribus quibusdam Brixiensibus tam vetustos nobilium familiarum titulos aut cognomina rejecimus. Attamen facile admittimus, eos nobili stirpe ortos fuisse, quia id antiqua Acta affirmant.* E

coluntur Officio ecclesiastico,

3 *Porro gesta amborum Martyrum in laudatis Officiis Bergomensis ecclesiæ sic breviter narrantur :* Postridie ejus diei ad imperatoris tribunal præsentati, cum in fidei confessione perseverarent, primum flagris dirissime cæduntur; deinde in tetrum carcerem trusi, inedia macerantur. Cumque neque sic a proposito deterrerentur, alia eos imperator aggreditur via; humaniter ad se perductos, blande alloquitur, dulces voluptates, lautas epulas, vestitus sumptuosos, spes honorum, divitias eis proponit : quæ illi nihili facientes responderunt, voluptatum illecebras animarum languores, honorum spem earumdem perniciem, divitias et reliqua seculi bona, spinas esse conscientias lacerantes, et quæ hominem a vera felicitate aut retrahunt aut retardant. Eo responso ira incensus imperator Anolino judici puniendos tradit, quos Veronam secum duxit, ubi sanctus Proculus, illius urbis episcopus, eos invisit, et ad perferendos cruciatus adhortatus est. Igitur simulacra venerari in idolorum templo renuentes, jussit Anolinus nudos per tribulos ferreos perque testacea fragmenta volutari. Sed cum ab his tormentis virtute divina illæsi mansissent, ignem circa illos jubet accendi. Cum nec tamen flamma eos attingeret, veritus populi tumultum, extra urbem ad Athesis fluminis ripam præcipit obtruncari quinto Idus Augusti. *Denique de sacris eorum reliquiis et gloria posthuma ibidem leguntur sequentia :* Horum corpora, ut inhumata relinquerentur, projecta, clam tamen a Christianis sublata, in Africam deferuntur; et longo post tempore in Italiam relata, sui Veronæ relictis aliquot partibus, Bergomi tandem in patria consederunt, ubi diu extra urbem, deserto primum, deinde mirabiliter inventa (ecclesia monialium ad eorum honorem constructa) nobilitato in loco posita, demum a Carolo Borromæo Cardinali, Mediolanensi archiepiscopo, tum uti legato a latere provinciam obeunte, postea a sanctissimo Paulo Papa V Sanctis adscripta, solemni cum pompa in cathedralem ecclesiam translata, ibique honorifice tumulata, pia fidelium veneratione coluntur. *Ex his vides, Bergomates majorem reliquiarum partem sibi vindicare, etiamsi Veronenses sacra eorumdem Martyrum corpora urbi suæ adscribant.* F

Verum

A *Verum hanc litem paragrapho sequente componere conabimur.*

et Veronæ, ubi varia posthuma eorum monumenta exstant.

4 *Interim aspiciamus posthuma horum Martyrum monumenta, quæ illustrissimus Valerius in Opere supra citato fol. 21 verso ita recenset :* Ex Martyrologio ecclesiæ cathedralis die IX Augusti. Eodem die festum sanctorum Martyrum Firmi et Rustici, quorum corpora jacent Veronæ in ecclesia Minorum, sub eorum nomine dedicata. Idem asserit Franciscus Corna, addens, quod Veronæ passi fuerunt, et eam a siccitate liberarunt; et tabula etiam Sanctorum die IX Augusti. Anno Domini CCXXXVI vivebat sanctus Proculus, quartus episcopus Veronensis, frater sanctæ Tuscæ virginis, magistræ sanctæ Teuteriæ virginis : et tunc temporis passi fuerunt sancti Firmus et Rusticus in civitate Veronæ præsenti, ex Psalmista ecclesiæ sanctorum Apostolorum. Franciscus Corna describit spinam illam, hoc est os belluæ marinæ instar falcis, qua sancti Firmi et Rustici capita absecta fuerunt, asservari in ecclesia sancti Firmi veteris, et suis etiam temporibus in supplicationibus pro impetranda pluvia tempore siccitatis B circumferri solitam esse, propterea que consequi pluviam salutarem : nostris autem temporibus in cathedrali ecclesia asservatur. Ecclesia hæc sancti Firmi veteris, vocatur etiam sancti Firmi de Curtalta, et erecta fuit in honorem ipsorum sanctorum Martyrum, ubi in carcere apud Cancarium detenti fuerunt; nostris etiam temporibus ibi inventus fuit lapis cum litteris id attestantibus. Prope ripam Athesis in honorem sanctorum Firmi et Rustici, ubi decollati fuerunt, sacellum erectum fuit, in quo lapis exstat, adhuc sanctorum Martyrum sanguine signatus, seu perfusus; super quem et Missa celebratur : nostris vero temporibus lapis ille sub palla altaris a latere altaris majoris positus conspicitur; sacellum hoc vocatur nunc ecclesia Crucifixi. Exstat etiam alia ecclesia in honorem ipsorum sanctorum Martyrum erecta prope pontem navium; ad quem locum, ut dicitur, appulit navis, qua sancta eorum corpora vectabantur, cum de Istria a sancta Maria Consolatrice in hanc urbem reducerentur. Eorum vita describitur in Lectionario ecclesiæ cathedralis et fere omnium ecclesiarum hujus civitatis, et lib. 7 cap. 42 Petri de C Natalibus; et habent Veronæ quinque ecclesias, et plures in diœcesi.

Habemus varia exemplaria Actorum

5 *Idem illustrissimus scriptor in proxime laudato Opere a fol. 48 verso martyrium et translationem horum Sanctorum contraxit ex amplioribus Actis, quorum varia exemplaria inter schedas nostras servamus. Primum nobis descripsit nunquam satis laudandus Joannes Gamansius, Societatis nostræ sacerdos, ex Passionali Pergameno Ms. insigni, quod reperit in cœnobio Bodecensi Ordinis Regularium S. Augustini diœcesis Paderbornensis, in quo a fol.* XLV *mensis Augusti tale est Actorum exordium :* Regnante impiissimo Maximiano imperatore, in civitate Mediolanensi *etc. Aliud ecgraphum ex Ms. codice Ultrajectino S. Salvatoris jam dudum accepimus. Tertium Verona ad nos missum est, et* extractum ex vetustissimo codice coriaceo, qui exstat apud PP. Minores Conventuales sancti Firmi Majoris civitatis Veronæ, *ut in titulo apographi notatur. His denique accedit fragmentum eorumdem Actorum, quod ex codice 583 bibliothecæ Vaticanæ excerptum est, et in quo quædam horum duorum Martyrum miracula et translationes continentur. Atque hæc sunt Acta manuscripta, quæ præ manibus habemus. Nunc de iisdem Martyrum Actis, quæ typis excusa sunt, nonnihil dicendum superest.*

AUCTORE G. C. *et martyrii,*

6 *Primo impressum Actorum compendium invenio apud Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 7 cap. 42, quod in præcipua rei substantia ab Actis amplioribus non differt. Boninus Mombritius tomo I collectionis suæ fol.* CCCIII *verso ante ducentos annos ampliora eorum Martyrum Acta edidit; sed omisit ea, quæ post martyrium contigerunt. Hunc defectum supplent nostra Mss. apographa, et nuper nobilissimus Scipio Maffeius ex duplici Ms. codice martyrium horum Sanctorum una cum quibusdam miraculis variisquo translationibus vulgavit. Hæc omnia inter se conferemus, et Acta ex apographo codicis Bodecensis excudemus. Liberaliter etiam utemur observationibus eruditissimi Maffei, easque annotatis nostris post singula capita immiscebimus. Nescio, an typis excusa sint, an adhuc in Mss. exstent* gesta et Vitæ SS. Alexandri, Gratæ viduæ, Firmi et Rustici martyrum, patronorum Bergomensium, *quas seculo* XIII *conscripsit Pinamons Peregrinus Brembati Dominicanus, ut Echardus* E *tomo I de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag. 246 affirmat. Nihil hic moror recentiores quosdam scriptores tum Bergomates tum Veronenses, qui Acta horum Martyrum vernacula eloquentia exornant, et potius oratorie quam historice gesta eorum exponunt. Non facile dictu est, quid de antiquis Actis censendum sit : licet enim satis sincera appareant, tamen Actis sanctorum Victoris et Naboris, quæ in Opere nostro ad diem* VIII *Maii, et* XII *Julii illustravimus, adeo similia sunt, ut hæc ex illis vel illa ex his desumpta videantur.*

quod videntur circa annum 304 subiisse.

7 *Controversia olim fuit inter auctores de tempore, quo hi duo Sancti Martyrium subierunt : cum enim in quibusdam codicibus Veronensibus legerentur passi,* regnante impiissimo Maximino imperatore, *quidam scriptores martyrium illorum anno Christi 236 affixerunt, ut ex supra allatis illustrissimi Augustini Valerii verbis colligi potest. Verum Majores nostri in Actis S. Proculi ad diem* XXIII *Martii, tomo III istius mensis pag. 451, et R. P. Petrus Paduanus ex Ordine Minorum Conventualium apud Ughellum in Veneta editione Italiæ sacræ tomo V col. 684 et sequentibus fuse* F *demonstrarunt,* Maximianum *pro* Maximino *legendum esse. Quare non oportet hic actum agere, præsertim cum nunc plerique scriptores, rationibus convicti, hanc sententiam admittant. Posset tamen moveri dubium de certo martyrii anno, quandoquidem Florarium nostrum Ms. post synopsim Actorum annum diserte exprimit his verbis :* Passi sunt anno salutis CCXCIV. *Nos cum Tillemontio et Maffeio propter argumenta ab iis allata probabilius existimamus, Sanctos illos circa annum Christi* CCCIV *laurea martyrii coronatos fuisse. Verum adhuc restat aliqua difficultas circa ætatem S. Proculi, antistitis Veronensis, quæ cum tempore hujus martyrii concilianda est.*

et cujus tempus cum ætate S. Proculi,

8 *Ferdinandus Ughellus in Romana editione Italiæ sacræ tomo V col. 559 S. Proculum inter episcopos Veronenses nono loco collocavit. At supra laudatus Scipio Maffeius in erudita epistola, quam ad Nicolaum Coletum dedit, et quæ novissimæ editioni Italiæ sacræ tomo V a col. 672 inserta est, contra Ughellianam episcoporum Veronensium seriem contendit, S. Proculum quarto loco collocandum esse; id autem Maffeius recte probat ex scriptore anonymo seculi* VIII, *qui nuper inter Scriptores rerum Italicarum tomo II, parte 2, pag.*

AUCTORE G. C.

1095 recusus est, et qui in Rythmica Veronæ descriptione in hanc rem habet sequentia : Primum Veronæ prædicavit Euprepus episcopus, secundus Dimidrianus, tertius Simplicius, quartus Proculus confessor, pastor et egregius. *Ex hoc antiquo testimonio patet, S. Proculum, qui martyrio SS.* Firmi *et* Rustici *adfuisse traditur, quartum locum inter episcopos Veronenses obtinuisse. Hinc ulterius quispiam contra communem Veronensium traditionem inferre posset, S. Euprepum sive Euprepium non fuisse a sancto Petro Apostolo Veronam missum, aut saltem præsulem ibidem constitutum, ut Veronenses contendunt.*

et serie episcoporum Veronensium

9 *Huic consequentiæ non repugnat Maffeius, dum in laudata epistola ad Nicolaum Coletum tomo V novissimæ editionis Venetæ col. 676 sic candide scribit :* Doleo profecto, acceptiora me clero nostro loqui haud potuisse; cum scilicet ante Proculum, adeoque ante quartum seculum, tres tantum episcopos videamus, de fide Apostolicis temporibus in hac urbe sata, deque Euprepio a divo Petro Apostolo huc misso, rumor ruit omnis. At veritati, ut hactenus præstiti, ita et in posterum dum spiritus hos reget artus, unice litare mihi constitutum est. Populares fabellæ, nec non historiolæ decimo sexto ut plurimum seculo concinnatæ, cujuslibet fere Italiæ civitatis Pastorem primum ab Apostolorum ævo, ipsisque Christianæ fidei incunabulis arcessunt, seriemque episcoporum mirificam nec interruptam perbelle ædificant. Quamplurimas tamen fuisse ex his civitatibus, in quibus ante tertium seculum episcopi nomen nec sit auditum, rerum ordinem et tempora perpendenti constabit : neque enim Christiana religio in omnibus illico universæ Italiæ municipiis diffundi potuit, ac radices agere. In ista certe, quæ cæteras hujus tractus urbes frequentia, opibus, splendore, dum res Romana stetit, antecellebat omnes, ut nupero libello satis ostendi, quarto jam ineunte seculo sanctus Proculus propter metum paganorum cum paucis Christianis non longe a muro civitatis latitabat, ut sanctorum Firmi et Rustici Acta docent. *Juverit hujus regulæ criticæ sæpius meminisse, quando primi urbium quorumdam Italicarum antistites chronologice examinandi erunt.*

conciliandum est.

10 *Cum igitur ex antiquo auctore anonymo recta primorum præsulum Veronensium series habeatur, et ex Actis Martyrum nostrorum de ætate S. Proculi constet, omnino improbabile est, primos illos quatuor episcopos tam diu ecclesiæ Veronensi præfuisse, ut fere tria secula impleverint. Quapropter Maffeius satis clare innuit; ætatem S. Euprepii ad posteriora tempora retrahendam esse. Huic duro nodo durus quærendus est cuneus, et unicum superesse video Veronensibus effugium, si dicant, ex sua traditione S. Euprepium quidem ab Apostolo Petro primum Veronæ episcopum designatum fuisse ; sed post mortem S. Euprepii aut successorum ejus cathedram Veronensem propter persecutiones aliasve causas sæpe vel diu vacasse. Sed hac occasione eos rogatos volumus, ut traditionem suam et illam sedis vacationem solidis argumentis tempestive confirment, antequam Acta S. Euprepii ad diem* XXI *Augusti cum Martyrologio Romano illustrabuntur.*

§ II. *Controversia inter Veronenses et Bergomates de sacris corporibus horum Martyrum.*

Corpora horum Sanctorum seculo octavo

Antiqua Acta nostra post varias istorum Sanctorum translationes in fine narrant, corpora horum Martyrum tandem Veronam translata fuisse et honorifice sepulta ab Hannone episcopo, qui circa medium seculi octavi ecclesiam illam gubernabat. Huic Actorum narrationi consentit supra laudatus auctor anonymus ejusdem seculi octavi, qui Veronam Latino-barbare describit, eamque urbem laudibus extollit, eo quod præter alias Sanctorum reliquias possideat in partibus Meridianis Firmum et Rusticum, qui olim in te, *inquit alloquens Veronam,* susceperunt coronas martyrii, quorum corpora ablata sunt in maris insulis. Quando complacuit Deo regi invisibili, in te sunt facta renovata per Hannonem præsulem temporibus principum regum Desiderii et Adelchis. Qui diu moraverunt Sancti, non * reversi sunt; quorum corpora *insimul* condidit episcopus aromata et galbanen, stacten, et argoido, myrrha, gutta, et cassia, et thus lucidissimus. Tumulum aureum coopertum circumdat præconibus, color stritus mulget sensus hominum, modo albus, modo niger, inter duos purpureos. Hæc, ut valuit, paravit Hanno præsul inclitus, per cujus flamma claret de bonis operibus ab Austræ finibus terræ usque nostri terminus. *Hæc barbara periodus, quantumcunque vitiosa et obscura, satis indicat, superius vocem* non *abundare, et pro ea negatione adverbium* nunc *vel* tunc *substituendum esse, ut alias in Actis S. Mariæ consolatricis ad diem primam Augusti, tomo I istius mensis pag. 81 observatum est.*

* *forte* nunc *vel* tunc *legendum pro* non.

Veronam translata sunt;

12 *Ughellus in novissima editione Italiæ sacræ tomo V col. 703 de tempore istius translationis hæc notat :* Porro translatio sanctorum Firmi et Rustici habetur II Kalendas Decembris; qua etiam die celebratur translatio sanctorum Primi et Marci, Lazari et Apollinaris subdiaconi et martyris, quorum corpora ex Tergestina civitate Veronam fuerunt translata a sancta Maria Consolatrice, et recondita a sancto Annone episcopo anno DCCLV in ecclesia sancti Firmi majori, in crypta sub confessione ejusdem ecclesiæ post altare majus in sepulcro marmoreo, ubi post ipsum altare sunt hæ litteræ in duabus tabulis depictæ : TRANSLATIO SANCTORUM MARTYRUM HIC REQUIESCENTIUM FACTA FUIT XI KAL. JUNII, ANNO DOMINI DCCLV PER BEATUM ANNONEM, TUNC EPISCOPUM VERONENSEM, CUM UNIVERSO CLERO AC POPULO SOLEMNIZATA. *Hæc inscriptio, cujus antiquitatem ignoro, etiam inter monumenta Veronensis ecclesiæ fol. 47 verso refertur ab Augustino Valerio, qui translationem illam confirmat ex Martyrologio monialium sanctæ Mariæ Magdalenæ in Campo Martio, quod undecimo Calendas Junii sic habet :* Item Veronæ translatio sanctorum martyrum Firmi et Rustici, Primi, Marci, Lazari, et Apollinaris. *Similia leguntur in veteri Missali membraneo ecclesiæ sancti Jacobi in monte Grigiano, ut ibidem illustrissimus ille scriptor testatur.*

13 *Bergomates non negant antiquam possessionem*

sed Bergomates asserunt, A *nem Veronensium, qui corpora* SS. Firmi *et* Rustici *ineunte seculo nono adhuc conservabant; sed illi asserunt, quosdam populares suos currente seculo* IX *sacra istorum Martyrum cadavera ingenti pretio a custodibus xenodochii Veronensis, in quo tunc quiescebant, sibi comparasse, et clam Veronensibus Bergomum transtulisse. Hanc opinionem inter alios scriptores Bergomates Batholomæus de Peregrinis in Vinea Bermomensi, parte* I *cap. 14 tradit his verbis:* Successit Tachipaldus Gastalionus, civis Mediolanensis, vineam regens annis circiter quadraginta quinque. Occubuit anno Domini DCCCLV; cujus temporibus corpora sanctorum Firmi et Rustici martyrum, civium Bergomensium, et Proculi quarti episcopi ex Veronensi civitate ad nostram Bergomeam urbem translata, et apud muros juxta flumen Gardelli in Plozani sylva abscondita fuerunt, et ibi sine aliqua veneratione permanserunt usque ad annum MCLVI, in quo inventa sunt sub pastore Girardo, de qua inventione dicetur infra in cap. 30, et in secunda parte cap. 7. Hæc ex prædicto Memoriali episcoporum Bergomi, et ex antiqua historia SS. B Firmi et Rustici martyrum, civium Bergomensium, scripta in Legendario magno ecclesiæ cathedralis sancti Vicentii.

sese ea Veronensibus postmodum surripuisse, 14 *Dein cap. 30 ejusdem primæ partis inventionem harum reliquiarum, quæ extra muros Bergomenses diu latuerant, Ita memorat:* Electus est quidam, Gerardus nomine, qui hanc Bergomeam vineam juste gubernavit, quasi annis viginti octo, moriens anno MCLXXI. Hujus temporibus inventa sunt sanctorum Martyrum corpora Firmi et Rustici, civium Bergomensium, et Proculi quarti episcopi Veronensis extra muros Bergomi juxta flumen Gardelli; quæ olim corpora Verona Bergomum à quibusdam mercatoribus nostris translata fuerunt, ut supra dictum est cap. 14. Cumque ipsorum tumulus homines lateret, dæmoniaca quædam, Salvatica nomine, locum invenit, dum casu super sepulcrum sedens liberata esset. Quæ corpora episcopus cum clero populoque Bergomensi suscipiens, qua decebat veneratione, ubi nunc sunt, ea deposuit, ibi sacellum cum monasterio sacrarum virginum sancti Benedicti construi fecit eorumdem. Pontifex bonus a Federico imperatore impetravit privilegium C omnium amplissimum, quo omnia prædecessorum privilegia confirmantur, videlicet a Carolo Magno usque ad istam. Hæc ex Historia translationis SS. Firmi et Rustici martyrum ac Proculi episcopi, adscripta lib. 6 de Antiquitatibus et gestis Divorum Bergomensium cap. 3, et ex sæpe dicto Memoriali episcoporum Bergomi. *Nescio, qualem ætatem habeant, et proinde quanti facienda sint ea monumenta, quæ hic a Bartholomæo de Peregrinis citantur.*

et in suburbio suo collocasse, 15 *Teste M. Antonio Benalio, aut Joanne Antonio Guarnerio, qui posthuma Benalii opuscula edidit, et Vitas sanctorum Bergomatum Latina facundia exornavit, ipse Gerardus episcopus Bergomensis, sub quo corpora* SS. Firmi *et* Rustici *detecta sunt, præsentiam eorum inscripto epitaphio confirmavit, ut laudatus auctor in Actis horum sanctorum Martyrum fol. 77 exponit sequenti narratione:* Tachipaldo deinde episcopo ecclesiam Bergomatem administrante, anno a partu Virginis DCCCLV ea corpora *(videlicet sanctorum* Firmi *et* Rustici, *de quibus ibidem egerat)* una cum Proculi capite et ossibus Verona surrepta sunt, et Bergomum translata; quæ primo in silvestri ac deserto loco apud fluvium Cardonem collocata ignorabantur: anno deinde trecentesimo et altero, quam in agrum Bergomatem pervenerunt, mulier, Salvatica nomine, a dæmone obsessa, fortuito in eorum tumulo consedit; qua mirabiliter liberata, corpora inventa sunt, Gerardique episcopi Bergomatis opera templo exstructo et eis dicato, ibi honorifice reposita sunt, et in sepulcro hæ incisæ litteræ: HIC JACENT SANCTORUM CORPORA FIRMI ET RUSTICI CIVIUM BERGOMATUM, QUI DECOLLATI FUERUMT VERONÆ SUPER FLUMINUS ATHESIS RIPAM SUB MAXIMIANO IMPERATORE, EJUS CONSILIARIO ANOLINO. *Si hæc inscriptio jussu Gerardi præsulis tumulo sanctorum Martyrum incisa sit, idque etiamnum ex antiquis characteribus appareat, ut Bergomates asserunt, profecto magnum probabilitatis pondus ad traditionem Bergomensem accedit.* AUCTORE G. C.

ex quo S. Carolus Borromæus anno 1575 16 *Attamen nobilissimus D. Scipio Maffeus in Historia Veronæ illustratæ, quam anno 1732 Italice edidit, lib.* XI, *seu parte* I *col. 340 et sequente contendit, corpora sanctorum* Firmi et Rustici *adhuc Veronæ servari, adeoque omnia, quæ Bergomates de clandestina eorumdem Martyrum translatione tradunt, fabulosa et sine ullo fundamento excogitata esse. Sed R. D. Martinus* E *Antonius Guerrinus Canonicus Bergomensis, et sacræ theologiæ doctor, non contemnendis argumentis opinionem illustris hujus scriptoris refellit in Synopsi ecclesiæ Bergomensis, quam anno 1734 recudi jussit, et cui Diatribam contra eumdem Maffeum inseruit. In hac Diatriba laudatus Canonicus variis rationibus probare nititur, duos istos martyres seculo* IX *Bergomum translatos esse,* sui Veronæ relictis aliquot partibus, *ut Bergomates legunt in Officio suo proprio, quod eminentissimus Bellarminus diligenter discussit, et sacra rituum Congregatio anno 1611 approbavit. At inter omnia eruditissimi Guerrini argumenta, quæ in laudata ipsius Synopsi pag. 30 et sequentibus expendi possunt, præcipue nos movet auctoritas S. Caroli Borromæi, qui anno 1575 reliquias eorumdem Martyrum ex suburbio Bergomensi ad cathedralem ejus civitatis ecclesiam solemniter transtulit, ut jam ex teste synchrono referemus.*

eadem ad ecclesiam cathedralem Bergomensem transtulit. 17 *Reverendissimus Carolus a Basilica Petri, episcopus Novariensis, in Vita S. Caroli lib. 3 cap. 4 ad rem nostram narrat sequentia:* Expertus est in civitate *(nimirum Bergomensi, de qua scriptor ibi sermonem instituit)* Carolus, omnesque, quotquot illius ministri fuimus, bona hominum ingenia, animosque tum rerum salutarium F studiosos, tum ad perficienda mandata faciles..... Ibi collegium virginum cum ex suburbio ad tutiorem locum transtulisset, corpora etiam sanctorum Firmi et Rustici martyrum, quæ illæ in sua ecclesiam habebant, alio celebriter transtulit, licet ex ea re nonnihil difficultatis exstiterit et tumultus. *Tum reverendissimus auctor exponit, quomodo suburbani illi homines armata vi sacras istas reliquias retinere voluerint, ac demum paterna S. Caroli Borromæi reprehensione resipuerint, et deinde translationem factam sic referre pergit:* Re demum composita, qui vim sacris intulerant, eos singulos venia prius a presbytero petita certo signo notatos, pontificali vestitu, solemni et præscripto ritu, ante fores ecclesiæ anathematis pœna Carolus liberavit, opportunaque opera, pœnitentiæ nomine, injunxit. Tum reliquias in ecclesiam majorem, magna hominum multitudine amploque apparatu deportavit. Suburbani illi cereis accensis comitati sunt. *Similia Joannes Petrus Giussanus in Actis S. Caroli Borromæi lib. 3 cap. 7*

Auctore G. C.

Ex pastorali S. Caroli vigilantia

cap. 7 Italice commemorat.

18 *Certe S. Carolus Borromæus non adeo erat credulus, ut popularibus traditionibus sine ullo fundamento fidem adhiberet, quemadmodum ab eventu contrario probari potest : cum enim prudens ille præsul in pago Zibiti, qui inter Mediolanum et Papiam situs est, visitaret corpus cujusdam S. Jacobi, quod traditio incolarum S. Jacobo Majori Apostolo adscribebat, post noctem in oratione peractam noluit declarare, cujus sancti Jacobi corpus illud esset, ut Petrus Paulus Bosca in notis ad Martyrologium suum Mediolanense die* XXV *Julii testatur, et nos in Commentario prævio ad Acta S. Jacobi Majoris tomo* VI *Julii pag. 21 et 22 ex ipso retulimus. Cæterum nemo cordatus credet, ab hoc sancto Antistite neglectas fuisse prudentissimas leges, quas ipse in hujusmodi materia præscripserat, et inter quas in Actis ecclesiæ Mediolanensis tomo I pag. 92 statuit* primo, ut scripta, tabulæ litteræ, certi annalium codices, aliave cujusvis generis monimenta, quæ in iis ipsis ecclesiis earumve atriis atque ædibus, aut aliis locis exstant, schedulæque vasculis arcisve sacrarum reliquiarum affixæ inclusæve, recognoscantur accurate et diligenter ; unde illarum vel translatio, vel collocatio ibi facta cognosci aut alia ejusmodi notitia earumdem haberi queat. Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ constantisque traditionis, ex qua certa eorum cognitio constet; aut alia, sicut opus erit, id generis diligentia ad rei perspicientiam adhibeatur.

B

contra quosdam concludimus.

19 *Præterea ibidem pagina sequente decernit, ut* primum aliquot ante diebus, si opus erit, aut certe omnino pridie illius diei, quo sacræ reliquiæ transferendæ sunt, ab episcopo, aliove, ubi adhiberi potest, ecclesiastica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accurate diligenterque recognoscantur, testibus aliis sacerdotibus gravioribus adhibitis ; quæ recognitio fiat, ut supra, diligenter conquisito omni monimentorum genere. *Denique idem sanctus præsul pag. 94 tomi proxime citati inter alia præscribit,* ut mane, quo die transferuntur, processio solemnis psalmis et hymnis et canticis omnique prece agatur ad ecclesiam, in quam translatio fit ; ubi iterum illis recognitis, tum de eorum vita, deque historia sanctarum reliquiarum olim eo loco reconditarum, de causis item translationis ab episcopo vel ab alio ejus jussu sermo apposite habeatur, nisi commodius censuerit episcopus, postea habendum inter Missarum solemnia. *Quis post hæc sibi persuadeat, sagacem hunc Antistitem populari traditione deceptum fuisse? Quis facile credat, exactissimum illum disciplinæ ecclesiasticæ observatorem leges suas exsecutioni non mandasse ? Debuit itaque cautus ille vir vidisse solida testimonia, priusquam sacra hæc ossa sub nomine sanctorum* Firmi *et* Rustici *ex suburbio Bergomensi ad eamdem civitatem transferret.*

C

Bergomi exstare veras horum Martyrum reliquias,

20 *Hunc verosimillime colligimus, aliquas* SS. Firmi *et* Rustici *reliquias a Bergomatibus servari. Imo suspicamur, magnam sacrorum ossium partem ibi exstitisse, quandoquidem Bergomates tam liberaliter ea aliis ecclesiis aut illustribus personis communicarunt: nam intelligo ex authenticis instrumentis, quæ Camillus del Bene ex Ordine Minorum Conventualium Actis horum Martyrum subjunxit, incolas Albiati in diœcesi Mediolanensi* mandibulas inferiores dictorum Sanctorum integras *a Bergomatibus circa annum 1608 accepisse. Præterea F. Cœlestinus ex Ordine Capucinorum in Historia quadripartita Bergomensi lib. 10 pag. 291 tradit, Caravaginos anno 1588 ab iisdem Bergomatibus impetrasse quasdam eorumdem Martyrum reliquias ea conditione, ut illas in præcipua sua ecclesia venerationi fidelium exponerent, ac tabulæ marmoreæ insculperent sequentem inscriptionem :* EX CORPORIBUS SANCTORUM FIRMI ET RUSTICI, IN CATHEDRALI ECCLESIA BERGOMI ASSERVATIS, COSTA ET SPATULA, EJUS ECCLESIÆ ET COMMUNITATIS DONO CONCESSÆ. ANNO DOMINI MDXIIC. *Denique supra memoratus Martinus Antonius Guerrinus in recusa Synopsi ecclesiæ Bergomensis pag. 40 et 46 has aliasque pias Bergomatum donationes accurate recenset.*

D

easque notabiles.

21 *Etiamsi ex hactenus dictis prudenter concludi possit, notabiles horum Martyrum reliquias olim Verona ad suburbium Bergomense translatas fuisse, tamen hinc nondum manifeste sequitur, jam tantum exiguas sacrorum ossium particulas apud Veronenses superesse, ut Bergomates quidam scriptores contendunt. Equidem scio, quod in Lectionibus Bergomensibus, ab eminentissimo Bellarmino et sacra Rituum Congregatione approbatis, dicantur corpora sanctorum* Firmi *et* Rustici *tandem in patria sua Bergomensi consedisse,* sui Veronæ relictis aliquot partibus. *At non indicatur, utrum hæ partes magnæ an parvæ fuerint. Quapropter nobis non placet conjectura memorati Fratris Cœlestini, qui pag. 382 et 383 Operis supra citati suspicatur, Bergomates corpora horum Martyrum quondam Veronæ surripuisse, ac alias sanctorum reliquias loco eorum substituisse, quemadmodum Veneti in translatione S. Marci Alexandrinos decepisse traduntur. Unde ibidem Frater ille putat, falli Veronenses, dum corpora vel capita istorum Martyrum in sua civitate ostendunt. Contra vero D. Octavius Alecco integrum librum paratum habet, quo ex accurata reliquiarum Veronensium custodia, earumque collocatione demonstret, præcipuas ac veras eorumdem Sanctorum reliquias Veronæ honorari, ut ex observationibus præviis Marchionis Maffei ad Acta* SS. Firmi *et* Rustici *intelligo. Nobis non vacat hic proferre omnia utriusque partis litigantis argumenta, quæ apud nobilissimum Maffeum in Historia Veronæ illustratæ et apud doctissimum Guerrinum in Diatriba locis supra assignatis videri possunt. Nos potius hanc intricatam litem componere cupimus ; quod priusquam fiat, ex Molano transcribenda sunt nonnulla, quorum sæpius alibi juverit meminisse.*

E

quales etiam concedimus Veronensibus.

22 *Joannes Molanus, doctor Lovaniensis, in Præfatione ad Martyrologium Usuardi cap. 23 sic recte monet :* Nunc igitur præfationi finem facturus, precor te, candide lector, ut in historiis Sanctorum legendis atque alias semper tardus velis esse et modestus in reprehendendo. Procul absis ab hæreticorum ingenia, qui, teste apostolo Petro, quæcunque ignorant, blasphemant. Procul sis ab Antichristi spiritu, cujus nomen est blasphemare nomen Dei, et eos, qui in cœlo habitant : et quod olim beatus Augustinus dixit de objurgationibus, raro et in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt. Idem de reprehensionibus dictum puta. De beato Sebastiano dixit Wandelbertus : ROMA QUEM VECTUM NUNC SUESSIO LÆTA FREQUENTAT ; non quod totum corpus Sebastiani e Roma Suessionem sit translatum ; sed de parte corporis hoc intelligendum esse constat ex Adone Viennensis : per piam enim extensionem dicunt nonnulli, se alicujus Sancti corpus

F

habere

A habere, quia ejus bonam partem habent. Quam loquendi rationem non intelligens, qui ad reprehendendum præceps est, facile alium redarguere volens, se ipsum redarguendum exhiberet. *Eminentissimus Baronius in prænotationibus ad Martyrologium Romanum circa finem capitis quarti similia habet. Cæterum Molanus hic merito carpit Lutheranos et Calvinistas, qui ex hac pia Catholicorum contentione cultum Sanctorum et venerationem sacrarum reliquiarum sacrilege explodunt. Porro eruditissimus Josephus Antonius Saxius in Possessione sanctorum Gervasii et Protasii martyrum Mediolano vindicata, et non ita pridem anno 1719 recusa, cap 8 num. 124 et sequentibus contra hos blaterones solide ostendit, plures ecclesias eadem Sanctorum corpora sibi vindicare, et hunc innoxium alterutrius partis errorem religioni nostræ nihil obesse, ut sæpius etiam in Opere nostro demonstratum est.*

si amice litem utrimque componi velint.

23 *Facile itaque Veronenses et Bergomates inter se conciliari possunt, si unaquæque urbs parte prædictarum reliquiarum contenta sit. Ab hac litis compositione non abhorret supra laudatus Benalius vel Guarnerius Bergomas, dum in Actis sanctorum* Firmi *et* Rustici *circa finem fol. 73 ita scribit :* 'Id quoque ambigitur, Bergomine, an Veronæ corpora sita sint. Ut cætera monumenta, quibus standum putamus, omittantur, Aloysius Lipomanus, quondam Veronæ episcopus, diligentissimus antiquitatis investigator, litteris Bergomum scriptis, corpora apud nos esse testatus est. Etsi, quid mihi probetur, satis constat, tamen sententia Augustini Valerii Cardinalis amplissimi, quæ ad eximendos scrupulos plurimum valere debet, minime prætereunda est. Ejus viri tanta est gravitas, ut altissimum honoris gradum eximia vis ingenii et singularis doctrina, ingenium doctrinamque clarissima vitæ et morum sanctitas superare existimetur. Is ad explanandas res obscuras et ambiguas, conciliandosque et conjungendos dissidentium animos divino quodam consilio natus, in hujusmodi hæsitationibus opinionum diversitati optime consulit : nam cum alii alicujus sancti viri reliquias se habere contendant, alii easdem sibi vindicent, quod decuit sapientissimum virum, se medium gessit, docuitque, etsi apud alios bona pars reliquiarum alicujus sancti viri collocata sit, pars reliqua ad alios asportata, tamen fieri potuisse, ut utrique abundantia quadam pietatis adducti, se integras reliquias habere præ se tulerint; huicque eorum vehementiori studio ignoscendum esse, præsertim cum id ex bonis causis et probabilibus rationibus profectum esse constet. Quare, quod fortasse accidit, ut harum reliquiarum, de quibus nunc agimus, pars aliqua Veronæ relicta sit, idque Veronenses in eam partem interpretentur, ut integras se habere arbitrentur; tanti viri judicium adscribendum fuit, cujus tantum est pondus orationis, ut singulas ejus sententias, singula testimonia existimem. *Censet igitur eminentissimus Augustinus Valerius, Veronensibus et Bergomatibus notabiles sanctorum* Firmi *et* Rustici *reliquias concedendas esse, cujus prudentissimo judicio assentimur. Quod si cives utriusque urbis hac compositione stare nolint, ipsi litem inter se prosequantur. Nos interim ipsa dictorum Martyrum Acta prælo subjiciemus, ac solitis annotationibus illustrabimus.*

ACTA

Ex Ms. Passionali pergameno mensis Augusti fol. XLV pag. A. quod apud Canonicos Regulares Bodecensis cœnobii in diœcesi Paderbornensi servatur.

CAPUT I.

Sanctorum patria, nobilitas, et martyrium.

Cum S. Firmus ab ethnicis comprehensus esset,

Regnante impiissimo Maximiano *a* imperatore, in civitate Mediolanensi facta est persecutio ingens Christianorum, et multi propter nomen Domini glorioso martyrio coronati cœlestia regna penetrarunt. Erat his diebus vir quidam, nomine Firmus, civis Bergumatis *b*, nobili genere exortus, et notissimus imperatori; substantia ejus erat copiosa valde; in orationibus et jejuniis vacans die noctuque Christum deprecabatur, et distribuebat quotidie substantiam suam pauperibus, ac hospitio suscipiebat eos, qui persecutionem pro Christo patiebantur. Nuntiatum est autem imperatori a templorum pontificibus *c*, quod Firmus Christianus esset factus, et blasphemaret deos eorum, dicens, eos dæmonia esse. Qua legatione audita, imperator, misit quæstorem suum cum militibus, ut comprehenderent eum; *qui* venientes ad locum, ubi beatus Firmus manebat, invenerunt eum sedentem in viridario suo, et legentem sententiam, quam Dominus in Evangelio præcipit dicens : Si quis dereliquerit domum aut agros seu divitias, aut uxores aut filios, aut parentes propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

occurit ei S. Rusticus,

2 Tunc milites, qui missi fuerant, audientes eum hæc legentem, tenuerunt eum, et injuriantes eduxerunt foras, ac vinculis circumdatum ducebant ad Mediolanensium civitatem. Cumque abiissent non longe a villula sua, venit eis obviam quidam vir, nomine Rusticus, qui fuit ex parentela beatissimi martyris Firmi, et ipse Christianissimus. Visis itaque vinculis in manibus et in collo ejus, cœpit flere dicens : Libenti animo tecum morior, carissime Firme. Et hæc dicens sequebatur eos. Cui milites dixerunt. Num et tu in hac magica perseveras, quod sic clamas post nos? Qui respondit : Non, sicut dicitis, magus sum, sed Christianus, paratusque sum in his vinculis alligari propter nomen Domini mei Jesu Christi, qui pro toto mundo passus est. Quæstor dixit : Et quis pro vobis passus est ? Responderunt ambo et dixerunt : Dominus noster Jesus Christus, filius Dei vivi, cui nos servimus. Quæstor dixit : Modo videbimus, si Christus vester liberabit vos de manibus imperatoris. Et colligaverunt eos, et imposuerunt sarcinam super illos. Tunc dixit sanctus Firmus : Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Ibant autem ambo psallentes et dicentes : Deduc nos Domine in viam tuam,

Ex ms.

tuam, ut ambulemus in veritate tua. Et iterum: Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum!

qui cum illo captus Mediolanum ducitur.

3 Alia die ingressi sunt urbem Mediolanensium, statimque nuntiaverunt milites imperatori, quod adesset is, pro quo missi fuissent, et una cum eo Rusticus quidam nomine, qui se Christianum profiteretur dicens, sibi dulce pro Christo mori. Jussit igitur imperator utrosque simul in custodiam mitti apud Anulinum *d* consiliarium suum. Sequenti vero die præcepit sibi tribunal in epitrimo *e* circi præparari, et sanctos Dei Firmum ac Rusticum conspectibus suis præsentari. Qui cum adducti fuissent, interrogavit eos: Quot deos habetis? Responderunt: Nos plures deos non habemus; sed est unus et verus Deus, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt: huic nos Christiani servimus. Imperator dixit: Convertimini ad me, et sacrificate deo Saturno et Apollini, ut immunes a pœnis nobiles sitis, sicut et parentes vestri: nam per deos et salutem meam et statum reipublicæ Romanæ *f* faciam vos exemplum omnibus, si sacrificare nolueritis. Sancti B Martyres una voce responderunt: Fac, quod facturus es, sciens, nos non adorare simulacra manufacta, surda et muta, sine visu, absque sensu et gressu. Minas tuas non pertimescimus, quia terrenæ sunt, sicut et regnum tuum terrenum, corruptibile, et periturum est. Habemus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum in cœlis; ipsum timemus, ipsum adoramus, ipsi nosmetipsos sacrificium laudis offerimus.

et ambo ab imperatore Maximiano frustra tentati

4 His auditis, imperator commotus graviter jussit fustes adferri, et beatos Viros nudos extendi, binosque terniones *g* super eos transire, et dicere eis: Sacrificate diis, quos imperator adorat. Cum autem essent sancti Martyres in pœnis constituti, una voce dixerunt: Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos; ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? Cumque cæsi fuissent, jussit eos erigi dicens: Ecce dabo vobis, quæcunque postulaveritis a me, et primi in regno meo eritis; tantum recedite ab hac vana superstitione, et sacrificate diis immortalibus, quos adoraverunt patres nostri ab initio. Beatissimi Maryres dixerunt: Nos non C accipimus præmia, quæ promittuntur a vobis, quia coronam nobis sempiternam repositam esse speramus in cœlis: dii namque, quibus vos miseri cervices inclinatis, dæmonia sunt, et omnes, qui sacrificant iis, cum ipsis ibunt in ignem æternum. Indignatus imperator jussit eos in custodiam recludi, et pedes eorum in cippo extendi. Anulinus autem consiliarius imperatoris profecturus post aliquot dies in partes Venetiarum, misit in carcerem ad sanctos Martyres dicens: O homines insanissimi et crudelissimi, cum sitis nobiles, excogitastis aliquid de vita vestra, ut non pereatis? Per deos et salutem imperatoris, multa genera tormentorum vobis præparantur, quibus subjacebitis, si sacrificare nolueritis. Beati Martyres dixerunt ad eos: Ite et renuntiate Anulino: tormenta, quæ nobis præparas, terrena sunt; majora tibi præparantur a Domino nostro Jesu Christo in die justi judicii Dei.

ad deserendam fidem Christianam,

5 Accedens igitur Anulinus ad imperatorem, dixit ad eum: Jube sacrilegos istos in meam tradi potestatem; ego certe faciam eos sacrificare diis. Tunc imperator jussit eos educi de carcere, et dixit ad eos: Quid tractastis circa salutem vestram? Sancti Martyres responderunt: Salus et vita nostra Christus est, cujus spiritu nutrimur. D Eadem hora tradidit eos imperator Anulino consiliario suo dicens: Nisi sacrificaverint diis, diversis pœnis interficiantur. Profecturus ergo, sicut diximus, Anulinus, in partes Venetiarum, jussit alligari sanctos Dei Firmum et Rusticum, et perduci in Veronensem civitatem, et neque panem, neque aquam eis ministrari. Cumque die tertia perducti fuissent Veronam, et traditi cuidam militi, nomine Canchario *h*, ejusdem civitatis vicario, custodiendi, donec Anulinus superveniret, suscepit Cancharius intra domum suam, et misit eos in secretariam *i* cellam, in qua nimirum retrusi sunt. Circa mediam noctem terræ motus factus est, et auditæ sunt voces psallentium ac dicentium: Fac nobiscum, Domine, signum in bono, ut videant, qui nos oderunt et confundantur. Accurrens itaque Cancharius, cum vidisset lumen magnum in cellula, et mensam, omnium deliciarum plenam, appositam sanctis Martyribus, factus est velut mortuus. Ad quem accedens beatus Firmus, tetigit eum dicens: Surge, noli timere. At ille continuo surrexit, et interrogavit eos, quid causæ haberent, quod vinculis mancipati fuissent. Cumque E beati Martyres ambo simul indicassent ei, quia propter Christum paterentur ista, quatenus ab ipso præmia consequerentur æterna, procidens ad genua eorum Cancharius credidit cum omni domo sua.

vinculis constricti Veronam mittuntur

6 Post dies sex ingressus Anulinus civitatem Veronensium, jussit clamare præconem, ut omnes populi ad spectaculum convenirent. Audiens autem beatus Proculus *k* episcopus, qui propter metum paganorum cum paucis Christianis non longe a muris civitatis in monasterio *l* suo latitabat, quod Anulinus advenisset, ut Christi Milites ibidem examinaret, tota nocte pervigil in oratione deprecabatur Dominum, ut et ipse mereretur consortio jungi eorumdem Martyrum. Et surgens mane indicat Christianis, quod ad civitatem vellet ambulare, sanctosque Dei Martyres visitare. Cum ergo venisset ad domum Cancharii, ubi erant sancti Firmus et Rusticus, osculatus est eos cum gaudio dicens: Bene huc advenistis, fratres. Confortamini igitur in Domino Jesu Christo, et suscipite me vobiscum in agonem istum: desidero enim vestri consors fieri, ut sit nobis voluntas una, F et certamen unum pro Domino, quatenus ejus gloriam mereamur intrare, et nomen ipsius cum Angelis in æternum collaudare. Et dixerunt pariter: Amen.

ubi eos adit S. Proculus episcopus Veronensis.

7 Interea præcepit Anulinus ministris suis, ut sanctos Martyres sibi repræsentarent; qui concito cursu venientes ad domum, invenerunt Proculum episcopum, sedentem cum Sanctis Dei, et irridentes dixerunt: Quid sibi vult senex iste cum his, qui jam nunc condemnandi sunt? Beatus Proculus episcopus respondit: Non sunt condemnandi, sed a Domino nostro Jesu Christo coronandi; atque utinam et ego merear illis annumerari, quoniam Christianus sum, sicut et ipsi. Et hæc dicens porrexit manus ministris rogans, ut ligaretur. At illi ligaverunt eum. Sedente igitur Anulino pro tribunali, et adstante coram eo non parva multitudine populi, adducti sunt sancti martyres Firmus et Rusticus, quos præcedebat Proculus episcopus, vinctis post tergum manibus. Cumque præsentati fuissent aspectui judicis, interrogavit, quis esset senex ille, qui præcederet Sanctos. Responderunt ministri: Spontanea voluntate obtulit se nobis vinciendum et huc perducendum. Anulinus dixit: Non intelligitis, quia præ senectute delirat? Solventes itaque ministri sanctum

A ctum Proculum, injuriaverunt eum, ita ut palmas in faciem darent, et sic extra civitatem ejecerunt. Ille autem abiit tristis, eo quod a sanctis Martyribus fuisset separatus : et veniens ad suos, indicavit eis, quæ evenerant sibi. Post cujus ejectionem Anulinus intuitus sanctos Dei Firmum et Rusticum dixit : Sacrificare vultis adhuc diis immortalibus Jovi, Junoni, Saturno, et Apollini, quos omnes adorant, et quibus imperator cervicem flectit; an perire? Beati Martyres responderunt : Non sacrificamus dæmoniis, quia scriptum est : Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

ibidemque post varia tormenta capite plectuntur.

8 Tunc jussit Anulinus sterni testas lapideas, et desuper Sanctos volutari : qui cum volutarentur, statim facta est super eos nebula, ita ut viderentur testæ ab hominibus quasi favillæ super eos de fornace; et tremor apprehendit paganos. Sancti vero Martyres stabant illæsi, et in nulla parte violati, gratias agentes Deo atque dicentes : Glorificamus te, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui misisti Angelum tuum, et eripuisti nos de pœnis istis et plagis, quas exercuit in nos impius B Maximianus et Anulinus minister ipsius, et unguento misericordiæ tuæ unxisti nos. Hæc videntes populi, qui aderant, versi in stuporem dixerunt : Magnus est Deus Christianorum. Alii autem a diabolo cæcati, qui ex parte Anulini stabant, cœperunt clamare dicentes : Tolle magos atque maleficos, ne filii nostri seducantur ab eis. Anulinus ergo diabolica rabie plenus, jussit ignem copiosum accendi, et Sanctos Dei in medium flammæ jactari dicens : Videbo, si et hic magicæ artes vestræ prævalebunt. Sancti Martyres, dum signo crucis consignati fuissent, in ignem missi, hymnum canebant Domino, qui tres pueros liberavit de camino ignis ardentis, ut simili virtute succurreret eis. Statim divisa est flamma in quatuor partes, exurens eos, qui ignem succenderant; sanctis vero Christi Martyribus non exustus est capillus capitis, nec fimbria vestis. Tunc quasi ex uno ore laudabant Deum dicentes : Benedictus es, Domine Deus noster, quia visitasti et redemisti nos. Populi vero cum vidissent mirabilia, quæ facta sunt, dixerunt ad Anulinum : Quid hoc fecisti, ut adduceres huc magos istos? Civitas Ve- C ronensis in perditione est. Tolle eos a nobis. Hujusmodi vocibus incitatus Anulinus præcepit, ut extra civitatem ducerentur, et ibi fustibus mactati decapitarentur. Fecerunt ergo ministri, sicut præceptum fuerat, et decollati sunt martyres Dei Firmus et Rusticus extra muros civitatis Veronensis super ripam Athesis fluminis sub die quinto Idus Augusti.

ANNOTATA.

a *Codex, qui Veronæ exstat apud PP. Minores Conventuales, pro* Maximiano *habet* Maximino; *sed ecgrapha codicis Ultrajectini et hujus Bodecensis legunt* Maximiano; *quæ lectio retinenda est, ut jam passim omnes fatentur, et in Commentario prævio num. 7 indicavi.*

b *Id est* Bergomas, *vel* civis Bergomensis.

c *In codice Veronensi et editione Scipionis Maffei nulla fit mentio de templorum pontificibus; sed tantum in genere sic legitur :* Tunc nuntiaverunt imperatori dicentes : *etc.*

d *Joannes Glandorpius in Onomastico Romano col. 104 varios diversorum temporum Anulinos, officiis illustres, recenset. Distinctior horum notitia datur in Italia sacra novissimæ editionis, tomo V, col. 690 et sequente.*

e *Hoc est* in hippodromo, *ut eruditissimus Scipio Maffeus ad hanc vocem notat.*

f *Non convenit hic loquendi modus imperatori Romano, præsertim cum idem paulo post dicat :* Primi in regno meo eritis : *nam imperium sive regnum apud Romanos a* statu Reipublicæ *multum differebat, ut passim notum est. Si igitur hæc Acta sint antiqua, ut eruditi quidam contendunt, suspicor, illa ab amanuensibus posterioribus subinde interpolata fuisse.*

g *Apud Cangium in Glossario ad vocem* ternio *ex Julio Africano memoratur martyr, quem* proconsul septem ternionibus flagellorum cæsum crucifigi præcepit. *At hic per* binos terniones *intelligo sex carnifices sive ipsos flagellatores, cum ii Sanctos alloqui jubeantur, ut ex sequentibus datet.*

h *Alii codices legunt* Cancario *pro* Canchario. *Eruditissimus Scipio Maffeus in notis ad Acta horum Martyrum suspicatur pro* Cancario, *quod nomen toti antiquitati Romanæ ignotum ac inusitatum est, legi debere* Caio Ancario. *Hæc ipsius* E *conjectura magnam habet verisimilitudinem, cum facile fieri potuerit, ut littera initialis C, quemadmodum prænomina Romanorum exprimi solent, cum altero cognomine perperam conjuncta sit, atque inde per errorem* Cancario *pro* C. Ancario *lectum fuerit. Certe Joannes Glandorpius in laudato Onomastico Romano col. 52 et sequente de* C. Anchario *et* Q. Anchario *meminit.*

i *De multiplici hujus vocis significatione consule Cangium in Glossario. Ex sensu satis patet, hic ea voce locum domus ab aliis secretum, tanquam carcerem, indicari.*

k *Hic fuit quartus Veronensium episcopus, cujus Acta Majores nostri ad diem 23 Martii illustrarunt, et de quo in Commentario prævio § 4 nonnulla obiter monuimus.*

l *Hic per vocem* monasterium *significatur locus occultus vel solitarius, ut ex radice Græca hujus nominis facile colligitur. Agnellus tamen eadem voce appellat oratoria privata vel occulta sacella, ut eruditissimus Maffeus etiam notavit.*

CAPUT II. F

Prima horum Martyrum sepultura, quædam miracula, et variæ translationes.

Corpora horum Martyrum in alia provincia sepeliuntur

Posthæc præcepit Anulinus, ut omnia scripta vel gesta Christianorum adducerentur ante eum et igni comburerentur, dicens : Quicunque ea legerit, in errorem veniet, sicut et illi fuerunt, et venerabitur eorum sepulcrum magis, quam templa deorum, qui ab initio sunt. Jussit etiam, ut nemo sepeliret corpora eorum, sed bestiæ aut aves devorarent ea. Tunc abiit Cancharius cum duobus cognatis beati Firmi, qui venerant a Bergume videre actum rei, ut vigilarent nocte illa, et custodirent corpora Sanctorum. Vigilantibus autem illis, venerunt septem viri, qui dixerunt, se esse negotiatores, afferentes lectulum et sindones candidissimas, involventesque corpora Sanctorum, posuerunt super lectulum, ac flentes dixerunt : Væ populo hujus civitatis a peccatis eorum! Et abibant psallentes, et dicentes : Beati, quos elegisti et assumpsisti; habitabunt in

atriis

Ex ms.

atriis tuis. Tunc abierunt Cancharius et duo cognati beati Firmi post eos, et invenerunt navigium: viri autem illi, quos prædiximus, imposuerunt navi corpora Sanctorum, et abierunt, ac ultra ibi nusquam comparuerunt. Regressi sunt ergo Cancharius et cognati sanctorum Martyrum in civitatem Veronensem, et compuncti corde cognoverunt, quod vere unus et magnus est Deus Christianorum, credideruntque in Dominum, et baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Post hæc beati Martyres transvecti sunt in Carthaginiensem provinciam ad urbem, quæ dicitur Precones *a*, ibique reconditi ab Angelis, sicuti eis a Deo fuerat præparatum.

et occasione cujusdam energumeni inventa b c d

10 Evoluto autem non modico tempore, erat vir quidam gentilis *b* in provincia Histria *c*, nomine Terentius, in civitate Capris *d*, nobili quidem oriundus genere ac locuples valde; qui dum terrenis crebro negotiis insisteret, mercimoniis diversis navi superimpositis, sæpe per maris discrimina volitabat. Itaque dum hæc inter procellarum validos æstus perageret, quadam die filius ejus, vocabulo Gaudentius, cum patre in navi commorans, a dæmone arreptus est. Cumque diu vexatus a vi exagitantis dæmonis teneretur, cœpit per os B pueri dæmon clamare dicens: Nisi te sancti Firmus et Rusticus eripuerint, a me nullo modo relinqueris; sed meo juri dominioque subjectus eris. Pater hæc audiens et nesciens, quod suus filius clamaret, cœpit præ nimia mœstitia ubertim super filium lacrymas fundere, et ejulans dicere: Heu heu, fili mi! Utinam in gremio matris tuæ defunctus esses, ut propinqui et familiæ lugentes cum magna te gloria sepelirent. Cum itaque non paucis diebus vexatus fuisset puer, venerunt tandem pater et filius ad insulam Carthaginis, quæ dicitur Precones: quo in loco cum huc illucque puer vagabundus plurima Sanctorum sepulcra cum ejulante patre circuisset, et minime curaretur, ad ultimum venit, ubi beati martyres Firmus et Rusticus tumulati jacebant. Mox igitur ut tetigit tumulum eorum, larvali arreptione liberatus est, nihilque potestatis in eo diabolus ulterius obtinere prævaluit.

in Istriam transferuntur,

11 Videns hoc Terentius pater ejus, licet catechumenus, glorificavit Deum, innumeras illi gratias agens pro adepta filii sui sospitate. Aperiens C quoque sanctorum Martyrum tumbam, duo reperit corpora, aromatibus condita, libellumque simul ad capita eorum positum, in quo erat titulus his verbis insertus: FIRMUS ET RUSTICUS DECOLLATI SUNT IN URBE VERONENSI SUPER RIPAM FLUMINIS ATHESIS, SUB IMPERATORE MAXIMIANO, EJUSQUE CONSILIARIO ANULINO, UBI EO TEMPORE PROCULUS ERAT EPISCOPUS. Nec mora, Terentius cum filio suo, data pretiorum multitudine, quam secum a patria pro adipiscendis secularibus asportaverat lucris, emerunt corpora sanctorum Firmi et Rustici martyrum, ut thesauros sibi conderent in æternum: quæ videlicet cum ingenti de sepulcro sublata gaudio, involventes sindoni candidæ, imposuerunt navi, sicque in suam, suffragante Deo, patriam incolumes reversi sunt. Pervenientes autem ad oppidum suum Capris, condiderunt corpora Sanctorum in ecclesia sanctæ ac perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ibique longo quievere tempore, donec ea cœlestis denuo decrevit omnipotentia manifestari. Tunc Terentius una cum Filio Gaudentio, totaque domo sua crediderunt in Dominum Jesum Christum, et baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

atque inde propter irruptiones hostiles; e f

12 Evolutis plurimorum temporum cyclis, dum D Christiani piissimi reges Desiderius et Adelgis in Italia principarentur, depopulata est gens Longobardorum Histriam *e*, et occupavit omnes regiones ejus et oppida. Excitata est etiam tunc temporis gens Ungarorum *f* super Histricos, permittente hoc Domino, ut gloria sanctorum Martyrum Firmi et Rustici detegeretur. Denique audientes Christiani, quod irruptionem facere vellent gentiles in Histriam, accedentes unanimiter ad locum, ubi Christi Martyres quiescebant, et aperientes sepulcrum, invenerunt corpora eorum compta et redolentia, sicut redolere solent pretiosissima quæque aromatum genera, et elevantes ea cum reverentia magna, perduxerunt ad oppidum, quod nominatur Tregeste *g*. Gubernabat autem illis diebus ecclesiam Dei in urbe Veronensium egregius præsul Anno *h*, qui comperiens sanctorum Martyrum corpora tam evidenter fuisse reperta, collectis in unum sacerdotibus, clericis, universisque populorum agminibus, pervenit festinanter ad locum, ubi jam conditi habebantur, et offerens incolis auri et argenti pondus immensum, emit corpora eorum, et una cum ipsis corpora sanctorum Primi, Marci, Apollinaris, et Lazari, E et cum inexplicabili gaudio revertebatur ad propria.

non sine præviis miraculis.

13 Progredientibus igitur tam episcopo, quam suis omnibus, ab urbe Tregesti, erat quidam domesticorum inter eos magnis longo tempore febribus anhelans, nullamque poterat a medicis consequi salutem. Extollens autem quidam de turba vocem, et exclamans ait: Si estis vere sancti Dei, Firme et Rustice, aut si est in vobis aliqua virtus Dei, liberate hunc famulum Dei, qui maxima febrium valetudine vexatur, ut credamus, qui Christi estis discipuli. Tanta denique supernæ virtutis gratia Sanctorum est merita comitata, ut, hac emissa voce, is, qui magnis anxiabatur febribus, continuo sanus a cunctis secum gradientibus cerneretur. Multa quidem et alia signa, dum redirent, Dominus per suos operatus est Martyres, ita ut, qui aliquo detinerentur morbo, accedentes ad Sanctorum feretrum, illico sanarentur.

Veronam reportantur.

24 Pervenerunt itaque ad urbem Veronensem, F magnoque tripudio suscipiuntur ibidem: nam omnes populi, viri atque mulieres, ac parvuli cum omni cœtu clericorum et monachorum ovantes cum canticis laudibusque occurrunt, gratias agentes Deo, qui post tantorum curricula annorum revocare dignatus est Sanctos suos, ubi prius coronas suscepere martyrii. Enimvero memoratus pontifex corpora Sanctorum non longe foras muros civitatis in basilica, quæ a priscis fuerat in eorum honore constructa, sub omni diligentia condidit, perfundens ea balsamo ac thymiamate, nec non galbano boni odoris, et lucidissimo thure. Coronatur civitas tota, fit lætitia populis habitantibus in ea. Posita sunt autem pretiosa Sanctorum pignora in arca saxea in specu subterranea, cujus operimentum episcopus perornavit argento et auro, ac gemmis pretiosis: cujus rei opinio cucurrit per universos illius provinciæ terminos, et quotquot credentes ad Martyrum tumulum perveniunt, repente salvantur, quacunque fuerint ægritudinis incommoditate detenti, per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Jam sæpe laudatus Maffeus pro* voce Precones *libenter hic legeret* Hippones *vel* Hipponem, *quæ est nota Africæ civitas et episcopatu S. Augustini nobilitata. Sed ibidem in notis prudenter addit, se ab hac lectione seu emendatione deterreri, eo quod postmodum dicatur locus ille* ad insulam Carthaginis *pertinere. Nos etiam post multam inquisitionem ingenue fateri cogimur, urbem illam* Precones *nobis hactenus ignotam esse.*

b *Pater istius filii hoc loco appellatur* gentilis, *ni fallor, eo quod antea talis fuerit : nam paulo post vocatur* catechumenus, *et ante susceptum baptismum dicitur cum filio* plurima Sanctorum sepulcra *adiisse.*

c Istria *vel* Histria *est notissima Italiæ provincia, in qua sitæ sunt urbes Tergeste vulgo* Trieste, *et Justinopolis nunc passim vernacule dicta* Capo d'Istria *de quibus mox pauca notabimus.*

d *Maffeus existimat, urbem illam* Capris, *quæ medio ævo* Justinopolis *appellari cœpit, esse*
B *eamdem cum civitate Istriæ, quæ nunc vulgo* Capo d'Istria *appellatur. Id autem probat ex anonymo Ravennate, qui seculo circiter septimo geographiam conscripsit, et lib. 4 sui Operis num. 31 inter alias Istriæ civitates unam nomine* Capris *recenset, ut in editione Parisiensi veteris istius auctoris cum notis D. Placidi Porcheron p. 204 videre est.* Ex MS.

e *Suspicor, Paulum Warnefridum de hac Istriæ vastatione mentionem facere, dum lib. 4 de Gestis Langobardorum cap. 25 ita scribit :* Inter hæc Langobardi cum Avaribus et Sclavis Histrorum fines ingressi, universa ignibus et rapinis vastaverunt.

f *In codice Veronensi legitur* Avarorum *pro* Ungarorum, *quam posteriorem appellationem forte recentior librarius claritatis seu explicationis causa substituit. Ut ut est, his diversis nominibus eadem natio designatur, ut Paulus Warnefridus in Opere mox laudato lib. 4 cap. 27 agens de Mauritio imperatore satis indicat hac phrasi :* Hunni quoque, qui et Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt.

g *Est Istriæ civitas, communiter Latine dicta* Tergeste, *vernacule* Trieste, *sita in ora maris Adriatici, et hac ætate nostra potissimum commercio memorabilis.*

h *Gesta hujus B. Hannonis vel Annonis in Opere nostro ad diem 23 Maii breviter illustrata sunt.* E

DE S. SAMUELE PRESB. EDESSENO

CONSTANTINOPOLI

Cultus, elogia, tempus vitæ; an hic a synonymo distinguendus. J. P.

Seculo V vel VI. Sanctitas vitæ ab immemorabili tempore :

Ferrarius *in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, hac die Sanctum istum sic annuntiat :* Edessæ in Syria S. Samuelis presbyteri sub Anastasio viri doctissimi. *In notis additur :* Ex Menologio Græcorum hac die. *Sed cum non indicetur ibi, quali e Menologio Græcorum eum acceperit Ferrarius;*
C *nec alibi in sacris ipsorum Fastis ille nobis hactenus occurrerit ; religioni nobis duxissemus,* Samuelem *hunc publico inter Sanctos alios cultu venerandum proponere sola Ferrarii auctoritate ; nisi aliunde fuisset in promptu testimonium, quo asseritur vitæ ejus sanctimonia : nam apud illustrissimum Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 7 cap. 83 dicitur* sancta vita sublimis *exstitisse : et mox ibidem sequitur :* Qui et apud ipsam civitatem *(de Constantinopolitana sermo est)* in Christo quievit cum pace. *Adde quod parvo Sancti elogio, e quo ista delibavimus ibidem prænotetur hic titulus :* De sancto Samuele presbytero. *Scribebat autem ista laudatus Catalogi compilator seculo decimo quarto ; atque adeo* Samuel *noster titulum Sancti possidebat ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII. Ut vero eidem possessioni, quantum quidem in nobis situm esset, favere possemus, visum nobis fuit, salvo et integro isto decreto, dari hic Viro locum posse ; præsertim cum nihil aliunde sciremus, quod publico ejus cultui officeret.*

2 *Cæterum Gennadius a scriptis adversus hæreticos ita eum egregie laudat in virorum illustrium Catalogo :* Samuel Edissenæ ecclesiæ presbyter, multa adversus Ecclesiæ inimicos Syro sermone construere dicitur : præcipua tamen intentione contra Nestorianos et Eutychianos et Timotheanos novellos, sive ad diversos hæreticos. Unde et frequenter triformem bestiam, et ecclesiastica non semel sententia cum auctoritate sanctarum Scripturarum summotam ferit, ostendens Nestorianis Deum in homine, non purum hominem ex Virgine natum ; Eutychianis veram humani generis carnem a Deo assumptam, et non de F cœlo exhibitam ; nec crassi aeris substantiam in carne formatam ; Timotheanis ita Verbum carnem factum, ut manente Verbo in sua substantia, et homine in sua natura, societate non immixtione unam Filii Dei reddidisse personam. Vivere adhuc apud Constantinopolim dicitur : nam initio collati Anthemio imperii, et scripta ejus, et esse eum in carne cognovi. *Porro Catalogus iste recusus est inter Opera S. Hieronymi, anno 1693 et sequentibus Parisiis edita, tom. V col. 25 et seqq.* *elogium de ejus scriptis adversus hæreticos.*

3 *Joseph Simonius Assemanus V. C. Bibliothecæ orientalis Clementino-Vaticanæ tomo I, cap. 25, pag. 259 de Samuele agens, e postremis Gennadii verbis, quibus modo claudebat ejus elogium,* Atque, *inquit,* Anthemio Patricio Romano, Procopii filio, imperium a Leone Augusto collatum fuisse Pusæo et Joanne Coss. anno Christi CDLXVII, ex Marcellino, Cassiodoro, aliisque ostendit Pagius ad annum prædictum, num. 2. Anno igitur CDLXVII scribebat Samuel, eumque in carne esse noverat Gennadius. Nam Samuelem hunc, de quo Gennadius, eum esse puto, qui primum inter presbyteros Ibæ Edesseni accusatores locum in conciliis Antiocheno, Tyrio ac *et illa occasione examinatur,*

AUCTORE J. P.

ac Berytensi tenuit: idque colligi videtur ex nomine, dignitate, loco, studio atque ætate; cum uterque presbyter ecclesiæ Edessenæ fuerit, acerrimusque Nestorianorum sub Chalcedonensis synodi tempus inimicus. Quare probabile est, ipsum post Ibæ, cum quo jam reconciliatus fuerat, obitum, Edessa relicta, Constantinopolim abiisse, ibique animum impugnandis Nestorii, Eutychetis ac Timothei Alexandrini erroribus adjecisse.

an Samuel Edessenus, qui Ibam accusavit.

4 *Sed antequam Viri istius eruditissimi opinioni circa illam identitatem suffragemur, difficultates quasdam ei expendendas proponimus. Laudatus auctor loco citato cap. 15 sic scribit:* Ibas Rabulæ Edesseno successit anno Christi CDXXXV, ut docet auctor Chronici Edesseni, cujus verba supra *(cap. 14)* retulimus. *Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi jam dictum 435 postquam egisset de legatis ad Theodosium imperatorem missis, ut Theodorus ejusque capitula damnarentur, num.* XXIX, Eodem tempore, *inquit,* quidam ecclesiæ Edessenæ clerici ac monachi ad regiam civitatem accesserunt; et apud imperatorem et Proclum patriarcham accusaverunt suum episcopum Ibam, qui Rabulæ successerat, quod esset primus harum turbarum auctor, et fautor pertinacissimus *etc. Ac postea concludit*, longam illam accusationis catenam usque ad Chalcedonensem synodum perduravisse. *Apud Labbeum tom. VI Conciliorum col. 644 et seqq., actis istius synodi, anno Christi 451 celebratæ, inseritur* libellus Samuelis, et aliorum presbyterorum Edessæ, ad Photium et ad reliquos episcopos, contra Ibam: *ubi col. 653 Samuel interrogatur ab episcopis:* Ante quantum tempus hæc dixisse reverendissimum Ibam episcopum profiteris? Samuel dixit: Sunt tres anni plus minus. *Et ibidem Ibas dictum quoddam Samuelis in memoriam revocans, addit,* Et ex eo tempore communicasti mihi annis decem. *Sic ergo se habebant initia ac progressus Samuelis Ibam accusantis. Unde consequens est, ut primis circiter episcopatus Ibæ annis mota videatur a Samuele adversus eum accusatio, id est anno 435 vel proxime sequentibus. Quoniam vero in actore hujusmodi requiri videtur ætas matura, ponamus, Samuelem intentasse dictam accusationem anno suæ ætatis trigesimo vel temporibus proxime subsecutis, atque adeo natum fuisse ineunte circiter seculo* V.

et hic noster sit idem.

5 *Jam vero quia Samuel, de quo Gennadius, necdum e vita excesserat anno Christi 491, uti mox probabitur; si is idem fuerit, qui Ibam incusavit, sequitur ut nonagenarius circiter fuerit, quando de ipso scribebat Gennadius. Nam in Catalogo supra allegato* Vivere, *inquit,* adhuc apud Constantinopolim dicitur. *Quo autem tempore Gennadius absolvendo isti Catalogo operam navaret, docet Pagius ad annum 490 num.* XX, *ubi sic Baronium corrigit:* Baronius ut probet, Gennadium presbyterum Massiliensem, hoc anno librum suum de Scriptoribus illustribus scripsisse, ait: Hoc anno moritur Theodulus celebris in Cœlesyria scriptor; de quo ista Gennadius: Theodulus presbyter in Cœlesyria scripsisse multa dicitur etc. Moritur hic scriptor ante triennium, regnante Zenone. Hæc Gennadius post tres annos ista scribens, inquit Baronius *(ad an. 490)* num. IX; qui ideo Gennadium, librum illum hoc anno publicasse credidit. Verum, ut observat Emin. Card. Norisius lib. 2 Hist. Pelag. cap. 16, incertum est, an Theoduli mors hoc anno contigerit: cum Marcellinus in Chronico ad consulatum illi anno CDLXXVIII gestum, tantum dicat, eum tunc inclaruisse et multa conscripsisse. Ex laudatis itaque Gennadii verbis tantummodo colligitur, non vixisse Theodulum post annum CDXCI Zenonis emortualem, et librum de Scriptoribus illustribus elucubratum non fuisse pos annum CDXCIV: quoniam non diceret Gennadius: Ante triennium regnante Zenone. Quo vero ex illis tribus anno liber ille in lucem emissus sit, incompertum.

Id quod nobis apparet non improbabile.

6 *His itaque sic expositis, ut ad Assemanum redeamus; cum 1° multa concurrant, uti supra ostendebat, pro identitate Samuelis hic controversa. 2° Cum grandæva illa ætas illam certo non evertat. 3° Cum non sint hic duplicandi homines sine sufficiente ratione; non improbabile nobis apparet,* S. Samuelem *nostrum, et Ibæ accusatorem, esse unum eumdemque; etiamsi ad annos nonaginta, et centum fortasse, secundum mox dicenda vitam extenderit (Quod fieri potuit; neque ostenditur, factum non fuisse) quidquid Gallus neotericus Monumentorum ecclesiasticorum collector tom. XVI, pag. 308 alterum ab altero distinguat. Porro eum* in vivis fuisse an. CDXCV, quo Gennadius Catalogum suum clausit, *Caveus heterodoxus in sua Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria pag. 257 observat; sed ex dicto Catalogo id non conficitur, cum ante istum annum fuerit absolutus; sicut mox ostensum est. Quandiu autem* S. Samuel *in vivis fuerit, ex eo, quod* claruit tempore Anastasii primi imperatoris, *teste Petro de Natalibus, definiri non potest: cum anno 491 imperare is cœperit; anno autem 518 desierit, secundum ea, quæ ad istos annos habet Pagius in Critica Baroniana, Atque ea de causa supra seculo quinto vel sexto obitum ejus intexuimus.*

Elogium de ejus sanctitate etc. cum observationibus nostris.

7 *Hisce juvat subjungere Viri elogium, quod ex Petro de Natalibus supra citatum est:* Samuel presbyter ecclesiæ Edessenæ claruit tempore Anastasii primi imperatoris: qui sancta vita sublimis, et doctrinæ sapientia clarus, multa adversus Ecclesiæ inimicos, intentione tamen præcipua contra Nestorianos et Timotheanos Syro sermone conscripsit: quem apud Constantinopolim adhuc tempore suo in carne vivere, et scripta ejus se testatur agnoscere illustris Gennadius: qui et apud ipsam civitatem in Christo quievit cum pace, ibidemque tumulatus. *Occasione eorum, quæ tum hic, tum supra apud Gennadium* Syro sermone *scripsisse memoratur; observa, quod Trithemius de Ecclesiasticis scriptoribus, qui habentur 1 parte Operum ejus historicorum pag. 234 editionis Francofurtensis anni 1601, asserat, illum* scripsisse tam Græco quam Syro sermone pene infinita opuscula: *cujus rei fides sit penes asserentem. Apud Petrum de Natalibus, uti jamjam vidimus, vocatur* presbyter ecclesiæ Edessenæ; *Ferrarius superius num. 1* Edessæ in Syria *illum annuntiat; collector vero Monumentorum ecclesiasticorum loco citato indicat,* presbyterum ecclesiæ Edessenæ in Mesopotamia *fuisse; sed Gennadius* Samueli *synchronus illam non determinat, uti ex dictis constat.*

DE

DE SANCTO ERNEO ABBATE

APUD CENOMANOS

IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Seculo VI inclinante. Cultus apud Cenomanos et Burgundos

Sancti Ernei *aliis* Ernæi, Erinei, Hernei, *memoriam vetustis Martyrologiis celebratam nusquam invenimus; videturque adeo extra provincias unam alteramve et paucissimas ecclesias ignota permansisse usque ad annum 1625, quo illam in Vitis et sententiis Patrum Occidentis lib. 4, pag. 251 Renedictus Gononus orbi Catholico propalavit, primum quidem exhibendo Sancti Vitam; deinde vero hanc ei notam subjiciendo :* Ejus festivitas IX Augusti in Breviario ecclesiæ B. Mariæ de Belna reponitur, vulgo de Beaune, diœcesis Eduensis, alias Augustodunensis, vulgo d'Autun. *Hinc ad Saussayi Martyrologium Gallicanum transiit, et nescio quo ex capite, ad Menologium Bucelini Benedictinum; ubi ad hunc diem sic fere annuntiatur :* Belnæ in Æduis, S. Hernei abbatis, *addito utrobique elogio, ex Vita contracto. Aliter annuntiatur a Castellano in Martyrologio universali, cui ad eumdem diem* IX *Augusti sic habet :* Celsiasi apud Cenomanos in archidiaconatu Passagii, S. Erinei confessoris; *ubi vides, alium locum cultui, aliamque Galliæ provinciam designari; illam videlicet, in qua et vivus, et mortuus ac sepultus, pluribus eluxit prodigiis; ut ex Actis constabit.*

antiquus.

2 *Et sane in utraque provincia, Cenomanica et Burgundica, cultum* S. Ernei *ab omni memoria viguisse, nemo ibit inficias, qui tam Gononi Acta, quam nostra perpenderit : ambo enim e vetustis Breviariis exscripta sunt; illa, uti jam dictum, ex ecclesiæ B. Mariæ Belnensi; hæc nostra ex Breviario, seu potius Legendario, uno saltem, Cenomanensi; puta ecclesiæ collegiatæ S. Petri de Curia. Diximus :* uno saltem Cenomanensi : *nam, præter apographum S. Petri de Curia, habemus et alia duo; quæ inter se perparum quidem differunt; satis tamen, ut videri possint ex diversis exemplaribus prodiisse; singula in lectiones novem tributa; ne dubitare quis possit, quin olim in ecclesiastico* S. Ernei *Officio palam fuerint recitata. Quanquam dolendum id est, quod neque ab iis, qui nobis ea submisere; neque a Majoribus nostris, cum illa suscepere, quidquam adscriptum ex more fuerit, ex quo colligi possit, unde sint excerpta. Hoc interim certum, quod neque ex Breviario Belnensi, neque ex Legendario S. Petri de Curia desumpta fuerint : sunt enim puriora quam hæc; locupletiora quam illa : unde ad Cenomanicas potius ecclesias pertinuisse putamus, quam ad alias extra provinciam Cenomanensem positas; quippe quas verisimile non sit officio solemniore Sanctum exterum prosequi voluisse, quam Belnenses; aut etiam tam solemni, quam æquum fuit a Cenomanis honorari domesticum. Plura nobis de cultu non suppetunt : nisi forte quæ de translatione dicentur in Annotatis and litteram* l.

Acta unde demus;

3 *Ad Acta quod attinet, ea dabimus ex Legendario Cenomanensis ecclesiæ S. Petri de Curia; non quia meliora non sunt alia illa duo manuscripta, de quibus modo meminimus, sed quia non possumus horum exemplaria prototypa assignare : apographum autem S. Petri sic inscriptum accepimus :* Vita sancti Ernæi confessoris. Hæc Vita excerpta est ex manuscripto Legendarii ecclesiæ collegiatæ sancti Petri de Curia Cenomanensi, domino Joanne Verdie procurante, ejusdem ecclesiæ Canonico. *Ad marginem vero additur :* Ex Ms. collectaneo Patrum Fuliensium Parisiis. *Porro cum hoc apographum dicimus minus esse defæcatum, quam duo alia, id nequaquam intelligi volumus de narrationis substantia (nam hæc in tribus illis Mss. prorsus est eadem;) sed de verbis et quidem pauculis tantummodo, quæ in S. Petri Ms. vel inserta vel transposita sunt vel scripta vitiose. Hæc adeo ex aliis duobus illis Mss. emendanda censuimus.*

et quam antiqua sint.

4 *Sunt autem hæc Acta longe majoris pretii, quam Gonomiana, quæ et duabus fere tertiis partibus mutilata prodierunt, et illud in primis omittunt, unde primigenii scriptoris ætas unice possit innotescere; ac proinde unde omnis Actorum gravitas fidesque petenda est. Omittunt, inquam, prodigium illud insigne, quo Sanctus Fratrem cœnobii sui, jam cum morte luctantem, ut infra legere est num. 5, simul valetudini, simul officio restituit; et quæ de eodem ibidem Fratre sic subdit biographus :* Qui *(Frater a vivente Sancto sanatus)* multo post vivens tempore, hæc eadem NOBIS retulit. *Quis vero non videt, quantum Actis momenti vel hujus unius versiculi omissione decedat; quandoquidem ex illo fit manifestum, ea scripta fuisse ab auctore propemodum coævo, ut qui eos audierit, qui cum Sancto conversati?*

Floruit Sanctus seculo 6.

5 *Jam etsi, quo tempore vivere cœperit* S. Erneus, *quo desierit, certis annorum spatiis definiri modo non possit; id Acta tamen, quantum necesse est, indicant, dum num. 1 asserunt, eum venisse ad S. Innocentem, Cenomanicæ urbis episcopum, qui comperta ejus sanctitate, diu eum secum retinuerit, tum sacris Ordinibus initiatum præfecerit Fratribus evangelicam vivendi rationem in vico Celciaco, vel, ut alii scribunt, Celsiaco profitentibus : nam S. Innocentem, cujus Acta illustravimus tom. III Junii a pagina 854, ecclesiæ Cenomanensi præfuisse diximus ab anno 496 usque ad 542. Ante hunc ergo annum 542 jam congruam regendis monachis gravitatem, constantiam, doctrinam, et ætatem* Erneus *attigerat; neque adeo natales ejus post seculi sexti principia videntur posse differri. Ex iisdem Actis num. 2 constat, superfuisse in cœnobio Celciacensi sanctum hunc Virum, dum in Chramnum filium arma vertit Clotarius primus, quod anno 560 contigisse referunt Francorum annales. Quanto autem*

AUCTORE P. B.

tem posterius vixerit, incompertum est. Ad annum Christi 584 certo non pervenit; quandoquidem Acta num. 8 superstitem ipsi faciunt S. Domnolum antistitem Cenomanensem, de quo actum est ad diem XVI *Maii, et quem deinde tom. III Junii, pag. 862 sedisse statuimus ab anno 557 usque ad anni 583 Decembrem. En tibi nunc Acta.*

VITA

Auctore anonymo et suppari.

Ex Legendario Ms. *Cenomanens ecclesiæ collegiatæ S. Petri de Curia, collato cum duobus aliis exemplaribus Mss.*

B *Sanctus ordinatur sacerdos apud Cenomanos,* * *al.* Erneus

Fuit sanctus Ernæus * vir vitæ venerabilis, et Aquitanicæ provinciæ nobili ex progenie ortus, et ab infantia sacris litteris eruditus ac regularibus disciplinis pleniter imbutus, moribus temperatus, sacris orationibus ac lectionibus assidue deditus, pauperibus ultro ministrans, et ipse pro Christo pauper ac peregrinus effectus, aspectu venerabilis, forma speciosus, habitu laudabilis et virtutum donis præclarus. Hic autem propriam patriam *a*, parentes domosque, et possessiones multas relinquens, adimplevit sententiam Domini qui ait: Quicunque reliquerit patrem, aut matrem, fratres, et sorores, domos, et agros (et reliqua quæ Salvator adnumerat) et secutus me fuerit, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Ipse autem audiens famam S. Innocentis, Cenomanicæ urbis episcopi, una cum sociis suis venit ad eum. Qui, reperta * ejus sanctitate, diu eum secum retinens, ordinavit eum primo diaconum et non multo post presbyterum illum consecravit.

a

* *Gonon.* comperta

C *et monachis præfectus, invisitur a Clotario rege, ac ditatur;* *b*

2 Hoc peracto, dedit illi vicum suum nomine Celciacum *b*, ut Fratres, qui vitam communem ibidem ab Apostolis traditam sancte ducebant, regulariter doceret, et sub ejus ditione sancte regeret, ut plures Christo lucraretur. Qui susceptam obedientiam pro viribus adimplere curavit, atque juxta prædictum vicum, adjuvante et ordinante præfato episcopo, ecclesiam in honorem sancti Martini construxit [una cum claustro regulariter sub eis composito qui *c*] monachos non minus quam triginta congregare curavit, et sub sancta regula vivere perdocuit. Tempore namque, quo hæc agebantur, Clotarius Francorum rex, persequendo filium suum nomine Chramnum, illuc adveniens, a jam dicto sancto Ernæo cum psallentio *d*, ut regem decet, nobiliter susceptus est; atque de pauco vino, quod ibidem habebat, Domino illud augmentante, illum suosque potavit abunde. Tunc vero memoratus Sanctus ab ipso rege et muneribus est ditatus et rebus. Dedit autem ei prædictus rex aliqua prædia et munera, unde cœptum opus perficeret: siquidem amabat Dei servos, et cultum sanctæ Dei Ecclesiæ dilatare cupiebat, et ideo ejus ac fratris sui Childeberti *e* temporibus multa monasteria et synodochia * sunt constructa: unde et gratiam Dei, ac insuper vitam, ut credendum est, adepti sunt sempiternam.

* *f.* xenodochia

3 Erat enim memoratus sanctus Ernæus parcus admodum in cibo et potu, vigiliis et orationibus et jejuniis deditus, atque necessitatem patientibus ea quæ sibi subtrahebat et reliqua necesssaria quotidie tribuebat. Unde factum est, ut sæpissime non aliud quam panem et aquam comedebat; quibus contentus cætera non reservabat, sed Domino tribuebat. [Unde ipsa Veritas ait: Quodcunque uni ex ministris meis feceritis, mihi fecistis *f*.] Solebat enim non in strato sæpissime, sed humi prostratus jacere, et sic fessus tam obedientia quam oratione, paulisper quiescere *g*: lectaria *h* nesciens, et delicias fugiens, soli Domino vacabat: ab aspectu vero non solum feminarum, sed etiam virorum, oculos suos sæpissime continebat: sedulo secreto orans et genu flectens lacrimis affluebat: Angelorum fruitus visione, Domino soli serviebat.

D *nihilo inde tamen in se minus durus.*

Mutum sanat, et cæcum. *i*

4 Quadam vero die dum ab obedientiam *i* haud procul ab eadem cellula una cum Fratribus pergebat, allatus est ei quidam parvulus mutus; ad quem mater pueri lacrymabili vultu ait: Serve Dei, facta est mihi hac nocte quædam visio per servum quemdam Dei, qui præcepit mihi, ut hunc puerulum tibi offerrem; ut per te officium linguæ acciperet. Ad quod Sanctus Dei stupefactus, respondit: O dulcissima soror, a Domino erit illi medicina, non a me peccatore homine. Tu autem excuba in ecclesia et ora pro eo atque offer oblationem; ego autem revertens de obedientia, orabo pro illo. Fecit mulier, ut Homo Dei præceperat. Ipse autem reversus de obedientia, oravit una cum Fratribus pro eo, et sacrati olei liquore tetigit exterius interiusque labia ejus; atque pernoctans * cum eo in oratione, sic crastina die ejus meritis recepit linguæ officium. Denique non multo post tempore quidam cæcus, qui longo senectutis tempore lumine carebat oculorum, adducitur ad sanctum Virum; qui saliva oris sui ejus tangens oculos et sacrati olei liquore perungens, invocato Christi nomine, pristinum ei restituit oculorum lumen.

E

* *pro* pernoctante illo

et moribundum.

5 Deinde tempore aliquo transacto, accidit, ut quidam ex suis Fratribus tam gravatus esset infirmitate, ut ultimo suspirio jam gravaretur: ad cujus finem currunt Fratres, ut jam animam Domino commendarent et postea illum sepelirent. Cujus finis cum sancto Ernæo esset nuntiatus, ait: Dominus fratrem illum potest reddere, ne nos ejus absentia et obedientia gravemur, sed ejus auxilio fruamur. Tu vero curre cito, et obedientia fraterna præcipe illi, ne nos absque præsentia nostra derelinquat. Cui Frater inquit: Nisi cito veneris, minime eum vivum reperies; quoniam nec ego vivum eum reperire spero. Cui sanctus Ernæus ait: Vade, et perfice quod tibi injunctum est; ego vero interdum, Domino annuente, cantabo Missam, et post peractum Officium subsequar te, ut communione Dominica eum confirmem. Fecit autem vir Dei, ut prædixerat; et peracto Officio, Corporis et Sanguinis Domini communione eum confirmavit; et jam mutum atque subgultientem revocavit a funere, et pristinæ sanitati atque obedientiæ restituit. Qui multo post vivens tempore, hæc eadem nobis retulit *k*.

F

k *Clotario regi prædicit victoriam.*

6 Tantam enim gratiam Dominus præfato sancto Ernæo contulit, et abundantiam donavit, ut (quod jam supra commemoratum est) regem Clotarium persequentem Chramnum filium suum suscipere meruit, et caritatem ibidem facere atque jejunium solvere persuasit; a quo tam ex rebus fisci, quam ex aliis bonis atque muneribus ditatus est ad construendum et immeliorandum eumdem

A dem locum. Ipse vero benedicens memoratum Clotarium Francorum regem, prophetavit ei victoriam super æmulos suos et super filium suum habere; quod et nutu Dei, meritis (ut credimus) ipsius factum esse haud dubium est. Reliqua autem signorum et virtutum ejus nonnulla, quæ Dominus, tam eo vivente quam post ejus obitum, suis meritis monstrare dignatus est, prolixitatem vitantes, hic inserere distulimus : manent autem acta ad laudem omnipotentis Dei, qui mirabilis est in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Obiit 9 Augusti non sine miraculis, l

7 Obiit autem sanctus Ernæus prædictus quinto Idus Augusti, et condigne sepultus est *in* memorato vico, in ecclesia S. Georgii martyris *l*, quam ipse a novo construxerat, a monachis et condiscipulis atque a reliquis sacerdotibus non paucis, quibus etiam transitum ejus Dominus per visionem eadem nocte ostendit. Sed non obiit, antequam simul omnes convenirent, quibus Dominus ejus transitum voluit revelare. O quam venerandus est iste Sanctus, ad cujus transitum, eo non vocante, sed Domino revelante, tanta sacerdotum convenit turba, quæ eum cum hymnis et B orationibus decenter atque condigne sepelivit! Venerunt etiam et multi religiosi viri ad ejus transitum, Domino revelante, inter quos cæci, dæmoniaci, et reliqui infirmi occurrerunt : ex quibus duo illuminati, et alii quatuor sunt sanati ejus meritis, videntibus cunctis qui eum ad sepeliendum deferebant.

quæ deinde ad tumulum perseverarunt.

8 Ad cujus sepulcrum virtutes fiunt sæpissime, ejus condignis meritis et miracula : ibi cæci illuminantur, dæmonia fugantur, claudi recipiunt gressum, surdi auditum, muti loquelam, et cætera, quæ longum est enumerare. De Sancto autem eo, in potestate sancti Domnoli, scilicet successoris sancti prædicti Innocentis, relinquitur cellula ipsa, de cujus sedis ecclesiæ jure erat. Qui vocatus a Fratribus sancti loci venit, et per electionem eorum unum ex eis ordinavit abbatem, [præstante Domino nostro Jesu Christo, qui trinus et unus regnat in æternum. Amen *m*.]

ANNOTATA.

C a *In hoc Ms. inter voces* propriam *et* patriam *redundabant hæ :* partem hæreditatis et; *quas auctoritate utriusque alterius manuscripti nostri et editionis Gononianæ expunximus.*

b Celciacum, *alia Mss.* Celceyacum, *vulgo* Ceaulcé, *ad occidentem, seu corum potius, Cenomannicæ ditionis in decanatu Passagiensi, vernacule Doyenné de Passais, Normanniam versus, olim vicus fuit et castrum episcopale; sed seculo* XIII *funditus eversum, testibus Corvaiserio et Bondonneto in Historia episcoporum Cenomanensium, ubi de Joanne de Tanlay, episcopo 48.* Ex MS.

c *Uncinis inclusa desunt Mss. aliis, quæ eorum loco habent :* in qua monachos *etc.*

d Psallentium *pro cantu ecclesiastico vox est apud medii ævi scriptores frequentata. Vide Cangium in Glossario.*

e *Fuit* Childebertus, *rex Parisiensis, Clodomiro ac Theodorico, Clodovei primi filiis ac fratribus suis diu superstes; jam tamen a triennio mortuus, cum adversus Chramnum filium anno 560 movit Clotarius, monarcha tum Galliarum.*

f *Quæ hic seclusimus, desunt aliis Mss.*

g *Ita ex Mss. duobus textum correximus, qui in hoc Ms. talis erat :* ut sic fessus tanquam oratione paulisper quiesceret.

h Lectaria *sunt lecti apparatus, ut variis exemplis ostendit Cangius. In aliis nostris Mss. male legitur* luctuaria *pro* lectaria; *vel etiam forte pro* lintuaria, *quod barbare scribi potuerit pro tela quacunque linea et omni illius usu.*

i Obedientiam *olim et nunc monachi appellare consueverunt, quidquid ex officio aut eorum, qui-* E *bus subsunt, jussu faciendum est. Suberat autem* Erneus *episcopo Cenomanensi.*

k *Hinc supra collegimus ætatem hujus biographi.*

l *Quæ fuerit ecclesia illa* S. Georgii M., *ignoratur; quia plures in Cenomania sunt. Corvaiserius divinat, illam fuisse, quæ nunc vocetur Saint-George de Boutavant; ut quæ modo Celciaco sit minus remota, quam aliæ. Sed potest alia fuisse intra Celsiacum, quæ diu ante vicum illum periit. Ut ut est; ibi mansisse non videtur corpus ejus; si de illo intelligenda sint, quæ in Gestis episcoporum Cenoman. apud Mabillonium, Analectorum tom. III, pag. 272, narrantur in hæc verba :* Ipse *(Franco senior, de quo istic sermo est, et quem sedisse diximus alias ab anno 793 usque ad 816)* etenim fecit ecclesiam a fundamento in villa sui episcopii, et in vico Canonico, qui vocatur Celsiacus, quam et in honore S. Petri consecravit; et in eam corpus beati Erinei confessoris collocavit, atque ejus sepulturam sapienter et more Romano ornavit. *Enim-* F *vero si noster est iste* beatus Erineus, *indicatur hic ejus translatio aliqua; si non est, alium cedo synonymum, et quidem apud Cenomanos. Porro quo nunc tandem evaserint pignora tam pretiosa, nondum legi qui doceat.*

m *Istam clausulam ab homine neque theologo, neque primorum religionis suæ principiorum gnaro, adjectam fuisse posterius, eruitur ex aliis Mss. nostris, in quorum neutro reperitur.*

DE

D

DE SS. MARTYRIBUS CONSTANTINOPOLITANIS

GREGORIO SPATHARIO, JULIANO, MARCIANO, JOANNE, JACOBO, ALEXIO, DEMETRIO, LEONTIO, PHOTIO, PETRO, MARIA PATRICIA, AC DUOBUS ADOLESCENTULIS.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sanctorum Martyrum numerus, elogium; alii tempore ab his distincti; dies passionis, uti et causa, quæ imago Christi Constantinopoli fuit.

ANNO DCCXXX. *Martyrum numerus*

A*pographum nostrum e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis exceptum, de quo infra, Græcis istorum Martyrum Actis hunc titulum præmittit :* Μηνὶ B Αὐγούστῳ η'. Ἄθλησις τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων τοῦ Χριστοῦ Γρηγορίου, Ἰουλιανοῦ, Μαρκιανοῦ, Ἰωάννου, Ἰακώβου, Ἀλεξίου, Δημητρίου, Λεοντίου, Φωτίου, Πέτρου, καὶ τῆς ἁγίας καὶ σεβασμιωτάτης Μαρίας τῆς πατρικίας, τῶν καὶ μαρτυρισάντων ἐν τοῖς χρόνοις Λέοντος τοῦ Ἰσαυροῦ διὰ τὴν ἐν τῇ Χαλκῇ πύλῃ εἰκόνα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Id est :* Mense Augusto *(die)* VIII. Certamen sanctorum Christi Martyrum Gregorii, Juliani, Marciani, Joannis, Jacobi, Alexii, Demetrii, Leontii, Photii, Petri, et sanctæ ac maxime venerandæ Mariæ patriciæ; qui temporibus Leonis Isauri propter imaginem Domini nostri Jesu Christi in porta Ænea, martyrium subiere. *Petrus Lambecius in Commentariis de prædicta bibliotheca lib. 8, pag. 118 pro* τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων *habet* τῶν ἁγίων ι' μαρτύρων : *id est,* Sanctorum DECEM martyrum : *in quem locum ibidem sic notat :* Fuerunt enim decem Martyres, præter S. Mariam patriciam; quippe quæ revera fuit undecima : *quibus si adjungas* duos Adolescentulos, *jam habebis tredecim Martyrum manipulum.*

2 *Quam vero ob causam juniores istos duos* C *Christi Pugiles reliquis undecim adjungendos, tametsi superius præteritos, censuerim, paucis eloquar. Acta superius memorata, et in varios a me inferius numeros dispertita, num. 21 nostrorum Martyrum undecim apparitionem referunt* cum duobus Adolescentulis. *Et num. 24 de eorum inventore, qui fuit Joseph vasorum custos, scribunt;* Generosam martyrem Mariam supra omnes jacentem offendit; prope ipsam vero gloriosissimum Gregorium protospatharium; infra ipsos autem Sanctos reliquos CUM DUOBUS ADOLESCENTULIS. *Cum igitur illæ duæ victimæ ibi memorentur cum aliis undecim; cur ab his eas secludam? Hæc itaque ratio me movit, ut in titulo superiore hosce* duos Adolescentulos *anonymos aliis undecim nominatis accenserem. Circa duos itaque istos ex dictis Actis suppleri possunt Fasti Græci, uti et circa* S. Gregorium spatharium, *in illis prætermissos; prout videre licet ex annuntiationibus, quas subdo.*

ex Græcis Actis

3 *Menologium a Sirleto Latine redditum hac die* IX *sic loquitur :* Natal. beatorum X Martyrum, qui propter sanctam imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi, in Aurea *(imo Ærea)* porta constitutam, martyrium passi sunt : quorum nomina hæc sunt : Julianus, Martianus, Joannes, Jacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, et Maria patricia. Omnes hi sub Leone imperatore impio, pro defensione sanctarum imaginum multas ærumnas perpessi, et, variis E tormentis superatis, postremo gladio percussi, martyrio coronati sunt. *In ecgraphis nostris e Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ habetur* ἄθλησις τῶν ἁγίων δέκα Μαρτύρων. Certamen sanctorum decem Martyrum; *sed nominantur tantum novem, omisso* Martiano. *Menæa magna Græcorum excusa non nisi decem etiam nominatim exprimunt; et primo quidem viris novem applaudunt hisce versiculis :*

suppletus pro Fastis Græcis

Ἐχθρὸν Θεοῦ κτείναντες ἄνδρες ἐννέα
Φίλοι γίνονται τῷ Θεῷ διὰ ξίφους.
Novem Viri hostem quando prosternunt Dei,
Amica fiunt turba per gladium Deo.

Deinde Mariæ patriciæ *sic ibidem accinitur :*

Ἐμοῦ τραχήλου, Σῶτερ, αἷμα προσδέχου,
Μαρία φησίν, ὡς τὸ μύρον Μαρίας.
Dicit Maria : Sanguinem colli mei,
Alterius ut unguenta, Salvator, cape.

4 *Coluntur autem Martyres decem etiam in Ecclesia Latina, Martyrologio Romano ad hunc diem ita eos annuntiante :* Constantinopoli sanctorum martyrum Juliani, Marciani, et aliorum octo; F qui ob Salvatoris imaginem, quam in porta Ænea constituerant, impii Leonis imperatoris jussu, post multa tormenta gladio necati sunt. *Quod ex supra dictis etiam suppleri potest. Vides,* Mariam patriciam *nominatim hic non exprimi; quæ tamen rectius a Græcis nominatur, quia præcipuas in Actis Martyrii postea proferendis partes agit, et sola in illis nominatim laudatur diserte præ omnibus, si* S. Gregorium spatharium *excipias.*

ac Martyrologio Romano :

5 *Hisce juvat attexere elogium, quod e Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, Græce habetur ad calcem tomi primi hujus mensis Augusti, et Latine sic sonat :* Eodem mense, die IX certamen sancti martyris Juliani, ac sociorum ejus. Hi, imperante Leone iconomacho, exstiterunt. Dum vero orthodoxi essent, Deumque timentes, ac sanctas imagines venerarentur, martyrium confecerunt. Eum quippe aversantem venerabilium imaginum adorationem, illasque igne comburentem ubi conspicarentur, dolor ac zelus illos invasit. Quando autem honorandam Christi imaginem in porta Ærea videbant eversam, dolorem corde pressum protulerunt in lucem, et spatharium, qui scalas ascenderat ad imaginem abolen-

elogium :

A abolendam, comprehensum, et humi una cum scalis dejectum occiderunt. Qua re tyranno ad iram concitato, hi quidem numero multi statim gladio interempti sunt; (quos inter erant etiam mulieres non paucæ, ac Maria patricia) illi vero custodiæ traditi, ac facies inusti, multis ærumnis toleratis, capitis truncationem sustinuere. *Hæc ibi; sed observa, istius elogii conditorem, quando inter eos qui statim occisi sunt, ponit* Mariam patriciam, *ab Actis Martyrum nostrorum dissentire; quemadmodum planum fiet ex dicendis.*

alii ob eamdem causam passi, sed diverso tempore.

6 *Inter eos, qui post defensionem mox dictæ imaginis. Leonis jussu occisi fuere, alii ab aliis tempore, loco ac numero distinguuntur, secundum Acta. Nam num. 15 habemus ista :* Hæc ubi intellexit tyrannus imperator, magno furore repletus, missis septingentis militibus gladio armatis, mandavit eos omnes comprehensos interfici, præter hosce *(nostros utique de quibus hac die agimus)* Sanctos. Unde milites comprehenderunt illos, et gladio interemerunt in eodem ipso loco portæ Æreæ : multique eadem illa die redimiti fuere corona martyrii : inter B quos erant mulieres ac viri, sacerdotes ac levitæ, innuptæ ac moniales, præsides ac subditi : quorum numerum et nomina solus novit Dominus : neque enim tanta in nobis est facultas, ut numerum eorum inire possimus. Dum autem Martyres ad diem deciman nonam mensis Januarii ita cursum consummassent *etc. Atque hi sunt Martyres anonymi, qui sine mora, et in flagrante, ut ita dicam, tyranni sævientis æstu interempti sunt.* Mane vero, *sicut ibidem leges,* imperator sanctam martyrem Mariam una cum sancta, quæ sibi aderat, societate, arcessitam sic affatus est *etc. Et infra num. 18. Martyres* in Cynegio.. simul cum Maria interempti sunt die nona mensis Augusti. *Hæc, sicut jam indicabam, non conveniunt cum elogio superiore, quod* Mariam patriciam *accensebat prioribus victimis, non postremis, sicut Acta diserte faciunt.*

Dies cultus.

7 *In signando venerationis publicæ nostrorum Martyrum die* IX *hujus conveniunt tabulæ sacræ Græcorum, ac Martyrologium Romanum; a quibus discrepat annuntiatio seu titulus Actorum ecgrapho prænotatus; in quo ponitur* μηνὶ Αὐγούστῳ C η', mense Augusto VIII *(dic) sicut ante dictum num.* I; *quem diem etiam legit Lambecius, de quo infra. In ipsorum autem Actorum contextu diserte ac distincte dicitur martyrium contigisse* μηνὶ Αὐγούστῳ ἐννάτῃ, nona mensis Augusti. *An ergo in dicto titulo pro littera* η', *substitui debet* θ', *qualis notatur in Basiliano citato? An in loco vel provincia, in qua vixit dictorum Actorum auctor, anticipata fuit dies cultus nostrorum Sanctorum propter concursum alicujus solemnitatis vel venerationis publicæ Sancti alterius ad diem nonam Augusti? Quidquid sit; nos, more nobis usitato, cum Martyrologio Romano sacros hosce Pugiles damus hac die* IX *Augusti. Factum Martyrum pro defensione sacræ imaginis Christi servatoris in porta Ænea expositæ aliunde illustremus ac confirmemus, ansam videlicet eorum sacri certaminis, actorum basim.*

Factum Martyrum

8 *Narrat illud Actorum conditor infra num. 14 :* Sancta martyr Maria... una cum S. Gregorio, qui protospatharius erat, ac cum reliquis Sanctis sibi in socios assumptis..., accessit ad Æream portam, et confractis scalis, spatharium imaginis destructorem humi dejectum distraxerunt atque interfecerunt. *S. Gregorius PP. II in epistola prima ad Leonem Isaurum data, et occasione concilii Nicæni secundi apud Labbeum edita tom. VII Conciliorum, sic alloquitur ipsum in rem nostram col. 19 :* Cum *(reges Occidentis)* didicerunt certioresque sunt facti, te Jovinum spatharocandidatum ad Chalcopratia misisse ad evertendum et confringendum Salvatorem, qui appellatur Antiphonetæ, ubi et miracula multa fiunt, inventæ sunt illic mulieres zelo succensæ, et illarum æmulæ, quæ unguenta ferebant; quæ spatharocandidatum orarunt : Ne, obsecramus, ne hoc facias, aiebant. Ille vero preces earum non admittens, erecta scala conscendit : cumque ter securi faciem imaginis Salvatoris percussisset, hoc videntes mulieres, et iniquum illud facinus non ferentes, attracta scala fustibus concisum illic necarunt.

Auctore J. P.

pro defensione imaginis Christi

9 Tum tu mali æmulator missis satellitibus mulieres nescio quot illic occidisti, adstantibus utilibus viris Romanis, et ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex Gotthia, et, ut generatim dicam, ex toto interiori Occidente. Cum autem advenissent, et in suis regionibus singuli juvenilia tua pueriliaque facta narrassent, tunc projecta laurata tua conculcarunt, et faciem tuam conciderunt *etc.* E *Ne quis vero hæreat ad* laurata tua, *quod ex Græco* τὰ λαυράτα σου, *sic reddidit interpres; Cangius in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ græcitatis, ad vocem* λαύρατον, laureata, *inquit,* imago imperatorum, uti appellatur a Lactantio lib. de Mortibus persecutorum num. 25, quæ post eorum inaugurationes deferebatur in provincias. *Consuli etiam potest notatio apud Labbeum loco citato col. 23.* Spatharocandidatus, *de quo superius, dignitatem fuisse supra dignitatem spatharii, cui utique* candidati *dignitas fuerit adjuncta, invenies in laudati collectore Glossarii. Quales vero fuerint* spatharii, *dicam in Annotatis ad cap.* I *Actorum litt.* k. *Dignitas* candidati *palatina æque ac militaris memoratur apud indicatum collectorem in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis; qui etiam videri potest in Glossario Græco supra citato. His breviter observatis, redeamus ad priora. Præter ea, quæ ad illustrandam ac confirmandam historiam superiorem protuli, transcribere huc placet alium quemdam locum; quia in eo notantur adjuncta nonnulla, quæ in superiore præterita sunt.*

F

confirmatur

10 *Inter analecta Græca Lutetiæ Parisiorum anno 1688 edita, habetur a pag. 396 Vita S. Stephani Junioris monachi et martyris sub Constantino Copronymo; quæ post annum 42 a martyrio elapsum conscripta est, secundum ea, quæ ibidem leguntur pag. 399. Et Vita itaque ista delibo hæc, quæ a pag. 414 occasione Anastasii, pseudo-patriarchæ Constantinopolitani (de quo in Actis nostrorum Martyrum cap. 2, num. 11) sic referuntur :* Impius Anastasius impietatis manu pontificatum occupavit vi militum, non suffragio divinæ pietatis : qui quidem omnia ad ecclesiam pertinentia imperatoriis ædibus tradidit. Tum tyrannus *(Leo Isaurus)* libera potestate prodendæ hæresis accepta, illico sanctam et dominicam Christi Dei nostri imaginem, quæ supra imperatoria atria collocata, ob effigiem sancta Ænea dicebatur, dejicere et igni tradere tentavit; quod quidem peregit. *Et paucis interjectis de mulierum fortitudine ac spatharii morte;* post hæc, ad patriarcham domum statim properantes, impium Anastasium lapidibus petunt, aientes : Impurissimum caput, et veritatis hostis, ergone idcirco sacerdotium invasisti, ut sancta et sacra anathemata sive donaria everterentur? Hanc de se victoriam non ferens profanus, a conspectu piarum mulierum aufugit, et ad tyrannum confugiens, ei auctor fuit,

ut

AUCTORE J. P. ut sanctas illas mulieres ferro interimeret; quod quidem factum est.

11 *Porta igitur Ænea, et imago Christi Domini eidem superimposita, ad atria imperatoris pertinebat; de qua collegit varia Cangius CPolis Christianæ lib. 2, pag. 116. Pagius ad annum 730, num. 5 observat, modo* Chalcopratianam, *modo* Æream *aut* Æneam, *modo* Antiphoneten *(quasi sponsorem ac fidejussorem dicas) nuncupatam fuisse. Combefisius in tomo, qui inscribitur* Historia hæresis Monothelitarum, *col. 611 edidit de ea narrationem Græco-Latinam. Nominis etymon dat Zonaras in Annalibus anno 1687 Lutetiæ Parisiorum editis, lib. 14, pag. 62 memorans* palatii Chalcostegum, quæ nunc, *ait,* Chalce appellatur (ab æreo tecto nomen id factum est) et carceris usum præbet. *Codinus in Excerptis de Originibus Constantinopolitanis, ibid. anno 1655 vulgatus, pag. 40 varia de laudata jam imagine suggerit memoratu digna,* In Chalce, *inquiens,* statuam æream Domini nostri Jesu Christi erexerat Constantinus magnus. Leo autem pater Caballini sive Constantini Copronymi eam evertit. Quæ hodieque *(seculo nimirum* XII) illic visitur musivi operis imago Dei, posita fuit ab Irene Atheniensi. Prima autem illa ærea statua annos quadringentos et quindecim *(secundum Papebrochium in Commentario prævio S. Theodosiæ infra memorando, num. 1 non tam diu)* ibi stetit; cujus virtute mulier, sanguinis profluvio laborans, sanata fuit, et multa alia facta fuerunt miracula. *Citata superius Narratio Græco-Latina col. 614 de Constantino magno loquens, sic memorat :* Porro magna hac urbe media columnis quatuor suffultum atrium fornice in orbem fastigiata construxit, contegens æreis tegulis, eoque signum victricis crucis deponi jussit : ad cujus figuræ Dominicæ venerandam imaginem, partem orientalem effingens, a fidelibus universis spectandam ac adorandam erexit. Ex tunc vero, hactenusque sacratissima ejusmodi figura clara ac celebris fuit, gloriam habens a miraculis ac sanitatibus, universaque veneratione colentibus. Unius itaque e multis illis maximisque miraculis, ad eorum, qui lecturi sunt, utilitatem, atque ad certam eis faciendam fidem, hic loci contexturus sum narrationem *etc.*

§ II. Præcipuæ in dictæ imaginis propugnatione partes cui adscribendæ.

Rationes proferuntur. H*uic controversiæ ansam præbent ea, quæ jam pridem apud nos dicta sunt tom. XII Maii, ad diem* XXIX, *de S. Theodosia sanctimoniali et martyre Constantinopolitana; ubi in Commentario prævio pag. 66 martyrii, quod perpessa fuerit, causa attribuitur defensioni sæpe jam designatæ imaginis Christi Domini in porta Ærea collocatæ, et ab impio Leone Isauro aboleri jussæ. Inter mulieres autem, quæ hanc profanationem impedire sunt conatæ, spathario, ejusdem imperatoris in isto scelere administro, e scala in terram devoluto ac mortuo, præcipuæ in ista scena partes dantur laudatæ S. Theodosiæ, tanquam aliarum feminarum duci et antesignanæ; secundum ibidem dicta num. 4; contra ac supra a nobis narratum est, et porro narrabitur in Actis huic nostro Commentario subjungendis, ubi* S. Mariæ patriciæ *illud factum potissimum adscribitur. Dispiciamus itaque hoc loco, huicne an isti Sanctæ, an utrique fortasse illud conveniat, proferendo utrinque rationes, quæ in hac controversia expendi mereantur.*

13 *Pro S. Theodosia facit 1° elogium, quod e Synaxario Chiffletiano cum textu Synaxarii Claromontani collato dedimus ad dictum diem* XXIX *Maii, pag. 67 : ibidem enim, spathario laudatam imaginem amoliri satagente, narrantur ista :* Continuo S. Theodosia, aliæque piæ mulieres arripuere scalas, et dejectum in terras spatharium neci dederunt, incurrentesque in patriarchium, Anastasium pseudo-patriarcham cœperunt lapidare. 2° *Factum hic controversum commemorat* sapientissimi et magni logothetæ domini Constantini Acropolitæ sermo in sanctam hosio-martyrem Theodosiam; *de quo auctore, nec non de tempore, quo vixerit, plura dedit prænotatus Commentarius. Sermo autem ille, seu* Encomium *(sub isto enim postremo nomine gesta Sanctæ ac Martyrium de dimus) Græco-Latine tomo citato a pag. 67 datur.* 3° *Rem gestam, de qua hic disserimus, nervose confirmat Synaxarium e Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto; cujus Julius mensis Græce apud nos excusus est ad calcem tomi I mensis ejusdem; unde pag. 694 ad diem* XVIII *laudati Synaxarii, sequens delibo elogium, ac Latine interpretor; cum alibi apud nos Latine illud exstare dicto mense, non noverim, et usui idem nobis futurum sit in expendendis nonnullis punctis præsentis disputationis.* *quæ faciunt*

14 *Sic ergo sonat :* Certamen sanctæ martyris Theodosiæ. Sancta Christi martyr Theodosia, imperante Constantino Caballino, Constantinopoli in lucem prodiit, piorum parentum filia. Mortuo autem patre ejus ac matre, postquam omnes quæ sibi relictæ erant facultates suas dedisset pauperibus, in monasterium intravit, et monacha facta est. Dum vero Leo iconomachus imperium teneret, et, sanctissimo patriarcha Germano e solio expulso, sanctas imagines aboleret, Salvatoris nostri simulacrum, quod erat in Chalce, evertere etiam voluit : illudque edocta S. Theodosia una cum aliis mulieribus, et zelum divinum assumens, spatharium, qui scalam ascenderat, ut sanctam imaginem destrueret, dejectum contrivit, atque ad ædes patriarchæ digressa, Anastasium æreticum reprehendit. Tunc aliæ quidem mulieres capite truncatæ sunt; Theodosia autem fune tracta, cornu mactata est in Bovis embolis. *De loco* Bovis *Constantinopoli, varia notantur in Commentario S. Theodosiæ (de quo memini superius) pag. 68, num. 12. Cum vero locus ille forum publicum fuerit Constantinopoli, et cum* ἔμβολος *inter alia significet rostrum navis, suspicor, hic* ἐν τοῖς τοῦ βοὸς ἐμβόλοις, *quod est in Græco, denotare rostra seu locum concionis in isto foro.* *ad defensionem*

15 *Cæterum Theodosiam hanc esse eamdem cum S. Theodota, in Martyrologio Romano die* XVII *Julii signata, diximus in Prætermissis ad istum diem. Et quanquam Menologium a Sirleto Latine redditum, quod ibidem citavimus, nec virginem nec monialem fuisse indicet, et alio insuper, mortis genere eam martyrium confecisse referat; suadent tamen alia, Theodosiam hanc a Theodota non distingui. Audiatur Menelogium illud ad diem prædictum sic memorans :* Eodem die sanctæ martyris Theodotæ. Hæc ex urbe Constantinopoli, *imaginis Christi CP.*

A stantinopoli, cum ex facultatibus suis tres sanctas imagines fieri curasset, unam Christo Domino, alteram Dei Genetrici, tertiam S. Anastasiæ; reliquas opes pauperibus et orphanis distribuit: cumque post multam virtutis exercitationem beata Theodota cum multis aliis religiosis feminis pro sanctarum imaginum cultu servando laborarent, impii Leonis imp. jussu, gladio percussa, consummata est. *Hæc vero si conferas cum Elogio S. Theodosiæ, quod Constantinus Acropolita conscripsit, in quo dicuntur ista cap. 1 :* Bona ... in pauperes distribuit omnia, tantum sibi duntaxat ex eis reservans, quantum ad sacras imagines coemendas necessarium fore arbitrabatur : ex quibus tres sibi præcipue comparavit, primam Domini ac salvatoris nostri Jesu Christi, purissimæ Dei Parentis alteram ; unam insuper sanctæ martyris Anastasiæ. *Hæc, inquam, si conferas inter se, numquid uni, non autem duabus convenire dices, quæ ab utroque isto scriptore memorantur ?*

S. Theodosiæ attribuendam

16 *Juvat interim hisce superaddere, quæ Otto Frisingensis in Chronico lib. 5 cap. 18, occasione Leonis imperatoris sic tradit :* Inter cæteros B passa fuit virgo Christi Theodosia, cujus usque hodie maxima in urbe regia manet memoria et veneratio : in ecclesia enim sanctimonialium integro corpore humata servatur, omnibusque advenientibus tanquam cœlestis medica, inter manus virginum deportata adhibetur, ac tanquam pro bono omine quoscunque culcando gravem se præbuerit, habetur. Quod et nuper dum Hierosolymitana expeditio sub Conrado Romanorum, Ludovico Francorum regibus ageretur, nos cum multis aliis experti fuimus. *De verbis* culcare, *ac* collocare, *id est cubare, tractat Cangius in Glossario. Voluerit ergo hic Otto dicere, pro bono omine haberi, si Martyr gravem se præbuerit, quoties alicui superimposita fuerint sacra lipsana ejus. Atque hæc quidem sunt, quæ pro S. Theodosia faciunt.*

Argumenta,

17 *At nunc, quænam ejus facto incommodent, accipe. Pagius in Critica Baroniana ad annum 730, num. 6 varia eidem opponit, quæ ex ipso huc transcribo. Observat itaque* dejectionis spatarii, qui imaginem Salvatoris amovebat, historiam eodem modo referri a Stephano diacono, et a Gregorio II in priori sua epistola, ut utramque C narrationem conferenti manifestum fiet, adeoque Constantinum Acropolitam, magnum logothetam, in Encomio S. Theodosiæ sanctimonialis Constantinopolitanæ, quod circa annum MCCXCIV conscripsit *(ante annum autem 1306)* ut arbitratur Papebrochius ad diem XXIX mensis Maii, ubi illud recitat, non bene de re gesta edoctum fuisse. Tradit enim S. Theodosiam, mortuo patre, collocatam fuisse in monasterio, et cum Leo Isauricus bellum sacris imaginibus indixisset, unusque ex ejus spathariis Salvatoris nostri divinam effigiem dejicere aggressus esset, Theodosiam plures religiosas feminas, quæ mundum mundique ornamenta omnia a se removerant, socias sibi adjunxisse, et sancto quodam furore in hominem processisse, Theodosiam sorores ad id audendum excitasse, ipsamque primam omnium scalas arripuisse. « Qui » igitur (subdit Constantinus) in scalarum summi- » tate jam fere consistebat impius, sacram effigiem » antequam corriperet, iis excussus, in profundum » inferni corruit. »

quæ isti sententiæ

18 Et tamen tam Gregorius II, quam Stephanus diaconus generosum hoc facinus non sanctimonialibus, sed feminis et mulieribus, ut etiam textus Græcus utriusque habet, attribuunt, et rem gestam paulo aliter narrant : subjicitque Stephanus, easdem mulieres, postquam spatharium in terram projecerunt, ad patriarchicam domum properasse, et impium Anastasium lapidibus petiisse, ut mox vidimus. Cujus rei non meminit Constantinus. Quare videtur is adscripsisse Theodosiæ et ejus monialibus, quod a piis illis mulieribus gestum. Non dubium tamen quin Theodosia pro sacris imaginibus morti tradita fuerit cum sociabus. Constantinus enim varia miracula ad ejus invocationem patrata recitat, et Theodosiæ ac sociarum mentio ad diem XVIII Julii in Synaxariis a Papebrochio memoratis. Si tamen hæc vox γυναῖκες, id est, mulieres, qua tam Gregorius quam Stephanus diaconus utuntur, sumi posset pro sanctimonialibus, relatio facta a Constantino conciliari posset cum epistola Gregorii, et cum Vita S. Stephani Junioris. Sed non video, id fieri posse. Papebrochius, qui Theodosiæ et sociarum martyrium cum vulgari opinione, anno DCCXXVI consignat, ad diversum istum modum unam eamdemque rem narrandi, animum non advertit. *Locum ex epistola I S. Gregorii dedimus supra num. 8; ex Stephano autem diacono, ibid. num. 10.* E

Auctore J. P.

incommodant.

19 *Ad difficultates autem a Pagio propositas respondeo 1°. Cur vocis* γυναῖκες, *a S. Gregorio PP. II, et a Stephano diacono adhibitæ significatio excludat mulieres religiosas ac moniales, tametsi diserte ab utroque sic non expressas? Enimvero terminus* mulieres *æque convenit personis istius sexus monasticis, quam secularibus, sicut terminus* viri *tam monasticis, quam secularibus personis istius quadrat. Utriusque vero sexus personas distinctius, et quasi gradatim determinat auctor noster anonymus, qui* S. Mariæ patriciæ *ac sociorum Acta litteris mandavit; nam inter eos, qui ad diem* XIX *Januarii memorantur martyrio affecti,* erant mulieres ac viri sacerdotes ac levitæ, innuptæ ac moniales, præsides ac subditi; quorum numerum et nomina solus novit Dominus; *uti ibidem habes num. 15. Audin'* moniales? *Cur ergo sub hoc termino includi non possit S. Theodosia monialis cum suis; cum isto altero* mulieres *non excludantur ab hoc significato? Adde, quod in Synaxario, e Menologio Basilii Porphyrogeniti jussu collecto seculo* X, *dicantur ista de S. Theodosia :* Mortuo autem patre ejus ac matre, postquam omnes, quæ sibi relictæ erant, facultates suas dedisset pauperibus, in monasterium intravit, ac monacha facta est. *Si igitur ex fide istius instrumenti monialis illa fuit; ad hæc, si ex ejusdem instrumenti relatione, sicut modo dixi, ingens illud pro defensione sacræ imaginis Christi Domini facinus ediderit; quis credat, eam solam et incomitatam a suis illud ausam; imo quis non censeat potius, esse prorsus verisimile, quod adfuerint mulieres aliæ, ejusdem videlicet, quale demum cumque id exstiterit, instituti moniales? Habes primum ad difficultatem Pagii responsum.* F

expenduntur.

20 *Respondeo 2°. Ex iis, quæ sub initium hujus paragraphi pro S. Theodosia collegi, conficitur, eam sæpe dictæ historiæ imaginis annumerari. Tametsi vero altum de ea sit silentium in documentis circa sanctos nostros Martyres hodiernos allatis per decursum hujus Commentarii; in illis tamen clare et expresse ab ea non excluditur; quidquid* rem gestam paulo aliter narrent *Gregorius II, et Stephanus diaconus, sicut observabat supra Pagius : atque adeo ex dictis non video, satis evinci a Pagio, quod superius de Constantino inferebat, dicens :* Quare videtur is adscripsisse Theodosiæ, et ejus monialibus, quod a piis

AUCTORE J. P.

illis mulieribus gestum. *Modus enim unus et alter eamdem rem narrandi, paulo inter se diversi, cum levia rei sint accidentia, nihil mutant in rei substantia. Quod vero Pagius ibidem referebat ex Stephano*, mulieres, postquam spatharium in terram projecerunt, ad patriarchicam domum properasse, et impium Anastasium lapidibus petiisse; cujus rei non meminit Constantinus; *confirmantur saltem in substantia ex Synaxario Basilii imperatoris antea laudato, ubi quod hic de mulieribus, et Anastasio lapidibus ab eis impetito refertur, ibi de Theodosia, at modo mitiori sic narratur :* Ad ædes patriarchæ digressa, Anastasium hæreticum reprehendit. *Hoc autem factum non excludit illud.*

An et quo pacto

21 *Respondeo 3°. Cum Acta S. Theodosiæ a Constantino conscripta, cum Actis* S. Mariæ patriciæ, *quæ ab anonymo exarata sunt, aliisque monumentis, quæ circa eam protulimus, concilianda sint, quantum quidem, salva veritate, fieri poterit; videamus, quo pacto id effectum dare possimus. Fieri illud in primis nequit, si dicamus, Mariæ ac Theodosiæ nomina convenire uni eidemque personæ, quæ binominis fuerit. Hoc enim dici neutiquam potest : nam duas illis indicari personas, evincunt characteres earum,qui videntur diversi. Maria namque nobilissimis natalibus progenita secundum Acta ejus num. 5; Theodosia autem ex dictis supra num. 14, fuit* piorum parentum filia. *Hæc monialis, ibidem; de monastico* Mariæ *instituto, eadem Acta nihil, nihil alibi de eo memini litteris proditum. Mortis item adjuncta utriusque omnino differunt, uti perspicuum fiet illi, qui non gravatus fuerit ea, quæ habentur prædicto mox num. 14, uti et in Encomio S. Anastasiæ, cum allegatis Actis num. 18 et 19 conferre. Numquid hoc satis superque discriminis unam inter atque aliam Martyrem? Cum itaque hac via aditus nobis non pateat ad componendam controversiam, qua de hic agitur, et ad Acta utriusque concilianda inter se; dispiciamus, an alia id succedere possit.*

sententia hæc utraque componi possit.

22 *Respondeo itaque 4°. Cum nostræ sint partes Sanctorum Actis patrocinari, ubi vel rima se aperit ad hoc faciendum idonea; non adstipulor Pagio dicenti, Constantinum in Actis sanctæ Theodosiæ* non bene de re gesta edoctum fuisse; *nec placet illud :* Videtur is adscripsisse Theodosiæ, et ejus monialibus, quod a piis illis mulieribus gestum. *Quid enim hoc est aliud, quam magnam Encomii, a Constantino de Sancta conscripti, partem reprobare tanquam spuriam ac supposititium. Quod et durum dictu videtur, et non esse faciendum sine urgente necessitate. Verum quidem est, auctorem istum diu post Sanctæ tempora exarasse Encomium ejus; sed an ideo erroris macula statim et inurenda, et an non supponendum potius, ipsum in anterioribus reperisse documentis ea quæ narrat? Exstitisse autem alia ante ipsum documenta, constat ex supra dictis. Quid si ergo dicamus, in famosa illa imaginis Christi Domini propugnatione (quoniam in ea hujus controversiæ cardo vertitur) utramque sanctam martyrem,* Mariam *videlicet* patriciam, *ac Theodosiam seu Theodotam, præcipuas egisse partes, utramque evertisse scalas, utramque spatharium, impiissimi Leonis imperatoris in exsequenda profanatione administrum, ex eis dejecisse; utramque denique martyrio coronatam? Hoc pacto sua Actis* S. Mariæ *stabit auctoritas, et Encomio S. Theodosiæ sua, evanescetque difficultas a Pagio mota. Habes, lector, nostras circa præsentem controversiam conjecturas, quas tanquam tales tantisper proponimus eruditis; donec meliora nos docuerint, non gravate, sed gratanter illa amplexuros.*

§ III. Annus martyrii; aliorum in illo figendo parachronismi; Acta Sanctorum apparitio et inventio.

Anno æræ vulgaris 730

Sanctorum *nostrorum martyrium accidit anno Christi 730. Assertum sic probo. Acta nostra num. 13 hæc memorant :* Imperator in tribunalio novemdecim accubitorum, silentium celebravit, et advocatum sanctissimum patriarcham a recta fide avertere conatur. At generosus Christi pugil Germanus consurgens, et in medio omnium stans, pallium suum tradidit, dicens *etc. Quibus subjungitur factum de imagine Salvatoris. Apud Theophanem in Chronographia pag. 342 editionis Parisinæ anni 1655, qua utimur, hisce temporis characteribus abdicatio episcopatus a S. Germano in obsequium fidei facta circumscribitur :* Die septima *(legendum* decima septima *monuimus in Historia chronologica de Patriarchis Constantinopolitanis ante tomum I Augusti, pag. 92*)* mensis Januarii, Indictione decima tertia, feria hebdomadis tertia *(Petavio in notis ad Nicephorum pag. 82,* feria VII, aut certe Januarii III) irreligiosus Leo silentium *(de quo infra in Annotatis ad cap. 2 litt. O)* contra sanctas venerandasque imagines in novemdecim accubitorum tribunalio celebravit, Germano sanctissimo patriarcha advocato... At fortis Christi servus abominando Leonis consilio nequaquam cedens... episcopatu sese abdicavit. *Habemus hic annum æræ vulgaris 730, quocum concurrit Indictio decima tertia.*

martyrium esse innectendum probatur.

24 *Laudatus Theophanes ibidem subdit ista :* Die autem septima *(imo* XXII, *ex dictis apud nos die* III *Maii, pag. 158, num. 19; et in citata Historia pag. * 93, num. 531)* ejusdem mensis Januarii, Anastasium, falsi nominis virum, ipsius beati Germani discipulum et concellaneum, in ejus locum suffecerunt. *Habemus hic iterum Indictionem* XIII, *ac proin annum Christi 730 : de quo consuli etiam potest Pagius in Critica Baroniana ad annos 726 et 730. His adde, quæ supra num. 6 diximus de duplici Martyrum classe, qui ob defensionem imaginis Salvatoris partim mense Januario, partim* IX *Augusti fuere occisi; utrique tamen eodem anno 730, sicut ex præmissis liquet.*

ac nonnulla indidem

25 *Atque hinc sequentia fluunt corollaria. Sequitur quippe 1°, ut utraque S. Gregorii PP. II epistola, ad Leonem Isaurum data, et apud Labbeum tom VII Conciliorum, col. 7 et sequentibus, nec non apud Baronium ad annum 726 relata, sed anno non suo, nimirum 726 illigata, anno 730 restituenda sit. Nam in epistola prima narratur, quidnam præstiterint mulieres pro defensione sæpius jam allegatæ imaginis, prout liquet ex iis, quæ in antecessum recitavimus num. 8; quæ utique contigere anno 730, sicut e superioribus patet. Ad hæc, factum istarum mulierum non evenit, nisi postquam S. Germanus episcopatu sese abdicasset, in eumque intrusus esset impius Anastasius. De abdicatione S. Germani paulo ante memini; de subrogatione Anastasii actum num.*

10, Præterea Pagius ad annum 726, num. 3, quod utraque epistola fuerit scripta post S. Germani e sede Constantinopolitana expulsionem, observat ex earum lectione constare. Is vero usque ad mensem Januarium anni 730 eidem præfuit. Epistola ergo utraque ab anno Christi 726 removenda, et anno 730 restituenda est. Sequitur 2° ut Martyrum nostrorum laurea, pro sacræ Salvatoris nostri imaginis propugnatione obtenta, ab anno 726, cui eam Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor innectit, ad annum 730 removenda sit. Sequitur 3° ut eam temporis emendatio adhibenda sit in Commentario, qui Elogio S. Theodosiæ sanctimonialis ac Martyris Constantinopolitanæ prævius est apud nos tom. VII Maii, die XXIX, pag. 66. An vero illa partem aliquam, et quidem, sicut ibidem invenies num. 4, præcipuum habuerit inter Pugiles, propter laudatam imaginem occisos, examinavimus superius paragrapho secundo.

de ducuntur consectaria.

26 Sequitur 4° ut confundenda non sint, quæ duobus diversis imperii sui annis Leo Isaurus egit adversus sanctas imagines. Rem exponit ac probat Pagius ad annum 726, num. 7; ubi ea, quæ Baronius a num. 5 ad 9 uno tractu illigat eidem isti anno quæ ad diversos spectant, ita suis temporibus restituit: Tam Metaphrastes, quam Stephanus Diaconus in Vita S. Stephani Junioris, postquam narrarunt Leonem imperatorem anno imperii sui decimo sacras imagines persequi cœpisse, una serie recitant, quæ postea anno imperii ejus decimo, Christi scilicet DCCXXX, in eadem causa egit imperator; aiuntque S. Germanum, episcopum Constantinopolitanum, cum id rescivisset, ei mandasse, qui significarent, ab initio post Christi in cœlos Assumptionem, imagines expressas esse; se pro illis libentissime moriturum; et qui Christi imaginem ignominia affecit, in illum, quem ea exhibet, injuriam rejicere. Tumque imperatorem satrapas in patriarchicam domum misisse. Quibus præcepit, ut cum pugnis et conviciis sanctum virum inde deturbarent. Sed nuntii illi a Germano ad imperatorem missi anno imperii ejus decimo tertio exeunte, Christique DCCXXX.

quibus aliorum parachronismi

27 Hoc autem anno post motam persecutionem accidit, quod Theophanes anno X imperii Leonis (pag. 340) refert: « Ab eo tempore inimicitias » cum beato patriarcha Constantinop. imprudenter » suscepit, omnes decessores suos imperatores, » præsules, Christianosque populos, tanquam » idololatras, ob sanctarum venerandarumque » imaginum adorationem condemnans; cum ille » præ nimia incredulitate atque rusticitate de » respectivo earum cultu rationem ac sermonem » minime capere valeret. » Quare quæcunque Baronius num. V ac tribus sequentibus, ex Theophane et auctore Vitæ S. Stephani Junioris, quem Damascenum arbitratur, habet, pertinent ad annum DCCXXX.

emendantur.

28 A num. X ad XIV. Theophanes ubi anno X Leonis imp. de persecutione adversus sacras imagines sermonem instituit, graviter labitur. Ait enim (pag. 339): « Populus urbis imperatricis » ob novam istam doctrinam maximo dolore percitus, cum ipsum Leonem statuit invadere, » tum multos ex imperatorio famulitio, qui » Ærea porta Domini imaginem exturbaverant, » neci dedit » et cætera, quæ Baronius num. X et XI ex Anastasii versione in medium adducit. Nam patrata hæc anno DCCXXX, auctore impio Anastasio, quem tunc imperator in locum S. Germani e sede Constantinopolitana expulsi subrogavit, ut eo anno num. 1 et seqq. ostendemus. At nos tam de hac re jam satis diximus, quam de sanctis mulieribus, impiam Christi imaginis in porta Ærea profanationem impedire conatis; Pagio hoc factum nec non quæstiones, quæ habitæ sunt de nobilibus quibusdam viris morti tandem traditis, quæ a Baronio num. XII et XIII recitantur, eidem Christi anno 730 recte innodante. Hæc, inquam, hactenus; quorum tum ea, quæ ad distinguenda tempora, et sapientissimum Annalium ecclesiasticorum parentem, qui modico annorum paucorum diverticulo a vera chronologia aberrat, in viam reducendum, notavit Pagius; tum ea, quæ nos supra fiximus, maxime conducent, ut, quæ in Actis nostrorum Martyrum commixta et confusa sunt, suis quæque temporibus accomodentur. Sed nunc Acta ista nos vocant.

AUCTORE J. P.

Acta expenduntur.

29 Eorum auctor quodnam habuerit nomen, quodnam vitæ professus fuerit institutum, nullibi exprimit in decursu suæ narrationis. Tametsi autem ibidem etiam non determinet tempus, quo vixit, vel quo animum ad scribendum appulit; non scripsisse tamen ante annum æræ vulgaris 870, conficitur ex apparitione atque inventione sanctorum Martyrum nostrorum; de qua paulo post. Consonat in multis cum S. Theophane; unde colligimus, hunc ei præ manibus fuisse. Porro res, quas narrat, nimis confuse, non servato ordine temporis, sicut modo significabant, illustrare conabimur in Annotatis. Laudem meretur, quod ab episodiis ac longis parergis abstineat in quibus adeo profuse liberales solent esse Græci, qui Acta Martyrum conscribunt. Exemplar Græcorum, quod latinitate donamus, transcriptum est e codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis: de quo plura indicavi die VIII hujus mensis in Commentario prævio S. Myronis ep. et conf., num. 8. In laudato itaque codice a fol. 89, pag. 1, col. 1, usque ad fol. 98, pag. 1, col. 1, notatur Certamen sanctorum decem Martyrum (Vide quæ præmisimus supra num. 1) teste Petro Lambecio in Commentariis de dicta bibliotheca lib. 8, pag. 118. Monitum præterea velim lectorem, ad meas devenisse manus apographum non sine mendis; quæ corrigere conatus sum secundum rerum, quantum quidem mihi videbatur, exigentiam. Exemplar denique ipsum, uti in more positum nobis est, in capita, appositis eis titulis, ac numeros dispescui. Et hæc de Actis; de Sanctorum autem apparitione ac inventione accipe sequentia.

Ex terræ motu

30 Circa corporum Athletarum nostrorum inventionem, atque apparitionem eidem præviam, varios temporum characteres notavit auctor, quibus positis et admissis, deducimur in notionem, quando præterpropter illæ acciderint. Non accidisse autem ante episcopatum S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani, liquet ex iis, quæ narrat num. 20 et seqq. Præsul iste videtur S. Methodio suffectus anno 846, secundum dicta Historia chronologica Patriarcharum istius urbis, quam citabam ante, pag. * 109: obiit autem anno 877; sicut ibidem habes pag. 112 *, postquam cathedræ Constantinopolitanæ duabus præfuisset vicibus; et prima quidem usque ad annum 857, cui injusta ejus depositio probabilius affigitur ibidem pag. 110 *; secunda vero ab anno 867, quo sedi suæ restitutum putavimus pag. 111 *. Apparitoinem autem illam non accidisse tunc, quando prima vice sedit S. Ignatius, sed secunda, illud argumento est, quod gravissimus terræ motus laudato patriarchæ ansam dederit implorandi impen-

AUCTORE J. P.

impensissime divinam opem, ut iræ suæ modum poneret Dominus; Basilio utique Macedone imperante, ex Actis infra num. 20. Contigit autem, *sicut ibidem scribitur,* ob multitudinem peccatorum nostrorum, ut vehementissimus tum temporis terræ motus fieret per dies quadraginta, qualis aliquando non fuit... Ignatius autem Dei pontifex... non cessavit noctu atque interdiu supplicationibus et precibus placare divinum numen. *Et mox num. 21 subjungitur dicta apparitio. Basilius Macedo cœpit imperare anno 867; et mox de S. Ignatio sedi suæ restituendo cogitavit; scribente Niceta Paphlagone loco mox indicando col. 1226,* Initio autem Indictionis primæ *(fluxerat ea a Kalendis Septembribus anni 867)* nono *(imo* octavo, *ex textu Græco)* Kal. Octobris Basilius, regia occupata, imperator est consalutatus...; posteroque die, quam renuntiatus erat imperator, Photium de throno deturbatum... ejicit *etc. Et col. 1230 S. Ignatius* tertia et vigesima Novembris... ecclesiæ suæ throno restituitur.

Constantinopolitano

31 *Nicetas Paphlago apud Labbeum tom. 8 Conciliorum in Vita S. Ignatii modo laudati, col. 1234,* Terrificus, *ait,* plane, qui eadem B tempestate *(anno nimirum 869, prout infra dicetur)* nono Januarii accidit terræ tremor, quo multa templa, plurimæ porticus, ædificiaque conciderunt. Hominum ac jumentorum tanta strages edita est, quanta verbis exprimi nullis potest. Quin et ipsum Sophiæ augustam Dei templum multis in partibus concussum, nisi cura singularis principum antevertisset, ruinæ periculum adiisset. Atque hæc ante synodum evenere, *quæ fuit octava œcumenica, ac quarta Constantinopolitana, anno 869 et 870 adversus Photium habita; et notata apud Labbeum citatum, a col. 961. Habemus quidem hic terræ motum, ad rem ac tempus, de quibus sermonem instituimus, accomodatum; sed de duratione per dies quadraginta, nihil: quos tamen alibi expresse notatos offendo. Nam Symeon magister et logotheta, inter Historiæ Byzantinæ post Theophanem scriptores regiis typis Lutetiæ Parisiorum anno 1685 editos, in Annalibus pag. 454 sic scribit:* Basilii imperatoris anno tertio, in die festo S. Polyeucti, ad dies quadraginta totidemque noctes, terræ motus factus est: cecideruntque multæ ecclesiæ, inter quas etiam sancta Deipara, quam Sigma vocant; adeo sane, ut C omnes in ea divinas decantantes laudes communis ruina oppresserit.

figitur tempus,

32 *Et eodem tomo Georgius monachus in Vitis novorum imperatorum pag. 544,* Contigit, *inquit,* per diem S. Polyeucti terræ motus maximus, adeo ut quadraginta dierum spatio terra quateretur. Cecidit vero tunc ejus, quæ in foro est, statuæ globus: sanctissimæ quoque Dei Genitricis ecclesia, cui Sigma nomen, ita ut omnes ibi divinas decantantes laudes extincti sint. *Annus Basilii imperatoris tertius concurrit cum anno Christi 869. De S. Polyeucto martyre Melitenæ in Armenia hic agitur; cum et templum Constantinopoli habuerit, et solemni admodum ritu apud Græcos celebretur die nona Januarii, prout diximus tom. II Februarii, ad diem* XIII, *pag. 650; atque eadem dies nona Januarii diserte notetur a Niceta Paphlagone supra laudato, etsi non expresso istius Sancti nomine.*

quo contigere apparitio Martyrum ac inventio.

33 *At nunc difficultas est in die, quo terribilis ille motus cessasse narratur a nostro martyriographo; quæ res uti et inventio corporum ac depositio secundum ea, quæ narrat num. 23 et 24, contigere* mense Januario, die trigesima prima. *Si enim motus ille cœperit die nona Januarii, ac desierit die* XXXI *ejusdem mensis, quomodo ab initio motus usque ad finem, invenies dies quadraginta? Sed dies illi ac plusculi inveniri possent, si dicto Polyeucto martyri substituere liceret alium synonymum Cæsariensem quem lego in Menæis magnis* E *Græcorum excusis, in apographis nostris, æque Mss. Menæis bibliothecæ Ambrosianæ excerpta sunt, ac in Menologio Basilii imperatoris apud Ughellum tom. VI Italiæ sacræ col. 1164, sub die* XIX *Decembris. Quia autem* terrificus *ille* nono Januarii accidit terræ tremor, *teste Niceta Paphlagone supra; quia item* Basilii imperatoris anno tertio, *ex Symeone citato; quia denique in festo S. Polyeucti, ex dictis; standum omnino censeo die* IX *Januarii anni 869 ad figendum initium terræ motus sæpe jam memorati, qui annus concurrit cum* Indictione tertia, *qua* mense Octobris, die quinta, feria quarta *concilium Constantinopolitanum fuit inchoatum, prout notatur Actione prima apud allegatum Labbeum col. 978. Sequitur itaque ex præmissis, ut is terræ motus duraverit usque ad diem* XVIII *Februarii. Si vero scriptor Actorum S. Polyeuctum Cæsariensem pro Melitenensi fortasse acceperit, et non ab hujus, sed ab illius festo cœperit numerare suos quadraginta dies motus, utputa a die* XIX *Decembris progrediendo ad* XXXI *Januarii; invenientur et illi quadraginta dies, et tres, qui excurrunt;* F *quibus tamen neglectis, forte acceperit numerum rotundum. At qualis qualis hæc conjectura eo saltem valet, ut medio isto difficultates istæ utcunque componantur. His prænotatis subjicio.*

ACTA

Auctore anonymo, e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, interprete Joanne Pinio.

CAPUT I.

Origo hæresis Iconoclastarum; nostri sub ea Martyres; Leo Isaurus.

Auctor de Christo.

Dum Christus, unus ex omni laude digna, omnium rerum effectrice ac vivifica Trinitate, et verus Deus noster, in cœlis extra omne tempus tranquille ac placide in splendoribus ex utero pater-

Τοῦ τῆς πανυμνήτου καὶ παντουργοῦ ζωαρχικῆς Τριάδος ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἄνωθεν μὲν καὶ ἔξω χρόνου παντὸς, ἀπαθῶς καὶ ἀρεύστως ἐκ τῶν πατρικῶν ἐκλάμψαντος κόλπων, καὶ ἀδιαστάτως αὐτῷ συνυπάρχοντος

A χοντος καὶ συμβασιλεύοντος (δι' οὗ τὰ πάντα ἔκτισται, τά τε ἀόρατα καὶ ὁρώμενα, οὐρανόν φημι, καὶ τὰ ἐντὸς τούτου, γῆν τε καὶ τὰ ἐν αὐτῇ) ἔσχατον δὲ πάντων ὥσπερ τινὰ βασιλέα ἰδίαις χερσὶ τὸν ἄνθρωπον πλάσαντος, καὶ τοῦτον τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι μορφώσαντος, καὶ ψυχὴν νοερὰν τῷ θείῳ καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ ἐμφυσήματι ἐμπνεύσαντος καὶ ζῶον αὐτὸν λογικὸν δείξαντος, καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς θέμενον, καὶ βασιλικῶς αὐτὸν δωροφορεῖσθαι κελεύσαντος, ἐπ' ἐσχάτων τούτων τῶν ἡμερῶν κατελθόντος ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντος ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, ἵν' ἡμᾶς λύσῃ τῶν τῆς ἁμαρτίας δεσμῶν, σταυρόν τε καὶ θάνατον διὰ τὴν ἡμῶν ὑπομείναντος σωτηρίαν, ἀνελθόντος εἰς τὸν οὐρανὸν σωματικῶς πρὸς τὸν αὐτοῦ Πατέρα, ὃν οὐκ ἔλειπε τῇ θεότητι· καὶ τὴν ἡμῶν οὐρανώσαντος φύσιν καὶ συγκάθεδρον ταύτην ἀπεργασάμενου τῷ θρόνῳ τῷ πατρικῷ, δύναμίν τε τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τοῖς αὐτοῦ καταπέμψαντος μαθηταῖς, καὶ δι' αὐτῶν πάντας εἰς τὴν αὐτοῦ προσκαλεσαμένου ἐπίγνωσιν, καὶ κληρονόμους τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἡμᾶς ἀναδείξαντος.

II Τῶν δὲ εἰδωλικῶν μολυσμάτων καὶ βδελυγμάτων ἐκ μέσου γενομένων, τῇ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ δυνάμει, ἐκκλη-
B σιῶν τε καὶ ἱερῶν θυσιαστηρίων ἀνοικοδομηθέντων, καὶ πάντων τῇ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἐπωνυμίᾳ σεμνυνομένων, Χριστιανοὺς λέγω, ἐβασίλευσε διὰ πλῆθος ἁμαρτιῶν Λέων ὁ δυσσεβής, ἐκ μὲν τῆς Γερμανικίων χώρας καταγόμενος, τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἐκ τῆς τῶν Ἰσαύρων ὁρμώμενος δυσσεβεστάτης αἱρέσεως. Ὑπὸ δὲ Ἰουστινιανοῦ τοῦ Ῥινοκοπημένου ἐκ τῇ πρώτῃ αὐτοῦ βασιλείᾳ μετοικίζεται σὺν τοῖς γονεῦσιν ἐν Μεσημβρίᾳ τῆς Θράκης. Ὅθεν ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ βασιλείᾳ φημὶ δὴ τοῦ Ἰουστινιανοῦ, ἐρχομένου αὐτοῦ μετὰ τῶν Βουλγάρων ὑπήντησεν αὐτῷ μετὰ δώρων προβάτων φ'. Ὑπεραγασθεὶς οὖν ἐν τούτοις Ἰουστινιανὸς, πεποίηκεν αὐτὸν σπαθάριον, καὶ ἔσχεν αὐτὸν ἔκτοτε γνήσιον φίλον, καὶ σὺν αὐτῷ ἀπάραι πρὸς τὴν βασιλίδα πόλιν ἐκέλευσεν· πολλῶν τοίνυν μετὰ ταῦτα διαβαλλόντων αὐτὸν, ὡς τῆς βασιλείας ὀρεγόμενον, προφανῶς βλάψαι αὐτὸν Ἰουστινιανὸς οὐκ ἤθελεν, πρὸς δέ τι ἔθνος, Ἀλανοὺς λεγόμενον, μετὰ χρημάτων ἔστειλε, ἵν' αὐτοὶ τοῦτον, εὐκαίρου προφάσεος εὑρισκομένης, ἀνάλωσιν. Εἰ καὶ τοῦτο τοῖς θείοις κρίμασιν οὐ συγκεχώρηται· ἐταμιεύσατο γὰρ τοῦτον ἡ θεία δίκη σκεῦος ὀργῆς κατὰ τὸν μακάριον ἀπόστολον Παῦλον, ὡς πάλαι τὸν Φαραὼ τοῖς Ἰσραηλίταις γενέσθαι.

III. Τοῦ τοίνυν θηριωνύμου καὶ πρόσετι μᾶλλον τὴν γνώ-
C μην ἔχοντος κατὰ τῷ ἑξακισχιλιοστῷ διακοσιοστῷ ἐννάτῳ ἔτει τῆς τοῦ κόσμου, τοῦ δε διακοσμήσεως εἴτο βυσυμπήξεος, τῆς δὲ τοῦ Θεοῦ λόγου ἐνσάρκου πρὸς ἡμᾶς αὐτοῦ παρουσίας, ἔτους ἑπτακοσιοστοῦ ἐννάτου, τὰ τῆς βασιλείας σκῆπτρα κατέχοντος, τὰ μὲν πρῶτα αὐτοῦ ὕπουλός τις καὶ προσηνὴς ἐγεγόνει· μικροῦ δὲ χρόνου διϊππεύσαντος, τὰς τῆς πονηρᾶς αὐτοῦ καὶ κακογνώμου βουλῆς φληναφώδεις λέσχεις εἰς προῦπτον τέθεικεν ἅπασι, καὶ πρῶτον μὲν πειθὼ, ὅτι μᾶλλον τοὺς πλείονας ἐξαπατᾶν ᾤετο. Ἐπ' ἂν δὲ τοῦ σκοποῦ ἀποσφαλέντα ἑαυτὸν ἑωράκει, ἄρας τὸ πλαστὸν καὶ ἐπίθετον χρῶμα, τοῖς πᾶσι προῦπτον ἑαυτὸν ἔξω πάσης χρηστολογίας ὄντα ὑπεδείκνυεν. Στήτω δὲ ἡμῖν μικρὸν τὸ τῆς ἱστορίας ἐπωφελὲς διήγημα, εἴγε πρὸς τὸ ὀπίσω τῆς ἱστορίας πάλιν δρομήσαιμι, καὶ σαφῆ ταύτην ποιήσαιμι. Τῷ ἑξακισχιλιοστῷ σιδ' ἔτει τοῦ κοσμοῦ, τῆς δὲ τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σαρκώσεως ψιδ' ἔτει, τοῦ δὲ παρανομωτάτου βασιλέως ἕβδομον ἄγοντος ἔτος ἧκέ τις Ἰουδαῖος ὁρμώμενος ἀπὸ Λαοδικείας τῆς παραλίου Φοινίκης καὶ εἰσελθὼν πρὸς Ἰζὶδ τὸν τότε τῆς Συριάτιδος γαίης κρατοῦντα, ἐπηγγείλατο αὐτῷ, τεσσαράκοντα ἔτη κρατήσειν τῆς ἀρχῆς, εἰ τὰς ἐν ταῖς Χριστιανῶν ἐκκλησίαις ἐν πάσῃ τῇ ὑπ' αὐτὸν ἀρχῇ τιμωμένας σεπτὰς εἰκόνας καθέλοι.

IV. Ὧ ἐπιπεισθεὶς ὁ ἄθλιος καὶ ἀνόητος Ἰζὶδ δόγμα κα-

no genitus esset, ac cum eo assidue degeret et regnaret (per quem omnia invisibilia simul et visibilia sunt creata, cœlum, inquam, et omnia, quæ in eo sunt, terraque, et omnia, quæ in illa continentur) atque hominem omnium postremum, non secus ac regem quemdam, manibus ipse suis finxisset, ad imaginem propriam formasset, animam cogitatione præditam divino ac vivifico suo afflatu ei inspirasset, animal rationis particeps eum comprobasset, et in paradiso voluptatis positum magnificentissimis eum donis cumulari jussisset; novissimis hisce diebus descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ac Maria virgine, ut nos solveret vinculis peccati, crucemque et mortem sustinuit propter nostram salutem; ascendit in cœlum cum corpore ad Patrem suum, quem divinitate non reliquerat; naturamque nostram in cœlum convertit, ac paterni solii consortem reddidit, virtutemque Spiritus sancti ad discipulos suos misit : per quos ad sui cognitionem vocavit omnes, atque regni sui heredes nos esse ostendit. A. ANONYMO.

2 Cum autem idolorum inquinamenta et abominationes sublata essent e medio vivificæ crucis potentia, templaque et sacra altaria restaurata, omniaque sub Christianis, Christi ac Dei nostri nomine nuncupatis, prospere ac splendide se haberent; Leo impius, multitudine peccatorum id exigente, e Germanica *a* quidem productus, sed ex impiissima Isaurorum *b* hæresi vere oriundus imperium *c* obtinuit. Hic sub Justiniano *d* naribus mutilato *e*, dum primum *f* is imperaret, una cum parentibus in Mesembriam *g* Thraciæ migravit. Qua occasione, Justiniano secundum *h* imperii sceptris potito, ac cum Bulgaris *i* reverso, obviam processit Leo, quinquaginta ovium dona ei deferens. Rem demiratus Justinianus, spatharium *k* illum creavit, sinceris exin amicis accensuit, atque ad urbem imperatoriam discedere secum jussit. Dum itaque multi postea eum accusarent, quod imperium affectaret, propalam ipsi noluit nocere Justinianus; sed ad gentem quamdam, quam Alanos *l* dicunt, cum pecuniis *m* misit, ut hi, opportunitate oblata, eum perderent *n*. At divinis judiciis hoc aliter visum est : illum quippe tanquam vas iræ, ut cum beato Paulo Apostolo loquar, non secus ac olim Pharaonem Israelitis, divina vindicta reservavit.

Leone Isaurico, E

3 Ille igitur non nomine duntaxat, sed ingenio insuper ferino præditus, dum anno sexies millesimo ducentesimo nono *o* ab orbe ornato seu condito *p*, a divini autem Verbi incarnatione septingentesimo nono, imperii sceptra tenebat : initio quidem versutus benignitatem præ se tulit; sed, elapso exiguo tempore, inanes malitiosi ac versipellis consilii sui nugas omnibus sese palam fecit : ac primo quidem suadendi artem; quia plures admodum decipere putarat. Postquam autem suo se frustratum scopo conspexit, ficto ac composito colore sublato, omnibus sese palam exhibuit ab omni blandiloquentia alienum. Parva vero nec inutilis a nobis præmittatur narratio historiæ; quo fiat, ut ad ea quæ retro consecuta sunt, narranda recurram, eaque explanem. Anno mundi sexies millesimo ducentesimo decimo quarto; Domini autem ac Salvatoris nostri Jesu Christi Incarnationis anno septingentesimo decimo quarto *q*, iniquissimi vero imperatoris septimo *r*, venit Judæus quidam, Laodicea maritimæ Phœniciæ oriundus *s*, et ad Izid, qui tunc in Syria regnabat, digressus, nuntiavit ei, quod annis quadraginta imperio esset potiturus, si venerabiles imagines, quæ in Christianorum templis imperio ipsius subjectis coluntur, destrueret.

atque hæresis Iconoclastarum F

4 Cui fidem habens miser ac demens Izid, decretum

A. ANONYMO. *origine nonnulla præfatus;*

cretum universale edidit *t* contra sanctas ac venerabiles imagines : sed Domini nostri Jesu Christi gratia, omnique laude dignæ ac nulli corruptioni obnoxiæ Matris *u* ejus, et omnium Sanctorum ipsius intercessionibus, eodem anno *x* mortuus est scelestissimus Izid, impia ac diabolica ejus doctrina [non] multorum aures occupante *y*. Leo autem imperator monstrosam, impiam ac amaram hanc hæresim etiam assumens, multorum et gravium malorum causa nobis fuit. Invenit enim quemdam ejusdem secum animi, nomine Beser *z*, qui mancipium factus, a Christianis in Syria defecit, Christi, veri Dei nostri, fidem abnegavit ac prodidit, Arabumque dogmatibus integre imbutus, nec multo ante tempore ab eorum servitute liberatus est. Ad regiam vero delatus urbem, cum ob robur corporis, tum ob perversæ doctrinæ concordiam, ab ipso Leone ad patrici dignitatem evectus est, ac pessimi consilii artifex, hujusmodi mali imperatori auctor exstitit. Cum hoc conspirabat ignominiosus, omnique spurcitia plenus, nec non ignorantia, cui erat innutritus, vitam degens, Nacoliæ episcopus *aa*. B Et vero sicut nubes quædam compressa omnium aures strepitu ac sonitu oppleyit pessimum hoc consilium; non tamen ab eo, qui imperabat, tunc lege firmatum est.

ugere incipit

5 Et hi quidem *(nostri nempe Pugiles)* ad martyrium (siquidem hoc debet vere martyrium censeri) studia ac consilia contulere, his sese sermonibus instruentes. Quorum dux Maria (quæ vere et generosissima erat, et pulchritudine spectabilis, et ex genere imperatorio oriunda; cujusque venustatem deamans Rex cœlestis, eam sibi desponsat per Spiritum sanctum) Stemus, inquit, fratres, erecto animo, et fidei nostræ vestem non coinquinemus. Nemo nostrum deficiat ad martyrium. Nec divitiæ fluxæ, nec parentes, nec liberi, nec amici, neque ipsorum tormentorum vehementia majore alicui sint in pretio, quam Christi dilectio. Consideremus Martyrum labores, et ipsorum patientiam usque ad mortem; et propter dilectionem Creatoris nostri, ac regnum ejus, non fiamus his inferiores. Æmulatores itaque simus generosi eorum animi, neque eos duntaxat beatos prædicemus, sed coheredes fieri festinemus gloriæ Domini nostri Jesu Christi. Ecquis enim regnum desiderat, qui ad illud consequendum non exhibeat omne studium ? Nemo enimvero quisquam. C Nam qui desiderio ejus flagrat, et non dat operam, ut illud obtineat; frustra secum cogitat ac considerat. Sic etiam nos, si Martyrum labores admiremur, eorumque participes fieri non studuerimus, similes sumus illi, qui splendorem solis admiratur quidem, sed quoniam ille idem sol oculos suo lumine comprimit, lucem ejus non intuetur ob suam segnitiem.

de Martyribus nostris.

6 Sic ergo omnes ad alacritatem, quantum poterant, sese excitantes, Deo supplicabant singuli, sibi ut daret fortitudinem ac patientiam, ut generose adversus impium decertarent, ut victoria potiti, perfecte ipsum confunderent, dicentes : Ne des, Domine, hereditatem tuam in opprobrium, et non supergaudeant inimici nostri. Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur contra te, Deus, injustitiam : ne quando dicant : Ubi est Deus eorum? Adveniat coram te gemitus servorum tuorum secundum magnam misericordiam tuam : nos enim populus tuus, et oves pascuæ tuæ, et propter te, Deus noster, mortificamur tota die. Tu enim Deus noster es, et nos populus tuus; ac præter te, alium non novimus, tibique gloriam et gratiarum actionem retribuimus, cum Patre ac Spiritu sancto, in secula. Amen. Postquam igitur omnes ita obsecrati et ob-

D θολικὸν ἐψηφίσατο κατὰ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ χάριτι, καὶ ταῖς τῆς πανυμνήτου καὶ ἀφθόρου αὐτοῦ Μητρὸς πρεσβείαις, καὶ πάντων αὐτοῦ τῶν ἁγίων, τῷ αὐτῷ ἔτει τέθνηκεν ὁ παμμίαρος Ἰζὶδ [οὐκ] ἀκουσθῆναι φθάσαντος τοῖς πολλοῖς τοῦ ἀθέου καὶ σατανικοῦ αὐτοῦ δόγματος. Μεταλαβὼν δὲ ταύτης τῆς ἀλλοκότου καὶ δυσσεβοῦς πικρᾶς αἱρέσεως, καὶ Λέων ὁ βασιλεὺς, πολλῶν καὶ χαλεπῶν ἡμῖν κακῶν αἴτιος γέγονεν· εὑρὼν γὰρ ὁμόθυμον αὐτοῦ, Βησὴρ τινα τοὔνομα, αἰχμάλωτον μὲν ἀπὸ Χριστιανῶν πρὸς τῇ Συρίᾳ γενόμενον, τῆς δὲ εἰς Χριστὸν τὸν ἀληθῆ Θεὸν ἡμῶν πίστεως ἀρνητὴν καὶ προδότην πέλοντα, καὶ προσπιωθέντα εἰς ἄκρον τοῖς τῶν Ἀράβων δόγμασιν, οὐ πρὸ πολλοῦ τοῦ χρόνου ἀπελευθερωθέντα τῆς ἐκείνων δουλείας. Καὶ πρὸς τὴν βασιλίδα γενόμενος, διά τε ῥώμην σώματος καὶ ὁμόνοιαν τῆς κακοδοξίας, ἐπιμήθη παρὰ τοῦ αὐτοῦ Λέοντος πατρίκιος, ὅστις καὶ βουληφόρος κάκιστος τοῦ τοιούτου κακοῦ αἴτιος γέγονε τῷ βασιλεῖ. Σύμφρων δὲ αὐτοῦ ἄτιμος καὶ ἁπάσης ἀκαθαρσίας ἀνάπλεως, καὶ συντρόφῳ ἀμαθίᾳ συζῶν, ὁ δίοπος Νακωλείας. Καὶ δὴ ὥσπερ τι νέφος ἐρητυθὲν ταῖς πάντων ἀκοαῖς διεβομβεῖτο τοῦτο τὸ πονερότατον βούλημα καὶ ἐξηχεῖτο, οὐ μὲν δὲ πρὸς τοῦ κρατοῦντος τέως νενομοθέτητο. E

V. Καὶ οἱ μὲν πρὸς τὸ μαρτύριον (εἴγε καὶ ἀληθῶς τοῦτο δέξῃ εἶναι) παρώτρυνόν τε καὶ διαβουλεύοντο, τουτοισὶ τοῖς λόγοις ἑαυτοὺς ἐκπαιδεύοντες· ὧν ἡγεῖτο Μαρία ἡ ὄντως εὐγενεστάτη καὶ ὡραία τῷ κάλλει, καὶ βασιλικωτάτου γένους καταγομένη· ἧς τὸ κάλλος ἐρασθεὶς ὁ οὐράνιος βασιλεὺς νυμφεύεται ταύτην ἑαυτῷ τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ· στῶμέν, φησι, γενναίως, ὦ ἀδελφοὶ, καὶ μὴ μολύνωμεν τὸν χιτῶνα τῆς πίστεως ἡμῶν· μηδεὶς ἡμῶν ὀκλάσῃ περὶ τὸ μαρτύριον· μὴ πλοῦθος ἔστω τινὶ ὁ φθειρόμενος τῆς τοῦ Χριστοῦ προτιμώμενος ἀγάπης, μὴ γονεῖς, μὴ τέκνα, μὴ φίλοι, μὴ δ᾽ αὐτῶν βασάνων ἡ ἐπιφορά· λογιζώμεθα τοὺς τῶν ἁγίων μαρτύρων πόνους, καὶ τὴν τούτων ἄχρι θανάτου ὑπομονὴν, καὶ διὰ τὴν τοῦ ποιήσαντος ἡμᾶς ἀγάπην, καὶ διὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ μὴ γενώμεθα ἐλάττους τούτων. Ζηλωταὶ τοίνυν τῆς αὐτῶν γενώμεθα γενναιότητος, καὶ μὴ μόνον αὐτοὺς μακαρίζωμεν, ἀλλὰ καὶ συγκληρονόμοι γενέσθαι σπεύσωμεν τῆς δόξης τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τίς γὰρ καὶ βασιλείας ἐπιθυμῶν, οὐ πᾶσαν σπουδὴν ἐνδείκνυται πρὸς τὸ ταύτης ἐπιτυχεῖν; Ὄντως οὐδείς. Ὁ γὰρ ταύτης μὲν πρὸς ἐπιθυμίαν ἔχων, καὶ ὅπως ἐπικρατὴς αὐτῆς γένηται F μὴ σπούδων εἰς μάτην καθ᾽ ἑαυτὸν ἐννοεῖ καὶ διαλογίζεται· οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐὰν τοὺς τῶν ἁγίων μαρθύρων πόνους θαυμάζωμεν, αὐτῶν δὲ κοινωνοὶ γενέσθαι μὴ σπεύσωμεν, ὁμοιοί ἐσμεν τοῦ τὴν λαμπρότητα μὲν τοῦ ἡλίου θαυμάζοντος, αὐτὸν δὲ τοῦτον τοῖς ὀφθαλμοῖς μύσαντα, τὸ τούτου φάος μὴ καθορῶντος δι᾽ οἰκείαν νωθρότητα.

VI. Οὕτως τοίνυν ἑαυτοὺς οἱ πάντες προθυμοποιησάμενοι, ἕκαστος, ὡς εἶχον δυνάμεως τὸν Θεὸν καθικέτευον, δοῦναι αὐτοῖς καρτερίαν καὶ ὑπομονὴν, τοῦ γενναίως τὸν δυσσεβῆ ἀνταγωνίσασθαι, ὅπως νίκην ἀράμενοι, τελέως αὐτὸν καταισχύνωσι, Μὴ δὸς, λέγοντες, Κύριε, τὴν κληρονομίαν σου εἰς ὄνειδος, καὶ μὴ ἐπιχαρείησαν οἱ ἐχθραίνοντες ἡμῖν. Ἄλαλα γενηθήτω τὰ χείλη τὰ δόλια, τὰ λαλοῦντα κατά σου τοῦ Θεοῦ ἀδικίαν· μήποτε εἴπωσιν, Ποῦ ἔστιν ὁ Θεὸς αὐτῶν; Εἰσελθέτω ἐνώπιόν σου στεναγμὸς τῶν δούλων σου, κατὰ τὴν μεγάλην σου εὐσπλαγχνίαν· ἡμεῖς γὰρ λαός σου, καὶ ἕνεκά σου θανατούμεθα τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὅλην τὴν ἡμέραν· σὺ γὰρ εἶ Θεὸς ἡμῶν, καὶ ἡμεῖς λαός σου, καὶ πλήν σου, ἄλλον οὐκ οἴδαμεν· καὶ σοὶ τὴν δόξαν καὶ εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν σὺν τῷ Πατέρι, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Οὕτως τοίνυν πάντων λιπαρούντων καὶ ποτνιωμένων, ἐν ἑτοιμασίᾳ εἶναι τοῦ τοιούτου ἀγῶνος ἑαυτοὺς διεκελεύοντο· ἔτι γὰρ παραδοκοῦντες

οἱ

A οἱ πάντες ἦσαν τὶ τὸ ἀποβησόμενον, καθὰ καὶ ἀνωτέρω εἴρηται, μὴ ὑποπτεύοντες, ἀληθὲς τοῦτο εἶναι. Οἱ δὲ λοιποὶ ὅσοιπερ τῇ δειλίᾳ ἐκεκράτηντο, ἐσκίδναντο τῇδε κἀκεῖσε, περιαθρήσοντες κώμας καὶ νήσους, χηραμούς τε καὶ αἰγιάλους, καὶ γιάς, καὶ εἴ τι ἕτερον ὑπενόουν καταφυγῆς σωτήριον τόπον. Καὶ τί δεῖ τὰ πλείω λέγειν; Ἐπ' ἴσης τοῖς πᾶσιν ἀμφιλύκη τίς παρῆν, ἀμυχούσης τῆς πονηρᾶς ταύτης αἱρέσεως ὥσπέρ τινος ἀμυχῆς.

VII. Τῷ τοίνυν ἐννάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἤρξατο Λέων ὁ βασιλεὺς τῆς κατὰ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων καθαιρέσεως λόγον ποιεῖσθαι. Καὶ μαθὼν τοῦτο ὁ ἐν ἁγίοις Γρηγόριος ὁ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Πάπας, τοὺς φόρους τῆς Ἰταλίας καὶ Ῥώμης ἐκώλυσε, γράψας καὶ ἐπιστολὴν δογματικὴν πρὸς Λέοντα μὴ δεῖν βασιλέα περὶ πίστεως λόγον ποιεῖσθαι, καὶ καινοτομεῖν ἀρχαῖα δόγματα τῆς ἐκκλησίας, τὰ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων καὶ διδασκάλων δογματισθέντα. Τοῦ δὲ ὧδε κοτέοντος εὖχος, ὅσον τὴν ἀνὰ πᾶσαν οἰκουμένην φᾶσθαι ἔχειν οὐκ ἰσχύει ὡς βρότειος ἐξειπεῖν Συνέβη δὲ καὶ τι σημεῖον φοβερώτατον πάνυ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ γενέσθαι ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, τὴν κακόθυμον αὐτοῦ καὶ μανιώδη διελέγχον ἄνοιαν (εἰ καὶ B οὗτος τῇ πολλῇ ἀνοίᾳ περικρατούμενος εἰς συναισθῆσιν ἐλθεῖν οὐκ ἤθελεν). Ὥρᾳ γὰρ θέρους Ἰνδικτιῶνος θ' ἀτμὶς ὥσπερ ἐκ καμίνου πυρὸς ἀνέβρασεν ἀναμέσον Θήρας καὶ Θηρασίας τῶν νήσων ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς θαλάσσης, ἐπὶ ἡμέρας ἱκανάς· ὅθεν κατὰ βραχὺ παχυνόμενη καὶ ἀπολιθούμενη ἡ ἀθμὶς ἐκείνη τῇ εκκαύσει τῆς πυρώδους ἀναθυμιάσεως, ὅλος ὁ καπνὸς καὶ ὁ ἀὴρ πυροφανὴς ἐδείκνυτο, τῇ τε παχύτητι τῆς γεώδους οὐσίας, πετροκισσήρους μεγάλους, ὥσπερ λίθους τινάς, ἀναπέμψαι καθ' ὅλης τῆς πρὸς θάλασσαν Μακεδονίας, ὡς ἅπαν τὸ πρόσωπον τῆς θαλάττης ταύτης κισσήρων ἐπιπολαζόντων γέμειν. Μέσον δὲ τοῦ τηλικούτου πυρός, νῆσος ἀπογεωθεῖσα τῇ λεγομένῃ ἱερᾷ νήσῳ συνήφθη μήπω τὸ πρὶν οὖσα.

VIII. Ἀλλ' ὡς αἱ προῤῥηθεῖσαι Θήρα καὶ Θηρασία ποτὲ ἐξεβράσθησαν, οὕτω καὶ αὐτὴ νῦν ἐπὶ τῶν χρόνων τοῦ αλιτηρίου καὶ θεομάχου Λέοντος, ὃς τὴν κατ' αὐτοῦ θεῖαν ὀργὴν ὑπὲρ ἑαυτοῦ λογισάμενος, ἀναιδέστερον τὸν κατὰ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων ἀνήγειρε πόλεμον, σύμμαχον ἔχων Βησὴρ τὸν ἀρνησίθεον, καὶ τῆς ἴσης ἀλογίας ἐφάμιλλον. C Ἀμφότεροι γὰρ ἀπαιδευσίας ἦσαν ἔμπλεοι καὶ πάσης ἀμαθίας ἐξ ἧς καὶ τὰ πολλὰ τῶν κακῶν ἔρχεται. Ὅθεν ἐν πρώτοις μεταπεμψάμενος ὁ τύραννος εἰς τὰ βασίλεια Γερμανὸν τὸν μακαριώτατον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, ἐπεχείρει θωπευτικοῖς αὐτὸν λόγοις δελεάζειν, οἰόμενος πείθειν αὐτὸν πρὸς τὴν αὐτοῦ βούλησιν. Καί φησι πρὸς αὐτόν· Τίσι παραδόσεσι πειθόμενοι ἢ ὅροις οἱ πρὸ ἡμῶν τὰ τῆς βασιλείας κατέχοντες σκῆπτρα, τὴν τῶν εἰκόνων στηλογραφίαν ἐνομοθέτησαν ἐγχαράττεσθαι; Οἶμαι ὡς οἱ ταῦτα νομοθετήσαντες τῶν εἰδωλολατρῶν εἰσιν ὁμόφρονες· καὶ γὰρ ἐν οὐδενὶ τῶν παλαιῶν τι τοιοῦτον εὕρομεν. Διὸ παραινῶ τὴν σὴν πατρότητα, παύσασθαι τῆς αὐτῶν προσκυνήσεως, καὶ πᾶσι τοῦτο ἐκθέσθαι μὴ παραιτῆσαι· οὐ γὰρ οἷός τε ἐγὼ ἐν πάσῃ τῇ ὑπ' ἐμοῦ βασιλείᾳ φωραθῆναί τινα τοῦτο πράσσοντα, εἰ δὲ τινες φωραθεῖεν τουτοισὶ προσκείμενοι, τὴν ὠκύμορον ὑπομείνωσι μοῖραν· οὐ γὰρ δίκαιον ἡγοῦμαι, Χριστιανοὺς ἡμᾶς καλουμένους εἰδώλοις προσκυνεῖν, καὶ νεκροῖς ὀστέοις σέβας προσνέμειν, καὶ ἐν αὐτοῖς ὡς ἐπὶ Θεῷ ἔχειν τὴν ἐλπίδα.

A. Anonymo.

testati essent, parato ad certamen animo alter alterum esse jubebat : nam omnes adhuc præstolabantur rei eventum (sicut supra dictum est) non verentes, ne subesset ei falsum. Reliqui vero, qui timore correpti fuerant, huc et illuc dispersi sunt, pagos et insulas, antra etiam maritima ac latibula, et si alium quempiam animo concipiebant salutarem perfugii locum perlustraturi. Et quid pluribus opus est? Omnibus ex æquo sublustris quædam aderat nox, maligna hac hæresi tanquam ulcere quodam terram depascente.

ac imaginum destructione per Leonem imp., quem S. Gregor. PP.,

7 Nono *bb* itaque imperii sui anno Leo imperator de sanctarum ac venerandarum imaginum destructione tractare cœpit. Quo comperto, S. Gregorius *cc* Papa antiquioris Romæ, Italiæ nec non Romæ tributa *dd* ad ipsum deferri prohibuit, atque epistolam decretalem *ee* scripsit ad Leonem, non oportere imperatorem quidquam statuere de fide, atque antiqua innovare aut convellere Ecclesiæ dogmata, a sanctis Patribus ac magistris sancita. Gregorius vero, quod ei sese obnixe opposuerit, quanta laude *ff* per universum terrarum orbem efferri debeat, humana utique lingua eloqui non valeo. Diebus autem illis quoddam longe terribilissimum, Deo rem ita disponente, signum accidit, quod malevolam ac furiosam Leonis amentiam re- E dargueret (ille siquidem multa vesania evictus ad meliorem mentem redire noluit). Tempore enim messis [Indictione] *gg* nona, inter Theram *hh* et Therasiam insulas, per multos dies *ii* vapor et profundo maris, ex ardente veluti fornace ebullivit. Unde, illo paulatim condensato, et in lapidem concreto igniti incendii evaporatione, totus aer fumus et ignis esse visus, atque ob terrenæ materiæ crassitiem, magnos pumices, tanquam lapides quosdam, ejicere per Asiam minorem, Lesbum *kk*, Abydum *ll*, ac Macedoniam maritimam ; ut universa istius maris facies pumicibus innatantibus plena esset. In medio igitur talis ignis insula a terræ mole avulsa, Sacræ *mm*, prout vocatur, insulæ aggesta est, cum prius non exstitisset.

ac S. Germanus ep. CP.

8 At sicut prædictæ Thera et Therasia aliquando ebullierunt ; sic et illa nunc temporibus scelesti ac Deo repugnantis Leonis : qui Dei iram contra se concitatam sibi favere deputans, impudentius adversus sanctas ac venerandas imagines bellum movit, commilitonem nactus Beser, Dei desertorem, et æqualis dementiæ æmulatorem. Uterque enim erat F plenus inscitiæ atque omnis ignorantiæ, et qua proveniunt multa mala *nn*. Unde in primis cum tyrannus ad palatium evocasset beatissimum Germanum *oo*, patriarcham Constantinopolitanum, adulatoriis cum sermonibus inescare conatus est, eum ad suam ratus inflectere voluntatem. Dicitque ipsi : Quibus persuasi traditionibus vel definitionibus mei in imperii sceptro decessores sanxere, ut imaginum statuæ columnis inciderentur? Puto, eos, qui hanc tulere legem, cum idololatris sentire : neque enim in ullo antiquorum hujusmodi aliquid invenimus. Ideo paternitatem tuam adhortor, ut ab earum adoratione desistat, atque omnibus hoc exponere non recuset. Neque enim in toto, quod mihi subest, imperio deprehendere possum quempiam, hoc qui faciat. Sin vero aliqui fuerint deprehensi, qui illis rebus adhæserint, brevem vitæ sortem expectent. Æquum quippe non duco, ut nos, qui Christiani vocamur, idola adoremus, ac mortuis ossibus cultum tribuamus, nec non in ipsis, sicut in Deo, spem reponamus.

ANNO-

A. ANONYMO.

ANNOTATA. D

a Germanicia *urbs est Syriæ, in regione Commagenæ ad Amanum montem : de qua Cellarius in Notitia orbis antiqui lib. 3, cap. 12, pag. 244. Theophanes in Chronographia, initio paragraphi 3 superius citata, pag.* 327 Leo, *inquit,* Germanicia se verius Isauria oriundus. *Cangius in Familiis Byzantinis pag. 124 esse refert, qui eum Seleuciæ in Isauria natum velint.*

b Isauria *regio Asiæ minoris, Pamphiliam et Ciliciam contingens, in Tauro monte fere sita.* Isauros *tanquam barbaros fuisse habitos, turbarumque ac rebellionis amicos, lego. Epitome ex ecclesiasticis Philostorgii historiis, inter ea, quæ ex libro 11 referuntur, sic ibi habet sub finem :* Isaurorum gens varias clades intulit Romanis *etc.* Cumque Cappadoces sedibus suis expulissent, et captivos egissent, ad Pontum usque progressi sunt, et atrocius quam reliqui barbari in captivos sævierunt.

c *Imperare cœpit Leo Isaurus anno Christi 717; uti videre licet apud Pagium ad an. 716, num. 3, contra Baronium, qui rem anno 716 innectit. Theophanes enim pag. 346* A, mense, *ait,* Martii die vigesimo quinto, decima quinta Indictione, ad mensis Junii diem decimum octavum nona Indictione, Leo imperavit; *unde infert Pagius, Leonem cœpisse imperium dicto anno 717.*

d Justinianus II *seu junior, Constantini Pogonati imperatoris filius, patri successit anno 685.*

e *Hinc* Rhinotmetus *dicitur. Naribus truncatum esse refert Baronius ad annum 694; sequenti id innectit Pagius; uti apud ipsum legere est ad annum 694, num. 2. Theophanes supra citatus, pag. 308* Justinianum.. naso linguaque truncatum *scribit. Videri etiam potest Pagius ad an. 694 num. 2.* Error tamen esse putatur, *uti apud Baronium ad istum annum invenies,* ipsum imperatorem non naribus tantum, sed et lingua fuisse præcisum : id enim non probatur : nam constat, postea

B ipsum esse locutum, ut suo loco dicemus. E

f Primum *imperavit ab anno 685 usque ad 695, secundum mox dicta.*

g Mesembriæ Thraciæ urbe vitam egit; *uti est apud Zonaram infra citandum, pag. 100. Thraciæ maritimæ urbs in confinio Mœsiæ inferioris notatur apud Baudrandum. Cellarius lib. 2, cap. 8, pag. 374 eam Mœsiæ inferiori accenset ad Ponti Euxini oram. Notatur in mappa geographica ibidem pag. 346.*

h Secundum *imperavit anno 705, ex laudato superius Criticæ Baronianæ auctore ad annum 703.*

i *Terbelis, Bulgarorum principis, auxilium pro recuperando imperio imploravit Justinianus prædictus, anno 704; ex mox citato auctore ad an. 702; corrigente Baronium, qui ad annum 702 de legatione ab eo ad Trebellium Bulgarorum regem missa meminit; et imperii per Bulgaros recuperationem differt in annum 703, pro 705; quo id accidisse mox diximus.*

k Spatharius *est armiger, seu satelles spatha, id est ense, armatus ad imperatoris custodiam.* Corporis custos, σωματοφύλαξ, *vocatur a Cedreno in Julio Cæsare pag. 168 editionis Parisinæ anni 1647. Plura dabit Glossarium, eidem scriptori præmissum. Dignitas hæc erat in imperio Constantinopolitano satis illustris. Vide Cangium in Glossario utroque.*

l Alani. *Cellarius lib. 2, cap. 6 de Sarmatia Europæa agens, pag. 320 de iis varia collegit.*

m *De pecunia in Alaniam missa pluribus agit Theophanes a pag. 327.*

n *Rem gestam narrat Theophanes pag. 327.*

o *Cangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocem* annus, *inter alias æras ponit Æthiopicam, quæ ab anno mundi conditi usque ad adventum Christi numeret annos 5501. Hi cum annis 709 a Christi adventu, annum 6209 signant; qui in tabula apud Theophanem pagina citata 327 notatur concurrere cum anno Christi 709. Anno autem Periodi Græco-Romanæ 6209 respondet annus Christi 716 apud Pagium ad istum annum. Cum autem horum Actorum conditor calculos suos chronologicos connectat cum tempore, quo Leo* imperii sceptra teneret, *uti mox*

C *hic subdit; consequens est, ut ea, quæ narrat, non contigerint ante annum Christi 717; quo* F

imperium a Leone aditum fuisse, supra diximus litt. c.

p *In apographo nostro* εἶτο βυσυμπήξεως, *mutandum censeo in* εἶτε γῆς συμπήξεως : *quo in exemplari aliunde etiam mendoso videtur sensus exigere.*

q *Anno æræ vulgaris 721, sicut continuo dicetur.*

r *Secundum æram vulgarem quinto : nam Leo cœpit imperare anno Christi 717, ex supra dictis litt.* c; *et factum, quod hic refertur, contigit anno 721 : sicut jamjam videbimus.*

f *Cellarius lib. 3, cap. 12, pag. 279 agit de mediterranea Phœnice (ita pro* Phœnicia *scribendum, ibidem ex antiquis monuerat pag. 271) meminit Laodiceæ maritimæ, quæ im mappa geographica ad pag. 243 notatur ad mare Syrum inter Heracleam et Gabalam. Laodiceam istam censeo hic designari, cum de maritima loquatur Actorum scriptor.*

t *Res confirmatur ex Theophane pag. 336, ubi eam sic narrat :* Hoc anno Judæus quidam Laodicia maritimæ Syriæ ortus, supremus præstigiator, habito cum Iside colloquio, annis quadraginta Arabum principatu potiturum promisit, si modo venerandas imagines toto suo principatu et Christianorum ecclesiis eliminaret. Is porro Isid vere insanus, in sanctas ac venerandas imagines generale decretum promulgavit. *De hoc Isidis secundi, Saracenorum Caliphæ, decreto, ac Judæi promissione tractat Baronius ad annum 723; sed corrigens eum ad istum annum Pagius, num. 7 affirmat hanc adversus imagines persecutionem pertinere ad annum 721 :* In concilio enim, *ait,* Nicæno secundo, actione 5, cujus verba recitat Baronius ex versione antiqua et vulgata, legitur : « Cum hoc » egisset Ezidus, non plus quam duobus annis et dimidio vivens, defunctus est. » Ezidus autem seu Iezidus Calipha mense Februario anni DCCXXIV vivere desiit. Quare medio circiter anno DCCXXI in sacras imagines grassatus fuerat. In vulgata quidem versione, quam secutus est Baronius num. 21, habetur : Ultra annum cum dimidio non vixit. Sed hæc versio ex textu Græco et versione Anastasiana emendanda.

u *Pro Græco* μητρὸς, *mendosissime in apographo nostro reperi scriptum* μάρτυρος.

x Eodem

A x Eodem anno *Izidum obiisse, hic affirmat auctor noster; at* duobus annis cum dimidio *eum supervixisse, modo dictum est. Theophanes pag. 336 quamdiu superfuerit, presse non determinat; ait enim:* Izid extinctus est. A. ANONYMO.

y *Illud Theophanis pag. 336,* οὐδὲ ἀκουσθῆναι φθάσαντος τοῖς πολλοῖς τοῦ σατανικοῦ αὐτοῦ δόγματος, *quod ibidem vertitur,* nondum etiam satanico ejus sancito ad plurium aures et notitiam publicato; *Pagius ad annum Christi 723 num. 7, corrigendum monet ex eo, quod Joannes monachus in concilio Nicæno secundo, superius littera t citato, dicat:* Tyrannus deceptione captus (nempe Izidus) huic (nempe Judæo) levitate usus obsecundavit: et mittens deposuit ab omni provincia, quæ sub ipso erat, sanctas imagines, et residuas similitudines: et hoc modo non parcens deturpavit ecclesias Dei per venesicum Hebræum, sub potestate sua sitas, antequam perveniret malum ad terram istam; *videlicet, uti observat Pagius,* ad ditiones.. imperio Romano subditas. Neque enim intra biennium cum dimidio Caliphæ edictum ad plurium notitiam, imo et omnium non pervenire non potuit. Certum tamen videtur, illud ubique non fuisse exsecutioni mandatum; alioquin Joannes monachus de illo ut de re parum cognita locutus non fuisset in concilio.

z *De eo agit Theophanes pag. 336; unde quæ dicit noster martyriographus, confirmantur.*

aa Constantinus Nacoliæ episcopus *notatur apud neotericum scriptorem Gallum in Historia Iconoclastarum lib. 1, pag. 59; quo nomine etiam exprimitur in Vita S. Stephani Junioris, supra num. 10 citata, pagg. 477 et 480. Est autem Nacolia urbs Phrygiæ, apud Strabonem lib. 12 signata.*

bb Nono imperii sui anno *completo, ac decimo incohato, Christi 726. Zonaras de Leone lib. 15, pag. 104 editionis Parisiensis annis 1687,* Decimum *inquit,* suæ tyrannidis annum auspicans, una etiam bellum contra Deum auspicatur. *Vita S. Stephani Junioris superius citata, pag. 412 hæc de eo memorat:* Post decimum vero sui imperii annum *(inchoatum videlicet)* novus ille Baltassar, Manichæam hæresim, E

B et Aphthartodocitarum, ut ita loquar, forte haud dissimilem, in Ecclesiam spiravit. *Plura Pagius ad an. 726, num. 1, inter alia observans, quod* Theophanis Chronologia per hæc tempora depravata, et hæc persecutio anno superiori perperam collocata *sit;* ut Indictio nona cum anno decimo Leonis imperatoris collata, certo ostendit.

cc S. Gregorius, *hujus nominis II, sedit ab anno 715, usque ad 731. Vide Commentarium prævium ad ejus Acta mox citanda.*

dd *Hoc confirmatur ex Theophane pag. 338.*

ee *De hac epistola Commentarius noster meminit num. 25.*

ff *Acta ejus illustrata sunt apud tom. II Februarii, ad diem 13, pag. 692.*

gg *Vocem hanc, nec in Ms. nostro, nec in exemplo, e quo illud desumptum est, integre expressam, supplevi ex Theophane, qui pag. 330 hæc refert:* Indictione nona *(nam in Græco est ἰνδ. θ')* messis colligendæ tempestate, inter Theram et Therasiam insulas *etc. Nona autem Indictio concurrit cum anno æræ vulgaris 725. Cum hisce non conveniunt tempore, quæ S. Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in Breviario historico, typis regiis anno 1648 Lutetiæ Parisiorum impresso memorat: nam præmissa* Indictione III, *qua Constantinum Copronymum coronatum imperatorem fuisse significat, mox refert* quid ad Theram et Therasiam.. SUB IDEM TEMPUS acciderit.. INEUNTE ÆSTATE *etc. Indictio autem 3 concurrit cum anno 720.*

hh Thera et Therasia *sunt insulæ ad mare Creticum. Strabo anno 1620 Lutetiæ Parisiorum editus lib. 10 pag. 484,* Circa Cretam, *inquit,* insulæ sunt, Thera Cyrenæorum metropolis, Lacedæmoniorum colonia.. Longa est Thera ambitu stadiorum CC, sita juxta Diam insulam, quæ est ad Heracleum Cnossiorum: abest a Creta ad LXX stadia. Propinquæ ei sunt Anaphe et Therasia. *Vide infra ad litteras* mm. F

ii *Theophanes pag. 338* ἐπὶ ἡμέρας τινὰς, *id est,* per aliquot dies.

C kk Lesbus *insula est in Asia minore in mare Ægeo.*

ll Abydi tres urbes, una ad Hellespontum.., alia in Ægypto.., tertia in Japygia seu italia, quæ neutro genere dicitur Abydum, *notantur apud Stephanum de Urbibus. Primam hic intelligo ex tractu, quem assignat hujus Martyrii auctor.*

mm Hiera insula *in mari Cretico. Apud Plinium lib. 2, cap. 87 agentem de insulis enatis, memorantur* inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto, Thera et Therasia. Inter eadem post annos CXXX Hiera, eademque automate, *id est, sponte seu casu enata.*

nn *Quæ hic narrata sunt, confirmantur ex Theophane pag. 339.*

oo *Actum est de isto Sancto apud nos die 12 Maii, tom. III ejusdem mensis pag. 155. Videri etiam de eo potest Historia Chronol. Patriarcharum Constantinopolitanrum ante tomum I Augusti pag.* * 91.

CAPUT II.

S. Germani archiepiscopi CPolitani cum Leone oratio; vaticinium; constantia in fide cum illius tum aliorum adversus Iconoclastas.

Ὁ δὲ μακάριος καὶ μέγας τοῦ Χριστοῦ ἀρχιερεὺς Γερμανὸς ἔφη πρὸς αὐτόν· Ὦ βασιλεῦ, οὐχ' οὕτως ἡμεῖς ὁ Χριστοῦ λαὸς καὶ ὢν καὶ καλούμενος, ὡς σὺ φῆς, περὶ τὴν ὀρθὴν καὶ ἀμώμητον πίστιν χωλαίνομεν· οὐ γὰρ ὡς οἱ τὴν

Cui beatus ac magnus Christi pontifex Germanus: O imperator, nos, qui Christi populus et sumus et vocamur, non sic, uti tu dicis, circa orthodoxam et culpa vacantem fidem claudicamus. *a proposito*

A. ANONYMO.

Non enim sicut gentiles, qui materiem venerantur, atque inanimis idolis cultum deferunt, rei creatæ cultum deferimus, relicto omnium rerum Creatore: sed per materiem res creatas cognoscimus, earumque fictorem et factorem: nam honor imaginis, secundum beatum ac magnum Basilium, ad prototypon transit. Etenim Dei ac servatoris nostri Jesu Christi imaginem coloribus materiem repræsentantibus efformamus; cultum vero non materiæ, sed ei, qui in materia expressus est, accommodamus. Nam ubi sunt imperatorum imagines in auro excusæ; non auro, sed imperatori attendunt omnes; nec imperatore relicto, illi deinceps adhærent; sed propter ejus imaginem, in auro gloriantur. Te autem obsecro, domine, ut monstroso hujusmodi proposito finem imponas. Nam sanctarum ac venerabilium imaginum futuram [audimus] proscriptionem [sed non] *a* imperante te. Imperator, hoc sermone audito a ter beato luminari Germano, obmutuit, et turbatis oculis in eum defixus qua vi potuit, hic quisnam esset, sine mora coegit profari. Patriarcha vero, Conon, inquit. Imperator postquam hoc inaudisset, præ gestientis animi lætitia quasi vix compos sui, gratiose respondit, sic se vocatum a suis natalibus, quando baptizatus fuerat. B

a

10 Cui Patriarcha iterum, Te, inquit, domine, imperante, non eveniat malum hoc et improbum negotium: Antichristi enim præcursor est, qui gravem hanc et molestam rem exsequatur. Inter hæc, iratus admodum tyrannus, beato Germano, sicut olim Herodes Christi Præcursori, insidiabatur, et clam eum illaqueare, subdole satagebat, ut tanquam seditiosum, et non tanquam consessorem e solio illum expelleret; nactus ad hoc ejusdem animi atque operis socium Anastasium *b*, nominis falsi *c* virum discipulum ejus: cui promittit imperator, se pontificale ipsi præbiturum solium, si eum laqueis irretiret atque infamiæ notis perstringeret. Hic vero fraudes adversus eum moliri, exin non destitit. At vere ter beatissimus ille ac genuinus Christi Præsul videns eum diebus singulis festinare ad proditionem, non secus ac alterum Judam; mansueto et pacato corde de his, quæ ad eam spectabant, eum commonefacere non cessabat. Is autem, multæ admodum ac projectæ insaniæ vir, illa quæ dicebantur, neglexit, sicut Judas ejusdem cum eo consilii socius.

frustra eum absterrere conantibus.

b c

C 11 Dumque palatium imperatoris ter beatus Germanus adiret, intolerabili correptus audacia infelix Anastasius, Sancti omophorium *d* pedibus suis calcare non horruit. Sanctissimus autem Pontifex beatum et sanctum os suum aperiens, mansuete atque demisse ad ipsum dixit: Quid hoc? Noli adeo festinare ad id quod intendis. Tempus quippe erit, quo ad Diippium *e* pervenias *f*. Idque post annos quindecim *g* factum est. Iniquo etenim Leone iniquior filius *h* eum vehementer cæsum, asino aversa ad caudam facie insidentem, per Diippium *i* in ludis equestribus in ludibrii triumphum circumduci jussit, et a populo lapidibus impeti: cui deinde sic in Cynegium *k* abducto miserum caput amputavit *l*. Sanctus autem Germanus ex imperatoriis palatiis egressus, ad sacrum se confert templum, et postquam congregasset omnem honorabilem ac sacrum gregem suum, sic eum affatur: Ecce enimvero, filii, pastoresque et grex sacer, bonorum invidus diabolus Dei permissu malam et profanam nec non a divinis legibus omnino alienam doctrinam cordi imperatoris inseruit, et vult sacram imaginum sanctarum ac venerendarum erectionem abrogare. Ideo vos omnes rogo et obsecro, nolite prodere pulchram et pretiosam fidei vestræ margaritam; sed ge-

Vaticinium odit S. Germanus, ac Christianos in fide confirmat;

d

e f

g

h

i

k l

ὕλην σεβόμενοι καὶ ἀψύχοις εἰδώλοις σέβας προσνέμοντες D ἕλληνες, τῇ κτίσει λατρεύομεν, τῶν πάντων κτιστὴν ἀφέμενοι· ἀλλὰ διὰ τῆς ὕλης καὶ τῶν κτισμάτων τὸν πλάστην καὶ ποιητὴν ἐπιγινώσκομεν· ἡ γὰρ τιμὴ τῆς εἰκόνος, κατὰ τὸν μακάριον καὶ μέγαν Βασίλειον, ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. Στηλογραφοῦμεν γὰρ τὴν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τῶν χρωμάτων τῶν ὑλικῶν. τὸ δὲ σέβας οὐ τῇ ὕλῃ, ἀλλὰ τῷ διὰ τῆς ὕλης ἐγχαραχθέντι προσάπτομεν. Καὶ γὰρ καὶ τὸν χρυσὸν ἔνθα αἱ εἰκόνες τῶν βασιλέων ἐκτετυπωμέναι εἰσιν, οὐ τῷ χρυσῷ οἱ πάντες ὡς βασιλεῖ προσέχουσι, καὶ τὸν βασιλέα ἀφέντες αὐτῷ λοιπὸν πρόσκεινται, ἀλλὰ διὰ τὴν τούτου εἰκόνα τῷ χρυσῷ ἐναβρύνονται. Παρακαλῶ δέ σε, δέσποτα, παύσασθαι τοῦ τοιούτου ἀλλοκότου σκοποῦ· τὴν γὰρ καθαίρεσιν τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων [ἀκούομεν] μέλλειν ἔσεσθαι, [ἀλλ' οὐκ ἐπὶ] τῆς σῆς βασιλείας. Ὁ δὲ βασιλεὺς τουτονὶ τὸν λόγον ἀκούσας παρὰ τοῦ τρισμάκαρος φωστῆρος Γερμανοῦ, ἐννεὸς γενόμενος, καὶ τεταραγμένοις ὀφθαλμοῖς εἰς αὐτὸν προσχών, μεθ' ὅσης εἶχε δυνάμεως, τοῦτον ὅστις εἴη ταχέως ἐξειπεῖν ἐβιάζετο. Ὁ δὲ πατριάρχης ἔφη· Κόνων. Ὁ δὲ βασιλεὺς τοῦτο ἀκούσας καὶ ὥσπερ ἔνθους ὑφ' ἡδονῆς γενόμενος, E χαριέντως ἀπεκρίνατο ὡς αὐτὸς οὕτω καλέοιτο πρὸς τῶν αὐτοῦ γεννετῶν ἡνίκα ἐβεβάπτιστο.

X. Ὁ δὲ πατριάρχης πάλιν ἔφη· Μὴ γένοιτο, δέσποτα, διὰ τῆς σῆς βασιλείας τὸ κακὸν τοῦτο καὶ πονηρὸν δρᾶμα γενέσθαι· Ἀντιχρίστου γὰρ πρόδρομός ἐστιν, ὁ τὸ δεινὸν τοῦτο καὶ χαλεπὸν δρῶν. Ἐπὶ τούτοις πανὺ χολάσας ὁ τύραννος, ἐνεῖχε τῷ μακαρίῳ Γερμανῷ, ὡς ποτε Ἡρώδης τῷ προδρόμῳ, καὶ ἐν κρυφῇ τοῦτον παγιδεῦσαι ἐνήδρευεν, ἵνα ὡς φρατριαστήν, καὶ οὐχ' ὡς ὁμολογητὴν αὐτὸν ἐξωθήσῃ τοῦ θρόνου, ἔχων εἰς τοῦτο ὁμόθυμον καὶ συνεργὸν Ἀναστάσιον τὸν ψευδώνυμον αὐτοῦ μαθητήν· ὑπισχνούμενος αὐτῷ ὁ βασιλεύς, τὸν τῆς ἀρχιερωσύνης θρόνον παρέχειν, εἰ τοῦτον παγιδεύσειεν καὶ διαβάλοι. Ὁ δὲ οὐκ ἐπαύετο ἐκ τότε τυρεύων κατ' αὐτοῦ. Ὁ δὲ τρισμακαριώτατος ὄντως καὶ τοῦ Χριστοῦ γνήσιος ὀπαδὸς βλέπων αὐτὸν καθ' ἑκάστην πρὸ τὴν προδοσίαν ἐπειγόμενον, ὥσπερ ἄλλον Ἰούδαν, πρᾳείᾳ καὶ γαληνιώσῃ κραδίῃ τὰ περὶ τῆς προδοσίας ὑπομιμνήσκων οὐκ' ἐνέλιπεν. Ὁ δὲ πλείονι μᾶλλον μανίῃ βαλλόμενος, κωτίλως πρὸς τοῖς λεγομένοις εἶχεν, ὡς ὁ τούτου σύμφρων Ἰούδας.

XI. Καί ποτε πρὸς τὰ βασίλεια τοῦ τρισμάκαρος εἰσιόντος Γερμανοῦ ἀσχέτῳ θράσει κρατούμενος ὁ δείλαιος Ἀναστάσιος, τὸ τοῦ Ὁσίου ὠμοφόριον τῶν σφῶν τοῖν ποδοῖν πατῆσαι οὐκ ἔφριξεν. Ὁ δὲ ἁγιώτατος ἀρχιερεύς, τὸ μακάριον F αὐτοῦ καὶ ὅσιον ἀνοίξας στόμα, ἡμέρως καὶ χθαμαλῶς ἔφη πρὸς αὐτὸν· Τί τοῦτο; Μὴ ὠκέως* ἔχῃς πρὸς τὸ ἐγχείρημα· ἤδη γὰρ φθάσεις εἰς τὸ διίππιν· ὁ καὶ γέγονε μετὰ ιε' ἔτη. Ὁ γὰρ τοῦ παρανόμου Λέοντος παρανομώτατος κέλωρ, τύψας αὐτὸν ἀφειδῶς διὰ τοῦ ἱππίου ἐν ἱππικῷ ἐπὶ ὄνῳ ἐξαντιστρόφως ἐφεζόμενον ἐκπομπεύσας, τοῦτον τοῖς λίθοις τὸν δῆμον ἐκέλευσε βάλλειν, καὶ εἶθ' οὕτως ἐν τῷ κυνηγίῳ αὐτὸν ἀπαγαγών, ἀπέτεμεν αὐτοῦ τὴν ἀθλίαν κεφαλήν. Τοῦ δὲ ἐν ἁγίοις Γερμανοῦ τοῦ πατριάρχου τῶν βασιλείων αὐλῶν ὑπεξελθόντος, παρακίνεται πρὸς τὸν ἱερὸν νεών, καὶ συναθροίσας ἅπαν τὸ τίμιον καὶ ἱερὸν αὐτοῦ ποίμνιον, οὕτωσὶ πρὸς αὐτοὺς διηλέχθη· Ἰδοὺ δέ, ὦ τέκνα, ποιμένες τε καὶ ποίμνιον ἱερόν, ὁ τῶν ἐσθλῶν βάσκανος διάβολος ἐνέσπειρεν ἐν τῇ τοῦ κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ κρατοῦντος καρδίᾳ δόγμα πονηρὸν καὶ βέβηλον, καὶ πάντη τῶν θείων νόμων ὀθνεῖον, καὶ βούλεται τὴν ἱερὰν τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων ἀναστήλωσιν κατεάξαι. Διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, μὴ προδῶτε τὸν καλὸν καὶ ἔντιμον μαργαρίτην τῆς πίστεως ὑμῶν· ἀλλὰ γενναίως στῆτε, ἀνταγωνιζόμενοι κατὰ τοῦ ἐχθροῦ, ὅπως καὶ ἡμεῖς οἱ ταπεινοὶ τῶν τοῦ Κυρίου κληρονόμοι γενώμεθα ἀγαθῶν, μετὰ πάντων

* *f.* Τοσοῦτο μὴ ὠκέως

A των αὐτοῦ τῶν ἁγίων.

XII. Τότε δὴ ὅτε τούτων τῶν λόγων ἀκούσασα παρὰ τοῦ παμμάκαρος φωστῆρος Γερμανοῦ, ἡ κυριώνυμος αὕτη Μαρία ἡ πατρικία, ἥτις καὶ ἐξ αἵματος ἐτύγχανε βασιλικοῦ, ἅμα τῇ συνούσῃ αὐτῇ ἐν τῷ οἴκῳ ἁγίᾳ συνοδίᾳ, ἑαυτὴν ῥίψασα πρὸς τοῖς ποσὶν αὐτοῦ ἔδεα, λέγουσα· Εὐλόγησον ἡμᾶς, δέσποτα, ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, δίδαξον ἡμᾶς τρανώτερον, ὅπως ἀγωνισώμεθα κατὰ τοῦ τυράννου. Δὸς ἡμῖν ὥσπερ ἑρκίῳ τινὶ ἀσφαλεῖ τειχίζεσθαι διδασκαλίᾳ, ὅπλισον εὐχῇ, θωράκισον σφραγῖδι, ἆρον πρὸς ὕψος τὰς ὁσίας χεῖρας, καὶ παράθου ἡμᾶς ταῖς σαῖς εὐχαῖς τῷ Θεῷ· δεήθητι ὡς καὶ Χριστὸς τῷ Θεῷ καὶ πατέρι καὶ αὐτὸς, οὗ ὀπαδὸς καὶ μιμητὴς εἶ, οὑτωσὶ λέγων· Οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Ναὶ δέομαι τῆς σῆς ὁσιότητος, σεβάσμιε δέσποτα, συναγώνισαι καὶ αὐτὸς, καὶ μὴ ἀποκνέῃς εὐχόμενος, ὅπως μηδένα ἡμῶν ὑποσύρῃ ὁ τύραννος. Εὐλογηθέντων δὲ πάντων παρὰ τοῦ ὁσίου ἀρχιερέως Γερμανοῦ, οἴκαδε πάντες ὑπενόστουν. Μόνον δὲ οἱ Ἅγιοι οὗτοι ἅμα τῇ τιμίᾳ αὐ-
B τῶν καὶ γενναίᾳ διδασκάλῳ πρὸς τὸν ἀρχιερέα ἔμειναν Γερμανόν.

XIII. Ἡμερῶν δὲ οὐκ ὀλίγων παρελθουσῶν σελέντιον ποιήσας ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ τριβουναλίῳ τῶν ιθ᾽ ἀκουμβίτων, μετακαλεσάμενος τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐπεχείρει διαστρέψαι αὐτὸν τῆς ὀρθῆς πίστεως. Ὁ δὲ γενναῖος τοῦ Χριστοῦ ἀγωνιστὴς Γερμανὸς ἀναστὰς, καὶ μέσον πάντων σταθεὶς, ἐπέδωκε τὸ ὠμοφόριον αὐτοῦ εἰπών· Ἐὰν ἐγώ εἰμι Ἰωνᾶς, βάλετέ με εἰς τὴν θάλασσαν· χωρὶς γὰρ οἰκουμενικῆς συνόδου καινοτομῆσαι πίστιν ἐγὼ ἀδυνατῶ, ὦ βασιλεῦ. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ὁ Μακάριος, ἐξῄει ἐκ τοῦ συνεδρίου ἐκείνου ἐν πολλῷ τῷ τάχει. Καὶ ἀπελθὼν ἐν τῷ λεγομένῳ Πλατωνίῳ, ἤτοι ἐν τῇ μονῇ τῇ νῦν καλουμένῃ Χώρᾳ, ἐκεῖσε ἡσύχασεν. Τότε ὁ τυραννώδης βασιλεὺς, θυμῷ μεγάλῳ ὑπερζέσας ἐκέλευσεν, ὅπως τὴν ἐπὶ τῇ Χαλκῇ πύλῃ οὖσαν τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἁγίαν εἰκόνα κατεάξαι, καὶ πυρὶ παραδοῦναι, καὶ μὴ ἐν πάσῃ τῇ ὑπ᾽ αὐτὸν ἀρχῇ ἐμμεῖναι ἱερὰν εἰκόνα. Εἰ δὲ τὶς φωραθείη ἔχων τι τοιοῦτον, τὸν διὰ ξίφους θάνατον ὑπομένειν προσέταξεν. Τῶν τοίνυν δυσσεβῶν αὐτοῦ προστάξεων σὺν πολλῷ τῷ τάχει παρὰ τῶν αὐτοῦ ὑπουργῶν πληρουμένων, ἦλθον ἐπὶ τῇ προειρημένῃ Χαλκῇ πύλῃ
C οἱ τὴν σκάλωσιν ὀφείλοντες στῆσαι στρατιῶται εἰς τὸ κατεάξαι τὸν ἅγιον καὶ δεσποτικὸν χαρακτῆρα, παρόντος καὶ τοῦ θεομάχου Βεσήρ.

XIV. Μαθοῦσα δὲ τοῦτο ἡ ἁγία μάρτυς Μαρία, ἡ κυριώνυμος, ἡ σμύρνα καὶ κασσία, ἡ τῷ Θεῷ ἀρωματίζουσα ταῖς ἀρεταῖς, ἡ φωτιζομένη δι᾽ ἔργων ἀγαθῶν, καὶ τοῦ φωτισμοῦ αὐτῆς τοῦ ἐνθέου πάντας πληροῦσα, παραλαβοῦσα ἅμα τῷ ἁγίῳ Γρηγορίῳ πρωτοσπαθαρίῳ ὄντι, καὶ τοὺς λοιποὺς Ἁγίους, καὶ αὐτῶν ἀξιωματικῶν καὶ εὐγενῶν ὄντων, παραγίνεται σὺν αὐτοῖς ἐπὶ τῇ Χαλκῇ πύλῃ, καὶ τὴν σκάλωσιν διαῤῥήξαντες, καὶ τὸν καθαιρέτην σπαθάριον χαμᾶζε προσριψαντες καὶ τοῦτον διασύραντες καὶ θανατώσαντες, τὸν τυραννώδη βασιλέα ἀραῖς ἔβαλλον, Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς μεγάλῃ τῇ φωνῇ εἶναι λέγοντες. Θρύλλου δὲ οὐκ ὀλίγου τὴν πόλιν ταράξαντος, ἅπαντες πανδημεὶ πρὸς τὴν Χαλκῆν πύλην προσέθεον τῆς ταραχῆς ἀθρόον ἐκπληττόμενοι. Ἐπεὶ δὲ κατέλαβον καὶ εἶδον τί τὸ θρυλλούμενον, ἅπαντες μεγάλῃ τῇ φωνῇ, τὸ Κύριε ἐλέησον ἔκραζον, καὶ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς εἶναι ἔλεγον, καὶ τῶν σεβασμίων καὶ ἱερῶν εἰκόνων προσκυνητὰς, καὶ ὅτι ὑπὲρ τούτων καὶ ἀποθανούμεθα ἑτοίμως.

XV. Ταῦτα ὁ τύραννος βασιλεὺς μαθὼν, καὶ θυμοῦ πολ-

neroso animo state, dimicantes contra inimicum; ut bonorum Domini nos humiles cum omnibus Sanctis ejus fiamus heredes. A. Anonymo.

12 Tunc sane, tunc hisce verbis a Germano, beatissimo luminari, auditis, proprium sibi ipsa quoque nomen gerens Maria patricia *m*, quæ ex imperatorio etiam sanguine erat oriunda, simul cum sociis Sanctis, qui cum ipsa erant domi ejus, ad pedes Sancti se projecit, dicens: Benedic nobis, domine, in omni benedictione spirituali, et instrue nos explanatius, ut dimicemus contra tyrannum. Da nobis doctrina, tanquam firmo septo quodam, muniri, arma orando, thorace instrue signando, sustolle in altum tuas sanctas manus, et precibus tuis nos Deo commenda. Deum ac Patrem, Christi ipsius verbis, cujus præfectus et imitator es, ora, sic dicentis: Servavi, quos dedisti mihi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Precor enimvero sanctitatem tuam, venerabilis domine, contende et tu; et orare ne graveris, ut neminem nostrum subtrahat tyrannus. Germano autem sancto pontifice omnibus bene precato, domum omnes redierunt. Soli vero illi Sancti una cum veneranda sua et E generosa magistra manserunt apud pontificem Germanum.

quos inter potissimum excelluit S. Maria patricia. m

43 Diebus autem non paucis elapsis, imperator in tribunali novemdecim accubitorum *n* silentium *o* celebravit *p*, et advocatum sanctissimum patriarcham a recta fide avertere conabatur. At generosus Christi pugil Germanus consurgens, et in medio omnium stans, pallium suum tradidit, dicens: Si ego sum Ionas, in mare me projicite: nam sine concilio universali, o imperator, nihil ego quidquam circa fidem innovare valeo. Sic fatus Beatus ex consessu isto exivit multa cum festinatione. Tum vero in locum, qui Platonius *q* dicitur, sive in monasterium, quod nunc vocatur Chora *r*, se recipiens, quietam ibidem vitam duxit. Tunc imperator tyrannicus magno ardens furore jussit; ut sacram Christi Dei ac servatoris nostri imaginem, quæ erat in porta Ærea *s*, confringerent atque igni traderent, nullaque in universo, quod ei parebat, imperio imago sacra remaneret superstes. Quod si quis deprehenderetur hujusmodi quidpiam habere, mandavit, ut gladio mortem subiret. Impiis itaque ipsius jussis sine mora exsecutioni mandatis a ministris ejus, milites isti, qui scalas debebant ponere ad confringendam sacram F Domini imaginem, ad Æream, quam memoravimus, portam pervenerunt, præsente etiam Dei impugnatore Beser.

Egregium S. Germani pro orthodoxa fide exemplum: Iconomachorum contra Christi imaginem furor. n o p q r s

44 Hoc audito, sancta martyr Maria, proprium sibi nomen gerens, quæ utique tanquam myrrha et casia suavem Deo odorem virtutibus spirabat, bonis splendebat operibus, nec non divino suo splendore implebat omnes; una cum S. Gregorio *t*, qui protospatharius *u* erat, ac cum reliquis Sanctis, sibi in socios assumptis, qui cum dignitate tum natalibus ipsi etiam erant insignes, accessit ad Æream portam et, confractis scalis, spatharium imaginis destructorem humi dejectum *x* distraxerunt atque interfecerunt, tyrannicumque imperatorem diris devoverunt, Christianos se esse magna voce clamantes. Dum itaque magnus urbem turbaret tumultus, omnis populus, qui in ea erat, ad portam Æream accurebat, ingenti perturbatione perculsus. Quando igitur eo pervenissent, ac vidissent, cur eæ essent concitatæ turbæ, omnes una voce exclamarunt: Domine miserere; ac Christianos se esse, et sacrarum et venerabilium imaginum cultores, nec non pro illarum honore prompte se morituros dixerunt.

Christianis eidem fortiter se opponentibus: t u x

45 Hæc ubi intellexit tyrannus imperator, magno

A. Anonymo. quorum alios Leo interfici, alios vivos servari jubet.

gno furore repletus, missis quingentis militibus gladio armatis, mandavit eos omnes comprehensos interfici, præter hosce (nostros) Sanctos. Unde milites comprehenderunt illos, et gladio interemerunt in eodem ipso loco portæ Ærea: multique eadem illa die redimiti fuere corona martyrii: inter quos erant mulieres ac viri, sacerdotes ac levitæ, innuptæ ac moniales, præsides ac subditi: quorum numerum et nomina solus novit Dominus: neque enim tanta in nobis est facultas, ut numerum eorum inire possimus. Dum autem Martyres ad diem decimam nonam mensis Januarii *y* ita cursum consummassent, pretiosa eorum corpora quæ partim in Cynegio, partim in Pelagiis *z* quæ dicuntur, jacebant, in foveam illorum, qui violenta morte erant sublati *aa*, tyrannus projici jussit. Mane vero imperator sanctam martyrem Mariam una cum sancta, quæ sibi aderat, societate arcessitam, sic affatus est: Oportebat certe vos, generis utique ac dignitatum excellentia præstantes, vilibus et agrestibus viris non sic intermisceri, et seditionem tantam in urbe excitare nedum etiam imperii mei tyrannos fieri. Quoniam autem ad tantæ audaciæ excessum vestra progressa est animi consensio, ut et B imperatoribus repugnetis, idolis serviatis, et in mortuis ossibus non secus ac in Deo spem ponatis; si ab his rebus non desistatis, multis vos cruciatibus vexatos gladio interficiam.

λοῦπληθεὶς, ἀποστείλας στρατιώτας ξιφήρεις ἄχρι πεντακοσίων προσέταξε συλληφθέντας αὐτοὺς πάντας ἀποθανεῖν παρεκτὸς τῶν Ἁγίων τούτων. Ὅθεν συλλαβόμεν οἱ αὐτοὺς οἱ στρατιῶται, ξίφει πάντας ἀνεῖλον ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ τῆς Χαλκῆς πύλης, καὶ πολλοὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ τὸν μαρτυρικὸν ἀνεδήσαντο στέφανον, ἀμφ' οἷν γύναια καὶ ἀνέρες, ἱερεῖς καὶ λευῖται, ἄζυγες καὶ μονάζουσαι, ἄρχοντες καὶ ἀρχόμενοι, ὧν τόν τε ἀριθμὸν καὶ τὰ ὀνόματα ὁ Κύριος οἶδεν μόνος· οὐ γὰρ ἡμεῖς εἰς τοσοῦτον δυνάμεως ἔχομεν*, τὸ πρὸς ἀριθμὸν αὐτοὺς ἔχειν. Τελειωθέντων δὲ τῶν ἁγίων Μαρτύρων οὕτως κατὰ τὴν ιθ' τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, τὰ τούτων τίμια σώματα ἃ μὲν ἐν τῷ Κυνηγίῳ, ἃ δὲ ἐν τοῖς Πελαγίοις λεγομένοις, ἐν τῷ τῶν βιοθανάτων βοθύνῳ ῥιφῆναι προσέταξεν ὁ τύραννος. Ἕωθεν δὲ μετακαλεσάμενος ὁ βασιλεὺς τὴν ἁγίαν μάρτυρα Μαρίαν ἅμα τῇ αὐτῇ συνούσῃ ἁγίᾳ συνοδίᾳ, ἔφη πρὸς αὐτούς. Ἔδει μὲν ὑμᾶς ὡς ἅτε ἐν ὑπεροχῇ γένους καὶ ἀξιωμάτων ὄντας, μὴ οὕτως μετὰ τῶν ἀγοραίων καὶ ἀγροίκων ἀνδρῶν ἑαυτοὺς ἐγκαταμῖξαι καὶ στάσιν τοσαύτην ἐμποιῆσαι τῇ πόλει, ἔτι μὲν καὶ ἀντάρτας τῆς ἐμῆς βασιλείας γενέσθαι. E Ἐπειδὴ δὲ εἰς τοσούτου θράσους ὑπερβολὴν ἡ ὑμῶν ἐξῆλθεν ὁμόνοια, ὡς καὶ βασιλεῦσιν ἀντιτάττεσθαι, καὶ εἰδώλοις λατρεύειν, καὶ νεκροῖς ὀστέοις ὡς Θεῷ ἐλπίζειν· ἐὰν μὴ τούτων ἀποστῆτε, πολλαῖς ὑμᾶς τιμωρίαις ὑποβαλὼν, ξίφει ἀναλώσω.

* *f.* ἤλθομεν

ANNOTATA

a *Uncis* [ ] *inclusa supplevi ex Theophane pag. 341.*

b *De hoc pseudo-patriarcha Constantinopolitano agitur apud nos in Historia chronologica Patriarcharum ejusdem urbis, tomo 1 Augusti præmissa pag. *93; qui anno Christi 370 die 22 Jannuarii istum patriarchatum invasit, secundum ibidem dicta.*

c Ψευδόνυμος, *id est* falsi nominis; *cum ejus facta toto cœlo discreparent a nomine Anastasii; est enim* ἀνάστασις *suscitatio mortuorum, item redintegratio; quo forte respexit auctor.*

d Omophorium, *quasi dicas humerale,* ornamentum, *inquit Cangius in Glossario Græco,* non archiepiscopis modo, sed et omnibus Græcis episcopis peculiare, longa scilicet fascia collum primo involvens; deinde a collo per medium dorsum et pectus longe infra genua descendens, crucibus intexta. *Plura ibidem. Theophanes pag. 341 pro* omophorio *ponit* τὰ ὀπίσθια τῆς στολῆς αὐτοῦ, *quod* posteriorem vestis oram *vertit interpres Latinus.*

e Diippium, *locus Constantinopoli;* ita appellatus propter binos equos marmoreos vel lapideos ad ædem S. Phocæ, quæ postmodum S. Joannis Theologi dicta est, a Phoca tyranno erectos; *uti est apud Cangium Constantinopolis Christianæ lib. 4, pag. 74; ubi plura.*

f *Theophanes pag. 341:* Μὴ σπεῦδε, φθάσεις γὰρ εἰσελθεῖν εἰς τὸ διίππιον. Noli festinare, in Circi enim stadium citius, quam voles, ingredieris.

C g *Anno nempe Christi 713, mense Novembri (ut videre licet apud Pagium ad istum annum, num. 18) Indictione 12, quo illa res contigit, Kalendis Septemb. tunc inchoata. Factum sic determinat Theophanes pag. 342:* Quindecim post annos tertio videlicet persecutoris Constantini, Indictione XII, exitum tandem habuit.

h *Constantinus nimirum Copronymus, qui anno 741 Leoni Isauro successit. Theophanes pag. 346* Nunc irreligiosissimi et infelicis undequaque filii ejus nefaria gesta, sceleratiora multo, Deoque magis invisa decet recensere, *quæ ibidem describuntur.*

i Διὰ τοῦ ἱππίου *hic, sed apud Theophanem pagg. 342 et 353* διὰ τοῦ διϊππίου: *cujus exemplo, e quia vox ita scripta paulo ante fuerat a nostro auctore, eamdem hoc loco sic expressi in versione Latina. Theophanes pag. 353* oculis privatum *fuisse addit.*

k *Apud Cedrenum in Historiarum compendio pag. 252 editionis Parisiensis anni, 1647, interpres Latinus vocem* κυνήγιον *vertit* venationem, *quam ibi dicitur Severus imperator Byzantiis ædificasse. Vulgo autem vox illa significat Amphitheatrum Constantinopoli, uti videsis apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib. 2, pag. 108. Adde Bandurum, qui Imperii Orientalis tom. II pag. 606* proceres Byzantinos quam plurimos *ibidem* loci capite truncatos fuisse, docemur, *inquit,* ex historicis: ita ut labentibus seculis Cynegium non jam ferarum, sed hominum, atque adeo reorum cædibus destinatum fuisse, hinc manifesto appareat.

l *Nonnullos hic errores committit auctor noster. Nam 1° Quomodo lapidibus appetitus, et capite truncatus Anastasius, de quo Theophanes pag. 353 citata, mox addit:* Cæterum Anastasium... probe subactum... et emendatum in sacerdotii sedem restituit? 2° Anastasius sacrilegus, *teste Theophane pag. 359,* throni CP. antistes... mortuus est infelicissimo morbo, qui chordapsus dicitur, proprium stercus per os egerens, *anno 753 secundum dicta in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum pluries superius assignata, pag. 94*. 3° Confundit igitur martyriographus noster hoc loco Anastasium cum Constantino II, ejusdem successore: de quo Theophanes pag. 371:* Constantinus falsi nominis patriarcha... tot verbera a tyranno Constantino tulit, ut pedibus

suis

A suis progredi non valeret... Ludis in Circo celebratis, universam ejus faciem depilantes, barbam, supercilia atque capillitium abrasere; et serico brevi et sine manicis vestimento indutum, in asinum clitellis instructum, facie retro versa, adeo ut manibus caudam teneret, imposuere, atque per Diippiam (*lege* Diippium) in Circum produxere, plebe universa, ipsisque factionibus eum convitiis atque sputis prosequentibus *etc.* Itaque sententia in eum lata in Cynegio capite truncatus est. *Historia chronologica superius allegata de eo agit a pag.* * *98.* A. ANONYMO.

m *Cangius in Glossario Græco varia collegit de patriciorum dignitate; ubi leges, inventam eam fuisse a Constantino M.; delatam viris de rep. bene meritis; magnam item fuisse, ut qui patres imperatoris haberentur et compellarentur.*

n Tribunal novemdecim Accubitorum domus erat miræ pulchritudinis, in qua, die Nativitatis Christi, imperator et convivæ non sedendo, ut cæteris diebus, sed recumbendo epulabantur. Ortus est iste Accubitorum usus ex eo, quod veteres Christiani communes epulas, ut mutuæ caritatis indices, in ipsis ecclesiis celebrare solerent. Quod cum crebris conciliorum canonibus vetitum fuisset, epulæ istæ solemnes in adjunctis ecclesiarum ædibus, quas Accubitorum nomine donarunt celebrari cœpere tam in Oriente quam in Occidente, *inquit Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi 730, num. 1 ex Cangio, qui in Constantinopoli Christiana lib. 2 § 6 a pag. 135 multa de dicto loco erudite collegit: ubi de situ ejus, nomine, usu, conditore, restauratore agitur.*

o Σελέντιον, σιλέντιον, silentium, concilium magnatum, in aliquo e palatiis coactum, in quo de rebus seriis agebatur, *uti est apud Cangium in Glossario Græco.* In his porro, *ait,* consessibus seu silentiis non agitabantur modo res politicæ, sed etiam ecclesiasticæ; cum interdum et quæstiones dogmaticæ discuterentur, et imperator ipse de iis publice peroraret, atque adeo etiam de præcipuis fidei nostræ mysteriis concionem haberet, ac Sanctorum pangyricos sermones declamaret... In ejusmodi porro silentiis seu consessibus primariorum senatorum, si quando imperator loqueretur, aut
B sententiam suam diceret, omnes assurgebant, donec dicendi finem fecisset. E

p *Rem gestam notis chronologicis ex Theophane intexuimus in Commentario nostro prævio § 3.*

q Πλατονίῳ *hic; apud Theophanem pag. 342* Πλατανίῳ: *et additur,* in paternam domum se recipiens: *e quo auctore confirmantur ea, quæ hic narrat noster anonymus.*

r Choræ *monasterium fuit in Ponto, a S. Cyro patriarcha Constantinopolitano fundatum. Vide apud nos diem 8 Januarii pag. 532 num. 9, et diem 12 Maii pag. 155, num. 5. De laudato S. Cyro etiam actum est in Historia Chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum ante tomum I Augusti pag. 90* *. *Synonymum monasterium inter suburbana Constantinopoli notatur apud Cangium lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 180: ubi S. Germanum humatum fuisse, in Synaxariis tradi affirmat. Sed cum duo sint ejusdem nominis monasteria; cur huic humatio illa potius conveniat, quam isti, quod utpote ab urbe Constantinopolitana remotum, et exsilio S. Germani et quietæ vitæ magis erat accommodatum?*

s *De hac imagine consule Commentarium prævium.*

t S. Gregorium *in tabulis sacris prætermissum, eisdem inserendum monuimus in Commentario prævio num. 2.*

u Protospatharius *est is, qui primum ac principem inter spatharios locum tenet De spathario supra egi.*

x *Cuinam in hoc facto præcipuæ partes sint deferendæ, disputavimus in Commentario prævio § 2.*

y *Anni videlicet æræ vulgaris 730, ex dicto Commentario.*

z In Pelagiis; *ita reddidi e Græco auctoris nostri textu* ἐν τοῖς Παλαγίοις; *sed secundum ea, quæ notavit Cangius Constantinopolis Christianæ lib. 4 pag. 150, legendum hic,* ἐν τοῖς Πελαγίου, *et sic etiam scribitur in nostro textu Græco infra num. 19: quasi dicas* in loco vel cœmeterio Pelagii. *Idem auctor* videtur autem, *ait ibidem,* Pelagii locus iste appellatione donatus, exstitisse haud procul ab
C æde S. Theodoro martyri sacra, *ex Nicephoro, quem citat.* F

aa *Meminit de isto loco Chronicon Alexandrinum pag. 784;* ubi, *sicut observat Cangius pag. 150 mox citata,* τῶν βιοθανάτων cadavera defodi consueverant ante Copronymi tempora.

CAPUT III.

Sanctorum certamina ac martyrium; inventio et tran[illegible] corporum; eorum inspectio ac miracula.

Ἡ δὲ ἁγία Μάρτυς ἔφη πρὸς αὐτὸν: Μαίνῃ, βασιλεῦ· εἰδωλολατρεῖν λέγεις ἡμᾶς τοὺς τὴν ἁγίαν καὶ ἄχραντον τοῦ Κυρίου προσκυνοῦντας εἰκόνα, καὶ τῆς αὐτοῦ τιμίας καὶ ἀφθόρου Μητρὸς, καὶ πάντων τῶν Ἁγίων; Τίνος δὴ χάριν ταῦτα λέγεις; Εἰδώλων ἀναισθητότερος σὺ εἶ καὶ ξοάνων ἁπάντων καὶ λιθων ἀψύχων ἀψυχότερος, ἄθλιε καὶ ταλαίπωρε, καὶ πάσης διαβολικῆς ἐνεργείας μεστὲ, ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης, καὶ πρόδρομε τοῦ Ἀντιχρίστου. Ὅλως οὐκ ἔφριξέν σου ἡ ἀναίσθητος καὶ λιθώδης καρδία ἐν τῷ λαβεῖν τοῦ κινῆσαί σου τὴν παμμίαρον γλῶτταν κατὰ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀφθόρου Μητρὸς, καὶ τῶν αὐτοῦ Ἁγίων; Ἄφρον καὶ ἀλαζὸν, οὐ τὴν ὕλην ἡμεῖς τιμῶντες σεβόμεθα, ἀλλὰ τὸ διὰ τῆς ὕλης ἐκτυπωθὲν ἅγιον ἀσπαζόμεθα· καὶ γὰρ οἱ τῷ Κατόπτρῳ ἑαυτοὺς κατοπτρι-

Respondit sancta Martyr: Insanis, imperator. An nos, qui sanctam et immaculatam Domini, nec non venerandæ et incorruptæ Matris ejus, atque omnium Sanctorum imaginem adoramus, idolis cultum deferre prædicas? Qua autem de causa hæc dicis? Tu idolis et statuis omnibus magis insensibilis, ac lapidibus inanimis magis inanimus es, o miser et ærumnose, omnisque diabolicæ machinationis plene; omnis justitiæ inimice atque Antichristi precursor. Enimvero cor tuum sensu carens, ac durum instar lapidis, nonne exhorruit cogitationem concipere de movenda tua inquinatissima lingua adversus Deum altissimum, immaculatam ejus Matrem, ac Sanctos ipsius? O amens ac superbe, nos mate- *Is a S. Maria graviter increpitus*

A. ANONYMO.

materiem veneratione et cultu non prosequimur; sed rem sanctam in materia expressam amore complectimur. Illi enim, qui in speculo se contemplantur, non ideo hoc faciunt, quia aliquid revera sit in speculo, quod homines reddat formosos; neque ipsum, quasi revera tali virtute præditum sit, speculum tractamus; sed per umbram intelligimus ac videmus veritatem. Et sane qui sigillo vel ceræ imprimunt imaginem imperatoris, non attendunt animum ad sigillum vel ceram, tanquam ea imperator sint; sed in imagine imperatorem venerantur. Desine itaque rectas Domini vias pervetere, et manum tuam noli extendere ad vexandam sanctam ejus Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Alioqui emittet virtutem ex alto sancto suo; virtutem, cui resistere non poteris; atque inducet in te mala; quæ ut experiaris, non optamus, sed ut convertaris ad Deum salvatorem ac vivas, a quo declinasti, institutus a malo atque improbo magistro.

sævit in hodiernos Martyres: a

17 Imperator leonis instar rugiens, turbatisque oculis eos pererrans, zonas *a* illorum scindi, ac crudis nervis eos cædi jubet; sanctam vero Mariam ad suas redire ædes mandavit. Neque enim poterat hanc vexare, quæ ex imperatorio genere originem trahebat, ac civitati universæ erat in veneratione, B cum propter suum in terra vitæ institutum virtute conspicuum, tum propter tam insigni e genere natales. Dum autem Martyres diu cæderentur, nec prorsus essent superati, multum ac animose pugnans contra eos tyrannus, e suggestu surrexit, in carcerem reduci jussit, ac singulos eorum in tuto asservari duabus catenis vinctos. In carcerem regressi, simul canebant, et dicebant: In te, Domine, speravimus, non confundamur in æternum: in justitia tua libera nos e manu inimicorum nostrorum: quia tu es defensor noster, Domine, Domine spes nostra, et propter te mortificamur, qui vitæ nostræ defensor es; quia tuum est regnum et potestas in secula, Amen. Ei vero, qui præerat, præcepit imperator singulos per diem cædi quingentis nervis bubulis.

quos deinde simul cum ipsa interfici jubet. b

18 Ac post tempus octo mensium *b*, tyrannus, dum præsideret ad portam Æream, adduci jussit Sanctos. Ili postquam advenissent, mandavit, ut starent in suggestu. Stantes autem illos ita affatus est imperator: Quousque tandem, o miseri, persistitis in idololatria, ante ossa mortua procumbentes, C et veritati vos non submittentes? Responderunt Sancti: Sceleste ac detestande, nec non satanæ architecte, usquequo non cessas blasphemare, sanctas ac venerandas imagines vocans idola; at semper in errore degens, sicut et pater tuus diabolus, veritatem simulas? Tunc ipsos extensos verberari virgis vehementibus tyrannus jubet tandiu, donec cum quatuor quæstionariis *c* singuli mutassent vices. Dum vero multum verberarentur, nihil dixerunt aliud, præter unicum illud, Domine, miserere, oculo in cœlos sublato. Tyrannicus imperator eos qui cædebant deficere conspicatus; lictores quidem jussit a verberibus cessare, sed subulas candentes afferri, urique Martyrum frontem, et sic deinde eorum sancta amputari capita in Cynegio, ipsosque inde tractos projici in locum Pelagii præcepit. Sancta vero martyr Maria, audita, quæ contra eos lata erat, sententia, ipsa etiam cursu ad locum contendit. Sancti eam conspicati, admodum gavisi sunt, et procidentes adoraverunt eam. Et sic, postquam communi consensu se comparassent, atque alter alterum strinxissent complexu, simul cum Maria interempti sunt die nona mensis Augusti *d*.

19 Post iniquam vero et insanam impiissimi imperatoris sententiam, quæ honorabilem et nobilissi-

ζόμενοι, οὐχ᾽ ὡς ἐν τῷ κατόπτρῳ ὄντι τὸ ἀπαρτίζειν εὐειδεῖς τοὺς ἀνθρώπους, ἢ αὐτῷ ὄντι τοιούτῳ μεταχειριζόμεθα τὸ κάτοπτρον, ἀλλὰ διὰ τῆς σκιᾶς τὴν ἀλήθειαν κατανοοῦμεν καὶ βλέπομεν. Καὶ οἱ τῇ σφραγῖδι ἢ τῷ κηρῷ ἐγχαταράττοντες τὴν τοῦ κρατοῦντος εἰκόνα, οὐ τῇ σφραγῖδι ἢ τῷ κηρῷ ὡς βασιλεῖ προσέχουσιν, ἀλλὰ διὰ τῆς εἰκόνος τῷ βασιλεῖ τὸ σέβας διδόασιν. Παῦσαι τοίνυν διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας, καὶ μὴ ἐπιβάλῃς τὴν χεῖρά σου, τοῦ κακῶσαι τὴν ἁγίαν αὐτοῦ καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλεσίαν. Εἰ δὲ μή, ἐξαποσταλεῖ δύναμιν ἐξ ὕψους ἁγίου αὐτοῦ, δύναμιν ἣ οὐ δυνήσῃ ἀντιστῆναι, καὶ ἐπάξει ἐπὶ σὲ κακά, ὧν ἐν πείρᾳ εὐχόμεθά σε μὴ γενέσθαι, ἀλλ᾽ ἐπιστρέψαι ἐπὶ Θεῷ σωτῆρι, καὶ ζῆσαι, οὗ ἐξέκλινας, ὑπὸ κακῷ καὶ πονηρῷ διδασκάλῳ παιδευθείς. D

XVII. Ὁ δὲ βασιλεὺς ὥσπερ λέων βρύξας, καὶ τεταραγμένοις ὀφθαλμοῖς πρὸς αὐτοὺς ἐμβλέψας, κελεύει τὰς ζώνας αὐτῶν κοπῆναι, καὶ ὠμοῖς νεύροις τύπτεσθαι, τὴν δὲ ἁγίαν Μαρίαν οἴκῳ ὑπονοστῆσαι τῷ ἑαυτῆς προσέταξεν· οὐ γὰρ οἷός τε ἦν τὸ ταύτην κακῶσαι βασιλικοῦ γένους οὖσαν, καὶ ὑπὸ πάσης τῆς πόλεως τιμωμένην, διά τε τὴν ἐνάρετον E αὐτῆς ἐπὶ γῆς βιωτὴν καὶ διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν τοιουτου γένους. Ἐπὶ πολὺ δὲ τῶν ἁγίων Μαρτύρων τυπτομένων καὶ μηδ᾽ ὅλως ἡττωμένων, ἐπὶ πλέον θυμομαχῶν κατ᾽ αὐτῶν ὁ τύραννος ἀνέστη τοῦ βήματος, κελεύσας αὐτοὺς πρὸς τῇ φυλακῇ παραπεμφθῆναι καὶ ἐν ἀσφαλείᾳ εἶναι ἕκαστον αὐτῶν, ἁλύσεσι δυσὶ περικειμένους. Ἀπελθόντων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ φυλακῇ, ἔψαλλον ὁμοῦ καὶ ἔλεγον· Ἐπὶ σοί, Κύριε, ἠλπίσαμεν, μὴ καταισχυνθείημεν εἰς τὸν αἰῶνα· ἐν τῇ δικαιοσύνῃ σου ῥῦσαι ὑμᾶς ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν ἡμῶν, ὅτι σὺ εἶ ὁ ὑπερασπιστὴς ἡμῶν, Κύριε, Κύριε ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, καὶ ἕνεκα σοῦ θανατούμεθα τοῦ ὑπερασπιστοῦ τῆς ζωῆς ἡμῶν, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Ἐκέλευσε δὲ ὁ βασιλεὺς τῷ ὑπάρχῳ μαστίζειν αὐτοὺς ἡμερήσιον ἀνὰ πεντακοσίων βουνεύρων.

XVIII. Καὶ μετὰ ὀκτωμηνιαῖον χρόνον προκαθίσας ὁ τύραννος ἐπὶ τῇ Χαλκῇ πύλῃ, ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι τοὺς Ἁγίους. Ἐνεχθέντων δὲ αὐτῶν, ἐκέλευσεν στῆναι αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ βήματος. Σταθέντων δὲ αὐτῶν, ἔφη πρὸς αὐτοὺς ὁ βασιλεύς· Μέχρι τίνος, ὦ δύστηνοι, ἐμμένετε εἰδωλολατροῦντες, καὶ νεκροῖς ὀστέοις προσκείμενοι, καὶ τῇ ἀληθείᾳ μὴ ὑποκύπτοντες; Οἱ δὲ Ἅγιοι εἶπον· Μιαρὲ καὶ ἐναγές, καὶ F τοῦ Σατανᾶ ἐργαστήριον, ἕως πότε οὐ παύῃ βλασφημῶν, εἴδωλα καλῶν τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας, ἀλλ᾽ ἀεὶ ἐν τῷ ψεύδει ὤν, ὡς καὶ ὁ πατήρ σου ὁ διάβολος, ἀλήθειαν ὑποκρίνῃ; Τότε κελεύει ὁ τύραννος ἐκταθέντας αὐτοὺς τύπτεσθαι ῥάβδοις σφοδραῖς ἐπὶ τοσοῦτον, ἕως οὗ ἠλλάγησαν ἀνὰ τεσσάρων κουαιστιοναρίων. Ἐπὶ πολὺ δὲ αὐτῶν τυπτομένων, οὐδὲν ἄλλο ἔλεγον, ἢ μόνον, τὸ Κύριε ἐλέησον, τὸ ὄμμα εἰς οὐρανοὺς ἔχοντες. Ἐπεὶ δὲ ἀτονοῦντας ἑώρα τοὺς τύπτοντας ὁ τυραννώδης βασιλεύς, ἐκέλευσεν μὲν αὐτοὺς παύεσθαι τοῦ τύπτειν, προστάσσει δὲ ἐνεχθῆναι σούβλας πεπυρακτωμένας, καὶ κατῆναι αὐτῶν τὰ μέτωπα, καὶ εἶθ᾽ οὕτως ἐν τῷ Κυνηγίῳ ἀποτμηθῆναι αὐτῶν τὰς ἁγίας κεφαλάς, καὶ συρθέντας ῥιφῆναι ἐν τοῖς Πελαγίου· ἡ δὲ ἁγία μάρτυς Μαρία ἀκούσασα τὴν κατ᾽ αὐτῶν ἀπόφασιν, ἦλθεν καὶ αὐτὴ τρέχουσα πρὸς τὸν τόπον. Οἱ δὲ Ἅγιοι ἰδόντες αὐτήν, ἐχάρησαν πάνυ, καὶ πεσόντες προσκύνησαν αὐτήν· καὶ οὕτως κοινῇ γνώμῃ συνταξάμενοι καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, ἐτελειώθησαν ἐν τῷ, ἅμα τῇ Ἁγίᾳ μηνὶ Αὐγούστῳ ἐννάτῃ.

XIX. Μετὰ δὲ τὴν παράνομον καὶ μανιώδη ψῆφον τοῦ ἀσεβεστάτου βασιλέως, τὴν κελεύουσαν τὴν τιμίαν καὶ εὐγενεστάτην

A νεστάτην γυναῖκα Μαρίαν τὴν πατρικίαν τῇ τοῦ ξίφους τιμωρίᾳ τελειωθῆναι σὺν τοῖς γενναιοτάτοις δέκα ἀνδράσι, καὶ τούτων τὰ ἅγια σώματα μετὰ τῶν καταδίκων καὶ μιαιφόνων ἀποῤῥιφθῆναι ἐν τοῖς Πελαγίου. Ὁ δὲ φιλάνθρωπος Θεὸς τῶν ἰδίων θεραπόντων πρόνοιαν ποιούμενος, διὰ πιστῶν καὶ εὐλαβῶν ἀνδρῶν τούτους ἐξάγει ἐκ τοῦ δεινοῦ καὶ χαλεποῦ ἐκείνου λάκκου τρόπῳ τοιῷδε. Τῇ γὰρ αὐτῇ ἡμέρᾳ καθ' ἣν καὶ τελείωνται οἱ Μακάριοι, συννεφὴς καθίσταται ὁ αἰθὴρ, καὶ ἅμα τῷ τὸν ἥλιον δῦναι ἀὴρ ἐκκέχυται μέγιστος καὶ σφοδρὸς πάνυ μετὰ κεραυνῶν, ὡς πάντας λέγειν, καταποθεῖσθαι τὴν πόλιν. Οἱ δὲ προειρημένοι φιλόχριστοι ἄνδρες τῷ μὲν οἰκείῳ τῆς φύσεως συνειδότι βαλλόμενοι, τῷ δὲ καὶ τὸ εὐγενέστατον καὶ εὐλαβὲς ἐπιστάμενοι τῆς τιμίας καὶ εὐλαβὲς ἐπιστάμενοι τῆς τιμίας καὶ περιφανεστάτης Πατρικίας, βουλὴν ἀγαθὴν βουλεύονται τῇ τοῦ Θεοῦ συνεργείᾳ, καὶ τὸν τόπον καταλαβόντες, ἐν ᾧ τοὺς μαργαρίτας οἱ βορβορώδεις ἀπέῤῥιψαν, κατελθόντες ἐν τῷ χαλεπῷ ἐκείνῳ βοθύνῳ, ἐξάγουσιν αὐτοὺς ὥσπερ τινὰς φαιδροὺς ἀστέρας, καὶ ζώσις ἐπιθέντες τὸ σεμνεῖον τοῦ ὁσίου καὶ θαυματουργοῦ Ἀνίνα κατέλαβον, καὶ ἀποσμήξαντες καὶ τὰ αὐτῶν ἄμφια ἤτοι ἐνδύματα ἀποπλύναντες, ἐν τάφῳ καινῷ κατατιθέασιν ἐν τῷ ναῷ Δημητρίου τοῦ πανενδόξου
B μάρτυρος.

XX. Ἀλλ' ἴδετε, πάντες φιλόχριστοι, καὶ θαυμάσατε τῆς ἀνενδοιάστου πίστεως τῶν ἁγίων Μαρτύρων τὰ ἀληθῆ γνωρίσματα, καὶ σὺν τῷ μελῳδῷ Δαβὶδ τὰ εἰκότα βοήσατε· Φυλάσσει, λέγων, Κύριος τὰ ὀστᾶ τῶν αὐτὸν ἀθλησάντων, καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται· σῶοι γὰρ καὶ ὁλόκληροι (ὢ τοῦ θαύματος!) καὶ ὥσπερ ζῶντες ἐν τοσούτοις ἔτεσιν κατακείμενοι ἐν τῷ τάφῳ, ἐνεργοῦσιν ἀεννάως τὰ θαύματα, παντοδαπῶν νόσων καὶ θλίψεων τὰς ἰάσεις παρέχοντες ἅπασι. Φέρε δὴ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα ἀναληψόμεθα, τῆς αὐτῶν μεγαλουργίας ἀναγγέλλοντες τὰ θαυμάσια. Ἄρτι γὰρ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τὸ ἀρχαῖον ἀπολαβούσης ἀξίωμα διὰ τῆς τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν εἰκόνων προσκυνήσεως· εὐσεβῶν δὲ βασιλέων καὶ ἀρχιερέων τιμίων τὸν θρόνον ἀνεπιλήπτως ἰθυνόντων, ψήφῳ θείᾳ ἐγχειρίζεται τὰ τῆς ἀρχιερωσύνης πηδάλια Ἰγνάτιος ὁ μακαριώτατος καὶ θεοφιλέστατος, μετὰ τὴν ἔνθεον κοίμησιν τοῦ ὁσίου καὶ ὁμολογητοῦ καὶ τῆς ἀληθείας προμάχου Μεθοδίου, ἐπὶ τῆς εὐτυχοῦς βασιλείας τοῦ ὀρθοδόξου καὶ εὐσεβοῦς Βασιλείου. Συνέβη δὲ ἐκ πλήθους ἡμετέρων ἁμαρτιῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν σεισμὸν γενέσθαι σφοδρότατον ἐπὶ μ' ἡμέραις, οἷος οὐ γέγονεν πώποτε, ναῶν μεγίστων καὶ
C οἴκων ἐκ τῆς τοιαύτης τοῦ Θεοῦ ἀπειλῆς ὑποστάντων πτῶσιν. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἀρχιερεὺς Ἰγνάτιος ὡς ἅτε ποιμὴν ἀληθέστατος οὐκ' ἐπαύσατο, νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν, ταῖς λιτανείαις καὶ δεήσεσιν ἐξευμενίζειν τὸ Θεῖον, τοῦ στῆσαι τὴν καθ' ἡμῶν ἀγανάκτησιν, καὶ παῦσαι τὸν κλόνον τῆς γῆς.

XXI. Καὶ δὴ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκ τῆς τοιαύτης λιτανείας καὶ προσευχῆς πρὸ τὴν τοῦ Θεοῦ μεγάλην ἐκκλησίαν ἀνθυποστρέψαντος, εἶτα συμβαίνει τοῖς κεκοπιακόσιν, ἀνεκλίθη ἐν τῷ σκίμποδι αὐτοῦ, ἅτε τὸ γῆρας καὶ τῆς φύσεως τὴν ἀσθένειαν παραμυθούμενος. Καὶ εὐθέως εἰς ὕπνον τραπεὶς, ὁρᾷ γυναῖκα ὡραίαν καὶ χαριεστάτην πατρικιότητος ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένην, καὶ ὁρμίσκῳ χρυσέῳ δόξῃ καλλωπιζομένην, καὶ σὺν αὐτῇ ἄνδρα εὐμεγέθη τε καὶ λαμπρὸν, ὡσεὶ χλαμύδα ἠμφιεσμένον στολὴν σὺν ἑτέροις ἐννέα, ὧν ὁ εἷς ἱερωσύνης ἄμφια διεστόλιστο σὺν μειρακίοις δυσί· καὶ δὲ ἁψαμένης τῆς Μάρτυρος τῆς τοῦ πατριάρχου κεφαλῆς, οὑτωσὶ φάναι· Κεκοπίακας, ὦ πρεσβύτα, εἴδοι Θεὸς καὶ ἀντιμετρήσοι τὸν κόπον σου, καὶ τὴν αἴτησιν σου ἀκουστὴν ποιήσοι. Παρεγγνόμεθα δὲ τὴν σὴν πατρώτητα τοῦ ἀνενέγκαι ὑπὸ γῆν κείμενα τὰ ἡμέτερα σώματα. Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν οἱ διὰ τὴν ἁγίαν καὶ ἄχραντον τοῦ Σωτῆρος εἰκόνα σφαγιασθέντες ἐπὶ τῇ λεγομένῃ ἁγίᾳ Χαλκῇ πύλῃ. Ἐτυμβευόμεθα δὲ πλησίον τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Μωκίου, ἐν

mam mulierem Mariam patriciam occidi supplicio gladii unacum decem generosissimis viris, et sancta eorum corpora cum reis judicio damnatis atque homicidis projici in locum Pelagii præcipiebat. At misericors Deus, de suis famulis curam gerens, per fideles et pios viros e gravi ac molesto isto lacu illos eduxit hoc modo. Eadem quippe die, qua Beati mortem subiere, nubibus obtectus fuit æther, et sub occasum solis magnus adeo ac vehemens effusus est aer cum fulminibus, ut omnes dicerent, absorberi urbem. Viri autem, de quibus dixi, Christi amantes, tum quod a propria id dictante conscientia moniti essent, tum quod nobilissimam ac piam honorabilis et splendissimæ Patriciæ conditionem non ignorarent, bonum captant, Deo cooperante, consilium; et ubi pervenissent ad locum, in quo lutosi illi porci margaritas projecerant, ac descendissent in molestam illam fossam, Martyres non secus ac splendidas quasdam stellas eduxerunt, jumentis imposuerunt, ac ædem sacram S. Aninæ *e* miraculis clari pervenerunt, et expurgatos, ablutis, quæ eis instratæ erant, mappis vel indumentis, novo sepulcro eos imposuerunt in templo gloriosissimi martyris Demetrii *f*.

A. Anonymo. Eorum corpora fœde projecta, alio transferuntur,

E

f

20 Sed videte, omnes Christi amantes, et miramini, vera neutiquam dubiæ sanctorum Martyrum fidei indicia, et cum modulatore Davide decenter clamate: Custodit Dominus ossa pugilum suorum, et unum ex his non conteretur. Salvi enim et integri (ô miraculum!) et non secus ac si viverent, post annos tot jacentes in sepulcro, miracula jugiter operantur, omnigenorum morborum ac tribulationum sanationes omnibus impertientes. Agedum, illorum etiam quæ postmodum contigere, memoriam repetemus, rerum ab ipsis patratarum magnitudinem ac miracula annuntiantes. Dum jam Ecclesia Dei antiquam, restituta sacro-sanctarum imaginum veneratione, esset consecuta dignitatem *g*, piique imperatores ac pontifices venerabiles, comitante eos vitæ integritate, solio præessent archiepiscopatus gubernaculis, Deo suffragante, beatissimus ac Dei amantissimus, post sancti confessoris ac veritatis propugnatoris Methodii *h* divino numine afflatam dormitionem, præficitur Ignatius *i*, orthodoxo ac religioso Basilio *k* feliciter imperante. Contigit autem ob multitudinem peccatorum nostrorum, ut vehementissimus tum temporis terræ motus *l* fieret per dies quadraginta, qualis aliquando non fuit, magnis templis ac domibus ex ingenti illa Dei comminatione lapsum subeuntibus. Ignatius autem Dei pontifex, verissimus utique pastor, non cessavit noctu atque interdiu supplicationibus et precibus placare divinum Numen, ut adversam nobis iram sisteret, et terræ motui finem poneret.

ac miraculis clara, sub S. Ignatio archiep. CPolitano.

21 Die autem quadam, ex tali supplicatione ac precibus ad magnam Dei ecclesiam reversus, in lectulo suo, prout contingit iis qui fatigati sunt, recubuit, senectuti, videlicet et naturæ imbecillitati solatii aliquid præbiturus. Nec mora, somno sopitus mulierem cernit formosam ac gratiosissimam, quæ inaurato patriciæ dignitatis vestimento induta, et monili aureo honorifice exornata, nec non procerum ac splendidum cum ea virum, stola tanquam chlamyde vestitum, una cum aliis novem, quorum unus sacerdotii indumentis erat amictus, cum duobus adolescentulis. Martyr autem, tacto patriarchæ capite, ita fari: Defessus es, o senex, aspiciat Deus, et secundum mensuram tui laboris, remetiatur tibi, et petitionem tuam exaudiat. Mandamus vero, ut corpora nostra, quæ subter terram jacent, tua paternitas efferat. Nos etenim propter sanctam et intaminatam Salvatoris imaginem mactati fuimus ad portam,

Sanctorum apparitione monito

A. Anonymo. m

portam, quæ sancta porta Ærea dicitur. Sepulti vero sumus apud sanctum martyrem Mocium *m*, in monasterio sancti ac thaumaturgi Aninæ: sic enim in codicibus *n* patriarchalibus monasterium refertur. Tunc sanctus patriarcha Ignatius, e somno experrectus, visis perculsus, atque incertus quidnam ageret, dispiciebat, quidnam sibi vellent ea, quæ viderat. At sancti Martyres in secundo accessu eadem iterum monere visi sunt. Sed archiepiscopus, curis utique ecclesiasticis intentus, eorum, quæ viderat, et quæ a Christi Martyribus sibi dicta fuerant immemor fuit.

atque etiam territo,

22 Rursus igitur ei tertia accessione apparent Sancti, et austero aspectu minitantes dixerunt: Si tibi imperata celeriter ad finem non perducas, efficiemus, ut e solio tuo expellaris. Tunc e somno excitatus maximo cum timore patriarcha, archidiaconum suum, Leonem nomine, conquiri jubebat. E quo ad se accedente, et profundam de more reverentiam exhibente sciscitatus patriarcha est: An, domne Leo, in hac, quam incolis, urbe monasterium exstat, quod Anina vocatur, in quo jacent Sancti, qui in B porta Ærea martyrium confecere? Respondit: Monasterium quidem est, domine, quod sic vocatur: an vero Sancti ibidem jaceant, id omnino incognitum mihi est. Dum autem monastica alia quæsita indagarent, quadam veluti legatione fungens Joseph monachus religiosissimus *o*, qui sacræ supellectilis magnæ ecclesiæ curam gerebat *p*, ad patriarcham accessit, honoreque debito eum prosecutus est. Quem ut archiepiscopus vidit, de prædictis Martyribus inquisitionem habuit. Respondit ille: Et monasterium, domine, novi, et Sanctos ibidem sub terra jacentes conspexi, quando collapsa fuit ecclesia temporibus Theophili imperatoris *q*, multis ac maximis ibidem patratis miraculis, quæ unus ex amicis meis narrabat, meque assumpsit, ut ad monasterium nos conferremus ambo. Sic eorum, quæ narrata mihi ab ipso sunt, certior ibidem sum factus, et sanctis in terra conditis fideliter ac religiose venerationem exhibui.

miro modo

23 Hæc edoctus patriarcha, e solio in quo sedebat, exsurgens, humi cecidit in faciem suam, Dei misericordiam profitens, eique gratias agens, quod in diebus suis tremenda hæc ac mirabilia reve- C lasset prodigia. Tum vero postridie omnes ecclesiarum clericos, et monachos omnes convenire jubet ad maximam Dei Sapientiæ *r* ecclesiam: et sic præsente omni populo, cum psalmis atque hymnis, Sanctorum urnam inveniunt. Quo ipso tempore accidit mirabile prodigium, Christo servatore Servorum suorum inventionem honorante. Nam simul atque illa multitudo ex infinita quasi omnium congerie conglomerata discedebat e magna Dei ecclesia cum precatione, terribilis illé terræ tumultus statim cessavit *s*, ac vehementissima illa tempestas sedata fuit, Dumque S. Aninæ monasterium adirent, et longius etiam inde abessent, multum fragrantiæ unusquique olfecit, non secus ac si aromata unguentaria eos præcessissent: id quod omnes plurimum perculit, Sanctorum gratia eminus commonstrante eorum cum Creatore familiaritatem. Sublato autem lapide sepulcri, in quo veneranda ac fortia Sanctorum corpora erant deposita, unguenti effusio ex illis emittebatur, miro rei eventu omnes ad stuporem commovente.

inventa integra atque incorrupta,

24 Inventi vero sunt sancto Martyres (o rem visu et auditu mirabilem!) salvi atque integri, et neutiquam in cineres soluti, indumentis ac corporibus eorum nullam omnino diminutionem aut corruptionem passis. Tempus enim, quod omnia marcescere facit, venerandorum horum Martyrum corpora

τῇ μονῇ τοῦ ὁσίου καὶ θαυματουργοῦ Ἀνίνα· οὕτω γὰρ ἐν D τοῖς πατριαρχικοῖς κώδιξιν ἡ μονὴ ἀναγράφεται. Ὁ δὲ ἐν ἁγίοις πατριάρχης Ἰγνάτιος γενόμενος ἔξυπνος καὶ τὰ ὀφθέντα καταπληττόμενος, ἀμηχανῶν διεσκόπει, τί ἂν ἥει τὰ αὐτῷ ὁραθέντα. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες καὶ πάλιν ἐν δευτέρᾳ προσόδῳ τὰ αὐτὰ εἰσηγούμενοι ὤφθησαν. Ὁ δέ γε ἀρχιερεὺς οἷα συμβαίνει ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς ἀσχολεῖσθαι φροντίσι, τῶν ὀφθέντων ἐπιλήσμων γεγένηται, καὶ τῶν αὐτῷ λαληθέντων ὑπὸ τῶν τοῦ Χριστοῦ Μαρτύρων.

XXII. Πάλιν οὖν αὐτῷ τρίτῃ περιόδῳ ἐπιφαίνονται οἱ Ἅγιοι, καὶ αὐστηρῷ τῷ βλέμματι ἐπαπειλούμενοι, ἔφησαν· Εἰ μὴ τὰ κελευσθέντα σοι ἐν τάχει εἰς πέρας ἀγάγοις, τοῦ θρόνου σε ἀπελαθῆναι ποιήσομεν. Τότε ἔξυπνος σὺν φόβῳ μεγίστῳ γενόμενος ὁ πατριάρχης, τὸν τούτου ἀρχιδιάκονον, Λέοντα τοὔνομα, ἀναζητεῖσθαι προσέταττεν. Τοῦ δὲ πρὸς αὐτὸν ἀνιόντος, καὶ τὴν συνήθη βαλόντος μετάνοιαν, ὁ πατριάρχης ἐπύθετο· Ἀρά γε, κύρι Λέον, πλησιάζει ἐν [illegible] κατάκεινται οἱ ἐν τῇ Χαλκῇ μαρτυρήσαντες Ἅγιοι; Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο· Μονὴ μὲν ἐστιν, δέσποτα, οὕτος ὀνομαζομένη· εἰ δὲ ἅγιοι ἐκεῖσε κατάκεινται, τοῦτο παντελῶς ἠγνόηταί μοι. Ὡς δὲ καὶ περὶ ἑτέρων ζητημάτων μοναδικῶν E ἐποιοῦντο ἔρευναν, ὥσπερ ἔκ τινος ἀποστολῆς Ἰωσὴφ ὁ εὐλαβέστατος μοναχὸς, καὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας τὴν φροντίδα ἀναδεδεγμένος τῶν ἱερῶν κειμηλίων, εἰσῆλθεν πρὸς τὸν πατριάρχην, καὶ τὴν δέουσαν αὐτὸν ἀπένειμεν τιμήν. Ὡς δὲ καὶ τοῦτον ὁ ἀρχιερεὺς ἐθεάσατο, περὶ τῶν ποῤῥηθέντων Ἁγίων τὴν ἔρευναν ἐπεποίητο. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο· Καὶ τὴν μονὴν, δέσποτα, ἐπίσταμαι, καὶ Ἁγίους ἐκεῖσε κατακεῖσθαι ὑπὸ γῆν ἐθεασάμην, πτωθείσης τῆς ἐκκλησίας ἐν τοῖς χρόνοις Θεοφίλου τοῦ ἄνακτος, πολλῶν καὶ μεγίστων θαυμάτων ἐκεῖσε τελουμένων, ἑνὸς τῶν προσφιλῶν μοι τὰ ὑπὸ τῶν Ἁγίων τελούμενα διηγουμένου θαύματα, ὃς καὶ λαβόμενός με διὰ τὸ πλησιάζειν τὴν μονὴν ἀμφοτέρους. Οὕτω πιστὸς λαληθέντων μοι παρ' αὐτοῦ ἐκεῖσε γεγένημαι, καὶ τοὺς Ἁγίους ἐπὶ τῆς γῆς πιστῶς καὶ εὐλαβῶς τὸ σέβας ἀπένεμον.

XXIII. Ταῦτα ὁ πατριάρχης ἀκουτισθεὶς ἀναστὰς ἀφ' οὗ ἐκαθέζετο θρόνου, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον πρὸς τὴν γῆν, σὺν δάκρυσι τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν ἐξομολογούμενος, καὶ εὐχαριστῶν, τὸν ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἀποκαλύψαντα φρικτὰ καὶ παράδοξα θαύματα. Τότε κελεύει τῇ ἐπαύριον F πρὸς τὸν μέγιστον ναὸν τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας συναχθέντων πάντων κληρικῶν τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ πάντων τῶν μοναχῶν· καὶ οὕτως ἅμα παντὶ τῷ λαῷ μετὰ ψαλμῶν καὶ ὕμνων τὴν τῶν Ἁγίων σορὸν καταλαμβάνουσιν. Παράδοξον δὲ τεράστιον κατ' αὐτὴν τὴν ὥραν γεγένηται, τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ τῶν οἰκείων Θεραπόντων δοξάζοντος τὴν εὕρεσιν. Ἅμα γὰρ τῷ τὴν μυριέλικτον ἐκείνην πληθὺν ἀπᾶραι τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας μετὰ τῆς αἰτήσεος, ὁ μὲν φοβερὸς κλόνος τῆς γῆς κατεπαύθη παραχρῆμα· ὁ δὲ σφοδρότατος χειμὼν ἀνεστάλη, καὶ τῇ μονῇ τοῦ ὁσίου Ἀνίνα πλησιάσαντες, πόῤῥωθεν ἔτι ὄντες, εὐωδίας πλείστης ὠσφραίνετο ἕκαστος, ὥσπερ ἀρωμάτων μυρεψικῶν προοδευόντων αὐτοὺς, ὅπερ ἅπαντας μειζόνως κατέπληξεν, τῆς τῶν Ἁγίων χάριτος μήκοθεν ἐμφαινούσης τὴν αὐτῶν πρὸς τὸν Κτιστὴν οἰκείωσιν. Τῆς δὲ πλακὸς ἀρθείσης, ἐν ᾧ τὰ τίμια καὶ καρτερικὰ τῶν Ἁγίων ἐταμιεύετο σώματα, μύρου ἔκχυσις ἐξ αὐτῶν ἐξεπέμπετο, καταπλήττουσα ἅπαντας τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος.

XXIV. Εὑρήθησαν δὲ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες (ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος καὶ ἀκούσματος!) σῶοι καὶ ὁλόκληροι καὶ ἀδιάλυτοι, μή τε τῶν ἐνδυμάτων, μή τε τῶν σωμάτων αὐτῶν μείωσιν ὑπομεινάντων καθόλου ἢ φθοράν. Μαραίνειν γὰρ ὁ χρόνος ἅπαντα πεφυκὼς τῶν σεπτῶν τούτων Μαρτύρων τὰ σώματα ἄφθαρτα πάντῃ καὶ ἀδιάλυτα διετήρησεν·

ὡς

A ὡς καὶ ἐνταῦθα πληροῦσθαι τὸ γράφικον λόγιον τὸ φάσκον· Φυλάσσει Κύριος πάντα τὰ ὀστᾶ τῶν δι᾽ αὐτὸν ἀθλησάντων καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται· θάμβος δὲ καὶ δέος κατεῖχεν ἅπαντας τοὺς ὁρῶντας, τὸν ἄξιον ἐρευνώντων κατελθεῖν ἐν τῷ τάφῳ, καὶ τὴν ἄνοδον τῶν λειψάνων ποιήσασθαι· πολλῶν δὲ κατελθέντων εὐλαβεστάτων ἀνδρῶν, πλείστων τε μοναχῶν, καὶ τῶν Ἁγίων μὴ εὐδοκούντων ἐν τούτοις, ἅπαντες μιᾷ φωνῇ τὸν εὐλαβέστατον σκευοφύλακα Ἰωσὴφ προσμαρτυροῦσι τοῦ κατελθεῖν, ὡς εὐλαβείᾳ πολλῇ ὑπερκείμενον. Ὁ δὲ κατελθὼν, εὗρε τὴν γενναίαν μάρτυρα Μαρίαν ὕπερθεν πάντων κειμένην, πλησίον δὲ αὐτῆς τὸν ἐνδοξότατον Γρηγόριον τὸν προτοσπαθάριον, καὶ κάτωθεν τουτῶν τοὺς λοιποὺς Ἁγίους ἅμα τοῖς δυσὶ Μείραξι.

omnino incorrupta atque indissoluta conservavit; ita ut ibi impleretur hoc Scripturæ oraculum, quod dicit: Custodit Dominus omnia ossa Pugilum suorum, et unum ex illis non conteretur. Stupor autem ac metus invasit omnes qui videbant, dum indagaretur is, qui dignus esset in sepulcrum descendere, et reliquias sursum proferre. Dum vero multi viri religiosissimi, ac monachi plures descenderent, nec Sancti in hisce sibi bene complacerent; una omnes voce suffragati sunt, ut eo descenderet Joseph vasorum custos, multa utique pietate supereminens. Qui dum descendisset, generosam martyrem Mariam supra omnes jacentem offendit; prope ipsam vero gloriosissimum Gregorium protospatharium; infra ipsos autem, Sanctos reliquos cum duobus Adolescentulis. A. ANONYMO.

XXV. Τότε κελέυει ὁ ἀρχιερεὺς ἐνεχθέντα ἀπὸ διαφόρων ἐκκλησιῶν ἐσθήματα ὕπερθεν αὐτῶν τεθῆναι τοὺς ἁγίους Μάρτυρας, καὶ πάντων ἐν προσκυνήσει καὶ ἀπολαύσει αὐτῶν γεγονότων, εἶθ᾽ οὕτως κατέθετο αὐτοὺς τῇ ἐκ κυπαρίττου σορῷ, μηνὶ Ἰανουαρίῳ λα᾽, καθὼς καὶ ἐν τῷ τάφῳ ὑπῆρχον, τῆς Ἁγίας οὕτω κελευσάσης. Ὅθεν μετὰ ταῦτα
B τὴν θείαν μυσταγωγίαν τελεσιουργήσας ὁ τοῦ Θεοῦ ἀρχιερεὺς Ἰγνάτιος, σὺν προθυμίᾳ καὶ χαρᾷ πολλῇ πρὸς τὸν ἑαυτοῦ θρόνον ὑπέστρεψεν, αἰνῶν καὶ εὐχαριστῶν τὸν Θεὸν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἤκουσεν καὶ εἶδεν, δόξαν ἀναπέμπων τῇ ἁγίᾳ καὶ παντουργικῇ Τριάδι, ᾗ πρέπει δόξα, τιμὴ, κράτος νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

25 Tunc jubet archiepiscopus allata e variis ecclesiis vestimenta imponi super ipsos sanctos Martyres: dumque omnium venerationi ac fruitioni paterent; eodem deinde modo in loculo eos cypressino deposuit mense Januario, die trigesima prima t, quo reperti erant in sepulcro, Sancta illud ita mandante. Quamobrem ubi post hæc archiepiscopus Dei Ignatius rem divinam peregisset, cum alacritate ac gaudio multo ad cathedram suam reversus est, laudibus ac gratiarum actionibus Deum prosequens in omnibus, quæ audivit ac vidit, nec non laudes dirigens ad sanctissimam omniumque rerum effectricem Trinitatem: quam decet gloria, honor, imperium nunc et semper, et in secula seculorum. Amen. *a dicto Sancto honorifice conduntur.* E

ANNOTATA.

a *Zona militari privatos fuisse milites Christianos, invenies apud Gallonium in libro de Sanctorum Martyrum cruciatibus cap. 4.*

b *Incompletorum videlicet: inchoati enim erant a die 19 Januarii secundum supra dicta.*

c Quæstionarii *sunt tortores, qui reos cruciant et examinant, ut veritatem ab eis extorqueant. Vide Cangium in utroque Glossario.*

d *Anni videlicet æræ vulgaris 730, ex Comm. prævio § 3.*

e *De* S. Anina *seu* Anania *aut* Aniano Thaumaturgo, *anachoreta in Euphratensi ditione, egimus tom. II Martii ad diem 16, pag. 431.*

f Demetrii templum, *quod hic nominatur, non est illud, quod in ipso urbis Constantinopolitanæ angulo, quo loco exstitit Acropolis, statuitur, et a Barda Cæsare primo conditum scribitur apud Cangium lib. 4. CPolis Christianæ pag. 122: obstat enim ratio temporis. Nec est illud, (sive idem sit cum eo, de quo dixi, sive diversum) quod ponitur ibidem exstitisse in ipso palatio: repugnat enim insuper locus ille cum adjunctis rei gestæ, quæ hic narrantur. Nec etiam videtur esse monaste-*
C *rium* S. Demetrii, *quod Palæologorum ibidem appellatur: si enim ab ista familia et nomen et structuram acceperit, non cohæret cum tempore. In delineatione urbis Constantinopolitanæ, quam exhibet Bandurus ante tomum II Imperii Orientalis, estque tabella secunda, invenio ecclesiam* S. Demetrii, *in regionis secundæ (primæ Banduro pag. 605) extremitate laudatæ urbis, ad aliquam distantiam ab Acropoli, prout ibi notatur, non procul a Cynegio; quæ si diversa sit ab ea, quam primo loco dedi ex Cangio, forte erit illa ædes sacra* S. Demetrii, *in qua nostri Martyres fuere sepulti. Sed in re tam obscura, quid præter conjecturam exspectes?* F

g *Constantini Porphyrogenneti Continuator, qui una cum Historiæ Byzantinæ scriptoribus post Theophanem, typis regiis Lutetiæ Parisiorum editus est anno 1685, lib. 4, num. 6, pag. 96,* Interea, *ait,* recepta ecclesia, sanctissimoque Methodio pontificali honore sublimato, sanctorum jejuniorum prima Dominica, una cum Augusta peractis in sacra sanctissimæ Dominæ nostræ Deique Genitricis Blachernensi æde, in Dei laudibus et canticis, nocturnis vigiliis, mane solemni supplicatione ac pompa, ad magnum Dei Verbi templum veniunt, riteque peracta re sacra, suum rursus Ecclesia ornatum recipit. Inque eum proficiebat orthodoxa Ecclesia, et, ut verbis Scripturæ utar, Renovabatur ut aquila, proscriptis toto terrarum orbe cunctis hæreticis *etc. Annum rei gestæ docebit nota proxime sequens.*

h S. Methodius I *præesse cœpit cathedræ Constantinopolitanæ anno 842, desiit anno 846: ex dictis in Historia chronologica Patriarcharum istius sedis sæpius jam citata, a pag. * 107. De eodem Sancto egimus tom. II Junii ad diem 14, pag. 960.*

i *Anno 846, secundum mox allegatam Historiam chronogicam pag. * 109.*

k Basilius *Macedo anno 867 salutatus est imperator, ex Commentario prævio num. 30. A Michaele autem imperatore in consortium imperii adscitus anno 866, secundum Pagium ad an. 867 num. 10: cui anno Baronius illud innectit.*

l Motus terræ, *de quo hic, accidit, die 9 Januarii anno 869, ex Commentario nostro prævio § 3.*

m S. Mocium *presbyterum martyrem Constantinopoli dedimus tom. II Maii, die* XI, *pag. 620; ubi et de æde ibidem ipsi sacra; de qua consuli præterea potest Cangius lib. 4 Constantinopolis Chri-*

A. ANONYMO. *stianæ pag. 129. Quomodo autem sepulti* apud S. Mocium, in monasterio S. Aninæ; *supra vero num. 49* D in templo S. Demetrii?

n Κώδιξιν, *vox ex in Glossario mediæ et infimæ Græcitatis notata apud Cangium, qui dabit plura.*

o *Sanctum hunc habes tom. I Aprilis, die 3; in cujus Vita ibid. pag. 275 hæc dicuntur:* Ibi *(Byzantii nimirum)* posthabitis aliis ecclesiasticis honoribus, persuasus fuit, quamvis ægre, custodiendis ecclesiæ vasis præesse vellet. Hoc autem munus non tam principum suasionibus, quam divini Ignatii precibus permotus suscipiebat. Is enim... eximia viri sanctitate permotus, eum in labore ac negotiis socium adjutoremque habere studebat... Hujus igitur consuetudine vehementer delectabatur.

p Σκευοφύλαξ *est sacræ supellectilis seu vasorum sacrorum custodiæ præfectus: cujus officium describitur ad calcem tomi, Lutetiæ Parisiorum anno 1655 vulgati, in quo Constantini Manassis Breviarium historicum, et Georgius Codinus de Originibus CPolitanis habentur. Ibi itaque pag. 313 sic scribitur:* Magnus vasorum custos stat ante promptuarium supellectilis, cum patriarcha sacra facit; et si quando aliquibus opus est veluti quodam vasculo, vel libro sacro, aut cereis aut vestibus, ex promptuario omnia hæc depromit: habet quippe sub sua potestate promptuarium episcopalis domus, et omnem ecclesiæ supellectilem. Subjacent insuper suæ inspectioni ecclesiæ pastore viduæ, omniaque illarum sacra. Adest quoque judiciis, et jura atque quoslibet census ecclesiæ obvenientes in utilitatem clericorum servat, donec inter se ipsos distribuant.

q *Theophilus imperavit ab anno 829 usque ad an. 842. Si autem ecclesia, quæ illius imperatoris tempore collapsa fuisse hic dicitur, ruinam suam debeat motui terræ, in promptu non habeo, annum rei gestæ determinare: nam Constantini Porphyrogenneti Continuator lib. 3, num. 39, quam infelicia fuerint hujus tempora commemorans, inter alias calamitates sic refert:* Vix quoque vel unum diem, quandiu ille rerum potitus est, terra motibus quati destitit. *Adde Georgium monachum* B *in Novis imperatoribus, ubi in Theophilo sic loquitur:* Tremendi item terræ motus, ac pene E continui.

r S. Sophiæ, seu divinæ Sapientiæ augustissimum templum *(verbis utor Cangii lib. 3 Constantinopolis Christianæ pag. 5)* diuque vulgari Magnæ ecclesiæ appellatione donatum, cæteris quæ in urbe Constantinopolitana excitata sunt, semper præcelluit; quod patriarchæ præsertim sedes, ac proinde primarium et totius Orientis præcipuum haberetur. *Laudatus auctor erudite ac diffuse illud deinde illustrat.*

s *Difficultates circa diem, quo is terræ motus desiit, habes in Commentario § 3.*

t *An et quo modo depositio hæc contingere tunc potuerit, dat Commentarius noster ibidem.*

DE B. HATHUMARO CONF.

PRIMO PADERBORNENSIUM EPISCOPO

PADERBORNÆ IN WESTFALIA

G. C.

SYLLOGE HISTORICA

§ I. Legitimus Sancti cultus, et varia ejusdem elogia.

C

ANNO DCCCXVI. AUT DCCCXVI. *Hic Beatus cujus immemorabilem cultum*

Quamvis hic præsul Hathumarus, *quem nonnulli* Hadumarium *vel* Harimarum, *et vicinis hujusmodi nominibus appellant, ab antiquis Martyrologis aut Menologis inter Sanctos non referatur, tamen de legitimo illius cultu sufficientia argumenta suggerit Nicolaus Schatenus noster, dum in Annalibus Paderbornensibus lib. 1 ad annum Christi 814 pag. 55 de ipso sic scribit:* Corpus sanctissimi Præsulis, ut Harius refert, antiquitus in crypta basilicæ humatum fuit, tumulo etiam e terra altius erecto, cujus tamen nulla vestigia monstrata. Neque alius mos tum erat, quam humili et augusto sepulcro claudere episcopos; qualia D. Ludgeri et tot episcoporum in cœnobio Werthinensi conspiciuntur hodiedum. Imadus tandem duodecimus episcopus ossa primorum episcoporum anno Christi MLXVIII collegit in unum tumulum et urnam, collocavitque honoratiore simul loco in crypta ante aram, a Leone Pontifice olim consecratam, ac muro sepulcra inclusit, cippo contecta. Dies hujus translationis VII Idus Septembris Divum etiam honoribus celebris est habitus. Locus ipse cryptæ exstructis altaribus, constitutis sacrificiis, piorum oblationibus ac votivis supplicum precibus cultus, non sine

F

beneficiis cœlitus etiam impetratis.

2 Deinde cum ab ingressa hæresi in urbem, ac per longa superiorum temporum bella, Hathumari cæterorumque episcoporum memoria rursum prope obruta jacuisset, cippo etiam tumuli ablato, ut parum de communi sepulcro constaret; Ferdinandus episcopus demum monumentum instauravit, ossaque, inter quæ adhuc quinque capita reperta sunt integra, mundioribus integumentis involuta, quam honorificentissime condidit. Atque ut posteritatis memoriæ ac pietati certius consuleret; tumulum altius et magnificentius erexit e terra, e cujus impositi lapidis planitie hæc elegans Ferdinandi episcopi nostri inscriptio legitur: SEPULCRUM PRIMORUM EPISCOPORUM PADERBORNENSIUM RESTAURATUM IN CRYPTA ÆDIS CATHEDRALIS. FERDINANDUS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS PADERBORNENSIS, S. R. I. PRINCEPS ET COMES PYRMONTANUS, PRIMORUM HUJUS ECCLESIÆ EPISCOPORUM CORPORA, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MLXVIII, INDICTIONE VI, HENRICI IV IMPERATORIS XIII, ORDINATIONIS VERO IMMADI EPISCOPI PADERBORNENSIS ANNO XVI INVENTA ET COLLECTA; TRANSLATA AUTEM ET SEPULTA VII IDUS

Ferdinandus, præsul Paderbornensis.

A IDUS SEPTEMBRIS, NE, REGLUSO SUPERIORIBUS TEMPORIBUS SEPULCRO, NEGLECTA DIUTIUS JACERENT, INSTAURATA PRISTINO MONUMENTO, COMPOSUIT ET ANTIQUÆ VENERATIONIS MEMORIAM RENOVAVIT ANNO MDCLXVI.

ex antiquis monumentis restauravit,

3 *Non levibus argumentis neque pia credulitate inductus est reverendissimus ac celsissimus præsul Ferdinandus, ut restitueret publicam primorum antistitum Paderbornensium venerationem, injuria temporum et bellorum pene collapsam, quemadmodum colligimus ex laudato Schateno nostro, qui in iisdem Annalibus Paderbornensibus ad annum Christi 1068, lib. 6 pag. 567 et sequente solidum instaurationis hujus fundamentum assignat his verbis :* Septimo deinde Idus Septembris Imadus primorum episcoporum Paderbornensium corpora, quæ jam duplici incendio ecclesiæ aut obruta aut disjecta erant, insigni religione cultuque antecessorum suorum diligenter investigavit, repertaque in vetustis sepulcris collegit, et in crypta, quæ choro basilicæ substructa est, monorificentissime ante aram D. Stephani a Leone B Pontifice consecratam condidit, ubi a posteris in magna veneratione fuerunt habita, quemadmodum hoc Ferdinandus episcopus noster ex veteri codice Palatini manuscripto bibliothecæ Vaticanæ produxit. Ipse deinde Ferdinandus episcopus noster, cum disjecto lapide, et neglecto veteris pietatis cultu, memoria prope omnis sepulta jaceret, pristino decori cultuique, Imadi exemplo et pietate provocatus reddidit. Inscriptionem et monumentum hujus translationis in Hathumaro episcopo dedimus : quæ omnia ad hanc diem ignorata mansissent, nisi Ferdinandus episcopus noster hæc ex Romana bibliotheca protulisset in lucem. *Ex his patet, immemorabilem Sancti nostri cultum incendiis ac bellis tantummodo interruptum fuisse, et novam ejusdem instaurationem niti vetustis monumentis, quæ in bibliotheca Romana conservantur. Haud dubie hæc argumenta etiam Castellanum moverunt, ut hunc Præsulem in Martyrologio suo universali ad diem* V *Augusti inter Beatos recensuerit.*

fuit primus episcopus Paderbornæ,

4 *Cæterum in titulo* B. Hathumarum *appellavi primum Paderbornensium episcopum, ut sic paucis rejicerem falsam opinionem, seu potius* C *crassum errorem quorumdam historicorum, qui S. Liborium perperam Paderbornensi ecclesiæ primum præsulem assignarunt. In hac re turpiter hallucinati sunt Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ lib. 3 cap. 40, et Albertus Crantzius in Opere suo de Saxonia, ubi uterque diserte scribit, S. Liborium fuisse primum Paderbornensium episcopum. At Crantzius sibi in errore suo non constat : cum enim lib. 2 Saxoniæ cap. 16 asseruisset, quod Carolus Magnus post domitos Saxones ad stabiliendam inter eos Christianam religionem instituerit varios episcopatus, et* Paderburnæ præfecerit sanctum virum Liborium, *postmodum assertionis hujus oblitus, lib. 1 Metropoleos cap. 11 de primo ejusdem sedis præsule tradit sequentia :* Paderburnensi oppido ab rege Carolo non in postremis habito, dum in provincia moraretur, etsi dudum ecclesiam Wirtziburgensi episcopo commendatam haberet, pontificem tamen non ante dedit Carolus, quam omnem provinciam pacatam relinqueret. Erat annus a Christo nato post septingentesimum nonagesimus quintus, cum Harimarum *(hoc corrupto nomine* Hathumarus *noster indicatur)* Wirtziburgensis ecclesiæ Canonicum, natione Saxonem (quem parentes ejus superiori bello dederant regi inter alios obsidem) virum gravem, et qui sub magisterio D. Burchardi Wirtziburgensis episcopi profecerat in omni religione et sanctitate, [ad cathedram Paderbornensem evexit.] *Cum in hac periodo aliquid deesset, supplere coactus sum ea, quæ hic uncis inclusi. Epocha hujus episcopatus et alia beati Præsulis gesta, quæ Crantzius hoc loco prosequitur, postea chronologice discutientur.*

AUCTORE G. C.

ut Schatenus noster contra quosdam ostendit.

5 *Interim Schatenus noster in Annalibus Paderbornensibus ad annum Christi 795, lib. 1 pag. 29 Crantzium (idem argumentum contra Franciscum Irenicum, aliosque ejusdem erroris assertores militat) sic recte et evidenter corrigit :* Hathumarum, quem alii cum Cratepolio Hadumarum, alii vitiose cum Crantzio Harimarium dixere, primum fuisse statum certumque Paderbornensem episcopum, tam indubitata Majorum fastorumque fide accepimus, quam alii primos suos Carolinos episcopos nobis exhibent ; quod et Crantzius agnoscit in Metropoli, tametsi immemor sui in libro de Saxonia scribat, D. Liborium a Carolo Magno præstitutum esse Paderbornæ antistitem ; quem tamen constat tot retro annis, E Gratiano et Theodosio Augustis, Cenomannis in Gallia sedisse episcopum. Sacrum Liborii corpus magna celebritate cultuque posterorum, Badurado II Paderbornensi episcopo, Paderbornam translatum referemus. Nemo Liborium unquam hujus sedis episcopum agnoscit. *De hac solemni sacrarum reliquiarum translatione consule Acta S. Liborii, Cenomanensis episcopi, quæ ad diem* XXIII *Julii, tomo V istius mensis a pag. 394 illustravimus.*

Varia ejusdem Beati elogia

6 *Nunc proferemus aliqua hujus beati Præsulis elogia, seu varia Actorum compendia, tum ex Catholicis tum ex heterodoxis scriptoribus, ut etiam sic ostendamus, immemorabilem sanctitatis ejus famam transiisse ad eos, qui alibi legitimum Sanctorum cultum impie oppugnant. Inter Catholicos Ido presbyter Paderbornensis, qui exeunte seculo* IX *vel ineunte* X *translationem S. Liborii conscripsit, ibi Sanctum nostrum laudat his verbis :* Erat tum temporis in clero Wirtziburgensi vir magnæ humilitatis atque modestiæ, Hathumarus nomine, de gente nostra, hoc est Saxonica, oriundus ; qui cum adhuc puer esset, belli tempore Carolo imperatori obses datus, illic *(nimirum Wirtzburgi sive Herbipoli)* servari jussus est ; ubi postea tonsuratus, ac studiis F litterarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus est Paberbornensis ecclesiæ ordinatus episcopus : post cujus ordinationem paucis annis transactis, idem gloriosissimus princeps ab hac luce migravit. *Ex his characteribus chronologicis postmodum de tempore episcopatus ac mortis ejus disputabimus.*

tum ex Catholicis

7 *Petrus Cratepolius ex Ordine Minorum, qui opusculum de Sanctis Germaniæ ordine alphabetico composuit, apud nos pag. 73 sequens elogium eidem Præsuli texuit :* Sanctus Hadumarius e primaria apud Saxones nobilitate natus, unus ex duodecim obsidibus regi Carolo Magno datis, a Burchardo primo episcopo Herbipolensi educatus, et liberaliter cum in litteris tum in pietate institutus, ecclesiæ item Herbipolensi insertus Canonicus, vir gravis et eximia vitæ sanctimonia præditus, constituitur a Carolo Magno primo fundatore et sancto Burchardo episcopo in primum novellæ plantationis Paderbornensis hortulanum, inspectorem et gubernatorem anno Domini DCCXCV.

Præ-

AUCTORE G. C.

Præfuit doctrina et exemplis annis IX, sepultus Paderbornæ. *Joannes Georgius Eckhardus in Commentariis de rebus Franciæ Orientalis et episcopatus Wirceburgensis, quos nuper duobus voluminibus edidit, tomo I lib. 24 num. 132 existimat,* S. Hathumarum *litteris ac pietate imbutum fuisse ab Herbipolensi episcopo Megingaudo, qui in illam cathedram S. Burchardo successit. Schatenus noster lib. 4 Annalium Paderbornensium pag. 20 et sequentibus fuse disquirit, utri episcopo Herbipolensi illa* S. Hathumari *institutio sit tribuenda. Hæc lis decidi poterit ex Actis S. Burchardi, quæ ad diem* XIV *Octobris accuratius discutienda erunt. Interea jam allegabimus duos scriptores heterodoxos, testes in hac re minime suspectos, qui gesta* B. Hathumari *breviter recensent.*

tum ex heterodoxis

8 *Gaspar Bruschius, qui sæpe alibi in scriptis suis hæresim prodit, in Epitome episcopatuum Germaniæ fol. 217 primum Antistitem Paderbornensem sequenti ornat elogio :* Sanctus Hadhumarius, aliis Harimarus, e primaria apud Saxones nobilitate natus, *et cætera, prout numero præcedente ex Cratepolio retulimus, quibus. Bruschius ibidem alia illius gesta sic addit :* Reædificavit templum B Paderbornense, cum primum illud a Carolo Magno inchoatum, ab iterum seditiosis Saxonibus dirutum fuisset. Id a Pontifice Maximo Leone tertio (qui Roma ejectus Paderbornæ apud Carolum Magnum fuit) consecratum ac dedicatum est sexta Decembrium, anno Domini DCCXCIX in honore sancti Stephani protomartyris. Donavit hunc Episcopum Carolus Magnus, præsente Leone tertio, arce Tryburgensi cum adjacente territorio omni. Obiit Hadumarus antistes anno Christianæ salutis octingentesimo et quarto. Sepelitur in ecclesia Paderbornensi. *Hunc mortis annum paragrapho sequente examinabimus.*

scriptoribus

9 *Henricus Pantaleon, scriptor ejusdem furfuris, in Prosopographia heroum atque illustrium virorum totius Germaniæ part. 1, pag. 287 et sequente fusiorem Actorum synopsim ad honorem ejusdem Antistitis concinnavit his verbis :* Harimarus apud Saxones illustri familia natus fuit. Itaque cum Carolus Francorum rex Saxones prælio vicisset, atque illi subinde bellum renovarent, duodecim obsides ex nobilissimis familiis sibi dari petiit, ut hoc modo rebellis illa natio in officio contineretur. Inter eos quoque Harimarus fuit. C Cum autem is optima indole esset præditus, Carolus eum sancto Burckardo Herbipolensi episcopo educandum tradidit, ubi adeo in pietate et litteris profecit, ut brevi ejus ecclesiæ Canonicus factus fuerit. Postea autem cum Saxones essent post duodecim prælia domiti, atque Vitekindus eorum dux Christianam religionem professus esset, Carolus eam Germaniæ partem decem episcopatibus exornavit, atque eosdem multis divitiis et privilegiis dotavit, ut hoc modo repugnantes pœnis coercere possent. Tales erant Osnaburga, Halberstatt, Premen, Minden, Verden, Paderborn, Magdenburgum, Hildesheim, Monasterium et Hamburga.

exhibemus.

10 Verumtamen hujusmodi episcopatus aliquot initio in aliis locis constituti, et tandem eo translati fuerunt. Sic Halberstatensis ecclesia primo in Ostervick, Magdenburgensis in Vallersleven Luneburgensis ditionis, Hildenheimensis in Wardenwick, Paderbornensis in Henstelle, atque Hamburga sub Premensi archiepiscopatu exstitit. In iis locis ex diversis familiis episcopi ordinati, quo minus conspirare, et ad idolorum cultum redire possent : eas enim superstitiones sub Druso imbiberant, atque ab iis avelli vix poterant. Unde etiam D idolum suum Hermensaul magna pertinacia venerabantur. Verum Carolus ea idola destruxit, et clam constantes aliquot viros judices in Westphalia (quæ Westfeld dicebatur) constituit, qui de paganismo suspectos laqueo suffocarent. Ut etiam Christi Passionis essent memores, panes in crucis forma pinsi jussit, atque in agrorum triviis cruces ædificari præcepit ; atque hoc modo tandem Saxones in vera pietate constantes fecit. Cum itaque in loco Paderborn, ubi frequentes et purissimi fontes erumpebant, episcopatum constituisset, hunc Harimarum primum ibi præsulem constituit anno septingentesimo nonagesimo quinto, atque ei Triburgensem arcem cum multis aliis circumjacentibus locis dono dedit. Itaque Harimarus ibidem cathedralem ecclesiam et celebre templum erexit. Id Leo III Pontifex ad Carolum in eum locum veniens, anno DCCXCIX dedicavit. Cum in ea ecclesia Harimarus magna pietate per novem annos præfuisset, et omnia ordine disposuisset, mortuus est anno DCCCIV, et in sua ecclesia sepultus quiescit. *Non est hujus loci singula istius narrationis adjuncta, et chronologiam originemque episcopatuum Saxonicorum discutere.* E

dum vetera et continua illius Acta nobis desunt.

11 *Nusquam reperire potui historicam Actorum continuationem, aut continuam* B. Hathumari *historiam, nec satis clare intelligo, quid sibi velit Chronicon Huxariense, quod Christianus Franciscus Paullinus anno 1698 in Syntagmate rerum et antiquitatum Germanicarum edidit, et in quo ad annum Christi 1152 hæc leguntur :* Burkhard Hodeker elegantem libellum de S. Hathumaro obtulit episcopo Pathabrunensi, pro quo accepit vicariam. *Utrum hic elegans libellus continuerit historicam vitæ seriem, an ad laudem ejusdem* B. Hathumari *rhetorice compositus fuerit, ignoramus. Præterea nescimus, ubi nunc libellus ille lateat, et an fortasse in tanta rerum Saxonicarum perturbatione non perierit. Saltem Schatenus noster, qui historiam Westfalicam ac Paderbornensem diligenter tractavit, de veteri isto monumento nusquam meminit. Cum itaque nobis nulla sit spes detegendi hunc libellum, præcipua beati Viri gesta ex antiquis neotericisque scriptoribus colligemus, et ea ordine chronologico utcunque collocabimus.*

F

§ II. Chronologica præcipuorum gestorum series.

Disquiritur, quando B. Hathumarus

Cum Carolus Magnus sæpius Saxones clade affecerit, et sæpe ab iisdem obsides acceperit, certo dici non potest, quo anno B. Hathumarus *ei obses traditus fuerit. Plerique tamen neoterici scriptores hanc rem non improbabiliter ad annum Christi 772 referunt, postquam Carolus destruxisset idolum, Irmensul appellatum, et Saxonibus ingentem cladem intulisset. Unde Schatenus noster ad eumdem annum in Historia Westfaliæ lib. 7 pag. 435 sic caute scribit :* Hac expeditione magna pars Saxoniæ, ut post referemus, Christianæ religioni armisque asserta erat. Saxones multa pro more gentis polliciti, multaque etiam sancte jurarunt, ad quæ præstanda XII obsides dederunt Carolo, quos e Saxonia egressus secum duxit in Franciam Orientalem ; interque hos duo præclari ex prima nobilitate juvenes, Hathumarus et Badurarus memorantur, hac certe aut proxima aliqua expeditione traducti, quos D. Burchardo

A chardo Wirzenburgensi episcopo Christiana religione formandos tradidit, ubi ob egregiam indolem progressumque in litteris ac moribus adsciti in clerum; ex quo uterque post primi Paderbornensium delecti episcopi, doctrina et sanctimonia vitæ clari, popularibus suis verum religionis lumen præclaro obsidum commercio retulere.

Carolo Magno obses datus fuerit,

13 *Joannes Georgius Eckhardus in Commentariis de rebus Franciæ Orientalis et episcopatus Wirceburgensis tomo 1 pag. 621, sive lib. 24 num. 132 non minus caute eumdem hujus rei peractæ annum assignat his verbis :* Destructa Irminsula, Carolus, omnium annalium consensu, ad Visurgim accessit, ubi se Saxones ei submiserunt, ipseque, duodecim obsidibus acceptis, in Franciam rediit. Hos inter obsides fuisse jam potuit Hathumarus de gente Saxonica oriundus, qui, ut Ido in Translatione Liborii prodit, cum adhuc puer esset, belli tempore Carolo imperatori obses datus, Wirceburgi servari jussus est, ubi postea tonsuratus ac studiis litterarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit : B atque hinc tandem episcopus Paderbornensis primus factus est. *Genuinum Idonis, sive Saxonis anonymi, textum in Actis S. Liborii ad diem* XXIII *Julii, seu tomo V istius mensis pag. 415 exhibuimus. Dein ibidem Eckhardus non D. Burchardo præsuli Herbipolensi, ut vult Schatenus, sed successori ejus Megingaudo, quemadmodum supra num. 11 breviter indicavimus, institutionem* B. Hathumari *ita tribuit :* Megingaudo episcopo Wirceburgensi in expeditione præsenti eum traditum esse credere non ambigo. Tunc etiam eidem episcopo et successoribus ejus, qui ex ordinatione S. Burchardi ecclesiarum Saxonicarum inspectores erant, Carolus curam commisit Paderbornenses ad fidem convertendi. *Nunc examinandum est, quo anno* B. Hathumarus *ad episcopatum civitatis Paderbornensis, quæ postea proprium accepit præsulem, evectus fuerit.*

et cathedram Paderbornensem ascenderit,

14 *Auctor Vitæ S. Meinwerci, Gobelinus Persona in Cosmodromio, aliique recentiores chronologi, passim asserunt* B. Hathumarum *anno Christi 795 cathedram Paderbornensem ascendisse.* C *At huic chronologiæ videtur repugnare laudatus Ido, sive scriptor anonymus Saxo, qui in Translatione S. Liborii de* B. Hathumaro *habet sequentia :* Hic ex præcepto principis *(nimirum Caroli Magni)* primus est Paderbornensis ecclesiæ ordinatus episcopus : post cujus ordinationem, paucis annis transactis, idem gloriosissimus princeps ab hac luce migravit. *Verum Carolus anno Christi 814, ut chronographi consentiunt, e vivis excessit. Quomodo igitur recte dici potest Carolus,* paucis annis transactis *post ordinationem* B. Hathumari, *ex hac vita migrasse, si hic jam ab anno Christi 795 sedem Paderbornensem occupaverit? Cum in ea hypothesi novemdecim circiter anni effluxerint, certe non videtur tantum temporis intervallum* paucis annis *exprimi posse. Adde, quod scriptor Vitæ S. Meinwerci, Cratepolius, aliique superius allegati, episcopatui* B. Hathumari *tantummodo novem annos assignent.*

de qua re Schatenus disputat.

15 *Vidit hanc difficultatem Schatenus, ideoque in Historia Westfaliæ lib. 9 pag. 560 post relata veteris scriptoris verba eamdem sibi objicit, ac sic tentat dissolvere :* Obiit vero Carolus anno Christi DCCCXIV; et, si paucis ante hunc obitus annum Hathumarus est ordinatus episcopus, ægre ad annum DCCXCV, de quo agimus, ejus initia episcopatus referri poterunt. Verum hic auctor de anno ordinationis, quo episcopus consecratus est, hic agit. Nec enim infrequens, primos Saxoniæ episcopos primum cum regendi docendique munere imponi, ac post consecrari episcopos; quemadmodum in D. Willehado et Ludgero compertum est. Neque verisimile ulli videri potest, Paderbornensem ecclesiam ad ultimos Caroli vitæ annos sine proprio episcopo relictam fuisse, cum jam cæteræ diœceses suos episcopos haberent, et Bernulphus, qui hactenus vicario munere Paderbornensem episcopatum administrarat, superiori anno ad Herbipolensem episcopatum provectus sit; ut vel inde vacuæ sedi de suo episcopo prospiciendum fuerit. *Schatenus lib. 1 Annalium Paderbornensium pag. 30 similia fusius repetit.*

Auctore G. C.

et de cujus episcopatus initio

16 *Verum his non acquiescit supradictus Eckhardus, dum in proxime laudatis Commentariis Franciæ Orientalis lib. 25 num. 78 chronotaxin illam ita confidenter refellit :* Gobelinus Persona Cosmodromii Ætate VI cap. 38 refert, anno DCCXCV ecclesiam Paderbornensem fundatam, eique Hathumarum episcopum præfectum esse. Sed recentior is est, nec fidem meretur : Carolus enim E hoc anno Paderbornam venisse non memoratur, nec regio, hactenus nondum satis pacata, locum constituendis episcopis dabat. *Deinde num. 110 ejusdem lib. 25 eumdem annum, quem aliqui initio episcopatus Paderbornensis assignant, ex duplici Idonis textu sic impugnat :* Ex verbis hisce auctoris fide digni, nec admodum longe ab his temporibus remoti, Saxonis etiam et sacerdotis Paderbornensis, manifestum est, Carolum quidem ecclesiam Paderbornæ construxisse, et sedem ibi episcopi esse decrevisse, camdemque hoc anno DCCXCIX consecratam et reliquiis S. Stephani a Leone Papa donatam esse; sed nondum proprium episcopum habuisse, atque ideo Bernwelfi Wirceburgensis episcopi tuitioni denuo commendatam fuisse, qui per suos hactenus ibi sacra administrari Saxonumque conversionem promoveri curaverat. Falluntur ergo auctor Vitæ S. Meinwerci, et qui eum sequuntur, cum ferunt, Paderbornensem episcopatum anno DCCXCV jam constitutum, eique Hathumarum præpositum fuisse : Ido enim præterea dicit, post Hathumari ordinationem, PAUCIS ANNIS TRANSACTIS, Carolum F obiisse. Unde apparet, Hathumarum paucis annis ante obitum Caroli episcopum demum constitutum esse, et eo usque ecclesiam Paderbornensem sub procuratione præsulum Wirceburgensium constitisse. *Quamvis non contemnenda sit explicatio Schateni nostri, tamen chronologiam Eckhardi probabiliorem existimo.*

diversæ sunt auctorum sententiæ :

17 *Gaspar Bruschius, Henricus Pantaleo, aliique recentiores asserunt, Leonem Pontificem anno 799 ab Hathumaro, jam episcopo, et ab imperatore Carolo Paderbornæ honorifice exceptum, aliaque illius Præsulis gesta determinatis annis affigunt. Licet hæc et familia, tum propter jam propositam Eckhardi chronologiam, tum ob silentium veterum scriptorum, incerta sint, tamen nullo modo dubitamus de eximiis* B. Hathumari *virtutibus, quas in episcopatu exercuit, quasque Schatenus in Historia Westfaliæ lib. 9 pag. 560 sic summatim refert :* Hathumarus in vigesimum annum omnium virtutum commendatione ita se probavit, ut Carolus eum præ cæteris, ex consilio et auctoritate reliquorum episcoporum, Paderbornensi ecclesiæ præficeret. Gessit exinde Hathumarus episcopatum præclara sanctitatis fama : quippe quem vetustus Translationis D. Li-

borii

AUCTORE G. C.

borii scriptor VIRUM IN OMNI VIRTUTUM GENERE PERFECTUM compellat, quique diœcesin primum in religione Christiana formarit, populumque omnem a gentilium superstitione ad Christi fidem perduxerit, structis ubique templis, ordinatis parochiis, et impositis sacerdotibus, qui plebi Sacramenta administrarent. Demum quoad vixit, Carolo semper carus, eidemque etiam ad annum DCCCXV superstes, in hac vinea sua excolenda desudavit. *De his similibusque præclaris* B. Hathumari *gestis non dubitamus, quamvis ob rationes jam allatas ea certo tempori affigere non audeamus. Quare transilimus ad discutiendum tempus felicis ipsius obitus, in quo consignando nonnulli a vera chronologia aberrarunt.*

Erronea quorumdam opinio

18 *Anonymus Abdinghoffensis, qui Vitam S. Meinwerci conscripsit, apud nos tomo I Junii, pag. 511 de obitu* B. Hathumari *hæc habet:* Beato vero Hathumaro, nono episcopatus sui anno, Dominicæ Incarnationis octingentesimo quarto, ex hac luce subtracto, atque ad perennem, ut credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius, nomine Baduradus. *Sed is auctor haud dubie* B *hallucinatur, et manifeste erroris convincitur ex antiquo libello de constructione Corbeiæ novæ seu Saxonicæ, quem nos tomo II Junii post Duchenium, Meibomium, ac Mabillonium ex Mss. Gladbacensi et Bodecensi recudimus, atque ibidem pag. 1031 retulimus sequentia:* Factum est autem eodem tempore, ut serenissimus imperator Ludowicus haberet placitum * in Saxonia, in loco qui dicitur Patherbrunna, in secundo anno regni sui, Incarnationis vero Domini octingentesimo decimo quinto. Tunc accessit præfatus abba ad eum, et locutus est ei cum consilio, suadens, ut ad profectum Christianæ religionis in eadem provincia monasterium monachorum construere juberet: quod cum piissimus princeps benigne suscepisset, placuit accersere episcopum, nomine Hathumarum, ad cujus diœcesim pertinebat locus, ubi construendum erat monasterium, ut cum ejus fieret imperio et voluntate.

* *id est* comitia

circa obitum B. Hathumari refellitur,

19 *Schatenus lib. I Annalium Paderbornensium pag. 53 verba ejusdem veteris libelli allegat, et pag. 54 ex his aliisque adjunctis de tempore* C *mortis* B. Hathumari *sic ratiocinatur:* Cæterum Hathumarus episcopus ab his Paderbornensibus comitiis, congressuque cum Ludovico imperatore haud multum superstes fuit: nam ad hunc annum vixisse, testantur ea, quæ retulimus; tum quod in Actis Liborianis memoretur, defuncto Carolo Magno, Hathumarum quoque episcopum non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem, ut credimus, vitam assumptum esse, cui Baduradus successit. Dies obitus in Necrologio Abdinghovensis monasterii consignatus apud nos in hæc verba: V IDUS AUGUSTI OBIIT HATHUMARUS EPISCOPUS; quem diem hujus anni decimi quinti, ac secundi Ludovici imperatoris statuimus. Et si ab anno Christi DCCXCV exordia episcopatus, ut commemoravimus, ducantur ad hunc annum DCCCXV, anni universi, quos in episcopatu exegit Hathumarus, viceni erunt. Quapropter falluntur Gobelinus, Crantzius, Bruschius, Cratepolius, Kensenbrochius, qui nono episcopatus anno excessisse scribunt, abducti in errorem ab auctore Vitæ Meinwerci episcopi, a quo hic idem annus male primum consignatus est.

et variis argumentis

20 *Quamvis Eckhardus in quibusdam a Schateno dissentiat, ut supra vidimus, tamen tomo II laudati Operis pag. 120 eumdem libellum de constructione novæ Corbeiæ citans, circa tempus mortis* B. Hathumari *cum Schateno convenit, et* D *pag. 121 ex verbis hujus libelli concludit,* B. Hathumarum *anno Christi 815 aut sequente obiisse. Quinimo pag. 19 ejusdem tomi jam antea conjectaverat, Annales quosdam ab anno Christi 803 usque ad mortem Caroli Magni per* B. Hathumarum *continuatos fuisse, ut ibidem exponit his verbis:* Incidit hinc mihi, Annales hos confectos esse ab Egilberto sive Egilwardo, Canonico Wirceburgensi, et, post Bernwelfi promotionem ad episcopatum, ecclesiæ Paderbornensis procuratorem ac tandem Notarium regium, ut supra suspicati sumus. Confirmat nos hac in opinione, quod Annales hi in conventu Moguntino hujus anni *(nimirum Dominicæ Incarnationis 803)* desinant: eo enim tempore Egilwardus episcopatus Wirceburgensis regimen suscepit. Frisius in Chronico et veteri monumento, nunc deperdito, ait: EGILBARTUS XVI KAL. JULII, ANNO DCCCIII EPISCOPALE MUNUS SUBIIT. Chronicon Wirceburgense Baluzianum Egilwardi plane non meminit, quod dolendum est. Cum igitur a mense Junio hujus anni Annales continuare non posset Egilwardus, manum iis admovit alius, qui curam E ecclesiæ Paderbornensis post ipsum habuit (nam Saxonica sollicite referre pergit) quem si Hathumarum fuisse dixerim, primum postea Paderbornensem episcopum, forte non penitus erro. Hic ab anno DCCCIII opus usque ad obitum Caroli Magni deduxit, et solemni temporum computo addito ibi conclusit.

verosimilior illius annus stabilitur.

21 *Quidquid sit de hac Eckhardi conjectura et determinato anno, quo* B. Hathumarus *ad Superos migravit, saltem hic primus Antistes Paderbornensis jam ab anno Christi 822 in cathedra sua successorem habuit Baduradum, ut liquet ex antiquo Chronico Corbeiensi, quod apud Meibomium tomo I Rerum Germanicarum pag. 755 sic habet:* Anno Incarnationis Domini DCCCXXII, Indictione XV, octavo Kalend. Septembris, secunda feria, monachi, qui in loco, qui Hetha dicitur, per septem annos prius demorabantur, inde egressi cum crucibus et reliquiis in hunc locum pervenerunt: locoque ab episcopo Barurado, qui tunc præsens aderat, Corbeiæ nomen impositum est, erectoque tentorio, illatisque crucibus ac reliquiis, locum dedicaverunt in honore F et nomine S. Stephani protomartyris, infodientes crucem Christi, ubi nunc altare esse dignoscitur. *Id ipsum confirmatur ex Annalibus Corbeiensibus, quos Christianus Franciscus Paullinus in Syntagmate rerum et antiquitatum Germanicarum primum typis vulgavit, quosque Godefridus Guilielmus Leibnitius postea recudit inter Scriptores rerum Brunsvicensium, ubi tomo II pag. 296 ex iisdem Annalibus hæc refert:* DCCCXV, Kal. Jul. in solempni curia, quam in Patherbrun habuit Lothewicus, Karuli F, fundatio Corbeiæ Saxonicæ ob votum patris et laudabilem pietatem regis, decreta et cœpta est. *Deinde scriptor Annalium ibidem post alia ad annum Christi 822 opportune in rem nostram hæc notat:* DCCCXXII Fratres de saltu ex Hechi migrant partim ad Wisarah, et secundum primi fundatoris nostri Karuli intentionem, in villa Hûxori fabricare cœperunt in honorem Dei et B. Stephani primi martyris N. T., consecrante antea locum Bathurato, episcopo in Patherbrun, VIII Kal. Sept. *Licet ex hactenus dictis sequatur,* B. Hathumarum *inter annum Christi 815 et 822 ex hac vita migrasse, nihilominus inde certum obitus illius annum determinare non possumus. Cum tamen vetustus*

A *tustus scriptor in Translatione S. Liborii apud nos tomo V Julii pag. 417 asserat,* defuncto Carolo, Hathumaro quoque episcopo non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem, ut credimus, vitam assumpto, *in locum hujus Præsulis Paderbornensis successisse Baduradum, mortem* B. Hathumari *affigimus anno Christi 815, vel differimus ad annum sequentem, ut fieri posse censet Eckhardus, ideoque superius in margine utrumque hunc annum expressimus.*

AUCTORE G. C.

DE B. JOANNE FIRMANO

SIVE ALVERNICOLA

EX ORDINE FRATRUM MINORUM

IN MONTE ALVERNO IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

C. C.

§ I. Testimonia de immemorabili hujus beati cultus, notitia de Actis, eorumque scriptoribus.

MCCCXXII.

Describitur mons Alvernus.

B Hic *beatus Vir a civitate Firmana, in qua natus est, cognomentum* Firmani *accepit; at postmodum a Monte Alverno, quem diu incoluit, communiter* Joannes de Alverna *appellabatur.* Est autem mons hic, *ut Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1213 num. 32 scribit,* in arduis Apennini jugis altitudine procerus, ab aliis montibus separatus, super quos caput extulit omnes, tribus a lateribus præcipitibus, quasi quibusdam altissimis mœnibus cinctus. Duplici flumine Tiberi et Arno alluitur; a Bibiena nobili oppido in agro Clusentino distans septem millibus passuum. Quidam Avernam a Verna deduci putant: erat enim Verna apud Romanos dea latronum, habebatque templum Romæ, ubi a sicariis Verna colebatur. Utcunque sit mons iste est sublimis, cujus summum cacumen nemo scandere auderet, nisi frequens fagus prospectum discriminis auferret, et casuris promitteret obicem. Fagi amplæ sunt in cacumine, herbæque, et virentia prata, C quibus novas faciunt umbras....... Amœnissimus est modo mons, et maximis virentibusque arboribus coronatus, cum antea calvus, inhospes, et horridus esset. In loco, Francisco familiari, apparent impenetrabiles cavernæ, abrupti et suspensi lapides, inaccessæ undique rupes, in barathra hiatus profundissimi, quos horror erit aspicere: sacra nunc ubique antra, scissuræ, templa, delubra, sacella, prodigia et vestigia miraculosa sanctorum virorum *etc. Laudatus Waddingus ad eumdem annum num. 46 inter hæc sacra sanctorum virorum vestigia meminit de sacello, quod ibidem* B. Joanni *nostro dicatum est, et quod hic ad rem nostram maxime spectat; sed cum ille notitiam istam ex illustrissimo Gonzaga transcripserit, potius fontem ipsum adeamus.*

in quo hic Beatus habet immemorabilem cultum.

2 *Igitur Franciscus Gonzaga, reverendissimus Ordinis Franciscani Minister generalis in Opere, quod Romæ anno 1587 edidit, ac Sixto V Pontifici dedicavit, de Origine Seraphicæ Religionis in descriptione montis Alverni pag. 239 ad propositum nostrum hæc habet:* In clivo vero ejus colliculi, qui supra sacrorum stigmatum sacellum elevatur, alia quoque surrigit sacra domus, beato patri Joanni ab Alverna dicata. Fuit siquidem beatus is Pater religiosissimus, sanctissimamque vi-E tam in jejunio, contemplatione, atque pœnitentia perpetuis, per plurimos annos, hoc in sacro monte, præsertim vero in præfato colliculo, ubi et ligneam cellulam, in prætactam sacram ædem translatam, sibi construxerat, atque omnino angelicam duxit. Insuper et Alvernæ cognomen, cum primo Firmanus cognominaretur, ex diuturna montis habitatione contraxit. Straverat præterea beatus idem pater Joannes juxta præfatum sacellum deambulationis ergo semitam, quæ ad altissimam fagum terminabatur. Cumque quadam die divinis meditationibus intentus per eam obambularet, oculorumque aciem in crucem, eidem arbori a se affixam, direxisset, Christum Dominum in ea graviori passu gradientem ex tempore vidit: ad sacrosanctos cujus pedes provolutus, cum semel atque secundo erratorum veniam ab eo sibi dari supplex postulasset, nec responsum aliquod retulisset, tertio ipsum juxta arborem secutus, interim corpore in terram demisso, eamdem petitionem repetiit, ac tandem votum assecutus, divinos pedes, manus, ac sacrosanctum laterale F vulnus deosculari meruit. Quapropter summa lætitia perfusus, ac in ecstasim factus est. Quo inter seculares divulgato, tanta eis ad præfatam fagum incessit religio atque devotio, ut nullo pacto a Fratribus prohiberi potuerint, quin eam omnino decorticarint. Eoque tandem factum est, ut cortice denudata perierit. Pater igitur ac Frater Angelus Rassinas, sacri hujus loci Guardianus, ne tanta populorum devotio aliquando evanesceret, ipsam succidendam atque inibi sacrum quoddam sacellum anno restitutæ salutis MDXVIII ædificandum curavit, cujus altare ejusdem arboris trunco innititur.

ut colligimus ex sacello.

3 *Benignus Fremant Minorita, qui Vita Sanctorum venerabiliumque Ordinis sui laboriose collegit, et non ita pridem duodecim tomis secundum seriem totidem mensium Flandrice edidit, ad diem* IX *Augusti post Acta hujus Beati pag. 122 istius mensis diserte asserit, sacellum illud, de quo supra fit mentio, in honorem* B. Joannis *nostri anno 1518 exstructum fuisse. Hinc videmur tuto posse inferre immemorabilem* B. Joannis *cultum, quandoquidem sacra illa ædicula centum annis ante decretum Urbani VIII Pontificis honori ejus dedicata fuit. His adde, quod coævi Acto-*

AUCTORE G. C.

Actorum scriptores, aliique veteres hujus viri laudatores eum passim beatum *et* sanctissimum *appellent, ut patebit ex iis, quæ per decursum hujus Commentarii prævii et infra in antiquis Actis relaturi sumus.*

et sacris ejus reliquiis,

4 *Præterea hæc conclusio nostra confirmari potest ex singulari cura, quæ semper de reliquiis ipsius habita est, ut Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1322 num. 48 testatur his verbis :* Triduum licet mansit cadaver insepultum ob devotionem populorum ad funus accurrentium, odorem tamen emisit suavissimum, et facies semper apparuit hilaris et rubicunda. Ipsa autem die, quo sepultus est, revelavit Angelus pio cuidam Fratri, Joannis intimo amico, illum, quo obiit die, ad cœlum migrasse, ibique magna gloria, propter vitam sanctissime transactam, potiri. Pluribus a funere transactis annis, Fratres sepulcrum aperuerunt, et sacras ejus reliquias honorifico loco in sacrario condiderunt; caput vero detulerunt ad cœnobium Sanctæ Crucis urbis Florentinæ.

B

quæ ibi publice exponuntur.

5 *Quinimo Arturus a Monasterio et novissime Fortunatus Hueberus affirmant, hunc sacrarum reliquiarum ejus cultum etiamnum perseverare, dum in Menologio suo Franciscano ad diem* IX *Augusti post elogium* B. Joannis *nostri uterque sic scribit :* Magnis et quamplurimis insignitus est miraculis, ejusque sacrum corpus condigna veneratione colitur in ecclesia Fratrum Minorum Conventus Montis Alverniæ, ubi honorifice huc usque servatur. *Duobus istis Menologis adjungimus Papebrochium nostrum, testem oculatum, qui de commoratione sua in monte Alverno, ubi mense Januario anni 1662 aliquantulum una cum Godefrido Henschenio substitit, in Itinerario Ms. hæc narrat :* Vigesima prima Januarii sacrificavimus eo ipso in loco, ubi seraphico Francisco sacra divinitus impressa stigmata memorantur; qua de causa in singulis, quæ eo de mysterio in Sacro recitantur, orationibus signanter adverbium HIC additur. Reliquias deinde super altari proprio magnifice collocatas vidimus, atque inter eas ossa B. Joannis de Alvernia et alterius B. Mariani, per plures divisa lipsanothecas, pari omnino, quo reliquiæ cæteræ, cultu atque ornatu. *Quis autem*

C

facile credat, Minoritas publicam hujusmodi venerationem post decretum Urbani VIII continuaturos aut permissuros fuisse, nisi ea jam ab immemorabili tempore inchoata esset? Quapropter de legitimo B. Joannis *cultu nequaquam dubitamus, ac proinde his testimoniis freti, aliisque argumentis inducti, hunc mirabilem Virum operi nostro secure inseruimus. Nunc indagandum superest, qualia hujus Beati Acta exstent, et quinam ea conscripserint.*

Acta hujus Beati exstant in Ms. codice Florentino.

6 *Dum laudatus Papebrochius eodem anno 1662 erat Florentiæ, propria manu ibidem ex bibliotheca Sanctæ Crucis transcripsit Acta* B. Joannis, *iisque hanc notitiam præfixit :* Ex antiquissimo Ms. bibliothecæ Conventus Sanctæ Crucis Florentiæ, pluteo XXVI a dextris, codice membraneo absque numero in quarto. *Scriptorem horum Actorum fuisse beato Viro synchronum, et in multis rebus testem oculatum, liquet ex ipsa gestorum narratione et ex prologo, in quo sic lectorem præmonet;* Hujus omnia gesta ego non novi; sed pauca, quæ narro, vel ab ejus ore percepi, licet cum magno conatu et sub secreto, dum viveret, vel a personis multum fide dignis audivi, vel ego a me ipso perspexi. Placeat autem omnibus, qui fuerunt sibi magis familiares, et in divino officio obsequentes *, ista corrigere, D
et alia addere, secundum quod eis videbitur. *Deinde in fine Actorum etiam hæc habet :* Multa audivi miracula meritis hujus sancti Viri fuisse facta, et aliqua audivi fuisse facta, dum vixit, et aliqua postquam ex hoc mundo transivit; sed quia illa oculis meis non vidi, nec ab ejus ore percipere potui, ideo ea non scripsi. *Cum igitur coævus hic biographus, quem primo loco post hunc Commentarium prælo subjiciemus, ingenue fateatur, sibi omnia non fuisse nota, et præterea moneat, sese quædam audita noluisse litteris mandare, nemo mirari debet, etiam inveniri alia ejusdem Beati gesta, quæ ab illo auctore omittuntur.*

* *forte frequentes*

et alia in Ms. Speculo S. Francisci,

7 *Certe reperimus alia* B. Joannis *Alvernicolæ gesta in Speculo S. Francisci, quod Guilielmus Spoelberch anno 1620 Antverpiæ typis vulgavit; sed hic antiquam capitum seriem et barbarum Mss. codicum stylum mutavit, ut ipsemet in prologo ad lectorem fatetur. Nos tamen malumus hujusmodi scriptores barbaro seculi sui stylo loquentes audire. Quare magis placet editio ejusdem* E
opusculi, quam Philippus Bosquierus anno 1623 Coloniæ Agrippinæ fieri curavit, et in qua primigeniam auctorum phrasim retinuit. Verum in ea etiam quædam capita desunt, et series rerum gestarum discrepat a manuscripto ejusdem Speculi exemplari, quod in Lovaniensi Minoritarum bibliotheca conservatur, et cujus ecgraphum jam abhinc annis plurimis accepimus. Exstant alibi varia ejusdem operis exemplaria, ut testatur Mathias Grouwels ex Ordine Minorum lector jubilatus, et provinciæ Germaniæ inferioris definitor, qui in Historia critica sacræ Indulgentiæ de Portiuncula part. 3 cap. 5 num. 17 sequentem notitiam suggerit : Quemadmodum varii fuere Vitæ beati Francisci et sociorum ejus scriptores, *inquit,* ita varia ejusdem inveniuntur manuscripta. Ex his etiamnum exstat quædam copia in bibliotheca nostra Lovaniensi scripta per antiquas et difficiles abbreviationes a Fratre Cornelio a Zierixzeia, de quo pag. 64 supra. *Citata autem pagina 64 monet, exemplar istud Lovaniense descriptum esse* a Fratre Cornelio Ziriczee in anno novitiatus sui, Christi vero MCDLIV, die nona mensis Februarii. *Tum ibidem hæc addit :* Item F
simile manuscriptum antiquum in pergameno consului in bibliotheca Fratrum Minorum Recollectorum Mechliniæ.

quæ utraque typis vulgabimus,

8 *Omnibus mature expensis, consultius duximus hæc altera* B. Joannis *Acta edere ex apographo nostro Lovaniensi, quod cum aliis Mss. ejusdem Speculi exemplaribus operose collatum est, ex quibus subinde mendosum Ms. nostrum corrigemus, et variantes lectiones in margine annotabimus, ubi operæ pretium visum fuerit. Porro hæc secunda Beati Acta more nostro in majora capita dividemus, etsi in codice Lovaniensi interdum in minora distribuantur. Attamen ut lector facilius intelligat ordinem narrationis, qui ab impressis exemplaribus differt, hic præfigimus antiquos capitum titulos, qui libro secundo memorati nostri ecgraphi sic sonant :* CAP. 51. Qualiter Frater Joannes de Alvernia fuit raptus in abysso Dei, et sepultus in pelago infinitatis et æternitatis divinæ. CAP. 52. Qualiter Frater Joannes vidit Christum gloriosum in Hostia, et qualiter fuit super altare cum dixit; Hoc est corpus meum. *Hic intruditur caput 53, in quo narratur, quomodo Deipara apparuerit Fratri Corrardo, quod ad rem nostram non spectat. Deinde*

sequitur

A *sequitur.* Cap. 54. Qualiter Christus apparuit Fratri Joanni de Alvernia, qui amplexando Christum fuit raptus. Cap. 55. Qualiter Fratri Joanni de Alvernia oranti pro quodam Fratre facta est sibi divina responsio. Cap. 56. Qualiter Frater Joannes cum celebraret vidit animas de purgatorio liberari. Cap. 57. Qualiter Frater Joannes vidit beatum Franciscum cum multis Fratribus, et Frater Jacobus locutus est sibi post mortem. Cap. 58. Qualiter Frater Joannes habuit spiritum revelationis. *Caput 55, et hoc ultimum in editionis Spoelberchii et Bosquieri desiderantur.*

etsi contra opinionem Waddingi judicemus.

9 *His ad notitiam Actorum excudendorum præmissis, jam quæritur, quinam utraque hæc diversa* B. Joannis *Acta conscripserint. Ad hanc quæstionem Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1272 num. 23 ita respondet:* Admiranda sunt reliqua hujus sancti Viri Acta, quæ plene et sincere scripserunt duo viri coævi, Joannes de Septimio et Hugolinus de Monte sanctæ Mariæ, et nos dabimus ad annum MCCCXXII, quo ex hac vita decessit. *Dein ad annum 1322 num. 48 hanc assertionem suam clarius repetit* B *his verbis:* Scripserunt, uti alias diximus, omnia hæc ex oculata fide Fratrer Joannes de Septimio et Hugolinus de Monte Mariæ; quorum ille, quæ sola vidit aut ab ipso Viro Dei percepit, se scripsisse testatur, ac propterea ab enarrandis rebus multis et miraculis, quæ alii referebant, nec tamen ipse vidit, abstinuisse. Ex horum narratione compacta est Vita ejusdem, quæ asservatur Ms. in bibliotheca cœnobii sanctæ Crucis prædicti, *nimirum Florentini, de quo paulo superius egerat. Hoc loquendi modo Waddingus innuit, priora illa Acta, quæ Papebrochius noster Florentiæ in bibliotheca cœnobii sanctæ Crucis exscripsit, duplici auctori tribuenda esse; sed in his Actis Florentinis scriptor nusquam nomen suum prodit: imo qui apud nos ea attente pervolvere voluerit, haud difficulter videbit, illa unum eumdemque scriptorem habuisse. Cæterum contra istam opinionem Waddingi occurrunt varii scrupuli, quos nunc proponemus.*

ea nec a Joanne de Septimio,

10 *In primis miramur, illum Joannem de Septimio (Severanus in Pretiosis mortibus justorum pag. 287 illum* de Septimana *cognominat) inter scriptores Ordinis Minorum non recenseri.* C *Quod si quis dicat, teste Bartholomæo Pisano, Joannem de Septimio familiarem fuisse Beato nostro, cum huic morienti adstiterit, eumque de apparitione habita familiariter interrogaverit, respondemus, nos id totum ultro admittere, Quod si quispiam ulterius urgeat, Acta* B. Joannis *ab aliquo familiari scripta esse, ut in prologo indicatur, ex eodem prologo reponimus, plures ei fuisse* magis familiares, *ut ibidem testatur ipse Actorum scriptor, qui propterea illos rogat, ut lucubrationem suam libere corrigant, eique alia gesta superaddant. Denique in Ms. nostro Florentino Joannes de Septimio nusquam comparet. Quapropter priora illa Acta adscribimus testi anonymo, tamen coævo et fide digno, donec verus illorum auctor aliunde nominatim detegatur.*

nec ab Hugolino de Monte S. Mariæ conscripta fuisse;

11 *Quantum vero attinet ad Hugolinum de Monte sanctæ Mariæ, non facile capimus, quomodo hic Acta* B. Joannis *Alvernicolæ scribere potuerit, quandoquidem ipse Waddingus de eodem Hugolino, ni fallimur, inter Scriptores Ordinis Minorum pag. 179 tantum tradit sequentia:* Hugolinus de sancta Maria in Monte, Picenus, sancti Francisci synchronos, vir pius et candidus auctor, scripsit historiam (quam Floretum prænotavit) in qua narrat vitam et gesta sancti Francisci ac sociorum ejus usque ad Pontificatum Alexandri IV. Habeo penes me nitido charactere membranis exaratam. *At Pontificatus Alexandri IV cœpit anno Christi 1524, quo* B. Joannes *Firmanus needum natus erat, et duravit usque ad annum 1126, cum Beatus noster tertium ætatis annum ageret. Quomodo igitur Hugolinus iste gesta* B. Joannis *conscribere potuit, si historiam tantummodo* usque ad Pontificatum Alexandri IV *perduxerit? Præterea oportet auctorem illum nonagenario majorem fuisse, quando post mortem* B. Joannis, *quæ anno Christi 1822 accidit, gesta ejus scriptis mandavit: si enim Hugolinus, teste Waddingo, fuerit* synchronos sancti Francisci, *qui anno 1226 ad Superos migravit, jam anno Christi 1322 ut minimum nonaginta sex ætatis annos numerabat. Adde, quod ex ipsa primorum Actorum lectione constet, scriptorem eorum* B. Joanni *supervixisse. Ex hactenus disputatis concludimus, nec Joannem de Septimio, nec Hugolinum de Monte sanctæ Mariæ, auctorem istorum Actorum certo dici posse.* E

sed ab auctoribus hactenus ignotis;

12 *Neque certius affirmari potest, quis collegerit altera Acta, quæ ex Speculo sancti Francisci excerpimus. Attamen scriptor illorum dicendus erit famosus Frater Ubertinus de Casali, si credimus laudato Mathiæ Grouwels, qui part. 4 supradictæ Historiæ criticæ cap. 5 pag. 430 de auctoribus hujus opusculi sic disserit:* Itaque Speculum illud prælaudatum, quod non est nisi quoddam compendium Vitæ, sive parvum chronicon Vitæ beati Francisci et sociorum ejus, primo a sancti Patris sociis Ruffino, Angelo, et principaliter a Fratre Leone usque ad annum MCCLXX est conscriptum Deinde a Fratribus coævis et supparibus, inter quos Ubertinus de Casali, quoad res suis temporibus gestas usque ad annum MCCCXXX, et hinc a Pisano usque ad annum circiter MCD continuatum, ac postea ab aliis pro occurrentia materiæ auctum usque ad annum MDVI: *Tum pagina sequente sic iterum concludit:* Istorum ergo, quæ in eodem Speculo narrantur contigisse ab anno MCCLXX ad annum MCCCXXX, auctor merito scribitur Frater Ubertinus de Casali, qui scriptor sedulus et devotus varia sancta loca, F inter quæ et sacellum Portiunculæ, visitavit, multaque beati Francisci et sociorum ejus Acta cum monumentis indulgentiæ Portiunculæ, ab ipso Christo concessæ, collegit. *Hinc manifeste sequeretur, gesta* B. Joannis *Alvernicolæ, qui in Speculo sancti Francisci narrantur, ab Ubertino illo conscripta fuisse, cum ea certe intra annum 1270 et annum 1330 contigerint.*

qui tamen sunt coævi.

13 *Sed ab ista opinione statim admittenda nos deterret judicium Waddingi, qui in Annalibus Minorum ad annum Christi 1226 num. 44 post relatum sancti Francisci obitum de auctoribus memorati Speculi ita ratiocinatur:* Scripsit statim de sancti Præceptoris et Institutoris morte ad universas provincias vicarius generalis Helias. Exemplar litterarum, ad Provincialem Franciæ missarum, accepimus ex Conventu Recollectorum Valencenarum in Belgio, ubi servantur originariæ, quas Guilielmus Spoelberch, provinciæ Germaniæ inferioris definitor, transcripsit in editum et limatum a se Speculum Vitæ sancti Francisci et sociorum ejus, neglectis multis apocryphis et frivolis narrationibus, quæ in vetusta editione habebantur; quod etiam consultius fecisset Philippus Bosquierus provinciæ Flandriæ, in alia posteriori, quam fieri curavit anno proxime elapso

AUCTORE G. C.

Coloniæ Agrippinæ; a quo illud scire cupierim, unde accepit Fratres Fabianum et Hugelinum cum aliis Minoritis, sancto Francisco coævis, ejus libelli auctores fuisse: sed et Henricus Sedulius, vir eruditus et pius, ejus conditores vult Leonem, Angelum, et Ruffinum, sancti Francisci comites perpetuos. Hi sane sancti Patris Legendam compilarunt, non opusculum hoc; ex illa multa hic inserta, ab aliis longe posterioribus recentiora addita.

et fide digni.

14 Compilator hujus operis vixit post annum MCCC, idque admittet pater Bosquierus, si antiquum legat volumen vetustæ impressionis Venetæ anni MDIV, fol. 77 et 78, aut a se noviter editum Centuria prima cap. 96, ubi ex quodam eventu anni MCCCIII confirmatur veritas Indulgentiæ sanctæ Mariæ de Portiuncula, et cap. 97 ad id ipsum aliorum inducitur testimonium sub anno MCCCX. Non itaque librum scribere potuerunt tres illi socii, a Sedulio assignati, neque coævi illi, a Bosquiero relati: neque certo ullo argumento aut probata operis inscriptione hucusque constitit de legitimo ejus auctore. *Hac controversia utcunque discussa, nos hactenus judicamus, pro tempore rerum gestarum varios auctores, eosque nobis nondum cognitos, ad Speculum istud perficiendum sensim operam suam contulisse, atque ita paulatim opusculum illud accrevisse. At nolumus, ut quis inde cum anonymo Indulgentiæ Portiunculæ impugnatore perperam inferat, nullam huic Speculo sancti Francisci fidem adhibendam esse: nam in Opere nostro occurrunt plurima Sanctorum Acta, conscripta ab auctoribus anonymis aut ignotis, quos tamen fide dignissimos censemus. Quare etiam hæc* B. Joannis *gesta, quæ eidem Speculo inserta sunt, magnam fidem merentur, cum præsertim ab uno aut pluribus testibus oculatis et coævis collecta fuerint, ut in Annotatis post singula capita observabimus.*

cum narratio eorum ab aliis scriptoribus subæqualibus confirmetur.

15 *Insuper hæc gesta confirmantur ex scriptoribus subæqualibus, qui antiquiora hujus Beati Acta viderunt, et compendiose litteris mandarunt: nam Bartholomæus Pisanus, qui seculo* XIV *in Ordine Minorum floruit, in Opere Conformitatum lib.* I *Fructu 8, part. 2 fol. 78 pleraque ejusdem Beati gesta breviter enarrat. Sanctus Antoninus, qui circa medium seculi sequentis ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Florentinam assumptus est, parte 3 Chronicorum litt. 24, cap. 7 § 15 etiam vetera Acta præ oculis habuit, et in compendium redegit. Hunc ordine temporis proxime sequitur Vinea S. Francisci, quæ idiomate Flandrico ante ducentos et plures annos Antverpiæ impressa est, et quæ Vitam* B. Joannis *fol. 375 verso et sequentibus sat fuse complectitur. Non volumus hoc loco recensere Marcum Ulyssiponensem aut varios ejus interpretes, Franciscum Gonzagam, Petrum Rodulphium, Bzovium, Waddingum, aliosque recentiores, qui præcipua Beati nostri Acta scriptis suis inseruerunt. Etiam prætermittimus Bernardinum de Bustis, Dominicum Gravinam, Benedictum Gononum, Joannem Severanum, Joannem Nadasi nostrum, aliosque variorum Ordinum scriptores, qui de* B. Joanne *Alvernicola tantum obiter meminerunt. Nihilominus paragrapho sequente tum ex his, tum ex illis, aliqua Actorum analecta examinabimus.*

§ II. Examen aliquarum rerum, quæ in antiquissimis Actis, post hunc Commentarium excudendis, non memorantur.

De hoc Beato, qui circa annum 1259 natus est Firmi in Italia,

Quamvis auctores synchroni natalem B. Joannis *annum diserte non exprimant, tamen ex Bartholomæo Pisano suppari facile colligimus, illum circiter anno Christi 1259 natum esse: scriptor enim iste lib.* I *Conformitatum Fruct. 8 part. 2 fol. 78 verso mortem* B. Joannis *ad annum Christi 1322 refert, et cum auctore coævo primorum Actorum asserit, hunc Beatum anno decimo tertio ætatis suæ Ordinem Minorum intrasse, et in eodem annos quinquaginta transegisse. Itaque ex anno mortis, et retrograda sexaginta trium annorum supputatione manifeste sequitur, illum in lucem prodiisse circa annum Christi 1259, quo Waddingus, aliique scriptores nativitatem ipsius passim consignant. Cæterum satis constat ex veteribus monumentis, patriam huic Beato fuisse Firmum, antiquam Piceni seu Marchiæ Anconitanæ civitatem; sed non æque certum est, quales pius iste Puer habuerit parentes, cum scriptores coævi et suppares de nominibus eorum et conditione altum sileant. Dum itaque Marchio Maiolinus Bisaccionus in Descriptione universi orbis, quam ex Latino opere Lucæ de Linda in idioma Italicum transtulit, et Venetiis anno 1672 auctiorem edidit, pag. 397 affirmat,* B. Joannem *nostrum Firmi ex nobili Eliseorum familia ortum esse, nobilitatem illam ei probandam ac civibus Firmanis ulterius indagandam relinquimus.*

Bartholomæus Pisanus et S. Antoninus,

17 *Bartholomæus Pisanus agens de Conventu montis Alverni, fol. 78 operis supra citati synopsim Actorum ejusdem B. Joannis ita exorditur:* In dicto loco jacet sanctus Frater Joannes de Firmo, vocatus de Alverna, vir sanctitate mirabilis et perfectione: de hujus Viri sanctitate aliqua narranda sunt et succincte. Hic de civitate Firmana provinciæ Marchiæ habuit ortum, qui cum nutriretur infantulus in cuna, die Lunæ, die Mercurii, et die Veneris semel tantum mammas sugebat. *Sanctus Antoninus Part. 3 Chronicorum tit. 24 cap. 7 § 15 in simili Actorum compendio eamdem rem aliter indicat his verbis:* Circa annos Domini MCCC inter alios perfectissimos viros Ordinis Minorum singulariter fulsit Vir ecstaticus Frater Joannes de Firmo, de provincia Marchiæ oriundus; qui cum infantulus nutriretur, miro meritorum suorum præsagio, ut de beato Nicolao legitur, tribus diebus in hebdomada jejunabat. *Etsi vetusta Acta nostra de hac mirabili beati Infantis abstinentia non meminerint, attamen non dubito, quin uterque laudatus scriptor illam narrationem hauserit ex antiquioribus monumentis, quæ ad notitiam nostram non pervenerunt.*

aliique recentiores tradunt nonnulla,

18 *Etiam in memoratis Actis nostris nulla fit mentio de illa re, quam Joannes Severanus, presbyter Congregationis Oratorii, in libro, cui titulus est* Pretiosæ mortes justorum, *pag. 481 ex scriptoribus Franciscanis ita refert:* Jacoponus Tudertinus Ordinis Minorum cum dierum plenus, et pœnitentiæ laboribus fractus, morti jam videretur proximus, suadetur a Fratribus, ut Ecclesiæ sacramentis se muniat; sed respondit eis,

non-

A nondum adesse tempus. Cumque subderetur sibi, quod tanquam infidelis moreretur, aperiens tunc oculos, fidei professionem statim emisit, et Symbolum Apostolorum illico recitavit. Urgent nihilominus cum Fratres rursum dicentes, hoc sibi non sufficere; sed necessarium esse divina suscipere Sacramenta. Præstolari se, respondit, Joannem de Alvernia, de cujus manibus illa reciperet. Quo audito, Fratres tristati sunt valde, scientes, illum longe abesse, nec tempus suppetere, quo eum accerserent. Dum autem sic anxii præparationem inculcant, cecinit Jacoponus canticum illud, quod incipit : ANIMA BENEDETTA DALL' ALTO CREATORE, CONTEMPLA IL TUO SIGNORE. Quo absoluto cantico, adfuit Joannes per visum divinitus eductus; et de manibus ejus Sacramenta reverenter suscepit *etc. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1306 num. 7 et sequentibus, aliique recentiores Franciscani similia fusius narrant, penes quos fidem istius rei relinquimus, cum nec Bartholomæus Pisanus, nec sanctus Antoninus illam synopsi suæ Actorum inseruerit.*

B *quæ in antiquis nostris Actis Mss. non leguntur,*

19 *Facilius credimus laudato Bartholomæ Pisano suppari, quando prodigiosum quoddam sanctitatis testimonium, ab antiquis biographis nostris prætermissum in proxime citato Vitæ compendio, de* B. Joanne *Alvernicola exponit his verbis :* Hic, quia pro sua sanctitate ab omnibus honorabatur, semel volens honores hujusmodi evitare, secrete de Senis recessit, et ivit Columbanum secrete, ut nullus hoc sciret. Sed dum staret ibidem, et oraret, visum est, columnam igneam a summo cœlo descendere, et super ejus cellam residere a colentibus terras vicinas : propter quod miraculum cœpit a populo frequentari; unde hac de causa abinde recessit. *Hoc prodigium in veteribus Actis nostris, et ab ipso sancto Antonino non memoratur. Hinc inter alia conjicimus, Bartholomæum Pisanum et sanctum Antonium præ oculis habuisse diversa veterum Actorum exemplaria, ex quibus sua compendia texuerunt.*

et S. Antoninus narrat quamdam miraculi circumstantiam,

20 *Hæc conjectura nostra ulterius confirmatur ex eo, quod sanctus Antoninus prodigia sequentia, a Bartholomæo Pisano prætermissa, in jam sæpe citato Vitæ compendio referat his verbis :* Cum autem ferventissime prædicaret, et Florentiæ in C claustro Fratrum sub divo propter copiosam multitudinem adstantium evangelizaret, inundante pluvia et populum occupante, super eum una non cecidit gutta aquæ, nec super pulpitum, quamvis populus multum esset madefactus. Ibidem quoque prædicans; Scio, inquit, Fratrem Minorem qui, dum celebraret, vidit Christum post Hostiam consecratam in ea mortificatum, de cujus plagis omnibus sanguis abundanter fluebat in calicem. Et cum pro compassione Frater ille pene deficeret, rediit forma panis. Postea socio secreto revelavit, se illum fuisse, cui hoc acciderat. Vidit altera vice Dominum Jesum in carne ita despectum et vilem, quod homo tantum vilificari vix posset. Quem cum admiratione interrogavit, dicens : O Domine, cur tam vilis et pauper appares? Cui Christus : Scias, ait, quod in cordibus Christianorum adhuc sum magis abominabilis et despectus. *Hanc sancti Antonini narrationem apud antiquiores hactenus non invenimus.*

quæ cum narratione Waddingi,

21 *Quod autem attinet ad miraculum pluviæ, recentiores illud duplicant, aut alio modo exponunt : nam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1322 num. 32 inter gesta* B. Joannis *hoc prodigium ita refert :* Cum in area Fratrum Minorum Florentiæ ferventissime prædicaret ingenti hominum multitudini, et tota turbaretur ob ingruentem pluviam; nec tamen ob summam audiendi verbi Dei ex ejus ore voluptatem, ab illo recederet, magno imbre in reliquo pluit campo, nulla super Prædicatorem aut AUDITORES gutta cadente. Finita concione, totam circumvicinam regionem conspexerunt abundanti aqua humefactam; aream vero et locum, ubi populi erat consessus, siccam absque ullo pluviæ indicio. *Non videmus, quomodo ista Waddingi narratio conciliari possit cum textu sancti Antonini, qui diserte asserit, nullam aquæ guttam super prædicatorem aut ejus pulpitum cecidisse,* quamvis popolus multum esset madefactus. *Cautior in hac re fuit Marcus Ulyssiponensis, qui in Chronicis Fratrum Minorum idem miraculum Lusitanice narrans, part. 2 lib. 8, cap. 3, apud nos fol., 199 tantum dicit, nullam aquæ guttam super* B. Joannem *aut suggestum illius cecidisse, quod cum populus videret pro magno miraculo habuit. Nullum hic verbum de auditoribus ab* E *imbre intactis, etiamsi interpretes hujus Lusitani scriptoris, tum D. Horatius Diola Italus, tum F. Joannes Blancone Gallus, cum Waddingo perperam affirment, etiam ne vel minimam copiosæ pluviæ guttam super auditores cecidisse.*

AUCTORE G. C.

aliorumque recentiorum scriptorum

22 *Forsan Carmignani contigit id miraculum illo modo, quo posteriores hi auctores istud narrant, quandoquidem Petrus Rodulphius Tossinianensis lib. 2 Historiarum Seraphicæ Religionis fol. 261 simile quid tradit his verbis :* Fertur, quod dum prædicaret eo in (loco *nimirum oppido Carmignano, de quo ibidem agit)* beatus Joannes de Alverna, pluvia descendens universam terram irrigavit, suggesto intacto et loco, ubi Vir sanctus concionem habebat ad populum. *Alia occasione Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1299 num. 35 laudatum proxime Petrum Rodulphium in margine citans, idem prodigium Carmignanense nonnihil auget his verbis :* Illud item in hoc loco memorabile, quod, dum prædicaret ibidem beatus Joannes de Alverna, magna pluvia universam circumcirca terram irrigante, non madefieret vel una guttula suggestum sub Dio positum, nec terræ spatium, in quo auditores circumstabat *(legendum arbitror)* circumstabant. F *Hoc loquendi modo Waddingus innuit, nullam quoque pluviam decidisse in illum locum, in quo populus circumstabat et* B. Joannem *concionantem audiebat, etiamsi Rodulphius illam miraculi circumstantiam ibi nullo verbo indicaverit.*

conciliari non potest.

23 *Sane Waddingum ita intellexit laudatus paragrapho præcedente Benignus Fremaut, qui in Actis Flandricis* B. Joannis *prodigium Florentinum et Carmignanense simul commemorans, tomo mensis Augusti pag. 129 confidenter scribit, auditores utrobique mirabiliter ab imbre intactos mansisse. Sed hic scriptor Belga Waddingum errantem secutus est, et in narratione miraculi Florentini contradicit sancto Antonino, qui tamen traditionem Florentinam in hac re melius novisse potuit, cum ipsam ecclesiam Florentinam per aliquot annos gubernarit. Ut itaque auctoritatem sancti Antonini tueamur, et narrationem Petri Rodulphii non rejiciamus, dicendum erit simile miraculum bis evenisse, ita tamen ut Florentiæ nulla pluviæ gutta attigerit beatum Prædicatorem aut ejus suggestum,* quamvis popolus multum esset madefactus, *et Carmignani præterea auditores*

AUCTORE G. C.

res ab imbre servati fuerint, et quosdam auctores recentiores hanc Carmignanensis prodigii circumstantiam perperam miraculo Florentino adscripsisse.

Præter discrepantiam inter Pisanum et vetera Acta nostra,

24 *Etiam nonnulla discrepantia occurrit inter scriptorem synochronum Actorum et Bartholomæum Pisanum circa quoddam* B. Joannis *jamjam morituri responsum, quod auctor prioris Vitæ apud nos infra num. 48 sic exponit :* Tandem cum fuisset in se ipsum reversus, Frater quidam sibi familiaris ei adhærens humiliter dixit: Eia, Frater Joannes, rogo vos, quod mihi dicatis, quid vos vidistis; ego vellem libenter scire. Tunc ipse respondit dicens : Nolo tibi dicere, quid viderim. Sufficit tibi scire ea, quæ tibi dixi. *Verum Bartholomæus Pisanus in jam sæpe citata Actorum synopsi hanc rem ita narrat :* Sed ad mortem veniens, primo faciem terribilem ostendit, ita quod omnes adstantes timuerunt valde; sed illico serenatus angelica facie in Fratres respexit, et cum a Fratre Joanne de Septimo de Pisis, qui aderat, interrogatus esset, quid vidisset, respondit : Si dicerem, quid viderim, vos nos intelligeretis me. B Sed unum scitote, quod, qui vult æternam adipisci salutem, soli Christo crucifixo ardenter inhæreat cum effectu. Et his dictis, perrexit ad Dominum. *Forsan inter veteres et recentiores Actorum scriptores occurrunt aliæ minoris momenti differentiæ, quas operose examinandas non suscipimus, cum plerumque majorem fidem antiquioribus auctoribus adhibeamus.*

ex diplomate Henrici VII imperatoris

25 *Cum in monumentis coævis aut subæqualibus nusquam legamus,* B. Joannem *unquam præfuisse Fratribus Minoribus montis Alverni, aut ibidem Guardiani munere functum esse, nobis certo non constat, ad hunc ipsum spectare diploma Henrici VII imperatoris ; quod apud Petrum Rodulphium Tossinianensem lib. 1 Historiarum Seraphicæ Religionis fol. 110 sic refertur :* Henricus Dei gratia Romanus * imperator semper augustus, nobilibus viris et universis vicariis civitatis et districtus Aretii, ac Comitibus de Casentino, de Ubertinis, de Valenzano, Tolla, Bagnena, et de Clusio, cæterisque Romani imperii fidelibus, præsentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Cum nos Religiosos viros Joannem Guardianum, et Fratres Minorum Ordinis C domus sacri loci montis Alvernæ, devotos nostros dilectos, et in protectionem nostram, et imperii specialem, duxerimus assumendos; fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eosdem Guardianum et Fratres loci prædicti, nobis commissos habentes, ipsos in personis et rebus suis auctoritate nostra efficaciter defendatis, non permittentes, ipsis a quocunque molestiam aut injuriam aliquam irrogari, sic ut * indignationem et pœnam arbitrio nostro inferendam volueritis evitare præsentium testimonio litterarum. Datum in castris ante Castrum Montis Varchii XVII Cal. Octob. anno Domini MCCCXII, Regni nostri anno IV, imperii vero primo.

* *al.* Romanorum

* *al.* si et

quidam auctores neoterici asserunt,

26 *Laudatus Rodulphius ex hoc solo diplomate asseveranter concludit,* B. Joannem *nostrum fuisse Guardianum Montis Alverni, dum folio proxime citato ante idem diploma sic præfatur :* Quare ob singularem vitæ sanctitatem omnibus charus fuit, et præsertim Henrico septimo imperatori, qui scripsit pro eo, dum esset Guardianus Montis Alvernæ, litteras, quarum hic est tenor. *Abraham Bzovius ex Ordine Prædicatorum secutus est Rodulphium, et eodem fundamento nititur, quando in Annalibus ecclesiasticis ad annum* D *Christi 1322 num. 31 jam relato diplomati præfigit sequentia :* Propter singularem vitæ sanctitatem omnibus, et inter hos Henrico VII imperatori carus fuit, qui etiam pro eo tempore, cum Guardiani officio Joannes in Monte Alverniæ fungeretur, eas, quas subjungo, litteras in gratiam illius dedit.

Beatum nostrum in monte Alverno fuisse Guardianum,

27 *Et si Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1311 num. 4 asserat,* B. Joannem *in Monte Alverno cum imperatore Henrico egisse, tamen expresse non affirmat, illum tunc ibi fuisse Guardianum, ut liquet ex sequentibus istius scriptoris verbis, quæ eidem imperatoris diplomati ibidem ita præmittit :* Cæterum Henricus, non hoc, sed sequenti anno Romæ coronatus, Tybur abiit, hinc Aretium; Aretio in agrum Florentinum divertens, et Etruscos sibi haud obsequentes armis divexans, ascendit montem Alvernæ, ubi per aliquot dies magna animi consolatione commoratus, et pio de salute animæ suæ cum beato Joanne Firmano inito colloquio, profusa manu Fratribus necessaria quæque jussit E ministrari; deinde e monte descendens in vallem Arni, e castro montis Varchii hoc eis privilegium transmisit.

quod tamen ex diplomate illo evidenter concludi non potest.

28 *Candidus Chalippe, eruditus scriptor Gallus ex Ordine Minorum, post Vitam S. Francisci, quam Parisiis anno 1728 Gallice edidit, in Historia peculiari de sacris Sancti stigmatibus pag. 552 et sequente idem Henrici imperatoris diploma in linguam Gallicam transtulit, et ante istud asserit, tunc* B. Joannem *in monte Alverno Guardianum fuisse ; sed nullos hujus monasticæ dignitatis testes allegat, præter Waddingum, qui tamen loco ibidem citato nullam de illo* B. Joannis *nostri officio mentionem facit. Hic scriptor Gallus, aliique supra relati videntur istud munus* B. Joanni *nostro tribuere, eo quod in memorato diplomate Guardianus illius temporis Joannes vocetur. At ea appellatio assertionem eorum non satis invicte probat : jam enim supra ex Bartholomæo Pisano retulimus, in monte Alverno alterum Joannem* B. Joanni *nostro moriendi adstitisse. Potuit igitur ante aliquot annos Joannes ille, aut alius ejusdem nominis in monte Alverno fuisse Guardianus, cum prænomen Joannis haud* F *dubie pluribus Fratribus commune esset. Si quis tamen ex antiquis documentis ostendat, Beatum nostrum in monte Alverno unquam munere Guardiani functum esse, conjecturam illorum recentiorum libenter approbamus.*

Dicitur quoque Beatus iste composuisse Præfationem de S. Francisco.

29 *Dicitur etiam* B. Joannes *composuisse Præfationem propriam, quæ canitur in Missa S. Francisci, ut Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1322 num. 48 testatur bis verbis :* Composuit hic Vir sanctus Præfationem illam, quam in Missa sancti Francisci recitant Minores, QUI VENERANDUM PROFESSOREM * FAMULUM TUUM ETC. : eamque ipse in Missis votivis dicebat, sicuti nunc moris est per universam sodalitatem. *Hanc Waddingi assertionem confirmat Mathias Grouwels, qui in Historia critica sacræ indulgentiæ de Portiuncula part. 2 cap. 5 ad § 4 annotavit sequentia :* Joannes Avernicola (alias Firmanus) sic appellatus propter diuturnum incolatum in Sacro Monte Alvernæ, ubi sanctissime vixit, ut patet ex Haroldo, Waddingo, aliisque, ad annum MCCCXXII, quo mortuus est in ipsa solemnitate sancti Laurentii martyris, cui erat devotissimus; cum quo, uti et cum sancto patre Francisco, aliquando dulcia colloquia miscebat,

* *lege* confessorem

A scebat, ut socii ejus testantur. In quibus colloquiis, cum magnum illud mysterium impressionis sacrorum stigmatum in corpore sancti patris nostri Francisci ab eodem Patriarcha sibi apparente, voce, visu, tactuque didicisset, composuit solemnem illam Missæ ejusdem Sancti propriam Præfationem : « Qui venerandum confessorem, famulum tuum, beatum Franciscum, tua Deus altissima bonitate et clementia Sanctorum tuorum meritis et virtutibus sublimasti, mentemque ipsius Spiritus sancti operatione amor ille Seraphicus ardentissime incendit interius, ejusque corpus sacris stigmatibus insignivit exterius signo crucifixi Jesu Christi Domini nostri. » *Quamvis antiqua Acta nostra de compositione istius Præfationis non meminerint, quia tamen in illis scriptor synchronus testatur, S. Franciscum, jam cœlo receptum et sacris stigmatibus insignitum,* B. Joanni *Firmano apparuisse, illam Seraphici Ordinis traditionem de auctore memoratæ Præfationis haud difficulter admittimus.*

B *et dedisse testimonium de indulgentia Portiunculæ.* 30 *Præterea apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum Christi 1277 num. 20 traditur* B. Joannes *Alvernicola de indulgentia Portiunculæ perhibuisse sequens testimonium :* Ego in verbo veritatis assero, me audivisse ab optimis viris ac probatissimis sancti patris nostri Francisci sociis, fide utique dignis, quod ipsi acceperint a Fratre Masseo, intimo socio ejusdem Patris, viro sanctissimo et probato in omni sanctitate et veritate, seriem et relationem obtentæ indulgentiæ Portiunculæ, qui dixit eis, se fuisse cum sancto Francisco, quando eamdem indulgentiam, a Domino datam, Pontifex confirmavit. *Authenticam hujus testimonii fidem relinquimus penes Marianum Florentinum, quem solum Waddingus allegat, et qui ab aliquibus ante medium seculi decimi quinti atque ab aliis seculo sequente floruisse dicitur. Sit genuinum istud* B. Joannis *testimonium, necne, parvi refert, cum indulgentia Portiunculæ certioribus et antiquioribus instrumentiis fulciatur, ut inter alios illius vindices laudatus Mathias Grouwels in Opere proxime citato non ita pridem erudite demonstravit. Nunc tantum restat, ut vetera Acta ex Mss. nostris fideliter exhibeamus, et consuetis observatio-* C *nibus seu annotatis illustremus.*

ACTA

Auctore anonymo coævo.

Ex veteri codice Ms. membranco, qui servatur Florentiæ in bibliotheca Conventus sanctæ Crucis pluteo XXVI *a dextris.*

PROLOGUS.

Auctor de variis Beati virtutibus præfatur, a

In sacro loco, qui dicitur Mons Alvernæ *a*, in quo beatus Franciscus Ordinis Fratrum Minorum institutor et dux, recepit sacra signa nostræ redemptionis, in visione Seraphica carni suæ a Christo miraculose impressa, longo tempore deguit Vir quidam venerabilis, Joannes nomine, qui de Marchia Anconitana *b*, civitate Firmana *c*, exstitit oriundus; cujus vita quantum Deo fuerit accepta, luculenter apparet primo ex amore altissimæ paupertatis, quam super omnia temporalia visus est diligere, velut evangelicam margaritam; secundo ex rigore asperrimæ pœnitentiæ, qua carnem suam domare voluit, cujus ignem concupiscentiæ adeo divina gratia in eo propter ipsam pœnitentiam voluit consopire, ut etiam primum concupiscentiæ motum nullatenus videretur habere; tertio ex caritatis fervore, quo ita fuit accensus, ut propter secularium et Religiosorum consolationem civitates circuiret et castra, qua caritate a Deo meruit, cum esset primo illiteratus et simplex, totam Scripturæ sacræ intelligentiam possidere, ut non solum communes populi, quibus non solum in famosis civitatibus per totam Quadragesimam continue prædicavit, propter ea, quæ procedebant de ore ejus, ad pœnitentiam converterentur, sed etiam Cardinales, multis quorum familiaris erat, et magni ecclesiarum prælati, ac sacræ theologiæ doctores, coram quibus de Scripturis frequentissime loquebatur, et quibus frequenter enodabat dubia quæstionum, summe ædificarentur, et magnopere mirarentur. E

Ex MS. b c

et opusculi sui rationem reddit. 2 Quarto ex divinæ contemplationis dulcedine, qua ita fuit repletus, ut non solum frequenter, sicut occulta * fide percepimus, raperetur in Deum, verum et mirabilibus Christi, et suæ sanctissimæ Matris, ac sanctorum Angelorum visionibus frequentissime frueretur; quinto ex suo fine laudabili, quo ita miraculose migravit a seculo, ut credamus eum subito ad paradisi gloriam evolasse, sicut post mortem suam cuidam Fratri sibi familiari, qui ista scripsit, fuit in quadam visione ostensum. Hujus omnia gesta ego non novi; sed pauca, quæ narro, vel ab ejus ore percepi, licet cum magno conatu et sub secreto, dum viveret, vel a personis multum fide dignis audivi, vel ego a me ipso perspexi *d*. Placeat autem omnibus, qui suerunt sibi magis familiares et in divino officio obsequentes, ista corrigere, et alia addere, secundum quod eis videbitur convenire *e*.

* *forsan* oculata

d

e

F

ANNOTATA.

a *Passim notus est hic mons Italiæ situs in Tuscia intra agrum Florentinum.*

b *Marchia Anconitana est ampla provincia Italiæ et ditionis Ecclesiæ, sic dicta ab Ancona, olim ejus urbe primaria, et maximam antiqui Piceni partem situ suo complectitur.*

c *Firmum, indigenis vernacule* Fermo, *urbs Marchiæ Anconitanæ distans tribus milliaribus ab ora maris Andriatici, quæ ad Archiepiscopalem dignitatem evecta fuit a Sixto V Pontifice, qui antea illius episcopus fuerat.*

d *Ex his patet, scriptorem horum Actorum fuisse Beato synchronum, et in multis rebus, quas narrat, testem oculatum, ut in Commentario prævio num. 6 observavimus.*

e *Ex hac ultima periodo in Commentario prævio num. 10 collegimus, plures ei fuisse familiares, qui alia ejusdem Beati Acta conscribere potuerint.*

CA-

Ex ms.

CAPUT I.

Pia Beati pueritia, commoratio inter Canonicos Regulares, transitus ad Ordinem Minorum, et in eo varia pietatis exercitia.

Puer tenerrime affectus erga Christum crucifixum,

Vir iste sanctissimus, dum adhuc esset puerulus quasi annorum septem, et in quadam ecclesia, puerorum more, litteras disceret, contigit, ut quadam die intenderet fixis oculis in dominicam crucem; in qua visione, licet esset puerulus, tamen spiritum compassionnis et devotionis accepit, ut non posset exterius a lacrymis continere; sed quoties imago sanctissima Crucifixi veniebat in mentem, adeo lacrymis irrigabatur, quod a matre et aliis dominabus sibi consanguineis, et vicinis dementatus penitus judicaretur : non B
enim poterant cogitare (quia res erat insolita) quod lacrymæ illæ essent devotionis, sed potius cerebri revolutionis. Imo quod plus erat, dum de nocte dormiret, etiam somniando plangere videbatur : si autem subito excitabatur, et Domini crux suæ memoriæ occurrebat, in tanta copia lacrymas emittebat, quod cervical, quasi esset madefactum aqua, cunctis evidentissime apparebat.

variis modis carnem suam affligit,

4 Ex tunc cœpit se subtrahere a consortio puerorum, et omnem ludum abhorens, pœnitentiæ et orationi vacabat. Et quia in domo propria ista facere non permittebatur, fugiebat aspectum hominum, et extra civitatem vadens ad quamdam vineam patris sui, ibi orationi vacabat, et carnem propriam, delicatam et teneram, miro et stupendo modo supra ætatem illius temporis affligebat : sed quia adhuc non habebat usum orationis mentalis, occupabat se ipsum in oratione vocali, dicendo toties orationem Dominicam cum Ave Maria, et toties in die flectendo genua, quod frequenter fuit inventus a matre cum genubus sanguine rubricatis : non enim flectebat ge-
C nua in prato vel herba, quia erant nimis, ut sibi videbatur, delicata; sed in terra revoluta et elaborata, sicut esse in vineis consuevit. Ibi etiam volens carnem affligere, accipiebat urticas et sentes, et in terra extendens, et quasi etiam coopertorium ex eis faciens, nudum inter ipsas se ad jacendum ponebat. Volens etiam carnem propriam continue pungere, ne in posterum pungeretur a carne, industria puerili et sancta cum chordulis contexebat urticas, et quasi camisiam *a* ad carnem induens, desuper camisia linea et aliis vestibus utebatur. Hæc infra triennium frequenter peracta, signa fuerunt futuræ in eo perfectionis et virgineæ puritatis.

et amplectitur institutum Canonicorum Regularium,

5 Videntes autem parentes ejus, mentem ipsius a vanitate mundi totaliter elongatam, cogitantes, quod nihil deberet valere in seculo, consenserunt, quod in Religione deberet servire Deo, providentes eidem de illa Religione, in qua magis delicate posset vivere, et plus bonis temporalibus abundare. Cum igitur ad annorum decem pervenisset ætatem, in quodam monasterio Ordinis S. Augustini *b* factus est Canonicus Regularis : qui cum Religionis habitum assumpsisset, proficiens de virtute in virtutem, orationis et carnis macerationis sanctum studium semper habebat D
amicum, propter quod tantum cœpit cunctis Canonicis esse carus, quod a Priore suo fuit super alios juvenes, in eodem monasterio existentes, meliori lecto honoratus, et camera *c* clausa et a dormitorio sequestrata locatus. Quem honorem ideo libenter accepit, quod erat sibi [occasio] tam dilectæ solitudinis, et materia exercendæ virtutis : nam, cum primo omnes præcederet ad Horas canonicas et orationes communes, extunc, ex quo solum in camera se videbat, adeo erat in oratione pernoctans, quod frequenter noctes ducebat insomnes, abhorrens lecti mollitiem, et carnem propriam amabili abstinentia et mirabili maceratione castigans : cogitavit namque talem abstinentiam facere, qua se redderet Deo amabilem, cunctis comem, et nulli singularem et gravem; et ideo per totam septimanam in cibo et potu conformabat se cunctis, comedendo carnes et bibendo vinum; solum abstinens a quantitate : nam comedebat cum tanto temperamento et bibebat, quod semper famelicus et sitibundus a mensa surgebat. Sexta autem feria, qua abstinebat a qualitate, panem tantum comedens et aquam bi- E
bens, rigorem quantitatis abstinentiæ relaxabat, concedens corpori de pane quantum desiderabat, et de aqua quantum volebat : ex quo sequebatur, ut ipse dixit, quod corpus, per totam septimanam in delicatis cibariis refrænatum, sextam feriam, in qua libere sibi licebat juxta necessitatem suam panem comedere et aquam bibere, quasi delicias expectabat.

in quo sancte vivens

6 De vestitu autem quid dicam? Licet exterius, sicut cæteri Canonici, honestis pannis et delicatis quodammodo vestiretur, cogitavit tamen, si posset pro camisia linea loricam portare ad carnes. Ignorabat tamen, quia undecim annorum erat puer, quomodo id valeret perficere. Dum tamen id quotidie in mente revolveret, contigit, ut quadam die sub quodam lecto loricam veterem inveniret; quam cum invenisset, ad cameram suam portavit, et induit; videns autem, quod corpori suo non conveniebat, quia propter nimiam loricæ longitudinem, ipsam sub pannis communibus abscondere non valebat, volens ipsam decurtare, quia intra cameram suam sine strepitu non potuisset hoc facere, ascendit ecclesiæ campanile, et accepta securi, adjutus spiritus Dei, F
detruncavit loricam; et staturæ sui corporis adaptavit, quam per duos annos pro majori parte temporis portavit; et portasset continue, si possibilitas adfuisset : caro enim puerilis et tenera adeo tali pondere premebatur, ut, sicut ipse dixit, quemadmodum sigillum signum relinquit in cera, ita loricæ signa suæ tenere carni frequenter vidit impressa. Cum autem die quadam fuisset a Canonicis hoc compertum, necesse habuit tantam austeritatem dimittere, et se cæteris conformare.

ad strictiorem Ordinem Minorum transire statuit.

7 Audiens autem frequenter sibi dici : Tu esses bonus Frater Minor; et cogitans, ut audierat, quod in Ordine Fratrum Minorum nullus retrahebatur a quacunque pœnitentiæ austeritate; sed potius adjuvabatur et promovebatur ad illam, et sibi solitudinis conferebantur solatia, non motus puerili sensu, sed prævia oratione et Dei spiritu, disposuit de virtute in virtutem, et de Religione perfecta ad perfectiorem et sanctiorem ascendere : sed quia id per se ipsum procurare non poterat, quia de tali habebatur suspectus, et præ nimio amore, quem ad ipsum habebant, a Canonicis custodiebatur, ne cum Fratribus haberet collo-

A colloquium, per quemdam parasitum *d*, qui deserviebat coquinæ, quem brodarium *e* appellabant, Custodi et Guardiano Fratrum Minorum frequenter preces et litteras dirigebat; qui cum post probatam et perspectam ejus constantiam de consilio et consensu F. Joannis de Murro, qui postea exstitit dominus Portuensis *f*, præbuisset assensum, ipse quodam mane, facto sibi signo sanctæ crucis, et oratione præmissa, divina gratia ipsum deducente, cum esset annorum XIII, pervenit ad locum: quem cum Fratres cum ingenti gaudio suscepissent, ei suæ habitum Religionis imposuerunt, admirantes pueri pulchritudinem et fervorem.

in quem receptus,

8 Factus igitur Frater Minor, toto novitiatus tempore in vestitu et victu se cæteris conformavit, retinens intra se ipsum et occultans propositum eorum, quæ facere intendebat. Completo autem anno probationis, receptus ad obedientiam, ipso volente et consentiente, fuit missus ad loca solitudinis, in quibus tantæ humilitati se dedit, ut ipse solus videretur, adhuc adolescens, totius pondus portare loci. Ruminabat enim frequenter
B illud verbum, quod dixit Dominus per Hieremiam: Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Et ideo frequentissime in eodem loco serviebat de * toto, faciens coquinam, parans mensam, et in ipsa serviens Fratribus, respondens ad portam, aliquibus antiquis Fratribus, qui in ipsis locellis erant, tunicas lavans, sacristiam custodiens, et in ecclesia faciens cantoriam, et aliquando in horto laborans. Et tamen cum tot laboribus et occupationibus insudaret, spiritum sanctæ orationis non exstinguebat; sed in meridie et de nocte in oratione pernoctans, mirabiliter recipiebat a Domino consolationes et gratias.

* *forsan* die

et paupertatem S. Francisci imitatus.

9 Quando autem erat in magnis Conventibus, totaliter se dedicabat obsequio infirmorum. Legens autem et studens Legendam beati Francisci; quia semel Fratribus quærentibus, quæ virtus redderet hominem magis propinquum Deo et elongatum a mundo, responderat: Paupertatem noveritis Fratres esse totius spiritualis ædificii primarium fundamentum, tanquam humilitatis fomentum, volens conservare et nutrire conceptam
C et inchoatam humilitatem, cœpit sanctissimæ paupertatis præfati Patris esse perfectissimus imitator: extunc enim usque ad finem vitæ nihil aliud ad usum habere voluit, nisi solam tunicam habitualem, chordam, et femoralia, et parvum Breviarium, cum quo dicebat Officium quando stabat in cella reclusus, et quando discurrebat per mundum, excepto quod circa finem habuit parvulum tunicellum, quem infra habitum portabat propter quamdam, quæ supervenerat, infirmitatem.

se totum rigori,

10 Ista paupertas sancta, quæ hominem conjungit Christo, et alienat a mundo, ut aliquando dixit, et quilibet nostrum perpendere potuit, duo excellentissima bona sibi contulit; videlicet corporis * fortitudinem, et mentis altitudinem. Erat discalceatus et seminudus, ad ambulandum per loca nemorosa et aspera, nivibus plena, robustus et fortis: nam nec jejunium, nec frigus videbatur timere, sanctæ paupertatis dulcore. Semel namque, dum ipse in die præcedenti jejunasset cum Fratribus, sequenti vero cum aliquibus Fratribus deberet facere longam viam, ipse hora sexta cum sociis, qui jam manducaverant, ipsa die jejunus existens in via se posuit, et perambulantibus tota die per loca montuosa, et aspersa glacie, et nivibus plena, ipsi socii, qui jam manducaverant et bene induti erant, præ frigore et lassitudine quodammodo defecerunt, ipso discalceato et nudo atque jejuno in suo vigore perdurante, qui semper eos antecedebat, et viriliter confortabat, cum tamen magis, quam aliquis eorum, videretur delicatus et tener. Nec hoc semel accidit; sed pluries, sicut bene sciunt hi, qui aliquando secum ibant.

* *forte* cordis

Ex MS.

ac variis pœnitentiæ operibus addicit,

11 De mentis altitudine quid dicam? Semper corde et facie videbatur ad superiora erectus, et frequenter, ut apparebat, ambulans et residens, videbatur in cœlum intentus, et a mundo penitus alienus: dum enim una die iret per loca nemorosa et aspera, et, ut solitus erat, ambularet velociter, oculis elevatis in cœlum, frequenter in ligna et lapides nudis pedibus impingebat; ex quo in pedibus ejus dolor non modicus causabatur, et sanguis de pedibus ejus aliquando effluebat. Cum autem moneretur a socio, et sibi *g* ab eo familiariter diceretur, Frater Joannes, respiciatis ad pedes vestros, respondit dicens: Non debemus, Frater, ut caveamus pedum læsionem, deserere mentem. Cum igitur esset in tantum sanctæ paupertatis amicus, ex hoc apparet, quod in E ipsa erat Deo gratus, quia humilitatem, quæ paupertate nutritur, gerebat in corde; quod liquido comprehendebatur ex hoc, quia neminem judicabat, et de nemine murmurabat.

aliasque religiosas virtutes exercet.

12 Fateor coram Deo et sanctis Angelis ejus, quod nunquam vidi spiritualem virum, de Ecclesiæ prælatis et Religiosis minus murmurantem, et eos minus judicantem, cum tamen esset sapiens et bene oculatus. Imo aliquos Religiosos, qui superbe se erexerant ad alios judicandum, qui paupertatem ostendebant se diligere, quia volebant sine jugo obedientiæ et in libertate vivere, magno detestabatur horrore. Et tunc temporis, quando insurrexit illa pessima pestis *h*, me recolo istud virtuosissimum verbum ab eo coram multis Fratribus audivisse, quia non solum mihi loquebatur, sed multis Fratribus, dicens eis: Quando veni ad Ordinem, hanc gratiam contulit mihi Deus, quod in omnibus et de omnibus, quæ videbam in Ordine, laudabam ipsum. Si videbam magnam ecclesiam et pulchram, et magnas domos, ut..... dormitorium et refectorium, et infirmariam, in omnibus Deum laudabam. F Si videbam, Fratres abundare in tunicis et libris et aliis divinæ misericordiæ eleemosynis, in omnibus Deum laudabam, et sibi gratias referebam, et ex hoc semper in mente mea vivebam quietus, quia de quocunque bono, quod videbam in quocunque Religioso et prælato, et alio homine seculari, mihi videbatur, quod esset dignus, et quia pro meliori hæc omnia contulerat sibi Deus: et ista meditatio erat mihi materia servandi silentium, et de nullo penitus obloquendi. Et postea subdidit, loquens juvenibus: Filii, non venistis alios judicare, sed mentem vestram Deo offerre, et in omnibus et de omnibus, quæ nobis contulit, ipsum laudare; et quanto est major locus et ecclesia, major debet esse laus vestra. Ex hoc apparet, quia Christi servus erat in humilitate fundatus. Si quando autem in prædicationibus prælatorum et Religiosorum redarguebat vitia, non faciebat hoc ex superbia, sed quia illud materia exigebat.

ANNOTATA.

a Camisia *hic pro indusio usurpatur, ut ex sensu apparet.*

b *Bar-*

Ex MS.

b *Bartholomæus Pisanus, cujus Opus in Commentario Prævio sæpe assignavimus, in compendio Actorum narrat, quod Beatus noster fuerit* canonicus ecclesiæ majoris terræ suæ. *Sanctus vero Antoninus in alia Actorum synopsi distinctius dicit, quod Beatus noster in tenera ætate fuerit Canonicus* in Sancto Petro de Firmo. *Rodulphius in Historia Seraphicæ Religionis fol. 257 affirmat, quod Beatus fuerit* factus Canonicus Cathedralis ecclesiæ Firmi. *At Ughellus in editione Veneta Italiæ sacræ tom. II col. 681 asserit, ecclesiam cathedralem Firmanam Virgini Deiparæ dedicatam esse. Unde ignoro, quænam sit illa ecclesia major vel Sancti Petri, quam tamen verosimiliter eo tempore Canonici Regulares S. Augustini administrabant, nisi forte cathedralis ecclesia Virgini Deiparæ et sancto Petro dedicata fuerit.*

c Camera *ponitur pro cubiculo, ut passim notum est.*

d *Hic cum Cangio per* parasitum *intelligi puto famulum domesticum, qui de mensa domini sui victitat.*

B e *Forsan idem famulus vocabatur* brodarius, *a voce barbara* brodium, *Italice* brodo, *quæ significat jus carnium elixarum, quia verosimiliter famulus iste in culina curam habebat hujus jusculi coquendi.*

f *Teste Waddingo, is Joannes Minius de Murro electus est anno 1296 Minister generalis Ordinis Minorum, et anno 1302 ad dignitatem cathedræ Portuensis assumptus, Avenione anno 1312 e vivis excessit, ut Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo I col. 139 affirmat.*

g Sibi *pro* ei, *quæ phrasis etiam in aliis casibus hic sæpius recurrit, quod semel monuisse sufficiat.*

h *Scriptor his verbis indicat famosam illam controversiam de paupertate, de qua Waddingus in Annalibus Minorum tomo III sparsim consuli potest.*

CAPUT II.

C *Austera ejus pœnitentia fructuosæ prædicationes, et infusa sacræ Scripturæ intelligentia.*

Hic beatus Vir varias Quadragesimas

Sed videamus de suæ pœnitentiæ austeritate, quæ adeo fuit magna, quod nobis certam fidem dedit pœnitentia, quam audimus a beato Hilarione et beato Francisco fuisse factam. Ait enim doctor egregius Augustinus: Cum audivi aliquando aliqua, quæ mihi impossibilia viderentur, credidi, ea fieri potuisse, dum similia esse facta perspexi. Vir igitur iste devotus austeritatem pœnitentiæ assumpsit mirabilem, et, ut verbis utar Apostoli, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, in disciplinis et vigiliis quasi impossibilibus, et in aliis admirandis austeritatibus Domino deservivit: tempore namque, quo erat adolescens, et etiam quando ad provectam ætatem pervenerat, omnes Quadragesimas, videlicet Sancti Spiritus, beatæ Virginis, et Angelorum, in quibus se mirabiliter affligebat, vigilias Sanctorum et Ferias sextas etiam in pane et aqua solummodo jejunando, et semper cum parcitate mirabili comedendo, aliquando autem in abstinendo visus fuit excedere humanam possibilitatem. D

mira cibi parcitate transigebat,

14 In quadam namque Quadragesima cum tanto fervore abstinuit, quod omni die nihil penitus comedebat, nisi tot herbas, quot intra duos digitos manus suæ concludere poterat, absque sale, oleo, et aceto, nihil bibendo penitus, nisi aquam. Aliam fecit Quadragesimam, in qua nihil assumpsit qualibet die in cibum, nisi tantum de fabis aqua frigida madefactis, quantum capere poterat una manu, et concludere intra pugillum suum. Aliam fecit Quadragesimam in cella sua conclusus, in qua nihil comedit, nisi quadraginta sex panes hordeaceos, parvulos videlicet, qualibet die unum, nunquam gustando vinum. Aliam fecit Quadragesimam iterum in cella reclusus, in qua sportulam unam parvulam, pane bis cocto plenam, solummodo manducavit, non accipiendo qualibet die nisi simplicem passimatam *a*. Toto alio tempore, quando erat in Monte Alvernæ, sive in æstate, sive in hieme, non comedebat communiter nisi semel in die, videlicet in cœna, prius Fratribus legens in mensa, E nisi aliquando ad sociandum forenses *b*, cum quibus ex caritate comedebat de omnibus, et aliquando bis in die. Istam autem arctam pœnitentiam tunc dimisit, quando ad prædicationis officium assumptus fuit: extunc enim per mundum discurrens se cæteris conformabat.

et intenso frigore,

15 De frigore et nuditate quid dicam? Jam superius dixi, quod præter tunicam habitualem, quæ erat de grosso et rudi panno, et femoralia ad tuendum se a frigore, nihil habebat, excepto, quod quando in Monte manebat Alvernæ, mantellum habebat, sicut et cæteri. Semper etiam in hieme tempore juventutis suæ per vias difficillimas et periculosas propter præcipitia tempore magnarum nivium et obscuritatum nocturnarum de cella sua ad ecclesiam Fratrum per non modicæ viæ spatium descendebat ad Matutinum; quæ quidem via adeo frequenter propter glaciem erat lubrica, quod frequenter in ea pedem discalceatum figere non valens, sed impetu descendens, totus demergebatur in nivem; sicque nivibus aspersus in ecclesia Domino psallebat cum admiranda devotione spiritus, et semper lætus et erectus. Lectum F existens in Monte nunquam habuit alium, nisi super terram vel lapides habens tabulas, et super tabulas sistoria *c*, ursi corium album, et in his non jacens, sed communiter et ut plurimum semper sedens.

diuturnis vigiliis,

16 Disciplinas, quando erat juvenis, dabat sibi mirabiles, et adeo fortes, quod frequenter sanguinem effundebat. Noctes frequenter ducebat insomnes, continue in oratione persistens. Tales etiam quondam fecit vigilias, quod a multis vix potest credi, quod hæc austeritas vitæ potuerit ab homine tolerari. Sed si hujus austeritatis aliqui sunt increduli, recogitent illud verbum, quod dixit Apostolus Paulus in persona sui et aliorum Sanctorum virorum carnem suam crucifigentium cum vitiis et concupiscentiis; ait enim: Omnia ego possum in eo, qui me confortat. Iste namque Vir sanctus tribus annis continuis in tanta vigiliarum austeritate vitam duxit, quod nunquam nec vigilando nec dormiendo sedit vel jacuit; sed semper vigilando stabat erectus; et quando dormiebat, etiam non sedebat, sed vel murello * vel perticæ stabat appodiatus *. Solum intra istos tres annos eo tempore sedebat, quo in choro vel capitulo vel ad mensam cum Fratribus convivebat.

* *id est* parvo muro
* *id est* innixus.

17 Ista

A *exquibus morbum contraxit.* 17 Ista austeritas vigiliarum corpus ejus ad magnam imbecillitatem deduxerat, et quadam nocte, dum magnam sibi faceret violentiam, subito fuit confractus in renibus, sicut frequenter illi franguntur, qui supra possibilitatem suam de terra elevant magnum onus. Ipse vero profunda nocte videns corpus suum inutile factum pro obsequio Fratrum, et sentiens se totaliter dissipatum, sui misertus, eo modo, quo potuit, ivit ad ecclesiam, et Dominum Jesum Christum fuit deprecatus devote, quod pristinam sanitatem et fortitudinem sibi dignaretur conferre. Completa oratione cum lacrymis, fuit a Domino exauditus, et restitutus pristinæ sanitati; et tunc sibi fuit a Domino revelatum, quod tanta vigiliarum austeritas in eo Domino de cætero non placebat. Extunc, quantum decebat, corpori condescendit, dando sibi quietem pro loco et tempore.

aliisque corporis afflictationibus 18 Inaudito etiam pœnitentiæ et austeritatis fervore, tempore, quo noviter ad Ordinem venerat, nondum xv annorum existens, voluit ad carnem ferreum cinctum * portare, et ignorans, quomodo illud posset perficere, quia talis austeritas non erat in Ordine consueta, pueril et spirituali sensu cogitavit ire ad coquinam Fratrum, et accepit illud instrumentum ferreum, quo ignem aptamus, quod usitato vocabulo molles *d* vocamus, et ipsum primum ad rectitudinem reduxit, et postea, adjutus a Domini spiritu, sibi cinxit, et per illos scopulos *e*, quos molles in summitate consueverunt habere, unam extremitatem alteri sic immisit, ut circulus ipse ferreus circa corpus immobilis perduraret. Videns autem, quod sub circulo, quem jam per mensem portaverat, caro putrescebat, et venter ipso circulo adeo stringebatur, quod digerere non valebat ipsum admodum *; et, ut ipse nobis retulit, quando scopulos de loco insertionis eduxit, cum magno sonitu ferrum se a suo corpore separavit ad quamdam arcualem rectitudinem se reducens: ex quo perpendere possumus, quanta fuerit puerilis potentia in ferrum curvando, et quanta fuerit ferri violentia in tali circularitate, et tam stricta per mensem durando. Et extunc videns, quod circulum non valebat portare, chordam assumpsit nodosam valde rudem, quam ad carnem subtus habitualem tunicam, quam solam habebat, longo tempore portavit absconsam.

* id est cingulum

* forte propemodum

B *d*

C *carnem suam domabat.* 19 Legitur etiam de beato Joanne Chrysostomo et de beato Basilio, quod propter magnam pœnitentiam, quam simul consocii in monte Antiochiæ fecerunt, hanc gratiam, videlicet quod essent liberi a tentatione carnis, a Domino perceperunt. Non debet igitur cum aliquibus illa gratia, quam Deus sibi contulerat, et de qua ipse in se ipso divinam misericordiam collaudabat, incredibilis reputari, et pro impossibili haberi: frequenter enim multi audivimus dicentem, non se jactando, sed divinam potius misericordiam commendando, quod carnem suam spiritui, et sensualitatem rationi ita Deus subjecerat, quod etiam primum concupiscentiæ motum nullatenus sentiebat. Agat quilibet nostrum tam asperam pœnitentiam et tam duram, et forte a Domino similem recipiet gratiam. Magis autem ego mirarer, si post tam asperam pœnitentiam, a pueritia inchoatam, et sine interpositione tanto tempore continuatam, in suo corpore ignis concupiscentiæ vixisset accensus. Multos vidi, qui, quando hoc audiverunt, non crediderunt; et, ut arbitror, ideo non credebant, quia tantam pœnitentiam ipsum fecisse nondum audierant; vel, si audierant, non credebant, ideo erat, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Nec est ista gratia, quæ fuit in eo, adeo incredibilis, quod supra omnes homines fuisset admodum singularis: nam eam, ut legimus, divina gratia contulit multis Sanctis, utpote beato Francisco, et, ut ait beatus Gregorius in primo et secundo Dialogorum libro, beato Equitio et beato Benedicto, et aliis multis *f*. Cum ergo non sit abbreviata manus Domini, non debemus admirari, si hanc eamdem gratiam Deus concessit huic sancto Viro temporibus nostris. Ex MS.

Magno cum fructu verbum Dei prædicat, 20 Sicut autem Vir iste sanctus in corpore portavit crucis mortificationem, sic in corde accensus erat ignitæ caritatis fervore. Salutem Christianorum, et peccatorum conversionem desiderabat summopere, et propter hanc frequenter rigorem pœnitentiæ relaxavit, et ab altitudine contemplationis descendit. Frequenter de Monte descendebat Alvernæ, circuibat civitates et castra cum magna ædificatione cunctorum, et animarum profectu. Sed cum de isto discursu multis non esset gratus, quidam Frater sibi familiaris; faciens se de murmurantium numero, cœpit in facie sua murmurare de ipso. Tunc ipse patienter tolerans, quod dicebat, voluit sibi ostendere, quanti fructus erat discursus suus, et tunc dixit: Ecce modo infra xv dies a Ministro vocatus veni de Columbario *g* recta via usque ad talem Tusciæ civitatem, et tamen absque eo bono, pro quo vocatus fui, in ista via tot et tanta feci. Et tunc, non expressis nominibus personarum, cœpit enumerare, quot et quanta bona per eum Deus fuerat operatus de peccatorum conversione secreta, et de tribulatorum consolatione, et, quod plus est, de desperatorum liberatione. Et tunc intulit: Quid credis? Minister me vocavit pro talis domini pacificatione; sed ego sum certus, quod Dominus Jesus me fecit vocari pro ista majori et meliori suæ misericordiæ operatione. Et item addidit: Frequenter cogitavi velle in cella quiescere, et tamen Spiritus me impellit, et adeo me compellit exire, quod, si etiam catenis ferreis essem constrictus, sum certus, quod non possent me tenere. Ille autem audiens illa, quæ dixerat (quia tantum de negotio sibi retexerat, quantum licebat) quietus siluit. Et tunc iterum intulit: Istas murmurationes Deus permittit fieri pro bonorum exercitatione: sicut enim Apostolo Paulo datus fuit stimulus carnis, ne superbiret de magnitudine revelationum, ita viris justis datur stimulus linguarum, ne superbiant de virtutum operatione. E F

et habet infusam sacræ Scripturæ scientiam, 21 Propter hanc ferventissimam caritatem credimus, quod Deus sibi contulerit miram de sacra Scriptura intelligentiæ claritatem. Non est credendum, quod propter se ipsum Deus sibi contulerit tam mirificum donum; sed propter proximum, et ut ostenderet ipse Dominus, quod unctio est illa; quæ docet omnia, sicut in isto homine illitterato et simplici est ostensum: omnia namque, quæ sunt in Scriptura, secundum spiritualem intellectum et animæ salutiferum videbatur scire, et adeo se aliquando perfundebat, quod omnia in se videbatur sentire, imo videbatur vidisse. Iste homo nunquam Grammaticam didicerat, nunquam scholas theologiæ intraverat, hominem magistrum nunquam habuerat, libros scientiales in cella nunquam tenuerat pro studendo, nisi aliquando breviter in ipsis legeret pro quadam mentis recreatione; et tamen non sine admiratione vidimus eum subtiliter et spiritualiter secundum

 regulas

Ex MS. regulas Scripturarum singulos informare de virtutibus secundum gradum, quem in mundo tenebant, sive essent Religiosi cujuscunque Religionis, sive seculares in quocunque statu, utpote mercatores, et milites, medici et judices, sive essent prælati ecclesiarum vel clerici.

22 Tantam etiam auctoritatem sibi Dominus contulerat in loquendo, quod etiam Cardinalibus loquens cum magna reverentia ipsos informabat de eorum vita et moribus. Imperatorem etiam cum suis baronibus, qui adstabant, cum admirabili efficacia verbi vidimus informantem de regno cœlesti, et de magna fidelitate, quam habere debebat ad imperium summi Dei *h*. Vidimus etiam eum in cunctis famosis civitatibus Tusciæ per totam Quadragesimam prædicantem, et die Dominico bis in die, cum tamen non videremus eum de nocte legentem, sed solum orantem; et quanto plus prædicabat, tanto eum magis Dominus illuminabat : nam in anno illo, quo de hac vita migravit, cum in civitate Senensi, in qua sunt homines Religiosi et seculares multum intelligentes, Quadragesimali tempore prædicaret, adeo vivum verbum et subtilissimum habuit in ore suo semper continuando Evangelia, et secundum intellectum mysticum exponendo, quod adhuc confitentur multi, se in una Quadragesima nunquam prædicationes similes audivisse.

qua ipse aliaquin indoctus viros primarios

23 Vidimus etiam eum stantem in medio sacræ theologiæ doctorum, et ita Evangelica eloquia et Epistolarum Pauli subtiliter exponentem, imo et ad invicem concordantem, quod non modicum mirabantur : singularem namque gratiam de intelligendo epistolas Pauli contulerat sibi Deus. Non solum autem de exponendo Scripturas et de loquendo de Deo habebat a Domino gratiam, sed et de solvendo dubia quæstionum : quidam namque doctor sacræ theologiæ multum famosus dum semel sibi formasset quæstionem de Virginis sanctificatione, adeo respondit subtiliter et ad rem, quod ille doctor habuit dicere : Ista sit ergo opinio mea toto tempore, quo habeo vivere. Et ita habuit authenticum hujus Viri verbum, acsi de solutione quæstionis, divinæ vocis audivisset oraculum : ipse namque idem doctor hoc nobis postea referebat.

et doctissimos instruebat.

24 Aliquando ad instantiam Fratrum pro prædicatione sermones habere voluit; sed quando utebatur eis, vere perpendebamus, quod ibat per devia, et quod dicere nesciebat; imo totum aliquando oblivioni tradebat : et hoc erat, quia talium armorum non habebat usum. Quando vero convertebat se ad virgam et ad pastoralem peram, et ad quinque limpidissimos lapides, quos contemplabatur frequenter in torrente divinæ sapientiæ, et in sua mente videbatur reposuisse, tunc cor peccatoris videbatur percutere, et dicendo subtilia et stupenda, videbatur de inimico victoriam reportare. Antequam istam gratiam a Domino reciperet, ipse consueverat habere frequenter raptum et gratiam lacrymarum; sed post istam gratiam intelligentiæ videbatur duas illas gratias perdidisse, vel saltem non ita frequenter habere. Cui cum una dierum quidam sibi familiaris quasi improperando dixisset : Quid est Frater Joannes? Propter aliorum dilectionem videmini perdidisse vestram perfectionem. Cui ille respondit : Ego gratiam non perdidi ; sed solemniori modo mihi est gratia collata a Deo : nam ante gratia dominabatur mihi, quia vellem, nollem, frequentissime lacrymabar et rapiebar; sed modo ego dominor gratiæ, quia tunc habeo, quando volo *i*.

cessantibus interim ejus extasibus.

ANNOTATA.

a Passimæ *apud Matthæum Silvaticum sunt* tortellæ panis azymi bis coctæ, *ut Cangius in Glossario testatur.* Passimata *hic simile quid significat, et fortasse, mutatis quibusdam litteris, provenit a voce* paximatium, *quæ significat certam panis quantitatem, qua monachi in Ægypto vesci solebant, ut S. Joannes Cassianus narrat.*

b Forenses *id est hospites, qui foris veniebant.*

c *Propriam hujus vocis significationem hactenus invenire non potui. Attamen ex sensu suspicor, pro* sistoria *legendum esse* storia *ab Italica voce* stuora, *quam Latine appellamus stoream, in qua monachi cubabant, ut apud Cangium ad vocem* storia *vel* storium *videre est.*

d *Quod instrumentum apud Latinos dicitur* forceps, *ab Italis vernacule vocatur* molle ; *unde hic satis clara est auctoris explicatio.*

e *Non facile intelligo, quid scriptor sibi velit per* scopulos, *quos forceps in summitate habere solet, et quomodo illos connexuerit.*

f *Quæ hic de Sanctis auctor anonymus tradit, jam in Actis eorum discussa sunt, aut postmodum discutientur.*

g *Opinor, hoc loco indicari oppidum* Columbarum, *ditioni Senensi subjectum, quod vernacule ab Italis* Colombaio *appellatur, ut in Vita B. Joannis Columbini tomo VII Julii pag. 387 et sequente notavimus.*

h *Hinc quidem probabiliter concludimus,* B. Joannem *in monte Alverno locutum fuisse cum Henrico VII imperatore, ut in Commentario prævio num. 25 et sequentibus relatum est; sed inde nondum certo sequitur, eumdem Beatum tunc Conventus Guardianum fuisse, ut ibidem diximus.*

i *Non nimis crude id intelligendum est; sed sano sensu explicandum, ut patet ex Francisco Haroldo, qui in Epitome Annalium Ordinis Minorum ad annum Christi 1322 num. 8 responsionem illam exponit his verbis :* Permisit tamen Deus, ad majora servi sui merita, ut aliqui durius ferrent tam frequentes excursiones Viri, prius prorsus solitarii et abstracti ab omni hominum conversatione; inde etiam sui murmuris argumentum assumentes, quod Joannes, postquam activæ huic vitæ se dederat, non tam frequentes et continuas, uti prius, haberet ecstases. Sed illi in melius id donum commutatum fuit : nam cum prius raperetur aliquando cum nollet, nunc Dominus illi ob studium proximis inserviendi, plenum dominium in sacras illas affectiones et passiones concessit, ut nonnisi, ubi ipse vellet, insilirent.

CAPUT III.

Spiritus prophetiæ Beato datus, alta illius contemplatio, et appariones SS. Laurentii et Francisci eidem factæ.

Cum ista intelligentia Scripturarum non modicum etiam claruit spiritu prophetiæ, sive in secretorum revelatione, sive in futurorum prænuntiatione. Quidam namque Frater *a*, spiritu concepto nequitiæ, cogitaverat Religionem exire, et in tantum erat isto malo spiritu agitatus, quod

Beatus na dete

A quod quasi per diem non stetisset, quoad id, quod male conceperat agere, explevisset. Sed cui homo non dixit, Spiritus revelavit. Accessit Vir sanctus ad Fratrem; cœpit eum dulciter redarguere, et secreta cordis sui sibi ipsi apertissime revelare. Ille vero videns se comprehensum, erubuit, lacrymas fudit, et in bono, quod inceperat, usque ad finem adjutus divina gratia perduravit. Multa prædixit futura, quorum quædam jam videmus completa. Quid autem de cæteris sit futurum, novit ille, qui Viro sancto dedit spiritum suum. Ista, ut puto pro meliori, non sunt scribenda; sed, ut non sint cuiquam in scandalum, omittenda.

frequenter in sublimi contemplatione

26 Ad contemplationis altitudinem videbatur perfectissime ascendisse, et mentalis orationis gratiam semper videbatur habere: nam quando manebat in cella, semper in Deum videbatur absorptus; stans vero inter Fratres et seculares, quia frequentissime oculos elevabat ad cœlum, et orationi videbatur intentus, ex alto cordis dulcia emittens suspiria, et eructans præ suavitate spiritus verba melliflua. Frequenter eum audivimus profunda nocte de sua cella, a loco Fratrum non mo- B dicum remota, validissime clamantem, et cum altis suspiriis divinam misericordiam pro peccatoribus invocantem. Audivimus eum adeo voce altissima, et auditui humano inconsueta dicendo, O rex gloriæ, cum Deo loquentem, quod pavor et membrorum stupor, qui præsentes invasit, testis fuit divinæ præsentiæ majestatis, qui cum ipso quasi cum servo suo et dilecto filio loquebatur. Frequenter a multis in cella orans, inventus est raptus, et quasi claustra corporis transisset, homini, de talibus non experto, mortuus videbatur.

extra se rapitur.

27 Hanc gratiam valde juvenis meruit habere a Domino, et adeo erat puer et juvenis, quod aliquibus videbatur illa gratia incredibilis. Quadam autem vice dum a quodam suo spirituali patre raptus fuisset inventus, licet ipse esset credulus, tamen ad videndum vocavit incredulos, et coram eis manui Viri sancti ignem apposuit, quam etsi ignis multum ulcerose combussit, Vir tamen sanctus pro tunc penitus nihil sensit; sed in se reversus præ nimio dolore magnos clamores emisit, et diu stetit, quod curari non valuit: et licet postea fuerit perfecte curatus, cicatrix tamen combustionis C in ejus manu semper nobis visibilis apparebat. In ipsa autem oratione et contemplatione persistens, scimus eum et certa fide tenemus, Sanctorum visiones et consolationes mirabiles habuisse, sicut uni sibi familiari retulit, ab eo nimia infestatione coactus, semper sub sua fide et sigillo secreti exigendo ab eo, quod nunquam, dum viveret, alicui homini aperiret. Perpendit autem sensibiliter ille sibi familiaris, quod de multis pauca dixerat, majora et altiora sibi penitus reservando. Et quia credulis ad devotionem ista credo proficere, non omnia, quæ novi, sed aliqua subscribere cogitavi, non per ordinem, ut ipse habuit, sed prout occurrunt menti *b*.

videt S. Laurentium

28 Quodam namque tempore dum Vir iste sanctissimus beato Laurentio multum esset devotus, superveniente festo præfati Martyris, ipse in primis Vesperis stabat in choro cum Fratribus ad psallendum. Cum autem perventum fuisset ad illum psalmum, cum quo cantatur Antiphona ADHÆSIT ANIMA MEA POST TE, QUIA CARO MEA IGNE CREMATA EST PRO TE, DEUS MEUS; vidit in medio chori ante altare carbones igneos, et craticulam eis superpositam, atque beatum Laurentium nudum in ea exustum, angelico vultu oculos dirigentem ad ipsum: ad cujus intuitum ipse in Deum, cunctis videntibus Fratribus, qui aderant, fuit raptus. Non tamen Fratres sciebant causam, nec percipiebant visionem. Mansit autem sic raptus usque ad Completorii horam. Hora vero Completorii rediens ad se ipsum, Officium divinum cum cæteris Fratribus in choro cantavit. Ex MS

cum instrumento martyrii,

29 Post Completorium vero ante altare Conventus per longum temporis spatium in oratione pernoctans, dum passionem præfati Martyris mente revolveret, subito vidit beatum Laurentium versis renibus ad altare eo modo, quo stat sacerdos conversus ad populum, stantem rubea indutum dalmatica, in manu sinistra ad modum scuti cratem tenentem, et luminoso vultu in se respicientem; quem cum Vir iste sanctus respiceret, et bene cognosceret, jucundabatur in corde. Sic steterunt per aliquod temporis spatium Martyr erectus, et iste genuflexus; nec tamen mutuo loquebantur. Ultimo beatus Laurentius ad ipsum direxit sermonem dicens: Frater mi Joannes, vides hanc cratem? Cui Vir sanctus respondit dicens: Video. Et tunc beatus Laurentius adjunxit dicens: Propter hanc cratem ego in cœlo possideo magnam beatitudinem, et Ecclesia mihi præ- E bet tantam solemnitatem. Ideo non fatigeris, nec te tædeat discrete agere pœnitentiam, quam facis; quia propter pœnitentiam, quam faciunt fideles in hac vita, præparantur eis æterna gaudia. Et hoc dicto, beatissimus Laurentius Christi martyr disparuit.

et alio tempore S. Franciscum,

30 Alio quoque tempore dum sibi venisset in mentem magnam pœnitentiam agere, et non solum tempore Quadragesimæ, sed etiam in ipsa toto alio tempore cogitaret continuo perseverare; quod cogitavit, incepit, et in ipsa pœnitentia degens, beatum patrem Franciscum cœpit rogare devote, quod duas gratias sibi faceret; una est, quod sibi deberet revelare, utrum tam arcta pœnitentia Deo et sibi esset accepta; altera gratia, quam petebat, est, quod stigmata, suæ carni a Christo impressa, sibi ostendere dignaretur. Cum autem talem agens pœnitentiam perseveraret in prece, quadam die sibi vigilanti et oranti apparuit beatus Franciscus, totus alacer et jocundus, et sibi subito familiariter loquens, exaudivit eum de gemina gratia, quam petebat. F

sacris stigmatibus insignitum.

31 Nam primo dixit: Fili, non est decens, semper in tanta arctitudine pœnitentiæ vivere, quia sic longo tempore non posset homo perseverare. Bonum est aliquando debilitati carnis condescendere, ut ipsa jocundius et fortius valeat Deo servire. Et postea subdidit: Ecce, fili, stigmata, quæ desiderabas videre. Et tunc ostendit ei manus, et pedes, et latus. Tunc ipse videns et stupens, cecidit ad pedes ejus, qui ei hæc ostendebat, quasi tremefactus. Tunc beatus Franciscus elevavit eum dicens: Surge, et tange. Tunc confortatus in Domino securitatem assumpsit, et stigmata illa sacra cœpit tangere, et clavos movere. Et tum, ut ipse retulit, experientia probavit, esse verum, quod Frater Bonaventura de istis sacris stigmatibus posuit in Legenda, quod dum a parte qualibet premerentur, ad partem oppositam resultabant. Tanta autem cordis dulcedine et odoris suavitate fuit in illa felici visione et contrectatione repletus, quod postea, disparente ipso Patre beato, stetit quasi per octo dies, in quibus nec cibum potuit sumere, et totum, quidquid cernebat, sibi videbatur fœtere.

qui iterum ei apparet.

32 Aliud etiam refero, quod in quadam visione patenti, dum oraret, sibi accidit de beato Francisco. Dum semel Fratres de Marchia Anconitana,

EX MS.

nitana, de qua, ut dictum est, exstiterat oriundus, ad provinciale Capitulum convenissent, et in ipso Capitulo deberent Ministrum eligere, præsente generali Ministro, Fratre scilicet Matthæo de Aquasparta *c*, qui postea exstitit dominus Portuensis, et Capitulo præsidente, iste Vir sanctus ivit ad orandum, ut Deus de bono Ministro providere provinciæ dignaretur. Cum autem Fratres in Capitulo congregati inter se plurimum dissiderent, propterea quod ibi erat unus Ministerium ambiens, qui pro tanto officio multis videbatur indignus, Frater Joannes tempore electionis in oratione persistens, vidit apertis oculis vigilando Christum in sede sedentem, et beatum Franciscum, atque humani generis inimicum majestati divinæ assistentes, et inter se mirabiliter altercantes; verba tamen non intelligebat, quæ coram Christo altercantes ad invicem loquebantur: ipse tamen tunc meditabatur devote, quod inimicus incitabat Fratres ad eligendum Ministrum indignum; beatus autem Franciscus hoc non ferens, et suos filios deserere nolens, rogabat Christum, ut in illa electione inimicus humani generis non B haberet intentum: post modicam vero horam vidit beatum Franciscum de conspectu Domini expellentem inimicum, et ipsum diabolum vidit confusibiliter fugientem.

dæmonem fugans,

33 Tunc Vir iste sanctus Domino retulit gratias, sperans de bono Ministro provinciæ provideri. In ipsa autem electione dum Fratres non possent convenire in unum, generalis Minister, qui erat præsens et Capitulo præsidebat, subito in fervore spiritus cum quodam mirabili clamore, non sine Fratrum admiratione, clamavit et dixit: Ite viam vestram; ite viam vestram. Nolo, quod eligatis; nolo quod eligatis. Ego dabo vobis Ministrum; ego dabo vobis Ministrum. Et sic, ipso generali Ministro de medio Congregationis discedente, fuit pro illo tunc Capitulum terminatum. Confabulantibus autem Fratribus, et ad invicem colloquentibus de his quæ dixerat generalis Minister, et Fratre Joanne interrogante, qua hora ista fuissent acta, perpendit, quod eodem momento temporis, quo beatus Franciscus de conspectu Domini expulerat inimicum, generalis Minister in fervore spiritus clamaverat: Ego dabo vobis Ministrum.

ut ipse Vir beatus Ministro generali narravit.

C 34 Hanc visionem postea generali Ministro per ordinem enarravit; qua audita, fuit quietatus in mente: ipse namque generalis Minister de eo, quod sic clamaverat, videbatur verecundari quodammodo; sed audiens visionem, quam Vir sanctus habuerat, perpendit clare, quod sic clamando a spiritu Domini fuerat agitatus, et quod illa provisio, quam fecit generalis Minister illi provinciæ de Ministro, esset a Deo. Hoc rei probavit eventus: nam providit de Fratre Salomone de Luca *d*, qui fuit homo in Ordine multum exemplaris, et illam provinciam bene et laudabiliter rexit; qui post aliquantos annos factus Minister in Thuscia, in ipso officio Ministerii, in quo multum humiliter et exemplariter vixit, Aretii sancto fine quievit.

ANNOTATA.

a *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1322 num. 34 asserit, quod is esset* Frater laicus, qui fabrum agebat lignarium in cœnobio.

b *Ex hoc loquendi modo liquet, scriptorem in his Actis colligendis nullum temporis aut rerum gestarum ordinem servasse.*

c *Matthæus Aquaspartanus anno 1287 eligitur Minister generalis, et anno 1288 fit S. R. E. Cardinalis, retento tamen Ordinis Minorum regimine usque ad electionem novi Ministri generalis. Deinde anno Christi 1291 ad cathedram Portuensem evehitur, et anno 1302 ex hac vita discedit.* D

d *Frustra distinctiorem præclari hujus viri notitiam apud scriptores quosdam Franciscanos quæsivi.*

CAPUT IV.

Variæ ejusdem Beati visiones, in quibus Christus, Deipara, Angeli et dæmones ei apparebant.

Præter alios Sanctos,

A sanctis Apostolis Petro et Paulo Vir iste sanctus multas recepit consolationes, quas ideo non narro, quia, licet certitudinaliter habuerim ab eo factum, quia tamen non valuit E enarrare propter magnum rugitum, quem tunc emisit, non potui ab eo habere modum. Et quid mirum, si consolationes et visitationes receperit a Sanctis, cum ipse Dominus Jesus in se ipso se sibi ostendere sæpius dignaretur. Sed de pluribus unam solam narro, quam habuit de Domino Jesu piam et mirabilem visionem, non in somnis, sed vere vigilando, et in re. Quadam namque vice, dum die noctuque se dedicasset et occupasset sine intermissione ad meditandum de Domino Salvatore, venit in ejus mentem admirabile desiderium videndi speciem Redemptoris: plus namque videbatur anhelare pro tunc videre Jesum Christum et hunc crucifixum, quam videre Jesum Christum et hunc specie gloriosum. Et licet reputaret totaliter se indignum, hoc tamen desiderium a corde suo non videbatur aliquatenus posse evelli.

Christus patiens,

36 Sed desiderium pauperis exaudivit Dominus: una namque die, dum Missam celebraret devote, et jam corpus Domini confecisset, cum F Missam continuando pervenisset ad locum, in quo dicitur a sacerdote PER IPSUM, ET CUM IPSO, ET IN IPSO; et in his verbis cum sacratissima Hostia, ut moris est, calicem consignasset, atque dicto PER OMNIA SECULA SECULORUM, Hostiam deposuisset, vidit in altari, corporali specie, Dominum Jesum in ea forma, qua de cruce depositus nudus, mortuus et plagatus, fuit inter brachia suæ Matris dulcissimæ reclinatus: Verumtamen ipse sic apparens, in altari supinus apparuit apertis oculis, velut vivus; ad cujus intuitum fuit cor ejus miro compassionis gladio sauciatum, et, ut dixit, tunc aperte vidit caput punctum aculeis spinarum, et faciem atque barbam sanguine, qui videbatur defluere, de capitis punctionibus rubricatam. Vidit manus vulneratas, imo conscissas; et pedes, de quibus videbatur sanguis procedere, sicut rivus a fonte; vidit totum corpus lividum, et plagis innumeris plenum atque sanguine madidum; vidit latus apertum apertura mirabili et stupenda, a qua exibat sanguis et aqua; videbatque Christum sibi hæc omnia lacrymosis oculis ostendentem, et quasi, quod sibi deberet compati, arguentem; in cujus visione sanctissima cor ejus ita visum fuit liquescere, acsi omnia illa vulnera haberet in propria

car-

A carne *a*.

a *ut ipse Vir beatus retulit,*

37 Disparente autem post longam moram tam mirabili visione, vix potuit Missam complere, et ita remansit abstractus, quod sibi non videbatur in mundo esse. Hanc eamdem visionem, quam habuerat de Domini passione, narravit toto * Conventui Fratrum de Monte Alvernæ, dum eis de Sacramento Altaris in Cœna Domini prædicaret, licet tunc de se, quasi de alio, loqueretur. Cum autem uni sibi familiari hanc visionem narrasset, et ille circa ea, quæ dixerat, aliqua dubitabilia sibi proposuisset solvenda per ipsum, adeo subtiliter respondit, et de Corpore Domini adeo profunda dixit, quod sua sapientissima responsio de visione habita plenam fidem audientibus dedit. Alio quoque tempore vidit Dominum Jesum salvatorem in specie pulchritudinis suæ, in qua visione ita magno amoris fuit repletus fervore, quod per longum tempus non valebat in loco quiescere; et nisi frequenter de loco ad locum movisset, quasi defecisset; et ita accidebat circa eum, sicut aliquando accidit circa calida multum, quæ, ut infrigidentur, requirunt motum. Hoc ego ab eo non audivi;
B sed ab alio Fratre fide digno, cui credi debet *b*.

* *lege* toti

b

et Deipara humilis ei apparuerunt.

38 Sicut iste Vir sanctus habuit desiderium videndi speciem Redemptoris, sic alio tempore desiderabat videre faciem suæ dulcissimæ Matris, non in illa sublimitate, qua nunc est gloriosa in cœlis, sed in illa humilitate, qua conversabatur in terris. Sed etiam in hoc fuit a Matre misericordiæ exauditus: nam dum staret in cella Alvernæ reclusus, Virgo beata ipsum voluit visitare in illa veste et in illa specie humili, qua apparebat et videbatur a cunctis, quando cum Filio suo commorabatur in terris; sed mora ista non fuit modica, sed per totam diem secum morabatur in cella, et tantam familiaritatem sibi Virgo beata ostendit, quod frequenter ipsa hujus Viri caput et vultum, et manus tetigit, et ipse in hujus beatæ Virginis gremio, dum staret ante eam genuflexus, caput humiliter reclinavit. Verba, quæ Virgo beata sibi dixerat, dicere noluit. Imo interrogatus, cum magno rugitu semetipsum turbavit affirmans, quod, dum viveret, nulli homini revelaret.

Fugat dæmones,

C 39 Non est ergo mirum, si huic sancto Viro, qui Regi et Reginæ a Deo fuit familiaris, Angeli solatium et consolationem præbebant, et ab eo dæmones, inimici humani generis, fugiebant. Frequenter namque fuit visus, dum iret per viam, baculum accipere; et vehementissime currere, ac in fine cursus baculum projicere. Interrogatus, quid ageret, et quare sic curreret, cum fervore et mœrore respondit: Contra mihi visibiles dæmones curro, et, ut digni sunt, eo modo, quo possum, baculo meo expello, qui venerunt pacem nostram, et istius provinciæ perturbare. Interrogatus, quot essent, respondit: Millia millium. Adeo autem et de nocte et de die per loca solitaria et umbrosa videbatur securus, quod clare ostendebat, quod adversus eum nihil poterat humani generis inimicus.

qui ei illudebant,

c

40 Fecit sibi inimicus humani generis multas illusiones, quas pro nihilo ducebat. Semel, ipso in cella meditante de Domino, et aliqualiter jacente super sistorium ursi *c*, dæmon cepit eum, et projecit in claustrum, quod ante cellam suam erat; et ipse elevatis oculis in cœlum cœpit clamare alta voce: Jesu, Jesu, Jesu; et dæmon statim fugit; et ipse mansit quietatus. Alia vice, ipso meditante de Domino de nocte juxta cellam suam, et hærebat * cuidam arbori, et dæmon apparuit sibi in specie hominis nudi sibi virilia tangendo, quia sciebat dæmon, ipsum abhorrere tales corporis partes; et, facto signo crucis, inimicus humani generis disparuit. Alio tempore, ipso de nocte orante juxta cellam suam vidit apertis oculis totam sylvam ardere, et ruebant arbores in terram, et dum esset ignis prope eum, ut videbatur, dixit infra se ipsum: Non tentemus Deum; et fugit ad locum Fratrum, et omnia eis recitavit, et postmodum illusio disparuit.

* *lege* hærente

Ex ms.

et cum Angelis,

41 Quantum vero sanctis Angelis, quibus continuo reverentiam singularissimam exhibebat, fuerit familiaris, apparet ex multis visitationibus et consolationibus, quas recipiebat ab eis: sed de multis referam tantum duas. Interrogatus a quodam sibi familiari, quomodo a Deo donum sapientiæ recepisset, cum omnino taceret, et nulli videretur velle revelare, dum viveret, tandem importuna prece, et supplici inquietatione violentatus, hoc, quod ab eo petebatur, sub sigillo secreti, dum viveret, revelavit dicens, quod quadam die, dum in cella reclusus arctam pœnitentiam faciens ante crucem Crucifixum oraret attente, quidam juvenis admirandi decoris ad eum venit, dicens ad eum, quod erat missus, ut secum aliquo
E tempore moraretur: quem cum Vir sanctus agnosceret esse Angelum Domini propter magnam, quam in suo conspectu ad præsentiam ejus recepit securitatem, et concepit benevolentiæ caritatem, ipsum, ut decebat, devotissime honoravit, et simul sedens de cruce Christi et de gaudiis paradisi, atque de verbis Evangelii et Apostoli Pauli, aliorumque Sanctorum longum colloquium habuerunt: sicque per tres menses continuos non fuit dies, in qua non suo luminoso aspectu et eloquio mellifluo frueretur.

qui frequenter illum

42 Erat autem vadens et rediens, sicut amicus ad domum alterius amici, et socius ad domum alterius socii ire et redire familiariter consuevit. Tandem, completo trium mensium spatio, sibi valefaciens aperuit ei sensum, ut intelligeret Scripturas, et extunc, ut retulit, non fuit Scriptura, quam in quocunque loco non intelligeret secundum aliquem intellectum, licet non fuerit sibi datum, quod, quidquid intelligeret, pro voluntate sua alteri panderet, et alteri aperire posset, nisi quantum placebat Majestati divinæ, quæ sibi dederat spiritum intelligentiæ; non autem dubitabat Vir sanctus, quin
F ille juvenis fuerit Angelus suus, qui pro consolatione sui fuerat a Deo missus, et se ei frequentissime ostendebat.

sub varia forma invisebant,

43 Quodam alio tempore supervenit solemnitas beati Archangeli Michaelis, quæ mense Septembrio celebratur; et dum de nocte descendisset de cella, quam habebat in Monte Alvernæ, et venisset ad ecclesiam Fratrum, ut ad reverentiam Angelorum cum ipsis Fratribus laudes Deo persolveret Matutinas, completis Laudibus, in ecclesia more Fratrum aliquantum substitit meditando devote de gloria Angelorum. Meditatione vero et oratione sua peculiari finita, de ecclesia discedebat, ut rediret ad cellam. Cum autem ad januam ecclesiæ pervenisset, juxta eum apparuit citharœdus ita suavissimam faciens melodiam, quod, nisi Vir sanctus fuisset a Deo confortatus,..... nedum præ dulcedine fuisset raptus; imo videbatur sibi, quod spiritus vellet a corpore separari.

familiarissime conversatur.

44 Tunc exsultans in Domino, cum clamore altissimo ascendendo montem cœpit currere versus cellam. Citharœdus autem sive curreret, sive staret, sive communi modo ambularet, nunquam ab ejus latere discedebat. Cum autem Vir Dei perve-

Ex ms.

pervenisset ad cellam, et se prostravisset ante imaginem Crucifixi, tunc, ut sibi videbatur, citharœdus ille ita cœpit per instrumentum musicum manus movere citissime, et sonitum ita accelerare, sicut consueverunt facere illi, qui sunt in illa arte periti, quando volunt sonum finire. Finito autem sonitu, noctem illam, in oratione persistens usque ad diem, Vir sanctus duxit insomnem, Deo et sanctis Angelis ejus referens gratias de consolatione percepta.

ANNOTATA.

a *Videtur hæc Christi apparitio diversa esse ab illa, quam in Commentario prævio num. 20 ex sancto Antonino retulimus.*

b *Hæc sincera scribendi ratio, quæ hoc loco et in decursu Actorum ubique elucet, fidem auctoris in rebus quantumlibet prodigiosis plurimum commendat.*

c *Hic rursus vox* sistorium, *ni fallor, usurpatur pro* storio, *ita ut ex obscura illa phrasi conjiciam,* B *Beatum pelle ursina pro storea usum esse, quæ conjectura confirmatur ex iis, quæ post caput 2 littera* c *annotavimus.*

CAPUT V.

Ultimus beati Viri morbus, monita ad Fratres Minores, pius obitus, et revelatio de beatitudine ipsius.

Beatus Joannes febri afflictus, a

Cum autem placuit Altissimo velle eum de hoc mundo educere et labores suos, quibus in sancta Religione Fratrum Minorum per annos quinquaginta *a* ipsi Deo servierat, præmiare, ipse existens Cortone *b*, et vadens Assisium *c*, non sine admiratione Fratrum subito retrocessit, et rediit ad Montem Alvernæ, ut in ipso Monte spiritum vitæ redderet Deo, in quo beati patris Francisci meritis et suis operibus bonis multa fuerat divinæ contemplationis dulcedine repletus. Quinta namque die Augusti, C in qua agimus festum sanctæ Mariæ ad Nives *d*, de febre continua infirmari cœpit, et quinque diebus in infirmitate cum multa patientia Deum laudans, in festo sancti Laurentii, in primis scilicet Vesperis *e*, inter manus Fratrum, ipso orante cum ipsis, ex hoc mundo migravit. Voluit autem Deus, ut, sicut fervens spiritu semper vixerat in hoc mundo, ita fervens spiritu migraret ex ipso.

magno cum fervore templum adit,

46 Cum igitur in præfato festo Virginis gloriosæ, cujus erat devotus sacerdos, Missam celebrasset devote, et postea cum Fratribus comedisset, et ad cellam suam reversus fuisset, subito invasit eum febris. Audientes autem Fratres, quod infirmaretur, iverunt ad cellam ejus, et ipsum invenerunt ante Crucifixi imaginem genuflexum, ipsum Dominum Jesum cum oris cantu sonoro et admirando cordis jubilo collaudantem. Dicentibus autem Fratribus, quod descenderet de cella et veniret ad locum Fratrum, ut medici consilio curaretur, respondit : Ego Domino Jesu dedi spiritum ; vobis do corpus ; si potestis curate ipsum. Adveniente vero vigilia beati Laurentii, cum quidam Frater visitasset eum, et sibi in lecto sedenti dixisset, Frater Joannes, confortamini in Domino et in beato Laurentio, quia cras est festum D ejus, subito de lecto surrexit, et cum velocitate mirabili, quasi saltans, perrexit ad ecclesiam, clamans fortissime cum admirando clamore : Beatus Laurentius, beatus Laurentius. Cum autem ad ecclesiam pervenisset, prostravit se ante imaginem Crucifixi, et facta reverentia surrexit cito, et sic erectus ante crucem, oculis ac manibus continuo in cœlum elevatis, per tantum temporis tractum stetit, per quantum Fratres in choro Missam de vigilia cantaverunt.

et paulo post extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus.

47 Completa Missa, et sacerdotis benedictione percepta, atque crucifixo Domino iterum facta reverentia, dum ad lectum redisset, in quo jacebat, petivit devote omnia Ecclesiæ Sacramenta ; quibus perceptis, dum Fratres circa eum psalmos pœnitentiales psallerent, ipso respiciente ad lævam, subito fuit raptus, faciesque sua facta est ita terribilis, et quasi tota contorta in illo raptu, ipso secundum sensum nihil penitus sentiente, quod nobis nullum erat dubium, quin pro tunc videbat humani generis inimicum. Fratres autem, qui aderant, hoc videntes, fuerunt adeo pavefacti, quod cadentes in terram, psalmodiam penitus E dimiserunt. Cum vero Vir sanctus in se ipsum fuisset reversus, Fratres confortavit cum potestativa voce dicens : Psallite et laudate Dominum ; et cum Fratres resumpsissent psalmodiam, et extremæ Unctionis complerent officium, ipse de cætero non ad lævam sed ad dexteram continue respiciens, iterum fuit raptus. Facies autem ejus in isto secundo raptu adeo serena et gratiosa resplenduit, quod nulli nostrum dubium fuit, quin, sicut in primo raptu viderat inimicum, ita in isto secundo vel videbat Christum, vel aliquem existentem in gloria Beatorum.

piaque dans Fratribus monita. f

48 Tandem cum fuisset in se ipsum reversus, Frater quidam sibi familiaris *f*, ei adhærens humiliter dixit : Eia, Frater Joannes, rogo vos, quod mihi dicatis, quid vos vidistis ; ego vellem libenter scire. Tunc ipse respondit dicens : Nolo tibi dicere, quid viderim. Sufficit tibi scire ea, quæ tibi dixi *g*. Tunc Frater ille ait : Et numquid fuerunt vera omnia, quæ mihi dixistis ? Tunc ipse quasi turbatus increpans eum dixit : Vera sunt, et fuerunt ; vera sunt, et fuerunt. Numquid ego dixissem tibi aliud, nisi verum ? Quo verbo, licet primo ista omnia, quæ sunt scripta superius, F essent nobis credibilia ad sufficientiam, ipso iterum vera sunt dicente in hora mortis, nobis credibilia facta sunt nimis. Finitis autem his verbis, illi Fratri in secreto dictis, ad omnes Fratres circumstantes direxit sermonem dicens : Quid vultis scire ? Quid vultis scire, nisi Christum ? Tunc locutus, audientibus nobis, pulchra et subtilia de Scripturis, incepit ab isto verbo ; Christus via, veritas, et vita ; et de isto verbo subtiliter prosecutus dicebat : Si vultis habere conscientiam bonam et sanctam, non curetis scire nisi Christum, quia ipse est via. Si vultis sapientiam, non curetis scire nisi Christum, quia ipse est veritas. Si vultis gloriam et honorem, non curetis scire nisi Christum, quia ipse est vita. Et primo prosecutus de via dixit, quod Christus erat via, quia erat Verbum insitum humanæ naturæ, quod poterat animas nostras salvare, et ideo debebamus, ut per Christum tanquam viam ambularemus, abjicere omnem immunditiam et abundantiam malitiæ. Et post multa, postea prosecutus de veritate dixit, quod Christus erat veritas ; quia erat splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris, portans omnia verbo virtutis suæ, qui purga-

A purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram Majestatis in excelsis. Et postea prosecutus de vita dixit, quod Christus erat vita, ipse est principium, primogenitus ex mortuis, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem carnis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris.

placide ex hac vita migrat.

49 Et dum circa illa verba multa dixisset, et multa prosecutus fuisset, consideravimus diligenter, quod, cum alias litteraliter loqueretur, frequenter in Latino offendebat (et non mirum, quia Grammaticam nunquam studuerat) tamen in isto longo sermone, quem sicut homo absorptus fecit, audientibus nobis, nec etiam in uno malo Latino peccavit. Fratres autem videntes, quod ipse debilitatus propinquabat ad exitum, dum animam suam Deo recommendassent, et postea orarent, ipse orans cum eis tradidit spiritum. Ipso vero defuncto, cum per tres dies eum tenuissemus insepultum, cum magni calores essent, ita quoad membra tractabilis, et odore amabilis, B ac vultu hilaris et jucundus, quasi semper fuisset vivus, permansit.

cujus beatitudo

50 Nos vero credimus, et pia fide tenemus, quod tunc evolaverit ad cœlum, sicut in quadam visione cuidam Fratri sibi familiari fuit demonstratum: die namque tertia post decessum ejus, cum ad quiescendum se composuisset, et nec plene vigilaret, vidit aliquos Fratres, qui jam defuncti erant; sed dum viverent, fuerant ipsi quiescenti familiares. Apparuerunt autem quasi tristes, unum juvenem pulchrum et gaudiosum in sua societate habentes. Ille, ut vidit, cognovit, quod ideo essent tristes, quia adhuc in pœnis purgatorii tenebantur. Ille autem juvenis gaudiosus erat Angelus, quia et vultum angelicum prætendebat. Ipse autem videns accessit ad illos Fratres defunctos, quasi sibi familiares, et ipsos interrogavit dicens: Dicite mihi, quid est de Fratre Joanne de Alverna, qui nuper in festo sancti Laurentii de hoc mundo migravit? Numquid est iste vobiscum? Ipsi vero stabant stupefacti hoc audientes, et videbantur mirari vehementer; nec ad quæsitum sciebant dare responsum.

cuidam Fratri Minori revelatur.

C 51 Tunc juvenis ille appropinquans, et subridens aliquantulum, dixit eis: Iste Frater vos interrogat de illo, qui nudius tertius in festo sancti Laurentii evolavit. Tunc Frater verbum intelligens, et comprehendens, quod ea hora, qua Vir sanctus emisit spiritum, transivit ad cœlum, dixit ad juvenem: Rogo te, quod mihi dicas, si est aliquis Frater in cœlo post beatum Franciscum, qui sit magis gloriosus coram Deo, quam Frater Joannes. Tunc ille respondit: Ipse est magnus et gloriosus coram Deo; sed multi sunt ibi alii Fratres, qui sunt in paradiso multo majoris gloriæ, quam sit ipse. Ad hanc gloriam meritis beati patris Francisci, et istius sanctissimi Viri, ille nos dignetur deducere, qui sibi concessit tam laudabiliter vivere, et tam laudabilius ad vitam æternam ex hoc mundo transire. Multa audivi miracula meritis hujus Viri sancti fuisse facta; et aliqua audivi fuisse facta, dum vixit, et aliqua postquam ex hoc mundo transivit; sed quia illa oculis meis non vidi, nec ab ejus ore percipere potui, ideo ea non scripsi h, reputans suam vitam spiritualem omni miraculo sensibili fuisse majorem.

h

ANNOTATA

a *Ex his, aliisque characteribus chronologicis in Commentario prævio num. 16 conclusimus, Beatum nostrum anno circiter 1259 natum fuisse.* Ex Ms.

b *Cortona est antiqua urbs Hetruriæ, sita in agro Florentino, et in excelso monte exstructa de qua plura vide apud geographos passim obvios.*

c *Assisium est urbs Italiæ in Umbria, quæ maxime inclyta est natalibus S. Francisci et S. Claræ.*

d *Hinc colligimus, festum S. Mariæ ad Nives ineunte seculo* XIV *in aliqua parte Italiæ, aut saltem in Ordine Minorum celebratum fuisse, de quo vide ea, quæ actis S. Dominici, ad diem* IV *Augusti illustratis, tomo I istius mensis pag. 529 ex Francisco Pagio et Jacobo Echardo retulimus.*

e *Ex hac distincta diei emortualis notitia patet, quomodo intelligendi sint aliqui auctores, dum scribunt,* B. Joannem *Alvernicolam festo S. Laurentii ad cœlum migrasse: teste enim hoc scriptore synchrono,* in primis Vesperis *istius festi, sive die* IX *Augusti* ex hoc mundo migravit.

f *Bartholomæus Pisanus in memorato Actorum compendio hunc Fratrem, Beato familiarem, appellat Joannem de Septimo de Pisis, ut in Commentario prævio num. 24 dictum est. Inde tamen evidenter inferri non potest, Acta* B. Joannis *ab hoc Joanne de Septimo conscripta fuisse, ut § 1 Commentarii prævii num. 10 et sequente ostendimus.* E

g *Hæc responsio apud Bartholomæum Pisanum aliter refertur, ut § 2 Commentarii prævii num. 24 monuimus.*

h *Hinc iterum confirmatur fides scriptoris, qui non alia Beati gesta, quam sibi certissime cognita, litteris mandare voluit. Unde etiam facile capimus, ab aliis collecta fuisse altera et diversa ejusdem Beati acta, quæ nunc quoque excudemus, ac annotatis illustrabimus.*

ACTA ALIA

Collecta ab uno vel forte pluribus testibus coævis.

F

Ex Ms. Speculo sancti Francisci et sociorum ejus, lib. 2 cap. 51 et sequentibus, cujus exemplar servatur in bibliotheca Minoritarum Lovaniensium, ex qua habemus ecgraphum, quod in Museo nostro exstat codice O *Ms.* 20, *et quod cum aliis Mss. ejusdem Speculi apographis collatum est.*

CAPUT I

Sublimes B. *Joannis Alvernicolæ contemplationes, et mira ecstasis, quam tempore consecrationis in Missa habuit.*

Prædictus *a* Frater Joannes cum consolationes mundi hujus penitus abnegasset, in solo Deo erat Cap. I. *a*

erat

Ex ms. *Præter alias divinas consolationes,* * *al.* solitus * *al.* sibi infundebat. *

sollicitus * consolari. Unde quando veniebant solemnitates, præcipue Domini nostri Jesu Christi benedicti, novas consolationes et mirandas revelationes gratia divina faciebat *. Unde accidit, quod appropinquante Nativitate Domini Salvatoris, cum ipse consolationem de Christi benedicti humanitate certitudinaliter exspectaret, spiritus sanctus, qui novit, prout vult ipse, dona pro loco et tempore dispensare, non attendens ad proprositum hominis volentis vel currentis, sed ad sapientiam Domini miserantis, ipsi Fratri Joanni non consolationem, quam exspectabat, de Christi humanitate, sed de Christi caritate tam ferventissimum amorem exhibuit, quod sibi videbatur, quod anima raperetur de corpore: nam centies plus, quam si in fornace esset, cor ejus ardebat et anima: propter quem ardorem anxiabatur et anhelabat, et vehementer affectus alte clamabat, quia præ nimio fervore amoris et excessivo impetu spiritus a clamore se non poterat continere.

spirituales mentis excessus,

2 Hora vero illa, in qua tantum sentiebat ardorem amoris, spes salutis sic eum fortiter roborabat, quod non credebat, si tunc mortuus fuisset, per purgatorium pertransire. Et iste amor B tantus, licet interpolate, duravit per medium annum; ardor vero plus quam uno anno duravit, ita quod per aliquam horam videbatur spiritum exhalare. Post vero illud tempus visitationes et consolationes innumeras habuit, sicut ego ipse pluries oculata fide perspexi *b*, et plures alii frequenter perpenderunt; nam ex nimietate fervoris et amoris visitationes occultare non poterat; fuit enim raptus pluries, me vidente. In quadam enim nocte fuit elevatus in tam admirando lumine, quod vidit omnia creata in Creatore, tam cœlestia quam terrestria; et omnia suis gradibus ordinate distincta, quomodo scilicet sint chori beatorum spirituum apud Deum, et paradisus terrestris, et beata humanitas Christi, et habitationes inferorum. Similiter designavit, et videbat, et sentiebat, et repræsentabat Creatorem.

et excelsas contemplationes,

3 Postea elevavit eum Deus super omnem creaturam, ita quod fuit absorpta anima ejus et assumpta in abysso Deitatis et claritatis, et sepulta in pelago æternitatis, et infinitatis divinæ in tantum, quod nihil creatum vel formatum, nihil finitum vel cogitabile, quod cor humanum posset cogitare C vel lingua narrare, sentiebat: et erat absorpta anima illa in primo abysso divinitatis, et pelago sive forma claritatis, ita quod erat ipsa anima dilatata, sicut gutta vini in altitudine maris: quod sicut nihil invenit in se, nisi mare, sic anima illa nihil videbat, nisi Deum in omnibus et super omnia, et intra omnia, et extra omnia, et ibi tres Personas in uno Deo, et unum Deum in tribus Personis. Et sensit illam caritatem æternam, quæ fecit Filium Dei incarnari per obedientiam Patris qua incarnatus est, et per istam viam Incarnationis et Passionis Filii Dei, ipsam meditando, et ejulando et lacrymando ad lumina indicibilia pervenit. Et dixit, nullam aliam viam esse, qua possit anima ad Dominum introire, nisi per Christum, qui est via, veritas, et vita. Fuerunt etiam sibi ostensa in eadem visione, quæcunque facta fuerunt per Christum a casu primi hominis usque ad ingressum Christi in vitam æternam, qui est caput et princeps dominum electorum, qui ab initio mundi fuerunt, sunt, et erunt usque ad finem, sicut annuntiatum est per sanctos Prophetas ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

CAP. II.

4 Eidem Fratri Joanni accidit quoddam mirabile, et celebri memoria dignum, sicut retulerunt D illi, qui fuerunt præsentes: cum enim staret Frater Joannes prædictus in loco Moliani *, de custodia Firmi, et provincia Marchiæ, die prima post Octavam sancti Laurentii, scilicet infra Octavam Assumptionis beatæ Virginis, surrexit ante horam matutinalem, et cum magna unctione gratiæ, qua præventus erat a Domino, dixit Matutinum cum Fratribus. Dictis vero Matutinis, perrexit in hortum, quia tam immensæ dulcedinis et suavitatis abundantiam sentiebat, quod præ magnitudine gratiæ, quam gustu mentali habebat in illo verbo Dominico, scilicet HOC EST CORPUS MEUM, emittebat clamores, et in corpore * dicebat: HOC EST CORPUS MEUM; in quo verbo illuminatus a Spiritu sancto apertis mentalibus oculis, videbat Christum beatum cum beata Virgine, et multitudine Angelorum sanctorum, et intelligebat illud Apostolicum dictum, quomodo unum corpus sumus omnes in Christo; singuli autem alter alterius membra, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem caritatem Christi omnis scientiæ, E quod totum est in isto altissimo Sacramento, quod conficitur, cum dicitur: HOC EST CORPUS MEUM.

Beatus expendens verba consecrationis rapitur, *c* * *al.* Magliant

* *al.* corde

eaque postmodum in Missa pronuntiaturus hæret. * *al.* continere

5 Et facta aurora, sic affectus gratia, intravit ecclesiam cum fervore sancti Spiritus anxiando, putans a nullo sentiri; cum tamen quidam Frater staret in choro, qui hoc audiebat. Et cum anxiando præ magnitudine gratiæ se abstinere * non posset, magnum clamorem emisit. Cum ergo ad altare accessit ad celebrandum Missam, quam cantare debebat, et ampliata est sibi gratia, et crevit amor ille prædictus, et datus est sibi quidam sensus de Deo ineffabilis et inæstimabilis, quem suis verbis nullo modo poterat explicare. Et timens, ne cresceret tantum sensus ille et fervor mirabilis, quod oporteret dimittere Missam, nesciebat, quam partem eligeret; utrum scilicet procederet, vel exspectaret. Tamen, quia aliquando senserat simile, et Dominus tantum temperaverat, quod ob hoc non dimiserat Missam, utcunque confidebat, se posse procedere. Nihilominus timebat, ne eveniret, quod evenit; quia tales infusiones divinæ non sunt in hominis potestate. F

quibus difficulter prolatis,

6 Cum ergo processisset usque ad Præfationem beatæ Virginis, crevit illa illuminatio et gratiosa suavitas, quod veniens ad QUI PRIDIE, QUAM PATERETUR, vix tantam suavitatem et dulcedinem poterat sustinere. Pervento autem ad hoc, HOC EST CORPUS MEUM, ingeminat HOC EST, HOC EST, et multum frequenter, ita quod quasi deficiebat præ magnitudine eorum, quæ jam sentiebat in anima. Unde Guardianus loci succurrens, stabat juxta eum, et Frater etiam cum cereo accenso, post eum stantibus et timentibus cæteris Fratribus cum hominibus aliis et mulieribus multis, cum quibus aliquæ erant majores de provincia, quæ omnes exspectantes et timentes more mulierum plangebant: ipse vero Frater Joannes, quasi alienatus beatissima et suavissima lætitia, stabat non procedens in consecratione sanctissima complenda, quia sentiebat Dominum Jesum Christum, qui non intrabat Hostiam, vel potius Hostia non transsubstantiabatur in ipsum, donec ad HOC EST adjungeret CORPUS MEUM.

mirabilem ecstasim patitur,

7 Et non valens ferre tantam majestatem beati capitis, id est Christi, ostenso sibi paradiso corporis Christi mystici exclamavit dicens: CORPUS

MEUM.

A MEUM. Et statim evanuit forma panis, et apparuit Dominus Jesus Christus, Dei Filius benedictus, incarnatus et clarificatus, et ostendit ei humilitatem, quæ eum fecit incarnari, et facit ipsum venire quotidie in manus sacerdotis. Et talis humilitas tenebat Fratrem Joannem in tanta dulcedine, et admiratione inenarrabili et ineffabili, quod non poterat complere verba consecrationis. Est enim tam admiranda humilitas et dignatio Salvatoris nostri Dei circa nos (ut ipse Frater Joannes dixit) quod corpore non potest sustineri, nec verbis explicari. Propter hoc non poterat procedere, et propter hoc, etiam dicto HOC EST CORPUS MEUM, mox mirabiliter post se cecidit retro: sed a Guardiano, qui stabat juxta eum, ne rueret in terram, sustentatus est; et concurrentibus Fratribus, et aliis hominibus, et mulieribus, qui in ecclesia morabantur, tanquam mortuus in sacristia deportabatur: erat enim corpus ejus frigefactum, sicut corpus hominis mortui, et digiti manuum ejus erant contracti tam fortiter, quod vix valebant distendi vel moveri: et sic jacuit, quasi exanimis, usque ad tertiam magnam *d*: erat enim B in æstate.

d quam ipsemet cuidam amico narravit.

8 Quia vero ego, qui ad hoc fui præsens, desiderabam valde scire, quæ circa eum fuerat operata clementia Salvatoris, quasi statim, quando ad se reversus fuit, accessi ad eum, rogans per caritatem Dei, prædicta mihi dicere dignaretur. Ipse vero, quia de me plurimum confidebat, totum hoc per gratiam Dei accidisse, mihi per ordinem narravit: et insuper dixit, quod in conficiendo, et ante, cor suum erat liquefactum ad modum ceræ valde distemperatæ, et caro sua videbatur sine ossibus taliter, quod nec membra nec manus poterat quasi levare ad faciendum crucem super Hostiam; addens, quod antequam fieret sacerdos, fuit sibi ostensum, quod debebat sic deficere. Sed quia multas Missas legerat, et non evenerat, quod fuerat ante prædictum, putabat, se in hoc fore deceptum. Sed fere quinquaginta diebus ante Assumptionem beatæ Mariæ Virginis, in qua hoc iterum * habuit, fuit sibi ostensum, quod hoc debebat sibi contingere circa Assumptionem; sed erat oblitus istius promissionis. Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi.

* al. ultimum

C

ANNOTATA.

a *Hac voce* prædictus *haud dubie auctor innuit; sese de eodem Beato narrasse alia, quorum series forsan in Ms. nostro mutata est, vel se alludere ad titulum capitis, in quo* Joannes de Alvernia *diserte nominatur.*

b *Ex his et similibus verbis, quæ statim sequuntur, facile intelligimus, ignotum hujus narrationis collectorem, etiam Beato synchronum, et in quibusdam rebus testem oculatum fuisse.*

c *Bartholomæus Pisanus in jam sæpe citato Opere de Conformitatibus fol. 88 verso memorat locum seu Conventum Moliani, et breviter refert varia, quæ ibidem* B. Joanni *contigerunt.*

d *In margine Ms. nostri pro* magnam *notabatur* horam. *Quid autem sit* tertia magna, *fateor, me ignorare.*

Ex MS.

CAPUT II.

Divini favores huic Beato collati, et mira Christi apparitio, quæ eidem facta est.

Quam gloriosus sit in conspectu Dei Pater noster Franciscus, apparet in electis filiis, quos in Ordine Spiritus Sanctus aggregavit; ita quod vere gloria tanti Patris sunt filii sapientes, inter quos singulariter fulsit Frater Joannes supradictus; qui in cœlo Ordinis, tanquam stella mirabilis, splendore gratiæ rutilavit. Hic namque cum in juvenili ætate gereret per sapientiam cor senile, pœnitentiæ viam custodivit, corporis et mentis munditiam totis visceribus cupiebat. Unde cum adhuc esset puerulus, loricam et circulum ferreum portabat ad carnem, et abstinentiæ crucem quotidie bajulabat; ita quod, dum in Sancto Petro de Firmo cum Canonicis moraretur, antequam sancti Patris habitum assumpsisset, illis splendide viventibus, ipse se abstinentiæ miro rigore frænabat, et inter delicias martyrium abstinentiæ celebrabat. Sed cum ad suum studium angelicum obices socios multipliciter pateretur in tantum, ut loricam exuerent, et abstinentiam impedirent, ipse inspiratus a Deo cogitavit mundum cum amatoribus suis relinquere, et florem suæ angelicæ juventutis * brachiis Crucifixi offerre, in Ordine scilicet beati Francisci, in quo audierat crucis Christi stigmata renovari.

CAP. III. Beatus in tenera ætate

E

* al. pudicitiæ

10 Cum ergo in nomine Domini habitum Fratrum Minorum puerulus assumpsisset, et uni magistro *a* commissus fuisset pro spiritualium disciplina, cum verba audiret divina aliquando a magistro, cor ejus ut cera liquescens tanta suavitate gratiæ in interiori homine replebatur, ut exterior homo discurrere coactus, aliquando per hortum, aliquando per ecclesiam, aliquando per sylvam cursim undique currebat vel circuibat, quemadmodum flamma interior impellebat. Successu vero temporis hunc angelicum Virum in diversis statibus ordinatis actionibus gratia divina subvexit; quandoque ad splendores cherubicos, quandoque ad ignem seraphicum, quandoque ad angelica gaudia hunc angelicum Virum rapiebat gratia divina; et, quod plus est, quandoque ad divina oscula et excessivos amoris Christi amplexus, non solum interius gustibus, sed et signis exterioribus, tanquam amicum intimum assumebat.

transit ad Ordinem Minorum. a

F

11 Unde accidit sibi quodam tempore, quod bene per spatium trium annorum, amoris Christi igne succensus, recipiebat consolationes mirabiles, et frequenter in tali ardore rapiebatur ad eum. Sed quia Deus spiritualem curam gerit de filiis suis, nunc consolando prosperis, nunc exercendo adversis, dum Frater Joannes prædictus staret in quodam loco, subtractus est ille radius et status ignitus, et remansit sine amore et lumine, et fuit in mœrore permaximo: propter quod, cum *anima* ipsius Dilecti præsentiam non sentiret, anxiabatur et cruciabatur per sylvam mœrens et anxius, Dilectum, qui se modicum dispensative absconderat, quærens; sed nullo modo, nulloque loco Christi Jesu benedicti dulcissimos amplexus, et suavia et beata oscula, sicut consueverat, invenire valebat. Et hanc tribulationem per dies plures sustinuit, ejulans et lacrymans.

ubi inter alios divinos favores.

12 Cum

Ex MS. conspexit Christum, *b*

12 Cum autem ambularet die quadam per dictam sylvam, in qua ipsemet semitam fecerat ad pergendum, et sic afflictus et desolatus incederet, adhærens uni fago *b*, faciem lacrymosam in cœlo erexit. Et ecce qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum, Dominus Jesus Christus benedictus apparuit in eadem semita nihil tamen dicendo : quem cum sic Joannes recognosceret, statim sese projecit ad pedes ipsius, et gemitibus inenarrabilibus exorabat, et humillime supplicabat, ut sibi succurrere dignaretur; Quia sine te, inquiens, Salvator dulcissime, maneo in tenebris et mœrore : sine te, Agne mitissime, maneo in angustiis et terrore : sine te, Fili Dei altissime, maneo in confusione et rubore : nam sine te sum cunctis bonis exspoliatus; etiam sine te sum tenebris obcæcatus, quia tu es Jesus lux vera gentium *. Sine te sum perditus et damnatus, quia tu es vita animarum et vita vitarum : sine te sum sterilis et aridus, quia tu es largitor donorum et gratiarum. In te sum totaliter consolatus, quia tu es Jesus, nostra redemptio, amor et desiderium, panis reficiens, et vinum lætificans choros B Angelorum, et corda Sanctorum omnium. Illumina me, magister gloriosissime *, et pastor piissime, quia sum tua ovicula, quamvis indigna.

* al. mentium

* al. gratiosissime

qui post uberes Beati viri lacrymas,

13 Quia desiderium, quod differtur, ad majorem accendit amorem, Christus benedictus adhuc iterum recessit, incedens per semitam supradictam, nihil penitus sibi loquens. Frater vero Joannes videns, quod Christus benedictus recedebat, et eum non exaudiebat, surgens iterum cum sancta importunitate, sicut egenus et pauper, iterum currit ad Christum, et ad pedes ejus humiliter se prosternens, cum lacrymis devotissimis exorabat dicens : O Jesu dulcissime*, miserere mei, quoniam tribulor. Exaudi me in multitudine misericordiæ tuæ, et redde mihi lætitiam salutaris tui, quia misericordia tua plena est terra. Tu scis, Domine, quoniam vehementer tribulor. Rogo igitur, quod animæ meæ obtenebratæ succurras velociter. Et iterum Salvator recessit, nihil loquens Fratri Joanni, et in nullo ipsum consolans videbatur velle recedere, vadens per semitam antedictam, faciens sicut mater cum puerulo, ut desiderium ejus amplius inflammaret; quæ cum filio lactenti se subtraxerit, et ille lactentem C flendo quæsierit, post fletum mater amplexans et illum osculans recipit in majori dulcedine.

et iteratas preces.

14 Unde Frater Joannes tertio insecutus Jesum Christum benedictum lacrymando vehementer pergebat, sicut lactens post matrem, et parvulus post patrem, et humilis discipulus post magistrum misericordem. Cum autem pervenisset ad eum Christus benedictus, faciem suam gloriosam ad Fratrem Joannem convertit, et expandit venerabiles manus suas, sicut sacerdos, quando se vertit ad populum. Tunc Frater Joannes vidit radios lucis mirabiles de sacratissimo Christi pectore egredientes, non solum totam sylvam illuminantes exterius, sed etiam corpus * et animam interius replentes divinis splendoribus. Unde statim Frater Joannes fuit edoctus a Spiritu Sancto, quemadmodum humilem et reverentem actum deberet tenere cum Christo benedicto : nam statim se projecit ad pedes Christi.

* al. cor ejus

ei pedes, manus ac pectus

15 Christus vero benedictus pedes illos sanctissimos clementer sibi exhibuit, ubi tot lacrymas Frater Joannes effudit, quod quasi videbatur alia Magdalena, rogans, quod ad peccata ejus * non *respiceret*; sed per suam sanctissimam Passionem et aspersionem sanguinis gloriosi animam ejus resuscitare in gratiam divini amoris dignaretur, D sic dicens : Cum hoc sit tuum mandatum, ut te toto corde et totis viribus diligere debeam, quod mandatum sine tuo adjutorio nullus valet perficere, adjuva ergo me, amantissime Jesu Christe, ut totis viribus amem te. Dum autem Frater Joannes sic instanter oraret, et ad pedes Christi jaceret, tantam inde recepit gratiam, quod totus ibi exstitit renovatus, et, sicut Magdalena, pacificatus et consolatus. Et tunc Frater Joannes sentiens tantæ gratiæ donum, cœpit gratias agere Deo, et pedes ejus humiliter osculari. Erigendo se ut Salvatorem cum gratiarum actione respiceret, Christus benedictus manus suas sanctissimas ad osculandum eidem exhibuit et expandit. In ipsa apertione manuum Frater Joannes se erigens accessit, et amplexatus est Jesum; et Christus benedictus amplexatus est ipsum : et inde osculans Frater Joannes sanctissimum pectus Christi, sensit tantum odorem divinum, quod si omnia mundi aromata congregarentur in unum, respectu illius divini odoris fœtor putridus putaretur.

* al. sua

E *familiariter deosculanda præbuit*

16 Insuper de ipso pectore Salvatoris egrediebantur radii supradicti illuminantes mentem interius, et exterius omnia circumquaque. Et in hoc amplexu, odore, ac luminibus in ipso beato pectore Domini Jesu Christi fuit raptus Frater Joannes, et totaliter consolatus, et mirabiliter illustratus : nam extunc, quia de sacro Dominici pectoris fonte potaverat, dono sapientiæ et gratia Dei verbi repletus, verba miranda et superenarrabilia * frequentius eructabat. Et quia de ventre ejus fluebant flumina aquæ vivæ, quas potaverat de abysso pectoris Domini Jesu Christi, ideo mentes audientium immutabat, et fructus mirabiles faciebat. Ille insuper odor prædictus et splendor, quem ibi persenserat per plures dies * in ejus anima perduraverunt; et, quod plus est, in dicta semita, unde et ubi Dominici pedes perrexerant, et per amplum spatium circumquaque, eumdem splendorem et odorem per multa tempora sentiebat. Rediens ad se Frater Joannes post raptum prædictum, Christus benedictus disparuit, et ipse postmodum semper consolatus et illuminatus remansit.

* al. supernaturalia

* al. menses

F *et hoc favore mentem ejus mirifice illustravit.*

17 Et tunc invenit humanitatem Christi, sicut recitavit mihi ille, qui ab ore Fratris Joannis habuit. Sed invenit animam suam in abysso divinitatis sepultam; et hoc est multis et manifestis testimoniis probatum : nam coram Romana curia, et coram regibus et baronibus, et coram magistris et doctoribus tam profunda et alta lumina eructabat, quod omnes in stuporem mirabilem convertebat, cum ipse Frater Joannes esset homo quasi sine litteris; et tamen quæstiones subtilissimas et altissimas de Trinitate et aliis Scripturæ mysteriis mirabiliter declarabat. Quod autem, ut superius patet, Frater Joannes primo ad pedes Christi cum lacrymis, postea ad manus cum brachiis, et tertio ad pectus beatum cum raptu et radiis suscipitur, sunt magna mysteria, quæ non possunt verbis brevibus explicari : sed qui vult hoc scire legat Bernardum in Canticis Canticorum, qui hos gradus per ordinem ibi ponit, scilicet incipientium ad pedes; proficientium ad manus; perfectorum vero ad osculum et amplexum. Quod vero Christus benedictus nihil loquendo Fratri Joanni tantam gratiam contulit, docuit, quod sicut pastor optimus magis studebat animam divinis sensibus pascere, quam auribus carnis exterioribus sonis strepere; quia non in exterioribus, sed in intimis est regnum Dei : omnis enim gloria ejus ab intus,

A intus, dicit Propheta. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen *c*.

ANNOTATA.

a *In alio Ms. pro magistro legitur* sancto Fratri. *Teste autem Bartholomæo Pisano, fuit is magister vitæ spiritualis Jacobus de Fallerono : nam scriptor ille fol. 151 verso laudati Operis inter alia dicit, quod Custodia Firmana habeat* locum Molliani, in quo jacet Frater Jacobus de Fallerono, pater spiritualis Fratris Joannis de Alverna.

b *Fagus illa dudum in veneratione fuit, et trunco ejus jam innititur altare sacelli, quod B.* Joanni *dedicatum dicitur, ut § 1 Commentarii prævii num. 2 et 3 retulimus.*

c *Totus hic numerus in quibusdam Mss. deest, ut in ecgrapho nostro Lovaniensi ad marginem notatur.*

CAPUT III.

B

Aliæ apparitiones et revelationes, quæ eidem Beato contigerunt.

CAP. IV. Beato Joanni sanctus Laurentius martyr

Rogatus Frater Joannes supradictus a Fratre Jacobo de Fallerano, quod rogaret Deum de quodam scrupulo conscientiæ, quod ipsum valde affligebat; videlicet de quibusdam, quæ ad sacerdotale officium pertinebant, a Domino habuit hoc responsum ante festum sancti Laurentii, ut retulit ipse sibi; atque, quod Dominus dixit sibi : Ipse est sacerdos secundum ordinem Dei. Et cum adhuc ipsum conscientia stimularet, rogavit iterum, quod de hoc rogaret Dominum. Unde ipse fideliter in vigilia sancti Laurentii de nocte cum vigilaret et oraret Dominum, ut meritis sancti Laurentii de scrupulo ipsum certificaret, apparuit sibi vigilanti et oranti beatus Laurentius, indutus vestibus albis ad modum levitæ, et dixit ei : Ego sum levita Laurentius; et ipse, pro quo oras, est sacerdos secundum ordinationem divinam. Et tunc fuit certificatus, et est valde consolatus de dubio, quod habebat.

C

bis apparet,

19 Iterum eidem Fratri Joanni, cum Fratres cantarent SALVE REGINA de sero, apparuit ei sanctus Laurentius in forma adolescentis, indutus dalmatica rubea, et portans cratem ferream, dicens ei : Ista craticula glorificavit me in cœlo, et acerbitas carbonum dedit mihi plenitudinem Dei dulcedinis; et subjungens ait : Si tu vis gloriam et dulcedinem Dei habere, sustine patienter passionem et amaritudinem mundi. Stetit autem sanctus Laurentius cum eo sic visibiliter, donec cantata fuit Antiphona prædicta. Postea Fratres iverunt pausatum, et ipse remansit in choro cum sancto Laurentio; qui certificans eum et consolans, disparuit, et reliquit eum in tanto amore et dilectione divina, quod per totam noctem dicti festi nihil dormivit; sed totam noctem cum consolatione miranda transegit *a*. *a*

et Christus in Missa

20 Item idem Frater Joannes cum semel Missam devotissime celebraret, consecrata Hostia, annullatus fuit in conspectu ejus totaliter panis, et in ictu oculi apparuit ibi Christus, indutus veste rubea, qui dedit sibi tantam consolationem dulcedinis, quod si non esset, quod remansit sibi intellectus, fuit * raptus in ecstasi : et in ipsa visione certificatus fuit, quod propter illam Missam placatus fuit Dominus pro toto mundo, et maxime pro suis recommendatis. Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi. Amen.

* *al.* fuisset

EX MS.

CAP. V. ac animæ, quæ ex igne piaculari liberabantur.

21 Cum dictus Frater Joannes celebraret Missam in Commemoratione omnium defunctorum *, obtulit cum tanto caritatis affectu, et compassione pietatis illud altissimum Sacramentum, cujus efficaciam super omnia suffragia desiderant animæ defunctorum, quod liquefiebat totus in dulcedine pietatis, et melliflua dilectione superna. Quando ergo in dicta devota Missa Corpus Domini sacratissimum levaret in altum, offerens illud Deo Patri, ut amore illius, qui in cruce pependit, animas illas ab ipso creatas et redemptas de carcere misericorditer liberaret, vidit quasi infinitas animas de purgatorio egredi, quasi multitudinem scintillarum de ignita fornace procedentium; et vidit illas ad cœlestem patriam advolantes propter merita Christi, qui pro humana salute pependit in cruce, et in illa sacratissima Hostia offertur quotidie pro vivis et mortuis. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

* *al.* quadam die pro defunctis

E

CAP. VI. Idem Beatus cuidam Jacobo ægrotanti

22 Tempore, quo Frater Jacobus de Fallerano sanctus homo infirmabatur in loco Molliani *, Custodiæ Firmanæ, et provinciæ Marchiæ, Frater Joannes de Alvernia orabat Deum pro dicto Fratre Jacobo, graviter infirmante, oratione mentali, et præcordiali desiderio, quia ipsum, tanquam Fratrem *, intime diligebat. Et cum sic attente oraret, factus in ecstasi, vidit in aere exercitum Angelorum multorum et Sanctorum cum magna claritate supra cellam suam, quæ erat in in sylva, manentium; et erat tanta claritas, quod tota contrata * *b* in circuitu refulgebat : inter quos Angelos vidit dictum infirmum, pro quo ipse rogabat, stantem speciosissimum, candidis vestibus renitentem. Vidit etiam ibidem beatum patrem nostrum Franciscum, stigmatibus sacris insignitum, et gloria mirabili refulgentem : vidit, et recognovit Fratrem Lucidum sanctum, et Fratrem Matthæum antiquum de monte Rubiano *c*, et plures alios Fratres, quos nunquam in hac vita viderat, recognovit, qui cum multis Sanctis simili gloria fulgebant. Et dum hæc cerneret, sibi fuit revelatum pro certo de salvatione ipsius infirmi, et quod in ipsa infirmitate transire debeat ad Dominum; sed non immediate transiturus erat ad cœlum, quia oportebat eum aliquantulum purgari.

* *al.* Mogliano
* *al.* patrem
* *al.* terra
b

F

æternam salutem prædicit.

23 Frater autem Joannes, qui hoc videbat, propter salutem et gloriam dicti Fratris in tantum gaudebat, quod in dulcedine spiritus Fratrem Jacobum frequenter vocabat, dicens inter cordis arcana : Frater Jacobe! Mi Frater Jacobe! Mi fidelissime serve Christi! Frater Jacobe! Pater mi dulcissime! Frater Jacobe, socie Angelorum! Frater Jacobe, consors beatorum! Et sic certificatus de morte Fratris Jacobi, et certificatus de salute animæ ipsius, recessit de loco Massæ *d*, ubi hanc visionem habuerat, et ivit ad visitandum eum Molliani, ubi invenit dictum infirmum ita infirmitate gravatum, quod vix poterat sibi loqui; cui Frater Joannes annuntiavit, quod moreretur, et tanquam leo securus et gaudens transiret ad vitam. Ipse autem Frater Jacobus jam de salute sua certus, et totus exhilaratus tam mente quam facie, ipsum Fratrem Joannem cum lætitia et risu pulcherrimo, et visu jucundo suscepit, eo quod sibi tam jucunda nova portaverat, et quia ipse eum tanquam filium diligebat; seque sibi intime recommendans, indicavit sibi, se jam resolvi a corpore. *d*

Unde

Ex Ms. eumque ex pacto antea inito

24 Unde Frater Joannes rogavit eum, ut sibi post mortem loqui dignaretur: quod Frater Jacobus promisit, si permitteret benignitas Salvatoris. Et his dictis, appropinquante hora exitus, Frater Jacobus cœpit devote dicere: O in pace! O in id ipsum! O dormiam! O requiescam! Et his dictis, cum jucunda et læta facie migravit ad Dominum Jesum Christum. Frater autem Joannes reversus ad locum Massæ, exspectabat promissum Fratris Jacobi in die, quo se dixerat locuturum. Et cum exspectaret, apparuit sibi Christus cum claritate magna et comitiva mirabili Angelorum et Sanctorum: et recordatus est Frater Joannes de Fratre Jacobo, et recommendavit eum Christo.

post mortem videt gloriosum,

25 Post hoc die sequenti, Fratre Joanne stante in silva Massæ, apparuit sibi Frater Jacobus, comitantibus Angelis, totus gloriosus et lætus. Cui dixit Frater Joannes: O pater, quare non fuisti mihi locutus in die, quo promiseras? Ille respondit: Quia indigebam aliquantulum purgari. Sed eadem hora, qua Christus tibi apparuit, apparuit Fratri Jacobo laico de Massa sancto *e*, et viventi B et servienti in Missa, ubi vidit Hostiam sacram hora elevationis conversam in puerum vivum pulcherrimum. Et locutus fui dicto Fratri dicens: Hodie cum illo puero vado ad regnum, quia nullus potest ire, nisi per ipsum *f*. Et quando recommendasti me Christo, fuisti exauditus; et eadem hora, qua locutus fui Fratri Jacobo prædicto, fui liberatus. Et his dictis, perrexit ad Dominum. Et Frater Joannes remansit valde consolatus; Frater autem Jacobus de Fallerano migravit in vigilia sancti Pauli Apostoli de mense Julii *g*, et requiescit in loco Molliani, ubi per eum Deus facit multa miracula. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi.

Cap. VII. et varia cordium arcana detegit.

26 Cum quædam personæ haberent quædam peccata terribilia et abscondita, quæ nullus poterat scire, nisi per revelationem divinam, de quibus aliqui erant mortui, aliqui vivi, Frater Joannes per revelationem divinam viventibus occulta peccata detexit. Propter quod illi ad pœnitentiam sunt conversi; quorum unus dixit, quod peccatum, quod Frater Joannes detexerat, fecerat, antequam Frater Joannes esset natus in mundo *h*: et ille, cui hoc dixit, dixit mihi. Et con- C fessi sunt, quod vera erant illa, quæ Frater Joannes de ipsis dicebat. Fuit etiam revelatum eidem, quod aliqui eorum, qui erant mortui, perierant morte temporali; et æterna, et aliqui tantum morte temporali et fuit hoc sibi certitudinaliter demonstratum: et ego vidi Fratrem fide dignum, qui cognovit personas illas.

ANNOTATA.

a *Hæc secunda apparitio S. Laurentii etiam in Actis prioribus narratur.*

b Contrata, *est regio vel tractus terræ, et ab Italis vernacule* contrada *appellatur. Hæc significatio satis clara est ex nomine* terra, *quod in altero M legitur, ut ad marginem notavimus.* D

c *Bartholomæus Pisanus fol. 84 de utroque hoc insigni viro sic scribit:* Frater Matthæus de Monte Rubiano, qui fuit sanctitate præclarus, visus est a Fratre Joanne de Alverna inter choros Angelorum et sanctorum cum B. Francisco gloria et claritate fulgere: sic et Fratrem Lucidum præfatum etiam vidit gloria singulari fulgere. *Quamvis de hac visione non dubitemus, et Arturus utrumque hunc Fratrem Menologio suo cum titulo* beati *inseruerit, tamen discere cupimus, utrum illustres illi viri legitimum cultum habeant, ne eos relinquere cogamur inter Prætermissos, ubi ad diem* X *Aprilis et* IV *Julii illos collocavimus.*

d *De hoc antiquo ac solitario Fratrum Minorum Conventu illustrissimus Gonzaga in Origine Seraphicæ Religionis fol. 203 consuli potest.*

e *Arturus in Menologio Franciscano ad diem 5 Decembris huic venerabili viro texuit sequens elogium:* In Piceno beati Jacobi a Massa confessoris, vitæ perfectione, oratione, rerumque cœlestium contemplatione clari. *Hueberus longiori* E *eumdem exornat elogio. Non dubitamus de pia hujus viri vita ac felici morte; sed scire cupimus, an alicubi immemorabilem cultum obtineat; quod etiam de Jacobo Fallerano jam laudato et mox iterum laudando intelligi volumus.*

f *Apparitio, quæ hic Jacobo Massano facta dicitur, in quodam Ms. codice deest, ut in margine ecgraphi nostri Lovaniensis notatur; sed eam in suo codice legit S. Antoninus, qui F. Jacobum de Fallerono sic respondentem inducit:* Eadem hora, qua Christus tibi apparuit, vidit me Frater Jacobus de Massa (scilicet quidam alius sic vocatus, Conversus et sanctus homo) dum serviebat in Missa: qui etiam vidit Hostiam consecratam conversam in puerum in hora elevationis ineffabiliter speciosum, et illis locutus sum tunc dicens: Cum illo puero vado ad regnum. *Etiam sequentia, quæ hic de morte et miraculis Jacobi de Fallerono adduntur, in alio Ms. desunt, ut ibidem ad marginem monemur.*

g *Non intelligimus, quomodo vir ille venerabilis dicatur mortuus* in vigilia sancti Pauli de mense Julii, *cum eo mense nullum S. Pauli Apostoli festum occurrat. Forte legendum est* quarto Kalendas mensis Julii, *quo die vigilia sanctorum Petri et Pauli celebratur. Quid si pro sancto Paulo Apostolo substituendus sit sanctus Jacobus Apostolus, cum Arturus et Hueberus ad hanc festivitatem propius accedant, quando in Menologio suo Franciscano annuam pii istius viri commemorationem die 25 Julii consignant?* F

h *Nescimus, quo fundamento Vinea S. Francisci, quæ Antuerpiæ anno 1518 Flandrice excusa est, folio 379 verso narret, id contigisse alicui* Fratri, *qui peccatum perpetraverat, antequam B. Joannes natus esset.*

A D

DE SS. FALCO & NICOLAO

Eremitis Calabris in Apulia.

J. B. S.

Sec. XIV. Eorum vita alibi descripta.

A*mbos hosce sanctos Eremitas hoc die, sed distinctis articulis memorat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, nos utrumque hic conjungimus, Henschenium secuti, qui ad diem* VII *Maii SS. Francum et Reginaldum hodiernorum socios eodem brevi Commentario complexus est, pleraque omnia recitans quæ* Falco *et* Nicolao *æque ac istis aptanda sunt ex citatis ibi Neapolitanis scriptoribus Marafioto, Romæo, Barrio et Ciarlanto accepta, ut de nostris vix quidquam dicendum supersit, quod ibi illustratum non sit, sive quod ad austeram vivendi rationem attinet, qua solitariis Ægyptiis æquiparantur, sive ad summam ipsorum humilitatem, ut qui mortuo* B *Hilarione institutore, prælaturam unanimiter detrectaverint, donec, projectis in aquam lancibus, pisciculus in* Nicolai *lance inventus ipsum cæteris præfectum designare visus sit. En modo breve utriusque elogium a Ferrario ex citatis auctoribus acceptum, quibus ipse Regium adjungit, eosdem paucis memorantem. De* S. Falco *ita habet :*

2 Falcus eremita, natione Calaber, sub Hilarionis eremitæ disciplina, una cum Nicolao condiscipulo et aliis quinque vitam egit in Aprutio asperam. Is post magistri sui obitum in Aventini fluvii vallem apud Casulum et Lamam oppidula Pelignorum se recepit, ibique post Nicolai excessum, et ipse ad Superos evolavit v Idus Augusti. Eugenio IV Pontifice maximo in templo Palenensi sepultus. *En modo* S. Nicolai *elogium :* *hic singulis*

3 Nicolaus B. Falci condiscipulus, et ipse ex Calabria, una cum Hilarione eremita in Pelignos veniens, sub illius disciplina arctam vitam duxit. Cum vero Hilarion carnis debitum solvisset, Nicolaus cum Falco aliquandiu in valle Aventini amnis apud Lamam, Furcam et Vandagrelam vixit, ac post se Falco relicto, vitæ eremiticæ meritis cumulatus migravit e vita, in templo Vandagrelæ sepultus. In cujus et sociorum laudem hæc ibi canitur antiphona : O PROLES CALABRIÆ, SPLENDOR SEPTEM SIDERUM, NOVUM VANDAGRELÆ DECUS, NOBILE DEPOSITUM, PER O JUBAR GRATIÆ CHRISTI BENEFICIUM, UT BREVE VENIÆ CORPUS NON INANE DEFLUAT. *datur elogium.* E

DE BB. JOANNE PLEBANO & LEONE BEMBO

VENETIIS IN ILLUSTRI S. LAURENTII PARTHENONE

COMMENTARIUS CONRADI JANNINGI P. M.

Præfatiuncula.

C

D*amus hic decessoris nostri P. Conradi Janningi primitias in hoc opere, ut ita dicam ; collectas nempe notitias, dum junior e studio theologico Romano in Belgium reversurus Venetias divertit, ibique tum invenit quæ non ad vitam quidem aut Beatorum, de quibus hic agitur, gesta, sed ad eorum saltem cultum pertinere et sufficere censuit, cæteris omnibus longa oblivione pridem sepultis. Cum autem immemorabilem utriusque venerationem abunde probasse videatur, rationem etiam reddens cur hoc potius die quam alio quolibet collocentur, non putavimus susceptum laborem negligendum : neque enim ingratam fore lectoribus confidimus opellam qualemcunque sub ipsum, ut ita dicam, tirocinium hagiographicum elaboratam. Sanctos hue remisit Papebrochius in Appendice, ad* XXI *Maii. Ita ille, monumentis accurate exploratis, rem totam digessit.*

CAPUT I.

De die cultus, statu ac inventione corporis, cultuque ipso B. Joannis Plebani.

A*bsoluto in celebri Athenæo collegii Romani Societatis nostræ Theologicorum studiorum curriculo, priusquam in provinciam meam Flandrobelgicam rediturus, Italia excederem, integrum fere annum variis in locis exegi, non inutiliter Actis Sanctorum, per novas rerum notitias illustrandis, impensum. Nec minimam moræ meæ partem sibi vindicavit celeberrima Venetiarum urbs, quam anno* MDCLXXXVI *die* XXVII *Junii ingressus, mense integro incolui, sacra omnis generis ac status Sanctorum lipsana, quæ istic plurima coluntur invisens studioseque inspiciens et veteres memorias donationis, translationis, publicæ venerationis examinans atque notans. Inter præclariora vero sanctuaria dictæ civitatis merito annumerari debet nobilissimum juxta ac religiosissimum sacrarum Deo Virginum monasterium,* *Venetiis in S. Laurentii*

vulgo

AUCTORE C. J.

vulgo S. Laurentii nuncupatum, in cujus duplici ecclesia altera modo dicti Sancti, altera S. Sebastiani nomine insignita, plurima Sanctorum corpora summo cum decore asservantur, plerorumque festum diem quotannis tota civitate Officio divino ipsis congruo celebrante.

beati Leo Bembus et Joannes Plebanus

2 Uni tamen atque alteri, quorum corpora ibidem quiescunt, istiusmodi honor non impenditur hactenus; suntque ii B. Leo Bembus, et B. Joannes, ecclesiæ quondam S. Joannis Decollati Plebanus. Nec mirum, neutri solemniorem illum obtigisse cultum: cum enim utriusque vita perobscura, dies obitus plane ignotus, omnisque fere eorum memoria cum corporibus sepulta sit, nihil fuit quod in lectiones proprias de eorum gestis componeretur; nihil quod certum diem tali venerationi determinaret: tum vero Moniales ipsæ in tanta sacrorum pignorum copia, ac quibus Officia canunt divina, parum sollicitæ de hisce duobus fuerint tunc temporis, quando facilius illa gratia obtineri potuit, nunc obtenturæ libenter, quando perdifficilis eo aditus datur. Verum ut
B
ut est, constat certe, tali utrumque veneratione pridem affectum fuisse, ut merito suo locum in hisce Actis invenire debeant. Et quanquam B. Leo *ad* XX *Octobris*, Beatus *autem* Joannes *ad* XXI *Maii, quo solemniori cum pompa annis* MDCXLIII *et* MDCXLIV *suum cujusque corpus ad novum altare translatum est, referri non incongrue possent: nihilominus quia simultanea eorumdem Translatio anno* MDCXXXII *die* X *Augusti rite facta sit ad novum S. Sebastiani templum; congruentius videtur de utroque simul hoc die* IX *Augusti tractandum, præsertim quia multa, quæ ad utrumque spectant, si ipsi inter sese separarentur, bis eadem repetenda forent.*

cur 9 Augusti dentur.

Vidi corpus B. Joannis integrum.

3 *Anno* MDCLXXXVI *quando Venetiis morabar, vidi corpus B. Joannis carne et pelle integrum, exsuccum tamen, colore fuscum, habitu sacerdotali indutum, quod illo ipso tempore extra monumentum suum, quod in stipite seu cavo altaris erat, in arca lignea antiqua in medio templi tantisper conservabatur, dum et ipsum novo ac magis pretioso habitu sacerdotali indueretur et cavum monumenti panno rubro circumvestiretur. Altare prædicti monumenti consecratum est in honorem S. Laurentii, quem et exhibet in tabula*
C
suæ craticulæ impositum. Infra tabulam autem sed supra altare, aliud sacrum servatur depositum, ossa scilicet S. Candidæ Virg. et Mart. anno MDCXLIV *die* XXI *Maii una cum corpore B. Joannis solemniter eo translata. Prædicta arca lignea eadem dicebatur esse, qua olim ejusdem B. Joannis corpus conditum fuerat; excedebatque vetustate sua memorabile tempus et signa non obscura præferebat antiqui cultus, illi Beato impensi. Siquidem in illa ipsius imago olim depicta etiamnum distincte spectari potest cum radiis circum caput.*

imaginem ejus antiquam cum radiis.

Breve Pontificis jubentis examen institui de cultu.

4 *Certius etiam indicium istiusmodi venerationis est Apostolicum Breve a Bonifacio Papa IX anno* XI *pontificatus ejus (id est Æræ Christianæ* MCD*) Nonis Octobris datum ad Primicerium ecclesiæ S. Marci Venetiis, tum temporis Franciscum Bembum, anno proxime sequenti, scilicet* MCDI, *ad episcopatum Castellanum ibidem promotum. In dicto igitur Brevi posteaquam Pontifex recensuisset ex libello supplici, ex parte Monialium sibi oblato, quomodo primitus inventum esset corpus B. Joannis, et quidem integrum, per odorem suavem inde prodeuntem; quomodo mox exhumatum communi consensu in altum fuisset elatum, depositumque in sacello, ad hoc* D
deputato, frequentis populi concursu ac pietate venerationem habuisset; tandem mandat Primicerio, ut re examinata, si ita esse compererit; corpus prædictum, quod Episcopus Castellanus nescitur quo animo ductus, abscondi curaverat, Apostolica auctoritate jubeat reponi loco suo, et populi venerationi, ut prius, exponi. Sed ipsum Breve, cujus originale cum sigillo plumbeo ipse vidi Venetiis in monasterio S. Laurentii, hic apponamus.

Quo modo corpus inventum

5 Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio Primicerio Ecclesiæ S. Marci de Venetiis Castellanæ diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ et conventus monasterii S. Laurentii de Venetiis ordinis S. Benedicti Castellanæ diœcesis Nobis exhibita petitio continebat, quod cum dudum in quadam capella S. Sebastiani ipsi monasterio contigua et annexa eisdem Abbatissæ et monialibus, inibi pro tempore ad hujusmodi capellam venientibus, mellifluus et infinitus odor sentiretur: et propterea ipsa Abbatissa et moniales stupefactæ, murmureque inter eas E
exorto, animadvertentes locum, ex quo odor hujusmodi provenire posset, quadam die proponi fecissent, et tandem quodam corpore humano reperto, quod juxta antiquiorum et communem existimationem jam quinquaginta elapsis annis traditum ecclesiasticæ sepulturæ, sanum et illæsum et quemadmodum pulchrum in eo statu si recenter de medio esset sublatum, remanebat, et ab eo odor hujusmodi, pro ut cernentibus evidenter apparuit, procedebat: ipsæque proinde Deo condignas gratias agendo cum devotione et humilitate condecentibus, ipsum corpus accipientes de hujusmodi sepultura in altum elevare, et in quodam loco dictæ capellæ, per eas ad hunc finem deputato, gratia divina coadjuvante, reponi fecissent, et ad ipsum etiam postmodum magna cum intimi cordis devotione convenisset populi multitudo: Ven. Fr. noster Leonardus episcopus Castellanus, quo ductus animo nescitur, præmissis ad sui notitiam deductis, hujusmodi corpus minus honeste tractando de dicto loco recipi et, ut creditur, in quodam loco recludi fecit, ipsis nihilominus pœnis et censuris interjectis expresse inhibendo, ne hujusmodi corpus amodo tangere quomodolibet attentarent: unde, sicut eadem petitio subjungebat, F
inter easdem Abbatissam et moniales pejor priori orirctur rumor et confusio: pro parte ipsarum Abbatissæ et monialium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc providere paterna diligentia de benignitate Apostolica dignaremur.

ac publicæ venerationi expositum,

jubente Episcopo absconsum sit.

Hinc moniales Pontificem appellant,

qui rei examen committit Primicerio S. Marci.

6 Nos igitur attendentes, quod si est ita, condignis honoribus, laudibus et exaltationibus isti corpori impendendi humanæ conditionis nequaquam sufficiunt facultates, et hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus super præmissis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem hujusmodi ea repereris veritate fulciri, super quo conscientiam tuam oneramus, dictum corpus ad hujusmodi vel aliquem alium locum, ad hoc magis congruum et idoneum in eadem capella restitui et reponi, in quo ab omnibus fidelibus exaltari valeat et venerari, eadem auctoritate procures, eisdem Abbatissæ et monialibus nihilominus concedendo, ut ipsum corpus omnibus Christi Fidelibus hoc pio corde optantibus ostendere valeant, quoties fuerit opportunum, dicti episcopi vel cujuscunque

alterius

A alterius super his licentia minime requisita. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate roboratis, et aliis contrariis quibuscunque seu te Episcopo Castellano pro tempore existente, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede præfata Indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Octobris Pontificatus nostri anno undecimo.

Gratis de mand. D. N. PP.

CAPUT II.

B Cultus B. Joannis et B. Leonis antiquus, per continuationem sui et Translationes solemnes confirmatus.

Cultum Joanni per aliud Breve Pontificis confirmatum esse, non satis constat:

Fateor equidem, rescriptum nullum Primicerii ad præmissum Breve, neque aliud Breve Bonifacii Papæ prædicti, quo venerationem publicam B. Joanni expresse permittat, uspiam a me visum esse : tametsi in tabella Ms. continente relationem de Inventione corporis B. Joannis Plebani, *quam infra dabimus, legatur, impetratum* a Bonifacio Papa IX, tum temporis Ecclesiæ præsidente, ut (quemadmodum ex Bulla Sanctitatis Suæ, in hoc monasterio conservata, constat) liceret prædictum corpus spectandum exponere, missam supra celebrare, utque sanctum et amicum Dei venerari. *Tametsi quoque similia scribat Paulinus Flamma Ordinis Cruciferorum in libello, quem edidit an.* MDCXLV *de vera origine ecclesiarum gloriosorum martyrum SS. Laurentii et Sebastiani, dicens,* anno MCD a Bonifacio IX concessa est per Breve particulare C facultas monstrandi populo corpus B. Joannis illudque venerandi, quemadmodum etiam testatur Sansovinus.

constat esse per continuatum ejus usum

8 *Verum utut illa minus constent : in favorem tamen Monialium decisam litem, suumque corpori locum ac venerationem auctoritate suprema restituta fuisse, vel inde colligi certo posse videtur, quod deinceps honestiori loco repositum corpus ad hæc usque tempora a populo pie visitetur, quodque non semel ex uno ad alium locum cum approbatione atque interventu Ordinariorum translatum sit pari cum pompa et solemnitate, atque solent Reliquiæ Sanctorum.*

et translationes solemnes,

Prima translatio, quam reperio scriptis notarialiter mandatam, instituta fuit occasione instaurationis ecclesiæ S. Sebastiani (quæ et ecclesia parva S. Laurentii indigitatur) cœptæ sub annum MDCXXIX, *quando et corpora BB. Joannis Plebani atque Leonis Bembi, præsente Illustrissimo Domino Tepolo, Patriarcha Veneto, ex dicta ecclesiola in majorem S. Laurentii portata conservataque ad an.* MDCXXXII *fuerunt; tunc autem inde jussu Reverendissimi D. Joannis Pauli Savii Ep. Feltrensis et in Patriarchatu Veneto Locumtenentis generalis, inspecta prius examinataque corpora in parvam ecclesiam locumque suum die* IX *Augusti reportata, ibique ab eodem Reverendissimo Feltrensi die* XI *mensis proxime sequentis visitata atque recognita fuerunt. Instrumentum Notariale sic habet, ex Italico Latine versum.*

eum approbatione Ordinarii factas.

AUCTORE C. J.

Transferuntur corpora Joannis et Leonis simul

9 Cum restaurari deberet parva ecclesia S. Laurentii, in qua corpora quiescebant servi Dei Joannis, quondam Plebani S. Joannis Decollati, et servi Dei Leonis Bembi, oportuit hæc loco decenti tantisper reponi, dum perficeretur ædificium, quo postea reportanda erant. Quamobrem cum venia, imo in præsentia Domini Patriarchæ Tepoli gloriosæ memoriæ, reposita fuerunt corpora prædicta, cum sua quodque capsa clavi obserata, in ecclesia grandi, quæ item S. Laurentii est; et alterum quidem servi Dei Joannis supra altare S. Marci prope sacrarium, alterum vero servi Dei Leonis supra aram Virginis Assumptæ, quæ est e regione S. Marci. Posteaquam vero fabricæ ædis parvæ finis impositus fuit, ita petentibus Reverenda adm. Matre Abbatissa et aliis RR. Matribus dicti monasterii, ego Franciscus Priori, Notarius Patriarchalis, a Reverendissimo D. Joanne Paulo Savio, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopo Feltrensi et in Patriarchatu Veneto Locumtenente generali, jussus sum conferre me hodie IX Augusti MDCXXXII pervigilio S. Laurentii martyris, ad dictam ecclesiam, recogniturus corpora præmemorata, recognita vero curare reponenda locis, ubi prius fuerant. Contuli me igitur quo jussus eram, et Rev. adm. Pater Aloysius Navara sacellanus curatus ecclesiæ S. Severi, indutus superpellicium et stolam, aperuit dictas capsas juravitque, illa esse eadem corpora, quæ pridem fuerant in ecclesia parva S. Laurentii; itaque recognita, portata fuerunt, inclusa capsis suis, ad locum pristinum in ecclesia parva, ubi ante hujus instaurationem quieverant : videlicet corpus servi Dei Joannis sub altari, quod est a parte dextra; alterum vero servi Dei Leonis supra altare, quod illi e regione est a parte sinistra, decenter reposita sunt a supra nominato adm. R. P. Aloysio, præsentibus me Notario præfato reverendisque admodum Patribus Aloysio Zonato sacellano et Cæsare Massi æditua. Ego Franciscus supradictus de præmissis omnibus rogatus fui, et requisitus feci publicum hocce instrumentum ad laudem et gloriam Domini Dei atque honorem ipsorum ejus Servorum.

ad ædem S. Laurentii

E

et recognita referuntur an. 1632

ad locum suum in S. Sebastiani,

F

ubi paulo post ab Episcopo Vicario

10 *Mense circiter uno post præmissam translationem atque recognitionem, ipse præfatus Episcopus Feltrensis inspicere corpora voluit : de eoque sequens instrumentum Notariale confectum, sic sonat :* Die sabbati XI Septembris MDCXXXII. Progresso personaliter ante dicto Reverendiss. Episcopo Feltrensi, Locumtenente generali in Patriarchatu Veneto, ad ecclesiam S. Laurentii; in ipsius, et mea Francisci supra dicti, et testium infrascriptorum præsentia fuit aperta capsa, ubi condebatur corpus servi Dei Joannis decenti cum ornatu, affirmavitque R. P. Aloysius Navara, sacellanus curatus S. Severi, esse id ipsum quod in æde veteri pridem servatum, inde in grandem pro tempore restaurationis illius translatum, et nuper in vigilia S. Laurentii ad pristinum locum reportatum fuerat. Similiter aperta fuit altera capsa, posita etiam in æde nova e regione alterius, ibique inventum fuit corpus servi Dei Leonis, decenter servatum. Quoniam vero in cooperculo capsæ prædictæ scriptum legebatur, Corpus B. Pauli; jussit præfatus Reverendiss. D. Episcopus, aufer-

iterum inspecta et recognita sunt.

AUCTORE C. J.

auferri dictam inscriptionem, ejusque loco reponi nomen proprium, videlicet, Corpus servi Dei Leonis Bembi. Qua de re rogatus fui ego supradictus Notarius, præsentibus RR. Antonio Norsino et Jacobo Fabutio Reverendissimi Episcopi supradicti sacellanis testibus. *Infra legebatur :* Franciscus Priori Notarius Patriarchalis Venetiis præmissis omnibus interfuit et rogatus in fidem se subscripsit.

CAPUT III.

Alia Translatio B. Joannis cum S. Candida Virg. Mart. necnon B. Leonis Bembi.

Duobus altaribus in æde S. Sebastiani erectis

Altera Translatio B. Joannis Plebani contigit duodecim fere post priorem annis, quando ad alterum e novis altaribus, in nova æde S. Sebastiani ab adm. illustri D. Francisco Lumaga B *nuperrime erectis, translatus solemniter fuit una cum sacris Reliquiis S. Candidæ Virg. et Mart. anno videlicet* MDCLIV *die* XXI *Maii : quemadmodum simili cum solemnitate ad alterum, huic oppositum, anno superiori* MDCXLIII *die* XX *Octobris translatum fuerat corpus B. Leonis Bembi. Utriusque Translationis instrumenta, quandoquidem de utroque Beato simul agimus et ipsa inter se quamdam connexionem habent, hic simul subjiciamus. Ex Italico sic sonant Latine :*

transferuntur corpora S. Candidæ et B. Joannis

12 In nomine Dei Amen. Anno a Nativitate Domini nostri MDCXLIV Indictione XXII die profesto Sabbati XXI Maii, Pontificatus Domini nostri Urbani Papæ VIII anno XXI : existentibus Abbatissa venerabilis monasterii S. Laurentii Illustriss. et adm. Reverenda Domina Electa Dona; æditnis vero Illustrissimis et adm. Reverendis Dominabus Andriana Badoera ac Maria Grimani. Notum sit omnibus ac manifestum, qualiter reædificata jam æde sacra S. Sebastiani, quæ contigua est extremæ parti majoris ecclesiæ S. Laurentii prædicti, in ea deinde fabrefacta sint ab. adm. Illustri D. Francisco Lumaga, mercatore Veneto, ex pura devotione sua, altaria duo, unum sub titulo B. Virginis Mariæ et S. Francisci, ex parte mo- C nasterii; alterum dedicatum S. Laurentio in craticula, ex parte cœmeterii, sic ut alterum e regione alterius sit, utrumque vero loculamentis seu cavis ad reponenda inibi Sanctorum Beatorumve corpora instructum. Cum autem Reverendæ Matres prædictæ in ædicula sua interiore haberent corpus S. Candidæ Virginis et Martyris, nec non corpus servi Dei Joannis, olim Plebani S. Joannis Decollati, quod semper extra altare cum capsa sua solita in æde S. Sebastiani permanserat, sed ipsæ pro devotione sua aliisque de causis, intervenientibus Dominis sacellanis, pridie vesperi intra monasterium tulerant cum plena facultate, uti in instrumento ea super re formato XI Septembris MDCXXXII, ad quod etc.

e claustro monasterii

13 Volentes porro eædem Matres corpora prædicta tolli e loco interiore, ubi modo, sicut dictum est, sunt, locanda supra et intra altare prædictum S. Laurenti respective pro majori decore ac veneratione eorumdem. Hinc est, quod præsentibus

cum licentia Ordinarii et celebri pompa

me Cancellario atque testibus infrascriptis, obtenta prius debita facultate a Reverendiss. D. Alexandro de Franceschis, utriusque legis Doctore, Protonotario Apostolico, Cathedralis Ecclesiæ Venetiarum Archidiacono, et, Sede Patriarchali vacante, Vicario Capitulari Generali deputato, D coactæ simul omnes venerandæ Abbatissa aliæque Matres ejusdem monasterii in loco interiori, ubi dicta corpora erant reposita supra duas thensas, belle atque eleganter floribus aliisque rebus, tali tempore ac loco adhiberi solitis, ornata. Hinc octo e dictis Matribus, supplicantium more, non exiguo tædarum accensarum numero prælato, extulerunt thensas, claustrumque circumeuntes interius venerunt ad portam qua itur e claustro interius venerunt ad portam qua itur e claustro in renovatam ecclesiam S. Sebastiani.

a monialibus per monasterium,

14 Hic parati exspectabant adm. R. D. Joannes Massiccius, primus sacellanus cum pluviali; aliique tres Domini sacellani atque adm. R. Pater Magister Stella ipsarum Confessarius cum pluribus aliis sacerdotibus hunc in finem vocatis, quibus a Reverendis Matribus illis tradita fuerunt prædicta corpora, primum quidem S. Candidæ Virg. et Mart. tot retro annis in monasterii claustro reconditum, deinde vero servi Dei Joannis, quondam Plebani S. Joannis Decollati, pridie in claustrum illatum, ut supra : denique et faces ipsæ, ut E erant accensæ, traditæ fuerunt : quibuscum suam quoque prædicti Domini supplicationem orsi, ex æde S. Sebastiani exiverunt, circumque cœmeterium euntes, intrarunt ecclesiam majorem S. Laurentii, per eamque progressi venerunt, tandem per portam minorem ad supra memoratum altare, ubi incensatis corporibus loculisque, quod erat S. Candidæ Virg. et Mart. impositum fuit suæ conchæ aut loculo supra altare, in hunc finem efformato : alterum deinde servi Dei Joannis prædicti inclusum est in cavo ejusdem altaris sub ipsa mensa, huic rei destinato. Tunc iterum incensatum est, dictisque consuetis orationibus tota actio finem habuit : cui pariter intervenerat adm. Illustris D. Andreas Lumaga, ante dicti D. Francisci, tunc multis aliis cum personis ab urbe absentis, frater. Post hæc ab adm. Rev. D. Francisco Lombardo, uno e sacellanis Reverendarum Matrum prædictarum celebratum fuit supra illud ipsum altare sacrificium Missæ.

a sacerdotibus per cœmeterium

ad altare ipsis destinatum.

cui inclusa sunt et Missa supra celebrata.

Petitur in hoc Instrumento mentionem fieri Notæ infra positæ

15 Hisce omnibus super rebus præmemoratæ Matres æditnæ rogarunt me Cancellarium Capitularem infrascriptum, Instrumentum præsens ut conderem, proferens simul etiam Notam infra- F scripti tenoris, inserendam ad majorem ejus valorem tam præsenti instrumento, quam Actis Cancellariæ Patriarchalis, ut ne ullo tempore oriatur dubitatio circa gesta in Translatione aut transportatione dictorum corporum, affirmantes mihi, eadem esse, quæ nominantur in præmisso Instrumento diei XI Septembris MDCXXXII; ad quod semper recurrendum diligenter est. Uti etiam S. Candidæ Virg. et Mart. quod tot annorum spatio in ædicula sua veteri conservatum atque apud ipsas in veneratione fuit. Qua super re similiter etc. Actum et Datum Venetiis in prædicta ecclesia S. Sebastiani sub anno, Indictione, die, mense et pontificatu quibus supra : præsentibus perillustri et adm. Rev. ac Excellentissimo D. Aloysio Zane, Advocato ecclesiastico; Clariss. D. Petro Laurentano earumdem RR. Monialium et monasterii negotiorum gestore et factore; et aliis permultis testibus vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Antonius Pulzonus Proton. Apostolicus Parochialis et Coll. ac Matricis ecclesiæ S. Mariæ Sebenicæ Venetiarum Plebanus, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, nec non sede Patriarchali pariter Venetiarum vacante Cancellarius Capitularis deputatus de præmissis rogatus in fidem sub. req. m. etc.

16 *Hacte-*

A *de Translatione B. Leonis Bembi facta an. 1643 20 Octob.*

16 *Hactenus Instrumentum illud, cujus clausula ab illis verbis* Actum et Datum *Latina est etiam in Originali : et continuo subjecta legitur Attestatio de Reliquiis S. Leonis earumque Translatione sub hoc titulo :* Sequitur tenor Notæ supra memoratæ, mihi præsentatæ a præfatis Dominabus RR. Matribus Æditius ad effectum, ut supra.

Attestamur nos infrascripti sub juramento nostro, quomodo die Martis, vigesimo mensis Octobris MDCXLIII fuerimus præsentes in Translatione corporis S. Leonis Bembi, facta in ecclesia S. Sebastiani prope S. Laurentii. Fuit autem elatum ex capsa veteri, cui includebatur in dicta ecclesia, apteque positum in thensa, portatum per modum supplicationis circum ecclesiam S. Laurentii, ac tandem reconditum prædicto die in altari hanc ob causam constructo in dicta ecclesia S. Sebastiani, præsentibus multis personis, quæ eo concurrerant : postquam recognitum fuisset dictum corpus a DD. sacellanis S. Severi subscriptis, a quibus idem antea elatum fuerat e prædicta capsa. In quorum fidem omnes subscripsimus manu propria. Ego sacerdos Joannes Chassicius sacellanus Curatus S. Severi fui præsens et affirmo ut supra. *Similiter tres reliqui sacellani et quatuor aliæ personæ subscribunt atque affirmant.*

B *ut testantur octo personæ.*

CAPUT IV.

De cultu, Episcopatu, Martyrio, Vita, Inventione corporis, ætate B. Leonis Bembi, quid certum dubiumve sit.

Antiqui cultus argumenta habent picturæ

Præter dicta duobus proxime superioribus capitibus de B. Leone Bembo, ad recentiorem ejus venerationem facientia; proferenda sunt modo antiquiora quædam cultus, eidem olim impensi, indicia, ex imaginibus fere tabulisque vetustis hausta. Vidi ego Venetiis an. MDCLXXXVI *tabulam oblongam, corpore B. Leonis supra altare extenso parem, quæque ipsum post se inclusum occultat. Dispartita est tota in quinque spatia fere quadrata, aliter atque aliter B. Leonem, ubique tamen radiis circum caput rutilantem, repræsentantia. Qualis autem ubique repræsentatio sit, e subjectis ibidem inscriptionibus fere patescet. In medio spatio ipse depingitur Episcopalem indutus habitum cum hac subscriptione;* S. Leo Episcopus clarus de Bemba propago, vivus et mortuus multa miracula fecit. *Duo quæ hinc dextrorsum sunt, spatia eumdem exhibent, alterum quidem infirmo assistentem adjecto lemmate;* De Ronconellis Catherina cæca orat Deum et illico visum recepit anno Domini MCCCXVIII. *Alterum vero jacentem in tumulo, fulgente desuper lumine explicatur historia inventionis corporis per subjectam epigraphen.* Astra demonstrant divi Leonis sepulchrum, currunt infirmi, orant et redeunt sanati anno Domini MCCXII. *Quod a sinistris medio proximum est spatio, ostendit mortuum Leonem et extensum cum hisce versibus :* Incorruptio corporis, multos annos humi jacentis, indicat nobis, Leo, tuam sanctam vitam perennem anno Domini MCCVII. *Denique extremum hic spatium picturam habet, qualem hæc verba indicant :*

C

cum radiis Leonem repræsentantes.

uti et miracula ibidem indicata.

Desperata salute puella ad divum accessit, dapro filia mater et impetrat sanitatem anno Domini MCCCXXI.

AUCTORE C. J.

18 *Et hæc quidem ipse coram vidi atque obiter notavi Venetiis. Non tamen vidi tabulam aliam, de qua meminit supra nominatus Flamma in libello, quem inscribit* Vita et miracula gloriosi sancti, Leonis Bembi, *quamvis minima libelli pars de illis tractet. Tabula hæc quo ad repræsentationem fere similis, quo ad formam vero dissimilis fuisse debet illi, quam ego vidi et modo descripsi : mea quippe illa, quintuplo fere longior quam alta, in quinque spatia æqualia ordine recto dividitur; hæc vero auctoris, videtur fere tetragona fuisse, et media pictura tantum spatii occupasse quantum aliæ quatuor simul : quarum binas hinc et totidem inde, utrumque latus mediæ picturæ a summo ad imum puto clausisse. Sed ex ipsa auctoris descriptione plura erui poterunt. Loquitur Italice in hunc modum :*

nec non aliæ picturæ antiquiores

similis repræsentationis

19 Pictura, quæ est muta locutio rerum præteritarum, nonnulla supra dictorum nos docuit; quæ videre est in tabula, elaborata an. MCCCXXI, gubernante Reverendissima Abbatissa Sor. Tomasina Victuri. Tabula in quinque loculos seu spatia minora dividitur : in medio a summo usque ad imum spectabilis est imago S. Leonis, talari toga spadicei coloris vestita, ejusdem coloris crepidis induuntur pedes; pallium similis fere coloris, ex humero dextero apertum, defluit usque ad terram; qui habitus, teste Illustriss. Archiepiscopo Philadelphensi, natione Græco, dari consuevit ab Ecclesia Martyribus. Pallium hoc tegitur superpellicio admodum brevi, ut mos Græcorum obtinet, sed nigræ pellis. Caput ornatur calantica, quali fere uti solent summi Pontifices illique superinduitur alia, coloris purpurei, simillima capillamentis hujus temporis, vulgo calottis : denique ad pedes Beati scriptum exstat: *Factum fuit hoc opus anno* MCCCXXI.

in quibus B. Leo pingitur in habitu, ut putatur Martyris,

E

20 In reliquorum quatuor loculorum uno pingitur B. Leo extensus in feretro, vestitus ut supra; adstante ad medium feretrum Episcopo, qui cadaver venerari videtur cum frequenti populo ac monialibus circumstantibus : locus autem instar habet ædificii ruinosi; et adscribuntur litteræ vetustate partim exesæ, quæ dicunt : Qualiter S. Leo sepultus fuit et tota civitas fuit [præsens] cum multitudine maxima Clericorum; et multa miracula fecit. In altero spatio, huic opposito, conspicitur extensus in sepulchro, ampla populi corona cinctus; supra vero in cœlo apparet corona stellarum, emittens radium, corpus indicantem. Scriptura, quæ supra sepulchrum legitur, hæc est : Corpus beati Leonis; quæ vero in summa spatii parte, corrosa lectuque difficilis, sic habet : Qualiter corpus beati Fratris Leonis positum fuit in arca sub porticu Presbyterorum, ut apte in ipsa ecclesia collocaretur et circa annum Domini MCCVII fuit repertum. In spatio inferior pingitur cæca, nomine Catharina, filia Rogerii de Ronconellis, cui per intercessionem Sancti reddita fuit a Deo facultas videndi; uti et alia, quæ morti proxima cum esset, sanitatem recepit. In ultimo denique spatio, illi contrario, repræsentatur, quomodo intercedente Sancto infantula moribunda restituta sit matri suæ sana. Anni porro, quibus hæc miracula contigere, fuerunt MCCVII, MCCXVIII, MCCCXXI : et ubicunque B. Leo exprimitur, aureola caput ambit.

extensus in feretro,

F

indicatus post mortem per stellas.

medicans variis infirmis.

21 *Legenti dicta præsenti capite nullum esse dubium potest, quin picturæ, de quibus modo,*

NUCIORE C. J.

Ex picturis probabile B. Leonem fuisse Episcopum.

prototypæ fuerint illarum, quas ego vidi, supra descriptas, quamvis enim non modicam ætatem ... æ præferant, ad annum tamen MCCCXXI, *ad quem suas refert Flamma, pertingere nequaquam poterunt : sed satis ad institutum nostrum est, quod prototypon jam pridem extitisse sciamus, ac ejus similitudo ad nostra usque tempora per ectypon transmissa sit. Hinc enim, considerato B. Leonis habitu, suspicari non incongrue licet, ipsum episcopali dignitate ornatum fuisse; constat certe, talem de ipso tribus et dimidio abhinc seculis opinionem vulgo invaluisse, obtenturam, ut puto, etiam modo apud non nimis contentiosos rerum æstimatores fidem in re cæteroquin obscurissima. Obtinuit profecto illam initio superioris seculi apud elegantissimum stylo atque Eminentissimum dignitate Petrum Bembum, qui Romæ Leoni Papæ X diu ab epistolis, a Paulo deinde Papa III Cardinalis creatus, habuit in suo museo, uti Flamma testatur, imaginem grandem B. Leonis, similem illi, quæ supra descripta est, nisi quod prætérea hic appicta sit mitra episcopalis, et supra mensulam adstet pileus niger cum Cruce sibi imposita, qualem gestare solent Papassi, vulgo dicti, seu Plebani Græci.*

B

non item fuisse Martyrem,

22 *Quod autem in Martyrum numerum referre B. Leonem Flamma velit eo præcipue fundamento, quod pingatur cum chlamyde longa, ab humero dextero ad usque terram aperta: non tam facile eruditis omnibus probabitur. Neque putem, Illustriss. Archiepiscopum Philadelphiæ istiusmodi habitum, simpliciter Martyribus ab Ecclesia tributum, intelligi voluisse. Si quos tali cum chlamyde depictos viderit Martyres, eosdem et milites fuisse credidero, nec tam ratione martyrii quam ob gloriam militarem sic indutos. Est antiqua penes nos imago S. Sebastiani, militia quanquam et martyrio, clarissimi, cum talis formæ pallio repræsentari. Id ipsum in tapetibus non admodum antiquis circa milites observare Idem Romæ atque Ravennæ in vetustis mosaicis circa vestitum Heroum Christianorum, idem in statuis Imperatorum etiam gentilium videre est. Plura quoque ejusmodi notari poterunt in Ephemeride nostra Moschorum figurata ante tom. I Maii. Rectius igitur dici posse videtur, tali amictu indutum a pictoribus olim B. Leonem, quod teste Flamma, sub Dominico Michaele Duce, classis Venetæ Archithalasso, laborantibus in Terra sancta Christianis opem laturo, solverit in Orientem, Palæstinamque adierit seu pugnandi seu pugnantes animandi sanctave illa loca visendi causa : militiæ certe aliqua ipse pars gloriosæ fuit. ut non immerito militari habitu donetur.*

sed potius fuisse militem

C

Creditur ab episcopatu Muthones in servitutem abstracus a Græcis.

23 *Vult præterea Flamma, Leonem patruum aut avunculum Ducis Michaelis, ab eoque in reditu expugnata Muthone, Episcopum loco illi præfectum fuisse, inde postea ab Emmanuele Comneno Græcorum Imp. abductum cum aliis Latinis in servitutem, fuga tandem elapsum ac patriæ suæ redditum, reliquam vitam transegisse ignotum in monasterio S. Laurentii Religionis Benedictinæ, instar Conversi, serviendo Monachis, qui ibidem Monialibus erant a confessionibus et in ecclesia celebrant sacrificia Missarum. Sed hæc auctoris istius fide credi potius velim, quam mea, pleraque conjecturas existimantis. Splendorem familiæ B. Leonis ejusque nobilitatem satis antiquam vel solum nomen* Bembi *testatam facit, ut ne ad sanctos Hermetes gentilesque Scipiones referatur. Episcopum fuisse, indicia nonnulla supra videntur persuadere posse; fuisse vero Muthones, erui dicitur ex arbore genealogica familiæ Bembæ, nescio quam antiqua vel ubi nata. Sed accipe paucis reliqua de morte ipsius, eadem tamen fide, qua supradicta quamque meretur auctor modernus, ac magis verbosus quam circumspectus, in re tam antiqua, nullam allegans alterius auctoritatem.*

et iis elapsus abdidisse se Venetiis in monasterium S. Laurentii.

D

ubi sancte mortuus est

24 *Postquam encomiastice narravit exercitia virtutum, quibus se in sancto illo monasterio occupaverat in vita ignotus Leo;* Visum est *inquit*, bonitati divinæ evocare ipsum ad cœlum. Nocte igitur quadam intempesta post datum ære campano signum ad preces Matutinas, dum ipse genibus nixus, manibusque junctis ... ad cœlum porrectis orat, sanctam animam Creatori suo reddidit, campanisque mox per se ipsis Ave Maria sonantibus, discurrerunt per domum Moniales famulique monasterii, visuri, quinam tempore tam alieno pulsarent campanas; nemine autem deprehenso, dubitare cœperunt, num forte Sanctus sonuisset : ad ejusque properantes domicilium, quod male materiatum ac ruinosum in horto ipsi pro eremitorio erat, invenerunt mortuum illo, quo dictum est, situ. Volentes porro famuli auferre cadaver inde, manusque aperire; frustra laborarunt, donec accersita Abbatissa præciperet in virtute sanctæ obedientiæ, manus ut aperiret : idque tum demum fecit miraculose ac inventa est inter illas scriptura, quæ dicebat, Frater Leo; et credibile est additum etiam fuisse, Episcopus.

sonantibus sponte sua campanis,

E

In manibus mortui. per solam obedientiam apertis, reperitur charta cum ejus nomine.

25 Ad id miraculi late circum vicinia concurrunt, summaque cum religione corpus, in eodem adhuc loco positum, tangentes atque osculantes, gratias infinitas per ejus merita a Domino obtinuerunt. Quamobrem didita per urbem fama, placuit Monialibus non tam propere sepelire corpus, ut satisfieret desiderio devoti populi. Cum vero incessanter confluerent turmæ infirmorum aliorumque in necessitate quapiam constitutorum, advolavit rei fama ad aures quoque Reverendiss. D. Joannis Polani, episcopi Castellani : qui animum induxit eo se personaliter transferre, visoque corpore, solemnissimas ei fecit exsequias, comitantibus omni Clero civitatis tam regulari quam seculari, et innumerabili populo, excito fama miraculorum, quæ mediantibus illo venerabili corpore ejusque meritis operabatur Deus. Denique post triduum, quo corpus insepultum remanserat, conditum fuit in arca marmorea, relictumque supra terram in cryptæ porticu ecclesiæ S. Laurentii, dum formaretur processus gratiarum atque miraculorum ejus, vitæque in adversis et laboribus transactæ.

Concurrit frequens populus

et ipse Episcopus

F

qui solemnes exsequias instituit,

et processum de vita ejus formare incipit,

26 Verumenimvero succedentibus luctuosissimis Reipublicæ temporibus propter bellum Emmanuelis Græcorum Imperatoris, ... intepuit devotorum fervor et memoria Sancti omnium in animis obliterata est. Qui tamen mirabilis semper in Sanctis suis Dominus, non sivit, diu inglorium latere tanti meriti Virum. Quapropter anno MCCVII sub episcopo Castellano, Reverendiss. D. Philippo Cassolo *(imo Marco Nicolai : anno quippe* MCLXXXIV *obierat Philippus Cassolus, et Marcus successerat rexitque usque ad annum* MCCXXV) summo Pontifice Innocentio III; Serenissimo Duce Petro Ziani; et Abbatissa S. Laurentii Reverendiss. Matre Sorore Maria Barbarigo; sacristanæ pluries viderunt circulum stellarum in cœlo, e quibus progrediebatur talis splendor, qui instar manus arcam S. Leonis hominibus monstrare videretur, ut gemma illa singularis, inter cadavera peccatorum eatenus occulta,

qui intermissus propter bella,

propter miracula succedentia

inde

A inde tolleretur. Postquam Matres illæ sæpius allaborassent, ut arca aperiretur, tandem post multas preces superarunt insidias inimici animarum nostrarum, qui porro occultare cupiebat gloriam Dei, occultando miracula hujus Sancti, jam e memoria hominum oblivione deleta. Apertum igitur fuit sepulchrum præsentibus sacellanis ecclesiarum S. Laurentii, S. Sebastiani et S. Severi, quæ omnes sub jurisdictione Monialium sunt, assistente etiam Vener. Matre Abbatissa, inventumque corpus est Sancti hujus plane integrum, tanquam si pridie illic repositum fuisset; neque caro induruerat aut animæ defectu, aut temporis longinquitate, sed delicata mollisque erat, acsi tum primum anima inde emigrasset, quemadmodum hodiedum quoque perdurat.

corporisque incorrupti inventionem

27 Tanta rei novitate excitus iterum populus, tam qui procul, quam qui prope aberant, iterum ad preces ac vota applicarunt animum: et bonitas Divina, quæ nunquam deest fidelibus suis, hac occasione consolata est multos ad gloriam Servi sui, largiendo iis beneficia, quæ postulabant. Tum vero episcopus Castellanus, B resumpto processu primo eique adjunctis novis hisce prodigiis, postquam instituisset ordinarias consultationes, statuit dignum esse Leonem, qui Sanctorum adscriberetur numero, sublatumque ex arca sua cum longis cæremoniis ac processione in capsa conspicua supra altare in S. Sebastiani collocavit.

resumitur; et Leo, sanctus esse declaratur.

CAPUT V.

Inventio corporis et miracula S. Joannis Plebani.

Flamma ponit natum Joannem an. 1325. non recte;

Sæpe *jam nominatus Flamma, postquam de B. Leone egerat, subjicit continuo nonnulla de B. Joanne Plebano, sed nihilo felicius conjiciens, nihilo fundatius ratiocinans hic, quam supra. Ponit enim natum Joannem anno* MCCCXXV, *eidemque assignat summum Pontificem sine nomine, et Imperatorem Henricum; cum tamen ab anno* MCCCXIII *istius nominis nemo imperaverit.* C *Facit deinde presbyterum Joannem et Plebanum, sed mortuum anno* MCCCXLVIII, *adeo ut necesse sit dicere, annos amplius* XXIII *natum fuisse nunquam, et tamen sacerdotio initiatum, curam animarum habuisse. Quamobrem satius esse duco, simpliciter ignorantiam fateri nostram in rebus istiusmodi, quando nullum omnino suppetit fundamentum conjecturæ fundandæ. Certe antiquiorem de B. Joanne memoriam non invenio, postquam omnia scripta, eo spectantia, ab Illustriss. Domina Abbatissa benigne mihi coram ostensa, perlustravi, quam quæ legitur in libello supplice monasterii S. Laurentii Bonifacio Papæ IX oblato insertoque litteris Apostolicis ejusdem, supra capite 1 relatis. Datæ fuerunt litteræ prædictæ Nonis Octobris Pontificatus Bonifacii anno* XI, *id est Æræ vulgaris* MCD: *ante quod tempus non admodum diu videtur corpus inventum fuisse, postquam annos circiter quinquaginta sepultum fuerat, adeoque tempus quidem mortis a Flamma non incongrue refertur ad an.* MCCCXLVIII, *si reliqua ei convenienter aptata fuissent.*

rectius ponit mortuum an. 1348.

29 *Nihil quidquam distinctius nos docet auctor Relationis, mox subjiciendæ, de Inventione B. Joannis ejusque miraculis, si non et magis indistincta illa sit. Illud certe, quod sub ipsum initium ponitur, nempe inventum miraculose corpus esse* anno MDIII sub Abbatissa Domina Joanna Zeno, *unum alterumve errorem continet manifestum: vel enim annus ille non convenit isti Abbatissæ, vel si convenit, utrumque perperam ponitur; constat namque ex litteris Bonifacii Papæ IX supra, ante annum* MCD *corpus illud inventum fuisse, et quidem indicio suavissimi, qui inde prodibat, odoris. Unde et minus recte ibidem infra narratur, indicio discurrentis supra arcam stellæ Moniales in notitiam corporis venisse: nisi hæc omnia posse salvari putes, si intelligantur de secunda aliqua Inventione, quæ jam dicto anno* MDIII *sub Abbatissa Joanna, indicio stellæ facta fuerit: potuit enim corpus postquam ab Episcopo Leonardo abscondi jussum fuit, latuisse adusque annum modo dictum, et novo miraculo tunc revelatum fuisse. Non incongruum est hoc ratiocinium; quod et mihi forte persuadebit, ita factum esse, si doctus fuero Dominam Joannam Zeno illo anno* MDIII, *non autem* MCD *ut ego rationabiliter judico, monasterio Abbatissam præfuisse. Sed concessa etiam gratis secunda illa inventione, mox iterum impingere videbitur auctor, ubi mentionem facit corporis indecore tractati abditique ab Episcopo Leonardo, quem docet Ugellus ab an.* MCCCXCII *ad* MCDI *diœcesim Castellanam rexisse; adeoque jam tum inventum fuerat.*

Alia Relatio male notat

AUCTORE C. J.

annum Inventionis 1503

E

aliaque habet incongrua,

30 *Quamobrem ita statuo, indulgendum nonnihil auctori Relationis, tum quod femina et Monialis fuerit, uti ex contextu satis apparet; tum quod ex traditione aliarum et vulgi videatur pleraque narrare; tum etiam quod præcipuus error sine culpa auctoris rejici possit in scriptoris oscitationem, annum* MDIII *ponentis, ubi* MCDIII *debuisset, qui parum a vero discrepasset atque satis accurate ex traditione notatus fuisset. Dabo igitur Relationem ipsam, uti inveni appensam in ecclesia S. Sebastiani ad altare S. Laurentii super craticula ustulati, in cujus altaris stipite corpus B. Joannis integrum, ut supra dicere memini, conservatur. Scripta est in tabella, facile bipedali, membranea, antiqua satis, Italica lingua, sed stylo admodum simplici ut vel inde apparere possit, a femina esse. Ecce titulum præfixum:*

quæ ignoscenda auctori feminæ.

Relatio ipsa datur.

F

31 Hæc est inventio corporis Beati Joannis, olim Plebani S. Joannis Decollati, cum aliquot ejus miraculis. Corpus autem quiescit in hoc altari. *Tum sic orditur:* Cum venerabilis cujusdam Religiosi corpus portatum esset sepeliendum sub xisto ecclesiæ gloriosi Martyris S. Laurentii, comitantibus multis a clero et congregatione verberantium sese, aliisque personis: aliquot pueri propter hominum turbam, funus circumstantium, conscenderunt arcum quamdam, sub dicto xisto duobus atlantibus sustentatam, corporis videndi causa. Contigit autem pondere supersedentium puerorum ruptis atlantibus arcam delabi impactamque in aliam, illam comminuere, ipsam vero integram atque illæsam permanere. Unde sublata ac portata in monasterium in cœmeterio nostro collocata fuit sub muro arcuato ibique multis annis incognita latuit; donec anno MDIII sub Abbatissa Domina Joanna Zeno placuit omnipotenti Deo revelare sanctitatem hujus venerandi atque pretiosi corporis sequenti modo.

Urna cum corpore B. Joannis, muro affixa,

decidit illæsa;

32 Æditæ fungebantur munere D. soror Orsa Falier et D. Catharina Soranzo; quibus, ad dandum pro precibus Matutinis ære campano signum

supra quam diu post discurrere visa est stella,

AUCTORE C. J.

gnum euntibus, visa est non sine miraculo discurrere supra prædictam arcam stella; *idque iterato ac sæpius accidit. Quamobrem existimantes* aliquid miraculose hic portendi, adierunt D. Abbatissam narrantesque id quod viderant, instanter postularunt facultatem aperiendi arcam illam; qua ægre tandem obtenta, invenerunt sacrum hoc depositum, integrum, cum capillis, palpebris, dentibus aliisque omnibus membris; erat autem indutum sacerdotali casula, alba et cingulo, unde odor suavissimus spargebatur. Deinde summa cum reverentia extractum ex arca illa fuit, et sub alia, quæ istic ad manum erat, abditum. Quo facto sparsa rei fama est per omnem terram, accurritque visum ingens hominum multitudo, auferentium sibi ex devotione partem vestis, adeo ut nihil ejus post triduum, quo continuavit concursus, remanserit. Post hæc glorificante per gratiam suam Deo sacrum hoc corpus in dies multis continuisque miraculis, transportatum inde fuit cum solemnissima supplicationis pompa ac pietate in capsa lignea ad sacellum gloriosi Martyris S. Sebastiani.

unde aperitur, et corpus invenitur integrum.

visiturque a frequenti populo

et miraculis clarescens.

B

transfertur ad S. Sebastiani.

33 Abierat interea longo post obitum lapsu temporis in oblivionem, latebatque hujus Sancti nomen, cum ipse per visionem sese stitit venerandæ cuidam hujus monasterii Dominæ, cui nomen Soror Nicoletta Gradenigo, dixitque: Abi ad D. Abbatissam illique dic, Joanni mihi nomen esse. Paruit illa, ac primo mane visionem suam retulit non modo Abbatissæ, sed reliquis etiam monialibus; quæ diligenter investigantes atque interrogantes personas ætate grandiores; quisnam foret sacerdos ille, istic loci olim sepultus; didicere tandem, esse Plebanum S. Joannis Decollati, et ipsum nomine Joannem, virum sanctæ et exemplaris vitæ. Nec aliter credere fas est. Jamque multo tempore devote hocce loco sepultus fuerit, quando Deus gloriam suam in ipso manifestam fieri ipsumque exaltare et magnificare voluit.

Revelat nomen suum.

34 Quinquaginta amplius annis tenuerat concursus populi, miraculorum fama excitati, ad sacrum corpus, decenti cum honore conservatum: cum die quodam Episcopus Venetiarum, tum temporis D. Leonardus, et ipse visurus sacrum depositum venire voluit, sed cum intentione ac dispositione minus recta: nam ubi accesserat, satis indigne atque irreverenter sacrum corpus tractans, jussit ipsum inde auferri locoque minus conveniente reponi, imponendo præceptum Abbatissæ aliisque Dominabus sub pœna excommunicationis, ut ne deinceps corpus illud cuiquam monstrarent, de eoque perpetuo silerent. Verum postquam inde abiit, tantus ipsum divino judicio incessit in altero brachio dolor, ut prope a morte se abesse crederet: cognitoque errore suo et exigua erga Sanctum hoc corpus devotione, ob quæ id sibi infortunii accidisse suspicabatur; gradum vertit, corpusque jubet pristinum in locum magna cum reverentia reportari. Impetravit insuper a Bonifacio Papa IX tum temporis Ecclesiæ præsidente, ut (quemadmodum ex bulla Sanctitatis suæ, in hoc monasterio conservata, constat) liceret præd. corpus spectandum exponere, Missam supra celebrare, utque sanctum et amicum Dei venerari: et talem vere esse, æstimare licet ex miraculis, quæ indies manifeste videntur et nonnulla in signum sanctitatis ejus hic recensebuntur.

Visitur ab Episcopo corpus

C

jubeturque sine honore abscondi:

ab eodem, divinitus punito.

restituitur loco suo.

35 Ac primo quidem juvenis 18 annos natus, a spiritu maligno oppressus, accessit visitaturus Beatum hoc corpus. Nec mora intercessit ulla, cum *per merita Sancti sanatus fuit. Mulier quædam ex* familia Barbafella, toto corpore siderata, baculis axillaribus subnixa venit ad sacrum hoc corpus; ubi expletis devote orationibus suis perfectam consecuta sanitatem domum rediit, relictis in ecclesia baculis. Filiorum D. Lucæ Donati aliquis, nomine Franciscus, pedem habens sideratum ac prorsus inutilem humanis usibus, distensus supra sacrum corpus illico integritatem membrorum adeptus est. Filiola magistri Guidonis Coltrer toto corpore infirma ac debilis adeo, ut nullo uti membro valeret, postquam corpori jam dicto imposita fuit, incolumis abscessit. Mulier quædam exigua cum reverentia et fide tangens sacrum corpus, continuo correpta fuit humerum brachiumque vehementi dolore: agnoscens vero peccatum suum, factique pœnitens sine mora comperit dolorem omnem evanuisse. D. Soror Lucretia Michiel, quæ etiamnum superstes, Priorissæ munus in hoc monasterio cum dignitate obit, in altera manu sua ingentem cum dolore patiebatur abscessum, isque die quodam a medico incidendus erat non sine periculo perdendæ manus: cum pridie sub vesperam recurrit ad huncce medicum spiritualem S. Joannem, cum magna devotione ejus opem implorans. Ecce autem sequenti diluculo manum suam reperit, acsi nullo unquam tempore abscessus ei innatus fuisset.

D

Ad sacrum corpus liberatur dæmoniacus,

sanantur duo siderati,

membrorum usus restituitur,

punita ob irreverentiam convalescit,

abscessus periculosus subito evanescit.

E

36 D. Marcum Bondumier, cum esset in Tana, ægritudo quædam invasit cum omnium sensuum privatione: priusquam vero Venetiis discederet, quædam ipsius soror, hujus monasterii Religiosa, dederat abeunti cingulum, quod tetigerat sacrum corpus, ut illud devote portaret. Et vero quoties dicti cinguli recordabatur, illo se signabat cum aliquanta mali levatione, donec Venetias appulsus, deferendum se in corbe (movere enim se ipse non poterat) ad S. Joannis corpus curavit, cui se cum lacrymis devote commendans, quod desiderabat obtinuit, rediitque pedibus suis gradiens in præsentia multorum hominum fide dignorum. Mulier quædam Perina Massara nomine in hoc nostro monasterio, usum alterius manus omnino perdiderat; desperantibusque salutem recuperandam medicis, visitavit devote corpus S. Joannis, ibique se signans perfectam sanitatem manus recepit. Filiolus quidam Domini Triadan Gritti infirmitate quadam capitis nonnunquam ad delirium adducebatur; cui femina quædam domus suæ dixit, Commenda te B. Joanni in S. Laurentii; quod et fecit, curans insuper attactu corporis ejus sacrandum pileolum, quem capiti suo imposuit, et sanus evasit. Uxor D. Aloysii de Pesaro cadendo luxaverat sibi crus, malumque adeo creverat ut moveri amplius a se non posset: confugiens autem ad opem B. Joannis, effugavit malum ibique baculos axillares sana reliquit. Quidam D. Pauli Coltrer filiolus, a nativitate sua mutus, ad beati Viri corpus apportatus, somno correptus fuit, ex quo deinde excitatus, incepit clare et distincte loqui. Filia quædam D. Joannis Pollani, toto corpore siderata, supra B. Joannis corpus extensa fuit cum sanitatis pristinæ recuperatione. Similiter plurimi pueri, diversis morbis oppressi, sacro hoc corpore signati fuerunt et sanati. Recenter autem uxor D. Joannis de Mantua medici, altero cruce sciatica laborans, ubi ad sacrum hoc corpus accessit, sanitatem consecuta est. Denique alia plurima miracula quotidie videntur, intercessione hujus Servi Dei patrata, quæ brevitatis causa silentio prætereo.

Sensibus destitutus

portatur ad corpus, et gradiens redit.

Curantur manus inhabilis.

F

dolor capitis.

luxatum crus.

muta lingua.

filia siderata,

sciatica et alia mala.

DECI-

DECIMA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI IV IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Laurentius Martyr Romæ.
SS. multi MM. Alexandriæ et in reliqua Ægypto.

S. Bassa
S. Paula
S. Agathonica
} VV. MM. Carthagine in Africa.

SS. xi Viri
SS. xxii Virgines
B S. Afra
SS. vii Milites
} Martyres.

S. Crescentio
S. Arcaneus
S. Hyacinthus
S. Januarius
S. Exuperatus
S. Quirillus
S. Quinctus
S. Geminus
S. Pastor
S. Lucilla
S. Pontianus
S. Crispina
S. Innocentia
S. Leocippia
S. Cerentia
S. Sidora
} Martyres.

S. Chrestus
S. Cyriaca
S. Leticippus
} Martyres.

S. Euticia
S. Maria virgo Dei
SS. vi Innocentes
} Martyres.

S. Crescentia
S. Sevus
S. Arcananeus et alii xxx.
} Martyres. E

SS. Milites clxv
S. Claudius
S. Severus
S. Crescentio
S. Romanus
} Martyres Romæ.

S. Auctor episc. conf. Metis in Gallia.
S. Asteria sive Hesteria V. M. Bergomi in Italia.
S. Deusdedit conf. Romæ.
S. Arigius vel Aredius Archiep. Lugdun. in Gallia.
S. Hugo episc. Autissiodorensis in Gallia.
S. Blanus seu Blaanus episc. conf. in Scotia.
S. Malchus episc. conf. Lismori in Hibernia.
B. Amadæus conf. ex Ord. S. Francisci Mediol. in Insubria.

C F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

In Hispania, apparitio beatæ Mariæ Virginis, quæ sanctis Petro Nolasco, et Raymundo de Pennafort ac Jocobo primo Aragoniæ regi se conspiciendam dedit, ut fundaretur Ordo beatæ Mariæ de mercede Redemptionis Captivorum *est hodierna annuntiatio Martyrologii Romani, at festum modo translatum et fixum est* xxiv *Septembris : differendum porro est ad opus de Festivitatibus B. V. Mariæ Virginis suo tempore elaborandum. Videri autem interim possunt quæ de ea institutione dicta sunt occasione S. Petri Nolasci ad diem* xxix Januarii.

S. Amator *in nostro Florario signatur his verbis :* Apud Trecas, natale S. Amatoris, ejusdem urbis primi episcopi, *qualis etiam prædicatur a Sammarthanis et a scriptoribus Trecensibus. Spectare deberet ad primum diem Maii, quo vide in Actis quæ de S. Amatore disputata sunt, notanter pag. 52, uti etiam in Prætermissis eadem die* i Maii.

SS. Macarius et Julius *inepte hoc die collocantur* in Syria *a Maurolyco, nullo quod sciam, duce. Ignoravit procul dubio, Martyres eos esse ex celeberrima classe* xlviii *Lugdunensium, nominatim expressorum qui pridem a Majoribus nostris illustrati sunt* ii Junii.

SS. Monulfi et Gondulphi translatio *hoc die signata est a Greveno et Florario nostro Sanctorum Ms. De hac cum natali utriusque actum est* xvi Julii.

S. Joannes

A S. Joannes *cognomento* Agnus *episcopus Trajectensis nescio cur hoc die referatur a Greveno, et ex hoc a Canisio, atque iterum a Ferrario, qui ipsum recte signaverat vero natali die quo de ipso egimus* XXV Julii.

SS. Septem Dormientes *hoc die perperam signati sunt in variis auctariis Usuardinis, et in Pulsanensi quidem cum aliis quatuor anonymis. Notissimus est ipsorum natalis quo de ipsis actum est* XXVII Julii.

S. Malcus *aliquis solo nomine notus est in nonnullis Catalogis SS. Hiberniæ, sed nusquam alibi vel hilum hactenus repertum est quo in ætatis, conditionis aut gestorum notitiam deveniri possit, quæ si suggeratur, non deerit alibi locus quo de ipso agatur.*

Hieronymus de Aptis *Ordinis Prædicatorum laudatur a Lucentio in Fulgore Fulginii pro vigilia vel festo S. Laurentii cum duplici elogio, nec absque titulo* Beati, *quem illi ultro et lubens concessero, ubi de legitimo ejus cultu constiterit.*

B Soror Catharina Atayde *non quidem* Beata *a Marchesio, sed merito* famula Dei *nuncupatur.*

Alii præterea ex eodem Ordine in Anno Dominicano parvo Gallico, nuper huc allato, inter Beatos aut Venerabiles hoc ipso die referuntur, ut

Ambrosius Woinicz *martyr in provincia Russiæ, conventus Kioviensis, a Tartaris interemptus anno 1648.*

Venerabilis P. Thomas Caietanus *confessor, Generalis Ordinis et postmodum S. R. E. Cardinalis qui obiisse dicitur anno 1533.*

Nazarena Villana *Florentina, tertii Ordinis multis ornata virtutibus prædicatur, præsertim caritate et misericordia in pauperes, quam etiam laudant Annus sanctus Belgicus et Viridarium Germanicum.*

Justianus Bergomensis *Ordinis Camaldulensis in monte S. Coronæ mirum in modum ornatur a Bucelino hoc die inter Sanctos suos Benedictinos. Miramur, nihil aliunde de ipso ad nos hactenus pervenisse.*

Metis depositio S. Epilecii episc. et conf. *legitur hoc die in nostro Florario Sanctorum Ms. quæ unde accepta sit, necdum explorare licuit. Novi* Epletium *seu* Expletium *episcopum apud Sammarthanos ordine* XIII, *sed de ejus vero die* C *natali et legitimo cultu doceri cupio.*

Cathanum in insula Buta episcopum *ex* XVII *Maii remiserunt Majores nostri ad* XIX *Julii, vel ad hunc diem Augusti* X; *nos porro dicta* XIX *Julii nihil de eo invenientes, hunc rem examinandam distulimus. Omnibus autem rite modo perpensis, non ea occurrunt momenta quæ ipsum Sanctis asserant: neque enim in Breviario Aberdonensi, neque in probatis Sanctorum Catalogis locum usquam obtinet. Quod vero a Dempstero et Camerario citetur Georgius Newton in Vita S. Blaani, is ad manum non est, neque, si adesset, conferret quidquam ad sanctitatem* Cathani *aut ejus cultum. Paucula quæ de ipso in S. Blaani lectionibus habentur, nil eo magnopere conferunt, ut aliis opus sit priusquam in hoc opere locus ei concedi possit, quæ si alicunde suggerantur, alio quovis die, cum verus ignoretur, de eo agi poterit.*

Laurentius Cisterciensis conversus *inter* Pios *laudatur a Saussayo in additamento Martyrologii sui Gallicani: paulo liberaliores Henriquez et Chalemotus* Beati *titulum adjungunt. Quin et in Kalendario Cisterciensi etiam refertur: ubi de legitimo cultu constiterit, locus ei in hoc opere debebitur.* D

Apud eosdem etiam cum elogio signatus est Guido *monachus primum ejusdem Ordinis, qui in Aquitania strenue laborans Albigenses plurimos Ecclesiæ reconciliavit; inde creatus Carcassonensis episcopus magna sanctitatis fama illustris fuit. At necdum invenio, cultu ecclesiastico eum legitime celebratum fuisse.*

Joannem Pistorem *Cartusianum Gandavensem merito* Venerabilem *hoc die prædicat Raissius in Auctario ad Natales SS. Belgii, insignes aliquot ejus virtutes enumerans.*

Simon ab Assisio conf. *Brafortii in Picæno*
Thomas a Curia conf. *in Gallia.*
Antonius Cyrnæus conf. *apud montem Casalem in Umbria*
Adriana Tertiaria *Cortonii*
} Beati *titulo donantur ab Arturo in Marlio Franciscano.*

Adduntur ab Huebero occisi in Hungaria propter fidem, sed absque titulo:

Andreas Galgozius.
Leonardus de Aravia.
Petrus Miscolotius.
Thomas de Bassa.
Stephanus de Pelsio.
Georgius de Valcamonica *in Insubria.*
Ægidius de Monte ferrato *ibid.*
Joannes Germanus *ibid.*
Bonaventura de Gremona *ibid.*
Andreas de Grosseto *Navis in Thuscia.*
Paschalis de Castaleto *Moroni in Apulia.*
Petrus Perusinus *Biturgiæ in Umbria.*
Ludovicus Fonte salita *in Indica occidua.*
Bonaventura de Agrigento *in Sicilia.*
Laura Felix de Saulis *Mediolani in Lombardia.*
Maria Carnimolla *in Sicilia.*

Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, addunt hoc die: Alibi dicitur, Mosæ, majori monasterio, depositio sancti Victoris conf. episcopi Trevirensis. *Voluit dicere* Auctoris *de quo hoc die agitur.*

Jacobum, Joannem *et* Abrahamum, *item* Entheum *et* Acratem *ex Fastis Æthiopicis Jobi Ludolfi hoc die accepit Castellanus, quod et aliis diebus ei satis familiare: jam non semel diximus, Sanctos hujusmodi a nobis non admitti, nisi in aliis probatis Latinis aut Græcis Martyrologiis vel Menologiis pridem consignati sint.* F

Sancti martyris Eupli *memoria exstat in Typico, quod sub S. Sabbæ nomine citatur; cui adde Menologium, jussu Basilii imperatoris collectum. De eo agemus cum Martyrologio Romano die* XII Augusti.

In Salentinis BB. martyrum Stephani episcopi Hydruntini, Fabii Calceorii et aliorum DCCCIII a Turcis ob Christi fidem occisorum, *commemoratio est Ferrarii in Catalogo generali; de quibus in notis observat,* nondum Officio ecclesiastico coli *tametsi* venerationem aliquam apud incolas habeant. *Ita de suo tempore loquebatur Ferrarius; ea vero veneratio postmodum ita accrevit, ut eorum festivitas solemniter recolatur, non hoc die, sed eo quo passi sunt* XIV Augusti.

S. Medericum abbatem, *nempe aliquando Augustodunensem, in Kalendario Benedictino male huc retractum invenit Bollandus, melius ab aliis cum Romano notatur die quo de ipso acturi sumus*

A *risumus* ... xxix Augusti. *Inter plures Florarii nostri SS. Ms. hodiernas aberrationes etiam locum habeat annuntiatio* SS. Justi et Amici episcoporum Lugdunensium. *De* his satis fuse mihi agendum fuit inter Prætermissos xiv Julii, ubi plures circa ipsos occurrentes difficultates examinandas remisi ad diem ii Septembris. D

DE S. LAURENTIO ARCHIDIACONO AC MARTYRE

ROMÆ

ITEM DE SS. ORENTIO AC PATIENTIA, SANCTI UT FERTUR, PARENTIBUS

OSCÆ IN ARAGONIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

B E

§ I. Memoria in antiquis Fastis, cultus apud Latinos ac Græcos, ædes sacræ ac publica monumenta Romæ.

Anno CCLVIII. Sancti memoria in antiquissimis Fastis;

Illustrissimi hujus Martyris memoria adeo in benedictione est, adeo ubique celebris ac venerabilis, adeo longe lateque per universum terrarum orbem propagata, ut vel ipsum nominasse, sufficere videatur ad innovandam, quæ omnium Christi Fidelium animis penitus impressa est, invictæ ejus virtutis ac heroicæ fortitudinis imaginem. Ad illam vero genuinis ac vivis coloribus repræsentandam conducent ea, quæ huc spectant, atque e variis documentis collecturi sumus. Ac primo quidem ut a sacris Fastis exordiamur, cui Martyrologo tum antiquo, tum ætatis mediæ, tum novo* S. Laurentii *nomen incognitum aut prætermissum est? At satis fuerit, antiquos audire. Antiquissimum Kalendarium Bucherianum ita habet :* iv Id. *(Augusti)* Laurentii in Tiburtina. *Martenianum in Thesauro novo anecdotorum tom. V, col. 76 :* Die x mensis Augusti natal. S. Laurentii. *Kalendarium Polemei Silvii apud nos tom. VII Junii pag. 182 :* iv *(Id. Augusti)* Natalis S. Laurentii mart. *Carthaginense tom. III. Veterum analectorum a Mabillonio vulgatum :* iv Idus Aug. sancti Laurentii. *Martyrologium S. Hieronymi presbyteri nomine insignitum, et a Dacherio editum in Spicilegio tom. IV :* iv Idus Aug. Romæ, via Tiburtina, natalis S. Laurentii archidiaconi, et martyris. *Romanum vetus seu parvum :* Romæ, Laurentii archidiaconi martyris. *In Calendario, quod Leo Allatius edidit, signatur* v Id. Augusti Vigilia S. Laurentii. Item Missa publica in natale S. Laurentii. *Adde Romanum Frontonis, Adonem, Usuardum, Wandelbertum, aliosque.*

C

publica ejusdem veneratio apud Latinos,

2 *Jam vero quam solemni ritu insignis ille Pugil ab antiquissimis temporibus in Ecclesia Catholica semper celebratus fuerit; planum fiet e sequentibus monumentis. In Sacramentariis apud Menardum ac Thomasium notantur propria pro Missa cum in vigilia seu profesto, tum in ipso festo ejus recitanda. Et in Gregoriano quidem apud Menardum, illud plane est singulare, quod post Missam vigiliæ, signentur, quænam sint dicenda* in prima Missa de nocte; *apud Thomasium autem dentur propria ad Missam in Octava. Quid, quod in Frontoniano præter vigiliam, assignetur* in prima Missa *Evangelium; ac subjungantur ista pag. 117 :* Die SS. ad Missa publica natal. S. Laurent. *Et pag. 124 :* Hebdomada i post natal. S. Laurent. *Ac rursum pag. 127 :* Hebdomada ii post S. Laurent.; *et sic deinceps sequuntur hebdomada tertia et quarta, usque ad festum S. Cypriani; quod sicut omnino rarum est, ita præcipuam quamdam indicare videtur nostri Sancti commendationem.*

ac Græcos:

3 *Neque Latinis duntaxat; sed Græcis etiam summa in veneratione habitus fuit Levita noster sanctissimus. Eorum annuntiationes dedimus hoc tomo II hujus mensis pag. 125, occasione S. Sixti PP. II ac martyris; de quo ibi actum. In Anthologio, ac Menæis magnis typo editis fit peculiare de* S. Laurentio *hac die Officium, ubi ejus elogium, uti et canon hac acrostichide signatus :*

Λαυρέντιον κράτιστον ὑμνῶ προφρόνως.
Laurentium fortissimum, lubens cano. F

Quæ per hujus canonis decursum dicuntur in ipsius laudem, transcribere supersedeo. In dicto Officio tres Sancto versiculi isti accinuntur :

Τὸν Λαυρέντιον λαύρακα Χριστοῦ λέγω,
Ἐπ' ἐσχάρας ἄνθραξιν ἐξωπτημένον.
Ὤπτησαν δεκάτῃ Λαυρέντιον ἠΰτε ἰχθύν.
Christi celebro lauraca assatum foci
Ardentibus carbonibus Laurentium.
Est assus decima piscis Laurentius instar.

celebratur.

4 *Allusio ista, uti non raro alibi in dictis Menæis, parvi est leporis. Porro vox* λαῦραξ, *vel etiam* λάβραξ *(Notationes enim ad Julii Polluciis Onomastici, anno 1706 recusi Amstelodami, librum 6, cap. 9, pag. 593, agunt de utraque ista scribendi forma). Latine* labrax, piscis genus : lupus piscis, q. d. Λίαν βόραξ, valde vorax : unde per syncopen λάβραξ, vel ex τοῦ λα intendente particula, et βορά, cibus, deductum λαβόρος, et per syncopen λάβρος : unde λάβραξ, ut a λίθος λίθαξ. Mag. Etym. 554. 3. Et proverbium λάβραξ Μιλήσιος. Sic enim apud Er. ad Chil. 2, cent. 10, col. 606, ad 55 La-

brax

AUCTORE J. P.

brax Milesius. *i.* Lupus Milesius. Aristoph. Equitibus pag. 209, v. 5 schol. ad not. 5 : unde Suid. At ibi plura. Sic autem appellatus, quia ejus os, in prædam semper intentum, hiat, et impetuose et voraciter escam deglutit ac devorat. Quamobrem etiam facile capitur. In Asiæ vero urbe Mileto maximi nascuntur lupi pisces, et plurimi... propter lacum, qui in mare erumpit. Pisces enim aqua dulci gaudentes, in illum lacum ex mari cursu ascendunt, atque sic apud Milesios sunt copiosi; *prout dicit interpres Suidæ, anno 1619 Genevæ impressi. Redeamus ad propositum. Si itaque, data venia longe quæsitæ litterarum consonantiæ in vocibus* lauraca *et* Laurentium, *ad quam versuum istorum confector allusit, invenire velis, quo sensu illæ inter se utcunque cohæreant; dic, qualitates physicas* lauracis, *morali quodam ac spirituali modo convenire* S. Laurentio, *qui avide ac fortiter ardua quæque devoravit, ac in prædam animarum pro Christo lucrandarum intentus, ore ac verbis eas Ecclesiæ ipsius visceribus, ut ita dicam, incorporavit. At de Græculis hisce minutiis hæc plus quam satis.*

Antiqua Romæ

B 5 *Latini pariter ac Græci egregiam erga sanctum Levitam nostrum venerationis singularis memoriam publicis monumentis, contestatam esse voluerunt, uti conficitur e locis sacris, ipsius nomini inscriptis. Aurelius Prudentius* Περὶ στεφάνων *hymno 2, qui est de* S. Laurentio, *fidem facit, suo tempore (id est versus annum 400) ecclesiam sub ipsius nomine Romæ exstitisse, dum sic canit :*

Vittatus olim pontifex
Adcitur in signum crucis,
Ædemque, Laurenti, tuam
Vestalis intrat Claudia.
O terque quaterque; O septies
Beatus Urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossium.

sub ejus nomine

6 *Apud nos tom. I Aprilis pag.* xxx *in S. Silvestro sic dicitur de Constantino Augusto :* Eodem tempore fecit basilicam S. Laurentii. *Anastasius Bibliothecarius tom. I, cap. 34, pag. 47 novissimæ editionis Romanæ hæc scribit :* Eodem tempore Constantinus Augustus fecit basilicam beato Laurentio martyri, via Tiburtina in agrum Romanum supra arenarium cryptæ, et usque ad corpus beati Laurentii mart.; in qua fecit gradum ascensionis et descensionis. In quo loco construxit absidam, et exornavit marmoribus porphyreticis, et de superiori loco conclusit de argento, et cancellos ex auro purissimo ornavit : qui pens. libras mille : et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo nixorum * decem pensantem lib. triginta. Coronam argenteam cum delphinis quinquaginta pensantem lib. triginta., candelabra duo in pedibus denis pensantia sing. lib. trecentas. Ante corpus beati Laurentii martyris argento clusam passionem ipsius, sigillis ornatam cum lucernis byssinis argenteis pensantes sing. libr. quindecim. Donum quod obtulit. Patenam auream pensantem libr. viginti, patenas argenteas duas pensantes sing. libr. 30, scyphum ex auro purissimo pensantem libr. 15, scyphos argenteos duos pensantes sing. libr. decem, calices ministeriales argenteos decem pensantes sing. libras viginti, amas argenteas duas pensantes libr. 40, phara argentea triginta pensantia singula libr. 15, metretum ex auro pensans libras centum quinquaginta portantem medemnas tres. In eodem loco possession. cujusdam Cyriacetis religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis *etc.*

C

* al. lychnorum

D templa;

7 *Relictus videtur aliquis dubitandi locus, an ecclesia ista, cujus constructionem Constantino tribuit Anastasius, ædificata non fuerit a Justiniano I, secundum ea, quæ Placidia, ejus filia, circa ædem illam fecisse traditur; Baronius quippe in Appendice, tomo XII Annalium subnexa, pag. 898, ad annum 461* Curavit, *ait,* S. Leo, ut eadem Placidia basilicam S. Laurentii in agro Verano in meliorem formam restitueret et ornaret. *Et mox profert ex Inscriptionibus antiquis apud Gruterum pag. 1173, num. 1 hos versus :*

GAUDET PONTIFICIS STUDIO SPLENDERE LEONIS
PLACIDIÆ PIA MENS OPERIS DECUS OMNE PATER
DEMOVIT DOMINUS TENEBRAS UT LUCE CREATA
HIS QUONDAM LATEBRIS SIC MODO FULGOR INEST
ANGUSTOS ADITUS VENERABILE CORPUS HABEBAT
HUC UBI NUNC POPULUM LARGIOR AULA CAPIT
ERUTA PLANICIES PATUIT SUB MONTE RECISA
ESTQUE REMOTA GRAVI MOLE RUINA MINAX.

E ornamenta

8 *S. Damasus, referente Anastasio Bibliothecario cap. 38, pag. 59,* Fecit basilicas duas, unam juxta theatrum *(Pompeii)* S. Laurentio *etc. Sed eam duntaxat instauravit et auxit, ex inscriptione apud Baronium in citata Appendice a pag. 889 :* Hic constituit titulum in urbe Romana, scilicet basilicam, quam ipse construxit; *prout refert Anastasius ibidem, agens etiam de donariis, quibus istum locum ditavit. Porro nomen ei Damasi tanquam conditoris inditum; sicut habemus ex S. Gregorio lib. 4 Dialogorum, cap. 31; ac vulgo vocatur* S. Laurentii in Damaso. *S. Sixtus PP. III aram et sepulcrum* S. Laurentii *egregie ornavit. Audiatur Anastasius Bibliothecarius cap. 45 a pag. 71 :* Fecit Sixtus episcopus confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam, et altare, et confessionem sancti Laurentii de argento purissimo. Fecit altare pensan. libras quinquaginta, cancellos argenteos supra Platonias porphyreticas, pensantes libras trecentas. Absidam super cancellos, cum statua beati Laurentii martyris argentea pensan. libras ducentas. Fecit autem basilicam beato Laurentio, quod et Valentinianus Augustus concessit; ubi et obtulit dona hæc, *quæ prædictus auctor recenset singulatim, et apud ipsum legi possunt. S. Hilarus, Leonis successor, referente Anastasio cap. 47 a pag. 77, fecit* Ad beatum Laurentium martyrem scyphum aureum cum gemmis prasiis et hiacynthinis, pensan. libras quatuor. Lucernam auream nixorum decem, pensan. lib. quinque *etc.* In basilica B. Laurentii martyris pharacantara argentea decem, pensantia singula libras decem; canthara ærea 26, ministeria ad baptismum argentea, libras decem, phara ærea, libras quinquaginta. *Et paulo post :* Hic fecit monasteria ad sanctum Laurentium... Qui etiam sepultus est ad sanctum Laurentium in crypta juxta corpus beati episcopi Sixti.

F

ac opera pia * al. hebdomadas

9 *S. Simplicius, qui Hilarum proxime secutus est,* Constituit... ad sanctum Laurentium martyrem, heddomadam *, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, et baptismum. Regionem tertiam ad sanctum Laurentium; *ex Anastasio cap. 48, pag. 79. Et apud ipsum cap. 52, pag. 88 de S. Symmacho exstant ista :* Ad sanctum Laurentium martyrem pauperibus habitacula construxit.

A xii. *De Pelagio II cap. 64, pag. 114 ita memorat :* Hic fecit supra corpus beati Laurentii martyris basilicam a fundamento constructam, et tabulis argenteis exornavit sepulcrum ejus. *Inscriptioni metricæ, quam modo dabam ex Grutero, interseruntur hi versus :*

Præsule Pylagio martyr Laurentius olim
Templa sibi statuit tam pretiosa dari.

Ad hæc, cap. 82, pag. 144 Benedictus II Ecclesiam... beati Laurentii martyris, quæ appellatur Lucinæ, restauravit. *Cap. 94 pag. 199 Stephanus III* Restauravit basilicam S. Laurentii super sanctum Clementem sitam regione tertia, quæ a diuturnis temporibus diruta manebat. *Consuli possunt, quæ de ecclesia* S. Laurentii *in Lucina notat Monfauconius in Diario Italico cap. 17, pag. 234; item quæ de ædibus sacris sub nomine* S. Laurentii *habet Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romanæ.*

variæ stationes etc.

10 *Stationes etiam Romæ celebratæ antiquitus in locis Martyri inscriptis, non exiguam cultui ejus commendationem superaddunt. Joannes Fronto in Prænotatis ad Kalendarium Romanum, quod vulgavit, § 7 agens de stationibus in eodem notatis,* Statio, *ait,* non erat aliud quam confluxus cleri et populi, præsente episcopo, in locum, ubi illo die publica Missarum solemnia fieri debebant. *Plura ibidem super hac materia. In laudato autem Kalendario variis locis stationes ad* S. Laurentium *habitæ signantur; quæ ibidem possunt videri. Jam vero si ea, quæ superius proferebam de vigiliis ac Missis, enucleatius inspiciantur, magnum cultui Martyris publico ac solemni pondus addunt. Adeo quippe publica ejus veneratio per omnes Occidentis ecclesias fuit propagata, ut ne vel una quidem unica fortasse sit, quæ et festam ipsius lucem solemnem non habeat, ac indicto jejunio non celebret profestum ejus. Ad hæc in Observationibus ad Martyrologium Usuardi a nobis editum, die* x *Augusti,* id peculiare in hoc illustrissimo Sancto *notatum est*, quod solus ipse, extra redemptionis nostræ et Apostolorum festa, solus, inquam, inter mortales solemni et universali cultu celebritatem habeat, non clero solum, sed et populo præceptam; sive quod soli ipsi origine non Judæo, decreta sit fere prima in Ecclesia festivitas. *Occasione autem jejunii, de quo dicebam, in Martyris profesto, liceat mihi hic addere ex Francisco de Aynsa in opere de Fundatione, excellentiis etc. civitatis Oscensis lib. 2, cap. 7, pag. 152, nonnullos ibidem loci in venerationem martyrii, quod Sanctus per ignem consummavit, jejunare consuevisse in ejusdem pervigilio nihil comedendo quod igni admotum fuerit: additque, propterea quod isto medio solent a Sancto obtineri favores, voluisse se illud monere, ut inde Fidelium imitatio excitetur.*

§ II. Alia per Occidentem loca sacra prodigiis nobilitata.

In æde sacra apud Ravennates sanitas reddita :

Sanctus Augustinus sermone 322 editionis novæ tom. V, col. 890, recitans exemplar libelli a Paulo quodam ad se dati, meminit ædis sacræ anno circiter 425 Ravennæ conditæ, forte propter aliquod Sancti lipsanon, quod eo delatum fuerit, in qua unus e septem illis filiis famosis, qui ob matris suæ contemptum continuo membrorum tremore puniti a Deo fuerant, sanitatem pristinam recuperasse fertur prodigiose. Textus, quem indidem excerpo, ita habet : Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes, passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum sequitur, ad gloriosi martyris Laurentii Memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem.

AUCTORE J. P.

in alterius apud Umbros restauratione

12 *Non parva etiam* S. Laurentio *gloria accessit, quando apud populum Neursiæ, in Umbria Italiæ, ædis ipsius sacræ restaurationem raro admodum atque insigni prodigio condecoravit Dominus. Factum intellige ex S. Gregorio lib. 3 Dialogorum, cap. 38 :* Alio quoque tempore vehemens ubique fames incubuerat, et beati martyris Laurentii ecclesia fuerat a Longobardis incensa. Quam vir Dei *(Sanctulus presbyter provinciæ Neursiæ)* restaurare cupiens, artifices multos, ac plures subministrantes operarios adhibuit; quibus necesse erat, ut quotidiani sumptus laborantibus sine dilatione præberentur. Sed exigente ejusdem famis necessitate panis defuit; cœperuntque laborantes instanter victum quærere, quia vires ad laborem per inopiam non haberent. Quod vir Dei audiens, eos verbis consolabatur, foris promittendo quod deerat : sed ipse graviter anxiabatur intus, exhibere cibum non valens, quod promittebat. Cum vero huc illucque anxius pergeret, devenit ad clibanum, in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant, ibique incurvatus aspexit, ne forte panis a coquentibus remansisset. Tunc repente panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris invenit : quem quidem tulit, sed deferre artificibus noluit, ne fortasse alienus esset, et culpam velut ex pietate perpetraret.

opifices miro prodigio aluntur.

13 Per vicinas itaque hunc mulieres detulit, eumque omnibus ostendit, ac ne cui earum remansisset, inquisivit. Omnes autem quæ pridie panem coxerant, suum hunc esse negaverunt, atque panes suos numero integro se a clibano retulisse confessæ sunt. Tunc lætus vir Domini perrexit ad multos artifices cum uno pane, et ut omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit. Et quia eis annonam præbuerat, indicavit eisque ad refectionem protinus invitatis inventum panem apposuit. Quibus sufficienter pleneque satiatis, plura ex eo, quam ipse panis fuerat, fragmenta collegit. Quæ die quoque altero eis ad refectionem intulit : sed id quod ex fragmentis supererat, ipsa quoque quæ apposita fuerant fragmenta superabat. Factumque est, ut per dies decem omnes illi artifices atque operarii et illo pane satiati, hunc et quotidie ederent, et ex eo quotidie quod edi posset, in crastinum superesset, acsi fragmenta panis illius per esum crescerent, et cibum comedentium ora repararent.

Aliud templum

14 *Alias insuper* S. Laurentii *ædes sacras miraculis fuisse illustratas, ab antiquitate memoriæ proditum legimus. Nam S. Gregorius Turonensis lib. 1 de gloria martyrum, cap. 42 sic narrat :* Templum erat in quodam loco B. Laurentii, et reliquiis et nomine consecratum, quod per incuriam longinqui temporis valde detectum erat. Quod cum renovare loci incolæ vellent, silvas adeunt, incisa levigataque ligna trabes efficiunt, impositasque plaustris ad locum exhibent. Quibus per humum ad ordiendum extensis, una brevior est reperta : statimque sacerdotis animum, qui ad hæc insistebat, dolor maximus attigit, et flens valde, quid ageret, quo se verteret, ignorabat. Tunc intuens roborem breviorem *, ait : O Laurenti beatissi-

* *i. e.* robur brevius

Auctore J. P.

beatissime, appositus igni glorifica te, semper pauperes fovens ac reficiens : cogita paupertatem meam, quia non est exiguitati nostræ facultas, qualiter hic alia exhibeatur. Illico cunctis attonitis, trabs crevit in tanto spatio longitudinis, ut necesse esset, partem magnam incidi. De qua, industria plebis beneficia perdere nefas putans, credens eam manu Martyris tactam ac prolongatam, partem, quæ superfuerat, frustatim discerpens, diversas infirmitates sæpe submovit.

insigni cum miraculo

15 Quod Fortunatus presbyter his versibus prosecutus est :

Laurenti merito flammis vitalibus uste,
Qui fervente fide victor ab igne redis,
Dum tibi templa novant breviori robore plebes,
Creveruntque trabes, crevit et alma fides :
Stipite contracto tua se mercede tetendit,
Quantum parva prius, postea cæsa fuit :
Crescere plus meruit succisa securibus arbor,
Et didicit sicca longior esse coma,
Unde recisa fuit : populis fert inde salutem,
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.

B Multo plures exinde scripsit versiculos *(Carmine 14 libri 9, quod duos ac viginti continet versus)* quos ego prætermisi, hos tantum pro testimonio veri scribens.

innovatur apud Brionas Italiæ castrum.

16 Acta sunt autem hæc apud Brionas Italiæ castrum. Nam vidi ego hominem, qui graviter dentium dolore laborans, accepta de hoc ligno a sacerdote particula, statim ut dentem attigit, dolore protinus caruit. *Notantur* Briones *apud Paulum Diaconum lib. 2 de Gestis Langobardorum, cap. 13. Et lib. 4, cap. 4 scribit*, in regione Brionum, *sanguinem de nubibus fluxisse. Fortunatus de Vita S. Martini lib. 4, cum Augustam nominasset, hæc subdit :* Qua vicina sedent Breonum loca. *Velserus Rerum Augustanarum Vindelicarum lib. 8, pag. 339 editionis anni 1682* eos inter Lycum et Œnum sitos *affirmat, et addit :* Gregorius Turonensis Brionas Italiæ castrum appellavit, credo quod Italiæ Rhætiæ accensæ. *Baudrandus* Brionum, *ait,* tractus Norici, in quo Bruneck, oppidum Comitatus Tirolis, teste Lazio, a Brixinensi urbe 4 leucis in ortum. Aliis Brionum Perituun, oppidum videtur in territorio Salisburgensi.

Alia ecclesia in Campania

C 17 *Nec indictam relinquemus aliam in Campania ecclesiam singulari prorsus ac rarissimo prodigii genere nobilitatam. Rem audi ex Aringho, qui Romæ subterraneæ tom. 1, lib. 4, cap. 28, num. 10 hæc narrat :* In oppido, quod in Campania situm, S. Laurentii nomine decoratur, et procerum Columnensium ditioni subest, haud longe ab Urbe, ad hæc usque nostra tempora ampulla vitrea satis quidem ampla exstat, sacro beati ejusdem Martyris cruore repleta, quæ in ecclesia ibidem B. Laurentio dicata perhonorifice asservatur. Hæc autem novum mirandumque portentum intuentium oculis quotannis exhibet : sanguis enim, qui præmemorata in ampulla concretus, ac adipe permixtus recluditur, cum festiva Martyris beatissimi, ac solemnis martyrii ejusdem memoria decima die mensis Augusti de more recurrit, qua potissimum die ille sub Valeriano ferream supra craticulam lento igne assatus, se ipsum dignam Deo victimam, ac holocaustum acceptabile pro Christo obtulit (mirum est, quod dicturus sum) a primis festivi ejusdem diei Vesperis, sanguis, qui paulo ante concretus cernebatur, extemplo liquescere, ebullire, et intra ipsius vitri septa, ac si iterum ad martyrium prosilire, iterumque tyranno ac subjicientibus flammas insultare gestiat; novo caritatis incendio succensus, ac denuo flammis, quibus semel ille supra craticulam decoctus fuit, occulta vi exurentibus; e vitro, non secus ac e venis prodire tentat eum in modum, ut si ad calefactivam ignis vim appositus esset. D

singulari prorsus prodigio nobilitata;

18 Confestim enim sanguis ab adipe, eodem plane modo, quo oleum ab aqua secernitur, atque ita usque ad octavam ipsam a festo diem disjunctus ac secretus permanet. Verum completis dierum illorum solemniis, iterum sanguis coalescit, et adipi commixtus in vitro coagulatur. Perenne autem portentum hoc est, etsi recens singulis annis ac novum in præmemorati oppidi ecclesia vigeat, innumeris undique populis ad rem ejuscemodi conspiciendam confluentibus. Portentum autem vel eo magis illustre, ac solemne contemplantibus redditur, quod cum, ut testes rei perhibent, notum cuiquam haud esset, cujusnam Martyris sanguis in eadem vitrea ampulla asservaretur, ut debito festivam ejus diem honore incolæ quotannis (uti mos est) recolerent; en tibi, licet is coagulatus persisteret, dum Martyr perquirentes latet (en tibi, inquam) festiva recurrente Laurentii mart. die, cum primis Vesperis concinendis hora instat; sanguis mox intra ampullam ebulliens liquefieri cœpit, et id postmodum quotannis præstare non desiit. Cujus rei mox fama percrebuit, et Urbem usque delata, ad Pauli V Pont. Max. aures pervenit. Qui Martyris, ut par erat, portentum admiratus, quod viris probatæ fidei ultro enarrantibus compererat, nonnullas sacri ejusdem cruoris guttas inde extractas, ad se deferri voluit; quas vitro intra pretiosam thecam inclusas, in sacelli a se apud S. Mariam Majorem erecti sacrario inter cæteras Sanctorum reliquias recondidit. . . . Hieronymus Eminentissimus Cardinalis Columna, pio, quo flagrat, erga Christi Martyrem studio, suorumque pietatem æmulatus, ad incolarum præmemorati oppidi devotionem magis excolendam augendamque, pretiosi liquoris ampullam argentea inclusam theca, quo par est honore, in dicta ecclesia servandam curavit, et publico rem hanc testimonio comprobatam, hic pio lectori exhibendam voluit. *Consuli etiam potest inferius Commentarius hic noster num. 61, ac Gloria nostri Sancti posthuma in fine.* E

uti etiam Mediolani.

19 *Antiquissimam Mediolanensium erga sanctum nostrum Levitam venerationis memoriam in condenda ipsi sacra æde, discimus e Gregorio Turonensi de Gloria Martyrum lib. 1 cap. 46; ubi excellens etiam prodigium publicam venerationem auxit, quod sic refert :* Est enim apud eamdem urbem *(egerat cap. 45 de urbe Mediolanensi)* basilica Sancti Laurentii Levitæ, cujus supra meminimus; ibique admirabili pulchritudine calix crystallinus habebatur. Acta vero quadam solemnitate, dum per diaconum ad sanctum altare offerretur, elapsus manu in terram ruit, et in frusta comminutus est. At diaconus pallidus et exsanguis collecta diligenter fragmenta vasculi super altare posuit, non diffisus, quod eum possit virtus Martyris solidare. Denique in vigiliis, lacrymis atque oratione, deducta nocte, requisitum calicem reperit super altare solidatum. Quæ virtus cum populis nuntiata fuisset, tanta animos devotione succendit, ut a sacerdote peterent nova in honorem ejus Deo solemnia celebrari. Tunc pontifex loci suspenso super altare calice, ex tunc agens, et in posterum per singulos annos devotissime festa instituit celebrari. *Liceat hisce ædibus sacris superaddere, quæ de Bohemia ac Gallia didici.* F

20 *Noster Georgius Crugerius in Sacris pul-*

Loca sacra in Bohemia;

A *veribus ad diem* x *Augusti.* A prima, *ait,* statim Christianitate in Bohemia ædes sacras habuit hic Archi-martyr, præcipue intra et supra Pragam. Ultima hodieque peregrinatione insolente, sub istam celebritatem annue frequentatur. Extra metropolim sunt locis aliquot commodæ ecclesiæ dicatæ S. Laurentii memoriæ : sed omnes velut stellas minores antecellit luna, ita Altomeiitensis exsuperat basilica Laurentiana cæteras nostras. De Clotoviensi Dominicanorum quandoque par quid dicebatur : sed nunc rudera necdum ex toto novis structuris abolita, fuisse, non esse, testantur.

et in Gallia.

21 *Quod si in Galliam transeamus ; jam tum a seculo Christi sexto ecclesiam atque abbatiam* S. Laurentii *nomen gerentem inveniemus exstitisse Parisiis, rem testificante S. Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib. 6, cap. 9, ubi hæc dicit :* Domnolus vero Cenomannorum episcopus ægrotare cœpit : tempore enim Chlothacharii regis apud Parisiis ad basilicam S. Laurentii gregi monasteriali præfuerat *etc. Ruinartius in notis,* Hæc basilica, *inquit,* etiam nunc perstat, parochiali titulo insignita, ubi paucis abhinc annis reperta sunt antiqua sarcophaga gypsea, quæ nongentos circiter annos præferebant ; quibus apertis, nigræ vestes et monachorum effigies visæ sunt : sed quæ ut primum puriore aere afflatæ fuerunt, in pulverem sunt redactæ. *Ibidem etiam laudatus auctor vindicat Gregorii textum contra Cointium. In Vita autem laudati sancti Antistitis Cenomanensis, a coævo et oculato teste conscripta, quæ exstat apud nos tom. III Maii, die* XVI, *pag. 607 hæc dicuntur :* Exstruxit autem sanctæ Ecclesiæ amator devotissimus monasterium quoddam in suburbio civitatis suæ, tum ut ejus urbis esset munimentum, tum ut posset Domino animas lucrifacere : idque in honorem sanctorum martyrum Vincentii et Laurentii consecravit... Porro in eadem ecclesia caput B. Vincentii martyris, et magnam craticulæ partem, in qua S. Laurentius assatus est, honorifice reposuit... Tanto autem amore beatissimum Germanum episcopum complectebatur, ut in ea ipsa... ecclesia sepulturæ locum ei præpararit : ubi tamen postea... non S. Germanus, sed ipsemet digne humatus est. *At nunc, relicto Occidente, Orientem visamus; in quo vel sola Constantinopolis subministrabit varia in rem nostram antiquitatis monumenta.*

§ III. Templa Constantinopoli ; honorifica Patrum Latinorum de S. Laurentio elogia.

Eudoxia Augusta templum erigit; item Pulcheria ædem sacram etc.

Jam tum ante annum Christi 439 Eudoxia Augusta magnificum ei templum erexerat Constantinopoli. Nam Marcellinus Comes in Chronico, quod anno Domini 1619 Sirmondus Lutetiæ Parisiorum vulgavit, pag. 24 sub Ind. VII, Theodosio XVII, et Festo Coss. *(quibus respondet annus Christi 439) sic habet :* Eudocia uxor Theodosii principis ab Hierosolymis urbem regiam remeavit, beatissimi Stephani primi martyris reliquias, quæ in basilica S. Laurentii positæ venerantur, secum deferens. *Excerptas ex ecclesiastica historia Theodori Lectoris, quæ una cum Theodoreti et Evagrii Historia ecclesiastica Parisiis anno 1673 sunt edita, libro 2 sub finem :* Eo regnante *(nimirum Theodosio Juniore)* depositæ sunt reliquiæ sanctorum Stephani, Laurentii, et Hagnes, in Martyrio S. Laurentii, die vigesima prima mensis Septembris. Et eodem die celebratur illic eorum memoria, usque ad hodiernum diem. *Theophanes in Chronographia typis regiis Lutetiæ Parisiorum edita, pag. 91,* Hoc anno, *inquit,...* beata et pia Pulcheria obdormivit in Christo... Ipsa porro quam plurimas sacras ædes, sive oratoria... in quibus sancti martyris Laurentii templum numeratur, ædificavit. *Ædis hujus restaurationem, magnitudinem ac situm docet Constantinus Porphyrogenitus in avi Vita cap. seu num.* CXII, *pag. 209 editionis regiæ Parisiensis. Sic ergo ibi habemus de Basilio Macedone :* Sacri quoque martyris ac archidiaconi Laurentii ἐν Πουλχεριανοῖς, in Pulcherianis, *quod in versione Latina deest)* ædem maximam collapsam restituit, multa venustate implens et gratia.

Auctore J. P.

Nonnulla hic de situ notantur.

23 *Bandurus Imperii Orientalis tomo II pag. 659* Dicitur, *inquit,* ἐν Πουλχεριανοῖς : nam urbis tractus ille sic appellatus fuit a domo Pulcheriæ Augustæ. Binæ vero hujus Augustæ ædes in urbe exstitere, ut habetur in antiqua urbis descriptione ; altera in tertia regione ; altera vero in E undecima. Hic loquitur scriptor noster de hac ultima æde Augustæ, in cujus tractu fuit ecclesia S. Laurentii, quæ dicitur in Menologio Basilii IX Maii, proxima Blachernis. *Et vero Menologium modo citatum de reliquiis sancti Isaiæ prophetæ loquens, sic in rem nostram scribit :* Tandem vero Constantinopolim translatæ, juxta Blachernas depositæ sunt in templo sancti martyris Laurentii. *Non dissimulo tamen, ex urbis Constantinopolitanæ, in tres partes divisæ, qualis ab auctore anonymo, qui Alexii Comneni tempore vivebat, describitur, delineatione apud Bandurum ante laudatum tomum, tantum intercedere spatium inter Blachernas, et inter ecclesiam S. Isaiæ ac* S. Laurentii, *ut hæc (siquidem sit eadem, de qua hic agimus) istis proxima censeri non possit. Verum ecclesia* S. Laurentii *apud Constantinopolitanos fuit plus una.*

Quid fecerit Justinianus. Monasterium.

24 *Nam Procopius Cæsariensis de Ædificiis Justiniani imperatoris lib. 1, cap. 6, pag. 17 edit. reg. Paris.,* Justinianus, *ait,* Augustus... ad sinus *(Ceras dicti)* lævam, S. Laurentii Martyrium, cæcum antea ac valde tenebricosum, in F eam, ut dicam brevissime, quam hodie cernimus, mutando formam, refecit. *Præmiserat idem scriptor cap. 5 :* Circa sinum ab indigenis dictum Ceras, de nomine Ceroessæ, matris Byzantis, qui urbem condidit ; cum templa nullo Cœlitum digna vidisset Justinianus, in omnibus magnificentiam ostendit vere imperatoriam. *Ad hæc, de* ecclesia S. Laurentii in Petrio *facta est mentio apud nos tom. VII Maii, die* XXX, *pag. 238.* Locum Petrion exstitisse ad sinum Ceratinum, *observat Bandurus tomo citato pag. 649 ; unde consequens est, ut hæc ædes non videatur distinguenda a proxime præcedente. Adjungere hisce liceat monasterium, a Theodoro ejusdem abbate, Justiniano imperante, ædificatum, cujus tempore abbas iste concilio Constantinopolitano, quod sub Menna anno Christi 535 celebratum est, interfuit, uti patet ex subscriptione ista apud Labbeum tom. 5 Concilorum col. 134 :* Theodorus Dei misericordia presbyter et Prior monasterii S. Laurentii martyris, a me Dei gratia fundati, subscripsi et porrexi. *Ex his itaque lucet propagatio antiquæ apud Constantinopolitanos venerationis, qua sanctum Levitam complexi sunt, et quodammodo suum fecere.*

25 *Quid,*

AUCTORE J. P.

Asylum in Sancti ecclesia.

25 *Quid, quod ipsius ibidem ecclesia (in sinu Ceratino, quantum suspicor ex dictis ac dicendis) legatur gravisa fuisse singulari quadam prærogativa asyli, teste Theophane pag. 156? Nam tractans ibi de famosa illa ac tragica seditione, cui nomen* NIKA, Vince, *adversus Justinianum imperatorem Constantinopoli excitata* mense, *ut præmiserat,* Januario, Indictione x *(cui respondet annus æræ vulgaris 532)* Apprehensos, *ait,* ex aurigantium factionibus tres seditiosos suspendio præfectus damnavit. Eorum quidem unus vitam amisit extemplo: alii duo e patibulo ceciderunt. Iterum suspensi, ceciderunt iterum. His conspectis, populus astans exclamavit: Ad ecclesiam ducite. Audito clamore, sancti Cononis monachi pœnarios lembo sustulerunt, et ad sancti Laurentii trajectos deportaverunt, quod eo gauderet privilegio ecclesia, nullum ex ea ejiciendum, donec factum fuisset satis. Ea re accepta, misit præfectus milites: eos vero missos cum rescivissent populares factiones, ad prætorium convenerunt, milites ad custodiam destinatos a S. Laurentii templo amoveri a præfecto postulaturæ: responsum vero B nullum ab eo acceperunt.

Mira refertur historia.

26 *Nec omisero hisce attexere historiam miram quidem, sed suspectæ fidei, quam de structa basilica* S. Laurentii *ita exponit B. Petrus Damiani lib. 8, epist. 5:* Alphanus Salernitanus archiepiscopus, vir videlicet verax ac prudens, in Constantinopolitana se perhibet urbe didicisse, quod retulit. Contigit, inquit, imperatorem, cujus tamen vocabulum non tenebat, aliquando plagam cæcitatis incurrere, cui nulla medicinalis industriæ cura potuit subvenire. Cumque periculum hoc humano studio nullatenus potuisset evadere, aggressus est hoc apud Deum fusis precibus impetrare. Audivit itaque per somnium, quia si B. Laurentii martyris ecclesiam peteret, reparati luminis claritatem divinitus obtineret. Iturus itaque Romam offert votum, jubet parari præsto navigium, fixum statuit arripiendi protinus itineris institutum. Uxor autem dum parvulis adhuc filiis amissionem formidat imperii, dum sibi regiæ dignitatis occasum, dum marini discriminis metuit viro periculum, religiosæ fraudis aggreditur argumentum. Dedit ergo remigibus hoc C mandatum, ut nullatenus Romam recta progressione contenderent; sed per diversos portus, ac littorum stationes subsistendo ac reprimendo navigium, iter tantummodo simularent.

quæ instructa ecclesia S. Laurentii accidisse dicitur.

27 Sed dum nautæ regem, ut edocti fuerant, varia locorum nomina permutando, deludunt, ac modo in anteriora procedunt, modo per sinuosos flexus atque reflexus in eadem loca, per quæ processerant, relabuntur; regina latomorum ac cæmentorum adhibita multitudine, augustissimam ac valde mirificam in honorem B. Laurentii construxit ecclesiam, juxta mensuram videlicet illius basilicæ, quam præfatus Martyr habet in ipso Romæ suburbio, constructam. Dicebat enim: Si datum est, ut per B. Laurentium vir meus redeat ad salutem, quidquid Deus Romæ potest; et hic nihilominus potest. Sed dum hinc imperator per diversos anfractus ac stationes littorum spatiando deducitur; illinc per plurimos artifices operum basilica fabricatur: simul et fabrica mirifice decorata perficitur, et annus impletur. His igitur hoc modo peractis, præfatus princeps ad mœnia Constantinopolitana reducitur: qui tamen Romam esse, sociis ita perhibentibus, arbitratur. Provisum est itaque ac diligentius accuratum, ut nulli, nisi Latine loquentes assisterent, qui videlicet inquirenti Romam, et B. Laurentii martyris adesse basilicam suaderent. Ad manus itaque ductus, ecclesiam imperator ingreditur, et confestim luce recepta, circumstantes sese conspicere, conjugem, clientes atque domesticos admiratur. *Sed hæc, quæ Alphanus Constantinopoli didicit, multum videntur habere de Græcula dicacitate. Nunc quam honorifice antiquissimi Ecclesiæ Patres de* S. Laurentio *locuti sint, paucula hæc eorum specimina demonstrabunt.* D

Honorifice de sancto Martyre scribunt SS. Augustinus, Leo, Maximus, Petrus Chrysol.

28 *Ut nihil dicam de S. Damasi PP. carminibus 18, 19, 20, 37 et 38; S. Augustinus varios pro solemnitate* S. Laurentii *sermones composuit, videlicet trecentesimum secundum, ac duos proxime sequentes, qui operum ejus tomo quinto editionis novæ isto ordine intexti habentur. Sermone itaque 303 iste sanctus Pater,* Quam, *inquit,* non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona... beneficia ejus Romæ tam clara sunt, ut numerari omnino non possint. Iste est, de quo dixit Christus: Qui perdiderit animam suam propter me, salvabit eam. Salvavit eam per fidem, salvavit per contemptum mundi, salvavit per martyrium. Quanta est gloria ejus apud Deum, dum tanta est laus ejus apud E homines? *Sermone 304:* Beati Laurentii triumphalem diem *vocat; ac subdit:* Quam gloriosa enim et quanta virtutum multitudine, quasi florum varietate distincta Laurentii martyris sit corona, universa testis est Roma. *S. Leo magnus sermone in* S. Laurentii *festivitate,* De felicissimo, *ait,* inclyti Viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis... atque ita per universum mundum clarificavit gloriam suam, ut a solis ortu usque ad occasum, Leviticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. *S. Maximus episcopus Taurinensis Homilia 1 in natalis* S. Laurentii *sic loquitur:* Sanctum est, fratres, ac Deo placitum, ut natalem beati Laurentii præcipua devotione veneremur, cujus radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi coruscat Ecclesia... Nec immerito eum Apostolorum supparem prædicamus *etc. Et Homil. 2 de eodem:* Triumphum beati Laurentii totus ubique mundus consona hodie devotione concelebrat. *Audiatur denique S.* F *Petrus Crysologus sermone in Sanctum nostrum 135:* Hodierna dies baptismi martyris Laurentii corona illustratur: cujus egregii martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat.

et ante hos

29 *Præcesserat S. Ambrosius, cujus quam disertus ac illustris est de sancto Archidiacono dialogismus, tam ubique passim omnibus innotuit. Ne quis tamen eum hic desideret, non gravabor verba ipsius transcribere ex lib. 1 Officiorum cap. 41:* Non prætereamus etiam S. Laurentium, qui cum videret Sixtum, episcopum suum, ad martyrium duci, flere cœpit non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater? Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam Sacrificium sine ministro offere consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid, quod illustres et præstantes viri discipulorum cer-

tamini-

A luminibus magis quam suis vincunt. Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit. Et tu, pater, ostende in filio virtutem tuam: offer quem erudisti, ut securus judicii tui, comitatu nobili pervenias ad coronam.

30 Tunc Sixtus: Non ego te, fili, relinquo ac desero; sed majora *tibi debentur* certamina. *Nos quasi* senes *levioris pugnæ* cursum *recipimus*; te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste; post *triduum* me sequeris. Inter sacerdotem et Levitam hic numerus medius decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hereditatem ejus dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. Sic et Helias Helisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. Talis erat contentio, digna sane, de qua certarent sacerdos et minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis feruntur tragicis, excitatos theatri magnos esse plausus, cum se Pylades Orestem diceret: Orestes, B ut erat, Orestem se esse asseveraret: ille ut pro Oreste necaretur: Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus, alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hic Laurentium sanctum ad hoc nullus urgebat nisi amor devotionis: tamen et ipse post triduum, cum illuso tyranno impositus super craticulam exureretur, Assum est, inquit, versa et manduca. Ita animi virtus vincebat ignis naturam.

sanctus

31 *Idem S. Ambrosius lib. 2 Officiorum cap. 28,* Tale aurum, *ait*, sanctus martyr Laurentius Domino reservavit: a quo cum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ: et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quam eos, in quibus se esse dixit. Sic enim scriptum est: Esurivi et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bi- C bere: hospes eram, et collegistis me. Et infra: Quod enim uni horum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Jesus habet thesauros, quam eos, in quibus amat videri. Hos thesauros demonstravit Laurentius, et vicit, quod nec eos persecutor potuit auferre *etc.*

Ambrosius.

§ IV. Res gestæ quædam ac martyrium S. Laurentii, auctoritate antiquorum Patrum stabilita.

Fuit discipulus S. Sixti, archidiaconus, animi castitate excellens;

De *patria ac parentibus nihil novi memoriæ proditum a Patribus, uti nec a Prudentio in hymno, quem his de Sancto panxit. Fuit discipulus S. Sixti PP. II, cujus Acta illustravimus die* VI *hujus mensis; eique apprime dilectus fuit ob virtutes singulares, et ad diaconatus honorem ab ipso promotus; sicut habemus ex S. Ambrosio lib.* I *Officiorum cap. 41. Verba dedimus num. 29. S. Augustinus sermone 302 citato:* Sanctus, *inquit*, Laurentius archidiaconus fuit. *Et sermone 303:* In ipsa enim Ecclesia, sicut soletis audire, diaconi gerebat officium. *Præmiserat ibidem:* Diaconus erat, secutus Apostolos. *S. Leo sermone de* S. Laurentio, *eum* Levitam *vocat. Et paulo post ab eo dicitur* Levita castissimus. *Et vero S. Maximus, episcopus Taurinensis, Homilia prima de Sancto nostro, castitati ejus adscribit ministerium illud sacrum, dum dicit:* Cui et castitas animi leviticum ministerium dedit: *S. Petrus Chrysologus serm. 135 citato scribit:* Ibi *(Romæ)* diaconus ministravit. *Et mox:* Illo tunc archidiacono beatus Sixtus erat episcopus. *Prudentium modo allegatum adjungamus Patribus, qui et Sancti in eo munere prærogativam, et ipsius muneris naturam paucis perstringit, sic canens:*

AUCTORE J. P.

Hic primus e septem viris
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior;
Claustris sacrorum præerat
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus
Votasque dispensans opes.

E

33 *Duplex itaque erat Sancti officium: quorum alterum pertinebat ad altare ac Sacramenta; alterum ad thesaurorum Ecclesiæ distributionem. Primum confirmatur ex loco S. Ambrosii citato, ubi* S. Laurentius *inducitur ita alloquens S. Sixtum:* Nunquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras. *Adde:* Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem: cui consummandorum consortium Sacramentorum. *Consule, quæ observavimus in Annotatis ad Martyrium S. Sixti, die* VI *hujus, pag. 142, litt.* k *et* l. *Secundum, quod indicabamus modo, lucebit ex infra dicendis.* Primus *itaque erat Sanctus noster* e septem viris, *seu diaconis, uti canebat Prudentius. Neque enim tunc temporis diaconi ibi erant plures quam septem. Eusebius quippe lib. 6 Ecclesiasticæ historiæ cap. 43* septem *ponit* diaconos. *Sozomenus lib. 7, cap. 19,* Apud Romanos, *ait*, diaconi non plures sunt hactenus quam septem, instar eorum, qui ab Apostolis primum ordinati sunt: ex quorum numero fuit Stephanus, qui primus martyrium pertulit. Apud alios vero, haudquaquam definitus est numerus diaconorum. F *Vide Commentarium prævium Mabillonii in Ordinem Romanum cap. 3. De diaconorum Cardinalium origine, et ipsorum duodecim antiquis Diaconis agit Onuphrius Panvinius in libro, qui est de Septem Urbis ecclesiis cap. 3.*

Duplex ejus officium

34 *Sanctissimus Ecclesiæ Diaconus noster quam divitiarum inops, tam virtutum erat locuples, teste S. Petro Chrysologo:* Laurentius, *inquit*, pauper opibus, dives moribus. *Ad hæc, erat juvenis, sive in flore ætatis. Nam S. Sixtus ait apud S. Ambrosium:* Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus; te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. *S. Petrus Chrysologus* venerabilem juvenem *illum nuncupat. Fortitudinem ejus diserte S. Sixtus apud Ambrosium laudat his ad ipsum verbis:* Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. *Caritas Dei diffusa in ejus corde per inhabitantem Spiritum sanctum, vehementi admodum cœlestis ignis flamma Virum sanctum depascebatur. Ad hoc egregie alludunt sancti Patres; videlicet S. Augustinus serm. 304:* Ideo fratres mei, glorio-

virtute abundabat, eratque in flore ætatis, ac vel de forti animo atque in Deum accen...

AUCTORE J. P.

sus Martyr atroces incendiorum flammas non pertimescebat in corpore, quia ardentissimo cœlestium gaudiorum desiderio flagrabat in mente. In comparatione fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat. *S. Leo :* Superari caritas Christi flamma non potuit : et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit. *S. Maximus Taurinensis episcopus Homil.* I *de Sancto :* Nec pœnali flexus incendio est, cujus in pectore insuperabili sancti Spiritus flamma fervebat. *Petrus denique Chrysologus :* Plus ardebat, quam urebat : urebat in carne, ardebat in corde. *S. Augustinus Tractatu 27 in Joannem :* Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat.

Non martyrium duntaxat ei prænuntiavit S. Sixtus,

35 *Porro prænuntiatum ei non tantum fuisse martyrium a S. Sixto, sed ipsum etiam martyrii diem, constat e testimonio Patrum. Sanctissimus hic Pontifex apud S. Ambrosium loco designato,* Mox venies, *ait,* flere desiste, post triduum me sequeris. *S. Maximus Taurinensis episcopus ita rem confirmat :* Quem venerabilis Xistus, Romanæ urbis antistes, cum impietatem B sævientis mundi per tormenta superaret, et regnis esset cœlestibus jam vicinus, videretque eum paterna de morte tristissimum, ita illum spiritu præscientiæ compellasse narratur : Noli, fili, mœstus esse, post triduum me sequeris. Unde apparet, carissimi, beatum Laurentium non de sacerdotis sui victoria habuisse tristitiam; sed doluisse, quia non etiam ipse mundum cum suo pariter sacerdote vincebat. Noli (inquit) fili, mœstus esse, post triduum me sequeris. Hoc est, noli tristis esse, velut apud seculum derelictus. Nam nec te fides, vitaque tua tali morte privabit. Nulla te de meo transitu, quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox et tu habiturus es de tua passione lætitiam. Vere beati Laurentii gloria singularis, qui tantum de Deo suo consecutus est gratiæ, ut ei martyr de martyrio prophetaret. *Et homil. 2 de* S. Laurentio *hæc memorat :* Quem mirabilis Xistus adversus omnia sævientis mundi mala vaticinio prophetici sermonis armavit. Nam cum idem Laurentius passionem paternam ut piissimus filius inconsolabili mœrore defleret, Xistus, præscientia sancti Spiritus edocente, futura dignoscens, ait illi : Depone fili, omnem de C mea morte tristitiam : nec enim diu mea te contristabit absentia : post triduum me sequeris.

sed ipsum etiam martyrii diem.

36 *S. Augustinis Tractatu 27 in Joannem :* Dixerat autem illi Xystus martyr sanctus, cujus diem quinto abhinc retro die celebravimus : Noli mœrere, fili . . . Noli mœrere, inquit; sequeris me post triduum. Triduum autem dixit medium inter diem passionis sancti Xysti, et diem hodiernæ passionis sancti Laurentii. Triduum est medium. O consolatio! Non ait : Noli mœrere, fili, desinet persecutio, et securus eris : sed, Noli mœrere, quo ego præcedo, tu sequeris : nec consecutio tua differtur : triduum medium erit, et mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum. *Sanctis Patribus consentit Prudentius, dum hæc canit :*

Fore hoc sacerdos dixerat
Jam Xystus adfixus cruci
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite :
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere;
Præcedo, frater : tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ,
Nihil fefellit : nam dies
Prædicta palmam præstitit.

Obiit enim S. Sixtus die VI *Augusti, secundum dicta in Commentario ejus prævio ad istum diem* § 2, *Sanctus vero noster hac die* X : *uterque sub Valeriano imperatore anno æræ vulgaris* 258.

Causam martyrii SS. Patres

37 *De causa etiam martyrii testimonia habemus e Patribus : quæ fuit avara sitis gentilium, qua thesauris Ecclesiæ,* S. Laurentio *ex officio concreditis, insatiabili opum libidine extorquendis inhiabant. Audiatur S. Maximus homil.* I *citata :* Ergo ut comperit ore sacerdotis et martyris, se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis, ecclesiasticum censum religiosa liberalitate divisit. Quam profundum spiritalis Viri et quam cœleste consilium, ut et egenis consuleret, et multitudine consumente quæ dederat, inveniri non possit, quod raperet persecutor . . . Hoc itaque dolore furor gentilis accensus *etc. S. Augustinus serm. 302 :* Opes Ecclesiæ ab illo persecutore quærebantur, sicut traditur : unde tam multa passus est, quæ horrent audiri. *Et serm. 303 :* Cum ergo persecutio . . . Romæ sicut in cæteris locis vehementer arderet, et E tanquam ab Archidiacono postulatæ essent res Ecclesiæ *etc. S. Leo :* Cum enim furor gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæviret, ac præcipue eos, qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret, in levitam Laurentium, qui non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de unius Viri comprehensione promittens. Quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, et veritatis inimicus : avaritia, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat Christum. *Adde SS. Ambrosium ac Petrum Chrysologum; de quibus mox dicam.*

ac Prudentius

38 *Prudentius hanc ipsam martyrii causam numeris metricis sic intexuit :*

Versat tamen pecuniæ
Præfectus urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri et sanguinis,
Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis
Cumulosque congestos tegi,
Laurentium sisti jubet.

assignant inhiantem thesauris Ecclesiæ

39 *Quid ad hæc Levita sanctissimus? Ex S. Ambrosio lib. 2 Officiorum cap. 28 habemus ista :* A quo cum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes, dicens : Hi sunt thesauri Ecclesiæ, et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. *S. Petrus Chrysologus tridui spatium interponit, ac rem ita narrat :* Non se negavit Ecclesiæ habere divitias; sed ut eas ostenderet, tridui dilationem petiit; deinde mandavit congregari agmina pauperum. Tunc deinde ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tanquam demonstraturus, quod ille quærebat, demonstravit quod habebat. Tunc ait persecutor : Ubi sunt Ecclesiæ facultates? At ille manum extendens in pauperes, Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. *Consonat S. Leo :* Postulat sibi ab immaculato sacrarii Præsule opes ecclesiasticas, quibus

av

A avidissimus inhiabat, inferri. Cui Levita castissimus, ubi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant salvæ, quanto sanctius probabantur expensæ. *S. Augustinus serm. 303 :* Mittantur mecum vehicula, in quibus apportem opes Ecclesiæ . . . Quot vehicula poposcit, tot ierunt. Poposcit autem multa... implevit vehicula pauperibus . . . Respondit : Hæ sunt divitiæ Ecclesiæ.

aviditatem gentilium.

40 *Patribus suffragatur Prudentius, quando ista canit pathetice juxta et eleganter :*

Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum
Sed ut paratus obsequi,
Optemperanter annuit . . .
Vulgabo cuncta, et poferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paululum . . .
Lætus tumescit gaudio
B Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domini maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui

Subjungit deinde Poeta, triduo Sanctum per Urbem cursitasse, infirmosque ac egenos congregasse, uti pluribus ibidem ac graphice apud ipsum leges. Paucis vero ante annis ibidem loci exstitisse viduas cum infirmis et egentibus plus quam mille et quingentas ; quibus universis gratia et benignitas Dei alimenta suppeditabat, *habemus ex litteris S. Cornelii PP. apud Eusebium Ecclesiasticæ historiæ lib. 6 cap. 43.*

Sancti immanes in craticula cruciatus ex Patribus ; sed splendidi

41 *Tyrannus, inexpectato isto ac pio pariter et innocuo dolo delusum se videns, sævire ac furere. S. Leo,* Fremit, *ait,* prædo frustratus, et in odium religionis, quæ talem divitiarum usum instituisset, ardescens, direptione thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset ; ut illud depositum quo sacratius errat dives, auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet ; et solidissimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere suppliciis. Quorum ubi prima nil oblinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, et multa verberum C sectione concisos, subjecto præcipit igne torreri, ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, et pœna productior. *S. Augustinus serm. 303 :* Craticula admota est, et tostus est. *Quid S. Maximus Taurinensis homil. I citata ?* Hoc itaque dolore furer gentilis accensus craticulam continuo parat ignitam, super quam cremandum Laurentium per membra discinderet. *Et homil. 2 :* Paratur ergo cratidula igne succensa, quæ triumphalis Martyris et animum fatigaret, et corpus exureret. *S. Petrus Chrysologus :* Irrisum se dolens crudelis tyrannus et avarus inimicus . . . parari flammas præcepit . . . Tunc oblata est torrenda, et, ut verius dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentii craticula *. *Barbarum apparatum egregie describit Prudentius ; quem tu consule. Illa interim ex eo notare lubet :*

* *f.* cuticula

Hæc fante Præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra et tendere.
Illi os decore splenduit
Fulgorque circumfusus est.

Auctore J. P. teste Prudentio

42 *Fulgor ille, teste Prudentio, neophytis, non autem impiis apparuit. Sic enim canit :*

Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.

Accedit eo, quod odor adusti corporis longe aliter utrosque affecerit. Id quod ita exprimit Poeta laudatus :

Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet ;
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.

ac triumphales

43 *Laudati jam sæpissime sancti Patres triumphantem inter acerbissimos cruciatus* Laurentium *ita exhibent : S. Augustinus serm. 303 :* Cum E ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo, quod modo in Evangelio audivimus : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus, Jam, inquit, coctum est ; quod superest, versate me, et manducate. *Augustino consentit Petrus Chrysologus his verbis :* Itaque beatissimus Martyr ostendens quam quiete jaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus : Jam me versate, et si una pars cocta est, vorate. *Nimirum* In illa . . . longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat et bene biberat *(Corpus utique et sanguinem Domini)* tanquam illa esca saginatus, et illo calice ebrius, tormenta non sensit ; *sicut scribit S. Augustinus Tractatu 27 in Joannem. Prudentius Martyrem inducit hoc ad judicem sermone usum ; quo dicta confirmantur :*

Converte partem corporis
Satis crematam jugiter :
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet. F
Tunc ille : Coctum est, devora
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.

Atque hæc quidem sunt, quæ ex sanctis Patribus, ac poeta Prudentio ad stabilienda præcipua quædam ipsius gesta corradere visum est, quorum postmodum, ubi qualiacunque ejus, quæ circumferuntur, Acta discutiemus, juvabit meminisse.

§ V. S. Laurentius magnus thaumaturgus fuisse ostenditur ex Patribus ; prodigium et victoria S. Henrico indulta ; violatio festi punita ; mirum, sed suspectum Sancti privilegium.

T*haumaturgum fuisse* S. Laurentium, *magnis ac multis prodigiis memorabilem, ea, quæ cum Romæ, tum alibi patravit, mirabilia solide*

AUCTORE J. P. Thaumaturgus magnus fuit, S. Augustino, Prudentio,

solide comprobant. De Romæ patratis S. Augustinus serm. 302 magnam paucis verbis ideam suggerit, dicens : Cujus autem meriti sit memoratus Martyr, quis ignorat? Quis ibi oravit, et non impetravit? Quam multis infirmis meritum ejus etiam temporalia beneficia præstitit, quæ ille contempsit! Concessa sunt enim, non ut precantium permaneret infirmitas; sed ut deterioribus concessis, amor fieret ad appetenda meliora. *Prudentius supra citatus ista canit :*

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratrum prospere,
Poscunt licenter, indicant,
Et tristis haud ullus redit.

Idem poeta de martyris obitu, ac corporis avectione locutus, testatur, quantum ei debeat Roma idolorum inprimis cultui addictissima, ac post ipsius mortem meliori frugi reddita, dum hæc memorat :

Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium,
Plebs in sacellis rarior
Christi ad tribunal curritur...
B Mors illa sancti Martyris
Mors vera templorum fuit etc.

ac S. Ambrosio

45 *Satyrum, S. Ambrosii fratrem, e tempestate evasisse sospitem, voto facto* S. Laurentio, *discimus ex ipsomet sancto Doctore in oratione funebri de excessu ejusdem fratris sui Satyri, quæ habetur tomo V editionis parisiensis, anno 1586 vulgatæ; ubi col. 715 ita illum affatur :* Tuis enim votis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse nunc cognoscimus commeatum, atque utinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi. Et quidem tibi, omnipotens æterne Deus, gratias ago, quod vel hæc nobis, suprema solatia non negasti, quod amantissimi fratris ex Siculis Africanisve regionibus exoptatum nobis reditum contulisti. Ita enim mature, postquam venit, craptus est, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret.

testibus.

46 *Laudatus modo, Mediolanensis Præsul tomo citato in Exhortatione ad virgines edocet, quod* C *pia quædam mulier, nomine Juliana, prolis virilis exspes, patrocinio* S. Laurentii, *facto cum ab ipsa, tum a marito ejus voto, filium impetrarit; quodque ideo nomine* Laurentii, *eum nuncuparint, ac servitio Ecclesiæ dedicarint. Audiatur Ambrosius loco designato a col. 579 :* Ea igitur vidua sancta est Juliana, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit, quod hodie dedicamus. *Et aliquibus interjectis, matrem illam inducit, hoc filium sermone alloquentem :* Considera, quis te, ut nasceris, juverit. Filius es votorum magis, quam dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine designaverit, qui vocabit Laurentium. Ibi vota deposuimus : inde nomen assumpsimus. Vota effectus secutus est. Redde Martyri, quod debes Martyri. Ille te nobis impetravit; tu restitue, quod de te hujusmodi nominis appellatione promisimus. Quid autem est, fili, aliud, quod eligendum putes, nisi Deum patrum tuorum? *Et col. 587*, Tu autem, *ait*, fili, quem mihi verus Helcana, id est, Dei dedit possessio, postulatus meus, petitus meus, (inde enim etiam Samuel nomen accepit). Tu, inquam, impetratus meus, et votivus meus, qui quomodo in uterum meum veneris, nescio (jam enim desperaveram sobolem sexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua solmenis D cœtus secreta formarunt. Tu, inquam, fili, agnosce, a quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit : ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus ob sequio te, antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi; sed Deo natus es, cujus, antequam de vulva matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, tu redderis : quia scriptum est : Vovete, et reddite Domino Deo vestro. Ego misera, ego indigna, et tamen quasi Anna promisi, ut omnibus vitæ diebus ac noctibus a conspectu Domini non recedas. Ego promisi : tu exsquere. Dominus sibi hostiæ suæ munus implebit

Favores singulares S. Melaniæ juniori Martyris nostri patrocinio indulti.

47 *Unum e septem filiis, qui ob matris contemptum continuo membrorum tremore a Deo puniti fuerant, sanitatem pristinam recuperasse, diximus supra § 2 ex S. Augustino, occasione ædis* S. Laurentio *sacræ apud Ravennates. De favoribus cœlestibus. S. Melaniæ juniori, obsecundante ejus votis Sancto nostro, indultis quid memorem? Hi apud Surium ita referuntur ad diem* XXXI *Decembris in ejus Vita § 4 :* Erat autem ei E maxime in votis, a mundo abrumpi, et, ut vult Deus, philosophari. Unde etiam cum uterum ferret, et ei secundo jam partus appeteret, celebrabatur quidem festum gloriosi martyris Laurentii : illa vero pernoctabat insomnis, genuflectens, psalmos canens, dolores et naturam superare contendens. Desierat matutina : illa autem non cessabat a precibus. Sed sic quoque seipsam intendens, dolores sentiebat graviores, et violenterquidem, parit tamen. Atque quod natum quidem fuerat, erat masculinum. Simul atque autem natum, et sancto baptismo fuit regeneratum, ab hoc mundo discedens, ad eum, qui illic est, transmittitur. Illam vero etiam post partum vexabant dolores, et acerbus cruciatus mortem accelerabat. Adstans autem maritus, cum asperam et gravem vidisset perpessionem, conturbatus prope emisit animam. Cum se autem collegisset, ac recreasset, currit ad aram (*nimirum S. Laurentii*) et eam in orbem ambiens, lacrymas profundebat ex oculis, voces emittebat miserabiles, et ut quam citissimum a Superis adveniret advocabat auxilium. Illa vero arbitrata, hoc esse F illud tempus, quod finem imponet ejus desiderio, viro, qui adhuc assidebat in templo, per nuntium significat, et ipsum, et se adhuc esse victuram, si detur jusjurandum, et pacta conventa ineantur, utrosque de cætero victuros esse in continentia, et non quam mundus, sed quam vult Deus, vitam esse perpetuo acturos. Paret vir uxoris verbis, et voluntati : et respondet, id sibi esse persuasum. Quod quidem cum illa rescivisset, corpore quidem se habet melius; animo autem protinus evadit lætior, seu morbo locum dante lætitiæ, seu etiam manu superna ejus adjuvante scopum et institutum. *Miracula S. Damaso PP., ac* S. Laurentio *a Petro Sedis Apostolicæ diacono attributa, dabuntur infra num. 103*

Aperto Sancti sepulchro mira acciderunt.

48 *S. Gregorius Magnus lib. 3, epistola 30 Constantiæ Augustæ inscripta, narrat ista :* Sanctæ memoriæ decessor meus... ad corpus S. Laurentii martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur, ubi venerabile corpus ipsius esset collocatum, et effoditur exquirendo, subito sepulchrum ipsius ignoranter apertum est. Et hi, qui præsentes erant atque laborabant monachi et mansionarii, qui corpus ejusdem Martyris viserunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt,

A omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vitæ supreesse potuisset, qui sanctum et justum corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur.

Prodigium in calice, quem S. Henricus in honorem S. Laurentii dederat:

49 *In Vita S. Henrici imperatoris in Opere nostro edita ad diem* XIV *Julii, tomo III ejusdem mensis, pag. 763 hæc leguntur:* Præmemoratus et sæpe rememorandus Dei famulus calicem aureum in honorem Dei, et commemorationem S. Laurentii Martyris, ecclesiæ Mersburgensi contulerat: cujus speciali patrocinio coram Deo adjutus, et in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni vero veneratione, et admiratione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix in certa custodia clausus habebatur, nec minus tamen prædictæ collisionis *(de qua infra in Gloria posthuma* S. Laurentii § 3) materiale signum excepit. De eodem vero calice, quid religiosorum virorum relatione in veritate audierimus, futurorum memoriis B intimare, operæ pretium dignum duximus. Cum enim prædictus Christi confessor Heinricus pro disponendis regni negotiis Marsipolim venisset, accidit, ut quadam die ad altare S. Laurentii attentissime Missam audiret. Qua completa, sicut semper facere consueverat, ablutionem calicis sumere volebat; sed interveniente magno negotio regni, quod vir sanctus proposuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaque custode ecclesiæ, rogavit eum, ut calicem cum ablutione in mundo loco reponeret, et cum omni diligentia servaret, quoadusque ipse exoccupatus aptum tempus et locum ad sumendum illam inveniret. Excrescentibus autem causis et placitis, tota die illa turbatus, non potuit se expedire. Postera vero die, post matutinas, cum paucis secretariis suis, clanculo monarterium introivit, et diutius flexis genibus, et profusis lacrymis Deum exoravit, accersitoque custode, calicem cum ablutione sibi afferri præcepit. Cumque allatus fuisset et discoopertus, invenerunt ablutionem illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quod factum mirabile mox universis, qui aderant, innotuit, et nunc et semper in laudem Dei, et gloriam confessoris sui C omnis Ecclesia successoribus suis enarrabit.

cujus etiam Sancti patrocinio insignem refert victoriam.

50 *Non abs re etiam fuerit, mentionem facere de insigni illa victoria, quam sanctissimus idem imperator,* S. Laurentio *patrocinante, de Slavis reportavit: circa quam e Vita ejus modo indicata delibo ista pag. 755 ac sequente:* Inde progressus, castra metatus est in campo, ubi Mersebergensis ecclesia sita est, et videns locum desolatum, et in nihilum redactum, ingemuit et ait: Beate Laurenti, martyr Christi, si tuo interventu has barbaras nationes, ad quas pergo, Romano imperio, et Christianæ religioni subjugavero, hunc locum desolatum tuo nomini consecratum, divina favente gratia, in pristinæ dignitatis statum renovabo... Invocatoque, *uti paucis interjectis ibidem dicitur,* super se nomine Domini, beato Laurentio, S. Georgio, et B. Adriano martyribus, se suumque exercitum protegendum summa cum devotione commisit. *Divina autem implorata ope,* aperti sunt oculi ejus, et vidit gloriosos *illos* Martyres cum Angelo percutiente, exercitum suum præcedentes, et hostium cuneos ad fugam propellentes... Cumque, *victis egregie hostibus,* Poloniam, Boemiam, Moraviam tributarias fecisset; ob reverentiam S. Laurentii martyris, conculcationem et destructionem Mersebargensis ecclesiæ, cœpit pro intuitu misericordiæ et pietatis respicere, et ad nihilum redactam in ædificiis, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum pontificalis dignitatis, sicut Deo et S. Laurentio voverat, studuit restaurare. Nec prius ab operibus misericordiæ destitit, quoadusque eam ad antiquum statum dignitatis, et pristinum honorem religionis ex integro perduceret. *Joannes Cuspinianus in Opere de Cæsaribus atque imperatoribus Romanis, in rem præsentem hæc breviter perstringit in suo S. Henrico:* Hostes terribiliter persecutus est, divino numine cooperante. Visi enim sunt divi martyres Georgius, Laurentius, et Adrianus exercitum illius antecedere, et cuneos hostium dissipare. *Videri etiam potest Greiserus de Divis Bambergensibus, in notationibus ad caput 4 prædictæ Vitæ pag. mihi 84.*

Auctore J. P.

Violatio festi punita.

51 *Auctor Vitæ S. Ottonis, episcopi Bambergensis ad Pomeranorum apostoli, apud nos edita ad diem 2 Julii, pag. 447 hæc narrat:* Accidit eo tempore in festo beati Laurentii martyris, ut presbyter quidam ex comitatu Ottonis episcopi, nomine Bokeus, præteriens, videret rusticos in E agro frumenta metentes, quos modeste compescuit, dicens: Miseri, quid agitis? Hodie natalitius dies est beati Laurentii martyris, quod totius Ecclesiæ summa veneratione celebratur; et vos insensati, hunc violare præsumitis? At illi: Non, inquiunt, omni tempore sabbatizare possumus. Expedit etiam necessaria domibus nostris aliquando providere. Presbyter autem fervens spiritu, Scio, ait, non impune vobis violationem solemnitatis cedere; sed cœlesti igne omnia, quæ illicite messuistis, consumenda noveritis. Vix verba finierat, et, ecce, ignis Dei cecidit e cœlo, tactasque messes eorum usque ad favillam absumpsit. Sicque factum est, ut cives ejusdem loci eximium martyrem Laurentium in magna deinceps veneratione haberent.

Mirum alicubi, sed suspectum,

52 *Habemus apographum, cui hic prænotatur titulus:* Passio S. Laurenti martyris, et aliorum Martyrum; *et indicatur ad marginem, quod* Ex. Ms. S. Maximini Treveris *descriptum fuerit. Inter miracula vero* S. Laurentii, *quæ eidem apographo intexuntur, occurrit mirabilis quædam prærogativa, in eo sita, ut diebus Veneris singulis animam unam eruat Sanctus e piacularibus flammis. Rem describimus, prout ibidem narratur: quam utinam certioribus documentis confirmatam videre licuisset; et non nixam falso supposito circa diem mortis Martyris nostri, quæ non incidit in feriam sextam, sed tertiam; anno nempe 258, quo is obiit, littera Dominicali C cum die prima mensis Augusti concurrente. En tibi igitur qualequale hoc privilegium:* Noverint F omnes fideles Christiani, quia quicunque levitæ beati Laurentii feria sexta memoriam fideliter egerint, nunquam adversus eos inimicus prævalebit. Ipse enim beatus Martyr ea die, in qua et Salvator noster mortem subbiit, cum triumpho martyrii asseculo migravit.

S. Laurentio privilegium adscribitur.

53 Unde maximum hos a Deo accepisse legitur privilegium, ut omni hebdomada, animam unam eripiat de purgatorio igne feria sexta. Magna profecto gloria cunctisque fidelibus pia devotione celebranda. Sed ne forte alicui incredulum videatur tam idoneum miraculum; qualiter id probatum fuerit, paucis expediam. Erat in cœnobio ipsius Martyris quidam abbas magnæ religionis, et probatæ adeo sanctitatis, ut quanti esset

AUCTORE J. P.

set meriti beatus Laurentius, Deum sibi ostendi rogaverit. Et exaudivit Dominus deprecationem ejus. Nam cum angelico per visum perfrueretur alloquio: videre sibi videtur in quodam terræ loco, quasi miserorum cruciatum; sed Dei misericordiam quandoque expectantium. Cum vero quidam hoc esset, hæsitaret: ecce levita quidam splendidior, niveque candidior, maxima Angelorum comitatus multitudine adveniens, animam unam eripiebat de illo igne, eamque ingenti cum tripudio ad superna cœlorum gaudia deferebat. Tum vero quidnam hoc esset abbas ab Angelo requisivit. Cui Angelus: Levita inquit, quem vidisti, beatus Laurentius est martyr vere sanctissimus, Deoque acceptissimus: cui hoc singulare datum est privilegium, ut omni hebdomada eruat animam de tormentis, feria sexta, ad laudem et gloriam Filii Dei; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. *Alia, quæ de prodigiis* S. Laurentii *dicenda sunt, invenies inferius post ejus Acta.*

B

§ VI. *Locus palæstræ, sepultura; an inventum Romæ corpus sec.* XV.*; reliquiæ.*

Sanctus ubinam passus; corpus unde, et a quibus avectum.

Locus palæstræ, ut fama est, fuit collis Viminalis: de qua re Mabillonius in Itinere suo Italico pag. 82 hæc memorat: Alia est . . . in colle Viminali basilica S. Laurentii in Panisperna, antiquis S. Laurentii in Formonso (ita enim scribebant) ubi sanctus Martyr ustulatus fuit. Ibidem sepultus est magnus ille Guilielmus Sirletus Cardinalis, cum honorifico, ut par erat, epitaphio. *Prudentius indicat quidem corpus Sancti avectum fuisse e loco martyrii: sed quisnam ille fuerit, et ubi situs, non addit. Sic enim narrat;*

Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres:
Quos mira libertas Viri
Ambire Christum suaserat.

At quinam isti patres? Fuere Justinus et Hippolytus, secundum Adonem. Mane autem, *ait,* primo adhuc crepusculo, rapuit corpus ejus Hippolytus, et condivit cum linteis et aromatibus: et hoc factum, mandavit Justino presbytero. Tunc beatus Justinus et Hippolytus plorantes, et multum tristes, tulerunt corpus beati Martyris, et venerunt in via Tiburtina in prædium matronæ viduæ Cyriacæ in agro Verano, et illud ibi jam hora vespertina sepelierunt IV Idus Augusti. *Vide etiam Acta apud Surium.* C

Via Tiburtina illud sepultum.

55 *Et vero via Tiburtina Martyrem fuisse sepultum, videtur erui e Kalendariis Bucheriano ac Dacheriano, superius num.* I *citatis; uti et e basilica a Constantino imperatore ædificata* via Tiburtina in agrum Romanum, supra arenarium Cryptæ, et usque ad corpus beati Laurentii mart.; *sicut dictum est num. 6. S. Augustinus, qui serm. 296 corpus illud pretiosissimis Sanctorum exuviis, quas Roma possideat, accenset his verbis,* Jacet Petri Corpus Romæ... Jacet Pauli corpus Romæ, Laurentii corpus Romæ etc., *obesse non debet: nam* Romæ, *id est, quantum ego quidem secundum mox dicta interpretor, in agro Romano. Locus sepulturæ confirmatur ex Anastasio Bibliothecario, qui in S. Sixto PP. II hæc refert:* Beatus... Laurentius sepultus est via Tiburtina in cœmeterio Cyriacetis, in agro Verona in crypta cum aliis multis Martyribus, IV Idus Augusti. *Cæterum de cœmeterio isto tractat Aringhus Romæ subterraneæ tom. II, lib. 4, cap. 16, pag. 125. Quibus addi possunt, quæ ibidem loci observavit Monfauconius, ac sic descripsit in suo Diario Italico cap. 8, pag. 117:* Hinc S. Laurentium extra muros adimus, via Tiburtina in agro Verano situm. Ab ingressu porticus depicta agone ac miraculis S. Laurentii exornatur: baptismus ibi S. Romani exprimitur, qui nudus stat, nec immersus in aqua, ut narrant quidam. In ecclesia quoque a parte ostii paris ætatis picturæ videntur cum hac inscriptione: « Hoc opus fecit « fieri dominus Matthæus S. Alberti pro anima « sua » charactere, ut æstimatur, XIV circiter seculi. Eriguntur in ecclesia ambones duo: qui a dextris conspicitur ad unum ornatur instrumentis veterum sacrificiorum, videlicet albogalero, secespita, acerra, vase aspersionis, aspergillo, docte sculptis, ex zophoro, ut videtur, cujusdam templi erutis. D E

An illud, quod Romæ inventum sec. 15,

56 *Jam vero ea, quæ narrantur apud Martenium tom. VI. Veterum scriptorum et monumentorum, col. 1216 de corpore* S. Laurentii *Romæ invento, occasionem nobis præbent inquirendi, quo fundamento res ista nitatur. Sic autem ibidem illa exponitur:* Anno MCDXLVII obiit Papa Eugenius, et electus Papa Nicolaus quintus, et consecratus Dominica Lætare Jerusalem. Eodem anno apud Fratres Minores Romæ inventum est corpus unius Sancti, quod ex una parte fuit combustum: et statim ipsi diffamaverunt per urbem, quod esset corpus S. Laurentii. Quapropter Dominus Nicolaus Papa V misit illuc quinque Cardinales ad investigandum rei veritatem, scilicet Andegavensem, qui erat Cardinalis ipsius S. Laurentii, Cardinalem de Columna, Cardinalem Græcum *(id est Bessarionem, ut ibidem est in nota)* Cardinalem Firmanum, et Cardinalem Terracinensem; tres defensores et senatores urbis, qui cum magno timore et reverentia accesserunt, et aperuerunt tumbam S. Laurentii, et invenerunt corpus S. Laurentii integrum, coopertum dalmatica, sed caput ejus erat decalvatum, quia ignis combusserat crines; et corpus S. Stephani integrum, excepto brachio dextro, et in una parte capitis adhuc erant pili. Tunc Cardinalis S. Laurentii accepit juniorem monachum, et ostendit ei sepulchrum, et dedit ei alapam in memoriam futurorum. Actum ultima Julii. *Hæc ibi, et de nostro quidem* S. Laurentio, *uti textus non obscure indicat.* F

fuerit S. Laurentii.

57 *Sed contra est 1°. Quando, a quo, qua occasione, quibus testibus corpus illud e prima sepultura eo advectum? 2°. Corpus illud fuit, uti asseritur,* ab una parte combustum, et coopertum dalmatia, *nec non* caput decalvatum *ab igne. At Sancti nostri corpus ab utraque parte coctum fuisse, dicebat supra Prudentius, sic loquentem* Laurentium *inducens:*

Converte partem corporis
Satis crematam jugiter..
Præfectus inverti jubet
Tunc ille: Coctum est, devora.

3° Corpus *fuisse* integrum *dicitur; quomodo igitur, si nostri illud vis esse Athletæ, tot antea reliquiæ ex illo decerptæ ac per orbem dispersæ? 4°. Si nostri, inquam, illud Martyris, cur quinque illos Cardinales, a Nicolao V ad illud inspiciendum missos, illud pro tali agnovisse, auctor non addit? 5°. Piazza in Hemerologio sacro*

Romæ

A *Romæ Christianæ et gentilis part. 2, pag. 142 corpus Sancti nostri, ac S. Stephani attribuit ecclesiæ* S. Laurentii *extra muros; pagina vero 143 agens de ecclesia* S. Laurentii *in Panisperna, quæ est Fratrum Ordinis S. Francisci, uti ibidem indicat, de reliquiis prædictis nihil, uti nec de aliis.*

Variarum reliquiarum

58 *Quoniam vero in Sanctis reliquiarum sermonem incidimus, non abs re suum hic illis locum dabimus. Justinianus necdum imperator per legatos reliquias* S. Laurentii *petiit ab Hormisda PP. Factum narratur apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 1515, ubi hæc exstant:* Filius vester magnificus vir Justinianus, res convenientes fidei suæ faciens, basilicam sanctorum Apostolorum, in qua desiderat et beati Laurentii martyris reliquias esse, constituit, sperat per parvitatem nostram, ut prædictorum Sanctorum reliquias celeriter concedatis... Petit et de catenis sanctorum Apostolorum, si possibile est, et de craticula B. Laurentii martyris. *S. Gregorius magnus lib. 2, epistola 33, quæ* Dynamio patricio Galliarum *etc. inscribitur,* Transmisimus, *ait,* beati Petri Apostoli benedictionem, et crucem parvulam, cui de catenis ejus beneficia sunt inserta... Per quatuor B vero in circuitu partes de beati Laurentii craticula, in qua perustus est, beneficia continentur: ut hoc ubi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat. *Observa hic obiter, Romanæ Ecclesiæ tunc temporis usum fuisse, ne corpora Sanctorum pro reliquiis attingerentur. S. Severus presbyter et confessor, qui vixit seculo 5, in loco a se ædificato* veneranda patrocinia beati Laurentii martyris cum honore debito collocavit; *sicut refertur in ejus Vita ad diem* VIII *hujus pag. 350.*

S. Laurentii, contexta

59 *Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum lib. 1, cap. 83 factum narrat, quod* sicut nobis *ait,* nuper a diacono nostro relatum, ita gestum esse cognovimus. Hic autem diaconus *(de quo lib. 10 Hist. Francorum cap. 10, sicut hic notat Ruinartius, indeque conjicit sequentem reliquiarum translationem ad annum circiter 590 esse revocandam)* a Papa urbis Romanæ Pelagio quorumdam Martyrum Confessorumque adsumpta pignora, cum grandi psallentio vel clericorum officio, ac populi immensi obsequio, usque ad portum deductus est. Et ingressus navem, erectis C velis, ac per illum antennæ, quæ modulum crucis gestat apparatum, extensis, flante vento, pelalagus altum arripiunt. Qui dum navigant, ut Massiliensis urbis portum adtingant, adpropinquare cœperunt ad locum quemdam, de quo a litore maris lapideus mons exsurgens, ac paulatim decedens, summo tenus unda in mari distenditur. Cumque impellente vento carina magno impetu ferretur in præceps, ut scilicet scopulo inlisa quassaretur, ac nautæ discrimen intuentes, exitum vociferarent, diaconus elevata cum sanctis pignoribus capsa, invocare nomina singulorum cum gemitu et voce maxima cœpit, deprecans ut eorum virtute ab hoc periculo perituri liberarentur. Jamjamque adpropinquabat navis, ut præfati sumus, ad scopulum, et statim in sanctarum contemplatione reliquiarum, ab ipso loco commotus cum violentia majore ventus huic vento contrarius fluctum elisit, ventumque diversum repulit, ac nave in pelagus profundum revocata, cunctos a mortis periculo liberavit: sicque gyrata mole periculi, portum, quem desiderabant, cum Domini misericordia ac Sanctorum patrocinio contigerunt. Erant enim reliquiæ Sanctorum, quorum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta *(Apostolorum utique, quibus pedes lavit Dominus)* cum Pauli, Laurentiique, atque Pancratii, Chrysanthi Dariæque virginis, Joannis atque alterius Pauli fratris ejus, reliquiis, quorum certamina ac palmas victoriarum ipsa caput orbis urbs Roma devote concelebrat.

60 *Alia nunc Sancti lipsana in variis Europæ regionibus lustrabimus, incipiendo ab Italia, ac dando ea in illorum, quos citabimus, scriptorum fide. Liber cui titulus* Sanctorum episcoporum Veronensium antiqua monumenta *etc., habet indicem reliquiarum istius urbis, ac folio 85 verso ibidem* in ecclesia S. Pauli in Campo Martio *asservari dicitur* de brachiis SS. Innocentium, S. Laurentii *etc. Et fol. 86 verso:* In ecclesia S. Spiritus seu monasterio monialium, S. Laurentii costa et ossa. *Aliarum item in dicto indice fit mentio. Habeo ante me libellum Italicum, qui inscribitur* Triumphus cinerum et craticulæ S. Laurentii martyris, ecclesiæ cathedralis Perusinæ titularis, cum solemnissimæ supplicationis pompa E celebrari jussus ab illustrissimo ac reverendissimo domino Luca Alberto Patritio, ejusdem urbis, patriæ suæ, episcopo, die X Augusti MDCLXXXI, ac dedicatus Eminentissimo ac reverendissimo D. Cardinali... Gaspari de Carpegna. *Sacra ista pignora fuerant ante asservata in sanctuario* S. Laurentii *in Lucina: facultas extrahendi, ac testimonium authenticum concessa ab Eminentissimo Cardinale vicario Gaspare de Carpegna: die XXVI Julii, S. Annæ sacro, Perusiam delata: circumlata ibidem dicto die X Augusti, ex citato libello; in quo pompa triumphalis, ornatus, comitatus, ac publicæ lætitiæ signa pluribus descripta invenies.*

61 *De prodigioso* S. Laurentii *sanguine locuti sumus superius num. 17, oblata ibidem opportunitate mentionem faciendi de ipsius ecclesia in Campania haud procul ab Urbe. Verum ad majorem pretiosi ac prorsus mirabilis istius sacri thesauri confirmationem ac notitiam, lubet e Ms. testimonio, quod in promptu habemus, observare sequentia. Testatur itaque infrascriptus, in territorio* S. Laurentii *in Campania Romana diœceseos Ferentinæ, in collegiata ecclesia S. Mariæ Majoris (supra num. 17 dicebatur dicata* B. Laurentio*): inter alia sacra lipsana, quæ ibi asservantur, existere sanguinem, adipem, ac pel-* F *lem* S. Laurentii *martyris in vasculo crystallino. A quingentis annis, sicut indicat, conservatum ibi fuerit pignus illud sacrum, secundum memoriam, quam asserit inveniri in antiquis dictæ ecclesiæ inventariis: sed quo modo illud pervenerit in dictum territorium, nesciri affirmat; addens, prodigium, quod annis singulis spectatur fieri in dicto sacro deposito, in eo consistere, quod paucis ante festum ejus diebus, sanguis sit pinguis; ita tamen, ut ejusdem Sancti festo die a primis Vesperis sanguis separetur a pinguedine, comparendo supra, eodem modo, quo oleum supernatat aquæ, tamque appareat limpidus ac clarus quasi tunc ex vena quadam exceptus fuisset. Finita vero Octava incipit coagulari seu condensari, et simul cum adipe commisceri, adeo ut paucis in diebus ita sit concretus, ut ab adipe non discernatur, atque in illo statu permaneat per reliquum anni decursum. Hujus autem testimonii exemplar his verbis roboratur:* In fidem veritatis ego infrascriptus archipresbyter præsentem *(chartam)* scribi curavi, ac pro tali approbo hac die XXVIII Martii MDCXVIII. Ego Paduanus de Padua San-Laurentianus, archipresbyter in dicta ecclesia san-

ctæ

AUCTORE J. P.

ctæ Mariæ Majoris manu propria. *P. Jo. Franciscus Vannius S. I., anno 1685, die* XXVII *Octobris scripsit ad Danielem Papebrochium nostrum :* Ecclesia Cathedralis Tiburtina hodierna S. Laurentium M. patronum veneratur : cujus adeps dicitur in ejus festo quotannis liquescere, et ebullire.

enumeratio

62 *Roma, sicut triumphorum* S. Laurentii *spectatrix exstitit, ita sacrarum ejus exuviarum præcipua est conservatrix. Depromo, quas Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis part. 2 ad hunc diem* X *Augusti diligenter collegit, scribens in ecclesia* S. Laurentii *extra muros infra aram majorem in urna marmorea assidue illuminata asservari sacrum ejus corpus, una cum corpore S. Stephani ; hic in presbyterio expositum esse marmor, cui impositum fuit sacrum ejus corpus, sanguinis ipsius atque adipis, quando e craticula depositum fuit, notis etiamnum venerabile : in ecclesia parœciali* S. Laurentii *in lucina PP. Clericorum Minorum exponi craticulam ferream, supra quam Sanctus fuit tostus, quæque reposita est in arca ænea sumptuosa,* B *ab Eminentissimo Nicolao Ludovisio fieri curata, quando istius ecclesiæ fuit titularis : ibidem etiam spectari furculam ferream, qua versum fuit corpus ; item in veneratione haberi partem humeri cum cineribus ejus ac dentibus, simul cum catena, qua eidem craticulæ alligatus est, palmorum trium, ac cum parte carnis tostæ, atque ejusdem adipe carbonibus commisto : harum sacrarum reliquiarum antiquissimam, uti vocat laudatus hemerologus, inscriptionem ibi exstitisse, his versibus expressam :*

Furcula, craticulæ ferrum cum compede juncta
Gausape, pinguedo sunt hoc in domate cuncta.

datur.

63 *His ex eodem scriptore adjunge humerum in celebri oratorio, sub ejusdem Sancti nomine dedicato, in sacello* Sancta sanctorum *in Laterano ; brachium in S. Marci ; mandibulam seu maxillam in S. Marcelli ; costas duas in Sanctæ Crucis in Hierusalem ; ex adipe ejus in S. Mariæ in Campitelli, ut vocant ; e costa in SS. Apostorum, et in S. Praxedis ; e craticula in S. Mariæ in Cosmedin ; in S. Barbaræ de ejus tunica et dalmatica ; in basilica S. Mariæ Majoris in sacello Paulino, os dorsi, dentem, et adipem ; in* C *S. Cæciliæ os semiustum ; in S. Susannæ in sacello de Peretti dicto digitum. Coronidis loco, antequam ex Italia in Galliam transeamus, superaddere liceat, quod in Appendicula post Vitam S. Tygris virginis, quæ apud nos exstat ad diem* XXV *Junii pag. 76, inter præcipuas ecclesiæ Maurianensis in Sabaudia reliquias notetur* una ex costis S. Laurentii.

§ VII. Sacra lipsana in Gallia, Hispania, Germania ac Belgio.

Reliquiæ in Gallia,

S*anctus Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum lib. 2 cap. 42 agens de templo* S. Laurentii, *hæc memorat :* Sed nec illud silendum putavi, quod reliquiæ ejus ab incendio hostilitatis ereptæ, a quodam homine in Lemovicinum delatæ sunt. Qui cum sæpius admoneretur per visum, ut easdem Aredio abbati deferret, nec jussionem impleret, ipse cum conjuge, et omni familia ægrotare cœpit. Tunc necessitate compulsus, ut eas viro sancto detulit, mox sanitati restitutus abscessit. *In Gallia Christiana apud Sammarthanos in episcopis Autissiodorensibus dicuntur ista :* Waldricus ex monacho et abbate S. Germani impetravit a Joanne PP., quem Romæ invisit, reliquias S. Laurentii : *poniturque Waldricus obiisse anno 933.* Brachium *sibi vendicant canonici Præmonstratenses S. Martini Laudunensis ; de quo sacro pignore habemus poema Gallicum, M. Nicolao le Sage, S. Martini Laudunensis abbati etc. inscriptum a F. P. Borée, S. Joannis Ambianensis canonico, ejusdem Ordinis, anno 1644.* Brachium *aliud Anici in Velaunis ostendi ; in monasterio Lezatensi diœcesis Rivensis,* digitum ; *Parisiis item in loco, qui vulgo* Blancs-Manteaux, *dicitur* os *aliquod, notat Bailletus hoc die in Historia cultus* S. Laurentii *col. 128. Quæ Saussayus in Supplemento ad diem* X *hujus sic expresserat :* In ecclesia S. Mariæ Podiensi veneratio unius brachii S. Laurentii martyris, ibi omni cum honore collocati. Hujus gloriosi Martyris alias reliquias Geldricus XLIV episcopus Autissiodorensis a Joanne Papa impetravit, acceptasque digno apparatu reposuit. Servatur in Lezatensi monasterio diœcesis Rivensis in Vasconia, visiturque uncia unius digiti ipsius S. Laurentii, quæ apparet ustulata. E *In Parthenia sive Historia ecclesiæ Carnotensis, anno 1609 Parisiis edita a Sebastiano Rouillard, fol. 110 notatur dens* S. Laurentii. *Pergamus in Hispaniam.*

ac in Hispania

65 *Regium Scorialense* S. Laurentii *monasterium multas ac varias sub nomine ejusdem Sancti reliquias asservat, quæ singillatim notantur in Inventario earum ac aliarum plurimarum Ms., quod alibi Lipsanologium appellavimus, nobis exhibito ac communicato, dum ibidem essemus anno 1722.* De parte *igitur* humeri, et parte ossis unius brachii, et unius digiti, ac uno ex dentibus, cum vasculo sanguinis et pinguedinis ; item de costa ejusdem Sancti, *exstat sequens in dicto Inventario testimonium :* Dilecto filio nostro Ferdinando, sanctæ Mariæ in Dominica diacono Cardinali de Medicis nuncupato, Gregorius PP. XIII. Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta et quam eximia pietate ac religione carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus B. Laurentium martyrem sibi colendum susceperit, vel facile ex eo intelligi potest, quod ingenti sumptu et opere mirifico, in Hispania, loco Excurialium vocato, ecclesiam sub ejusdem Sancti nomine ac tutela a F fundamentis erexit, ac mirabiliter exornavit et maximis redditibus auxit.

in regio S. Laurentii

66 Inde factum est, ut Rex fervore devotionis impulsus, nobis per te vehementer supplicari fecerit, ut nonnullas ex reliquiis ipsius gloriosi Martyris, quæ in Urbe custodiebantur, ejus majestati concedere vellemus ; ad eum finem, ut in eadem Excurialium ecclesia possent collocari. Quibus nos supplicationibus inclinati, cum reliquias quasdam beati Laurentii martyris prædicti, scilicet partem humeri, et partem ossis unius brachii, et unius digiti, ac unum ex dentibus, cum vasculo sanguinis et pinguedinis ; item de costa ejusdem Sancti (quæ omnes reliquiæ in diversis ecclesiis et locis hic adservabantur) colligi et tibi consignari jusserimus ; atque id ita factum esse sciamus ; nunc ipsas reliquias ex Urbe extrahendi, et in Hispanias ad præfatum Philippum regem ob eam, quam diximus, causam transmittendi auctoritate Apostolica tenore præsentium circumspectioni tuæ plenam et liberam tribuimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum tam secula-

A secularium quam regularium juramento confirmatis Apostolico, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis ac litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis concessis, approbatis et innovatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Decembris MDLXXXV, Pontificatus nostri anno tertio decimo. Jo. Bapt. Canobius.

monasterio

67 *Exstat in eodem Inventario testimonium* de cranio S. Laurentii, *quod hic subdo :* Wilhelmus Lindanus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ruræmundensis, omnibus has visuris salutem in Domino Jesu Christo. Notum facimus universis, nos piis serenissimi D. Philippi, Catholici regis Hispaniæ, Belgarum domini, votis per illustrissimum D. ducem Albanum, Belgarum gubernatorem expositis, satisfacere studentes, misisse sacras reliquias de cranio S. Laurentii, de articulo digiti S. Augustini, et de capite S. Hieronymi, ac S. Sebastiani ossibus : quorum partes reliquæ magna populi veneratione hactenus ex indubia B nostrorum avorum traditione conservantur aut in ecclesia nostra cathedrali, aut D. Hieronymi monasterio Canonicorum Regularium. In quorum fidem nos has manus nostræ subscriptione signavimus, et sigillo confirmavimus. Datæ Ruræmundæ die XXVIII Decembris, anno a Christo nato MDLXXI. Ita est. Wilhelmus Lindanus.

Scorialensi ;

68 *Aliæ insuper* S. Laurentii *reliquiæ notantur in dicto Inventario, de quibus sequens ejusdem testimonium habemus :* Ego notarius infrascriptus fidem facio, qualiter D. don Ludovicus de Torres, cameræ Apostolicæ clericus, præsidens in salvarobba * palatii Apostolici, die XXVIII mensis Decembris, anno MDLXV, ex quibusdam reliquiariis, ubi continebantur diversæ Sanctorum reliquiæ, inter alias extraxit infrascriptas : videlicet de vestimentis S. Laurentii ; de quadam costa S. Laurenti : ex quibus in mei præsentia, et testium infrascriptorum idem D. don Ludovicus quasdam particulas adaptavit in quadam capsula aurea, quæ, ut asseruit, erat transmittenda ad serenissimum regem Catholicum. In quorum fidem hic C me subscripsi. Romæ die IV Septembris anni MDLXVII, præsentibus ibidem Joanne de Vergara, et Hieronymo Caro, clericis Cæsaraugustan., et Hispalensis civitatis seu diœcesis respective, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis. Et quia ego Gundisalvus del Vado, clericus Burgensis diœceseos, auctoritate Apostolica publicus notarius, et in archivio Romanæ curiæ descriptus, hanc præsentem fidem manu aliena mihi fideli scriptam subscripsi et signavi rogatus. *Ne plus æquo excrescat oratio, aliis sacris lipsanis, quæ sub sancti Martyris nostri vocabulo designantur in supradicto Inventario, memorandis supersedemus. At nunc de aliis in Germania ac Belgio.*

** forte rei vestiariæ Præfectus*

item Coloniæ, et apud Gladbacenses in diœcesi Coloniensi ;

69 *Gelenius de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib. 4 in sacris ac piis Fastis, die* X *Augusti*, Cujus, *ait*, potissimas reliquias *(de S. Laurentio agit)* Carolus magnus dedit ecclesiæ Molensium seu Mulgaviæ (nunc appellant Gladbacum, diœcesis Coloniensis oppidum) ubi sacerdotes Mulgavi ob inundationem Hungarorum fugientes, et sub baptisterii petra defodientes thesaurum sacrum, dederunt postea B. Geroni archiepiscopo divinitus edocto occasionem ædificandi monasterii Benedictinorum, qui hodiæ adhuc caput S. Laurentii possident. Ambæ autem ejusdem scapulæ, et os sacrum sunt in ecclesia S. Andreæ, quam Gero consecravit ; et aliæ S. Laurentii excellentes reliquiæ custodiuntur in aliis Ubiorum ecclesiis, *nimirum, teste Saussaio in Supplemento citato*, mandibula ejusdem Martyris habetur Coloniæ apud Carmelitas, et vertebra una spinæ apud Joannitas.

Auctore J. P.

super quibus mirabilis inter reges Hispaniæ

70 *Occasione capitis* S. Laurentii *apud prædictos cœnobitas Gladbacenses, meminisse juvat eorum, quæ de illo memoriæ prodita sunt in Itinerario litterario duorum Religiosorum Ordinis S. Benedicti ac congregationis S. Mauri, quod Lutetiæ Parisiorum anno 1724 Gallice typis editum est ; ubi a pag. 207 invenies impensissima studia, diutissimas efflagitationes, instantissimos conatus, et armatas, ut ita dicam, preces ab una quidem parte Philippi II, Hispaniarum regis, ut sacrum illud pignus obtineret, ac augustissimi sui cœnobii Scorialensis* S. Laurentii *hierogazophylacio transcriberet ; ab altera autem parte inconcussam abbatum ac Religiosi cœtus Gladbacensium in retinendo pretiosissimo suo thesauro constantiam, ac stecti nesciam tenacitatem ; unde non leve deducitur argumentum pro veritate atque adeo pro pretio istius depositi sacri. Porro vix est cre-* E *dibile, quot, quantas quam frequentes ac diuturnas, quam fortes, quamque potentes pius Rex juxta ac diligentissimus sacrorum hujusmodi cimeliorum pro regio suo monasterio eruderator et collector, machinas moverit, ut voti sui compos fieret ; quod anno 1570 curavit exponi Gladbacensium abbati Petro. Verum nec is, nec successores ejus eo unquam adduci potuere. Frustra preces, promissa, minæ ; frustra gravissimarum personarum, uti ipsius etiam Clementis VIII Pontificis maximi, et augustissimi imperatoris Rodulphi, interposita auctoritas. Mens quippe immota mansit possessoribus, et, quoad Philippus II vixit, nihil obtinuit.*

ac Gladbacenses controversia exponitur.

71 *Illius autem anno 1598 e vivis sublati successor Philippus III expeditionem illam denuo instauravit die* VIII *Julii anno 1612 ; ac deinceps diligenter ac fortiter machinæ variæ motæ ; sed res non promota ad finem. Denique etiamnum exstat super eodem argumento epistola piissimæ principis Elisabethæ Eugeniæ, quæ tum temporis Belgium gubernabat, ad abbatem ac Religiosos Gladbacenses directa, ac signata die* XXI *Februarii* F *anno 1628 : unde consequens est, indefessam illam pro capite* S. Laurentii *contentionem, ad annos usque sexanginta extractam esse, ac mirabilem omnino fuisse Gladbacensium adversus tot potentissimos principes propositi firmitatem. Verum si quis hasce res gestas diffuse ac distincte cognoscere voluerit, consulat dictum Itinerarium : ubi ex actis originalibus, quæ Gladbaci asservari dicuntur, pag. 215 profertur Breve Clementis PP. VIII ad regem Hispaniarum, datum* XIII Julii MDXCII*; item pag. 217 Breve ejusdem Clementis ad abbatem et Conventum Gladbacensem* die IX Julii MDXCVI*; deinde pag. 218 epistola Philippi II, regis Hispaniarum, ad eosdem, die* X mensis Februarii anno MDXCVI; *pag. 219 epistola regis Hispaniæ Philippi III ad oratorem suum in Belgio,* VIII Julii MDCXII. *Denique pag. 220 epistolæ duæ Rodulphi imperatoris ad abbatem Gladbacensem. His adde ex nostri Theodori Rhay libro, quem inscripsit* Animæ illustres Juliæ, Cliviæ Montium *etc. pag. 135 hac die* X *Augusti :* In pervetusta Gladbacensi abbatia S. Laurentii capitis ostensio, quod ibidem nuper adeo rex Hispaniæ Philippus IV magnis precibus ac donis

AUCTORE J. P.

donis a præsule impetrare frustra molitus est Thes. Annal. *Jam vero de Leodiensibus quid dicam?*

Res illra in reliquiis Leodiensibus.

72 *Bernardus Pezium Thesauri anecdotorum novissimi tom. IV, part. 3 in initio profert* Ludovici senioris monachi et diaconi S. Laurentii Leodiensis Ord. S. Bened. scriptum de adventu reliquiarum B. Laurentii martyris Roma Leodium. *Erant hæ liquor corporis ejusdem Sancti, ut in decursu narrationis leges, uti et quo modo Roma sublatæ sint. Excerpo inde mirandum hoc :* Leodium prospero cursu perveniens *(Godefridus)* episcopo loci Diewino * rem omnem aperit. Super quo lætabatur Pontifex.. Igitur cum benedictione transferre ad nos pignora sanctissima pergit. Erat in ipso tempore tanta pluviarum inundatio, tamque valida imbrium effusio, ut pene alterum diluvium crederemus. Jam vero cum quanta alacritate populus innumerabilis processerit, quam religiose omnis clerus cum hymnis et laudibus pretiosas reliquias ad nos usque perduxerit, nisi qui præsens vidit, vix credere potest. Pro serenitate aerum, pro tranquillitate pacis voces levabantur, ad aures, ut credimus, pervenientes Dei omnipotentis... Ego... quod oculis vidi, Deum testem invocans, et dicam et scribam. Post exceptionem sanctarum reliquiarum, ubi usque ad cornu altaris perlatæ sunt, et clerus Letaniam exorsus est Kyrie eleison, Domine miserere; sol qui fuerat in nubilo pene per unum mensem, ita hora eadem radiorum suorum lucem profudit, ut ambabus manibus populus plauderet, et præ magnitudine lætitiæ lacrymas amplius funderet. Nec fortuita fuit illa serenitas, sed continuo perseverans omni mundo spem reddidit et salutem. Actum Leodii quarto Idus Junii anno millesimo quinquagesimo sexto. *Apud citatum Pezium pag. 121 notatur* Reineri monachi S. Laurentii Leodiensis de adventu reliquiarum *istarum* liber metricus.

* *al.* Theoduino

B

Aliæ ibidem reliquiæ.

73 *Alias præterea Sancti reliquias ad prædictum cœnobium delatas fuisse, habemus e Ms.* S. Laurentii *Leodiensis, cujus in promptu est apographum,* de institutione festi celebrationis reliquiarum S. Laurentii mart. *Quippe* Albertus de Cuck, episcopus Leodiensis, *prout est in isto Ms.*, pretiosissimas reliquias de ipso corpore prædicti Martyris, de carne videlicet ejus in craticula assata, sanguine tamen quasi recenter infusa, ut se intuentibus veritas adhuc ostendit, in curia Romana grandi studio et labore a Cœlestino Papa tertio obtinuerat : quæ in magna veneratione ab eo habitæ, post decessum ejus, tertio Calendas Maii ad nos translatæ, in majori altari sunt assumptæ. De adventu eorum ad nos facto, festivam et annuam commemorationem instituimus. Actum anno Domini millesimo ducentissimo. *Ecgraphum aliud ante me est* ex Passionali Ms. pro Junio et Julio S. Laurentii Leod., *hoc titulo prænotatum :* De venerabili et sancto capite B. Laurentii et parte ejus ad nos delata *Incipit :* Anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo vicesimo sexto. *Dicitur in fine :* Cum... Dux Clevensis *esset profectus* ad Terram sanctam, tunc,.. secum eas apportavit; et sic per successivas generationes pervenerunt ad manus... venerabilis viri, qui monasterio nostro eas dedit.

C

Datur notitia earum,

74 *Non lubet nobis elenchum contexere omnium sacrorum pignorum, qui tanquam Laurentiana notantur apud Rayssium in Hierogazophylacio Belgico variis locis. Hic Antverpiæ inter sacra domus nostræ professæ cimelia asservantur digiti duo* S. Laurentii, *secundum approbationem illustrissimi Antverpiensis, et quia brevitatis causa excerpo sequentia :* Gaspar, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis, omnibus has visuris salutem in Domino... Nobis R. P. Franciscus ab Hees domus professæ Societatis Jesu in hac urbe Præpositus, die XI mensis Novembris, anno Christi MDCXLVIII argenteam hierothecam antiqui operis exhibuit, duos continentem S. Laurentii gloriosi martyris digitos, aut eorum articulos : cui thecæ aliud junctum erat monile ex argento inauratum gemmisque ornatum, insertis hinc inde particulis reliquiarum variorum Sanctorum, ut S. Petri Apostoli, S. Andreæ, ejusdem S. M. Laurentii, S. Hippolyti, S. Constantii, S. Nicolai, S. Margaritæ. Utrumque hoc sacrum cimelium domui professæ Antverpiensi miserat, illustre profecto munus, serenissimus marchio Brandenburgensis S. R. Imperii elector, uti ipsemet testatus est publico instrumento, quod sua manu signavit, ac muniri sigillo curavit.

D

quæ apud Patres

75 Id vero ita habebat : Fredericus Wilhelmus Dei gratia marchio Brandenburgensis, sacri Romani Imperii archi-camerarius et princeps elector etc. Notum facimus, ad nos pervenisse nonnullas reliquias Sanctorum, desumptas e templo urbis nostræ Coloniensis ad Suevum, a Majoribus nostris fundato : inter quas duo erant digiti S. Laurentii, antehac in eodem templo publice expositi, et a Catholicis in veneratione habiti. Hos, uti et paucas alias reliquias, justa consideratione moti, consignavimus in manus P. Joannis Hagebaert Jesuitæ eo tempore Clivis existentis in comitatu excellentissimi D. Baronis de Ribaucourt Legati, tradendas Domui Societatis dictæ professæ Antverpiensi, in gratuitum munus; testantes easdem esse Reliquias, nimirum in theca quadrangulari deaurata et gemmis ornata contentas, præsertim vero duos digitos S. Laurentii, scilicet pollicem et indicem, quantum apparet, aut certe eorum articulos, argento conclusos, qui in præfato templo fuerunt asservati et venerationi expositi. In quorum fidem has testimoniales ex cancellaria nostra dari, easque sigilli nostri auctoritate muniri jussimus, et manu nostra subscripsimus. Actum Clivis anno MDCXLVII, XIV Augusti. Fridericus Wilhelmus Elector.

E

F

domus professæ Societatis Jesu asservantur.

76 Has reliquias, quia et tanti Principis attestatio, et vetustas operis, quo ornatæ erant, veras et legitimas esse persuadet, permisimus publice in ecclesia venerationi Fidelium exponi. Actum Antverpiæ, in domo professa Societatis Jesu, die XI Novembris, anno Christi MDCXLVIII, præsentibus RR. et eruditissimis DD., ecclesiæ nostra cathedralis canonicis ac S. th. licentiatis, Christiano Voochts archipresbytero, et Theodoro Voochts, pœnitentiario; itemque Cl. V. Arnoldo Voochts, hujus urbis scabino, ac RR. PP. Francisco ab Hees Præposito, Jacobo Catero, Joanne Bollando, Matheo Voochts, ejusdem Societatis presbyteris professis; tum D. Joanne Sporckmans J. U. licentio, secretario nostro, testibus ad hæc rogatis. In quorum fidem hisce manu nostras subscripsimus, ac sigillo nostro muniri curavimus. Gaspar episcopus Antverpiensis. De mandato perill. et Reverendissimi Domini præfati. Franc. Hilleweren secret. *Prædictæ reliquiæ ipsa* S. Laurentii *festa luce postea solemni ritu in memoratæ domus professæ templo exaltatæ sunt; uti constat ex impresso programmate, quod in manibus habeo.*

§ VIII.

§ VII. Sancti nomen; an SS. Orientius ac Patientia parentes ejus; cultus illorum, reliquiæ, Acta; an S. Orientius, ep. Ausciensis, ejusdem frater.

Commentitium nominis Laurentiani etymon:

His, *quæ ad religiosum magni nostri Martyris cultum, ac publicæ venerationis incrementum conducunt, hactenus expositis; supersunt varia alia, quæ de ipso quæri possunt. Lucius Marineus Siculus, anno 1603 Francofurti editus in Hispania illustrata, sive in opere, in quo dantur varii rerum Hispanicarum scriptores, tom. I, pag. 332 de nomine* S. Laurentii *sic loquitur :* Hunc nonnulli cujusdam Hispaniæ ducis filium fuisse ferunt, quem dæmon infantulum e cunis in nemus asportaverat; sed beatus Sixtus Pontifex cum in eadem provincia prædicaret, sub B quadam arbore lauro divinitus inveniens eum, Laurentium vocavit, et diligenti cura nutriri ac edoceri jussit, quem adultum secum una cum Vincentio Romam perduxit. Ubi postea factus Pontifex constituit eum suum archidiaconum. *Si nonnulli isti nominis* Laurentii *originem reliquissent intactam, non anilibus hujusmodi næniis illam contaminassent. Nam 1° Quod ad parentes ejus attinet, de iis infra. 2° Nondum vidi ex antiquis ac fide dignis documentis probatum, quod S. Sixtus Pontifex vel ante pontificatum, vel tempore pontificatus pedem intulerit in Hispaniam, secundum ea, quæ ad diem* VI *hujus mensis Augusti in Commentario, Martyrio S. Sixti PP. II prævio § 7 diximus. Ad hæc, S. Vincentius passus fuisse notatur sub Diocletiano; sub Valeriano* Laurentius. *Apage igitur commentitiam illam inventionem, ac fabulosum nominis etymon; quod an a lauro, an aliunde derivandum sit, quis edisserat? At nunc de parentibus* S. Laurentii, *die* I *Maii huc remissis ob plures difficultates enodandas, quod commodius fanciendum ad Vitam Sancti nostri, ibidem indicavimus.*

SS. Orentius ac Patientia dicuntur sancti Martyris parentes fuisse.

C 78 *Martyrologium Romanum dicta die* I *Maii eos sic annuntiat :* Oscæ in Hispania sanctorum martyrum Orentii et Patientiæ. *Baronius in notationibus,* In Flore, *inquit,* Sanct. Hisp. ex vet. monumentis Oscensis ecclesiæ leguntur hi parentes fuisse S. Laurentii martyris. *Quod summa de rebus eorum gestis penuria laborarit Alfonsus Villegas, illud indicio est, quod in suo Flore Sanctorum sub finem, ante Sanctos extravagantes, quos vocat, nonnullos notet Sanctos, de quibus particulares Hispaniæ legunt ecclesiæ; addens se, quia non reperit aliam longiorem relationem, eorum duntaxat nomina signaturum, et ecclesias, quæ illorum festa celebrant, ut aliqua de ipsis notitia habeatur. Inter alios itaque sic ibi in rem nostram dicit :* De S. Orentio et Patientia, S. Laurentii martyris parentibus, legit ecclesia Oscensis die I Maii. *Præmiserat autem ista :* De S. Orentio confessore S. Laurentii martyris fratre, legit ecclesia Oscensis XV Martii. *Joannes de Aguas, de quo dicam postea sub initium paragraphi* XI, *pag. 243 exhibet* Proprium Sanctorum diœcesis Oscensis, Apostolicæ Sedis auctoritate, jussuque DD. Fr. Berengarii a Bardaxi bon. memor. Oscen. episc. in lucem editum, atque ex mandato illust. adm. et reverendiss. DD. Francisci Navarro de Eugui, nunc, *ait,* eamdem ecclesiam gubernantis recognitum, *et* Oscæ... anno MDCLXX *vulgatum. Deinde pag. 244 inter festivitates, quæ in Oscensi diœcesi celebrantur, die* I *Maii hæc occurrunt :* Orentii conf., et Patientiæ, nec virg. nec mart. dup. 2 clas. Transferuntur in duos priores dies festo 9 lectionum non impeditos.

AUCTORE J. P.

Quænam de cultu habeantur in Breviario Jaccensi,

79 *Et pag. 245 fatetur, tres dictos Sanctos non habere ibidem lectiones historicas, a sancta Sede apostolica tunc approbatas; sed in earum defectu, ad* antiquissimam, *uti vocat,* traditionem *de illorum patria Oscensi civitate vel in ejusdem diœcesi, roborandam, affert* antiquas *lectiones* Breviarii manuscripti ac primitivi sanctæ ecclesiæ Jaccensis, *quæ sic sonant :* LECTIO I. Fuit vitæ venerabilis, simplex, rectus, ac timens Deum, Orentius nomine. Hic civis Oscensis, secundo milliario ab urbe, in loco, qui dicitur Loret, domicilium possidebat. LECTIO II. Qui cum esset nobilis, et temporalibus abundaret, uxorem duxit nobilem, nomine Patientia *, ex qua in primo juventutis suæ flore, uno ortu duos genuit filios, unum Laurentium, et alium Orentium. LECT. III. Quos ab infantia Deum timere docuit. Processo vero tempore, cum ad discretionis annos pervenissent Pueri, in civitate ista eos tradidit imbuendos. *Dormerus, de quo infra, cap. 19 citat Bullam Cardinalis Roberti, antistitis Cameracensis, qui sub nomine Clementis VII Sedem Petri affectavit,* IV *Nonas Maii expeditam Avenione anno 1387; e qua hæc verba protulerat cap. 2, pag. 13 :* Cupientes igitur, ut ecclesia S. Laurentii de Loreto, Oscensis diœcesis, in qua, sicut asseritur, idem Sanctus natus fuit, et sanctorum Orentii, et Patientiæ, ejus parentum, corpora requiescunt, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, et ad fabricam ipsius manus promptiores porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dona cœlestis gratiæ conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi *etc. Ex his itaque conficitur, Sanctos istos ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII, publice pro talibus habitos fuisse, ac proin legitime constare de publico eorum cultu, qualescunque demum fuerint. Hisce adjunge sequentia.* F

* al. Patientiam

E

ac apud Tamayum.

80 *Tamayus ad diem* I *Maii de* S. Orentio *hæc refert pag. 34 :* Sed et tutelaris pro pluvia consequenda sterilitatis tempore apud Celtiberos consignatur; uti liquet ex collecta, quam antiqua breviaria referunt Oscensia et Montis-Aragonum, hujusmodi : Misericors, et miserator Domine Deus, qui beatum Orentium confessorem tuum, civem et procerem Oscensem, speciali dono patronum pluviæ in terris constituisti : nos famulos tuos clementer exaudi, et ejus precibus et intercessionibus supra arescentem terram, imbrem fac descendere congruentem et ariditatem nostri cordis supernæ gratiæ digneris rore perfundere. Per Dominum nostrum etc. Imo contra locustarum epidemiam patronus favorabilis numeratur; *de qua re Aynsa Rerum Oscensium lib. 2, cap. 1, pag. 120. Prædictus Tamayus meminit etiam epistolæ urbis Cæsaraugustanæ ad civitatem Oscensem, anno 1446 scriptæ,* qua promittit Cæsaraugusta lampadis lychnum argenteum coram sanctis corporibus Orentii et Patientiæ, perpetuo lucentis appendere; *ex Andresii Vindiciis* S. Laurenti, *quas citat cap. 6 fol. 116.*

81 De

AUCTORE J. P. *Eorum reliquiæ.*

81 *De pignoribus sacris dictorum Sanctorum ab illustrissimo Oscensi ac Jaccensi ad serenissimum Hispaniarum regem Philippum II transmissis, agitur in Inventario Ms. monasterii Scorialensis, sive, ut alibi nobis vocare librum placuit, Lipsanologio ejusdem cœnobii. Ex testimonio, quod ibidem habetur sub traditione prima, num.* XI, *hæc in rem nostram excerpo* : Petrus Augustinus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Oscensis et Jaccensis episcopus, universis et singulis Christi fidelibus, has nostras testimoniales litteras inspecturis vel legi audituris salutem in Domino sempiternam ... Ad ecclesiam eremitaneam S. Laurentii, vulgo dictam de Loret, prope dictam civitatem Oscensem sitam, una cum illustrissimo domino D. Petro de' Luna, abbate sive prepetuo commendatario monasterii et abbatiatus Montis-Aragonum, ac maximo cum canonicorum sedis dictæ civitatis et monasterii, civium dictæ civitatis et plurimorum Christi fidelium comitatu, nos contulimus, et in capella sanctorum confessorum Orencii et Patientiæ, prædicti S. Laurentii parentum, in qua corpora prædictorum Sanctorum ab antiquissimo ac immemoriali tempore accurate ac cum maxima et celebri reverentia et devotione habentur atque asservantur, constituti; a theca, intra quam corpora prædictorum sanctorum Orencii et Patientiæ honorifice sunt recondita, cubitum seu radium brachii unius, et alterum cubitum seu radium brachii alterius Sanctorum prædictorum accepimus, et eidem thecæ, in qua reliquiæ prædictorum sanctorum Justi et Pastoris fuerant per nos collocatæ, collocavimus et posuimus, ac suæ majestati Philippi regis prædicti misimus cum præsentibus manu nostra firmatis, sigilloque nostro impendenti munitis. Datum in civitate Oscensi regni Aragonum, die IV mensis Januarii, anno a Nativitate Domini MDLXIX. P. A. episcopus Oscensis et Jaccensis.

B

Tamayus illorum Acta

82 *Acta* SS. Orentii *ac* Patientiæ *pro suo arbitrio compilavit Tamayus pag. 32* ex breviario Oscensi, et aliis scriptoribus; *et postquam ea dedisset, pag. 33 indicat, Aynsam lib. 2, cap. 1 fol. 115 prolixius illa desumpsisse* ex antiquis et vetustioribus officiis, breviariis, et iconibus. *Sed eorum antiquitati ac fidei quis vel tantillum deferat, nisi de hisce dotibus aliunde constiterit? Ast hoc non audemus sperare. Interim cujusmodi sint, quæ in eisdem occurrunt, et quibus nos fidem habere vult Tamayus, colliges ex compendio, quod ex eisdem contrahimus, ut ideam saltem aliquam lector habeat :* Orentius civis Oscensis... cum esset nobilis, et temporalibus abundaret divitiis, uxorem duxit, nomine Patientiam : ex ipsa in primo suæ juventutis flore, uno ortu duos genuit filios : quorum unum Laurentium, et alium Orentium nominavit... Processu temporis cum ad discretionis annos pervenissent Pueri, in dicta civitate eos tradidit litteris imbuendos. Qui... infra tempus brevissimum, ad sacros Ordines sunt promoti. Postmodum Laurentio Romam per Sixtum Pontificem maximum translato, et Patientia e vivis sublata, ejusque sacro corpore in Lauretana domo conjugum prope Oscam tumulato; quadam nocte veniens Angelus Domini, dixit ad Orentium : Tolle filium tuum Orentium, et vade in terram, quam monstravero tibi. Mane itaque facto, recessit cum filio suo in vallem Lebitaniam diœcesis Tarbensis; in qua tunc legio dæmonum devastans homines, jumenta, et fructus terræ, habitabat; quæ *inde ab ipso* fugata est; quo miraculo universi accolæ territorii ipsum cum filio tanquam Dei servos venerari cœperunt.

C

D

pro placito compilavit;

83 Sed ipsi... protinus ex labore manuum suarum comedere decernentes, Orentius pater par boum inquirens, nullum nisi indomitum adinvenit : sed Christi nomine invocato, et super illud crucis signo facto, *mansuefecit* : quibus suo tempore maximam fructuum messem collegit. Domi venerabilem anum, quam matrem vocabat, et famulum nomine Expertum habebat : qui... loco boni seminis... zizaniam... seminabat...; sed Dei providentia Orentius potiores tritici cumulos coacervabat. Quod servus nequam contuens, lupum e silvis trahens... bovem ei tradidit comedendum; cujus fames vorax, nil nisi ossa et cornua relinquens, iterum ad horridæ silvæ spelæum tarda festinatione currebat, sed visa per Orentium strage... illum Christi nomine ad locum occisionis revocavit; quem cum alio bove sub jugo coadunans, vice devorati, bos ut lupus tanquam unius speciei, pari modestia, ferebant aratrum... Famulus corpus anus venerabilis obsidet, quam sic tormentis insuperabilibus fatigavit, ut illam se in ignem et in puteum conjicere compelleret. Sed in domum reverso Orentio, cognita diabolici servi fraude, E illum Christi virtute e corpore venerabilis matris expellere procuravit. Sed diabolus anum relinquere promisit, si ab eo licentiam acciperet, in corpus alicujus Corneliæ ingrediendi. Quod sanctus Senex concessit : et tunc Expertus anum reliquit.

hic in compendium contracta.

84 Post hæc, cum Franciæ princeps unicam filiam nomine Corneliam haberet, evenit, ut diabolus in ejus corpus ingressus, adolescentulam torquebat ferociter... Tunc princeps, audita fama beati viri, misit nuntios ad eum : qui inspiratione divina motus ipse, et Orentius filius ejus iter arripuerunt... Cumque... curata fuisset filia principis, ille promisit eis plurima dona, si secum vellent habitare. Illi vero... præcepto Dei in terram Tarbæ revertuntur. Contigit autem, cum appropinquarent urbi Auscitanæ, quod nuper suo antistite fuisset orbata. *Cum vero in electione novi inter episcopos ac clericos esset discordia,* facto triduano jejunio a Domino revelatum est, ut qui eis in introitu civitatis primo occurreret, ipsum episcopum constituerent. Quod facientes invenerunt Orentium... et eum elegerunt. Quo viso per patrem... ad Tarbensem domum accedens... beatus senex matrem... restituit ad vitam. *Postea ab Angelo monitus, ut in patriam rediret,* in Celtiberiam properans, agros pluvia orbatos, et adustos inveniens... salutarem rorem precibus impetravit, et ad Laureti domum concedens, tandem dierum et virtutum plenus obdormivit in Domino Kalend. Maii circa annum CCLXV. Ejus corpus religiose noscitur tumulatum juxta sanctissimæ conjugis pignora in oratorio Lauretano : ubi huc usque servatum honorifice, constans illius regionis traditio est.

F

Tria S. Orentii miracula.

85 *Tamayus supra citatus, pag. 33 ex Petro Occo Gallo 2 p. Annal. c. 26 et 27 addit tria miracula* Orentii *senis; videlicet* dæmoniacum quemdam hominem alapa; quemdam ictu fustis, quem gestare solebat, a diaboli obsessione liberasse; et quamdam viduam in oppido Sebot, annuariam viduitatis sollitudinem intra domus cancellos observantem, a diabolo, cadaveri mariti assuto, illusam mirabiliter exemisse. *Hæc Tamayus contraxit ex Aynsa, apud quem etiam reperit Petri istius locum modo citatum : sed cujus fidei ac ætatis sit Annalista ille, dicere non habemus. Quia tamen a nobis apud bibliographos*

quæsi-

A *quæsitus, hactenus inveniri haud potuit, suspicamur, illum non magnæ notæ ac nominis fuisse. Interim quia ex supra dictis de publico ac legitimo* SS. Orentii ac Patientiæ *cultu satis constat, superest, ut eorum Acta discutiamus, quæ non modica correctione nobis videntur indigere, præsertim qua parentelam* S. Laurentii, *et Orentii, episcopi Auscensis, prædictis Sanctis attribuunt, uti etiam faciunt prolata paulo ante documenta.*

Inquiritur, an S. Orientius

86 *In nova editione Galliæ Christianæ tom. I, col. 973 de S. Orientio, qui inter episcopos Auscienses quintus ibi ponitur, ita leguntur :* Orientius, qui dicitur frater S. Laurentii martyris, in Hispania natus, licet eremiticam duceret vitam, magna virtutis fama diu latere non potuit. Itaque declinandæ vanæ gloriæ causa transiit in Novempopulaniam, ubi in valle pagi Beorritani, quæ dicitur Capraria, sese abdidit. Mortuo vero Ursiniano, divino monitu ipsi suffectus est Orientius. Ausciis post sedem hanc sanctissime administratam, ad cœlos migravit. *At mox subditur :* Hæc autem licet pauca ex multis selecta, minime B pro certis damus . . Vixit in episcopatu annos XLI, scilicet ab anno CCCXXIII ad annum CCCLXIV. Etenim in veteri instrumento Ecclesiæ Ausciensis anno MCVIII confecto, de tempore S. Orientii hæc lego : « A transitu B. Orientii usque ad » præsentem annum, qui est annus MCVIII, com» putantur anni DCCXII. A passione ergo Domini » usque ad transitum B. Orientii CCCLXIV anni » computantur. A passione vero Dom. usque ad » ordinationem B. computatur anni CCCXXIII. » A. transitu autem Orientii usque ad tran» situm B. Martini XLVII anni computantur. » *Hæc nec materia nec forma cum Actis, quæ modo civitavimus, nec tempore conveniunt; ut proinde cum* SS. Orientio *ac* Patientia, *ac gemina eorum prole combinari non possint; nisi S. Orientium episcopum centum ac quinquaginta annis aut eo amplius dicas vixisse, ac centenarium circiter cathedræ Ausciensi præesse cœpisse; quod sine legitimis antiquitatis testimoniis non præsumitur factum. Quod qui factum volunt, ea producant.*

Ausciorum episcopus,

87 *De laudato S. Orientio, Ausciorum episcopo, ad diem 1 Maii jam pridem egit noster Godefridus Henschenius in iis, quæ ipsius Vitis* C *præmittit page 60 et sequente. Acta triplicia designat; antiquiora et meliora quæ censuit, dare se indicat primo loco; de quibus ibidem plura. Ex his Actis tempus, quo S. Orientius floruit, referendum esset ad in seculum Christi* V, *prout ibidem invenies. Alia acta, quæ dantur secundo loco, in antecessum castigat pag. 61. Alia denique Parisiis accepta esse affirmat ex collectaneis Patrum Fulliensium, quæ dicuntur* compilata ab anno MDCIX, post translationem quarumdam reliquiarum ejusdem Oscam, de mandato Christianissimi Regis Franciæ Henrici IV, et assensu summi Pontificis Pauli V. *Deinde Actis illis hanc notam inurit Henschenius :* Hic sub initium multa congeruntur de parentela S. Orientii : quibus postea reliqua ex secundis Actis adaptantur; sed absque ulla prorsus congruentia. Adornatur etiam legatio ad Aetium, sive Agentium, et Littorium, quam factam constat ex supra allatis anno CDXXXIX; et tamen mortuus dicitur sanctus anno CCCLXXXIV, ac frater S. Laurentii martyris, eodem cum ipso partu editi : ad quorum parentes « Orientium et » Patientiam Sixtus Papa, ob persecutionem fu» giens in Hispaniam, divertisset; ecclesiamque » ad honorem S. Laurentii, quem martyrio de» corandum sciebat, consecrasset; et sic, post » sibi assumptum S. Laurentium socium, seces» sisset Sixtus ad alias partes Hispaniarum. » Quæ plane nobis absona videntur : cum vix integros tres annos Sixtus Ecclesiæ præfuerit, neque istius itineris alibi notitia habeatur. Quid, quod martyrium S. Laurentii ad annum CCLVIII spectet? Atqui erat in ætatis maturæ cum pateretur : quam grandævus ergo fuisset frater Orientius, quando ivit legatus ad Ducem Romanum anno CDXXXIX, natus annos plures quam ducentos; aut, si legationem istam rejicias, ut minimum centum quinquaginta.

AUCTORE J. P.

fuerit frater et gemellus quidem

88 De hac fraternitate poterit exactius agi X Augusti ad vitam S. Laurentii, si ad eam solide probandam antiqua monumenta suppetant. Aliqua allegat Tamaius-Salazar ad diem XV Martii, in quibus asseritur ab eo PRIMUS FLAVIUS DEXTER, SECUNDUS JULIANUS PETRI; et his alii subjunguntur cum breviario Oscensi : cujus nos auctoritatem multo potiorem illis duceremus, si ex similibus fabulosis auctoribus deprompta non fuerint ipsæ illæ lectiones. E *Tum subditur, Philippum Labbe, post Vitam S. Orentii, ibidem apud nos pag. 60 indicatæ, edidisse* EJUSDEM ORIENTII BREVE ELOGIUM; sed, ut præfatur, FABULIS REFERTUM : in quo similia de parentela ejus referuntur. *Observat item prædictus hagiographus noster, Tamayum die* XXVI *Septembris celebrare* Translationem aliquot sacrorum pignorum S. Orientii, ex urbe Auxensi in Gallia, Oscam in Celtiberia Hispaniæ Tarraconensis, solemni pompa et celebri plausu peractam; *et quæ profert, translationis Acta, eum etiam* SS. Orientii et Patientiæ conjugum filium, et Fratrem gemellum B. Laurentii archilevitæ, *indicare.*

S. Laurentii.

89 *Hæc jam ab anno 1680, quo tomus noster primus Maii in lucem editus est, non oscitanter observavit Henschenius. Quia vero interea ad annum usque 1733, quo nos hæc scribimus, pro prædictis parentela ac fraternitate, nulla hactenus ab eruditis Hispanis novimus subministrata esse argumenta vere et solide antiqua, quæ eas comprobent; dabunt nobis hanc veniam, ut in-* F *hærentes Henschenii observationibus, quaquali eorum traditioni non subscribamus. Nec refert, quod Baronius in notis, ut supra vidimus, pro parentela illa, qua* S. Laurentium *solum spectat, ex Flore Sanctorum Hispaniæ nominet* vel. monumenta Oscensis ecclesiæ. *Nam monumenta illa vetera ut cordatum lectorem moverent, non nomine tenus indicanda, sed auctorum nomine et ætate accurate circumscribenda erant, ut de eorum merito ac fide judicari posset, præsertim in re adeo mira, et ab omni vera antiquitate, sicut nobis quidem videtur, inaudita. Titulus martyrii, sub quo Martyrologium Romanum, ut dictum est supra,* SS. Laurentium *et* Patientiam *signabat, nonne ex iisdem vel hujusmodi certe monumentis desumptus est? In aliis tamen, quæ supra produximus, sub nomine confessorum Sancti isti notantur. Unde colligas, quam parum sincera, ac vere antiqua nobis obtrudantur monumenta, cum sibi non constent.*

AUCTORE J. P.

§ IX. S. Laurentii nobilitas, studia; an S. Sixtus ei tradiderit calicem, quo usus fuisse fertur Christus Dominus in ultima cœna, quique in Hispania deinde asservatus putatur.

Nobilitas sancti Laurentii,

Circa *Sancti nostri nobilitatem, de qua superius facta obiter fuit mentio nonnulla occurrunt consideranda; quæ sic proponimus. Qui eam volunt admitti tanquam fide dignam, atque historice certam, roborare eam debent antiquis documentis. Inter quæ locum non habet S. Vincentius Ferrerius, qui seculo 14 exeunte, et ineunte 15 floruit, in cujus sermone de* S. Laurentio *leguntur ista :* Fuit de Ostha * natus de magno genere. *Tamayus ad diem* x *Augusti magna cum confidentia, et tanquam ex tripode rem*

* Osca

B

decidens, Circa illustrem, *ait,* sancti Diaconi quoad seculum nobilitatem, nullus ex scriptoribus dubitavit, nec unquam dubitabit *Nec his contentus, illustres Sancti et indubitatos, uti vult, natales, e nobili Salazariorum familia eum oriundum prædicat. Apage nugas, auctori ac lectore, quibus vel mica salis insit, longe indignissimas; quas hic tædet referre. Non illepidum est illud veluti epiphonema, quo Saussayus epistolam suam,* xv *Kalend. Martii anno 1647 ad prædictum Joannem Tamayo-Salazar datam, et ab ipso Tamayo excusam ad diem* xv *Martii a pag. 227, his verbis concludit :* Sed quia nemo te, Vir magne, res S. Laurentii melius novit, tum propter exquisitam historiæ Sanctorum, qua præstas, scientiam, tum maxime quod ex Salazarium familia beatus ipse Laurentius credatur progenitus, parergis pausam imponimus. *Enimvero Tamayi in historiis Sanctorum simplicitatem, imperitiam, ac nænias omnino aniles, in opere nostro sexcentis locis castigata fuisse, norunt, quotquot illud legerunt.*

C

uti et studia, quæ Cæsaraugustæ peregisse fertur, non probantur.

91 *Idem Tamayus in Actis sancti Levitæ, quæ ex Antonio Neubrissensi et aliis scriptoribus Hispanis, sicut indicat, et exteris fabricavit, pag. 452,* Cum primum, *inquit,* ad juventutis pervenit ætatem, Cæsaraugustam accessit, ut litteris sacris sub Valerio illius civitatis imbueretur antistite : ubi studia philosophiæ primum ediscens, ad majora et sacratiora, Deo concedente, perrexit : quibus sic eruditus evasit, ut ad archidiaconatus ecclesiæ Cæsaraugustanæ mereretur apicem sublimari. *Apud S. Vincentium Ferrerium paulo ante citatum, hæc invenio :* Quando habuit discretionem, dimissa domo patris, ivit ad Cæsaraugustam ad studendum. *Hæc ibi sine legitimis testibus ac tabulis. Sed in Martyrologio S. Adonis, Viennensis antistitis, qui floruit seculo* ix, *dicit Sanctus noster quod sit* eruditus ac nutritus Romæ. *Quod quomodocunque se habeat; si respondeas, ac velis, et Romæ et Cæsaraugustæ id contigisse; responsum proba aut voluntatem improba. Quæ exstant apud S. Vincentium Ferrerium,* S. Sixtus Papa vadens ad celebrandum concilium Toletanum, fecit transitum per Cæsaraugustam : et audita fama B. Laurentii . . . duxit eum secum; *alibi refutavimus. Vide dicta § 8 in initio.*

92 *Sunt, qui eidem Sancto velint adscribi rem miram : cujus argumentum intelliget lector e Ms., quod habemus, et cujus exemplar Cæsaraugusta anno 1727 ad me misit R. P. Josephus Mathias de Leris, tunc ibidem Rector collegii Societatis Jesu, postquam antea præfuisset provinciæ Aragoniæ. Idem documentum jam pridem typis edidit, ac Historiæ monasterii S. Joannis Pinnatensis (vulgo San Juan de la Pena, Ordinis S. Benedicti in Aragonia) inseruit D. Joannes Britz Martinez ejusdem cœnobii abbas : quod cum ibi totum legi possit; nos e dicto Ms. ea libabimus, quæ in rem nostram sint satis. Quæ ad marginem notata sunt, accepimus ex editione Brizii. Apographum itaque nostrum accipe :* In Dei nomine. Pateat universis, quod cum excellentissimus princeps et dominus Martinus, Dei gratia rex Aragonum Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ et Corsicæ, Comesque Barcinonæ, Rosilionis, et Ceritaniæ, desideraret, et affectaret multum habere in capella sua calicem lapideum, cum quo Dominus noster Jesus Christus in sua sancta cœna sanguinem suum pretiosissimum consecravit, et quem beatus Laurentius, qui ipsum habuit a Sancto Sixto, existente summo Pontifice, cujus discipulus erat, ac Diaconus sanctæ Mariæ in Dominica, misit, et dedit cum ejus littera monasterio et conventui sancti Joannis de la Pena, sito in montaneis Saccæ regni Aragonum, cum quo calice postea abbates, priores, et presbyteri dicti monasterii consecrare consueverunt :

D *An S. Sixtus tradiderit S. Laurentio calicem,*

quo usus sit Christus

E

in ultima cœna, quique deinde secundum testimonium quod hic datur,

93 Et pro dicto habendo calice dictus dominus Rex reverendum in Christo patrem Antonium archiepiscopum Athenarum consiliarium suum, ad dictum monasterium destinasset; tandem die Veneris intitulata vigesima sexta die Septembris anno a Nativitate Domini millesimo trecentissimo nonagesimo * dictus reverendus archiepiscopus et religiosus Frater Bernardus Prior claustri dicti monasterii, fecerunt relationem prædicto domino Regi existenti in sua capella minori Aljaferiæ civitatis Cæsaraugustæ, quod explicata credentia per ipsum archiepiscopum ex parte dicti domini Regis conventui prædicti monasterii omnes Priores, et monachi ipsius monasterii tenuerant Capitulum super traditione calicis supradicti; et finaliter deliberarunt, concedere dictum calicem nemine discrepante, domino Regi prædicto. Quibus recitatis, prædictus Prior nomine suo, et dicti monasterii præsentavit D. domino Regi, et tradidit in manibus suis calicem lapideum supradictum.

* *Brizius addit* nono

F

in Hispania asservatus

94 Et ipse dominus Rex, recepto in manibus suis calice supradicto, volens facere dicto monasterio gratiam aliquam, pro eodem dedit, et tradidit in manibus dicti Prioris ad opus monasterii jam dicti unum calicem aureum capellæ suæ, ponderantem, ad pondus Cæsaraugustæ, marcos quinque et unciam unam : in quo quidem calice aureo supradicto sunt signa sequentia, *quæ ibidem exhibentur; uti et quibus conditionibus prædictus Rex calicem istum monasterio donarit.* De quibus omnibus, et singulis supradictus dominus Rex jam dictus mandavit per me Berengarium Sarta secretarium suum, præsens fieri instrumentum in testimonium præmissorum, præsentibus testibus nobilibus Berengario de Crudilis, Rogerio de Montecateno, et Olpho de Proxida, militibus consiliariis, et camarlengis dicti domini Regis. Sig. ✠ num mei Berengarii Sarta secretarii dicti domini Regis, et authoritate regia * notarii publici per totam terram et dominationem ipsius domini Regis : qui prædictis ut continetur superius, interfui, et hæc scribi feci, et clausi.

* *Briz.* audientiæ regiæ

95 *Supra*

AUCTORE J. P.

A 95 *Supra laudatus R. P. Lerisius fidem facit, et in testimonium veritatis dicit, apographum illud esse fidele ac verum, ultimisque mensis Decembris diebus anni 1726 extractum esse ex originali, ac scriptura authentica, quæ exstat in archivo urbis Barcinonensis. Subscribitur:* Cæsaraugustæ Januarii x, MDCCXXVII. Joseph Mathias de Leris S. J., Rector collegii Cæsaraugustani. *Jam vero quandoquidem pia illa traditio gravissimis difficultatibus obnoxia est, eas ut proponamus atque expendamus, præsens postulat locus. 1° Transmissio ista calicis, qualis in mox notato recitatur instrumento, nititur unice, quantum nos quidem scimus, testimonio seculi* XIV, *quo fama fuerit, eumdem apud ascetas monasterii Pinnatensis asservari. Quam parva vero seu potius nulla proportio est inter seculum tertium, quo sacrum illud pignus a* S. Laurentio *Roma in Aragoniam oporteret esse missum, et inter seculum* XIV, *quo asseritur missus dicto seculo tertio; quando per undecim omnino secula non comparet littera ulla alia, quæ traditionem illam confirmet. 2° Quod in superiore diplomate habetur de lit-* B tera *vel epistola simul cum calice missa; videtur id intellexisse notarius, qui ejusdem documenti argumentum jussu regis confecit, vel ex solis monachis Pinnatensibus, vel simul ex illis et communi in illis partibus fama: nihil quippe dicitur de ejus exemplari authentico vel saltem apographo ibidem vel alibi superstite. 3° Pro suo arbitratu, vel ex relatione dictorum cœnobitarum, uti suspicor, dicit de Sancto, quod fuerit* diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica *(apud Brizium scribitur* in Domnit., *forsan mendose pro* Dominica).

sed traditio ista

96 *Agit de illa ecclesia Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romanæ, Regione 2 pag. 122; quam alio vulgari cognomento appellari affirmat* della Navicella, *id est,* de Navicula; *quia ante portam illius exstat navicula marmorea, quæ ibidem sit posita ornamenti causa;* Dominicam *porro nuncupatam, (quæ et inter antiquas Cardinalium diaconias habita sit) a sua fundatrice* Dominica, *alias* Cyriaca, *quæ vox Græce idem, quod Dominica, significet; eamdem addit in suis ædibus hospitium præbuisse Christianis, in obsequium fidei persecutionem passis; ex Surio* X *Augusti* C *in* S. Laurentio; *quæ postquam omnes suas facultates Ecclesiæ erogasset, credendum dicit, quod domus ejus in titulum erecta sit, atque inter diaconias hæc archidiaconi fuerit. Verum, quod jam tum tempore* S. Laurentii, *quo et vixisse Cyriacam ex mox citato loco apud Surium habemus, titulus iste adhæserit Archidiacono nostro, credi quidem pie magis posse videtur, quam probabiliter affirmari vel negari; nisi pro ea re accommodatum testimonium afferatur. 4° Alia difficultas incommodat allato diplomati, de qua nunc dicemus.* Beatus Laurentius, *uti in eo refertur,* misit, et dedit *sæpe memoratum calicem* monasterio et conventui S. Joannis de la Penna. *Notæ Hispanicæ in diploma illud, quod dedimus, una cum ejusdem apographo Cæsaraugusta ad nos missæ, hinc eruunt monasterii istius antiquitatem; cum illud jam existeret tempore* S. Laurentii; *sed aberrant toto cœlo, sicut planum fiet ex dicendis Brizius nodi hujus non ignarus, aliud medium adhibet, ut illum solvat. Neque enim, uti legere est apud eum lib.* I, *cap. 48, hoc intelligi debet, quod Sanctus eum calicem immediate miserit ad illam ædem Religiosam, quæ temporibus istis fundata necdum erat; sed quod sacrum illud pignus direxerit ad civitatem Oscensem, patriam suam, grati utique filii munere fungens. Ad hæc, quando secretarius, qui memoratum supra instrumentum exaravit, refert, dictum calicem fuisse transmissum ad S. Joannem Pinnatensem; hoc dicere eum voluisse, quod Sanctus in Hispaniam illum dirigens, e qua erat oriundus, eum miserit Oscam, ubi natales hauserat.*

gravissimis difficultatibus

97 *Verum quia Oscensis ecclesia, uti deinde subdit idem auctor, simul cum suis reliquiis se recepit ad sacram illam speluncam, ibidemque sese detinuit ad tempus aliquod, simul atque Mauri invaserunt Hispaniam, et tunc temporis regia ista domus S. Joannis erat ecclesia Oscensis, vi istius translationis, nostrorum, inquit decessorum memoriæ semper inhæsit, quod* S. Laurentius *prætiosum illum calicem Domini miserit ad S. Joannem Pinnatensem; atque ita explicandas censet prædictas secretarii Martini regis voces, quando cœnobitæ Pinnatenses vas illud eidem regi tradiderunt: et quanquam, ubi fatetur Brizius, non propriis omnino terminis sit usus, in rigore tamen non male eum dixisse affirmat, ex supposito, quod Oscensis ecclesia aliquo tempore in S. Joanne Pinnatensi substiterit, et quod ibidem loci calix fuerit asservatus, qui ex Oscensi civitate simul cum Oscensi ecclesia eo migraverat.* E

obnoxia est;

98 *Sed laudatus auctor supponit id, quod est in quæstione. Etenim quantum attinet ad Hispaniam, quo calicem illum missum vult; qui proinde ad civitatem Oscensem directus sit a Sancto nostro ob congruentiam e natali ipsius loco desumptam; ex hoc supposito dato, non tamen concesso nihil aliud conficitur, quam quod seculo demum* XIV *apud Pinnatenses, et apud adjacentes, si vis, Aragonenses, vel etiam forte alibi apud Hispanos, fama esset ac traditio de facto hic controverso; quas ex antiquiore aliquo testimonio stabilitas nondum vidimus. Adde, quod non satis constet, an Osca* S. Laurentio *fuerit natalis locus, uti liquet ex iis, quæ inferius de illo argumento disputabimus. Atque hæ quidem sunt difficultates, quæ circa dictum calicem, ejusque adjuncta nobis occurrunt. Quia tamen, illis non obstantibus, fieri reipsa potuit, ut sacrum illud pignus vere a sancto Levita aliquo in Hispaniam, unde secundum inferius dicenda, videtur oriundus, transmissus sit, neque certa aliunde proferuntur documenta, quæ illam rem gestam falsitatis convincant; ideo piam illam traditionem in medio relinquimus, parati eam fortius confirmare, si eruditi Hispani accommodata ad hoc monumenta nobis subministrare potuerint: quod ut faciant, vehementer desideramus.* F

nec satis de ea constat.

99 *Porro sacrum illud cimelium deinde translatum esse Valentiam, affirmat Brizius lib.* I, *cap. 47, uti et ibidem asservari. Notæ Hispanicæ Mss., de quibus supra meminimus, referunt, calicem sanctum in præsentia (anno nempe 1727 quo illæ ad nos missæ fuerunt) conservari in ejusdem civitatis metropolitana, tantaque haberi in veneratione, ut nulli sacerdoti, imo vero ne ipsi quidem archiepiscopo permissum sit, uti illo calice ad celebrandum; die sancto Apostolo Matthæo sacra solemnissimum haberi festum in sancti calicis venerationem; qui tunc circumfertur per plateas cum supplicatione ac pompa, qualis agitur in die Corporis Domini. Quod ad materiam ejus spectat, constat e solo lapide, uti refert Brizius loco citato pag. 213, qui videatur esse Calcedonius, mirique sit ac peregrini coloris. Notæ citatæ asserunt, calicis materiem, quantum*

Calix ille summo apud Valentinos in pretio habetur.

quidem

AUCTORE J. P.

quidem apparet, constare e lapide Achate; formam autem ipsius esse adinstar scutellulæ; pedem illi esse aureum, obeunte labium ejus aureo pariter ornamento.

§ X. An S. Laurentius fuerit in Hispania natus.

Patria Sancti inter Hispanos admodum controversa.

Celeberrima *ac diu multumque inter eruditos Hispanos agitata controversia est de patria* S. Laurentii. *Primo itaque proponamus argumenta, quibus illum Hispaniæ vendicare conantur; ac deinde quænam Hispaniæ civitates eum dicant esse suum, dispiciamus. Communis adeo est recentiorum auctorum, qui de rebus Hispaniæ scribunt, ac pervulgata vox, quod Sanctus ille in Hispania natales hauserit, ut longum de iis hic catalogum contexere, supervacaneum sit. Tamayus in Martyrologio Hispanico ad diem* x *Augusti pag. 456* Quatenus, *ait*, ad originem; B nihil antiquius, quam illam fuisse Hispanam, ut ex ipsis Actis vetustissimis et recentioribus liquet... Quod fuerit origine Hispanus, post Acta, probant mirifice fere omnes citati superius scriptores exteri, qui circa hanc qualitatem ipsi tantum vocandi et citandi sunt.

Quod Hispanus

101 *Tum affert ex poetis Petrum Rosetum, Baptistam Mantuanum, Urbanum PP. VIII; et sic pergit:* Conveniunt etiam quotquot breviaria tam nostra, quam extera superius cumulavimus, et Baronius Annal. eccles. tom. II, annum CCXLI, num. 8; Gretserus de Festis Christianorum lib. 2, cap. 9, fol. 348, ubi adversus Manlium Calvinistam, qui S. Laurentium natum et civem Romanum fecerat, insurgit, probans ex aliis ejus farinæ hæreticis, illum Hispanum fuisse. *Baronii locus modo indicatus sic memorat:* Porro ipsum S. Laurentium fuisse Hispanum, in rebus gestis S. Damasi, quæ in Ecclesia recitari consueverunt, expressum habetur. *Gretserus autem lib. 2 citato pag. 348 his suum heterodoxum antagonistam affatur:* Civis Romanus, ais, natus Romæ. Audi Hospinianum Calvinistam: Laurentius C Hispanus Christum fideliter docuit. Audi etiam tuum in Lutheri castris commilitonem Georgium Fabricium, qui secundum hymnum Prudenti Περὶ στεφάνων ita inscribit; vel potius ita jam olim inscriptum repræsentat: Hymnus II divo Laurentio Hispano, archidiacono Romano. Et in Commentario idem Lutherista: Laurentius, natione Hispanus *etc. Verum ex inscriptionibus validum non formatur argumentum: nam in codice nostro antiquissimo, de quo dicam in fine hujus Commentarii num. 127, sic legitur:* Passio Laurentii beatissimi martyris. *In editione autem Prudentii Heinsiana in Annotationibus pag. 29:* Hymnus in honorem passionis Laurentii beatissimi martyris. *Et:* Incipit Passio Laurentii beatissimi martyris.

patria fuerit, variis argumentis probatur;

102 *Prædictus Tamayus pag. 445 protulerat hymnum ex antiquo, uti addit, breviario Toletano, in quo Sanctus dicatur* natus Hispano climate. *Et pag. 447 e* breviariis regni Aragonum etiam vetustiorum, *ipso teste, exstat alius hymnus, in quo apud ipsum lego:* Exsultet nunc Hispania. *Denique citat etiam pag. 451 hymnum vespertinum breviarii Aptensis, hosce dans ex illo versus:*

Lætetur hodie tellus Hispaniæ,
De cujus finibus, atque progenie
Natus Laurentius, miles Ecclesiæ, D
Et testis fidelissimus.

His, quæ ex Tamayo recitavimus, adjungi potest Petrus Diaconus, qui apud Baronium tom. IV Annalium ad annum 384, S. Laurentium *ejusdem patriæ fuisse indicat cujus fuit S. Damasus PP., quem* ex Hispania fuisse, certum est et concessum, *inquit Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana veteri, tom. I, lib. 2, cap. 6, pag. 139. Laudatus Annalium ecclesiasticorum conditor ad annum citatum ita narrat:* Exstant Acta Damasi, in Ecclesia olim recitari solita, apud nos in duobus codicibus pervetustis, nempe quinto atque decimo tomo VV. SS. Exhibet eadem codex Vaticanus, et alius S. Mariæ Majoris, quem vidimus *(nimirum* vol. I Vit. Sanctor. pag. 35, *prout notatur ad marginem)* in quibus ad finem hæc leguntur: Ut plura præteream, ea nullo modo reticebo, quæ Petrus Sedis Apostolicæ diaconus in sermone, quem in honorem beati Damasi edidit, in ejusdem titulo contigisse commemorat. Ait itaque fratribus præfati tituli: Jam crebro, fratres, vidistis hic dæmonia effugata, febricitantium corpora sanata, et, quod majus est, clinicos et contractos extensos, ut nuper visum est in E homine incessu vestigiorum privato: qui hujus ante fores ecclesiæ positus, cum non diffideret sanatum se iri, eatenus per se cœpit sustentaculis ligneis repere, quatenus huc potuit pertingere.

103 Cui sic demum (ut ipse professus est) lux ex improviso accedens, velut lampas effulsit, et illico pedum vestigia reparavit. Quod vero sequitur, non solum scripta ejusdem tituli, verum etiam picturæ declarant. Fuerunt duo homines non semper sanæ mentis, quos medici lunaticos vocant, ipsam basilicam frequentantes, et, ut salutem reciperent, beatum Damasum continuis precibus exorantes. Quadam itaque die venientes ante sepulcrum ejus, se prostraverunt, lacrymantes plus solito, Dei misericordiam per sancti Damasi subsidium implorantes. Cumque ardenter hoc facerent, exauditi sunt, et recuperata salute, Dei magnalia prædicabant, atque percepti beneficii non immemores, coma capitis detonsa, omnibus diebus vitæ suæ ipsorum, in eodem loco Domino servierunt. Hæc autem miracula alii beato Laurentio martyri, alii beato Damaso F deputant confessori: nos autem in miraculis non dividimus QUOS UNA PATRIA GENUIT, una ecclesia *(nempe Romana)* promovit, una basilica colit in terris, unus Dominus honorat in cœlis. *Hæc Baronius ex isto auctore, qui S. Damasum, aliunde Hispaniæ debitum, ac* S. Laurentium *populares faciens, utrumque Hispanum facit. Cum autem, eo judice, miracula, quæ integrum ipsius producendo textum, simul retuli, utrique Sancto isti sint communia; ea inserta volumus miraculis Laurentianis; de quibus antea egimus.*

nec non e Petri cujusdam diaconi sermone,

104 *At quisnam* Petrus *ille* Sedis Apostolicæ diaconus? *Vixit cum S. Gregorio PP. quidam Petrus, ejusdem diaconus, uti constat ex Dialogis laudati Sancti; quibus hæc præmittit:* Dilectissimus filius meus Petrus diaconus affuit, qui mihi a primævo juventutis flore in amicitiis familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius, *Is in dictis dialogis cum S. Gregorio sermocinatur: sed non novimus, quidquam eum, quod ad rem præsentem spectet, scripsisse. Petrum diaconum, jam nominato seniorem, signat Possevinus in Apparatu sacro,* qui anno Christi CDLXXXVI imp. Valente Ariano vixit; *sed liber, quem ibidem scripsisse fertur, de Incarnatione*

(quanquam ecquis ille Petrus fuerit, non satis sit exploratum)

A *tione etc. non est hujus loci. Quomodo autem dicto anno vixisse potuit, imperante Valente, qui anno 378 mortuus est? Apud dictum Possevinum Petrus diaconus Cassinensis, qui scripserit Vitam S. Athanasii episcopi Neapolitani, etiam notatur, et de quo Baronius ad annum 850 in fine meminit, uti et ad annum 861 et 872. Alium denique Petrum diaconum, monachum Cassinensem, invenies in Possevino, seculo duodecimo innexum: ast in sermonibus, qui inter ejus scripta ibi recensentur, nullum offendo de S. Damaso. Ad idem seculum, attinet Petrus diaconus Ostiensis, de quo Vossius in Historicis Latinis lib. 2, cap. 49, addens, eumdem sibi hunc videri cum illo, de quo agebam ultimo loco. Quanquam vero exploratum mihi non sit, an aliquis e memoratis Petris diaconibus, Acta illa S. Damasi, quæ supra allegabat Baronius, conscripserit; quia tamen Eminentissimus ille affirmabat ea in duobus codicibus pervetustis exstare; ideo non pœnitendum accedit robur sententiæ Hispanorum,* S. Laurentium *sibi tanquam popularem adscribentium.*

B *ac e Vita S. Damasi PP.*

105 *Nicolaus Antonius loco mox indicato hæc insuper observat:* Auctor item Vitæ ejus *(S. Damasi videlicet)* Ms., qui servatur in codice archivi canonicorum S. Petri *(quique una cum S. Damasi Operibus editus est Romæ anno 1638)* COMPATRIOTAM Damasi Laurentium martyrem vocat; nec non et eumdem diserte HISPANUM, ad finem vergens: si ea portio Vitæ *(a verbis illis:* Fuit autem B. Damasus *etc. pag. 60)* in qua Joannis XIX Papæ, qui post millesimum vixisse dicitur, mentio fit, a superioribus, quæ majorem antiquitatem continere mihi videntur, non sit separanda. *Quod si totum istius Vitæ complexum accipias, tanquam ab uno eodemque auctore compositum; tunc consequens erit, ut is ante Petrum Romanæ Ecclesiæ diaconum illud non conscripserit; nam in editione citata pag. 60 Petri diaconi sermonem de B. Damaso citat, atque ex eo refert miracula illa, quæ nos supra dedimus ex Baronio.*

Favent Hispanis traditio, et Ado.

106 *Atque ut ad patriam* S. Laurentii *indagandam regionem ac confirmandam pergamus; præter ea, quæ in favorem Hispanorum jam dicta sunt, desumi ab ipsis potest argumentum a* C *traditione, hoc modo deductum. Cum communis sit Hispanorum, imo vero fidelium, inquiunt, vel totius, vel potioris saltem partis Ecclesiæ sensus, sanctum Martyrem hausisse primam in Hispania lucem, constansque sit de ea re traditio, quocunque demum seculo propagari cœperit, illum vere nostrum esse; cumque nulla aliunde ratio adeo solida, auctoritas nulla vel ex Patribus, vel ex ejus Actis, vel ex Ecclesiasticis monumentis adeo efficax hactenus proferatur, quæ communem illum sensum, ac traditionem apertæ falsitatis convincere, ejusdem stabilem possessionem e sua dimovere sede, nedum funditus convellere potuerit; superest, ut ea apud nos, sicut resedit hactenus, ita porro residere pergat; nullaque recentiorum sciolorum, si qui sint, argumenta mere negativa, ut vocant, alumnum ac popularem nostrum e natali Hispaniæ nostræ gremio eripiant. Hæc Hispani pro suo Sancto respondere possunt. Per nos interim, tametsi in promptu non habeamus, quæ vellemus, antiquissima testimonia, quibus eorum traditioni ac possessioni patrocinemur; per nos, inquam, non stabit, quo minus pia Hispanorum natio* S. Laurentium *pro suo habeat, tanquam suum invocet, ac constanti religione colere pergat; præsertim cum jam inde a seculo nono, Sanctum pro Hispano habitum inveniamus in Adonis Martyrologio hac die: ubi sic Martyr loquens inducitur* Quantum ad genus, Hispanus sum, eruditus ac nutritus Romæ.

AUCTORE J. P.

§ XI. S. Laurentius in quo Hispaniæ loco natus.

Varia Hispaniæ loca litigant de patria S. Laurentii.

Jam *vero alia sese offert controversia, quo nimirum Martyr noster Hispaniæ loco in lucem prodierit; circa quem magna inter Hispanos contentio est, alis aliam natalibus ejus civitatem designantibus. Nam Oscenses in Aragonia Sanctum affirmant esse suum; Valentini eum sibi vendicant; Cordubenses repetunt. Pro Valentinis adversus Oscenses certat D. Joannes Baptista Ballester, archidiaconus Saguntinus in metropolitana ecclesia Valentiæ etc., libro super hac materia anno 1675 Lugduni vulgato, qui inscribitur* Lapis Lydius veritatis... pro indaganda vera patria inclyti martyris ac Levitæ beati Laurentii. E *Exemplar Latinum ante me habeo; alii vero, quos adducam, scripsere Hispano idiomate. At non tunc primum in arenam illam descendere cœpit laudatus auctor, uti perspicuum fiet ex iis, quæ sequentur. Ab Oscensibus contra Valentinos, eorumque vindicem Ballesterum stat Doctor Jacobus Josephus Dormer, qui capitularis fuit ecclesiæ parœcialis S. Pauli Cæsaraugustæ, ac postea ad archidiaconatum ecclesiæ cathedralis Oscensis, denique ad archidiaconatum metropolitanæ Cæsaraugustanæ promotus est. Anno quippe 1673 in lucem is dedit librum, Cæsaraugustæ excusum hoc titulo:* S. Laurentius defensus in semper victrice, et nobilissima civitate Oscensi, contra incertum dictamen, quo prætendit de novo illum Valentia oriundum Doctor D. Joannes Bapt. Ballester *etc. D. Franciscus Carillo de Cordova pro Cordubensibus exemplar aliquod edidit Cordubæ anno 1676, sub nomine* Certamen historicum *etc. prout affirmat idem, qui illi respondet, Doctor Joannes de Aguas, metropolitanæ ecclesiæ Cæsaraugustanæ canonicus, et examinator synodalis sui archiepiscopatus, post Discursum historico-ecclesiasticum in favorem traditionis Oscensium anno 1677 Cæsaraugustæ recusum, a pag. 237.*

Proponuntur

108 *Si argumentis, quæ scriptores isti coacervant pro suo quique loco, in cujus favorem contendunt, referendis, inter se comparandis, ac singulis seorsim examinandis operam insumere voluerimus, finis non sit, nec operæ pretium respondebit. Nam uti Sancti parentes, pueritia, educatio, vitæ ante archidiaconatum institutio, et cætera id genus in obscurissima priscæ post tot elapsa secula antiquitatis nocte latent abstrusa; quid miri est, si vel unum unicum non audeamus sperare testimonium scriptoris, consideratis omnibus, hujusmodi, qui litem istam, de qua hic contenditur, solide decidat, fatente vel ipso Dormero, operoso alioqui Oscensium defensore, cap. 2,* Defectum monumentorum, ac scriptorum antiquorum obscurasse nobis primas patriæ S. Laurentii notitias. *E recentioribus autem, quantumcunque etiam eorum numerum augeas, quid conficitur, quandiu primævos, e quibus sua hauserint, fontes assignare non possunt? Dormerus itaque scriptoribus, debitæ qui sint ad præsentem controversiam decidendam antiquitatis, destitutus, confugit ad communem sensum, acceptasque a majoribus hereditarias notitias, ac traditionem,*

tionem,

AUCTORE J. P.

*tionem, memorans ibidem pag. 11, anno 1250 in æde de Loreto, a S.*Laurentii, *uti vult, parentibus inhabitata, et in qua idem Sanctus primum spirare cœperit erectam fuisse confraternitatem ad augendum ejusdem cultum; citatque codicem membraneum, in quo notentur hæc :* Confratria ista fuit incœpta anno Domini millesimo cc quinquagesimo. Unde infertur, *inquit dictus auctor,* omni cum evidentia, quanto ante istius confraternitatis institutionem tempore, præcesserit notitia, quod ibidem natus fuerit S. Laurentius : cum IDEO (POR ESTE RESPETO) ædificata esset ecclesia, nomini ejus dedicata, quocum fundata fuit, quodque propria originis ejus ignoratio magis faveat antiquitati ejus, cum excedat omnes, quotquot possunt conservari, memorias; quæ in omnibus recognoscatur non jam ædificata duntaxat, sed antiqua.

Nonnulla

109 *Sed ut argumentum illud vim haberet, probare debebat Dormerus illam particulam causalem, uti vocant,* ideo : *quod quia non facit, argumentum enerve est. Unde enim novit Dormerus vi istius instrumenti, quod profert, ædem istam, adde etiam confraternitatem, fuisse erectam propter Sanctis natales potius, quam ob alium titulum, utputa ob singularem erga eum pietatem, publicæ venerationis argumentum etc.? Imo vero hunc titulum ibidem designat ipsemet, dum allegat* una cofadria, que assistiesse a la mayor observancia de su culto; *id est,* confraternitatem, quæ conduceret ad maximam observationem cultus ejus; *pro qua re mox codicem prædictum citat. Præterea illa, quæ deinde in favorem suæ traditionis affert pro seculo 14; quam pag. 19 affirmat introductam esse a tempore, cujus non exstet memoria :* Quia non minus sunt, *uti addit,* quam QUATUORDECIM SECULA, quibus successive sine interruptione aliqua semper perseveravit. *Quod, quid est aliud, quam magno hiatu dicere, et dicta non probare? Unde sequitur, ut non sit adeo evidens traditionis istius antiquitas natalium Sancti apud Oscenses, qualem prædicat Dormerus : Quos sicut e sua qualicunque possessione non deturbamus; ita præsenti liti decidendæ judices nos neutiquam interponimus, si vere ac tuto unquam decidi possit, quod nunquam futurum existimamus, quia nunquam legitimorum documentorum auctoritate probandum.*

eorum argumenta

110 *Atque in hac nostra opinione non mediocriter sumus confirmati, postquam vidimus librum Hispanico idiomate editum hoc titulo :* Certamen historicum pro patria illustris protomartyris Hispani S. Laurentii; ubi respondet Corduba variis scriptis *etc. Opus illud eidem urbi Cordubensi dedicat D. Fransiscus Carillo Cordubensis; quod ibidem excusum notatur anno 1673. In tres illud partes dispescit auctor. Parte prima, tractatu 1 proponit sententiam primam, quæ Romam vult esse patriam* S. Laurentii, *ejusque fundamenta producit. Ibidem tractatu 2 profert sententiam secundam, qua Cæsaraugustani eum sibi adscribunt. Tractatu 3 exhibet sententiam tertiam, cur utique urbs Valentina illum sibi vendicet. Quibus deinde subdit Oscenses in Aragonia, ac Lauretanos prope Oscam, qui Sancti natales sibi attribuunt. Laudatus auctor parte 2 respondet argumentis sententiarum quinque, quas prima parte proposuerat, et conatur ostendere, nullum e quinque hisce locis sancto Levitæ fuisse natalem. Quibus omnibus ab istius honoris prærogativa exclusis, Cordubæ eum convenire contendit parte 3. Ad urbem Romanam quasi in ea natales hauserit* S. Laurentius, *quod attinet, adeo omni probabilitatis specie videtur destitui opinio, quæ hoc asserit, ut ne vel proponi quidem, nedum refutari mereatur. Tametsi vero probabilius sit, Martyrem deberi Hispaniæ, manemus tamen in illa sententia, incompertum esse hactenus, quo Hispaniæ loco in lucem is prodierit; quod etiam de Corduba intellectum volumus : in cujus tamen illustrissimæ urbis gratiam, liberali potius quam necessario opere expendemus præcipua quædam argumenta, quibus primas sanctissimum Archidiaconum in suo sinu accepisse vitæ auras vult.*

Cordubensium

111 *Idque eo facimus, quod illustrissimus ejusdem urbis senatus litteras humanissimas huc miserit, quibus obnixe hanc suam causam commendabat, ibidem loci datas die* V *Decembris anni 1732, adjecto etiam honorario exemplo libri, a Carillo compositi, ac Cordubæ, ut dicebam, excusi anno 1673. Placuit etiam nobilissimis Viris una huc dirigere* Vitam S. Laurentii, e codice, *uti volunt,* vetustissimo, qui in ecclesiæ *eorum* Cathedralis magna cum veneratione sejunctusque ab aliis libris exstat archivio, fideliter descriptam. *Apographo autem ejusdem, quod huc miserunt, Vitæ, et quod in plenissima forma munitum erat subscriptionibus, quod verbatim suo Cordubensi exemplari esset consonum, hæc præmittuntur :* Baccalaureus D. Antonius Junguito et Guevara, notarius Catholicæ majestatis regis et domini nostri Philippi V, unusque de numero hujus nobilissimæ, fidelissimæque civitatis Cordubensis, fidem facio, quod una cum DD. Martino Guiral et Concha, vigintiquatuorviro hujus prædictæ civitatis, et pro comprobando elucidandoque, quod locus natalis ac patria inclyti martyris S. Laurentii Corduba nostra sit, signanter deputato, accessi ad locum, ubi illustrissimæ hujus ecclesiæ cathedralis Capituli exstat archivium; quo tribus clavibus, quæ apud dominos DD. Joannem de Nabas et Rebio, canonicum thesauraria dignitate conspicuum, Joannem Gomez Bravo, canonicum itidem magistralem, et Josephum Saravia portionarium, hac in prædicta ecclesia cathedrali pro mense capitularis re familiari deputatos, archivique clavicularios asservantur, reserato; ex ipso, pluteoque numero primo, littera G designato, liber extractus est, qui dicitur SANTORAL, estque in membrana manu exaratus, ducentisque ac duobus supra septuaginta foliis concluditur; cujus is est titulus : INCIPIUNT FLORES SANCTORUM.

præsertim

112 In ea a fol. centesimo et octavo supra quinquaginta ad usque folium deinceps septuagesimum secundum protenditur Vita et martyrium... S. Laurentii, quæ de verbo ad verbum transcripta ejusmodi sunt, videlicet : Incipit Vita : Laurentius martyr levita Cordubæ natus a beato Sixto Romam deductus est : nam sic dicit magister Joannes Belethus : Cum beatus Sixtus in Hispaniam profectus esset, duos juvenes ibidem reperiens, scilicet Laurentium et Vincentium ejus cognatum, morum honestate compositos, et in omnium acclamatione præclaros, ipsos secum Romam adduxit, quorum alter, scilicet Laurentius, secum Romæ remansit : Vincentius vero ejus cognatus in Hispaniam rediit, et ibi glorioso martyrio vitam finivit. Huic autem passioni Joannes Belethus * repugnat. Tempus martyrii utriusque : Laurentius sub Decio, Vincentius autem in juvenili ætate sub Diocletiano et Daciano passus est. *Ast edisserant mihi, amabo, viri Cordubenses isti, quos demisse veneror, quid in hac Vita antiqui,*

*al. Joannis Beleth repugnat tempus martyrii utriusque.

quid

A *quid rari, quid ad puncti hic controversi decisionem satis accommodati extundi vel in speciem possit?*

113 *Quod nihil in primis in ea rari sit, illud argumento est, quod ista passio excusa sit inter Legendas Sanctorum, quas compilavit Frater Jacobus Januensis Ordinis FF. Prædicatorum; quod opus deinde recusum, Fratre Claudio de Rota ejusdem Ordinis accurante, auctius prodiit. His adde passionem, quæ apud nos est, e Ms. Ultrajectino S. Salvatoris desumpta, et sic incipit :* Laurentius martyr et levita, genere Hispanus, a beato Sixto Romam deductus est : nam sicut dicit magister Joannes Beleth, cum idem beatus Sixtus Hispaniam profectus esset, duos juvenes ibidem reperiens, scilicet Laurentium et Vincentium ejus cognatum, morum honestate compositos, et in omni actione præclares, ipsos secum Romam perduxit. Quorum alter scilicet Laurentius secum Romæ permansit : Vincentius vero ejus cognatus in Hespaniam rediit, et ibidem glorioso martyrio vitam finivit. Huic autem opinioni Joannis Beleth repugnat tempus martyrii utriusque : quia Laurentius sub Decio; Vincentius B autem in juvenili ætate sub Diocletiano passus est. *Hæc si cum exemplari Cordubensi conferas, nonne vides perspicue, nimium illa convenire inter se, quam ut diversum, e quo hausta sint, fontem sapiant? Nonne item intelligis ex nomine Joannis Belethi, qui in tantillo paucarum linearum specimine bis citatur ab eo, qui hanc passionem compilavit, exemplar illud non esse antiquius seculo* XII *vel* XIII?

quæ etiam

114 *Joannes quippe Trithemius in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, illum ponens inter scriptores, qui anno 1200 claruere,* Joannes Beleth, *inquit,* gymnasii Parisiensis olim insignis theologus *etc. Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis, Dilingæ excuso anno Domini 1565, fol. 133 verso,* Ante annos, *ait,* CCXXXVII, qui fuit Christi MCCCXXVIII Joannes Beleth *etc. De eo etiam agunt Antonius Possevinus noster in Apparatu sacro, Cæsar Egassius Bulæus in Historia Universitatis Parisiensis sub finem tomi II, qui est ab anno 1110 ad annum 1200, in Catalogo illustrium academicorum pag. 749;* C *et Guilielmus Caveus in Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria part. 1, pag. 472; cui* claruisse videtur circa annum MCLXII. Non *tamen* desunt, *prout addit,* alii nempe Claudius Jolly Parisiensis canonicus, et Casimirus Oudin, qui ipsum ad annum MCCCXXVIII revocant : quod quidem mirum videri debeat; cum Henricus Gandavensis, qui anno MCCLXXX scripsit, eum inter primos Catalogi sui scriptores recenseat; *de quo Henrico plura Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, anno 1643 formis Lovaniensibus edita, pag. 351. Floruerit itaque Joannes Belethus seculo* XII *vel* XIV, *aut, si vis, seculo* XII *(neque enim tanti hoc nostra interest, ut de illo litegemus) sed cuicunque ex istis seculis illum affigas, nihil antiqui, nihil rari, nihil pro decidenda patria* S. Laurentii *in favorem illustrissimæ urbis Cordubensis satis accommodati vel in speciem extundi potest ex apographo, quod huc dirigere placuit colendissimis ejusdem moderatoribus; cum nulla sit proportio inter dicta tempora, et seculum tertium medium, quo Martyr ille claruit. Ad hæc, quanquam constet, Vitæ istius compilatorem scripsisse post Joannem Belethum, cum illum citet; non constat tamen, quanto post illum tempore scripserit, an videlicet seculo* XIII *aut* XIV, *aut serius.*

expenduntur;

115 *Carillus itaque part. 3, tractatu 1, cap. 3, pag. 150 Vitam istam non satis pernovit, dicens :* Secundum fundamentum, quod habet Corduba, ut patria S. Laurentii esse credatur, et quo confirmatur antiquissima ejus traditio, est Sanctoralis *(id est codex Vitas Sanctorum complectens)* manuscriptus littera Gothica vel Longobardica; *idem ille, de quo supra; quem idem auctor mirifice quidem, at supra meritum extollit. Apage igitur sexcentos illos ætatis ejus circiter annos pag. 151; uti et alia consectaria, quæ cum caduco isti fundamento superstructa sint, nihil habent firmitatis, nec, ut dicam id quod sentio, referri merentur, eodem scriptore extra prudentis criterii metas eousque evagato, ut pag. 153 ætatem sui Sanctoralis reducat ad seculum septimum, quo Mauri seu Saraceni Hispaniam invasere, ac ibidem eum annis plus mille antiquum faciat; quod etiam repetit, et* intrepide *quidem pag. 154; quam vero nullius momenti conjecturis, nihil attinet probare pluribus. Quid. quod pro* Cordubæ natus, *prout diserte legitur in dicto ecgrapho Cordubensi, Ms. nostrum Ultrajectinum cum editis apud Jacobum Januensem, ac Claudium de Rota, de quibus supra, legat* genere Hispanus, *uti superius datur videre. Utrum vero exemplar suppositionis suspectum videri hic magis debeat, an Cordubense, an Ultrajectense cum aliis exemplaribus excusis, quæ modo indicabam, æqui lectoris judicio relinquimus. Jam vero conveniunt ista exemplaria, quod* B. Sixtus in Hispaniam profectus sit, *quodque* duos juvenes ibidem reperiens scilicet Laurentium et Vincentium *etc. Sed profectionem illam S. Sixti in Hispaniam, die* VI *hujus mensis Augusti in Commentario prævio ad Martyrium istius Sancti* § 7, *pag. 139 e veritatis albo expunximus cum Eminentissimo ac Hispanos inter sapientissimo Conciliorum Hispanorum collectore Cardinale Aguirrio; quo lectorem mittimus : ubi etiam inveniet pag. 140, S. Sixtum, atque adeo* S. Laurentium, *non sub Decio; sed sub Valeriano imperatore passum esse. Et tamen in pretioso scilicet illo codice Cordubensi identidem in scenam prodit Decius, quem constat periisse sex ante annos, quam Sixtus Sedem Apostolican obtinuerit, secundum ea, quæ ibidem dicta sunt.* F

Auctore J. P. sed non sufficere

116 *Denique cum in exemplari Cordubensi prædicto disseratur de Decio, mentioque iterum fiat de Joanne Beleth, qui postea denuo nominatur; ac deinde e Gregorii Dialogis et Registro, nec non e libro de miraculis beatæ Virginis, ac e Vita S. Henrici imperatoris variæ historiæ narrentur; itemque notetur, quod* passio S. Laurentii inter cæteras sanctorum Martyrum passiones excellentissima videatur esse in quatuor, *quæ ibi pluribus deducuntur; et quibus adduntur privilegia* S. Laurentii *inter cæteros Martyres, in vigilia, in Octava, versibus Antiphonarum; patet dilucide in isto exemplari ac spirat variarum rerum Laurentianarum collector; non vero auctor genuinus, primigenius et antiquus : a quo etiam sua proditur juventus, dum ab eo nominatur* magister Guillermus Altisiodorensis; *videlicet* ille, *uti omnino suspicor, qui* insignis in academia Parisiensi philophiæ, deinde theologiæ professor fuit, claruitque Gregorio IX et Innocentio IV temporibus *(teste Bulæo, quem superius allegabam, tom. III, pag. 683) seculo utique decimo tertio.*

ostenduntur,

117 *Justo longius me abducat Carillus, si alia pro Cordubensibus majore conatu quam suada ab eo corrasa undecunque argumenta expendam : inter*

ut S. Laurentius ipsis detur.

Auctore J. P.

inter quæ primum ponitur traditio, jam inde ab ipso martyrio S. Laurentii *in Cordubensium animis stabilita, pag. 126; quam conatur confirmare ex æde ibidem illi sacra ab annis, uti vult, circiter mille ac ducentis, seu paulo post Sancti agonem, pag. 129. Fundamentum secundum pag. 150 desumit ex Sanctorali; de quo plus satis jam dictum est. Tertium petit e verbis Breviarii Cordubensis, qui annos, sicut ipse quidem definit, octingentos septuaginta quatuor habeat antiquitatis, quique, prout continuo ex Ordinis S. Dominici Religioso refert, anno 800 sit scriptus. Verum ignoscant mihi Cordubenses, si candide dixero, antea id mihi non suasum iri, donec firmius id probetur. Jam vero ad fundamentum quintum, nec non sextum ac septimum, quæ deinde subjungit Carillus, quod attinet; dico, ne vel tantillum quidem me iis moveri, donec afferatur auctoritas clara ac manifesta, quæ ante seculum duodecimum exarata sit. Et vero tametsi ea afferretur, aliquod quidem præberet fundamentum* B *pro traditione; sed quantillum tamen pro decidenda patria* S. Laurentii *in favorem eorum contra alios de illa litigantes; cum is et seculo tertio floruerit, deque natali ejus solo nec non de rebus a Sancto ante tempus diaconatus et martyrii gestis, omnis, quoad scimus, retro antiquitas genuina planissime obmutescat; sicut ex dictis in hoc Commentario patet. Ut hanc denique materiem concludamus, fundamentis, quæ Cordubenses pro se allegant, opponimus fundamenta aliorum in Hispania locorum pro Sancti patria contendentium; quorum nulli eum hactenus possumus, salva veritate, concedere, quia cujus sit, vel non sit, haud satis habemus exploratum, unice desiderantes id prius discere, ac deinde rempublicam litterariam illud idem edocere; simulque flagitantes cum Cordubenses tum reliquos patriæ Sancti competitores, ut nostro candori ignoscant, et qualecunque hoc pro veritate judicium in caritate accipere non graventur. Interim inanes Tamayi conjecturas de* S. Laurentio *presbytero, Hispano, uti vult, ac Cordubensi, qui fuit martyr apud Novarienses in Cisalpinis (quasi vero pro isto* Laurentium *levitam sibi substituerint Cordubenses) non tango.* C *Videri de his potest dictus auctor ad diem* XXX *Aprilis pag. 857; uti et ea consuli, quæ ad dictam diem tom. III ejudem mensis pag. 763 apud nos contra Tamayum jam pridem scripta sunt, quando istum* S. Laurentium *ibidem dedimus.*

§ XII. Exemplaria Actorum, Sancti eisdem immixti; an primigenia a SS. Patribus visa; Hymnus Prudentii et Actorum compendium.

Acta apud Surium,

Acta S. Laurentii, *quæ nunc examinanda nobis se offerunt, exstant in variis exemplaribus. Notissima in primis sunt, quæ ex Surio circumferuntur, et habentur apud ipsum hac die* X *Augusti cum hoc exordio :* Orta tempestate sub Decio, multi Christianorum necati sunt. Præsidente in Urbe Galba, pergit Decius ad Persas, cum illorum bello urgeretur. Veniens autem ad civitatem Ponticam, sedit in ea, licet bello premeretur. Ascendit autem in montem Medorum : et cum conflixisset cum Persis, obtinuit victoriam, D et e Persis multos interfecit, occupavitque Babyloniam, Bactrianam, Hyrcaniam et Assyriam : ubi cum multos invenisset Christianos, eos suppliciis et afflictionibus vexatos necavit. *Deinde occurrunt Polychronius, Babyloniæ episcopus, cum presbyteris Parmenio, Elima, Chrysotelo, et diaconis Luca et Mucio; tum Decii Cæsaris epistola ad Valerianum præfectum; Parmenius presbyter, Abdon et Sennen, qui corpora Sanctorum, quos modo nominavi, dicuntur collegisse; nec non eorum, uti et Olympiadis ac Maximi certamen ac martyrium; quibus adde SS. Sixtum PP., Felicissimum et Agapitum, ac* Laurentium, *Hippolytum, Romanum militem, Irenæum et Abundium, Concordiam, Cyriacam, Tryphoniam, Cyrillam, Milites denique sex supra quadraginta cum uxoribus suis, mentione etiam facta aliorum centum ac viginti Martyrum. Habes hic brevem synopsin Actorum apud Surium.*

Ms. nostrum Trevirense, et alia,

119 *Apographum nostrum e Ms. S. Maximini Treviris, narrationem ejusdem cum Actis Surianis argumenti repræsentat. Exordium est :* Orta E tempestate sub Decio, multi Christianorum necati sunt *etc. Codex noster membraneus signatus* P *Ms. 10, Sancti nostri Acta describit a fol. 206, quæ sic incipiunt :* Tempore Decii Cæsaris, cum flagellaretur beatus Syxtus, urbis Romæ episcopus, voce flebili clamare, ac dicere : Noli me derelinquere, pater *etc. Codex item alius noster* P *Ms. 21 fol. 64 et sequentibus passionem exhibens, hoc eidem præfigit principium :* Milites tenentes beatum Laurentium, duxerunt et tradiderunt eum Partemio tribuno. Eadem hora Partemius tribunus nuntiavit Decio, eo quod Laurentius, qui habebat thesauros reconditos archidiaconus Xisti, in custodia teneretur. *Passionis e Codice Cordubensi Ms., ac e Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, specimen una cum exordio præmisimus alia occasione* § XI.

item Mss. metrica,

120 *In codicibus præterea nostris duobus membraneis, quorum alter notatur* ✠ *Ms. 33; alter vero* ✠ *Ms. 84, exstat passio* S. Laurentii *metrica, versibus in medio ac fine similiter cadentibus, seu Leoninis, ut vocant, concinnata, cujus exordium sic habet :* F

A Decio tentus, gladioque furente peremptus
Martyribus mixtus fulgebat in æthere Sixtus.

D. Antonius Beaugendre ex Ordine S. Benedicti, Opera tam edita quam inedita venerabilis Hildeberti, e Cenomanensi cathedra ad Turonensem evecti, anno 1708 Parisiis vulgavit, una cum Marbodi, episcopi Redonensis, opusculis; et sub hujus nomine ibidem a col. 1519 poemation illud invenies. Floruit autem Marbodus sub finem seculi XI, *secundum ea, quæ apud Sammarthanos inter episcopos Redonenses de ipso memorantur; ubi et obiisse scribitur anno 1123.*

Acta compendio edita apud Adonem; passio apud Mombritium.

121 *S. Ado, archiepiscopus Viennensis, qui claruit seculo* IX, *Martyrologio suo ad diem* X *Augusti inseruit Acta* S. Laurentii, *seu eorum, si mavis, compendium, e longiori, uti suspicamur, narratione, quæ sibi præluxerit, exstructa, in quibus ea referuntur, quæ ad* S. Laurentium *propius pertinent, sine parergis illis quæ in exemplari apud Surium, nec non in apographo Trevirensi prædicto imperite immixta sunt. Passio apud Mombritium ita incipit :* In tempore illo postquam beatus Syxtus migravit ad Christum, tunc milites Decii tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum, et duxerunt et tradiderunt eum Parthenio

A thenio tribuno. Eadem hora Parthenius tribunus nuntiavit Decio etc. *Narrationis porro reliquæ argumentum consonat illis exemplaribus quæ supra designavimus e codice* P *Ms. 21, et* P *Ms. 40 : ubi ratio habetur rerum a* S. Laurentio *gestarum, seclusis digressionibus illis adeo frequentibus, quibus infarta sunt Acta Suriana ac Trevirensia, quæ nominavimus modo.*

Multi Sancti, nonnullis Actis Laurentianis infarti, suis quique diebus tribuuntur.

122 *Nunc Sanctos, eisdem immixtos enumeremus, ac designemus suum cuique ex illis diem, quo vel dati sunt a nobis jam nunc, vel postea dabuntur, idque ad vitandam confusionem, ac suggerendam lectori notitiam, ubi eos invenire possit extra ista Acta, quæ a nobis non recudentur. Olympiadem itaque et Maximum invenies die* XV *Aprilis, pag. 375; Abdon et Sennen* XXX *Julii, pag. 130 et sequentibus; ubi et sub Decio passi ponuntur, et difficultates circa Persicam Decii expeditionem (de qua mentio facta est paulo ante) proponuntur, uti et nostræ circa illam conjecturæ; Polychronium die* XVII *Februarii, pag. 5; Parmenium, Helymam et Chrystotelum presbyteros; nec non Lucam seu Lucium ac Mucium* B *diaconos, die* XXII *Aprilis pag. 11; Sixtum, Felicissimum et Agapitum, die* VI *Augusti pag. 124; Romanum militem, die* IX *ejusdem. Alii autem inscripti sunt Martyrologio Romano diebus sequentibus, videlicet Hippolytus, Concordia ejus nutrix, et alii decem et novem de domo ejus, die* XIII *Augusti; Cyriaca vidua, die* XXI *ejusdem mensis; Irenæus et Abundantius die* XXVI *ejusdem; Justinus presbyter et M., nec non Narcissus et Crescentio, die* XVII *Septembris; Tryphonia, uxor, uti fertur, Decii Cæsaris, die* XVIII *Octobris; Cyrilla, eorumdem, ut volunt, filia, die* XXVIII *ejusdem; quadraginta sex Milites aliique Martyres centum viginti et unus in laudatis tabulis Romanis, die* XXV *ejusdem mensis. In tanta interim Martyrum collectione, Actis Laurentianis intrusa, nihil memini me legere de S. Quarto, Sixti PP. in martyrio commilitone (de quo dixi in Commentario Actis S. Sixti prævio § 3) quod ea de causa mirum mihi videtur.*

Quidnam de Actis apud Surium vulgatis senserit Baronius.

123 *Jam vero, quandoquidem nostræ sunt partes Sanctorum Acta defendere, quantum salva eorum veritate, nobis licet; vellemus quidem, ut illa, de quibus nunc agimus, tanquam primigenia ac sincera ad nostram ætatem pervenissent;* C *sed cum hujusmodi non sint ea in primis quæ apud Surium edita circumferuntur, audire juvat, quodnam viri eruditione præstantes de illis judicium formarint. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum hac die* X *Augusti.* Habentur, *ait,* Acta ejus *(agit de* S. *Laurentio)* apud Surium tom. IV; quorum exordio præmittuntur res gestæ sanctorum Abdon et Sennen et aliorum; quæ cum ob styli diversitatem, tum ob historiæ varietatem, et inconstantem veritatem, alterius cujuspiam auctoris esse apparent : multa etenim in illis apocrypha, multaque veritati contraria, præsertim illa de obitu Decii et Valeriani, esse noscuntur. Hoc idcirco dixerimus, ut sciat prudens lector illa a germanis Actis S. Laurentii separare. *Et in Annalibus ad annum 261 hæc monet :* Quæ autem Laurentii Acta a Metaphraste sunt recitata, haud sane pristina illa a notariis excepta videntur; sed ab aliquo alio scripta : quibus et quæ ab Ambrosio vel aliis de S. Laurentio scripta essent, una texuerit; si quidem nonnulla habent, quibus historica veritas refragatur. *Ita Baronius : quibus plus deferendum, quam judicio apud Surium Actis Larentianis præmisso his verbis :* Ex his gestis B. Ambrosius non pauca ad verbum fere descripsit. *Ecquis enim credat, S. Ambrosio, qui proximo post* S. Laurentium *seculo claruit, adeo malæ notæ Acta præluxisse; vel, si Acta primigenia tunc erant deperdita, ea, quæ de Sancto retulit, non accepisse e traditione seu fama communi, quæ tunc apud posteros tanquam viva, etiamsi non omnino recens, superfuerit?*

AUCTORE J. P.

Censura Eminentissimi Norisii et Pagii.

124 *Eminentissimus Norisius de Epochis Syro-Macedonum dissertatione 3, cap. 20 de Actis* S. Laurentii *ita pronuntiat :* Illa Decii in Persas expeditio in Annales ecclesiasticos deportata est ex Actis, quæ præmittuntur narrationi martyrii S. Laurentii : quæ tamen eidem eruditissimo Baronio loco laudato *(ad annum videlicet 254)* num. 27 NONNIHIL CORRUPTA dicuntur; *et in notis Martyrologii ad diem* XXX Julii, CASTIGATIONE INDIGERE fatetur. Initio Actorum cap. 1 dicitur Decius victis acie Persis, Babylonem, Bactrianam, Hyrcaniam et Assyriam occupasse, ac apud Babylonem templum Saturno ædificandum jussisse; quo perfecto Polychronius, Babylonis episcopus, diis ibidem E libare recusans, neci traditus fuit, clero ejusdem ecclesiæ in civitatem Cordubam tracto, ibique postea interfecto. Additur, Decium ex Perside Romam Abdonem et Sennem, Persarum subregulos, duxisse, eosque ob Christi cultum interficiendos jussisse; quibus paucos intra dies socios addidit sanctos Sixtum Papam ac Laurentium... Quæ omnia plane fabulosa sunt. *Et post rationes, quas ibidem affert laudatus auctor, sic concludit :* Itaque fictitia est illa Decii in Persas expeditio, in memoratis Actis narrata; uti etiam perperam ibidem dicuntur Xystus Papa ac Laurentius martyres sub Decio occisi, qui Valeriano Augusto imperante interfecti sunt... Cum in iisdem Actis cap. 7 legamus : Latuerunt autem corpora sanctorum Abdon et Sennem usque ad tempora Constantini, patet scripta fuisse a posterioris ævi scriptore, eorum, quæ in litteras mittebat, imperito. *Duobus hisce Eminentissimis superadde Pagium in Critica Baroniana, ubi ad annum 261 scribit ista :* Acta S. Laurentii supposititia esse, certum esse debet, propter rationes a Baronio aliisque in medium adductas. F

Etiamsi sancti Patres sec. 5 non vidissent scripta genuina Acta S. Laurentii,

125 *Ad primæva ac genuina Sancti Acta quod attinet, suspicari quispiam possit, num ea exstiterint seculo* V; *quia Patres quidam, quorum de Martyre nostro produximus fragmenta § quarto, utuntur verbis* traditur, *et* narratur, *tacite quodammodo indicantes, sua se non ex scriptis Actis, sed ex traditione et aliorum narratione accepisse. Sanctus quippe Augustinus ibid. num. 37,* Opes, *ait,* Ecclesiæ ab illo persecutore quærebantur, SICUT TRADITUR. *Et loco citato num. 35, dicit S. Maximus Taurinensis :* Venerabilis Xistus... ita illum *(S. Laurentium)* spiritu præscientiæ compellasse NARRATUR. *Sed suspicionis istius ratio vi istarum expressionum ut sic haud videtur satis fundata : nam cum alibi Patres isti, uti et Prudentius, paragrapho illo a nobis citati, loquantur de Sancto affirmatissime; cur duas istas SS. Augustini et Maximi expressiones non liceat ita interpretari, quasi dixerint* scripto traditur, scripto narratur? *Dixi* vi istarum expressionum ut sic : *etenim an scriptis ex Actis, eorumve fragmentis sua prompserint Patres, an ex sola aliorum relatione ac traditione non scripta, ecquis satis certo definiat? Sed fac eos sua hausisse et sola traditione; enimvero venerabilis et pretiosa nobis illa maxime esse debet,*

AUCTORE J. P.

ac summam fidem conciliare : nam S. Ambrosius ac Prudentius floruere seculo Martyris passioni proximo, æræ Christianæ quarto; quinto autem hunc subsecuti sunt SS. Augustinus, Petrus Chrysologus, Leo PP., Maximus Taurinensis; ea quæ de S. Laurentii *martyrio didicerant, maxime opportuna offerri censentes, ut populum instruerent, ad virtutem incitarent, et religionem Catholicam extollerent.*

veritas tamen eorum, quantum attinet ad substantiam,

126 *Ex his itaque Actorum Sancti veritas, saltem quod ad præcipuam eorum substantiam spectat, indubitate fidei testibus, et omni exceptione majoribus solide confirmatur; et abunde fit satis notationi ad epistolam 80 S. Cypriani; quæ notatio in nova Operum ejus impressione Bremis edita anno 1690, pag. 238 habetur : ubi occasione quarti martyris, cum S. Sixto PP. passi, inter nonnullos Sanctos,* qui auctorem, *uti vult notator,* aliquem Martyrologiis vulgatis fide digniorem desiderant, *ponitur* S. Laurentius. *Sed epistola illa Cypriani non incommodat sancto Levitæ : nam tametsi in ea Cyprianus non nisi* Quartum *cum* Xisto animadversum *in cœmeterio esse dicat; in eadem tamen epistola plures quoque alios post ejusdem persecutionis fuisse victimas significat his verbis :* Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe, ut, si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. *Cur itaque unus e pluribus istis victimis tyranicæ persecutioni immolatis non fuerit* S. Laurentius? *Fuit enimvero : cum ejus martyrium tot ac tantis testimoniis supra stabilitum sit. Consuli insuper possunt quæ die* VI *hujus dicta sunt in Commentario Actis S. Sixti PP. prævio, §§ 3 et 4; item dicenda de S. Hippolyto ad diem* XIII *hujus mensis § 1 Commentarii Martyrio ejus prævii inspici quoque possunt.*

B

aliunde suppletur,

127 *Præter sanctos Patres, maximum martyrio* S. Laurentii *momentum veritatis subministrat Aurelius Prudentius, qui exeunte seculo Christi quarto floruit, dum egregium illum de Sancto hymnum panxit, superius identidem a nobis memoratum : quem tanquam unum e præcipuis in hac materia venerabilis antiquitatis monumentis postea integre recudemus ea editione Theoderici Ruinartii, cum codice Ms. S. Michaelis in Periculo maris etc. collata : præter quem codicem, usui etiam nobis esse poterit exemplar membraneum, quod asservamus* ✠ Ms. 66, *ac ætatis antiquissimæ notas præfert, seculo* VIII *vel* IX *fortasse non posterius. Ex his igitur antiquis, quæ memoravimus, documentis suppletur defectus Actorum sincerorum ac primigeniorum; quæ sicut videre necdum nobis contigit, ita videnda aliquando sperare neutiquam audemus.*

C

Quænam et cur præ aliis hic a nobis recudantur.

128 *Tametsi vero ad diem* XXVII *Februarii, tomo* III *istius mensis, pag. 5, ac tom.* II *Aprilis, die* XV, *pag. 375, dixerimus, daturos nos Acta Sancti hoc die; re tamen quæ tunc temporis haud satis erat matura, suo jam in loco ac tempore considerata, visum est, ea typis non committere. Nam quandoquidem Suriana Acta, ac apographum nostrum Trevirense, quatenus agunt de* S. Laurentio, *si ea cum Mombritianis, nec non cum Mss. duobus nostris supra designatis, ac cum Adonianis conferas, multos ac perspicuos habent characteres, et quibus colligas, illa ex uno eodemque prodiisse fonte; sufficere censemus, ea typis recudere, quæ in compendium redacta exstant apud laudatum Adonem, qui claruit seculo* IX. *Unde conficitur, ante illud tempus exstitisse Acta* S. Laurentii, *quanquam aliunde incognitum nobis sit, quo tempore, et a quo auctore fuerint conscripta. Omissa itaque annuntiatione Martyris, et hisce verbis,* cui beatus Sixtus omnes facultates Ecclesiæ et thesauros, pergens ad coronam martyrii tradidit, *quæ in Adone præcedunt, sequentia indidem huc transferimus : sed primo tamen* S. Laurentii *repræsentabitur.*

D

HYMNUS

Auctore Aurelio Prudentio lib. Περὶ στεφάνων, *qui apud Theodericum Ruinartium inter Acta Martyrum sincera et selecta est editus, et cum aliis exemplaribus collatus.*

E

Poeta urbem Romanam affatus

Antiqua fanorum parens,
Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frenis presseras,
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperii jugum.
Hæc sola deerat gloria
Urbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut spurcum Jovem.
Non turbulentis viribus
Cossi *a*, Camilli aut Cæsaris;
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio.
Armata pugnavit fides,
Proprii cruoris prodiga,
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.

narrat S. Sixti prædictionem circa martyrium S. Laurentii : b

2 Fore hoc sacerdos dixerat
Jam Xystus adfixus cruci *b*,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite :
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere :
Præcedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit : nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Digne retexens concinam?
Hic primus e septem *c* viris
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior;
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.

F

quem Urbis præfectus

3 Versat famem pecuniæ
Præfectus Urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri et sanguinis.
Qua vi latentes eruat

Nummos,

A Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi :
Laurentium sisti jubet ;
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgide
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plus quam cruente scindimus.
Abest atrocioribus
Censura fervens motibus :
Blande et quiete efflagito
Quod sponte obire debeas.
4 Hunc esse vestris orgiis *d*
Moremque et artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
B Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum *e* millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exheres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis :
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
5 Deprome thesauros malis.
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines :
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc Fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio :
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
C Numisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da : nempe justum postulo.
Ni fallor, aut * ullam tuus
Signat Deus pecuniam,
Nec cum veniret aureos
Secum Philippos *f* detulit :
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem
Quæ vos per orbem venditis ;
Nummos libenter reddite ;
Estote verbis divites.
6 Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum :
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum *g*
Augustus arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere

instantissime urget d

ad prodendos Ecclesiæ thesauros.

l. cum Ms. nostro haud

f

Tridui inducias pactus Laurentius

Locupletis arcam Numinis :
Vulgabo cuncta, et proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paululum
Quo fungar efficacius
Promissionis munere :
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur :
Nam calculanda primitus,
Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui :
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
7 Tribus per urbem cursitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesque qui poscunt stipem
Cogens in unum et congregans.
Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera
Gressum trahebat imparem.
Est, ulcerosis artubus,
Qui tabe corrupta fluat :
Est, cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
Quos ipse promus *h* noverat.
Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina,
Longo et locatos ordine
Adstare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies, furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum Martyr : Adsistas velim,
Coramque dispositas opes
Mirere, *quas* noster Deus
Prædives in Sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
8 It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam
Stabant catervæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens,
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille : Quid frendens, ait,
Minitaris ? aut quid displicet ?
Num sordida hæc aut vilia ?
Num despuenda existimas ?
Aurum quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera ;
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens, vel amnis turbidis

egenos ac pauperes etc.

E

ei sistit, tanquam solidos

Volvens

A. AURELIO PRUDENTIO.

Volvens arenis implicat :
Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur :
Violatur auro integritas :
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis et magni putas ?
Si quæris aurum verius,
Lux est et humanum genus.
9 Hi sunt alumni luminis, (ac veros)
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem vicerunt
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus dissecat
Animus viget robustior,
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat :
B Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues.
Carnisne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera ?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestro valentes corpore
Interna corrumpit lepra ;
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
10 Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore * prænitent *i*,
Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit ;
Hydrops aquosus lucido
C Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas, et volam
Plicans aduncis unguibus
Laxare nervos non valet.
Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
Sitimque honoris æstuans ?
Mersisne anhelat febribus
Atque igne venarum furit ?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas ?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera ?
11 Tute ipse, qui Romam regis *k*
Contemtor æterni Dei
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi quos superbus despicis,
Quos exsecrandos judicas ; D
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt,
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris :
Non sordidati aut debiles,
Sicut videntur interim ;
Sed purpurantibus stolis
Clari et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes seculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri;
Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum, aut putidum :
Cruda est cicatrix criminum
Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam :
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat,
12 Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes,
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines :
Miraris intactas anus :
Primique post damnum thori,
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ :
His illa gemmis comitur :
Dotata sic Christo placet :
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta ; suscipe.
Ornabis urbem Romulam :
Ditabis et rem Principis,
Fies et ipse ditior.
F 13 Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput !
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam :
Concinna visa urbanitas,
Tractare nosmet ludicris ?
Ergon' * cachinnis venditus
Acroma *l* festivum fui ?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus ?
Adeon' securem publicam
Mollis retundit lenitas ?
Dicis : Libenter oppetam,
Votiva mors est martyri :
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus :
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam

Pœnis

i nec non pretiosissimos f. auro

k Ecclesiæ Catholicæ thesauros.

Quibus virgines etiam accenset,

F fremente præfecto :

* Ms. nostrum Egon, *l*

A Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat:
Qui fusus afflatu levi,
Tormenta sensim temperet
Semi-ustulati * corporis.

** Ms. nostrum* semustulati

Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches *m* incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

cujus jussu Sanctus applicatur igni. *n*

14 Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum *n* meum.
Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra et tendere.
Illi os decore splenduit,
B Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer *o*
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs aureo
Bove inquinata et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Deus.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus *p*
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis sita,
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt
Ægyptiæ plagæ in modum:
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
C Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet;
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatus aura aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus;
Nam Christus ignis verus est;
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
15 Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro et catasta judicem
Compellat affatu brevi:

Heroica in perferendis tormentis

Converte partem corporis
Satis crematam jugiter:
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora;
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat;
Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, Numen unicum,
O Splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium!
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali *q* togæ
Servire, et armis cedere:

q

Ut discrepantum gentium
Mores et observantiam.
Linguasque, et ingenia, et sacra
Unis domares legibus.
16 En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus;
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.

invictissime Martyris fortitudo, ac preces

Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas:
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderantur * omnia
Hinc inde membra in symbolum:
Mansuescit * orbis subditus,
Mansuescat et summum caput.

** Ms. nostrum* Confœderentur
** ibid.* Mansuescat

Advertat abjunctas plagas
Coire in unam gratiam:
Fiat fidelis Romulus,
Et ipe jam credat Numa *r*.
Confundit error Troicus *s*
Adhuc Catonum *t* curiam,
Veneratus occultis *u* focis
Phrygum *x* penates *y* exsules.
Janum bifrontem *z* et Sterculum *aa*,
Colit senatus, (horreo
Tot monstra patrum dicere)
Et festa Saturni *bb* lenis *.

r *s* *t* *u* *x y* *z aa* *bb*

** Ms. nostrum* senis.

17 Absterge, Christe, hoc dedecus;
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iuli *cc* cæcitas.

pro Romanæ urbis conversione cum vaticiniis. *cc*

Et jam tenemus obsides
F Fidissimos hujus spei:
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum Principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam *, recludit creditas
Æternitatis januas.

** Ms. nostrum* Primus

Discede adulter Jupiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi. Fuge,
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri:
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.
Video futurum Principem
Quandoque qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburnas obstruat:
Nefasta damnet limina,
Obdens aenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine

Tandem

A. AURELIO PRUDENTIO.

Tandem nitebunt marmora :
Stabunt et æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
18 Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis : erupit volens
Vocem secutus spiritus.

Mors, sepultura, impietas Romanorum repressa; dd

Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres *dd* :
Quos mira libertas Viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
Afflarat, et coegerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium :
Plebs in sacellis rarior :
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius
Non ense præcinxit latus :
Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.
B
Dum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum jacet.
Mors illa sancti Martyris,
Mors vera templorum fuit :
ee ff
Tunc Vesta *ee* Palladios lares *ff*
Impune sensit deseri.
Quidquid Quiritum sueverat
gg
Orare sympuvium *gg* Numæ,
Christi frequentans atria
Hymnis resultat Martyrem.
Ipsa et senatus lumina,
hh
Quondam Luperci *hh*, et flamines,
Apostolorum et Martyrum
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberum.

Sancti veneratio ac beneficentia

19 Vittatus olim pontifex
Accitur in signum Crucis;
Ædemque, Laurenti, tuam
ii
Vestalis intrat Claudia *ii*.
O ter, quaterque, et septies
C
Beatus Urbis incola;

* Ms. nostrum Qui te præsentem

Qui te ac tuorum * comminus
Sedem celebrat ossium,:
Cui propter advolvi licet
Qui fletibus spargit locum;
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.
kk ll
Nos Vasco *kk* Iberus *ll* dividit
mm
Binis remotos Alpibus *mm*
nn
Trans Cottianorum juga *nn*
oo
Trans et Pyrenas *oo* ninguidos *,

* nividos

Vix fama nota est, abditis
Quam plena Sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic, sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus :
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis; mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.
D

laudantur a poeta; cui sese etiam demisse commendat.

20 Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem Virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere :
Poscunt licenter, indicant,
Et tristis haud ullus redit,
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi poetam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco et scio,
E
Quem Christus ipse exaudiat;
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis seculi.

ANNOTATA.

a *Ruinartius hic breviter* Tres, *ait*, Romanorum celeberrimi. Cossus Veientes delevit; Camillus Gallos Capitolium obsidentes oppressit; Cæsar tandem nomen imperatoribus dedit. De his passim in historicis Romanis.

b Animadversus *dicitur a S. Cypriano epist. 82 alias 80;* gladio animadversus *alibi legitur, sicut observatum est die 6 hujus in Commentario prævio S. Sixti PP. II pag. 130; quo lectorem remitto, ut hunc Prudentii locum ibidem expensum videat.*

c *De* hoc diaconorum numero *Commentarius noster hisce Actis prævius num. 33; ubi etiam de duplici officio Sancti nostri.*

F

d *Per nomen* ὄργια *quælibet sacra apud Græcos significata fuisse, notat hic Ruinartius ex Servio, postea, ut addit, singularius hac voce Bacchi sacris attributa, quæ derivatur ab* ὀργὴ, *id est, furor seu impetus, quo hujusmodi sacra peragebantur.*

e Sestertium, genere tamen virili, appellamus nummum argenteum quatuor assium, hoc est, quartam partem denarii, qui sexdecim valebat assibus. Causa appellationis est, quod sestertius prius valebat duobus assibus et semisse... Hinc causa patet cur in veteribus libb. pro sestertius scribatur HS. vel IIS. Nam duæ lineolæ, asses binos; S autem semissem notat, *sicut observat Vossius in Etymologico linguæ Latinæ, ubi plura dicuntur. Observa autem, Prudentium hic usum esse synecdoche, ponendo speciem hanc pecuniæ pro quavis pecunia vel divitiis.*

f Genus nummi sic appellatum a Philippo Macedone rege. Vide Horatium lib. 2 epist. 1 ad Augustum;*prout notat hic Ruinartius.*

g Ænigma *quidem est dictum allegoricum ambagibus involutum; sed hic Prudentius* sic nummos appellat, quod imperatoris effigie signati sunt.

E

A Et infra omnis nummus Augusto scriptus dicitur quod in eis præter imperatoris effigiem, ejus nomen inscriberetur, *inquit idem auctor.*

h Sic ex vetustissimo codice regio legendum. In aliis Mss. PRIMUS, *uti monet modo dictus auctor.* Primus *etiam exstat in nostro antiquissimo codice.*

i Sic, *ait Ruinartius*, ex cod. Ms. sancti Michaelis in Periculo maris. Edit. POENITENT. *Lectioni Ruinartii favet noster vetustissimus codex; qui etiam legit* veste et ore.

k Præfectum Urbis alloquitur : de cujus potestate et prærogativis vide l. Fenestellam cap. 6, et ex recentioribus librum Felicis Contelorii de Præfecto Urbis. *Ruinartius.*

l Acroma, *ut idem auctor observat*, seu potius Græce ἀκρόαμα, est festiva narratio : quo nomine etiam talis narrationis auditio, seu auditor quandoque designatur. Vide Ciceronem pro Archia, et pro Sextio.

m *Quasi dicat, princeps vel præfectus mysteriorum seu arcanorum. Ita antonomastice appellatur* S. Laurentius, *qui cum esset archidiaconus, unum ex ejus officiis pertinebat ad altare et Sa-*

B *cramenta. Vide nostrum Commentarium prævium num. 33.*

n Vulcanum, *id est, ignem per metonymiam: nam antiquis putatus est ignis præses.*

o *Id est Moyses. Vide Exodi 34.*

p Id est fulgorem, *de quo paulo ante*, recens baptizati, non vero gentiles viderunt, *sicut recte observat Ruinartius.*

q Quirinus Romuli cognomen, a quo Romani Quirites dicti, et Quirinalia, quæ ad eos attinebant, ut hic togæ Quirinales. Porro incertum est, a quo Romulus id cognomen acceperit; an a Marte, qui Romuli pater dicebatur, quemque Romani dum sæviret, Gradivum; dum mitis esset, Quirinum appellabant. An ab ejus hasta, quam Sabini curim seu quirim nominabant. Titus Livius lib. I decade I ait Romanos Quirites dictos fuisse ob Sabinorum cum eis unionem. Isti autem Curites seu Quirites a Curibus sua ipsorum urbe dicti sunt. *Hactenus Ruinartius.*

r Numa Pompilius ex Curibus Sabinorum urbe ortus, secundus a Romulo Romanorum rex, justitia et pietate insignis... Jani templum condidit... Deinde Dialem, Martialem, et Quirina-

C lem flamines creavit. Salios item duodecim Marti assignavit : virgines Vestales sacravit : pontificem maximum primus declaravit *etc. Hæc et alia in Dictionario geographico poetico Caroli Stephani. Intellige ergo hic poni* Numam *a Prudentio metonymice pro antiqua ac superstitiosa illa Romanorum religione, cujus fuit auctor.*

s *Errores Troianorum, quibus terra marique multum jactati pervenerint tandem in Italiam, decantatissimi sunt. Breve est illud Virgilii de Ænea lib.* I *Æneidos vers.* 7 :

Multum ille et terris jactatus et alto :

Cujus marina pericula idem poeta sex primis Æneidos libris intexuit.

t *Magnum apud Romanos fuisse Catonum nomen, liquet e scriptoribus. Hic loci juvat meminisse, quæ noster Ruæus in hunc Virgilii a se illustrati versum 841 libri sexti Æneidos:*

Quis te, magne Cato, tacitum; aut te, Cosse, relinquat?

notavit his verbis : Duo præcipui fuerunt hujus nominis : major alter et censorius, quid ad summam senectutem pervenit : minor alter, et prætorius, e majoris posteris, qui bello Cæsariano sibi mortem Uticæ conscivit, ne in Cæsaris potestatem veniret : ambo sic insignes gravitate, ut quisquis gravitatem affectet; tertius dicatur Cato. Juvenalis Sat. 2. 40 :

Tertius e cœlo cecidit Cato.

Major, de quo hic agitur, Tusculo oriundus, e Portia gente obscura ob prudentiam dictus est Cato : Latinis enim, catus, est prudens. Prætor Sardiniam subegit. Consul anno U. C. DLIX, anno insequente de Hispania proconsul triumphavit. Censor anno U. C. DLXXIX L. Quinctum Flaminium consularem e senatu ejecit. Tertio bello Punico Carthaginem esse delendam censuit : septuagenarius litteras Græcas didicit : octogenarius Galbam accusavit; ipse quater et quadragies accusatus, semper absolutus. *Per hoc igitur Prudentii,* Catonum curiam, *intellige curiam Romanam, e gravissimis utique ac prudentissimis administris, veluti Catonibus, compositam.*

u *Prudentius, ut mihi quidem videtur, per* τὸ occultis phocis, *aut, si mavis, focis, alluserit præcipue vel ad Palladium in templo Vestæ, de quo infra, sub severa custodia asservatum a virginibus Vestalibus; vel ad ipsam Vestam, vel ad utramque deam, ac Penates; quorum fiet mentio paulo post. Vestam porro sicut notat Ru-* E *æus in Virgilii librum* I *Georgicorum vers. 498,* geminam esse volunt, alteram Saturni matrem, quam pro terra accipiunt; de qua Ovidius Fast. 6. 299 :

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Alteram Saturni filiam, quam virginem, et ignis præsidem statuunt, ab ἑστία, focus : de qua Cicero de Nat. 2. 67. Vulgo tamen utraque confunditur. Hanc volunt advectam ab Ænea inter deos penates, ut videbitur Æn. 2. 717, ejusque sacra tradita deinde Albanis, et a Numa Pompilio illata Romam; collegio virginum instituto, quæ perpetuum ignem ad salutem imperii alerent, *in quas severe animadvertebatur, si earum negligentia sacer ignis restingueretur, qui quidem non nisi solaribus radiis rursum accendi debebat.*

x Phrygum, *id est, Trojanorum, qui Phrygiam minorem incolebant.*

y Penates exsules, *e Troiana nempe civitate patria vel e Prygia minore Romam advectos. Sunt autem dii domestici : unde vero* Penates *dicti; et quinam illi fuerint etc. videre licet apud Ruæum in notis ad versum 717 libri 2 Æneidos: ubi etiam distinguuntur a* Penatibus *dii* Lares. F

z *Fabulæ, quæ de Jano circumferuntur, notissimæ sunt apud mythologos. Illud breve et huc accommodatum est, quod in Historia poetica a P. Gautruchio S. J. Gallice conscripta, ac deinde a quodam ejusdem nostræ Societatis Latine reddita dicitur pag. 2 :* Hic Janus in numerum deorum illatus est tum ob beneficia in Saturnum collata, tum quod omnium ejus ætatis principum sapientissimus esset, et rara præteritorum futurorumque scientia celebris haberetur. Quam ob causam biceps depingitur. *Sed quid ego hæc autem, quæ maxime obvia sunt?*

aa Sterculus, qui stercorandi agri rationem primus induxit, *inquit Lactantius de Falsa religione lib.* I, *cap. 20, inter deos, de quibus ibi agit. relatus fuit.*

bb *Saturnalia festa, septem seu quinque dierum mense Decembri Saturno dicata fuisse lego, quibus Romani synthesin vestem sumebant, servisque discumbentibus inserviebant, muneraque ultro citroque mitti, remittique solebant.*

cc *Id est, Romanorum : Iulus quippe seu Ascanius*

A. AURELIO PRUDENTIO.

nius fuit Æneæ filius, a quo Romani originem trahunt.

dd *Hi vocantur Justinus et Hippolytus apud Adonem, uti statim videbimus.*

ee *Dea ista in poetarum fabulis notissima.*

ff *Ruinartius in notis ad hunc locum*, Lares, dii domestici, *inquit*, qui domos servare putabantur : unde Prudentius eos Palladios vocat a Palladis statua, quæ in templo Vestæ servata Urbem inexpugnabilem reddere dicebatur. Hæc statua antea Troiæ celebris fuerat : de qua passim Homerus et Virgilius. Dicitur vulgo Palladium : *plura Mythologi. Observa cum Ruæo (quem supra citabam) in versum Virgilii 166 libri 2 Æneidos, inter alia plura, quæ de Palladio notat, illud* illatum in Italiam, et Lavinii primum, deinde Albæ, tum Romæ servatum in templo Vestæ sub Vestalium et Nautiæ familiæ custodia, tam secreto, ut Herodianus testetur, sub Commodo imperatore, cum templum Vestæ conflagrasset, Palladium Romæ tunc primo visum esse.

gg *Observat hic Ruinartius, codicem S. Michaelis habere,* ornare simpuvium Numæ. *Dein de Numæ simpuvio citat Juvenalis satyram 6. Illud autem erat vas-parvum, quo diis libabant. De Numa Pompilio jam dictum est.*

B

hh Luperci. *Ruæus in notis ad vocem* lupercal *lib. 8 Æneidos vers. 343,* Locum, *ait*, in Palatino monte, ubi Arcades Evandro auctore templum exstruxerant Pani Arcadiæ Deo. Illic quotannis ludicrum celebrabatur, juvenibus passim discurrentibus nudis, cum scuticis e caprina pelle, quibus obvios quosque cædebant : mulieres præcipue, quæ se his verberibus ad patrum juvari existimabant. Luperci ipsi dicebantur. *Deinde etymon vocis lupercalis superaddit; unde quidam putent, Romulum hujus ludi auctorem esse. Observat insuper ad vocem* Lupercos, *quæ ponitur versu 663 ejusdem libri :* Sacerdotes porro, præcipue flamines, pileos gestabant oblongos, quorum ex fastigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata; quod si per æstatem gestare pileum molestius ducerent, *filo illo* caput circuibant, quod nefas esset, eos nudo esse capite : hinc flamines dicti, quasi filamines, et lana illa apex, ab apo; quod est ab ἅπτω, ligo.

ii Hæc, ut refert Suetonius in Tiberio cap. I, fratrem injussu populi triumphantem, ascenso simul curru usque in Capitolium prosecuta est,

C

ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset. Alia fuit Claudia matrona, quæ in pudicitiæ experimentum fertur cingulo navim traxisse, in qua erat deorum mater. De hac Sueton. ibid. Tit. Liv. decad. 3 lib. 9. Ovid. Fast. lib. 4, Valer. Max. etc. *Ruinartius hic.*

kk Vascones *sunt populi citerioris Hispaniæ, qua in Gallicum et Britannicum Oceanum vergit, ad Pyrenæum positi.*

ll Iberus *(vulgo et Ebro) fluvius Hispaniæ, qui inter Pyrenæos et Idubedam montes fluit. Plura geographi.*

mm Alpes, *notissimi sunt montes, Italiam a Callia et Germania separantes, qui sicut multi sunt, sic etiam varia pro locorum diversitate nomina eis indita.*

nn *Sive Gottias Alpes, inter Galliam et Italiam sitas.*

oo Pyrenæi montes *Galliam ab Hispania separant, ac notissimi sunt.*

D

ACTA ALIA

Ex Martyrologio Adonis ad diem X Augusti.

Hic (S. Laurentius) veniens in Cælium montem *a*, ubi erat quædam vidua, in viduitate triginta duos annos habens; in cujus domo multi Christiani, et prespyteri, et clerici absconsi manebant, tulit vestes et thesauros Ecclesiæ, et cœpit erogare, et pedes omnium Christanorum lavare. Ad cujus pedes Cyriaca *b* vidua cadens, Per Christum, inquit, te conjuro, ut manus tuas ponas supes caput meum, quia multas infirmitates capitis patior. Beatus Laurentius, facto signo crucis, posuit manus super caput viduæ, et linteum, de quo extergebat pedes Sanctorum. Transiens autem in vicum, qui dicitur Canarius *c*, invenit multos Christianos in domo Narcissi *d* Christiani congregatos, et lavit pedes omnium, et dedit eis de thesauro. Erat in eadem domo homo cæcus, nomine Crescentio, qui cœpit rogare beatum Diaconem, ut poneret manum suam super oculos ejus. Tunc beatus Laurentius lacrymans dixit : Dominus noster Jesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, ipse te illuminet; et, facto signo crucis, aperti sunt oculi ejus.

Sanctus thesauros Ecclesiæ erogat, pedes lavat, cæcum illuminat. *a*

E

2 Cum jam ergo duceretur beatus Sixtus *e* cum duobus diaconibus, ut martyrium suum consummaret, et beatus Laurentius clamaret adveniens, Non me derelinquas, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi; tentus est a militibus, et traditus Parthenio tribuno. Qui nuntiavit Decio *f*, quod Laurentius, qui haberet thesauros reconditos, archidiaconus Sixti, in custodia teneretur. Qui gavisus, fecit eum sibi præsentari, et auditum tradidit Valeriano præfecto, qui et ipse dedit eum in custodiam cuidam Hippolyto *g* : et Hippolytus reclusit eum cum multis.

S. Sixtum affatus, traditur præfecto : *e*

F

3 Erat autem ibi homo, Lucillus nomine, cæcus, ad quem sanctus Laurentius, Crede, inquit, in Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, et baptizare, et illuminabit te. Respondit Lucillus : Ego semper desideravi baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc beatus Laurentius catechizavit eum, et accepta aqua baptizavit, et illuminati sunt oculi ejus. Hoc factum audientes multi cæci, veniebant ad beatum Laurentium, et ponebat manum suam super oculos eorum, et illuminabantur. Videns hoc Hippolytus, credidit, et catechizatus atque baptizatus est.

Lucillo, et aliis cæcis visum restituit ac Hippolytum convertit.

4 Itaque ex mandato adductus est beatus Laurentius ante conspectum Valeriani, qui dixit beato Laurentio : Jam depone pertinaciam, et da thesauros, quos apud te cognovimus esse reconditos. Cui sanctus Laurentius : Da mihi inducias biduo aut triduo, et proferam tibi thesauros. Ab eadem die cœpit colligere cæcos, et claudos, debiles et pauperes, et abscondit eos in domo Hippolyti. Valerianus autem nuntiaverat Decio, quia promisisset, datis sibi induciis, Laurentius thesauros. Completis igitur tribus diebus, præsentavit se in palatio Salustiano *h*. Et dixit ei Decius : Ubi sunt thesauri, quos pollicitus es præsentare? Beatus Laurentius collectum multitudinem pauperum introduxit in palatium, et voce

Thesauros Ecclesiæ prodere jussus, pauperes congregat, et tyrannum deludit :

magna

A magna dixit : Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam diminuuntur, nec decrescunt : qui in singulis aspergitur, et in omnibus invenitur *.

** f. asperguntur et inveniuntur. a quo gravissime cruciatur.*

5 Valerianus præfectus dixit : Quid varias per multa? Sacrifica diis, et obliviscere artes magicas, in quibus confidis. Cui cum dixisset beatus Laurentius : Quare vos coarctat diabolus, ut Christianis dicatis, Sacrificate dæmoniis? Decius iratus jussit eum expoliari, et cædi cum scorpionibus. Qui cum cæderetur, dicebat : Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est conjungere servis suis : tu miser torqueris insania tua, et furore tuo. Tunc Decius, Levate, inquit, eum et date ante conspectum ejus omne genus tormentorum. Et allatæ sunt laminæ ferreæ et lecti, et plumbati * i, et cardi. Post vinctus catenis ductus est beatus Laurentius in palatium Tiberii k, ut ibi gestis audiretur.

** f. plumbatæ* i k

6 Et sedit Decius pro tribunali in basilica Jovis. Et præsentato Laurentio cum dixisset, Sacrifica diis, et noli confidere in thesauris, quos habes absconditos : beatus Laurentius libere respondit : Vere et confido et securus sum de thesauris meis. Unde iracundia plenus Decius, jussit eum nudum fustibus cædi. Qui cum cæderetur, clamabat ad Cæsarem : Ecce miser vel modo cognosce, quia triumpho de thesauris Christi, et non sentio tormenta tua. Adhuc Decius fustes augere, et dare ad latera ejus laminas ferreas ardentes jubet. Beatus vero Laurentius dixit : Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo : quia accusatus non negavi ; interrogatus te Dominum Jesum Christum confessus sum. Et cum diutissime cum plumbatis cæderetur, dixit : Domine Jesu Christe, qui pro nostra salute dignatus es formam servi accipere, ut nos a servitio dæmonum liberares, accipe spiritum meum. Et audita est vox : Adhuc multa certamina tibi debentur.

Iterum ad tribunal deducitur ac fustibus cæditur, B

7 Porro extensus in catasta, et scorpionibus gravissime cæsus est : qui subridens, et gratias agens, dicebat : Benedictus es Domine Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus. Sed tu, Domine, propter pietatem tuam da nobis gratiam, ut cognoscant omnes circumstantes, quia tu consolaris servos tuos. Tunc unus ex militibus nomine Romanus l credidit Domino Jesu Christo, et dixit beato Laurentio : Video ante te hominem pulcherrimum stantem cum linteo, et extergentem membra tua : adjuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas. Levatus igitur beatus Martyr de catasta et solutus, redditus est Hippolyto tantum in palatio. Veniens autem Romanus, afferens aquam misit se ad pedes beati Laurentii, ut baptizaretur : qui, benedicta aqua, baptizavit eum.

Romani militis conversio C

8 Quod factum audiens Decius, jussit eum sibi exhiberi cum fustibus. Non interrogatus cœpit clamare : Christianus sum. Et jubente Decio eductus foras muros portæ Salariæ m, decollotus est quinto Idus Augusti. Cujus corpus noctu collegit Justinus n presbyter, et sepelivit in crypta in agro Verano o.

ac martyrium. m n o

9 Decius autem Cæsar pergit noctu ad thermas juxta palatium Salustii : et exhibitus est ei iterum sanctus Laurentius et allata sunt omnia genera tormentorum ; plumbatæ, fustes, laminæ, ungues, lecti, batuli p, et dixit beato Martyri : Jam depone perfidiam artis magicæ, et dic nobis generositatem tuam. Cui beatus Laurentius : Quantum ad genus, Hispanus sum q, eruditus ac nutritus Romæ, et a cunnabulis Christianus, eruditus omnem legem Sanctam et divinam. Et Decius : Sacrifica diis; nam nox ista expendetur in te cum suppliciis. Mea, inquit Laurentius, nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et cum cæderetur lapidibus os ejus, ridebat et confortabatur, ac dicebat : Gratias tibi ago, Christe, quia tu es Deus omnium rerum.

Sistitur iterum judici S. Laurentius : ad cujus interrogata dum intrepide respondet, R q

Ex mart. Adonis.

10 Allatus est autem lectus cum tribus costis : et expoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extensus est in cratem ferream : et allati sunt batuli cum prunis, et miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper, dixit Decio : Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis : quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus. Carnifices tamen urgentes ministrabant, carbones mittentes subter cratem, et desuper comprimentes eum furcis ferreis.

condemnatur ad ignem, et heroica fortitudine martyrium subit,

11 Sanctus Laurentius dixit : Disce, miser, quanta est virtus Dei mei. Nam carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi æternum supplicium : quia ipse Dominus novit, quod accusatus non negavi; interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. Et vultu pulcherrimo dicebat : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me confortare dignatus es. Et elevans oculos suos in Decium, dixit : Ecce miser, assasti unam partem, regyra aliam et manduca. Gratias igitur agens et glorificans Deum, dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia januas tuas ingredi merui, et emisit spiritum.

tyranno insultans. E

12 Mane autem primo adhuc crepusculo, rapuit corpus ejus Hippolytus, et condivit cum linteis et aromatibus : et hoc factum r, mandavit Justino presbytero. Tunc beatus Justinus et Hippolytus plorantes et multum tristes, tulerunt corpus beati Martyris, et venerunt in via Tiburtina s in prædium matronæ viduæ Cyriacæ in agro Verano, ad quam ipse Martyr fuerat noctu; cui et linteum dedit, unde pedes Sanctorum exterserat, et illud ibi jam hora vespertina sepelierunt iv Idus Augusti. Et jejunaverunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Christianorum. Beatus autem Justinus presbyter obtulit sacrificium laudis, et participati sunt omnes.

Martyris sepultura. r

Eodem die Romæ, militum CLXV. Tunc passi sunt Claudius, Severus, Crescentio et Romanus; ipso die quo beatus Laurentius, post tertium diem passionis sancti Sixti. F

ANNOTATA.

a *Montes Romanos describit Floravantes Martinellus in sua Roma sacra cap. 3; unde pag. 10 delibo ista :* Cœlius à Tatio, Romuli conforte, additus, ut Dionysius; vel ab Anco, ut Strabo; vel a Tullo Hostilio, ut Livius; vel a Tarquinio Prisco, ut Tacitus. Appellatus a Cœle quodam Hetruscorum duce, qui, cum Romulo contra Sabinos arma socia conjungens, castra in eo posuit, a querna silva Querquetulanus ; a Tiberio Cæsare, quod is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, dici cœptus Mons Augustus... Ibi Cyriacæ pientissimæ viduæ domus : ad quam legatur, S. Laurentium venisse, etc.

b *De S. Cyriaca martyre agetur cum Martyrologio Romano ad diem 21 Augusti.*

c *Montfauconius in Diario Italico cap. 20 ex anonymi Opusculo de Mirabilibus Romæ, ubi agitur de locis Urbis nominatis in passionibus Sanctorum, ista refert pag. 286 :* Hæc sunt loca quæ inveniunter in passionibus Sanctorum foris portam

EX MART. ADONIS.

portam Appiam, ubi beatus Sixtus decollatus fuit. Ibi templum Martis, intus portam arcus Syllæ. Inde regio Fastiolæ ad S. Nereum : vicus Canarius, ad S. Georgium, ubi fuit domus Lucillæ, et est ibi Velum aureum.

d *De SS. martyribus Narcisso et Crescentione Martyrologium Romanum die 17 Septembris.*

e *S. Sixtum PP. II dedimus die 6 hujus : de quo præterea consule nostrum Commentarium his* S. Laurentii *Actis prævium.*

f *Passus est Sanctus sub Aureliano imperatore (non sub Decio, nec sub Aureliano præfecto) anno æræ vulgaris 258. Vide dictum Commentarium num. 36.*

g *Inscribitur Martyrologio Romano die 13 hujus, quo eum illustratum dabimus.*

h *Situm istius palatii Floravantes Martinellus describens, inter ea quæ habet cap. 2 de porta Salaria ad ortum vernum,* Extra hujus, *ait,* muros decollatus S. Romanus : cujus meminit liber passionis S. Laurentii... Hujus ad arcus erat palatium Salustii, cujus fundamenta adhuc visuntur subtus vineam dominorum Verospiorum.

B i *De Martyrum Cruciatibus librum edidit Antonius Gallonius.*

k Ad Jovis templum intra Tiberii palatium præsentatus S. Laurentius mart. ; Jovis templum apud pagum creditur fuisse prope et extra portam Urbis S. Sebastiani. *Floravantes Martinellus cap. 8, pag. 42.*

l *De eo apud nos die 9 Augusti cum Martyrologio Romano.*

m Via est appellata Salaria, *teste, Floravante Martinello proxime citato,* quia per eam Sabini sal e mari deferebant : *ut inde colligere liceat, unde portæ synonymæ illud nomen fuerit inditum.*

n *Colitur die 7 Septembris.*

o *Qui est ad viam Tiburtinam, secundum dicta die 9 Augusti in Commentario prævio S. Romani militis ac mart. num. 10.*

p *Cangius in Glossario postquam hunc Adonis allegasset locum, addit circa vocem* batuli, *quod* ea batillos vel batilla, innui censeat Rosweidus; de quibus Plinius lib. 33 c. 8, lib. 34 c. 11 et Treb. Pollio in Claudio. Sunt autem batilli, ferrea instrumenta, palæ similitudine; quibus prunæ in fornacibus colliguntur. *Idque videtur conforme* C *numero proximo hic, ubi eadem vox* batuli *recurrit.*

q *Ex his potissimum vocibus* S. Laurentium *Hispanis dedimus in Commentario prævio § 10; ubi plura de hac re. Adoni consonant codices nostri membranei* P. Ms. 10 *fol. 207 verso, ac* P. Ms. 21 *fol. 67 verso. Adde passionem Sancti editam apud Surium.*

r *Pro* hoc facto.

s In via Tiburtina, milliario ab Urbe, est ager Veranus S. Ciriacæ matronæ Romanæ nobilitate et martyrio insignis, in quo sepulti SS. Laurentius et Stephanus etc. *inquit Floravantes Martinellus supra citatus, pag. 332.*

D

GLORIA

POSTHUMA.

§ I. *Miracula, apparitiones, ac pœnæ ob irreverentiam erga Sanctum irrogatæ.*

Ascetæ S. Laurentii Leodii

Miracula *quædam* S. Laurentii *præmisimus in Commentario prævio; quædam huc remisimus. Inter supellectilem nostram litterarium de* S. Laurentio, *exstat apographum hoc titulo, manu nostri Papebrochii adscripto :* Ex Passionali Ms. pro Junio et Julio, monasterii S. Laurentii Leodii. Visio et miraculum S. Laurentii. *Res gestæ Thesauro anecdotorum novissimo, quem non ita pridem vulgavit Bernardus Pezius, ex Ordine S. Benedicti, inseritur, ut videre licet tom. 4, p arte 3, a col. 5, sub hoc titulo :* Beati Joannis monachi S. Laurentii Leodii, Ord. S. Bened., visio status animarum post mortem, et miraculum S. Laurentii. *M. Hinc excerpo sequentia :* In illo tempore Frater erat in hoc cœnobio beati Laurentii, Johannes nomine, frater Gisleberti monachi, qui de pluribus Sanctis cantus composuit : cui ex incautela phlebotomiæ accenso ardentium febrium sanguine inflammavit cerebrum. Cum per quatriduum languor cresceret, natalis B. Martini episcopi supervenit dies. Jussu ergo abbatis sui deportatus est in cellulam secretiorem. Et cum clangentibus signis ad Vespertinæ laudis Officium omnes concurrerent, solus ibidem in lectulo suo relictus est, putantibus iis, qui eum custodire susceperant, quod obdormisset. Ille autem factus in extasi, id est in excessu mentis, vidit se quasi in quodam vestibulo stare : cui ante oculos pictura obtendebatur. Videbat ergo supra crucifixionem Domini digestam : infra vero de gestis Sampsonis, mortem ejus ruinamque domus. Cum hæc attenderet, quasi supra verticem sentiebat stare personam, tenentem in manu radium eburneum, et rationem hanc habentem cum circumstantibus quibusdam : O quam delectabile et jucundum divinis rebus intendere animum ! quoniam proficuum sapientes quique in talium gestorum materia possent tenere studium, et ad utilitatem animarum suarum dare pulchritudinis eloquium. Hanc intentionem et hoc studium iste habere debuisset, si suæ animæ salutem suorumque fratrum utilitatem cordi habuisset. Audiebat ille Frater hæc, venitque ei in mentem, quod beatus Laurentius esset. Itaque stabat attonitus, exspectans quod amplius loqueretur.

E

F

Sanctus in visione

2 Beatus ergo Martyr radium, quem manu tenebat, intentans ejus capiti, sic ait : Quis ex omnibus Sanctis majora tibi bona contulit? Sub cujus umbraculo magis profecisti? Quis aluit? Quis docuit? Quis Deo servire te posuit? Fatere, inquam, si non vis ex præsenti infirmitate finire vitam. Ad hæc ille intremuit, et, Quid, ait, respondere possum; qui tam tristia incipio audire, quid boni de cætero potero sperare? Beatus equidem Laurentius patronus meus est : ille me puerum suscepit, ipse nutrivit et docuit et præ omnibus Sanctis gratias debeo illi. Cum hæc dixisset, subvenit ei in mentem ne forte illusio

esset,

esset, quod videbat: cœpitque frontem suam signo crucis armare. Ad hæc beatus martyr Laurentius: Non, frater, phantasmate deluderis: et nobis familiare est signum crucis. Signo crucis Deus per nos dignatus est plura operari. His auditis frater ille, miserantibus eum cunctis circumstantibus, ad genua ejus est prostratus, clamans et petens ejus misericordiam *. Tunc benignissimus beatus Martyr Laurentius ad voluntatem circumstantium flexus est, et jacentem virgula tangens, Spera, ait, et diffidere noli. Quoquomodo hactenus vixeris, aut quid egeris, interim omittetur discuti: et tot annis vita in corpore prolongabitur tibi. Ego inspector et testis adero, quomodo de die in diem tua perficietur correctio, tuæ salutis sollicitudo, negligentiarumque opportuna et modesta admonitio. Horum, inquam, omnium testis adero, et, si frustra fuerit ista vitæ tuæ dilatio, terribilis negligentiarum et contemptus tui examinator.

** Ms. nostrum manum*

3 His verbis frater in spem reductus, jamque præsumens loqui et levare caput, Ecce, inquit, domine mi, quanta infirmitate deprimor, et, ut dicitur mihi, ardentium febrium dolore insanabili. Quid de præsenti salute, beatus Laurentius patronus ait, dubitas? Ex hoc nunc incommodo minime morieris. Respondens autem frater, suppliciter dixit: Benedictionem da super me, Beatissime, post quam non potero dubitare de salute. Quam consecutus surrexit. Jamque confidens de gratia Patroni sui, ad nutum ejus tantum præducem in altum sequi cœpit: sentiebatque se per aeris spatia ascendere. *Quænam deinde Fratri isti visa fuerint de statu animarum post mortem, transcribere supersedeo, cum et ibi legi possint, et hic innoxie omitti. Alia* S. Laurentii *apparitio B. Joanni Alvernicolæ facta videri potest die* IX *hujus mensis in ejus Actis cap. 3 pag. 465, ac quæ habentur pag. 473.*

apparet.

4 *In alio nostro apographo ex dicto Ms. Passionali pro Junio et Julio cœnobii* S. Laurentii *Leodiensis, postquam actum esset de adventu reliquiarum ejusdem Martyris ab urbe Romana in Leodiensem (de qua re nos ex Pezio in Commentario prævio num 72 tractavimus) nec non expositum, quemadmodum sacræ ipsius reliquiæ in magno altari ibidem fuerint reconditæ, subjunguntur nonnulla Sancti miracula; e quibus ista hinc transcribo:* Scriptum est in Tobia: Sacramentum regis abscondere, bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Referebat igitur nuper juvenis quidam, qui captus fuerat a quibusdam raptoribus; qui rebus suis inhiantes, gravem pecuniæ summam ab illo exigerent. Quem et [vinculis] et inedia per aliquot dies confecerant. In turri postremo satis alta concluserunt, pedes illius arctissime in cippo constringentes. Jacebat ergo miserrime affectus [et] pervigil. Sciens vero vigiliam passionis tunc esse S. Laurentii, tota mentis confractione Martyrem interpellabat. Cum sensit repente concuti cippum atque laxari: cujus erat tam vasta moles, ut illum Dædali quodam labyrintho destinatum suffecisset Minotaurum cohibere. Ita extractis pedibus, accessit ad fenestram turris, circumspiciebatque, utrum potuisset sine periculo desilire. Diffidebat quidem præcipitio; sed plus confidebat Martyri. Itaque ab alto se misit deorsum, et virtute subvectus Martyris, directusque ducatu, quanquam esset viarum ignarus, tamen tuto ad nos itinere pervenit [et] quæ sibi acciderant enarravit. Nos juxta Psalmographum nomen Domini, qui educit vinctos in fortitudine, alte concrepando invocavimus: cum ille ad majus altare accedens vovit, ut, quoad vixerit, suam annualiter oblationem Sancto dependat in gratiarum actionem.

Captivi

Auctore J. P.

5 Item alius ab iniquis captus atque in compedem conjectus, nisi daret, quod exigebatur; spopondit tandem se daturum: et absolutus uxorem pro se suam vadem reliquit. In compedem pro marito mulier conjecta est. Aderat festum S. Laurentii: questibus, et dolore lacrymoso miseram per totam fere noctem importuna Laurentio, Sanctum inclamabat, Sanctum obstestabatur. Cum subito dissiluisse boiam *, mirata est: animoque usa virili, eam humero imposuit, cum ea profugit: quam et continuo per maritum gratias agentem, S. Laurentio, quod solvisset compeditam, destinavit.

liberantur; altare Sancti ab igne illæsum;

** i. e. vinculum*

Venit etiam puer cum boia deductus a patre. Quomodo et ipse solutus sit, et ad invocationem Martyris in ipsius festo ereptus de inimicis, innotuit coram populo. Unde et nobiscum populus dedit laudem Deo.

In pago Wastinensi, ecclesia nomine Calecta habetur, tria continens altaria: medium quidem in honore perpetuæ Virginis Mariæ: duo autem altrinsecus posita, alterum quidem beati Joannis Baptistæ; alterum autem Laurentii archilevitæ. Super hoc narrare solent loci incolæ, quoniam, cum bis vel ter ipsa ecclesia fuerit concremata, illud solum altare corrumpi igni non potuerit, nec palla ipsius altaris.

6 Legitur quoque in libris de miraculis beatæ Mariæ Virginis, quod quidam judex, nomine Stephanus, Romæ erat, *qui munera libenter accipiens, multorum judicia pervertebat. Hic* tres domos ecclesiæ S. Laurentii, et unum hortum S. Agnetis violenter abstulit, et ablata injuste possedit. Accidit autem ut moreretur, et ante judicium Dei duceretur. Quem S. Laurentius cernens, ad eum cum nimia indignatione accessit, et tribus vicibus brachium ejus durissime strinxit, et dolore nimio cruciavit. Sancta vero Agnes cum aliis virginibus in eum respicere noluit, sed faciem suam ab eo avertit. Tunc Judex super eum sententiam ferens, dixit: Quoniam aliena subtraxit, et munera accipiens, veritatem vendidit, in loco Judæ proditoris tradatur. S. Præjectus, quem idem Stephanus in vita sua valde dilexerat, ad B. Laurentium, et S. Agnetem accedens, pro eo veniam precabatur. Illis vero, et beata Virgine orantibus pro eo, concessum est, ut ejus anima ad corpus rediret, et ibidem triginta diebus pœnitentiam ageret. Accepit insuper a beata Virgine in mandatis, ut psalmum Beati immaculati, singulis diebus vitæ suæ diceret. Dumque ad corpus rediret, brachium ejus ita erat lividum et adustum, ac si hæc in corpore passus esset. Quod signum in eo exstitit, quandiu vivit. Male igitur ablata restituens, et pœnitentiam agens, die tricesima migravit ad Dominum.

peccator ad vitam et pœnitentiam revocatus:

7 In villa de Hoeven prope villam de Vetibusto quidam paterfamilias ad deponendum fœnum de pratis conduxerat falcatores. Illis ergo falcantibus in vigilia archilevitæ et martyris Laurentii, ubi tempus vespertinum advenit, per villas circumvicinas ad Vesperas pulsabatur. Et mox unus eorum ad socios inquit: Desistamus ab opere, amore S. Laurentii, quia jam Vesperæ pulsantur. At illi dixerunt ei, Vade, inquiunt, tu ad Vesperas S. Laurentii; nos cœptum opus prosequemur. Mox ipse, opere derelicto, ad Vesperas ivit, dicens: Potens est Deus, et S. Laurentius mihi

operarius abstinens ab opere in honorem Sancti, mirabili modo compensatus

reddere

AUCTORE J. P.

reddere dimidiam dietam. Et, ecce, tertio die ad opus imperfectum cum cæteris rediens, vidit, quod antecedentibus aliis, se solum falcare posterius oporteret: et propter hoc ab aliis est derisus. Patienter tamen ferens risus omnium et cachinnos, ubi manum ad falcem posuit, ante se pendentem in surculo gramineo nummum miræ et inusitatæ latitudinis aureum mox invenit. Curvatis ergo mox genibus Deum in beato et glorioso martyre Laurentio cum magno gaudio benedixit. Quo clamante, currunt socii, concurrit et dominus prati: vident divinum miraculum: omnes benedicunt Dominum, et S. Laurentium. Tunc ipsius patrisfamilias uxor ipsum denarium a paupere emit fere marcha argenti: quem multis postea in testimonium ipsius miraculi ostendit. Scriptura autem ipsius denarii voce Teutonica, prout interpretatum est, sic continebat: Manus Dei me compegit, et in donum me redegit pauperi, qui non infregit diem Sancto celebrem.

alius a pluvia noxia servatus:

8 Quidam paterfamilias in Hasbania ad messem colligendam cum curru in agrum perrexerat in vigilia ipsius gloriosi martyris beatissimi archilevitæ Laurentii. Cumque majorem jam partem messis D collegisset, advesperascente jam die, unus vernaculorum ejus præter ipsius patrisfamilias voluntatem, et absque scitu illius, iterum ad agrum cum curru pergens, eumdem currum denuo cum frumento et bladis * oneravit, volens cum celeritate propter pluviam instantem, prædictum currum cum bladis in horreum ducere. Quod ut prædictus paterfamilias agnovit, omni celeritate, qua potuit, eum compescuit, dicens: Reduc equos in stabulum: pœnitet me hodie tam diu laborasse. Cui servus repondit: Ecce pluviosum tempus instat; melius est, ut blada ducantur ad horreum. At ille, Fac, inquit, quod dico, quia nec hodie quemquam meorum amplius laborare permitto. Currum cum bladis Deo, et sancto martyri Laurentio committo. His dictis servus paruit, et equos in stabulum ducens, currum cum bladis in agro demisit. Et, ecce, tertia die veniens, currum cum bladis invenit ita ab omni imbre præservatum, ac si una pluviæ gutta super ea nequaquam cecidisset, cum tamen tota die ac nocte grandis pluvia terram, et segetem circumquaque grandi inundatione C humectasset. Quod ut prædictus paterfamilias vidit, Dominum in beato martyre suo Laurentio benedixit, et miraculum ubique ad honorem Dei, et sancti Martyris divulgavit.

* i. e. tritico

alius item punitus ac liberatus.

* f. diei

9 In quodam villagio in Zelandia juxta villam, quæ Scerpenisse dicitur, agricola quidam in festivitate S. Laurentii posthabita Dei * reverentia, non ex malitia, sed ex rusticana, ut postea apparuit, providentia, de mane consurgens cum cœlum rubicundum conspiceret, imbrem imminere suspicatus, celeritate, qua potuit, cum curru ad agrum perrexit, ut collectis iis, quæ in agro reliquerat, et in horreo positis, ad officium Missæ satis adhuc tempestive occurreret. Sed cum in colligendo occuparetur, in ecclesia ad Missam pulsabatur. Et, ecce, miser dum sonum campanarum insimul pulsantium audiret, nequaquam ad officium Missæ, ut proposuerat, occurrere studuit, sed operi incepto insistens, curru onustato ad domum suam pergere cœpit: et [dum] ab aliis increparetur, cur sancti Martyris festivitatem violaret, et nequaquam obtemperaret, subito virtute divina currus immobilis permansit, et nequaquam ulterius moveri potuit. Quod ut prædictus rusticus vidit, vehementer expavit, et majora metuens, B. Laurentium invocavit, et quia ejus festivitatem deinceps nunquam violaret spo- D pondit. Et solutis animalibus ibidem currum onustum dimisit. In crastinum igitur de mane consurgens junctis animalibus eumdem currum ad horreum ducere voluit, sed non prævaluit, quia omnino immobilis permansit: quod ut cognovit, sacerdotem vocari fecit, et sibi Missam in honore sancti Martyris celebrari obtinuit. Qua dicta, et, animalibus ad currum junctis, tanta celeritate ad horreum est perductus, acsi onus penitus nullum habuisset. Deum igitur in beato martyre Laurentio benedixit, et omnes, qui viderunt, et audierunt, dederunt laudem Deo, et beato martyri Laurentio.

Rusticus quidam

10 In Hasbania villa est juxta S. Trudonem, quæ Bruysten dicitur. In hac villa ecclesia habetur in honore S. Laurentii dedicata. Cum igitur in festivitate ipsius gloriosi Martyris populus ex circumvicinis villis ad solemnitatem ejus circumquaque concurreret, vota sua persolveret, et beati Martyris suffragia imploraret, rusticus quidam, postposita sacræ diei reverentia, et beati Martyris veneratione neglecta, ad colligendas fruges cum curru ad agrum perrexit, et diem so- E lemnem violare non pertimuit, et beati Martyris offensam incurrere... Lætus igitur, aliis solemnizantibus, ad messem pergit, fruges colligit, et, curru onustato, ad horreum ducit. Cumque ad villam pervenisset, a multis reprehenditur, dijudicatur [ut] gloriosi Martyris meritum imploraret. Quod dum ille audiens surda aure transiret, et ante ecclesiam, ubi populus cum gaudio solemnitatem sancti Martyris agebat, pervenisset, subito videntibus cunctis fulmen de cœlo cecidit, et prædictum currum cum frugibus totum concremavit. Quo viso, grandis eum timor invasit, et in terram prostratus toto corde a Deo, et glorioso martyre Laurentio veniam postulavit, vota vovit, et devote persolvit, ita ut de carbonibus ipsius currus, cœlesti igne conflagrati, secum usque ad nostrum monasterium peregrinus deportaret, et omnibus prope et longe manentibus miraculum divulgaret.

ac mulieres ob violationem festi puniuntur:

11 Mulier quædam in die solemnitatis gloriosi martyris Laurentii, cum panes ad vendendum amplius non haberet, avaritiæ æstibus succensa, cogitare cœpit, quid ageret, videlicet an ipsam F solemnitatem celebrem perageret, vel ad coquendos panes se præpararet. Cumque hujusmodi cogitationibus fluctuaret, et tandem philargyria superata, se, postposita sacræ diei reverentia, ad coquendos panes cœpit omnimodis præparare, et furno succenso farinam miscuit, et pastam * facere cœpit. Cum autem de ipsa pasta panes formare vellet, subito sanguis cœpit effluere. Quod illa videns, vehementer expavit, familiam convocavit, et, quod sibi contigerat, enarravit; et sanguinem de pasta effluentem demonstravit. Tunc ipsa cum omnibus, qui aderant, Deum in beato martyre Laurentio benedixerunt, et ut deinceps nunquam ejus solemnitatem violarent, promiserunt.

* i. e. massam

Leodii mulier quædam Mathildis nomine referre solita erat, quod cum juvencula esset, et secundum suum desiderium viveret, in vigilia sancti martyris Laurentii cum ad jejunandum hortaretur, se non posse jejunare respondit. Cumque jejunium frangere cœpisset, et panem comedere, subito os ejus versum est ad latus, et omnino ad collum distortum. Quæ [facti] pœnitens, et veniam petens, B. Laurentium invocans, votum fecit, quod quandiu viveret, ejus vigiliam jejunaret,

A naret, et in die festivitatis ejus panem nunquam manducaret. Et sic sanitate percepta Deum in Sancto suo benedixit, et, quod voverat, devote adimplevit.

quæ jejunium non servarant

12 Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto in vigilia gloriosi martyris Laurentii mulier quædam de Brabantia nata, quæ jam Leodii moram traxerat XVIII annis, asseruit coram multis personis, quæ ad solemnitatem ipsius sancti Martyris eadem die in hoc monasterio venerant, sibi ipsa die contigisse, quod infra undecimam et duodecimam horas ad prandendum cum filia sua duodecim circiter annorum consedisset, et juvencula panem comedere cœpisset, subito collum ejus intumuit, et os ejus sinistrorsum versum est ad latus, caputque suum in altum levatum, et dorsum mirabiliter et miserabiliter incurvatum. Eratque in ipsa juvencula videre miseriam. Quod ut mater vidit, vehementer clamare cœpit, et diversos Sanctos invocare. Sed cum nullum sentiret auxilium, venit in mentem, quod vigilia sancti martyris Laurentii esset, et, spe concepta, beatum Laurentium omnium * qua potuit devotione B invocare cœpit, et filiam suam quatenus se beato Laurentio devoveret, et ejus auxilium invocaret, adhortari; vovitque ut, si eam sanitati restitueret, ejus monasterium visitaret, et oblationem offerret. Et subito puella respirare cœpit, et os ejus et collum atque dorsum ejus ad locum suum reverti, et pristinæ incolumitati restitui. Quæ votum adimplevit, et imaginem ceream beato Martyri obtulit, et cum multis lacrymis ipsa juvencula Deo et S. Laurentio gratias egit, et mater coram omnibus, qui aderant, quæ sibi contigerant, enarravit. Quod cum fratribus narratum fuisset, pro ipsa muliere miserunt et, ut coram ipsis, quæ sibi contigerant, enarrare vellet, rogaverunt. Quæ hora Vesperarum in vigilia S. Hippolyti ad monasterium venit, et juvenculam ipsam secum duxit, ac coram toto conventu Deo et S. Laurentio gratias agens, quæ sibi contigerant, enarravit. Benedictus per omnia Deus, qui, quæ voluit, fecit, et Martyrem suum mirabiliter glorificavit. *Hactenus de miraculis e dicto Passionali desumptis.*

* f. omni

Equus festo S. Laurentii calceatur, ac moritur.

13 *Aliud narrat Ambrosius Morales Chronicæ* C *generalis Hispaniæ lib. 9, cap. 46 in fine, quod ex Hispanico ita interpretor Latine :* Ponam etiam hic, *ait,* rem quamdam, quæ accidit Salmanticæ, dum ego ibi essem juvenis admodum, fuitque valde notata ac pervulgata in ista urbe. Nobilis dives, cui nomen Medrano, duos habebat equos, unusque erat apprime spectatus ac æstimatus ab omnibus urbis incolis, propter elegantiam et formæ venustatem. Hunc die quodam S. Laurentii misit, ut solea ferrea calcearetur : at faber, equos calceare solitus, ex reverentia erga Sanctum, et festivitatem ejus, misit, qui ipsi diceret, ut, quia alium habebat equum, quo veheretur isto tempore pomeridiano, hunc in alium differret diem. Ille autem remisit, et in mandatis dedit cum obstinatione, ut calcearetur. Equus calceatus fuit : at domum non rediit, quia ventris torminibus in via prolapsus est, et duarum horarum tempore mortuus. Vidi ego veterinarium, quando remediis ei adhibendis occupabatur, apposite admodum deplorantem, quod, dum monuisset, ut par erat, de exhibenda luci Sancto sacræ reverentia, nihilque profecisset, manifesta hæc modicæ reverentiæ pœna accidisset. *Ms. nostrum, quod Cæsaraugusta accepimus, aliud ex Bagata tom. I, lib. 2, cap. 4, n. 20 narrat exemplum de irreverentia erga festum Sancti punita ; ac deinde alia duo in eodem Ms. referuntur.*

AUCTORE J. P.

Aliæ Sancti vindiciæ

14 *Noster Georgius Crugerius in Sacris pulveribus ad diem* X *Augusti hæc colligit :* Cæterum non semel Laurentius cum ejus festam memoriam quidam profanarent apud Bohemos, prodigiosis etiam vindiciis in ejusmodi patratores desæviit. Infra Litomerzicium in quodam pago femina eo die pinsens panes, loco edulorum, lapides duros reperit. Zdencko Kosta Cuttenbergæ cum juberet monetam signari, nemine alio tacto, ita a fulmine deciduo signatus est, ut protinus expiraret. Circa Giczinium ultra magnam piscinam tempellum desolatum verterunt in ovile hæretici. In eo hominum maleficium senserunt oves innocuæ de cœlo tactæ, magno omnino numero. Ultra Austam S. Laurentius na Bichan cognominatus, a fugitivis e prælio Catholicis tectum non patitur : quod ostentum causam necdum exprodidit suam. Jacent in eo multi e cæsis Misnicis baronibus et Comitibus, quos Hussitæ MCDXXI confecerunt. Litomericensis Laurentiana hoc habet peculiare, E quod vota olim a populo stiterit inclementiam ignis, ne deinceps incendiis sæviret, ut solebat a principiis civitatis vehementer esse domibus civium detrimentosus. Et ab eo tempore mitior hactenus fuit omnino Vulcanus istic loci. Circa A. D. MIII, ut legere est apud Helmoldum in Melchiore Goldasto de Regno Bohemiæ, contra totam gentem nostram inimicum fuisse Laurentium deprehendimus.

§ II. *Peccator, injecto a S. Laurentio in saxeram calice, dicitur salutem consecutus.*

Magnus quidam peccator

Qualiscunque *hujus miraculi apographum, quod in manibus habeo, transcriptum notatur* ex libro Ms. de S. Laurentio, compilato per Joannem de Stabulis MCDXXVIII, monasterii S. Laurentii Leodii : *et assignatur* caput XLII. *Sic vero sonat :* Temporibus Domni Alexandri secundi Papæ, et Henrici imperatoris, fuit quidam F præpotens, et magnus vir in partibus Saxoniæ, dives valde, et secundum seculi dignitatem satis honoratus. Hic quanto abundabat divitiis, tanto repletatur et vitiis. Siquidem petulantia detentus, rebus alienis anxius, rapinis violentus, perjurus, proditor, et omnino modis omnibus seculo magis, quam Deo erat amicus. Inerat ei tamen quædam virtus : quia scilicet festivitatem beatissimi martyris et archilevitæ Laurentii omni devotione annualiter, quandiu vixit, colere consueverat, et pro luminariis in ecclesia ipsius Martyris tota nocte festivitatis ejus sollicite studebat, cantores et clericos non paucos invitando. Ad convivium vero tam clericos, quam pauperes invitans, largissime reficiebat ; vicinis quoque exenia quam plurima mittendo. In qua quidem ecclesia ad honorem Dei omnipotentis, et ejusdem gloriosi martyris Laurentii venerationem, calicem aureum miro opere compositum cum duabus manicis fieri fecit.

ad inferni baratrum a dæmonibus deferendus,

16 Factum est autem, ut, Domino jubente, idem vir ex hac vita migraret : quo migrante, ad accipiendam animam ejus infinita dæmonum turba cum suis principibus præcipiti cursu manibus plaudendo, risibus, et cachinnis garriendo, et

quasi

AUCTORE I. P.

quasi victoriam adepti per quoddam iter festinabant. In ipso autem itinere quidam servus Dei, *solitariam ducens vitam, in quadam cellula clausus manebat, orationibus et jejuniis vacans*, Deo et hominibus gratus erat. *Turbatus* itaque vir *ille* inclusus pro insolito illinc transeuntium strepitu aperiens * per fenestram, contemplabatur transeuntes, et cogitabat, quidnam esset multitudo illa, non dico ambulantium, sed præcipitantium. Et cum diu consideraret, vidit unum ex eis postremo cursitantem: quem ad se vocans ait: Dic mihi, quis es tu, et qui sunt isti et quo vadunt?

* *f.* aspiciens

cuidam solitario ostenditur

17 Respondit dæmon: Non possum tibi dicere modo quidquam: quin potius sequar socios meos, ne forte videar abesse a victoria, quam de tali amico illo nostro nunc defuncto habituri sumus. Intelligens autem Sanctus, quod dæmones essent; Conjuro te, inquit, per judicium æternum, ut quidquid inde factum fuerit, mihi huc rediens dicas, alioquin majestatem Domini mei Jesu Christi rogabo, et te in abyssum relegari faciet. Quod audiens dæmon, protinus respondit: Faciam quod jubes, tantummodo quod minaris non contingat mihi. Quo dicto, volucri B cursu mox se præcipitem dedit ad socios. Servus autem Domini ad solitum orationis cursum magis magisque incubuit, postulans a Deo, ut *quod a diabolo audierat, si verum esset*, notum *sibi faceret*.

in mira visione.

18 *Post unius itaque horæ spatium*, ecce repente *eadem malignorum spirituum turba* ululando, *plangendo*, væ væ *clamitando*, et, quasi qui vim patitur, conquerendo, vultu in terram demisso nimium tristis, eodem, quo transierat, itinere, revertebatur. Vir autem Domini de hoc quod audierat sollicitus, ut cominus audivit planctus eorum, per fenestram perspectans vidit eos confusos, et quasi verecundiam passos pigro incessu reverti, qui paulo ante præcipanter cum gaudio transierant. Is vero, qui adjuratus fuerat, dæmon venit ad hominem Dei, et mœstus stetit ante eum. Ecce, ait, sicut promisi, ad te reversus sum. Cui vir Dei respondit: Dic ergo mihi rei veritatem. Ad quem dæmon: Erubesco, inquit, dicere meam, et sociorum meorum, quam perpessi sumus, verecundiam. Verumtamen quoniam adjurasti me, dicam tibi ordinem rei.

ope S. Laurentii,

C 19 Homo iste, qui nunc defunctus est, quandiu in hoc seculo vixit, publice peccator fuit, et publice vitam lubricam duxit. Propria non largiri, aliena rapere studuit, perjuria innumera, adulteria, fornicationes, sacrilegia, furta, rapinas, et alia hujusmodi sectatus est. Quid plura dicam? Omnia bona negligens, omnia mala operari voluit. Postquam vero finem vitæ præsentis accepit, ad suscipiendam animam ejus, sicut ipse vidisti, cum magna lætitia properavimus, nobiscum ad infernum deducendam. Is Angelus, qui ei custos deputatus est, cœpit contra nos dicere: Frustra venistis: meus enim est. Cui respondimus: Ecce liber, in quo descripta sunt omnia mala, quæ fecit. Et Angelus: Ecce liber, in quo scripta sunt omnia bona quæ fecit: ergo ambo appendantur in statera, et videamus æquitatem. Appensus est itaque uterque liber in statera. Hic, in quo bona scripta videbantur, sursum elevatus est: et hic, in quo mala scripta erant, remansit deorsum; quousque ingentem clamorem quasi victores tulimus ad cœlos exsultantes. Nobis autem gaudentibus; ecce Laurentius, ille vir igne crematus, signum crucis in dextera ferens subito advenit.

injecto in staterum calice

20 Quid est, inquit, quod video? Adhuc D est minus de justitia. Quo dicto, calicem *quemdam aureum de sinu* trahens, tam fortiter in *stateram*, quæ sursum pendebat, projecit, ut una ex *manicis ipsius* illico *disjuncta* separaretur, et sic ad terram festinanter cum magno pondere prosiluit: sicque factum est, ut statera, quæ prius deorsum terræ hærebat pondere malorum, sursum elevaretur: et illa quæ sursum pendebat, levitate bonorum, apposito calice, deorsum humiliaretur. Quo facto, protinus extensa manu prædicti viri animam Laurentius ille suscipiens, secum reduxit. Hoc viso princeps noster cum omnibus nobis, quo cum eo adveneramus, de magna lætitia subito conversi in magnam tristitiam cum ingenti mœrore et luctu, cum verecundia et pudore redeuntes, ad loca nostra revertimur nimis dolentes. Quod si verbis meis credere dubitas, mitte festinanter ministrum tuum ad civitatem, et interroget diligenter: et inveniet illum hac hora defunctum. Et ut citius agnoscatur, quia verum est quod dixi, vadat ad ecclesiam apud quam sepultus est, et dicat clericis ex parte tua, ut ostendant sibi calicem aureum, quem ipse, qui E mortuus est, *in eadem* ecclesia fieri fecerat. Quem dum fractum repererint, incipient irasci, et maximum inter eos schisma erit; videlicet unus de alio suspicans, et alius de alio suspicans, et alius de alio, ignorantes qualiter hoc factum sit: et sic præparabunt se ad legem faciendam, ut vel sic manifestetur, quis eorum hoc fecerit.

salutem

21 Interea minister tuus accedat ad eos, dicatque eis: Cessate, Domini, inter vos ita agere; cessate, et nolite amplius inaniter insanire; sed audite patienter, quod loquor. Mandat vobis Dominus meus, ut sine mora ad eum veniatis, et ipse procul dubio indicabit vobis eum, qui hoc operatus est. Cumque venerint ad te, indica eis per ordinem cuncta, quæ tibi locutus sum. Nunc itaque dimitte me, ut revertar ad fratres meos, quoniam sicut adjurasti me per judicium Dei venturum, ita tibi in omnibus, quæ audisti, ego veritatem locutus sum: et hæc dicens, dimissus est ab homine Dei. Vir autem Domini, his auditis, flectens genua sua, gratias egit Deo omnipotenti, qui est mirabilis in Sanctis suis: qui gloriosum suum martyrem Laurentium [in] cœlo et in terra semper mirificare voluit. F Surgens igitur ab oratione continuo vocavit ministrum suum, et dixit ei: Festina et vade ad civitatem, et interroga, qua hora Henricus comes ex hac vita migraverit. Ad clericos quoque ecclesiæ S. Laurentii cum perveneris, roga eos, ut ostendant tibi calicem aureum, quem cum fractum invenient, maxima inter eos lis erit, et magna dubitatio. Cumque videris eos paratos ad jusjurandum, dicito: Quiescite nunc domini, quiescite et amplius in vanum laborare nolite; hoc *enim dicit* Dominus *meus*: Venite ad me, et *ego* docebo vos hujus *rei veritatem*.

fuisse consecutus

22 Pergens itaque minister *hominis Dei*, fecit omnia *sicut imperaverat*. Venientes autem clerici cum *multis* de *nobilibus civitatis ad virum* Dei, post salutationis officia, eis sanctus vir cuncta, quæ superius jam dicta sunt, diligenter enarravit, atque in fine narrationis adjecit: Nolite fratres, calicem fractum consolidare, sicut prius fuit; sed ob memoriam tanti miraculi manifestandam, atque victoriam, quam de hoste humani generis victor et triumphator levita Laurentius habuit, prædicandam, idem calix, ut est fractus, semper ita permaneat. Quod audientes cuncti,

A cuncti, qui illuc convenerant, admiratione repleti simul et gaudio, Dominum Jesum Christum, et martyrem suum beatissimum Laurentium consona voce laudaverunt, et vale facientes viro Dei, regressi sunt. Cumque ingressi essent urbem, convenerunt clerum omnem, et populum cunctum totius civitatis, et facto silentio dixerunt:

narratur:

23 Audite, cives carissimi, audite, et cognoscite mirabilia magna, quæ per B. Laurentium martyrem suum Dominus operari dignatus est. Tunc miserunt et attulerunt calicem aureum cum manica separata a calice, et narraverunt, qua occasione fractus esset idem calix, et qualiter B. Laurentius illius defuncti animam liberasset de manibus diaboli et ministrorum ejus, et qualiter unus ex eis, qui ad portandam animam ejus ad infernum festinabat, cuidam servo Dei nuntiaverat, et, eodem servo Dei narrante, ipsi hæc omnia scirent. Cumque audisset universus populus sermones hos, elevatis manibus in cœlum omnes pariter dederunt laudem Deo, qui martyrem suum Laurentium ita triumphare dignatus est. Et sic inde iter facientes cum gaudio magno, cum canore et jubilo cantantes Te Deum laudamus, B et Kyrie eleison, ad ecclesiam ipsius pervenerunt. Ad quam cum pervenissent, tantas Deo, et B. Laurentio laudes et gratias egerunt, ut omnes præ gaudio flerent, oblationes quoque auri et argenti, cereorum et cortinarum seu sindonum copiose offerrent commendantes se orationibus S. Laurentii.

qui calix Romam missus fertur.

24 Post hæc habito concilio eumdem calicem fractum Romam miserunt ad basilicam ipsius, ubi sanctissimum ejus corpus una cum B. Stephano protomartyre requiescit; qui calix, sicut erat fractus, usque ad tempus Adriani IV Papæ in eodem loco permansit; sed abbas prædicti loci zelum Dei habens, sed non secundum scientiam, eumdem calicem fregit, atque addito multo auro, eum ampliorem fecit fieri: qui usque hodie in prænominata martyris basilica ostenditur: de quo nulli dubium est quin cultores et veneratores suos, et viventes in corpore protegat, et exeuntes a corpore de pœna inferni, de potestate diaboli triumphaliter liberet. Veneremur itaque et nos, fratres, martyrem Laurentium, ut ipsius meritis a morte perpetua liberemur, præstante C Domino Jesu Christo: qui vivit etc. *In exemplari nostro Ms., quod Actorum ac miraculorum etc.* S. Laurentii *collectionem continet, cujusque initio notatur desumptum esse* ex Ms., sancti Maximini Treveris, *sub hoc titulo,* Miraculum beati Laurentii de calice, *historia ista etiam narratur hoc exordio:* Temporibus domni Alexandri secundi Papæ, et Henrici imperatoris, fuit quidam Henricus Comes, præpotens et magnus vir, in partibus Saxoniæ, dives valde *etc. Quæ ut chronologice cohæreant, intelligi hic debet Henricus IV imperator, qui tempore Alexandri PP. II rex fuit, et post ejus mortem imperator. Audisti scenicam omnino narrationem; de qua, priusquam exponam, quod sentio, præmittere illa visum.*

§ III. *Historia calicis et stateræ an recte adscripta S. Henrico imperatori; Sanctus in tempestate ac peste sospitator.*

Miraculi hujus memoria

Cum miraculum illud stateræ ac calicis nec soli isti improbo, de quo supra dictum est, a scriptoribus narretur contigisse, nec celebritate sua careat, nec a quibusdam incommodis sit immune, quæ postea proponemus, juverit illud saltem in substantia ac summatim ab aliis indicatum, hoc loco prius recensere. In Divis Bambergensibus a nostro Jacobo Gretsero editis et illustratis cap. 28 Vitæ S. Henrici imperatoris (quæ exstat etiam apud nos loco citato superius in Commentario prævio S. Laurentii *num. 49) res ista* E *sic exponitur:* Sub ipsa etenim hora exitus illius, cuidam servo Dei, in solitudine commoranti, diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir Dei per spiritum protinus agnovit, et ait: Quo vadis? Cui ille: Ad exsequias, inquit, principis pergo. At ille respondit: Vade, inquit, et comple negotium tuum, in quantum tibi a Domino permittitur. Veruntamen consummato officio tuo, adjuratus per Deum vivum, ad me revertere, ut per te rei exitum cognoscam. Post modicum vero reversus, coram servo Dei gemebundus adstitit, et voce querula, et ingenti ululatu dixit: Heu, heu! delusi sumus, in vanum laboravimus: quin etiam ab Angelis Dei confusi discessimus. Assistentibus enim hinc et inde nobis, et spiritibus Angelicis, merita animæ juste in statera appensa sunt, et fasciculis peccatorum deprimentibus, jam pene pars nostra præponderaverat. Tunc subito adustus quidam *(S. Laurentium intellige)* superveniens cum catino aureo, partis dextræ lancem oneravit, mirumque in modum parti nostræ adeo præponderavit, ut et ipso catino ad terram collapso ruina collisionis signum impresserit. Itaque victores Angeli animam nobis ereptam gaudentes in suum consortium abduxerunt.

alibi etiam

26 Hæc vero tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, ut virtute spirituali F completa intelligantur. Res etenim spirituales per corporales exprimuntur imagines: cumque aliud foris agitur, aut dicitur, intus aliud geri significatur. Præmemoratus et sæpe rememorandus Dei famulus calicem aureum in honorem Dei, et commemorationem S. Laurentii martyris ecclesiæ Mersburgensi contulerat, cujus speciali patrocinio coram Deo adjutus, et in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni vero veneratione, et admiratione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix in certa custodia clausus habebatur, nec minus tamen prædictæ collisionis materiale signum excepit. *Hæc ibi. Crantzius in Metropoli lib. 4, cap. 9,* Non habet apud me, *inquit,* fidem fabula, quam Mersburgensis ecclesia prædicat de calice aureo, cui ansa sit detracta, cum in trutina meritorum ac demeritorum ejus *(de S. Henrico imperatore sermo est)* ab Laurentio divo martyre injiceretur calix iste, qui merita faceret demeritis præponderari. Non solent in Sanctos referri, quorum de virtutibus tam ambiguum est judicium nec tam levi momento pendebat sanctissimi regis æterna salus, ut unius pondere calicis trutina illa librans in unam decideret partem.

Ego

AUCTORE J. P.

Ego sanctissimi imperatoris meritis indignam esse duco fabulationem. *Ita ille, ac recte, quatenus ea attingit laudatum Sanctum.*

occurit; alicubi item aliter narratur.

27 *In sua tamen Saxonia lib. 4, cap. 35 idem auctor nullam dictæ historiæ notam inurens, hæc de ea memorat :* Mersburgi servant calicem, quem libræ ferunt injecisse divum Laurentium, cum imperatoris jam mortui trutinarentur bona cum malis. Ansam ferunt tum indignantem humani generis inimicum defregisse, quando nihil suum reperit in moriente. *Cuspinianus rem aliter refert in suo Henrico II, sub finem his verbis usus :* Cujus mors eremitæ cuidam ex strepitu malignorum spirituum innotuit. Ferunt enim imperatorem inter venandum sæpius anachoritam religiosum et sanctum virum adiisse, et de Deo ac virtutibus cum eo disseruisse. Is cum Hierosolymam visurus itineri se accingeret, imperator illi calicem aureum immensæ magnitudinis, duabus ansis insignem, in Jordanem ter immergendum ob honorem individuæ Trinitatis committit, dum redeat; donans item illi, quantum sat erat viatici. B Hic per Constantinopolim rediens, Bulgariam tum eremitis abundantem obambulat, quos singulos rogavit, ut Deum pro pientissimo imperatore, ejusque incolumitate suis precibus rogarent. Dum ita colloquuntur viri religiosi, unus ex iis imperatorem vita functum narrat, visionemque nocturnam pluribus explicat, qua se vidisse calicem divæ Mariæ dicatum, cui ansa una destructa fuit, fatetur. Id quomodo acciderit ex visione demonstrat. Anachorita sarcinam suam reserat, ac calicem fractum reperit; qui etiam hodie, miraculi testimonium, Babenbergæ ostenditur. Ubi domum rediit, imperatorem eo decessisse die, quo in eremo fuit, agnovit. *Deinde rebus, quas de Henrico imperatore narraverat, finem imponens,* Hæc, *inquit*, ex diversis Annalibus excerpsimus. *Utinam Annales illos protulisset!*

Nostra de isto miraculo,

28 *His præmissis, quibus famosus ille calix ac trutina difficultatibus laborent, expendamus. Historia in primis illa, quatenus saluti S. Henrici imperatoris adscribitur, plane fabulosa et inepta nobis est, uti fuit Crantzio supra citato. Et vero* procul dubio, *uti recte observat Gretserus in notis ad caput 28 istius Sancti, quod supra* C *designatum est, pag. 96,* sanctus ille Imperator meritis gravissimus ad tribunal Dei venit. *Si quæras, an alteri acciderit saltem in substantia? Respondemus, nihil nos videre sive ex parte hominis, sive ex parte Dei, sive ex parte Sancti, cur fieri res ista non potuerit. Nihil, inquam, ex parte hominis : cur enim eripi is e vita, ac iterum vitæ reddi non possit? Nihil item ex parte judicii divini : nam potest Deum hominem ad tribunal suum evocare, ac sententiæ adversus eum ferendæ exsecutionem suspendere. Nihil denique ex parte Sancti, quo minus a divina misericordia hoc miraculum impetrare potuerit.*

ac de famoso isto calice sententia.

29 *Jam vero quia illud jam est in stabili, ut ita dicam, possessione, neque in promptu habeo ullum solidum argumentum, quo apertæ falsitatis id convincam; nihil cogit, fabulositatis censuram eidem inurere, si rei gestæ substantiam spectes : sin autem narrationis adjuncta; non pauca sunt, quæ eidem incommodant. 1° Alii aliter illa referunt, secundum dicta. 2° Non conveniunt in tempore. 3° Non placet longa illa narratio Joannis de Stabulis. 4° Circa calicem dissentiunt scriptores : etenim* eumdem calicem, *inquit Joannes,* fractum Romam miserunt ad basilicam ipsius, ubi sanctissimum ejus corpus... D requiescit; qui calix sicut erat fractus, usque ad tempus Adriani IV Papæ *(post medium utique seculum* XII*)* in eodem loco permansit. Sed abbas prædicti loci... eumdem calicem fregit, atque addito multo auro, eum ampliorem fecit fieri : qui usque hodie in prænominata Martyris basilica ostenditur. *In Vita autem S. Henrici imperatoris superius in nostro Commentario prævio num. 49 citata dicitur de eo :* Calicem aureum in honorem Dei, et commemorationem S. Laurentii martyris, ecclesiæ Mersburgensi contulerat : *ubi sermo est de famoso calice nostro. Crantzius supra citatus dicebat, cum servari* Merseburgi. *Cuspinianus denique, uti habes superius num. 27, refert,* calicem divæ Mariæ dicatum *fuisse...* qui etiam hodie... Babenbergæ, *uti addit,* ostenditur. *Ex his itaque sequitur, ut, tametsi famosi calicis Laurentiani historiam, quantum ad ejus substantiam pertinet, negare non audeamus; non paucæ tamen ac leves circa rei adjuncta occurrant difficultates, quæ non bene inter se cohæreant.*

Demetrius Cydonius

30 *Nec vero decet, silentio a nobis præteriri miraculum aliud seu beneficium plane egregium,* E *quod suggerit documentum Græcum, cujus apographum apud nos est, hoc titulo prænotatum :* Τοῦ μακαρίτου κυρίου Δημητρίου τοῦ Κυδώνης λόγος εἰς τὸν ἅγιον Λαυρέντιον. *Id est :* Domini Demetrii Cydonii bonæ memoriæ sermo in sanctum Laurentium. *Sic autem incipit :* Οἱ σώφρονες τῶν ἐραστῶν οὐ τῶν ἐρωμένων περίσχονται μόνον, *etc. Laudatus auctor paulo post initium istius sermonis sanctum Martyrem alloquens, ejus se patrocinio salvum et incolumem evasisse e gravissima maris tempestate, cum grati animi memoria testatur; quando scribit :* Καὶ τοῖς λόγοις ὕλην διδοὺς, καὶ κινῶν ἐπὶ τὸν δυνατὴν ἀμοιβὴν τῷ χάριτος ἄρξαι, ὅτι ἡμῖν ἐπὶ τὴν σὴν πόλιν ἐπειγομένοις, καὶ χειμῶνι χρησαμένοις, πάσης μὲν τέχνης δὲ ἐλπίδος ἰσχυροτέρῳ, αὐτὸς μαρτύρων δόξα μόνον κληθεὶς, αὐτίκα τήν τε τοῦ πελάγους ὕβριν ἐστόρεσας, καὶ ἡμᾶς ἤδη θυομένους τῶν κυμάτων ἐξήρπασας. Τότε γὰρ οὐ δίκαιον ἐδώκει, μὴ κηρῦξαι τὸν εὐεργέτην, καὶ μικρῷ λόγῳ τοὺς τῆς χάριτος ἐνδείξασθαι μέγεθος. Καὶ ἐν ἡμῖν ὑπόσχεσις ἐν αὐτοῖς τοῖς δεινοῖς, εἰ περιγενοίμεθα, λόγῳ τῷ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυρι τὸν εὐεργεσίαν ἀφοσιώσασθαι.

ope S. Laurentii in gravissima tempestate sospitatur.

F 31 *Quæ sic reddimus Latine :* Et verbis materiem subministrasti, ac movisti nos ad efficacem memoris animi vicissitudinem, ut grates ordiremur persolvere, quia nobis ad urbem tuam properantibus, ac tempestate, quæ nullum arti, nullum spei locum relinquebat, jactatis, tu ipse, O Martyrum gloria, invocatus duntaxat, injuriosum statim stravisti pelagus, nosque jam subsidentes e fluctibus eripuisti. Tunc quippe æquum non videbatur, de sospitatoris laudibus tacere, et sermone parvo magnitudinem gratiæ non ostendere; ipsisque in periculis voto nos obstrinximus, siquidem superesse nos accideret, sancti Martyris Christi beneficentiam debitis præconiis celebrare. *Quo ex loco prædictum documentum ad nos pervenerit, dicere non habemus; cum præter morem illud non notetur in nostro apographo. Circa Demetrium vero ejusdem sermonis auctorem observamus sequentia. Elogium ejus ac scripta invenies apud nostrum Antonium Possevinum in Apparatu sacro, ac Leonem Allatium de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione lib. 2, cap. 18, § 5; quibus adde auctorem Appendicis ad Historiæ litterariæ Guilielmi Cavei heterodoxi partem primam editionis Genevensis anni 1694, pag. 32; in qua Appendice laudatus Demetrius dicitur claruisse anno 1357. At nullam apud istos biblio-*

graphos

A *graphos de sermone, cujus fragmentum modo prolatum est, invenimus mentionem, præterquam in Appendice ad dictæ Historiæ litterariæ partem alteram pag. 283; ubi haberi dicitur* in bibl. Bodl. cod. Baroc. 90.

Alia quædam mira.

32 *Corollarii loco addi velim in quod refertur in Relationibus seu novis publicis Bruxellensibus anni 1657; in quibus scribi Neapoli die* XXX *Januarii ejusdem anni dicitur, provinciam Lupiensem (vulgo Lecce) ad illud usque tempus per intercessionem* S. Laurentii, *qui ejusdem est patronus, a peste immunem exstitisse, quanquam ab ista lue undequaque fuerit circumdata. Alia quædam mira de* S. Laurentio *memorant schedæ nostræ Mss., quas ante me habeo; sed pluribus referendis supersedeo. Mirabile autem, quod accidit Romæ occasione sacri pignoris* S. Laurentii, *quod inde erat transmittendum in Hispaniam rogatu Philippi II pro sanctuario monasterii Scorialensis, dabitur paragrapho proximo, ubi de isto monasterio, ejusque æde sacra agetur.*

B

§. IV. *Ædes sacræ in Italia; monasterium ac templum Scorialense in Hispania; miraculum quod a nonnullis refertur ea occasione.*

Ædes sacræ Romanæ, memorabile sacellum Florentiæ.

P*ræter illa, quæ in nostro Commentario Actis* S. Laurentii *prævio præmisimus de locis sacris sub ipsius nomine nuncupatis, nec non prodigiorum gloria notabilitatis, supersunt alia quædam, quibus gloria ejus posthuma egregie commendatur. Taciti ea præterimus, quæ recensentur apud Piazzam in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis ad diem* X *Augusti, plenariis indulgentiis ditata; neque inquirere est animus plura loca sacra, quæ alibi terrarum in ejus honorem exstructa sint; quando nos vocat Florentia, magnificentissimo ac ad immortalem Laurentiani nominis splendorem posteritati commendandum accommodatissimo monumento illustris. Maximilianus Misson in Novo itinerario suo italico, anno 1688* C *peracto, et Hagæ Comitis anno 1691 typis edito, parte 2 pag. 156 meminit ecclesiæ* S. Laurentii, *quæ Florentiæ magna admodum ac dives est; deinde de famoso ibidem sacello dici posse credit salva veritate, quod illud, tam longo et non interrupto labore continuatum, omnium venustissimum totius orbis futurum sit. Ad hæc, monumentum hoc non ausus describere, quamdam ejusdem subnecti ideam; ubi de magificentissimi operis arte, lapidibus pretiosissimis, aliisque ornamentis illud splendide condecorantibus sermo est, aliaque in posterum hunc condecoratura locum designantur.*

Omnibus quam longissime supereminet

34 *Verumenimvero immortalis gloria sancti Archidiaconi nostri posthuma præ omnibus aliis sub venerabili ejus nomine erectis fabricis est ac dici merito debet augustissimum illud ac vere regium monasterium ac templum Scorialense* S. Laurentii *in Hispania, unicum cum ibidem loci, tum alibi terrarum inter religiosa monasteria prodigium; cui par si diu quæsieris, ubinam gentium illud invenies? in quo utique munificentia fundatoris Philippi II Hispaniarum regis, materiæ pretium, operis elegantia, artificum industria quasi certare inter se de palma videantur. Celeberrimi porro hujus monumenti majestatem mirari nobis licuit ac suspicere anno 1722, per mensem fere integrum in eodem moratis. Brevem ejusdem descriptionem Hispanice vulgavit R. P. Franciscus de los Santos, ad quam lectorem mitto, plura, quam continuo dicemus, de eodem distincte ac graphice discere cupientem. Breve interim de illo elogium habet noster P. Petrus Ribadeneira in Flore Sanctorum, quod rebus* S. Laurentii *ibidem ac diem* X *Augusti inseruit, quoque ex Hispanico redditum sic sonat :* Postremo Catholicus Hispaniarum rex D. Philippus, hujus nominis secundus, templum condidit S. Laurentii in Scoriali, magnitudine sua ac pietate dignum : in quo datur tam multa videre, ut nesciat homo, quidnam admiretur magis, an magnam religionem, qua tot Ordinis gloriosi S. Hieronymi Patres vivunt; an sumptuosam magnificentiam ædificii, in quo vivunt; an numerum reliquiarum Sanctorum, quæ in isto templo honorantur; an divitias inæstimabiles, quibus honorantur; an libros exquisitos, quos magnus ille rex conjungi jussit in istius sanctæ domus bibliotheca; an collegium ac seminarium, quæ in eadem fundavit; rebus aliis, quæ in illa exstant, adeo raris ac mirabilibus silentio præteritis. E

Auctore J. P.

magnificentissimum ac sumptuosissimum

35 *Jam vero ut ex ungue leonem, quod vulgo dicitur, sive ut ex sumptibus pecuniariis, quibus hoc opus cum suis appendicibus constitit, operis ejusdem majestatem æstimes; expensa in illud facta non ad centena duntaxat ducatorum millia sæpe etiam multiplicata ascendunt; verum etiam ad ducatorum milliones; de qua re Franciscus de los Santos idem qui supra lib. 1, discursu 17 fol. 102 verso testatur e rationibus ac libris administrorum istius fabricæ, nec non e schedulis et apochis etc., expensas omnes, quæ per annos triginta octo, ab operis exordio usque ad obitum Philippi II numeratos, contigere, ascendere usque ad quinque milliones, ac ducenta sexaginta millia ducatorum, additis quingentis septuaginta ducatis : qua summa, uti addit auctor idem, non solum quanta ibidem spectatur fabrica surrexit; sed etiam pictura omnis, omnis manualis labor Phrygiorum operum (ita explico Hispanicum* todo lo que toca à las manos de los bordadores) *omnesque illarum rerum, quæ et ad monasterium tanquam ejusdem additamenta seu appendices pertinent, et quas dictus scriptor nominat, sumptus comprehenduntur; quibus si addas argentum, aurum, aliaque ornamenta, quæ ibi referuntur, nec non libros omnium bibliothecarum studio inservientium, etiam vel sic non excrescere sumptus ad milliones sex ac ducenta insuper ducatorum millia asserit. Aliquorum etiam opinionem refert, qui expensas ad viginti duos, imo etiam ad viginti quinque milliones extendunt, quæ ibidem factæ sint spatio annorum octo supra triginta; sed illam non admittit, pro certo habens, quod post fabricatum quoque Pantheon, quod dicitur, et quo ædificium ad suæ perfectionis apicem a Philippo IV, Hispaniarum rege, perductum fuit, una cum aliis operibus ac ornamentis, quæ superaddita fuere, summa expensarum non excrescat ad partem tertiam millionum quinque supra viginti.* F

Scorialense S. Laurentii monasterium

36 *Porro quidnam rei sit regale sacellum, nomine Pantheon, disces ex hac ejusdem inscriptione, quam habes apud dictum auctorem lib. 2, fol. 122 verso :*

D. O. M.

LOCUS SACER MORTALITATIS EXUVIIS

CATHOLICORUM REGUM.

ARES-

AUCTORE J. P.

A RESTAURATORE VITÆ, CUJUS ARÆ MAXIMÆ
AUSTRIACA ADHUC PIETATE SUBJACENT
OPTATAM DIEM EXPECTANTIUM.
QUAM POSTHUMAM SEDEM SIBI ET SUIS
CAROLUS CÆSARUM MAX. IN VOTIS HABUIT,
PHILIPPUS II. REGUM PRUDENTISS. ELEGIT,
PHILIPPUS III. VERE PIUS INCHOAVIT,
PHILIPPUS IV
CLEMENTIA, CONSTANTIA, RELIGIONE MAGNUS
AUXIT, ORNAVIT, ABSOLVIT
ANNO DOM. M. DC. LIV.

ac templum, ob victoriam Sanquintinianam a Philippo II constructa.

37 *Verum præ omnibus aliis excellentissimis sæpe laudati monasterii structuris, ad propositum nostrum maxime conducit augustissimum ejusdem templum; de quo consuli potest auctor supra laudatus lib. 1 fol. 15 et sequentibus. Accipe ex eo hanc inscriptionem, quæ ad immortalem* S. Laurentii *gloriam, nec non ad regis fundatoris eximiam venerationem erga eumdem sanctum Martyrem plane est singularis :*

D. LAURENT MART.
PHILIPP. II OMN. HISP. REGN.
B UTRIUSQUE SICIL. HIERU. ETC. REX
HUJUS TEMPLI PRIMUM DEDICAVIT
LAPIDEM D. BERNARDI SACRO DIE
ANN. MDLXIII. RES DIVINA
FIERI IN EA COEPTA PRIDIE FESTUM
D. LAURENTII ANNO M. D. LXXXVI.

Fabrica autem ista ecclesiæ simul cum omni suo ornatu ac apparatu etc. constitit uno millione, et ducentis ac quadraginta ducatorum millibus, prout invenies libro citato fol. 103. At de his plus quam satis. Causa vero quæ religiosissimum istum monarcham movit ad opus tam insigne, fuit pietas erga S. Laurentium; *occasio autem famosissima illa victoria, quam ad Fanum S. Quintini in Veromanduensi agro Picardiæ, ipso die* S. Laurentii, *de Gallis* ignominiosa ac perniciosa, *ut cum Spondano loquar, pugna cæsis reportavit anno 1557.*

Miraculum insigne

38 *Tot vero ac tantis monasterii Scorialensis mirabilibus superaddendum nunc venit aliud mirabile; quod ita se habet. Sicut laudatus monarcha studiosissimum se præbuit indagatorem, et solertissimum, ut ita dicam, veneratorem sacrarum reliquiarum, ut iis e variis orbis partibus per* C *suos diligentissime conquiri jussis monasterium suum locupletaret (cujus rei insigne specimen protulimus superius in Commentario nostro prævio § 7) ita etiam Romæ petiit a summo Pontifici pignus aliquod sacrum seu partem* S. Laurentii *in Scorialensi cœnobio asservandam : qua occasione miraculum sequens Romæ contigisse scribit Franciscus de Aynsa in Opere, quod de rebus Oscensibus Hispanice in lucem dedit, lib. 2 cap. 3 pag. 131. Rem gestam inde refero in hanc sententiam :* Sua Sanctitas petitioni tam justæ obsecundans, fractionis ac donationis negotium duobus Cardinalibus commisit, dato eis frusto papyraceo, ut ejusdem magnitudinem sectio sacri lipsani æquaret. Confici jusserant e chalybe parvam quamdam limam adinstar serræ, ut majore cum reverentia sacrum pignus abscinderint. Aperto sepulcro, viderunt os quoddam, ad cujus extremitatem recte quadrabat papyrus : dumque incidere cœpissent, nunquam potuit lima illi morsum inferre, aut signum indere.

in osse Sancti, eo Roma a Pontifice mittendo.

39 Rem mirati tentarunt incidere magis sursum, ita ut notabiliter majus fieret sacrum lipsanum : et vix lima erat admota ad os sacrum, quando repente illud diffissum reperere. Visum miraculum publico actu testificati sunt notarii. Cardi- D nales vero ubi accessissent ad Pontificem, ac rei eventum ipsi narrassent, Sanctus, *aiebat*, Laurentius vult redire in Hispaniam. Ac tum ad regem misit os sacrum, miraculum authentice munitum, ac limam : quæ omnia in manibus suis habuit sanctus ille episcopus Turiasonensis D. Jacobus de Yepes, qui tum temporis suæ Majestati erat a sacris confessionnibus : idemque episcopus omnia quæ dicta sunt retulit doctori Gaspari Ram, cathedratico emerito de prima, ut vocant, theologiæ in hac insigni Universitate Oscensi, qui dein confessarius D. Petri Toletani, gubernatoris Ducatus Mediolanensis, ac vicarius generalis fuit exercitus ejus... Illud miraculi instrumentum erit in archivo S. Laurentii regalis, quantum credi potest.

accidisse narratur.

40 *Franciscus de los Santos lib. 4 discursu 8 tractat de* S. Laurentii *lipsano, (quod e medietate ossis coxæ, uti addit, constat) nec non de prodigioso circa illud eventu, quando Gregorius PP. XIII aliquam istius ossis partem volebat mittere ad dictum Sancti cœnobium Scorialense; ut verbo dicam, miraculum est in substantia idem, quod jam ex Aynsa retulimus : in substantia,* E *inquam, idem est, quidquid sit de nonnullis accidentibus, ut vocant, quæ lectori curioso ex utriusque textus collatione notanda relinquo. At Franciscus de los Santos post narrationem facti hæc subdit :* Ita illud referunt testimonium ac litteræ Sanctitatis suæ. *Si addidisset auctor, testimonium illud ac litteras se vidisse, vel saltem in archivo Scorialensi asservari, majorem præfato miraculo, quod ad gloriam Sancti egregie conducit, conciliasset auctoritatem, mihique, quod unice desidero, arma subministrasset ad propugnandam adversus criticos sciolos et obtrectatores, qui forte non deerunt, hujusce rei prodigiosæ veritatem. Certe in instrumento Gregorii PP. XIII de reliquiis* S. Laurentii *ad Philippum II, missis, quod invenies in nostro Commentario prævio § 7, et in quo inter alias dicitur ad eum mitti* de costa *(puta scribendum* coxa : *nam Hispanico Franscisci de los Santos est* anca ejusdem Sancti) *nihil habetur de supra dicto miraculo, item de aperto Martyris sepulcro, quod narrabat Aynsa, nihil; dicente Pontifice :* Quæ omnes reliquiæ in diversis ecclesiis, et locis hic *(Romæ videlicet)* adservabantur.

§ V. *Historia corporum S. Laurentii ac S. Stephani protomartyris, uti fertur, in eodem sepulcro Romæ conjunctorum. Ecclesiæ in agro Verano ornatus.*

Historia

In *manibus meis est exemplar Ms. hoc titulo prænotatum :* De translatione vel inventione SS. Stephani et Laurentii ex Lection. Bibl. Medic. Florent. plut. 20. *Sic vero habet :* Conjunctio corporum SS. martyrum Stephani et Laurentii facta est Romæ sub Theodosio juniore : nam cum Eudoxia filia Theodosi imperatoris et uxor Valentiniani apud Urbem cum viro degens a dæmonio vexaretur, et Valentinianus illud patri Constantinopoli existenti significasset; jubet filiam Constantinopolim adduci, ut a reliquiis protomartyris Stephani tangeretur : corpus enim S. Stephani dudum

A dudum Constantinopolim ex Hierosolymis translatum fuerat, ut dicetur infra in inventione ejus III Non. Augusti. Dæmon autem in Eudoxia clamabat, quia inde nunquam exiret, nisi Stephanus Romam veniret, quia sic erat voluntas Apostolorum. Quod imperator audiens, a clero et populo Constantinopolitano obtinuit, ut corpus Stephani Romanis daretur, et corpus Laurentii Græcis traderetur.

narratur

42 Hæc autem imperator Pelagio Papæ scripsit, qui de consensu Romanorum petitioni Imperatoris consensit. Missi igitur Constantinopolim Cardinales corpus S. Stephani Romam deferunt, et Græci pro accipiendo corpore S. Laurentii cum eis Romam perveniunt. Capuæ autem corpus S. Stephani recipitur, et a civibus illius dextrum brachium summis precibus obtinetur, et metropolitana ecclesia ejus nomini fabricatur. Cum autem Romam venissent, et corpus ad ecclesiam S. Petri ad Vincula deferre disposuissent; vectores subsistunt, nec ultra procedere possunt. Dæmon autem in regina clamabat, eos frustra fatigari, eo quod non ibi, sed in ecclesia fratris sui Lau- B rentii, et juxta eum elegerat collocari.

e nostro apographo:

43 Illuc ergo corpus defertur : ad cujus tactum puella mox a dæmonio liberatur : cumque sepulcrum adeo arctum esset, quod utraque corpora capere non potuisset, Laurentius adventui fratris sui quasi congratulans in alteram partem sepulcri versus super latus secessit, et medietatem Stephano vacuans dereliquit : sicque Stephanum similiter super latus versa facie ad consocium collocarunt. Græci vero dum manus apponunt, ut Laurentium auferant, ad terram velut exanimes corruerunt : sed orantibus pro eis Papa, ejus clero et populo, vix ad se ad vesperam redierunt. Omnes tamen infra decem dies mortui sunt : Latini vero qui eis consenserant, in phrenesim versi sanari non poterant, quoadusque similiter amborum corpora, ut dictum est, insimul translata sunt. Hæc autem conjunctio facta est Nonis Maii. *Factum enimvero mirabile! Prodigium ad posthumam* S. Laurentii *gloriam omnino illustre! sed vereor, ut rei gestæ veritas, perinde ac cuperem, satis a me defendi possit : cujus uti summa votorum est, nihil demere de veris Sancti laudibus;* C *ita falsis eum adornare phaleris, quibus ille, aliunde affatim abundans veris, nec comi vult nec debet, religio est. Rem itaque ad justam veritatis trutinam expendamus.*

sed tot difficultatibus

44 *Eminentissimus Cardinalis Baronius, qui neutiquam suspectus haberi potest, quasi vero vel Romanæ urbis vel* S. Laurentii *splendori quidquam ademptum velit, in Martyrologio Romano ad diem* VII *Maii hæc memorat :* Romæ, translatio corporis S. Stephani protomartyris, quod Pelagio Summo Pontifice e Constantinopoli ad Urbem allatum, atque in sepulcro S. Laurentii in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur. *Ubi vides, nihil dici de superiore miraculo, ideo verosimiliter, quia quod de illo diceret ex vero, comperti nihil satis habuit. Etenim ad dictam annuntiationem hæc observat in suis notationibus :* Habentur rei gestæ vetera monumenta scriptis mandata a Lucio archidiacono; sed quæ non modica castigatione indigeant. Legimus ea in cod. manuscrip. monasterii S. Cæciliæ Transtiberim. Petrus diac. Cassin. in lib. de Vir. illust. monast. Cassin. cap. 35 testatur, sanctum Brunonem episcopum Signinum de ea translatione scripsisse sermonem; idemque cap. 45 addit, alium insuper sermonem conscriptum esse a Petro, ejusdem monasterii bibliothecario, de eadem translatione Constantinopoli facta Romam. *Apud nos tom. II Maii in Prætermissis ad diem* VI *ejusdem mensis pag. 98 notantur ista :* S. Stephani protomartyris translatio corporis Romæ, tempore Pelagii Papæ primi; et Theodosii principis, quod sepultum est in ecclesia S. Laurentii extra muros, et in ejus sepulcro. Ita Ms. Strozzianum, et Martyrologium Florentinum anni MCDLXXXVI. *Habes hic casum nostrum; at de miraculo, quo de agimus, nihil.*

AUCTORE J. P.

laborat,

45 *Et vero adeo multis in sua historica relatione ineptit auctor quisquis ille fuerit, ut nullum fidei pondus sibi reliquum faciat vel in ipsa rei adeo miræ ac prodigiosæ substantia, sicut jam demonstrabimus. Rem contigisse memorat tempore Theodosii junioris, Eudoxiæ, ac Valentiniani, qui pertinent ad seculum* IV, *ita quidem ut Theodosius ille obierit anno ejusdem seculi quinquagesimo; Valentinianus III, cui Eudoxia uxor data, vitam clauserit anno 455. Pelagius autem PP. hujus nominis primus ad Petri Cathedram evectus est anno demum 555, quem tamen imperitus ille scriptor in narratione sua cum istis* E *personis connectit. Numquid ergo belle compta est Eudoxia dæmoniaca? At relictis hisce nugis alias auctoris ineptias detegamus,* Corpus, *ait,* S. Stephani dudum Constantinopolim ex Hierosolymis translatum fuerat. *Itane vero? Baronius ad annum Christi 439;* Eudocia, *sicut refert ex Marcellini Chronico,* uxor Theodosii principis ab Hierosolymis in urbem regiam *(id est Constantinopolim)* remeavit, beatissimi Stephani primi martyris reliquias secum deferens, quas in basilica S. Laurentii positas fideles venerantur. *Deinde ex Cedreno de earumdem S. Stephani reliquiarum translatione agens,* Theodosium... multum pecuniæ misisse ad archiepiscopum Hierosolymitanum egenis distribuendæ, *memorat* et archiepiscopum vicissim ei dono misisse reliquias dexteræ manus Stephani primi martyris *etc.*

quæ hic recensentur.

46 *Sed inde quomodo extundes, non membrum duntaxat quoddam istius Protomartyris, sed corpus ejus Hierosolymis Constantinopolim translatum tunc fuisse?* Sane quidem, *uti subdit Baronius,* complura de his *reliquiis* haud fide digna ab aliis scripta reperiuntur, nimirum non F de membri alicujus S. Stephani, sed totius corporis facta Constantinopolim translatione a Juliana nobili vidua clam illud subripiente. Sed quoniam sub Magno Constantino et Eusebio Constantinopolitano episcopo id contigisse auctor habet, haud fidem ea historia sibi conciliat, sicut nec quæ habet Nicetas in Historia de eadem translatione, facta (ut ait) sub eodem Constantino imperatore... Verum ante Honorii tempora nunquam reliquiæ corporis Protomartyris visæ sunt. Rejectis igitur fabulis, quæ hoc anno facta est per Eudociam Stephani Protomartyris reliquiarum translatio, eam ut germanam omni fide testatam recipimus. *Consuli etiam possunt quæ notavit Pagius in Critica Baroniana ad annum 415 num. 2. Verum hæc a successoribus nostris loco suo examinari poterunt ad diem* XXVI *Decembris, quo de isto Sancto agendum erit; et de translationibus ejusdem dicendum, prout monuimus in Prætermissis ad diem* III *Augusti. Cæterum priusquam fabulosæ huic anonymi historiæ finem imponamus, observari cupimus, S. Protomartyrem bis ab eo fratrem S. Laurentii nuncupari. Nam si fratrem vocet propter nonnullas proprietates utrique Sancto communes, voce utitur prorsus impropria et aliena.*

AUCTORE J. P.

aliena. Sin simpliciter, prout expressio ejus sonat, fratrem fuisse vult; quanam id velle potuit veritatis specie, imo vero quam crassa potius et plane absque hallucinatione? De commento autem illo apocrypho quid dicam, dum auctor ornat suam scenam Eudoxia a diabolo obsessa? Factum hoc non reperi hactenus ab antiquis et ad faciendam fidem accommodatis scriptoribus traditum; cui proin locum do inter commenta male fundata et apocrypha, donec certiora de eo edocear, præsertim cum tota superior historia tot titulis aliunde sit suspecta. Nec melioris furfuris mihi sunt ea, quæ de pœna ac morte Græcorum nec non phrenesi Latinorum in fine ejusdem subnectuntur, dignum utique, ut ita loquar, patella operculum.

ut tanquam fabulosa et apocrypha

47 *Ecce autem, dum reculis hisce castigandis occupor, incido in Catalogum Sanctorum Petri de Natalibus lib. 4 cap. 139, ubi eamdem historiam refert, addens tamen in ejusdem fine,* ut dicit frater Bartholomæus. *Qua occasione cupido me incessit inquirendi, ecquis esset iste frater Bartholomæus. Consulenti itaque mihi prologum, qui isti Sanctorum Catalogo præfigitur. occurrit ibidem inter alios Legendarum Sanctorum scriptores, qui nominantur,* frater Bartholomæus in
B Chronicis suis. *Quisnam autem is fuerit, perspicue intellexi e R. P. Jacobo Echardo in opere, cui titulus* Scriptores Ordinis prædicatorum recensiti, *tom. I, pag. 110, ubi de F. Bartholomæo Tridentino tractatur, apposita nota anni 1240, ac deinde præcipuum inter ejus opera nominatur* Epilogus vitæ Sanctorum. *Et additur :* Exstat codex Ms. Romæ in *(bibliotheca)* Barberina, aut saltem ejus fragmentum... Exemplum hujus operis integrum habuit Petrus de Natalibus, quo et se usum passim fatetur in Vitis Sanctorum, et in fine Vitæ S. Ingenuini Febr. v sic addit *(lib. 3 cap. 85)* Hæc F. Bartholomæus, indicans totam ab eo exceptam. *Unde autem Bartholomæus Tridentinus historiam translationis S. Stephani, quam hic examinamus, desumpserit, non est mihi promptum dicere : suspicor tamen eam, utcunque de primo ejusdem Latino scriptore res sese habeat, ad Græculas figlinas, hujusmodi sordium alioquin tam feraces, referendam esse, e quibus dein ad Latinos transierit. Interim de Bartholomæo Tridentino meminimus tom. I Augusti die* IV *in Com-*
C *mentario prævio S. Dominici § 1 pag. 359; ubi etiam indicavimus, opus illud Bartholomæi, de quo modo actum est, in nostri Henschenii ecgrapho nominari* librum epilogorum in gesta Sanctorum.

a nobis

48 *Cæterum prodigiosa illa simul ac fabulosa* SS. Laurentii *ac Stephani conjunctio narratur etiam in Legenda aurea Jacobi Januensis, Ordinis Prædicatorum, Parisiis vulgata anno 1475; item in* Legenda, *quæ inscribitur* Opus aureum, quod... non mediocri diligentia fratris Claudii de Rota, sacræ theologiæ professoris, Ordinis Prædicatorum... auctius redditum, *et anno 1531 excusum; et prætensæ istorum Martyrum conjunctioni subjungitur sequens epiphonema :* O felix Roma quæ corpus Laurentii Hispani et Stephani Hierosolymitani, tam gloriosa pignora, uno claudis mausoleo! *Deinde vero dicitur :* Facta est autem ista conjunctio IX Kalen. Maii circa annos Domini CDXXV. *Franciscus de Aynsa in opere, cui titulum indidit* Fundatio, excellentiæ *etc.* civitatis Oscensis, *lib. 2 cap. 3 intendit probare e translatione corporis S. Stephani, de qua supra diximus,* S. Laurentium *fuisse Hispanum, et ibidem illam narrat pag. 129 et sequente. At nos* *meliore fundamento, quam hujusmodi reculis* D
omnino vacillantibus ac caducis, Sanctum istum Hispanis dare conati sumus superius in Commentario § 10. Denique, ne lectoris patientia abutamur, nolumus commemorare quænam Doctor Dormerus in suo S. Laurentio *defenso in civitate Oscensi lib. 2 cap. 3 objiciat Doctori Joanni Baptistæ Ballestero, postquam ex hoc translationem illam retulisset; tametsi eventum hunc prodigiosum ibidem pag. 146 admittat, traditionis laudem, uti putat, promeritum; pro qua re affert fratrem Thomam Trugillum, Alfonsum Villegam, Petrum de Natalibus, Gaubertum Fabritium, Hieronymum Higueram, Stephanum Aguillarium, Hermannum Crombachium etc.*

49 *Sed tantilla seu potius nulla auctoritate nixa traditio, nomen duntaxat meretur traditionis mere popularis ac adespotæ; quandoquidem hujusmodi auctores, etiamsi plures hisce tales superaddideris, in re tam antiqua numerum solummodo facere possunt, non fidem. Nec vero piget observasse, Ballesterum jure corrigi a Dormero pag. 154 et sequentibus, quod* S. Laurentium *vocet consanguineum (Hispanice* primo*) S. Ste-* E
phani; ubi tamen hunc Protomartyrem illius fratrem dici posse contendit recurrendo ad significationes vocis frater *nimis improprias ac longe quæsitas, quam ut alter alterius frater simpliciter vocari possit; qualis vocatur in superiore ecgrapho translationis, nec non in Legendis paulo ante assignatis. Frater itaque Thomas Trugillus, quem modo nominabam; Thesauri concionatorum parte 2 in Vita S. Stephani Protomartyris col. 2354 de hoc prodigio corporis* S. Laurentii *agens, et hæc scribens de traditione ista supra dicta, non meretur audiri.* Porro, *ait,* ex traditione habetur, quod quo tempore apertum fuit sepulcrum B. Laurentii, concessit de loco in quo manebat B. Laurentius, ut concederet dexteram partem ipsi Stephano; ex quo appellatus fuit deinceps Hispanus civilis et urbanus.

rejicitur.

Templi in agro Verano, ubi SS. Laurentius ac Stephanus, ornamenta

50 *At nugis istis valere jussis, re magis seria finem imponamus præsenti argumento. Ciampinus in sua Synopsi historica de sacris ædificiis a Constantino magno constructis, cap. 6 tractans de ecclesia* S. Laurentii *in agro Verano extra mœnia Urbis, pag. 115.* Sub arcu triumphali, *inquit,* F
capella, sive ut olim denominabatur B. Laurentii confessio sita est, ubi ejusdem, una cum illo B. Stephani, corpus marmorea arca ferreis virgis circumdata inclusum jacet. Octo ad eum gradus descensum præstant; duodecim columnæ elevant fornicem, quarum quatuor anteriores ex marmore viridi, reliquæ ex Pario sunt, indicantque non eas esse, quas inibi laudatus Xystus Pontifex *(hujus nominis III, de quo supra noster Commentarius num. 8)* apposuit, cum illæ porphyreticæ fuerint. *Plura cap. 6 citato legere datur de dicta ecclesia, nec non oculis intueri in tabula 26 : quæ etiam possunt conferri cum iis quæ in eodem Commentario a nobis præmissa sunt. Laudatus auctor Veterum Monumentorum parte 2 cap. 13 scribit de opere musivo istius ecclesiæ, quod etiam in tabella 28 repræsentat, ac constructum fuisse refert a Pelagio PP. II anno 578; de quo Pontifice mentio a nobis facta loco mox indicato num. 9.*

§ VI.

A

§ VI. *Alia quædam mira de S. Laurentio memorantur.*

Henrico tertio imperatori visio terrifica exhibetur,

P*ræ manibus habeo ecgraphum, hoc titulo notatum :* S. Laurentii miracula; *quod* ex Petri Calo p. 2 f. 39 post Vitam *fuisse depromptum, adscripsit noster Papebrochius. Hæc autem narrat :* Henricus tertius imperator, ut ait Helinandus, tempore Conradi patris sui, a quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludentes aquam jaculantur, pactus ei episcopatum dare, cum foret imperator. Adeptus imperium impiger pollicitum dedit. Non multo post aspero morbo correptus decubuit : quo morbo crescente, in triduo exensis * et mutus jacuit. Episcopi præsentes triduano indicto jejunio pro vita ejus Domino supplicabant. Convalescens accitum episcopum, quem pro fistula fecerat, sententia concilii deposuit, confessus, se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse flammam in se per fistulam jaculantes, flammam dico adeo pertinacem, ut noster ignis respectu illius jocus putetur. Interim vero juvenem semiustulatum adventasse ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis aqua plenum, cujus visione et laticis aspergine exstinctos ardores evaserat. Hic erat B. Laurentius martyr gloriosus, cujus ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginari fecerat, et præter alia munera calice aureo eamdem ecclesiam honoraverat.

* *l.* exsensus. *i. e.* sensibus destitutus.

B

sospitante eum S. Laurentio.

52 *Historia illa contigerit oportet non post annum 1039 quo Conradus II imperator diem clausit extremum, post quem eodem anno in imperio successit Henricus III cognomento Niger, ejusdem filius non gener, ut nonnullis fabulose placuit.* Helinandus, *in cujus fide superiora referuntur,* Gallus, monachus Frigidi montis congreg. Cluniacensis, anno circiter MCC scripsit historiarum a creatione mundi libros 48; de reparatione lapsi lib. I; sermones plures; epistolarum ad diversos lib. I, *teste nostro Possevino in Apparatu sacro ; ante quem de laudato scriptore pluribus egerat S. Antoninus 3 parte Historiarum, titulo 18, capitulo 5 quod inscribitur* De Helinando historiographo. *De voce* exensis *fit mentio in glossarii Cangiani editione novissima tom. III Per Fratrem Bartholomæum, qui proxime hic signabitur, intelligo Bartholomæum Tridentinum Ordinis FF. Prædicatorum : de quo egi paragrapho præcedente. De F. Petro Calo, qui etiam fuit ex Ordine FF. Prædicatorum, consuli potest Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis tom. I pag. 511.*

C

Quid fecerit circa ecclesiam Tridentinam, siccitatem aeris, et perditum sacrum lipsanum.

53 *Nunc en tibi alia, quæ e dicto ecgrapho huc transcribo :* Frater Bartholomæus scribit, quod Tridenti est ecclesia Martyris hujus nomini dedicata, et ab antiquis sanctimonialibus ad habitandum tradita : quæ tandiu a Martyre fuit retento, quandiu vivere eis placuit in sanctitate. Idem postea a monachis vidimus adimpletum. Superest, ut qui nunc locum incolunt, caveant ne Martyr irascatur.

Siccitas aeris dire populum premebat : clerus populusque Tridentinus Sanctorum undique limina visitabat. Quinta igitur die Augusti dum S. Dominici prædicatoris solemnia, cujus altare in prædicta est ecclesia, agerentur, et nimia esset serenitas aeris, pontifex advenit cum clero et populo suffragia petiturus. Et ecce, dum chorus Missam inchoat, nubes tonant, et per totam Missam pluvia salutaris descendit. Substitit post hæc, donec qui advenerant, ad propria redierunt, et iterum die tota terram irrigavit, statimque subtrahitur. Quinto post hæc die, dum festum instat Martyris, processio solemnis reducitur, et optatam pluviam Dominus populo abundanter largitur.

AUCTORE J. P.

Anno etiam Domini MCCXX in festo dedicationis prædictæ ecclesiæ, ego a curiis prope et Cæsaris rediens et multorum Sanctorum reliquias huic ecclesiæ deferens, detuli et crystallum [cum] parva cruce ex auro et argento insignita. Hæc dum reverenter in processione portaretur, crux ignoranter labitur a crystallo, et cum nimia esset multitudo et populi pressura, a parvulo et ignoto puerulo tristibus fratribus ante Evangelium coram altari præsentatur; cum grave esset viris fortissimis pressuram transire.

Mira de carbonibus in Hispania

54 *Sed mirabile omnino est, quod lego in epistola nostri patris Alexandri Wilthemii, die* VII *Augusti 1677 vel 1679 ad Papebrochium Luxemburgo data, e qua extraho sequentia :* Dixi excellentissimæ dominæ Principi nostræ, Reverentiam vestram non novisse S. Faustum, de quo quæsivi *etc.* Sed narravit mihi hodie rem mirabilem. Ait in Hispania si quis die S. Laurentii quocunque demum loco vel leviter fodiat, statim offendere carbonem : et asserit, se cum Imperatrice defuncta idem expertam. Habetne Rª Vª aliquid simile inter miracula S. Laurentii? *Deinde ex eodem loco, die* XXI *ejusdem mensis et anni ad eumdem Papebrochium scribens, ista sic confirmat :* Eccellentissima domina gubernatrix nostra scripsit in Hispaniam pro Vita S. Fausti. Dixi ei, Reverentiam vestram deposuisse ad x Augusti litteras meas de carbonibus S. Laurentii. Fuit ei gratum, et affirmavit idem paulo ante quam confiteretur, et communicavit. Ait se bis uno die cum imperatrice fodisse, semel in horto pensili (*Hispanice* en un balcon) iterum in alio horto, et bis repertos carbones. Id autem fit a primis Vesperis festi usque ad secundas. Advocavit unam ex suis dominabus, quæ affirmavit sancte, idem sibi contigisse.

E

referuntur;

55 *Factum illud singulare ac mirabile illustribus illis personis ac fide dignis contigisse, referente Wilthemio, sicut ego inficiari non audeo, sic dissimulare nequeo, quin significem, mirari me vehementer, si illud quovis loco in Hispania si a primis festi Vesperis usque ad secundas, si cuilibet denique vel leviter fodienti illud prodigium eveniat, nihil hujusmodi hactenus ad meam in rebus sancti* Laurentii *eruderandis non oscitanter occupati notitiam aliunde pervenisse ex scriptoribus præsertim Hispanis, qui suspecti neutiquam esse possunt, quod vel ejusdem laudibus aliquid detractum velint, vel quod rem adeo prodigiosam ac pervulgatam, si vera sit, ignorare potuerint. Opus igitur est testimoniis bonæ notæ, antequam calculo nostro eamdem comprobemus. Porro quia mentio facta est de P. Alexandro Wilthemio, consuli potest Bibliotheca nostræ Societatis de operibus ab eo editis.*

F

uti et alia varia

56 *Franciscus de Aynsa supra memoratus, lib. 2, cap. 8, pag. 156 nonnullos refert eventus, qui tametsi haud manifesta sint miracula, videntur tamen res esse hujusmodi, ut accidere non potuerint absque singulari Dei providentia, ac nostri sanctissimi Levitæ favore. Quæ igitur idem auctor ibidem excudit Hispanice, ea hic recudo in hanc a me sententiam Latino sermone reddita. In sancti igitur æde sacra Oscensi anno 1589 accidit, ut accensus fuerit cereus Paschalis occasione cujusdam intemperiei aeris, sed incuria*

Joan-

AUCTORE J. P.

Joannis Miedes æditui non exstinctus, tota illa nocte arserit; cujus ignis candelabrum magnum ligneum, cerei ejusdem sustentaculum, corripuit et quidquid in eo erat auro oblitum, uti et SS. Orentium ac Laurentium *in eodem pictos consumpsit usque ad diadema* S. Laurentii : *et ibi stetit ignis, quanquam nemo cum exstinxisset. Evenit præterea, ut pruna quadam ignita super altare delapsa, totum ejusdem operculum coriaceum fuerit combustum, et aliquid etiam in frontali, quod vocant; mappæ autem, quæ velocissime videbatur devoranda, nihil damni illatum fuit.*

Dum destructa esset media pars istius templi, ubi natales hauserat (ita Aynsæ placet) illustrissimus hic Martyr, ut magnificum ac sumptuosum illud, cui tunc dabatur opera, ædificaretur; id quod supererat adhibitum fuit ad celebranda divina officia. Quadam vero die, dum nemo tunc esset in ecclesia, magna pars contignationis (ita interpretor Hispanicum de la cruceria) *decidit; casu, uti apparet, dilato ad illud tempus, quo omnis populus erat extra ecclesiam.*

B 57 *Alia die contigit, ut, quando destrueretur arcus quidam chorum sustentans, eique in morem equitis insideret cæmentarius illum demoliens, ex infortunio totus quasi corruerit, et una cum illo juvenis in eodem corporis situ : sed hic nihil damni passus sine mora redire potuit ad suum laborem.*

quæ ibidem in civitate Oscensi contigere.

Eadem occasione ac temporis puncto duæ operæ transferebant feretro saxum, ut illud deponerent ac sic locum darent; et transibant infra arcum, quando decidebat; qui per medios homines lapsus, feretrum quidem ac funes, quibus illud e collo appensum portabant, confregit; sed nihil eis nocuit; ita ut statim reverterentur ad suum laborem cum magna circumstantium admiratione.

Dum effoderentur istius ecclesiæ fundamenta quæ spatiosa admodum ac profunda erant, variis vicibus præ humiditate deciderunt multi ac valde magni terræ acervi, operis, qui inferius illis aperiendis occupabantur, sine damno relictis.

Accidit etiam, ut, dum dictorum fundamentorum terra educeretur, carri conculcarint pue- C *ros, aliumque populum absque ulla læsione.*

Die Martis, quæ fuit XXX *Maii, anni 1617, deorsum e coronide prolapsus est medius later, et in conspectu omnium videbatur debere impingere in caput operarii cujusdam, qui inferius vacabat rei suæ mercenariæ, nomine Puxol : a quo veluti devians medius later unum ei pro se latus dedit, vestimentum solummodo ipsius tangens,* D *illæsa omnino ejusdem persona.*

Paucis item ante diebus evenit alia res valde singularis. Juvenculus quidam desuper cecidit ex arcu sacelli cathedralis, quod ad partem epistolæ situm est majoris : creditusque fuit omnibus, quotquot operi intererant, inspectantibus, deorsum labi; sed remansit, non sine miraculo uti videtur, illæsus in tabula, quam super coronidem posuerat, unius asseris latitudinem continente.

58 *In Ms. nostro Hispanico Cæsaraugusta huc misso refertur ex Bagata tom. I, lib. 3, cap. 2, n. 27, quod cœnobitæ monasterii de Clusa, qui meditabantur illud deserere propter fulmina in illud incidentia, consuluerint super hac re S. Hugonem abbatem Cluniacensem : qui illis auctor fuit, ut sese non moverent, sed ut voto se obstringerent* S. Laurentio, *faciendi quotidie commemorationem ejus. Quod exsecutioni mandarunt; atque ex isto tempore ab hujusmodi calamitate liberati sunt. De S. Hugone abbate Cluniacensi agitur tom. III Aprilis nostri ad diem* XXIX, *pag. 628 : ubi notatur ad abbatialem dignitatem promotus anno 1049. De monasterii Clusensis abbatiæ origine et auctore Mabillonius in actis Benedict. sec.* VI, *part. 2 pag. 697* Clusinum, *ait,* S. Michaelis monasterium olim insigne in diœcesi Taurinensi ad Pyrchiari montis radices situm est, nempe ad Clusas seu Alpium fauces et angustias, quas Carolo M. in Italiam procedenti Desiderius Langobardorum rex præcludere frustra tentavit. *Hæc subserviunt pro hujus narrationis loco ac tempore.* E

Sanctus depellit aeris intemperiem :

59 *Quando in Commentario prævio § 2 tractavimus de locis sacris,* S. Laurentii *miraculorum prærogativa nobilitatis, protulimus ibidem rem prorsus mirabilem, quæ stato tempore contingit in ejusdem insignis Levitæ sanguine, quem ibidem indicavimus asservari in ecclesia Campaniæ territorii Romani. Miraculum hoc breviter perstringitur in Ms. nostro, de quo dicebamus, Cæsaraugustano; sed ex Bagata, qui in eodem citatur tom. II, lib. 6, cap. 3, n. 25, discimus, rem hujusmodi accidere Neapoli in sacro quodam ejusdem Sancti lipsano, quod exstat in conventu Religiosorum Franciscanorum de Advocatione istius sancti : nec non in alio aliquo* F *ejusdem Martyris sacro pignore conventus monialium Ordinis S. Benedicti, vulgo S. Mariæ de Alvina, uti asseritur in eodem Ms. ex Bagata tom. II, lib. 6, cap. 3, n. 50. Atque hic rerum Laurentianarum sit finis.*

mira in ejus sanguine.

DE MAGNO SS. MARTYRUM NUMERO

ALEXANDRIÆ & RELIQUA ÆGYPTO

Ex Martyrologio Romano.

J. B. S.

SUB DECIO.

N*otissima est eruditis S. Dionysi Alexandrini ad Fabium Antiochenum incomparabilis epistola ab Eusebio Historiæ ecclesiasticæ lib. 4 cap. 41 et 42 recensita, qua immanissimam carnificinam et ante et post Decii edicta Alexandriæ et reliqua Ægypto exercitam graphice describit, quando nimirum innumeri prope Christiani omnis ætatis et sexus variis maxime et inauditis cruciatibus interempti sunt. Horum non pauci gloriosi pugiles in sacris Fastis ex laudata epistola nominatim expressi suum alibi locum repererunt præsertim mense Decembri quo* XII, XIV, XIX *et* XXII, *aliique mensibus aliis referuntur. In Actis porro* Metra *seu* Metranus *senex, cæterorum antesignanus* XXXI *Januarii,* Cointa *vel* Quinta VIII *Februarii,* Apollonia IX, Julianus et Eunus XXVII

illustrati,

A *illustrati sunt, ut hic solorum anonymorum, grassante ea rabie interemptorum recolatur memoria, pluribus non explicanda, cum celeberrima historia loco jam non uno in opere nostro exhibita et explicata fuerit. Laudati Martyrologii annuntiatio hæc est:* Alexandriæ, commemoratio sanctorum Martyrum, qui in persecutione Valeriani, sub præside Æmiliano, diversis exquisitisque tormentis diutius cruciati, vario mortis genere martyrii coronam adepti sunt. D

DE SS. VIRGINIBUS MARTYRIBUS

BASSA, PAULA & AGATHONICA

CARTHAGINE

Ex eodem Martyrologio Romano. J. B. S.

x AUGUSTI.

Habet hic curiosus lector singularem aliquam annuntiationem hodierno Romano secundæ editionis a Baronio insertam, antiquis omnibus sacris Fastis plane B *incognitam, quam unde acceperit, nemini, quod sciam, explorare hactenus licuit, me autem, adhibita quantavis diligentia, nec vestigium harum Carthaginiensium Virginum reperisse, candide fateri cogor. Tantumdem intelligo quid Eminentissimus per* prædicta *quæ citat,* antiqua manuscripta *significare voluerit, cum nulla in notis eo die relata sint. At qualiacunque ea censeri possint, id certe mirandum prorsus, nec in ipso Carthaginiensi Kalendario de tribus tam præclaris indigenis Virginibus et Martyribus ullam fieri mentionem, neque uspiam de earum gestis, ætate, anno aut die martyrii, vel demum de cultus traditione ulla monumenta reperiri posse. Neque tamen ipsam, utpote jam ab Ecclesia certo modo approbatam rejicere præsumo, fretus Baronii sinceritate.*

Alia accederet auctoritas si Flavii Lucii Dextri ejusque commentatoris Bivarii ac deinde Tamaii commenta huc quidquam conferre possent, dum Carthagine Spartaria, sub Daciano *prædictas tres Virgines, duplicem lauream adeptas, solita sua fide commemorant. Plusculum facerent Octavii nostri Caietani, inter Vitas Siculas, animadversiones in Translationem S. Agrippinæ in Siciliam, nisi quanti ea omnia momenti sint, pridem ostendisset Papebrochius ad diem* XXIII *Junii tom. IV a pag. 464, ubi tota illa historia sic expensa est, ut nec inde adjumenti quidquam afferri posse videatur. Hæc eo dicta sint, ut circa prædictam annuntiationem nihil a nobis neglectum manifestius pateat. Nomina quidem ipsissima in dicta Translationis historia exprimuntur, verum quis eas Carthaginem Africæ duxerit, necdum intelligo : multo minus qui Carthaginem novam in Hispaniam pervenerint.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS

VIRIS XI, ET VIRGINIBUS XII, ITEM AFRÆ ET MILITUM VII

C

Ex cod. Hieronymiano Epternacensi. F J. B. S.

Jam non semel negotium nobis facessivere textus implexi codicum Hieronymianorum : atque hoc præsertim die jam dictus Epternacensis, ab omnibus aliis discrepans, dum annuntiationi Laurentianæ immediate subjicit : Ex alio loco virorum XI et Virginum XIII. Ciriaci, Largi etc. *De quibus jam ex aliis supra ad* VIII *hujus actum est. Audiamus sequentia non minus obscura :* In Aretio, Afræ, militum VII, Vallis ostensæ. *Codicis auctoritate non audeo* Afram *rejicere; malim credere amanuensem errasse in positione. Quid hæc postrema confusa significent, non capio, neque cum Florentinio diutius libet quærere.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

CRESCENTIONE, ARCANEO, HYACINTHO, JANUARIO, EXUPERATO, QUIRILLO, QUINCTO, GEMINO, PASTORE, LUCILLA, PONTIANO, CRISPINA, INNOCENTIA, LEOCIPPIA, TERENTIA, SIDORA, AGAPA, CHRESTO, CYRIACA ET LETISIPPO

J. B. S.

Ex codd. Hieronymianis.

Altera hæc incerti loci Martyrum classis sic in omnibus codicibus reperitur, ut tamen nomina hinc inde luxata sint vitio describentium; ut Archanarei *pro* Arcanei; Jacenti *pro* Hyacinthi *etc. Hujusmodi aliæ minutiæ, sive in mutato sexu, sive in ad-* B *dito, transposito aut subtracto nomine occurrunt, in quibus paulo scrupulosius hoc die versatur Florentinius; nos Sanctos recensuimus eo, quo Majores nostri, numero et ordine, alias duas minores classes ab hac majori distinguentes; quas nusquam alibi sic dispositas invenias.* Felicissimum *porro hic omittendum censuimus, quod idem superius non semel recurrerit.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS

EUTICIA, MARIA VIRGINE DEI ET VI INNOCENTIBUS

J. B. S.

Ex iisdem codicibus.

Non laboro in nomine, sive Euticia *sive* Eutilia *appelletur quæ hic prima ponitur* Maria *autem* virgo Dei *sic clarissime exprimitur in textu Florentinii, ubi is observat,* Deo dicatam virginem *haud dubie intelligi.* Alibi, *inquit,* jam ostendimus, etiam in primis Ecclesiæ seculis asceteria virginum sacrarum fuisse. Sex qui sequuntur anonymi una die coronati, innocentes dicuntur, vel quia infantes vel quia virginis sociæ. Nec aliam ipsi, *neque nobis* lucem invenire licuit. *Tantumdem dixeris de sequenti classe hujus diei ultima.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

C CRESCENTIO, SEVO, ARCANANEO ET ALIIS XXX F

J. B. S.

Ex iisdem codd.

Consentiunt jam toties dicti codices in classe et numero Martyrum, tum expressorum tum anonymorum quorum nomina, *inquiunt,* habentur in libro vitæ, *neque aliunde vel hilum suppetit quod de illis aut de his prædicari possit, præterquam quod horum Codicum auctoritate inter Sanctos legitime referri censeantur.*

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

MILITIBUS CLXV. Item DE CLAUDIO, SEVERO, CRESCENTIONE ET ROMANO

J. P.

SUB AURELIANO. *Cultus militum 165 ex Fastis sacres:*

Duplicem hic habes sanctorum Martyrum classem. De prima dicam prius, deinde autem de altera. De antiquo ejusdem cultu constat ex apographis Hieronymianis apud Florentinium die VI *Augusti, ubi SS. Laurentio et Hippolyto subnectuntur* Milites CLXV. *Constat item ex Martyrologio Romano veteri seu parvo, quod annuntiationi S. Laurentii hoc die* X *adjungit istam :* Et Militum CLXV *Ado, more suo illud exemplar secutus, Actis Laurentianis ita subdit :* Eodem die Romæ, Militum CLXV : *quæ Usuardus etiam in suum Martyrologium transcripsit Notkerum, dum scribit,* Romæ, Militum centum et quadraginta quinque, *non tam ab Adone ductore*

A *ctore suo, recessisse suspicor, quam vitio amanuensis contigisse, ut unius numeri transpositione, pro* CLXV *scriptum legerit* CXLV. *Milites quoque nostros martyres Catalogo suo intexuit Petrus de Natalibus lib. 7, cap. 44. Martyrologium denique Romanum hodiernum ita in Ecclesia eos legendos præscribit hoc die :* Item Romæ, passio sanctorum centum sexaginta quinque Militum martyrum sub Aureliano imperatore. *Confirmantur hæc in Annalibus ecclesiasticis Baronii ad annum 275, num. 4 his verbis :* Insuper constat et sexaginta quinque Milites de christianitate delatos, extra portam Salariam duci jussos, ibique martyrii coronam consecutos quarto Idus Augusti. *De cultu itaque publico Martyrum istorum abunde liquet. Nunc difficultates circa eos quasdam expendamus.*

tempus martyrii.

2 *Pugilum nostrorum certamen in Martyrologio Romano ac Baronio dicebatur contigisse sub Aureliano imperatore, qui præfuit ab anno 270 usque ad 275. Alii sacri Fasti, quos recitavimus, nec illum, nec alium imperatorem nominant. Ex eo, quod in superioribus annuntiationibus, uti* B *et diserte apud Adonem, secundum illa, quæ ex ipso mox dicam de secunda Martyrum classe, proxime adjungantur S. Laurentio, videtur quidem consequens, ut eodem, quo ille, die martyrium subierint; sed inde non conficitur, quod eodem anno illud acciderit; nam alioquin ad Valeriani tempora illud esset revocandum. Dies itaque sola, quæ Militibus istis ac S. Laurentio fuerit in patiendo eadem, sufficere potuit, ut eadem ista die simul annuntiarentur, quidquid sit de anno mortis aut imperatore diversis. Nos itaque cum Martyrologio Romano ac Baronio nostrorum Militum certamen innectimus imperio Aureliani; de qua tamen temporis nota certiores redderemur, si ab antiquis Martyrologis aliquod ejusdem indicium fuisset expressum.*

Martyres isti non videntur cum aliis confundendi.

3 *Nec vero, quos hic damus, Pugiles videntur confundi posse cum militibus* XLVI, *ac* CXX *aliis Martyribus, qui in Actis S. Laurentii apud Surium memorantur : nam tametsi nonnulla utrique isti manipulo Martyrum sint communia, nimirum Roma martyrii palæstra, numerus fere idem, si Surianos simul conjungas, ac porta Sa-* C *laria ; hos tamen ab hodiernis secernit Romanum parvum, ad diem* XXV *Octobris dicens :* Romæ via Salaria XLVI Militum, qui baptizati a Dionysio Papa, jubente Claudio decollati sunt. *Distinguunt eos etiam Ado, ac Usuardus ad dictum diem : quibus adde Baronium in Annalibus ad annum 269 num. 6 (ubi ex Actis S. Laurentii eos exhibet) ac Martyrologium Romanum hodiernum; quocum de iis agi poterit ad* XXV *Octobris.*

4 *Circa alteram Martyrum classem, de qua acturum me superius præmonueram, paucula hæc memoranda occurrunt. Ado postquam annuntiasset Milites* CLXV *; hæc addit :* Tunc passi sunt Claudius, Severus, Crescentio et Romanus, ipso die, quo beatus Laurentius, post tertium diem passionis S. Sixti. *Hoc die illos etiam habet Notkerus ; non vero Usuardus, fidus alioqui Adonis sectator. Apud Anastasium Bibliothecarium in S. Sixto II sic habentur :* Passus est et beatus Laurentius, ejus archidiaconus quarto Idus Augusti, et Claudius subdiaconus, et Severus presbyter, et Crescentius lector, et Romanus ostiarius. *In apographis Hieronymianis a Florentinio editis, post Felicissimi annuntiationem* in via Appia, *subjungitur*, et alibi Crescentionis, *ut ibi licet videre ad diem* X *Augusti. In Martyrologio Romano ad diem* XVII *Septembris signantur ista :* Romæ sanctorum martyrum Narcissi et Crescentionis ; *ex Actis S. Laurentii, uti ibidem dicitur in notationibus ; quorum hic ultimus in compendio Actorum ejusdem sancti Levitæ apud Adonem sic memoratur :* Erat in eadem domo (*Narcissi*) homo cæcus, nomine Crescentio, qui cœpit rogare beatum diaconem, ut poneret manum suam super oculos ejus. Tunc beatus Laurentius E lacrymans dixit : Dominus noster Jesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, ipse te illuminet : et facto signo crucis, aperti sunt oculi ejus.

AUCTORE J. P.

Nonnullæ circa Martyres 4 dantur observationes.

5 *An igitur hic idem cum superiore est? Ast cæcus hic, lector iste dicitur. Respondemus, hæc non ita pugnare, quin conciliari possint : nam sive cæcitas ei, dum jam fuerat lector, acciderit : sive aliquo ante martyrium S. Laurentii tempore, tunc necdum lector, curatus a cæcitate sit ac deinde ad lectoris officium promotus ; nihil obstabit ex hac parte, quo minus unus idemque Sanctus intelligi possit. Verum unusne an duplex fuerit, aliunde nobis certo non constat.* Romanus *cum titulo militis datus est a nobis cum Martyrologio Romano die* IX *hujus : quem ab hodierno distinguit Ado : nam hodierno non addit titulum militis, uti supra vidimus ; quem tribuit hesterno, prout licet videre ad diem* IX *hujus mensis. Ad hæc, hodiernus Martyr apud Anastasium modo citatum dicitur* ostiarius. *Quæ si vera sint, alius ab alio distinguendus est.*

6 *De tempore, quo corona martyrii redimita* F *fuerit secunda hæc quatuor nostrorum Athletarum classis, observo hæc paucula. Admisso eo, quod supra dicebam, primam Militum* CLXV *classem, secundum Baronium ac Martyrologium Romanum sub Aureliano passam ; et coassumpta annuntiatione Adonis, qua immediate illis subjungit,* TUNC passi sunt Claudius, Severus, Crescentio, et Romanus, ipso die, quo beatus Laurentius *etc. ; consequens est, ut vi adverbii* tunc *tam horum quatuor, quam militum istorum certamen ad tempora Aureliani pertinere videantur.*

A D

DE S. AUCTORE EP. CONF.

METIS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

De cultu et ætate.

Sec. VI. A recentioribus laudatur.

De celebris hujus Metensis Episcopi gestis quam pauca scripta sunt, tam intricata occurrunt quæ ad ejus ætatem solide definiendam pertinent. Cultum præmisimus, de quo tametsi non meminerint Martyrologi classici, certe in ipso proprio Metensi, plurimisque Usuardinis codicibus, tam Mss. quam impressis, diserte annuntiatur, uti et in nostro Florario Ms., Maurolico, Canisio B et aliis, quorum ii codices recte signant, qui locum hodiernæ depositionis exprimunt :* Mauri-monasterio S. Auctoris episc. et conf., *quemadmodum etiam recte scribit Castellanus. En Saussayi elogium :* Metis, sancti Auctoris episcopi, qui Leguntio succedens, egregiis luminibus virtutum cathedram illam replevit, atque ad pietatem vindicandam Agrippinensi concilio præsens, suffragium decusque haud modicum contulit. Pie denique pontificatu et vita perfunctus, ad speculationem Deitatis, in qua summi boni fruitio est, carnis exutus mole, felix properavit.

An interfuerit

2 *Verbo hic prævenienda est confusio quæ inter synonymos Sanctos sub nomine* Auctoris *pridem invaluit, quamque recte sustulit noster Browerus dum in Annalibus Trevirensibus tom. I pag. 281 num. 23 sic distinguit :* Auctori Metensi datur VI Idus Augusti, cujus pignus a Drogone, sub Ludovico Pio translatum in Mauri-monasterium Alsaticæ ditionis. *Non omnibus placet quod modo asserebat Saussayus, quod* ad pietatem vindicandam Agrippinensi concilio præsens suffragium decusque haud modicum contulerit, *utpote quod* C *istic* Victoris *nomen exprimatur; non* Auctoris, *quem nimirum contendunt in eo concilio cum S. Servatio non sedisse, sed toto seculo posteriorem fuisse, quique adeo funestissimo ab Attila Metensis urbis excidio interfuerit. Neque vero hodie nata est ea controversia, quam pridem operose expendit et dissolvit noster Henschenius, ubi ad* XIII *Maii gesta S. Servatii Tungrensis episcopi accurate illustravit. Ejus verba hic transcripsisse juverit ad criticorum cavillos utcumque componendos. Sic ibi habet cap. 2, num. 16 :*

concilio Agrippinensi :

3 Alia nota temporis per quam confirmari potest Chronologia, S. Servatii mortem ad annum CCCLXXXIV referens, et Valesii, duos Servatios comminiscentis figmentum evertens, desumi potest ex ætate S. Auctoris Metensis episcopi : ad quem ex itinere Romam instituto deprecandi excidii causa, S. Servatium accessisse narrat Harigerus infra, atque post eum omnes Servatianæ Vitæ scriptores. Consederat hic S. Auctor cum S. Servatio in concilio Agrippinensi; sed littera unica mutata per amanuensium inadvertentiam in Actis Victor scribitur : qui error jam ante observatus fuit a Meurissio episcopo in Historia Episcoporum Metensium, ab Ægidio Gelenio lib. 1 de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis syntagmate 6 notatione 3, Claudio Roberto in Gallia Christiana aliisque. Inscriptus est S. Auctor ad diem X Augusti pluribus Martyrologiis manu exaratis et typo cusis, et apud Saussayum in Martyrologio Gallicano dicitur, ad pietatem vindicandam, Agrippinensi concilio suffragium decusque haud modicum contulisse.

ætas ejus discutitur

4 Illum Meurissius ait sedisse annis novem et quadraginta. Inter illustriores Episcopos Metenses E recensetur in Vita Deicoli ad XVIII Januarii a nobis edita, ubi nominantur Clemens, Coelestis, Adelfius, Auctor, Arnulphus. Successores ejus fuerunt Æfletius, Urbicius, Bonolus, Terentius, Gunsolinus seu Gossolinus a S. Auctore sextus : sub quo urbem Metensem altera vice furori Hunnorum, quibus præerat Attila, subjectam fuisse asserit citatus Meurissius. Itaque si ejusdem Attilæ adventantis metu, ut vult Valesius, Romam iturus S. Servatius cum S. Auctore Remis egit, necesse erit Remensibus quoque dare duos Auctores vel unum Victorem, alterum Auctorem, quorum primus Coloniensi adfuerit synodo, secundus sub Attila vixerit : uti ille Servatium ab Arvatio distinxit : eademque omnia citra ullius vel levissimæ auctoritatis prætextum Valesius deberet Remensibus impingere quæ Trajectensibus impacta diluimus. Cum utrumque effugiat sententia nostra, congressum SS. Auctoris et Servatii ponens sub primum adventum Hunnorum, qui uno post seculo duce Attila alteram in Gallias fecere irruptionem, dicendo Gregorium Turonensem hoc solum et nihil aliud significatum voluisse, quando ad primam mentionem Hunnorum etiam Attilæ meminit. F

et excluso

5 *Ita explicandum Gregorium et, qui eum haud dubie secutus est, Paulum Diaconum, ii fatebuntur qui rem paulo attentius perpenderint ne Servatium aliquem Tungrensem episcopum, tot seculis toto Belgio incognitum, fingere cogamur, qui ad Attilæ tempora supervixerit, connectendo nimirum in Historia Francorum libri 2 capita 5, 6 et 7, quæ potius discernenda sunt, saltem in ordine ad nomen Attilæ, quod ibi inseritur, Gregorio plures barbarorum vastationes in unam confundente, ubi Meurissius ea studiose distinguit, ut quemadmodum Treviros non semel ante Attilam invaserunt, sive Franci sive Wandali sive Hunni, sic iisdem diversis temporibus easdem strages passi sint Metenses saltem circa finem seculi quarti ; quo pacto componenda sunt ea, quæ in Vita S. Servatii cap. 3 disertissime exprimuntur de ejus peregrinatione Romana, deque S. Auctore super eadem consulto, ubi enumeratis diversis ferocissimis gentibus, quæ Gallias vastabant ita pergit num. 20 :*

altero Servatio

6 Horum adventum B. Servatius sciens et audiens, simulque de irruptione suæ civitatis metuens, multis lacrymis et corporis afflictionibus miseri-

A misericordiam Domini precabatur, ut populum suum a perfidorum nequitia tueretur. Sed sentiens per spiritum, peccatis populi præpedientibus, id sibi nullo modo concedi, Apostolorum Petri et Pauli limina decrevit adire, ut suis saltem Tungris ereptionem per eorum merita mereretur obtinere. Paratis igitur omnibus viatico competentibus, assumptisque secum comitibus necessariis, civibus jejuniorum et orationum super tanto discrimine indixit instantiam : et sic itinere arrepto, primum B. Auctoris Metensis episcopi requirit prudentiam. At beatus antistes Auctor, habita cum S. Servatio deliberatione, adjudicavit, ejus ratam esse intentionem, simul exposcens, pro se suaque urbe fundi profusius illic orationem, ut quoniam per se Romam nequibat adire, ejus sanctissimis precibus, Apostolis intervenientibus, optatam ereptionem sibi commissis civibus mereretur obtinere.

recte componitur.

7 *Vides hic imminentem calamitatem, vides* Servatium *et* Auctorem *synchronos, nulla prorsus Attilæ facta mentione. Porro* Servatii, *non* Aravatii *nomen scripsisse S. Gregorium, et admittit et in notatione probat nuperus editor Ruinartius,* B *ab Henschenii opinione non usque adeo alienus, quemadmodum nec alii viri eruditi et recentissime Longuevallius noster in sua Historia Ecc. Gallicanæ tom. II, pag. 64, quibus Servatii duplicatio, ut alter nimirum sederit seculo quarto interfueritque Concilio Agrippinensi, alter vero ad Attilæ tempora retrahendus sit, et quidem vel eo pacto* S. Auctori *synchronus; quibus, inquam, geminatus Servatius displicuit hactenus, quidquid Pagius in Critica Baronii ad annum 451, insultantis in morem multa congerens, frustra Servatios duos, ex citato fuse Paulo Diacono se evicisse existimet. Quod tamen, bona eruditissimi viri pace dictum sit, nec mihi nec aliis persuasit hactenus. Cum vero Pauli Diaconi narratio sancti nostri* Auctoris *præcipua gesta complectatur, ipsam hic describendam putavimus ex Corpore Historiæ Francicæ, in quo a pag. 171 exstat libellus ejus de Episcopis Metensis ecclesiæ.*

NARRATIO

C

PAULI DIACONI

D. S. Auctore episcopo Metensi.

Ingruente barbarorum calamitate

Accepit deinde tertius decimus venerandus præsul Auctor gubernandam ecclesiam ea tempestate, quando non solum Gallia, sed universus pene Occidens barbarorum sævientium est perpessus sævitiam. De quo viro, quamvis et alia ab eo insignia facta credantur, duo tantum ad nostram memoriam ejus miracula pervulgata sunt. Eo igitur tempore cum reverendus hic Præsul vitam cunctis virtutibus decoratam duceret, Attila rex Hunnorum omnibus belluis crudelior, habens multas barbaras nationes suo subjectas dominio, postquam Gundigarium Burgundionum regem sibi occurrentem protriverat, ad universas deprimendas Gallias suæ sævitiæ relaxavit habenas. Hujus adventu beatus Servatius Tungrorum episcopus præcognito, Romam ad beatorum Apostolorum Petri et Pauli sacratissima corpora perrexit, ut per eorum sublime meritum, specialiter a Domino impetraret, quatenus iræ suæ indignationem averteret, et Tungrensis urbis populum a tanto exitio liberaret.

AUCTORE J. B. S.

a S. Servatio

9 Tunc ei divinitus per eumdem beatum Petrum Apostolum revelatum est, quod ita cœlesti esset judicio definitum, ut universa Gallia barbarorum foret infestationi tradenda, præter B. Stephani levitæ et protomartyris situm apud Mettis oraculum, in quo ipsius erat pretiosus cruor absque corruptionis labe reconditus. Hæc dum S. Servatio revelata fuissent, festinus ad Gallias repedavit : invenitque jam Hunnorum examina per universas Gallias debacchari. Qui cum ad obsidionem Mettensium, pro eo quod eorum civitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudinem cernerent, recessissent, contigit beatum Servatium ipso tempore dum a Roma reverteretur, Mettis devenire, qui dum universa, sicut revelatione didicerat, sancto consacerdoti suo Auctori retulisset, ad civitatem propriam, hoc est Tungris reversus est.

de Metensium excidio docetur.

10 Nec mora, post ejus egressionem, murus civitatis Mettensis corruit, ingressumque hostibus superna dispositione patefecit. Mox vero B. Auctor traditam civitatem inimicorum gladiis advertens, universos parvulos, qui necdum sacri fontis ablutionem perceperant, baptizari præcepit. E Igitur audientes Hunni qui duodecimo exinde milliario situm castrum quod Scarponna dicitur, obsidebant, Mettensis urbis mœnia corruisse, iterato ad eam festina celeritate regressi sunt, incendiisque et rapinis universa vastantes, plures e civibus cum eis qui baptizati fuerant parvulos interemerunt : reliquos vero qui exitio superesse poterant, simul cum S. Auctore episcopo captivos abducunt.

Servato mirabiliter

11 Impletum sane est super B. Stephani levitæ et protomartyris domicilio, quod a beatissimo Petro apud Romam Christi famulo Servatio fuerat ante prædictum. Nam cum eamdem basilicam procul furentes barbari adspicerent, ad eam cursim quasi opima spolia captaturi, properabant : cumque propius accederent, eorum oculis velut ingens saxum ac moles solida apparebat. Quam cum cæcati mentibus, manibus per gyrum palparent, aditumque ingrediendi quærerent, nihil omnino eis aliud quam naturalis saxi durities videbatur. F Denique sæpius abscedentes rursumque revertentes, cum se nihil proficere cernerent, tandem fatigati discesserunt, suæque iniquitatis effectu frustrati sunt.

S. Stephani oratorio.

12 Quid etiam de hoc oratorio B. Gregorius Turonorum episcopus in suis libris narraverit, non silebo. Refert enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis Apostolis Petro ac Paulo B. Levitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem : Oro, domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Mettensium urbem ab inimicis exuri ; quia locus in ea est, in quo parvitatis meæ pignora continentur : sed potius sentiant se populo aliquid me posse coram Domino. Quod si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi civitas tradatur incendio, saltem vel hoc oratorium non cremetur. Cui illi aiunt : Vade in pace, dilectissime frater : oratorium tantum tuum carebit incendio ; pro urbe vero non obtinemus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia jam præcessit. Invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Domino. Ideo civitas hæc cremabitur incendio. Unde non dubium est, quod horum obtentu, urbe vastata, oratorium permansit inlæsum.

13 Ig-

AUCTORE J. B. S. *Barbari ut tenebris liberentur*

13 Igitur exinde hostes dum ad oppidum quod appellatur Decempagos, quod a Mettensi urbe nostro semper de suis servulis cura est et in ira misericordiam (sicut ait Psalmista) non continet; tantæ subito eosdem Hunnos tenebræ circumvallaverunt, ut quid agerent, vel quo se verterent, omnino nescirent. Tunc causam tantæ calamitatis, ut in tali re opus erat, sollicite inquirentes, ab uno ex captivis, quos ducebant, audiunt quia propter servum cœlestis Domini Auctorem episcopum, quem in captivorum numero se vidisse dicebat, talia paterentur. Mox igitur, facta inquisitione B. Auctorem reperiunt, quem dum percunctarentur, quid in munere vellet accipere, ut a tanto eos periculo liberaret, ille ad hæc respondit, sibi nullum aliud gratius posse munus offerri, quam si omnes quos ducebant captivos, sinerent ad propria remeare. Quod illi si facerent, promittit se sine dubio a suo Domino impetraturum, ut ab illis quibus tenebantur tenebris eruerentur. Factumque est. Et mox in universo suo Hunni exercitu captivos, quos ducebant, requirentes, eos B. Auctori reddiderunt: a suis (ut eis promissum fuerat) cessantibus tenebris, luce reddita, angustiis liberati sunt.

S. Auctorem et reliquos captivos dimittunt.

14 Sicque venerabilis Christi famulus, dum ad modicum in captivorum sorte deputatus est, multos pariter a captivitate resolvit. O quantum potiori gloria de reductis iste civibus triumphavit, quam crudeles barbari, qui eos antea quasi victores abduxerant, triumphare potuissent! Veniamus et ad aliud miraculum, quod ejusdem meritis cœlesti est virtute patratum. Quodam denique tempore cum in oratorio B. protomartyris Stephani (de quo supra retulimus) trabs ab ipso culminis fastigio dissoluta corruisset, marmor quod in altari eximii candoris erat, ita confregit, ut in duabus illud partibus omnino divideret.

Aliud insigne S. miraculum.

15 Adest B. Auctor, et cunctis qui aderant pro inlato dispendio contristatis, ipse vero fidens in Domino, præcepit easdem fracturas sibi invicem copulari, pararique sibi ministeria, quo desuper more solito divini sacrificii munus offerret. Stupentibus itaque illis et quid esset facturus, intendentibus, mox salutarem hostiam Deo obtulit. Illico omnis illa confractio ita solidata est, quasi antea divisa minime fuisset. Est tamen in eodem marmore, quod non mediocriter usque in præseptem diem possit admirari. Nam ita apparet hactenus attentius cernentibus quasi divisum, sed studiose contrectatum digitis, ita probatur solidum, ut nullius in eo divisionis sentiatur indicium. Non est dubium et plura eum miranda patrasse: sed quantus qualisque fuerit, ex his quæ revelata sunt, plene potest agnosci.

Ad præmissum textum OBSERVATIONES.

Prima sit quam nobis suggerit Meurissius in sua Metensi Historia pag. 478; nempe missum fuisse a Carolo Magno Paulum Diaconum dum sederet Angelramus episcopus, ut insignis et celebris istius ecclesiæ Præsulum seriem et gesta seu vitas conscriberet. Verum cum variæ barbarorum vastationes et incendia, quatuor ante seculis, relictas post ipsorum obitum memorias flammis omnino absumpsissent, non potuit historicus ille res magni momenti posteris tradere. Ita Meurissius; ut mirum videri non debeat, si nonnulla hinc inde confuderit, æque ac S. Gregorius Turonensis.

17 II. S. Auctorem, *quo de agimus, recte signat loco* tertio decimo, *at prædecessorum seriem et annos consuluisse oportuerat, ne tam facile assereret et ipsum et* S. Servatium *ad Attilæ ætatem superstites fuisse. Nec minus tempora prævenit dum Gundigarium seu Guadacarium Burgundionum regem ab eodem Attila protritum narrat, qui ad ejus invasionem minime videtur supervixisse, ab Aetio multis ante annis satis debellatus.*

18 III. *Porro* SS. Auctorem *et* Servatium *toto seculo Attilam præcessisse, ut iterum dicamus, ex eo evidenter constat, quod ambo concilio Agrippinensi interfuerint, frustra exsultante Pagio, et* certam sibi sententiam, *quasi vero, audacter affirmante, quod non* Auctor *sed* Victor *Metensis concilio Agrippinensi subscripserit, non advertens, opinor, immanem parachronismum a se deglutiendum, utpote quibus* Victorem *Mettis adstruit pro anno 346 vel 349, cum ibi nullus istius nominis sederit post annum 453, quod ex Meurissii Catalogo manifestissimum est, ut adeo velit nolit, communiori opinioni subscribere compellatur, quæ* Auctoris *nomen in* Victoris *corruptum jam abunde demonstravit.*

19 IV. *Parem accurationem desideres in Calmeto, qui Historiæ suæ Lotharingicæ præfigens seriem chronologicam Episcoporum Mentensium, postquam quatuor primos enumeravit, Clementem scilicet Cœlestium, Felicem et Patientem, quorum tempora conficiunt annos non plus 96, dum ad Victorem I progressus est, audet rotunde pronuntiare, Victorem I illum interfuisse concilio Sardiensi anno 347. Pergens autem reliquos septem recensere qui cum prioribus quinque non conficiunt nisi annos 280, dum ad* S. Auctorem *accedit, nostrum nempe ordine* XIII, *non dubitat quin ille Attilæ synchronus fuerit anno 451, id quod aperte enuntiat.*

20 V. *Æque joco-seria sunt quæ in eodem Calmeti Catalogo sequuntur, dum a* S. Auctore *successores enumerans, postquam seriem ad* Hesperium *deduxit, ait, ipsum concilio Claromontano adfuisse anno 535, ubi, si Catalogus ejus subsistit, ab Auctore ad Hesperium conficiuntur anni 228, qui si addantur Attilanis annis 451 Hesperium reducent ad annum 679, quam epocham cum dicto concilio Claromontano combinet qui potest. Triciis illis mihi diutius inhærere non lubet. Dicta sunt de* S. Auctore *quæ reperiri potuere: de ejus et unici Servatii Tungrensis episcopi ætate, jampridem disputavit Henschenius, non solum ad diem* XIII *Maii, sed etiam in Exegesi historica ante tomum VII Maii, quibus quod addamus, nil superest.*

D

DE S. VSTERIA SIVE HESTERIA V. M.

BERGOMI

IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Cultus ejus, translationes et Acta.

IN PERSECUTIONE DIOCLETIANEA. *Refertur hoc die in Martiis,*

B

Hujus natalem hoc die sic annuntiat *Martyrologium Romanum :* Bergomi, sanctæ Asteriæ virginis et martyris, in persecutione Diocletiani et Maximiani imperatorum. *Præiverat Galesinius (quem solum in animadversionibus suis appellat Baronius) in hæc verba :* Bergomi, sanctæ Asteriæ virginis et martyris : quæ Beatæ Gratæ virginis socia, Deo in religionem dicata, germanam et veram pietatem, quam vitæ instituto professa est, in Diocletiani et Maximiani imperatorum persecutione egregie sanguine profuso testificata, coronatur. *Hujus elogii fontem assignat ipse in notationibus Martyrologio subnexis ad eumdem diem ac mensem, Annales ac tabulas ecclesiæ Bergomensis. Nempe alibi notus nondum erat cultus ejus, cum anno 1578 illum ipse primum, ac deinde Martyrologii Romani reformatores per universam Ecclesiam promulgarunt Quos autem hic Annales, quas ecclesiæ Bergomensis tabulas memoret Galesinius, etsi nescimus; facile tamen credimus, non adeo recentes fuisse, quin ad cultum hujus Virginis Martyris istic immemorabilem comprobandum suffecerint. Et vero nisi de cultus antiquitate constitisset, non toties illum Roma in Officiis propriis ecclesiæ Bergomensis ab anno Christi 1587 usque ad 1705 approbasset : ibi enim constanter* Die XI Augusti, festo S. Hesteriæ virginis et martyris *Officium ejus* duplex, *cum Lectione* IV *propria.*

C

sed Bergomi postridie coli S. Asteria, seu potius Hesteria;

2 *Causa vero, cur ibi die* XI *hujus mensis colatur, est solemnitas S. Laurentii martyris, qua die* X *impeditur, ut post Marium Mutium in Vita Sanctæ, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad ejusdem elogium recte observat : nam diem Augusti* X *verum esse* Hesteriæ *natalem, vetera Bergomensium ac recentia monumenta consentiunt, etiam ipse libellus Officia eorum propria a Sixto PP. V probata complectens in editione Bergomensi anni 1640; in quo festum quidem notatur die* XI *Augusti; sed in subjuncta Lectione propria de Sancta diserte legitur :* Ad duplicatum virginitatis et martyrii præmium capessendum evolavit IV IDUS AUGUSTI; *non* TERTIO IDUS AUGUSTI, *ut in posterioribus editionibus anni 1614, et 1707 repositum est. Sed unde nomen* Asteriæ *duxit Galesinius? Et hoc me non diffiteor ignorare : neque enim ante illum sic uspiam reperi appellatam : ubique scribitur* Hesteria *vel* Hæsteria; *nisi forte in quodam ejus epitaphio, quod in ecclesia S. Alexandri M., priusquam anno 1561 destrueretur, sic exaratum ait exstitisse Cælestinus Hist. Bergom. part. 2, vol. 1, pag. 290 :* B. M. HIC REQUIESCIT ÆSTERIA, DEO SACRATA PUELLA, QUÆ VIXIT ANNIS SEXAGINTA; DEFUNCTA SUB DIOCLETANIO, IV IDUS AUGUSTI, CAPITIS SENTENTIAM ACCEPIT INDICT. VI. ARRIO ET JULIANO JUDICIBUS MAXIMIANI SENTENTIAM CAPITIS INCURRIT. *Verum ad cultus ejus apud suos primordia redeamus.*

ubi cultus ejus floruit

E

3 *Certum est ibi non modo venerationem ipsius, siqua fuerat, sed et omnem ferme notitiam intercidisse dudum ante annum Christi 1290, quo ejus et aliorum trium Sanctorum corpora inventa fuerunt : certum id quoque, quod eodem tempore in ecclesia cathedrali tam ipsi, quam sepulcri sociis constructa fuerit ara, ad quam anno sequente per episcopum loci Robertum de Bongis maxima solemnitate translati sunt, et ad proprios adeo ac publicos in perpetuum Sanctorum honores evecti. De utroque vide quæ dedimus tom.* VII *Maii, pag. 578, et potius tom. III Julii, pag. 203 et sequente; eaque pro insertis hic habe. Anteriorem porro Bergomatum in illam religionem ac religionis originem quia tam luculento testimonio probare non possumus, aliis, quibus forte meliora suppetunt instrumenta, demonstrandam relinquimus : nam idonem ad hanc rem non putamus epitaphium modo recitatum; cum sit ætatis incertæ, ut patet ex usu indictionis; tum propter ineptam* ταυτολογίαν; *denique propter variationem textus ejus, qui alius est apud Marium Mutium ad finem Vitæ, ubi indictio quidem nulla ponitur, aut repetitio; sed martyrium alligatur anno Christi* CCCVII; *quam æram nemo nescit esse multo recentiorem, quam ut magnam epitaphio nostro fidem adhiberi sinat.*

ab immemorabili tempore,

F

4 *Æque quidquam huc facere potest inscriptio, quam citatus antea Cælestinus epitaphio subdit pag. 291 et seq. his verbis :* Grata, ob proprias ac paternas virtutes, regias meruit nuptias; et, viro defuncto, Bergomum rediit : ubi cum virgine Hesteria, ejus socia, pia in divi Alexandri cadavere funerando exhibita opera, summo repleta Numine, una cum Lupo, Bergomi duce, et Adleida parentibus populum hunc ad verum Dei cultum excitavit. Illam ideo, parentes, et Hesteriam in Divorum numero relatos civitas inter patria numina perpetuo colit ac veneratur. Anno CCCVIII. *Neoterici profecto scriptoris hæc sunt, et quidem imperiti : neque enim veteres* Divorum *nomine Sanctos expressere; multo minus æram Christianam quarto seculo cognoverunt; quo et* relatio *cujusquam* in numero, *aut potius in numerum,* Divorum *phrasis erat ethnica; non Christiana.*

hoc est, ut minimum ab anno Christi 1290

5 *Sed neque illud liquet, quod asserit in Synopsi ecclesiæ Bergomensis, anno 1696 per F. Vincentium Coronellum, invito, ut accepimus, auctore vulgata, Martinus Antonius Guerrini, sacræ theologiæ ac juris utriusque doctor et cathedralis canonicus Bergomensis, de nobis alioqui et Opere nostro præclare meritus : non liquet,*

inquam,

AUCTORE P. B.

inquam, quod pag. 35 de Agino, Bergomensium ab anno 758 usque ad 840 antistite, sic asserit : Inventas post annos quingentos a cæde reliquias S. Hesteriæ virginis et martyris solemni cleri et populi concursu mirabiliter transtulit, et digno posuit sarcophago in dicta cathedrali. *Unde, amabo, vir pius ac doctus id hausit? E Cœlestino, ni fallor, Hist. Bergom. part. 2, volumine 1, pag. 291. Hic autem unde? Ex Ms. Sanctuarii Bergomensis hoc textu :* Fertur etiam, quod in translatione ipsius inventa sunt ossa lucidissima, et velut auro et argento mixta, mirabiliter redolentia, licet, quingentis annis abscondita stetissent. *Ex quibus verbis conjecturam Cœlestinus hanc ducit :* Hoc loco si per vocem ABSCONDITA significetur SEPULTA, necesse erit dicere, quod inventa et translata fuerint anno DCCCVII, cum episcopus esset apud Borgomenses Aginus. *Nimirum auctor ille* Hesteriæ *martyrium ac sepulturam refert ad annum Christi 307, cui additi anni quingenti, excurrunt in annum Christi 807.*

B *quando mirabiliter inventum corpus ejus ac translatum fuit;*

6 *Corruit ista conjectura et ante Cœlestinum inaudita translatio, si negemus, hæc verba,* quingentis annis abscondita *numerari posse ab anno, quo sepulta primum fuit* S. Hesteria. *Et sane negandum hoc esse, constat ex historica Sylloge nostra de S. Joanne episcopo et martyre Bergomensi ad* XI *diem Julii a pagina 200; non enim ibi vel absconsio illa, vel cætera, quæ citat Cœlestinus, de solius* Hesteriæ *ossibus; sed de quatuor simul Sanctorum,* Hesteriæ, *Projectitii, Jacobi, et Joannis, eodem loco ac tempore sub episcopo Bongo inventis ac translatis ossibus memorantur; cum ergo certissimum sit, non eodem ibi omnes tempore sepultos fuisse, sed alios aliis multo serius, et Joannem quidem non ante annum Christi 683, hoc est, tribus et quod excurrit seculis post alios; non potest a tam disparata singulorum humatione commune numerandi principium duci; sed retrogradum potius ab universorum inventione ac translatione communi, quæ alias non fuit, quam unica illa, quæ Bongo sedente contigit. Adde, quod in eadem Sylloge pag. 204, ubi communis hæc inventio describitur e Ms. Bergomensis, non dicatur illa accidisse cum ossa* S. Hesteriæ *jam ibi*

C quingentis annis abscondita stetissent, *sed cum ossa ejus et aliorum trium ibi simul* per multos annos, et, longo temporis decursu *indigne latuissent : adeoque non adstruitur ibi certus annorum numerus, quo ante illam inventionem eorum quisque delituerit. In fumos abit ergo conjectura Cœlestini. De solo inter eos Joanne ep. M. scribit ibidem pag. 202 auctor ac testis inventionis ejusdem ac translationis, inventum ita fuisse, postquam ibi* per quingentos annos et ultra stetisset. *Unde sequitur, ut* Hesteria *et alii tribus ante Joannem seculis defuncti sepultique, ibidem* per quingentos annos et ultra, *ante communem inventionem anni 1290 delituerint (neque adeo transferri potuerint anno 807); sed non sequitur, ut ibi sepulti non fuerint ac forte etiam sine cultu latuerint multo diutius, quam Joannes.*

sicut iterum transferri debuit anno 1561, et 1704.

7 *Translationem jam dicta anni 1291 longo intervallo consecuta est altera; tristior quidem, sed nihilo minus augusta, quam prior. Nempe anno 1561, mense Julio decreverat respublica Veneta novis Bergomum firmare munimentis, eamque ob causam S. Alexandri martyris cathedralem ecclesiam non sine magno civium dolore funditus demoliri, ut quæ conceptis operibus esset impedimento. Evacuavit illam ergo confestim (nam urgebatur) episcopus cum rebus aliis, tum*

D *solertissime Sanctorum, quotquot ibi servabantur, corporibus et reliquiis, quorum omnium translationem ad ecclesiam S. Vincentii, quæ et ipsa pridem in eadem urbe cathedralis erat et subinde martyris Alexandri titulo ac episcopi sede fuit insignis, Idibus Augusti proximi instituit majestate, quanta potuit maxima. Ibi porro suus, ut cæteris,* Hesteriæ *nostræ locus fuit et sacrarium. Adi, si vacat, authenticam hujus translationis historiam apud Ughellum in Italia sacra tom IV, col. 707 editionis Romanæ, Venetæ autem col. 500; corrige tamen in utraque vitium, quo anterior translatio per Robertum Bongum facta, turpiter adscribitur anno Christi 1299, hoc est annis omnino septem post obitum translatoris. Tertia translatio denique ad novam ecclesiam cathedralem peracta est anno 1704; ut colligitur ex Officiis propriis Bergomensium anno 1707 excusis pag. 3. Nunc, stabilito satis cultu, ad Virginis Acta pergamus.*

Acta ejus qualia supersint;

8 *Acta* S. Hesteriæ *primigenia et integra nescimus an unquam exstiterint. Quæ proferri jam possunt, Bergomensis ecclesiæ traditione (utinam*

E *vetusta satis et constante!) nituntur. Paucula quædam cæteris aliquanto antiquiora videri possunt, quæ ad Vitam S. Gratæ pertinent; si tamen revera pertinent, aut vita illa S. Gratæ, etiam eatenus, Actis ipsius* Hesteriæ *multum ponderis afferre per se potest, quod examinandum erit ad diem* IV *Septembris, quem Bergomenses solemnitati natali S. Gratæ ab anno 1706 perpetuo in posterum consecratum esse voluerunt; ut videre est in Officiis propriis jam citatis pag. 93 et 112. Certe historicorum Bergomensium aquila Jacobus Philippus Forestus vulgo Bergomas, in opere de Claris mulieribus cap. 111 sic gesta S. Gratæ recenset, ut* S. Hesteriæ *nullam prorsus mentionem admisceat; imo ut præcipua hujus elogia videatur excludere; cum asserit, S. Gratam diu ante obitum renuntiasse rebus omnibus, ut unice Deo viveret; obiisse autem* eo anno, quo divus Constantius Magnus totius imperii monarchiam est assecutus. *Ubi ergo principatus urbis a S. Grata usque ad mortem administratus, ac tum demum* Hesteriæ *consignatus; ubi ejusdem* Hesteriæ *martyrium sub judicibus ab imperatore (qui certe*

F *Constantinus esse non potuit) missis; ubi Acta denique nostra? An hæc seculo* XV *ignorare Bergomi Forestus potuit? Non credet, qui virum noverit. An ergo tacite improbavit? Alii judicent; ego quidem suspicor, eoque id magis, quod idem in vasto suo ac celeberrimo Supplemento chronicarum nunquam* Hesteriam *nominet, ne in catalogo quidem alphabetico Martyrum, persecutione decima sublatorum; in quo sane Civi suæ, ne dicam Principi, si ejus Acta non respuebat, locum præ aliis illustrem debuit.*

et quando conscripta fuerint.

9 *Ignota vero hæc Acta nostra nec fuisse, nec esse potuisset Jacobo Bergomati, ex eorumdem apographo discimus : depromptum est enim anno 1706, fide legitime comprobata, e* Sanctuario, sive antiquo Lectionario Sanctorum ecclesiæ Bergomensis, exsistente in archivio cathedralis S. Alexandri, cooperto corio figurato et partim deaurato, operis antiqui, et characteris Gothici. *Verba sunt V. Cl. Martini Antonii Guerrini (a quo dictum apographum cum aliis nonnullis unum in fasciculum compactis anno 1708 accepimus) pag. 85; uti et hæc, pag. 9, de eodem illo Sanctuario :* Nec ejus certa ætas assignari valet; cum sit liber exscriptus ex antiquioribus et nunc deperditis exemplaribus : et, ut ex litterarum collatione

conjici

A conjici potest, videtur ultimum hoc exstans exemplum ab annis trecentis scriptum : *hoc est ipso illo seculo, quo floruit Bergomi in PP. Augustinianorum Conventu Jacobus. At cur tum exscriptum? Utique ad usum Officii in ecclesia Bergomensi; quandoquidem Sanctorum singulorum gesta in Lectiones Officio congruas distributa continet. Vigebat ergo tum usus ille. Et ignorare potuerit Bergomi sacerdos Religiosus, quæ ætate sua, in diœcesi, in urbe, in ecclesia tum cathedrali, tum aliis hujus Officia servantibus, atque adeo in ipso Conventu suo (ut est verisimile) anniversario cursu a se et aliis recitari consueverint! Habes hic interim ætatem exemplaris, cujus infra dabimus ecgraphum.*

puta vix ante finem seculi 15.

10 *Sed quoniam exemplar istud ex aliis anti*quioribus *exscriptum fuisse dicitur seculo* XV, *quæri potest, quo primum tempore composita fuisse et Officio ecclesiastico inserta putemus Acta nostra. Duo tantum hic certa videntur: primum, quod id factum sit pridem ante seculum* XV; *ut ex dictis patet: alterum, quod idem non acciderit ante inventionem ac translationem* S.
B Hesteriæ, *seu annum Christi 1290 aut sequentem: hoc enim docet istius inventionis ac translationis historia, superius assignata, ab ipso statim exordio, quod sic habet:* Translatio sanctorum martyrum Hesteriæ, Projectitii, Jacobi, et Joannis celebrata fuit hoc ordine. Permanserant autem præscriptorum Martyrum corpora in cathedrali ecclesia sancti Alexandri Bergomi per multos annos, minus decenter latentia; ITA UT BERGOMEUS POPULUS SANCTOS ILLOS VIX SCIRET; locum vero penitus ignoraret; qui tamen canonicis illius ecclesiæ ex quadam lapidis vetusta inscriptione manifestus erat. Cumque ibi longo temporis decursu SINE DEBITO CULTU aut reverentia stetissent, *etc. Enimvero si cultus non erat, Officium non erat. Si tum Bergomeus populus Sanctos illos vix sciebat, multo minus eorum Acta noverat; quæ tum proinde scripto vulgata nondum erant. Quod si est ita; videat profecto antiquæ historiæ non rudis arbiter, ecquod monumento, decem omnino seculis post ea, quæ narrat, condito pretium statui possit; indeque conficiat, quanti multo recentiora, ex*
C *eodem fonte, sed non eadem simplicitate, per Benalium, Guarnerium, Cœlestinum et alios ducta atque amplificata valere debeant. Nostra nunc interim accipe, totidem hic numeris, quot in Sanctuario Bergomensi Lectionibus distincta.*

ACTA

Ex Lectionario veteri Bergomensis ecclesiæ Ms.

S. Hesteria Christi cultum Bergomi suscitavit;

Hesteria virgo et martyr sanctissima, nostræ civitatis Bergomensis olim magnifica gubernatrix; sed nunc ejusdem apud dilectissimum Sponsum suum Dominum Jesum Christum sedula procuratrix, anno Dominicæ nativitatis ducentesimo quadragesimo septimo vitæ suæ principium sumpsit, Ecclesiæ Romanæ præsidente sancto Fabiano Papa. Quam bona constellatio! quod eo tempore nascerentur duæ consociæ Sanctæ, videlicet Grata et Hesteria, quæ primæ causa fuerunt divulgandi in nostra civitate Bergomensi Christi nomen *a*, et ampliandi. Hæ sunt duæ olivæ misericordiæ; hæ duo rubicundi flores rosarum; hæ duo candelabra aurea lucentia ante Dominum; hæ duo candida lilia convallium.

EX MS.

utpote Christianis orta parentibus,

2 Hujus igitur mulieris viraginis vitam, mores, et actus omni laude dignissimos dicere mihi volenti occurrit illud Psalmi: Secundum nomen tuum, sic et laus tua. Hoc nomen Hester, a quo Hesteria derivatur, nomen mulieris pulchræ et humilis fuit, et honore elevatæ. Hesteria nostra humilitate pulchra et fide decora, caritate elevata, nobilibus genere, sed virtutibus et Christiana religione magis, orta parentibus, in teneris annis adhuc existens, sacro Baptismatis fonte purificata, postposita semper seculi vanitate, jugiter animum suum cunctis virtutum generibus, devinisque rebus applicavit. Crescebat puella, sicut ætate personaque, sic non minus virtutibus et gratia Domini nostri Jesu Christi.

et sanctissime educata.

3 Litteris sacris, monitis salutaribus, sedulis contemplationibus operam dabat; et quod oculis, auribus, et mente boni concepisset, opere complere curabat. Gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ cum legisset Vitam, et sæpius laudes E
immensas recitari sensisset, maximum hausit desiderium sanctæ virginitatis. Quod lilium candidissimum ut in suo decore servaret, paternis ædibus absconsa manebat, et ante oculos mentis habebat immaculatum speculum sanctæ integritatis. Itaque in domo manens, comitem habebat secum sanctæ virginitatis humilitatem, obedientiam, abstinentiam, manuum labores, et præsertim cunctorum bonorum procuratricem sanctissimam orationem. Cum regina Grata viduata marito *b* domum paternam remeasset, petiit eam sociam sibi dari, cum qua cælibem vitam ducens, virtutum actibus liberius vacare valeret.

Hæc sociata S. Gratæ, S. Alexandrum M. sepelivit; c

4 Cum aliquæ deductæ fuissent mulieres, præ cæteris Hesteria, virgo mulierque sensata, tanquam a Deo sibi parata, placuit sanctæ Gratæ. In unum igitur convenientes, prædiolum seorsum sibi datum est a Duce Lupo, sanctæ Gratæ genitore *c*. Quæ Hesteria famula Dei suum quoque detulit patrimonium; ubi misericordiæ tam spirituali, quam corporali operam dabat indesinenter. At pius et clemens Dominus Deus misit Bergomum bonum propugnatorem sanctum Alexandrum *d*, cujus adventum non latuit apem argumentosam F
sanctam Hesteriam, eo maxime, quod flores salutis eum deferre sentiebat. Suscipiente sacri martyrii palmam Alexandro, supervenerunt sanctæ mulieres Grata et Hesteria: illa caput tollente *, ista ejus colligente * sanguinem, qui fluxerat, coagulatum in gremiali suo: et sepulturæ cum aromatibus tradiderunt.

* *f.* attollens *et* colligens

duxque post hæc a moriente S. Grata designatur,

5 Post longum vero tempus Grata plena dierum et bonorum operum, sentiens se morti propinquam, sancta Hesteria præsente, primatibus urbis ait: Hesteriam ducem sequimini; quia nihil vereor, quod vos tramite recto ad finem tandem desideratum perducet. Tunc optimates divæ Gratæ dixerunt: Dominam Hesteriam, quam ut ducem recommittis, tum tui respectu, tum et ipsius magna prudentia, mansuetudine, sapientiaque diligemus, observabimus et venerabimur, ut te ipsam. Tunc sancta mulier Hesteria lacrymis perfusa, vix loqui valens, hæc verba subjunxit: Ancillam humilem, non dominam, me futuram esse polliceor. Corpus vero divæ Gratæ per sanctam Hesteriam traditum est sepulturæ.

6 Tunc convenerunt principes urbis ad Dei famulam Hesteriam dicentes: Ob fiduciam, quam de tua pietate gerimus, rogamus te, digneris super

per

Ex MS. et a Bergomatibus admittitur ad urbis principatum ;

per nos primatum sumere. Quibus illa respondit : Et unde hoc mihi, quod ego femina, de genere principum non existens, viris tam gloriosis debeam principari? Humilem potius ancillam me facite; serviam pro posse vobis fratribus meis amore Domini Jesu Christi. Cui omnes dixerunt : Quia ergo tuam humilitatem respicimus, hinc est quod te cupimus exaltare, decrevimus, et statuimus. Quibus contradicere non valens, civitatis reginem sumpsit; in quo donec perstitit, magnam sui laudem et memoriam dereliquit.

in quo confirmanda per judices imperatorios,

7 Primo namque de laudibus divinis in ecclesiis persolvendis animum suum apposuit, juxta id Salvatoris nostri documentum : Primum quærite regnum Dei; deinde paci civium et populorum curam adhibuit diligentem; demum pauperum, et indigentium necessitatibus sublevandis. Unde factum est, ut eam cuncti summa veneratione prosequerentur. Cum venissent Bergomum duo judices ab imperatore missi, ut Hesteriam in ducatu confirmarent, sedentes pro tribunali, fecerunt Hesteriam coram se sistere, et dixerunt : Veneranda Domina, quanta sis digna laude, virtutibus tuis præviis, effectus iste demonstrat, quod cum non sis de genere B principum, te mulierem vetulam in suam ducissam, gubernatricem, et dominam cives elegerunt; quare Deo Jovi thura te dare convenit, qui tibi talem gratiam contulit.

Christiana deprehenditur,

8 Tunc Mulier sancta ita respondit : Vos, qui judices estis constituti, justitiam et æquitatem servare decet; sed totum oppositum facitis : nam me suadetis honores divinos afferre, cui magis contemptus debetur; et eum contemnere, qui largitor horum exstitit. Quæ commemoratis, contulit Christus Jesus, qui cum Patre, et Spiritu sancto cuncta creavit, et universum gubernat, et se diligentes speciali gratia decorat. At Judices exclamantes in eam, dixerunt : Ergone, misera mulier, Christiana es? Solemnitas hæc, quam putabamus gaudio tuæ coronationis explere, vertetur in luctum. Respice, domina, si mortem evadere cupis, et optas ducatus honoribus insigniri. An non recolis, Alexandrum militem ob hanc causam graviter punitum?

et subjicitur gladio.

9 Quibus illa nil trepidans, intulit : O me felicem, si gloriosissimi Martyris per vos nominati pretiosissimæ morti participare possem! Quæ C me putatis appetere, divitias temporales, gloriam, et delicias carnales, omnia tanquam stercora puto, dummodo Christum lucrifacere possim. At illi : Quid protelari juvat? Aut Jovem adora, vel vitam cum morte mutabis. Tunc illa D genua terræ figens, et cœlum respiciens, hanc fudit orationem : Domine Jesu Christe, qui mundum creasti et mirabiliter proprio sanguine redemisti; suscipe, quæso, corpus et animam ancillæ tuæ, quæ tibi nunc offero sacrificium in odorem suavitatis; suppliciter orans, ut omnium hujus civitatis miserearis, et his, qui me persequuntur, ignoscas, et lumen tuæ gratiæ mittas. Quod audientes judices, facto nutu spiculatori, ejus caput amputari jusserunt. Angeli vero tollentes animam ejus, cum immenso jubilo conspectui Majestatis divinæ præsentaverunt. Deinde Christiani corpus illud sacrosanctum honorifice sepelierunt in divi Alexandri æde *e* anno Nativitatis dominicæ trecentisimo septimo *f*, die vero decimo Augusti.

ANNOTATA.

a *De* S. Grata *agetur die* IV *Septembris. Non fuisse autem illam cum* S. Hesteria *primam omnino causam divulgandi in civitate Bergomensi nomen* E *Christi, sed potius a S. Barnaba olim divulgatum, ac subinde sopitum, resuscitandi, ultro ipsi Bergomenses asserunt.*

b *Maritum* S. Gratæ *aiunt fuisse regem quemdam Germaniæ : hinc ipsa* regina *dicitur.*

c *De SS. Lupo et Adleida, S. Gratæ parentibus, egit Henschenius noster eodem die 9 Junii; sed ante acceptum collectionem Ms. Clarissimi Guerrini; e qua siquid emendari poterit, id fiet die 4 Septembris, ubi de S. Grata.*

d S. Alexander *M. unus ex legione Thebæorum colitur Bergomi, ut patronus principalis die 26 Augusti, quo etiam notatur in Martyrologio Romano. Quæ tum dicenda erunt, huc lucem afferent.*

e *An ergo illa jam tum exstabat? Aiunt Bergomenses; nos examen remittimus ad diem 26 hujus mensis.*

f *Nihil invenimus hactenus, quo hæc epocha solide probetur. Itaque Baronius in Annalibus ejus martyrium recenset anno Christi 303; sive quia putavit, illo anno re vera contigisse; sive quia incertam judicavit esse, quam Bergomates hic defendunt epocham. Vide Commentarium prævium num. 8 : nec enim talia sunt hæc Acta, ut* F *iis operose per singula vel illustrandis, vel confutandis operæ pretium nos facturos speremus.*

DE S. DEUDEDIT CONFES.

ROMÆ

J. B. S.

Ex martyrologio Romano.

Sec. VI. A Baronio Sanctus est adscriptus

H*ujus nominis in Fastis sacris solus et unicus notus est is quem dedimus* XV *Julii, nempe episcopus Cantuariensis ordine sextus : ast is, de quo hic loquimur, in nullis etiam recentioribus Martyrologiis repertus est hactenus prælerquam in hodierno Romano, ut a Baronio recensitum et auctum est, id quod in notis satis aperte fatetur, dum nullum citat præter S. Gregorium in Dialogis lib. 4 cap. 36, qui tamen ipse, ut Virum laudaverit, Sancti aut Beati appellatione nusquam honoravit, eo solum titulo ipsum prædicans, quem in Martyrologio descriptum habes, ubi his verbis seu elogio consignatur :* Romæ sancti Deusdedit confessoris, qui quod in hebdomada manibus suis operando lucrabatur, die Sabbati pauperibus erogabat. *Viri eminentissimi annuntiationem, ab Ecclesia admissam et aliquo modo approbatam non magis vellicare lubet, quam supra datam de virginibus et martyribus Carthaginiensibus. Ad ampliorem paulo rei notitiam conferet,*

A *feret, si ipsummet S. Gregorii textum hic integrum subjiciamus. Ita habet :*

quia laudatus a S. Gregorio PP.

2 Hic etiam quidam juxta nos Deusdedit nomine, religiosus habitabat, qui calceamenta solebat operari, de quo alter per revelationem vidit quod ejus domus ædificabatur, sed in ea constructores sui solo die Sabbati videbantur operari. Qui ejusdem viri postmodum subtiliter vitam requirens, invenit quia ex his quæ diebus singulis laborabat, quidquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die Sabbato ad beati Petri ecclesiam deferre consueverat, atque indigentibus erogare. Qua ex re perpende, quia non immerito ipsius fabrica Sabbato crescebat. *Hæc nonnihil contraxit Ferrarius, de suo addens tanquam Gregoriani textus partem :* Is ex hac vita IV Idus Augusti ad eleemosynarum fructum percipiendum migravit. *Melius observasset, hunc diem tanquam ipsi natalem selegisse laudatum Baronium.*

AUCTORE J. B. S.

DE S. ARIGIO VEL AREDIO CONFES.

ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI IN GALLIA

SYLLOGE APOLOGETICO-HISTORICA

J. P.

§ I. Varia nominis efformatio; criminationes contra Sanctum, uti et defensio pro eodem apologetica

B

POST ANNUM DCXI. *Sanctus hic cum alio non confundendus.*

Monitum ante omnia volumus lectorem, ne sanctum hunc Antistitem confundat cum alio synonymo ac synchrono episcopo Vapincensi (de aliis dicetur sub finem hujus Sylloges, uti et de hoc plura dabuntur infra) cujus Vita in Opere nostro illustrata jam pridem fuit ad diem I *Maii a pag. 107 ; Lugdunensis autem, die* XIII *a Ghinio relatus, prout habes in Prætermissis ad istum diem pag. 753, rectius ibidem in hunc* X *Augusti dilatus est, uti conficietur ex iis, quæ de publico ejus cultu postea disseremus. Variæ vero nomen hoc efformandi rationi non repugno ; sive enim scribatur* Arigius, Aregius, Aredius *sive* Aridius; *eumdem hodiernum Præsulem intelligi volo : notum quippe est, nomina propria vel in primis fontibus aliter atque aliter haberi posse, vel a transcriptoribus variari. Hic autem quodnam sit primævum ac genuinum, non habeo, unde definiam : nec moror Ferrandum (cujus recurret mentio inferius) pag. 31 occasione Arigii sui, hæc de nostro observantem :* Hunc *(nostrum Antistitem Lugdunensem intelligit)* perperam Severtius Aridium nominat, et cum Aimoino errante errat. *Sed tantilla ac incerta res nobis nihil molestiæ creare debet, ubi aliæ sunt, eæque momenti longe majoris, quæ videlicet in gravissimis adversus Viri sanctitatem accusationibus versantur, prout visuri sumus. Prima itaque eas sincere ac candide proponamus ; ac deinde dispiciamus, quidnam et ad illas responderi, et pro Præsule nostro dici possit.*

C

Accusationibus

2 *Si vera sunt, quæ de* Arigio *nostro memorant scriptores, gravissimorum criminum reus fuerit oportet. Fredegarius quippe Scholasticus in Chronico, quod Theodericus Ruinartius edidit, ac S. Gregorii Turonensis episcopi Historiæ Francorum subjunxit, cap. 24 a col. 604 hæc habet :* Anno VIII regni Theuderci *(Christi 603)* synodus Cabillono colligitur : Desiderium Viennensem episcopum dejiciunt, et instigante Aridio Lugdunensi episcopo et Brunichilde, subrogatus est loco ipsius sacerdotali officio Domnolus ; Desiderius vero in insulam quamdam exsilio retruditur. Eo anno sol obscuratus est. *Et cap. 30 :* Eodem anno *(regni* Theuderici XII, *uti præmiserat, Christi 607)* Theudericus Aridium episcopum Lugdunensem, Rocconem et Æpporinum comestabulum ad Bettericum * regem Spaniæ direxit qui exinde Ermenbergam filiam ejus, Theuderico matrimonio sociandam adducerent : ibique datis sacramentis, ut a Theuderico ne unquam a regno degradaretur, ipsamque accipiunt, et Theuderico Cabillono præsentant ; quam ille gaudens diligenter suscepit. *Cap. autem 32 :* Eo anno Theudericus, consilio Aridii episcopi Lugdunensis perfidi utens, et persuasu aviæ suæ Brunechildæ, sanctum Desiderium de exsilio regressum lapidare præcepit.

E

* *i. e.* Witturicum

S. Aridio imputatis

3 *Fredegario suffragatur Aimoinus Parisiis editus anno 1603, qui lib. 3 cap. 89, pag. 144 sic narrat :* Synodus etiam Cabillone collecta, Desyderium Viennensem episcopum dejecit : eoque factione Brunichildis et Aridii (Lugdunensis pontificis, qui Secundino successerat) in exsilium acto, subrogatus est Dommilus in sacerdotale officium. *Et cap. 92 pag. 146 :* Theodoricus persuasionibus Aridii Lugdunensis episcopi, ac aviæ suæ Brunechildis deceptus, sanctum Desiderium Viennensem pontificem exsilio revocatum lapidari præcepit. *Auctor Vitæ S. Romarici, apud nostrum Labbeum Novæ bibliothecæ Mss. librorum tom.* I, *pag. 781 hæc memoriæ prodidit :* Erat tunc temporis in palatio unus episcopus nomine Aridius, qui Brunichildæ reginæ sedulo famulabatur eloquio, illiusque supra dictus vir pedibus prostratus supplicat, ut res apud reginam suo interventu recipere potuisset. Illeque ira sauciatus, os viri pede excusso impie verberavit, statimque surgens vir Dei Romaricus ad basilicam S. Martini perrexit, atque in pavimento projectus mox tali voce affatur : O beate Martine, commendavi me tibi ; ubi es? quid agis? Affer opem misero, ut nullis deinceps tuis patrociniis mancipetur. Et his dictis regressus ad civitatem tanquam responso accepto, rei præstolabatur eventum. Sed illucescente die crastina, vulgatum est regem Theodericum mortis sententia perculsum fuisse ; ac deinceps accitus a regina vel ab episcopo Aridio Romaricus reddito patrimonio supplicatur, ut saltem per ipsum eisdem de urbe Metensi fugiendi darentur spatia. Ille diligens inimicos suos, auxilium ipsis, ut tempus patuit, non negavit. *Habes hic, lector, crimina, de quibus isti auctores incusant* S. Aridium *nostrum. At videamus nunc quidnam*

F

AUCTORE J. P.

quidnam ab alis in favorem ejus ad illa respondeatur, varias proferendo eorum sententias, quibus objectas Sancto accusationes vel penitus amovere conantur, vel mitigare.

respondet Cointius.

4 *Prima igitur sit Cointii, qui in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom. II, ad annum 607, num. 15* Aridium *omni plane crimine liberat, ac falsitatis arguit scriptores, qui calamos adversus eum acuerunt. Ad duo itaque accusationum capita, quæ supra e Fredegario produximus, et duorum alterum in Desiderio e sede Viennensi dejecto; alterum in ejusdem Sancti lapidatione versatur,* Aridio, *uti ibidem dicebatur, utrique isti facinori cooperato; ad duo, inquam, ista sic respondet Cointius :* Utrumque silent Jonas et Ado : nam Jonas totum crimen in Brunechildem reginam ac Theodoricum regem, Ado in unam Brunechildem, neuter in Aridium episcopum rejicit. Fatemur quidem Aridium in Lugdunensi cathedra sedisse toto tempore, quo Desiderius Viennensis antistes exsulavit, sed eum in exsilium aut in mortem ejusdem Desiderii consensisse non existimamus, *ob Viri sanctitatem, ac publicum cultum in diœcesi Lugdunensi, sicut ibidem subdit.* B *At nos de his alio agemus loco inferius. Jonas interim modo memoratus est iste, qui, prout præmiserat Cointius ibidem num.* II, intra triennium ab obitu S. Bertulphi Bobiensis abbatis, cujus mors in annum Christi DCXL incidit sanctorum Columbani et Attalæ Vitas edidit, *quinque* in Vita S. Columbani loquitur de passione S. Desiderii; *sicut videre licet apud Mabillonium Act. Benedict. sec. 2, pag. 26, num. 54.* Ado *autem* Viennensis episcopus in suis ad ecclesiam Viennensem litteris hoc ipsum S. Desiderii martyrium copiosius descripsit; *uti dixerat Cointius num. 13. Ex quibus intelligit lector, de quibus scriptoribus hic agatur.*

omni eum crimine

5 *Aliud argumentum, quod pro defensione* S. Aridii *assumit laudatus Annalium auctor, in eo positum est, quod idem Sanctus confundatur cum synonymo antistite Vapincensi.* Jacobus Severtius, *inquit num. 15,* sanctum Arigium Lugdunensem episcopum confudit cum B. Arigio episcopo Vapincensi; cui Gregorius Magnus litteras frequenter scripsit. *Alterum autem ab altero* distinguendum esse, C satis docent ipsæmet epistolæ Gregorianæ. Nam Gregorius complures Arigio Vapincensi direxit, cum Lugduni sedebat Ætherius, qui vitam anno septimo Theodorici regis, id est, anno Christi DCII clausit ex Fredegarii calculo, et in potificatu Lugdunensi Secundinum Arigii decessorem antecessit. Errorem, in quem Severtius nuper lapsus est, Fredegarius videtur olim commisisse, nec aliam causam fuisse suspicamur, cur de S. Arigio Lugdunensium antistite tam male senserit. Perattente legerat scripta Jonæ, ut ex iis, quæ post biennium de B. Columbano dicemus, apertissime constabit. Observarat in Vita S. Attalæ vituperari Arigium episcopum, in cujus disciplinam Attala puer a patre traditus fuerat; cumque nullum illius nominis antistitem nosset præter Lugdunensem, qui pontificatum illo gessit tempore, quo Desiderius præsul Viennensis in exsilio vixit; facile sibi persuasit, illum Arigium hominem impium ac nefarium fuisse, cujus animus ab exsilio, et a morte S. Desiderii non abhorreret.

liberans.

6 *Deinde recitatis ex Vita B. Attalæ his Jonæ verbis,* Attala dum a patre nobili liberalibus litteris imbutus fuisset, Arigio quondam pontifici ab ipso genitore commendatus est, sed bonæ indolis puer etc. Locutus est, *sicut continuo addit* D Jonas de Arigio Vapincensi; nec illum meliori carpsit jure, quam Fredegarius Arigium Lugdunensem : nam nec Arigius Vapincensis obnoxius est vituperationi, quod Attala, qui monastica magis quam clericali vita delectabatur, Vapingo et Clericorum schola relictis, in eremum Lirinensem secesserit; nec Arigius Lugdunensis reus haberi debet, quod eodem tempore, quod Lugdunensem pontificatum gerebat, Desiderius Viennensis episcopus in exilium actus sit. *Ad auctorem vero Vitæ S. Romarici, hæc reponit Cointius ibid. pag. 582 :* A Fredegarii Chronico in Vitam S. Romarici transiit sinistra illa opinio de Arigio episcopo Lugdunensi, *quam supra expressimus istius biographi verbis.* At huic fabellæ *(ita subdit ibidem Cointius)* refragatur ratio temporum : Aridius enim, qui Lugdunensem pontificatum anno Christi DCIII suscepit, migravit ad Dominum IV Idus Augustas anno Christi DCXI, cum sedisset annis octo sexque mensibus; nec pervenit ad annum Christi DCXII, quo Theodobertus rex a Theodorico fratre victus est; multo minus ad annum Christi DCXIII, quo Theodoricus E rex interiit. *Sed quando, et quandiu sederit* S. Arigius, *nos suo loco expendemus, atque adeo an quidpiam, et quantum momenti insit ratiocinio Cointii, quod a tempore desumit.*

Alii pro S. Aridio

7 *Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi pag. 31 probata nostri Antistitis sanctitate nec non publica veneratione,* Sic, *inquit,* oportuit communitam sancti hujus Præsulis beatitatem adversus Fredegarii Scholastici morsum, qui rumori per calumniam disseminato assensus S. Arigium . . . reum facit cædis S. Desiderii Viennensis episcopi. *Et pag. 32* De S. Romarico narrationem . . . ex falsis rumoribus et calumniosis petitam, atque adeo improbandam esse, persuasum, *inquit,* habeo. *Ad hæc, sanctum Præsulem ab impacto crimine purgare pergit ex eo præsertim, quod unus id Fredegarius scripserit, quem descripserit Aimoinus,* ut proinde tota illa narratio unius duntaxat auctoris fide nitatur : quam multiplex sanctitatis Arigii suffragium paulo ante prolatum, sufficienter labefactat, persuadetque esse calumniam in sanctum Præsulem jactatam, F et a Fredegario . . . ex vulgari rumore scriptis proditam. Quanquam si maculam illam ab Arigio contra S. Desiderium contractam, plane constaret (et idem multo facilius dicitur de immitilate erga S. Romaricum) potuisset eam pœnitentiæ lixivio eluere, et integer vitæ scelerisque purus excedere.

locuti;

8 *Jam vero alios duos auctores, qui modo citatis sunt ætate anteriores, cur tacitus præteream? Noster Nicolaus Serarius Opusculorum tom. I, quo continentur historica, in Notationibus ad S. Romarici Vitæ caput 3, pag, 368, ea quæ ab Aridio adversus eum dicuntur commissa,* ita declinare tentavit *(verba sunt Raynaudi loco citato)* ut hæc cadere dicat in Aridium Lugdunensem minus dignum episcopi nomine; non autem in alium ejusdem nominis Lugdunensem episcopum valde sanctum : cujus mentio est apud Turonensem lib. 10, cap. 29, et apud Venantium Fortunatum lib. 5 epigr. 20 *(al. 22) Sed 1°, Serarius loco citato illa non dicit : nam postquam scripsisset,* Iste vero Aridius episcopus fuit Lugdunensis, qui B. Desiderio Viennensi episcopo, exsilii mortisque causa cum . . . Brunichilde . . . exstitit; *deinde* qui, *inquit,* ab optimo illo valde diversus, de quo lib. 10 cap. 29 Turonensis. Vide et

de et Venantium lib. 5 epigr. 20. *Fuit autem is non Lugdunensis episcopus; sed abbas Lemovicensis, Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti inscriptus, prout ex dicendis postea num. 31 constabit. 2° Non declinat Serarius accusationem; sed aperte eam affirmat, et admittit. Severtius in Chronologia historica archiepiscoporum Lugdunensium pag. 132 editionis anno 1628 Lugduni vulgatæ, de improbitate* S. Aridio *imputata perquam confuse disserit, dum hæc scribit :* Unde ergo talis sanctitas cum improbitate sociata? Sane hinc argumento est, quod vel 1° male deceptus fuerit, quando insidias porrexit sanctissimo Desiderio Viennensi, ut peccatum ejusmodi excusatione dignum videatur : vel quod 2° falsa est ea narratio de ipsius flagitio : vel tandem quod 3° e vestigio ad exitum usque vitæ acerbissimum pœnitentiæ genus in se ultro susceperit et exegerit ob perpetratum in fratrem crudele spectaculum.

Pagius vero reum facit,

9 *Pagius in Critica Baroniana tom. II ad annum 612 num. 13 et sequentibus præsentem controversiam expendens, duplicis culpæ S.* Aridium *reum facit. Ac propositis tribus Severtii rationibus, quas modo recitavimus,* Tertia, *ait,* duabus aliis præferenda videtur. Anonymus enim, qui Vitam S. Romarici abbatis Habendensis in litteras retulit, quæ exstat apud Mabillonium sec. 2 Benedictino, num. 3, ait *etc. Vide supra num.* 3. Commissum illud ab Aridio flagitum *(ita pergit pagius num 14)* anno DCXIII, quo Theodoricus rex e vita migravit. Sed utramque culpam severioribus pœnis expiandi tempus Aridius habuit; cum ante annum DCXXIV, quo, ut testatur Flodoardus lib. 2 Historiæ cap. 5, Thedericus episcopus Lugdunensis concilio Remensi interfuit, nullus alius eidem ecclesiæ præfuisse reperiatur. Verum quidem est, Severtium laudatum asserere, hæc in antiquo Bellijocensis ecclesiæ collegialis Martyrologio Ms. legi IV Idus Augustas : « Lugduni sancti » Arigii episcopi et confessoris; qui rexit eccle- » siam annis octo, mensibus sex. » Quod et Theophilus Raynaudus affirmat etiam haberi in Martyrologio Lugdunensi eodem die. Arigius autem, ut ex mox dictis liquet, anno DCXIII jam Lugdunensem ecclesiam regebat. Verum hujusmodi Martyrologia longe post annum Christi millesimum exarata, et tam brevis pontificatus ex conjectura ab aliquo imperito attributus S. Aridio; præterquam quod veteribus Martyrologiis similes annotationes nulla veritate nixas, non raro adjectas fuisse, multis exemplis constat.

sed pœnitentem.

10 Cointius anno DCVII, et Mabillonius in notis ad vitam S. Romarici, qui secundam viam Arigii sanctitatis defendendæ elegere, respondent hæc falso impingi Aridio, et huic fabellæ refragari rationem temporum; cum is tantum sederit annis octo ac sex mensibus. Verum jam ostendimus Aridii pontificatum longe diuturniorem fuisse; auctorem vero anonymum, qui Vitam S. Romarici scripsit, antiquum esse ac gravem, et scripsisse etiam Vitas S. Amati ac S. Adelphi abbatum Habendensium, ostendit ipsemet Mabillonius in observationibus prævlis ad Vitam S. Amati. Ætatem enim suam indicat in Vita Amati num. V, dum hujus cellam et trabem miraculo auctam se vidisse testatur. In Vita S. Romarici se ejus discipulis æqualem vixisse, num. IX et ultimo prodit; ac demum Adelphi Acta post tres annos ab ejus morte, quæ contigit anno DCLXX, a se scripta innuit num. 11. Neque aliquid in tribus illis Vitis legitur, quod in falsitatis suspicionem vocetur. Sicut itaque sanctitati Romarici non officit, quod aliquot post hunc annos Agrestii seu Agrestini schismatici suasionibus seductus fuerit, ut refert Jonas in vita S. Eustasii abbatis Luxoviensis, quia resipuit : ita nec duplex culpa ab Aridio commissa, quia pœnitentia purgata, hujus sanctitati obstat. Et quemadmodum culpa Romarici in dubium vocari non debet, licet ab auctore anonymo ejus Vitæ scriptore prætermissa fuerit; pari eademque ratione nec culpa Aridii inter fabulas numeranda, quia anonymus et Ado, qui martyrium S. Desiderii narrarunt, ne verbum quidem de Aridio habent. Ex quibus patet, quam infirmum sit argumentum negativum.

Auctore J. P.

Aliorum auctorum

11 *In Gallia Christiana editionis novissimæ Parisiensis tom. 4, in* S. Aridio XXXIII *Lugdunensi antistite, postquam in medio posita fuissent argumenta, quæ ipsum volunt reum fuisse, ac alia, quæ id negant; subjiciuntur sequentia :* Nescio an negans argumentum quidquam possit adversus expressum ejusdem temporis scriptorum testimonium. Cædis Desiderii auctores refert Jonas, non incentores; id enim ad illius institutum nequaquam pertinebat; Jonæ intererat, Brunechildis vitia proferre; Lugdunensis vero Præsulis non ita. Ea Fredegarius refert et Aimoinus, quia generalem historiam scribebant : cujus operæ erat, omnes tam scelesti facinoris sive auctores sive instigatores propalare. Denique quo fine Arigii crimine nomen tanto iufamasset Fredegarius? Nihil unquam illi cum Arigio. Deceptus est, inquit Cointius, et Vapincensem Arigium cum Lugdunensi confudit. Consedisse, falsum est, et licet verum foret, nihil in Vapincensi reperitur, quo tam atroci criminationi locus suppetat. A testimonio scriptoris Vitæ S. Romarici sese haud felicius extricat Cointius. Quod enim ille refert, actum pridie, et ipso die mortis Theodorici, aperte falsum est; obiit enim Aridius anno DCXI, sive sesquianno priusquam Theodoricus e vita tolleretur.

super causa Sancti placita

12 *P. Jacobus Longueval S. I., qui nuper edidit Historiam ecclesiæ Gallicanæ, tomo III, ad annum 607, pag. 380 obiter præsentem tangens controversiam, memorat ista, quæ ex Gallico sic sonant :* Historicus Fredegarius mortem S. Desiderii attribuit malis consiliis Aredii Lugdunensis. At quoniam Aredius in sua ecclesia tanquam sanctus est honoratus X Augusti; credendum est, vel quod hanc culpam, et quasdam alias quæ ipsi improperantur, per pœnitentiam expiarit; vel quod Fredegarius male instructus fuerit : id quod probabilius est : quandoquidem auctor contemporaneus vitæ S. Desiderii neutiquam loquitur de isto facto. *Quantum vero ad illud spectat, quod circa Romaricum* Aredio *imputatur; videtur, inquit ad annum 613, pag. 404,* episcopus esse Lugdunensis hujus nominis, tanquam Sanctus sua in ecclesia honoratus. Non est necesse, culpas haud commisisse, ut Sanctorum numero quis accenseatur; sufficit reparasse *etc.*

proponuntur.

13 *Vitam S. Desiderii M. ab auctore coævo compositam illustravit Henschenius tom.* V *Maii, die* XXIII, *a pag. 251; ubi de aliis Vitis ejus agens, et eadem occasione de Fredegario, excusavit jampridem* Arigium *a crimine, quod auctor ille ei impegerat.* Fredegarius *inquit,* in Chronico describit exsilium et martyrium S. Desiderii; sed Acta jam indicata non habuit; et ideo aberrat, dum exsilium ejus ad biennium contrahit, et martyrii reum facit S. Aridium episcopum Lugdunensem; cujus neque Acta neque Ado, neque alii antiqui meminerunt. *Et tamen auctor Vitæ istius antiqua*

S. Desiderii

AUCTORE J. P.

S. Desiderii, ea quæ cum ad ipsius necem, tum ad machinatores ejusdem attinent, admodum distincte refert loco citato pag. 253 hæc scribens de Brunechilde : Protinus nimio inflammata furore, ardenti consilio servum Dei conatur occidere; conquerens ipsius verbis regis amorem erga refriguisse. A tribus itaque impiis comitibus, Bessano scilicet, et Gasisredo atque Betone, pontifici Dei etiam intra fores ecclesiæ juges insidias jubet parari, et ubicunque possit comprehendi, protinus eum præcepit interfici. Tunc vir sanctus . . . in se constipatas acies celeri cursu ingreditur armatorum. Cum ergo eum hostes in territorio Lugdunensi juxta flumen, cujus vocabulum est Calarona, adstantes conspicarentur, et eum occidere vellent . . . tum Sanctus Dei, poplite flexo in terram, atque oratione completa, caput obtulit indubitanter. Subito unus ex satellitibus impiorum, projecto grandi lapide, caput collisit pastoris, moxque uno tantum lapidis ictu sanctum virum in terram cadere coegit. Sed cum diuturno spatio placita Deo anima nullatenus vellet propriam sedem relinquere, perfidus ille, apprehenso ambabus manibus stipite, cervicem tanti confregit pastoris. *Nonne ista satis graphice ac diserte exposita sunt? In his tamen cur de* Aridio *episcopo, si criminis fuit ejusdem incentor, reusque ac particeps, verbum nullum? Cur in aliis adjunctis exprimendis adeo vividus auctor ille; in* Aredio *autem, ut sic dicam, mortuus? Tametsi vero argumentum illud est negativum, ut vocant, non tamen ideo est sine pondere.* B

Nostrum

14 *Verum ut his, quæ tam contra Sanctum, quam pro eo utrimque sat multis hactenus disputata sunt, finem imponamus, binas deducimus ex præmissis conclusiones; quarum una sit hæc in ejus favorem. 1° Nemo tam gravium præsertim criminum reus est habendus, quandiu talis sufficienter non probatur. 2° Cum in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; cumque ex ore solius Fredegarii loquantur alii auctores, aliis antiquioribus silentibus; accusationis causa non videtur satis evinci adversus Aridium. 3° Ipsemet accusator Fredegarius supra num. 5 a Cointio, et num. 13 ab Henschenio non unius accusatur erroris. 4° Sanctitas* Aridii *ex cultu publico, legitimis, ut paragrapho proximo videbimus, argumentis comprobato, præjudicium insuper non contemnendum offert pro innocentia Sancti adversus criminatorem ejus. 5° Ab aliis accusatur, ab aliis excusatur ac defenditur. Cum autem nostræ sint partes, Sanctis favere ac patrocinari, quantum, salva veritate, possumus; liceat nobis ob rationes illas, quas protulimus, benigniorem in causa hac partem amplecti ac nomen nostrum profiteri in numero defensorum ejus; donec certiora edoceamur. Atque hæc prima nostra est conclusio.* C

in hac causa judicium.

15 *Altera in eo sita est, ut, etiamsi revera reus foret criminum, quæ ipsi imputantur; excludi tamen nec debere, nec posse videatur e loco, quem ipsi inter alios Sanctos hic damus; quia, quidquid sit de accusationibus, manet in certa possessione publicæ venerationis, idque a tot seculis ante decretum Urbani PP. VIII. At, inquies, quibus documentis hoc in casu constat, quod exemplarem ac insignem pro gravitate delictorum pœnitentiam egerit? Respondemus : Quibus e documentis constat, quod hujusmodi pœnitentiam non egerit? Eam enim vero agendi tempus habuit ex supra dictis. Egisse autem eam in vita nonne prudenter supponitur* S. Aridius *propter venerationem publicam, qua post mortem honoribus Sanctorum antiquitas eum prosecuta fuit?* D

§ II. Cultus; Sancti decessor in episcopatu; ad S. Aridium Vapincensem, non ad nostrum S. Gregorii magni epistolæ quid de epistola S. Columbani; studium erga ædes sacras.

Ex Raynaudo.

T*heophilus Raynaudus, quem supra citabamus, adeo varia ac multa congerit ad probandam* S. Aridii *publicam venerationem, ut nullus eam in dubium revocandi, nedum negandi locus superesse videatur. Proferamus ejus verba :* In duplici serie Lugdunensium præsulum apud Democharem *(lib. 2 de Missæ Sacrificio cap. 27 fol. 46)* Sancti titulo decoratur : eoque nomine in propriis Lugdunensis ecclesiæ litaniis invocatur, et Calendario Lugdunensi adscriptus legitur IV Idus Augusti : qua etiam die Martyrologium Lugdunense hæc verba habet : Lugduni, S. Arigii episcopi et confessoris, qui rexit præfatam ecclesiam annos octo, menses sex : obiit namque quinquagesimo ætatis suæ anno. Ad hæc, in scripto justissimæ auctoritatis ac fidei, quo sacræ reliquiæ in S. Justi antiquo templo conditæ numerantur, adscriptis gravibus octo theologis, nempe quatuor ex Ordine FF. Prædicatorum, et quatuor item ex Ordine FF. Minorum, ad sacrorum loculorum resignationem adhibitis a Guilielmo de Velentia, archiepiscopo Viennensi qui basilicæ illius sacris reliquiis recognoscendis rogatu Canonicorum dabat operam; in eo, inquam, scripto, quod anno Christi MCCLXXXVIII confectum est, inter alias sanctarum reliquiarum capsulas, recensetur ea, qua S. Arigii Lugdunensis episcopi et confessoris sacra ossa condita erant, et titulus Sancti capsulæ inscriptus memoratur. Denique et ab eo tempore, et multis ante seculis, S. Arigii reliquis in ea basilica religiosus cultus delatus est; ejusque memoria die superius annotato, ubivis in Lugdunensi diœcesi Officio ecclesiastico recolitur; in prædicta autem ecclesia ritu semiduplici celebratur. *Sed mutationem aliquam in diœcesi prædicta circa diem cultus deinde factam esse oportet; nam Bailletus narrat, sub finem hujus Sylloges num. 29 a nobis citandus,* cultum ejus per totam diœcesim Lugdunensem stabilitum esse, ac ejus festum ad duodecimam mensis remitti in locis, ubi Officium ipsius est semiduplex. E F

Ms. Calendario Lugdunensi.

17 *Habemus Ms. hoc titulo prænotatum,* Breviarii Lugdunensis ad Tridentini formam cudendi pariter et recitandi Calendarium, et Vitæ Sanctorum, *auctore, uti constat ex approbatione, Stephano Vernay presb. Lugdunensi; ubi habentur sequentia ad diem* X *Augusti :* Eodem die pro com. S. Arigii episcopi et conf. Arigius, quem alii dicunt Aridium, ex patritio apud Gallos, archiepiscopus Lugdunensis effectus anno Christi circiter sexcentesimo vicesimo, sub Theodorico Burgundiæ rege, memoriam decessoris sui Chagnoaldi sive Canoaldi successione digna condecoravit annis octo mensibus sex, quibus eamdem rexit ecclesiam in omni sanctitate, Gregorio Romano Pontifici, episcopum Francorum eum vocanti, valde experta : cujus hæc sunt verba lib. 5

Epistola-

A Epistolarum : Quanta in nobis bonitas, quantaque mansuetudo cum Christo placita caritate resplendeat. *Et post nonnulla, quæ de ejus sanctitate ac cultu publico sequuntur, et quæ supra dedimus ex Raynaudo, uti et de locis sacris restitutis ab eo seu constructis (de his postea agetur) obiisse dicitur* eximius hic Antistes quinquagenario major, in legatione, qua functus est pro Theodorico, ad Bertricum Hispaniæ regem, sive etiam post ipsam. *Valeant hæc saltem ad confirmationem venerationis publicæ : alia quippe, quæ huic adjungit, ex dicendis per decursum poterunt corrigi. Cæterum publico ejus cultui suffragatur Saussayus in Martyrologio Gallicano, atque his præterea eum præconiis hoc die prosequitur :*

ac Saussayo cultus publicus stabilitur.

18 Eodem die Lugduni depositio S. Arigii episcopi et confessoris, qui arduam virtutis semitam a teneris annis aggressus, celsos per meritorum gradus, ecclesiasticos Ordines conscendit; tantaque in iis emicuit religionis et doctrinæ gloria, ut S. Chagnoaldo ad regna cœlestia assumpto, archipræsul almæ hujus sedis, non sine B superno spiramine creatus, memoriam decessoris digna successionis vice condecorarit. Populum siquidem sibi creditum ea virtute et integritate gubernavit, qua præstantes quoslibet Domini sacerdotes omni virtutum gratia anteiret. Magnificus in sacrorum locorum ornatu, basilicam S. Justi vetustate lapsam restituit : ecclesiam sanctæ Crucis construxit; mira in Dei honore procurando et ovium salute operatus est. Demum perfectæ sanctitatis clarus insigniis, vocante Domino, æternum abiit ad præmium. *Post hæc, quæ hactenus de Sancti accusationibus, laudibus ac publica veneratione disputavimus, discutienda nobis supersunt nonnulla puncta, quæ circa ipsum non immerito lector eruditus e nobis quæsierit.*

Ejus decessor in episcopatu non Chagnoaldus.

19 *Primo itaque loco dicatur de* S. Aridii *decessore in episcopatu. Calendarium supra assignatum ac Saussayus Chagnoaldum ponunt, uti et Severtius pag. 126; ubi pro sua sententia varias ac multas oppido probationes agglomerat; quas huc transcribere, nimis longum foret, ac, spectato nostro instituto, quod proprie hic versari debet circa res ad* S. Aridium *pertinentes, minime necessarium. Ut simus ego breves; Cointius, postquam ad annum 607 num. 15 protulisset Sancti* C *nostri elogium ex Saussayo, quod modo dabamus, illum sic corrigit :* At Arigium Chagnoaldi successorem perperam facit : nam Chagnoaldus non episcopus Lugdunensis metropolitanus in prima provincia Lugdunensi fuit; sed episcopus Lugduni Clavati, seu Lauduni (Laon) in secunda Belgica sub Remensi metropolitano, et Fredegarius (capp. 22, 24) postquam anno Theodorici regis septimo Secundinum Ætherio Lugdunensi episcopo subrogatum dixit, Aridii Lugdunensis episcopi meminit ad annum ejusdem Theodorici regis octavum : ita ut dubitandi locus esse non possit, quin Aridius Secundino in episcopatum successerit. Andream Saussaium in errorem traxit Jacobus Severtius, qui præterea S. Arigium Lugdunensem episcopum confudit cum B. Arigio episcopo Vapincensi. *Hoc haud faciendum, in primo hujusce nostri Commentarii limine præmonuimus : an vero, a quo, et quomodo id factum sit, infra referemus. Nullum nos interea temporis, ut ad propositum redeamus, apud Sammarthanos in tanta quanta est serie archiepiscoporum Lugdunensium, Chagnoaldum invenimus; nullum idem in novissima Galliæ Christianæ editione; sed utrobique signantur* Ætherius, Secundinus, Aridius *etc.*

AUCTORE J. P.

sed Secundinus.

20 *Apud Sammarthanos autem in Gallia Christiana tom. II pag. 617 ponitur* Chainoaldus seu Chagnoaldus *inter episcopos Laudunenses anno 623, qui, sicut ibidem affirmatur,* obiit DCXXXVIII vel DCXXXIX. *Quomodo autem* S. Aridius *Chagnoaldo tunc succedere potuit, qui jam ante Chagnoaldum erat mortuus, ut dicetur postea? Apud Mabillonium Act. Bened. sec. 2 pag. 17 in Vita S. Columbani abbatis exstant ista :* Chamnoaldo LUGDUNO CLAVATO pontifice, qui ejus et minister et discipulus fuit, cognovimus referente *etc. Et ibidem in Vita S. Eustasii abbatis Luxoviensis pag. 118 :* Multi eorum *(de iis, quos hic sua facundia erudierat, sermo est)* post ecclesiarum præsules extiterunt, Chagnoaldus LUGDUNI CLAVATI *etc. Atqui de isto Chagnoaldo agit Severtius; consequens ergo est, ut cum ex albo episcoporum Lugdunensium expungendus, ac episcopis Laudunensibus accensendus sit,* S. Aridii *decessor neutiquam esse possit, ac pro* Lugduni *apud Severtium vel substitui debeat* Lauduni, *vel intelligi* Lugduni Clavati. E

Ad S. Aridium Vapincensem

21 *Quid porro dicendum de confusione* Aridii *Lugdunensis cum synonymo Vapincensi episcopo, de qua paulo ante Cointius accusabat Severtium? In priore editione Galliæ Christianæ tom. III, col. 1124, epistolæ a S. Gregorio ad S. Aridium vel Aregium Vapincensem datæ citantur; cui, teste Cointio supra indicato,* Gregorius magnus litteras frequenter scripsit. *Additque Cointius :* Arigium Vapincensem episcopum ab Arigio Lugdunensi antistite distinguendum esse, satis docent ipsæmet epistolæ Gregorianæ : nam Gregorius complures Arigio Vapincensi direxit; cum Lugduni sedebat Ætherius, qui vitam anno septimo Theodorici regis, id est, anno DCII clausit ex Fredegarii calculo, et in pontificatu Lugdunensi Secundinum Arigii decessorem antecessit. *In anno mortis prædicto convenit novissima editio Galliæ Christianæ (prior vero eum non exprimit) tom. IV, col. 39. Apud nos autem tom. I Maii, die* I, *pag. 407 ponitur* post annum DCI; *ubi ipsius Acta illustrantur. Ad quid de S. Gregorii magni ad laudatum sanctum Aridium epistolis?*

non ad Lugdunensem scribit S. Gregorius PP.

22 *Earum prima, ex ibidem dictis, exstat lib. 7 Registri epist.* III *scripta Indictione 2 (quæ est inter eas hujus libri epistolis, quibus præfigitur ista Indictio) ac proinde anno 599. Alteram* F *præterea ejusdem ad eumdem epistolam haberi lib. 9 ep. 51, scriptam anno 601, ibidem indicatum est pag. 108; notantur quippe istius libri epistolæ scriptæ Indictione 4, quæ respondet anno mox signato. Quibus duabus ibidem additur præterea epistola 62 ejusdem libri noni. Accedunt eo iter S. Arigii Vapincensis Romanum, arctaque ejusdem præsulis cum S. Gregorio necessitudo; de qua tomo ac die mox citatis Vitæ scriptor pag. 110, num. 10 agit, nec non de summa hujus erga illum existimatione, qui nunquam a finibus* Galliarum in illis partibus, talem se protestabatur omnimodis sacerdotem vidisse. *Quæ cum ita sint, nonne merito accusatur Severtius, quod, dum ex epistolis Gregorianis* Aridium *Lugdunensem laudat pag. 131, hunc cum synonymo Vapincensi confuderit? Nonne item ex dictis liquet, Vernayum superius num. 17 in hujusmodi confusionem esse prolapsum in iis, quæ de S. Gregorio circa* Aridium, *uti putat, nostrum commemorat? Nonne denique in nomine æquivoco perperam hic non esse aberrandum, ipsæmet docent S. Gregorii epistolæ jamjam citatæ; cum characterismi temporis*

AUCTORE J. P.

poris earum non excedant annum Christi 604; Aridius *autem Lugdunensis sedere duntaxat cœperit anno 603, prout alio loco dicemus?*

An una ex illis ad nostrum Aridium data epistola.

23 *Observa obiter epistolam* III, *de qua primo loco meminimus, inscribi* Aregio episcopo; *duas vero alias, quas ei subdidimus, dirigi* Aregio episcopo Galliæ; *præter illas autem esse aliam lib. 5 epist. 57* Arigio patricio de Gallia *sub Indictione 14, concurrente cum anno 596; quæ non ad Aridium episcopum, sed ad laicum data fuerit, prout ex ista inscriptione conficimus. Quod si is fuerit* Aridius *noster, nondum tunc ad cathedram Lugdunensem admotus; dici poterit cum Severtio pag. 132, eum* laica prius dignitate patritiali fulsisse; *et cum Vernayo supra num. 17,* ex patritio apud Gallos archiepiscopum Lugdunensem effectum.

An item S. Columbanus

24 *Longuevallius superius citatus postquam ad annum 602 egisset de epistola S. Columbani ad S. Gregorium PP. data circa celebrationem Paschæ, addit pagg. 372 et 373, eumdem S. Columbanum scripsisse super eadem quæstione ad Arigium episcopum; et mox, S. Arigium Vapincensem hunc esse affirmat, aut* S. Aredium *Lugdunensem, qui sæpe vocatur* Arigius; *ac ibidem observat, quod auctoritas, qua Lugdunensis valebat in aula et in episcopatu, suadere posset, ad hunc potius fuisse directum illud scriptum; sed in illa sententia dicendum, quod Secundinus, S. Ætherii successor, aliquot duntaxat mensibus istam sedem occuparit. Verum hoc nec videtur posse dici, nec illud factum innecti anno 602, quo illud refert Longuevallius, propter angustias temporis nimium breves, Ætherium inter ac Secundinum interpositas, secundum ea, quæ habentur in Galliæ Christianæ novissima editione, tomo citato col. 39 his verbis :* Scripsit *(S. Gregorius magnus)* anno DCII mense Novembr. epistolam, in qua definit, qua ratione providendum sit ecclesiæ, cum illius episcopus in capitis infirmitatem cadit, et suo fungi nequit officio. Hoc anno, antequam postremas has Gregorii litteras accepisset, imo et priusquam illas scripsisset S. Pontifex, obierat Ætherius : *ac producuntur hæc Fredegarii verba :* Eo anno (Theodorici scilicet VII, qui est Christi DCII, inquit Fredegarius in Chronico) Ætherius episcopus Lugdunensis obiit. Fredegarium exscribit Aimoinus lib. 3, cap. 90. Sed hic aperte fallitur, qui eum Lingonensem dicit archiepiscopum, ut et Beda, qui Arelatensem præsidem fuisse Ætherium scribit lib. I Hist.

ad ipsum scripserit.

25 *Si ergo dicamus Ætherium e vita excessisse mense circiter Novembri, vel propter* τὸ priusquam, *de quo jam dictum, mense Octobri anni 602; deinde si S. Columbanus scripserit, secundum supra dicta, anno eodem 602; denique si Secundino, Ætherii successori, aliquos sedis concedas menses; mox pervenies ad Januarium anni 603, atque adeo si isto vel proximo mense Aridium Secundino substituas, consequens est, ut S. Columbanus ad* S. Arigium *Lugdunensem non scripserit anno 602, cui tamen scriptionem illam alligat Longuevallius. Melius itaque ea intelligi potest, si anni 602 initium sumas a Kalendis Martiis (de qua re vide Cangium in Glossario, ad vocem* annus, *tom. I col. 460 editionis novissimæ, ac Mabillonium lib. 2 de Re diplomatica cap. 23 num. 4; ubi ex Gregorio Turonensi, aliisque conficit, Gallos seculis* capp. VI et VII *a Martio annos incipere solitos fuisse) nam in isto modo computandi currebat annus 602 usque ad mensem Martium anni 603 æræ vulgaris; quo Pagius in Critica ad hunc annum num. 6 de epistola S. Columbani ad S. Gregorium super celebratione Paschæ data meminit; addens tamen,* quo anno ea epistola ad Gregorium data sit, incompertum *esse. Edita porro fuit inter Patritii Flemingi Hiberni, Ordinis FF. Minorum strictioris Observantiæ, Collectanea sacra, Lovanii anno 1667, pag. 157 et seqq. Sed de epistola S. Columbani ad Arigium, nihil apud Pagium citatum invenimus. Sicut igitur, ut tricis hujusmodi finem imponamus, incognitum nobis est, an et qua auctoritate antiqua nitantur illa, quæ ex Longuevallio de epistola S. Columbani ad* Aridium *data protulimus; sic etiam non videmus, quomodo, si vere ea scripta ad ipsum fuerit, cum anno 602 æræ vulgaris satis commode ab ipso copuletur.*

Quidnam egerit pro ædibus sacris.

26 *De Sancti nostri erga ædes sacras studio circumferuntur ista :* Ædificatam ab eo ecclesiam S. Crucis, quæ S. Johannis basilicæ contigua est, instauratamque S. Justi ædem, multi affirmant, *uti habes in Galliæ Christianæ novissima editione tom. citato col. 42. In priore autem paulo aliter hoc dictum fuerat :* Hunc nonnulli volunt fundasse ecclesiam S. Crucis IN URBE *etc. Fere diceres, id Romæ, quæ per antonomasiam* urbs *communiter vocatur, accidisse. Sed Vernayus, de quo ante egimus, ubi affirmavit, multis ante annum 1288 seculis cultum religiosum Sancto nostro exhibitum fuisse a Lugdunensibus, hæc addit :* Apud quos, etiam vivens, magnificus fuit in restituta S. Justi basilica, vetustate lapsa; nec non in constructa æde S. Crucis, ecclesiæ cathedrali fere contigua. *Consuli etiam hisce de ædibus potest Severtius pag. 134. Saussayum dedimus num. 18. Ghinius ergo num. 1 citatus hic est singularis, dum pro sacra æde* S. Justi *ponit* monasterium S. Justinæ.

§ III. An Sanctus in Hispania obierit; duratio episcopatus, ac mortis annus, incerta; variæ de aliis Aridiis vel Arigiis observationes.

Non suadetur, quod in Hispania obierit;

Quo *tempore, et qua de causa* S. Aridius *in Hispaniam ablegatus fuerit ad regem Wittericum, habemus supra num. 2. Quod vero post illam expeditionem in Galliam redux, aliquot exinde annis superstes vixerit, constabit e tempore episcopatus ejus; de quo loquemur alio loco. Severtius igitur quidnam sibi vult, quando pag. 132 ita scribit ?* Fertur, ipsum Aridium protoantistitem in Hispanis diem ultimum confecisse, incerto tamen die et anno. *Etenim 1° nullum auctorem affert. 2° Si hoc accidisse velit tempore expeditionis, de qua dicebamus modo; quoniam illa accidit anno 607, secundum dicta; (non sub an. 610, uti notatur apud Sammarthanos tom. I pag. 298) sequitur, ut præterpropter mortis tempus tunc sciri possit. Sed quod inde ad suos regressus sit* Arigius, *videtur colligi ex istis ibidem verbis, quæ huic expeditioni* Arigii et aliorum, *Ermenbergam videlicet, Witterici Hispaniæ regis filiam, pro Theodorici matrimonio in Galliam inde deducendi, subdit Fredegarius,* ipsamque accipiunt *(in Hispania)* et Theuderico Cabillono *(inde utique in Galliam reduces)* præsentant. *3° Si in alio* Arigii *ad Hispanos*

A spanos profectione, illum vita apud eos functum putet; respondemus, nos secundum illam profectionem ex idoneo auctore hactenus non didicisse. Hac occasione per transennam, ut aiunt, observamus, lapsum esse Claudium Robertum in Gallia Christiana pag. 79, ubi agit de S. Ætherio Lugdunensi præsule, quia legationem illam ipsi adscribit.

nec quamdiu

28 De tempore episcopatus disserendum nobis superest, circa quem quæritur potissimum, quamdiu duraverit. Quandoquidem autem annos ejusdem singulos suis quosque aptare characteristicis chronologiæ notis, per documentorum defectum haud licet; ex præmissis antea num. 25 de duobus S. Arigii decessoribus Ætherio ac Secundino, statuatur pro initio episcopatus ejus annus 603; et vero tunc eum tanquam metropolitam præsedisse concilio Cabilonensi, eruimus e Fredegario superius citato num. 2. Sammarthani vero nec episcopi nostri mortem, nec episcopatus durationem certo anno intexunt, successorem Aridio assignantes S. Delphinum, qui, uti additur, vitam martyrio consummavit circiter an. DCXII aut paulo B post etc.; sed hunc expungit ultima Galliæ Christianæ editio, ac Theodoricum, ab aliis Tetricum dictum, Aridio successisse asserit ex tribus a Chiffletio editis Lugdunensium præsulum indicibus; ac de illo unum hoc suppetere, quod anno 625 Remensi concilio interfuerit: prout ibidem tomo IV col. 42 datur videre; cæterum quot annis eidem synodo supervixerit Theodoricus, haud liquere; non diu tamen superstitem fuisse. Unde fit, ut ex his præmissis legitimum a nobis consequens extundi non possit in rem nostram. Nihilne ergo quidquam aliunde ad eam præsidii sperare licet?

cathedræ Lugdunensi

29 Severtius pag. 134 affirmat, in antiquo Bellijocensis ecclesiæ collegialis, ut iterum dicamus, Martyrologio Ms. ista legi IV Idus Augustas: Lugduni, sancti Arigii episcopi et confessoris, qui rexit ecclesiam annis octo, mensibus sex. Raynaudus in Hagiologio sæpius jam memorato eadem e Martyrologio Lugdunensi ad dictum diem sic profert: Lugduni, S. Arigii episcopi et confessoris, qui rexit præfatam ecclesiam annos octo, menses sex: obiit namque quinquagesimo ætatis suæ anno. Ex his duobus testimoniis Cointius ad an. 614 num. 15, C Obiit igitur, ait, S. Arigius sive Aridius Lugdunensis episcopus quarto Idus Augustas hoc anno: nam sedere cœpit anno Christi DCIII, sive anno Theodorici regis octavo, ut ex Chronico Fredegarii colligitur. Ex citatis Martyrologiis Bellijocensi ac Lugdunensi in eodem anno mortis conveniunt monachi Benedictini in editione sua novissima Galliæ Christianæ. Bailletus in sua additione ad Sanctos diei X Augusti col. 133, annum mortis ignorari scribit, eamque videri duntaxat accidisse post annum 713. Rationem addit, quod Theodoricus ei immediate successerit, et quod spectabili errore acciderit, ut inter unum ac alium inserti fuerint tres episcopi Lugdunenses, qui tantum tales exstiterint post mortem Theodorici, et quorum duo nominis sui diversitate deceperint catalogorum ac diptychorum ordinatores. Sed error iste (ubicunque eum legerit ille auctor) recentissime sublatus, ut vidimus; at nondum tamen vel sic est sublata difficultas: manet quippe argumentum Pagii, superius num. 9 indicatum; ex eo nempe quod ante annum DCXXIV, quo, ut testatur Flodoardus lib. 2 Hist. cap. 5 Thedericus episcopus Lugdunensis concilio Remensi interfuit, nullus alius eidem ecclesiæ præfuisse reperiatur, id quod proxime modo vidimus. Hinc fit, ut duratio episcopatus hic controversa in longius spatium extrahi debere videatur, quam annorum octo cum mensibus sex, contra eos, quos supra citavimus. Ad Martyrologia, pro isto calculo supra allegata, dedimus Pagii responsionem num. 9. Sed quia nobis nihil in promptu est, quo durationem episcopatus ac vitæ S. Aridii determinemus; et quia Pagii rationes nec nihil dicunt, nec tamen omnia dicunt; ideo superius Sanctum signavimus post annum 614.

Auctore J. P.

præsederit quove anno vita functus fuerit.

30 Sed his circa intricatissimam illam controversiam hactenus ita expositis subjungere nobis liceat sequentes notationes. Sicut Benedictini, qui Galliam Christianam novissime ediderunt, Theodoricum S. Aridii successorem anno 625 interfuisse notant concilio Remensi, ac paulo post fatentur quot annos eidem synodo supervixerit haud liquere; sic nos dicimus 1° quanto ante illud concilium tempore Theodoricus sedere cœperit, nobis etiam non liquere. 2° Nec vero quidquam de ista re compertum, multo minus liquidum fuisse laudatis editoribus, cum nihil hujusmodi scriptum ibidem circa illam reliquerint. 3° Nulla ratione E verosimile nobis apparere, quod ab anno Christi 614, in quo secundum eos vivere desiit noster Aridius, tam longus, quo sedes Lugdunensis vacaverit, annorum tredecim hiatus, hunc inter ac Theodoricum intercesserit. 4° Quia itaque obscurum est, quo anno sedere Theodoricus cœperit; obscurum itidem esse, quando Aridius desierit. 5° Optimum ergo, nostra quidem sententia, dictu videri quod, cum annus mortis S. Aridii, atque adeo finis pontificatus ejus summa in ignoratione versetur, dicatur pontificatui ac vitæ finem imposuisse post an. Christi 614. 6° An denique, et qua fide nitatur, quod Sanctus quinquagenario major, ut dictum supra num. 17, vel quinquagesimo, num. 29, ætatis suæ anno obierit; nos omnino latet.

Variæ circa Aridios vel Arigios alios

31 De S. Aridio Lugdunensi antistite non confundendo cum synonymo præsule Vapincensi, præmonuimus lectorem in principio hujus nostræ Sylloges; nec frustra: alterum quippe pro altero sumptum fuisse, indicavimus per ejusdem decursum. Nec vero alii pro nostro accipiendi sunt synonymi. Non Aredius Lemovicensis abbas. S. Gregorius F episcopus Turonensis lib. 10 cap. 30 col. 523 editionis Ruinartianæ, Aredius, ait, hoc anno terras relinquens, vocante Domino migravit ad cœlum. Lemovicensis urbis incola fuit. Consule etiam eumdem scriptorem lib. 2 De miraculis S. Martini col. 1063; item De gloria Martyrum cap. 40 col. 879, ubi vocatur Aridius. Illi inscribitur Fortunati carmen 22 libri 5, prout observat Browerus in suis ad illud notis pag. 152. Exstat ipsius Vita apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec. 1 pag. 349, cui apponitur annus Christi 591 obitus. Hic ergo nec dignitate, nec tempore noster est. S. Aviti Viennensis episcopi epistolas quatuor edidit ac notis illustravit noster Joannes Ferrandus Aniciensis, anno 1661 Cabilone excusas: quarum secundæ pag. 7 prænotatur Avitus episcopus illustrissimo viro Arigio. Deinde in notis pag. 31 idem Ferrandus fatetur, nescire se, quisnam Arigius iste fuerit. At vero neque his, noster: nam Avitus ille obiit circa annum 524, secundum dicta apud nos tom. I Februarii, ad diem V ejusdem mensis, pag. 660, ubi Acta ejus ab Henschenio jam pridem illustrata sunt. Adde, quod iste Arigius, uti recte observat Ferrandus pag. 32, ad episcopales insulas non dicatur fuisse vocatus; sed tantum illustris-

LUSTRIS-

AUCTORE J. P.

LUSTRISSIMUS VIR a divo Avito inscriptus fuerit. *Hic nec est* Arigius patricius de Gallia, *(de quo supra num. 23) nec est* Arigius *noster ; quia repugnat tempus.*

observationes. 32 *Saussayus ad diem* XVI *Augusti in suo Supplemento sic ponit :* Desizæ ad Ligerim in agro Nivernensi natalis S. Arigii episcopi, fratris S. Austregisilli Bituricensis antististis, *cum elogio : in quo dicitur S. Gregorius PP. sæpe litteras ad eum direxisse, instruxisse, ac collaudasse. Sed quod Saussayus hoc loco, prout aliis nimium frequenter, affectarit esse floridulus potius encomiastes, quam accuratus rerum ac temporum combinator historicus, suadent sequentia. Etenim apud Sammarthanos tom. III, pag. 791 in Nivernensibus episcopis, secundus hujus urbis præsul signatur* Rusticus, *qui* probasse *dicitur* Acta synodi Aurelianensis III anno DXXXVIII ; *eidemque subscribitur apud Labbeum tom. V Conciliorum col. 304. Huic proxime subjungitur* Aregius vel Aridius, *qui* signum apposuit synodo Aurelianensi V, *anno* DXLIX *(apud Labbeum citatam, col. 398)* et Parisiensi II, DLV ; *prout ibidem invenies apud Sammarthanos ; apud Labbeum vero col. 812. De S. Austregisilo, archiepiscopo Bituricensi egimus tom. V Maii, die* XX, *pag. 228*; ubi obitus ejus annectitur anno 624 ; natalis vero e characteribus ibidem signatis videtur anno 551 accidisse ; tum nempe, quando, sicut dictum est, Arigius jam a biennio erat Nivernensis episcopus : quod, quia valde insolita est senectus, quæ inde consequitur, adeo longæva, et teste ac tabulis destituitur, non statim admittendum est. Adde, quod istius fraternitatis nullum prorsus inveniam mentionis vestigium apud nos in Vita S. Austregisili, vel in Commentario, qui eidem præmittitur. De litteris a S. Gregorio PP. ad Arigium directis vide supra ; quem, quisquis demum ille fuerit, suspicor a Saussayo cum superiore vel confusum fuisse, vel sine sufficiente fundamento pro eo acceptum. Utut res illæ se habeant, certe Aridius ille apud Saussayum, non est noster, nisi eum centenarium vel forte natu majorem facias.*

DE S. HUGONE EPISCOPO AC CONF.

AUTISSIODORI IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§. I. Cultus Sancti publicus, ac illustres ejus natales.

ANNO MCXXXVI VEL MCXXXVII. Varia

Quanquam ad stabiliendum hujus Sancti cultum publicum, ea mihi omnia non suppetant monumenta, quæ vellem ; sufficientia, tamen, meo quidem judicio sunt in promptu, ut in asserenda ipsi sanctitate ab immemorabili tempore ante decreta Urbani PP. VIII, et obedientiæ, quam Sedi Apostolicæ debemus ac profitemur, fiat satis, uti et nostri Præsulis honori ac venerationi. Sunt autem ista. In Historia episcoporum Autissiodorentium, quæ habetur apud Labbeum tom. II Novæ bibliothecæ manuscrip. librorum, pag. 460 exstant Hugonis *Acta seu elogium, præcipua ejus gesta complexum, atque inter alia dicuntur de illo in rem nostram ista :* Præpositus... et quidam canonici cum co... electioni SANCTI Viri restiterunt. *Et mox :* Cujus sanctæ conversationis quasi quoddam præsagium fuit *etc. Pag. 461 :* Verbum sancti Viri veritas subsecuta est. *Titulus iste sequitur alibi in eodem elogio ; quod, quanti sit ponderis, dicam in loco.*

ad sanctitatem ejus, 2 *Apud Martenium in Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione tom. VI col. 745, Martyrologio insignis ecclesiæ Autissiodorensis, ad diem* XI *Augusti interseruntur sequentia :* Obiit Hugo, hujus ecclesiæ venerabilis episcopus, quem vitæ sanctitas, et morum probitas decoravit, et quam pie et religiose vixerit, hujus vitæ exitus satis comprobavit. *Inter alia vero, quæ circa illud Martyrologium notantur in Observatione prævia col. 637, sunt hæc :* Martyrologio adjunctum erat Necrologium, ex quo eos tantum recensendos defunctos censuimus, qui alicujus sunt nominis, aut donis aliquibus de illa ecclesia bene meruerunt, *Textus autem Martyrologii litteris Romanis; Necrologis currentibus seu cursivis, ut vocant, exprimuntur ; quibus postremis etiam exaratur obitus nostri* Hugonis *cum elogio ; atque adeo e Necrologio isto ad Martyrologium adjecta, ac proin interserta ei, ut dicebam, fuere, quæ modo citavi. Cur autem ibi signetur die* XI *Augusti, vide infra num. 4. In Chronico Autissiodorensi hæc exstant :* Anno MCXXXVI defunctus est sanctæ memoriæ domnus Hugo Autissiodorensis episcopus. *De isto Chronico dicetur infra.*

3 *Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib. 4 cap. 249,* Hugo, *inquit,* abbas monasterii S. Germani Parisiensis *(imo Autissiodorensis)* nepos B. Hugonis Cluniacensis, et postea episcopus Altisiodorensis, vir non minus sanctitate, quam scientia venerandus. *In Chronico autem monasterii Hirsaugiensis in Volmaro ad annum 1137,* Eodem, *inquit,* anno moritur episcopus Antisiodiorensis, ex abbate cœnobii S. Germani Ordinis nostri, vir magnæ sanctitatis et religionis. *Ac continuo subjungit :* Vir sanctus in pace quievit. *Inter Kalendaria Mss., quæ in Museo nostro asservantur sub littera* S 19, *exstat* Kalendarium ecclesiæ et diœcesis Autissiodorensis, *quod, sicut ad calcem notatur, ad Majores nostros anno 1662 misit Ludovicus Noel d'Amy, presbyter senior canonicus Autissiodorensis : ubi die* X Augusti *annuntiatur* B. Hugo episc. conf. *Accedit eo, quod hagiologi monastici sacris eum Fastis inscribant cum titulo Sancti. Wion quippe part. 2 Ligni vitæ lib. 3, pag. 265 ita ipsum memorat :* Antisiodori depositio sancti Hugonis episcopi, qui ex abbate S. Germani Parisiensis *(debuit dicere Autissiodorensis)* episcopus ejusdem civitatis consecratus, verbo et exemplo oves sibi concreditas mirabiliter pavit. *Dorganius paulo brevior est :* S. Hugonis episc. qui verbo et exemplo oves sibi commissas mirabiliter pavit. *Menardus illum etiam refert, at cum titulo Beati. Buceli-*

ac venerationem publicam stabiliendam

A *Bucelinus annuntiationi huic,* Antisiodori, depositio S. Hugonis episcopi et confessoris, *superaddit elogium.*

proferuntur testimonia.

4 Monasticis adde Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Saussayum, ac omnium novissimum Castellanum, qui cum honorifico etiam Sancti *idiotismo* Hugonem *nostrum representant. Denique in libro nostro Gallico Ms., qui continet gesta Pontificum Autissiodorensium, ac abbatum ibidem S. Germani etc., collectore Georgio Viole, monacho Benedictino, prout eidem libro prænotatur; in illis, inquam, documentis pag. 153 sub hoc titulo,* De sancto Hugone de monte acuto, episcopo LIV, *acta ejus pluribus recensentur. Illis monumentis subjungitur a pag.* I *usque ad* CIV *Kalendarium de SS. Martyribus ac Confessoribus territorii Autissiodorensis, secundum Ordinem et menses anni, observatum atque extractum e Martyrologio Autissiodorensi; quod factum est, uti adscribitur, a D. Bargedé, cathedralis ecclesiæ Autissiodorensis archidiacono, quodque additur esse apud S. Germanum ibidem; nisi forte idem* B *hujus collectionis sit auctor, qui superioris, laudatus Viole; sed utcunque hoc sit; a pag.* CV *datur aliud Calendarium aliorum Sanctorum, aliquo modo ad urbem vel diœcesim memoratam spectantium, eodem auctore, de quo superius, ubi sub die* X *Augusti notatur* S. Hugo de Semuro *(de Semur)* vel de Monte acuto *(de Montaigu)* qui propter raras suas virtutes fuit episcopus Autissiodorensis. Aliquot ante mortem suam horis monuit, pro se ut orarent, *addens,* Officio diei dicto, spiritum se redditurum : id quod accidit hoc die, anno MCXXXVI. Sed quia eodem hoc die celebratur festum S. Laurentii, anniversarium ejus notatur in Necrologio die sequente. *Adde, quod Benedictini S. Germani eum invocent im suis localibus litaniis, uti huc scribit die* XX *Junii hujus anni 1734 in litteris Autissiodoro datis D. le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ Autissiodorensis; in quibus etiam testatur, vidisse se alias ornatum ac illuminatum ejus sepulcrum, sicut alia, die* VIII *Novembris, quo omnium abbatiæ S. Germani Sanctorum occurrit festum. Atque hæc sunt, quæ, salvis Urbani PP. VIII decretis, sufficere nobis apparent, ut tot circa vitæ ejus san-* C *ctitatem nec non venerationis publicæ suffragiis non refragati, Sanctis aliis, qui hoc die a nobis dantur ac illustrantur, locum quoque ei suum tribuamus, nostro judicio non indebitum. Cultu itaque* S. Hugonis *sic stabilito; reliquum est, ut ejus gesta nunc illustremus, incipiendo a natalibus.*

Loci, in quo Sanctus natales accepit, noticia;

5 *Acta ejus, huic Commentario subdenda, hæc narrant :* Hic siquidem in Cluniacensi territorio de Castro Monte acuto ortus, a nobilibus processit parentibus : et pater ejus Dalmaticus dictus; matris vero nomen..... *Hæc, addito matris nomine, sic dicuntur apud Sammarthanos in episcopis Autissiodorensibus tom. II Galliæ Christianæ pag. 272 :* Hugo de Semur II, ex vetusta et clara Burgundionum stirpe dominorum de Sinemuro, cognominatus de Montaigu, Dalmatii de Sinemuro, domini de Monte acuto, filius, qui ex connubio Dalmatii cum Aremburgi de Vergeio progenitus erat. *Solum itaque natale Sancto obtigit Mons acutus : de quo placet audire Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 344 :* Mons omnis, cujus vertex in acumen desinit, a nostris, *ait,* vocatus est Mons acutus : quo nomine multa sunt loca in Gallia : nam vicum aut castellum monti acuto exempli causa impositum, nostri eodem, quo montem ipsum nomine, Montem acutum appellavere. Est præ cæteris in pago Lugdunensi Mons acutus oppidum, ubi munimentum ædificasse dicitur Tetbaldus comes; *ex Frodoardo, quem citat; ubi plura præterea de dicto loco. Ad hæc,* Est in extremis finibus Pictonum *(Ita pergit Valesius)* Mons-acutus castellum, Monsagu hodieque dictum, et castrum Montacutus Galliaco proximum, a Petro monacho Vallium Cernaii memoratum Montagut. Aliud etiam in Comitatu Burgundiæ Montagu vulgo dictum; aliud et in pago Burbonensi Montagut appellatum a situ. *E tot autem locis synonymis, solum et unicum Montem acutum in Burgundia supra in Actis designari, e quo* S. Hugo *fuerit oriundus, conficitur ex eo, quod diserte addunt Acta* in Cluniacensi territorio, *notam utique characteristicam, qua is ab aliis distinguatur synonymis vocabulis. Jam vero cum pagus Cluniacensis situs sit in agro Matisconensi; cumque* Montagut *ac* Semeur *(de hoc statim agetur) in mappa geographica, quam ante me habeo,* E *ad aliquam distantiam a Cluniaco notentur (secundum Annotata nostra ad cap. 1 Actorum lit.* a, *una circiter leuca cum dimidia inde abest Mons acutus) satis id notitiæ est, ut lectoris circa hæc loca formetur idea in quorum uno Sanctus, sicut dictum est, ortus fuit; ex altero autem, de quo jam dicetur, generis splendorem hausit,* ex... stirpe, *inquam,* dominorum de Sinemuro.

ac alterius, e quo generis splendorem hausit.

6 *Valesius pag. 526* Sinemurum, *ait,* a re nomen habet : ita enim dictum est, quod sine muro esset. Vulgo Semur en l'Aussois truncato nomine appellatur; quod sit in pago Alesiensi positum ad fluvium Hormentionem. Monachus quidam Floriacensis, qui ante DLXX annos librum de Miraculis S. Benedicti scripsit, in ejus libri capite XLIII, alterius castri Sinemuri meminit his verbis, *quæ ibidem recitantur.* Est hoc castrum in pago Cedrellensi (le Charrollois) Sinemurum Briennense cognominatum, Semur en Brienois vel Brionnois; ita ut pagus hic Brienensis pagum Cadrellensem olim continuisse videatur *E textibus autem scriptorum, quos citat, delibo hunc, in rem utique nostram prorsus accomodatum :* Hugo Hugonis abbatis Cluniacensis patrem Dalmatium, principem egregium, Samurensem dominum vocat... F Utrumque castrum nomine Latino Sinemurum et Sinemuro dictum olim est : utrumque nunc Semur dicitur : utrumque in diœcesi Augustodunensi positum est; sed alterum in pago Alesiensi ad Hormentionem amnem non procul a Flaviniaco; alterum in pago Brienensi (Brienois) ad Verbincam fluvium (Verbinche) qui in Ligerim supra Marciniacum defluit : quod posterius sive castrum sive oppidum, nunc Semurum. et Samurense castrum; nunc Semmurum, et oppidum Semmurum corrupte vocatum est etiam a veteribus scriptoribus pro Sinemurum, aut Sinemurus, aut Sinemuro. *Atque hoc posterius castrum sive oppidum videtur præ altero synonymo priore superius designari in Actis* S. Hugonis *nostri episcopi; idque ut opiner facit 1° vicinitas hujus multo major, quam alterius, cum Monteacuto ac Cluniaco Monasterio. 2° Hugo abbas Cluniacensis; de quo modo dictum, ac jamjam dicentur plura.*

Illustres ejus

7 *Vita hujus sancti abbatis in Opere nostro illustrata est a Papebrochio ad diem* XXIX *Aprilis, tomo III ejusdem mensis a pag. 628; ubi pag. 636 in Annotatis, occasione matris ejus* Aremburgis, cui Sammarthani addunt cognomentum

AUCTORE J. P.

de Vergy seu Versiaco, *sicut ibidem observatur, leges,* Burgundicis conjugiis posthac sæpius innexum nomen *fuisse. Quæ ibi exstant de Matre Hugonis abbatis, applicari possent parenti synonymæ hujus nostri* Hugonis *episcopi, de qua supra num. 5, si constaret, quod talis ipsi vere fuerit mater, qualis ibi vocabatur. Quæ ibidem de* vetusta et clara *hujus* stirpe *dicebamus, Bucelinus his vocibus effert :* Fuit illustrissimo natus genere, princeps Samurensis. *Monumenta nostra Mss. Autissiodorensia eum ex antiquis Burgundiæ Ducibus oriundum ac Hugonis comitis Cabilonensis, et quinquagesimi (Sammarthanis est quadragesimus nonus) episcopi Autissiodorensis pronepotem fuisse affirmant; Dalmatium vero dominum de Sinemuro in territorio Brienensi, ac de Monte acuto, avum ipsi obtigisse; aviàm autem Aremburgem de Vergny; sed matris nomen ignorari. Guido quoque abbas,* Matris, *ait,* nomen ignoro. *Quod unde Sammarthani supra acceperint, nos latet; certe etiam illud ignoratum fuisse, ibidem vidimus in textu Actorum nostri Sancti; unde suspicari forte quis possit, nomen aviæ ac matris a Sammarthanis confusum fuisse. Sed tamen nomen* Aremburgis *inditum utrique fuisse potuit; si ut* Burgundicis conjugiis posthac, *ita etiam ante* sæpius innexum *fuerit. At pergamus cum laudatis monumentis Autissiodorensibus; e quibus habemus, unam ex Sancti amitis seu materteris exstitisse Ermengardem, uxorem Roberti Franciæ, ducis Burgundiæ, qui ob grandævam suam ætatem senex (le Vieux) nuncupatus sit; duos ex ejus patruis vel avunculis ad statum ecclesiasticum adjecisse animum, in eoque apparuisse tanquam duo illustrissima ecclesiæ Gallicanæ luminaria; nimirum Rainaldum, archiepiscopum Lugdunensem; antea abbatem Vizeliacensem, et Hugonem abbatem Cluniacensem, qui* Hugonem *nostrum in isto suo asceterio educavit; de qua re priusquam tractemus, observationibus sequentibus superiora explanabimus.*

8 *In novissima Galliæ Christianæ editione tom. IV col. 144 inter metropolitas Lugdunenses signatur Rainaldus I, ordine* LXIX, *cum hoc elogio:* Rainaldus, vir primæ nobilitatis, Dalmatii Sinemuri in Burgundia domini, et Arembergæ de Vergeio filius, Hugonis Cluniacensis abbatis non frater, ut Sammarthanis placuit, sed nepos, uti ubique in Bibliotheca Cluniacensi, et a Petro Venerabili, epist. 2 lib. 3 conceptis terminis asseritur. Fuit Primum Cluniaci monachus; deinde Vizeliacensis abbas, hujusque cœnobii reparator insignis, tandemque Lugdunensis archiepiscopus anno MCXXVIII, ac Ecclesiæ Romanæ legatus. Sedem tenuit ad VII Aug. anni sequentis, quo præmatura morte exstinctus est, magna apud omnes sanctitatis fama illustris : unde in Gallicano Martyrologio Beatus nuncupatur. *Cum itaque ex dictis præsul ille Hugonis Cluniacensis non frater, sed nepos duntaxat fuerit; quomodo idem* Hugonis *nostri patruus, uti volebant Monumenta Autissiodorensia, dici possit non satis nobis persuadetur; præsertim cum hic post illum octo circiter solummodo annis supervixerit, uti conficitur ex dicendis infra num. 24. An igitur illi vel fratres vel patrueles fuerint, genealogiographis discutiendum relinquimus. Cæterum nepotismus ille, ut ita loquar, supra assertus, ab ipsomet Rainaldo superius laudato diserte exprimitur apud nos ad diem* XXIX *Aprilis in synopsi Vitæ S. Hugonis abbatis Cluniacensis metrica, pag. 655 his verbis :*

consanguinei

Hæc, pater Hugo, tui Rainaldi dicta nepotis
Suscipe, quæso, pie; meque tuere, pater.

Consuli insuper possunt, quæ ibidem habentur pag. 633 : ubi jampridem Sammarthanos in hoc puncto correctos reperies.

9 *Quæ de Ermengarde, ejusque conjuge Roberto num. 7 dicebamus e monumentis Autissiodorensibus, non ita sunt explorata et clara, ut sine discussione præteriri debeant. Andreas Chesnius in Historia Gallice vulgata regum, ducum, ac comitum Burgundiæ, lib. 3 cap. 4 pag. 269 agit de isto Roberto, hujus, uti ponit, nominis primo, Burgundiæ duce, nec non principe ac fundatore familiæ ducum Burgundiæ, ab Henrico I, ejus fratre, qui Burgundiæ ducatu ad regnum Galliæ evectus fuit, ipsi relictæ anno 1030 aut 1031; citatque pag. 270 idem auctor duas chartas ab eodem Roberto expeditas anno 1040 et 1043; unde appareat, ejus conjugi fuisse nomen* Heliæ, *non vero* Amengardis *vel* Armengardis, *contra Tilletum et Paradinum, quos memorat; idque confirmari ait e libro antiquo obituario S. Stephani Autissiodorensis, ibique scribi, illam vita functam fuisse* XXII *die mensis Aprilis, magno apud omnes sui relicto desiderio. Verum de familia ejus nihil ibi invenio; adeoque nihil, unde certo vel confirmem vel infirmem gradum consanguinitatis illam inter et* Hugonem *nostrum, uti superius asserebant Autissiodorensia Monumenta.*

recensentur.

§ II. Vita ejus ascetica apud Cluniacenses; regimen monasterii S. Germani Autissiodorensis; variæ de eodem notitiæ; episcopalis in ista urbe dignitas.

Hunc cum patres satis tenere diligerent, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter; nutu Dei, quo omnia disponantur, Ecclesiæ destinatus, litteris traditur : et adhuc in puerili innocentia manens, in Cluniacensi monasterio monasticum habitum suscepit; ubi sub S. Hugone avunculo suo, ejusdem monasterii tunc abbate, pluribus annis vixit, et regulam beati Benedicti in claustro ejusdem monasterii sapienter didicit : quoniam, sicut perhibetur de ipso, semper sine querela, humilis, et obediens suis majoribus, sicut decet monachum, permansit. *Sic Acta ejus memorant, sequentibus commentationibus ansam præbitura. Quantum itaque ad educationem ejus attinet, recte Sanctus noster enuntiatur a Saussayo* carne nepos S. Hugonis Cluniacensis; spiritu filius *Bucelinus*, Cujus, *ait,* ut nominis heres; sic sanctitatis strenuus æmulator exstitit. *Brevissimum quoque est illud Mabillonii tom. V Annalium Bendictinorum ad an. 1100 num. 131, ubi legitur,* Hugonem Montacutium, nepotem *ejus,* a puero sub sanctissima avunculi disciplina Cluniaci educatum *esse. Quæ, tametsi summatim duntaxat sint perstricta, sufficiunt tamen ad formandam saltem quamdam ideam, quibus virtutum rudimentis sub magno adeo magistro præluserit adultioris vitæ sanctitati Sanctus noster.*

Pia sub Hugone avunculo apud Cluniacenses educatio, ac vita monastica;

11 *Quanquam vero certum sit, eum e cœnobio Cluniacensi assumptum fuisse ad regimen monasterii S. Germani Autissiodorensis; juvat tamen audire Menardum, in observationibus ad suum* Marty-

unde evehitur ad S. Germani Autissiodorensis, non vero Parisiensis

A *Martyrologium, pag. 298 ac sequenti ita rem hanc confirmantem :* In Martyrologio Ligni vitæ *(de quo dictum supra num. 3)* hic beatus Hugo dicitur abbas monasterii sancti Germani Pariensis : quod non simile vero arbitror. Nam nullus fuit Hugo abbas S. Germani Pariensis, episcopus Antisiodorensis, ut constat ex Supplemento Aimoini, et Catalogo abbatum S. Germani Parisiensis. Deinde S. Hugo episcopus Antisiodorensis obiit anno MCXXXVI juxta Trittemium in Chron. Hirsaug. At nullus Hugo inter abbates S. Germani Parisiensis reperitur hoc anno mortuus : nam primus Hugo qui erat monachus S. Dionysii, obiit anno MCXLV ; ut docet Supplementum Aimoini lib. 5 cap. 52. Quare cum Trittemius loco citato dicit, hunc Hugonem fuisse abbatem cœnobii S. Germani ; hoc est intelligendum de cœnobio, quod est Antisiodori, sub patrocinio magni illus Germani, quondam istius urbis episcopi. Hinc capiendus est etiam Robertus canonicus regularis S. Mariani in Chronico ad annum MCXX, cum ait : Antisiodorensem hoc tempore regebat ecclesiam domnus Hugo S. Germani pius B abbas, S. Hugonis Cluniacensis abbatis nepos, vir pro virtutum suarum insignibus perpetuo memorandus : nam iste auctor sæpe loquitur de cœnobio S. Germani Antissiorendis : at fere nunquam de cœnobio S. Germani Parisiensis.

abbatialem dignitatem.

12 *Acta, quæ illustramus, inferius apud nos num. 1 de nostro* Hugone *hæc narrant :* Post decessum domini Guiberti, abbatis S. Germani Altissiodorensis, in eadem ecclesia electus et benedictus abbas *etc. Quod quomodo acciderit, intellige e Mabillonio jam designato :* Ante annos fere quatuor *(scribit ad annum, ut diximus, 1100)* Guibertus S. Germani Autisiodorensis in concilio Nemausensi præfectura motus fuerat ab Urbano PP. ; mandatumque Humbaldo episcopo ut selectum e Casa-Dei, vel e Cluniaco, vel e Majori monasterio virum probum et idoneum in ejus locum substitueret, ea tamen lege, ut qui ad id muneris designatus esset, superiorum jugo eximeretur. Huic conditioni cum refragarentur Cluniacenses, aliique eorum exemplo, per annos amplius tres, frustra nitente Humbaldo, abbatia rectore caruit : sed tandem venerabilis Hugo Cluniacensis abbas, Humbaldi episcopi, Stephani C Campaniæ, et Guillelmi Autrici comitum precibus se exorari passus, Hugonem Montacutium... vacanti abbatiæ suffecit.

Exponitur

13 *Qualem vero sese in ea dignitate exhibuerit, memorant Acta;* Non *utique* propter nomen abbatis elatior factus; sed tanquam unus ex cæteris humilis monachus fuit : et sicut bonum magistrum decet, cœpit facere et docere, demonstrans exemplo, quod docebat verbo. *Adde e Mabillonio, eum hoc* in munere ita se gessisse, rebus tum spiritualibus, tum temporalibus sarciendis et provehendis, ut post annos quindecim regiminis abbatialis, ad episcopalem dignitatem, Humbaldo mortuo, promoveri meruerit. Ejus tempore nihil non tentarunt Cluniacenses, quo S. Germani monasterium contra Urbani Papæ decretum Cluniaco subjicerent. Id potissimum curavit Ivo Cluniaci prior cum quindecim monachis, qui illuc ab Hugone *(abbate Cluniacensi)* missi fuerant, ut novo abbati in restituenda regulari disciplina, quæ omnino neglecta erat, essent adjutores. Verum eorum conatibus restitere S. Germani monachi, nec monasterii sui libertatem minui passi sunt. Hugonis abbatis anno quarto, Hugo Trecensium comes, S. Germani monasterium adiit, et quasdam donationes fecit, ut ejus loci societatis particeps esset. Ad hæc Pschalis II anno MCVII, cum Silviniaci versaretur, Hugonis abbatis institutionem confirmavit : quippe qui monasterium illud, regulari disciplina et religione penitus destitutum, et secularium injuriis ad summam redactum inopiam, in pristinum splendorem restituisset.

AUCTORE J. P.

quomodo

14 *Quandoquidem vero Acta ejus valde paucis derstringunt, quæ sub ipsius abbatiali regimine sunt effecta in sui cœnobii favórem; juvat ea supplere ex Guidone abbate in Gestis abbatum S. Germani Autissiodorensis, postea indicandis; in quibus. cap. 9, quod est* de *nostro* Hugone abbate, *sequentia percensentur pag. 576;* Licet simplex esset, tamen pro posse suo ecclesiam suam studuit temporaliter augmentare. Ecclesias enim de Taix et de Alodia a reverendo patre Herveo Nivern. episcopo impetravit. Hujus tempore Hugo comes Trecensis dedit ecclesiæ S. Germani salvamentum, et multas consuetudines, quas habebat apud Brecenaium. Hugo etiam, cognomento Frangens lupum, dedit eidem ecclesiæ quidquid in dicta potestate Breconesi habebat anno Domini mil. centes. quarto, adventus secundi mona- E chorum Cluniacensium apud S. Germanum anno quarto. Consuetudines etiam, quas servientes Ducis habebant in terra S. Leodegarii, ab Hugone duce obtinuit moderari. Societatem cum monachis Versiliacensibus iniit. Hujus tempore principale altare S. Germani, quia in pluribus locis corruptum erat, de mandato Domini Richardi Albanensis episcopi destructum fuit, et in quodam sarcophago lapideo reliquiæ beati Germani inventæ in altari. *Habes hic, lector, quæ sub Abbatis nostri præfectura accidere. Quo autem tempore munus illud administrare is cœperit, disce ex sequentibus.*

in ea se gesserit, et quando eam cœperit:

15 *Apud Labbeum tom. X Conciliorum col. 506 habitum notatur anno Christi 1095 concilium Claromontanum ; de quo Mabillonius ad annum 1095 num. 22 scribens, inter abbates sibi notos, qui in eo adfuerint, nominat Guibertum S. Germani Autissiodorensis. Guibertus autem iste secundum ea quæ præmisi superius num. 12, decessor exstitit* S. Hugonis *nostri proximus. Quæ vero de causa huic ille locum suum cesserit; idem* F *Analium auctor inter Urbani PP. Nemausi acta refert ad annum 1096 num. 42 :* In eodem concilio *(Nemausensi)* Guibertus S. Germani Autisiodorensis abbas ab Humbaldo, ejusdem urbis episcopo, variorum criminum insimulatus est, et convictus; ideoque dignitate privatus : cujus pastoralem baculum Urbanus episcopo dedit, tradendum futuro abbati. *Vacavit autem baculi istius gestamen per annos tres et amplius ob difficultates, quas exposuimus num. 12; atque adeo Sanctus noster ad illius usum admotus fuit anno circiter 1100, prout ibidem indicatum est : donec* (cum monasterium, *uti Guido, de quo postea, pag. 576 refert*, XVII annos gubernasset) *pedum abbatiale cum episcopali commutavit anno 1115 vel 1116 : de qua re antequam plura dicamus, visum est hoc loco notitias quasdam subministrare de celebri monasterio S. Germani Autissiodorensis, cujus adeo frequens jam recurrit mentio.*

variæ deinde

16 *Cœnobium porro illud Ordinis S. Benedicti ascetas alit, ac vulgo dicitur* Saint Germain d'Auxerre. *Mabillonius Annalium Benedictinorum tom. I, ad annum 510 num. 20, inter alia, quæ regnante super Francos Chlodoveo, nova* cœno-

AUCTORE J. P.

cœnobia surrexisse memorat, primo loco S. Germani Autissiodorense nominat. Tomo nostro VII Mensis Julii, ad diem XXXI *ejusdem mensis, Vita S. Germani episcopi Autissiodorensis illustrata fuit, et pag. 205 ad hæc ejusdem Vitæ verba,* In conspectu Autisiodorensis oppidi, interposito Icauna flumine, monasterium collocavit, *diximus, hoc censeri primum diœceseos Autissiodorensis, ad ortum urbis æstivum aliquando positum; at pridem jam dirutum; superstite S. Germano appellatum fuisse monasterium SS. Cosmæ et Damiani: in quorum honorem fuerit institutum; at, illo defuncto, S. Germani nomen habuisse: donec seculo* VI *S. Mariani vocari cœpit, ad hujus sepulcro, miraculis ibi frequentissimo; ex historia episcoporum Autissiodorensium capp. 7, 8 et 19. Consuli etiam potest Mabillonius in Annalibus suis tom. I ad annum 578, num. 73.*

de monasterio S. Germani Autissiodorensis

17 *Loco proxime apud nos jam citato, pag. 205 cavendum monuimus, ne illud cum alio cœnobio Autissiodorensi confunderetur, quod deinde S. Germani nomine ac tumulo celeberrimum* B *fuerit: de quo exstant illa apud Mabillonium in Annalibus ad annum 525 num. 27:* S. Germani monasterium in urbe Autisiodoro a primordiis exiguum erat oratorium, quod beatissimus Germanus, ejusdem urbis antistes... in suo ipsius prædio, sub S. Mauritii patrocinio construxerat, et Saturnino discipulo suo sub titulo sacerdotali deputaverat. Istuc B. Pontificis corpus Ravenna, ubi decesserat, delatum, ibidemque sepultum fuit. *An ergo iste locus cum alio non confunditur a Sammarthanis tom. IV Galliæ Christianæ pag. 477, ubi habentur ista?* Sancti Germani in urbe Autissiodorensi, Ordinis S. Benedicti celebre cœnobium, alias S. Mauritii appellatum: de quo Innocentius PP. III lib. I epist.; ubi professi monachi Herricus et Remigius, pietate ac doctrina laudabiles. *In istius Pontificis epistolarum collectione a Balusio edita tom. I lib.* I *exstant epistolæ 181, 184, et 286, abbati et conventui seu fratribus S. Germani Autissiodorensis inscriptæ. De S. Erico vel Errico agitur in Opere nostro ad diem* XXIV *Junii, pag. 829; nec non ad diem* XXXI *Julii pag. 192; de Remigio autem in annalibus Benedictinis ad annum Christi 842, num. 57.*

C *notitiæ subministrantur.*

18 *Ut vero superiora magis eluceant, placet his adjungere verba Historiæ episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum in Nova bibliotheca manuscriptorum librorum tom. I cap. 7, pag. 415:* Fecit (S. Germanus) monasterium in honorem SS. martyrum Cosmæ et Damiani; ubi et monachos esse constituit... ubi postmodum sanctus Marianus a fratribus ejusdem monasterii missus est ad pecora... custodienda... Fecit et basilicam in honore SS. Martyrum Agaunesium Mauricii scilicet sociorumque ejus... In quo etiam oratorio sanctum Saturninum vitæ probatissimum, suumque discipulum, ordinavit presbyterum, ut sub professione sacerdotalis tituli Martyrum inibi memoriis deserviret. *Consuli præterea possunt caput 8 pag. 417, ac cap. 19, pag. 421. Hinc equidem conficio, cœnobium, quo de hic agitur, primo SS. Cosmæ ac Damiani; tum S. Germani ac denique S. Mariani nomen habuisse, ac per illud ipsum intelligi S. Germani asceterium Autissiodorense Ordinis S. Benedicti; quomodo vero hæc dici possint de oratorio S. Mauricii, non satis percipio, neque cum præcedentibus satis queo combinare verba Operis* De gestis abbatum S. Germani Autissiodorensis, auctore fratre Guidone abbate ejusdem loci anno Domini MCCXC, *quod exstat* D *apud Labbeum laudatum a pag. 570; ubi auctor in proœmio,* Licet enim, *ait,* hanc ecclesiam a B. Germano in honore beatorum martyrum Mauricii, sociorumque ejus, fundatam noverim, et plures abbates, ante Heldricum *(a cujus rebus gestis narrationem suam incipit)* ibidem præfuisse legerim *etc.*

Ejusdem abbates.

19 *Ad sæpe dicti cœnobii abbates quod attinet. fatetur Guido modo citatus,* Nunquam se, quando primum fuerint ibidem instituti monachi, vel electi abbates, vel aliquam continuationem ante dicti Heldrici tempus, ante quem longo tempore loco abbatum rexerant præpositi, potuisse reperire. *Sed series abbatum istorum datur apud Sammarthanos loco citato, e commentariis rerum Autissiodorensium D. Georgii Viole, monachi Benedictini; ubi primo loco ponitur anno 560 S. Aunarius, (qui Cointio in annalibus ecclesiasticis Francorum tom. II ad annum 586, num. 38,* ex abbatum catalogo videtur expungendus) *ac pag. 478* Hugo *noster, hujus nominis quintus, ordine* XXXI, inde episcopus Autissiodorensis an. MCXVI: *de qua re statim agetur. Robertus, pluribus infra indicandus, in chronico fol. 79 quando dicit,* Antissiodorensem hoc tempore regebat ecclesiam domnus Hugo S. Germani primus abbas, S. Hugonis Cluniacensis abbatis nepos; E τὸ primus *explico, quod* monasterium illud regulari disciplina, et religione penitus destitutum, et secularium injuriis ad summam redactum inopiam, in pristinum splendorem *primus tunc* restituerit; *secundum dicta superiora num. 13; vel quod fuerit abbas primus* adventus secundi monachorum Cluniacensium apud S. Germanum; *ex num. 14.*

Sancti de episcopatu præsagium explicatur.

20 *Monummenta nostra Autissiodorensia episcopatum ejus anno anticipant: nam pag. 154 ipsiusmet Paschalis II manibus eum memorant fuisse consecratum die* V *Martii anno 1115; eodemque die concessam suæ cathedralis canonicis ab ipso adjungunt ecclesiam de Billy dictam. Sed Mabillonius sacros ipsius infulas illigat anno 1116, sicut jamjam dicetur. De difficultatibus pontificatui* Hugonis *objectis, ac feliciter amotis agunt ejus Acta. Verum super illis, quæ ei liminibus Apostolorum reduci contigisse prospera, ibidem referuntur, videlicet* cujus sanctæ conversationis F quasi quoddam præsagium fuit prognosticum ei divinitus destinatum, quod tale fuit: Ave, gratia plena *etc., super illis, inquam, quia prima fronte, quidnam sibi velint, non claram suggerunt notionem; placet audire Mabillonium in Annalibus ad annum 1116, cui ejus episcopatum innectit, num. 120, qui rem sic explanat:* Mos erat illorum temporum, primis quoque seculis usurpatus, quod S. Martino Turonum episcopo liquet, ut apertis sacris codicibus, ex versu, qui primus occurrisset, quoddam de novi episcopi futuræ vitæ qualitate præsagium conciperetur. Id cum de Hugone nostro factum fuisset, aperto libro, hic versus occurrit: Ave, gratia plena etc.; quo ejus continentissimam vitam significari creditum est.

§. III. Hospitalitas ac beneficentia, obitus, Actorum notitia et cujusdam alterius auctoris

Laudatur Sanctus

A*liis* S. Hugonis *virtutibus, de quibus Vita ejus tractat, Monumenta Mss. Autissiodorensia*

A *rensia pag. 162 adjungunt benevolentiam hospitalem, a doctore gentium episcopis commendatam, qua eum egregie præditum fuisse indicant; interque alias personas, Autissiodori ab ipso exceptos memorant Callistum PP. II anno 1119, nec non Innocentium PP. II anno 1131, a Frangipanis, Sedi Apostolicæ tunc temporis adversis, Roma exactos : quorum primus aram principem ecclesiæ cathedralis S. Stephani, ipsius rogatu, die* XIV *Decembris dedicarit; postremus vero altare aliud, S. Germani titulo insignitum, in eadem SS. Cosmæ ac Damiani ecclesia ultra fluvium Icaunam; in qua item ecclesia sacrosancta Missæ mysteria celebrarit idem summus Pontifex, ac coram populo Autissiodorensi ibidem concionatus fuerit de loci sanctitate, assumptis pro argumento sui sermonis sacri his patriarchæ Jacob verbis*, Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *Factum illud Innocentii PP. confirmatur e Chronico Roberti, ubi illud etiam legitur fol. 79 verso, et sequente. Ad hæc, auctor dictorum Monumentorum, titulis bonis compertum habere se dicit, Papam illum Innocentium II hac vice commora-*B *tum fuisse Autissiodori mensibus ut minus sex*, Hugonis *Montacutii, prout addit, sine dubio liberalitatibus illectum, quas una cum Hugone abbate Pontigniacensi adhibuerit ad componendam controversiam abbatum Herberti S. Petri Vivi, Renati S. Joannis Senonensis, nec non S. Joannis de Pratis anno 1132; eique insuper negotium fuisse commissum ait, in titulum abbatiæ Religiosarum Juliacensium erigendi Crisennonensem prioratum.*

ab hospitali urbanitate erga summos Pontifices,

22 *Nec vero eum duos hosce exsules Pontifices aliquandiu duntaxat detinuisse Autissiodori, affirmat, sed per diversa Galliæ loca etiam comitatum fuisse; præsertim Callistum II, quando, assistentibus sibi archiepiscopo Trevirensi, ac Stephano episcopo Augustodunensi, nec non Hugone Nivernensi, corpora SS. Felicis et Thyrsi, e loco sepulcri eorum, qui est in sacello subterraneo ecclesiæ collegialis Sedelaucensis (Saulieu) in tractu Autissiodorensi, ad aram majorem ejusdem ecclesiæ transtulit. Multa hic facta simul conglomerat auctor istorum, quæ supra designabamus, Monumentorum: quæ quia sine teste ac vade scri-*C *bit et nos ea ex ipso describimus, fidem hujus narrationis penes ipsum esse volumus.*

nec non a beneficentia erga ecclesiam Autissiodorensem. Interpretatio visionis:

23 *Cæterum singularem illam beneficentiam, quam supra num. 14 in nostro Sancto exhibuimus, quando erat abbas, postmodum etiam ad episcopalem cathedram evectus ex animo non delevit; uti ex Actis ejus fit perspicuum. Quibus ex Collectione Marteniana num. 2 superius assignata adjunge favores erga ecclesiam suam a laudato Antistite collatos.* Qui *videlicet* ob amorem Dei, et sui memoriam singulis annis recolendam, ecclesiam Ausiaci ad refectionem fratrum in die anniversarii sui huic ecclesiæ donavit. Dedit etiam eidem alias ecclesias; ecclesiam scilicet Bacernæ et S. Briccii, et Induniaci, et Veniosæ, et decimas Visiaci. Præterea ipsam ecclesiam multis cappis de pallio, et duobus tapetis, et multis sacerdotalibus indumentis, et aliis ornamentis ipse dives ditavit. *Accedit eo interpretatio visionis, quam refert Chronicon Autissiodorense, pluribus infra a nobis designandum num. 27. Res gesta sic habet :* Per idem tempus erat in Antissiodorensi matre ecclesia clericus quidam Iterius nomine devote ibidem serviens... et conversationis honestæ. Erat vero apud eamdem urbem ultra Icaunam fluvium locus, quem olim B. Germanus in cœnobium monachorum exstruxerat, et copiose ditarat... Is itaque locus, ubi quondam celebriter religio sacra floruerat, ad tantam tunc dirutus vastitatem devenerat, ut ubique fruteta succrescerent... Porro præfatus vir dum in Vita B. Germani relegeret, vel lectum audiret, quanto hic locus in diebus antiquis claruisset præconio sanctitatis; ut erat devotus animi, afficiebatur medullitus... Dum in hac itaque voluntate persisteret, visione mirabili de reparando loco meruit incitari; *quæ ibidem narratur.* Ut autem experrectus est, cœpit cogitare propensius, quid vidisset. Et accedens ad dominum Hugonem tunc præsulem, virum magnæ virtutis, intimat ei seriem visionis. Cui ille, Domini, inquit, et gloriosæ Matris ejus voluntas est, ut locum illum restituas, repares diruta, ruinosa reficias. Vere enim locus sanctus est, et terra sancta, utpote Sanctorum habitatio perantiqua. Hac igitur occasione cœpit homo Dei frequentius locum invisere *etc. Cæterum monasteria religiosa, de quibus sanctus noster Antistes bene fuit meritus, magno numero sunt, testibus Monumentis Autissiodorensibus nostris Mss. pag. 160 et 161; nomina eorum ac favores ipsis collatos hunc* E *non transcribimus.*

AUCTORE J. P.

annus mortis

24 *De morte Sancti ut breviter quædam dicamus; adeo inter auctores convenit de tempore, quo ea accidit, ut unius anni discrimen, quo alii ab aliis discrepant, longum contentionis funem non mereatur. Auctor anonymus in Actis, uti et abbas Guido diem quidem obitus* quarto Idus Augusti, *non vero annum ejusdem signant; quem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi anno 1137; Bucelinus 1137 al. 1136; Sammarthani superius num. 19 e Chronico Autissiodorensi, ac Wionus 1136 accidisse notant. Rem proponamus e supputatione chronologica. Monumenta nostra Autissiodorensia Mss. pag. 154 Humbaldi, qui proxime in episcopatu Autissiodorensi* Hugonem *nostrum præcesserat, mortem in via Hierosolymitana ponunt* XX *Octobris anni 1114; ac deinde, interjectis nonnullis (de quibus videre licet scriptorem Vitæ* S. Hugonis *apud nos) ei suffectum affirmant Hugonem die* V *Martii anni 1115, ut supra vidimus num. 20; sed apud Sammarthanos ibidem designatos factum alligatur anno 1116; ubi etiam pro eodem dedimus Ma-*F *billonium. Ex dictis igitur liquet, aliis placere annum 1115; aliis vero 1116 pro initio episcopatus : cum autem Præsul noster* sederit annos XXI, *prout est in ejus Actis apud nos infra num. 1; consequens est, ut pro vario pontificatus ejus exordio jam assignato, varius ejusdem simul ac vitæ finis signari possit, anno videlicet 1136 vel proxime sequenti respondens, et, quandoquidem facultas nobis deest, illum certo determinandi, visum nobis est arbitrio lectoris relinquere, uter is fuerit.*

Actorum

25 *Nunc vero de Actis tam sæpe jam memoratis quid referemus? Multa enimvero sunt, quæ eorum fidem commendant. Rem dispesco in varia capita, quæ circa hoc argumentum quæri possint. Primum itaque de ejusdem auctore; deinde de ætate; tum de valore; ac denique de editione jam pridem excusa, atque a nobis hic recudenda dicatur. Ad primum. De Historiæ episcoporum Autissiodorensium, e qua hic a nobis extracta sunt* S. Hugonis *Acta confectoribus, apud Labbeum ejusdem Historiæ exordio prænotantur ista :* Gesta Pontificium Autissiodorensium ab anonymis scriptoribus, diversis scripta temporibus. *Et continuo additur :* Prima pars incipit a

S. Pere-

AUCTORE J. P.

S. Peregrino episcopo et martyre. *Complectitur autem gesta præsulum quatuor supra sexaginta, capitibus totidem distributa, atque adeo Acta Sancti nostri, qui notatur cap. 54, tanquam ordine ac numero eodem Autissiodorensis episcopus. Prima vero pars ista desinit in anno 1277. Porro quanquam in Historia illa apud citatum editorem pag. 434 notentur Rainogalla, Halagus et Herricus, ad sua saltem usque tempora, hoc est ad seculum nonum, ejusdem auctores; dicaturque pag. 452 Goffridus, episcopus Autissiodorensis, hoc volumen innovasse; non ab uno tamen auctore, nec eodem tempore illud deinde continuatum fuisse, argumento sunt, quæ habentur ibidem in monito pag. 454, item ea, quæ statim dabimus.*

notitiæ,

26 *Ad secundum, quod modo de ætate præmisimus; gesta Præsulum, quæ prima Historiæ parte referuntur, a synchronis scriptoribus referri, ideo conficimus, quia partem secundam pag. 507 ita incipit scriptor :* Vetustissima laudabilisque consuetudo ecclesiæ Autissiod. hactenus habuit a primo ipsius pontifice, videlicet beato B Peregrino, in posterum gesta notabilia pontificum singulorum sedis ejusdem, post ipsorum cujuslibet obitum scribi et registrari in libro, ad hoc provide et perspicaciter ordinato, ut ex eorum recitatione frequenti gestorum laudes Deo redderentur, successoresque ipsorum peramplius ad actus strenuos incitarentur, suorum exempla prædecessorum imitantes. Ex incuria tamen seu historiographorum carentia, ecclipsata consuetudo prædicta exstitit a tempore obitus bonæ memoriæ domini Eraldi de Lisigniis exclusive; cujus obitus dies exstitit anno Domini MCCLXXVII. *Si itaque, teste illo scriptore, episcopi isti singuli singulos post suam quique mortem habuerint gestorum præcones; suum quoque habuerit* S. Hugo; *eaque de causa, ac in fide laudati auctoris, e quo ista eruimus, licitum nobis esse putavimus, Acta ejusdem Sancti tanquam a synchrono conscripta prænotare.*

ac fides.

27 *Ad tertium ac quartum. Consequens est e præmissis, Acta illa mereri plenam fidem, sincera utique ac genuina; tantique esse valoris eorum scripturam, quanti et ob ætatem, et ob simplicem modum ac minime fucatum vel ampul-* C *latum, quo suam narrationem enuntiat, haberi jure merito scriptor debet. Ad quartum. Ea Labbeus noster habet in Nova sua bibliotheca librorum manuscriptorum tom. I, pag. 460 et sequentibus; sed dum nos illa denuo vulgamus, more nostro in capita ac numeros divisimus, notisque illustravimus. Cæterum quod Guido abbas antea allegatus illa præ oculis habuerit, cum ex aliis indiciis, tum ex his ejus verbis apud Labbeum pag. 576 indubitatum mihi est :* In quanta autem animi puritate dictus Hugo in episcopatu vixerit; liber de gestis ejus plenius declarat. *Sed antequam manum de tabula tollamus; quandoquidem Chronici Autissiodorensis verba superius plus semel producta sunt; notionem quamdam ejusdem subnectere placet. Pertexuit illud auctor (qui in fronte exemplaris anno 1609 excusi dicitur* anonymus, *sed in dedicatoria, ut vocant,* Robertus, cœnobii S. Mariani apud Altissiodorum, regulæ Præmonstratensis monachus.) *usque an annum 1211; unde colligas, eum Sancto nostro, de quo scribit, supparem vixisse, ac proin fide dignum. Superest, ut ipsa nunc Sancti exhibeamus*

D

ACTA

Ab anonymo synchrono conscripta;

Ex Historia episcoporum Autissiodorensium parte prima apud Labbeum in Nova bibliotheca Mss. librorum tom. I, a pag. 460.

CAPUT I.

Natales, educatio in monasterio Cluniacensi; regimen Autissiodorensis; episcopatus, virtutes, ac prophetia. E

Natales, educatio, vita monastica apud Cluniacenses;

Hugo sedit annos XXI. Hic siquidem in Cluniacensi territorio de castro Monte-Acuto *a* ortus, a nobilibus processit parentibus *b*. Et pater ejus Dalmaticus * dictus; matris vero nomen... *c*. Hunc cum patres satis tenere diligerent, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter, nutu Dei, quo omnia disponuntur, Ecclesiæ destinatus, litteris traditur, et adhuc in puerili innocentia manens in Cluniacensi monasterio, monasticum habitum suscepit : ubi sub sancto Hugone *d* avunculo suo, ejusdem monasterii tunc abbate, pluribus annis vixit, et regulam beati Benedicti in claustro ejusdem monasterii sapienter didicit : quoniam, sicut perhibetur de ipso, semper sine querela, humilis, et obediens suis majoribus, sicut decet monachum, permansit. F

* *al.* Dalmatius *ac* Dalmacius

et abbatialis in monasterio Autissiodorensi.

2 Porro Dominus omnipotens, qui humilia respicit in cœlo et in terra, humilitatem hujus respiciens multis profuturam, eum in claustro diu manere non permisit. Post decessum namque domini Guiberti, abbatis sancti Germani Altissiodorensis *e*, in eadem ecclesia electus et benedictus abbas, non propter nomen abbatis elatior factus; sed tanquam unus ex cæteris humilis monachus fuit et, sicut bonum magistrum decet, cœpit facere et docere, demonstrans exemplo, quod docebat verbo.

Ex abbate, superatis difficultatibus,

3 Cognito autem quod dominus Humbaldus venerabilis Autissiodorensis episcopus in via Hierosolymitana de hac vita migrasset, Clerus ejusdem ecclesiæ, ex majori parte, facto satis brevi intervallo, hunc jam dictum abbatem in pontificem elegerunt. Præpositus vero ejusdem ecclesiæ Hulgerius nomine, et quidam canonici cum eo, qui eumdem præpositum nominaverant in electione, electioni sancti Viri restiterunt, qui etiam regem Ludovicum *f*, filium regis Philippi, tunc regnantem, suæ contradictionis adjutorem habuerunt : ita ut omnia regalia ad episcopatum pertinentia, omnino concedere ei denegaret. Tunc ipse compulsus et tractus ab electoribus suis, et sui adversarii, ad limina Apostolorum adierunt, ut ibi a summo Pontifice judicaretur de electione.

4 Sed

A *At episcopus,* 4 Sed benignissimus Dominus omnium bonorum distributor, adversus quem non est sapientia vel consilium, tantam dedit reverendo Abbati gratiam in oculis summi Pontificis, qui tunc Pascalis nomine sedebat, ut ab ipso gratiam episcopalis consecrationis mereretur accipere : et cum pace adversariorum ad propriam sedem reversus est cum multa alacritate, occurrente sibi clero et etiam populo. Comitem quoque terræ *g*, qui eodem tempore captus tenebatur a Mansello, qui postea in Carthusia religionis habitum assumpsit, de confirmatione suæ electionis lætum invenit, regem etiam Francorum, qui prius ei adversabatur, in adventu suo quam cito visitavit pacatum.

edito pro ejus integritate prognostico. 5 Denique in quanta animi puritate et quam humilis in episcopatu suo vixerit; licet non per omnia subsequens littera declarabit : cujus sanctæ conversationis quasi quoddam præsagium fuit prognosticum ei divinitus destinatum, quod tale fuit : Ave, Maria, gratia plena, etc. *h*. Nec mirum, si Filius Virginis, sine cujus nutu nec folium cadit in terram, in prognostico Servi Matris suæ, quem virginem cognoverat permansurum, illam singularem et admirabilis gratiæ salutationem voluit inveniri, ut qualis vitæ futurus esset, daret intelligi.

B

De Ordine Cisterciensi optime fuit meritus. 6 Ordinem Cisterciensem, qui tunc temporis adhuc recens *i* erat, læta et voluntaria paupertate circumseptus, dulcissima visitatione frequentabat, et juxta facultatem suam ei in multis necessaria ministrabat. Suo etiam tempore ejusdem Ordinis abbatiæ, Regniacum *k*, Rupes *l*, Bonusradius *m*, initium fundationis habuerunt, et per manus ejus, tum ministrando necessitatibus eorum, tum acquirendo possessiones, non modicum incrementum. Nam ante tempora suæ consecrationis Pontiniacense *n* monasterium fundatum fuerat; infirmos etiam ejusdem Ordinis non obliviscens dulci alloquio refovebat, et in expensis suis sæpius refectionem ministrabat.

Amat solitudinis, 7 Civitatem et frequentias populorum congruo tempore libenter vitabat, claustrum monachorum læta animi simplicitate frequentans, inter ipsos non desiderans episcopus vocari vel videri, sed monachus, non oblitus illius evangelici præcepti : Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui

C

præcessor est, sicut ministrator; illud etiam beati Hieronymi, qui et monachus fuit et doctor monachorum, semper in mente volvens: Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est : si cupis esse, quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus? In claustro monachorum de Caritate *o*, qui juxta ordinem Cluniacensem vivebant, frequenter manebat : et de castris suis Varziaco et Cona *p* annonam et vinum, ne ecclesiam gravaret, ad suum usum et refectionem infirmorum ibidem sæpius præcipiens deportari.

spiritus propheticus. 8 Creditur quoque de ipso, quod spiritum habuerit prophetiæ : in quo quoddam signum veritatis reliquit clericis suæ ecclesiæ. Fuit namque tempore suo clericus quidam, nomine Stephanus, in acquirendo et providendo cautissimus, qui multum dilectus et familiaris fuerat abbatiæ, cui præfuerat, et precipue abbati Gervasio successori suo, utpote de familia ejusdem ecclesiæ. Pro ipso igitur cum monachi ipsius ecclesiæ, et præsertim abbas frequenter episcopum interpellarent, ut eum canonicum faceret in ecclesia sancti Stephani *q*, ipse vero nollet eos in hoc audire, cum ipsi eum quotidie assiduis precibus non cessarent pulsare, fertur hoc illis responsum dedisse : Incassum pro ipso preces funditis; meo namque tempore meus nunquam canonicus erit. Hoc enim credo de ipso, quod quam cito canonicabitur in ecclesiæ sancti Stephani, proprii commodi circa bona ecclesiæ nimius erit exactor. Et quid multa? Verbum sancti Viri veritas subsecuta est : post mortem namque ejus, successor suus prædictum clericum in ecclesia beati Stephani canonicum fecit, et familiarissimum habuit, et quod de ipso Vir sanctus prædixit, hoc in eodem clerico effectus probavit. A. ANONYMO SYNCHRONO.

Satagit ne sui graventur expensis. 9 Archidiaconatum, qui suo tempore venit in manus ejus, diebus sui præsulatus in manu sua retinuit, non propter avaritiam, sed ne sacerdotes gravarentur, sciens archidiaconatus redditus paucissimos esse, nec ad expensas, quas nomen hujus honoris requirit, posse sufficere. Contigit autem semel, eum pro quadam necessitate velle Romanum Pontificem visitare : unde et consilio assistentium sibi pro expensis itineris tanti compulsus est a sacerdotibus suæ diœcesis auxilium postulare. Dederunt sacerdotes juxta proprium arbitrium unusquisque, nec amplius quæsitum est ab aliquo, quam de ejus procederet libera voluntate. Paratis igitur omnibus, quæ necessaria erant sibi, aggressus est iter propositum, transiens montem Cinisium *r*, ad Clusas *s* venit et ibidem intellexit, viam securam non esse. Consilio itaque inito ad propriam sedem rediit, et non oblitus quod a sacerdotibus suis pro itinere incœpto pecuniam sumpserit, viso scripto, quantum unusquisque sacerdotum dederat, tantum unicuique est resignatum.

E

Minimam quoque 10 Fuit quoque quidam ejus familiaris, cui ecclesiasticum beneficium contulit. Ille vero non immemor accepti beneficii, transacto aliquanto spatio temporis, cum quadam summa nummorum venit ad monachum quemdam, qui loculos episcopi portabat, et totius domus suæ procurator erat : obtulit ei eosdem nummos, ita dicens : Dominus episcopus multa expendit, et indiget multis; hoc munus accipite, et in expensis sibi necessariis reservate. Monachus cum gratia munus accepit, et acceptum reservavit. Nec multo interjecto temporis spatio, in memoriam reducens nummos acceptos, et ignorans, si aliquis scrupulus lateret in munere, qui conscientiam episcopi posset offendere, cujus puritatem non ignorabat, sicut providus et sapiens dispensator, quale munus a quali viro sibi datum fuisset, episcopo revelavit.

F

labis Simoniacæ umbram aversatur. 11 Quo audito, cum episcopus cogitaret, unde donum processisset tale et tantum, statim venit ei in mentem, quod in ecclesiastico beneficio benefecerit illi; iratus sic dispensatori suo fertur dixisse : Frater, non est nostri propositi hoc tenere, quod a gentili dictum est. Non cures, unde habeas, sed oportet habere; ita ex integro, sicut munus ibi dedit, datori remitte, ne conscientia mea polluatur in ecclesiastici beneficii collatione. Monachus statim obedit, et sicut ei injunctum fuerat, munus datori remisit.

ANNOTATA.

a *De loco natali consule Commentarium nostrum num. 5 : quibus adde Monumenta Autissiodorensia nostra; quæ indicant, olim validum admodum fuisse castrum in cacumine montis situm, ac una circiter leuca cum dimidia distans a monasterio Cluniacensi.*

b *De genere ac consanguineis Commentarius.*

c *Alibi ei nomen datur Aremburgi, sicut ibidem*

A. ANONYMO. SYNCHRONO.

dem videre licet.

d *Vita ascetica sub* S. Hugone *abbate Cluniacensi breviter illustratur* § 2.

e *Non vero S. Germani Parisiensis, ut videsis ibid. num. 11; ubi etiam deinceps varia præmittuntur, quæ ad munus ejus abbatiale spectant.*

f *Philippo I Galliarum Regi successit anno Christi 1108 Ludovicus Crassus.*

g *Intelligo hic tacite indicari Willelmum II, comitem Nivernensem, Autissiodorensem etc. ex Chesnii (quem in Comm. prævio num. 9 citavi) libro 3, cap. 28; ubi anno 1116 captus a Theobaldo comite Carnotensi ac Blesensi, ac diu sub manibus ejus detentus fuisse narratur (Occasio erat bellum cum Hugone comite Cenomanensi,* du Mans, *prout ibi vocatur) ac deinde in* Ordine *Cartusanorum religiose vixisse ab anno 1147 usque ad 1148; eodemque obiisse die 21 Augusti. Hæc, uti et alia plura de illo invenies apud memoratum Chesnium pag. 328 et seqq.*

h *Lucem hisce subministrat Commentarius num. 20.*

B

i *Cirsterciense monasterium, Ordinis Cisterciensis caput, diœcesis Cabilonensis, quinque circiter leucis ab urbe Divionensi distans, in Ducatu Burgundiæ conditum fuisse anno 1098, invenies apud Sammarthanos tom. IV, pag. 242.*

k Rigniacum *(Rigny)* beatæ Mariæ diœcesis Autissiodorensis ad Armensonem fluvium, filia Clarævallis fundatur MCXXVIII, VII Idus Septembr.; *prout ibidem habes pag. 790.*

l Rupes *(les Roches)* diœcesis Autissiodorensis, Ordinis Cisterciensis, filia Pontigniaci fundatur anno MCXXXVI Nonis Februarii; *inquiunt Sammarthani pag. 804.*

m Bonusradius *(Boras)* diœcesis Autissiodorensis, filia Pontiniaci Ord. Cisterciensis, conditur VI Idus septembris MCXIX, in Chronico S. Mariani. *Ibid. pag. 187.*

n Pontigniacum *(Pontigny)* S. Edmundi quatuor leucis distans ab urbe Autissiodoro, fundatum *notatur ibidem pag. 740 anno* MCXIV, et secunda esse Cistercii filia.

o *Post Chronicon Roberti cœnobitæ et S. Mariani, quod fol. 76 verso de isto cœnobio agit, hæc de eodem tradunt Sammarthani pag. 217 :* Caritas *(la*

C

Charité) Ordinis Cisterciensis, filia Bellævallis, Bisuntinæ diœcesis, VII Idus decembris anno salutis MCXXXIII fundatur.

p *Locus hic non omnino ignobilis : nam inter abbatias diœcesis Autissiodorensis in Geographiæ Blavianæ volumine 7, pag. 224 notatur* S. Laurentii Cosnensis. *Ibidem, inter oppida et arces præcipuas ditionis Autissiodorensis notantur* Cosnæ et Versay.

q *Primaria est ecclesia urbis Autissiodorensis.*

r Mons Cenisius *(le Mont Cenis) notissimus in Sabaudia mons est, pars Alpium in limite Pedemontii.*

s Clusæ, oppidum Sabaudiæ *(ita breviter illud describit Baudrandus)* in Fossiniaco tractu, ad Arvam fluvium, undique montibus septum, 7 leucis ab Annecio in ortum distans. *Consuli possunt, quæ supra in hoc tomo dicta sunt pag. 532 num. 58.*

D

CAPUT II.

Munificentia ac misericordia; serenitas aeris exorata, mira sospitatio in lapsu turris, pax inter dissidentes composita, cura in rebus ecclesiasticis, mortis prædictio, obitus, sepultura.

Accidit etiam, ut ex defectu vinearum sub quodam anno vinum aliquantulum magis solito venderetur; ipse vero considerans loca regulariter viventium in episcopatu suo, præcipue inter alias necessitates, ad usum potus nihil omnino vini aut nimis parum habere, constituit monachis de Rupibus, et illis de Bonoradio, et illis de Caritate, a Varziaco et Cona vinum ministrari juxta quantitatem vini, quam habebat ibi, et prout cuique ecclesiæ congruum erat. Conventui autem Pontiniacensi, Regniacensi et Virginibus Christi de Crisinon *a* in hunc modum distribuit. Quadam die accito cellerario Altissiodorensi, cellariqm proprium intravit, et cognito, quod dolia essent plena vino, fertur ita dixisse suo cellerario : Hoc vas sit conventus Pontiniacensis; istud Regniacensis; istud pauperum Virginum Christi, unumquodque designans virgula, quam habebat in manu sua. Porro cellerarius sciens vinum esse de Megrana *b*, quod destinaverat Virginibus Christi; dolium quoque XL modiorum magni pretii fore, quasi ex consilio animum episcopi avertere voluit a tanto dono, dicens, Domine, istud vinum est de Megrana, et vas XL modiorum magni pretii, putationi vinearum et aliis necessitatibus reservatum : placeat vobis vinum minoris pretii dare; quia aliud habetis præ manibus, quod ex magna accipient animi caritate. Cui episcopus : Non sapis ea, quæ Dei sunt. Quod dixi, dixi. Nescis, quod verbum Dei nunquam debet esse otiosum? Quid multa? Dixit, et facta sunt.

Mirifica ejus charitas

E

F

13 Sed adhuc audiamus quid Dominus adjecerit huic Viro ad augmentum hujus caritatis. Vocatus est dispensator monialium : injunctum est ei, ut deferat vinum datum usui Virginum; sed ille cum intelligeret, vinum tam bonum et tanti pretii esse, obtulit, venale, ut de pretio vini, vilius emeret, et residuum pretii necessitatibus aliis reservaret. Episcopus hoc audiens, monachum dispensatorem jubet vocari; quare velit vendere vinum, inquirit. Monachus causam exponit : quod episcopus intelligens, inquit : Ego vinum, quod dedi, sub eodem pretio, quod alii daretur, volo, quod in meam redeat potestatem. Obsequitur monachus voluntati episcopi : datum est pretium monacho non minus quam potuit habere ab alieno. Quo facto, Episcopus ad monachum : Modo pretium vini habes; ecce, hoc vinum, sicut prius, iterum sponsis Christi dono, utque illud habeant et bibant præcipio.

in sublevanda Religiosarum familiarum inopia;

14 Creditur quoque de ipso, quod semel et secundo et tertio corporis infirmitatem sentiens, ita universa quæ habebat, pro amore Dei distribuit, ut nihil mobile, præter vestimentum, quod vix posset sibi sufficere, retineret. In quadam autem infirmitate, cum omnia dari præcepisset,

uti et aliorum pauperum egestate.

A pisset, allata est ei quædam pyxis cum electuario, et parvo cochleari argenteo : ipse autem statim præcepit cochlear dari, ut nihil sibi retineret, quod conscientiæ puritatem offendere posset.

Serenitatem aeris e

15 Accidit quoque ut quodam tempore apud Claram-vallem esset; ubi sæpe ex magna animi voluntate morabatur pro consilio animæ suæ : quia tunc temporis dominus Bernardus *c* venerabilis, magni nominis et meriti abbas, cujus vita et doctrina in universali Ecclesia celebriter divulgata multos secum traxit ad Christum; ibique die quadam cum abbas et conventus monachorum, quorum consuetudo est proprie manibus metere, unde vivant ipsi, et necessitatem patienti tribuant, in campum quemdam ad metendum irent; episcopus cum falce conventui se interposuit, magnum fructum expectans, quoties inter eos contingeret ipsum socium esse laboris.

pro messoribus segetum, cum S. Bernardo orat, et exorat.

16 Ventum est ad campum, ubi seges erat; secant omnes : colligitur seges in manipulos; et, ecce, nubes tenebrosa et multis imbribus plena obnubilans cœlum et circumvolvens campum, ubi erant. Quod cum videret dominus Bernardus, venerabilis abbas, imperterritus et fidem Christi B semper habens in pectore suo, de qua scriptum est, Omnia sunt possibilia credenti; conversus ad episcopum ait : Pater, dic, ut imminens pluviarum inundatio transeat. Ille ad humilitatem semper respiciens, sic respondit : Non sum hujus meriti : tu ora; et confido, quod Dominus dabit tibi. E contra abbas, Et tu Pater, ora, et ego tecum. His dictis oravit uterque, et statim aures Domini in preces eorum : recessit caligo nubium, subsecuta est serenitas aeris, et cum siccitate colligunt messem suam sancti messores.

In lapsu turris miro modo non læditur.

17 Quodam quoque tempore ex quadam insolita nimietate ventorum, quædam turris lignea ecclesiæ sancti Stephani funditus trabes et ligna trans tegumenta domus penetrando, circa lectum episcopi cecidere hinc-inde, etiam ex transverso, omni læsione submota a sancto Viro. Quid ad hæc dicemus? Patet, quod ille solus et unus et dormientem custovit episcopum, qui non dormitat, neque dormit, et custovit Israel : semper enim custodivit omnes diligentes se, de quo solo vere scriptum est : Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

C

Pacem componit inter dissidentes :

18 Cum autem de consuetudinibus ecclesiæ suæ inter præpositum et canonicos discordia tempore longo durasset, sub juramento testium, tam canonicorum quam laicorum consuetudinibus ex majori parte scriptis et juratis, pacem inter præpositum et fratres posuit, et scriptum suo sigillo confirmavit, et auctoritate summi Pontificis communiri fecit, in pace ecclesiæ suæ illum fructum attendens, quem legerat in beati Martini opere, qui ante obitum suum sibi imminentem in Condatensi ecclesia studuit pacem reformare, quem fructum pacis per Psalmistam auctor pacis promisit : Sunt, inquiens, reliquiæ homini pacifico.

consanguineum promovere recusat : curat res ecclesiasticas ac personas :

19 Et cum inter omnes prælatos ecclesiæ, cujuscunque fuerint ordinis, vix unus possit inveniri, qui parentes suos etiamsi non sint digni, non sublimet honoribus et beneficiis ecclesiarum, iste singularis inter infinitos, cuidam suo nepoti nunquam in vita sua præbendam voluit dare. Et licet non multum assiduus esset in ecclesia sua ob quietem spiritus, quam inveniebat inter claustrales; multam tamen sollicitudinem circa suam ecclesiam exhibebat. Ad servitium igitur ecclesiæ suæ augmentandum, considerans nihil tam utile in ecclesia ad commune bonum fratrum, quam si præpositum ecclesiæ cederet eis in communem usum, quadam die, consilio accepto non ab homine, sed a Deo, per manum sancti Stephani super altare ipsius, præposituram obtulit, et in perpetuum habendam communitatem fratrum, et præcipue ad refectionem ipsorum concessit et donavit, ipsumque donum, ne ab aliquo posset infringi, auctoritate Innocentii Papæ fecit confirmari : verumtamen quod super hac donatione factum fuerit, tempore successoris sui observatum non fuit.

A. ANONYMO SYNCHRONO. d

ædificia ab eo constructa.

20 Dedit etiam ecclesiæ beati Stephani, ecclesiam de Oyisi, et ecclesiæ sancti Germani ecclesiam sancti Ferreoli : domum episcopalem de novo ædificavit lapideam amplam, et tegulis texit et in illa parte ejusdem domus, quæ respicit ad orientem, stationem quamdam construxit, quæ vulgari lingua Logis appellatur, plurimum in aspectu delectabilem cum pulcherrimis columnis exornatam super murum civitatis, unde et fluvius subtus potest videri, et vineæ et agri.

Morbo corripitur,

21 Appropinquante igitur termino vitæ suæ; apud illum præfinito, qui tunc dat dilectis suis somnum, quo vult eis hereditatam suam dare, E universa membra ejus calor occupat innaturalis : ipse vero, carne laborante, spiritum in Psalmis et orationibus Creatori suo compellebat servire. Cumque supervenisset dies extremus, fratres circumstantes quali potuit diligentia circa horam nonam diei, his admonuit verbis : Horas diei, quæ supersunt, quas debemus, Domino persolvamus; quoniam, finitis Horis, statim requescam. Cantaverunt igitur Domino, et Hora Completorii completa, completus est terminus vitæ ejus, sicque verbum, quod prædixerat, subsequitur effectus veritatis.

ac mortem, quam prædixerat, obit die 10 Aug.

22 Quibus finitis Horis requievit in Domino, quod tunc, non prius intellexerunt circumstantes. Putaverant enim verbum ejus fuisse de quiete corporis. Est autem obitus ejus quarto Idus Augusti, et a sede episcopali, ubi spiritum reddidit Domino, ad ecclesiam sancti Germani, sicut de ejus voluntate, dum adhuc viveret, processerat, corpus ejus delatum est cum debita reverentia, et ibidem in capitulo ejusdem ecclesiæ, ubi fratres disciplinantur, Domino providente, habuit sepulturam *e*. Nec vacavit episcopatus ab electione successoris sui per septimanam. F

ANNOTATA.

a Crisennonum *S. Mariæ, parthenon Ordinis S. Benedicti, diœcesis Autissiodorensis, ab Alcide, regis Hugonis Capeti filia, anno 1030 fundatus notatur apud dictos Sammarthanos pag. 311.*

b *Quia in mappa geographica Ducatus Burgundiæ Blaviana inventio locum* Migray *prope Autissiodorum, ideo suspicio mihi incidit, a biographo hic indicari vinum quod ibidem creverit; sive locus ille ex sua natura fuerit ferax vini generosi; sive terra illa præ reliquis tunc temporis Sancto nostro affuderit vindemiam melioris notæ.*

c *Acta ejus illustranda sunt ad diem 20 hujus mensis. Satis autem vel ex hoc solo facto conjectura habemus, ut cum Castellano in Martyrologii universalis indice, qui est de nominibus Sanctorum, pag. 1130, dicamus,* Hugonem Montacutium S. Bernardi amicum *fuisse.*

d *Locum hunc sic explano e nostris Mss. Monumentis Autissiodorensibus pag. 160 :* Tenens manibus suis lipsanum brachii S. Stephani, quod cum reverentia deposuit super magnum altare etc.

A. ANONYMO SYNCHRONO.

c *Guido abbas S. Germani Autissiodorensis, de quo Comm. prævius illa sic narrat :* Sepultus est in capitulo B. Germani. Postea translatum est corpus ejus in ecclesiam S. Germani, et juxta altare B. Nicolai tumulatum. *D. le Beuf Canonicus ac succentor ecclesiæ Autissiodorensis in litteris* D *§ 1. nostri Commentarii prævii num. 4 citatis testatur, se anno 1729 die 16 Novembris in ejus sepulcrum descendisse, quadam occasione, quam addit, apertum, una cum Religiosis, ac observasse ossa femoris, tibiæ etc. His rerum a* S. Hugone *gestarum collectioni finem imponimus.*

DE S. BLANO SEU BLAANO EPIS. CONF.

IN SCOTIA

J. B. S.

Ex Breviario Aberdonensi et Martyrologiis.

SEC. X. *Quamvis dubia sit historia*

B*reviarium sæpe alibi a nobis citatum, præ cæteris adducere visum est, quod ex ipso de veteri cultu certiores reddamur, et vitæ historia quantumvis suspecta, paulo fusius ibi explicetur in sex lectiones distributa. De eodem Sancto nonnulla observavimus* B *inter Prætermissos ad diem* XIX *Julii, idque in primis quod a Menologis Scoticis Dempstero et Camerario duplicari videatur, cum eo die ab hoc signetur ut* episcopus Dumblanensis, *hodierna autem annuntiatione indicetur* episcopus Soladorensis, *licet fateatur ab ipso* S. Blano *dictam fuisse* civitatem Dumblanensem. *Verum nec soli illi nugantur, cum lectiones ipsæ jam citatæ fabulis non careant, ut brevi patescet clarius, ubi quæ de legitimo cultu monumenta supersunt paulo distinctius proposuero, aliunde quam ex jam dictis, sæpe nugatoriis, Menologiis accepta. Sed neque Castellano assentiri posse videor in loco depositionis dum ita annuntiat :* In insula Buta, una ex Hebridibus ad oram Scotiæ, S. Blani, confessoris, *ubi vel ab episcopi titulo abstinet. Audiamus vetustiora.*

de cultu dubium non est.

2 *Primum locum, utpote antiquior commemoratio meretur ea quam inter Usuardinas additiones tradit Editio Lubeco-Coloniensis, ubi Sanctus diserte ita signatur :* In Scotia S. Blani episcopi et confessoris : *quæ totidem verbis descripsit Grevenus, cui exemplar Cartusiæ Bruxellensis,* C *quod modo apud nos est, ad marginem adjectam habet vocem Ms.* Dumblanensis. *Florarium vero nostrum Sanctorum Ms. phrasim tantillum mutat, dum scribit :* In Scotia S. Blani confessoris et episcopi. *Atque hi præcipui, imo soli, quos equidem noverim, Martyrologi sunt qui de* S. Blano *meminerunt : est vero mirandum quam maxime, quod Wilsoni Anglicani Martyrologii collectoris diligentiam effugerit. In Hibernicis Sanctorum catalogis etiam locum reperit, sic tamen ut in uno et altero* Blavius *legatur pro* Blano *seu* Blaano. *Apud Leslæum ubi viri maxime memorabiles sub rege Kenetho III colliguntur pag. mihi 199, inter Pontifices etiam* Blaanus *connumeratur.*

Elogium Dempsteri

3 *Atque hæc satis certa et secura omnia videntur, non item Dempsteri elogium quod ei adscribit in hunc modum :* Dumblani, Blani episcopi primi, qui in insula Buta ab ignoto juvene, vi compressa matre Bertha genitus, et cum ea in exigua cymba sine fundo, mari Oceano ut perderetur, a S. Cathano avunculo commissus, divina providentia servatus, matre ab ave miraculose pasta, appulitque in portum Beutorne, ubi a sanctis Congallo et Kennetho repertus, sacro fonte levatus educatusque est, et ab avunculo ordinatus, impetrata a Papa Romano benedictione, filium regis triduanum ad vitam revocavit in Anglia, et sedem suam fixit Dumblani, quo nullus in Scotia sanctior. *Sit sanctior et sanctissimus per me licet, quamvis et hæc locutio in eo genere sit, quod in Præfatione sua pag.* XXXIV *expendit Bollandus, alibi etiam de portentosis Scotorum Sanctorum historiis tale judicium ferre solitus, ut ab iis facile admittendis, sedulo cavendum monuerit.* E

4 *Neque tamen ea nos absterrebunt quo minus hic narrationem ex Breviario Aberdonensi, ut ut etiam incredibilem, subjiciamus sex ipsas lectiones suo ordine ad verbum describendo, in quibus idem venenum facile apparebit. Ita habet* LECT. I : Blaanus de Buta insula oriundus ex matre Ertha B. Cathani præsulis sorore, qui ex spectabilibus Iberorum genere sanguinis sumpserant parentelam. Hic a sanctis viris Congallo et Kennetho pontificibus in Hibernia per septennium lumine religionis Christianæ et ecclesiasticis disciplinis insignitus, ut fortis in bello armatus in Ecclesia Dei militavit. Septennio elapso, cum matre de Hibernia ad insulam, unde originem duxerat, mirabiliter sine remis aut velo in scapha quadam exstabat perductus. Tu autem, etc.

et lectiones omnino sex

5 LECT. II. Cumque ad terram pervenisset a B. Cathano avunculo suo quam honorifice suscipitur, et quam familiariter tractatur : ubi divino servitio sese mancipatum dedit. Nocte vero dum psalmorum facerent modulationem, lumen custodiæ B. Blaani commissum extingui contigit. Verum beatus homo Dei ne id per confratres suæ desidiæ aut negligentiæ imputaretur, aliquantulum oratione emissa, ignem ex digitorum suorum extremitatibus, ut de silice chalybe percusso vibravit. F

ex Breviario Aberdonensi

6 LECT. III. Beatus vero Cathanus Spiritus sancti certioratus gratia, præmissa intelligens, virum magnum in Ecclesia Dei B. Blaanum esse prædixerat, eumque ad sacros ecclesiasticos ordines promovit, et in sacerdotio constituit et ordinavit. Deinde suis exigentibus meritis a multis rogatus, licet invitus, vicinis congregatis Pontificibus in episcopum Spiritus sancti gratia consecratur.

hic descriptæ

7 LECT. IV. Pontificali autem dignitate decoratus Romam peregrinationis causa proficiscitur ad percipiendam uberiorem gratiam et securiorem notitiam Christianæ religionis : ubi postquam ea aperte noverat, accepta benedictione pontificali, unde venerat, cursum denuo dirigit et per Angliam, non equis sed pedibus tantum transitum fecerat, ubi pulchrum contigit fieri spectaculum.

fabulis multis

8 LECT. V. Namque cum per quamdam civitatem in Aquilonari parte Angliæ sitam ambularet,

luctus

A luctus audivit amarissimos virorum et mulierum, cujusdam regis filium ex tunc mortuum plangentes et lamentantes. Beatus vero Blaanus lacrymis miserorum pie compatiens, puerum jam mortuum, qui dum viveret, altero oculorum orbatus fuerat, per manum levando accipiens, signo crucis primitus interveniente, animam corpori in converso adjunxit et de morte ad vitam resuscitavit.

respersæ sunt. 9 Lect. vi. Sed quia erat uno oculorum privatus, iterum puerum vita privavit, Deumque deprecabatur, ut simul vitam cum oculo restitueret, quæ et ejus nutu peracta sunt. Verum quia in natura puerum peccantem invenit, denuo eumdem respirare et spiritum emittere coegit, tertioque orans, puerum ter mortuum, ter oculo privatum, et in natura deformem, sanum, incolumem, clarissimis videntem oculis, ac facie venustissima parentibus restauravit: pro quibus Deum in Sanctis suis glorificabant.

Quid de ætate. 10 *Commentario hic opus non est, patent ineptiæ. Desiderantur annus et dies obitus, qui nescio an majori fide in principio signati sint, nempe sub rege Kennetho III annus* M. *vel* MX, *dies vero* X Augusti, *cum propria de Sancto oratione in hunc modum :* Deus qui [per] B. Blaanum confessorem tuum atque pontificem ad vitam mortuum resuscitasti, et lumine privatum reparasti, B fac nos, quatenus ipsius intercessionibus adjuti, tibi pura mente servire.

Auctore J. B. S.

De iis viri docti judicium. 11 *Vidit hæc omnia et haud dubie istiusmodi plura e nostra Societate sacerdos P. Patritius Ninianus Wemyst eruditissimus Nissæ in Silesia sacræ Scripturæ professor, Scotus ipse genere, qui nobis accuratissimas observationes Mss. reliquit, ad quarum normam exoticæ non raro gentis suæ ineptiæ reformarentur. Inter alia de hodierno nostro* S. Blano *sic disertissime statuit :* S. Blanus episcopus et confessor sub Kennetho III anno Domini M : sub Kennetho *melius* CMXII. Missis iterum fabulis monstrosis, quas potest quis apud Dempsterum reperire, quæ vera collegimus de hoc Sancto paucis accipe : Blanus a pueritia pietati deditus et inter Culdæos *(quos ut purissimos fidei cultores meritis sæpe ornat laudibus)* adlectus, ab eis in abbatem promotus, demum episcopus consecratus, nihil de priore vitæ genere remittens, inter cœnobitas suos vixit et sancte mortuus est in eo loco qui deinceps ab ipso dictus Blanodunum, vulgo Dumblan. Cœnobium temporis intervallo in episcopalem sedem conversum. Cathedralis ecclesia in honorem S. Blani, qui est E totius diœcesis patronus, constructa est. Nec ego plura de S. Blano. *Nec mihi hisce diutius lubet inhærere.*

DE S. MALCHO EPISC. CONF.

LISMORI IN HIBERNIA

J. B. S.

Ex vita S. Malachiæ

Sec. XII. A Molano X Aprilis signatus.

F*ontem assigno, unde qui de* S. Malcho *egerunt Martyrologi sua se accepisse fatentur, atque hos inter Molanus, qui, nescio quo duce, dum eum in primæ suæ Usuardinæ editionis auctario signarit* X *Aprilis, ita diserte loquitur :* Malachi (*pro* Malchi) episcopi Lesmorinensis et confessoris, de quo in Vita S. Malachiæ. *Eum secuti sunt Canisius in nominis sui Martyrologio,* C *et Ferrarius in Catalogo generali : et hic quidem adeo, ut postquam* Malachium episcopum Lysmorensem *jam dicto die notasset, ad hunc* X *Augusti scripserit;* In Hybernia, S. Malchi episcopi, *quem certe apud Molanum, perperam pro hoc die citatum, non invenerat : hic enim in nulla ex tribus editionibus ipsum hoc die annuntiavit, et quidem in duabus posterioribus, eumdem vel ipsa* X *Aprilis plane prætermisit. Causam equidem explorare nequeo, cum in omnibus Catalogis Sanctorum Hibernicis impressis constanter referatur, si non in ordine mensium, saltem in tabulis alphabeticis in quibus disertissime signatur* Malchus ex Vita S. Malachiæ X Augusti.

ab aliis melius hoc die. 2 *Eas tabulas non videntur consuluisse Majores nostri, saltem ad hunc diem, dum inter Prætermissos ad* X *Aprilis de* S. Malacho *ita egerunt ac si eum quodammodo negligerent, eum remittentes ad S. Malachiam* III *Novembris. Melius sensisse videtur Wilsonus in suo Martyrologio Anglicano, ut verum Sanctum eum prædicans cum elogio, quale ferme Latine dedit Menardus, ita de ipso hoc die annuntians in Martyrologio Benedictino :* Lisimori in Hibernia, S. Malchi, ejusdem civitatis episcopi et confessoris, magnæ sanctitatis viri et miraculorum gloria illustris. *Porro in observationibus lib. 2 docet, unde* S. Malchi *notitia accersenda sit, nempe ex dicta S. Malachiæ Vita, quam habes apud Surium loco suo et apud Messinghamum de Sanctis Hiberniæ a pag. 350. S. Bernardi ejusdem Vitæ scriptoris verba fideliter inde descripta Viri sanctitatem, etsi breviter, solide certe et mirifice demonstrant. Audi modo laudatum S. Bernardum :*

Breve ejus elogium. 3 Subiit animum adire episcopum Malchum, qui se plenius de omnibus informaret. Hic erat F senex plenus dierum et virtutum, et sapientia Dei erat in illo : natione quidem Hibernus, sed in Anglia conservatus fuerat in habitu et proposito monachali Wintoniensi monasterio ; de quo assumptus est in episcopum in Lesmor civitate Mumoniæ, et ipsa nobiliore inter cæteras regni illius. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modo vita et doctrina, sed et signis clareret, quorum duo porro exempli causa, ut omnibus innotescat qualem in scientia Sanctorum Malachias habuerit præceptorem. Puerum mente captum, ex iis quos Lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione sanavit. Hoc ita notum certumque fuit, ut illum mox constituerit ostiarium domus suæ, vixeritque idem puer incolumis in eo officio usque ad virilem ætatem. Surdo auditum restituit, in quo idem mirabile quiddam confessus est, quod cum Sanctus utrique auriculæ hinc inde digitos immisisset, duos quasi porcellos ex ipsis exire senserit. Pro his atque hujusmodi fama crebrescente, nomen grande adeptus est, ita ut ad eum Scoti Hibernique confluerent, et tanquam unus omnium pater ab omnibus coleretur.

DE

A

DE B. AMADEO CONFESS.

EX ORDINE S. FRANCISCI

MEDIOLANI IN INSUBRIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Legitimus hujus Beati cultus ostenditur, et sanctitas ejus contra Bzovium vindicatur.

ANNO MCDLXXXII. *De hodierno hujus Beati cultu Arturus, Hueberus.*


Annua beati hujus Viri memoria celebratur apud recentiores quosdam Menologos, inter quos Arturus a Monasterio ad diem x Augusti in Martyrologio suo Franciscano illum annuntiat his verbis :* Mediolani, beati Amadei confessoris, qui re-
B gio sanguine, et vitæ austeritate, ac summis virtutibus clarissimus, tanta falsit sanctitate, ut et congregationi Amadeorum initium dederit, et dono prophetiæ ac miraculorum illuxerit. *Deinde in notis gesta ejus summatim refert, citatisque plurimus scriptoribus, qui de hoc Beato meminerunt, ibidem circa immemorabilem ipsius cultum habet sequentia :* His igitur et aliis virtutibus insignis, cum præfatum Conventum de Pace a se constructum invisurus Mediolanum concessisset, ibidem expletis a sua conversione in hujusmodi laudabili vita ac pœnitentia viginti duobus annis, anno Christi MCDLXXXII e vivis ereptus, cœlis est redditus, miraculis ante et post mortem clarus; cujus corpus in medio majori sacello honorifice conditum jacet. Mantelius ejusdem beati Patris in sacrario asservatur, qui mulieribus in puerperio periclitantibus opportune adest : et puteus in primo claustro ab eodem beato Amadeo effossus exstat, cujus hausta cum devotione aqua febres pellit. *Fortunatus Hueberus in Menologio Franciscano Arturum sequitur, et similia legitimi cultus indicia profert.*

C Petrus Paulus Bosca.

2 *His testimonium suum adjungit Petrus Paulus Bosca, archipresbyter Modoetiæ, qui anno 1695 Martyrologium Mediolanense edidit, dum quarto Idus Augusti eumdem Beatum in eo sic annuntiat :* Mediolani beati Amadei confessoris, genere ac virtutibus illustris, qui ibidem Amadeorum Ordinem, ædificato ad ecclesiam sanctæ Mariæ Pacis cœnobio, instituit, ubi obdormivit in Domino. *Tum vero in notis ibidem hæc subnectit:* Ecclesiam sanctæ Mariæ Pacis laudat Morigius in Sanctuario; beatum vero Amadeum Martyrologium Franciscanum, unaque scriptores omnes in ejusdem notis citati, queis adde Glussianum in Vita S. Caroli lib. 2 cap. 14, Merulam in Sanctuario Cremonensi, Valerianum Madium in Synopsi clericorum Regularium sancti Pauli, et Carolum Gregorium Rosignolum e Societate Jesu, in Vita Comitissæ Ludovicæ Torellæ parte 1 cap. 10. In hac ecclesia juxta altare majus est ara dicata beato Amadeo, ibique hodie ejus reliquiæ fidelium osculo exhibentur.

3 *Hactenus relata de publico* B. Amadei *cultu confirmantur ex responsionibus, quas nuper Mediolano accepimus : ex iis enim intelligimus, prædictum Beatum Mediolani in Conventu Pacis obiisse, ibidemque corpus ejus sub terra delitescere. Incolæ autem ejusdem Conventus de sacris* B. Amadei *reliquiis et annua festivitate interrogati responderunt, nullas alias reliquias sibi superesse præter tunicam et cilicium ejus, et se quotannis die* x *Augusti festum celebrare ad altare ei dicatum, ubi statua ipsius exposita honora-* E *tur. Præterea addunt, sese olim ad detegendum Beati corpus fodere cœpisse ; sed improviso turbine aliisque portentis territos ab incepto opere destitisse. Denique ex continua prædecessorum suorum traditione asserunt,* B. Amadeum *sepultum esse cum libro, cujus cooperculo inscripta sunt hæc verba :* APERIETUR IN TEMPORE. *Hanc traditionem corroborat* vera beati Amadei effigies, *quam sub hoc titulo Petrus Rodulphius Tossinianensis lib. 2 Historiarum Seraphicæ Religionis fol. 156 exhibet, et quam nos ex fide hujus auctoris tanquam veram Beati nostri effigiem in minori forma repræsentamus.*

et Minoritæ Mediolanenses testimonium reddunt



Hic vides, memorata verba APERIETUR IN TEMPORE *inscripta esse cooperimento libri, qui forte genuinam* B. Amadei *apocalypsim continebat. Quod si liber ille una cum Beato sepultus sit, ut traditio Franciscanorum Mediolanensium habet, non immerito suspicamur, fictitia esse aut spuria similium*

A *milium lucubrationum exemplaria, quæ sub nomine* B. Amadei *passim circumferuntur. Sed de his infra fusius agemus.*

una cum Waddingo et Vasconcellio nostro,

4 *Cæterum de antiquo et hactenus perseverante hujus beati Viri cultu Lucas Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1482 num. 43 occasione sepulturæ* B. Amadei *tradit sequentia :* Postridie in ecclesiam ducto funere tanta repente irruit populi multitudo, ut per triduum corpus jacuerit insepultum. Interim omnes ora manusque contrectare, habitumque chordamque in reliquias discerpere, sanctum acclamare, miracula, quæ patrabat, admirari. Celebratis solemniter exsequiis per clericos, variorum Ordinum Religiosos, Fratres Conventuales cœnobii sancti Francisci ad Portam Vercellinam, et domesticos sanctæ Mariæ Pacis, tandem sepultus est, in capsula lignea coram altari sacelli majoris, ubi honorifice quiescit, multæque appenduntur ad ejus sepulcrum votivæ tabellæ, et lampades accenduntur. Ejus imago et nomen in magna sunt veneratione; mantellus aliæque ejus exuviæ ad infirmos non sine occultæ virtutis fructu deferuntur. B *Antonius Vasconcellius noster in Anacephalæosibus Lusitaniæ, pag. 525 eumdem* B. Amadeum *brevi exornat elogio, quod pagina sequente ad rem nostram sic concludit :* Obiit tandem miræ sanctitatis existimatione. Mediolani, ubi situs, multis post mortem miraculis claruit, et velati unus ex Cœlitum numero suspicitur, et ad impetranda Dei beneficia evocatur.

quem ultimum Bzovius ideo carpit;

5 *Nescimus, quid Arahamum Bzovium Dominicanum moverit, ut integrum hoc Vasconcelli nostri elogium Annalibus ecclesiasticis insereret ad annum Christi 1471 num. 38, et ibidem deinde illud carperet his verbis :* Ista Vasconcellius in descriptione regni Lusitaniæ de Amadeo; sed quam sibi ipsi, quam aliis consona, alii censuerint. Sane ut alia omiserim, quod de obitu Amadei scripsit, ipsi Minoritæ Observantes, qui Romæ ad sancti Petri Montorii ædes inhabitant, impugnare videntur, dum apud suam ecclesiam sepulcrum illius ostendunt; ubi nec ulla miracula, neque aliqua invocatio, neque tanta sanctitatis, quanta Vasconcellius memorat, indicia. Sed hæc alii dispiciant. *Quandoquidem Bzovio ita placet, dispiciamus ista, et tueamur com-* C *munem opinionem de sanctitate* B. Amadei, *quam Bzovius hac censura sua non obscure in dubium revocat.*

sed hujus censura ex Waddingo,

6 *In primis Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1482 numero proxime citato hanc ipsam Bzovii censuram ita refellit:* Mirum quod scribit Bzovius, et sanctitati ac venerationi Amadei objicit, scilicet Minoritas Observantes, qui Romæ ad sancti Petri Montorii ædes inhabitant, apud suam ecclesiam sepulcrum Amadei ostendere, ubi neque ulla miracula, neque aliqua invocatio, neque tanta sanctitatis, quanta Vasconcellius (qui scilicet de eo scripserat) memorat indicia. Nescio, qua fide, quove fundamento hæc asseri possunt. Ego per annos sex eo in cœnobio commoratus, nullo unquam tempore hoc a quopiam somniari percepi; neque probabile aut credibile videtur, dum apud omnes in comperto et manifestum est, eum jacere in prædicto templo Pacis Mediolani. *Non videmus, quid huic Waddingi testimonio opponi possit.*

Francisco Haroldo,

7 *Quare Franciscus Haroldus in epitome Annalium Ordinis Minorum ad annum Christi 1482 num. 9 publicum* B. Amadei *cultum demonstrat, et eodem fundamento nixus simul ibidem Bzovium ita redarguit :* Corpore per triduum insepulto, magno populi concursu et veneratione, quibus ille magnis miraculis respondebat, secularis clerus, diversorum Ordinum Religiosi, et sui Fratres tam Conventuales, quam Observantes, exsequias solemniter celebrarunt; ac tandem in eadem ecclesia sanctæ Mariæ Pacis in capsa lignea coram summo altari sepelierunt, ubi ob miracula, quibus miserorum ærumnis subvenit, multæ tabellæ votivæ et accensæ lampades appenduntur : contra quod, audaci commento, hujus Servi Dei sanctitati objicit Bzovius, Minoritas Observantes, qui Romæ ad sancti Petri Montorii ædem habitant, sepulcrum Amadei in sua ecclesia ostendere, ubi neque ulla miracula, neque aliqua invocatio, neque tanta sanctitatis indicia, quanta memorat Antonius Vasconcellius, qui in suis Lusitanicis de Amadeo scribit : cum sane nihil tale unquam Religiosis Observantibus illius cœnobii in mentem venit; quod facile erat Bzovio, Romæ scribenti, certius experiri, si tantum illi fuisset studium veritatis. Talia vero ac E tanta sunt Amadei sanctitatis indicia, ut quæ de illo scribuntur, ad ejus canonizationem abunde sufficere possent.

AUCTORE G. C.

Marco Ulyssiponensi convincitur erroris,

8 *Præterea Marcus Ulyssiponensis in Chronico Lusitanico Ordinis Fratrum Minorum lib. 6 cap. 30 sive parte 3 istius operis pag. 179 diserte asserit,* B. Amadeum *Mediolani in monasterio Pacis obiisse, et ibi in medio sacelli majoris sepultum esse, ibidemque statuam ejus exstare cum radiis circum caput eo modo, quo imagines Beatorum exprimi solent. Certe Bzovius ex Marco Ulyssiponensi, quem in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 1471 num. 37 citat, et ex quo ibidem Lusitanicum* B. Amadei *elogium Latine contraxit, errorem suum dediscere potuit, vel huic auctori fidem abrogare debuit. Videtur autem hanc posteriorem propositionis disjunctivæ partem tacite amplecti, dum loco mox citato post elogium* B. Amadei *ex Marco Ulyssiponensi contractum, sive Latinum Actorum compendium sic lectorem monet :* Hæc Marcus scriptor domesticus de suo Amadeo, parte 3 lib. 6 cap. 30.

et testimonio duorum scriptorum coævorum

9 *Si Bzovius non credebat domesticis aut recentioribus,* B. Amadei *laudatoribus, saltem secure fidem adhibere poterat scriptoribus exteris et coævis, inter quos Donatus Bossius in Chronico,* F *quod Mediolani anno 1492 edidit, de Beato nostro ad annum Christi 1482 sic breviter meminit :* Eodem die beatus Frater Amadeus Oridinis sancti Francisci Mediolani moritur, multisque miraculis et vivens et post mortem claret. *Vides hic, Virum illum, de cujus sanctitate Bzovius dubitat, ab auctore synchrono et causidico Mediolanensi* beatum *appellari, et miraculis clarum dici. Nunc audiamus Raphaelem Volaterranum, qui verosimiliter* B. Amadeum *Romæ noverat, et apud quem lib. 21 Commentariorum Urbanorum sive fol. 241 verso editionis nostræ Basileensis inter alios illustres Ordinis Franciscani viros recensetur* Amodeus Hispanus, quem ego, *inquit Volaterranus,* magnopere observabam : is tantum Generali obtemperabat, cætero reliquis Observantibus similis, tertiam quamdam familiam instituit, cœnobiaque plura trans Padum, tum in urbe Roma eo more excitavit. Ipse autem sola amictus tuncia nudis pedibus ambulabat; pane et aqua semel die vescebatur post horam nonam statim post Sacrificium, quod Xisti concessione Pontificis differebat. Duas post hæc horas adeuntibus audiendis, reliquum tempus precibus divinis sub

caverna

AUCTORE G. C.

caverna montis immorando, tradebat. *Ita duo scriptores coævi, quorum testimonium crisi Bzovianæ præferimus.*

aliisque argumentis

10 *Ex omnibus, quæ hoc paragrapho relata sunt, probabilissime eruimus,* B. Amadeum *non comprehendi decreto, quod tomo V Bullarii Romani pag. 92 refertur, et quo Urbanus VIII Pontifex anno 1625 statuit,* ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama (quantacunque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, et quodcunque aliud venerationem et cultum præ se ferens et indicans, in oratoris aut locis publicis seu privatis, vel ecclesiis tam secularibus quam Regularibus cujuscunque Religionis, Ordinis, instituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, et (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit. .... Ad horum hominum sepulcra vetuit etiam ac inhibuit, tabellas atque imagines ex cera aut argento, seu ex alia quacunque materia tam pictas quam fictas atque exsculptas appendi aut affigi, et lampades sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnio, prout B supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda ac probanda.

legitimus B. Amadei cultus

11 *Quis porro credat, Franciscanos post tam solemnem Urbani VIII prohibitionem perseveraturos in cultu* B. Amadei, *aut vigilantissimos ecclesiæ Mediolanensis præsules id passuros fuisse, nisi Beatus ille exciperetur ab hoc decreto, quod laudatus Pontifex ibidem ulterius explicat,* declarans, quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur. *Deinde idem Pontifex in altero decreto, quod anno Christi 1634 edidit, quodque eodem tomo V Bullarii Romani a pag. 283 legi potest, quid antea per* immemorabilem temporis cursum *significare voluerit, exponit his verbis :* Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens. *Hinc itaque colligimus,* Amadeum *ab immemorabili tempore sive* C *ultra centum annos ante decreta Urbani VIII Pontificis pro Beato habitum fuisse, cum Donatus Bossius jam ad annum 1492 eum titulo Beati exornet, et mirabilis iste Vir statim post mortem suam consuetis Sanctorum aut Beatorum honoribus affectus fuerit, ut ex synchrono Actorum collectore infra clarius apparebit. Propterea denique opinamur, hunc Virum miraculis illustrem, illæsis Urbani VIII decretis, secure Operi nostro inseri posse.*

contra Bzovium vindicatur.

12 *In hac opinione nos vehementer confirmat auctoritas S. Caroli Borromæi, qui præter alia prudentissima decreta, quæ ad cultum Sanctorum spectant, tomo I Actorum Mediolanensis ecclesiæ pag. 94 statuit seqentia :* Formam a sacra synodo Tridentina, miraculis novis approbandis et novis reliquiis recipiendis traditam episcopi servent diligenter in omnibus, etiam Regularium et aliis exemptis ecclesiis. Nec vero patiantur, causa a se non cognita et scripto probata, altare propterea erigi, aut imagines ullas extra morem ornari, votave aut oblationes suspendi, aut quidquam novi ea in re omnino geri. Sed quia plerumque fit, ut vulgi concursu populique clamore aliquid pro miraculo aut sacra Reliquia evul- D getur, quod revera non est, studeant hoc summopere, ubi ejusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus pie obsistant, donec rei veritas legitime comprobata constet. *Quis autem sibi persuadeat, has et similes prudentissimas constitutiones, quas S. Carolus Borromæus unanimi episcoporum consensu ad legitimum decentemque Sanctorum cultum in suo concilio provinciali* IV *promulgavit, ab hoc concilii ejusdem præside et vigilantissimo diœcesis Mediolanensis moderatore in ipsa urbe Mediolanensi neglectas fuisse? Si Bzovius hæc omnia attente considerasset, haud dubie mitiorem censuram tulisset de* B. Amadeo, *cujus sanctitatem forsan confidentius in dubium revocavit propter nonnulla scripta, quæ sub nomine hujus Beati circumferuntur, et de quibus nunc disserendum est.*

§ II. Examen librorum vel opusculorum, quæ sub nomine hujus Beati circumferuntur.

E

Beatus scripsit librum.

Plerique *bibliographi recentiores tradunt,* B. Amadeum *quasdam revelationes suas litteris mandasse, atque librum illum passim* novam Apocalypsin *appellant. Præter alios Waddingus agens de Scriptoribus Ordinis Minorum istud Beati opus cum ejus ologio ita recenset :* Amadeus Lusitanus nobili genere comitum Villæ Regiæ satus, in Italia Minorum subivit institutum, eaque vixit virtute et sanctitate, ut piam copiosamque multorum cœnobiorum in distinctis provinciis condiderit Fratrum congregationem, quæ ab ejus nomine appellata est Amadeorum. Viris principibus, Duci præsertim Mediolanensi et Sixto IV summo Pontifici, cui erat a confessionum secretis, summe carus; multa utiliter præstitit in proximorum salutem, orationi et contemplationi totus intentus, multas mirasque accepit a Deo revelationes : de his integrum librum conscripsit, cui titulus NOVA APOCALYPSIS. Innumera sunt hujus libri exemplaria; sed corrupta, multisque erroribus sententia; *(lege* scatentia*)* de quibus nos diffuse monuimus lectorem, auctorisque Vitam per suos F annos distinximus tomo sexto et septimo Annalium. *Hos Annalium tomos infra consulemus.*

quem Vasconcellius Raynaudus.

14 *Inter varios scriptores, qui interpolationem ejusdem Operis agnoscunt, occurrit Antonius Vasconcellius noster, dum in Anacephalæosibus Lusitanæ pag. 526 post elogium* B. Amadei, *de scriptis ejus ita judicat :* Multis a Deo revelationibus fuit illustratus, quæ in volumen non exiguum Latino sermone concinnatum compulsæ fuerunt; sed is (liber) impiorum hominum artificio adulteratus primam illam auctoritatem amisit. *Huic adde Theophilum Raynaudum, alterum Societatis nostræ scriptorem, qui in Hagiologio Lugdunensi apud nos pag. 342 de iisdem revelationibus scriptis tale fert judicium :* Dolendum est, fluenta Spiritus, quibus beati Amadei hortus rigatus est, pura ad nos non manasse, ut sincere proditur in Minorum Chronico, notaruntque etiam Cornelius a Lapide, Adamus Tannarus, et Jacobus Hautinus : infectæ quippe sunt beati Amadei revelationes peregrinitate doctrinæ et falsiloquiis; cujusmodi sunt, quæ in eis nunc leguntur de quibusdam dæmonibus fatuellis, et hebetudine ingenii laborantibus; de Angelis in

cœlo

A cœlo empyreo diu ante cœlos mobiles ac terram conditis; de sole creato primo mundi die; de materia prima, eadem die producta et insignita nomine terræ; de Adæ corpore a tribus Angelis creato. Passim Scoti sententiæ, ut cœlestia oracula, fundantur in iisdem revelationibus, quales nunc habentur; ut propterea non dubitaverit vir gravis dicere, Angelum beati Amadei fuisse Scotistam: exemplo enim non novo interpolatores, dum honori Ordinis velificantur, puros latices cœnosa admistione inficiunt, quod hic contigit. Ipsæ tamen revelationes, quales a beato Amadeo exaratæ erant, illimes ac labis puræ prostabant.

Cornelius a Lapide.

15 *Præterea noster Cornelius a Lapide in Commentariis suis ad Apocalypsin S. Joannis occasione septem Spirituum, qui ibi cap. 1 ℣ 4 memorantur, de* B. Amadeo, *eique adscripta lucubratione sic disserit:* Porro nomina septem Angelorum jam recensita, divinitus fuisse revelata B. Amadæo, viro sanctitate, miraculis et prophetiis illustri, legi in Chronicis ecclesiæ S. Mariæ Angelorum paulo ante citatis, idque contigisse sub annum Domini MCDLX. Idem testatur Petrus Galatinus lib. 2 in Apocalypsin cap. 8. Fuit hic Amadæus B illustris familiæ Lusitanæ, qui Dei amore incensus, spretis omnibus opibus et statibus, monitu sancti Francisci ejus Ordinem amplexus est, illiusque reformationem, quæ Amadæorum vocatur, instituit. Unde a Lusitanis beatus Amator, ab Italis beatus Amadæus vocatus est. Hinc a Sixto IV Pontifice in confessarium electus et ascitus, ab eo obtinuit Montem Aureum, vulgo dictum Montorium, ubi crucifixus dicitur S. Petrus, ibique monasterium sui Ordinis exstruxit: de cujus sanctitate et revelationibus multa habent Chronica Ordinis S. Francisci part. 3 lib. 6 cap. 30; ubi tamen addunt monentque, eas non exstare puras; sed in iis varia a variis esse addita. Ego eas Romæ diligenter quæsivi, inveni, perlegi, itaque esse comperi. Reperi nomina septem Angelorum eadem, quæ paulo ante recitavi; sed et ibidem legi nonnulla paradoxa et de falsitate plane suspecta, ut Angelos cum cœlo empyreo diu ante cœlum et terram creatos esse; terram initio mundi creatam fuisse materiam primam; lucem initio mundi creatam fuisse, ac proinde solem non quarto, ut ait Scriptura Genes. 1, sed primo C mundi die creatam esse; initio creatum esse primum mobile et cœlos planetarum, ac proinde ingens fuisse vacuum intermedium, quod secundo die, quo creatum est cœlum crystallinum, impletum sit; corpus Adæ formatum esse a tribus Angelis etc. Adde, opiniones Scoti (qui fuit Minorita, uti et Amadæus) in iis passim inseri quasi oracula, ut non sine causa vir gravis dixerit: ANGELUS BEATI AMADÆI FUIT SCOTISTA.

et scriptores Franciscani

16 *Dum superius a Cornelio nostro citantur* Chronica Ordinis S. Francisci, *intelligendum est Chronicon Marci Ulyssiponensis, qui part. 3 lib. 6 cap. 30 illum revelationum librum, prout jam variis locis exstare dicitur,* B. Amadeo *abjudicat. Huic consentiunt plerique scriptores Franciscani, inter quos Petrus Rodulphius Tossinianensis in Historiis Seraphicæ Religionis lib. 2 fol. 156 verso et initio sequentis hæc habet:* Porro beatus Amadeus, Romanæ curiæ virtutis exemplum et sanctitatis norma, plurimis gratiis fuit a Deo locupletatus: nam in quadam specu apud Urbis Janiculum in Monte Aureo (ut dictum est) habuit plures revelationes a Deo; nempe de mundi et Angelorum creatione, de plasmatione Adæ, et ejus prolapsione, de gloria paradisi, de statu Romanæ Ecclesiæ; scripsit enim ingentem librum, qui fictis imaginibus et commentis fuit a nonnullis corruptus, ut jam Amadei non sit.

AUCTORE G. C.

jam diu interpolatum agnoscunt.

17 *At oportet, illam interpolationem sive corruptionem satis antiquam esse, cum eminentissimus Thomas de Vio Caietanus, qui anno 1484 Ordinem Prædicatorum ingressus est, in Commentariis ad Summam Theologicam Angelici Doctoris 2. 2. quæst. 174 art. 6 revelationes* B. Amadei *carpat his verbis:* In responsione ad tertium ejusdem argumenti nota bene contra novos prophetas, et specialiter quemdam Amadeum, qui, ut aiunt, librum edidit, novam doctrinam eorum, quæ ad fidei Christianæ mysteria spectant, introducere conantem, et suos sequaces ac similes: omnes enim tales hic damnantur ab auctore, cum dicitur; Non defuerunt singulis temporibus prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam. Non dicit, non quidem ad novam fidem, sed ad novam doctrinam fidei; ita quod non solum novam fidem depromentes, qui, etiamsi Angeli de cœlo essent, excommunicati sunt a Paulo Apostolo; sed novam doctrinam fidei afferentes, procul ab Ecclesia et prophetis sunt; sicut si docerent, alium oportere esse ritum Sacramentorum ab illo, quem communiter Ecclesia servat, aut si alia Evangeliis aut sacræ Scripturæ apponerent, tanquam sacræ Scripturæ partem; aut si aliquos actus, secundum fidei doctrinam illicitos, dicerent licitos *etc. Observari velim, quod eminentissimus Caietanus hoc loco non asserat, librum revelationum ab Amadeo editum esse; sed phrasi* ut aiunt *satis indicat, sese id tantum ex relatione aliorum tradere, quia istud forsan audiverat ex ejus æmulis aut obtrectatoribus, quibus* B. Amadeus *etiam vivens non caruit, ut ex veteribus ipsius Actis infra edendis manifestum fiet.* E

Bzovius tamen plures hujus libri propositiones

18 *Cæterum Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 1471 num. 39 auctorem vulgatarum revelationum sic acrius impugnat:* De Apocalypsis volumine lectores, qui styli æqualitatem, argumenti thema, tractationis ordinem et modum, narrationum non interruptam neque hiantem seriem observarunt, et exempta recentiora cum antiquissimis et fere ipsis autographis, in bibliothecis Vaticana, Altempsiana, Sfortiana, Augustiana, Escurialensi et aliis contulerunt, F ovum ovo similius non repererunt præ identitate exemplarium Apocalypsis Amadeianæ, ex qua hæc digna nota exceperunt, et in tres classes distributa orbi repræsentare voluerunt, ut ostenderent, auctorem quidem sive temeratorem libri fuisse insignem hæreticum, pseudo-prophetam, atque impostorem; librum vero dignissimum, qui flammis cremetur publico judicio. *Annalista ille hoc loquendi modo significat, se magis propendere, ut credat,* Amadeum *auctorem hujus libri fuisse. Quapropter ibidem plures propositiones ex opere isto excerpit, atque acri censura notat.*

operose et acriter impugnat,

19 *Deinde Bzovius, plurimis propositionibus severe examinatis, ad eumdem annum Christi 1471 circa finem num. 41 censuram suam ita concludit:* Hæc pseudo-videns. Omitto alias nugas, fabulas, figmenta, deliria, blasphemias, hæreses, errores, hominis male feriati somnia et imposturas non solum ridendas, verum etiam exsecrandas; quas si Amadeus finxit et scripsit, judicium sit penes omnes, an Sixtus IV tali impostore, falsario, hæretico, pseudo-propheta usus fuerit ad sacras confessiones, et ad munera hierarchiæ ecclesiasticæ, præsertim vero ad res fidei definien-

AUCTORE G. C.

definiendas, ut aliqui volunt. *Etiam ad judicium omnium provocare potuisset et ab iisdem petere, an talis impostor et hæreticus recte pro Beato habeatur. Verum ex testibus synchronis constat, Sixtum IV Pontificem opera* B. Amadei *usum fuisse, ut infra in antiquis Actis videbimus. Insuper paragrapho præcedente ostendimus,* B. Amadeum *Mediolani ab immemorabili tempore publicum cultum obtinuisse. Quapropter Bzovius ex his principiis potius intulisset,* B. Amadeum *non fuisse illum pseudo-prophetam, nec tales blasphemias hæresesque litteris mandasse. Certa hoc consectarium ex immemorabili* B. Amadei *cultu, et communi sanctitatis fama, quam etiam apud Sixtum IV Pontificem adeptus erat, multo probabilius deduci potuisset.*

quas alii explicant, aut supposititias volunt.

20 *Unde Arturus a Monasterio supra laudatus in notis ad Martyrologium suum Franciscanum die* x *Augusti* § *5 de rigido Bzovii judicio ita conqueritur :* Ex quibus velim advertas, quam impune Bzovius tomo XVIII Annalium ecclesiasticorum ad annum 1471 § 36 et sequentibus cavillari eum modis omnibus tentaverit, sed perperam, B cum scripta ipsius B. Amadei ab ejus æmulis sive ementitis viris depravata fuisse nullus est qui non videat, uti scite observarunt præfati auctores, Ulyssiponensis, Gonzaga etc. *Petrus de Alva Astorga ex Ordine Minorum tomo I Bibliothecæ Virginalis pag. 662 et sequentibus non tantum de crisi Bzoviana conqueritur, sed etiam acerbiores illius censuras operose refellit et quasdam* B. Amadei *propositiones tueri nititur, aut eas in exemplaribus a se visis inveniri negat. Similiter Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1482 a num. 50 nonnullas hujus libri assertiones, quas Bzovius acri censura perstrinxerat, alio sensu explicat ac defendere conatur. At mihi videntur auctores isti de umbris litigare, cum plerique fateantur, æmulos quosdam impostores hunc librum* B. Amadeo *supposuisse, aut saltem opus* B. Amadei *ab illis ita corruptum esse, ut jam cognosci non possit, quid in eo beatus Vir revera scripserit. Quamobrem non est operæ pretium, nec nobis lubet, argumenta utriusque partis fuse transcribere, aut rationes eorum in compendium redigere, ac de iis sententiam nostram proferre.*

Sed nobis placet judicium Waddingi,

C 21 *Magis itaque nobis placet cordatum Waddingi judicium, quod disputationi suæ (hanc exercitii gratia, ut vulgo aiunt, instituisse videtur) et crisi Bzovianæ in Annalibus Minorum ad eumdem annum Christi 1482 a num. 62 subjungit in hunc modum :* Mitius et clementius in his agendum erat, neque adeo exacerbandi manes hominis alias commendatissimi, et a probatis scriptoribus dignis elogiis condecorati. Sed is est Bzovii in rebus fidei zelus, ut tota hac acrimonia librum, tot errorum seminarium, putaverit eliminandum. Zelum laudo, et fervorem rectæ fidei retinendæ commendo; sed vel fidem ejus in his, quæ retulit, exquiro; vel majorem diligentiam in examinandis, quæ accepit, expostulem. Ait in principio hujus invectivæ, hæc ab aliis excepta; et ego ea cuperem a Bzovio diligentius expensa. Non id mihi studium aut desiderium librum defendendi, vel aliis obtrudendi, quem in ipso suo ortu vel abortu cuperem suppressum; sed famæ et virtuti Amadei, indigne traducti, vellem consultum. Non hoc certe illius Opus, neque probi aut docti viri partus, sed chimerici et male feriati cujusdam Scotistæ commentum, qui putidis his revelationibus, præcipuis suæ scholæ opinationibus majorem voluit conciliare auctoritatem. D Unde non immerito vir quidam gravis apud prædictum Cornelium dixit : ANGELUS B. AMADEI FUIT SCOTISTA. Ita enim præcipua mysteria fidei percurrit, ut in singulorum explicatione semper Scoti præferat sententias, et ad leviusculas theologiæ, imo et philosophiæ et logicæ concertationes descendat, ac distinctionem formalem Scotistarum distinctioni rationis ratiocinatæ, a divo Thoma traditæ, præponat. Notionum in Personis et signorum in Deo nullus est apud eum finis.

qui ingenue fatetur,

22 Paradoxa quædam, falsa multa, minus probabilia habet plurima, quæ tamen tanquam oracula ab Angelo accepta confingit. Pastorem suum angelicum cum tædio et nausea legentium passim inculcat, jam tunc natum, a se visum pronuntiat, cito in Sede Petri post tertium vel quartum a Sixto, qui tunc regebat, Pontificem concessurum, multos fidei articulos traditurum, divinis Litteris sacrisque Evangeliis plurima additurum falso prophetizat. Non hæc quidem Amadei, viri plane sancti, commenta sunt, neque E ab Angelo revelata. Ad pauca, quæ de futuro Ecclesiæ statu, morum reformatione, regnorum mutatione illi prædixit Angelus, et hic scribi jussit per Franciscum Blondium, ad hæc a Domino præparatum (erat enim, ut ipse in libro fatetur, Amadeus vir simplex et illitteratus) alii farraginem exoticarum adjunxerunt opinionum, eoque compinxerunt ordine, ut quid temeratorum, quid sit Amadei, haud facile discernas. Hoc porro judicium est multorum. *Hoc loco allegat testimonia aliquot scriptorum, qui hoc Opus corruptum censent, et quorum verba nos jam supra exhibuimus.*

et variis argumentis ostendit,

23 *Deinde ratiocinium suum ibidem ita prosequitur :* Ferunt, Amadeum librum clausum sigillisque signatum consodalium commendasse custodiæ. Et quidem Marianus narrat, a Dominico Grimano tituli sancti Marci, Ordinis protectore, et Bernardino Carvajalio tituli sanctæ Crucis Cardinalibus, post plures annos primo apertum, lectum, et exscriptum; et Bernardinum sibi ipsi nimis complacentem ac blandientem, facile ex quibusdam in libro contentis credidisse, se proximum fore Pontificem, ac propterea temere atque F insipienter conciliabulum Pisanum, insanientium audacia celeberrimum, contra Julium secundum coacervasse; sed a Julio e gradu dejectum omnium risui et contemptui expositum, derisorie ab omnibus Papam Andream vocitatum, etsi postea a Leone X fuerit pristino honori restitutus. *De hoc conciliabulo Pisano consule Odoricum Raynaldum, Spondanum, et Labbeum nostrum, aliosque historiæ ecclesiasticæ scriptores, qui temeritatem, exauctorationem, ac pœnitentiam hujus Bernardini Carvajalii litteris prodiderunt.*

hunc librum jam antiquitus ita corruptum fuisse,

24 *Interea audiamus Waddingum, qui ibidem sic pergit :* Jam tunc cœpit publicari et insanis additamentis fœdari liber; quare multa sub nomine Amadei in populum dispersa, ejus fidem et virtutem vacillare fecerunt. Unde Caietanus *(omittimus verba ejus hic etiam allegata, quia ea superius retulimus)* illius ferme temporis scriptor, ex aliorum relatione librum hunc repellit.... Novis deinde incrementis auctus hic codex, se ipso major, sed fide imbecillior, evasit, et proinde apud cordatos et doctos viros auctoritatis parum, sed apud imperitos et prurientes auribus

luri-

A plurimum obtinuit. Frater Franciscus a Montepolitiano, vir alias doctus, habitu et victu austerus, egressus ex eremitorio Montis Gargani multa per Tusciam ex hoc libro temere prædixit, quæ vicarius archiepiscopi Florentini ea in urbe retractare coegit: adeo seu delusum dolens, paucis post palinodiam diebus e vita decessit. Similia etiam ex eodem fonte vaticinatus Frater Bonaventura Sublacensis, Romæ in arce sancti Angeli reclusus interiit. Alii insuper ex eodem libro multa sibi somniarunt. Mirum, quod in Vita ejus, a sociis conscripta, nulla hujus libri mentio habeatur.

ut discerni non possit, quid in eo vere ad B. Amadeum spectet,

25 Hæc prolixius, quam soleam, de Amadei doctrina duxi explicanda, ne propter spurium fœtum et apocryphum opus Vir vere bonus gravem pateretur nominis jacturam. Quid etiam ipse de libro senserim adjeci, ne quis mihi putaret placuisse, quem prorsus judicio supprimendum; non quod eos contineat errores et hæreses, quas Bzovius ab aliis acceptas exscripsit, sed quod non expediat peregrinas quasdam opiniones, nutantia dogmata, falsa vaticinia prurienti imperitorum curiositati committere, et quorumdam de re ecclesiastica non adeo B pie sentientium judicio subjicere. *Ex hac Waddingi ratiocinatione, aliisque argumentis hactenus relatis concludimus, supposititiam aut corruptam illam Apocalypsin sanctitati* B. Amedei *nihil officere. Nunc solum superest, ut de alia quadam lucubratione, quæ* B. Amedeo *perperam adscribitur, paucis agamus.*

et eidem aliud opusculum recte abjudicat.

26 *Henricus Willotus in Athenis orthodoxorum Sodalitii Franciscani pag. 25, et alii nonnulli auctores huic* B. Amedeo *nostro quasdam homilias de beatissima Virgine Maria attribuunt; sed plures viri eruditi illas eidem abjudicant, et probatissime easdem adscribunt Amadeo Cisterciensi, qui seculo* XII *ad cathedram Lausannensem evectus est. Attamen supra laudatus Petrus de Alva Astorga in Bibliotheca Virginali tomo I pag. 727 et sequentibus post hanc verosimillimam plurium auctorum opinionem adhuc dubitat, uter Amadeus homilias illas composuerit, et propterea easdem sub utriusque seu potius alterutrius nomine ibidem evulgavit. Nobis haud dubie standum videtur judicio Waddingi, qui in Scriptoribus Ordinis Minorum pag. 16 de hac quæstiuncula sic rotunde pronuntiat :* Henricus Willot huic C *(nimirum* B. Amedeo *Franciscano, de quo ibidem agit)* tribuit homilias de B. Virgine, quæ illius non sunt; sed Amadei ex Cisterciensi monacho, episcopi Lausanensis. *Si quis cupit plura de hac re videre, consulat Carolum de Visch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis pag. 19, qui ex pluribus auctoribus ibidem elogium Amadei episcopi collegit, et prædictas Homilias eidem vindicat.*

§ III. Oculati Actorum testes, antiquus eorum collector, et ab his discrepans recentiorum quorumdam scriptorum narratio examinantur.

Scriptor anonymus coævus.

W*addingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1464 num. 30 varios auctores, qui gesta* B. Amadei *breviter aut fuse collegerunt, recenset in hunc modum :* Hoc tempore plurima virtute multisque prodigiis florebat in Lombardia beatus Amadeus Lusitanus, cujus Vitam scripserunt ipsius conterranei, Marcus Ulyssiponensis et Antonius Vasconcellius, diminutam valde, diversamque nimis ab ea, quam posteris tradiderunt ejus discipuli, Georgius de Valcamonica, Jacobus a Manrignano, Joannes Alamannus, Ægidius a Monteferrato, Bonaventura Cremonensis. Hi præcipui et diuturniores socii communi consilio ejus Acta compegerunt, ea subministrantibus singulis, quæ vel ipsi viderunt, vel a Magistro acceperunt. Vitam hanc laceram; vetusto exaratam charactere, nos ex Conventu Pacis Mediolanensi, ubi corpus requiescit, accepimus. Ex Latino idiomate Italice translatam, integram fideliterque edidit Bartholomæus Cimarellus, cujus opera lacunas aliquas exemplaris ad nos missi licuit adimplere. In quibus Lusitani auctores, iique recentes, a vetustis illis testibusque domesticis discreparunt, ego obiter admonebo. *Nobis etiam est animus inter se conferre ea (Waddingus nonnulla omisit) in quibus recentiores scriptores ab antiquis monumentis discrepant, postquam notitiam Vitæ Ms. veteris dederimus.* — AUCTORE G. C.

E

cujus apographum habemus,

28 *Majores nostri anno 1669 ex Romano Minoritarum Hibernorum Conventu acceperunt manuscripta* B. Amadei *Acta, quibus Papebrochius manu sua hanc notam præfixit :* Curavit ex Ms. Conventus sancti Isidori Romæ, fugienti prorsus charactere exarato, Frater Franciscus Haroldus MDCLXIX. *Hoc autem apographum, quod unicum habemus, tam vitiose ac barbare exaratum est, ut illud sæpius supplere aut emendare coacti fuerimus, salva nihilominus rei substantia, ut in Annotatis observabimus, ubi operæ pretium videbitur. Hæc vero mendosa codicis transcriptio nequaquam imputanda est doctissimo Haroldo, qui istud ecgraphum nobis subministravit, sed imperito cuidam amanuensi, qui forte difficiles prototypi sui characteres non noverat, et Latinam linguam non satis callebat. Tamen etiam non volumus omnia menda tribuere huic amanuensi, cum ipse antiquus Actorum scriptor videatur peritior fuisse linguæ Italicæ, quam Latinæ, ut ex sola istorum Actorum lectione inferius patebit.*

F

ex testibus oculatis collegit Acta Beati

29 *Porro anonymus horum Actorum scriptor* B. Amadeo *fuit coævus, et præter ea, quæ ipse viderat, collegit gesta Beati ex testibus oculatis, ut in prologo et per decursum narrationis sæpe affirmat. Videtur collector ille fuisse ex Ordine Minorum seu congregatione Amadeitarum, cum in prologo dicat, se gesta* B. Amadei *litteris mandasse, ut rem gratam faceret diversis personis, et* eisdem, *inquit,* de nostra etiam Religione bene meritis. *Hæc autem Acta conscripsit post mortem Sixti IV Pontificis, cum propter mitigatam Beati sui abstinentiam, num. 4 de Pontifice illo ita loquatur :* Per septem tamen annos vel circa, proxime obitum suum præcedentes, jussu et mandato sanctissimi domini nostri D. Sixti, divina providentia OLIM Papæ IV, vino usus est, et aliis cibariis. *Itaque ex adverbio* olim *colligimus, hæc ab eo scripta esse post annum 1484, quo Sixtus IV e vivis excessit. Nec tamen ad plures annos post obitum Sixti IV hæc anonymi lucubratio differenda est, cum in prologo dicat, se scribere Vitam viri,* superioribus annis defuncti, *et ultimum miraculum, quod in fine Actorum refert, intercessione* B. Amadei *factum sit anno Christi 1486, ut ex Actis infra edendis apparebit. Hæc dicta sufficiant de veteri biographo, quem propter simpli-*

AUCTORE G. C.

simplicem scribendi modum et testimonia eorum, quos nominat, fide dignissimum censemus.

quæ alii in linguam vernaculam transtulerunt;

30 *Bartholomæus Cimarellus ex Ordine Minorum hunc auctorem præ oculis habuit, quando Vitam ejusdem Beati*, ex Latino idiomate Italice translatam, integram fideliterque edidit, *ut Waddingus supra laudatus testatur in Annalibus Minorum ad annum Christi 1464 num. 30, ubi ad assignandam hanc Cimarelli lucubrationem in margine citat Chronicon part. 4 lib. 3 cap. 1 et sequentibus. Haud dubie Waddingus citatione ista indicat* Chronicorum Ordinis partem quartam, succedaneam tribus prioribus, a Marco Ulyssiponensi compositis, *quam in Opere suo de Scriptoribus Ordinis Minorum Cimarello attribuit, et anno Christi 1621 Italice typis Venetis excusam fuisse affirmat. Etiam hæc quarta Chronicorum pars nobis ad manum non sit, tamen illum defectum facile supplebit Italica* B. Amadei *Vita, ab eodem Cimarello separatim concinnata, quam ex editione Veneta anni 1619 habemus. Certe Benignus Fremaut, ex Ordine Minorum scriptor Belga, circa finem Actorum* B. Amadei, *quæ in Opere suo de Franciscanis, sancti-* B *tate vel virtute illustribus, ad diem* x *Augusti Flandrice collegit, Waddingum et hanc eamdem editionem Venetam anni 1619, tanquam præcipuos suos duces assignat. Saltem utraque hæc Vita vernacula nobis usui esse poterit, ut luxata personarum ac locorum nomina in mendoso nostro apographo subinde corrigamus, aut ea facilius intelligamus.*

sed hi, et Lusitani quidam scriptores,

31 *Cæterum uterque hic scriptor vernaculus initio Actorum secutus est Lusitanos, aliosque recentiores auctores, qui de stirpe* B. Amadei *gestisque ejus narrant nonnulla peculiaria, quæ antiquus noster Actorum collector ignoravit. Nescimus, unde ea primum hauserint Lusitani, inter quos hic juverit audire Vasconcellium nostrum qui in Anacephalæosibus Lusitaniæ pag. 525* B. Amadeum *sequenti exornat elogio :* Egregiam hanc cohortem claudat beatus Amadeus, secundo genitus loco a Roderico Gomesio Sylvio, præfecto arcium Campi-Majoris et Ouguellæ; et Isabella Menesia, quæ patrem habuit Petrum Menesium Comitem Viannæ, et primum Septæ C ducem, Villaregelensis domus auctorem, fratremque Didaci Sylvii, primi Comitis Portalegiensis, sub quo pædagogo bullam suspendit rex Emanuel. Joannes ille a matris cognomine Menesius dicebatur, et furtivos aliquos amores alebat, quorum causa in Italiam secessit ea tempestate, qua Eleonora, Eduardi Lusitani filia, Federici III imperatoris jugali thalamo uxor data, cum eodem Romæ coronata fuit.

atque inter eos Vasconcellius noster.

32 His Joanni divina lux affulsit, eumque in agnitionem fucatæ et labentis gloriæ induxit. Ergo rebus nuntium remittens; sed veteres amores non omnino delens ex animo, se dici voluit Amatorem. Franciscani tamen, quorum probavit institutum, vocabuli corruptione, vel ex veritatis expressione, Amadeum nominarunt : sic enim se totum in Dei amorem transtulit ex assiduo orationis usu, ut in summam perfectionem conscenderit, et Superioribus annuentibus vitam solitariam coluerit, impetrato a summo Pontifice sacello prope Vaticanum, quod nomen habet a divo Petro Montorio, ubi fama constans est, caput Apostolorum principi avulsum. Hic cœlestem et summa asperitate constructam per multos annos vitam exegit, ob quam et summo Pontifici carus et purpureorum Patrum senatui venerabilis habebatur. Post aliquot inde annos, illius ob reverentiam D Isabella Hispaniæ regina, Ferdinandi Catholici uxor, eodem in loco celebre cœnobium Franciscanis Patribus erexit. *Deinde breviter meminit de scriptis ejus, felici morte et publico cultu, quæ omnia superius ex hoc auctore retulimus.*

qui a Raynaudo nostro corrigitur.

33 *Theophilus Raynaudus noster pagg. 244 et sequente Hagiologii Lugdunensis supra laudari in hoc elogio Vasconcelliano nonnulla carpit his verbis :* Affulgente Joanni divina luce, nuntium mundo remisit, et inter Fratres Minores cooptari voluit ac exoravit, nomine Amatoris assumpto. An quia improvidus amator fuerat, et licentiam juvenilem, minus puris amoribus deditam, puro amore extersurus, incentivum pœnitentiæ per nomenclationem illam assidue insonans habere voluit? An quia Dei amator deinceps esse, fixum habebat? Utrumque placet; sed displicet Vasconcellus in regni Lusitaniæ descriptione, ubi agens de Sanctorum Lusitanorum exemplis, nomen Amatoris sibi in novæ vitæ aditu a Joanne inditum refert ad amores pristinos, non prorsus ex animo excussos. Hoc non admitto. Patres tamen Minores, abjecto Amatoris ancipiti nomine, Amadeum dici voluerunt.

E *de baptismali Beati nomine,*

34 *Nobis nec Vasconcelli nec Raynaudi opinio hic placet, cum vetera Acta nostra num. 8 diserte asserant, huic beato Puero nomen* Amadei *in baptismo mirabiliter impositum fuisse, ut etiam tradunt Waddingus, et Haroldus, qui posterior in Epitome Annalium Minorum ad annum Christi 1464 num. 16 Waddingum contraxit hoc modo :* Natus est Amadeus in Lusitania patre Roderico Gomesio Sylvio, primo Duce Septæ, et auctore nobilissimæ domus Villæ-Regalis, atque in ipso baptismate hoc nomine AMADOR, apud Lusitanos usitatissimo, vocatus est, Angelo Dei, qui in peregrini habitu apparuit, id persuadente. *Cæterum de furtivis aut illicitis amoribus ejus, quos etiam Marcus Ulyssiponensis aliique nonnulli recentiores scriptores memorant antiqua Acta nostra altum silent. Quinimo num. 10 in iis legimus, quod* B. Amadeus *nobilissimam uxorem, quam decimo octavo ætatis suæ anno duxerat, militaturus in bello quodam Hispanico intactam reliquerit.*

F *quem perperam Joannem appellant.*

35 *Raynaudus loco proxime citato rectius alterum Vasconcellii errorem refutat, dum ibidem de* B. Amadeo *sic scribere pergit :* Exacto autem aliquo tempore inter Fratres, tactus amore solitudinis, postulavit a Pontifice facultatem exstruendi sacellum eo in loco, in quo sanctus Petrus, non caput (ut ait Vasconcellus) sed vitam pro Christo posuit actus in crucem. Nomen loco illi vulgo est SANCTI PETRI IN MONTORIO, cum dicendum esset IN MONTE AUREO. Ibi angelicam in terris vitam duxit Amadeus, Pontifici et Romanæ curiæ acceptissimus. Aliquot deinde post annis Isabella Ferdinandi regis Catholici uxor, ob beati Amadei reverentiam et ad promovendam Principis Apostolorum illic confixi venerationem, insigne cœnobium Patribus Franciscanis exstruxit. *Plura de hoc Romano Franciscanorum cœnobio apud illustrissimum Gonzagam in Origine Seraphicæ Religionis part. 2 pag. 179 videri possunt.*

et de nobili ejus stemmate tradunt nonnulla,

36 *Eumdem Vasconcellium, de nobili* B. Amadei *stirpe disserentem, Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1464 num. 31 ita corrigit :* Patrem habuit Amadeus Rodericum Gomesium Silvium, præfectum arcibus Campimajoris et Ouguellæ; matrem Isabellam Menesiam, filiam Petri Menesii Comitis Vianæ, primi

Septæ

A Sæpte Ducis, domus Villæ-regalis auctoris. Secundo loco genitum ait Vasconcellius, sed quarto Nobiliarium Lusitanum Petri Comitis de Bracælos, opus hactenus summopere desideratum, cura generosisque auspiciis Emanuelis a Moura Marchionis Castri Roderici, Philippi IV apud Urbanum VIII prudentissimi et piissimi oratoris, eximii nostri benefactoris, de re litteraria, præsertim genealogica, optime meriti, typis Romanis magnis sumptibus nuper impressum. Didacum Sylvium, primum Portus-læti seu Portalegrensem Comitem, germanum fratrem ei tribuunt Marcus Ulyssiponensis et Nobiliarium; sed magnum Amadei avunculum ex plano errore facit Vasconcellius.

veteri Actorum scriptori contraria aut ignota,

37 *Non audemus hanc litem genealogicam dirimere, cum biographus coævus ingenue fateatur, determinatam* B. Amadei *stirpem sibi aliisque in Italia ignotam fuisse, dum in Actis infra apud nos num. 5 sic scribit :* Progenies ejus in regione ista nota non fuit, nec alienis patefacta; quia ipse, dum vixit, progeniem suam, licet a pluribus super ea instantissime fuerit requisitus, ma-B nifestare nunquam curavit : quod multi ob id eum fecisse arbitrabantur, ne, si familiam suam, quæ, quantum ex conjecturis potuit percipi, nobilissima erat et perillustris, expressisset, arrogantiæ vel jactationis crimine notari posset. *Ex his verbis patet, nobile istius Beati stemma, quod recentiores passim assignant, a nobis determinari, aut antiquis instrumentis confirmari non posse. Propterea tamen non inficiamur, determinatam ipsius nobilitatem postea detegi potuisse, quando Beatus post mortem publica sanctitatis fama et miraculis coruscabat. Quare tantum requirimus antiquiora hujus stemmatis testimonia, quæ recentiores scriptores non allegant, et eam curam relinquimus eruditis Lusitanis, qui hoc tempore ad historiam patriæ suæ illustrandam graviter incumbunt.*

etsi ex eo constet, B. Amadeum patria Hispanum aut Lusitanum fuisse,
** id est ei*

38 *Certe hic Beatus ad Hispanos aut Lusitanos pertinet, teste biographo nostro synchrono, qui in Actis num. 5 proxime citato narrationem suam ita prosequitur :* Verum cum ex sermone suo suam non posset celare originem, ut ab aliquibus sibi * familiaribus relatum fuit, aliquando se ex patre Castiliensem et Hispanum, et ex matre Portugalensem maxima C cum difficultate fatebatur. *Deinde idem biographus refert varias conjecturas, quas homines sui temporis de nobilitate* B. Amadei *faciebant. Sed cum ex istis conjecturis nihil certi de patria ejus statui possit, et ex testimonio auctoris coævi Beatus patrem Hispanum, matrem vero Lusitanam habuerit, adhuc ignoramus, utrum in Hispania, an in Lusitania natus sit. Sixtus IV Pontifex diploma suum, quod Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1472 num. 26 exhibet, inscribit* Amadeo Hispano, custodi domus B. Mariæ de la Pace nuncupatæ *etc. Etiam Alexander VI Papa apud eumdem Waddingum in Annalibus Minorum ad annum 1498 num. 10 in diplomate suo meminit de congregatione* quondam Fratris Amadei de Hispania. *At hinc nondum evidenter inferri potest, eum ortum esse ex illa regione, quam jam stricte loquendo passim Hispaniam appellamus : nam etiam Lusitani gaudent nomine Hispanorum, ut patet ex Bibliotheca Hispana Nicolai Antonii, et Martyrologio Hispanico Joannis Tamayi Salazar, sub quo operis sui titulo uterque auctor ille Hispanus tum scriptores tum Sanctos Lusitanos recenset. Sed sive* B. Amadeus *in Hispania stricte dicta, sive in Lusitania natus fuerit, vehementer hic miramur oscitantiam prædicti Tamayi, qui hunc verum popularem suum in Martyrologio Hispano omisit, cum tamen multos aliarum regionum Sanctos eidem furtive et perperam inseruerit.*

AUCTORE G. C.

et in Hispania Ordinem S. Hieronymi intrasse.

39 *Nunc discutiendum superest, in qua regione* B. Amadeus *Ordinem S. Hieronymi ingressus fuerit, antequam institutum Franciscanum in Italia amplecteretur. Huic disquisitioni occasionem præbet Petrus Rodulphius Tossinianensis, qui in Historiis Seraphicæ Religionis lib. 2 fol. 156 verso inter alia de* B. Amadeo, *sic scribit :* Cum in bello inter principes Hispaniarum moto pugnans, vulneratus in brachio fuisset, divinaque gratia præventus, eremitis divi Hieronymi Fratribus adjunctus est in ecclesia B. Virginis de Bessarono Cremonensis diœcesis apud Castrum Leonis, quod Insubrum est oppidum, anno suæ ætatis vigesimo, convertitque Dominus cor ejus ad divinum amorem, ut Amadei nomen retineret. *Similia habet illustrissimus Gonzaga, ut alia occasione inferius ex ipso referemus. Sed uterque hic scriptor in ea re prorsus errat, cum in antiquis Actis nostris infra edendis legamus, hunc beatum Virum* E *in monasterio* sanctæ Mariæ de Guadalupo in Hispania *Ordinem S. Hieronymi ingressum esse, et ibidem per decem circiter annos pie vixisse. Maxime tamen miramur, nullam* B. Amedei *mentionem fieri apud Gabrielem de Talavera in diffusiori sanctæ Mariæ de Guadalupo historia, quam anno 1597 Toleti typis Thomæ de Guzman Hispanice edidit, et in qua illustres hujus monasterii incolas ab initio recenset.*

§ IV. Congregatio Amadeitarum ab eodem Beato instituta, et postea jussu Pontificum Romanorum Franciscanis Observantibus unita.

Illustrimus Gonzaga narrat,

Ordo *S. Francisci lapsu temporis in varias congregationes divisus est, ex quibus una institutionem suam debet* B. Amadeo, *et ab ipso cognomen assumpsit, ut illustrissimus Gonzaga* F *in Origine Seraphicæ Religionis part. 1, pagg. 20 et 21 exponit, ubi simul præcipua beati istius Institutoris gesta contraxit his verbis :* Fuit nobilis quidam Lusitanus, nomine Joannes Menesius, primi Comitis Villæ-regiæ ex matre nepos, ac primi itidem Comitis Portalegrensis, nec non et pientissimæ Sororis Beatricis a Sylva, Ordinis monialium Conceptionistarum illustris fundatricis uterinus frater, regio sanguine clarus, qui ex Portugalia cum Eleonora Eduardi Lusitaniæ regis filia ac Federici III Germanorum Imperatoris legitima uxore in Italiam trajiciens, divina gratia præventus, eremitis divi Hieronymi Fratribus in ecclesia beatissimæ Virginis Mariæ de Bressanoro Cremonensis diœcesis apud Castrum-Leonis, quod Insubrum est oppidum, sub anachroritico illorum habitu adjunctus fuit. Postmodum a beatissimo patre Francisco, atque a Servatore nostro Christo, ejusque sanctissima Matre præmonitus, ut, eo vivendi instituto relicto, Assisium, a Generali Franciscanorum Ministro, Minoritico induendus habitu, peteret, divinis illorum oraculis acquiescens, ibidem a præfato Generali Ministro cæteris Franciscanis Conventualibus sub Fratrum laicorum

AUCTORE G. C.

corum habitu annumeratus est: cujus cellula ipsamet ecclesia, exercitium vero perpetua oratio, aut divinarum rerum contemplatio, aut humile obsequium fuit.

quomodo B. Amadeus instituerit

41 Ejus igitur famam cum excellentissimus Franciscus Sfortia Mediolanensium dux accepisset, a Generali Ministro obtinuit, ut Frater Amadeus (sic enim vulgo appellabatur, licet ejus nomen Amator esset) Mediolanum de cætero moraturus se transferret. Quo cum pervenisset, et Duci atque Ducissæ ejus conjugi gratissimus amantissimusque exstitit, et illis optatissimam prolem, quam obtinere non poterant, instantissimis precibus ab Altissimo impetravit: quod in causa fuit, ut sibi magis magisque afficerentur, atque locum pro ædificando monasterio Mediolani concederent. Quo denique obtento, de summi Pontificis licentia Conventum sub titulo sanctæ Mariæ de Pace, qui usque in præsens perseverat, eo quod ibi optatissimam sui spiritus pacem assecutus esset, omni adhibita diligentia inibi construi curavit, Fratresque Conventuales, tum de Generalis Ministri licentia, tum quoque ex summi Pontificis auctoritate, sibi ad instantiam præfati Mediolanensium Ducis facta, ad
B se venientes recipere, et alios seculares ejus consortium affectantes Minoritico habitu, qui ei, quo Observantes utebantur, persimilis erat, induere cœpit, sanctissimisque legibus ac constitutionibus, quibus regulæ candorem felicius conservarent, sanctissimique patris Francisci vestigiis tenacius hærerent, eos astrinxit.

singularem Franciscanorum congregationem.

42 Quibus maxime succrescentibus, novellus hic Amadeorum Ordo, ab ejus fundatore sic dictus, anno a Dominica Incarnatione MCDLX inchoatus, mirum in modum per Italiam, cujus ambitu circumscribebatur, præcipue vero per Insubriam dilatari cœpit; adeo ut viginti octo loca, in unicam tantum provinciam erecta, et proprio provinciali Ministro subacta, sub cura tamen ac obedientia Generalis Ministri successu temporis obtinuerit. Accidit interim, ut anno Domini MCDLXXI Sixtus IV, cui Frater Amadeus notissimus erat, ad summum Pontificatum ob Pauli II mortem (ut præfati sumus) eveheretur; qui eximiam sanctitatem maximamque religionem in homine pro sua pietate veneratus, eum Romam accersivit, consecratumque sacerdotem, licet invitum
C ob dignitatis atque ministerii reverentiam, quo se indignum pro sua humilitate judicabat, in confessarium atque fidissimum secretarium, cui suæ conscientiæ vulnera panderet, detegeretque, atque gravissima negotia communicaret, elegit, ac ejus Ordinem, collata sibi quoque sancti Petri Montorii, sive Montis aurei ecclesia in urbis Romanæ Janiculo, qui et Mons aureus vulgo dicitur, sita; eo videlicet in loco, in quo Apostolorum Princeps divus Petrus, pro Christi confessione cruci affixus occisusque fuit, plurimis gratiis, privilegiis atque favoribus locupletavit. Quam quidem divi Petri ecclesiam Gallorum rex in justum Conventum promovere cœpit: sed cum persequendo operi supersedisset, eam Catholici Hispaniæ reges Ferdinandus, ejusque uxor Elisabetha curiosissime elaboratam omnibus suis numeris collato etiam amplissimo sibi adjacente situ, ac regiis Hispaniæ armis parietibus affixis, absolvi, atque in elegantissimi monasterii formam redigi curarunt.

quæ ab ipso cognomen assumpsit.

43 Fuit beatus Pater Amadeus universæ Romanæ curiæ virtutis exemplum, ac sanctitatis norma; qui licet summo Pontifici carissimus esset, gravioribusque implicaretur negotiis, nihil tamen solitæ humilitatis aut asperitatis prætermisit: D nam pane tantum et aqua laboribus defessum atque vigiliis attritum corpusculum semel in die reficiens, nudisque pedibus incedens, simplicissimo amiciebatur habitu, et duabus horis seclusis, quibus hilari atque benignissimo vultu cum omnibus ad se adventantibus humanissime conversabatur; quod reliquum sibi temporis ex die supererat; id vel in divinis persolvendis laudibus, vel in cœlestium mysteriorum contemplatione in quodam motis ejusdem specu segregatus ab aliis insumebat: in quo et pulcherrimum libellum de revelationibus et prophetiis, Romanæ Ecclesiæ statum, angelicum quemdam Pontificem, regnorum, dominiorum, atque religionis mutationem concernentibus, composuit; quem tamen alii quidam propriis imaginationibus atque phantasticis adinventionibus conspurcantes, adeo obscurarunt atque in ordinem pro libito redegerunt, ut ipsorum potius, quam beati Amadei libellus dicendus jure optimo veniat.

et quam post obitum institutoris

44 His igitur virtutibus insignis beatus Amadeus, cum præfatum Conventum de Pace a se constructum invisurus Mediolanum concessisset, E ibidem, expletis a sua conversione in hujusmodi laudabili vita atque pœnitentia viginti duobus annis, anno a salutifera Christi nativitate MCDLXXXII; a Pontificatu vero præfati Sixti IV duodecimo, diem clausit extremum, atque in medio majori sacello, miraculis ante et post mortem clarus, sepultus est. Ab hoc ergo Patre Amadeorum Ordo sive Congregatio sumpsit exordium, quæ usque ad Leonem X Pontificem Maximum, licet ab anno MDVIII usque ad id tempus Observantibus adhæserit, Generali totius Franciscani Ordinis Ministro subfuit. Ab eo vero (ut inferius dicetur) Generali Observantis familiæ Ministro subacta, sub illo usque ad Pii V Pontificis Maximi tempora militavit; sub quo tandem (ut suo loco adnotabimus) cum Clarenis ac quibusdam aliis, rejecto Amedei vocabulo, nec non provincia ac provinciali Ministro propriis exauctoratis, in omnimodam Regularem observantiam transiit, subactis interim ejus monasteriis illi Observanti provinciæ, cujus ambitu continerentur. *Quæ in hoc Actorum compendio incerta aut falsa sunt, jam partim paragrapho præcedente indicavimus, partim ex veteribus Actis huic Commentario prævio subjungendis apparebit.* F

Pontifices Romani reliquo Ordini Franciscano miscere tentarunt;

45 *Romani Pontifices Julius II et Leo X totum S. Francisci Ordinem in unum corpus redigere sæpius tentarunt, ut apud illustrissimum Gonzagam in Origine Seraphicæ Religionis part. 1 a pag. 25, et Helyotum in opere Gallico de Religiosis et militaribus Ordinibus part. 5 cap. 6 et 42 sive tome VII pag. 65 et sequentibus videre est. Verum in hoc negotio variæ difficultates occurrerunt, et præ cæteris Fratres Amadeitæ hanc unionem subterfugere aut eludere conati sunt, ut abunde colligimus ex Waddingo, qui in Annalibus Minorum ad annum Christi 1512 num. 40 de hac re sic scribit:* Fratres insuper Congregationis Amadei Hispani, quos diximus se Conventualibus aggregasse, nihilominus suam Congregationem conservare volentes, suaque per se munia exercere absque commixtione cum Conventualibus impense cupientes, obtinuerunt per vivæ vocis oraculum, factum Antonio de Monte, tituli S. Vitalis Cardinali Papiensi, cujus ille testimonium authenticum exhibuit die XXIII Aprilis, ut eis liceret Capitula celebrare secundum consuetudinem, constitutiones et privilegia eis concessa, sibique

A sibique vicarium præficere.

sed, variis difficultatibus occurrentibus,

46 *Deinde ad annum Christi 1518 num. 18 de iisdem Amadeitis hæc refert :* Alia de novo constituta est provincia per speciale Leonis diploma, aggregatis in unum omnibus Conventibus Fratrum Amadeitarum, quos habebant, incipiendo a domo sancti Petri in Monte aureo seu Janiculo Urbis usque ad civitatem Parmensem, camque sic erectam subjecit ad modum aliarum provinciarum, regimini et obedientiæ Ministri Generalis Licheti. SACRÆ RELIGIONIS PURITATEM die XIV Novembris; et anno sequenti die XX Maii idem Generalis celebravit Capitulum provinciale horum Patrum in urbe Cremonensi, et Conventu sanctæ Mariæ Gratiarum, confirmavitque in Ministrum ejusdem provinciæ Evangelistam de Casali-majori. Sed postea commixtæ sunt hæ domus Amadeorum cum aliis Observantum, et distributæ inter provincias, in quarum erant districtu, ne conservaretur hoc germen dissensionum aut divisionum sub nomine Amadeorum, conservatis et unitis eorum Conventibus ; aut capta temporis aut Pontificis propitii opportunitate, prætenderent
B iterum separari, et constituere sibi peculiarem Congregationem. Etenim, uti per sequentes videbimus annos, contendebant illam suam Congregatiunculam ab interitu conservare.

executio decreti istius dilata est,

47 *Denique idem Annalista Minorum ad annum Christi 1520 num. 22 ad rem nostram habet sequentia :* Diximus ante biennium, Pontificem erexisse provinciam sancti Petri de Monte aureo, compactam ex domibus Fratrum Amadeitarum, eamque subjecisse omnimodæ jurisdictioni Ministri Generalis Fratrum de Observantia. Nihilominus Amadeitæ, quibus poterant artibus se in quibusdam Conventibus inter limites prædictæ provinciæ conservare satagebant, exspectantes, aliquando suos posse ad pristinum modum regiminis reverti. Hoc itaque anno favore Priorum Artium urbis Perusinæ obtinuerunt facultatem Pontificiam, ut perpetuo remanerent in Conventu sancti Hieronymi extra urbem, et retinerent gubernium domorum sanctæ Agnetis et sancti Antonii de Padua Sororum tertii Ordinis in eadem urbe : quod ubi rescivit Minister Generalis Lichetus, rogavit, ut præcluderentur omnino aditus Ordinis scissuris, et
C juxta tenorem bullæ unionis, omnes Congregationes et Conventus in unum corpus coalescerent. Petitioni libens assensit Pontifex, emisso diplomate, prioris revocatorio. Utrumque hic exhibeo. *Tum subdit duplex Leonis X Papæ diploma, quod nobis non vacat transcribere, et loco citato legi potest.*

donec S. Pius V nomen Amadeitarum exstinxit,

48 *Nihilominus Amadeitæ videntur huic unioni restitisse usque ad tempora S. Pii V Pontificis, qui anno Christi 1568 edidit constitutionem, quæ in Bullario Romano Laertii Cherubini tomo II, pag. 250 post exordium, paterna sollicitudine plenum, sic sonat :* Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostra, Apostolica auctoritate deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Amadeorum, Clarenorum etiam della Becca nuncupatorum sancti Petri in Monte aureo et S. Hieronymi sive S. Bartholomæi in insula de Urbe, aliarumque quarumlibet provinciarum respective Fratrum Ordinis S. Francisci, eorumdem instituționes, congregationes, conventus, denominationes, nomina et vocabula quæcunque, nec non quatenus regularibus institutis Fratrum dicti S. Francisci Ordinis familiæ, Minorum de Observantia vocatorum, discrepant eorum regula, instituta, constitutiones, statuta, consuetudines et ritus, modumque et normam vivendi, interdicimus et prohibemus; illaque, nec non illorum promissiones, confirmationes et approbationes Apostolica auctoritate factas, et illorum causa privilegia, indulta, gratias et litteras, etiam a Sede Apostolica, et forsan occasione concordiarum inter ipsos Fratres initarum confirmatorias, ac motu, scientia, potestatisque plenitudine similibus, vel etiam consideratione, vel ad instantiam imperatoris, regum, et aliorum principum concessa, et quibuscunque concepta formulis ac suffulta decretis, quorum omnium tenores iis litteris haberi volumus pro expressis, exstinguimus, supprimimus, revocamus, cassamus, et in perpetuum penitus et omnino omnia tollimus.

AUCTORE G. C.

eosque Minoritis Observantibus univit,

49 Eos autem omnes et singulos Fratres, qui ejusmodi segregationum et denominationum erant, cum eorum omnibus domibus, ecclesiis, oratoriis, et locis quibuscunque ubicunque consistant, Fratribus Ordinis Minorum familiæ de Observantia vocatis, eorumque congregationi aggregamus atque unimus : et sic in posterum ex nunc perpetuo aggregatos et unitos esse dictis de Observantia adhærere, et eisdem, quibus illi utuntur, E
regula, regularibus institutis, professione, moribus, habitu ac vivendi forma, ac agnominibus et denominationibus uti, ac unam familiam tantum de cætero esse, eisdemque Generalibus seu provincialibus Ministris, cæterisque Superioribus aut officialibus, quibus illi subsunt, aut pro tempore suberunt, subjectos esse, et in eadem immediate cum illis obedientia Deo servire, pure, ordinarie et uniformiter, nullaque prorsus re nulloque discrimine sejunctos, aut dissimiles haberi decernimus..... Cæterum ut universa Congregatio Fratrum hujusmodi de Observantia hoc additamento quasi colonis aucta, placida simul perpetuaque pace fruantur et conquiescant, neque uno tantum nomine, sed una etiam mente consistant, nullaque ibi altercandi occasio subrepat, eisdem motu, scientia et potestatis plenitudine statuimus et ordinamus, ut nullus ex veteribus Fratribus de Observantia quemquam sic noviter aggregatorum, recordatione priorum nominum, aut vitæ, vel alias quocunque modo irritare, aut Amadeum vel Clarenum, seu alia, quam de Observantia, nuncupatione appellare audeant *etc.* F
Dein idem sanctus Pontifex varia addit, ut decretum suum efficaciter exsecutioni mandetur, et inter Fratres jam unitos pax foveatur. Verum hæc, quæ retulimus, sunt præcipua, quæ ex hoc diplomate Pontificio excerpenda duximus.

Sancto Carolo Borromæo

50 *Ad hanc unionem perficiendam strenue laboravit S. Carolus Borromæus, teste illustrissimo Carolo a Basilica Petri, episcopo Novariensi, qui in Vita ejusdem sancti Præsulis Mediolanensis lib. 2 cap. 5 honorificum de* B. Amadeo *testimonium reddit, et simul in hac re constantem S. Caroli Borromæi laborem ita narrat :* Addemus hic non dissimile munus, quod postero anno Carolus obiit, in Ordine Franciscano, cujus item erat moderator; ac in ea quidem parte, quæ laxiorem videtur sequi disciplinam, quædam magni momenti jam perfecerat ad cœnobiticæ vitæ æqualitatem, tum in victu tum in habitatione servandam. Alia deinceps præstitit valde utilia per Alexandrum Cribellium Cardinalem, virum pium et gravissimum, quem in munere illius Ordinis regendi pro se substituerat. In reliquo autem Ordine, qui Observantiæ nomine appellatur, illud auctoritate Pontificia curavit ac effecit, ut quædam ejus quasi partes tollerentur, Clarenorum, Amadeorum,

aliorum-

AUCTORE G. C.

aliorumque; et nominibus quoque ipsis deletis, cum reliquo corpore conjungerentur; qua de re constitutio edita est. Eas partes omnes puto ex bonis initiis profectas: fit enim sæpe in sacris Religiosorum virorum societatibus, ut primo illo sancti Spiritus ardore cum optima disciplina paulatim pro humana miseria refrigescente, quoniam universi moveri non possunt, ut ad pristinos se mores referant, pars tantum id faciat, et ad cæteris separata, veteribus perfectioribusque utatur institutis: quæ cum item spatio temporis remittantur, eo res tandem recidit, ut nomine tantum, et præterea dissidio sæpe relicto, ea veluti disjuncta membra omnino expediat reliquo ejusdem conditionis corpori rursus conjungere.

fortiter ad hanc unionem collaborante.

51 Amadei Pacis ecclesiam Mediolani tenebant, nomenque traxerant ab Amadeo Ulyssiponensi, viro religiosissimo, qui sibi ob præcipuam sanctitatem non mediocrem Fratrum numerum pluribus abhinc annis adjunxerat, et una cum iis asperiorem veterum vitam renovare conatus erat. Iis cum posteris temporibus novi, hisque alii successissent, mansit quidem distractus numerus; sed B disciplina tandem a cæteris non differebat. De iis reliquo corpori aggregandis ne constitueretur, principes viri multi primo sese interposuerunt, sine quorum intercessione, vel oblata sponte, vel postulata, quod maxime dolendum est, vix quidquam in Ecclesia paulo gravius componi corrigive potest; deinde vero, ne statutum quod erat, efficeretur, plura, voluntasque Amadeorum ipsorum in primis impediebat. Carolus autem nihil a proposito declinans, minime destitit, donec bono rem exitu concluderet. Aggressus ad litteras Pontificias, quas ad eam rem proprie curaverat, in Conventu Pacis promulgandas, remque conficiendam, ea incurrit, ut uno verbo dicam, quibus tunc quidem sibi cedendum, et re infecta discedendum, clementer statuit. Rediit tamen, remque totam confecit arbitratu suo. Tum vero eorum, qui restiterant, apud Pontificem, ob ejus graviter offensum animum, deprecator fuit. Ea re peracta, conventum habuit, in quo promiscue cœnobii cujusque numero constituto, rectoribus electis, salutaribus constitutionibus opportune renovatis, provinciæ res composuit.

C

etsi nonnulli ex iis ad Franciscanos Conventuales transierint.

52 *Nonnulli ex Amadeitis aut Clarenis transierunt ad Franciscanos Conventuales, ut Laertius Cherubinus in titulo prædictæ constitutionis lectorem monet his verbis:* Scias, nonnullos de prædictis Fratribus ad Conventuales Fratres transivisse, quos tandem ibi permanere posse concessit Gregorius XIII, die XX Decembris, MDLXXXI; cujus tamen Bullam, uti minus necessariam, prætermisi. *Sic tandem post varias difficultates extincta est Congregatio Amadeitarum, quæ ab* Amadeo *nostro cognomen acceperat. Hinc tamen sanctitati beati Institutoris nihil opponi potest, quemadmodum satis liquet ex relato ratiocinio illustrissimi episcopi Novariensis, qui illum appellat* virum religiosissimum, *eumque* ob præcipuam sanctitatem *sibi plures socios adjunxisse affirmat. Ita quoque nihil dedecoris redundat in S. Joannem Columbinum, etiamsi Clemens IX Pontifex Ordinem Jesuatorum, ab ipso institutum, justis de causis suppresserit. Hæc sunt præcipua, de quibus lectorem in hoc Commentario præmonendum censuimus. Quare tantum restat, ut prælo subjiciamus veterem Beati Vitam, quæ nunquam antea Latine typis excusa est, eamque consuetis annotationibus nostris illustremus.*

D

ACTA

Auctore anonymo coævo.

Accepimus ex Ms. quod R. P. Franciscus Haroldus, Minorita Hibernus, nobis describi curavit, et quod anno 1669 adhuc in Romano S. Isidori Conventu servabatur.

PROLOGUS.

Auctor synchronus præfatur, se rogatu aliorum

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ac in exaltationem sanctæ Crucis, et Catholicæ fidei, ac ad augmentum Christianæ Religionis. Quoniam nonnulli venerabiles Religiosi, aliique quamplures magnifici, et E clarissimi viri, aliquando certiores sese reddi summopere petierunt de nonnullis gestis, vita, et moribus reverendi nunc quondam et Religiosissimi Patris domini Fratris Amadæi Hispani, Ordinis ac regulæ Fratrum Minorum sancti Francisci observantissimi, Mediolani superioribus annis defuncti in Conventu S. Mariæ de la Pace nuncupato, extra *a* muros Portæ Tonsæ seu portæ orientalis *b* Mediolani ejusdem Ordinis, qui de mense Augusti in festo beati Martyris S. Laurentii circa horam vesperarum in orbem obiit de anno curso MCDLXXXII, et in ipsa ecclesia S. Mariæ de la Pace nominata, de ipso mense sepultus fuit: ac de nonnullis gratiis, et miraculis, a summo rerum omnium Opifice per eum, seu ejusdem Patris domini Fratris Amadæi meritis et intercessionibus, ut dicitur, elargitis in vita et in morte, et post ejus decessum, quæ ad diversis personis incidenter collecta fuerunt; cupiens eisdem, de nostra *c* etiam Religione bene meritis, pro virili mea rem gratam efficere, ac eorum voluntati morem gerere, licet F idoneum me non sentiam ad tanti operis descriptionem, divino tamen fretus auxilio ego ipse, qui de ejus Vita, et aliis ab eo sancte gestis, plene edoctus sum, quia etiam multa vidi, intellexi, et de propriis manibus palpavi, si non diserte, et eleganter, fideli saltem studio et accurata recitatione nonnulla, quæ relatu digniora esse comperto, attingere decrevi.

certa et sibi nota B. Amadei gesta conscribere.

2 Licet ergo de ejusdem reverendi Patris Vita, et gestis, ac gratiis, ab Altissimo per eum obtentis, alias aliqua particulariter descripserim, nunc tamen aliquantulum copiosius atque majora de his omnibus, quæ in dies ad communem pervenere notitiam, tanquam e spatiosissimo campo pulchriores flosculos excerpens, usque in præsentem diem brevem admodum fasciculum collegi, quem pro majori omnium consolatione, et fidei augmento, quo potui, meliori modo juxta tenues ingenii mei vires in scriptis redigere curavi, ne per longa temporum curricula, tanti Patris memoria oblivioni mandaretur, et ut in Seraphica divi Francisci Religione, quæ in dies magis florescit et pullulat, talem tantæque ubertatis fructum prodivisse [scitetur, et] apud posteros nosceretur, quem in terris novimus.

ANNO

A

ANNOTATA.

a *Hic dicitur Conventus ille* extra muros *situs, cum tamen apud Joannem Ludovicum Gotofredum lib. 1 Archontologiæ cosmicæ inter pag. 254 et 255 ichnographia civitatis Mediolanensis num. 61 intra muros ejusdem urbis collocetur. Quare suspicor, muros Mediolanensis urbis postea latius extensos esse, et hunc locum iis inclusum fuisse: nam illustrissimus Gonzaga in Origine Seraphicæ Religionis pag. 342 de eodem conventu sic scribit:* Præcedentem conventum sequitur is, qui INTRA Mediolanensis ejusdem civitatis mœnia aliquatulum a porta Tusa, sub titulo sanctæ Mariæ de Pace, in amœnissimo quodam loco surgit.

b *Porta Tonsa vel Tusa in laudata Gotofredi ichnographia non parum ab Orientali distat, etsi forte olim una eademque fuerit, ut biographus hac phrasi disjunctiva videtur innuere.*

c *In Commentario prævio num. 29 ex hoc loquendi modo conjecimus, anonymum Actorum collectorem, fuisse professione Franciscanum.*

B

CAPUT I.

Beati patria, variæ virtutes, pueritia, et adolescentia.

Beatus Amadeus, natione Hispanus,

Fuit ergo, ut jam rem ipsam aggrediamur, Frater iste Amadæus, de quo inpresentiarum sermo habetur, patria Hispanus, quæ sane regio tanti viri illustrata natali, ad has auras nostras fruendum Amadæum nobis transmisit; qui B. Franciscum Religionis suæ authorem, et fundatorem mirifice secutuus, in Beatorum consortio vita functus collocari promeruit. Felix ergo Mediolani hæc civitas, quæ et in vita, et in morte, et post decessum Amadæi meritis et intercessione quamplurimas a summa totius orbis Conditore, gratias suscepit, et apud quam corpus ejus quolibet thesauro pretiosus, humari contigerit *a*. Et certe non mirum videtur, si omnipotens hunc Deus pro infinita ejus bonitate, et misericordia humillimum profecto, mundoque penitus abjectissimum se exhibentem, in fine bonorum operum suorum exaltaverit in cœlum, quia scribitur: Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

C

diverso virtutum genere,

2 Per ea enim, quæ de eo jam diu etiam, usque quo in humanis agebat, vidi et audivi et in morte et post mortem dicta et audita a fide dignis percepi, existimabatur vir iste incorruptæ et religiosissimæ vitæ, et postremo sanctus homo a sapientissimis dignissimisque viris inventus est et judicatus: fuit namque homo multum mirabilis in Religione Fratrum Minorum sancti Francisci Regulæque ab eo institutæ diligitentissimus observator ac Ordinis sui. Fuitque pro majori parte temporis sui, saltem per triginta annos, vel circa, quibus in Italia Religiosus vixit, contemplationi et orationi mirum in modum deditus et occupatus, ita quod sæpenumero et aliquando per decem et octo horas in continua meditatione et oratione sine intermissione et sine aliquo intervallo genibus flexis stare visus fuerit; fuitque etiam, maximis jejuniis et vigiliis et abstinentiis maceratus; fuitque sermone gravis, humanis, purus, simplex, pius, veridicus, modestus, justus, devotus, humillimus, mansuetus, benignus et caritate plenus, spiritualibusque facultatibus et devotionibus suis non solum in domesticos et notos, sed etiam in ignotos liberalissimus; in insidiis quoque, et contumeliis, injuriis et persecutionibus, ac variis perturbationibus, quibus ubique, dum vixit, affectus et molestatus fuit, patientissimus ac prudentissimus, hilaris et jocundus; pauperibus et divitibus, potentitibus et infimis, sine aliquo discrimine gratissimus erat et acceptus. Ex MS.

variis naturæ dotibus,

3 Ipse quoque F. Amadæus fuit maximæ et præclaræ virtutis et gratiæ apud Deum et homines, et principes et etiam apud maximos Ecclesiæ prælatos: et licet in omnibus humillimum et abjectissimum se præberet, ab illustrissimis principibus in summa veneratione habebatur. Sedulus in oratione et contemplationis actu, ut præfertur adeo etiam fuit, ut quandoque, quæ futura essent, prædiceret. Vitam suam per multos annos tam acriter duxit, ut nunquam, nisi semel in die, cibo uteretur; vino ut plurimum per multos annos usus non fuit, nisi in celebratione Missæ, vel aliquando gratia complacendi amicis, E dum ab eis, ut secum discumberet, invitatus esset. Temporibus vero jejuniorum, Quadragesimarum et temporalium utplurimum solum pane et aqua utebatur, et aliquando eis temporibus jejuniorum in contemplationibus taliter occupabatur, quod per tres dies et aliquando plures et noctes totaliter corporali cibo abstinebat.

austera vivendi ratione,

4 Temporibus autem hyemalibus et glacialibus, sive etiam æstivis, per multos annos continuos sine aliquo calceamenti genere, sine aliquibus calceis, et calopodiis per nives, per lacus, per aquas nudis pedibus iter agebat. Vestigia beati Francisci imitatus, jejuniis, abstinentiis et macerationique [se affligebat,] caducis mundi honoribus, et adulationibus sollicite quibuscunque contemptis. Per septem tamen annos vel circa, proxime obitum suum præcedentes, jussu et mandato Sanctissimi domini nostri D. Sixti Divina providentia olim *b* Papæ IV, vino usus est, et aliis cibariis, moderate tamen et semel in die tantum, ac calceis, quia senex et valde infirmus effectus erat. Fuitque idem Pater quodammodo angelici intellectus, et in naturalibus multum circumspectus; omnibus quidem, maxime temporibus, quibus contemplationi et orationi non vacabat, erga omnes benignus erat et humanus; F fuitque fide fervens, spe stabilis, humilitate præstans, pietate affluens, caritate plenus, patientia fortis. Et tandem, spretis omnibus mundi deliciis, suum diem clausit extremum.

nobili natalium splendore fulsit,

5 Progenies ejus in regione ista nota non fuit, nec alienis patefacta, quia ipse, dum vixit, progeniem suam, licet a pluribus super ea instantissime fuerit requisitus, manifestare nunquam curavit; quod multi ob id eum fecisse arbitrabantur, ne, si familiam suam, quæ, quantum ex conjecturis potuit percipi nobilissima erat et perillustris, expressisset, arrogantiæ vel jactationis crimine notari posset *c*. Verum cum ex sermone suo suam non posset celare originem, ut ab aliquibus sibi familiaribus relatum fuit, aliquando se ex patre Castiliensem et Hispanum, et ex Matre Portugalensem, maxima cum difficultate fatebatur. Aliqui vero sunt, qui dixere, et magis in hoc communis inclinat opinio, eum fuisse de Regali Domo Castiliæ Hispanæ; alii vero affirmarunt, eum fuisse principem Castiliæ Hispanæ; alii eumdem fuisse principem aliquarum civitatum Hispaniæ tantum in regione Castiliensi, alii fuisse c

princi-

Ex MS. principem regionis Hispaniæ; alii aliter dixerunt.

6 Sed undecunque fuerit et sit ejus origo et progenies, fuit nobilissimæ staturæ et ex nobilissima stirpe, et, ut creditur, ex regali prosapia: et dum vixit, fuit mirabilis et potius angelici, quam humani intellectus; et per ea, quæ ab ipso, dum in humanis agebat, aliquando apud aliquos ex fratribus suis multum sibi familiaribus prolata fuerunt, prout ab aliquibus ex eis fide dignis relatum fuit, præsertim a dominis Fratre Georgio de Vallismoncha *d*, Fratre Jacobo de Merliano, Fratre Joanne de Alamania, Fratre Ægidio de Monserato, Fratre Bonaventura de Cremona, et ab aliis, qui cum eodem multum conversati fuerunt. *ut biographus refert ex testibus synchronis,*

7 Ipse Pater dominus Frater Amadæus aliquando asserebat, sibi alias a nutricibus suis nuntiatum fuisse, quod, cum genitores sui per multos annos conjugati filium vel filios non haberent, licet ipsa genitrix sua pluries in conjugio prægnans exstitisset, postremo ipsa genitrix sua prægnantem se reperit, et jam de pluribus mensibus ex ipsa prægnatione tumefacta esset; nec tamen gauderet ipsa prægnatione, timens, ne abortum haberet, prout habere consueverat, causa solatii una die esset super porta domus suæ, quæ erat juxta plateam illius civitatis amplissimam una cum aliquibus ex domicellis suis, et quædam pluvia cito et repente descenderet, ob quam matrona quædam hortulana subtus eamdem portam venit, ut evitaret, ne ab ipsa pluvia balnearetur, et inveniens eam dominam prægnantem, subtus portam ipsa matrona eam salutavit, benedicens prolem, quam in ventre habebat; ipsa vero prægnans, de ejusmodi salutione admirabatur, aliquantulum ingemiscens, et recogitans, nullum filium potuisse alere; cui ipsa hortulana dixit: Magnifica domina, si vultis alere filium, quem in ventre habetis, quamcitius peperistis, faciatis sibi in baptismo apponi nomen, quod vobis nuncupabitur a primo paupere mendicante, qui post partum vestrum ad domum vestram veniet petere eleemosynam. Demum ipsa hortulana, cessata pluvia, inde recessit. *quibus ipse Beatus* B

8 Quæ audiens ipsa domina cum ancillis suis rediens in domum suam, prædicta verba, quæ ipsa hortulana protulit, pro quadam monitione habuit, eaque in corde suo, et ancillæ ipsius dominæ usque ad tempus partus ipsius magnificæ dominæ conservaverunt, donec peperit filium. Et cum peperisset memoria habens ipsa domina prædictam monitionem, per septem dies exspectaverunt, maxima cum instantia, ut aliquis ex pauperibus mendicantibus ad ejus domum ad eleemosynam petendam veniret. Et cum nullus pauper comparuisset post ipsum partum, licet antea quotidie multi pauperes ad portam ejusdem magnificæ dominæ ad eleemosynam petendam ire consuevissent, contristabantur omnes de ipsa domo, et genitores, et famuli, quia nullus pauper ad eleemosynam petendam veniret. Septima vero die, cum jam advesperasset, et jam clausa esset janua domus, ecce quidam pauper peregrinus pulsans januam petit eleemosynam, cui una ex ancillis cito respondens ex fenestra exposuit, quod ibi natus erat filius ex uxore patroni domus, petiitque ab eo, quale nomen ipsi infanti in baptismo apponi deberet; cui pauper respondens subito ait: Amadæus; et statim non exspectans eleemosynam recessit. Et sic in baptismo eidem infanti impositum fuit nomen Amadæus *e*. *de sua nativitate,* C

9 Et cum ipse infans a nutricibus lacte educaretur et a parentibus aleretur, tunc crescens valde debilis erat, ita quod usque ad annos novem vel circa, cum valde debilis permaneret, a pluribus nutricibus lacte nutriebatur, et tamen ita debilis erat, ut aliquando cum jam puer factus esset, non tamen poterat abstinere, quin a nutricibus lacte educaretur, nec seipsum sustinere valebat. Ex quo parentibus ipsis et famulis, ac omnibus fere odio erat, et aliquando contumeliis et injuriis ab eisdem valde afficiebatur et molestabatur; ipse vere Amadæus multotiens verecundia affectus, non audebat a nutricibus nisi in occultis lac sumere in nutrimentum, et sic sæpe Frater Amadæus aliquando asserebat, se usque ad novem annos vel circa fuisse nutritum et educatum. *pueritia,* D

10 Postea vero crescens ipse Amadæus infra aliquot annos et in persona et in discretione, valetudineque ac fortitudine usque ad decimum octavum annum pervenit; quo anno nobilissimam uxorem, ut asserebat, desponsavit, quam tamen nunquam carnaliter cognovit, nec ad maritum transduxit, et artem militarem cum aliis principibus et baronis Hispaniæ exercere cœpit. Anno vero vigesimo suæ ætatis, ut asserebat, dum in quodam bello esset in Hispania, quod, ut creditur, tempore serenissimi regis Don Joannis *f*, inter principes Hispanos contendentes agebatur, ipse Amadæus vulneratus fuit in uno brachio. Ex quo bello exiens et domum rediens divina quadam motus inspiratione, relictis omnibus, solus versus locum seu monasterium sanctæ Mariæ de Guadalupo *g* in Hispania pro salvanda anima sua iter suum direxit. *juventute et conversione* E

11 In quo quidem itinere, ut ipse Frater Amadæus aliquando incidenter familiaribus suis Fratribus ad eorum consolationem et patientiæ ac fidei introductionem referebat, tres satellites armis et verbis aggressi fuerunt eumque occidere minabantur; a quibus multum perterritus fuit, et ad Deum confugiens, ecce quidam miles armatus cum una mazza *h* aurata in manu supervenit, qui sibi auxilium præbuit illos increpans de tali aggressura et effugatis ipsis satellitibus per manum eum apprehendit et in quamdam parvulam ecclesiam ibi propinquam deduxit. Cui postea ipse miles dixit, se scire, quo iter habebat, et pro salvanda anima sua, illumque monuit, ut omnino ire deberet ad dictum locum de Guadalupo, ubi moram traheret, donec sibi aliud a Spiritu sancto indicaretur; quibus dictis, ipse miles evanuit. Ipse vero pater Amadæus solus, qui tamen secularis erat tunc, auditis prædictis, ad ipsum locum de Guadalupo audactius iter suum direxit; et in eo itinere progrediens, dum idem pater quietem in quodam hospitio quæreret, ecce quædam mulier inhonesta ad eum venit, ut cum eo super lecto in camera *i* cubaret, quam videns ipse Pater, statim fugam rapuit, nec in eo hospitio amplius morari voluit. *plura mirabilia narravit.* F

ANNOTATA

a *Hinc manifesti erroris convincitur censura Bzovii, quam num. 5 Commentarii prævii retulimus, et sequentibus numeris refutavimus.*

b *In Commentario prævio num. 29 ex hoc adverbio collegimus, hæc Acta post mortem Sixti IV Pontificis conscripta fuisse.*

c *Ex his patet, determinatam* B. Amadei *stirpem antiquitus in Italia ignotam fuisse. Incumbit itaque neotericis, qui plura peculiaria de nobili ipsius stemmate tradunt, fide dignos sententiæ suæ testes allegare, ut num. 37 Commentarii prævii monui-*

A *monuimus.*

d *Hic testis a Waddingo in Annalibus Minorum ad annum Christi 1264 num. 30* Georgius de Valcamonica *appellatur.*

e *Hinc num. 34 Commentarii prævii refutavimus errorem eorum, qui patarunt, Beatum nostrum in baptismo Joannem nominatum fuisse.*

f *Is verosimillime est Joannes II rex Castillæ, qui eo tempore contra Mauros, aliosque intestinos hostes bellum gessit.*

g *Est oppidum Hispaniæ, ad amnem cognominem in provincia Extremadura situm, quod Latine* Aquæ Lupiæ *vocatur, ubi visitur monasterium Ordinis Hieronymiani, prodigiosa Deiparæ imagine inclytum, de quibus omnibus consuli potest Gabriel de Talavera, qui originem, situm, et viros illustres hujus monasterii fusius Hispanice describit, ut in Commentario prævio monuimus.*

h *Vox Italica* mazza *Latine clavam significat.*

i Camera *Italice hic pro cubiculo usurpatur, ut ex sensu colligitur : nam vox Latina* camera *proprie fornicem significat. Hujusmodi voces barbaras, quæ facile intelliguntur, deinceps non explicabo.* B

CAPUT II.

Religiosa ipsius vita, in Ordine S. Hieronymi, desiderium martyrii, et quædam miracula.

Ingressus Ordinem S. Hieronymi, culinæ servit.

Tandem ad ipsum locum de Guadalupo perrexit, ubi postea per decem annos vel circa devotissime ac religiosissime cum fratribus ejusdem Conventus vixit, et ibi humiliora ac viliora obsequia quantum poterat pro Christi amore exercebat. In quo quidem Conventu de Guadalupo in Hispania *a* quædam memoratu digna ex relatu ipsius Patris Amadæi ad quosdam ex Fratribus suis accidisse dicuntur, quæ pridem ipse Pater aliquando incidenter ad instructionem eorum C confratrum suorum cum eo commorantium et ad fidei confirmationem referebat, de quibus aliqua et breviori sermone, quo potero, ad majorem Dei laudem, et vitæ ejusdem Patris commendationem narrare decrevi : inter quæ dicitur quod una die dum ipse Pater in coquina ejusdem Conventus ex interiori cordis humilitate deserviret, et datæ sibi essent carnes ad coquendum, quas ad ignem in cacabo posuerat et contemplationi et orationi hoc medio tempore aliquantulum operam daret per certum temporis spatium in quodam loco apud ipsam coquinam aliqualiter remoto, donec carnes coquerent, tantum distulit, quod redeundo ad cacabum carnes nimis decoctas et quasi dissolutas invenit.

et in eo ministerio mirabiliter divinam opem experitur;

13 Quæ quidem ipse Pater considerans multa tristitia affectus fuit, cum non nisi maximam reprehensionem a suis Superioribus expectaret : tandem confisus gratia Dei ad orationem rediit, Deum exorans et beatum Virginem Mariam, tali anxietati suæ provideret, et dum ipse orationi assisteret, vidit queremdam Fratrem, qui infirmarius conventus ipsius videbatur, seu qui infirmario ipsius Conventus assimilabatur, qui cum quodam baculo in eo cacabo hincinde carnes revolvebat et miscebat, quæ in ipso cacabo erant, de qua quidem revolutione, et immixtione ipse pater Amadæus fortius contristabatur; sed postea regrediens ipse Pater ad coquinam, et perquirens, quæ in cacabo contigissent, invenit statim petias *b* carnium integras bene coctas et ordinatas : quibus visis et repertis, Deum læto animo glorificavit, et de eis postmodum Fratribus ipsius Conventus ministravit. De quibus ipsi Fratres multum congratulabantur cum eodem Patre, asserentes se nunquam carnes sic optimas et bene adaptatas [pro] cibo sumpsisse : de qua quidem revolutione et immixtione, infirmarius ejusdem Conventus super ea interrogatus, ignarum se asserebat, et protestabatur; de quibus quidem omnibus, quæ acciderant, ipse Pater infinitas Deo reddidit gratias, nec tamen de ejusmodi gratia alicui tunc innotescere curavit.

dein ardens desiderio martyrii,

14 Et eo Patre Amadeo in eodem Conventu commorante, cum etiam ad obsequia coquinæ deserviret, et aliquando ibi pluribus etiam aliis negotiis implicitus esset, et tempus non superesset, ubi commode aliquando orationi et contemplationi vacare posset, cupiens devotioni suæ satisfacere juxta suam voluntatem, ut ipse Pater, ut præfertur, aliquando incidenter referebat, et ad martyrii palmam pro Christi amore pervenire, quodam Spiritus sancti instinctu ductus fuit licentiam a Superioribus suis petere : et quomodocunque fuerit, idem Pater versus Granatam iter suum direxit, ut ab infidelibus pro fide Christi aliquo modo cruciandus esset. E

quod Granatæ frustra quæsierat,

15 Et cum applicuisset apud civitatem Granatæ a quibusdam custodibus viarum infidelibus aggressus fuit, quem credentes esse exploratorem denuntiaverunt et ad quemdam eorum superiorem ligatum deduxerunt, qui eum multis atrocibus verberibus nudum affligere jussit, eum cum cannis seu arundinibus acutissimis pungentibus cruciandum, crudelique morti adjudicavit; sed cum postea ab aliquibus exeuntibus, aut Baptismatis lavacro lotis, et qui a fide Christi declinantes apostatæ et infideles effecti fuerant, Pater ipse vestibus spoliaretur, ut tam crudeli morti supponeretur, invenerunt eum duro cilicio ad carnem, indutum, et circulum ferreum super carnes habentem; et tunc hi aliquali compassione moti, agnoscentes, eum esse pauperem purum, et simplicem, et non exploratorem, ipsum ad eorum Superiorem retroduxerunt. Qui eorum contemplatione, jussit eum flagellari et deinde flagellatum dimitti : et demum, restitutis sibi vestibus suis, ab ipsa civitate dejectus fuit. F

mortua puella ad vitam revocata.

16 Deinde regrediens ipse Pater versus Hispaniam, et procedens versus mare, disposuit se cum aliquo mercatore ad infideles ire, ut omnino ad martyrii palmam pro Christi fide prosequeretur; et cum jam sero ipsa die factum esset, ipse Pater ad quoddam hospitium applicuit, ubi invenit quamdam mulierem viduam plorantem propter mortem cujusdam ejus filiæ, quæ tunc de proximo defuncta erat, et videns ipsum Fratrem effigiem unius Religiosi habere, rogavit illum instanter, ut Deo effunderet preces pro ipsa filia sua : et cum ipse Pater recusaret, se indignum reputans, tandem compassione motus ob instantissimas ejusdem viduæ preces, completa per eum oratione, Dei gratia filia ipsa viva et sana statim inventa fuit : quibus operatis, illico ipse Pater ab eo loco recessit, ne ab aliquibus laudaretur aut cognosceretur.

in Africam trajicere statuit;

17 Deinde progrediens in itinere invenit navem, quæ ducebatur versus partes infidelium, et procu-

EX MS.

procurans omnino ut martyrii palmam pro Christi amore consequeretur, ipse Pater in ipsam navem se collocavit, ut per eam ad optatas auras duceretur: et cum in mari esset, et non tamen multum a littore distaret, vidit multos fluctus ipsam navem agitantes, ex quibus patronus navis ipsius et alii in ipsa navi existentes multum perterriti erant, et timebant, ne periclitarentur in mari. Ipse vero Pater Amadæus, rogavit patronum ipsum, ut eum in terram remitteret; et sic ipse patronus eumdem Patrem super quodam scopulo seu lapide in littore maris posuit, demum recessit. Et cum ipse Pater ex navi descendisset super ipso lapide, vidit nullam amplius in mari esse fluctuationem, et cognovit, seu tunc cogitavit divinam non esse voluntatem, ut ad infideles se transferret. Unde postea inde recessit, quia de eo Rex regnantium forte aliud decreverat; et tandem ad dictum locum de Guadalupo rediit, ubi etiam per quoddam longum temporis spatium ad ecclesiæ deserviendum et Conventui et sacrisitiæ ipsius mansit.

B *sed ab eo itinere impeditus.*

18 Hoc autem tempore dum in dicto Conventu sacrisitiæ ejusdem de Guadalupo deserviret, evenit, quod, dum una die ipse Pater Amadæus alteri fratri in eadem ecclesia in celebratione Missæ deserviret, et tempore purificationis Sacramenti vinum in urceolo deficeret, et ipse Pater Amadæus non haberet tempus eundi ita cito ad sacristiam pro vino habendo, quia longe erat, orationem ad Deum porrexit, ut statim de vino provideret; qua oratione perfecta, urceolus ipse statim plenus mirabili vino effectus fuit. De quo vino sic mirabili sacerdos, qui eo vino postea in ea Missa usus fuit, finita Missa, multum cum sacristano congratulabatur, dicens, se nunquam tam mirabile vinum gustasse, de qua quidem congratulatione ipse sacristanus admirabatur, quia penitus hujus rei inscius erat; ipse vero Pater Amadæus hujusmodi gratiam Deo referebat, nec tamen eam tunc aliter patefacere curavit.

ad cœnobium suum rediit.

19 Alia vero die, ut ipse Pater referebat, dum ad obsequia ipsius ecclesiæ et sacrisitiæ se exerceret, et in altum pro quadam lampade aptanda in ipsa ecclesia ascendisset, cecidit ipse Pater, et in eo actu statim gloriosæ Virgini Mariæ se commendavit, et tandem sublevatus a terra remansit, C in quo terram, aut lapides non tetigit, nec ei aliquid nocumentum fuit: quam gratiam ipse Pater referebat esse divinam, non humanam.

ubi in ministerio sacristiæ

20 Altera etiam una die dum idem Pater ad obsequia ipsius sacrisitiæ deserviret, et in sero multis negotiis valde implicitus esset, quamdam candelam ceræ accensam armario ligneo in ipsa sacristia fixit, qua fixa, et consumpta taliter igne urebatur armarium ipsum, quod vix posset ignis extingui; quod videns ipse Pater valde contristabatur, quia solus erat, et non videbat modum ignem extinguendi, cum aqua ibi non haberet; ecclesia vero esset clausa: et nesciens aliter huic rei providere, statim ad beatissimam gloriosissimamque Virginem Mariam se commendavit, et ecce statim duo juvenes, quos credidit Dei Angelos esse, in nocte ipsa, et ecclesia tota clausa mirabiliter apparuerunt cum aqua, ex qua statim ignem extinxerunt, demum clausis januis evanuerunt, et tamen in ipso armario sic adusto nullum signum adustionis remansit, quam ipse Pater gratiam divinam fuisse reputavit.

varia miracula ei evenerunt.

21 Eodem etiam tempore, quo ipse Pater in dicto Conventu commoraretur, et per quoddam temporis spatium gravi infirmitate, et membrorum debilitate detineretur, ita quod quasi in omnibus membris præterquam in lingua perditus esset, D nec quiesceret, nisi dum officia divina cantare in ecclesia audiret, Superiores ipsius Conventus, ut aliquali cum refrigerio reficerent, dato sibi custode infirmario, ut eidem Patri deserviret, ordinaverunt carriolam c, per quam ipse Pater omni die conduceretur ad Matutinum, et ad alia officia in ecclesia. Et dum uno mane per custodem ei deservientem ductus esset in ecclesiam per dictam carriolam ad Matutinum audiendum, ibique ab eo custode relictus esset in quadam capella ipsius ecclesiæ, ut quiesceret, audiens divina officia, mentem suam orationi tradidit coram quadam effigie glorisissimæ Virginis Mariæ, quæ in eadem capella depicta erat, eamque gloriosissimam Matrem Virginem Mariam maxima attentione et fervore exoravit, ut ab ipsa infirmitate liberaretur; et oratione perfecta, statim Pater ipse, ut idem retulit, a seipso et sine alio juvamine, sed gratia Dei superveniente, sanus surrexit et demum carriolam ipsam, in qua jacebat, ad solitum locum deputatum *solus reduxit. Et dum postea per custodem suum in ecclesia perquireretur,* idem Pater ab eodem custode in cella sua inventus fuit liberatus. E Hæc ipsa omnia per custodem ipsum Superioribus ipsius Conventus maxima cum admiratione notificata fuerunt: ipse vero Pater de eis omnibus Deo gratias reddidit, sed de ejusmodi notificatione non curabat.

ANNOTATA.

a *Ex repetito illo ejusdem monasteerii situ in Hispania constat, errare Fortunatum Hueberum, dum in Menologio suo Franciscano ad diem* X *Augusti de eodem Beato sic scribit :* Is cum Eleonora imperatrice ex Portugallia in Italiam trajiciens, divina gratia præventus, primo Hieronymitanis eremitis apud Castrum-Leonis adjunctus fuit. *Sed hic secutus est Arturum a Monasterio aliosque errantes, quos num. 39 Commentarii prævii correximus.*

b Petia *apud scriptores medii ævi pro frusto usurpatur, et forte deducitur ab Italica voce* pezzo *vel Gallica* pièce, *quæ idem significat.*

c *Est parvum vehiculum, quod Itali* carriola *et Galli* brouette *appellant.* F

CAPUT III.

Revelatio de intrando Ordine Minorum, iter in Italiam, consultatio cum quodam eremita, et varia mirabilia, quæ ei in via contigerunt.

Cœlitus de instituto S. Francisci amplectendo monitus,

Denique, ut ipse Pater etiam alias aliquando retulit, dum quadam visione trinis vicibus replicata in somnis a beatissima Virgine Maria, beatisque Francisco et Antonio de Padua monitus fuisset, ut habitum et regulam Fratrum Minorum sancti Francisci assumeret, considerans postea talem monitionem et visionem, mirabiliter triplicatam, non esse vanam, sed animæ suæ salubrem, licentiam petiit, quam a Superioribus suis in Capitulari unione congregatis et in scriptis obtinuit, ut ex litteris, sub anno Domini currente MCDLII die

A die undecima mensis Decembris, sigillatis sigillo authentico apparet, datis Guadalupæ, et signatis per fratrem [Gundisalvum] Illesensem *a*, Priorem da Guadalupo per me visis et examinatis: et ea licentia sic in scriptis obtenta, iter suum direxit versus Italiam ut ad civitatem Assisii *b* proficisceretur. Et veniens per Hispaniam invenit quemdam locum, qui dicitur de Ubeda *c* in Hispania, ubi aderat Conventus fratrum Minorum Sancti Francisci, et ibidem ipse Pater Amadæus volens obtemperare mandatis in ea licentia descriptis, Ordinem et habitum Religionis sancti Francisci devotissime suscepit.

proficiscitur in Italiam, 23 Demum iter accipiens versus Assisium, in itinere quosdam satellites invenit, ut ipse alias retulit, qui eum aggressi fuerunt, atque vestibus suis eum spoliaverunt, et eis laceratis, eum atrocibus verberibus afflixerunt, credentes eum in illis vestibus pecunias habere, quas si habuisset, eidem eripere volebant; et non invenientes pecunias, aliqui eorum ejus paupertatis miserentes, aliam vestem sibi tradiderunt. Deinde procedens in itinere per quosdam colles et montes, ut etiam ipse B Pater asserebat, ad quoddam hospitale leprosorum applicuit, ut in eo refectionem et quietem haberet; et cum discumberet, a quadam muliere leprosa de quodam sancto eremita notitiam habuit, *qui in partibus illis propinquis tunc* commorabatur. De cujus sanctitate tamen alias *sibi* nuntiatum fuerat: et interrogavit illam, an tam sanctæ vitæ esse, prout fama erat, et per quam viam pro visitando sancto ipso eremita iter habere deberet; quæ mulier respondendo dixit, ipsum sanctum eremitam profecto esse sanctæ vitæ, sed quod iter ad eum visitandum durum erat et asperum, et quod duabus viis, seu duobus modis posset ad illum accedere, uno modo, videlicet, per circuitus montis per tres dies duraturos, alio vero modo per transversus montis ipsius ascendendo, et postea descendendo multum arduos, et pro eundo per transversus montis cum in summitate esset, inveniret quemdam stabuliarium seu pastorem cum multis animalibus ad pascendum super ipso monte, habentem quosdam canes grossissimos *d* et ferocissimos, a quibus vix vitam *d* evadere posset.

C *et assignatum quemdam eremitam* 24 Quæ omnia considerans ipse Pater Amadæus, cum tamen jam multis itineribus fame et siti aliisque austeritatibus valde fessus seu depressus esset, ut citius ad ipsum sanctum eremitam pergeret, credens cum eo pauperem suam degere vitam aliquo tempore, ut cum aliquo refrigerio Deo quiesceret, confidens Dei gratia et beatæ Virginis Mariæ, quibus multum se commendavit, peracto primo signo sanctæ crucis, iter suum accepit, transitum sumens per dictum montem, de quo supra; et tandem inventis canibus prædictis, in summitate ipsius montis dormientibus, libere et sine aliqua læsione pertransivit. Demum descendens ab alio latere montis, invenit duos discipulos ejusdem sancti eremitæ, qui eidem Patri obviam veniebant, dicentes, se habere commissionem a suo venerando eremita, ut ei obviam venirent, eumque ad ipsum eremitam associarent, ne viam disperderet, quia quadam visione monitus fuerat eremita, ut accedere deberet ad ipsum Pater ipse Amadæus.

per vias difficiles adit, 25 Hi ergo discipuli Patrem Amadæum associaverunt prope cavernam, in qua habitabat eremita: et cum prope cavernam applicuissent, ecce ipse sanctus eremita multum senex et barbatus extra cavernam exiens, ipsum Patrem Amadæum læto animo suscepit, osculumque pacis sibi dedit, et eum postea bonis cibariis carnibusque et vino refecit cum Dei benedictione et alacritate. *Ex MS.* Demum multa verba, et sermones devotos per aliquod temporis spatium cum summa jubilatione et devotione invicem habuerunt. Deinde cum crederet ipse Pater Amadæus, se in eo loco cum eremita per aliquos dies posse morari, ut propter difficillimam montis viam majorem in modum fatigatus et conquassatus quiesceret, dixit ad illum sanctus ille eremita: Oportet te hinc, Pater Amadæe, discedere, et multa graviora itinera facere et multas persecutiones pro Christo pati; et quod unum de duobus eligeret, vel quod in juventute sua multas tribulationes et persecutiones pateretur, et postea in senectute quiesceret, vel quod in juventute vellet quiescere, *ut postea in* senectute multas tribulutiones et persecutiones pateretur.

26 Quibus quidem auditis, ipse Pater Amadæus, *qui* tunc etiam juvenis erat, ex *tunc* disposuit, se potius in juventute pati, ut in senectute aliquando quiesceret, cum in juventute fortior futurus esset ad eas persecutiones tolerandum, quam in senectute. *eoque consulto, multa sibi eventura cognoscit:* E Et tandem suscepta benedictione ab eodem sancto eremita, et cum ejus licentia iter suum versus Italiam accepit, et recedens ab eo Patre, datis sibi duobus sociis, ut eum dirigerent in via, qua iturus erat, usque ad quamdam villam, progredientes, in via socii ipsi interrogaverunt eum, an ipse Pater Amadæus ad eremitam carnes et vinum detulisset, ut cum eo sancto eremita comederet, cum in eo loco nunquam soliti essent carnes comedere, nec vinun bibere: qui respondens dixit, se nihil, ut comederet et biberet, attulisse; ex qua responsione socii ipsi valde mirabantur, cum certi essent, ipsum sanctum eremitam nullam provisionem fecisse vini, ac carnium, arbitrantes, hoc divina potius providentia, quam humana opera factum fuisse.

27 Demum procedens ipse Pater Amadæus solus in itinere suo per duos dies non invenit unde refectionem haberet, nisi de brugolis *e*, et aliis fructibus silvestribus, et tandem perveniens ad quoddam hospitale, ut quiesceret, dato sibi cubili in quadam camera, ut quiesceret velletque super lecto quiescere, invenit anguem grossissimum longissimumque, in lecto astantem, ex quo multum perterritus, cum in camera solus clausus esset, et conclavatus, nec ab ea camera per ostium exire posset, ad quamdam fenestrellam altam ex magna anxietate festinanter ascendit, ex qua maximo cum tremore cum Dei benedictione sine aliqua læsione descendit, et alio iter accepit. *quare Deo fretus, iter suum prosequitur,* F

28 Et cum in ipso itinere perrexisset, et aliquando non inveniret cibaria, quibus mediantibus refectionem haberet, essetque aliquando multum famelicus et propter continuam itinerationem fessus et fatigatus, non tamen desinebat a suis ordinatis * devotionibus et quotidianis orationibus, et omni die per aliquod temporis spatium in Dei bonitate et gratia confisus in aliquo loco remoto morabatur, et Altissimo Deo et beatæ Virgini Mariæ se commendabat, et progrediens in itinere ipso cum a via aliquantulum aberrasset, famelicusque multum esset, vidit quemdam juvenem, canem habentem sibi alligatum, ante eum Patrem Amadæum per aliquod spatium præcedentem per quosdam colles, et cum jam per aliquod terræ spatium ipse juvenis fortiter præcessisset cum ipso cane, idem Pater Amadæus in strata per terram inve- *et cibaria non habens,* ** forte ordinariis*

Ex Ms.

invenit medium panem frumenti albi et bene ordinatum, quem cum Dei benedictione suscepit, animo tamen, ut eidem juveni præcedenti traderet, credens ipsum panem ab eo juvene cecidisse, et cum post ipsum juvenem per aliquod spatium terræ cucurrisset, ipse juvenis cum cane evanuit, nec unquam amplius ipsum vidit, et retento dicto pane, ipse Pater Amadæus dubitabat multum, ne opere diabolico panis ipse inventus esset, et ne ab eo tentaretur, quia valde famelicus erat, ab alio latere cogitabat, quod forsan Dei gratia inventus esset, ut ejus famelicam passionem recrearet: tandem facto super eo pane crucis signo pluries, confisus in Dei bonitate, de eo pane et cibo sumpsit cum Dei benedictione, ex quo valde recreatus fuit.

sæpius miro modo pascitur. f

29 Alia vero die, dum in ipso itinere per Galliam transitum faceret, et versus Italiam tenderet, et per civitatem Avinionensem *f* quæsivisset, ut in aliquo loco ipsius civitatis refectionem, et quietem amore Dei haberet, non invenit nisi hospitium leprosorum, ubi refectionem et quietem in sero habuit. B Demum prosequens etiam in ipso itinere, invenit quemdam nobilem habentem famulum, qui calathum cum cibariis habebat, ut deferret operatoribus suis, cui ipse Pater eleemosynam petiit; ipse vero nobilis panem, et dimidium pulli decoctum ei dedit, de quibus postea ipse Pater bonam refectionem cum Dei benedictione sub arbore ad umbram suscepit, et regrediens ipse nobilis, invenit ipsum Patrem sub arbore, ubi refectionem sumebat; cui ipse nobilis ait: Nonne dedi tibi medium pullum decoctum? Cui respondens dixit ipse Pater: Dedisti. Ipseque nobilis dixit: Ego inveni pullum integrum decoctum in nihilo deficientem. De quibus quidem omnibus ipse Pater Deum glorificavit.

elusaque dæmonis tentatione, g h i

30 Deinde etiam procedens in itinere per aliquos dies, quadam die invenit quemdam hominem in modum caldirarii *g* habentem bulgias *h*, qui interrogavit ipsum Patrem Amadæum, quo iter haberet; cui ipse pater respondit, se versus Januam *i* iturum, ille vero caldirarius dixit, Et ego similiter; eamus ergo in societate: et inde peregrinantes, cum tandem ad umbram cujusdam arboris, cum maximus calor esset, ambo se exposuissent ad quiescendum, C ipse caldirarius dormire cœpit, habebatque ille calderarius unam lesinam *k* in bulga, quam ipse pater accipere volens, ut ea operaretur pro suenda veste sua, quam multum laceratam habebat, et accipiens ipsam lesinam, eam invenit gravissimam, et disnodatam in medio manici *l* concavatam, quam etiam ducatis *m* plenam invenit: quæ videns ipse Pater, timens ne diabolico spiritu tentaretur, lesinam ipsam ad suum reposuit locum, et illico tanquam a colubri facie fugam arripuit, ibique caldirario ipso relicto cum lesina et rebus et pecuniis suis, per multos et multos passus Pater ipse nunquam retro aspicere ausus fuit: sed cum jam longe esset, retrospiciens nullum vidit hominem, sed perterritus maximo ex terrore erectis capillis suis eo in loco, ubi se ad umbram ambo exposuerant, vidit maximum in aere elevari pulverem cum quodam terribili et sulphureo odore, quem ab eo caldirario processisse putavit, eo quod forte diabolus Patrem illum cum pecuniis illis tentare vellens caldirarii faciem assumpserat.

divinam providentiam experitur.

31 Demum transiens per Galliam, Januam venit, ubi per dies multos infirmus existens, maxima cum difficultate hospitium invenit, et tandem cujusdam Hispani medici contemplatione ad hospitium quoddam positus fuit, et dum ibi morbo D gravi detineretur, dormienti sibi visum fuit, se in ipsius hospitii capella esse, ubi gloriosissima Virgo Maria tota veste candida exornata apparuit, quæ Patri eidem ingens præbuit gaudium, et in ipsa apparitione Patrem eumdem valde fortificavit, ita quod die altera diluculo mane Pater ipse ab eo recessit hospitali, et per multos montes et colles usque ad terram Chiavari *n* pervenit, ubi quamdam invenit mulierem Tertii Ordinis habitu sancti Francisci indutam, quæ multis tribulationibus vexebatur, in tantum, quod desperata vestes habitus ipsius deponere volebat, ipse vero Pater tot reliosis et devotis exhortationibus sic eam mulierem corroboravit, quod ipsa tota reconciliata in habitu prædicto se confirmavit, a qua postea refectionem habuit.

ANNOTATA.

a *Prænomen hujus Prioris, quod in Ms. nostro deerat, supplevi ex Gabriele de Talavera lib. 2 Historiæ Guadalupensis cap. 20, et Josepho de Siguença in Historia Ordinis S. Hieronymi part.* E *2 lib. 4 cap. 5, ubi illum Hispanice* Gonçalo de Yllescas *nominant, et egregia hujus viri gesta narrant.*

b *Passim nota civitas Italiæ in Umbria, quæ natalibus S. Francisci et S. Claræ potissimum illustris est.*

c *Est urbs Hispaniæ in Vandalitia ejusque parte orientali versus confinia Castellæ novæ, et una leuca in Septemtrionem a Bæti fluvio distat.*

d *Ex sensu satis patet, auctorem hac inversa phrasi significare voluisse, canes istos fuisse tam feroces, ut Beatus vix mortem evadere posset.*

e *Vox Italica* brugnola *indicat fungum, aut prunam silvestre, qualem cibum tunc Beato occurrisse, facile ex adjunctis colligitur.*

f *Est notissima urbis Galliæ in Provincia ad Rhodanum fluvium sita sub dominio summi Pontificis, quæ Latine* Avenio *et vernacule* Avignon *vel* Avignone *vocatur.*

g Caldararius *vel* calderarius, *ab Italico* caldaraio. *est ærarius faber vel lebetum opifex.*

h Bulgia *est saccus ex corio confectus, quem Latini quidam auctores* bulgam *appellant.* F

i *Sic passim ab auctoribus medii ævi exprimitur nomen istius notissimæ urbis, quam nunc communiter* Genuam *vocamus.*

k *Vocabulo Italico* lesina *significatur instrumentum, quo sutores utuntur, et quod Latine* subulam *dicimus.*

l *Vox Italica* manico, *quam auctor hic Latine inflectit, significat manubrium, ut etiam ex sensu satis patet.*

m *Est passim nota monetæ species, primum anno 1240 cusa a Rogerio rege Siciliæ, et nomen accepit a Ducuta Apuliæ, ut Cangius in Glossario ad hanc vocem tradit.*

n Claverinum *seu* Clavarum, *quod Leander Albertus, seu potius Latinus hujus scriptoris Itali interpres, in Descriptione Italiæ pag. 30* Claverium *vel* Claverum *nominat, vernacule* Chiavari, *est oppidum Italiæ in ora Genuensi orientali situm, et non procul a mari dissitum. Dum itaque hic dicitur Beatus* ad terram Chiavari *venisse, biographus verosimiliter indicare voluit territorium istius oppidi.*

CA-

A

CAPUT IV.

Pia ipsius commoratio prope Assisium, dæmonis minæ et mirabilia quædam precibus ejus facta.

Beatus, frustra petito ingressu in Ordinem Minorum, Postmodum Pater ipse ad Florentiæ civitatem gressus direxit, ubi tamen per diem totam quærens, nullum invenit hospitium, nisi hospitale, ubi quietem ea nocte acciperet. Altera vero die inde discedens, Perugiam *a* venit, et ibi reverendissimum dominum Fratrem Angelum de Perugia sacræ Theologiæ Professorem et totius Ordinis Seraphici sancti Francisci Ministrum *b* invenit, quem visitavit. At ipse dominus Minister eumdem Patrem Amadæum audire noluit, imo videns ita vestibus abjectissimum eum expulit. Quæ audiens ipse Pater Amadæus, suum versus Assisium statim iter direxit, et ad Conventum divi Francisci ivit, quem in Conventu accipere Fratres Conventus ipsius recusaverunt.

B

prope Assisium pie vivit, 33 Verum Pater ipse omnia pro Christi amore tolerans, prope ecclesiam sancti Francisci Conventus ipsius Assisii in remotis tamen partibus mansionem patienter fecit per tres fere annos continuos maxima cum egestate, et tolerantia, prout inferius dicetur, in eoque etiam loco multas alias tribulationes, egestates, persecutiones tentationes, et anxietates passus fuit, ut ipse Pater aliquando asserebat. Et eo tempore, quo idem Pater, ut alias asseruit ut supra, apud ipsum Conventum Assisii mansit, et quia totus pauper et a principio incognitus erat, non habebat tunicam, neque cappam in habitu Religionis prædictæ, sed laceratis vestibus indutus erat, et propterea non habebatur pro Fratre ipsius Religionis, quia ita abjectus erat, imo se abjectissimum et vilissimum exhibebat, in ipsoque Conventu die noctuque orationi, et contemplationi vacabat, et ex eleemosynis, quæ sibi interdum erogabantur, alimentum assumebat.

C

spretaque dæmonis comminatione, 34 Et cum certa die in dicta ecclesia superiori sancti Francisci, orationibus et contemplationi vacaret, solusque in ecclesia ipsa circa horam Tertiarum ante altare majus ecclesiæ ipsius superioris existeret, ecce quidam in forma hominis gigantis magni et grossissimi ante ipsum sese obtulit, qui maximo cum impetu, et animo feroci, verbis atrocibus, ac minis ipsum Patrem Amadæum increpabat, procurabatque eum ad desperationem salutis suæ provocare, dicendo, quia ipse Pater abstinere deberet a tot orationibus et devotionibus, et ab ejus tanta vigiliarum et abstinentiarum observantia et ab ejus tanta vitæ austeritate, quia in omnem modum damnatus erat Pater ipse ad damnationem perpetuam; ex quibus et multis aliis atrocibus verbis et persecutionibus, et ejusdem feroci aspectu ipse Pater multum perterritus totus inveniebatur; confisus tamen in Domino, manus suas Pater ipse ad altare fixit dicens maxima cum fiducia : Si totus mundus subverteretur, ego verus servus Dei esse volo, donec vivam, et tunc statim gloriosæ Virgini Mariæ se commendavit. Quibus dictis gigas ille maximo cum impetu et turbatione retrocessit, et statim extra ipsam ecclesiam exivit, nec exinde comparuit. Ipse vero Pater Amadæus aliquantulum a tali terrore relevatus, ex recessu ipsius gigantis lætus remansit Deumque glorificavit credid‍itque, eam fuisse diabolicam tentationem, et quod ille fuisset dæmon, qui ad eum tentandum venerat in forma gigantis. *Ex us.*

ægrotanti sacristæ sanitatem precibus suis obtinet: 35 Demum cum multum in ipsa ecclesia moraretur ipse Pater, et propterea aliquantulum sacristæ ipsius ecclesiæ familiaris effectus esset, aliquando ad servitia ecclesiæ ipsius ab eo requirebatur, quibus Pater ipse aliquando libentissime se exhibebat, et eis in multis et ipsi ecclesiæ serviebat. Et cum ipse Pater Amadæus multum orationi et contemplationi in dicta ecclesia deditus esset, multumque se servitiis sacristarum exiberet Conventus ipsius; aliquando ab eisdem cibos in eleemosynam suscipiebat : tandem una die, dum alter ipsorum sacristarum morbo pestifero detineretur in modum, quod ejus vita esset multum periculosa, ipse Pater stimulatus et persuasus fuit ab ipso infirmo, ut Deum exoraret pro ejus sanitate, cui ipse Pater complacendo per multos dies in suis orationibus Deum exoravit pro ejus infirmi liberatione, qui tandem intra paucos dies ab ipsa infirmitate sanus et liberatus remansit; qui postea, attenta liberatione habita per ipsum et sacristam ab ipsa pestifica infirmitate, quam obtinuisse credebat mediantibus orationibus et intercessione Patris ipsius Amadæi, quem tamen tunc laicum esse credebat, vestem eidem Patri et habitum Religionis sancti Francisci donavit, illumque etiam multis aliis personis commendabat, ita quod a pluribus etiam laicis in tanta veneratione habebatur ipse Pater, quod pro eorum infirmitatibus et adversitatibus ad præfatum Patrem aliquando recursum habebant, ut in orationibus suis pro eis, seu pro eorum liberatione Deum exoraret, inter quæ multa mirabilia memoratu digna de eo et ejus orationibus, meritis, et intercessione ab altissimo Creatore collata esse dicuntur. E

sterili matronæ filium impetrat. 36 Illa Romæ et alibi in Italia et præcipue in regionibus Romæ, et Assisii propinquis notoria esse dicuntur. Et de quibus inter alia quædam, a quodam Fratre Georgio, ejusdem Patri Amadæi socio, relata fuerunt; qui dixit de quadam magnifica domina Catharina uxore magnifici domini Cæsaris ex Condonis *c* civitatis Lucanæ, sorore Sanctissimi domini Nicolai tunc Papæ quarti *d*, quæ dum multis annis nupta filiis careret, recursum habuit ad eumdem Patrem, tunc in dicto Conventu Assisii commorantem, ut ad Deum pro prole habenda preces funderet, et tandem per eumdem Patrem precibus ad Deum porrectis, Deo sic concedente, post statutos et limitatos menses filium peperit, quem per annos nutrivit seu nutriri fecit; sed cum de gratia hujusmodi a Deo sic obtenta, ipsa domina Catharina irrideret, ab eodem Patre Amadæo monita fuit, ut nisi a tali irrisione et infidelitate desisteret, ipsum filium infra certum tempus ab eo statutum et præfixum perderet, et sic in termino statuto, ipsa domina in ea irrisione et infidelitate perseverante, eumdem filium suum mortuum vidit. F

et aliam nobilem mulierem a periculo submersionis 37 Fama quoque etiam dicitur esse de quadam alia magnifica domina alia uxore et relicta a quodam magnifico domino civitatis Fulginei tunc vidua, quæ cum vocata esset Romæ comparere coram tunc Sanctissimo Papa, et ipsa ire dubitaret, consulta *e* ab eodem Patre Amadæo fuit, ut iret; qui tamen prænuntiavit maximum periculum in itinere sibi evenire *, sed quod speraret in Altissimo Deo et, si in ejusdem gratia confideret, evasuram affirmans et bonam superinde fortunam ab eodem

* *forte imminere*

Ex MS.

Sanctissimo Papa consecuturam, pro qua idem Pater frater Amadæus se Deum instanter obtulit et Virginem Mariam velle exorare, quæ domina dum honorabiliter progrederetur versus Romam super equo et famulis comitata, dum super quodam ponte supra Tyberim transitum fecit, equus super quo ipsa equitabat præcipitanter in flumen una cum ipsa domina cecidit.

virumque ab herniâ liberat.

38 Tandem Deo et beata Virgine auxiliantibus meritis et intercessionibus orationum, ut creditur, ipsius Patris Amadæi ipsa domina, quæ totaliter submersa cum equo ab omnibus plangebatur, equo tamen submerso, illæsa super ejusdem fluminis ripa reperta fuit, exclamans, se Dei et Virginis Mariæ gratia, et meritis orationum domini P. Amadæi de Hispania fore illæsam; quæ quidem omnia per eam et famulos ejusdem notificata esse dicuntur prælibato Domino tunc Papæ et aliis Romæ et alibi; quæ domina postea bonam expeditionem et magnalia munera ab eodem Sanctissimo domino Papa consecuta fuit, prout ab eodem Patre fratre Amadæo sibi prænuntiatum fuerat. Dicitur quoque
B etiam famam esse de quodam nobili Castellano, qui cum valde crepatus esset juxta genitalia, habuit recursum ad eumdem P. Amadæum ut pro ejus liberatione Deum exoraret, et tandem, per eum Patrem perfecta oratione, ab ipsa crepatura liberatus remansit.

ANNOTATA.

a *Hæc urbs Italiæ vocatur Latine* Perusium, *Italice vero* Peruggia, *a quo vernaculo nomine biographus hoc loco eam Latine inflexit. Sed ad famosas hujusmodi urbes, sive Latine sive Italice expressas, in posterum nihil annotabo.*

b *Oportet, hoc contigisse inter annum Christi 1450 et 1454: nam Angelus Perusinus anno 1450 primum Generalis Ordinis Minister electus est, et mense Augusto anni 1453 e vivis excessit, ut Waddingus in Annalibus Minorum ad hos annos testatur.*

c *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1464 num. 35 hunc virum cognominat* de Comitibus *pro* ex Condoniis. *Utra lectio*
C *præferenda sit, parum interest, nec vacat inquirere.*

d *Voluit biographus, ut opinor, indicare Nicolaum Quintum, qui hoc tempore Ecclesiam gubernavit. Nescio, utrum amanuensis, an ipse auctor in illo numero erraverit, cum Cimarellus, Italus Actorum interpres, etiam Nicolaum IV Pontificem assignaverit. Sed cujuscunque sit error, Benignus Fremaut in Flandrica Beati Vita, et Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1464 num. 35 recte eum emendarunt, et pro Nicolao Quarto Pontifice Nicolaum V substituerunt.*

e *Auctor hic utitur verbo* consulere *contra regulas syntaxeos, ita ut hoc loco sensus sit:* consilium ei ab eodem Patre Amadeo datum fuit, ut iret.

D

CAPUT V.

Admissio ad Ordinem Minorum, variæ in e persecutiones, migratio ad Conventum Mediolanensem, et publica sanctitatis miraculorumque ejus fama.

Beatus, emissa professione in Ordine Minorum,

Eo autem medio tempore, quo ipse Pater Amadæus in dicto Conventu Assisii commorabatur, præfatus dominus frater Angelus de Perusio, qui Generalis Minister erat ipsius Ordinis sancti Francisci, decessit, et demum reverendus dominus frater Jacobus de Mozanica, sacræ Theologiæ Professor, in Generalem Ministrum totius ejusdem Ordinis sancti Francisci electus fuit *a*. Qui cum postea venisset Assisium pro Conventum ipsum visitando, ubi per aliquos dies moram traxit, eumdem Fratrem Amadæum ad professionem ipsius Religionis S. Francisci clementer E
et devotissime suscepit. Et adhuc eo Patre Amadæo commorante in dicto Conventu Assisii, ubi fere per tres annos vel circa in totum, computato tempore novitiatus, religiosissime et observantissime vixit, ut prædictum est; et eo valde instante orationibus et contemplationi, multæ personæ etiam ex laicis ad eum recurrebant ut pro adversitatibus suis ad Deum funderet preces in suis orationibus; ipse vero gratis et libentissime similibus se exhibebat, orabatque et gratias aliquando pro eis obtinebat, ex quo aliquibus sacristis ecclesiæ prædictæ tædio erat ex eo, quod similibus pro nihilo et gratis se exhibebat.

incurrit invidiam aliquorum Fratrum,

40 Sed cum aliquando ipse Pater socios Fratresque ipsius Conventus pro suis negligentiis et defectibus gratioso increparet, tandem in tantam derisionem, contumeliam et odium devenit aliquibus ex Fratribus et præcipue sacristis ecclesiæ ipsius et maxime prænominato sacristæ, qui intercessionibus Patris ejusdem ab infirmitate phthisica F
liberatus fuerat, quod superveniente morte Sanctissimi domini Nicolai Papæ Quarti *b* taliter ipse b
Pater Amadæus ab eisdem Fratribus impediebatur, ut non posset orationibus, et contemplationi, nec etiam aliis suis devotionibus, ut solebat, vacare. Unde cum ex eis impedimentis, et aliis perturbationibus multum vexaretur ab eisdem Fratribus, ipse tamen Pater Amadæus patientissime ea omnia pro Christi amore tolerabat, Deoque gratias quotidie agebat, quia in tribulationis et persecutionibus, virtute et gratia Dei corroborabatur, et participem passionum Christi, et electorum suorum se recognoscebat. Et ut magis ipsi Fratres eumdem Patrem Amadæum conturbarent et impedirent, prohibuerunt modo quodam indirecto, ne eidem Patri Sacramentum eucharistiæ concederetur, prout concedi solebat, quia singulis diebus Dominicis eucharistiæ Sacramentum sumere consueverat; eique taliter insidiabantur, quod vix in eodem Conventu vivere poterat.

qui innocentem persequebantur.

41 Ipse tamen se innocentem sentiens eorum, quæ sibi imputabantur, in Domino confidens, patiens et magis fortis erat, omniaque pro Christi amore patienter tolerabat, se gratiarum, quæ sibi ab Altissimo Deo concedebantur, indignum reputans. Et cum quadam die vocatus esset in re-

fectorio

A fectorio a Superiore suo, ut eis, quæ sibi ab ejusdem Conventus Fratribus in adversum objiciebantur, responderet, quia aliqui multas injurias et increpationes sibi inferebant; aliqui vero de eum incarcerare volendo minabantur; alii vero eum volendo a Conventu expellere minabantur; alii vero eum graviter verberare volendo minabantur, et omnia patienter tolerabat, et os suum ad contradictionem non aperiebat; sed cum illum hæreticum esse imputarent et extra fidem, ipse vero diceret se, non esse hæreticum, sed fidelem Christianum, et in Dominum nostrum Jesum Christum fidem tenere suam, et ita eum Patrem similibus et aliis atrocibus injuriis, et minis afficerent, quorum Fratrum persuasionibus Superiores ipsius Conventus prohibuerunt ei, ne aliquos laicos alloqueretur; qui cum obedientiæ deditus esset, Pater ipse Amadæus per multos et multos dies laicos alloqui abstinuit, referens hanc prohibitionem sibi gratissimam fore, ut magis orationibus et contemplationi vacare posset.

eique insidias struebant; B 42 Quo medio tempore aliqui ex ipsis Fratribus dicti Conventus, non tamen ex Superioribus, imo ipsis Superioribus insciis, decreverunt de volendo eum Patrem Amadæum per aliquem modum Romam mittere, ut jussu Sanctissimi Domini Calisti *c* tum Papæ versus regiones Hispanas remitteretur, ut sic eum disperderent, vel ab eo Conventu segregarent, et ordinatis quibusdam litteris missivis per aliquos ex Fratribus dicti Conventus Assisii, non tamen a Superioribus, imo eis insciis, quæ dirigebantur aliquibus aliis Fratribus Religionis ejusdem tunc in Curia Romana commorantibus ab eorumdem Fratrum amicis, per quas litteras ab eis requirebatur, ut mediante jussu ejusdem Sanctissimi Papæ Calisti ipse Pater Amadæus ad partes Hispanas vel alio transmitteretur, ut tandem disperderetur; quæ tamen omnia Pater idem ignorabat.

sed de insidiis ab angelo monitus, 43 Tandem statuto die, et datis eidem Patri duobus sociis, quibus datæ fuerunt ipsæ litteræ, commissum fuit ipsi Patri Amadæo, ut cum eisdem sociis Romam iret; et suscepta licentia, iter suum direxit cum eisdem sociis versus Romam. Et cum ad quoddam hospitale in itinere hospitium in C sero suscepissent, ipse Pater in nocte sequenti, dum loco dormitionis ad orationem se in cella exposuisset, quadam visione per Angelum, ut creditur, in forma unius juvenis monitus fuit, ut Romam non iret, quia litteræ sociis datæ male de eo referebant: cui ipse Pater respondit, quomodo cum bona conscientia obedientiæ Superiorum suorum rebellare posset; ad quæ ipse juvenis respondens, dixit ipsum non debere de hoc curare, quia a veris Superioribus suis litteræ ipsæ non fuerunt destinatæ, et quod omnino Romam non iret, sed potius ad Ministrum Provincialem suum, tunc Perusii commorantem pergeret, pro habenda licentia se ad R. P. Ministrum Generalem Ordinis totius transferendi, qui tunc ad Capitulum Provinciale celebrandum in civitate Brixiæ residebat. Demum ipse juvenis evanuit.

persecutoribus in odio suo perseverantibus. 44 Mane autem facto, cum ipse Pater Amadæus a sociis in itinere versus Romam procedere vocaretur, respondit, se non iturum, nisi prius sibi exhiberent litteras Romæ directivas, nuntians eisdem, quæ in litteris ipsis scripta erant, et quæ de eo ordinata fuerant per eosdem, et eas litteras non fuisse scriptas de mente Superiorum suorum; quibus auditis, ipsi Patres socii admirantes, eo tamen a sua mala opinione non declinantes, sed disponentes omnino ipsum Patrem Romam gressurum, iter arripere instabant; et cum ipse Pater ire renueret, ipsum magis increpabant, inter quos erat ille sacristanus, qui mediantibus orationibus ejusdem Patris in Conventu Assisii ab infirmitate phthisica liberatus fuerat. Tandem volentes ipsi Fratres, ut Pater ipse Amadæus omnino Romam iret, litteras ipsas eidem Patri exhibuerunt, quas ipse Pater aperuit et invenit, prout sibi in nocte prænuntiatum fuerat, et retinuit, eumque sacristanum superius liberatum de ejus malitia, dolo, et malignitate atque de ejus bonorum operum et beneficiorum ab eo susceptorum ingratitudine increpabat, pro quorum quidem punitione ipse Pater indicavit, eum non evasurum mortem post annum exinde secuturum, quæ postea, prout intellexit, veraciter eidem sacristano evenit. *Ex MS.*

adiit Generalem Ordinis Ministrum, a quo Mediolanum missus, 45 His peractis, ipse Pater, relictis dictis sociis, versus Perusium ad Ministrum Provincialem iter accepit, a quo licentiam petiit et obtinuit, se ad Brixiæ civitatem transferendi, ubi per præfatum R. P. Jacobum de Mozanica, Generalem Ministrum, Capitulum Provinciale celebrabatur, ad quod Capitulum ipse Pater interfuit. Demum jussu ejusdem reverendissimi Patris domini Magistri Jacobi de Mozanica Mediolanum venit in Conventu videlicet Fratrum Sancti Francisci portæ Vercelinæ *d* Mediolani, ubi per aliquos menses aliquando ad obsequia sacristiæ ejusdem Conventus conversatus fuit. Sed cum multum orationibus contemplationique deditus esset videretque, quod propter occupationes, quæ ei ad obsequia dictæ sacristiæ implicito accidebant, orationibus, et contemplationibus vacare non poterat, licentiam a tunc domino Ministro Conventus ipsius petiit, ut ab ejusmodi occupationibus eximeretur, quam ab eodem domino Ministro obtinuit, et assignata sibi quadam camera seu cella in Conventu ipso in veteri infirmaria Conventus ejusdem Mediolani, ut magis a conversatione aliorum Fratrum longius stare posset, assignatoque sibi uno ex Fratribus dicti Conventus, nomine Fr. Georgius de Valchamonicha *e* ad eidem Patri serviendum, ibidem per multos menses in magna religionis observantia permansit. E

contemplationi vacabat, F 46 Quo quidem tempore, secundum quod ab eodem Fratre Georgio pluries relatum fuit, ipse Pater Amadæus in eodem Conventu Mediolani Sancti Francisci singulis diebus orationibus et contemplationi valde se dabat, et in tantum aliquando contemplationi et orationibus sic occupabatur, quod pluries per quatuordecim horas continuas et aliquando plus in tali meditatione et contemplatione sine aliquo intervallo stare visus fuit, ibique etiam multas abstinentias, et vigilias sustinebat, et raro aut nunquam vino in cibariis suis utebatur. Sed cum idem Pater aliquando valde admiraretur recogitans vias suas, et videns, se Mediolanum et Lombardiam sic advenisse, uno sero eundo per claustrum superius in infirmaria ejusdem Conventus Sancti Francisci Mediolani videns quasdam plantas seu arbores prunarum in horto ipsius Conventus multum telis araneorum suffocatas, super quibus erant vermes, frondes arborum ipsarum devorantes, coram Fratre ipso Georgio, tum socio suo, dixit: Si voluntatis divinæ fuerit et est, quod venerim in hunc Conventum, et in Lombardia remaneam, hoc signum altissimus Deus mihi demonstret, videlicet, ipsos vermes, et telas araneas cito ab eis arboribus depellat; et tandem mane sequenti, Deo sic providente, arbores ipsæ ab ipsis vermibus et araneis mundatæ repertæ fuerunt,

Ex MS.

runt, nec ab inde ipso anno a similibus vexatæ fuerunt, ut retulit idem Frater Georgius; quæ quidem, ut creditur, acta fuerunt anno currente MCOLVI.

et corpus suum jejuniis affligebat,

47 Et eis temporibus quibus ipse Pater commorabatur in eodem Conventu Sancti Francisci Mediolani, prout asseruit idem Frater Georgius, communiter tribus diebus in qualibet hebdomada jejunabat, et eis diebus, quibus jejunabat, solum pane et aqua utebatur, et multoties eis diebus jejuniorum a totali cibo abstinebat; sed continue in diebus Veneris et sabathinis pane et aqua tantum utebatur: in aliis vero diebus utebatur aliquando illis cibis, qui sibi ministrabantur, et communiter non comedebat, nisi semel in die sive jejunaret, sive non; nec unquam comedebat, nisi prius complevisset orationes et meditationes suas, in quibus per septem usque in octo horas continuas communiter occupabatur; et aliquando visus est stare occupatus contemplationi usque ad decem octo horas: eloquia vero sua erant rara et, cum loqueretur, verba sua ipsa pro majori parte circa divina et sanctorum virorum exempla proferebantur; nec unquam nisi utilia et B exemplorum digna loquebatur. Multumque solitarius in cella sua et in oratorio stabat, et sæpenumero viri nobiles notitiam habentes de ejus religiosissima vita, ad eum reccurrebant, ut in orationibus ejusdem Patris pro suis necessitatibus aut adversitatibus gratiam ab altissimo Deo obtinerent, licet ipse Pater a personis secularibus, quantum posset, se abstineret.

ubi nobili cuidam mulieri,

48 Inter quos nobiles, ut relatum fuit, dicitur de quadam domina Catharina, cognata domini magistri Dionysii de Nursia, olim Mediolani physici, quæ, dum gravi morbo et febre ecthicali per multum tempus detenta esset et delineretur, ita quod ab ipso magistro Dionysio cognato suo in civitate Mediolani insanabilis relicta esset, et ita etiam pro ejus vita apud medicos nulla spes esset, et notitiam habuisset a quodam F. Aloysio de Lencho ejusdem Conventus de ejusmodi Patris Amadæi religiosissima et devotissima vita, ad eumdem Patrem Amadæum recursum habuit, ut pro ea, et ejus liberatione Deum exoraret. Tandem per eumdem Patrem Amadæum, peractis pro ea precibus, infra tres dies sine aliis C medicaminibus ab ejusmodi infirmitate gratia altissimi Dei liberam se invenit, de cujus gratia seu convalescentia idem Magister Dionysius physicus valde admiratus fuit, judicavitque, ipsam dominam Catharinam fuisse gratia et miraculo Dei, et non virtute medicaminum, nec alia humana gratia liberatam.

Fratrique Ordinis Franciscani, mirabiliter sanitatem impetrat, f

49 Dicitur etiam de quodam Fratre Stephano de Cararrazio *f* ejusdem Ordinis et Conventus, qui cum jam diu gravi morbo febris et debilitatis juncturarum depressus esset, ita quod crura sua et tibiæ et pedes ferme mortui esse viderentur, nec ejus vitæ spes aliqua esset, et Pater ipse Amadæus multa persuasione a Fratribus ipsius conventus inductus fuisset pro eo Fratre Stephano Deum exorare; tandem perfecta oratione, per eumdem Fratrem Amadæum ipse Frater Stephanus infra modicum tempus et cito liberatus remansit, qui postea etiam per annos duos vel circa sanus vixit.

50 Et cum prædicta notificata fuissent domino Ministro et Fratribus ipsius Conventus per ipsum Fratrem Aloysium de Lencho et Magistrum Dionysium de Nursia, quibus aliquando hæc talia referebantur, ipsique Magister Dionysius et alii, qui notitiam habuerunt de liberatione supradictæ dominæ Catharinæ tanquam multam familiaritatem habentes cum illustrissimis Principibus D D. Francisco Sfortia et D. Blancha Maria ejusdem consorte Vicecomitibus, tum Mediolani Ducibus etc.; et cum eorum familia, eamdem gratiam præfatis illustrissimis Principibus retulerunt, et habita per eosdem diligenti informatione de prædictis et de ejusdem Patris Amadæi religiosissima vita et regulæ suæ observantia, tum ab ipso domino Ministro et tum ab aliis ex Fratribus ipsius Conventus, qui de ejusmodi liberatione supradictæ dominæ Catharinæ et supradicti Fratris Stephani de Cararrazio ac de ejusdem Patris religiosissima vita informati erant, eumdem Patrem Amadæum postea in maxima reverentia habuerunt, decreveruntque ipsi illustrissimi Principes, ac imposuerunt domino Joanni Giapano, tunc Ducali expenditori et secretario, ut cibaria pro ejusdem Patris et sociorum suorum necessitate convenientia ex Ducali dispensa quotidie transmitteret: et quandoque pro suis adversitatibus, tunc eisdem Principibus occurrentibus, ad eumdem Patrem Amadæum recurrebant, ut pro eis Deum exoraret. E

ita ut Dux Mediolanensis aliisque Deo tum ideo impense venerarentur.

51 Ipse vero Pater Amadæus de aliqua ejus laude aut fama non curabat; sed quantum poterat similem gloriam, famam, et honorem fugiebat, vilemque se exhibebat et reputabat, fugiebatque etiam quantum poterat laicorum familiaritatem, et etiam pro posse suo a Fratribus Conventus ipsius se abscondebat, ne eum venerarentur, nec curabat, quod aliquis præter socium suum ipsum alloqueretur. Latitabat quoque multotiens in ecclesiæ angulis, aliquando in Sancti Spiritus capella, quæ est in infirmaria ipsius Conventus, et aliquando alibi in eodem monasterio se occultabat, ne eum invenirent, ubi in oratione et contemplatione aliquando raptus, ut mortuus inventus fuit. Aliquando etiam ab eisdem illustrissimis Principibus vocatus fuit, ut ejus puritatem et bonam et virtuosam conversationem aliquo modo experirentur. Tandem, Deo sic annuente, in tantum crevit ejusdem Patris religiosissimæ austeritatis et sinceritatis vitæ suæ fama apud Principes ipsos, ut quodammodo ab eorum quotidianis intercessionibus valde vexaretur, et in modum, quod aliquando, imo multotiens eorum causa, orationis et contemplationis gratiam dimittere et prætermittere coactus erat, quod tamen illi molestum erat, cum F non posset orationibus et contemplationi, ut solebat, vacare.

ejusque preces sæpe exposcerent.

ANNOTATA.

a *Cum Angelus Perusinus obiisset anno Christi 1453, ut supra notavimus, mox Jacobus de Mozanica electus est vicarius, ac deinde anno 1454 Generalis Ordinis Minister, tandemque anno 1457 ex hac vita discessit, ut apud Waddingum videre est.*

b *Hic recurrit idem error, quo Nicolaus Quartus Pontifex pro Nicolao Quinto ponitur, quem supra correximus.*

c *Is est Callistus III Pontifex, qui ab anno Christi 1455 usque ad mensem Augustum anni 1458 Ecclesiam gubernavit.*

d *Porta Vercellina ex opposito portæ Tonsæ vel Tusæ ad alteram urbis Mediolanensis partem sita est, ut ex supradicta Gotofredi ichnographia colligimus.*

e *Hic nomen ejusdem Fratris alio modo scribitur; sed jam supra monuimus, quomodo ab aliis auctoribus passim exprimatur.*

f *Cima-*

A *f Cimarellus hunc fratrem cognominat de Caravaggio. Nos Mss. nostrum secuti sumus.*

CAPUT VI.

Migratio ipsius ex Mediolanensi Minorum Conventu ad alios ejusdem Ordinis Conventus, in quibus varia patrat miracula.

Beatus propter crebras interpellationes

Cognoscens idem pater postea, quod in eodem monasterio [propter] similes occupationes suam non posset perficere voluntatem, disposuit licentiam petere ab eodem domino Ministro Conventus ipsius Mediolani, ut ad alium locum (sub regula tamen et obedientia ejusdem domini Ministri) magis civitati longinquum se transferre posset cum ejus socio, ubi magis quietem haberet et regulæ ejusdem Ordinis observantiam exercere posset : quam licentiam tandem pluries petitam ab eodem domino tunc Ministro, et etiam a toto generali capitulo in eodem Conventu Sancti Francisci Mediolani per præfatum D. Ministrum Jacobum de Mozanica tunc Ministrum totius Ordinis Generalem in festo Pentecostes anno curso MCDLVII celebrato obtinuit. Cujus licentiæ gratia et virtute ipse Pater Amadæus se cum ejus socio transtulit ad quemdam Conventum situm in Burgo de Merliano diœcesis Mediolanensis, ubi antea tantummodo unus ex Fratribus ejusdem Ordinis sancti Francisci commorabatur, et ibi per aliquod breve tempus religiosissime vixit et Conventum ipsum aliqualiter reformavit.

Mediolano migrat ad locum magis solitarium.

53 Sed quia etiam ibi a multis nobilibus nimis frequentissime visitabatur, ipsum Conventum de Merliano cum licentia tamen et voluntate venerabilis domini F. Gabrielis de Litia tunc Ministri Conventus et provinciæ Mediolani, et cum participatione et consensu præfati illustrissimi Principis Ducis Mediolani dimisit cuidam alteri Fratri ejusdem Ordinis, et ad Conventum sancti Francisci prope locum de Oppreno Mediolanensis diœcesis perrexit, ubi et in quo Conventu cito apud dictum locum de Oppreno erat et est quædam ecclesia, quæ, ut dicitur, fuit prima ecclesia ædificata in Lombardia in honorem sancti Francisci, et in qua ecclesia alia fuit quoddam monasterium ejusdem Ordinis sancti Francisci, et ad quam ecclesiam tunc commorabatur unus tantum ex Fratribus ejusdem Ordinis S. Francisci, qui eumdem Patrem Amadæum cum licentia prædicti tunc Ministri in locum suum dimisit, et ad dictum Conventum de Merliano ad habitandum ivit. In eaque ecclesia sancti Francisci sita apud dictum locum de Oppreno per multos menses, imo per aliquos annos, ipse Pater Amadæus pro majori parte mansionem fecit, et Conventum ipsum aliquibus ex bonis Fratribus et humilioribus ejusdem Ordinis sub regulari observantia, et sub ejus custodia, sub obedientia tamen ejusdem domini Ministri Provincialis Mediolanensis communivit; ubi etiam ipse Pater Amadæus una cum fratribus prædictis religiosissime et cum maxima regulæ suæ observantia ac abstinentia vixit, et devotissimis exhortationibus ibidem ac piis operationibus etiam in secalares valde se exercebat, multumque orationi et contemplationi semper deditus fuit, multosque nobiles et ignobiles ibi vicinos devotissimis et ecclesiasticis exhortationibus, atque Sanctorum exemplis instruebat. *Ex MS.*

ubi varia caritatis opera exercet.

54 Infirmos pro salvandis eorum animabus visitabat eosque ad salutem et ad ecclesiasticorum sacramentorum et documentorum susceptionem invitabat, dirigebat et provocabat; et licet non multum litteratus esset, tamen quodam angelico intellectu et non humano, sed potius divini Spiritus spiraculo multos ex eis ad pœnitentiam et morum disciplinam, ac peccatorum suorum dimissionem totis virtibus sine ulla arrogantia et elatione, imo quadam humillima et devota sinceritate, motus caritate, excitabat : frigora, et æstiva, pluviosa et nivosa ac etiam ventosa tempora et gravia itinera sive montuosa sive alia quævis onerosa, quasi nihil æstimabat, dummodo aliquos vel aliquem ad salutem animæ perducere posset.

et sacerdotali dignitate ornatur.

55 Quibus quidem temporibus dum etiam in eodem Conventu apud dictum locum de Oppreno moraretur ipse Pater Amadæus, ordines minores et sacros usque ad sacerdotalem dignitatem inclusive per intervalla tamen temporis devotissime suscepit, suamque primam Missam celebravit in eadem ecclesia, in festo videlicet Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis anni cursi MCDLIX. Discurrebat aliquando ipse Pater per multas regiones præfato illustrissimo Principi Mediolani subjectas, et aliquando in aliis regionibus secundum quod aliquando sua devotione vel devota inspiratione ad aliquod bonum opus faciendum movebatur, et aliquando persuasione vel impositione præfatæ illustrissimæ Dominæ Ducissæ Mediolani, quæ ipsum Patrem pluries pro aliquibus negotiis suis aliquando ad summum Pontificem, et aliquando ad alios pro negotiis importantissimis, et ad salutem animæ spectantibus secrete eum misit. Multaque in eis temporibus judicio meo memoratu digna, ut relatum fuit, acta fuere, mediantibus orationibus et intercessionibus ejusdem Patris Amadæi in eisdem regionibus Lombardiæ et locis ibi propinquis, quæ diversimode a Deo collata esse dicuntur, de quibus aliqua inferius recitabuntur.

Ibidem habitans sterili feminæ prolem impetrat a

56 Retulit quidam dominus Hubertus de Merliano, Potestas *a* loci de Merliano diœcesis Mediolanensis quod cum ipse dominus Hubertus vixisset per annos sex vel circa cum domina Catharina de Landriano, ejus uxore, et nunquam habuisset prolem, præfatusque Pater Amadæus tunc casu habitaret in dicto loco de Merliano, et ipsa domina Catharina desideraret habere prolem, recursum habuit ad præfatum Patrem, ut ad Deum, et Virginem Mariam preces porrigeret pro habenda prole; qui Pater Amadæus ob beneficia, quæ aliquando habebat ab ipso domino Huberto, obtulit se pro ea exorare, ut desiderium suum in hoc adimpleret, et una die venit ipse Pater Amadæus ad domum ipsius domini Huberti, et vocavit eos, dominum Hubertum scilicet, et conjugem suam, et deinde dixit ipsis jugalibus : Gloriosissima Virgo Maria obtinuit gratiam, quod habebitis prolem, et jam ipsa domina Catharina est gravida de una puella, quam vocabitis Annam, in honorem beatæ Annæ matris virginis Mariæ; et licet ipsa domina Catharina tunc non cognosceret, se esse gravidam, tamen in statuto termino peperit filiam, quam postea vocavit Annam.

mercatoris morbum et mulieris apostema b

57 Dicitur etiam de quodam nobili cive Cumarum *b*, mercatore lanarum, qui cum valde gravi infirmitate detineretur, tandem visitatus una die ab eodem Patre Amadæo, statim Deo dante susce-

Ex ms.

suscepit sanitatem, mediantibus orationibus et intercessionibus seu meritis ejusdem P. Amadæi.

Quidam Dominus Palamides de Carpanis habitator plebis Incini, dixit, et ejus juramento referendo affirmavit in effectu, quod jam actis pluribus annis, dum domina Constantia uxor sua in ejus collo haberet quoddam apostema, quod a vulgo natta *c* appellabatur, a medicis vero aliquando appellabatur topinaria *d*, essetque magna et nigra ipsa natta, qua multum ipsa domina afficiebatur: et dum a medicis dubitaretur, ne in incisione ejusdem aut punctura domina ipsa aliquo spasmo *e* moreretur, et ipsa domina dubitabat, quod se exponendo tali periculo, ne incideret in aliquo peccato mortali, cum res ipsa esset multum periculosa in curatione ipsius apostematis; et narrato facto una die præfato domino Fratri Amadæo, ab eo consulta fuit, ut procederet ad curationem ejusdem, dicens, ut deberet bonam spem habere in Dominum nostrum Jesum Christum, et ipse oraret pro ea, et quod sub spe orationum suarum non timeret, quia non incideret in aliquod periculum mortis nec spasmi.

B *precibus suis mirabiliter sanat.*

58 Ipsa quoque domina quæ devotissima erat, et maximam in eumdem Patrem habeat confidentiam, quem jam multis vicibus in hospitiis susceperat, cognoscensque ipsum fore Dei et Virginis Mariæ devotissimum, et religiosissimæ et austeræ vitæ, purum, simplicem, et humanum, ac Dei servulum, attendens verba ipsius Patris, audacter se exposuit in manibus medicorum, qui medici cum per certos dies medicinas maturativas exposuissent, et demum ad incisionem seu puncturam ipsius nattæ devenissent, ipsamque putredinem seu saniem in collo una die jam extirpassent seu expurgassent, ita quod in collo nervi seu cordæ colli apparebant, essetque adeo ipsa domina sic afflicta tali ardore et dolore, quod valde de ejus morte dubitaretur, in sero ipsius diei coram imagine Virginis Mariæ se genibus flexis exponens ipsa domina oravit ad camdem gloriosissimam Virginem Mariam et ejus Filium, ut ejus misericordia et meritis ipsius F. Amadæi servuli sui eam a tali afflictione cito curaret, cum sub fide orationis ejusdem Patris tali periculo se exposuerat. In mane autem sequenti ipsa domina reperit se cum carne C suborta collo, et curata, ita quod medici, qui eam curabant, judicaverunt, cam carnem subortam Dei miraculo et non medicinarum virtute, cum non ita cito curata fuisset cum medicinis, nisi gratia Dei supervenisset, et sic Deo dante, et meritis, ut firmiter creditur, orationum ejusdem Patris domini Fratris Amadæi remansit cito sanata et liberata a dicto apostemate, de quo supra.

vineam a grandine servat,

59 Idem dominus Palamides eodem modo dixit, quod dum eumdem P. Amadæum in ejus domini Palamidis domo in hospitium suscepisset cibo reficiendum (modo anni sedecim possunt esse vel plures præteriti) et transitum faceret per quamdam ejus domini Palamidis vineam seu petiam ronchi *, ubi multa quantitas uvarum erat, quæ prope maturationem erant, et conquereretur idem dominus Palamides cum eodem Patre Amadæo, quod sæpe et sæpius in ipsa vinea a grandinibus vexabatur, tandem ipse Pater acceptis aliquibus granis ipsarum uvarum et eis benedictis et gustatis, genibus flexis, et oculis ad cœlum elevatis oravit, et postea benedixit uvas in ea vinea tunc existentes, et vineam; et dixit ipsi domino Palamidi, ut teneret bonam fidem in Dominum nostrum Jesum Christum et beatam Virginem Mariam, et amplius non timeret grandines; et sic, Deo dante, D ab inde citra nunquam vexatus fuit a grandinibus in ipsa vinea, ut ipse dixit, et quod licet plures aliæ vineæ circumquaque existentes fuerint a grandinibus vexatæ, tamen ipsa vinea semper fuit præservata ab ipsis grandinibus.

* *id est* partem agri

duas feminas a vexatione dæmonis,

60 Dicitur quoque de quadam domina de stirpe Crinelorum, quæ cum valde a malignis spiritibus aliquando imo multotiens per aliqua intervalla temporum vexaretur, ita quod multas fatuitates et stultitias, quæ in hominem sanæ mentis non conveniebant, agebat, et ducta esset ad ipsum P. Amadæum ad dictam ecclesiam sancti Francisci sitam apud dictum locum de Oppreno, ipseque Pater multis persuasionibus a parentibus, et amicis mulieris ipsius inductus fuisset ad Deum exorandum pro ejus mulieris liberatione, ipse Pater caritate et compassione motus orationes pro ea porrexit, quæ mulier infra modicum tempus ab ipsis vexationibus ad Dei laudem, gloriam et honorem liberata permansit.

Dicitur etiam de quadam alia juvene Modoetiensi, quæ nupta fuerat, ut dicitur in loco de E Sexto, cujus nomen ignoratur, quæ a spiritibus malignis simili modo valde vexabatur: et cum præfato P. Amadæo præsentata fuisset ad dictam ecclesiam de Oppreno, et per eumdem Patrem pro ea muliere oratio perfecta esset, die sequenti liberata remansit.

puerum ab hernia, et alterum

61 Dicitur etiam de quodam filio spectabilis Domini Thadæi Bucerini tunc Marlezanæ capitanei, cujus nomen erat Antonius, qui cum parvulus esset, et in partibus genitalibus crepatus, ejus parentes ad eumdem P. Amadæum recursum habuerunt, ut pro eorum filio Deum exoraret, quibus per eumdem Patrem perfectis orationibus puer ipse ab ejusmodi crepatione liberatus fuit. Dicitur etiam de eodem filio ejusdem domini Thadæi, Capitanei tunc, ut supra, Burgi Vico-mercati, qui cum ipse puer jam studio legum deditus in civitate Papiæ commoraretur, essetque taliter infirmitate gravatus, quod quasi pro mortuo haberetur, et cum apud medicos de ejusdem infirmitate nulla spes vitæ esset, et fuissent hæc eidem domino Thadæo ejus genitori notificata, ad præfatum dominum Patrem Amadæum cucurrit, ipsum maxima cum instantia rogando, ut pro ejusdem filii sui liberatione Deum exorare vellet. F

ab alia gravi infirmitate liberat.

62 Quæ quidem audiens ipse Pater Amadæus versus ipsum dominum Thadæum dixit, se gratias ab omnipotenti Deo non mereri obtinere, illum increpans de ejus domini Thadæi mala conscientia, avaritia et blasphemiis, quæ per eum dominum Thadæum proferebantur, et quod non multum admirari deberet, si ab altissimo Creatore propter ejus demerita et scelera adversitates, castigationis seu correctionis causa patiebatur, pro quibus ipse Pater Amadæus preces pro eo porrigere recusare videbatur, dubitans ab Altissimo gratiam obtinere, nisi prius ipse Dominus Thadæus de se corrigendo promitteret, cum Deus peccatores non exaudiat; et cum ipse Dominus Thadæus verbis Patris ipsius Amadæi multum attenderet, doleretque admodum de ipsius Antonii filii sui morte, cum tunc alios filios masculos non haberet, promisit ipsi Patri Amadæo, ab ipsis sceleribus aliquantulum pro suo posse se retrahere, et abstinere, cujus rei gratia idem Pater Amadæus tunc orationem porrigere promisit; qua oratione Deo per eum porrecta, eidem domino Thadæo dixit: Vade, filius tuus vivet, et ego Deum pro eo exorabo. Quibus auditis, ipse dominus Thadæus

dæus

A dæus nuntium proprium misit ad ipsum Antonium ejus filium in dicta civitate Papiæ commorantem, qui nuntius cum Antonium invenit ab ipsa gravi infirmitate, qua detentus fuerat, liberatum. Et interrogans eum Antonium de die et hora liberationis suæ, cognovit eum Antonium liberatum fuisse tempore, quo per eumdem Patrem Amadæum porrecta fuit pro eo ad Deum oratio. De qua liberatione idem dominus Thadæus maximam habuit jocunditatem, pro qua gratia sic obtenta, multa munera et alias eleemosynas ipsi Conventui de Oppreno in dies offerebat, et ulterius pro signo gaudii ipsius vestem unam drapi *g* argentei sibi fieri fecit, et Deo gratias retulit.

ANNOTATA.

a Potestas *apud Italos accipitur pro supremo alicujus ditionis aut urbis rectore, uut sæpe alibi explicuimus.*

b Cumæ *fuit olim urbs inclyta Italiæ in Campania, cujus rudera adhuc inveniuntur. Sed propter viciniam loci, in quo beatus tunc habitabat, potius suspicor, biographum hic ea voce voluisse*
B *indicare urbem* Comum *vel* Novocomum, *vulgo dictam* Como, *quæ in Ducatu Mediolanensi sita est. Etiam Cimarellus in Actis Italicis hunc textum biographi Latini de civitate Novocomensi interpretatus est.*

c Natta, *quæ etiam in Vocabulario Academiæ Cruscanæ* giardia *appellatur, præter alia vernacule significat tumorem, qui plerumque equos affligit. Ex adjunctis hic abunde patet, quale fuerit hoc malum, etiamsi vocem Italicam* natta *proprie explicare non possimus.*

d *Frustra istud morbi nomen apud medicos Gorræum et Castellum quæsivi; sed in Dictionnario Italico inveni vocem* topinari, *quæ significat tumores, quibus interdum nervi equorum afficiuntur, et quos Galli vernacule* grappins *appellant. Quare suspicor, istud mulieris apostema ob quamdam similitudinem hic a Medicis Italis* topinariam *appellatam fuisse.*

e Spasmus *significat deliquum animi, aut contractionem nervorum, et interdum inflammationem cujusdam vulneris aut apostematis, de qua significatione Gorreus aliique medici consuli pos-*
C *sunt.*

f Runca *vel* runcalis *apud Cangium in Glossario significat agrum incultum, atque hinc conjicio, hoc loco per* petiam ronchi *indicari partem agri.*

g *Vox Italica* drappo *pannum significat, cum autem hic dicatur, fuisse vestis illa* drapi argentei, *pannum argento intextum intelligo.*

CAPUT VII.

Alia miracula, quæ precibus Beati contigerunt, dum in Conventu de Oppreno habitabat.

Beatus vinum e vase effusum

Dicitur etiam, quod, cum idem Pater Amadæus in dicto Conventu loci de Oppreno utplurimum commoraretur, essetque fama apud multos in regione ipsa de ejusdem Patris Amadæi religiosissima et sanctimoniali vita, præcipue apud quosdam nobiles dominum Antonium de la Ecclesia et Blanchinam de Aliprandis consortem ejus et habitatores terræ Modoetiæ, qui aliquando ad eum patrem, ut orationes pro adversitatibus suis porrigeret, recurrebant, et Conventui suo et pro eorum Fratrum sustentatione multa offerebant, et multam idem dominus Antonius cum Patre ipso Amadæo haberet conversationem, et ita quod ipse Pater Amadæus, alio quasi vino non uteretur in Missæ sacrificio, nisi de quodam vino vernazolæ *a* quod ei condonabant dicti dominus Antonius et ejus consors: et cum uno sero quidam filius dicti domini Antonii foramen sponzoni *b* obturare oblitus esset in vase, ex quo vernazola ipsa hausta erat, ita quod in nocte sequenti tota ipsa vernazola, quæ satis bonæ quantitatis erat, in mane sequenti expansa tota inventa est in et per canepam *c*. *Ex MS.*

prodigiose conservat.

64 Et cum idem Pater Amadæus eodem mane ad domum ipsius domini Antonii applicuisset, et prædicta sibi notificata fuissent, ipse Pater Amadæus jussit, ut eam omnem vernazolam in ipsa canepa quomodocunque spanditam *d* colligerent, et in eo vase remitterent, demum ex ea exhau- E rire deberent, et de cætero dispensare deberent, prout soliti erant, dicens, se in Christo confidere, quod nihil de eo vino perderent tam in quantitate quam in bonitate: et, prout jussit, factum fuit. Denique cum de ipsa vernazola exhaustum fuisset, eam bonam et validam, imo meliorem quam antea fuisset, invenerunt. De quibus quidem sic gestis idem dominus Antonius de la Ecclesia multum admiratus fuit, Deumque glorificavit; sed plus idem Pater Amadæus Deum glorificabat.

et divina providentia fretus, tum in Conventu.

65 Quidam dominus Aloysius de Invitiatis, civis Mediolanensis, olim habitator Burgi Vicomercati, apud dictum locum de Oppreno per milliare unum vel circa, dixit, se alias intellexisse a quodam Fratre Joanne consocio et familiari ipsius Patris Amadæi tunc commorante in dicto Conventu de Oppreno cum dicto Patre Amadæo, quod una die, dum ipse Pater Amadæus in quodam ejus oratorio orationi et contemplationi per plures horas usque in noctem jejunus vacasset, et ipse Frater ejus consocius jam in cella sua somnum accepit; et ecce quod ipse Pater Amadæus, dum ad ejus cellam accederet et invenisset in refectorio tu- F podem *e* præparatum cum pane et aqua, ad cellam ipsius consocii sui ivit valde admiratus de tali præparatione, et cum eum socium suum interrogasset, quisnam in refectorio præparasset panem et aquam super tupode; ipse Frater Joannes consocius de hoc admiratus respondit, se nescire, cum nullus alius homo hoc præparare potuisset, et consurgens a dormitorio suo ad refectorium ivit cum eodem Patre et invenerunt unum panem finum *f* et album, et craterem unum aquæ recentis super tupode, de quibus valde ipsi Pater et Frater admirabantur, putaveruntque, hæc a Deo et divina gratia processisse, et eis benedictis signo sanctæ crucis, de eis cum Dei gratiarum actione gustaverunt, asserebatque ipse Pater, nunquam de tali pane et aqua sic suaviter degustasse. De quibus Deo altissimo ingentes referebant gratias.

tum in itinere.

66 Dixit quoque etiam idem dominus Aloysius, se etiam ab eodem Fratre Joanne audivisse, quod cum ipse Frater quadam die iter accepisset in societate cum eodem Patre Amadæo ab eo conventu de Oppreno versus plebem Incini, ipseque Frater Joannes in itinere fame et debilitate jam oppressus esset, ut non posset ultra procedere, nec ipse Pater

haberet

Ex ms.

haberet, unde eum reficere posset, videretque ipsum consocium ulterius procedere non posse, compassione motus oculos ad cœlum erexit, et statim ex quadam manica vestis Patris ejusdem ipse Pater detulit panem unum, quem ipsi Fratri consocio suo pro cibo dedit, ad reficiendum; quo quidem sumpto, ipse Frater totus refectus fuit: de qua quidem gratia ipse Pater Deum glorificabat, dicens versus ipsum Fratrem Joannem, quod si in Domino bonam confidentiam haberet, de aliquo dubitare non deberet.

sæpius mirabiliter cibaria invenit.

67 Relatum fuit quoque per prænominatum Fratrem Georgium de Valchamonica, ejusdem Patris Amadæi consocium, quod cum ipse Frater Georgius cum eodem Patre Amadæo in dicto Conventu de Oppreno commoraretur, aliique Fratres ejusdem Conventus una die ab eo Conventu abeuntes essent, ita quod tantummodo ipse Pater Amadæus et Frater Georgius in Conventu ipso soli remanserant, non haberentque panem nec alia cibaria pro vita sustentanda die illa, nec pariter modum haberent pro ipso cibo habendo, ipse Frater Georgius de ejusmodi carentia cum eodem Patre conquereretur; cui Pater ipse dixit, ipsum aliter curare B non debere, quia Dominus provideret: tandem cum sero factum esset ea die, quidam venit ad pulsandum campanellam ostii conventus ipsius; ipe vero Pater Amadæus, qui in et per ipsum Conventum deambulabat, absque eo quod aliter videre posset, quid ad dictum monasterium deferretur, dixit eidem Fratri Georgio, ut ire deberet ad ostium dicti Conventus, quia Dominus provisionem fecerat, et sic ipse Frater Georgius invenit ibi ad ostium delatum fuisse unum canistrum pane plenum, de quo postea cum Dei benedictione refectionem susceperunt cum gratiarum actione.

et semel socios in via murmurantes

68 Retulit etiam alias prænominatus dominus Palamides de Carpani, se alias a quibusdam Fratribus consociis ejusdem Patris Amadæi audivisse, quod cum una die ipse Pater Amadæus cum pluribus ex eis sociis Fratribus congregationis suæ ab eo loco de Oppreno iter accepissent, ut in plebem Incini irent, ut locum quemdam in ipsa plebe examinarent, quem pro una Ecclesia, et uno Conventu construendis eidem Patri Amadæo quidam offerebant, decrevissetque ipse Pater ad domum ipsius domini Palamidis hospitium pro eorumdem C Fratrum refectione omnino suscipere, et non alibi, cum ipse dominus Palamides eidem Patri multum familiaris et benefactor ac amicus esset; essentque etiam multa milliaria ab ipso loco de Oppreno usque ad locum, ubi morabatur ipse dominus Palamides, et cum in via eidem Patri et confratribus suis a multis oblata essent cibaria pro eorum refectione, et ipse Pater acceptare non voluisset, aliqui ex ipsis Fratribus ipsum Patrem in via increpabant, asserentes, eum esse indiscretum; aliqui alii licet verba non proferrent, tamen contenti fuissent hoc medio tempore refectionem suscipere.

opportuna cibi inventione monet.

69 Ipse vero Pater Amadæus eos valde de impatientia increpans, eosdem Fratres exemplis Sanctorum, moralibusque et evangelicis documentis et auctoritatibus ad patientiam et ad sustinendam famem, sitim, æstus, frigus, injurias et contumelias, ac persecutiones pro Christi amore, etiam usque ad mortem, prout ipse Christus pro nobis sustinuit, et ad bene agendum eos excitabat et invitabat, ut per multas tribulationes, et per ignem et aquam ad æternam scandere possent gloriam. Et multis aliis devotis exhortationibus, monitionibus et increpationibus ita in itinere procedendo ad patientiam D inducebat et fortificabat. Itaque cum applicuissent domum ejusdem domini Palamidis, et eum dominum Palamidem non invenissent, nec ejus uxorem, ipsi Fratres famelici valde contristabantur et de tali absentia conquerebantur, ipsumque Patrem admodum increpabant.

ut deinceps Deo confidant.

70 Ipse vero Pater Amadæus tanto magis ferventior et fortior erat, reprehendens eos de ejusmodi impatientia, asserens eos nihil velle pro Christi amore sustinere, et cum sub umbra quarumdam arborum castaneorum sedentes quiescerent in circulo audientes, quæ ab eodem Patre laudabiliter et quodammodo angelico sermone ad eorum institutionem proferebantur, et quod non timerent, quia Dominus certe et cito eis de refectione provideret: et eis sic in sermone stantibus et quiescentibus, ecce quædam puella parvula, filia ipsius domini Palamidis, supervenit dicens, se cibaria cito præparata habere, ut refectionem haberent, licet parentes sui a domo abessent, eosque invitavit, ut ad refectionem in domo sua irent. Quibus auditis, idem Pater eos magis increpabat, et de eorum impatientia redarguebat, quia perfectam fidem in E Deum non habebant, et alia quædam ad propositum facientia dulci sermone pronuntiabat. Tandem ipse Pater cum sociis ipsis Fratribus in domo dicti domini Palamidis venerunt, ubi gratiosissima cibaria pro eorum refectione cum Dei benedictione sumpserunt, cui refectioni parentes ipsi videlicet D. Palamides et uxor supervenientes, maximo gaudio, et jubilatione de ejusmodi venerandi Patris et Fratrum suorum adventu, et refectione repleti fuerunt, de quibus quidem omnibus idem Pater Deum glorificabat.

ac alias duabus ægris sanitatem restituit.

71 Quidam nobilis Richardus Crinelius, frater domini Joannis, habitator burgi Mazente Mediolanensis diœcesis asseruit, quod dum jam actis pluribus annis ab antedicto Patre domino Fratre Amadæo Hispano, quem tunc in hyeme glaciali transeuntem, in hospitio suscepisset igne reficiendum, data esset benedictio cuidam puellæ filiæ suæ, quæ tunc antea gravi morbo tenebatur, et semiperdita erat, et quæ, licet ab omnibus desperaretur posse ad sanitatem opere humano redigi, tamen ex facto consecuta fuit sanitatem: cui Richardo prius Pater ipse dominus Frater Amadæus dixit et fidem fecit, eam filiam suam gratia Dei ab ea infirmatate esse liberandam. F

. Retulit quoque etiam quidam presbyter Laurentius de Tomago, pater ecclesiæ burgi Concorecii, non multum distantis ab eo loco de Oppreno, quod cum quædam domina Elizabetha de Ruschonibus, tunc uxor spectabilis domini Philippi de Casate, esset graviter infirma in loco de Achiori, ubi tunc habitabat, non multum a dicto loco de Oppreno distante, ipsaque domina a medicis judicata esset eam morituram de ipsa infirmitate, nec de ejus vita spes erat, tandem vivificata a præfato domino Patre Amadæo sanitatem cito suscepit, quam dominam tamen ipse Pater Amadæus judicavit cito morituram, sed de una alia infirmitate cito superventura: et prout ipse Pater judicavit, ita fuit, quia infra modicum tempus, superventa alia infirmitate, ipsa domina decessit. Quibus omnibus ipse presbyter Laurentius dixit, se interfuisse. Multaque alia etiam mirabilia a Deo collata esse dicuntur eis temporibus, quibus ipse Pater Amadæus commoratus fuit ad dictam ecclesiam sancti Francisci loci de Oppreno, quæ hic brevitatis causa omittuntur.

AN-

ANNOTATA.

a *Nescio, an vinum istud ita nominetur a terra, in qua crescit; an vero a voce Italica* vernacciulo, *qua species quædam vini albi designatur.*

b *Ex sensu conjicio, hac voce* sponzoni *indicari epistemium vasis, etiamsi illam vocem in Lexicis Italicis frustra quæsierim.*

c Canepa *vel* canava *præter alia significat caveam aut cellam vinariam, ut in secunda editione Glossari Cangiani ad utramque hanc vocem videre est.*

d *Id est* effusam *ab Italico verbo* spandere, *quod idem est ac* effundere.

e *Forsan pro* tupode *legendum est* tripode: *nam quid sibi velit vox* tupode, *hactenus invenire non potui.*

f *Est iterum Italicismus, in quo idiomate adjectivum* fino *pro* bono *accipitur.*

CAPUT VIII.

Miracula, quæ precibus Beati patrata sunt, cum ad alterum Conventum in terra Castri-Leonis transisset.

Beatus post legationes ad Pium II Papam obitas,

Ejusdem Patris religiosissima et sanctimonialis vita, ac ejus bona et benigna conversatio ita notoria fuit, quod illustrissima et religiosissima domina D. Blancha Maria tunc Ducissa Mediolani confidenter eumdem Patrem Amadæum pluries ad sanctissimum Papam Pium secundum *a*, tunc in civitate Mantuana pro universali Principum Christianorum Concilio congregando pro subsidio contra Turchos infideles, et etiam in aliis locis pro ejusdem illustrissimæ dominæ specialibus et præcipuis negotiis transmisit, pro quibus, quæ voluit, ab eodem sanctissimo Papa audacter et gratioso obtinuit, quæ acta fuerunt anno Domini curso MCDLX.

accipit Conventum apud Castrum-Leonis,

73 Eodem etiam anno post prædicta, prælibata domina Ducissa talem dedit operam cum hominibus terræ Castri-Leonis, Cremonensis diœcesis, quod eidem Patri Amadæo per eosdem homines terræ Castri-Leonis et per Fratres Ordinis sancti Francisci tunc in quodam Conventu sito apud ipsum locum Castri-Leonis commorantes oblatus fuit Conventus ipse, et locos cum ecclesia ibidem, quæ alias constructa fuerat sub vocabulo Sanctæ Mariæ de Bressanorio *b*, qui Conventus tamen tunc et per longa tempora tenebatur per Fratres Ordinis ipsius sancti Francisci, et in eo tunc ejusdem Conventus Guardianus erat et Custos quidam dominus Frater Stephanus de Castro-Leone ejusdem Ordinis sancti Francisci; quem Conventum ipse Pater Amadæus de mense Augusti dicti anni MCDLX, ut creditur, acceptavit, ipsumque Conventum de novo construi fecit sub eodem vocabulo Sanctæ Mariæ, et bonis Fratribus ejusdem Ordinis sub regulari observantia et ejusdem Patris obedientia, et custodia communivit, præhabita tamen licentia ab eodem sanctissimo Papa, et etiam a reverendo domino Generali Ministro ejusdem Ordinis ac etiam a prælibata domina Ducissa[f], ubi et ad quem locum seu Conventum ipse Pater Amadæus cum ejus sociis per multos menses, imo etiam annos, pro majori parte moram traxit vivendo in regulari observantia, et orationibus et contemplationibus assidue insistendo. *Ex ms.*

quam donationem nonnulli frustra impedire conantur.

74 Notandum est, quod per ea quæ a quodam domino Ladino, dictæ terræ Castri-Leonis habitatore, sub onere conscientiæ suæ relatum fuit. Dum ipse Pater dominus Frater Amadæus procederet vel procedi faceret ad fabricationem præfati Conventus de Bressanorio, ecce quidam religiosi, qui apud Cremonam commorabantur, multas moverunt insidias in homines dictæ terræ Castri-Leonis, etiam multas promissiones et persuasiones faciendo erga ipsos de Castro-Leone, ut omnino dejicerent seu repellerent ipsum Patrem Fratrem Amadæum, et ejus socios a prædicto Conventu de Bressanorio, et non permitterent eos Patrem nec socios in eo Conventu habitare, imo nec habere ibi societatem, nec habitaculum: quibus tamen licet pluries ipsi Religiosi de prædictis cum eisdem hominibus maximam instantiam et sollicitudinem fecerunt, ut omnino ipsum Patrem ab ipso Conventu depellerent, tamen ipsis Religiosis per eosdem homines nulla præstita fuit audientia, imo attendentes ipsi homines bonam conversationem, doctrinam, devotionem ac puritatem ejusdem Patris etiam cum consensu, et beneplacito prælibatorum illustrissimorum dominorum Ducis et Ducissæ Mediolani in eodem Conventu ipsum Patrem pariter et socios suos confirmaverunt et manutenuerunt ac manuteneri voluerunt.

et ibi commorans, mulierem gravidam

75 Eisdem Patre Amadæo et sociis in eodem Conventu maxima cum devotione et regulari observantia, ac vitæ ipsius Patris Amadæi austeritate commorantibus, multa alia mirabilia diversis personis a Deo collata esse dicuntur meritis et intercessionibus Patris ejusdem, inter quæ dicitur de quadam nobili domina Richarda Laudensi, prout per magistrum Martinum de Laude Physicum Laudensem famosissimum relatum fuit. Cum dicta domina Richarda prægnans esset quinque vel sex mensium vel circa, et febrim cepisset febre intentissima cum vomitu assiduo, instantia vigiliarum, et reliquis accidentibus mortem infallanter attestantibus, cujus curæ tres aderant medici, qui omnes secundum medicinæ canones ipsam sine dubio morituram attestabantur. Quadam vero die, dum idem magister Martinus, unus ex eis, qui et primus fuerat in cura, dum colloquium haberet cum eodem reverendo Patre Fratre Amadæo Hispano, idem Pater Amadæus dixit: Martine fili, quid cum aliis medicis sentis de domina Richarda, an sit moritura, vel non? Cui ipse magister martinus respondit: Ego ante aliorum adventum de ejus morte valde dubitabam; nunc vero omnes ipsam morituram dicimus et attestamur. Ipse vero Pater Amadæus dixit: Volo, ut in hac cura maximum consequaris honorem; vade, et dic ipsam infallanter evasuram ex hoc morbo. Cui ipse magister Martinus respondit: Pater, hoc facere non auderem, quia et mihi ipsi, et aliis sine ratione contradicerem, cum ipsam momento vidimus deficere. Et ipse dixit: Infallanter evadet.

ab imminente mortis periculo liberat.

76 Quadam altera die, dum in domo ipsius dominæ Richardæ adesset ipse magister Martinus, essentque et ibi ipsius dominæ Richardæ fratres, et affines, nec non et Guardianus tunc Sancti Bernardini extra et prope Cremonam, omnes exitum ipsius dominæ Richardæ exspectantes ea nocte, ipsa domina Richarda potum aquæ frigidæ petiit, quam ei dari idem magister Martinus præcepit, et tunc ab ea hora in antea de bono in melius processit.

Ex MS.

cessit, ita ut et jam in tempore debito filium peperit, et ab ea infirmitate evasit, et adhuc sana et viva permanet. Hæc quidam relata fuerunt per eumdem dominum magistrum Martinum ex litteris suis reverendo D. Romano de Barm archiepiscopalis sedis Mediolanensis tunc vicario Generali.

et cella ejus cœlesti splendore illustratur.

77 Relatumque etiam fuit a quampluribus hominibus dictæ terræ Castri-Leonis, quod, dum ipse Pater Amadæus in prænominato Conventu de Bressanorio commoraretur, et pro majori parte in quadam cella ab aliis ædificiis separata apud hortum ejusdem Conventus de die et de nocte orando et contemplando secretus permanebat; quadam autem nocte seu in summo mane multum tempestive venientes multi ex eis hominibus dictæ terræ versus locum dicti Conventus pro eundo ad possessiones suas, et ad prata ciscumexistentia ad ipsum Conventum, viderunt ipsi homines super ipsum locum, seu super ipsam cellam, quam ipse Pater Amadæus pro oratorio suo secreto habebat, maximas flammas igneas viventes, maximis cum vocibus, et canticis amœnis, et quodammodo angelicis, qui quidem homines prædicta B videntes et audientes suspicaverunt, quod locus ipse, seu oratorium ipsum igne concremaretur, et quod Fratres ipsius Conventus de ejusmodi igne dictum oratorium concremante, non se adverterent, putantes eos Fratres dicti Conventus in ecclesia sua ad Matutinum cantandum esse, et venientes ad portam ipsius Conventus pulsaverunt, ut intrarent et ignem prædictum exstinguerent. Quæ autem audientes ipsi Fratres dicti Conventus, apertis januis dicti Conventus, cum eis hominibus ad dictum oratorium concurrerunt, et nullum ignem invenerunt, nec etiam de ipsis canticis aliquid audiebant, sed pulsantes ad ostium ipsius oratorii eumdem Patrem Amadæum invenerunt in oratione existentem, cui ipsi Fratres et homines prædicta narraverunt, quæ viderunt et audierunt; ipse vero Pater Amadæus, eis omnibus auditis, sub pœna obedientiæ eisdem Fratribus et hominibus jussit prædicta omnia sub taciturnitate [servare]. Sed cum aliqui ex his hominibus hoc tacere non possent, ipsa omnia nuntiaverunt venerabili domino tunc præpositio Castri-Leonis nominato Domino ...... de Cipellis de Pisleone, qui dominus Præpositus prædicta audiens, ea C patefacere hortatus fuit ad augendum devotionem et bonam famam ejusdem Patris Amadæi, et sociorum suorum, licet idem Pater de hoc non curaret, imo male contentus esset.

Filiam Ducis Mediolanensis ægram,

78 Eisdem etiam temporibus, quibus ipse Pater commorabatur pro majori parte in dicto Conventu de Bressanorio, accidit etiam, ut relatum fuit, quod cum illustrissima domina Ipolita filia illustrissimorum principum dominorum Francisci Sforliæ et dominæ Blanchæ Mariæ Ducum Mediolani parvula esset, et infirma gravi infirmitate in castro Modoetiæ, habuerunt recursum ad præfatum Patrem Amadæum, ut preces pro ejus sanitate ad Deum porrigeret; cui annuens ipse Pater Amadæus, precibus ad Deum per eum porrectis, statim ipsa domina Ipolita meliorata, et in brevi tempore sanata fuit.

et alium nobilem morti proximum precibus sanat.

79 Quidam nobilis dominus Matthæus de la Ecclesia filius nuncupatus quondam domini Antonii, civis et habitator Modoetiensis retulit, dum ipse dominus Antonius de la Ecclesia olim, et tunc ejus pater, de anno MCDLXVI de mense Junii taliter infirmaretur quadam infirmitate, quam vulgus appellat infirmitatem canalis, medici autem eam appellant infirmitatem tenasmorum *d* quodammodo incurabilem, a qua paucissimi, ut dicitur, curantur et liberantur, essetque taliter ea D infirmitate, et aliis gravatus ipse dominus Antonius, quod quasi ad novissima vitæ suæ devenerat, et in modum quod nec eis loquebatur, nec spiritus artus regebat, et jam sepulcrum, ubi cadaver humaretur, fabricatum erat, imo de ejus sepulcro, seu loco sepulcri inter clericos quæstio erat, ubi sepeliri deberet. Medici autem ob insperatam salutem eum reliquerant, et cum uxor ejus et filii litteras per nuntium præfato venerabili Patri Amadæo direxissent, qui tunc in prædicto Conventu sanctæ Mariæ de Bressanorio apud prædictum locum de Castro-Leone commorabatur, cui preces per easdem litteras destinaverant, ut summo omnipotentique Deo orationes porrigeret pro eo domino Antonio amicissimo suo, ut eum dominum Antonium pristinæ saluti reddi impetraret, et insuper quod idem Pater Amadæus celere iter haberet ad ipsum dominum Antonium sibi multum dilectissimum, si eum vivum videre optabat. Ipse vero P. Amadæus, dictis litteris receptis, et precibus attentis, in mane sequenti Missa jam per eum celebrata, dixit nuntio, eum E D. Antonium ea infirmitate tunc non moriturum. Demum amore caritatis accensus idem Pater post triduum se Modoetiam transtulit cum ejusdem Patris ipse D. Antonius esset devotissimus: et cum intra portas Modoetiæ applicuit, interragavit quemdam Modoetiensem, an ipse D. Antonius de la Ecclesia adhuc viveret, cui responsum fuit vivere; cui ipse dixit, nec morietur ista infirmitate: et tandem intrans in domum habitationis ipsius D. Antonii, invento ipso infirmo semivivo, ad eum solus applicuit, et quasi tribus horis cum eo moram traxit, et exeunte thalamo ejusdem ægrotantis inventis uxore et filiis ejusdem D. Antonii singultus et lacrymas, effundentibus, ait: *Nolite nec lacrymas, nec singultus emittere, quia omnipotens, et misericors Deus, misericordia motus ipsum D. Antonium ad pristinam sanitatem brevibus diebus reddet.* Et cuidam Joanni Petro Seroldano agenti in servitiis pro ipso domino Antonio et filiis tunc dixit, quod deberet sepulcrum obturari facere, quia pro ista vice non indigebat sepulcro; et sic infra breves dies mirabiliter ob preces ejusdem venerandi Patris domini Fratris F Amadæi fuit liberatus, cum apud humanos impossibilis esset ejus cura et liberatio ab ipsa infirmitate, quia paucissimi humano opere liberantur.

mulieri prolem impetrat.

80 Relatum etiam fuit de quadam juvene uxore D. Joannis Stephani de Federicis, ex condominis loci et Castri de Chigicolo Comitatus Papiensis, quæ, cum pluribus annis fuisset sterilis et filios habere non potuisset nec filias, recursum habuit ad præfatum R. P. Amadæum, ut in orationibus suis pro ea Deum exoraret, ut prolem susciperet. Qui P. Amadæus desiderio ipsius dominæ annuens, multiplicatis ad Deum precibus et orationibus a Domino impetravit, quod ipsa domina tandem infra annum Dei gratia prolem suscepit, cujus rei gratia per eos D. Joannem Stephanum et uxorem oblata fuerunt munera ad præfatam ecclesiam de Bressanorio, quæ aliquando etiam nuncupabatur a pluribus ecclesia de Guadalupo *e*, et pro monasterio seu Conventu ipso tunc perficiendo. Sed cum deinde ipsa domina irrideret, et tali gratia sic obtenta ipsam ejus prolem infra modicum tempus morte perdidit: et cum iterato præfata domina ad præfatum P. Amadæum rediisset condoluissetque et pœnituisset de tali irrisione, de novo supplicans ad eumdem Patrem Amadæum,

ut

A ut orationes novas Deo porrigeret pro ea, ut prolem haberet, et porrectis de novo precibus per eumdem Patrem, aliam prolem infra modicum tempus suscepit, quam postea aluit et nutrivit.

vinum multiplicat,

84 Narravit quoque etiam Frater Jacobus de Merliano ex consociis ejusdem Patris, quod cum a Mediolano versus locum de Castro-Leone cum eodem Patre iret una die in sero tempore æstatis, habuissetque idem Frater Jacobus amore Dei botigolum *f* unum parvulum vino plenum a venerabili domino Presbytero Leonardo de Monti Mediolanensi clerico, valde ipsius Patris Amadæi domestico et benefactore, residente tunc ad ecclesiam seu ad hospitium S. Petri extra portam Romanam Mediolani, ut aliquando in ipso itinere fiendo, a Mediolano ad dictum monasterium seu Conventum sanctæ Mariæ de Bressanorio diœcesis Cremonensis aliqualiter sitim excutere posset propter magnam caliditatem tunc vigentem. De quo vino ipse Pater Jacobus in itinere gustavit, ita quod verisimile est, modicum remansisse in botigolo, dum postea applicuissent ipse Pater Amadæus et Frater Jacobus socii apud civitatem Laudæ, videlicet in hospitio de sancto Grato, et B ipse Pater Amadæus magna siti afficeretur in sero, ipse Frater Jacobus obtulit botigolium cum illo modico residuo vini, et accepto cyatho ipsum modicum vinum in ipsum cyathum misit, quod vinum, suo comprehendere multum multiplicatum ipsi Patri Amadæo dedit ad bibendum, et cum bibisset ipse Pater, reliquum reddidit ipsi Fratri Jacobo in ipso cyatho, ut omnino ipse Frater Jacobus de eo biberet; et cum ipse Frater Jacobus vidisset vinum ipsum valde multiplicatum, non solum in cyatho, sed etiam in botigolio, et de eo gustasset, sibi visum fuit, ipsum vinum fuisse et esse in tanta bonitate, quod sibi videbatur, quod potus ipse a paradiso esset missus, et satis melius, quam Malvaticum *g* et manna. De qua multiplicatione et melioramento bonitatis ipse Frater Jacobus multum admiratus fuit : de quibus ipse Frater Amadæus multas Deo reddidit laudes; ipse vero Frater Jacobus credidit et credit firmiter, prædicta ad Dei laudem, gloriam et honorem processisse et meritis et orationibus Patris ipsius.

viam per pontem Abduæ apertam prænovit,

C 82 Sed quid plus? Cum sero esset valde, et se exposuisset super fœno in eodem hospitio ad quiescendum; ipse vero Frater Jacobus aliquantulum dormisset, vidit ipsum Patrem Amadæum orantem ipso tamen super fœno loco dormitionis, et cum aliquantulum quievisset circa mediam noctem, ipse Pater Amadæus dixit : Surgamus et eamus, ut transitum faciamus per pontem Laudensem super Abduam, et sequamur iter nostrum : de quibus verbis ipse Frater Jacobus admodum admirabatur sciens, consuetudinem esse, quod communiter de nocte non possit fieri transitus per dictum pontem, nisi aliquo fortuito casu contingeret; tamen ut filius obedientiæ iter cum eodem Patre ea nocte direxit usque ad ipsum pontem Laudensem super Abduam, quem mirabili gratia nocte ipsa apertum invenerunt, ita ut pacifice Abduam per ipsum pontem transiverunt : quod quidem mirabile ipsi Fratri Jacobo visum fuit, et tanto magis, cum ipse Pater per duo milliaria citra ipsum pontem apertum inveniri nuntiasset, et ita invenissent. De quibus etiam Deo retulit gratias.

venam ruptam redintegrat,

83 Ipsis etiam temporibus accidit, ut relatum fuit, quod quidam nobilis miles, qui tunc hospitatus erat in terra Casalis sancti Evasii, cum haberet venam ruptam in corpore multum sanguinem effundentem, ex qua effusione ipse miles taliter debilitatus erat, quod medicis de ejus vita nulla spes esset; et cum ibidem in ipso loco de laudabili vita et sanctitate ipsius venerandi Fratris Amadæi fama esset, ipse miles recursum habuit ad præfatum Patrem, ut ad Deum pro ejus liberatione oraret; pro quo porrectis precibus, ipse Pater dixit, quod ulterioribus medicinis uti non deberet; sed solum Dei gratia et meritis Beatissimæ Virginis Mariæ confideret, et statim ipsa vena clausa fuit. Sed cum ipse infirmus persuasionibus medicorum hujusmodi monitionem procedendo in medicinis despexisset, ipsa vena illico de novo aperta fuit et, hujusmodi gratia neglecta, tanta effusio sanguinis accidit, quod in ejus militis perditionem devenit, prout quidam Frater Georgius ejusdem Patris consocius asseruit. Ex ms.

conjugibus prole carentibus

84 Accidisse quoque fertur de quadam nobili domina ex principalioribus ipsius terræ Casalis, ut asseruit idem Frater Georgius, quæ cum multis annis cum suo conjuge sterilis exstitisset, ad præfatum Patrem Amadæum recursum habuit, ut Deum pro ea et prole habenda exoraret. Tandem porrectis precibus per eumdem Patrem, ipsa mulier gratiam obtinuit, ita quod infra annum prolem suscepit : pro cujus gratiæ gratitudine ipsa domina munera satis notabilia ipsi monasterio de Bressanorio obtulit apud Castro-Leonem pro eo monasterio construendo. E

fœcunditatem obtinet,

85 Eisdem etiam temporibus, dum idem Pater Amadæus in eodem monasterio seu Conventu de Bressanorio apud Castri-Leonem commoraretur, quadam die quidam dominus Thadæus Bonzalinus *k* Cremonensis alias Capitaneus Burgi Vicomercati Ducatus Mediolani cum domina Joanna ejus uxore, etiam certis aliis utriusque sexus nobilibus esset in dicto monasterio pro eodem Conventu visitando, et ipse dominus Thadæus cum dicta ejus uxore valde cum eodem Patre Amadæo institissent, ut ad Deum funderet preces et intercederet, ut ipsi consortes alium filium masculum haberent, pro qua intercessione, sua sponte promisit ipse dominus Thadæus eidem monasterio largiri tantum argentum ad pondus, quantum ponderaret ipse filius tempore, quo nasceretur; quibus idem Pater complacere desiderans, affectioni ipsorum consortium promisit Deum pro eis exorare, ut obtinerent, quod optarent : pro quibus quidem F demum multas speciales porrexit preces, et tandem post certum tempus ipsa domina Joanna se gravidam invenit, et filium masculum infra annum peperit, licet per annos octo antecedentes continue sterilis exstitisset, pro qua gratia sic obtenta ipsi consortes ad dictum monasterium multa munera et argentum promissum obtulerunt.

socio suo lasso auxilium prænuntiat.

86 Retulit quoque præfatus Frater Jacobus de Merliano, quod, cum alia vice una cum eodem Patre Amadæo ab ipso monasterio de Bressanorio ad civitatem Mediolani venirent, ipseque Frater Jacobus haberet plagam in pede, qua multum afficiebatur, ita quod vix ire posset et cum maxima difficultate, et eis existentibus in itinere, cum præteriissent civitatem Laudæ usque ad hospitium Thanasani, et ultra, ipse vero Frater Jacobus taliter gravabatur ipso itinere, quod ipsum Patrem in itinere sequi non poterat, et cum ipse Pater jam fortiter præcessisset, aliquando illum exspectabat, et sibi dixit : Non dubites, quia subito habebimus recursum, Deo dante; quibus dictis, ecce quidam homo nominatus Garlinus, famulus domini Pagani de Ponzonibus, equester venit, cui ipse Pater dixit, ut amore Dei deberet acci-

pere

k MS. pere ipsum Fratrem Jacobum super equo post eum; qui Garlinus de equo libenter descendit et gratiose obtulit, et dedit equum ipsi Fratri Jacobo, quem postea sociavit usque ad civitatem Mediolani, ita quod ipse Frater Jacobus valde admirabatur, quod ita repente ad votum ipsius Patris Garlinus ipse supervenisset: nec credidit aliter fuisse, quam gratia Dei, et meritis ipsius Patris Amadæi ad Deum fidelissimi.

87 Quidam magister Joannes Crinêlus, recamator *l* Mediolani, dixit se jam pluribus annis elapsis intellexisse a quodam Fratre Jacobo consocio præfati Patris Amadæi, qui sibi retulit quod dum alias ipse Pater Frater Amadæus iret a civitate Laudæ versus Piceleonem *m* in Cremonensi [tractu] essentque altæ et multæ nives in terra, ecce quod equus unus oneratus per stratam sive per senterium *n* parvum obviam veniebat, cui prænominatus D. Frater Amadæus una cum eodem Fratre Consocio suo cedere festinans ipsi equo, cum aliter eidem locum dare aut cedere non posset, idem Pater cedens in et super nives ire cœpit, et super nives quasi volando pergebat, nullum vestigium pedum, aut aliud signum in nive relinquens, ut permitteret equum ipsum sic oneratum pertransire in et per senterium ipsum cum conductore suo; consocius vero suus, usque ad genua in et per nives pergens fundabat *o*, cum nives ipsæ eum non sustinerent, qui exclamans dixit: Domine Pater, vos transitis in et super nives volando, nullo relicto vestigio; ego autem usque ad genua in et per nives vado; expectate ergo aliquantulum, quia ita propere non possum post vos venire. De quibus ipse Frater multum admirabatur; sed junctis multis aliis mirabilibus, quæ vidit de ejusdem Patris religiosissima et austera vita, eum judicavit esse sanctissimum virum et admirabilem apud Deum.

o ipse per nives transit, nullo relicto vestigio.

B

ANNOTATA.

a *Pius II ab anno Christi 1458 usque ad annum 1464 toti Ecclesiæ præfuit.*

b *Illustrissimus Gonzaga in Origine Franciscanæ Religionis pag. 493 hunc Conventum nominat* sanctæ Mariæ de Brixianore, *et ejus situm describens, de Beato nostro simul ita meminit:* Hujus loci accola aliquando fuit beatus Pater Amadeus, hicque duplicem Eliæ spiritum imbibit, prout ejus oratorium atque eremiticæ quædam cellulæ, quæ adhuc supersunt, facile indicant.

C

c *Biographus hoc barbarum adverbium aliquoties repetit, illudque verosimiliter composuit ab Italico* infallantemente, *quod* certo *vel* infaillibiter *significat.*

d *Morbus ille a medicis proprie vocatur* tenesmus, *Græce* τεινεσμός, *et est continua cupiditas egerendi excrementa, cum interim nihil præter materiam cruentam et mucosam egeratur. Hinc facile colligitur, quare vulgus hunc morbum* infirmitatem canalis *appellet, ut supra dicitur.*

e *Ex hoc cognomine forsan occasionem errandi sumpserunt illi auctores, quos num. 39 Commentarii prævii refutavimus.*

f *Auctor vocem* botigolum *vel* botigolium *derivavit ab Italico nomine* bottiglia, *quod lagenam significat. Affines ejusdem vocis barbaræ inflexiones jam dudum in Actis nostris explicuimus.*

g *Est species pretiosi vini, quod* Malvaticum *cognominatur, quia crescit circa Epidaurum in Peloponneso, quæ urbis vulgo* Malvasia *appellatur.*

h Abdua *vel* Addua *est fluvius Italiæ in Insubria, qui vernacule* l'Adda *dicitur, rigatisque aliquot oppidis, prope Laudem Pompeiam currit, et tandem Pado flumini miscetur. Plura de ejus origine et fluxu apud geographos obvios licet videre.* D

i *Hæc munita Italiæ civitas ad differentiam aliorum Casalium cognominatur* Casale sancti Evasii *ab Evasio urbis patrono, jacetque ad Padum fluvium, et est episcopatu illustris sub archiepiscopo Mediolanensi.*

k *Cimarellus in Actis Italicis cap. 46 hunc dominum Thadæum cognominat* Bucerini. *Utra lectio verior sit, ignoramus.*

l *Per vocem Italicam* ricamatore *Latine phrygionem intelligimus, provenitque hoc nomen a verbo* recamare *vel* ricamare, *quod Latine* acu pingere *aut* artem phrygionum exercere *significat.*

m Piceleo, *quod ab incolis* Picighitone *vocatur, est oppidum Ducatus Mediolanensis cum arce munita Adduam fluvium in territorio Cremonensi, jacetque medium inter Cremonam et Laudem Pompeiam.*

n *Italice* strata *significat viam seu plateam; hic autem angustam plateam indicari patet ex addita voce* senterium, *Italice* sentiero, *quam Latine* semitam *vel* callem *interpretamur.* E

o *Hic* fundabat, *quantum colligo, idem est quod* subsidebat *vel* mergebatur.

CAPUT IX.

Lis Beato intentata ob acceptatum quemdam Conventum, donatio aliorum Conventuum, et nonnulla miracula, quæ tunc contigerunt.

Eis etiam temporibus, prout a fide dignis intellexi, dum idem Pater Amadæus in eodem Conventu de Bressanorio apud dictum locum Castri-Leonis diœcesis Cremonensis multas passus fuisset tribulationes, vexationes, contumelias, ac persecutiones ab quibusdam Religiosis, qui sub habitu et Ordine sancti Francisci et sub regulari observantia habebantur, in eo quod ipsum Conventum sanctæ Mariæ de Bressanorio Religiosi prædicti ad eos pertinere asserebant, virtute illius indulti, seu Bullæ Apostolicæ eidem Patri Amadæo concessi seu concessæ, asserentes illi Religiosi, nullos alios ex Ordine sancti Francisci præter ipsos, et Superiores suos et de eorum familia aliquem locum, aut Conventum sub regulari observantia erigere aut acceptare posse etc., quorum causa ipse Pater ad sanctissimum tunc Papam recursum habere coactus fuit. Et cum ob favores adversariorum ipsorum in curia Romana per multum tempus ad expeditionem in longum deduceretur, recursum habuit ipse Frater Amadæus primo ad Reverendissimum D. Cardinalem Boloniensem, qui attenta puritate et simplicitate, ac paupertate ejusdem P. Amadæi et ejusdem Patris puritati compatiendo, non solum habitationem, sed etiam victum in ejus domo præbuit, et favorem.

Dum aliqui litem movent de Conventu, qui B. Amadeo datus erat

F

89 Cum alii multi Cardinales ad multorum aliorum Religiosorum de Observantia ejusdem Ordinis nuncupatorum persuasionem eidem Patri Amadæo, et voluntati suæ multum obstarent et contra-

causa cadunt.

A contrarii essent, tandem Dei gratia factis per prius inter ipsos Cardinales multis colloquiis et disputationibus, attenta ejusdem P. Amadæi simplici et pura devotione nec non ejus religiosissima et austera vita, de quibus singuli eorum dominorum Cardinalium diligentem habere voluerunt informationem, et eis omnibus dominis Cardinalibus et multis aliis Romanæ curiæ prælatis in unum concurrentibus, maxima licet tamen difficultate ab eodem sanctissimo Papa obtinuit, ut ipsum Conventum de Bressanorio sub ejusdem P. Amadæi obedientia et custodia, in Regulari observantia gubernari deberet, et nedum ipsum Conventum, sed et alios tres, ut fertur, Conventus sub eadem regulari observantia et obedientia erigere, et gubernare posset ipse Pater Amadæus.

et Beatus benignitate incolarum,

90 Et dum idem P. Amadæus a Roma ad eumdem Conventum de Bressanorio cum victoria, Deo favente, rediisset et multo magis atque magis religiosissimam atque sanctimonialem vitam cum austeriori vitæ observantia humanitateque et benignitate; licet ipse Pater, quantum posset, devotionem suam occultam et celatam tenere procuraret, quidam nobiles cives Brixienses habitatores B loci de Rabusto diœcesis Brixiensis religiosissimam et sinceram vitam præfati Patris Amadæi laudabilem fore et de ejus et *Fratrum suorum* bona *conversatione intelligentes, tantum institerunt* cum Patre eodem Amadæo, *ut Conventum, quem* habebant alias fabricatum *sub titulo et vocabulo* sancti Bernardini, et sub regimine et observantia domini Ministri Provincialis Ordinis S. Francisci apud locum ipsum de Rabusto acceptaret; quem Conventum seu quod monasterium maxima cum difficultate sub ejus custodia præcedentibus tamen debitis consensibus R. P. domini Ministri provinciæ illius, et etiam P. D. tunc episcopi Brixiensis, ac Apostolicis Bullis, acceptavit. Quem Conventum Fratribus societatis suæ postea ad Dei laudem et gloriam et honorem et ejusdem gloriosissimæ Matris Virginis Mariæ, ac Seraphici S. Francisci commendationem et devotionem communivit.

qui pietatem ejus venerabantur,

91 Et dum fama esset apud multos et multos in regione illa de ejusdem P. Amadæi sanctimoniali vita et religiosa, et austera ejus vitæ observantia ac de benignate sua, quidam alii nobiles C Brixienses commorantes in loco de Iseo diœcesis Brixiensis, aliud monasterium seu alium Conventum ipsi P. Amadæo obtulerunt, alias sub titulo et vocabulo S. Francisci ædificatum apud dictum locum de Iseo, quod monasterium tamen regebatur et gubernabatur sub custodia et regimine dominorum Fratrum Conventualium Ordinis S. Francisci, et ubi habitabant aliqui ex Fratribus dictæ Religionis S. Francisci. Quæ quidem audiens ipse P. Amadæus, et maxime quod Fratres ibi habitantes ad hoc consentientes erant, cupiens ipse Pater Religionem, et observantiam S. Francisci ad majorem Dei et gloriosissimæ Genitricis suæ laudem et gloriam et honorem, ampliare annuendo precibus dictorum nobilium, ut et ipsi et alii nobiles regionis illius aliqua a Deo beneficia salutaria obtinere peroptarent, rigore indultorum alias eidem Fratri concessorum, eumdem locum seu Conventum seu ipsum monasterium in ejus custodiam anno MCDLXV et de mense Augusti, ut creditur, gratiose acceptavit; quem Conventum postea reformavit, et de ejusdem societatis suæ Fratribus sub eadem regula observantiæ communivit. In eo Conventu Guardianum religiosissimum, sub ejus obedientia et gubernatione instituit. Et demum ipsum Conventum et in eo positos maxima cum diligentia, doctrina, ac exemplis aliisque bonis exhortationibus et moribus instruxit et educavit. Ex MS.

alios Conventus acquirit.

92 Denique prædicta audientes quidam alii nobiles Brixienses loci de Quinzano ejusdem diœcesis Brixiensis Patris ejusdem Amadæi bonam famam, sinceramque et humilem, ac religiosissimam vitam, conspicientesque, (revera quilibet bonus homo considerans et conspiciens, sane in eum taliter trahebatur, quod vix ab ejusdem Patris societate abstinere posset) ad eumdem P. Amadæum concorditer adiverunt una cum venerabili domino Thebaldo de Blanchis de Paratico, ecclesiæ S. Mariæ dicti loci de Quinzano archipresbytero, et tandem ipsi D. archipresbyter una cum nobilibus eisdem, maximis etiam cum precibus, et suasionibus Patrem ipsum hortati fuerunt, ut apud locum ipsum de Quinzano alium Conventum sub ejus custodia et gubernatione construi faceret, et ex fratribus societatis suæ communiret et ornaret, et aliquando cum eis in eodem Conventu mansionem faceret pro eorum consolatione et salutari doctrina: inter quos nobiles fuit quidam Joseph de Ferrandes civis Brixiensis E et habitator dicti loci de Quinzano, qui pro hujusmodi Conventu construendo petiam *a* unam *terræ cum certis plantis vitium perts..... decem donare obtulit apud ipsum locum Quinzani, ubi et in quo Conventu ædificia ac ecclesia construi ac ædificari deberet, quam petiam terræ ex facto* eidem Patri pro prædictis Conventu et ædificiis, ut supra construendis donavit.

obtenta prius Sedis Apostolicæ licentia,

93 Quæ quidem audiens ipse Pater Amadæus et considerans ingentem affectionem et devotionem nobilium ipsorum, nec minus venerabilis D. archipresbyteri prædicti, et dicti Joseph, qui nullum aliud terrenum *b* habebat in territorio dicti loci de Quinzano, nisi illud, quod donaverat, ut supra; et omnia sic oblata et donata gratiose acceptavit, et de eis omnibus Deo, et gloriosæ Virgini Mariæ infinitas reddidit gratias, cujus rei gratia postea idem Pater talem operam dedit, quod in ea petia terræ, de qua supra, anno Domini currente MCDLXVII, et de mense Aprilis, ut creditur, monasterium seu Conventum sub vocabulo gloriosissimæ Virginis Mariæ Gratiarum *c* construi cœptum fuit, obtentis tamen superinde prius Apostolicis Bullis a sanctissimo domino Paulo Papa secundo *d* quæ, licet ab eodem sanctissimo Papa gratiose concessæ fuissent, maxima tamen cum difficultate a datario haberi potuerunt. F Quem quidem Conventum postea Deo coauxiliante eleemosynis, et aliis coadjuvantibus, Dei gratia et præfatæ gloriosissimæ Virginis Mariæ complevit, ipsumque ex Fratribus societatis suæ et sub ejus custodia et regimine communivit.

et tunc juvenem graviter læsum precibus intra tres dies sanat.

94 Eis etiam mediis temporibus, dum idem Pater Frater Amadæus pro majori parte in et per prædicta monasteria seu per prædictos Conventus conversationem haberet atque interdum moraretur, multa etiam mirabilia accidisse dicuntur orationibus, seu intercessionibus ac meritis ejusdem Patris Amadæi, de quibus aliqua memoratu digna judicio meo hic inferius, prout relata fuerunt, et eo breviori et effectuali sermone, quo potero, enarrabo. Quidam Christophorus de Pischeria, juvenis aromatarius *e*, habitator in dicto loco de Iseo diœcesis Brixiensis, prout fideliter relatum fuit, cum ex quadam altissima turri, super quam fabricabatur unum horologium, in terram cecidisset, ita quod totus confractus et conquassatus erat, nec de ejus vita spes esset, idem

Ex MS.

Pater Amadæus rogatus est, ut ad ipsum juvenem visitandum iret, et pro eo preces effunderet. Altera vero die in mane, celebrata per eum Patrem prius missa, et porrectis per eum pro eodem juvene Deo precibus, ad ipsum juvenem visitandum fuit; et ipso juvene visitato, ipse Pater dixit, Teneo fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, quod ejus gratia iste juvenis sanus veniet infra tres dies ad visitandum ecclesiam S. Francisci Conventus nostri, exhortans illum juvenem et parentes suos, ut firmam fidem haberent in ipsum Dominum Jesum Christum, quia sanus efficeretur hinc ad tres dies, et quod ita gratia Dei infra ipsum terminum ipse juvenis, de cujus cura, et sanitate nulla apud medicos spes erat, sanus effectus ad ipsam ecclesiam visitandum ivit.

paupertati cujusdam prospicit,

95 Dixit etiam quidam dominus Ladinus de Blanchis de Laude, habitator loci de Castro-Leone, sub onere conscientiæ suæ, quod cum ipse Pater Amadæus pro majori parte in dicto monasterio seu Conventu de Bressanorio commoraretur, ipse vero dominus Ladinus in maxima esset paupertate haberetque duas sorores nubiles, quas B collocare viris non poterat propter suam paupertatem, anxiabaturque, quoniam non habebat quodammodo, unde vivere, nec ipsas suas sorores dotare posset: et cum ad præfatum dominum Patrem fratrem Amadæum adivisset pro peccatorum suorum confessione, et hujusmodi anxietates et conditiones suas eidem Patri nuntiasset tanquam consultori suo, ut sibi consilium præberet in talibus adversitatibus, et anxietatibus suis, ipse vero Pater dominus Pater Amadæus tanquam pius et misericordia motus, eidem domino Ladino dixit: Ladine, noli dubitare; habeas bonam fidem et spem in Domino Deo nostro, et in brevissimo tempore Deus ipse providebit necessitati tuæ; et in veritate infra brevissimum tempus altissimus Deus talem provisionem fecit, quod, eo altissimo Deo coadjuvante, maritavit ipsas suas sorores, easque dotavit satis condecenter, et ita bene se habuit, quod gratia ejusdem altissimi Dei et Virginis Mariæ, et, ut creditur, precibus et meritis, ejusdem venerabilis Patris Amadæi, abinde citra, satis bonam fortunam et prosperitatem habuit: de quibus ipse dominus Ladinus Deo C et sacratissimæ Virgini Mariæ, ac præfato Patri Amadæo immensas retulit gratias.

regulam in sua congregatione severe observari curat.

96 Dixit quoque suprascriptus dominus Ladinus, quod longa experientia maxime ab eo tempore, quo idem Pater Amadæus prædictum Conventum de Bressanorio habitare cœpit, et idem dominus Ladinus in eo Conventu conversatus fuit, vidit et comprehendit societatem, et conversationem ejusdem Patris Amadæi tali fuisse prærogativa a Deo munitam, quod, siquis hujusmodi religionem et observantiam, aut societatem ingressus fuerit sub regulari observantia et obedientia Patris ejusdem Amadæi vel receptus fuerit in ipsam societatem, et demum aliquam malignitatem in eadem societate perpetratus fuerit *, ita quod vere prosecutus non fuerit secundum dispositionem regulæ datæ a sancto Francisco in vera observantia, et secundum monitiones ab eodem Patre Amadæo datas, maxime eo Patre Amadæo vivente, subito talis malignitas propalata fuit, ita quod impossibile fuit quodammodo eam talem malignitatem perseverasse, et remansisse in ipsa societate, et prædicta vidisse, cognovisse, et intellexisse a pluribus, qui in ea societate perseverare non potuerunt, propter eorum defectus, et hoc tamen ex experientia jam multis annis, et etiam ex relatione quamplurium ex eis Fratribus, qui fuerunt de dicta societate, ut ipse Dominus Ladinus protestatus fuit. D

* id est perpetraverit

ad solvenda debita cujusdam Conventus

97 Dixit etiam idem dominus Ladinus sub onere conscientiæ suæ, quod alias, et pluries intellexit a quodam Fachino de Gandulfis de Castro-Leone, qui per multos annos se execuit pro præfecto fabricæ dicti monanterii seu Conventus de Bressanorio apud dictum locum Castri-Leonis, de quo supra, quod cum occasione ipsius fabricæ ejusdem Conventus multa et magna debita superessent ipsi Conventui, seu fratribus ipsius Conventus seu exercentibus pro eis, et non haberent, unde solverent laboratoribus et magistris fabricantibus ipsum monasterium, nec perficere [possent] ædificia jam cœpta, et fieri ordinata ab eodem Fratre Amadæo, ipseque Pater una die instaret cum ipso Fachino, ut procederet ad eorum ædificiorum perfectionem; ipse vero Fachinus responderet, se non habere pecunias, nec modum solvendi nec satisfaciendi laborantibus ipsis nec magistris, nec aliis ad fabricam ipsam convenientibus, cui ipse Pater dixit: Veni mecum; E et eum conduxit ad quemdam buschetum *f* existentem tamen inter confines hortorum ipsius Conventus, et postea eidem Fachino imposuit, ut in ipso buscheto quæreret, an ibi esset una cistella, et cum ipse Fachinus quæsivisset, et nihil invenisset, ipse vero Pater replicando dixit, et eidem Fachino denuo imposuit, quod attentius perquireret, et inveniret, et tandem ipse Fachinus invenit Cistellam unam coopertam, et gravissimam, quam ad ipsum Conventum exportavit, et, aperta ipsa cistella, ipsam cistellam plenam monetis aureis et argenteis invenit, inter quas erant multæ monetæ argenteæ valoris solidorum trium imperialium pro qualibet. *f*

mirabiliter pecuniam invenit.

98 Quibus sic repertis, sine alia mandatione de eis tunc facta, ipse Pater dixit ipsi Fachino: Vade, et solve debita, et facias procedere in laborando, quia etiam Dominus de aliis providebit: de quibus quidem sic repertis idem Fachinus et alii, qui tunc præsentes erant, valde admirabantur, nec putadat ipse Fachinus pecunias ipsas aliter humano opere provenisse, nisi ex abundanti et mirabili gratia Dei, et intemeratæ Virginis Mariæ, cujus ipse Pater erat devotissimus et fidelissimus: et F impossibile videbatur ipsi Fachino, quod aliqua persona humana, rebus sic se habentibus, prout se habebant, ponere potuisset ipsum cestinum *g* in ipso buscheto, roccedis *h* et spinis pleno, et aliis arboribus virentibus multum spisso. Et ita demum ipse Fachinus de ipsis pecuniis plura debita ipsius Conventus persolvit et processit in laborari faciendo pro ipso Conventu perficiendo, quæ monetæ ascenderunt circiter ad valorem librarum septem centum imperialium monetæ Mediolani: et quæ quidem omnia ipse dominus Ladinus dixit pluries audivisse, et intellexisse ab ipso Fachino, ut supra, quem dixit fuisse bonæ conscientiæ, vocis et famæ, quousque vixit.

ac mulieri ægre parturienti succurrit.

99 Iisdem etiam temporibus, prout relatum fuit per quemdam venerabilem Fratrem Jacobum de Merliano ejusdem Congregationis et societatis præfati Patris, dicitur de quadam juvene filia domini Abraham de Federicis, nupta cuidam nobili juveni de Cognatione de Capriolis civi Brixiensi, quæ cum per dies duos continuos et noctes maternis doloribus affligeretur in partu, nec tamen pareret, et cum ipse Pater hospitium accepisset in domo magnifici domini Petri de advocatis civis

Brixi-

A Brixiensis, in civitate Brixiæ pro quibusdam negotiis contingentibus ad ipsum Patrem Amadæum, ecce domina Marina mater illius juvenis in doloribus existentis ad præfatum dominum P. Amadæum adivit, quem suppliciter exoravit, ut ad ipsam filiam suam in tanta calamitate et doloribus constitutam et anxientem iret, pro eaque orationes ad Deum porrigeret; cui gratificando ad domum ipsius juvenis misericordia motus accessit, et cum in quadam camera ejusdem domus preces pro ea porrexisset, cingulum seu cordonum, quem circa personam suam habebat, ad eam juvenem transmisit, dicendo, ut bonam fidem in Domino Jesu Christo, et in gloriosissima Virgine Maria ejus Genitrice haberet: quo cingulo per eam juvenem tacto, statim peperit prolem, quam postea educavit et nutrivit, ex quo ipsa domina Marina ejusdem juvenis mater cingulum ipsum maxima cum devotione retinuit et retinet, et de alio cingulo tunc eidem Patri provisionem fecit, eo tamen domino P. Amadæo invito, et de cujus retentione non curabat, imo etiam contristabatur. De quibus quidem sic gestis ipse P. Amadæus nullam aliam mentionem faciebat, nec fieri B volebat.

ANNOTATA.

a Petia, *id est* pars, *ut supra et alibi sæpe explicuimus.*

b Terrenum *ab Italica voce* terreno *hic pro parte terræ vel agro usurpatur.*

c *Illustrissimus Gonzaga in Opere laudato pag. 493 agit* de Conventu Sanctæ Mariæ de Gratiis Quintiani, *et testatur ibidem inter alias Sanctorum reliquias conservari partem* pallioli etiam ac cilicii beati Patris Amadei.

d *Paulus II Pontifex anno Christi 1464 cathedram Romanam ascendit, eamque mense Julio anni 1471 moriens reliquit.*

e Aromatarius *hic compositum est ab Italico nomine* aromataio, *quo intelligitur is, qui aromata vendit.*

f Buschetus *vel* busquetus *est parva silva, ut in secunda editione Glossarii Cangiani ad vocem* boscus *et sequentes videre est.*

C g Cestinus *vel* cestinum *hic significat parvam cistam, ni fallor, cum biographus eamdem rem superius cistellam appellet.*

h Roveda *probabilissime hic derivatur a voce Italica* rovetta, *quæ Latine* rubus *dicitur, ut ex sensu etiam colligi potest.*

CAPUT X.

Venenum Beato propinatum, apparitio Deiparæ, fœcunditas mulieribus obtenta, mira ægrorum sanatio, et quædam B. Amadei prophetia.

Deipara apparens Beatum ab hausto veneno liberat,

His etiam temporibus, dum præfatus P. Amadæus commoraretur in dicto Conventu de Quinzano, qui tunc in honorem B. Virginis Mariæ construebatur, ecce malignus homo, invidia et malignitate commotus, persuasione quorumdam æmulorum ipsius Patris illi invidentium et contristantium propter tot bona opera, quæ quotidie fiebant et exercebantur sollicitudine orationum, et gratia ipsius venerandi Patris, quamdam fugatiam a venenatam ipsi venerando Patri dono transmisit, et cum idem Pater ipsam fugatiam lætus acceptasset, de eaque manducasset, et gustasset, subito mortali veneno affectus fuit, et cum a medicis visitaretur, et de ejus vita nulla spes esset apud medicos, ut mortem evitaret, et ab hominibus ipsius terræ die noctuque custodiretur, ne abinde mortuus exportaretur; ipse vero Pater hæc omnia patienter sustineret, continueque in anxietate hujusmodi altissimo Deo, et gloriosissimæ Virgini Mariæ se recommendaret, quadam die eidem Patri in camera seu cella sua, ubi jacebat, quædam domina satis formosa et pulchra apparuit, quæ illi dixit, ut deberet linteamen unum habere cum foliis nucum, in quo totus ipsis foliis in linteamine involvi deberet, et non timeret, quia Dei gratia ea vice mortem evitaret. Quibus auditis, ipse Pater, prout ipsa jussit, fecit et statim sanus effectus fuit; et cum quæsivisset a Fratribus suis, quomodo ipsa domina Conventum intrasset, et usque ad cellam suam, cum in Conventus suos mulieres intrare non permitterentur, E responsum illi fuit, nullam mulierem eos vidisse ingredi, nec regredi, et nullam potuisse intrare, cum ostia Conventus clausa fuissent. Ex quo putavit ipse Pater eam dominam, Reginam Angelorum fuisse, quæ sub hujusmodi velamine ad ejus Patris visitationem et curam devenerat: de qua quidem visitatione et cura ipse Pater infinitas Deo et præfatæ gloriosissimæ Reginæ reddidit gratias.

Ex MS

qui jam sanus conjugibus sterilibus

101 Eisdem etiam temporibus, quibus præfatus Pater Frater Amadæus conversabatur in prædictis Conventibus de Bressanorio, et de Quinzano, de Iseo, et de Rabusto, quoniam ipse Pater aliquando in uno, aliquando in alio, ex ipsis Conventibus commorabatur, dicitur de domina Antonia, filia quondam magnifici et strenui militis Comitis Aloisii de Verme et uxore magnifici militis et strenui armorum ductoris Sfortiæ, quæ dum careret filiis, habuisse recursum ad præfatum P. Amadæum, ut habendæ sobolis causa ex eadem et viro suo Deum exoraret: et tandem, Deo dante, licet per plures annos sterilis fuisset, habuit F filiam, quam aluit, et nutrivit, meritis et intercessione ejusdem Patris.

Idem dicitur de magnifico domino Matthæo a Sancto Angelo, strenuo armorum ductore et capitaneo dominationis Venetorum, qui, dum careret filiis, recursum habuit ad præfatum Patrem Fratrem Amadæum, de cujus religiosissima devotione et observantia fama erat; qui cum pro eo orasset, infra annum ab uxore sua habuit filium, quem aluit et nutrivit.

fœcunditatem precibus impetrat,

102 Idem dicitur de quadam domina Maiola, uxore domini Gregorii civis Januensis, quæ, cum jam multis annis nupta esset, et jam ætatis annorum XL vel circa, careretque filiis, habuit recursum ad præfatum Patrem, cujus religionis observantia et gratiarum actiones apud Deum, et gloriosam Virginem Mariam multis notæ erant; quem tamen Patrem ipsa domina nunquam viderat, nec cognoverat, sed de eo fama erat, et litteris multis transmissis ad eumdem Patrem rogavit, ut pro se, ut prolem haberet, ad Deum et ad Virginem Mariam oraret, et tandem infra breve tempus, porrectis per eum Patrem precibus, filiam peperit, quam Dei gratia postea aluit et nutrivit.

Idem dicitur de quadam magnifica domina Margarita

Ex MS. garita de Aramboldis, uxore magnifici domini Bon-Joannis de Fiscilaga civis Laudensis, quæ dum careret filiis, ipseque dominus Bon-Joannes jam senio confectus esset, ad præfatum P. Amadæum recursum habuit, et tandem, per eum porrectis precibus, et multis orationibus et jejuniis, ipsa domina Margarita filium obtinuit, quem aluit et nutrivit, néc alios postea habuit.

puerum fascino liberat, 103 Iisdem etiam temporibus, dum quidam infans nepos magnifici domini Petri de Advocatis civis Brixiensis per quamdam nutricem lactaretur in loco de Erbusto diœcesis Brixiensis, essetque ita extenuatus, quod vix vivere posset, nec de ejus vita spes esset; et cum præfatus Pater in monasterio S. Bernardini dicti loci de Erbusto commoraretur, ipse infans per nutricem ad præfatum Patrem delatus fuisset, ut pro eo Deum rogaret: ipse vero Pater, celebrata per eum prius Missa in eadem ecclesia S. Bernardini, interrogavit ipsam nutricem, an aliquid superstitionis haberet super personam infantis ipsius; quæ respondens dixit, se habere quoddam scriptulum, sibi datum a quodam cerretano *b*, quod ad collum ipsius infantis B apposuerat. Cui Pater ipse dixit: Scriptulum ipsum mihi exhibe, quia infirmitatis ipsius infantis est causa. Ipsa vero quærens, scriptulum non invenit, et tunc dixit idem Pater: Nihil amodo super dorsum ipsius infantis appenas, quia pure ipse sanus remanebit; et tunc eam a se dimisit, et demum infra sex dies nutrix ipsa alia vice præfato Patri puerum ipsum sanum et liberum in bona prosperitate, et valetudine detulit: de cujus gratia Pater ipse infinitas Deo reddidit gratias.

graviter vulneratum sanat, 104 Iisdem etiam temporibus, quibus præfatus dominus Frater Amadæus in dicto Conventu de Quinzano commorabatur, dicitur, quamdam maximam quæstionem inter aliquos ortam fuisse ex hominibus loci de Bordelano propinquo dicto loco de Quinzano citra flumen Olii *c*, cujus occasione quidam multum crudeliter vulneratus fuerat, ita quod ab omnibus eum esse mortuum judicabatur, cujus etiam occasione, odium, quæstiones, et lites indies crescebant, ex quibus multi armis sese dabant. Cumque ipsa omnia ad notitiam præfati Patris domini Fratris Amadæi devenissent, ipse Pater misericordia motus præparabat ad locum C dictæ quæstionis ire, ut eos jurgiis contendentes, et rixantes increparet, et pacem persuaderet, cum ad vindictam adeo multum festinarent; ipse vero persuasionibus aliisque bonis exemplis et monitionibus in tantum persuasit, et induxit etiam cum promissione, quod ille vulneratus non moreretur, et tantum cum eis adversantibus institit, qui habebant vulneratum pro mortuo, quod depositis armis ad præsentiam ipsius vulnerati cum eodem Patre iverunt, et tandem per eum Patrem Amadæum ad Deum porrectis precibus pro ipso vulnerato, eis omnibus quodammodo videntibus, et audientibus, ipse vulneratus, qui quasi mortuus erat, revixit et in brevissimo tempore liberatus remansit, de cujus quidem revivificatione ipse Pater infinitas Deo reddidit gratias.

virum periculose ægrotantem 105 Dicitur etiam de prænominato domino Thadæo Buzalino, cive Cremonensi, qui, cum maxima iisdem temporibus infirmitate gravaretur in civitate Mediolani, ipse Pater Amadæus tunc commoraretur in Conventu de Bressanorio diœcesis Cremonensis, ipseque dominus Thadæus litteras ad præfatum Patrem Amadæum mitti fecit eum orando, ut illum ante ejus mortem visitaret. Quibus habitis idem Pater ab ipso Conventu ad ipsam civitatem Mediolani, et ad domum habitationis ipsius domini Thadæi se transtulit, et, visitato ipso domino Thadæo per eumdem Patrem suis exhortationibus eumdem infirmum restauravit ab ipsa gravi infirmitate. D

bis sanitati restituit. 106 Eisdem etiam annis, dum idem dominus Thadæus Buzalinus civis Cremonensis quadam alia infirmitate valdé gravaretur in terra Boschi diœcesis Alexandriæ, ubi ipse dominus Thadæus tunc capitaneus Venetus erat, et derelictus a medicis, et nulla spes vitæ suæ haberetur nisi per viam orationum et intercessionum ejusdem Patris Fratris Amadæi, et directis ad eum Patrem litteris, ut hujusmodi infirmitatis suæ notitiam haberet, Deumque pro eo et pro ejus sanitate oraret, dignaretur quoque eum personaliter visitare. Quibus litteris receptis, ipse Pater maxima affectione motus, etiam quia ipse dominus Thadæus magnus monasteriis suis benefactor erat, ad ipsum locum Boscho se transtulit, et, visitato ipso infirmo personaliter, ipse dominus Thadæus infirmus subito beneficium recepit magnæ levationis ægritudinis suæ, et demum infra paucos dies totaliter liberatus remansit. E

et mulieri, cujus confessionem in abjecto loco exceperat, 107 Quædam domina Catharina de Gualteriis, uxor domini Joannis de Vayrolis civis Laudensis, alias solita habitare in loco de Castro-Leone diœcesis Cremonensis, demum residens in civitate Laudensi apud ecclesiam sancti Laurentii, dixit, quod, dum temporibus quibus habitabat in dicto loco de Castro-Leone aliquantulum solita esset peccata sua confiteri, et conditiones suas cum præfato Fratre Amadæo conferre, tunc in dicto Conventu de Bressanorio propinquo ipsi loco de Castro-Leone commorante, supervenissetque Quadragesima, ita quod ipsa domina libenter, ut solita erat, confessionem suam facere intendebat cum præfato Patre Amadæo; et cum ipse Pater Frater Amadæus, Deo sic permittente, in civitate Laudæ pro suis negotiis devenisset, eum Patrem domina ipsa oravit, ut confessionem suam audiret: qui Pater Amadæus nesciens eidem mulieri tale opus denegare, eam in ecclesia prædicta Sancti Laurentii propinquiori domui habitationis suæ, in quodam angulo ipsius ecclesiæ multum dejecto exspectabat, ut ab ea peccatorum suorum confessionem haberet.

futuram ejusdem loci venerationem prædicit. 108 Ipsa vero domina, cum nobilis esset et magni animi, in ipso loco tam dejecto ejusdem ecclesiæ ire seu genua flectere non volebat, arguens et illum increpans, quia eum locum tam dejectum elegisset. Cui respondens ipse Pater, F dixit: Non admireris, quia tibi videtur, me istum locum tam dejectum, et non condecentem elegisse pro tua confessione; quia non præteribunt multi anni, et videbis in isto loco maximæ devotionis et reverentiæ locum ad gloriosam Virginem Mariam. Quibus sic auditis, ipsa domina Catharina habuit patientiam, et acquievit verbis ipsius Patris, et ei tunc confessa fuit patienter peccata sua; et cum hæc pronuntiaverit ipse Pater abhinc possunt esse anni decem octo vel circa, et quod verum est, quod post quosdam annos in eo angulo ipsius ecclesiæ per quosdam cives scholares Laudenses erectum fuit maxima cum devotione et reverentia altare unum in honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ, quod de præsenti etiam videri potest, ubi maxima personarum multitudo ob præfatæ gloriosissimæ Virginis Mariæ devotionem confluit.

ANNOTATA.

a *Italice* fugaccia *est species rei cibariæ, quam Latine*

A *Latine* placentam *vocamus*.

b *Quid proprie nomen* cerretani *significet, non possum explicare alio modo, quam quo editores Glossarii Cangiani nuper illud exposuerunt, ex Constitutionibus PP. Prædicatorum, quæ pag. 101 sic habent :* Fratres nostri cerretanorum consortium, qui vulgo BIANTI dicuntur, illorumque quæstuandi modum omnino evitare teneantur, caveantque Prædicatores, ne illorum indulgentias prædicent. *Deinde ibidem ibi vocantur* clerici officii, *ut patet ex sequentibus verbis :* Nullus... præsumat de cætero quascunque indulgentias per cerretanos, seu clericos officii, ita appellatos etc. *Iidem Glossarii editores ad vocem* bianti *hæc notant :* Sic appellantur in Constitutionibus FF. Prædicatorum per Vincentium Mariam pag. 101 clerici quidam, qui quæstus ergo prædicabant indulgentias. Alio nomine vocabantur CERRETANI. *Forsan etiam sacrilegi isti quæstuarii superstitiosa scripta aut amuleta vendebant.*

c *Hoc flumen Italiæ vernacule* l'Oglio, *et Latine* Ollius *vocatur. Oritur ex montibus supra Edulum, rigatisque variis ditionibus, tandem in Padum labitur. Leander Albertus, aliique* B *geographi, ipso posteriores, hunc fluvium pluribus describunt.*

CAPUT XI.

Variæ Beati prædictiones eventu probatæ, et acceptio novorum Conventuum.

Beatus adversariis suis

His etiam temporibus et annis, quibus ipse Pater in dictis Conventibus aliquando in uno, et aliquando in alio conversabatur, cupiens ipse Pater habere locum unum deputatum ad honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ, ubi ipsa gloriosissima Virgo aliqua miracula, et gratias a Deo obtinere inclinata esset, idem Pater Amadæus a quibusdam nobilibus ex burgo *a* Caravagensi *b* ductus fuit Caravagium maximis aquarum fluctuationibus imminentibus, ut locum Sanctæ Mariæ, ubi adest Fontana *c*, obtinere ipsumque locum sub regimine C suo et regulari observantia Fratribus ejusdem societatis et Ordinis communiret, gubernaretque et administraret : qui cum in pleno consilio ipsius burgi secundum consuetudinem præsentatus esset, et opinionem et animum suum laudabiliter declarasset, quod a principalioribus et a nobilioribus ipsius burgi approbabatur, inimicus, ut creditur, humanæ naturæ taliter animum quorumdam regentium locum ipsum ad avaritiam promovit, quod licet a majori parte ipsius consilium approbaretur et laudaretur, quod locus ipse Sanctæ Mariæ ad fontanam sub regimine præfati Patris et consociorum suorum regeretur et administraretur, et non per seculares, qui in se nullam religiositatem vel morum venustatem habent, tamen aliqui ex ipso burgo ex inferioribus, qui avaritia moti fuerant, accingentes sibi cingulum superbiæ, dixerunt, sese aliquo modo pati nolle, quod ipse locus per Religiosos administraretur, imo eumdem Patrem Amadæum, qui per multos dies in eo burgo commoratus fuerat, multis contumeliis et injuriis vexabant, ita quod in consilio præfato ob renitentiam prædictorum contradicentium ab aliquibus jussus fuit, ut super hujusmodi re aliter non procederet, de quo ipse Pater admodum admiratus fuit, quia a multis ex eis, et præcipue ex nobilioribus ad hæc vocatus fuerat.

Ex MS. *divinam vindictam,*

110 Sed cum quidam Franciscus Stagninus ex principalibus contradicentibus, non tamen ex nobilioribus ex ipso burgo, qui magis, et majoribus injuriis et contumeliis adversus eumdem Patrem afficiebatur, obviam veniret versus ipsum Patrem animo irato et, ut creditur, contra eum injurias inferendi, ipse Pater dixit ipsi Francisco Stagnino : Stagnine, non videbis annum, et alii contradicentes, multas tribulationes et anxietates patientur, quia fuistis contradicentes, et adversarii voluntati divinæ et Beatæ Virgini Mariæ : et demum ab eo burgo ipse Pater recessit, et ad dictum Conventum de Bressanorio rediit. Verum infra annum dictus Franciscus Stagninus propter suos defectus mala morte et judiciali auctoritate suspensus fuit. Quidam dominus presbyter de Ganis ejusdem burgi, qui etiam præfato Patri adversarius fuit, in proximum mala morte mortuus est, multique alii ex ipsis contradicentibus in proximum male se habuerunt, quia aliqui ex eis, non more Christiano, sed bestiali decesserunt : alii vero morbo pestilentiali prostrati fuerunt, ut E a quibusdam ex dicto burgo Caravagii relatum fuit.

cuidam Guardiano sumptus ædificii non habenti,

111 Retulit etiam prænominatus dominus Frater Jacobus de Merliano, quod, cum idem Pater Amadæus una die in proximum recedere intenderet ab ipso Conventu de Bressanorio, et ire Romam pro quibusdam negotiis societatis suæ contingentibus, nondumque facta essent ædificia ipsius Conventus seu completa, nec spes esset facultatum habendarum ad ipsa ædificia facienda, maxime ubi Fratres ipsius Conventus commodum habitaculum habere possent ; ipse vero Pater misisset eumdem Fratrem Jacobum Cremonam, ad accipiendum decem ducatos, alias ex voto ipsi ecclesiæ de Bressanorio per dominum Joannem Folianum civem Cremonensem promissos, et cum ipse Frater Jacobus invenisset ipsos ducatos fuisse datos certis aliis Fratribus alterius tamen societatis, ipseque Frater Jacobus totus contristatus ex tali fraudulentia, rediens versus ipsum Conventum de Bressanorio invenit eumdem Patrem Amadæum in itinere transeuntem, ut Romam iret, cui ipse Frater Jacobus totus contristatus dixit, eos ducatos non habuisse, sed aliis Fratribus fraudulenter F datos fuisse.

magnam eleemosynarum copiam,

112 Respondens ipse Pater dixit : Frater Jacobe, vade et noli timere, quia Deus providebit. Vado Romam, et tu magna facies in ipso Conventu in Quadragesima proxime ventura, faciendo ædificari in ipso Conventu, prout ordinatum fuit. Et Dominus ita providebit, quod hæc poteris facere. Quo relicto, ipse Pater Amadæus iter suum versus Romam perrexit; ipse vero Frater Jacobus, qui tunc temporis ejusdem loci seu dicti Conventus de Bressanorio fuerat constitutus Guardianus, ad ipsum Conventum rediit; et certe mirabile sibi visum fuit, quod, licet ipse Pater Amadæus ab ipso Conventu absens esset, et in longinquis partibus, tamen in ipsa Quadragesima tot eleemosynæ erogatæ fuerunt ipsis Conventui et ecclesiæ de Bressanorio, ex quibus multa ædificia in loco ipso constructa fuerunt, quæ credit non aliter processisse, nisi ex gratia Dei et meritis orationum ipsius Patris Amadæi, qui quasi continue, sive itinerando, sive morando, orationibus intendebat.

113 His etiam mediis temporibus, dum fama esset per totum ducale dominium Ducis Medio-

lani

Ex ms. et proximam Ducis Mediolanensis mortem uxori ejus prædicit.

lani, quod illustrissimus D. Franciscus Sfortia vice-comes, tunc Dux Mediolani decesserat, quod fuit de anno MCDLXI, de mense Augusti seu Septembris; ipse vero Pater Frater Amadæus tunc commoraretur in dicto Conventu de Bressanorio, et de his notitia fieret ipsi Patri Amadæo per quemdam dominum Joannem Cremonensem, cui ipse Pater dixit, et affirmavit, eum dominum Ducem non esse mortuum, et quod nec etiam pro ea infirmitate decederet. Tandem veniens Mediolanum idem Pater, præfatum D. Ducem invenit vivum et liberatum ab ipsa infirmitate; sed alio tempore videlicet de anno MCDLXVI de mense Februarii ejusdem anni, cum idem Pater Amadæus Mediolanum venisset et ad illustrissimam dominam D. Blancham Mariam Mediolani Ducissam ejusdem D. Francisci conjugem visitandam adivisset, post multas monitiones, et exhortationes idem Pater eidem dominæ ejusdem conjugis sui Ducis Francisci mortem nuntiavit esse proximam, et ita in mense martii tunc proxime secuto idem illustrissimus D. Franciscus Sfortia Dux Mediolani diem B suum clausit extremum.

Tunc etiam sacellum quoddam

114 Eis etiam mediis temporibus dum fama esset apud multos nobiles et ignobiles de hujusmodi Patris Amadæi religionis observantia, benignitate, et morum venustate, ac humana ejus conversatione, quidam eremita, nominatus Frater Petrus, qui suam vitam degebat eremitanam ad quemdam locum altum, seu montuosum, ubi capella una tantum erat constructa in honorem Beatæ Mariæ Virginis Annuntiatæ apud terram Burmii per milliaria duo vel circa in valle Camonica diœcesis Brixiensis, cui nota erat ejusdem Patris Amadæi vera religionis observantia, benignitas, et humana conversatio, multas fecit suasiones eidem Patri Amadæo, ut ipsum locum, de quo supra, acceptaret sub ejus custodia et regimine, et in eo Conventum construi faceret, quoniam a multis ex ipsa valle coadjuvaretur, et cum ipse Pater super ejusmodi suasionibus multum dubitaret, nullumque responsum super prædictis daret, post multos dies, ut intellexi, monitus ipse Pater divina inspiratione, dum orationibus et contemplationi vacaret, deliberavit ad dictum locum C ire, ubi maxima cum aviditate temporibus hyemalibus et glacialibus nudis pedibus, imo vulneratus ex frigiditate et globorum terrestrium glacierum molestia, sociatus uno ex confratribus suis, ivit, ut omnino divinam voluntatem, et pro honore, et memoria Annuntiationis præfatæ Beatæ Virginis Mariæ, cujus devotissimus erat, observaret.

ab eremita oblatum acceptat.

115 Quem locum vidit, et valde considerans esse multum alienum, et solitarium a conversatione secularium, et attentis etiam promissionibus tactis per aliquos ex nobilibus ejusdem terræ Burmii, cui magis propinquus erat ipse locus ad Dei et Genitricis suæ laudem, gloriam, et honorem etiam virtute Bullarum suarum Apostolicarum, eum tamen post multos menses benigne acceptavit anno MCDLXVIII, de mense Junii circa festum S. Joannis Baptistæ; quo accepto, et ordine dato ipsius Conventus construendi, relictis ibi aliquibus ex confratribus suis ejusdem Religionis, et obedientiæ, dataque super inde benedictione, instituto ibi Guardiano per eum, ab eo loco recessit, dicens ipsi Guardiano, ut ad constructionem ipsius Conventus procederet, et non timeret, nec dubitaret, quia procul dubio sibi Deus et Beata Virgo Maria de rebus ad eum Conventum perficiendum necessariis provideret. Mane autem facto, ut mihi a Fratribus prædictis relatum fuit, et etiam multis D aliis diebus sequentibus, ut creditur divino motu et inspiratione, infinitæ personæ ad dictum locum silvestrem cum sappis d, ei badilibus e, et aliis instrumentis, in similibus necessariis, pro Conventu ibi construenda cum ædificiis et aliis ad ipsum Conventum pertinentibus: et tanta de die in dies inter homines villarum dictæ vallis Camonicæ crevit devotio, et tanta fuit eleemosynarum et aliorum suffragiorum errogatio, quod infra annum constructa fuerunt in eo loco pro ecclesia et Fratrum ejusdem congregationis habitaculo multa ædificia, ubi penitus habitaculum non erat, nisi ipsa capella tantum, ubi dictus eremita commorabatur, ita quod potius Dei et Beatæ Virginis Mariæ miraculo prædicta processisse videretur, quam opere et ingenio humano. Verum hoc medio tempore, dum Conventus ipse S. Mariæ de la Nunciata fabricabatur, multa quidem digna, ut dicitur, acta fuerunt, quæ hic brevitatis causa ob temporis angustiam omittuntur.

d e

et duplicem Conventum construit.

116 Et cum procederetur ad fabricationem dicti Conventus de la Nuntiata apud dictum locum de Burmio, ut supra, quia non potest candelabrum super montem stare absconsum, et per sanctos ho- E mines aliquando manifestatur gloria altissimi Dei, fama erat apud multos de ejusmodi Patris Amadæi vera religiositate, et humana et devota conversatione, et ideo per nonnullos nobiles loci de Antignate diœcesis Cremonensis eidem Patri Amadæo oblatus fuit alius locus apud ipsum locum de Antignate, quem tandem acceptavit et postea virtute præfatarum Bullarum Apostolicarum in honorem et sub titulo sanctæ Mariæ de Gratiis construi et ædificari cœpit, ipsumque ex Fratribus congregationis suæ et sub ejus obedientia et sancti Francisci regulæ observantia communivit.

eique alius offertur a Venetis, apud quos falso accusatus fuerat.

117 Et cum ejusmodi monasteria, seu Conventus, videlicet de Bressanorio, de Erbusto, de Quinzano, et de Burmio, et de Antignate construerentur sub obedientia et regimine ejusdem Patris Amadæi, ecce quod a nonnullis invidentibus, et molestum habentibus, quod eadem societas P. Fratris Amadæi ampliaretur, et locum haberet, quadam die sub quodam velamine asserentibus, quod ipse Pater Frater Amadæus esset F idiota et superbus, et quod sectam adversus dominationem congregare volebat, imputatus fuit, idem Pater coram gubernatoribus civitatis Brixiæ, a quibus postea ut iret Venetias ad principaliores civitatis Venetiarum officiales monitus fuit, ut se ab hujusmodi imputationibus, si posset, excusaret, et veritatem religionis suæ eis probaret. Quibus ipse Pater obtemperare volens, statim acceptis Bullis suis cum uno socio Venetias pedester more solito ivit, et ad illustrissimum Ducem Venetorum primo se consignavit; a quo Pater ipse honorabiliter susceptus fuit. Demum coram eo et aliis principalibus civitatis ipsius Venetiarum, et confisus ipse Pater bonitati Dei et gloriosissimæ Virginis Mariæ, quibus totus deditus erat, et eis cooperantibus, confisusque etiam veritati religionis suæ, audenti animo, et laudabili modo se exhibuit, et tandem ab eis omnibus tanquam innocens dimissus fuit, imo quidam eorum principalium eidem Patri Amadæo alium locum in eadem civitate Venetiarum maxima cum instantia et precibus sub ejus obedientia et custodia etiam cum ducatis duobus millibus aureis pro ipso loco construendo, et erigendo sub ejus regemine obtulit, ut relatum fuit: quem tamen locum ipse Pater acceptare

A ceptare noluit.

ANNOTATA.

a Burgus *ab Italica voce* borgo *hic pro civitatula usurpatur, ut ex observatione sequenti patebit.*

b Caravigium *vernacule* Caravaggio, *ab aliis Latine* Carraca *appellatur, estque oppidulum Italiæ in ducatu Mediolanensi circa confinia agri Bergomensis situm, et victoria Francisci Sfortiæ ducis Madiolanensis contra Venetos memorabile.*

c Fontana *est vox Italica, quæ fontem significat.*

d Sappa *seu* sapa *est instrumentum rusticum quod Latine ligonem vocamus, et quod Italice* zappa *appellatur.*

e Badile *in idiomate Italico est simile instrumentum sappæ, ad evellendas herbas accomodatum, quod Columella* marram *nominat.*

B

CAPUT XII.

Mediolani invidia contra Beatum exorta, et ibidem locus ei datus ad ædificandum Conventum, propter quem multis contumeliis et injuriis afficitur.

Occasione hospitii, quod B. Amadeus Mediolani Prædictis etiam temporibus cum ipse Pater Amadæus constructioni et gubernationi prædictorum Conventuum intenderet, et aliquando etiam Mediolanum venire opporteret pro negotiis circa ipsos Conventus construendos, perficiendos et gubernandos contingentibus, et pro majori parte in adventu suo, quando Mediolanum veniebat, hospitium haberet in monasterio, seu apud monasterium dominarum Sancti Apollinaris *a*, extra portam Romanam Mediolani, quod monasterium tunc, et jam diu, et ab initio ejusdem in maxima C observantia et bona fama sub regimine et custodia dominorum ministri et Fratrum Conventus Sancti Francisci Mediolani maxima cum devotione et sollicitudine regebatur et gubernabatur, a quibus dominabus religiosis ejusdem monasterii Sancti Apollinaris ipse Pater Amadæus tanquam verus religiosus et regulæ suæ observantissimus in maxima veneratione habebatur, cui in eodem monasterio seu apud ipsum monasterium, intra confines tamen ipsius monasterii, una cum eorum capellano hospitium dabant ipsæ dominæ.

119 Verum cum in dies aliquando ipse Pater *apud moniales S. Francisci habebat,* ad idem monasterium conversaretur, et ibi juxta consuetudinem suam orationi et contemplationi valde intenderet, ni tantum quantum negotia, pro quibus Mediolanum venire contingebat, curaret: quanto magis ipse Pater Deo deditum se præstaret: tanto magis invidiæ ignis in æmulos suos crescebat et contra ipsum et ad ipsum turbandum et inquietandum magis ipsi æmuli se provocabant, ita quod, Deo sic permittente, ad majorem ejusdem P. Amadæi, ut creditur, patientiæ et tolerantiæ experientiam, ecce zizaniæ seminator venit et inter easdem dominas religiosas ejusdem monasterii maximas contumelias et discordias movit et suscitavit, ita quod aliquæ ex eis dominabus ipsius monasterii occulte, et sine aliarum participatione, brachio aliquorum ex adversantibus ipsi Patri Breve Apostolicum subreptitium et obreptitium, ut creditur, a sanctissimo tunc Papa obtinuerunt effectus, quod amplius dominus Minister, et Fratres conventus S. Francisci Mediolani de ipso monasterio et de dominabus ipsis non se intromitterent, sed monasterium ipsum de cætero regeretur, et gubernaretur sub custodia et regimine dominorum Fratrum de sancto Angelo *b* Observantiæ S. Francisci sic nuncupatorum, licet aliquibus ex eis sororibus dicti monasterii hoc ignotum, et alienum esset, imo displiceret cum ab eis domino Ministro et Fratribus Conventualibus, bonum exemplum, et bonam custodiam in bona fama et regulari observantia suscepissent. *Ex ms.*

120 Quæ omnia, ut creditur et præsumitur, aliter non evenerint, nisi ut idem Pater Amadæus alio quæreret hospitium, quorum etiam omnium occasione multæ exortæ fuerunt contumeliæ et discordiæ, primo inter Fratres Conventuales sancti Francisci et aliquos ex Fratribus S. Angeli, et etiam inter multos cives Mediolanenses, quorum aliqui pro una parte intercedebant, et aliqui intercedebant pro altera parte; imo ad instantiam eorum dominorum Fratrum Conventualium facta fuit quædam denuntiatio præfatis Fratribus de sancto Angelo de illo Brevi seu Indulto, seu privilegio Apostolico, quod alias emanatum fuit per sanctissimum Dominum tunc Papam effectus, quod ipsi Fratres nuncupati de Observantia se intromittere non deberent de locis aut Conventibus; aut monasteriis hactenus suppositis dominis Ministris et aliis Conventualibus; et e contra ipsi Conventuales non se intromitterent de locis aut Conventibus suppositis ipsis de Observantia nuncupatis etiam sub pœna Papalis excommunicationis, prout in eo Indulto continetur. *contra eum excitatur persecutio,* E

121 Verum idem Pater Amadæus, licet videret se undique molestiis premi, tamen omnia patienter tolerabat, imo ea omnia cum devotione et alacritate loco meriti acceptabat. Nec tamen ab orationibus et contemplationibus, in quibus consueverat, deficiebat, imo attentius eas frequentabat; etiam pro persecutoribus ipsis, ut intellexi, exorabat, sed tamen de eis contumeliis et discordiis se intromittere non voluit, imo ab eodem monasterio sine alia turbatione recessit; et ad domum cujusdam venerandi Patris domini presbyteri Leonardi de Monti, tunc commorantis in ædibus hospitalis S. Petri extra portam Romanam Mediolani, accessit ubi aliquando veniens Mediolanum ipse Pater Amadæus una cum sociis suis hospitium suscipiebat, et ubi cum benignitate et humanitate ejusdem domini presbyteri Leonardi horis consuetis pro orationibus et contemplationibus suis locum secretum habebat, et quanto magis ad ipsis persecutoribus molestia afficiebatur, tanto magis ferventior ad Deum pro eis orandum erat, aliquando autem alios consocios suos ad patientiam pro Christi amore bonis verbis et exhortationibus invitabat, hortabatur et provocabat. *cujus vitandæ causa ad aliud hospitium migrat.* F

122 Erat ipse Pater Amadæus ita sermone gravis, purus, sincerus, et boni timoris plenus, ac bonæ vitæ sectator, quod si quæ verba proferebat, ea tanto cum intellectu et prudentia et breviter loquebatur, quod ab omnibus audientibus ad bonum exemplum, et ad sanctam doctrinam communiter percipiebatur, et taliter in austera vita ciborum atque vestium suorum sic se habebat, et pedibus nudis sine calceis, vel calopodiis *c* temporibus *ubi pie et austere vivens.* *c*

Ex MS.

ribus glacialibus et omnibus aliis temporibus per aquas et nives iter faciendo; quod quidem impossibile videbatur humanam creaturam talia sufferre et tolerare, quæ tamen sibi Patri pro nihilo videbantur, et hæc omnia pro Christi amore tolerabat.

ab archiepiscopo Mediolanensi locum accipit. *d*

123 Cum ipsis temporibus aliquando ad R. D. Stephanum de Forlivio *d* tunc archiepiscopum Mediolanensem, et in ejus curia archiepiscopali Mediolani sæpius adiret ejusdem venerandi domini archiepiscopi contemplatione, apud quem aliquando ejusdem Patris religiosissima conversatio nota erat, tandem idem dominus archiepiscopus Mediolanensis quamdam parvulam ecclesiam Sanctorum Jacobi et Philippi extra portam orientalem seu extra portam Tonsam Mediolani cum quibusdam domunculis et hortulis obtinere et sibi condonare procuravit; quam ecclesiam cum ipsis domunculis et hortulis ipse Pater libenter acceptavit, ubi postea cum ejus domini archiepiscopi deliberatione consensu et participatione, et in ejus præsentia, ac in præsentia illustrissimi Principis D. Ducis Galean-Mariæ *Sfortiæ e* vicecomitis tunc Ducis Mediolani, et majoris partis aulicorum suorum, et etiam in præsentia, et consensu reverendi domini Fratris Francisci-Mariæ de *Septara*, tunc *Ministri Generalis*, ac Fratrum Conventus S. Francisci Mediolani, et eis omnibus ad hæc concurrentibus, ecclesiam sub titulo S. Mariæ de la Pace, obtentis tamen prius superinde Bullis Apostolicis, fundavit, seu fundare cœpit, et primum lapidem ipsius ecclesiæ imponi fecit anno Domini MCDLXIX die XXIX mensis Octobris. Et relictis ipsis domunculis a secularibus, in eis habitantibus, ipsum locum ex Fratribus Societatis suæ laudabiliter communivit, procedendo seu procedi faciendo ad fundamenta constructionis ecclesiæ prædictæ et ædificiorum pro ipso Conventu. B

in quo Conventum construere cœpit; C

124 Cum ad fundamenta ipsorum ecclesiæ et Conventus procederetur, idemque Princeps et alii multi cives et præfatus dominus archiepiscopus Mediolanensis pro construendis ipsi Conventu et ecclesia multa ex eorum devotione de rebus suis contribuerent et erogarent, ita quod usque ad brachia duo muri vel circa a terra supra ex fundamentis ipsius ecclesiæ jam perfecta essent, ecce inimicus tantam zizaniam inter immundos et iniquos seminavit, ex qua multos adversarios exemplari vitæ ejusdem Patris Amadæi invidentes commovit, ut inde multæ persecutiones, contumeliæ, insidiæ, et injuriæ ipsi Patri Amadæo illatæ fuerint; et indies crescebant eorum iniquitates, et insidiæ intea eos maxime, qui ex Ordine et de Observantia sancti Francisci nuncupabantur; qui apud principes, et multos cives, ac magnates, maximos habebant favores, ita quod ipse Pater, et consocii sui deficientibus eleemosynis vix inopem vitam ducere poterant: nedum procedere ad hujusmodi Conventus et ecclesiæ constructionen poterant: his enim ab eis undique insidiis infestabantur, et trahebatur ipse Pater dominus coram illustrissimo tunc Principe, aliquando coram domino archiepiscopo Mediolanensi, et aliquando coram venerando domino Francisco de Ruere de Savona *f*, tunc Ministro generali totius Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci, tunc nuperrime de numero reverendissimorum dominorum Cardinalium a sanctissimo Papa electo, dum idem reverendissimus dominus Cardinalis Papiæ commorabatur; ita quod ab eis persecutoribus valde contemnebatur et hinc inde trahebatur, et molestiis afficiebatur. Ipse vero Pater Amadæus de his tamen modicum curans, ea omnia pro Christi amore patienter tolerabat. *f* D

sed propterea ab æmulis accusatus.

125 Sed cum in eis persecutionibus et contumeliis ipsi malevoli non cessarent, ipse Pater Amadæus ad reverendissimum dominum Cardinalem et ipsius Ordinis Generalem Ministrum tanquam ad protectorem et gubernatorem suum et totius Religionis, sæpe a Mediolano Papiam convolabat, ut eidem Patri veritatis et justitiæ subsidium præstaret: et cum præfato reverendissimo domino Cardinali et Generali Ministro jam nota esset ejusdem Patris Amadæi religiosa et bona consuetudo, ac bonæ vitæ morumque ejus disciplina et regularis observantia, attendens adversariorum ejus maximos favores, et continuas persecutiones, quas adversus ipsum Patrem Amadæum exercebant, dum quodam die coram se haberet ille reverendissimus dominus Cardinalis, prout relatum fuit, aliquos ex principalioribus eorumdem adversariorum, et ipsum pauperculum Fratrem Amadæum, et coram eo ipsi adversarii multas disputationes et articulos proposuissent, ipse autem Pater Amadæus nihil aliud responderet, nisi quod verus filius sancti Francisci esset, proponebat et quod in Ordine et regulari observantia Fratrum Minorum sancti Francisci in manibus reverendissimi tunc Ministri Generalis et sub ejus obedientia et cura professionem suam fecerat, et quod sibi non conveniebat tantarum scientiarum copia; sed quod solum Jesum Christum et ejus gesta scire et contemplari, et divinam voluntatem, quoad posset, sectari sufficiebat, et quod ea, quæ ejus opera fiebant et gerebantur, non ad injuriam aut vilipendium alicujus, sed solum ad Dei cultum, gloriam et honorem fiebant, Deo et gloriosa Virgine Maria sic annuentibus et auxiliantibus, et ad eos nihil de ipsis Conventibus seu constructis sive construendis pertinere. E

Ministro Generali frustra causam ejus defendente, F

126 Quibus omnibus sic auditis, prout a fide dignis personis relatum fuit, tunc reverendissimus ipse dominus Cardinalis et Generalis Minister ipsius Ordinis ut supra, increpans eos adversarios, et accusans præsomptionis et judicii temerarii dixit, affirmavit, et in præsentia ipsorum ipsum Fratrem Amadæum verum Religiosum esse, et eum multo plura et majora bona, et dominia propter Deum reliquisse, quam ipsos, et quod eum molestare non deberent. Sed cum idem reverendissimus D. Cardinalis a Papia recessisset, Romam iturus, alias novas perturbationes et insidias apud illustrissimum Principem et dominum tunc Ducem Mediolani commoverunt ipsi adversarii et eorum sequaces contra eumdem Patrem Amadæum, ut relatum fuit, ex quibus ipse Pater postea Romam venit, et a sanctissimo domino Paulo tunc Papa secundo statim Breve Apostolicum directivum præfato illustrissimo Principi obtinuit, ut ipse Princeps causam ipsam cognosceret, et provideret præcipue, ut in perficendo Conventu prædicto Sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani procederetur.

ad judicium seculare citatur,

127 Cum ipsum Breve Apostolicum prælibato Principi domino Duci Mediolani præsentatum esset, ipse Princeps videns, et considerans multos et infinitos favores adversariorum ipsorum ipsi Patri invidentium, nedum ab ipsis adversariis, sed etiam a multis aliis civibus et magnatibus emergentes contra eum pauperculum Fratrem Amadæum; sciens tamen ipse Princeps, eum esse verum et optimum religiosum, et nolens displicere ipsis adversantibus, causam ipsam non voluit ipse

cognó-

A cognoscere, sed vices suas subdelegavit magnifico domino Alexandro Sfortiæ, Pisauri domino, tunc gubernatori et locum-tenenti ejusdem Principis tunc Papiæ commoranti, coram quo ipsi adversarii tantum eumdem Patrem Amadæum insequebantur et insidiabantur, et ab aliis insidiæ parabantur ad eorum instantiam, quod ipse pauperculus Frater Amadæus, qui de regione Hispania erat, et in partibus Lombardiæ ignotus, quodammodo ab omnibus derelictus reperiebatur, nec in humanitatis litteris multum eruditus erat, et ob insequentium favores et insidias ipsorum adversariorum suorum nullus pro eo quodammodo adesse, aut eum defendere audebat. Ipse vero Pater Amadæus, qui solum Deum et gloriosam Virginem Mariam et beatum Franciscum adjutores veritatis et justitiæ suæ habebat, ad eos solitis orationibus et contemplationibus horis nocturnis recurrebat, et eis multo plus vigiliis et orationibus ac jejuniis inserviebat, aliosque Fratres consocios suos ad patientiam in persecutionibus hortabatur, aliquando eis proponens quomodo in tribulationibus virtus perficitur, et Beati qui persecutiones patiuntur propter justitiam, quo-
B niam ipsorum est regnum cœlorum, et aliis similibus exhortationibus eos continuo ad sustinendas egestates pro Christi amore inducebat et hortabatur.

ubi indigne habitus,

128 Et cum coram magnifico domino Alexandro prædicto aliquando compareret ipse Pater Amadæus pro hujusmodi causæ suæ expeditione, ex persuasione eorum adversariorum sæpe et sæpius ab eodem magnifico domino Alexandro ipse Pater spernebatur, at repellebatur; asserente illum esse hypocritam, simulatorem, superbum, et populorum deceptorem; cui ipse Pater Amadæus cum humilitate aliquando respondebat, notam Deo esse suam voluntatem. Aliqui vero ex ipsis adversantibus, et ex sapientioribus familiæ coram eodem magnifico domino Alexandro eum Patrem increpabant, et arguebant de prædictis, et ulterius eum esse idiotam, apostatam, hæreticum, et novæ sectæ inventorem asserebant; cumque aliis atrocibus injuriis, et minis, tam coram præfato magnifico domino Alexandro Papiæ et alibi audaciter et palam afficiebant, et non solum ab eis, sed etiam a multis aliis doctoribus, et magnis vi-
C ris vexabatur eorum adversariorum persuasione. Adducebantur etiam multi cives et mercatores, ne ei et religiosæ ejus vitæ, tanquam simulatæ et fictæ, crederent, ita quod multis eorum adversariorum sequacibus derisui erat: ipse vero Pater Amadæus de prædictis non curabat, sed ea omnia patienter tolerans tanto magis humilem et dejectum se reputabat; sed cum aliquando coram
D eo magnifico domino Alexandro argueretur, ut supra, ipse Pater humiliter respondebat, altissimum Deum omnium gestorum suorum et interioris voluntatis suæ esse cognitorem et judicem, de vita et de mente sua ad eos non pertinere.

et injurias patienter tolerans.

129 Demum recedens a palatio ad locum, ubi suscipiebat hospitium, cum sociis suis aliquando maxima cum afflictione pergebat, videns et cognoscens, se indebite, et injuste ab adversariis suis sic vexari et turbari; et tamen propter hujusmodi tribulationes, persecutiones, insidias et molestias non murmurabat, nec commovebatur, ut ab ipsis consociis suis relatum fuit, imo alacriter et patienter tolerabat, et aliquando asserebat: Teneo fidem in Domino Jesu Christo, quod mihi adjutor erit: nec deficiebat saltem nocturnis temporibus a suis solitis orationibus, officiis, et contemplationibus, imo fortius et attentius jejuniis solitis et devotionibus intendebat, et sæpissime egestates et fames patienter tolerabat, inducebatque etiam alios socios suos ad patientiam; allegando sæpe, quia nos oportet per multas tribulationes, et per ignem et aquam intrare in regnum Dei et sequi vestigia Pastoris nostri Domini Jesu Christi, qui cum benediceret, maledicebatur, et alia similia verba ad patientiam inducentia ad eos socios suos grato modo loquebatur. *Ex MS.*

ad opem Deiparæ recurrit,

130 Et cum alia vice ad præfatum magnificum dominum Alexandrum adivisset ipsius causæ suæ expediendæ causa, ipsi vero adversarii sui cum multis potentibus et sequacibus suis se oppositurі venissent, secundum quod relatum fuit, ita ut non solum ipse Pater, non audiretur, sed et repulsam ab eodem domino Alexandro haberet; imo et eidem Patri ab eo præciperetur, ut fertur, præsentibus ipsis adversariis suis, quod ipse Pater Amadæus infra triduum a dominio illustrissimi Principis recessisse deberet: ipse vero Pater Amadæus eis omnibus præsentibus in camera eadem ubi erant, his omnibus auditis, genua flexit, E coram quadam imagine gloriosæ Virginis Mariæ, quæ in camera depicta erat, et ad Deum et Virginem Mariam preces porrexit, ut aliqua pro ejus Patris innocentia demonstraret.

ac tandem, iniquo judice

131 Demum eos omnes derelinquens, versus hospitium suum iter perrexit, et subito, ut creditur, sic permittente Deo, idem magnificus dominus Alexander ingentissima febre percussus fuit, ita quod sentiens se ab hujusmodi morbo percussum, in memoriam rediens quod Patrem Amadæum audiverat precantem, dubitavit, ideo morbum se habere et a Deo processisse, et pœnituit, quod jusserat. Et cum idem Pater a nuntiis ejusdem magnifici domini vocaretur, ut ad eum rediret, negaretque ipse Pater redire, ut magis corrigeretur et agnosceret, quod injuste egerat, tandem post multas persuasiones ab illustrissimo Principe, tunc Duce Galeazio, et illustrissima domina Bona tunc Ducissa conjugibus rogatus ad præfatum magnificum dominum Alexandrum infirmum rediit, qui veniam petens promisit, se amplius eidem Patri adversarium non fore, ac illum rogavit, ut Deo et Beatæ Virgini Mariæ pro F ejus sanitate preces porrigeret. Quibus sic auditis, ipse Pater misericordia motus pro eo magnifico domino orare promisit, et ita, prout a sociis ejusdem Patris relatum fuit, instanter oravit, ut ipse magnificus dominus Alexander in brevissimo tempore liber ab ipsa ingentissima febre et sanus effectus fuit, ut per quemdam venerabilem magistrum Martinum de Laude ejusdem Ordinis S. Francisci relatum fuit.

alteroque adversario divinitus punitis.

132 Quidam orator Florentinus, qui hujusmodi disputationibus coram eo magnifico domino Alexandro præsens fuerat, et multa verba adversum et odio ejusdem Patris protulerat, regressus domum, ubi hospitabatur in Papia, statim vehementibus doloribus correptus fuit ab eisque valde opprimebatur. Quibusdam de ejusdem Patris Amadæi bonitate, et vera religionis observantia, et quod Deo acceptus esset, prædicantibus, ad eumdem Patrem misit idem orator, ut ad eum accedere vellet, pœnitens, se sibi adversarium fuisse: et cum ab eo Patre visitatus esset ipse orator, rogavit eumdem Patrem, ut Deum pro ejus sanitate oraret: ipse vero Pater Amadæus statim relinquens ipsum oratorem, ad hospitium rediit, et preces ad Deum pro eo oratore porrexit,

Ex MS. xit, et illico, ut fertur, ipse orator ab eis doloribus sanus redditus fuit, ut a præfato magistro Martino prænominato relatum fuit.

æmulos suos superavit. 133 Cum ipse Pater videret se aliquo modo ex prædictis ab altissimo Deo, et Beata Virgine Maria aliqualiter in prædictis adversitatibus juvari, et ab eis relevari, multum ferventius, ut relatum fuit, instabat orationibus, et jejuniis et fortius suos confratres ad patientiam, et ad glorificandum Deum inducebat, aliquando dicens: Nullum vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem; et misericordia Domini plena est terra; et alia similia verba, per quæ hortabatur eos ad patientiam et orandum Deum pro persequentibus, et calumniantibus eos; et licet aliquando ipse Pater cum sociis suis in maxima egestate et tolerantia eis temporibus afficeretur, ita quod aliquando etiam de ejus Patris vita dubitabatur, non tamen desistebat ab orationibus, officiis, et jejuniis, ut solebat, et tandem post multas perturbationes, sibi a prædictis æmulis et adversariis suis illatas, quidem in Mediolano, quidem in Papia, et quidem alibi, Deo miserante et coad- B juvante, idem Pater Amadæus contra eos adversarios suos victoriam obtinuit, et gratiam a sanctissimo Papa Paulo secundo, quo ad perfectionem dicti Conventus procedi posset; et sic, Deo dante, virtute Bullæ Apostolicæ superinde sibi gratiose concessæ, ad fabricationem ejusdem Conventus de la Pace processum fuit: in qua Bulla nedum concessa fuit auctoritas, et facultas perficiendi dictum Conventum de la Pace, sed etiam construendi et construi faciendi quosdam alios Conventus sub ejusdem obedientia et custodia; cujus Bullæ vigore alium locum apud Castrum sancti Secundi in diœcesi Parmensi sub titulo sanctæ Mariæ Gratiarum obtinuit, quem etiam Fratribus suis communivit.

ANNOTATA

a *Hoc cœniobium monialium illustrissimus Gonzaga in Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ pag. 362 describit.*

b *Illustrissimus Gonzaga in Opere mox laudato pagg. 341 et 342 de hoc Franciscanorum Conventu fuse agit.* C

c Calopedes *vel* calopodia *sunt calcei lignei, aut calcei, quorum saltem pars inferior lignea est. De distinctiore hujus vocis significatione et Græca ejusdem origine consule Glossarium Latino-barbarum Cangii, quod nuper recusum et auctum est.*

d *Is est Stephanus Nardinus Foro-Juliensis, qui anno 1460 ad cathedram Mediolanensem evectus est, et Romæ anno 1484 e vivis excessit, ut apud Ughellum in nova editione Veneta Italiæ sacræ tomo IV col. 266 licet videre. Nescio, cur hoc loco cognominetur* de Forlivio, *cum apud Ughellum in epitaphio* Foro-Juliensis *vocetur, atque urbes Italiæ* Forum-Julium *et* Forum Levii *inter se multum differant.*

e *Hic Galeatius Maria Sfortia, Dux Mediolanensis, anno 1466 in locum patris sui defuncti successit, et anno 1476 occisus est.*

f *Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 1471 num. 66 et sequentibus narrat, quomodo hic vir Ordinem S. Francisci intraverit, et post alias dignitates demum sub nomine Sixti IV ad cathedram S. Petri evectus fuerit, ut etiam ex capite sequenti horum Actorum apparebit, ubi de eo sermo recurret.*

CAPUT XIII.

Romana Beati commoratio, et Congregatio ipsius inter adversitates novis Conventibus mirabiliter aucta.

Demum progressus fuit Romam ipse Pater Amadæus, ut sanctissimum Dominum Papam Sixtum quartum tunc noviter electum a visitaret, qui antea Cardinalis tituli S. Petri ad vincula erat, et Generalis Minister totius Ordinis S. Francisci fuerat, et qui tunc nomine Frater Franciscus de Ruere de Savona vocabatur, de quo superius tractatum fuit: a quo sanctissimo Papa ipse Pater multas gratias per Bullas Apostolicas obtinuit, inter quas Bullam obtinuit, ut sex alios Conventus erigere et construi facere posset sub ejus custodia et obedientia et sub regula Fratrum Minorum de Observantia, quorum vigore locum apud Castrum novum b in Tortonensi c obtinuit, ubi Conventum sub titulo sanctæ Mariæ de la Pace erexit d, quem postea Fratribus communivit; aliumque etiam locum apud civitatem Laudæ sub titulo sancti Petri Apostoli, quem Fratribus suis communivit: alium etiam locum apud civitatem Cremonæ, quem etiam suis Fratribus communivit. *Beatus Amadæus Romæ, a* E

Mediolani, 135 His vero mediis temporibus Conventus sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani, Deo et multis civibus Mediolanensibus coadjuvantibus, construi et ædificari cœpit. Et licet hoc medio tempore, quo ipse Conventus sanctæ Mariæ de la Pace construebatur et ædificabatur, æmuli et adversarii sui non cessarent ipsi Patri Amadæo insidias et perturbationes quærere, et adeo eorum malignitas crevisset, ut eam in corde et ulcerata mente continere non possent; ita quod unus ex eis et doctoribus multa nefanda publice de eodem Patre, et in ejus vilipendium, quæ potuit, proferre non erubuit; ita quod in mentem multorum ex audientibus maximum scandalum venit, ac ipse F. pronuntiator a multis civibus laudatus fuit. F

æmulis frustra renitentibus, 136 Tamen cum multa nefanda essent et intolerabilia, quæ prolata fuerant, licet ipse Pater de eis parum curaret, sed pro honore suo et societatis suæ ad præfatum sanctissimum Papam Sixtum Romam rediit, ubi jussu ejusdem sanctissimi Papæ pro evitandis scandalis, ut præsumitur, honorifice retentus fuit ad quædam obsequia ipsius sanctissimi domini Papæ; cui postea ipse sanctissimus Papa commisit per Bullam Apostolicam locum sancti Petri in Monte-aureo, sito in civitate Romæ, ubi Conventum Fratribus societatis suæ erexit et communivit; in quo Conventu per annos fere decem pro majori parte moram traxit, et in ejus solita regulari observantia religiosissime vixit. In quo tamen Conventu sancti Petri aliqua vice toxico seu veneno affectus fuit ipse Pater Amadæus, ut relatum fuit, et tamen gratia altissimi Dei, et Virginis Mariæ ab eo maxima licet cum difficultate illæsus remansit. Et eis temporibus, quibus ipse Pater Amadæus in civitate Romæ in præfato Conventu sancti Petri in Monte-aureo vitam suam ducebat, de ejus religiosissima vita et regulari observantia apud præfatum

sanctis-

A sanctissimum Papam Sixtum, et DD. Cardinales et multos alios ecclesiæ Prælatos, ac multos cives et habitatores Romanos fama erat, ut per quemdam Fratrem Joannem de Alemania ex consociis ejusdem Patris relatum fuit.

et alibi in Italia

137 Quidam magnificus Comes Raymundus de prosapia Ursina, terræ de Scandrilla *e* dominus, tantam cum eodem Patre Amadæo amicitiam habuit, et adeo illi confidebat, ut ad eumdem Patrem multotiens in suis tribulationibus recurreret, illum orans, ut ad Deum pro eo preces porrigeret: et tandem eidem Patri locum apud dictam terram de Scandrilla in episcopatu Salmensi *f* eidem Comiti suppositam deputavit, ubi Conventum ad ejusdem Patris beneplacitum facere posset; quem Conventum postea ipse Pater Amadæus, coadjuvantibus magnifica domina Justiniana ejus magnifici Comitis uxore et vicinis in locis ibi circumstantibus, in honorem beatæ Virginis Mariæ anno Domini MCDLXXIX de mense, ut credidur, Maii fundare cœpit, quem postea construi fecit, et Fratribus suis sub ejus custodia et obedientia communivit.

post impetratam

B 138 Erat tunc temporis, ut intellexi ab eodem Fratre Joanne de Alemania, maxima siccitas in toto ipsius Comitis dominio, ita quod ex ipsa siccitate messes bladorum *g* multum tristes erant, propter quam dubitabatur de maxima penuria et fame: et cum præfata magnifica domina Justiniana, absente ipso ejus marito, qui apud serenissimum Regem Neapoli erat, multum negligens esset in dando principium, ut hujusmodi Conventus construeretur, angereturque propter hujusmodi maximan siccitatem, dubitans, quod propter penuriam bladorum in perficiendo dicto Conventu paucæ eleemosynæ erogarentur, ex quo ipse Conventus perfici non posset. Quæ intelligens ipse Pater Amadæus ad ipsam magnificam dominam ivit, promisitque quamprimum primus lapis imponeretur in ipsis ecclesia et Conventu ædificandis, statim plueret, ita ut bonam messem in toto ipso territorio omnes colligerent, et dato ordine, quod in prima die Dominica tunc proxime sequenti ejusdem mensis Maii celebrata missa in mane per eumdem Patrem, et posito interea primo lapide pro constructione ipsorum ecclesiæ et C Conventus in præsentia ejusdem magnificæ dominæ, et multorum ex habitatoribus dicti territorii in loco ad hæc deputato per ipsam magnificam dominam apud dictam terram de Scandrilla et apud ponticellum sub titulo gloriosæ Virginis Mariæ de Gratiis, statim pluvia satis notabilis Dei gratia per totum ipsum territorium descendit, ex qua ipsum totum territorium ipsi magnifiço Comiti suppositum, Deo et gloriosa Virgine Maria sic volentibus, ab ipsa siccitate relevatum fuit, et fructus tam fundi quam arborum per totum dictum territorium abundanter illo anno collecti fuerunt.

precibus pluviam,

139 Quod ipsa domina et alii habitatores illius provinciæ ab ipsa penuria meritis et intercessionibus ipsius Patris Amadæi defensum esse cognoverunt. De quibus omnibus ipse Pater et alii de ipsa provincia Deum et gloriosam Virginem Mariam summa cum devotione glorificabant. Quemadmodum etiam retulit quidam Frater Ægidius ex consociis ejusdem Patris Amadæi, qui dixit, quod, dum jam cœpta essent ædificia dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ de Gratiis apud Scandrillam, quæ cœpta fuerunt sub promissione facta per ipsam magnificam dominam Justinianam, quæ promiserat, se una cum aliis vicinis ipsius territorii, construi facere dictum Conventum de quo supra: ipsa vero magnifica domina persuasionibus quorumdam pœnituit se promisisse, seu non curabat procedere ad ejusdem Conventus perfectionem, et cum ex inde retardaretur ipsa perfectio, ipse Pater Amadæus duos ex confratribus sociis suis ad eam magnificam dominam misit, ut intentionem suam circa hujusmodi constructionem intelligeret; qua responsione suscepta, cognovit eam dominam amplius non curare, quod ipse Conventus perficeretur. Verum infra brevem terminum quidam filius ejusdem magnificæ dominæ gravi infirmitate affectus fuit, qua dubitavit ipsum filium suum in ipsa infirmitate morte perdere: et in memoriam rediens ejus, quod præfato Patri promiserat, nuntium ad eumdem Patrem Romam misit, ut pro filio suo et ejus sanitate Deum oraret, promittens iterum, quod ab ea promissum fuerat se observaturam; ipse vero Pater Amadæus benignitate motus pro eodem filio preces porrexit, et tandem convaluit. Ex ms.

ac post alia cœlestis vindictæ

140 Demum cum etiam ipsa magnifica domina perfectionem dicti Conventus negligeret, videns ipse Pater Amadæus, quod ipsa magnifica domina, postpositis dictis promissionibus, non curaret ad perfectionem dicti monasterii procedere, E propter reverentiam magnificæ ipsius dominæ, decrevit ad eam ire tunc commorantem in dicta terra Scandrillæ, ut omnino intentionem intelligeret circa ipsius Conventus constructionem. Et cum applicuisset domui ipsius magnificæ dominæ, ipse Pater invenit eumdem filium iterum gravi morbo infirmatum; coram quo Patre Amadæo ipsa magnifica domina, ut relatum fuit, recognoscens, se eumdem Patrem alias decepisse; quia promissa non observaverat, quasi erubescens ad eumdem Patrem non audebat ire, nec recurrere: tandem audiens adventum ipsius Patris Amadæi, persuasionibus aliquorum de domo sua eumdem Patrem visitavit, et accusans se de infidelitate et negligentia sua, rogavit, ut etiam pro filio suo Deum oraret.

divinæque voluntatis indicia

141 Ipse vero Pater Amadæus cognoscens instabilitatem ipsius magnificæ dominæ, ut eam magis in fide Christi et multos . . . . . confirmaret, quamdam particulam funis, quo ligatus fuit Dominus noster Jesus Christus tempore passionis suæ, F quam secum habebat, in ignem posuit, et tamen incombustus et illæsus remansit ipse funis. Demum istam particulam funis in uno vase pleno aquæ posuit et quodammodo contra naturam talis rei ad fundum illico ivit, et ex illa aqua, in qua posita fuerat illa particula funis, dedit bibere illi filio sic graviter infirmo, ut supra, et multis aliis diversis languoribus et infirmitatibus laborantibus, ibi astantibus in honore Dei et Virginis Mariæ; qui cum gustassent, statim sani gratia Dei effecti fuerunt, ut retulit idem Frater Ægidius. Quibus visis ab ea magnifica domina operam dedit, superveniente etiam et coadjuvante præfato magnifico domino Comite ejus conjuge, et supervenientibus eleemosynis aliorum convicinorum, ut ipse Conventus et ecclesia prædicta construerentur; quem etiam idem Pater Fratribus Consocietatis suæ communivit. Quædam alia etiam relata fuerunt per eumdem Fratrem Ægidium, et per Fratrem Joanem Alemanum, et per quemdam Fratrem Bonaventuram de Cremona, quæ dicuntur acta fuisse in civitate Romæ et partibus circumstantibus, quæ hic brevitatis causa et temporis angustia omittuntur.

142 Ex eis, quæ videre et audire, ac perspicere

Ex ms. varios Congregationis suæ Conventus obtinet.

cere potui, etiam ex relatione multorum diversorum fide dignorum talis fuit ejusdem Patris vita, et bonæ consuetudinis ac Religionis observantia, qua usque ad sexdecim Conventus sub eadem Regulari observantia Fratrum Minorum sancti Francisci, et sub custodia sua, sub obedientia tamen reverendorum dominorum Ministrorum Generalium totius Ordinis præfati, et cum eorum et DD. Ministrorum Provincialium ac DD. Diœcesanorum, ac illustrissimorum Principum ac DD. temporalium venia et benevolentia, Deo favente et cooperante, et auctoritate Apostolica intercedente et concedente, Romæ, Mediolani, et alibi in Italia fundasse dicitur; eaque erexit atque construxit et construi fecit ad Dei et gloriosissimæ Virginis Mariæ, quibus totus deditus erat, laudem, gloriam et honorem et seraphicæ Religionis præfatæ augmentum, quorum omnium ipse Pater, dum vixit, fuit Custos dignissimus et quos quidem Conventus maxima cum diligentia bonis Fratribus de observantia Regularibus ejusdem Ordinis et observantia communivit. Quem quidem Patrem Amadæum in eadem Regulari observantia perseverantem, et ejus paupertatem ac observan- B tiam multi fideles sua exemplari vita, relictis eorum opibus et seculari vita, in eadem Regulæ suæ observantia, secuti sunt. Et eos, quos in ejus commendationem suscepit, spiritualibus, et optimis exhortationibus doctrinisque ad salutem instruxit, et tam verbo quam opere et exemplo tum omnibus viribus eos ædificavit.

ANNOTATA.

a *Sixtus IV electus est summus Pontifex mense Augusto anni 1471. Hinc præterpropter colligi potest tempus, quo tunc Beatus noster Romam discessit.*

b *Est antiquum Liguriæ oppidum, nunc ad ducatum Mediolanensem spectans, et in Dertonensi agro situm prope Scriviam fluvium. Unde vulgo* Castel-novo di Scrivia *vel* Castel-novo Tortonese *dicitur, ut ab aliis ejusdem nominis oppidis distinguatur.*

c *Hic legendum puto* in Tortonensi agro *vel* diœcesi: *nam* Dertona, *Italice* Tortona *est urbs episcopalis et caput agri Dertonensis, de qua geo-* C *graphi passim obvii plura tradunt.*

d *Illustrissimus Gonzaga in Opere supra laudato pag. 367 de hoc Conventu breviter meminit; sed ibidem fatetur, sibi originem et fundatores ejus ignotos esse. Unde facile colligimus, ipsum hæc Acta præ oculis non habuisse.*

e Scandrilla *sive* Scandrilia *est pagus, a quo Conventus S. Mariæ de Gratiis, tanquam loco sibi viciniore cognomen accepit, ut illustrissimus Gonzaga in supradicto Opere pag. 188 testatur his verbis:* Distat autem hic locus a pago Scandrilla, a quo tanquam a nobiliori sibique viciniori dominationem accepit, licet a pluribus locus Ponticellii dicatur, duobus milliariis, et a sui erectione usque ad annum Domini MDLXVI Amadeis Patribus subfuit. *Dein ibidem ad gloriam Beati nostri hæc addit:* Invisere adhuc licet hoc in loco ejusdem Patris Amadei et cellulam et mantellum, ad cujus contactum, divina operante virtute, plures a diversis languoribus curantur liberanturque.

f *Hic pro* episcopatu Salmensi *verosimillime legendus est episcopatus Sarnensis: nullus enim episcopatus Salmensis in Italia invenitur. Est autem Sarnum urbs parva regni Neapolitani in provincia Principatus Citerioris, episcopalis sub archiepiscopo Salernitano. Hoc nomen alteri susbtituendum esse, etiam conjicimus ex Ughello, qui in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo VII col. 560 agit de episcopatu Sarnensi, ac ibidem post recensitos varios urbis Sarnensis dominos testatur, eam post multa secula* Ursinis Nolæ comitibus, Coppolis, Tutavillis, ac Columnensibus dynastis titulo Comitatus *cessisse, et suo tempore sub regia potestate fuisse.* D

g Bladum *ab auctoribus medii ævi usurpatur pro frumento, ut jam sæpe alibi dictum est.*

CAPUT XIV.

Discessus Beati Roma in Lombardiam, pius obitus Mediolani, honorificæ ibidem exsequiæ, et miracula, quæ ante sepulturam ejus patrata sunt.

E

Beatus Roma in Lombardiam reversus,

Verum cum de anno MCDLXXXII proxime elapso, sicut Deo placuit, a præfato sanctissimo domino Papa Sixto in Provincia Lombardiæ et Mediolani ad visitanda ipsa monasteria, seu Conventus suos, veniam obtinuisset, a civitateque Romæ recessisset, et demum in itinere Conventus suos visitando ad civitatem Placentiæ devenisset, quidam Frater Jacobus tertii Ordinis S. Francisci civis Placentiæ, locum, quem ipse Frater Jacobus in honorem sancti Bernardini nuperrime construi fecerat intra muros ipsius civitatis Placentiæ eidem Patri obtulit, ipsumque solemniter et libenter, præcedentibus prius legitimis Ducalibus litteris, et aliis privilegiis, in similibus necessariis, eidem Patri libere in ejus custodia dedit. Quem quidem locum ipse Pater ad Dei laudem, gloriam et honorem ac præfatæ Religionis augmentum accepit, eumque Fratribus ejusdem Societatis suæ in regulari observantia communivit. Demum Mediolanum veniens circa finem mensis Junii ejusdem anni MCDLXXXII, in Conventu præfato Sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani sic inscripto, Deo sic providente et permittente, applicuit, ubi per aliquos dies multum ægrotus moram fecit, Romam tamen ejusdem sanctissimi domini Papæ jussu cito regressurus. F

Mediolani in morbum incidit,

144 Et cum jam per aliquos dies in eodem Conventu pro eorum Fratrum, ibi tunc adstantium visitatione, et consolatione permansisset, disposuissetque pro obedienta prælibati sanctissimi domini nostri, domini Papæ in tempore sibi statuto Romam redire; et dum jam a Mediolano Laudæ, deinde Placentiam, et denique Romam iter haberet, cum distaret ab urbe Mediolani, ut a fide dignis relatum fuit, ad primum lapidem, extra Burgos *a* Portæ Romanæ Mediolani, cœpit dolore laterum laborare; tamen ab itinere non desistens, dum procederet, dolor crescebat, adeo quod intellexit, divinam esse voluntatem, ne ulterius procederet, sed Mediolanum rediret, ubi suos finiret dies: et cum ad Conventum prædictum Sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani applicuisset, et cellam suam intrasset, ut a Fratribus suis fide dignis relatum fuit, statim se mortem cum vita Mediolani commutaturum judicavit.

145 Paucis vero post diebus febri continua, et

et ibidem anno 1482 pie moritur, b

A et pleurisi *a*, ac ilium seu laterum doloribus eodem in Conventu detentus seu percussus fuit, qua ægrotatione crescente et invalescente, dum discipulus suus, nomine Frater Anselmus Romanus, quem Guardianum ipsius Conventus de proximo instituerat, eidem Patri extremam unctionem conferre vellet, idem Pater prænuntians dixit, eum discipulum eo prius moriturum; sed eum Patrem ipsum cito secuturum. Et cum ipse Pater valde gravaretur, quidam Prandus de Mapello, Mediolanensis secularis, multum ejusdem Patris familiaris et benefactor, cum jam mensibus tredecim antea infirmus febri fuisset, et adeo multum enervatus et debilitatus esset, privatusque dormiendi seu quiescendi facultate ac comedendi appetitu exstitisset, memorati Patris domini Fratris Amadæi sanctitate fretus cellam ingredi voluit, in qua tunc Pater ipse ægrotus jacebat, a quo maxima cum instantia et fide benedictionem habere procuravit et voluit; qua habita, ut ipse Prandus asseruit et juramento suo affirmavit, statim sanus, atque incolumis effectus fuit. Demum post paucos dies idem Frater Anselmus infirmatus decessit in eodem
B Conventu mane, et dum in vesperis circa horam vigesimam *c* ipsius Fratris Anselmi fierent exsequiæ, ipse Pater Frater Amadæus, vocatis Fratribus ejusdem Conventus, Deo miserante, eadem die et hora vesperarum circa horam vigesimam in festo S. Laurentii Martyris, *quod fit die decima mensis Augusti*, anni MCDLXXXII suum religiosissime Deo et naturæ reddidit spiritum et hujus vitæ diem suum clausit extremum, cujus memoria vivet in æternum.

multis ad venerandum cadaver ejus confluentibus.

146 Quo Fratre Amadæo sic defuncto, ut præmittitur, et delato corpore suo in sacristia ipsius ecclesiæ Sanctæ Mariæ de la Pace in vesperis, ut inde postridie deferretur in ecclesiam, et ejus fierent exsequiæ, et sepeliretur, quidam Frater, Guillelmus nomine, habitator Mediolani apud ecclesiam S. Petri in Salla extra muros portæ Vercellinæ Mediolani eremita, reperiens se ibi in dicto Conventu esse, ipse disposuit se cum aliis Fratribus ejusdem Conventus in ipsa sacristia ad custodiendum corpus ipsum. Nocte sequenti considerans ejusdem Patris austeram et religiosissimam vitam et in adversi-
C tatibus suis patientiam, multum ad Deum pro eo hoc medio tempore orabat, et cum quodam magno dolore cum inflatione in uno genu jam pergravatus esset, ipse eremita orationem et votum ad ipsum Patrem jam vita defunctum pro ejus sanitate direxit, quam, ut ipse asseruit, statim consequutus fuit.

inter quos varii ægri

147 Mane autem facto, delato corpore ipsius Patris Fratris Amadæi in eadem ecclesia Sanctæ Mariæ de la Pace, ut sepeliretur, parataque essent omnia ad ejus exsequias faciendas, eodem mane, et eo corpore in eadem ecclesia super feretro existente, ecce magna populi multitudo ad eamdem ecclesiam cucurrit ad visitandum ejusdem Patris domini Fratris Amadæi sic defuncti corpus, et confidentes de ejusdem Patris sanctitate, multi nobiles, et Doctores, et Religiosi et Prælati et primores viri, aliique mares et feminæ diversarum qualitatum ad eum properanter currebant; et multi ex eis præ maxima eorum devotione osculabantur ejus membra, et accipientes de fune, quo cingebatur, et de tunica, qua indutus erat, maxima cum devotione ipsum tanquam Sanctum et Beatum venerabantur, et ipsum, ut apud Deum et Virginem Mariam pro curandis infirmitatibus suis intercederet, votis et orationibus ac luminaribus precabantur: et adeo ejusdem populi crevit multitudo, ut sepeliri nequiret, nec Fratres ejusdem Conventus ab hujusmodi visitatione eum defendere poterant præ nimia multitudine, et oculis hominum assidue inspicientibus, gratiis et miraculis multis coruscantibus, ita quod usque ad tertiam diem continue corpus ipsum super terram remansit. EX MS.

patrocinium Beati implorantes

148 Tertia autem die, factis prius exsequiis ac officiis diversimode funebribus per plures Clericos venerabilesque Patres, etiam per dominos Fratres Conventus Sancti Francisci portæ Vercelinæ Mediolani propriis motu et devotione ductos, et per Fratres ejusdem Conventus Sanctæ Mariæ de la Pace in quodam [sarcophago] ligneo ante altare majus ejusdem ecclesiæ honorabiliter sepultum fuit. Quibus diebus omnibus multa mirabilia et prodigia ac gratiæ diversis personis ad eum confugientibus ejus meritis et intercessionibus a Deo collata esse dicuntur; de quibus ex multis aliqua præclara, et memorabilia de ejusdem venerandi Patris domini Fratris Amadæi prodigiose gestis et in specie brevissime infra annotantur videlicet, quædam nobilis mulier, Magdalena nomine, uxor magistri Francisci Bombarderii E
Mediolanensis dixit ac suo juramento affirmavit in effectu, quod cum per quinque annos vel circa, antea quemdam morbum, quem vulgus appellat coleram cancherencam *d*, insanabilem in persona propria circa umbilicum, et partes inferiores maxima cum anxietate pateretur, ita quod quodammodo ut leprosa et incurabilis a medicis judicabatur, aliquandoque etiam insurgerent aliæ intrinsecæ infirmitates intolerabiles, et aliquando maximo cum sanguinis vomitu ex ore suo, ita quod sæpissime pro mortua habebatur, quæ omnes ingenio humanoque opere insanabiles esse dicebantur; tandem visitato et tacto corpore ipsius Patris domini Fratris Amadæi, tunc in ecclesia Sanctæ Mariæ de Pace Mediolani adhuc super feretro defuncti, porrectisque ad eum precibus et facto voto, statim ab hujusmodi infirmitatibus suis omni ex parte sensit se liberatam et mundatam; nec abinde citra ab eis sensit molestiam, et quæ omnia palam ipsa mulier coram omnibus prædicabat.

statim sanitatem impetrarunt.

149 Quidam Stephanus de Basilica Petri habitator Mediolani retulit, et ut supra, quod dum febri intensa, capitis dolore, debilitateque crurum et pedum oppressus esset, et non nisi sustentaculo inhærens ire posset, gressus ad prædicti Patris domini Fratris Amadæi corpus visitandum, oratione et voto perfectis, corporeque ipso tacto, statim liberatus et sanus effectus fuit. F

Quidam Magister Vincentius Pestagalla, pictor Mediolanensis dixit, quod, cum juxta genitalia apertus et concrepatus esset, oratione et voto ad præfatum Patrem jam vita functum emissis, corporeque ejus tacto, bonam statim valetudinem consecutus fuit.

Quidam Magister Antonius Vinceniala Mediolanensis dixit, ut supra, quod, cum haberet filium suum pupillum, altero lumine privatum seu cæcum, voto facto eidem Patri domino Fratri Amadæo jam defuncto, et devotione subsequenti intermissa, intra tres dies sine aliis medicaminibus eum invenit liberatum et illuminatum.

Relatum quoque fuit de quadam nobili adolescentula, filia nobilis domini Antonii de Brema causidici Mediolanensis utroque lumine orbata, ita quod oculis suis parum videbat, abhorrebatque lumina, et aerem ac solis splendorem, contactisque suis oculis manu præfati Patris Amadæi tunc

Ex MS. tunc defuncti, adhuc super feretro existentis in ecclesia prædicta, ut et ipsa suo juramento affirmasse dicitur, cepit aliquantulum luminis, et domum rediit sine offensione solis et aeris, et postea ex brevi duorum dierum intervallo, non cessante ipsius devotione, clarum lumen assumpsit, et ipsa sua infirmitate libera remansit.

ANNOTATA.

a Burgus *hoc loco videtur significare suburbium, ut ex sensu colligi potest.*

b *Hic morbus vocatur Italice* pleurisi *vel* pleuresia, *a quo nomine auctor hoc loco vocem illam Latine inflexit, cum tamen proprie appelletur* pleuritis, *et in ablativo* pleuritide *inflectatur.*

c *Hic horæ computantur more Italorum, qui ab occasu solis horas numerare incipiunt, ita ut hora vigesima hic vesperam indicet.*

d *Est species cancri, qui ab atra bili gignitur, ut Gorræus in Definitionibus medicis tradit.*

B

CAPUT XV.

Alia miracula, quæ post sepulturam Beati usque ad annum 1486 contigerunt.

Multi ægroti a Quidam Frater Augustinus Ordinis Humiliatorum *a* Mediolanensis dixit, et ut supra, quod, dum quinque usque in septem dies post mortem prænominati Patris domini Fratris Amadæi premeretur atque necaretur dolore quodam, et inflatione in gula intolerabili, ut a medicis insanabilis quodammodo relictus esset, nullamque haberet viam, qua anhelitum emitteret, nisi gula ipsa aut ferro perforaretur, aut multis et multis medecinis longo tempore afficeretur, cum adeo crudele et periculosum aut mortiferum videretur, præfato domino Patri Fratri Amadæo jam vita functo se commendavit, qua commendatione una cum voto facta, cum aliquantulum dormisset, sanus surrexit.

Quædam domina Catharina uxor domini magi- C stri Joannis Ungarii Fixiti Mediolani commorantis, prostrata, ut dixit, doloribus colicis cum per dies quatuor non nisi supina jacere, nihilque cibi vel potus tunc temporis per horas quadraginta tres sumere potuisset, et quanto meliora aut crebriora ei fierent medicamenta, tanto magis gravaretur, ut nulla penitus de ejus vita spes esset, memoria repetens, se in domo habere aliquid de cingulo ipsius domini Fratris Amadæi jam defuncti, et eo cingulo ad corpus proprium cum devotione et spe apposito, factoque voto ad eumdem, statim ab eis doloribus et infirmitate liberata fuit, appetens refectionem, et proclamans; Ego, inquit, beati Amadæi meritis sum liberata.

utriusque sexus 151 Quædam Catharina nomine de Longono Mediolanensis prægnans, sed adeo febri continua gravata, sicut dixit, ita quod a medicis judicabatur nullum in ea sanitatis remedium, nisi effusione partus abortivi; quod renuens, ad præfatum Patrem Amadæum jam defunctum conversa, et emisso voto, ipsa febre liberata fuit absque abortu.

Quædam nobilis domina Franceschina nomine, Mediolanensis dixit, quod, cum ad sepulturam præfati Patris domini Fratris Amadæi quemdam ejus nepotem infantem detulisset, jam diu evidenter cum una tibia extorta et debili gravatum, ita quod rectus ire non posset, nec ea tibia se juvare, facta oratione et commendatione ad præfatum venerandum Patrem jam defunctum, et audita Missa in eadem ecclesia, ipse infans statim sanus et rectus tibia redditus fuit. D

Quædam juvenis, nomine Margarita de la Cruce Mediolanensis dixit, quod, cum jam diu dolorem et debilitatem stomachi pateretur, ita quod quasi nihil in stomacho remanere posset, præfato Patri domino Fratri Amadæo jam defuncto facta commendatione, et oratione et voto per ejus matrem, sana effecta fuit, nec abinde citra molestiam aliquam passa fuit.

Quidam Frater Bernardus Cremonensis ex Ordine fratrum Minorum dixit, quod, dum jam pluribus annis crepatus seu apertus esset juxta genitalia, ita quod non nisi magno cum labore ire posset, facta ad præfatum Patrem jam defunctum oratione et commendatione, in brevi bonam valetudinem absque alio remedio et opere humano consecutus fuit. E

152 Prænominatus dominus Palamides de Carpanis dixit, quod cum a certis proximis mensibus *et variæ conditionis* citra ob maximos labores, quos in equitando sustinuit, in fundo ventris super pectenegium *b* in inguinibus crepatus seu apertus esset, et aliquando aliqua inflatione et tumescentia ac dolore equitando afficeretur, fretus memorati Patris domini Fratris Amadæi sanctitate, visitata sepultura ejusdem Patris, et audita Missa in eadem ecclesia, factaque eidem commendatione et emisso voto, bonam convaletudinem consecutus fuit, nec abinde citra, ut dixit, ab ipsis inflatione et tumescentia ac doloribus consuetis nullam passus fuit etiam equitando molestiam.

Quædam nobilis mulier, nomine Isabetha de Ambus Mediolanensis dixit, quod, cum de mense Decembris anni cursi MCDLXXXII, quo anno decessit idem Pater dominus Frater Amadæus, ea existente apud ignem in domo habitationis suæ, quædam scintilla corticis ovi igne succensi in oculum proprium prosiliisset, et in eodem oculo cicatricem reliquisset maximo cum ardore, nec ex eodem lumen haberet: ex quibus ipsa cum paupercula esset, multum afficiebatur, timens lumen oculi in totum perdidisse, ipso die vesperi memoria repetens se F aliquid de cappa seu tunica ejusdem Patris jam defuncti habere, et ad devotionem ejusdem confugiens ea particula cappæ cum vitta oculo supposita orationeque et commendatione ad eumdem Patrem facta, ad quiescendum ivit, et cum mane surrexisset, invenit, se ardore et cicatrice prorsus liberatam sine alio medicamine, acsi nunquam ab eo igne læsa fuisset.

Quidam Magister Antonius de Pergamo, textor Mediolanensis dixit, quod, cum quædam puella ejus neptis, videlicet filia fratris sui, jam mensibus tredecim vel circa, febre ethicali *c* afficeretur, essetque multum extenuata, nec ejus vitæ aliqua spes esset cum aliæ tres sorores parvulæ ex eisdem parentibus natæ, tali infirmitate prius decessissent, et ejusdem puellæ mater de mense Decembris anni MCDLXXX[illegible] ad devotionem ejusdem Patris domini Fratris Amadæi confugiens, ipsam filiam suam infirmam eidem Patri commendavit, et apposita quadam particula cappæ seu tunicæ ipsius Patris jam defuncti super dorsum ipsius puellæ per tres dies, tandem febris ipsa eam dimisit, et demum ab ea infirmitate ethicali prorsus brevi liberata remansit.

153 Quæ-

A 453 Quædam domina Catharina de Hava Mediolani habitans dixit, quod, cum de mense Augusti anni MCDLXXXII haberet filium ætatis annorum viginti vel circa, infirmum et stultum, ipseque filius jam antea alia Dei gratia liberatus esset a gravi febre; sed relictus esset stultus, ita quod multas stultitias, et quodammodo intolerabiles agebat, se in aquis periculosis projiciendo et vestimenta abjiciendo, et se in sepulturis mortuorum ad dormiendum et aliis extraneis ac turpibus locis se apponendo, multotiens matrem suam et alios verberando, et multas alias insanias et stultitias spatio duorum mensium, vel circa antecedentium, sine aliquo intellectu faciendo, ipsa mater filium suum bonis verbis ad ecclesiam Sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani duxit, ubi adhuc ipse Pater dominus Frater Amadæus mortuus super feretro jacebat nondum sepultus: et cum illuc applicuisset, videns, se non posse ire ad corpus ipsum, nec feretrum, super quo repositus erat, propter maximam personarum ibi circumstantium multitudinem, accepit biretum dicti filii sui, et illud Fratribus custodientibus dictum corpus tradidit; ut tangerent cum eo bireto corpus præfati Patris Fratris B Amadæi defuncti, ipsumque filium suum eidem Patri assidua oratione commendavit: quo tacto bireto, et eo super caput ipsius filii sui restituto, ipse filius suus sanus effectus est, quem postea humiliter domum duxit, nec abinde citra ullas stultitias fecit, quam gratiam ab altissimo Deo habuisse putavit, et putat meritis, ut firmiter credit, ipsius Patris domini Fratris Amadæi, et ad Dei laudem, gloriam et honorem.

ad patrocinium B. Amadei confugientes

454 Jacobinus de Curte filius quondam domini Martini civis Mediolanensis dixit in effectu, quod, dum de mense Augusti anni cursi MCDLXXXIII proxime præteriti esset ipse detentus in carcere Bassi pontis Castri portæ Jovis Mediolani, jussu illustrissimorum dominorum D. Ducis Mediolani et domini Ludovici ejus D. Ducis Gubernatoris propter quasdam imputationes de eo factas, ob quas præfati domini deliberaverunt eum Jacobinum suspendi facere per gulam, ipseque Dominus Ludovicus in faciem ipsius Jacobini ore proprio dixisset, eum per gulam suspendi velle, et jam fama esset per totam civitatem Mediolani, quod suspensus erat vel suspenderetur: dum repositus C esset in dicto carcere vesperi die quinta ipsius mensis Augusti, expectaretque diem extremum vitæ suæ, quo suspenderetur, videlicet in die sequenti, nocte vero sequenti recogitans ipse Jacobinus, se juvenem nobilissimæ domus Mediolani esse, et cum habere multos affines, agnatos, et cognatos nobilissimos, et debere tam atroci et turpi morte finem suum facere, multa vota Deo ipsa nocte protulit, ut ab ipsa atroci morte liberaretur, et tandem memoria repetens de sanctitate et gratia præfati Patris domini Fratris Amadæi jam diu defuncti, cujus meritis et intercessione multa miracula et multæ gratiæ credebantur ab Altissimo obtineri, ad eumdem Patrem assidua oratione animo et voto recursum habuit, ut pro eo apud Deum et gloriosam Virginem Mariam gratiam obtineret, ne hujusmodi crudeli et turpissima morte vitam suam finiret, promisitque etiam ecclesiæ Sanctæ Mariæ de la Pace, seu Conventui supradictæ ecclesiæ Mediolani se oblaturum et largiturum certos ducatos aureos pro ipsa ecclesia perficienda, cum posset. Quo voto emisso, et commendatione facta, statim ipse carcer, licet de nocte et totus clausus et obscurus esset, totus illuminatus fuit per temporis spatium minimum.

statim opem experti sunt,

Mane autem sequenti cum coram præfato illustri domino Ludovico deductus esset ipse Jacobinus, vidit ipsum prælibatum dominum totum placatum et benevolum, a quo læto animo et absque alia læsione, Dei gratia et Virginis Mariæ, dimissus fuit: quam quidem gratiam firmiter credit ipse Jacobinus ab altissimo Deo obtinuisse meritis et intercessione ejusdem venerandi Patris domini Fratris Amadæi Hispani, quem credidit in numero aliorum Sanctorum aggregatum esse. EX MS.

455 Dicitur de quodam domino Bertolino Pizenino armigero illustrissimi domini D. Ducis Mediolani habitatore loci Pandini, qui fecit protestationem infrascripti tenoris rogatam per notarium authenticum, cujus quidem protestationis tenor talis est, videlicet: In Nomine Domini. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Indictione quarta, die sabbathi vigesimo mensis Maii, dominus Bartolinus Pizeninus armiger illustrissimi domini D. Ducis nostri Mediolani, filius quondam D. Guillelmi, de Mediolano, habitator loci de Pandino Ducatus Mediolani, voluntarie sponte, et ex certa scientia, animoque deliberato et non per aliquem errorem juris nec facti, omnibusque modo jure, E via, et forma, quibus melius potuit et potest, ad æternam rei memoriam, et ut beatitudo infrascripti domini Beati Fratris Amadæi elucescat, dixit et protestatus fuit, et dicit et protestatur, quod existente domina Lucia de Cursis de Pandino, filia quondam domini Zamin, habitatrice supradictæ terræ Pandini, ejus domini Bertolini uxore infirma quadam infirmitate, quod ipse Bertolinus non valebat uti secum matrimonio propter matricem, quæ vulgariter nuncupatur la madre; quæ descendebat cum effusione magna sanguinis putridi e natura, et etiam cum tanto fœtore, qui ab ea natura emanabat, quod impossibile erat se ei uxori suæ appropinquare, et quod unquam ei veniebat menstruum suum, et hæc infirmitas duravit per annos tres continuos præteritos jam anno uno proxime præterito, quo Bertolino apparuit in somniis una nocte quidam Frater indutus biretino *d*, et fecit ei signum crucis versus ejus faciem, et statim se absentavit. d

et intercessione ipsius

456 Et tunc venit ei in mentem beatus Frater Amadæus Ordinis Fratrum Minorum, et se ei beato Amadæo vovit hoc modo, si ipsa uxor sua remaneret libera a dicta infirmitate, de donando F unam imaginem ceream et torgias *e* duas cereas magnas et longas, prout dicta ejus uxor erat, e ecclesiæ Sanctæ Mariæ de la Pace Mediolani, ubi corpus præfati beati Amadæi jacet, et de eam ejus uxorem a dicto loco Pandini usque ad dictam ecclesiam Mediolani conducendo: et facto dicto voto, statim et incontinenti dicta infirmitas cessare incepit, et infra mensem unum tunc proxime futurum remansit liberata ab ipsa infirmitate in totum, ita et tali modo, quod nunc et jam pluribus diebus et mensibus præteritis effecta est tam libera, quod ipse Bertolinus utitur matrimonio secum, quemadmodum et prout erat, quando eam duxit ad maritum: et nihil ex dicta infirmitate nunc timet, et quod ei Bertolino etiam infra mensem unum post primam vicem apparuit in somniis quidam indutus cappa cum capuccio ad modum unius Fratris; sed videbatur ei esse drapi setæ *f*, f cujus colorem ignorabat, ostendens se dicto Bertolino retrorsum tantum. Quæ omnia dictus Bertolinus dixit et protestatus fuit in præsentia dictæ dominæ Luciæ uxoris suæ, quæ etiam confirmavit et affirmavit prædicta vera esse, videlicet

pristinam sanitatem obtinuerunt.

de

Ex Ms. de infirmitate supradicta et etiam de liberatione, prout supra. Exceptioni dictus Bertolinus non factæ dictæ protestationis sic et taliter ut supra, et prædictorum et infrascriptorum omnium et singulorum non ita actorum et factorum omnique probationi et defensioni in contrarium: et de prædictis per me rogatum fuit, per me notarium infrascriptum publicum confici debere instrumentum. Actum in domo habitationis domini Benedicti de Lambardis sita in porta orientali, parochia Sancti Pauli in compedo Mediolani, præsentibus protonotario, Joanne de Mendotio filio quondam domini Galvanæi et Joanne-Andrea de Cribillis filio domini Laurentii, ambobus portæ orientalis parochiæ S. Georgii ad puteum album Mediolani notarii. Interfuerunt ibi testes magister Joannes de Arimino, filius quondam domini Jacobi portæ Romanæ parochiæ Sanctæ Mariæ secretæ Mediolani notus, Andreas de Filago, filius quondam magistri Joannis portæ Romanæ parochiæ Sancti Chaldini Mediolani, et Franciscus de la Strata, filius quondam domini Leusuni portæ novæ parochiæ Sancti Bartholomæi intus Mediolani omnes testes idonei vocati et rogati.

Ego Augustinus Stantius, filius domini Francisci civitatis Mediolani portæ Vercelinæ, parochiæ Sanctæ Mariæ ad portam, publicus imperiali auctoritate notarius, rogatus tradidi et subscripsi et glossavi, ubi legentur eadem.

ANNOTATA.

a *Sanctus Pius V Pontifex anno 1571 hunc Ordinem Humiliatorum exstinxit, ut apud historicos obvios videre est.*

b *Biographus hoc nomen composuit ab Italica voce* petteneggio, *quæ ab anatomicis Latine* pecten *vocatur.*

c *Communiter vocatur* febris hectica, *de qua consule Gorræum in Definitionibus medicis ad vocem Græcam* ἑκτική.

d Birrus *vel* birretinus *aliquando sumitur pro qualibet veste, tunica vel chlamyde, ut apud Cangium in Glossario licet videre.*

e *Hic* torgia, *Italice* torchia, *tædam ceratam seu facem significat, ut ex sensu liquet.*

f Seta, *quæ vox Italica est, interdum pro serico usurpatur.*

B E

UNDECIMA DIES AUGUSTI

SANCTI QUI III IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Alexander Carbonarius episc. mart. Comanæ in Ponto.

S. Tiburtius M. } Romæ et in Campania.
S. Chromatius ejus pater M. } Romæ et in Campania.
SS. Socii etiam mart. } Romæ et in Campania.

S. Susanna virgo martyr Romæ.

SS. Martyres anonymi Nicopoli.

S. Digna virgo martyr Tuderti in Italia.

S. Rufinus M. Marsorum in Italia episcopus.

S. Taurinus episc. conf. Ebroicis in Gallia.

S. Agilberta virg. Abbatissa Jotrensis in Gallia.

S. Rusticula virg. abb. Arelate in Gallia.

S. Gaugericus episc. Camerac. in Belgio.

S. Gerardus confess. Castro-Gallinario in diœcesi Sorana in Ital.

C F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Saratam, Attractam *seu* Taharatam *Virginem Hibernam hoc die coli notat Colganus in nonnullis Hibernis Hagiologiis: addere poterat et Usuardum Hagenoyensem, hoc die inter Auctaria sic annuntiantem:* Item in Scotia, S. Aratæ virginis et sanctimonialis, quæ invocatur ad liberationem captivorum, et suffragatur hominibus in pestilentia. *Cætera vide eo die quo colitur et de ipsa pridem actum est* IX Februarii.

In Sarchinio, translatio corporum sanctorum Trudonis et Eucherii confessorum Christi. Ipso die elevatio eorumdem Sanctorum quæ facta est solemniter a domino Rudolpho Leodiensi episcopo, *hodierna est Molani annuntiatio inter Auctaria Usuardina, de qua vide quæ fuse dicta sunt ad* XV Februarii.

Treviris in majori ecclesia translatio capitis S. Mathiæ Apostoli *signatur in Usuardinis Coloniensibus, uti et a Florario nostro Ms. Vide dicta de Sancto* XXIV Februarii.

S. Equitius abbas *in provincia Valeria signatur hoc die in Martyrologio Romano aliisque paucis: ast ejus natalis ad eum diem pertinet quo de ipso pridem actum est, ubi et rationes invenies cur et hoc die festive celebretur. Vide igitur* VII Martii.

Sanctos martyres Neophytum, Gaium et Gaianum: item Zenonem, Marcium et Macarium *dedimus die* IV *Maii, tom. I istius mensis, pag. 471; injecta ibidem mentione, eos signari in aliis Græcis tabulis hac die* XI *Augusti: de quo hic visum, monere lectorem. Videat ergo dictum diem* IV Maii.

SS. VII

A SS. VII Dormientium surrectio *memoratur hoc die a Greveno et Maurolyco. Videatur tota ipsorum historia die quo ab Ecclesia coluntur* XXVII Julii.

S. Secundianus martyr *hoc die Clusii annuntiatur a Ferrario. De eo et sociis actum est* IX Augusti.

Sancti martyris et archidiaconi Laurentii *memoria exstat in Typico, quod vocatur S. Sabbæ. Spectat ad* X Augusti.

S. Auctoris depositio in civitate Metis *non recte hoc die signatur in Usuardino codice Luxoviensi, de ipso ex aliis egimus die præcedenti* X Augusti.

S. Asteriam *Bergomensem loco hic iterum non suo collocat idem Ferrarius. De eam pridie cum Martyrologio Romano diximus* X Augusti.

Venerabilis Plectrudis *Pepini Crassi seu Heristalli dignissima, sed artibus Alpaidis repudiata conjux, Parthenonis Capitoloni Coloniæ fundatrix a Gelenio paucisque popularibus* Beatæ Sanctæ et Divæ *titulis hoc die exornatur. Nec labori nec sumptibus peperci ut unde unde veri cultus ei unquam exhibiti vestigia eruerem. Verum cum in nostris Martyrologiis etiam recentissimis nulla ejus reperiatur memoria, neque* B *corpus unquam elevatum e terra fuerit, neque proinde reliquiæ venerationi expositæ reperiantur, demum nec ulla prodantur miracula, non video mihi licitum esse, eam inter Sanctos in hoc opere collocare. Adducunt Raderum in Bavaria sua Sancta, quod origine Bavara fuerit : ad tantumdem evincit ipse, pro legitima Sanctorum veneratione ei delata. Missa est ad me Colonia delineatio imaginis ejus lapide in extima muri facie ecclesiæ B. M. V. in Capitolio ad Orientem exposita cum* S. Plectrudis Reginæ *titulo, Coloniæ, ut jam dixi, pridem recepto. Item Litaniæ aliquæ satis arbitrariæ, quibus et alia nomina Sanctorum æque dubiorum inserta sunt. Aiunt etiam commemorationem aliquam fieri die ejus obitus. Et merito sane, quemadmodum ubique recolitur, memoria fundatorum et benefactorum, qui certe non ideo Sanctis accensentur. Verbo dicam ; nihil a me neglectum est quo inter Sanctos collocari posset tot aliunde titulis clarissima* Plectrudis. *Si monumenta alia paulo firmiora accesserint, alibi de ipsa agi poterit.*

De Leodebaldo *abbate S. Aniani Aurelianis, et* C *fundatore Floriacensi memini ad diem* XII *Augusti in Prætermissis occasione alterius synonymi Trecensis, ibidemque rem omnem a Majoribus determinatam monui ad* XIV *Junii, ut prorsus non capiam cur a Castellano hoc die referatur in Martyrologio suo universali.*

Donoaldus *aliquis Milliaci prope Bellovacum a solo eodem Castellano annuntiatur, ut qui* ab impiis occisus sit. *Laudo Viri diligentiam in eruendis Sanctis, verum majori aliqua auctoritate opus, ut hic inter ipsos admittatur.*

Beatissimi P. N. Theodori et Basilii Petschiuricorum, pass. Kioviæ ob thesaurum a principe Mstislavo, Suiatopolski filio. *Legitur ita in nostro Menologio Ms. Slavo Russico Sparwenfeldiano. Plura de his nescimus ex aliis hoc die Fastis sacris, præter hoc unum, quod in Synaxario Ruthenorum Ms. peculiari diœcesis Kiovensis, a nostro P. Georgio David huc misso aliter signetur memoria VV. Patrum nostrorum Theodori et Basilii Peczeriensium monachorum.*

Goderannum Sanctonensem episcopum, *monachum antea Cisterciensem, inter Sanctos suos in Me-* D *nologio collocat Bucelinus cum longo elogio. Melius, opinor, eum signaverat Castellanus* VI *hujus in additionibus ad Martyrologium suum universale, recte observans, nec cultu gaudere, nec certo eodem die a symmistis etiam suis commemorari.*

Christiana virgo abbatissa Wintoniensis *signatur etiam ab eodem Bucelino ; de qua ejusque cultu vellem aliunde certius edoceri.*

Joannem ab Hagen abbatem *recte venerabilem vocat, non absque insigni elogio.*

Dies festus encæniorum perpulchri, et venerabilis, et divini templi sanctissimæ Dominæ nostræ Genitricis Dei Miserantis Mariæ *notatur hoc die in Menologio Sirleti. Ædes hæc Deiparæ* Ἐλεούσης *seu* Miserantis *memoratur apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib. 4 pag. 87, et hoc titulo distinguitur ab aliis bene multis ibidem enumeratis pag. 82 et seqq.; eodemque etiam habetur in Menæis magnis typo editis.*

Aileranus *seu* Eleranus sapiens *laudatur variis locis in Vitis Sanctorum Hiberniæ a Colgano editis, ubi non solum* sapientis, *sed etiam* sancti E *appellatione nonnunquam insignitur, testante præsertim eodem Colgano, quod hoc die in solitis suis Hibernicis Martyrologis Mariano et aliis colatur. Mallem, ipsum reperisse in vulgatis Sanctorum Hiberniæ Catalogis, vel saltem in Dempstero aut Camerario ; verum nec apud ipsos nec apud Wilsonum usquam notus est : neque alibi monumenta inveni hactenus, unde ejus sanctitas magnopere possit commendari : si ea suggerantur, alibi de ipso agi poterit.*

Herbipoli Christianum secundum Scotorum abbatem *profert hoc die Dempsterus ; vellem, legitimum ejus cultum alicunde confirmasset.*

Gilbertus episcopus Cicestrensis *in Anglia, annuntiatur hoc die a Ferrario in Catalogo generali citante solum Martyrologium Anglicanum in quo commemoratio ejus signetur. Ipsum in antiquioribus Fastis Wilfordi aut aliorum necdum licuit reperire, utut Virum laudet Westmonasteriensis ad annum 1305, eum vocans* magistrum Gilbertum de S. Leopardo. *Virtutes ejus, sanctitatem et miracula paucis prædicat, ast altum silet de ejus cultu, qui nec alibi usquam asseritur.* F

S. Gaugericum *aliquem Trevirensem episcopum nobis suggerit Florarium SS. Ms. tanquam alterius veri S. Gaugerici Cameracensis avunculum, quæ qua fide nitantur invenies in hodierno S. Gaugerici Commentario.*

Apud Trecas S. Euticiæ martyris, matris S. Taurini, ejusdem urbis primi episcopi, *ejusdem etiam Florarii verba sunt, æque inepte connexa, ut docebunt ea quæ de S. Taurino hoc die dicta sunt.*

SS. Constantius, Marcellinus et socii MM. *hoc die in Florario, uti et plura alia jam notata confunduntur : de singulis loco suo actum est, aut agetur.*

Blictrudis V. *quid ibidem significet, fateor me ignorare.*

Nicolaus Appleine *sacerdos canonicus ecclesiæ collegiatæ de Premery diœcesis Nivernensis in Gallia, pluribus titulis ut* Beatus *ibidem prædicatur, cui adeo illustr. Eustachius de Chery episcopus Nivernensis anno* MDCXLVI, *hoc monumentum poni curavit :* Jacet hic bonæ memoriæ

A vir Nicolaus Appleine presbyter canonicus Premeriacus, qui ob crebra ejus miracula creditur beatus. Obiit XI Augusti MDLXVI. *Mira prorsus sunt quæ de ipso narrantur; at nobis prævenire non licet judicium Sedis Apostolicæ, ut proinde exspectandum omninoill ud sit priusquam Viro quantumvis venerabili locus in hoc nostro Opere tribuatur.*

Gerardus Hovæus *canonicus regularis Ordinis S. Augustini, ut* martyr *hoc die laudatur a Raissio in Auctario ad natales SS. Belgii, ut qui* in Waterlandia pro Christi Salvatoris nostri fide interemptus sit.

Daniel *monachus Cisterciensis insigni elogio ornatur ab Henriquez, verum de cultu nec vestigium.*

Item passio S. Cassiani martyris *et secunda hoc die in codd. Hieronymianis interpolatio, ab eorum stylo aliena; ex qua utinam intelligi posset, quis Cassianus indicetur, quod et alibi in Prætermissis notandum fuit, ejusdem nominis occasione.*

De translatione Coronæ spinæ Domini *agitur in variis nostris schedis Mss. uti et de* inventione

B Sudarii : *quæ et hujusmodi alia ad Christum spectantia remittuntur ad opus de quo jam toties locuti sumus.*

Monoalcus Ordinis Minorum *corrupto, opinor, nomine, cum* Beati *appellatione signatur in solis Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Aut multum fallor, aut indicatur* Monaldus *aliquis, cujus nominis diversi quatuor ab Arturo variis diebus referuntur.*

Simon ab Assisio conf. *Brufortii in Piceno*
Thomas a Curia conf. *in Gallia*
Hadriana Tertiaria *Corsonii*
} *cum titulo Beati referuntur ab Arturo et ultima etiam in Gynecæo.*

Addit Hueberus in Menologio nonnullas Turcarum victimas dum anno 1683 Austriam immaniter depopulati sunt. Inter hos præcipui pugiles enumerantur.

Christophorus Sibenkiener.
Illuminatus Hœlscher.
Albanus Winckler.
Liberatus Andre.
Franciscus Plazer.
Petronius Pfan.
Zacharius Wœrl.
C Gualbertus Lenzer.

Daniel monachus in Claustro *ab admirandis virtutibus et cœlestibus favoribus laudatur ornaturque* Beati *titulo ab Henriquez et Chalemoto. De cultu nihil memorant.*

Addunt ambo commemorationem spineæ Coronæ Domini, cujus festum per S. Hugonem abbatem Bonæ vallis in Ordine *(Cisterciensi)* præcedentibus miraculis instituitur.

S. Aphili, *in Martyrologio nostro Arabico-Ægyptio, ubi et* Theophylacti ac sociorum certamen *signatur. Quales sint, aut quo spectent, e solo nomine quis extundat?*

Narratio de non manu facta imagine Domini nostri Jesu Christi, temporibus Tyberii imperatoris. *Ita Menologium Sirleti; cui adstipulantur Menæa magna excusa, ipsa narrationem prodigiosam diffuse refferentia.*

Helena Torellas *ut Dei famula laudata est a Marchesio in sacro Diario Dominicano. In Anno sancto Belgico et in Viridario Germanico* Beatæ *titulo exornatur.*

Nicolaus Cusanus *S. R. E. Cardinalis celeberrimus locum habet in Floribus ecclesiæ Leodiensis, ut qui ejusdem ecclesiæ archidiaconus fuerit.* D

SS. Photius et Anicetus MM. *habentur hoc die in Synaxario Basiliano : sed eos remittimus in diem proxime sequentem, quo notantur in Martyrologio Romano, ac aliis Tabulis Græcorum,* XII Augusti.

S. Euplus M. *annuntiatur hodie in Menæis magnis Græcorum excusis, ac Menologio Sirletiano. Colitur a Latinis die, quo nos cum dabimus,* XII Augusti.

Mart. Macarii *mentio fit in Kalendario nostro Syriaco seu Chaldaico : qui forte est idem, qui cum Juliano M. inscribitur Martyrologio Romano* XII Augusti.

Sancti martyris Ursicini *martyrio, quod habemus inter apographa nostra Græca e bibliotheca Cæsarea Vindobonensi transcripta, præfigitur dies* XI *Augusti; sed cum Martyr ille in Menæis magnis excusis, Menologio Sirleti, ac Martyrologio Romano sub nomine* Ursicii *vel* Ursitii *notetur die* XIV *hujus, eum differemus ad* XIV Augusti.

De Balduino *Claravallensi monacho, carissimo S. Bernardi discipulo, abbate Reatino, ex Menologio Henriquez locuti sumus in Prætermissis* XV *Julii, cur hoc die signetur a Ferrario in Catalogo generali, prorsus non intelligo : scire potuit, coli ipsum apud Reatinos eo die ad quem ibi eum remisimus* XXI Augusti. E

Canonizatio S. Ludovici regis *in Florario nostro descripta, uti et* translatio Coronæ spineæ *Salvatoris nostri Parisios ab eodem, etiam alibi relata, quemadmodum et* festum Spinæ Domini *in Officio Cisterciensi. Quousque hæc spectant ad ipsam sancti Regis festivitatem, de iis dicendum erit* XXV Augusti.

S. Reginaldi Eremitæ Translatio *in ecclesia Melinæensi diœc. Andegaven. facta an. 1653 hoc die, recolitur quavis* I *Dominica Augusti. Optamus ut alicunde eruatur Vita et antiquus liber miraculorum ejus, in diem quo obiisse legitur,* XVII Septembris.

S. Vasnulphus *seu* Wasnulphus *episcopus confessor, ut* S. Livini in prædicatione socius *laudatur hoc die a Camerario, citatque* Molanum et alios plurimos. *Ego apud Molanum non alium S. Wasnulphum invenio præter eum qui Condati colitur* I Octobris.

S. Froilani Legionensis in Hispania translatio *signata reperitur in solo Ferrarii Catalogo generali, ubi observat, natalem ejus solemniter celebrari* V Octobris. F

S. Calixti Papæ et martyris translatio *Remis signatur hoc die a Saussayo, ut* facta ex Cisonio cœnobio ad principem ædem S. Mariæ. *De ea agetur eo die quo Sanctus colitur* XIV Octobris.

SS. Tiburtius, Valerianus et Cæcilia *male hoc die referuntur et connectuntur in codicibus Hieronymianis, errore haud dubie scioli alicujus amanuensis, qui non alium noscens* Tiburtium *præter eum qui in S. Cæciliæ Actis memoratur, hæc combinanda putaverit, ut pluribus explicare conatur Florentinius. De Tiburtio martyre hoc die agitur; nota porro est aliorum festivitas expressa etiam in Hieronymianis* XXII Novembris.

S. Trudionis translatio *præter dictam superius sola refertur in nostro Florario Ms. Sancti natalis est* XXIII Novembris.

S. Chromatium Aquileiensem episcopum *refert hoc die Ferrarius ex Maurolyco et Petro in Catalogo;*

A *logo; ubi tamen recte observat, et in Martyrologio Romano, et in Tabulis Aquileiensis ecclesiæ signari et coli* II Decembris.

B. Ida Nivellensis *inter Flores Leodiensis ecclesiæ hoc die collocatur a nostro Fisen : melius ab aliis cum Molano remittitur ad* XI Decembris. D

S. ALEXANDRO CARBONARIO

EPISCOPO AC MARTYRE

COMANÆ IN PONTO

SYLLOGE HISTORICA

J. P.

§ I, Comanæ istius situs; Sanctus unde inscriptus Martyrologio Romano; cognomenti etymon; mira ejus electio ex abjectissimo statu ad sacerdotium.

SEC. III. *Inter varias* B *civitates Comanas synonymas.*

Comanæ *(alibi* Comana *scribitur numero multitudinis) ad nostram notitiam variæ pervenerunt. In Actis quippe Conciliorum, a nostro Joanne Harduino editis, tom. I col. 816, in concilio Constantinopolitano, quod anno Christi 381 celebratum est, inter alios* provinciæ Pamphiliæ *notatur* Hesichius Commacensis *. *Item tom. II* epistolæ episcoporum Pamphyliæ regionis, ad Leonem imperatorem, *col. 733 subscribitur* Ephesius episcopus Comanenus. *Denique tom. III in subsriptionibus concilii œcumenici sexti, sive Constantinopolitani tertii, anno Christi 680 habiti, col. 1431 invenitur* Cosmas... episcopus civitatis Conanensis *(in Græco est* Κωνανῶν ἤτοι Μανοδων*)* Pamphyliæ regionis. *Hæc de Comana Pamphyliæ. Nota quoque est Comana in Pisidia : nam tom. I col. 816 modo citatis, istius provinciæ subscriptoribus intexitur* Helladius presbyter Commanensis. *Comanam Cappadocum dictam, urbem Armeniæ minoris, habet Baudrandus. Strabo Lutetiæ Parisiorum anno 1620 impressus, lib. 11, pag. 521* Antitaurus, *inquit,* in quo sita sunt Comana, urbs superioris Cappadociæ. *At de Comana in Ponto hic nobis sermo est* C *cum Martyrologio Romano, Sanctum nostrum ibidem loci annuntiante. Videamus itaque, qua Ponti parte locus ille situs sit.*

* l. Comanensis

2 *Ferrarius in Nova topographia in illud Martyrologium fol. 38 verso Comanam Ponticam ita describit :* Comana in Ponto *(Com.)* C. E., *id est civitas episcopalis,* Cappadociæ, in ea regione, quæ Pontus Cappadocius dicitur, ad Sarum fluvium olim nobilis, ac ex primis, inter Cæsaream et Sebastopolim, Sebastæ finitima. *Apud Harduinum tom. XI Conciliorum in indice geographico episcopatuum, col. 699 ponitur* Comanensis in Ponto Polemoniaco, Κόμανα in Notitiis Græcis, et in Novella XXVIII, Κώμανα. Plin. lib. 6 sect. 3 Comana, in Cappadocia secunda. *Sed Comana Pontica a Cappadociis distinguit Strabo citatus, quando lib. 12, pag. 557 hæc scribit :* Super Phanarœam sunt Comana Ponti, ejusdem nominis cum his, quæ in magna sunt Cappadocia. *Rejectis itaque Comanis, quæ sunt extra Pontum, tanquam huc non spectantibus, ac designatis, quæ in Ponto jacent, quæritur, quænam* Comana in Ponto *in qua Sanctum nostrum annuntiat Martyrologium Romanum ex S. Gregorio Nysseno, hic intelligi debeat.*

nostra esse ostenditur in Ponto Polemoniaco, Neocæsareæ vicina. E

3 *Pontum, regionem Asiæ minoris, triplicem fuisse lego; nempe Pontum Cappadocium, Pontum Galaticum, et Pontum Polemoniacum. Cellarius in Notitia orbis antiqui tom. II, lib. 3, cap. 8, pag. 204 de Ponti in illas regiones divisione pluribus agit; ejusdemque partitionem fuisse non unam observat pag. 205. Jam vero tametsi nec S. Gregorius Nyssenus, qui solus et unicus est fons, quantum scimus, e quo haustæ sint notitiæ, quæ de S.* Alexandro *ad posteros permanarunt; nec Martyrologium Romanum, qui hunc ex illo accepit, locum* Comana *ita determinent, ut apposito aliquo proprio characterismo, vi cujus præcise denotetur in qua Ponti parte* Comana *illa sita fuerit, graphice designent; circumstantiæ tamen colloquuntur tacite, et non obscure indicant, civitatem Comanam solam et unicam hic intelligi a S. Gregorio Nysseno statim citando, quæ est in Ponto Polemoniaco, ita vocato a Polemonio, quæ urbs jacet ad Pontum Euxinum. Comana vero illa Pontica adjacet Iri fluvio, ac Neocæsareæ vicina est, quam Ammianus a Gronovio editus lib. 27, cap. 12, pag. 390* urbem Polemoniaci Ponti notissimam *dixit. Circumstantiæ, inquam, hanc civitatem Comanam designant : nam S. Gregorius Thaumaturgus erat episcopus istius Neocæsareæ; sanctus autem* Alexander *degebat Comanæ; cujus incolæ Gregorium, intellectis miraculis, quæ in ista regione patrabat, ad se advocarunt; eoque huc digresso contigit mira illa electio* S. Alexandri, *uti et reliqua, quæ videsis infra num. 6 et sequentibus. Consuli insuper de istorum locorum situ potest Geographia sacra Caroli a S. Paulo, inqua ad pag. 205 editionis anni 1704 expanditur mappa, patriarchatus Constantinopolitani geographicam descriptionem exhibens.* F

Sanctus e solo S. Gregorio Nysseno in Martyrologium Romanum relatus,

4 *De S. Gregorio Nysseno in Cappadocia episcopo egimus tom. II Martii, die* IX, *pag.* * 4 *et sequentibus; e quo desumemus* S. Alexandri Carbonarii *res gestas, perpetuis oblivionis tenebris sepeliendas, nisi sanctus iste Pater in Oratione de Vita S. Gregorii Thaumaturgi in lucem eas produxisset. Huic itaque uni ac soli debemus, quod* S. Alexander *noster, e nullis omnino sive Græcis sive Latinis Sanctorum antiquis Fastis a nobis cognitus, sed in modernum ex illo Martyrologium Romanum a Baronio adscitus, publicæ in Ecclesia Romana venerationi exhibitus sit, annua ejus hoc die memoria consecrata his verbis :* Comanæ in Ponto S. Alexandri episcopi, cognomento

AUCTORE J. P.

mento Carbonarii; qui ex Philosopho disertissimo eminentem Christianæ humilitatis scientiam adeptus, et a S. Gregorio Thaumaturgo in thronum illius ecclesiæ sublimatus, non solum prædicatione, sed etiam per ignem consummato martyrio fuit illustris. *In illius autem gestis referendis utimur editione Parisina S. Gregorii Nysseni, quæ anno 1618 edita prænotatur.*

Virtutis gratia

5 *Quisnam fuerit, quam sponte sua in viles et obscuras abjectus christianæ humilitatis umbras, et unde* Carbonarii *cognomentum ipsi fuerit inditum, intellige ex laudata Oratione, Laurentio Sifano interprete, pag. 994; ubi sic ea describuntur :* Vir *erat* in extrema paupertate, ac neglecto corpore, seipsum solum spectans, ac veluti sibi placens, et gaudens eo habitu : qui habitus oculis imperitis ridiculus erat. Etenim ita se res habebat : Non urgente paupertate ad ejusmodi vitæ genus devenerat; sed philosophus quidam vir erat, quemadmodum insecuta vita indicavit, * adeo ut etiam ad martyrium usque pervenerit, per ignem cursu confecto. Latere autem dedita opera volebat, altiori animo præditus, quam ut eam, quæ vulgo expetitur, felicitatem curaret : ac pro nihilo seculum ducebat, eo quod et sublimis et veræ vitæ studio teneretur. Et ut maxime virtutem, ad quam adspirabat, assequeretur, operam dabat, ut talis esse ignoraretur, contemptiore genere vitæ veluti turpi quadam persona sese occultans.

** Additur in Græco καὶ τῶν λοιπῶν ὑψηλότερος i. e.: et reliquis sublimior*

B

voluntarium carbonarii officium exercet.

6 Atque alioquin etiam, quod eximiæ flore juventutis præditus esset, periculosum esse ducebat ei, qui continentiam sibi sectandam proposuisset, corporis sui pulchritudinem patefacere, felicitate naturæ tanquam in pompa sese ostentantem. Noverat enim ejusmodi rem gravium offensionum ac delictorum occasionem plerisque præbere solere. Ne igitur vel sibi ipsi aliquid accideret imprudenti, quod factum doluisset, vel alienis oculis casus et offensionis materiam præberet; idcirco se carbonario officio, veluti persona quadam deformi consulto circumdat, quo tam corpus laboribus ad virtutem exerceretur, quam pulchritudo sordibus carbonum infecta obtegeretur, et simul pecunia, quam ex laboribus quærebat, ad mandatorum exsecutionem dispensaretur. *Talis itaque dum esset* S. Alexander, *parvulus utique in oculis suis, mundoque vilis ac despectus; sed vere magnus coram Deo; operæ pretium est, intelligere, quam miro modo, nec sine singulari Dei, qui deponit potentes de sede, et exaltat humiles, providentia, lucerna illa hactenus sub modio, at deinde super candelabrum posita, luxerit in Ecclesia Dei.*

C

A S. Gregorio Thaumaturgo

7 *S. Gregorius Nyssenus rem gestam a pag. 992 ita refert :* Posteaquam autem ejusmodi miraculorum, quæ virtute fidei in Christum fieri *(a S. Gregorio Thaumaturgo)* credebantur, fama in omnes partes regionis dimanante, omnes illius fidei, quæ talium miraculorum testimonio comprobaretur, participes esse cupiebant, et ubique prædicatio procedebat; mysterium [strenue] exercebatur, studium boni intendebatur : quippe apud omnes sacerdotium constituebatur, ut per omnia fides cresceret, et augeretur : idcirco ex finitima quadam civitate mittitur ad eum legatio, ut veniret ad ipsos, et ecclesiam, quæ esset apud eos, sacerdote designato constitueret. Comana autem civitati nomen erat : cujus ut hospes magnus iste vir esse vellet, vulgo omnes hanc veniam sibi dari petentes orabant. Cum venisset ergo ad eos, et aliquot dies una conversatus, tum dictis tum factis suis magis eorum studium erga mysterium incendisset; cum jam tempus esset, etiam id negotium, propter quod legati ad eum missi erant, ad exitum deducendi, ac designandi aliquem eorum ecclesiæ primarium sacerdotem : tunc principum quidem et magistratuum civitatis omnium sententiæ in hoc occupatæ erant, ut anxie atque curiose inquirerent ac sciscitarentur, qui eloquentia, qui genere, reliquoque vitæ splendore cæteros præcedere videretur. Putabant enim, quoniam etiam his bonis magnus Gregorius cumulatus erat, nec earum quidem rerum oportere expertem esse; qui ad hoc munus deligeretur. D

miro modo eligitur

8 Cum autem in multas partes suffragiis scinderentur, et alii alium præoptarent atque præferrent; exspectabat ille vir magnus divinitus aliquod sibi consilium ad propositum negotium suppeditari. Ac quemadmodum Samuel in eligendo rege fertur non pulchritudine nec magnitudine corporum motus esse; sed animum regium requisivisse, etiamsi in contempto forte corpore reperiretur : eodem modo etiam ille studiis erga unumquemque eorum, qui destinabantur, neglectis, id unum duntaxat spectabat, an aliquis etiam ante declarationem industria vitæ atque virtute in moribus sacerdotium gestaret. Cum autem illi quidem producerent eos, de quibus suffragium ferretur, quem quisque promoveret, ejus honorificam mentionem facientes; atque hic, ut etiam viliorum (quod ad vitæ speciem attinet) rationem haberent, eos hortaretur (posse enim etiam in talibus reperiri aliquem, qui animi bonis super eos emineret, qui vitæ splendore præstaret) quidam ex iis, qui præerant suffragiis ferendis, eam magni illius sententiam pro contumelia atque derisione accepit, si cum nullus eorum qui et eloquentia, et dignitate, et manifesto facultatum vitæ splendore cæteris prælati essent, ad sacerdotium admitteretur, ex opificibus sellulariis, quique labore manuum vitam tolerarent, ad ejusmodi munus aliqui magis apti et idonei existimarentur, et simul cavillans cum quadam irrisione, ad eum, Si hæc, inquit, jubes, ut hi quidem tales, qui ex omni civium numero electi sunt, prætereantur, atque ex quisquiliis et infima plebe assumamus aliquem ad administrationem sacerdotii, qui tali civitati præsit, tempus tibi deinceps fuerit, Carbonarium Alexandrum ad sacerdotium vocandi, atque ad hunc transitione facta, si videtur, suffragiis inter nos universi cives consentiemus. E F

ad sacerdotium apud Comanenses

9 Atque ille quidem hæc loquebatur, sententiæ ejus obtrectans, ac per hoc simulatum et cavillatorium suffragium summam et exactam diligentiam in superioribus vituperans ac reprehendens. Sed magna illi per hæc dicta subit animum cogitatio, quod non sine numine divino Alexandri, a deliberantibus inter cæteros mentio facta esset. Et Quis, inquit, est Alexander, cujus mentionem fecistis? Deinde cum quidam ex iis, qui una interea t, cum risu memoratum in medium produxisset, pannis vilibus ac sordibus ne toto quidem corpore amictum, et simul apparentibus rebus, manibus pariter et facie, reliquoque corpore carbonibus infecto ac sordidato, opificio quæstum ostendentem; cæteris quidem risus materia erat talis in medio stans Alexander. At perspicacem illum oculum valde in spectaculum obstupefaciebat : *quod deinde exhibet S. Gregorius Nyssenus,* S. Alexandrum *describens, quodque nos ex ipso jam dedimus. Quamobrem transeamus ad illa, quæ de ipsius ad sacerdotium promotione idem sanctus Pater pag. 995 commemorat :*

10 Post-

A *exercendum.* 10 Posteaquam igitur eum ex concilio abduxit, ac de statu ejus atque conditione omnia diligenter scrutatus et sciscitatus est, illum quidem familiaribus suis tradit, exsequi jussis, quæ res postulabat. Ipse vero in concilium reversus, ex præsenti deliberatione sumpto argumento congregatos instituebat, de sacerdotii officio sermones eis proponens, ac per hos vitam cum virtute conjunctam præscribens. Perseverabat autem in ejusmodi sermonibus conventum detinens, quoad exsecuti mandata, qui operam ei navabant, supervenerunt, secum adducentes Alexandrum, qui et lavacro fuliginis injucunditatem absterserat, et magni istius vestibus indutus et ornatus erat. Hæc enim curare jussi erant. Omnibus autem in Alexandrum conversis, et ad novam eam speciem admiratione defixis, Nihil novi, inquit ad eos magister, accidit vobis, si oculis decepti estis, et sensui soli judicium pulchritudinis permisistis. Fallax enim et incertum rerum veritatis judicium sensus est, aditum per se ad profunditatem mentis et intelligentiæ præcludens. Simul autem etiam pietatis inimico dæmoni prorsus id studio erat, ut vas electionis ignoratione contectum, otiosum et inutile B esset, neu prodiret in medium Vir, qui ipsius principatum eversurus esset. Hæc locutus, cum eum juxta consuetum morem, ritusque solemnes ad hoc munus idoneum effecisset, per sacerdotium Deo Virum dicat.

§ II. Dictionis vis visione comprobata; elogium SS. Alexandri ac Gregorii Thaumaturgi; tempus vitæ; an philosophus, ac primus Comanensis civitatis episcopus fuerit; fides eorum, quæ de eo narrantur.

Magna ejus in dicendo vis ostento comprobata. Omnibus autem novum Sacerdotem intuentibus, rogatus ut aliquam ad ecclesiam haberet orationem; statim in initio suæ administrationis C Alexander ostendit, haud falsum in sese Gregorii judicium fuisse. Erat enim oratio ejus intelligentiæ sententiarumque plena, dicendi floribus minus exornata. Unde petulans quidam ex Attica adolescens apud illos agens, incomptam dictionem derisit, quod non ea, quam Attici in dicendo adhiberent, exacta atque supervacanea cura exornata esset. Quem aiunt divina quadam visione emendatum esse, cum columbarum gregem incredibili quadam pulchritudine nitentem conspicatus esset, et quemdam audivisset, qui diceret, has esse columbas Alexandri, quas ille derisisset. *Hæc de Sancto nostro fatus S. Gregorius Nyssenus, pergit deinde, ac S. Gregorium Thaumaturgum laudat, quod* S. Alexandrum *tam miro modo elegerit;* Alexandrum *vero etiam prædicat, quod ab isto Sancto ita electus sit, alterum in altero extollens.*

Elogium S. Gregorii Thaum., 12 Utrum, *ait*, horum magis aliquis admiretur? Quod vir ille non motus est suffragio eorum, qui dignitate præstabant; neque simul ad testimonia optimatum ac principum virorum raptus est? An magis admirari convenit in carbonibus absconditas divitias, quas statim a Deo editum recti judicii testimonium per visionem oratoris consecutum est? Nam mihi quidem horum utrumque in sese ejusmodi esse videtur, ut inter se quidem sint, ac quasi de principatu certamen habere videantur: inter omnia autem ea, quæ nomine miraculi celebrantur, primas propemodum teneant. Nam quod optimatum studiis adversatus est, constantis, recti atque excelsi animi manifestissimum indicium erat, a quo omnia, quæ per mundum apparent, ex æquo despiciebantur, sive ad magnificentiam atque splendorem, sive etiam ad humilitatem et obscuritatem accedere viderentur: cumque soli virtuti primas tribueret, et vitiosam vitam solam rejiciendam esse judicaret, pro nihilo intuebatur omnia, quæcunque per hoc seculum vel aliquo studio vel contemptione digna judicantur. Quod nimirum etiam tunc fecisse demonstratur.

Auctore J. P.

et S. Alexandri. 13 Cum enim daret operam, ut Deo gratum ac dignum inveniret, non divitias, non dignitatem, non hujus mundi splendores, quarum rerum nihil in recensione bonorum a divina Scriptura enumeratur, res idoneas putabat, quas ad testimonium admitteret. Non igitur hoc solum est, quod et laude et admiratione dignum sit, quod respuit studia principum: verum etiam quod per ea, quæ consecuta sunt, ipse superavit. Nam E qui ineptam ac minus idoneam sententiam duntaxat rejicit, neque adjicit id quod res poscit; malum quidem prohibet; bonum vero non conficit. At qui præterquam quod non consentit deteriori, etiam bonum invenit, per utraque bonum perficit, dum neque malo aditum dat, et bonum ad effectum perducit: adeo ut utraque ratione beneficium magni Gregorii civitati contigerit, qui et id quod per ignorantiam ab iis delinquebatur, averterit, et bonum apud eos absconditum per sese patefecerit. *Jam vero quid dicemus de tempore, quo historia, quam ex S. Gregorio Nysseno retulimus, acciderit, atque adeo noster sanctus Episcopus ac martyr floruerit?*

Floruit in sec. 3, *14 Baronius eam Annalibus suis intexit ad annum Christi 233 num. 22 et sequentibus. Monumentorum pro Historia ecclesiastica collector Gallus neotericus tom. IV, art. 9 pag. 333, ex eo, quod res, quas de S. Gregorio Thaumaturgo narraverat, indicent, Christianos plena pace ac integra libertate gavisos esse, vix posse dubitari affirmat, quin sub imperio Philippi contigerint,* F *qui regnavit ab anno 244 usque ad annum 249. Idem Baronius ad annum 233 num. 28 martyrio coronatum dicit sub Decio; at dicti testem nullum citat. Castellanus in suo Martyrologio apponit annuntiationi ejus annum 251; novus autem biographus Gallus collectioni de Sancto historicæ, versus annum 248. Noster Ludovicus du Ménil in opere, quod inscribitur Doctrina et disciplina Ecclesiæ, lib. 6 ad annum Christi 244, num. 47 martyrium ejus Decianæ persecutioni etiam affigit. Conveniunt itaque satis inter se auctorum testimonia recentiorum; sed antiquiorum consensus desideratur. Baronius ad annum 253 num. 138 asserit quidem ista: Gregorius Nyssenus,* quod ad persecutionem in Ponto excitatam pertinet, his quæ dicta sunt, addit, passum quoque Comanæ civitatis episcopum Alexandrum *nostrum...*, consummasseque per ignem martyrium tradit; *verum inter ea, quæ de horribili illa persecutione (Decii intellige, Philippi successoris, annis 250 et 251) a pag. 999 pathetice describit Gregorius, nullum ego vestigium de martyrio* S. Alexandri Carbonarii *expressum invenio.*

15 *Et vero cum* magnus ille vir *(S. Gregorius Thaumaturgus)* animadversa atque considerata imbecilli-

AUCTORE J. P.

quo et martyrio coronatur: quo autem anno, incertum.

becillitate et fragilitate humanæ naturæ, quod plerique non possent usque ad mortem pro pietate decertare, auctor ecclesiæ *fuerit*, ut terribilem illum impetum atque incursum paulisper declinaret..... ac quo maxime hominibus persuaderetur, nullum animæ periculum afferre, si vel per fugam quis fidem conservaret, suo exemplo auctor secedendi *fuerit* (*ibidem pag. 1001*) ipse ante alios, secedendo periculi impetum devitans; *unde constat, quod Sanctus noster idem tunc non fecerit in ecclesia Comana, quod S. Gregorius faciebat in Neocæsariensi? Quonam igitur anno martyrii lauream ille fuerit consecutus, non videmus, unde satis tuto definiri possit. Dicamus ergo hoc accidisse seculo tertio, cum annus ejusdem seculi nobis hactenus sit incompertus. Lucis fortasse huic puncto chronologico aliquid accedet, quando ad diem* XVII *Novembris illustrabuntur Acta S. Gregorii Thaumaturgi : cujus rei indagationem, utpote nunc nimium præmaturam, eo differimus.*

B

An fuerit professione philosophus;

16 *At supersunt breviter perstringenda duo alia puncta. 1um An Sanctus noster professione philosophus fuerit. 2um An primus civitatis Comanæ episcopus. Philosophum stricti nominis eum exstitisse asserit Martyrologium Romanum, dicens :* Qui ex philosopho disertissimo eminentem Christianæ humilitatis scientiam adeptus *etc. Sed videtur mihi probabilius, per vocem* φιλόσοφος *illud significatum a S. Gregorio Nysseno non indicari; sed aliud nihil voluisse, quam quod* S. Alexander *amans fuerit sapientiæ (hoc enim sonat Græcum ejusdem vocis etymon, uti notissimum est) ob excellentiam virtutis eo eo usque provectæ, ut glorioso etiam martyrio coronata sit; quæ utique vera est et sacra atque fucata aliorum profanorum philosophorum præstantia sublimior philosophia. At fontem ipsum inspiciamus. Textus Græcus S. Gregorii sic habet :* Ἀλλὰ καὶ φιλόσοφός τις ἦν ὁ ἀνὴρ, ὡς ὁ μετὰ ταῦτα βίος ἐγνώρισε, καὶ τῶν λοιπῶν ὑψηλότερος, ὡς καὶ μέχρι μαρτυρίου φθάσαι, διὰ πυρὸς τελειώσας τὸν δρόμον· τὸ δὲ λανθάνειν ἐπεχείρησεν, ἢ μᾶλλον ἐπετήδευσε *etc. Id est :* Sed philosophus quidam vir erat; *an quia antea philosophicas disciplinas didicerat, vel etiam docuerat? Non opinor : sequitur enim alia ratio, dum dicitur,* quemadmodum insecuta vita indicavit : adeo ut etiam ad martyrium usque pervenerit, per ignem, cursu confecto. Latere autem dedita opera volebat *etc. Fuit itaque Sanctus noster philosophus quidam sacer,* καὶ τῶν λοιπῶν ὑψηλότερος *(uti habet textus Græcus S. Gregorii Nysseni, sed interpres Cifanus Latine ea non reddidit) hoc est,* et reliquis *quidem* sublimior, *profanis videlicet, quorum sapientia vel cum virtute conjuncta excellentiam martyrii non habet; vel si sit expers virtutis, non est nisi æs sonans aut cymbalum tinniens. Sic equidem textum S. Gregorii non abs re exponere posse mihi videor : ut consequens sit,*

C

D

ex eo neutiquam extundi, quod S. Alexander *veri ac stricti nominis philosophus fuerit.*

an primus deinde civitatis Comanæ episcopus.

17 *Aliud, quod superius proponebatur, inquisitionis punctum, erat situm in eo, an sanctus Martyr noster fuisset primus civitatis Comanæ episcopus. Talem fuisse ut credamus, suadent verba S. Gregorii Nysseni, quæ protulimus antea a num. 7. Neque opinioni nostræ officit, quod Eusebius lib. 5 Ecclesiasticæ historiæ cap. 16, pag. 132 editionis Valesianæ ac interpretationis, nominet* Zoticum *episcopum* Comanensem : *nam præterquam quod in Græco Eusebii textu legatur* ἀπὸ Κωμάνης κώμης, *id est, e villa, castello, oppido, vico vel pago Comanensi; quanquam præsul iste exstiterit jam inde ab initio hæresis Montanistarum, prout ibidem videre licet; tamen quia episcopus ille vel Comanensis in Cappadocia, vel alibi in civitate synonyma ex iis, quæ num. 1 a nobis recensitæ sunt, præesse potuit; ex Eusebio non conficitur,* Alexandrum *nostrum non fuisse primum civitatis Comanæ in Ponto, quam ibidem designavimus, antistitem. Porro de sancto isto Zotico episcopo ac martyre actum est in Opere nostro tom. V Julii, die* XXI, *pag. 163, ubi cum Martyrologio Romano hodierno annuntiatur Comanæ in Armenia : quem tamen neotericus biographus Gallus ad eumdem diem col. 337 pago Comano, quem credi ait in Pamphylia fuisse, attribuendum censet; de quo loco mentionem fecimus num. 1 hujus Sylloges.*

E

Gestorum ejus fides,

18 *Cæterum historica* de S. Alexanadro Carbonario *narratio, quam antea dedimus, summam meretur fidem, cum ex conditione auctoris personæ, quæ eam narrat; tum ex ætate, qua vixit; tum denique ex loco, ubi scripsit. Primo quippe illam narrat Gregorius Nyssenus, vitæ sanctitate ac eruditionis præstantia insignis. Elogia ejus invenies in Prolegomenis ante editionem supra allegatam, e qua narrationem illam huc transcripsimus; item in Opere nostro, quod num. 4 citavi. Breve est illud Jacobi Gretseri ante dictam editionem in epistola prosphonetica ad Eminentissimum Perronium* Singulari providentia Dei Gregorius Nyssenus, vir eruditissimus, eloquentissimus, acutissimus, simulque vita et moribus integerrimus, exortus est, cum variæ hæreses, nominatim Eunomiana, adversus Catholicam Ecclesiam furerent. *Floruit autem seculo quarto, quod Sancto nostro, cujus gesta narrat, fuit proximum; atque adeo cum isto, quod dixi, seculo scripserit, vivebant etiamnum ac spirabant, ut ita loquar, facta mirabilia S. Gregorii Thaumaturgi, ac, quæ hisce intexuit,* S. Alexandri. *Auctoritatem quoque nostro scriptori conciliat locus : fuit enim Nyssenus in Cappadocia episcopus; quo proinde rerum, quas accepit, genuinæ pervagari potuerint notitiæ; vel ipsemet Nyssa Cæsaream, Sabasten ac Neocæsaream profectus, a Comanorum incolis accolisve eas intellexerit.*

F

A

DE S. TIBURTIO MART. & S. CHROMATIO PATRE EJUS, CUM SOCIIS

ROMÆ ET IN CAMPANIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVUS.

§ I. Cultus S. Tiburtii apud Latinos ac Græcos; sanctus cum synonymo confusus; cineres, ut creditur, alio translati; non vero corpus Suessionem, quod asservatur Romæ in basilica Vaticana.

Anno CCLXXXVI vel CCLXXXVII. Memoria in Fastis.

Notissima S. Tiburtii *in sacris Fastis cum antiquis tum recentioribus memoria est. Romanum vetus seu parvum Martyrologium hac die ita* B *eum signat :* Romæ, inter duas lauros, Tiburtii martyris. *Calendarium a Leone Allatio editum :* III Id. Augusti. Natale S. Teburtii. *Ado :* Romæ, inter duas lauros, natalis sancti Tiburtii martyris, filii Chromatii, Urbis præfecti *etc. Usuardus :* Romæ, inter duas lauros, natalis S. Tiburtii, qui sub judice Fabiano cum nudis plantis super carbones ardentes ingressus, Christum majori confiteretur constantia, duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur. *De nostro Martyre sic item cecinit Wandelbertus :*

Ternis flosque decusque pium petis astra, Tyburti.

De illo præterea meminere Kalendarium Romanum a Frontone editum, quod brevissime hoc die annuntiat : Natal. S. Tirbuti; *uti etiam Kalendarium vetus apud Dacherium :* III Id. Nat. S. Tyburtii. *Annuntiatio Martyrologii Romani moderni consonat Usuardinæ, quam dedimus; nisi quod interserat* in persecutione Diocletiani, *ac nomini* Tiburtii *addat* martyris. *Alios Martyrologos recentiores nihil attinet enumerare. Bedam* C *etiam prout a nobis editus est, Notkerum ac Rabanum tanquam superioribus annumeratos hic cense.*

ac divina liturgia

2 *Sacramentaria a Thomasio et Menardo vulgata non sacram duntaxat sanctissimi Pugilis memoriam notant, sed alia huic adjungunt, quibus antiquus ac solemnis in ecclesia cultus ipsius indicatur et confirmatur. Nam apud Menardum pag. 121 habentur ista :* Beati Tiburtii nos, Domine, foveant continuata præsidia : quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per. Super oblata. Adesto, Domine, precibus populi tui, adesto muneribus, ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione Sanctorum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Qui dum beati Tiburtii martyris merita gloriosa veneramur, auxilium nobis tuæ protectionis affore deprecamur : quoniam credimus nos per eorum intercessionem, qui tibi placuere, peccatorum nostrorum veniam impetrare. Per Christum. Ad complendum. Sumpsimus, Domine, pignus redemptionis æternæ : sit nobis, quæsumus, interveniente beato Tiburtio martyre tuo, vitæ præsentis auxilium pariter et futuræ. Per.

3 *Apud Thomasium autem hæc dantur :* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti martyris tui Tiburti festivitate lætificas : presta, ut cujus commemoratione gaudemus, præsidio muniamur. Per. Secreta. Respice, Domine munera, quæ in sancti Tiburti commemoratione deferimus, ut cujus honore sunt grata, ejus nobis fiant intercessione perpetua. Per. Post commun. Prosit nobis, Domine, sancti Tirbuti celebrata solemnitas : qua quanto fragiliores sumus, tanto placentium tibi præsidiis indigemus. Per. *Ex his elucet, tanta S.* Tiburtium *antiquitus in veneratione habitum fuisse, ut præter locum, quem in Martyrologiis classicis occupabat, singularem in divina etiam liturgia obtinuerit venerationem. At nunc a Latinis ad Græcos transeamus.* *apud Latinos,* E

Sanctus etiam colitur apud Græcos.

4 *Menologio Sirletiano ad diem* XVIII *Decembris* Tiburtii *nomen inscribitur una cum aliis sociis S. Sebastiani martyris; quibuscum eodem quoque die eum referunt Menæa magna Græcorum excusa. E versiculis, quibus ibidem honorantur, hi ad nostrum Sanctum attinent :*

Τιβουρτίου τέμνουσι τὴν θείαν κάραν
Σύ μου Θεὸς κράζοντος, ὦ Θεοῦ Λόγε.
Sacrum Tiburtii amputant ferro caput
Tu mihi Deus clamantis o Verbum Dei. F

Typicum, quod sub nomine S. Sabbæ editum est, dicto die signat fol. 26 verso S. Sebastianum M. cum sociis; sed nomina eorum non exprimit, uti etiam facit Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum. De cultu e Martyrologiis hactenus; cui subjungo alia, quæ de nostro sancto Martyre ad meam notitiam pervenere.

Videtur cum alio confusus.

5 *In apographis Hieronymianis a Florentinio vulgatis videtur confundi hodiernus* S. Tiburtius *martyr cum alio synonymo, quia ibi ad diem* XI *Augusti sic habetur :* Romæ natalis sanctorum Tyburtii, Valeriani, Ceciliæ virginis. *Id quo etiam recte observavit idem editor, quando ad hanc annuntiationem notavit sequentia :* Vereor ne incuriosus aliquis antiquarius, nullum alium Tiburtium agnoscens, quam qui cum Valeriano et Cæcilia celebris in Ecclesia est, illos etiam male consultus addiderit. Nam et Sacramentarium Gregorii, et reliqua Latinorum Martyrologia Tiburtium tantum Chromatii filium Romæ milliario III venerantur... Suspicionem auxit Notkerus, qui vetustioris M. ut plurimum anniversariis Fastis innixus, præter Tiburtii, Chromati filii, et Susannæ... et præter Nicopolitanos Martyres, nil

de

AUCTORE J. P. de Valeriano et Cæcilia addit.

in apographis Hieronymianis. 6 At detinuit, ne depravatos omnino codices nostros decerneremus, vetustissimi Martyrologii S. Willibrordi auctoritas; in quo eadem cum libris nostris ita leguntur : III Idus Augusti. Romæ Natalis Tiburtii, Valeriani et Cæciliæ *etc.* Tribus hisce Martyribus simul, nullam hac die tributam celebritatem licuit invenire; nisi forte eorumdem titulus sub Gregorio instauratus, ut in revelatione, tempore Paschalis PP. primi, legitur apud Bosium, hac die dedicatus fuerit, et natalis potius fuerit ecclesiæ illius, quam Martyrum : quorum etiam ex aliqua in hoc die translatione potuit iterata memoria recoli. *At mittamus quærere, quid hic forte factum sit, ac quid fieri potuerit : factum constat; videlicet primo, tres istos Martyres hoc die simul conjungi contra torrentem antiquissimorum Martyrologorum. Secundo, eos hic referri die non suo : ut consequens videatur, Tiburtium, in prædictis apographis notatum, hodiernum esse ac nostrum, qui vel in primigeniis vel in melioribus saltem, quibus ista apographa accepta sint, exstiterit; Valerianum vero ac*
B *Cæciliam perperam eisdem deinde fuisse adjectos ex confusione, ut suspicor cum Florentinio, hodierni* Tiburtii *cum alio, qui cum SS. Cæcilia ac Valeriano nominatur in Martyrologio Romano ad* XXII *Novembris. Sed nunc ad alia progrediamur.*

Corpus Romæ: 7 *Pia Fidelium erga* S. Tiburtium *religio non mediocre cepit incrementum ex ejus reliquiis, quæ alio commigrarunt. Corpus ejus Romæ in basilica S. Petri, teste Carolo Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis ad hunc diem pag. 148, conservatur; ubi addit, reliquias ejus esse apud S. Laurentium in Panisperna. In Opere nostro ad diem 2 Junii, quo data est passio SS. Marcellini et Petri MM., pag. 173 hæc memorantur :* Erant autem Lucilla et Firmina Christianissimæ feminæ, parentes *(id est consanguineæ)* S. Tiburtii martyris, cujus nobilitas et in terris inter senatores magna fuit, ei inter Martyres magnificentior probatur in cœlis. Hæ dum amore parentis Martyris a sepulcro non recederent, et sibi construxissent cubiculum, atque ibi [diu] noctuque perseverarent; apparuit eis in visu S. Tirbutius cum his duobus Martyribus, et
C instruxit, qualiter ambularent, et corpora eorum de Silva-nigra auferrent, atque ibi juxta se in inferiori parte in crypta sepelirent : quibus adjutorio fuerunt duo acolythi Ecclesiæ Romanæ.

cujus cineres 8 *Historia translationis SS. Marcellini ac Petri MM., auctore Eginhardo, quæ apud nos dicto die 2 Junii habetur pag. 181 et sequentibus, plura alia nos docet circa sacras exuvias* S. Tiburtii; *unde ea delibabimus, quæ ad hanc rem spectant.* Igitur de Aquisgrano palatio profecti *(Deus-dona Romanæ Ecclesiæ diaconus, et Ratleicus, Eginhardi notarius)* Augustam Suessionis venerunt : ibique cum Hildoino abbate in monasterio S. Medardi locuti sunt, quia memoratus diaconus ei pollicitus est, se efficere posse, ut corpus B. Tiburtii martyris in ejus veniret potestatem. Quibus ille promissionibus illectus misit cum eis quemdam presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, jubens ut acceptum ab eo memorati Martyris corpus sibi deferret. Inde iter ingressi, Romam, quanta potuerunt celeritate, perrexerunt... Sed notarius, *ibidem a diacono Deus-dona delusus,* recolens somnium quod puer suus viderat, cœpit comitem suum hortari, ut sine hospite suo irent ad cœmeteria, ad quæ visenda ille eos se ducere velle promisit. Itaque invento atque conducto duce, locorumque monstratore, D primo ad basilicam B. Tiburtii martyris, in via Lavicana, tribus ab urbe passuum millibus distante veniunt. Martyrisque tumbam quanta possunt diligentia contemplantur; et utrum sic, ut alii non sentirent, aperiri posset, cauta circumspectione considerant... Ingressique *postea* basilicam S. Tiburtii, primo altare illud, sub quo sacrum ejus corpus situm credabatur, aperire tentaverunt. Sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati : nam monumentum, durissimo marmore exstructum, inermes id aperire conantium manus facile repellebat. Igitur omisso illius Martyris sepulcro *etc.*

9 *Sublato autem S. Marcellini corpore, dum Ratleicus optaret S. Petri etiam corpus nancisci,* Vocato ad se comite suo Hildoini presbytero, cœpit cum eo tractare, ut iterum ad basilicam B. Tiburtii, sicut prius fecerant, clanculo pergerent; ac tumbam, qua Martyris corpus conditum credebatur, aperire denuo molirentur. Placuit consilium, assumptisque, quos secum adduxerant, pueris... clam noctu profecti sunt. Cumque ad locum ventum esset,... ingrediuntur : divisisque sociis inter se, presbyter ad corpus B. Tiburtii E quærendum in ipsius basilica cum aliquibus remansit... Magno *autem* labore frustra consumpto, postquam se vidit nihil posse proficere, relicto opere, in cryptam ad Ratleicum descendit, et quid sibi faciendum esset, ad eo quærere cœpit. Cui cum ille arbitrari se diceret, quod *(reliquiæ)* S. Tiburtii essent inventæ..... (Nam paulo ante, quam idem presbyter ad eum in cryptam venisset, reperit in eodem sepulcro, in quo SS. Marcellini et Petri sacra corpora jacuerunt, foramen quoddam rotundi schematis, trium ferme pedum longitudine introrsus excavatum, pedali amplitudine patens, et in eo minuti pulveris non modicam portionem repositam) visum est ambobus, quod hic pulvis de corpore B. Tiburtii ossibus inde sublatis remanere potuisset : et ob hoc, ut difficilius inveniretur, medio loco inter B. Marcellinum et Petrum, in eadem tumba fuisset repositus : convenitque inter eos, ut eum presbyter sumeret, et pro reliquiis B. Tiburtii secum deferret. *Hæc est fidelis narratio Eginhardi; a a qua plurimum differt alia sublestæ fidei.* F

alio translati; non autem corpus 10 *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti part.* I *seculi* IV, *pag. 411 profert* epistolam *sub nomine* Odilonis ad Ingrannum, de adventu et susceptione corporum sanctorum martyrum Tiburtii, Marcellini et Petri, *ac aliorum qui ibidem nominantur, in urbis Suessionensis monasterio S. Medardi. Quæ ad* S. Tiburtium *attinent, inde excerpo. Sunt autem ista :* Et beati Tiburtii martyris adventus, et exceptio corporis ejus rationando describitur. *Postquam deinde narrasset istius epistolæ seu relationis auctor, quem conveniemus paulo post, de Deus-dona diacono Aquisgrani honorato ab Eginone, reliquiarum promissione, ac irrito Romæ labore ad altare basilicæ* S. Tiburtii, *in quo corpus ejus positum esse credebatur; monachus quidam nomine Basilius advenisse dicitur,* cujus, *uti legere est pag. 413,* salutaribus consiliis animati, sacris orationibus adjuti *illi, quibus istius rei expediendæ cura incumbebat,* quamvis cum periculo capitis, tandem sacratissimum corpus jam dicti Martyris reperiunt. Sublato itaque cum omni veneratione sacratissimo corpore operosis composito palliis, honorifice in cryptam beatorum martyrum Marcellini et Petri defertur cum omni jubilationis exsultatione...

A tione... *Pagina autem 414 sic dicitur :* Anno Incarnationis dominicæ DCCCXXVIII, 11 Idus Julii, venerabilis abbas Hilduinus suscepit corpora sanctorum martyrum Tiburtii, Marcellini et Petri *etc. Viden', quantopere hæc pugnent cum sincera ac fideli narratione Eginonis seu Eginhardi, qua Martyris nostri exuvias spectat? Alia enim quæ ab eadem dissentiunt, quæque spuriæ Odilonis, ut fertur, relationi immixta sunt, non tango.*

ad S. Medardi ecclesiam

11 *Tetigit quippe illa jam pridem ac castigavit noster Daniel Papebrochius, occasione sibi oblata translationis reliquiarum SS. Marcellini ac Petri MM. in Germaniam, de qua, ut dicebam, apud nos actum est die 2 Junii : ubi pag. 206 in Appendice prima commendatur summa narrationis Eginhardi auctoritas ac sinceritas contra prætensam earumdem reliquiarum existentiam in Suessionensi S. Medardi ecclesia, ex epistola sub nomine Odilonis ad Ingrannum edita; cujus auctor arguitur ex indiscreto zelo multa incongrua commentus tam de corpore* S. Tiburtii, *quam de aliis;* B *item quod tempora confuderit, ac dissimularit, usum se esse Eginhardi historia, quam truncando vitiarit; quod falsus Odilo potuerit vixisse seculo* XII: *verus autem ad Ingrannum decanum scripsisse videatur ante annum 932; prout pag. 207 invenies. Sed in rem nostram ea ibidem notantur :* De Tiburtio narrat Eginhardus, quomodo frustra quæsitum ejus corpus fuerit; ejus tamen habiti sint cineres, reperti in sacculo, corporibus SS. Marcelli et Petri adjuncto : quæ quia non valde fundata præsumptio fuit, placuit presbytero Hilduini de reliquiis S. Marcellini subducere; et de his fortasse verificabitur, quod pridie Idus Julii, sicut in fine hyberpolymææ epistolæ dicitur : Venerabilis Hilduinus suscepit corpora SS. MM. Tiburtii et Marcellini; non item, qui pariter nominantur, Petri, Marii *etc.*

Suessionensem; quod est in ecclesia Vaticana.

12 Non etiam hoc factum fuerit anno dominicæ Incarnationis DCCCXXVIII, ut ubi præmittitur; jam enim ostensum est, id factum esse biennio citius; idque prius, quam S. Sebastiani reliquias idem acciperet, sub finem anni XXVI. Proinde fallitur aut fallit epistolæ auctor *etc. Deinde addit Papebrochius*, non esse ulla ratione verosimile, C quod restitutis fideliter S. Marcellini reliquiis, ex tunc Roma allatis quidquam remanserit penes Hilduinum, præter cineres, sub nomine S. Tiburtii acceptos. Si quid autem ex aliis ad Eginhardum delatis postea idem Hilduinus suscepit; suscepit illud post scriptam ab Eginhardo historiam translationis : et hæc scripta non fuit ante annum XXX istius seculi. *Hæc laudatus Papebrochius, in ejus fide huc transcripta; neque enim, quatenus ad* S. Tiburtii *reliquias atque adeo ad meum pertinent institutum, secundas curas merentur, cum jam dicta abunde sufficiant, et vel solus Eginhardi textus, quem supra protuli, sit satis clarus, ac rem evincens. Quæ cum ita sint, consequens est, ut illa neutiquam incommodent Piazzæ, e quo num. 6 dicebam, corpus* S. Tiburtii *Romæ in basilica S. Petri asservari. Aringhus Romæ subterraneæ tom. I, lib. 2, cap. 7 pag. 239 pluribus rem describens, sic habet :* Huc *(in basilicam nempe Vaticanam)* velut in tutum religionis asylum... invictorum Tiburtii et Gorgonii martyrum ossa ex cœmeteriis sublata a Gregorio IV Pontifice *(ac proin ante medium seculi* IX*)* inferri meruerunt, et ab eodem sub altaribus oratorii, quod ipse in S. Gregorii Magni honorem exstruxerat, sejunctim prope nuncupatam Indicii januam, ad lævam ingredientibus collocata fuere.

AUCTORE J. P.

§ II. Exuviæ sacræ ad Altissiodorenses delatæ non hodierni S. Tiburtii martyris, sed alterius e cryptis Romanis extracti esse videntur; aliæ alibi sub nomine hodierni reliquiæ; S. Chromatius cur a nobis tanquam sanctus hic adjunctus Tiburtio; hujus palæstra martyrii.

S. Tiburtii M. hodierni

Sanctus Hericus monachus Autissiodorensis duos conscripsit libros de miraculis S. Germani ejusdem urbis episcopi, ad diem XXXI *Julii, quo præsul iste colitur, apud nos recusos a pag. 255. Libro autem secundo pag. 278 idem auctor,* Anno, *inquit,* Incarnati Dei DCCCLXII fratres quidam... E urbem Romam expetunt... Nicolaus Papa, Romanæ tum cathedræ præsidens... magna sui ministrorumque ejus gratia discessuris *post feliciter ibidem peracta sua negotia,* sanctorum martyrum Urbani et Tiburtii reliquias tradidit, et virtute pretiosas, et quantitate præcipuas. *Sequuntur deinde prodigia in earum translatione facta, uti et earumdem solemnis exceptio Autissiodori, quo tandem pridie Calendarum Novembrium pervenerint. Additur insuper* S. Tiburtii *apparitio, cuidam e fratribus exhibita, quæ* et præsenti et futuræ devotioni conduxit. *Verum hæc, quæ in compendium contraxi, pluribus ibidem describuntur. Dictam translationem brevissime sic refert Chronicon Roberti Autissiodorensis :* Anno Ludovici VII, qui erat ab Incarn. Domin. DCCCLXII, corpora SS. martyrum Urbani Papæ, et Tiburtii Antissiodorum sunt delata, et in ecclesia S. Germani decenter reposita. *Observa obiter, auctorem hunc, qui floruit exeunte seculo* XII, *in voce* corpora, *et in additione* Papæ, *quam Urbano apponit, differre ab Herico, qui translationi isti fuit synchronus, ac duos libros, quibus illa est* F *intexta, anno circiter 876 Carolo Calvo imperatori dedicavit, secundum dicta in Commentario prævio Actis S. Germani ad dictum diem pag. 192; qui tamen alibi, ut videbimus statim, aliter fuit locutus.*

ac S. Urban PP. reliquæ

14 *Quæres 1° Cujus Urbani reliquiæ, an Papæ ac Martyris, Autissiodorum pervenerint. 2° An sacræ exuviæ* S. Tiburtii *hodierni; an S. Tiburtii alterius, qui Valeriani S. Cæciliæ sponsi frater nominatur. 3° An denique alicujus tertii e Romanis cryptis extracti, a Nicolao PP. I Romæ sint acceptæ, ac deinde ad cœnobitas Autissiodorenses translatæ. Respondeo ad primum. Acta S. Urbani PP. ac martyris illustravimus tom. VI Maii, die* XXV; *ubi pag. 8 actum est de ipsius corpore ad corpus S. Cæciliæ apposito a S. Paschali PP. I, ac de nova ejusdem inquisitione et inventione anno 1599. Non itaque Istius S. Urbani corpus ad Autissiodorenses monachos delatum; an vero nonnullæ ex illo reliquiæ illuc migrarint, secundum dicta Herici superiora, non habeo unde id aliunde confirmem. Et vero idem auctor de traditione Romæ facta agens, tantummodo dicebat :* Nicolaus Papa... sanctorum martyrum Urbani et Tiburtii reliquias tradidit, *non addens,*

cujus Urbani vel cujus Tiburtii illæ fuerint: sed posteaquam exposuisset prodigia earum uti et exceptionem solemnem Autissiodori, nec non apparitionem S. Tiburtii *ibidem facta, sic subjungit:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXV merito suæ religionis venerabilis Herchenraus, Catalaunorum episcopus, ad cœnobium S. Germani veniens, largitione fratrum reliquias Pretiosi PAPÆ et martyris Urbani obtinuit: eisque susceptis, monasterium in pago Pertensi ejus honore construxit.

non sunt translatæ Suessionem.

45 *Verum ne actum agamus, consulat lector Commentarium prævium S. Urbani Papæ ac martyris ad dictam diem* VI *Maii paragrapho 4. pag. 10, ubi ista notat Henschenius:* Interim insignis ille numerus sacrorum ossium ex corpore S. Urbani (cui forte pars ea, quæ Autissiodori remansit, haud multum cedere quoad numerum debet, ita ut simul sumpta ossa utraque integrum fere corpus constituere possint) certos nos reddunt, alterius Urbani, quam ejus qui Ecclesiam Pontifex rexit, esse omnia; sicut et alterius S. Tiburtii, quam qui in Actis S. Cæciliæ nominatur, credimus esse corpus, quod pariter fuit Roma allatum; B licet utrumque, ut vere illorum, exhibitum Pontifici, et Autissiodorensibus monachis traditum sit *(si tamen ita ei exhibitum, et ipsis ita ab eo traditum sit; ex iis, quæ supra insinuavimus)* fide quidem bona (uti credere oportet) sed parum fundata, uti docuit posterior eorum, quæ tunc tradi putabantur, corporum inventio. *Hæc, et quæ subdo, applica* S. Tiburtio *hodierno, ob pares utrinque rationes; nam sicut istorum corpora Romæ deposita, et postea inventa sunt, sic* S. Tiburtii *hodierni corpus Romæ exstat, uti dictum est.*

sed alterius

46 *Ad secundum, quod supra quærebatur, cujusnam videlicet* S. Tiburtii *reliquiæ essent Autissiodorum delatæ, jam ex parte responsum est, non suaderi videlicet nobis, esse eas Sancti synonymi martyris, qui in Actis S. Cæciliæ nominatur. Et illa sententia confirmatur alibi in Opere nostro ad diem* XIV *Aprilis, quo istum Martyrem dedimus cum Martyrologio Romano; uti licet videre in Analectis, quæ habentur pag. 208 et sequentibus. Ibidem etiam § 3 data est annuntiatio Saussayi, qua S. Tiburtium suo Martyrologio* C *Gallicano inscribit, quæque apud ipsum legi potest, ad diem* XIV *Aprilis. Ibidem etiam apud nos profertur narratio Herici monachi Autissiodorensis, de qua supra diximus: at recte, meo quidem judicio, et conformiter ad ea, quæ modo præmonebam,* Verum, *ait Henschenius,* uti appellantur in prima Pontificis donatione MARTYRES URBANUS ET TIBURTIUS absque ulla dignitate; ita potuerunt esse aliqui Martyres eisdem, quibus celebriores isti, nominibus appellati; quales etiam hoc tempore ex cœmeteriis Romanis effossi per omnes regiones deferuntur. *Et hoc mihi etiam nunc dicendum apparet; et sic respondendum ad quæstionem tertiam superius propositam. De martyre Tiburtio synonymo fit mentio in nostro Ms. ex collectaneis, uti eidem prænotatur, P. Chiffletii, quod apud nos servatur in involucro signato* S 19, *estque Calendarium Sanctorum Autissiodorensium Gallice conscriptum; ubi die* XI *Augusti signatur* S. Tiburtius martyr, ob reliquias ejus missas a Papa Nicolao III. *An vero reliquiæ illæ sint* Tiburtii *hodierni, quem Calendarium illud indicat; cum negare vel affirmare aliunde non possim, relinquo eas in sua possessione. Apud Gelenium de Coloniæ Agrippinensis* D *magnitudine lib. 3 syntagmate 58 pag. 552 in thesauro sacro ecclesiæ S. Agathæ, quæ est virginum Ordinis S. Benedicti, notatur* humerus S. Tiburtii martyris, et duo ejusdem ossicula (XI Augusti). *Præterea in indice nostro Ms. thesauri sacri cœnobii regii Scorialensis in Hispania, ponitur* Tiburtius martyr *cum nota hujus diei* XI *Augusti, et os* crematum sicut una nux. *Atque hæc quidem hactenus de reliquiis* S. Tiburtii; *nunc agamus de* S. Chromatio *ejusdem patre; quem ut illi hic adjungeremus, movit nos potissimum Petrus de Natalibus, qui tanquam sanctum ac martyrem cum laudat.*

Chromatius tanquam sanctus inscribitur Catalogo Petri de Natalibus;

47 *In Catalogo quippe Sanctorum lib. 7 cap. 47* Chromatius, *ait,* martyr cum sociis suis martyrium passi sunt apud Campaniam temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum: qui Chromatius prius fuit Urbis præfectus, et pater S. Tyburtii supradicti: qui gravi languore dudum pressus, a SS. Sebastiano martyre, et Polycarpo presbytero sanatus, et ad Christum conversus atque baptizatus est, ut supra proxime actum est in passione Tyburtii. Cum autem Christianorum persecutio sub præfatis imperatoribus ebulliret, Chromatius de consilio Papæ Caii cum multitudine E Christianorum, et cum omni familia, MCD numero promiscui sexus, ut persecutionem declinarent, in Campaniam perrexerunt: ibique degentes a Diocletiano proscripti sunt in exsilium, et multa inopia afflicti in confessione Christi, post longum tempus in pace quieverunt martyrio coronati. Quorum dies dormitionis ignoti sunt: unde S. Tyburtii passioni subduntur: quorum principalior Chromatius pater ipsius Tyburtii fuit.

et notatur ab aliis recentioribus hagiologis.

48 *Laudato episcopo Equilino adde Grevenum ad diem* XI *Augusti, ubi eum sic annuntiat:* Cromatii Urbis præfecti, patris S. Tibercii, cum aliis multis: qui, ut dicit Ado, consilio Gaii Pontificis immanitatem persecutionis declinantes in Campaniam profecti, per multas tribulationes regnum Dei introierunt. *Maurolycus dicto die illum S. Tiburtio ita subnectit:* Item Chromatius Tyburtii pater cum multis aliis exsilio et inopia afflicti, sub eadem persecutione in Campania defecerunt: qui a S. Sebastiano conversi, et a Polycarpo presbytero baptizati fuerant. *In Martyrologio sub nomine Canisii citari consueto, datur eodem die, ac primo quidem loco ante* S. Tiburtium, *ac dicitur:* Romæ est hodie dies S. Cromatii *etc. Hagiologis modo citatis adde Felicium, nec non Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ. Voluissemus quidem plura ex antiquioribus Fastis pro ipsius cultu testimonia; sed hæc tamen, quæ supra allegavimus, sufficere visa sunt, ut eum, tametsi in antiquis Fastis ac Martyrologio Romano præteritum, una cum filio suo hic consignaremus, facta etiam sociorum mentione. In Actis, quæ post hunc Commentarium proferemus, vocatur* Agrestius Chromatius urbis Romæ præfectus; *qui titulus etiam habetur in annuntiationibus, quas modo dedimus. Nec miror, eumdem non inveniri inter Urbis præfectos apud Bucherium in Commentario ad Victorii Canonem Paschalem pag. 237. At de hac re paulo post pluribus. Nunc interea ad* S. Tibertium *redeamus.*

Locus martyrii S. Tiburtii

49 *Ad martyrii palæstram quod spectat,* Ductus est, *ut dicunt Acta,* via Lavicana tertio milliario ab Urbe,.. et uno ictu gladii verberatus abscessit *Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum hac die,* Non ab ipsis, *inquit,* Romanæ urbis portis milliarium numerari incipiebat, sed a columna in foro Romano ad hoc posita, ut

A ut auctor est Plinius lib. 3 cap. 5. Dicebatur columna illa Milliarium aureum, quod aurata esset: in ea etenim omnes nobiles viæ Italiæ incisæ erant, ut testatur Plutarchus in Galba. Sub æde Saturni fuisse positam, tradit Tacitus, cum agit de *Othone imp. lib. 17. Id ipsum Suetonius in Othone.* Ab Augusto erectum fuisse Milliarium aureum, auctor est Dio Hist. lib. 54. Verum quod Milliarium aureum dictum sit columna Milliaria, apud neminem legimus, nisi apud Plutarch., licet a Xilandro fuerit incuria prætermissum. *Palestræ martyrii subnectimus ista de ejusdem tempore.*

§ III. Tempus martyrii, Actorum fides; difficultates circa illa expensæ.

ejusdemque annus

M*artyrium accidit sub Caio PP. (qui sedit ab anno Christi 283 usque ad 296) ex Actis* B *S. Sebastiani martyris, quibus Acta* S. Tiburtii *immixta sunt. Sed pressior temporis danda hic notitia est. S. Sebastianus apud nos ad diem* XX *Januarii notatur pag. 257 martyrii laurea coronatus anno circiter 287; quam Baronius in Annalibus intexit anno 286. Tillemontius tom. IV Monumentorum ecclesiasticorum nota 3 in Acta ejusdem Sancti pag. 743 aliquo modo credibile esse ex eisdem censet, historiæ S. Sebastiani initium referri sub finem anni 284, quando Diocletianus ac Carinus regnabant, hic quidem Romæ ante iter Illyricum; ille autem in Asia. Nam ex Actorum verbis, quæ habes inferius apud nos num. 4 et 5, videtur imperator Romæ tunc fuisse quando* S. Chromatius, *pater* S. Tiburtii, *petiit ibidem sibi dari successorem. S. Sebastianus enim ita eum affatur :* Tibi ipsi postula successorem, ut possis liber ab occupationibus mundi, futuræ vitæ rudimenta suscipere... Eodem itaque die mittit *(Chromatius)* ad amicos suos in palatio positos, per quos testimonialia scripta suscipiens, tirocinium divinæ militiæ, antequam baptizaretur, accepit. *Dein idem Monumentorum collector, difficultate circa annum martyrii S. Sebastiani figen-* C *dum proposita, illud affigit anno 288. Jam vero cum sanctus ille Athleta inter Martyres alios qui in ejus historia Actorum leguntur sanguinem fudisse Romæ, occubuerit omnium postremus, prout in eadem historia narratur; idque die, ut supponitur,* XX *Januarii, quo signatur communi consensu hagiologorum et colitur apud Latinos; consequens est, ut* S. Tiburtii *martyrium differri non possit ultra illud tempus; sed consideratis insuper iis, quæ de Fabiani præfectura dicentur paulo post, innectendum videatur anno Christi 286 vel 287, die autem* XI *Augusti, quo in antiquissimis Fastis sacris ac recentioribus notatur et ab Ecclesia Latina celebratur. Et vero cum annus præfecturæ Fabiani, sub quo* S. Tiburtium *martyrii palmam consecutum narrant Acta, difficultatibus non careat, quæ utcunque explanantur ex conjecturis, secundum eas procedendum erit in figendo martyrii anno, æræ nimirum vulgaris 286 vel proxime sequente. Nunc veniamus ad Acta.*

Acta.

21 *Habemus compendium martyrii Ms. ex Ultrajectino exemplari S. Salvatoris, nec non passionem e Ms. Lectionario ad S. Audomari satis vetusto, prout additur in nostro ejusdem apographo. Actorum quoque compendium invenies apud Adonem, Rabanum, Notkerum; quibus adde Florarium nostrum Ms., quod non recte dicit, Sanctum nostrum e vita* abscessisse anno salutis CCXCIV. *Acta porro quæ daturi sumus, intexta sunt Actis S. Sebastiani, et exstant in nostro Opere ad diem* XX *Januarii tom. II ejusdem mensis; a pag. 265 : unde etiam delibabimus gesta* S. Chromatii *ac sociorum ejus; pluribus tamen, quæ in illis de ipso prolixe memorantur, prætermissis; cum a volentibus ibidem legi possint longiore sermone exposita. De Actis autem S. Sebastiani ita pronuntiat Ruinartius in Opere suo, quod inscribitur* Acta primorum Martyrum sincera et selecta, *editionis Parisiensis pag. 295 :* At ejus Acta, egregia quidem, quamvis fortasse in nonnullis locis interpolata. Auctore J. P.

Eorum antiquitas,

22 *Illa porro de* S. Tiburtio *clausula,* Et in eodem loco... sepultus est : in quo loco multa beneficia semper præstitit Christus ad laudem nominis sui usque ad præsentem diem, *satis indicat, Acta illa nec primigenia saltem tota; nec ab auctore synchrono conscripta fuisse. Vulgata quidem eadem sunt apud nos loco citato sub nomine S. Ambrosii episcopi, de qua re consuli potest Commentarius eisdem prævius pag. 258; Tillemontius* E *tamen Monumentorum ecclesiasticorum tom. IV notatione 2 in S. Sebastianum pag. 740; illa S. Ambrosio adjudicat propter terminos quosdam, et alia, quæ ibidem observat, tanquam isti sancto Patri non convenientia; deinde pag. 741 censet, ea non admodum videri juniora S. Ambrosio; unde consequens sit, magnæ illa et esse fidei et auctoritatis, a quocunque demum auctore concinnata fuerint; quæ obiter hic notasse sufficiat ad institutum nostrum, pluribus fortasse alias discutienda, quando mensis Januarius secundis curis recudetur et amplificabitur a successoribus nostris.*

et difficultates

23 *In prædictis Actis,* S. Tiburtii *pater* Agrestius Chromatius *vocatur* urbis Romæ præfectus. *Sed mirum fortasse cuiquam videbitur, non inveniri eum in Catalogo Bucheriano. Sed mirari desinet, si consideret Catalogum istum esse imperfectum. Quod autem talis sit, probatur ex eo, quod præfecti alii in illo desiderentur, videlicet Fabianus, qui in iisdem Actis occurrit, auctore Monumentorum ecclesiasticorum, quem modo nominabam, eidem præterea addente Junium Donatum anno 259, et Ælium Cæsetianum anno* F *275, uti apud ipsum videre licet notatione 4 pag. 744. At Junius Donatus* P. V. *notatur apud Bucherium pag. 236 cum anno 257. Fastis autem Romanis consularibus, quos in lucem edidit Joannes Jansonius ab Almeloveen subjungitur Index præfectorum urbis Romæ, in quo pag. 298 invenitur Junius Donatus una cum eodem anno 257; non vero alii, de quibus agebam, in sua annorum serie postea comparent; Ælius tamen* Cesetianus *pag. 321 signatur inter præfectos Urbis incertis consulibus sine nota temporis.*

quæ in eisdem

24 *In Annalibus Cyprianicis ad annum Domini 260 num. 1, occasione consulum Secularis et Donati, qui ibidem notantur admittendi, hæc occurrunt in rem nostram :* Neque mirum, eos hoc anno simul consulatum gessisse qui alternatim præfecti Urbi fuerant. Nam in optimo libello *(auctor inter alia documenta proxime citaverat excerpta Codicis Gregoriani)* « Valeriano IV, et Gal- » lieno III Junius Donatus P. V. Tusco et Basso » Cornelius Secularis P. V. Æmiliano et Basso » Cornelius Secularis P. V. » Sed autem ejus loco, aut potius post eum ponendus fuit Junius Donatus iterum. Nam illis consulibus Donatus sub initio mensis Junii P. V. fuit, ut patet ex constitutione

AUCTORE J. P.

tione eo mense facta, quæ in excerptis Cod. Gregoriani exstat: « Ac si facere hoc tentaverit, opponet » auctoritatem suam Julius (seu Junius) Donatus » V. C. P. F. V. amicus noster, ut tam improba » petitio repellatur. Dat. prid. Id. Jun. Æmiliano et » Basso Coss. » Sic etiam paulo post anno Domini » CCLXXIII idem libellus » Aureliano III et Marcel- » lino, Postumius Syagrius P. V. » priori nempe anni parte; posteriori enim parte, certe die septimo Cal. Octob. non Postumius Syagrius, sed Ælius Cæstianus præfectus Urbi fuit, ut ex Vopisci Tacito constat. Imo ipso anni initio, imperante adhuc Aureliano, Furius Orfitus adhuc præf. V. fuit. Inscriptio p. 276: « Furius Orfitus V. C. præf. » Urb. devotus numini majestatique ejus Dedic. » Kal. Febr. Aureliano Aug. III et Marcellino Coss. » Sic enim imperio mutato, mutari etiam solebant præfecti Urbi.

occurrunt.

25 *Ex his itaque sequitur primo, ut duo isti Urbis præfecti Junius Donatus ac Ælius Cæsetianus vel sint admittendi, tametsi in Catalogo Bucheriano ignoti, vel expungenda circa illos documenta, quæ protulimus. Sequitur secundo, ut ex eo, quod* Agrestius Chromatius, *ac Fabianus in* B *eodem catalogo non ponantur, concludi haud possit, quod ibidem poni non potuerint imo potius non debuerint; si aliunde elucescant. Elucent autem clarissime cum Urbis Romæ præfectorum characteristico in Actis S. Sebastiani; superest igitur, ut Acta ista solido cum fundamento reprobes, in hoc puncto, vel, si hoc non possis, præfectos istos approbes. De* Chromatio *certe hæc jam pridem dicta sunt apud nos in notis ad cap. 2 Actorum istorum pag. 266:* Videtur Chromatii expunctum e tabulis nomen, religionis odio. *Tillemontius notatione 4 pag. 744 non ausus illum e catalogo præfectorum Urbis expungere, quanquam alibi tam sæpe dubitare consuetus, fatetur* Chromatium *verosimiliter ponendum esse sub finem anni 284 inter Roburrum et Varum, qui exstant apud Bucherium pag. 237. Ad Fabianum quod attinet, qui secundum ordinem Actorum debuerit fuisse præfectus a mense Julio anni 286 usque ad mensem Augustum 287, difficilius inveniri fatetur tempus ejus; cum in Catalogo Bucheriano Junius Maximus signetur præfectus anno 286 et 287. Ad hæc, nescire se addit, an dici possit, quod* C *Junius Maximus præfectus exstiterit anno 286 ante Fabianum, et anno 287 post illum; sicut præfectus fuit Ruffinus anno 312 ante ac post Anulinum, ex eodem Catalogo. Fortasse etiam acciderit, ut Actorum scriptor in monumentis, e quibus Acta sua elaboravit, inveniens, a Fabiano præfecto fuisse judicatum S. Tranquillinum, ac alios Martyres anni 286; nec non a præfecto etiam judicatos esse illos, qui ad annum 287 pertinent; fortasse, inquam, inde acciderit, ut prædictus scriptor crediderit, eumdem tunc etiam temporis præfectum exstitisse Fabianum, tametsi esset Maximus. Post hasce duas conjecturas, e citato collectore depromptas, indicat is, sibi præplacere primam; cum Acta locis aliis de præfecto loquantur, sed non expresso ejusdem nomine; prout videre licet in eisdem apud nos pag. 276, num. 74, et pag. 278 num. 85.*

examinatæ.

26 *Atque hæ quidem, quas in rebus adeo obscuris ac implexis hactenus protulimus, conjecturæ ac rationes non improbabiles, nobis multo magis arrident, quam vocem* præfectus *in Actis toties repetitam detorquere a propria significatione ad impropriam; prout libuit facere Bailleto ad diem* XI *Augusti col. 134, qui* Chromatium *urbis Romæ præfectum, in Actis sæpe jam allegatis inve-* D *niens, sed non item in Catalogo Bucheriano, atque hunc illis esse sine comparatione certiorem tanquam ex tripode pronuntians, magis propenderem, ait, ut crederem, eum simpliciter vicarium vel præfecti loco substitutum fuisse, ejusque nomen illi dari potuisse, quod præfecti potestate fungeretur, tanquam ejusdem locum tenens. Idem iste hypercriticus eodem, uti ex dictis videtur posse colligi, falso principio nixus, contra expressionem Actorum, quæ Fabianum diserte vocant* præfectum, *judicem illum duntaxat nuncupat. Nobis sane, qui antiqua ac probæ notæ Acta adversus sciolorum hujusmodi morsus defendere volumus ac debemus, fixum animo sedet, vocum significationes non torquere, sed in eadem qua in Actis exstant, notione relinquere, quandiu non cogit urgens ratio in contrarium, quæ hoc in casu non occurrebat.*

§ IV. Quidam Actorum locus in favorem Sedis Apostolicæ expensus.

E

Antiquitas tituli

Locus *ille Actorum habetur infra apud nos cap. 4 num. 7, et sic sonat:* Exclamavit Tiburtius, vir clarissimus *S. Caio Papæ* dicens: Obsecro te, pater, et episcoporum episcope *etc. Tillemontius notatione 2 pag. 740* Titulus, *ait,* episcopi episcoporum Papæ *hic* datus, est verosimiliter cujusdam Romani seculo quarto posterioris. *Assertio illa sapida est admodum hæreticæ factionis Jansenistarum palato. Ibidem vero pag. 742 nodum in scirpo quærit, dum quæstionem movet heterodoxis Jansenistis iterum valde gratam, dum ibidem dicit, quæri posse, quando titulus ille* episcopus episcoporum *cœptus fuerit dari summis Pontificibus, prout factum fertur a* S. Tiburtio. *Et respondet: Quantumvis iste loquendi modus non fuisset introductus nisi a paucis seculis, nonne amanuensis aliquis eum adjungere potuit? Sed criticus ille rectius consuluisset suæ in perscrutandis antiquorum Patrum ac monumentorum documentis diligentiæ, quam ubique profitetur, si sapiens ad sobrietatem, locum hunc intactum re-* F *liquisset. Ut igitur rebellibus Ecclesiæ filiis, ac Sedis Apostolicæ auctoritati odio plus quam Vatiniano, ut ita dicamus, infestis adimatur ansa traducendi titulum hunc tanquam novum, et Romanæ Cathedræ Præsidibus indebitum, ista respondemus. Eum nec esse cujusdam Romani, nec seculo* IV *posteriorem; sed Petri successoribus eum dari cœpisse jam tum a primis Ecclesiæ temporibus, inde deducimus, quod in testimoniis primorum ejusdem seculorum, quæ scripta ad nos pervenere, iste titulus, Sedi Apostolicæ jure meritissimo debitus, non tantum clarissime relucceat, sed etiam diserte expressus inveniatur iisdem omnino terminis, nullam in iis, quæ citabimus, quodam illo Romano, seculo quarto, ut volebat Tillemontius, posteriore partem habente.*

episcopi episcoporum;

28 *S. Cyprianus, qui, prout admittit ipsemet Tillemontius, tom. IV Monumentorum eccles. pag. 45, Afer et forte Carthaginiensis fuit, ac floruit, medio seculo tertio, quique ante* S. Tiburtium, *atque adeo antequam cogitatum fuerit de conscribendis ejusdem Actis, martyrio coronatus est, in sententiis episcoporum concilii Carthaginiensis tertii pag. 399 editionis Pamelianæ,* Neque enim, *ait,*

A *ait*, quisnam nostrum EPISCOPUM se esse EPISCOPORUM constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. *Concilium porro illud apud Harduinum nostrum tom. I Conciliorum col. 159 innectitur anno 255. Usitatus ergo tunc erat iste titulus : qui ne a filiorum iniquitatis morsibus impetatur, juvat meminisse eorum, quæ circa illum observat Pamelius in Annotationibus pag. 406, ubi citatis S. Augustini locis*, ut doceat, *Donatistas* exemplo Cypriani, etsi sententiis differant, in pace tamen unitatis manere oportere, *hæc subdit :* Quum autem vel ipso illo, et D. Hieron. contra Lucife. testibus, de collegis suis loquatur, frustra detorserit quispiam contra primatum Romani Pontificis illud : Neque enim quisquam nostrum episcopum episcoporum se esse constituit. Verum de hoc latius supra epistola ad Quintum *(quæ est apud ipsum 71) in annotationibus pag. 177, Pamelio adde Schelstratium, qui postquam in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. II, Dissertatione 4, cap. 3, pag. 255 protulisset verba S. Cypriani, quæ paulo ante recitavimus, sic ea illustrat :* Quibus verbis
B agit de Stephano Papa, qui tanquam episcoporum episcopus collegas in Africa existentes ad antiquæ traditionis usum revocavit. Hanc potestatem Africæ episcopis competere negat Cyprianus, quod singuli commissas sibi plebes regerent, et nemo alterius ecclesiam ad se spectare contenderet. *Plura ad hanc materiem pertinentia ibidem legi possunt.*

29 *Fuit Tertullianus Afer Carthaginiensis ante S. Cyprianum, qui utpote secundo seculo vixit, ac post seculi tertii exordia supervixit. Hic Romano Pontifici titulum dedit* episcopi episcoporum *in iis, quæ de Pudicitia scripsit pag. 715 editionis Rigaltianæ secundæ, anno 1641 Parisiis excusæ.* Studio *inquit* etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est, EPISCOPUS EPISCOPORUM, edicit *etc. S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis in Tertulliano,* Specialiter, *inquit,* adversum Ecclesiam texuit volumina de Pudicitia *etc. Est itaque Tertulliani opus illud. Theophilus Raynaudus tom. X in Corona aurea Romani Pontificis pag. 55 hanc ipsius prærogativam, qua de sermo nobis est, a Tertulliano perspicue expressam,*
C *adversus cavillatores defendit his verbis, quæ ex ipso transcribimus :* Tertullianum per ludibrium sic appellasse Pontificem, atque adeo nihil inde solidi colligi, affirmat Cujacius ad cap. ult. de foro compet., et Sadeel rejectus a Turriano lib. 1 de Eccles. et Pastore cap. 18, nec non Junius castigatus a Gretsero in notis contra animadversiones ipsius Junii in Tertullianum. Fateor Tertullianum mordaciter ea verba in Pontificem detorsisse, tamen ex usu tunc recepto locutum dico. Sicut si quis succensens episcopo, diceret, pudendum esse, quod is, qui audit reverendissimus præsul, hoc aut illud probrosum designaret ; non esset sensus, episcopum per ludibrium ac jocum vocari præsulem reverendissimum ; sed sensus esset, abhorrere a dignitate hominis, talem titulum vere præferentis, sic se gessisse.

qui a primis Ecclesiæ seculis

30 *Petrus Coustant cœnobita Benedictinus edidit epistolas Romanorum Pontificum ab anno Christi 67 ad annum 440, et in istius operis Appendicem rejecit epistolam Clementis PP. ad Jacobum Hierosolymorum episcopum, tanquam spuriam ac falso ei attributam. Rationes laudati auctoris videre licet in ejus monito ante eamdem epistolam in exordio istius Appendicis. Hanc tamen epistolam ab antiquitate commendans,* Postquam, *ait,* a Rufino latinitate donata est hæc epistola, etiam nonnullis antiquis canonum collectionibus, nominatimque Codicis a Pasch. Quesnello vulgati quibusdam exemplaribus vulgata est. Unde minime mirum est, eam anno CDXLII a concilio Vasensi 1 can. 16, ac subinde a Nicolao I, Johanne VIII aliisque Clementis nomine fuisse laudatam. *Quanto autem tempore ante Rufinum ea fuerit exarata, an seculo forte tertio an quarto, tametsi non constet ; constat tamen ex dictis antiquam esse. Jam vero cum ejusdem inscriptio sic habeat :* Clemens Jacobo domino, et episcoporum episcopo, ἐπισκόπων ἐπισκόπῳ *etc., hinc inferent auctoritatis Pontificiæ osores, titulum quidem illum sapere prima Ecclesiæ secula, sed non convenire unico ac soli Christi in terris Vicario tanquam proprium ac characteristicum, cum ibidem tribuatur S. Jacobo, qui pontifex quidem Hierosolymitanus, Romanus vero nunquam fuit.*

Romano Pontifici datus fuisse

Auctore J. P.

31 Verum est, *inquit Raynaudus supra laudatus pag. 56,* S. Clementem epist. 1 in fronte epistolæ, donare S. Jacobum titulo episcopi episcoporum : cujus æmulatorem S. Lupum S. Sidonius
E Apollinaris lib. 6 epist. 1 ita affatur : « Benedictus » Spiritus sanctus, et Pater Dei omnipotentis, » quod tu pater patrum, et episcopus episcoporum, » et alter seculi tui Jacobus, de quadam specula » charitatis, nec de inferiore Jerusalem, tota » Ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis, dignus » qui omnes consoleris infirmos, quique merito » consularis ab omnibus. » Et mox vocat eum « primum omnium toto, qua patet, orbe pontifi- » cum, qui in Apostolica Sede novem jam » decurrerit quinquennia. » Et tamen S. Lupus Tricassinus erat episcopus, non Romanus Pontifex. Aliud tamen est, quod per proprietatem et vi muneris citra omnem auxesim de aliquo dicitur (Qua ratione solus Romanus Pontifex est episcoporum omnium episcopus) : aliud quod dicitur de quopiam ad designandam ejus super aliquos sibi subjectos episcopos auctoritatem. Qua ratione in fine Actorum S. Danielis Stylitæ Ephræmius Constantinopolitanus vocatur antistes sive episcopus episcoporum. Et ita interpretatur Clementem S. Jacobo tribuentem titulum amplissimum de quo agimus, in epistola allegata Turrianus l. 2 contra
F Magdeburg. cap. 13. Vel certe dicendum est, eam denominationem inferiori cuipiam episcopo aliquando deferri ad insinuandam insignem in obeundo episcopali munere excellentiam, ita ut præstantissimus episcoporum, et omnium præsulum velut exemplar et idea haberi possit : qui est germanus sensus, quo S. Jacobus et S. Lupus dicti sunt episcoporum episcopi, salva illius tituli prærogativa soli Romano Pontifici vi muneris, ac quamcunque vitam vivat.

ostenditur

32 *Hactenus Raynaudus : qui postquam ibidem ostendisset, non refragari S. Cyprianum, cum initio concilii Africani, cui præerat, negat, quemquam debere se episcopum episcoporum dicere (de qua re supra actum est) recte et orthodoxe subnectit :* Potiatur ergo Romanus Pontifex titulo episcopi episcoporum, quem profanissime Ariani apud Luciferum Calarit l. Quod moriendum sit pro Dei Filio, Constantio imperatori acclamantes detulerunt. *Unde denuo intelligitur, titulum illum seculo Christi quarto cognitum et usitatum fuisse, tametsi impie applicatum. Transeamus ulterius ad seculum quintum. Exstant typis excusi Commentarii in Psalmos sub nomine Arnobii Afri, qui vixit seculo* IV ; *Arnobius alter,* qui

adversus cavillos Tillemontii ;

AUCTORE J. P.

qui dicitur Junior, vixit seculo v : *qui* Gallus fuit, *uti ex conjectura censet Oudinus in suo Commentario tom. I col. 1283, de scriptoribus ecclesiasticis. Hujus autem, non illius Arnobii opus esse istos super Psalmis Commentarios, lego cum apud bibliographum citatum, tum apud alium neotericum. Esto igitur elucubratio illa, prout ipsi volunt, Arnobii Junioris : nam uter fuerit ejusdem auctor, parum nostra interest, quando habemus saltem testimonium in rem nostram seculi* v. *Arnobius itaque Commentario suo in Psalmum 138 intexuit ista :* Quid nunc facimus, Novatiane, perdidimus Apostolum Petrum, an recipimus revertentem ad Christum ? Ecce Christus eum recepit, tu ejicis... Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est EPISCOPORUM EPISCOPUS *etc.*

et fit degressio

33 *Hæc sunt, quæ respondenda judicavimus frivolæ ac ineptæ assertioni ac quæstioni Tillemontii : unde perspicere quilibet clarissime debet, titulum* episcopi episcoporum *Vicarius Christi debitum ac datum, non esse Romani cujusdam adulatoris inventum seculo* IX *posterioris ; nec esse paucorum aliquot seculorum cognomentum ; nec* B *opus fuisse ut ab amanuensi aliquo adjungeretur Actis,* S. Tiburtii, *cum jam tum a primis Ecclesiæ seculis, imo vero eodem etiam ipso seculo, quo ille fuit passus, adhibitus sit, atque adeo non probari, quod nuncupatio ista honorifica abfuerit a primigeniis Actis, et a recentiore quodam amanuensi eo sit intrusa. Indicavimus supra, Tillemontii* assertionem sapidam esse admodum hæreticæ factionis Jansenistarum palato : *eumque* quæstionem movere heterodoxis Jansenistis valde gratam. *Tametsi enim rem ipsam, titulo sæpe dicto contentam ne tangat quidem, multo minus abroget summis Pontificibus ; sed tantum agat de tempore, quo is dari illis cœperit ; habet tamen, unde sibi quæstio hujusmodi complaceat, male feriata Jansenii ac Quesnelli assectarum colluvies, qui titulum illum tanquam Sedi Apostolicæ indebitum totis viribus impugnare, subdolis ac fucatis effugiis eludere, nec non fraudulentis contorsionibus convellere conantur. Id quod egregie ostendit Constitutionis Clementis PP. XI theologice propugnatæ auctor in Prolegomenis ante tomum primum istius operis cap,* II, *ubi expendens idem auctor secundum Quesnellianæ ad laudatum Pon-* C *tificem epistolæ paragraphum pag. 71 et seqq.* Vis autem, lector, *ait,* intelligere, quid tribus illis honorificis appellationibus SUCCESSOR PRINCIPIS APOSTOLORUM, HERES PRIMATUS APOSTOLICI, ET SUPREMUS CHRISTI VICARIUS significatum Quesnellus cupiat ? Nihil aliud quam QUOD INTER EPISCOPOS SIT VELUT NATU MAJOR INTER FRATRES. Hæc ejus comparatio est in Dialogis anni MDCCIX pag. 331. *Huc applica titulum, quo de egimus,* episcopi episcoporum. *Pergamus cum laudato auctore.*

eadem occasione

34 Ægidius de Witte, candidorum Jansenistarum coryphæus, Quesnello amicus et arcta junctus Jansenismi necessitudine, anno MDCLXXXV solita sua temeritate, candide tamen, sic sensum suum, suorumque expresserat propositione 2 inter 4 ad examen Facultatis theologicæ Lovaniensis delatas : « Papa non est, nisi primus episco- » pus ; nec illi competit inter episcopos major » potestas vel prærogativa, quam quæ competit » plebano sive pastori S. Rumoldi, respectu alio- » rum pastorum parochialium ejusdem civitatis, » et ea, quæ competit primo scabino civitatis » Gandavensis, sive aliarum civitatum respectu » aliorum inferiorum scabinorum. » *Pag. 72 sic per-* D *git laudatæ Constitutionis propugnator :* in Judicio æquo, *cujus auctor idem Ægidius de Witte seu Candidus,* pag. 4 dicitur : « Neque scanda- » losum est, neque perniciosum dicere, Ponti- » ficem esse in ecclesia per concilium œcumenicum » repræsentata, id quod præses est in conci- » lio arcano. » Ubi Pontificis cum arcani concilii præside videtur paulo honorificentior, quam cum primo scabino magistratus, aut plebano, seu principis ecclesiæ pastore comparatio ; verum sensu quodammodo convenit : quod durius Quesnellus exprimit in citatis Dialogis pag. 68 dicens, Pontificem Romanum, et cæteros in suis diœcesibus episcopos ÆQUALEM habere judicandi de dogmatibus potestatem. Tertia Ægidii Candidi propositio, quatuor testium, interposito juris-jurandi sacramento denuntiatione sic continetur : « Ad » hoc, quod aliquis ei opponeret, archiepisco- » pos, et alios episcopos in publicis litteris sole- » re dicere, se esse Dei et Apostolicæ Sedis gra- » tia tales ; respondit, esse abusum, et errorem » a quingentis circiter annis introductum, nec » primis decem seculis episcopos tali modo fuisse » locutos ; sed dum rem quamdam haberent cum E » Papa sive Episcopo Romano, eum simpliciter » nominasse confratrem ; non autem Papam vel » Pontificem » *etc.* Quarta Ægidii propositio est : « Dictum Christi : Tu es Petrus, et super hanc » petram ædificabo Ecclesiam meam, solum fuis- » se dictum Petro personaliter, non in illo suc- » cessoribus suis. » *Censuræ adversus istas propositiones latæ videri possunt loco citato. Vide jam, quibus artibus utatur versipellis ista secta, ut fucum faciat.*

ad Jansenistas, qui subdole titulos hujusmodi illudunt,

35 Et tamen, *prout observat dictæ Constitutionis defensor,* nullus ex istis Anti-pontificiis est, nullus ex Jansenistis, qui cum Quesnello non adhibeat omnes honoris titulos a Quesnello Clementi XI ad blandiendum pariter et fallendum attributos. Est, inquiunt, Pontifex successor Principis Apostolorum ; sed Princeps ille, etsi dignitate primus, ut inter fratres natu maximus, ut ordine primus inter canonicos, et inter senatores..., nullum tamen in cæteros Apostolos jus habuit, velut Superior in subditos, cum juxta novos Augustini discipulos essent omnes in universalis Ecclesiæ gubernatione æquales. Quæ hæresis pluribus eorum libris tradita, ab Innocentio X anno MDCXLVII, XIV F Januarii anathemate confixa est *(sicut pluribus ibidem pagg. 72 et 73 videre datur) :* Nimirum subordinatio illa et subjectio nimium contraria est novatoribus volentibus episcopos subducere jugo obedientiæ Romano Pontifici debitæ. *Et quia justo longiores essemus, si transcriberemus quæ pag. 73 laudatus Constitutionis propugnator pluribus deducit, eo lectorem mittimus.* Ita Quesnellus, *inquit,* cum suis, dum blandiri videtur Pontifici magnis nominibus, non nisi pulverem in legentium oculos injicit, ut obcæcet. *Itaque ex hactenus dictis constat primo, honorificum illum titulum* Episcopi episcoporum *a primis Ecclesiæ seculis Romano Pontifici datum fuisse. Secundo, eumdem ipsi deberi in vera, propria ac Catholica significatione, non vero in phalerata, illusoria ac fraudulenta factionis Janseniunæ, prout ex antecedentibus abunde conficitur.*

tametsi jure optimo debitos Apostolicæ Sedi.

36 *Ast auditu plane dignissima sunt, ac coronidis loco opportune attexi jam dictis merentur, quæ scripsit Eminentissimus Baronius ad annum Christi 216 num. 8 :* Quæ Tertullianus de edicto a Romano Pontifice publice in Ecclesia promulgato, universæque simul Ecclesiæ præscripto, tradit ;

A tradit; antiquam plane illam in Ecclesia œconomiam insinuant, ac potissimum in ea Romani Pontificis auctoritatem testatam reddunt: nimirum ejus partium esse, hæreses emergentes, rectam fidem et disciplinam ecclesiasticam corrumpentes edictis editis cohibere, legesque pariter Ecclesiæ universæ præscribere, titulumque illis præfigere, quem ipse Tertullianus recitans ait: PONTIFEX MAXIMUS, EPISCOPUS EPISCOPORUM. Quod si quis hæc verba esse Tertulliani potius quam edicti contendat; ironice certe dicta, nunquam poterit demonstrare: quippe qui non de Romana se tantum Ecclesia loqui, sed de universali, quam Catholicam dicimus, declarat inferius; *uti pluribus ibidem videri potest apud Baronium; qui subdit:* Sed æquius atque verius dici posse videtur, verba illa non esse Tertulliani, sed ab ipso recitata ex edicti illius inscriptione: ejusdem namque auctoris fuisse tituli illa verba, cujus ab eo recitantur verba decreti, quod ille impugnaturus, a titulo incipit recitare, quis dubitat? *Verum sive sint verba decreti solius, sive Tertulliani, sive utriusque, parum illud hic refert, quando ex* B *dictis constat de eorumdem usu et antiquitate. Laudatus Baronius ibidem a num. 9 exponit titulum utrumque supra nominatum; unde delibare, quæ habet num. 11, sufficerit.* Quod igitur, ait in Ecclesia Dei, ex gentibus magna ex parte collecta, regale Christi sacerdotium unum idemque sit, et in primariæ Sedis Episcopum potissimum declaratum, qui non tantum Urbis, sed orbis sacerdos summus existat, ac insuper a Deo rerum divinorum humanarumque arbiter constitutus, judiciaria potestate super omnes effulgeat, apposite Pontifex Maximus dictus est, et Episcopus episcoporum. Illud ob insignem sacerdotii eminentiam: istud additum ne, quod apud gentiles quinto loco positus haberetur pontifex maximus, sed tamen, ut et alii quoque Maximi dicerentur, ne iste alios supra se vel sibi æquales videretur habere pontifices; Pontificis Maximi nominis amplitudini jure junctus est titulus, Episcopus episcoporum.

C

ACTA

Ex editis apud nos S. Sebastiani martyris Actis tom. II Januarii, ad diem XX ejusdem mensis, cap. XII pag. 271 et seqq.

CAPUT I.

S. Chromatius ab idolis ad Christum conversus; apparitio; S. Tiburtii baptismus ac miraculum.

Tranquillinus, actis Chromatio gratiis, aperit se Christianum esse factum.

Diebus igitur acceptæ dilationis expletis, Agrestius Chromatius urbis Romæ præfectus a ad se Tranquillinum b patrem Marcelliani et Marci c venire jubet. Quem cum de suorum perquireret arbitrio filiorum, Tranquillinus respondit: Ad referendas beneficiis vestris gratias nullus mihi oris sufficit sermo. Nisi enim currentes sententias vestri frena moderaminis tenuissent, et ego filios amisissem, et me patrem filii non haberent. Congratulantur mihi omnes, quos tenet paternus affectus et pungit caritatis stimulus; etiam vestra, credo quod mihi congaudeat celsitudo, quando morituris vita collata, et anxiis lætitiis reddita, sollicitis securitas restituta. Tunc præfectus æstimans filios ejus suas velle idolis inclinare cervices, ait: Venienti ergo die debita numinibus a filiis tuis thura reddantur, per quæ et tu filiis perseveres incolumis, et tibi filii condonentur. Audiens hæc Tranquillinus, dixit: Illustrissime virorum, examinis vestri libram si velitis erga me et filios meos æqua lance pensare, agnoscere poteritis hoc Christianum vocabulum magnæ esse virtutis. Præfectus dixit: Insanis, Tranquilline. Tranquillinus respondit: Insaniam passus sum et animæ et corporis, sed statim ut credidi Christo, et animæ meæ recepi et corporis sanitatem. *Deinde præfectum docet, non errare Christianos, sed gentiles; quorum deos ostendit deos non esse, addens Jovis Junonisque scelera; Christianos item non esse causam cladium imperii, nec solem esse Deum.* E

Ex editis tom. II Januarii. a b c

Christi divinitatem defendit, ac minas tyrannorum contemnit.

2 Præfectus dixit: Si ergo unus et invisibilis est quem colitis, Christum, quem Judæi crucifixerunt, non colitis? Tranquillinus dixit: Recte hæc inquireres, si credere destinares. Incredulis enim omne quod nolunt vanum videtur... Præfectus dixit: Ego te de Christo vestro interrogo. Si enim a vobis hoc colitur quod istis oculis non videtur; Christum non colitis qui et visus est et auditus et interrogatus, et omnia, quæ humanæ fragilitati competunt, in ejus leguntur passione completa. Tranquillinus dixit: Audi similitudinem, et intellige veritatem... Præfectus dixit: Ignoras, Tranquilline, quanta invictorum principum erga Christianos ira desæviat, et ideo quasi securus quod tibi videtur sine timore prosequeris. Tranquillinus dixit: Stultus timor est, quo plus timetur humana indignatio quam divina... Tunc præfectus jussit eum recipi a Commentariis, dicens: Proxima te audiam sessione. Post hæc mittit, et adduci, eum ad se præcepit per noctem occulte, et offerens ei infinitum pondus auri, dicebat: Ostende mihi medicamentum, ex quo recuperasti salutem. Cui Tranquillinus ait: Scias grandem iram et furorem Dei passuros esse, qui F gratiam ejus vel venumdandam existimant vel emendam. Unde si vis a podagrico dolore liberari, crede Christum filium Dei et liberaberis, et sicut hodie me vides, ita salvus eris. Nempe vix manibus deferebar, et undecim annos per omnes juncturas nervorum in corpore meo dolorum nodis adstrictus, vix ori meo panis alienis manibus tradebatur: illico ut Christum verum Deum esse credidi, salutis meæ gaudia recepi, et sum incolumis, quia verum Deum salvatorem meum agnovi.

S. Polycarpum deducit ad eum; a quo petit sanitatem; confringuntur idola:

3 Tunc præfectus dimisit eum dicens: Adduc ad me qui te Christianum fecit, ut si mihi promiserit sanitatem, possim et ego fieri Christianus. *Adducitur itaque ad eum S. Polycarpus; qui ejus dona pro recuperanda sanitate respuens, suadet ut credat eumque instruit, indicto tridui jejunio.* Igitur cum dies tertia, quæ constituta fuerat, advenisset, ad domum sustinentis præfecti veniunt pariter properantes. Qui ingressi dixerunt: Pax fidei tuæ. At ille resalutavit eos officiosissime, et hortatur eos sedere juxta se, et dixit: Ex ore Tranquillini ratio egressa oculorum meorum assertione declaratur. Video enim hunc sanissimum

quem

Ex editis Tom. II Januarii.

quem podagrico et chiragrico videram dolore contractum : a quo genus medicamenti, unde fuisset salvatus, inquirens, tale ab eo accepi responsum. Hæc audivi auribus, probavi oculis, corde credidi; superest, ut quod fecistis Tranquilliano, et mihi faciatis, ut possim mei corporis recipere sanitatem. Tunc Chromatius urbis Romæ præfectus cum unico filio suo Tiburtio dedit nomen suum, dicens : In hoc de fide mea certos vos esse convenit, in qua etiam filium meum Christianum fieri mecum exopto. *Deinde referunt Acta, quod* Chromatii *idola suasu et opera S. Sebastiani confracta sint, uti et instrumenta astrologiæ judiciariæ.*

Angelo apparente sanatur Chromatius, ac cum Tiburtio confitetur Christum.

4 Tunc accesserunt ad universa idola crystallina et holovitrea, et omne opus illud mechanicum; et subito dum Sanctorum manibus frangerentur, apparuit ante oculos Chromatii juvenis, cujus facies flammeo radiabat aspectu, et dixit ei : Misit me Dominus meus Jesus Christus, cui credidisti, ut omnium membrorum tuorum recipias sanitatem. Ad hanc vocem sanissimus redditus cœpit currere post juvenem, ut pedes ejus oscularetur. B At ille dixit : Vide ne contingas me, quia nondum baptismatis sanctificatio te a squaloribus abluit idolorum. Videns hæc Tiburtius filius ejus, advolvitur ad pedes S. Polycarpi. Ipse autem Chromatius præfectus astringebat plantas B. Sebastiani, et ambo una voce clamabant : Verus Deus est Christus, verus et omnipotens unigenitus Filius Dei, quem prædicatis boni ministri ejus. Tunc B. Sebastianus dixit Chromatio : Sicut ipse nosti, principatum primæ cohortis ago; sed utrum sit militia hominis, nescire olim decrevi, nec vellem. Ad hoc tantum sub chlamyde latere volui, ut nutantium animos instruerem, et dubitantes constantes efficerem, ne passionum doloribus cederent, quos fides fecerat bellatores. Tu autem amplissimæ potestatis apicem gerens, non potes temetipsum nec a spectaculis tollere, neque judicandis negotiis absentare. Simulans *e* igitur ægritudinem, tibi ipsi postula successorem, ut possis liber ab occupationibus mundi futuræ vitæ rudimenta suscipere, ut secunda nativitate iterum natus æternis efficiaris parentibus proles.

Ante baptismum peccatis renuntiat, ablata restituit, concubinas dotatas collocat.

5 Eodem itaque die mittit ad amicos suos in C palatio positos, per quos testimonialia scripta suscipiens, tirocinium divinæ militiæ, antequam baptizaretur, accepit. Quid memorem, quam plenissimæ fidei fuerit? quamque acris ingenii contra infidelium asserta constiterit, sequens lectio manifestat. Nam in initio qualiter sit sacrosancti fontis unda perfusus, mentis ejus fides evidenter enituit. Interrogatus si crederet, dixit : Credo. Iterum interrogatus, utrum abrenuntiaret omnibus idolis respondit : Abrenuntio. Prosecuta est interrogatio sacerdotis, utrum renuntiaret omnibus peccatis. At ille ait : Ista prius debuisti inquirere, antequam has aulas Regis cœlorum intrarem. Nunc autem reinduam me non baptizatus, ut omnibus prius, quibus sum iratus, indulgeam : omnibus debitoribus meis chirographa restituam; si cui aliquid violenter abstuli, integrum reddi præcipiam : duæ mihi post uxoris obitum concubinæ sunt; et istis dotem et maritis tradam : ab omni nexu servili, ingenuo, privato vel publico actum meorum nodos exsolvam : et ita demum promittam renuntiaturum me omnibus peccatis diabolicis et voluptaribus mundi. Dicit ei Polycarpus presbyter : Beatiorem te cœlestis unda perfundet cum ea, quæ arbitrio tuo dicis te esset facturum, tota festinatione compleveris.

Baptizatur cum filio ac 1400 ex suis :

6 Tunc Tiburtius juvenis sapientissimus dixit : D Pater, si tibi pro renuntiandis negotiis tempus flagitas, ego quæ adhuc suscepturus eram negotia fori, soli susceptionis voluntati renuntio : et qui futurus eram advocatus ad agendas causas mortalium, suscipiam christianitatem ad agendas actiones angelicas, cum unus esse cœpero ex eorum numero, qui æternam vitam accipiunt, et efficiuntur causidici sanctitatis. Tunc amplexus est eum B. Sebastianus quem cum baptizasset S. Polycarpus, ipse pater susceptionis ejus est factus. Igitur dum pauci admodum transacti fuissent dies, omnibus rite abrenuntiatis a Chromatio mundi negotiis, suscepit Chromatius sacri baptismatis novitatem, et cum eodem ex familia ejus promiscui sexus mille quadringintæ animæ *f*, quos omnes f prius manumissionis gratia a servitutis nodo exsolvit, et donis optimis instruxit, dicens hoc : Illi qui Deum incipiunt habere patrem, servi hominis non debent essent.

Christianos alit, ac persecutioni subducit, S. Tiburtio Romæ manente :

7 Erat autem Papa urbis Romæ nomine Caius *g*, vir magnæ prudentiæ magnæque virtutis, imperantibus Carino *h*, Diocletiano *i* et Maximiano *k*. Sed Diocletianus in Urbe erat cum Maximiano... Tunc S. Caii episcopi consilio habito, Chromatius illustris vir omnes Christianos in domo sua suscepit, et universos ita fovebat, ut nullus omnino sacrificandi necessitati succumberet. Verum E quia tanta vis persecutionis exstiterat, ut opinio ipsa christianitatis ejus celari non posset, meruit ex sacro rescripto Chromatius, ut medendi gratia in Campano littore moraretur, in quo erat lati cespitis dominus, tribuitque copiam omni Christiano ire volenti cum eodem ad persecutoris rabiem declinandam *l*... Exclamavit Tiburtius vir clarissimus dicens : Obsecro te, pater, et episcoporum episcope *m*, ne me patiaris terga persequentibus dare : mihi enim valde jucundum est et optabile, si possem millies pro vero Deo occidi tantum ut illius dignitatis vitam inveniam, quam nullus mihi successor eripiat, cui nulla tempora finem imponant. Tunc S. Caius congaudens fidei ejus lacrymas effundebat... Remanserunt autem cum venerabili Caio Papa hi, Marcellianus et Marcus *n*... item B. Sebastianus, et pulcherrimus juvenis, sed et mente pulchrior, S. Tiburtius. *Deinde commorationi eorum ac miraculis hæc subduntur :* F

g h i k

qui quemdam e lapsu exanimem sanat eumque ac parentes ejus convertit.

8 Interea dum hæc aguntur, transiens B. Tiburtius occurrit homini, qui de alto lapsus, et caput et omnia membra quassaverat, ita ut de sola sepultura ejus agerent hi, quorum filius esse dignoscebatur. Tunc dicit eis flentibus : Permittite me præcantare ei, forsitan recuperabit sanitatem. Cumque omnes dedissent spatium, accessit juxta eum, et dicens supra vulnera ejus lente orationem Dominicam et symbolum, ita solidata sunt ossa ejus et caput, et omnia viscera, ut quasi nihil ei evenisset, ita factus sit incolumis. Hæc itaque cum fecisset, cœpit ire. Tenebant autem illum parentes ejus dicentes : Veni et habe eum servum, et omnia bona nostra tibi tradimus cum eo, quia ipsum unicum, quem habebamus, nobis jam mortuum reddidisti vivum. Dicit eis : Si ea, quæ vobis dixero, feceritis, magni pendam mercedem sanitatis hujus. Dicunt ei parentes ejus : Nosmetipsos si servos habere digneris, contraire non possumus : quinimo et optamus, si ipse judicaveris dignum. Tunc apprehendens manus eorum, segregavit eos a turbis, et indicavit eis virtutem nominis Christi. Et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad

Papam

A Papam Caium et dixit : Venerabilis Papa ac divinæ legis antistes, ecce quos per me hodie lucratus est Christus, in quibus fides mea velut arbuscula novella, primum prorupit in fructum. Tunc S. Caius episcopus baptizavit eos, hoc est juvenem cum parentibus suis, Deo gratias referentes.

ANNOTATA.

a *De ejus præfectura pluribus disserit Commentarius prævius § 3.*

b *De isto Sancto actum apud nos tom. II Julii, die 6, pag. 263.*

c *Dedimus eos tom. III Juni, die 18, pag. 568.*

d *Sanctum illum habes tom. III Februarii nostri. die 23, pag. 369.*

e *Quæ a Tillemontio tom. IV Monum. eccles. in notis pag. 742 adversus hunc locum opponuntur, qui utpote, sicut vult, sine dubio totus sit auctoris Auctorum, non satis instructo de reverentia veritati debita; responderi potest, non videri satis constare, quod Actorum auctor illum addiderit locum : cum multa occurrant in Sanctorum Actis,* B *quæ bona fide dicta vel facta excusari possint. Hanc vero non fuisse in S. Sebastinano, quando* Chromatio *suasit, ut simularet ægritudinem, quomodo probabit Tillemontius ?*

f *Idem Monumentorum eccles. auctor censet tot mancipiorum libertate donatorum numero inesse aliquid difficultatis ; non quod senatores plura quoque non haberent mancipia : sed tum quia libertas tunc non concederetur nisi cum multis formulis, tum quia tam magnus mancipiorum libertate donatorum numerus deberet excitare rumorem ac splendorem. At quod ad solemnitates attinet, difficultatem mitigat ex eo quod emancipationes istæ coram Romanæ urbis præfecto, uti credit, fierent, qui in hoc casu ipsemet erat* Chromatius. *Ad hæc, si aliquid Tillemontio hic creditu difficile videatur, non ideo falsum est.*

g *Sanctum hunc invenies in Opere nostro ad diem 22 Aprilis pag. 13 ; de quo etiam mentio facta in Commentario nostro § 3 in initio.*

h *Carinus Cæsar creatus anno 282, Augustus 283, occisus est 285.*

i *Fuit ad imperium electus anno 284.*

C k *Maximianus Herculius creatus Augustus anno 286.*

l *Quo mortis genere et quo tempore obierit, exploratum non habemus ; eum tamen cum aliis sociis tanquam martyrem referri ab hagiologis, notavimus in Commentario prævio num. 17 et 18, et ideo eos* S. Tiburtio *adjunximus Sanctorum titulo insignitos.*

m *Titulus ille expenditur in Commentario prævio § 4 cum digressione pro Sede Apostolica.*

n *De SS. Marcelliano et Marco actum est apud nos die 18 Junii, tomo III ejusdem mensis pag. 568.*

CAPUT II.

S. Tiburtii martyrium.

Tiburtius a Torquato, cujus morum levitatem

Interea dum S. Caio episcopo quidam se simulata fide sociasset, dicens se esse Christianum ; porro hic apostata exstiterat, et erat fraudulentus in omni sermone, et callidus in omni commisso. Quid multa ? Dum a B. Tiburti viro scholasticissimo et nobili et sancto frequenter argueretur, quod capillos super apicem frontis tonsoris arte componeret, et quod assidue pasceretur, et ridendo pranderet, et quod licentius feminarum se aspectibus daret, et quod a jejuniis se et orationibus tolleret, quod somno deditus non interesset pervigil in hymnis Dei ducentibus noctes : dum pro his, ut diximus, a B. Tiburtio acrius argueretur, simulat se æquanimiter monentem accipere, et egit arte quatenus orantem S. Tiburtium comprehenderent infideles. In comprehensione se ipsum teneri fecit, et simul ad secretarium perduci judicis sævientis. At ubi introducti sunt, Fabianus præfectus *a* dixit ad eum, qui se arte tradiderat : Quis diceris ? At ille respondit : Torquatus. Fabianus dixit : Quid profiteris ? Torquatus dixit : Christianus sum. Fabianus dixit : Ignoras quod jusserunt invictissimi principes, ut qui sacrificare diis noluerint, diversis suppliciis macerentur ? Torquatus dixit : Hic magister meus est, et ipse me semper docuit ; quod hunc videro facere, necesse est, ut faciam.

Ex editis tom. II Januarii.

10 Fabianus conversus ad S. Tiburtium dixit : Audisti quid Torquatus asserat ? Quid ad ista respondes ? S. Tiburtius dixit : Torquatus diu est, quod se Christianum esse mentitur. Virtus enim nominis ipsius sancti graviter fert et moleste, suum nomen non a suis amatoribus usurpari. Revera enim, vir illustrissime, hoc Christianum vocabulum divinæ virtutis est, sectatorum videlicet Christi, qui vere philosophati sunt, qui vere Christiani dicti sunt, qui ad obterendas libidines fortiter dimicarunt. Credisne, vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in lenocinio sui moliendo capitis fimbrias committit, qui tonsorem diligit, qui scapulas molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nisu distendit, qui viros negligenter agit, feminas diligentius intuetur ? Nunquam tales Christus habere dignatus est servos. Verum quoniam me hic se imitaturum asseruit, hic in tuo conspectu probabis eum esse mentitum. Hic enim qualis semper fuerit, nunc evidenter ostendet.

ac fictam fidem reprehendebat, proditus, E

11 Fabianus dixit : Consultius facies, si saluti tuæ consulas, et principum decreta non contemnas. S. Tiburtius dixit : Ego saluti meæ melius non consulo, quam ut deos deasque contemnens, unum Dominum Jesum Christum Deum meum esse confitear. Torquatus dixit : Non solum ipse Christianus crudelis est ; verum etiam multos persuadet et decipit, ac docet omnes deos dæmones esse : ipse autem cum sociis suis, cum quibus magicas artes exercet, diu noctuque incantationibus occupatur. S. Tiburtius dixit : Falsus testis non erit impunitus. Et ait judici : Iste, quem vides, illustrissime vir, malitiæ suæ curis exæstuans, ad nihil aliud Christianis est junctus, nisi ut cogitaret, quomodo se nobis quasi Christianum ostenderet, quomodo aliis se fidelissimum mentiretur. Reprehendebam tamen in eo Cyclopeam edacitatem, et mersum vino pudorem, et sepultam divini nominis sanctitatem. Ebrius patiebatur sitim, et esuriem vomens : nec ut Christianus, sed ut Antonianus quondam ille conviva manducabat, bibebat, vomebat, et nunc Christianos arguit, Christianos accusat in nos mitem judicem incitat, gladium nolenti judici porrigit, et ut dæmoniis cervices nostras inclinemus hortatur. Videmus votum tuum, videmus cruenta consilia, et scelerata arte verborum venena tui pectoris intuemur. Accingere nunc, crudelissime : utere carnificis officio : vendica tibi et ipsius judicis vocem : applica eculeos, suspende Christianos,

præfecti blanditias contempsit F

Ex editis tom. II Januarii.

nos, damna, percute, incende, universa tormenta adhibe, bene nos accepisti. Si exsilium minaris, hoc philosophantibus totus est mundus : si supplicium; evadimus mundi carcerem : si ignes: majora horum in cupiditatibus vincimus. Decerne quidquid libet, omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia.

deos ridet:

12 Fabianus præfectus dixit : Restitue te generi tuo, et hoc esto, quod te natura dictavit. Nobilis enim natus ad tantam devolutus es fæcem, ut velis et supplicium simul et infamiam subire et mortem. S. Tiburtius dixit : O prudentissimum virorum, et Romanis judicem constitutum! quia meretricem Venerem, et incestum Jovem, et Mercurium fallacem, et Saturnum filiorum occisorem colere nolo, infamiam generositatis incurro: et quia unum et verum Deum, qui in cœlis regnat, adoro et veneror, suppliciis me macerandum esse minaris. Non annuimus tuæ persuasioni : non negamus Christum Filium Dei ad hoc de cœlis descendisse ad terras, ut a terris homo ad cœlum posset ascendere : ideo istas omnes vanas effigies, quas colitis sine causa, proculcans pedibus meis, Deo me omnipotenti subjeci.

B

ardentes carbones calcat illæsus,

13 Tunc Fabianus jussit ante pedes ejus carbones ardentes effundi, et ait ad eum : Elige tibi unum e duobus, aut thura in istis carbonibus adjice, aut pedibus super eos nudis incede. Tunc B. Tiburtius faciens signum crucis, constanter nuda super eos ingressus est planta, et cœpit præfecto dicere : Depone infidelitatem, et disce quia hic solus est Deus, quem confitemur creaturis omnibus dominari. Mitte tu, si potes, in nomine Jovis Dei tui manus in calidam aquam, et si potest Jovis *b* tuus, faciat te non sentire fervorem ardoris. Nam mihi in nomine Domini mei Jesu Christi videtur, quod super roseos flores gradior, quia creatum Creatoris sui famulatur imperio. D

b

ac perstricte blasphemo judice plectitur capite.

14 Fabianus dixit : Quis ignorat magicam vos docuisse Christum vestrum? S. Tiburtius dixit: Obmutesce, infelix, et noli auribus meis hanc injuriam facere, ut audiam te rabido ore latrantem, mellifluum nomen ejus sanctum nominare. Tunc iratus Fabianus dictavit sententiam, dicens : Blasphemator deorum, et reus atrocium injuriarum, gladio animadvertatur. Ductus est autem via Lavicana tertio milliario *c* ab Urbe, et effundens orationem ad Dominum, uno ictu gladii verberatus abscessit : et in eodem loco apparente quodam Christiano sepultus est : in quo loco multa beneficia semper præstitit Christus ad laudem nominis sui usque ad præsentem diem *d*.

ANNOTATA.

E

a *De ejus præfectura egimus in Commentario prævio § 3.*

b Jovis *nominativum pro* Jupiter *apud antiquos fuisse, norunt Grammatici.*

c *Vox illa expensa in Commentario num. 19.*

d *Hinc collige, Acta hæc non esse primigenia, prout observat idem Commentarius num. 22.*

DE S. SUSANNA VIRGINE & MART.

ROMÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Antiquus Sanctæ cultus, prima sepultura, translatio, et reliquiæ,

C

An. circiter ccxcv. *Sancta Susanna Romana.*

Quam inclyta et vetusta sit hujus Sanctæ veneratio, patet ex concilio I Romano, quod exeunte seculo quinto sub Symmacho Papa celebratum est, et cui apud Labbeum nostrum tomo IV Conciliorum col. 1315* Asellus presbyter tituli Sanctæ Susannæ, *atque* Agatho presbyter tituli Sanctæ Susannæ *subscripserunt. Præterea annua* S. Susannæ *festivitas in veteri Kalendario Frontonis, variisque Martyrologiis Hieronymianis annuntiatur. Sed quia in his aliisque monumentis titulus virginitatis et martyrii ei non additur, Tillemontius tomo IV Monument. eccles. pag. 761 de utroque dubitat. At in antiquissimis Kalendariis plerumque neuter ille titulus adjungitur Sanctis, quos tamen Ecclesia Catholica, tanquam virgines vel martyres, ab immemorabili tempore veneratur, et quos ipse Tillemontius pro talibus agnoscit. Sic in ipso Frontonis Kalendario ad diem* x *Augusti* Natale Sancti Laurentii, *ad diem* xxii *Novembris* Natale Sanctæ Ceciliæ, *et aliæ innumeræ hujusmodi annuntiationes leguntur. Quis tamen ex hoc silentio prudenter concludat, tales Sanctos vel Sanctas nec virgines nec martyres fuisse?*

2 *Præterea in veteri Martyrologio Romano,* quod *Rosweydus noster edidit, hæc eadem die uterque iste titulus diserte exprimitur his verbis :* Romæ inter duas lauros, Tiburtii martyris, et Susannæ virginis martyris. *Usuardus hac die in Martyrologio suo utrumque hunc titulum eidem Sanctæ sic adscribit :* Item Romæ Sanctæ Susannæ virginis, quæ cum esset nobili prosapia orta, et beati Gaii Pontificis neptis, martyrii palmam tempore Diocletiani, capitis obtruncatione promeruit. *Brevi huic elogio plane consonat annuntiatio hodierni Martyrologii Romani, quæ ex Usuardo desumpta est. His virginitatis et martyrii assertoribus adde Adonem, Rabanum, et Notkerum, qui in suis Actorum compendiis* S. Susannam *illam lilio virginitatis et laurea martyrii condecorant. Cum itaque argumentum Tillemontii sit prorsus negativum, jam dicta ejusdem tituli omissio in aliis virginibus vel martyribus, et positiva veterum istorum testium assertio nobis sufficere visæ sunt, ut* S. Susannam *in titulo hujus Commentarii virginem et martyrem appellaremus, etiamsi non admittamus omnia, quæ auctores illi de gestis hujus* S. Susannæ *tradunt, ut ex paragrapho tertio clarius patebit.*

F

quæ verosimillime fuit virgo et martyr.

3 *Romæ non diu post martyrium* S. Susannæ *vide-*

A videtur ecclesia sub ejus nomine consecrata esse, aut potius domus patris ejus, in qua lauream martyrii acceperat, et quæ domui sancti Caii Pontificis jungebatur, in ecclesiam mutata, ut ex Actis infra edendis discimus. Certe hæc Sancta habuit Romæ ecclesiam, *inquit Fronto pag. 119 in notis ad vetus Kalendarium Romanum,* quæ est inter stationes, et dicta est titulus sanctæ Susannæ, qui AD DUAS DOMOS vocatur, ut legimus in Vita Sergii ad annum DCLXXXVII. *Liber Pontificalis, quem Joannes Vignolius non ita pridem Romæ edidit, pag. 302 in Vita Sergii Papæ hæc ita exponit :* Sergius natione Syrus . . . Romam veniens sub sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice, inter clerum Romanæ ecclesiæ connumeratus est . . . . et acolythus factus, per ordinem ascendens, a sanctæ memoriæ Leone Pontifice in titulo sanctæ Susannæ, qui AD DUAS DOMOS vocatur, presbyter ordinatus est. *Dein ibidem in notis ad hunc textum observat sequentia :* Duæ enim ibi præcipuæ domus; una scilicet S. Gabinii, sanctæ Susannæ patris; altera vero sancti Caii Papæ, ejus patrui, a quibus apud scriptores ecclesiasticos ei nomen inditum. *Denique lau-* B *datus Vignolius ad probandam appellationis istius antiquitatem ex Actis, quorum stylum Surius more suo mutavit, ibi profert nonnulla verba, quæ nos inferius ex Ms. nostro codice fideliter allegabimus.*

immemorabilem cultum habet in domo sua,

4 *Floravantes Martinellus in sua Roma Sacra topographiam harum domorum assignat, et ibidem pag. 310 ac sequente scribit, templum* S. Susannæ *esse* dictum AD DUAS DOMOS, in colle Quirinali situm, in vico olim dicto Mamuri, prope Sallustii forum, nunc in Thermis, in propria sancti Gabinii, patris sanctæ Susannæ excitatum domo, apud quam erat alia sancti Caii Papæ, fratris dicti Gabinii in templum versa, obque id statio deputata fuit in duabus domibus. Antiquissimum a Joanne VI ciborio marmoreo ornatum; ab Hadriano I novo tecto restauratum, a Leone III a fundamentis noviter ædificatum, ut sequens inscriptio in abside musiva indicabat : DUDUM HÆC BEATÆ SUSANNÆ MARTYRIS AULA COANGUSTO ET TETRO EXISTENS LOCO MARCUERAT, QUAM DOMINUS LEO III PAPA A FUNDAMENTIS ERIGENS, ET CONDENS C CORPUS BEATÆ FELICITATIS MARTYRIS COMPTE ÆDIFICANS ORNAVIT ATQUE DEDICAVIT. Quod sub Clemente VIII vetustate deformatum Hieronymus Cardinalis Rusticucius fere totum renovavit, picturis undequaque decoratum monasterium pro monialibus construxit, templi prospectum ex Tiburtino marmore a fundamentis pulcherrimum erexit. Franciscus Scottus scripsit in suo Itinerario, habuisse pulchram cisternam et vas æneum aquæ lustralis. Est titulus presbyteri Cardinalis, parochialis sub cura confraternitatis sancti Bernardi, quæ monialium hic existentium curam habet. *Etiam Joannes Ciampinus part. 2 veterum Monumentorum cap. 23 de hac Sanctæ ecclesia consuli potest.*

quæ in ecclesiam mutata est.

5 *Laudatus Martinellus pag. 403 ejusdem Operis iterum obiter agit de templo* sanctæ Susannæ INTER DUAS LAUROS, cujus meminerunt Fulvius et Faunus. Est idem AD DUAS DOMOS *inquit, citatque ibidem Ugonium, qui de stationibus urbis Romanæ scripsit. Sed Pompeius Ugonius in Historia stationum Romanarum a fol. 189 fuse disserit de Actis temploque* S. Susannæ, *et ibi fol. 193 verso contendit, Andream Fulvium et Lucium Faunum errasse, quando ecclesiam* S. Susannæ *appellarunt* inter duas lauros, *eo quod cognomen istud apud nullos antiquos auctores reperiatur. Quidquid sit de hac controversia, quam hic operosius discutere non vacat, Bartholomæus Marlianus in Topographia urbis Romanæ lib. 5 cap. 24 pro situ illius templi testem allegat S. Ambrosium (nusquam tamen textum hujus sancti Doctoris assignat) et ad rem nostram habet sequentia :* Vicus autem Mamurri, in quo illi statua fuerat posita, apud ecclesiam sanctæ Susannæ a divo Ambrosio collocatur : fuit enim haud procul a Sallustii foro, cujus horti ab eadem ecclesia ad campum Sceleratum prope portam Collinam existentem, diffundebantur. *Vicus vero Mamurri cognomen accepit ab inclito fabro Mamurro, qui sacerdotibus Saliis sub Numa Pompilio olim ancilia conficiebat, et cujus Mamurri statua eo loco circa forum Salustii posita erat, ut Pompeius Ugonius pagina proxime citata testatur.*

et cujus situs describitur.

AUCTORE G. C.

6 *Suspicari quis posset,* S. Susannam *in ea domo, in qua lauream martyrii acceperat, primo, sepultam fuisse. Verum Acta nostra qualiacunque tradunt, quod Serena sacrum illius cadaver collocari jusserit* juxta corpora Sanctorum in cœmeterio Alexandri in Arenario in crypta juxta sanctum Alexandrum juxta civitatem Figlinas tertio Idus Augustas. *Non intelligo, quid sibi velit Mombritiana eorumdem Actorum editio, in qua apud nos præcedentibus verbis immediate subnectuntur sequentia :* Natale Tiburtii in cymiterio inter duos * lauros via Lavicana, et Chrysanta et Dariæ et Susannæ via Salaria. *Paulus Aringhus lib. 4 Romæ subterraneæ cap. 29 num. 7 testatur, similia quædam legi in manuscriptis basilicæ Vaticanæ codicibus, in quibus hæc eadem Acta recitantur. Deinde hinc colligit,* S. Susannam *apud corpora sanctorum Chrysanthi et Dariæ sepultam fuisse, et utrumque hunc textum inter se conciliare conatur.*

Sancta post martyrium sepulta est E

* *lege* cœmeterio inter duas

7. *Denique laudatus Aringhus de memorato* S. Susannæ *sepulcro ibidem sic ratiocinatur :* Eodem insuper cœmeterio nobilissima Christi virgo et martyr Susanna sub impio imperatore Diocletiano celebri quondam martyrio coronata, ut iidem Ado et Beda affirmant, tumuli obsequio excepta est . . . . . Ex recensitis autem, cœmeterium illud prope Figlinas olim exstitisse, manifeste convincitur, quarum frequenter in pluribus sanctorum martyrum Actis mentio iteratur : et iste F quidem locus, ut credere par est, civitatis forte nomen ob plurimas figulorum domos ibidem existentes obtinuit, quæ civitatis cujusdam faciem intuentibus præ se ferebant. Quod autem in hac potissimum regione figulorum officinæ olim exstiterint, aperte, ut reor, ex ipsomet Viminalis portæ, quæ proxime adjacet, nomine comprobatur, quæ, ut jam supra ostendimus, figulensis dicebatur.

in cœmeterio sancti Alexandri,

8 Verum id lector præmonendus est, in hujuscemodi videlicet Actis mendum irrepsisse, ut pro FIDENÆ corrupto vocabulo FIGLINÆ legantur : Salaria enim via ad quintum ab Urbe lapidem Fidenæ erant, vetus ac celebre quondam oppidum, ubi nunc castellum exstat, quod Jubileum nuncupatur. In his vero Actis oppidi hujus nomen in FIGLINAS, vel exscribentium aut certe legentium inscitia detortum commutatumque esse crediderim. Alterum enim oppidum, quod FICULEA dicebatur, ex quo Ficulensis porta, Nomentana via situm erat. Quapropter in epistola septima Innocentii Papæ primi pro una eademque recensetur Nomentana sive Feliciensis vel Ficulensis parochia : hoc quippe modo legendum istic videtur, cum

apud figlinas, de quo nomine disputatur.

AUCTORE G. C.

cum alterum ex præmemoratis nominibus, velut quid sibi minus notum, librariorum imperitia ipsorum verborum sensum ac litteras immutando corruperit. Sed Fidenæ, ut diximus, viæ Salariæ, cum Ficulea Nomentanæ viæ haudquaquam ab imperitis hominibus confundendæ sunt, ni forte ob ipsius loci propinquitatem hoc nomen promiscue usurpatum fuisse asseratur. *Eruditi antiquitatum Romanarum indagatores judicent de hoc Aringhi ratiocinio, ut libuerit. Nos interim monemus, in duplici antiquo Ms. codice nostro, aliisque Actorum apographis distincte et constanter* Figlinas *legi.*

et postea corpus ejus translatum est in ecclesiam sui nominis.

9 *Nunc superest, ut pauca dicamus de sacris* S. Susannæ *reliquiis, quarum antiquam translationem Paulus Aringhus lib. 4, Romæ subterraneæ cap. 29 num. 15 memorat his verbis :* Porro præclaræ virginis et martyris Susannæ corpus eodem e cœmeterio *(nimirum de quo supra cum ipso egimus)* in ecclesiam ejus nomini dicatam translatum fuit, ubi et paterna quondam ejusdem domus fuerat, in regione scilicet Altæ semitæ Diocletianas prope thermas; quo loco magnificentius ad B nostra hæc tempora exornato, majori sub ara conditum, summa Urbis totius, ut par est, veneratione colitur. In præmemoratæ autem ejusdem olim ecclesiæ confessione versus hujusmodi insculpti legebantur :

Olim presbyteri Gabini filia felix
Hic Susanna jacet in pace patri sociata.

Thomas Reinesius in Syntagmate inscriptionum antiquarum pag. 989 in his versibus pro in pace *legit* tumulata ; *Tillemontius autem tomo IV Monument. eccles. pag. 761 pro* in pace *vel* tumulata *posuit* tumulo, *etiamsi ibidem in margine Reinesium citet. Saltem lectio Reinesii et Tillemontii melius cum metro carminis convenit.*

non autem in Hispaniam.

10 *Ex hoc ultimo Aringhi testimonio sequitur, errasse Hispanos aut Lusitanos, si putaverint, corpus hujus* S. Susannæ *jam a multis seculis Braccaram, atque inde anno Christi 1102 Compostellam translatum esse. Dixi conditionate* si putaverint, *tunc corpus hujus* S. Susannæ *translatum fuisse : etsi enim Adrianus Bailletus in sua Legenda Gallica ad diem* XI *Augusti opinionem illam generatim Hispanis adscribat, et ad narra-* C *tionem suam confirmandam in margine citet Bollandianos tomo II Aprilis pagg. 436 et 437, tamen videtur utrumque istud temere ac perperam asseruisse. Non ignoramus citato Operis nostri loco ab Hugone archidiacono Compostellano narrari translationem* S. Susannæ, *cujus corpus ineunte seculo* XII *cum aliis Sanctorum reliquiis Compostellam delatum est; sed testis ille synchronus nusquam innuit, illam* S. Susannam *fuisse virginem et martyrem Romanam. Quinimo illistrissimus Rodericus Da Cunha in Historia ecclesiastica diœcesis Braccarensis part.* I *cap. 43 diserte affirmat*, S. Susannam *istam fuisse sororem sancti Victoris, et cum aliis Christianis Braccaræ martyrio coronatam esse. Porro ibidem addit, corpus istius* S. Susannæ *in urbe Braccarensi quievisse, donec Didacus Gelmires, præsul Compostellanus, illud initio seculi* XII *Compostellam transtulit, exiguis quibusdam ejusdem Sanctæ virginis et martyris ossibus in priori sepultura relictis. Non debet hic nos morari Joannes Tamayus Salazar, qui in Martyrologio suo Hispanico ad diem* XI *Augusti asserit,* S. Susannam *nostram origine Hispanam fuisse, et processisse* ex genere Serenorum, qui ex Gallæcia Hispaniæ oriundi Ro- D mam illustribus ditarunt civibus : *nam similes hujus scriptoris ineptias jam sexcenties ad nauseam refutavimus.*

etsi minora quædam ossa in alias regiones transferri potuerint.

11 *Quamvis Romæ hodiedum adhuc præcipua* S. Susannæ *lipsana honorifice conserventur, ut supra ex Aringho didicimus, tamen facile nobis persuaderi sinemus, etiam aliqua minora ejusdem Sanctæ ossa aliis regionibus aut urbibus communicata fuisse : nam Masinius in Bononia perlustrata ad diem* XI *Augusti part.* I *pag. 409 scribit, in variis ecclesiis Bononiensibus sacras hujus* S. Susannæ *reliquias honorari. Præterea Papebrochius noster in Ms. Itinerario suo pagg. 170 et 191 testatur, sibi Venetiis apud Franciscanos* corpus S. Melitonis martyris una cum capite S. Susannæ *ostentum esse. Sed cum ipse non addat et forte ipsimet possessores probare non potuerint, cujus* S. Susannæ *caput istud esset, prorsus ignoramus, an hæ reliquiæ ad* S. Susannam *nostram spectent. Denique Arnoldus Rayssius in suo Hierogazophylacio Belgico pag. 8 inter alias Sanctorum reliquias, quæ Namurci in ecclesia cathedrali conservantur, aliquid* de capite sanctæ Susannæ *recenset. Cum itaque in Martyrologio Romano præ-* E *ter hodiernam* S. Susannam, *duæ aliæ SS. Susannæ martyres annuntientur, et jam in Opere nostro tres ejusdem nominis Sanctæ præterierint, requirimus ab his aliisque possessoribus similium reliquiarum authentica testimonia, quibus probent, eas ad* S. Susannam *hodiernam pertinere. Multo magis talia exigimus a Parmensibus, qui hac die solemniter celebrant festivitatem S. Tiburtii et* S. Susannæ *nostræ, eo quod credant, sese sacra eorum corpora possidere, ut Ranuccius Picus in Theatro Sanctorum Parmensium pag. 136 et 141 testatur.*

§ II. Varia exemplaria et compendia Actorum, quæ eminentissimus Baronius propugnat.

Habemus varia S. Susannæ Acta,

M*ajores nostri ad diem* XVIII *Februarii ex veteribus Mss. codicibus jam ediderunt magnam* F *horum Actorum partem, excepto ultimo capite, quod præcipue ad* S. Susannam *nostram spectat, et quod huic diei reservarunt. Habemus hæc Acta in duobus antiquis Mss. codicibus, quorum unum sub littera Q Ms. 6, alterum sub Q Ms. 7 in Museo nostro conservamus. Præterea nobis ad manum sunt tria eorumdem Actorum apographa, in compendium redacta, quorum primum desumpsimus ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quod fere ad verbum convenit cum Adoniana Actorum synopsi, quam mox infra exhibimus. Secundum in tres Lectiones Officiis ecclesiastici distinctum ex manuscripto ecclesiæ Audomarensis Lectionario prodit. Tertium denique Suessione accepimus, etiam in Lectiones ecclesiasticas divisum, quod Ludovicus Nicquet Cœlestinus et Suessionensis bibliothecarius anno 1666 officiose ad prœcessores nostros misit. Compendia illa satis inter se similia sunt, et diversis verbis eamdem rem narrant, ita ut si unum noris, omnia noris. Nihil hic dicimus de variis ejusdem Sanctæ Actis eorumve compendiis, quæ apud Petrum Equilinum, Mombritium, Surium, Gallonium, Tristanum typis excusa tum Latine tum vernacule leguntur.*

Acta

A *inter quæ ad majorem sequentium intelligentiam*

13 *Acta S. Claudii et sociorum martyrum, jam ad diem* XVIII *Februarii a Majoribus nostris edita, cum gestis* S. Susannæ *connectuntur, iisque immiscentur. Nec igitur varia, quæ martyrium* S. Susannæ *præcesserunt, hic cum tædio lectoris repetere cogamur, ad clariorem rerum intelligentiam jam dabimus accuratam illorum epitomen ex Adone, qui ad tertium Idus Augusti haud dubie ex longioribus et antiquioribus Actis hæc ita contraxit :* Eodem die Romæ, natale sanctæ Susannæ virginis et martyris sub Diocletiano et Maximiano Augustis, judice Macedonio. Fuit autem filia gloriosi presbyteri et martyris Gabinii, fratris Gaii episcopi et martyris, nobili satis orta progenie, quam pater nutriverat, et divinis Litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puella, quod pulchritudine et sapientia præcelleret, misit ad Gabinium quemdam, qui erat ex genere ejus consobrinum suum, nomine Claudium, et petivit eam Augusto Maximino filio suo in conjugem. Veniens denique Gabinius ad filiam suam Susannam, rogavit interesse Gaium episcopum Urbis, avunculum ejus, et narravit eis, quomodo Diocletianus Augustus direxisset Claudium consobrinum eorum, ut Susannam filio suo Maximino in conjugem peteret : quæ Spiritu sancto corroborata, conjugium hujusmodi respuit; et respondens patri et avunculo dixit : Pater, scio, quia de ore tuo sum erudita, ut castitatem studeam servare, et pudicitiam Domino Jesu Christo exhibere. In ejus ergo timore jam constituta nunquam coinquinabor virili commixtione; sed cui me semel tradidisti, ipsi servio, et in ipso confido : ipse enim novit conscientiam meam.

B

hic ex Adone præmittimus

14 Proinde Claudius ipse respondens ei et aperiens votum Diocletiani, cum nullo modo ejus animum potuisset inclinare, ut conjungeretur Maximino filio ejus; sed insuper eruditus et instructus in via Dei a beatis Gaio et Gabinio, pœnitentiam de sanguine Sanctorum, quem effuderat, poposcisset, baptizatus est una cum uxore sua, nomine Præpedigna, et filiis Alexandro et Cutia, et in tantum in fide convaluit, ut omnes facultates suas venderet, et pauperibus Christianis erogaret; et quoscunque adire poterat, qui in custodia tenebantur, victu et vestimentis relevabat, mittens se ad pedes singulorum, atque orationis gratiam ab eis tantum exoptans. Interea dum post mensem unum et dies sexdecim requiritur a Diocletiano, et responsum est ei, quod ægritudine teneretur, misitque fratrem ejus ad eum, nomine Maximum, Comitem rei privatæ, ut visitaret eum et ageret cum illo de puella Susanna. Veniens igitur Maximus invenit Claudium in cilicio orantem et obstupuit. Cumque rem, pro qua venerat, per ordinem enarrasset, perduxit eum Claudius ad domum beati Gabinii, et diligenter ei beatus Gabinius et sanctus Gaius viam Domini exposuerunt. Unde compunctus credidit Maximus et baptizatus est. Ab eadem vero die cœpit facultatem suam vendere per quemdam amicum suum, nomine Thrasonem, christianissimum togatum, qui occultus Christianus erat, quem ante multos annos beatus Gaius baptizaverat; qui circumiens nocturnis horis vicos et carceres, pauperibus Christianis necessaria ministrabat, et gesta eorum colligebat, memoriasque exornabat.

C

exactum eorum compendium.

15 Post dies quindecim nota facta sunt omnia Diocletiano, et misit Julium, qui Claudium et Maximum, Præpedignam et Alexandrum atque Cutiam puniret; Gabinium vero et Susannam vinculis constringeret. Et post dies quinquaginta quinque jussit Diocletianus, ut Susanna adduceretur ad Serenam uxorem suam, quæ occulte Christiana erat. Cum itaque hymnis et orationibus cum ea vacaret, et die noctuque in laude Dei psalmos recineret, nuntiatum est hoc Diocletiano. Tunc idem dixit Maximino filio suo, ut revocaretur Susanna ad patris sui Gabinii domum; et ibi abuteretur ea, ut ipsi liberet. Ipsa vero nocte, postquam revocata est, ingressus Maximinus in domum, ubi orabat Susanna, vidit nimiam claritatem super ipsam, et extimuit, et cursim rediit ad palatium. Diocletianus vero hoc arti magicæ deputans, misit Macedonium, qui eam constringeret infra domum ejus, ut sacrificaret : qui dum vellet eam flectere, ut diis immolaret, exspolians eam cœpit fustibus cædere. Beata vero Susanna dicebat : Gloria tibi, Domine. Sicque beata virgo permanens in confessione Domini, gladio percussa est intra domum suam, et spiritum incontaminatum Deo reddidit. Ejus corpus collegit Serena Augusta noctu, et manibus suis cum linteaminibus et aromatibus ornavit, et posuit juxta corpora Sanctorum in cœmeterio Alexandri in arenario in crypta juxta sanctum Alexandrum tertio Idus Augusti. Sanguinem vero Martyris, qui effusus fuerat in loco domus suæ, velamine detersit, et posuit in capsa argentea in palatio suo, ubi die noctuque furtivis orationibus semetipsam Domino effundebat. Passa est autem tertio Idus Augusti.

AUCTORE G. C.

E

Eminentissimus Cardinalis Baronius

16 *Hoc Actorum compendium sive ipsa Acta proliχiora, quæ ab eruditis viris hodiedum impugnantur, eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 294 explicat et tuetur hoc modo :* Qui sequitur annus Christi ducentesimus nonagesimus quartus novos Cæsares Constantium Chlorum et Galerium Maximianum consules habuit. *His* consulibus, *tertio* Idus Augusti Susanna Gabinii filia, Caii Papæ neptis, cum nuptias Maximiani renuisset, a Diocletiano affine tentatas, quod Christiana esset inventa, jussu ejusdem imperatoris in paternis ædibus capite truncata, martyrii palmam est consecuta. Hæc autem quo modo contigerit, ejus martyrii Acta declarant; quæ quidem in ecclesiis legi consueverunt, quibus et vetera quæque Martyrologia fidem adjiciunt. Ad ea autem elucidanda, quæ videri possunt ambigua, illud in primis est intelligendum, Diocletiani filiam, quæ conjugio juncta fuit (ut dictum est) Galerio Maximiano Cæsari, haud diu post nuptias fuisse superstitem : nulla enim penitus exstat ejus memoria in antiquioribus monumentis; sed nec ex ea proles aliqua legitur esse suscepta. Pater autem ut filiæ defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem (sic inquit Ammianus) ejus nomine institui atque cognominari voluit. Sed et ejusdem Valeriæ nomine nuncupavit civitatem sitam ad ripam Danubii, ut Ennodius tradit; frequentior tamen est provinciæ Valeriæ mentio, quam civitatis : ejus enim post Ammianum Zosimus, et ex nostris S. Ambrosius meminerunt. Dicta est autem Valeria Pannoniæ ad distinguendam eam a Valeria provincia in Italia, de qua alibi a nobis fusius dictum est.

F

varias difficultates,

17 Diocletianus igitur, qui (ut demonstratum est) omnem adhibuit diligentiam, ut Galerium, quem creasset Cæsarem, affinitatis vinculis obligaret, et ob id coegisset eam, quam duxerat, repudiare conjugem, atque filiam suam Valeriam sumere in uxorem; illius morte resoluto jam vinculo, quam in sua cognatione haberet

gradu

AUCTORE G. C.

gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum conjungere festinavit. Fuit hæc Susanna filia Gabinii, germani Caii Papæ, qui ambo Diocletiano sanguine conjuncti erant; consobrini nempe, iidemque ex Dalmatia oriundi. Quod vero ejusdem Susannæ Acta habeant, quæsisse Diocletianum uxorem Maximiano, vel, ut alii codices habent, Maximino (sed nil refert; nam utroque nomine dictus habetur) filio suo adoptivo: sane quidem peculiare principibus erat, ut, quem cuperent imperii successorem, eumdem in filium adoptarent. Nam sicut ipse Galerium Maximianum, ita et Maximianus Herculius collega adoptavit Constantium Cæsarem, quod panegyricus ipsi dictus testatur. Sane quidem et in alio panegyrico idem Galerius Cæsar filius nominatur Diocletiani imperatoris; quod non nisi per adoptionem legitime fieri potuit, cum nulla penitus Diocletiano proles mascula esset. Huic igitur, defuncta Valeria Diocletianus (ut dictum est) statuit Susannam matrimonio jungere. Quæ autem post hæc secuta sint, ejusdem martyrii Susannæ Acta declarant, quorum quatuor exemplaria nacti
B sumus, ex iisdemque alia prolixiora, alia vero breviora legimus, parum ab invicem discrepantia. Nos vero, quod diversis plane verbis eadem prope invenerimus esse narrata, ex iisdem hæc summatim desumpta describemus.

in his Actis occurrentes,

18 Susannæ in primis stemma in eis sic deductum invenimus: Maximum seu Maximinum Diocletiani fuisse germanum, eumque vita functum duos reliquisse liberos suos Caium atque Gabinium, quos Christianæ religionis professio ab ejusdem Diocletiani consuetudine segregavit. Duxit uxorem Gabinius, ex qua Susanna est orta; idemque postea, uxore defuncta, sacris Ordinibus initiatus, presbyteratu dignus est habitus: Caius vero, quod duxisset vitam cælibem, summo quoque sacerdotio auctus, et creatus est Urbis episcopus, totiusque simul Christianæ religionis antistes. Porro legimus in iisdem Actis, Gabinium egregia eruditione præditum, adversus gentiles scripsisse pro religione Christiana defensionem. Valeria igitur (ut dictum est) ex hac vita sublata, agit per Claudium propinquum Diocletianus, ut Susannam Galerio Maximiano jungat uxorem. *Tum exponit irritam Claudii legationem, invictam* S. Susannæ *constantiam in proposito servandæ*
C *virginitatis, miram Claudianæ familiæ conversionem et gloriosum martyrium, aliaque nonnulla, quæ ad diem* XVIII *Februarii in Opere nostro fusius relata sunt, et ex superiori Adonis compendio satis intelligi possunt.*

explicare nititur.

19 *Deinde eminentissimus Annalium ecclesiasticorum parens ad annum sequentem num. 2 gesta* S. Susannæ *sic speciatim prosequitur:* Dum autem Diocletianus de Susanna nepte sua Maximiano Cæsari matrimonio conjungenda initum semel consilium (quod dictum est anno superiori) implere satageret; et jam compertum habuisset Susannam refragantem, esse Christianæ religioni addictam, eamdem una cum patre Gabinio voluit custodiæ detineri, ut sic tam parentis, quam filiæ animum emolliret. Sed postquam quinquaginta et quinque dies ambo sic detenti fuissent, agit idem princeps cum Augusta conjuge, ut Susannam ad se perduceret, ejusque animi consilium exploraret, et a suscepta nova religione revocare studeret. *Hisce eminentissimus Annalista immiscuit disputatiunculam de uxore Diocletiani, quam nomine Serenæ appellatam fuisse contendit, de qua controversia ad diem* XVI *hujus mensis agendum erit.*

D

et authenticam illorum fidem

20 *Denique eminentissimus scriptor ad eumdem annum Christi 295 num. 6 reliqua sic narrare pergit:* Serena igitur jussu imperatoris Susannam accersens, tantum abest, ut eam conata sit a suscepta religione, quam et ipsa Augusta clam coleret, dimovere; ut eam in ipsius confessione vehementer corroborarit, et fortiter atque constanter agere hortata sit: nam ipsam apud se diebus plurimis detinens, una simul cum ea ex Christianorum instituto diu noctuque quæ erant Christianæ religionis officia frequentabat. Cum vero innotuisset imperatori, Susannam perstare in sententia de Christiana fide sectanda ac conjugio refutando, eamdem in Gabinii patris domum reduci mandat; ad quam Maximianus Cæsar, cui eam Diocletianus spoponderat, veniens vim virgini illaturus, resiliit correptus numine *, cujus fulgore eam ambiri atque custodiri cognovit. Sed totum magiæ tribuitur, cum Diocletiano, quod acciderat, aperitur. Quamobrem imperator, misso ad eam Macedonio, jubet eam occulte subjici quæstioni, et in refragantem animadverti. Abiit ille; convenit eam; admovet tripodem; jubet, E
ut thura offerat Jovis, quod statuerat, simulacro: sed detestata illa facinus, flexis genibus Deum est deprecata, ut abominabilem imp[illegible]tem everteret. Quamobrem divinitus factum est, ut Jovis statua ab eorum oculis evanesceret, et alibi sit inventa in terra prostrata. Quæ cum a Macedonio renuntiarentur Diocletiano, jussit eam intra domesticos parietes gladio necari; quo percussa spiritum Deo reddidit, sicque gloriosam martyrii coronam laureæ virginitatis adjecit.

* *forsan* lumine,

diversis argumentis

21 Quæ autem post hæc secuta sint, ipsa Acta habent his verbis: Ubi comperit Serena Augusta Susannam martyrium suum forti animo consummasse, gaudens noctu in ædes illius advenit, corpusque ejus propriis manibus curavit, linteo involvit, et aromatibus condivit opere prolinctorio, sepelivitque in arenario, in crypta apud sanctum Alexandrum, tertio Idus Augusti. Velum autem, quo sanguinem ejus abstersit, apud se in theca argentea retinuit, et diu noctuque erat furtivis precibus ibi orans. A die, quo Susanna percussa est, beatus Caius Papa in domo Susannæ, in loco ubi percussa est, jugiter obtulit Sacrificium pro ejus commemoratione. Erat conjuncta Caii F
domum cum ædibus sanctæ Susannæ et Gabinii patris ejus. Atque inde factum est postea, ut statio Christianorum in duabus illis ædibus fuerit instituta. Facta sunt hæc in sexta regione apud vicum Mamuri, ante forum Sallustii.

tueri conatur.

22 Mentio est de vico Mamuri seu Mamurci in regione sexta apud Sextum Rufum et Publium Victorem. At de statua Mamurii plumbea, quæ loco nomen dedit, celebris est apud antiquos scriptores memoria. Claruit Mamurius statuarius temporibus Numæ. Celebris atque frequens est mentio apud gentiles auctores de ædibus hortisque Sallustii, in eadem regione positis. Perseverat hactenus nobilis memoria sanctæ Susannæ eodem in loco; sed quæ erat Caii illi propinqua, jam est vetustate collapsa. Mentio crebro fit in tabulis ecclesiasticis tituli sanctæ Susannæ; qui locus nostra ætate auctus est nobili monasterio sacrarum virginum institutionis sancti Bernardi. Quomodo vero eadem ex causa, tum pater Susannæ Gabinius, tum etiam Caius Papa subiere, eodem Diocletiano jubente, martyrium, dicemus anno sequenti, quo vetera monumenta contigisse testantur. *Hactenus eminentissimus scriptor, cujus opinionem*

Majo-

A *Majores nostri in illustrandis quorumdam Sanctorum Actis, quæ cum hac materia connexionem habent, secuti sunt, cum nondum prodiisset liber Cecilii vel Lactantii de Mortibus persecutorum, ut ex sequenti paragrapho apparebit.*

§ III. Judicium, quod viri quidam eruditi contra eminentissimum Baronium de iisdem Sanctæ actis tulerunt.

Tillemontius

Tillemontius tomo IV Monument. eccles. pag. 760 et sequentibus Acta* S. Suzannæ *impetit variis levioris momenti argumentis, quibus utcunque responderi posset, et propter quæ prorsus fidem non abrogaremus illis Actis, quæ certe tantam habent antiquitatem, ut Adoni præluxerint, quemadmodum liquet ex compendio illius, quod paragrapho præcedente exhibuimus. Sed cum alii viri eruditi ante Tillemontium iisdem Actis* B *opposuerint graves difficultates, quas dissolvere non possumus. eas ipsis auctorum illorum verbis hic proponemus, sicuti paragrapho præcedente totum eminentissimi Baronii ratiocinium ad eadem Acta propugnanda retulimus. Hoc modo ipse lector, auditis expensisque utrinque rationibus, facilius ac securius judicium de controversia ista ferre poterit.*

et Baluzius

24 *Primo audiamus Stephanum Baluzium, qui anno Christi 1679 opus Lucii Cecilii sive Lactantii ex diuturnis tenebris in lucem produxit, et qui tomo II Miscellaneorum pag. 378 ad caput 45 Operis istius notat, Valeriam, Diocletiani, imperatoris filiam, nuptam fuisse Galerio Maximiano Cæsari,* quæ miseram vitam traduxit post mortem mariti, *inquit,* et miserabili morte cum matre periit sub imperio Licinii, ut docet Lactantius in fine hujus operis, *Tum ex hoc Lucii Cecilii vel Lactantii testimonio contra opinionem eminentissimi Baronii argumentatur :* Ex qua narratione pessundatur omnino conjectura illustrissimi Cardinalis Baronii, qui ad unum ccxciv scribit, filiam Diocletiani, quæ conjugio juncta fuit Galerio C Maximiano, haud diu post nuptias fuisse superstitem, cum nulla ejus memoria exstet in antiquioribus monumentis, sed nec ex ea proles aliqua legatur esse suscepta.

ex testimonio Lactantii

25 Addit deinde, patrem, ut filiæ defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem ejus nomine institui atque cognominari voluisse, citatque in eam rem librum xix Ammiani Marcellini. Verum id non dicit Marcellinus; sed tantum eam Pannoniæ partem ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ et institutam et ita cognominatam. Referam autem ipsa ejus verba : VALERIAM VENIT PARTEM QUONDAM PANNONIÆ ; SED AD HONOREM VALERIÆ, DIOCLETIANI FILIÆ, ET INSTITUTAM ET ITA COGNOMINATAM. Porro nec institutam a Diocletiano nec cognominatam; sed a Galerio Maximiano, docet Aurelius Victor in libro de Cæsaribus : PROVINCIAM UXORIS NOMINE VALERIAM APPELLAVIT.

Acta S. Susannæ impugnant.

26 His ita constitutis, tanquam certa essent, addit Baronius, Diocletianum, cum Valeriæ morte resoluta esset affinitas, quæ inter eum et Galerium contracta erat, quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem Virginem, eam illi fœdere nuptiarum conjungere festinasse, Susannam nimirum filiam Gabinii, germani Caii Papæ; qui ambo Diocletiano sanguine conjuncti erant, utpote nati ex fratre ejusdem Diocletiani, ut patet ex Actis ejusdem sanctæ Susannæ. Verum tota hæc historia ruit, ruente fundamento, super quo posita fuerat, id est morte Valeriæ, quam diu supervixisse Galerio constat. Adeo autem periculosi sunt magnorum virorum errores, ut hic Baronii lapsus plerosque viros doctos secum traxerit, Odoricum Raynaldum, Bollandum, alios. *Post hæc ibidem agit de uxore Diocletiani, quæ in laudatis* S. Suzannæ *Actis Serena appellatur, et quam nonnulli alio nomine compellant. Sed utrum ea fuerit uxor Diocletiani imperatoris, disquirere oportebit ad diem* XVI *Augusti, quo festum S. Serenæ in Martyrologio Romano occurrit.*

AUCTORE G. C.

quibus accedit Antonius Pagius;

27 *Interim audiatur Antonius Pagius, qui in Critica historico-chronologica Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi 294 num. 2 et sequentibus de hac materia sic disserit :* Quod ait Baronius ex Actis sanctæ Susannæ, eam scilicet ad nuptias Galerii Maximiani nulla arte induci potuisse, eamque anno sequenti martyrio coronatam fuisse, et deinde patrem, ut filiæ defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem E ejus nomine, institui atque cognominari voluisse, verum essse non potest, ruente fundamento, super quo positum fuerat, id est morte Valeriæ, quam diu supervixisse Galerio, constat, ut observavit Baluzius vir doctissimus in notis ad Librum Lactantii de Mortibus persecutorum cap. 15, ubi Lactantius loquens de iis, quæ gesta sunt anno CCCIII, postquam Diocletianus persecutionem adversus Christianos excitavit, ait : FUREBAT ERGO IMPERATOR JAM NON IN DOMESTICOS TANTUM, SED IN OMNES, ET PRIMAM OMNIUM FILIAM VALERIAM, CONJUGEMQUE PRISCAM SACRIFICIO POLLUI COEGIT.

qui iisdem fere argumentis

28 Imo tam Valeria quam Prisca Maximiano Augusto, anno CCCXIII exstincto, superstites fuere, ut infra ex eodem Lactantio cap. 50 demonstrabo. Deinde locus Ammiani lib. 19, quem Baronius citat, aliud non dicit, ut recte ibidem Baluzius, quam eam Pannoniæ partem ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ et institutam et ita cognominatam. Hæc Marcellini verba : VALERIAM VENIT PARTEM QUONDAM PANNONIÆ, SED AD HONOREM VALERIÆ DIOCLETIANI FILIÆ ET INSTI- F TUTAM ET ITA COGNOMINATAM; non a Diocletiano, sed a Galerio Maximiano, ut tradit Victor, de Cæsaribus : PROVINCIAM UXORIS NOMINE VALERIAM APPELLAVIT. Ideoque hæc ad rem non faciunt, cum, Valeria vivente, in nomen ea provincia acceperit. Bollandus die XXIII Januarii *(forsan Pagius indicare voluit diem* XVIII *Februarii, qua de Martyrio Claudii et sodalium, cum gestis* S. Susannæ *connexo, in Opere nostro actum est)* in Vita sanctæ Susannæ, eadem, quæ Baronius refert : neuter enim laudatum Lactantii Librum, summo historiæ ecclesiasicæ emolumento dein a clarissimo Baluzio publicatum, viderat.

refellit sententiam Baronii.

29 Quæ de Sancta Serena, Diocletiani uxore, a Baronio dicuntur juxta fidem Actorum sanctæ Susannæ, corruunt ex dictis numero præcedenti, indeque constat, ea Acta vel in toto, vel saltem in parte, esse supposititia : etenim si Prisca, Diocletiani uxor, mater Valeriæ fuit, ut sane fuit, necesse est, eam Diocletiano nupsisse, antequam is fieret imperator; cum Valeria Galerio Maximiano juncta matrimonio sit anno CCXCII, ætatis suæ ut minimum duodecimo. Vixisse autem

AUCTORE G. C.

tem tum Priscam, matrem ejus, hinc certo colligitur, quod diu postea superstes fuit, et anno tantum CCCXIII exstincta est post victoriam, quam Licinius de Maximino reportavit. Baronius, licet Librum Lactantii de Mortibus persecutorum non vidisset, suspicabatur tamen, futuros, qui eam de Serena Augusta historiam in dubium revocarent; quod nulla penitus de ea mentio alibi habeatur, neque apud scriptores ethnicos, neque in antiquis inscriptionibus; ac tanquam ei difficillimæ quæstioni finem imposuisset, interrogat litteratulos, si his displiceat nomen Serenæ Augustæ, ut dicant, quonam alio nomine Diocletiani conjux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur, et cum non invenerint, non faciant de nomine controversiam.

ac dubiis ejus solide respondet.

30 Verum huic interrogationi satisfactum est cumulatissime, inquit Baluzius loco citato, ubi et rejicit Hadriani Valesii opinionem in defensionem Disceptationis suæ de Basilicis, ubi colligit ex Anastasio Bibliothecario in Vita Vigilii Papæ, Eleutheriam vere Diocletiani uxorem fuisse. Sed cum certum sit, Diocletianum toto principatus sui tempore aliam uxorem non habuisse, quam Priscam B locus Anastasii, ubi de Diocletiano et Eleutheria sermo, corruptus. Corrupta et Acta sancti Georgii martyris, in quibus agitur de Sancta Alexandra Diocletiani conjuge, licet Henschenius et Papebrochius tomo III Sanctorum mensis Aprilis die XXI de Sancta Alexandra tanquam si Diocletiani uxor fuisset, loquantur, afferantque, Serenam, priorem Diocletiani uxorem, circa annum CCXCVI exstinctam, coli XIX mensis Augusti *(lege* XVI *Augusti, ad quem diem S. Serena in Martyrologio Romano refertur)*; Alexandram vero, alteram ejus conjugem, anno CCCIII gloriosam ad cœlum evolasse, ejusque sacram memoriam celebrare Græcos die XXI Aprilis; ac denique afferant encomium, quod Alexandræ tribuitur in perantiquo Menologio Basilii Porphyrogeniti imperatoris seculo Christi X conscripto, aliaque ex Græcorum Menæis: non enim Lactantii Librum viri doctissimi viderant, cum hæc scripsere.

Papebrochius, visa Lactantii libro, varia proponit effugia,

31 *At Papebrochius postea vidit illum Lactantii Librum, ubi primo in lucem prodiit, et propterea in Commentario prævio ad Acta SS. Theodoti et sodalium martyrum die* XVIII *Maii, tomo IV istius mensis pag. 149 lectorem ita monet:* Adde, quod C ex eodem Lactantii Libro etiam constet, Diocletiano, cum ista agerentur, Priscam conjugem filiamque Valeriam fuisse, et utramque vixisse usque ad annum CCCXIII. Quid ergo Alexandræ in passione sancti Georgii; quid Serenæ in Actis sanctæ Susannæ nominatis Diocletiani uxoribus fiet? An dicemus, concubinas ejus fuisse? An omnino confictas fatebimur, adeoque eliminandas ex Sanctorum fastis? Licebit majori cum otio id examinare ad XI Augusti. Interim placuit hæc indicare, ut appareat, nos non ita mordicus adhærere semel constitutis, quin, nova aliunde oblata luce, parati simus illa retractare.

inter quæ unum non placet,

32 *Mihi non placet effugium istud, quo Alexandra et Serena dici possent concubinæ, quas Diocletianus præter uxorem suam Priscam habuerit. Equidem non ignoro, interdum talia divinæ gratiæ miracula evenisse, ut pellices seu concubinæ gentilium imperatorum ad Christianam fidem et sanctiorem vitam converterentur: teste enim S. Joanne Chrysostomo, inter alias causas crudelissimus Nero principes Apostolorum Petrum et Paulum martyrio affecit, quia pellices suæ ab illis ad Christianam fidem et ad servandam deinceps pudicitiam inductæ fuerant. Sed ex communi* D *veterum scriptorum testimonio videtur Diocletianus superstitioni, crudelitati et avaritiæ potius, quam libidini, deditus fuisse. Præterea Alexandra et Serena nomine imperatricis vel Augustæ appellantur, quo titulo pellices imperatorum ornari non solent. Cæterum quid de his duabus Sanctis censendum sit, in fine hujus paragraphi indicabimus, postquam judicium unius alteriusque viri eruditi retulerimus.*

ideoque cum Nicolao le Nourry.

33 *Nicolaus le Nourry, eruditus monachus Benedictinus, Dissertatione in Librum Lucii Cecilii Lactantii cap. 9, art. 4 ad rem nostram sic scribit:* Quam sæpe ab antiquis auctoribus Valeriæ, Diocletiani filiæ, tam raro uxoris ejus Priscæ mentio facta est. Scimus quidem hujus imperatoris conjugem in quibusdam Sanctorum Actis Serenam, in aliis Alexandram vocari. Sed hæc Acta nec vera jure sane merito videntur nec sincera. In Gestis præterea Pontificalibus, ab Anastasio editis, appellatur Eleutheria, et in vetustissimo eorum codice Leutheres. At id sola horumce gestorum scriptoris testimonio nititur: Prisca porro a Cecilio nostro cognominatur. Sed utrum potiori jure, eaque E pluribus nominibus nuncupata sit, ab aliis eruditioribus libenter audiemus. *At quocunque demum nomine hæc imperatrix, sive legitima Diocletiani uxor, appellata fuerit, ex testimonio Lactantii constat, eam diis sacrificasse. Neque Lactantius usquam meminit de posteriori hujus impietatis pœnitentia, quam certe cum opprobrio Christianæ religionis non tacuisset, dum præsertim violentam hujus imperatricis ejusque filiæ mortem diserte enarrat. Deinde laudatus scriptor Benedictinus ita pergit:* Cæterum Diocletianus ex hac uxore sua filiam suscepit Valeriam, quam in matrimonium, ut infra ostendemus, collocavit Maximiano Galerio, cum ipsum Cæsarem imperiique sui participem fecit. Hic vero, cæsis, ut scribit Aurelius Victor, immanibus sylvis, ac Peltonæ apud Pannonios lacu in Danubium immisso, provinciam nomine uxoris suæ Valeriam voluit appellari. Suffragatur huic opinioni Ammianus Marcellinus, qui litteris mandavit, eam provinciam sic fuisse cognominatam in Valeriæ Diocletiani filiæ honorem. Exstat porro in gazophylacio regio istud ex ære secundi moduli numisma, quod F acceptum referimus amantissimo sodali nostro Anselmo Bandurio, qui illud aliaque plura non sine eruditis observationibus publicam in lucem brevi emissurus est.

Anselmo Bandurio, aliisque viris eruditis

34 *Hisce subjungit ipsum Galeriæ Valeria numisma, quod Anselmus Bandurius anno 1718 inter numismata imperatorum Romanorum tomo II, pag. 146, etiam expressit, præfixa ejusdem miseræ principis Vita, quæ cum supra memoratis concordat. Laudatus Bandurius pag. 43 proxime citati tomi agit de Prisca, cujus nullum numisma invenitur, et de qua brevem notitiam suggerit his verbis:* Prisca Diocletiani uxor, ex Cecilio tantum nota, a nonnullis scriptoribus Serena, ab aliis Alexandra, ab Anastasio Eleutheria appellatur. Christianam fuisse, recentiores quidam volunt, quorum conjectura nullo satis certo argumento nititur: sed avitis superstitionibus anno CCCII operatam constat, quo anno nostros exagitari cœptos suo loco observavimus. Diocletianum Salonas recedentem secuta; deinde, sed incertum quo tempore, Valeriæ filiæ, Galerii Maximiani conjugi, comitem se dedisse videtur, quæ, cum viro orbata esset, in Syriam a Maximino amandata est, Diocletiano frustra eam repetente.

A tente. Tyranno denique cæso, cum per varias provincias quindecim menses plebeio habitu pervagata esset, postremo Thessalonicæ comprehensa, Licinii jussu una cum matre capite plexa est extremo anni CCCXIV.

contra heteroclitam Ibachii opinionem

35 *Omnibus his rerum ac temporum circumstantiis mature expensis, ingenue fatemur, historiam Actorum nostrorum cum testimonio Lucii Cecilii vel Lactantii a nobis conciliari non posse : nam imitari non volumus Odoacrem Ibachium, qui, cum nodos illos solvere non possit, eosdem desperabundus scindit, et in Actis Martyrum vindicatis lib. 3 cap. 10 Opus Lucii Cecilii seu Lactantii de Mortibus persecutorum temere vocat supposititium, etiamsi illud communi totius litterati orbis applausu exceptum fuerit, et hodiedum ab eruditis omnibus magno in pretio habeatur. Non est operæ pretium, heteroclitam et singularem hujus scriptoris opinionem pluribus argumentis refellere, cum potius explosionem doctorum hominum quam refutationem mereatur. Sinamus itaque hunc bonum virum, et ad quælibet credenda promptum, sub obscuro nominis* B *sui anagrammate latere, ac contra eruditos omnes sibi soli sapere.*

potius censemus,

36 *Nos interim assentiemur doctissimo Antonio Pagio, qui in Critica Historico-chronologica Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi 295 num. 2 sic recte judicat :* Refert Baronius ex Actis sanctæ Susannæ martyria Maximi Comitis rei privatæ, Claudii clarissimi ejus fratris, Præpedignæ Claudii uxoris, Alexandri et Cutiæ filiorum, quæ et leguntur in Martyrologio Bedæ vulgato; imo et in veteri Martyrologio Romano, a Rosweydo edito, ad diem XVIII mensis Februarii, ad quem diem Bollandus exhibet partem Actorum sanctæ Susannæ, in qua de his omnibus Sanctis martyribus sermo est. Verum jam anno superiori præfata sanctæ Susannæ Acta sincera non esse, sed a posterioribus scripta diximus, quia Spondanus, cujus ordinem in prima hujus tomi editione sequebamur, sanctæ Susannæ martyrium in eumdem annum retraxit. Susanna itaque, Serena, Maximus Comes rei privatæ, aliique mox memorati morte quidem a Diocletiano in fidei Christianæ odium mulctati ; sed quæ de iis posteriores scriptores retulere, vel ex toto, vel ex parte, C fabulosa.

Acta illa esse partim supposititia,

37 *Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tomo I, pagg. 59 et sequente hanc patrui sui Antonii sententiam ita confirmat :* Nec obstat, quod Baronius ex libro Pontificali et ex Actis sanctæ Susannæ scribit, Caium nempe cum fratre Gabinio, patre sanctæ Susannæ, martyrio coronatos esse, quod Diocletianus, mortua Valeria filia, Galerii Maximiani uxore, ut hunc sibi magis conciliaret, illi voluisse nuptiarum fœdere conjungere Susannam, quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem, utpote filiam Gabinii, filii Maximi seu Maximiani, Diocletiani germani : illud enim subsistere non potest, cum certum sit, Valeriam Galerii Maximiani conjugem marito supervixisse, ut observavit Baluzius in notis ad Librum Lactantii de Mortibus persecutorum; indeque constat, sanctæ Susannæ Acta, vel in toto, vel in parte esse supposititia. *Novissime etiam, Joannes Vignolius, qui Romæ anno 1724 Librum Pontificalem edidit, ac Benedicto XIII Pontifici dedicavit, de authentica eorumdem Actorum fide videtur dubitare : cum enim in notis ad hunc Librum pag. 67 retulisset, S. Caium Papam et S. Gabinium presbyterum laurea martyrii coronatos esse propter* S. Susannam, *cujus animum a nuptiis Galerii Maximiani Cæsaris averterant, prudenter hæc addit :* Ita enim ejus Acta (quæcunque sint, alii viderint), rem istam exponunt. *Nunc judicium nostrum de his Actis candide proferamus.*

AUCTORE G. C.

etsi non dubitemus de legitimo cultu Martyrum, qui in iis memorantur.

38 *In primis facile credimus, illustrem quamdam virginem, nomine* Susannam, *filiam S. Gabini presbyteri, et forsan S. Caii Pontificis ex fratre neptem, oblatas nobilis ethnici nuptias recusasse, ac propterea de professione fidei Christianæ invide accusatam, domique suæ capite truncatam fuisse. Hæc Actorum substantia cum supra allatis verbis Usuardi, et annuntiatione hodierni Martyrologii Romani haud difficulter componi potest. Sed insuper suspicamur, Acta hujus præclaræ Virginis et martyris (si unquam copiose conscripta fuerint) injuria temporum aut in posteriori sævissimaque Diocletiani persecutione periisse, et post aliquot secula imperitum scriptorem iis deperditis pro arbitrio suo substituisse alia, quibus pro genio sui seculi et ad ornatum immiscuerit ea, quæ de Maximiano et Serena Augusta narrantur. Ut ut est, ex his omnibus* E *cum Pagio concludimus,* S. Susannam *aliosque martyres, in his Actis memoratos, legitimum et immemorabilem habere cultum, quem ex antiquis Martyrologiis abunde stabilivimus. Jam tantum superest, ut legas ipsa Acta, consuetis annotationibus illustrata, eaque cum Commentario prævio studiose conferas.*

ACTA

auctore anonymo,

Ex antiquo Ms. codice Fuldensi, qui in Museo nostro sub littera Q Ms. 6 *conservatur, et quem cum aliis Mss. contulimus.*

F

Sancta nuptias nobilis ethnici respuens, a

Post dies quinquaginta quinque jussit (Diocletianus) Serenæ *a* uxori suæ, ut adduceretur ei Susanna, ut mores ejus flecteret; quæ cum vidisset milites ad se venire, oravit Dominum dicens : Domine, ne derelinquas ancillam tuam. Et adducta Susanna ad Serenam Augustam, adoravit eam Serena Augusta in introitu ejus. Susanna autem prostravit se in pavimento, et dixit Serena ad Susannam : Gaudeat in te Christus Dominus noster. Et cum cognovisset, quia Christum invocavit, hoc dixit : Gratias ago Deo meo, quia in omni loco dominationes ejus sunt. Et fuit cum Serena Augusta Susanna multis diebus. In ipsis diebus die noctuque Susanna hymnis et orationibus non cessabat Domino adsistens gratias agere. Imperator autem Diocletianus semper sperans, quod Susanna ad conjugium filii sui Maximini *b* per Serenam declinaretur, misit quemdam Curtium familiarem ad Serenam Diocletianus Augustus dicens : Jungamus puellam filio meo Maximino per tuam industriam. Serena dixit ad Curtium : Nisi voluntas fuerit, non est congrua conjunctio *; quia ego non cognosco amorem puellæ juxta filii tui consortium. Puella vero die noctuque lacrima-

b

* *al.* corona junctio, *vel* corona conjugio ;

biliter

Ex ms. biliter in laudem Dei sui non cessabat vocem psalmorum canere, sicut faciebat pater ejus Gavinius *c* presbyter. Hoc nuntiatum est Diocletiano Augusto.

eidem violenter stupranda traditur:

2 Tunc Diocletianus Augustus furore plurimo accensus jussit Maximino, ut revocaretur ad domum patris sui Gavinii presbyteri dicens : Non coinquinetur palatium nostrum; sed in domo patris sui ibidem ea utere, sicut desideras, et relinque eam. Eodem tempore dimisit eam. Respondit Serena dicens : Qui liberavit famulam suam Susannam priorem, liberet et te, et sit tibi auxiliator, dans ei pacem cum gloria. Veniens autem Susanna cum duabus mulieribus in domum suam introivit, et jactans se in pavimento, cœpit orare Dominum Jesum Christum. Ipse autem noctu veniens ad eam Maximinus, introivit in cubiculum, ubi orabat Susanna, et in ingressu ejus apparuit Angelus Domini supra Susannam : ille autem videns claritatem tantam, timuit, et cursim fugit ad palatium, et non contigit eam, et narravit omnia patri suo Diocletiano Augusto. Dixit autem Diocletianus Augustus : Hoc genus non est, nisi ars magica, et misit Curtium, et jussit ut in domo B sua eam audiret amplissime. Veniens Curtius cœpit magis ac magis pavere.

sed ab Angelo contra vim illam defensa d

3 Eodem tempore Diocletianus Augustus introivit ad Serenam uxorem suam, et cœpit cum ea habere altercationem de Christi adventu, et de idolorum cultura : et dum convictus *d* fuisset a Serena, convertit se ad Susannæ disciplinam, dicens ad Serenam : Quare ita egisti, ut non consentiret puella prudens et pulchra filio meo in conjugium? Serena dixit : Quia elegit melius, quod nobis filius tuus in relatione sua enarravit, lumen æternum, quod Maximinus enarrare non tacuit. Iratus Diocletianus Augustus misit ad quemdam Macedonium sacrilegum paganum, cui hoc præcepit dicens : Coarcta eam in domo sua, ut sacrificia diis offerat; tamen occulte propter mansuetudinis nostræ invidiam.

jubetur sacrificare simulacro Jovis.

4 Veniens autem Macedonius introivit in domum ejus in regione Salustii, et cœpit coarctare eam ad sacificium, deferens deunculum aureum Jovis, et mensam tripodam. Cum vidisset hoc Susanna insufflavit, et flectens genua, ad Dominum dixit : Domine, ne videant oculi mei dæmonum C thecas; sed consolare ancillam tuam. Tunc dixit Macedonius ad eam : Erige te a terra, et adora deum Cæsaris. Erigens caput suum Susanna ad cœlum, subito simulacrum nusquam comparuit. Tunc Macedonius dixit ad eam : Cupiditas auri seduxit te, et in impetu cupiditatis clarefecit te; tamen gratias ago tibi, quia nisi amore deorum non furata esses eum. Illa autem consignans pectus suum dixit : Dominus misit Angelum suum, et tulit eum a facie mea, ne polluerentur oculi mei.

Quod precibus suis abigens, martyrio coronatur.

5 Eadem hora introivit unus de servis Macedonii, et nuntiavit Jovem aureum in platea ante palatium Salustii jacentem. Accensus ira Macedonius ipse manibus suis exspolians eam, cœpit eam fustibus cædere. Susanna autem gaudens dicebat : Gloria tibi, Domine. Dixit ad eam Macedonius : Consule tibi, et sacrifica. Illa autem consignans pectus suum dicebat : Ego Deo meo me ipsam D desidero sacrificium offerre. Eodem tempore Macedonius renuntiavit Diocletiano Augusto rem gestam, et quomodo Jovis simulacrum expulsum est, et confractum in platea et reductum fuisset. Tunc jussit Diocletianus Augustus, ut ibi intra domum suam juxta domum Gaii episcopi gladio puniretur; quæ percussa intra domum suam emisit spiritum.

et honorifice sepelitur.

6 Hoc cum audisset Serena Augusta cum gaudio noctu veniens collegit corpus sanctæ Susannæ martyris, et sanguinem, quem effuderat in eodem loco, cum suo velamine detersit, et posuit in capsam argenteam in palatio suo, ubi die noctuque furtivis vicibus orare non cessabat; corpus autem sanctæ Susannæ ipsa manibus suis ornavit cum linteaminibus et cum aromatibus, et posuit juxta corpora sanctorum in cœmeterio Alexandri in Arenario, in crypta juxta sanctum Alexandrum, juxta civitatem Figlinas *e* tertio Idus Augustas. Ab eodem die cœpit beatus Gaius episcopus in eamdem domum introire, ubi gladio fuerat percussa, et Sacrificium Domino Deo suo offerre pro E commemoratione beatæ Susannæ populo. Quia domus ad domum beati Gavinii presbyteri jungebatur beati Gaii episcopi, ab eodem tempore jam tale erat signum Christianis, et statio deputata in duas domos *f*, quod est usque in hodiernum diem. Factum est autem hoc Romæ in regione sexta juxta vicum Mammurtini *g* * ante forum Salustii, regnante Domino in universo mundo cum Patre et Spiritu sancto, Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum. Amen.

* al. Mamurri

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio de Serena satis dictum est, et circa illam plura discutienda erunt ad diem 16 Augusti, quo annua ejus memoria in Martyrologio Usuardino et Romano celebratur.*

b *In aliis Mss. pro* Maximini *legitur* Maximiani. *Baronius supra apud nos § 2 Commentarii prævii num. 17 notat, utrumque illud nomen promiscue scribi, eoque Galerium Maximianum designari. Sed hic dici non potest filius Diocletiani, nisi adoptivus, ut eminentissimus scriptor ibidem fatetur.* F

c *Alibi vocatur* Gabinus *vel* Gabinius, *cujus Acta ad diem 19 Februarii Majores nostri utcunque illustrarunt.*

d *Quandoquidem Serena erat occulte Christiana, ut alibi in iisdem Actis dicitur, satis mirari non possum, quod* de Christi adventu et de idolorum cultura *tam aperte disceptaverit, ut Diocletianus ab ea* convictus *fuerit. Hæc itaque non videntur satis cohærere.*

e *De hoc loco in Commentario prævio num.* 7 *et* 8 *satis superque disputatum est.*

f *Titulus ille ad* duas domos *num.* 5 *et* 6 *Commentarii prævii etiam abunde explicatus est.*

g *Vicus* Mamurri *vel* Mamuri *ab aliis appellatur, et a statua Mamurri fabri nomen accepit, ut in Commentario prævio num.* 5 *exposuimus.*

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS ANONYMIS

NICOPOLI

Ex Hieronymianis. J. B. S.

XI AUGUSTI.

Inter *alias annuntationes in codicibus illis suspectas, de quibus in Prætermissis egimus, hæc satis secura videtur, tametsi nullum Martyrem nominet. Verba sunt :* In Nicopoli, passio multorum Martyrum, quorum nomina Deus scit, *quomodo et alibi classes Martyrum anonymorum connectit hoc Martyrologium ;* quorum nomina *solus* Deus scit. *De ipsa positione seu martyrii loco Florentinius merito dubitat, ita observans :* Quæ vero Nicopolis sit inter plures hujus nominis urbes, affirmare difficile est. In Nicopolim Thraciæ sive Bythiniæ propenderem, quod ibi major, temporibus præsertim Diocletiani, fuerit Martyrum carnificina. *Valeat conjectura, cui quod superaddamus, non occurrit.*

DE S. DIGNA VIRGINE

B E

TUDERTI IN ITALIA

J. B. S.

XI AUGUSTI. *Signata in Romano.*

Nullis *antiquis Fastis aut Martyrologiis innotuit hæc* S. Digna *virgo Tudertina, signata primum hoc die a Baronio in Martyrologio Romano :* Tuderti, S. Dignæ virginis, *pro qua citat vetera monumenta Mss. ecclesiæ Tudertinæ, quæ inde se accepisse testatur ; de eadem etiam agens in Annalibus tomo II ad annum 303, ubi inter plurimos alios sanctos, plerosque Martyres, et ipsa connumeratur, sed solo ferme nomine cognita. Pluscula suggessit Ferrarius* ex Officio ecclesiæ Tudertinæ anno MDCVI Romæ approbato, *quæ hic describenda censui, cum aliunde nihil traditum reperire potuerim præter gloriam posthumam, in translatione reliquiarum ejus cum aliis multis potissimum consistentem, quam habes non semel repetitam in Commentario de S. Romana ad diem* XXIII *Februarii. Hic igitur Ferrarii textum in Catal. SS. Italiæ protulisse sufficiet. Sic habet :*

2 Digna virgo Tudertina, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, admiranda pietate Christianam religionem colens virginitatem Christo dicatam integram etiam mente conservare studebat. Ea humilis erat, in oratione frequens. Cum vero persecutio in Christianos invalesceret, ejus declinandæ causa cum diutius eam ferre non posset, sæpius Deum precata, ut se a tantis malis eriperet, huc illuc latitando in solitudinem se recepit : ubi vitam in orationibus, vigiliis, jejuniis, cœlestique conversatione traducens, miraculis, quibus sanctitas illius comprobata est, plurimis claruit. Denique in morbum incidens, brevi ad Sponsum III Idus Augusti evolavit. Cujus corpus Tuderti in basilica S. Fortunati condigno honore requiescit. *Subditur hexastichon ad* S. Dignæ *nomen alludens, in quo nihil magnopere video lectoris attentione dignum.* *laudatur a Ferrario*

C F

DE S. RUFINO MARTYRE

VIDE APPEND. TOM. VI AUGUST., NOTI 5

MARSORUM IN ITALIA EPISCOPO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

§ I. S. Rufinus M. qui XXX Julii colitur ab hodierno S. Rufino distinguendus.

SEC. IV. *Inter Rufinos distinctio*

In *eosdem scopulos relabimur unde vix bene emerseramus die* XXX *Julii, ubi de* S. Rufino *Assisiensi martyre agendum fuit. Frustra rogati sunt Assisienses, lucem aliquam nempe tolerabiliora monumenta suggererent, unde id solvi posset, quod ibi a nobis quæsitum est,* Unusne an plures sancti Rufini Assisii colebrentur, *quibusque diebus singuli ? De Martyre, quem dicta* XXX *Julii retulimus, dubium mihi quidem non est quin is inducetur quem in celebri descripto a nobis sermone laudavit S. Petrus Damianus, dum ita scripsit :* Beati igitur hujus Martyris corpus de suburbio Assisiensis oppidi, ubi antiquitus fuerat positum, intra mœnia postmodum fuit gentilis impetus terrore translatum : *ubi et Ughellum refutavimus rotunde asserentem, quod Hugo episcopus anno 1050* corpus S. Rufini transtulerit. *Habes ibidem num. 4 rejectam Ferrarii assertionem, qua eodem die alium* S. Rufinum *obtrusit, ab eo S. Martyre toto cœlo diversum.*

2 *Superest modo quærendus Episcopus, qui Assisii etiam martyrio coronatus sit, de quo ita Jacobillus* *æque ac confusio vitanda;*

AUCTORE J. B. S.

cobillus de Sanctis Umbriæ tom. I a pag. 701 : Vita S. Rufini martyris, episcopi populi Marsorum, qui sanctam fidem Assisii plantavit et in ea civitate martyrio affectus et sepultus, ejusdem protector est. *Videtur hic satis aperte collusisse Jacobillus cum Ughello, quem audire juvat sub titulo de Marsorum episcopis tom. I a col. 955, ubi primo loco* Rufinum *collocat, longiorique oratione nescio quæ Acta commemorans ;* Et hæc quidem sunt, *inquit*, quæ summatim de vita S. Rufini videntur posse adferri. *Acta porro illa quanti facienda sint et Baronius pridem et Ughellus ipse satis declarant; mihi certe tanti non sunt, ut ea huc velim adducere : ea nobis hic sola dirimenda est quæstio, jam a tanto tempore proposita* Unusne an plures sancti Rufini Assisii celebrentur? *Loquamur pressius : Num is quem dedimus* XXX *Julii cum eo qui hoc die colitur sit confundendus? De aliis enim Rufinis Assisinatibus, quos Ughellus ibidem commemorat, hic non agitur. Audi ipsum loquentem :*

in quo Ughelli opinio

3 Unum autem tantum Rufinum esse, qui tam Marsos quam Assisinates in Umbria illustraverit Evangelio, ac Antistes utrisque præfuerit populis, PRO CERTO HABEO, tametsi monumenta Mss. utriusque ecclesiæ de genere mortis locoque videantur discrepare, in cæteris tamen conveniunt. S. Petrus Damianus in suis sermonibus, illorum temporum haud satis peritus, duos Rufinos invexisse videtur cum narrat in XXX diem Julii ejus mortem incidisse, affirmatque, eadem die Assisii ejus festum celebrari solere. Quamobrem Martyrologium Romanum authoritate Petri Damiani innixum S. Rufinum retulit in hanc diem TANQUAM EPISCOPUM ASSISINATEM, in XI vero diem Augusti alterum Rufinum Marsorum episcopum, cum tamen constet, utriusque Rufini Acta vel simillima vel eadem esse, atque apud Marsos Assisiumque XI die Augusti festum S. Rufini celebrari cum iisdem lectionibus officioque in quibus narratur, primum Marsis deinde Assisinatibus eumdem Rufinum episcopali munere insignitum præfuisse. Perperam igitur unus idemque in duos fuisse dissectus videtur ex Petri Damiani errore.

refellitur

4 *Bona Ughelli venia, nec S. Petrus Damianus* duos Rufinos invexit, *neque* Martyrologium Romanum S. Rufinum retulit in hanc diem (XXX *Julii)* tanquam episcopum Assisinatem. *En ipsissima ejus verba :* Assisii in Umbria, S. Rufini martyris, *in notis autem :* Exstat de eodem sermo S. Petri Damiani. *Ex toto autem S. Petri Damiani sermone, quem ad istum diem dedimus, nec verbum extuderis unde de Episcopo vel remotissime agi intelligatur. Ut quid igitur tanto conatu insurgit ut S. Damianum et ex ipso Baronium de geminato* S. Rufino *episcopo accuset? Sinat, obsecro, sanctum Martyrem, de cujus solo labro vel urna lapidea inter Hugonem episcopum et cives Assisinates anno 1050 disceptabatur, cultu suo gaudere tanquam simpliciter* Martyris, *Episcopum vero ab eo diversum audacter statuat de quo non* XI *sed* XIII *seculo reperto ne quidem somniare potuit Damianus. Testem ipsum Ughellum advoco in Vidone Assisiensi episcopo dum ita loquitur :* Meruitque S. RUFINUM PRIMUM ASSISII EPISCOPUM et martyrem invictum, qui ad eam diem mortales latuerat, reperire, repertumque in Cathedrali honorificentiori loco collocare die III mensis Augusti MCCXII.

5 *Habes hic* S. Rufinum primum Assisiensem episcopum *et martyrem invictum, habes seculo primum tertio decimo repertum ejus sacrum corpus, tumque in ipsa Cathedrali totius populi venerationi expositum* quod ante eam diem mortales latuerat. *At certe non latuerat sanctus ille Martyr synonymus de quo in sermone suo loquitur S. Damianus, utpote cujus* urnam *(num. 6)* corripientes septem homines AD S. RUFINI BASILICAM tanta celeritate provexerunt. *Exstabat itaque Assisii seculo illo undecimo notissima* S. Rufini basilica *a populo in tanta veneratione habita ut Hugone episcopo loci nequidquam repugnante, eo etiam repertam ejus urnam detulerint, qui proinde alius omnino censeri debet ab eo* S. Rufino episcopo, *qui duobus post seculis primum repertus est et in Cathedrali depositus. De priori illo quem proprio natali die* XXX *Julii retulimus, dicta sunt quæ dici potuere ex S. Petro Damiano, nunc disquirendum superest, quis ille sit* S. Rufinus *episcopus item et martyr, qui hac die* XI *Augusti in Martyrologio Romano refertur.*

et Assisinat. sui tribuuntur.

§ II. S. Rufinus, qui hoc die Assisii colitur, videtur dicendus Marsorum episcopus.

Qui hoc die colitur.

H*odierna annuntiatio Martyrologii Romani his plane verbis concipitur :* Eodem die passio sanctorum Rufini Marsorum episcopi et sociorum sub Maximino imperatore. *Ad quam hic omnino præmittenda Baronii notatio in hæc verba:* Agitur de eodem *(Rufino episcopo)* hac die in ecclesia Marsicana. Legi tam ejus quam S. Cæsidii ejus filii martyrii Acta ab eadem ecclesia accepta, quæ tamen non levi indigent emendatione. Reperimus vero alia illis fideliora, sed imperfecta, nobis impartita ab ecclesia Pistoriensi, producta tantummodo usque ad Rufini carcerem, in quem Romæ detrusus fuit. Cætera autem quæ desiderabantur in primo exemplari, ab alio aliquo superaddita, qui maluit ea suo ingenio ad finem perducere, quam relinquere imperfecta . . . Vetus traditio prædictæ ecclesiæ et antiqua monumenta contradicunt; quibus constat S. Rufinum una cum Silone et Alexandro apud Reate fuisse truncatum capite tertio Idus Augusti, Cæsidium autem passum esse Transaquis apud lacum Fucinum pridie Kal. Septembris. Viget ibidem utriusque martyris religiosa memoria multis miraculis illustrata. *Hinc manifeste colligitur, in Actis illis quæ vidit Baronius, nullam prorsus Assisii fier imentionem.*

Marsis videtur vindicandus,

7 *Neque vero a dictis multum dissentit Ferrarius, sic sua torquens, ut a Baronio non videatur velle discedere. En ejus textum :* Rufinus episcopus Marsorum, cum Maximino Imp. fidem D. N. I. C. gentilibus in Marsicana civitate prædicaret, a Luciano quodam Imp. ministro, qui ex Piceno Romam per Valeriam transibat, cum apud Arcum Augusti ab urbe Roma ad 75 M. P. distantem, magnam populi multitudinem ad Rufini prædicationem conversam vidisset, apud Imp. delatus est, una cum Cæsidio presbytero qui Transaquis prædicabat. Is Ascanium Cornicularium eo misit : qui Rufinum vinctum Romam perductum carcere inclusit. Cæsidius vero cum Rufinum captum et Romæ in custodia detineri accepisset, ad Urbem veniens, Rufinum nocte allocutus, ad eum per fenestram ingressus est. Post aliquot dies e carcere cum aliis Christianis emissi, Rufinus ad propriam ecclesiam reversus est. Cumque prædicatione

A catione et signis multos ex gentilibus in dies converteret, iterum ab idolorum cultoribus captus una cum Alexandro et Silone varie exagitatus, tandem apud Reate capite truncatus martyrium consummavit III Idus Augusti.

semotis variis adjunctis

8 *Multa ibi citat Ferrarius, longe plura Jacobillus, quæ utinam ex fontibus ipsis clarius liceret perspicere. Verum ut ut ea sint, certe Jacobillus et a Ferrario et a Baronio recedit quam longissime, ut ex solo ejus titulo superius relato, satis aperte ostenditur. Repetamus verba :* Vita S. Rufini martyris, episcopi populi Marsorum, qui sanctam fidem Assisii plantavit, et in ea civitate martyrio affectus et sepultus, ejusdem protector est. *Historiam porro ita contexit, ut multa incongrue misceat, Rufinum ex Amasia Cappadociæ metropoli Romam adducens tempore Imp. Maximiani, quem cum S. Fabiano Papa inepte connectit; de cætero ita sua commiscens ut Ughello succenturiari voluisse, satis manifeste pateat. Non eo tamen cum aberrante Ughello progressus est, ut celebre martyrium sanctarum Niciæ et Aquilæ historiæ Rufinianæ imperite innecteret, Romamque adduceret quas in Lycia martyrium subiisse constat; de quibus videnda quæ diximus ad* B *diem* XXIV *Julii quo ab Ecclesia celebrantur.*

non facile conciliandis

9 *De cætero præiverat Ughellus in incohanda* S. Rufini *passione Amasiæ sive in Cappadocia, sive fortasse in extrema Germania, ubi Proconsule cum aliis ad fidem converso, liberatus carcere in Italiam profugit ibique populo Marsicano Evangelium ferventi zelo prædicans, iterum captus Romamque perductus Andream Proconsulem illum a se antea conversum ad martyrium fortiter subeundum animare non destitit; deinde vero ex divino nutu, permittente præfecto, vincula discussit, ad Marsos suos feliciter rediit, solatusque tantisper pusillum gregem, Assisinatibus in Umbria, tum idololatriæ tenebris adhuc immersis eodem pietatis ardore episcopum se præbuisse dicitur et apostolum, adeoque primum scilicet Evangelii in ea regione prædicatorem.*

10 Quo munere, *(Ughelli verba sunt)* cum ardentius, ideoque cum incredibili gentis administratione perfungeretur, iterum teterrimo carcere mulctatus est, adolendaque Apollini thura abominatus, cum sociis ignis tulit sententiam, sed insufflante Angelo, cum dissipatus ignis decidisset * ardorem, liberis illibatisque ad exitum patuit fornax, eoque perspicuo miraculo, cum plures convicti evasissent Christiani, solus Aspasius præfectus in Christianam rem odio pertinaciori concepto, Rufinum sociosque vivere non est passus; quibus surdus edaxque ignis, voracitatem suam oblitus pepercisset; siquidem cum extra muros Assisinates duci jussisset Rufinum, mola lapidea ad ejus collum alligata in ingluviem fluvii Eloasii præcipitatum, omnesque ad unum sævissime tortos occidit die XI mensis Augusti. *Ita Ughellus cum suo Jacobillo* S. Rufino *martyrii palæstram Assisium statuere contendit, nequidquam refragante Martyrologio Romano.*

AUCTORE J. B. S. *rejectis quæ iterum*
* *f.* depulisset

Ughelli conjecturis,

11 *Pergit autem postmodum idem Ughellus æque magistraliter :* Et hæc quidem sunt quæ summatim de Vita S. Rufini videntur posse adferri *utinam majori fide et auctoritate. Audisti jam supra;* unum autem tantum Rufinum qui tam Marsos quam Assisinates in Umbria illustraverit Evangelio ac antistes utrisque præfuerit populis, E PRO CERTO HABEO, tametsi monumenta Mss. utriusque ecclesiæ de genere mortis locoque videantur discrepare. *Fallor equidem nisi recte discrepent, et in hoc discrepare debeant quod* unus tantum Rufinus, *fuerit. Jam binos istius nominis Assisinatibus asseruimus, Martyrem nempe, de quo meminit S. Damianus, et alium primum Assisiensium, sed non Marsorum episcopum, cujus sacrum corpus anno* MCCXII *repertum ostendimus, ut adeo duobus illis contenti esse possint Assisienses, eumque, quo de hic modo agimus, Marsis relinquere, sicque ambæ ecclesiæ proprium synonymum episcopum suum, vel eodem hoc die merito celebrare possint, quidquid, nescio a quo tempore, confusi videantur. Utrum vero e duobus Pistorienses, Hispellenses aliique a Jacobillo enumerati, ut patronum venerentur, ipsismet curiosus disquirendum relinquo.*

C

DE S. TAURINO EPISC. CONF.

F

EBROICIS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Ejus cultus et reliquiæ.

FORTE SEC. V. *Cultus ejus antiquitas*

E*broica, sive Ebroicæ, vulgo* Evreux, *civitas est Galliæ in moderna Normannia tum rebus aliis, tum episcoporum antiqua sede nobilis. Horum agmen duxisse creditur sanctus* Taurinus, *quem illa ut primum apostolum suum ac patronum jam a duodecim retro seculis veneratione solemni est prosecuta; nisi forte etiam antequam revelatum esset indicio cœlesti corpus ejus, notus apud suos cultusque fuerit; quod ut inficiari non debemus, ita non suppetit, quo probemus. De seculo* VII, *et quidem non multum provecto dubitare non poterit; qui primæ inventionis ejus Historiam, Vitæ infra subjectam expenderit. Martyrologiis innotuit serius; ut Usuardo, qui declinante seculo* IX *sic illum annuntiabat ad* III *Idus Augusti :* Apud castellum Ebroas, sancti Taurini episcopi; *item haud satis exploratæ ætatis amplificatori cuidam Martyrologii Hieronymiani in codice Corbeiensi apud Acherium ac Florentinium ubi eodem die legitur :* Ebrocas, natalis sancti Taurini episcopi et confessoris; *tum quibusdam eorum, qui Bedæ ac Flori nostri Martyrologium auxere post editam sancti Præsulis Vitam, ex qua memoriæ sancti Gaugerici episcopi Cameracensis subjecisse censendi sunt :* Et sancti Taurini, fratris ejus; *ac tandem, ut recentiores præteream. Romani Martyrologii reformatoribus, qui sic illum hoc die Gaugerico præmittunt :* Apud Ebroi-

AUCTORE P. B.

Ebroicenses in Gallia, sancti Taurini episcopi, qui a beato Clemente Papa illius civitatis episcopus ordinatus, Evangelii prædicatione Christianam fidem propagavit, ac multis pro ea susceptis laboribus, miraculorum gloria conspicuus obdormivit in Domino. *An a beato Clemente Papa sit ordinatus episcopus, postea dispicietur.*

et solemnitas apud Ebroicenses,

2 *Ex his facile quisque intelligit, primariam cultus Tauriniani sedem habitas fuisse semper Ebroicas. Et ibi sane præter hunc ejus natalem, qui per totam illam diœcesim in populo festus est, et cum Octava celebratur, colitur insuper, Officio tamen semiduplice tantum, dies* V *Septembris, tanquam perpetuæ inventi corporis ejus memoriæ consecratus, ut ex loci Breviario constat : quanquam vix dubium est, quin hæc ipsa inventionis ejus memoria ibi fuerit olim quotannis instaurata solemnius, ubi conditus tandiu sacer ille thesaurus, iterato spirituum cœlestium concentu et prodigiosæ lucis columna commonstrante, refossus tandem fuit, nec sine assiduis exinde miraculis ad seculum usque nonum servatus, in loco videlicet suburbano versus occidentem, cui ecclesia primum elevato imposita tumulo, tum adjunctum Ordinis* B *Benedictini cœnobium,* sancti *utraque* Taurini *nomine celebria, religionem asseruere; donec ab ethnicis Normannis eversa funditus conciderunt; nimirum ut per eosdem, Christiana subinde sacra professos, titulo eodem, sed loco tutiore, intra urbis videlicet ambitum, erecta consurgerent; iterum tamen sub Philippo Augusto Galliarum rege seculo* XII *diruenda; iterumque, ut modo subsistunt, posterius excitanda. Consule Arturi Du Monstier Neustriam piam a pagina 360; ubi etiam queritur, istius monasterii per hasce calamitates* omnia pene monumenta manuscripta esse oblitterata et oblivioni tradita : *quæ quidem inter alias causa me movit, ut nihil inde solidæ lucis aut poscerem aut sperarem.*

Arvernos, et Burgundiones in cœnobio Gigniacensi,

3 *Crevit interea, longeque per alias etiam provincias propagatus est cultus ejus peculiaris ac proprius, et maxime per sacras ejus reliquias, frequentissimis, quocunque devenerunt, prodigiis illustratas. Neque enim illæ omnes in monachorum ejus apud Ebroicas potestate manserunt; sed earum pars magna, versus medium seculi noni,* C *ne grassantibus identidem ibi tum Normannis in prædam aut sacrilegia cederet, usque in Arverniam translata, per annos aliquot fulsit miraculis; uti narrat coævus auctor ac testis in Historia primæ inventionis ejus, superius memorata, et post hunc alius in Historia translationis, quam infra tertio loco proferemus in lucem. In hac porro posteriore ad hoc scriptor præsertim incumbit, ut rationem exponat oppido mirabilem, qua sacer idem thesaurus ante finem seculi* IX *ex Arvernia furtim sublatus, atque in Burgundiæ Comitatum et cœnobium Gigniacense, ultra quod asportari nullo modo poterat, invectus, ita conquievit, ut statim hac occasione* S. Taurinus *ex universi cœnobii decreto patronus recentis istic ecclesiæ perpetuus et nuncupari cœperit et honorari. Sed nihil ad venerationem ejus quaquaversum extendendam cogitari potest illustrius, quam illa earumdem reliquiarum e cœnobio jam laudato ad vicinas usque Lugdunum ecclesias anno Christi 1158 instituta et infinitis passim ornata miraculis circumvectio, quam infra postremo loco descriptam exhibebimus.*

4 *Videntur autem ista ejus pignora ad hunc usque diem Gigniaci manere deposita; nisi forte (quod nescimus) inde mota sint post annum Christi 1547 et eorum inspectionem legitimam, cujus a* D *Gigniacensibus exscriptum habemus instrumentum authenticum, quod e Gallico sic Latine vertimus :* Hac die XIX mensis Maii anno MDXLVII, festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi in ecclesia Prioratus conventualis S. Petri Gigniacensi, hora circiter meridiana dictæ diei, nobiles et religiosæ personæ Fr. Simon de Grandmont eleemosynarius et vicarius generalis reverendi in Deo patris ac Domini Ludovici De Rye, episcopi et principis Gebennensis, abbatis abbatiarum S. Augendi *(S. Oyon de Joux)*, Albæ-ripæ, Aceii *(Accey sur l'Ognon)*, Prioris ac domini dicti Gigniaci; Joannes de Grandchampt, Prior claustralis et cellerarius, Joannes De Montionet, sacrista, Leonardus Du Saix, Gaspar De L'aulbespin Religiosi claustrales dicti Prioratus, Paris de la Lye diaconus, Franciscus De Montrichard, Joannes De saint Germain, in dicto Prioratu novitii, et Ludovicus Chappon dicti Gigniaci notarius; ad hoc vocati et requisiti prædicti vicarius, Prior claustralis, sacrista, commissarii ac deputati dicti domini Reverendissimi, ut visitemus capsam, in qua requiescit corpus domini nostri S. Taurini in theca lignea argento desuper puro E et multis locis auro obducta, in quo argento elaboratæ exstant effigies variæ, ut domini S. Taurini, nostræ Dominæ *(Mariæ Virg. Deiparæ)*, et aliæ, nos supradicti commissarii venimus, die et hora ut supra, in dictam ecclesiam, et secundum commissionem nostram aperuimus dictam capsam, in qua invenimus caput et ossa dicti domini sancti Taurini simul cum vetusta schedula membranea sic inscripta : HIC REQUIESCIT CORPUS BEATI THAURINI EPISCOPI ET CONFESSORIS : et quia dicta schedula jam tunc erat valde antiqua, renovavimus illam per aliam schedulam priori appositam. Quod caput et ossa involuta sunt telæ candidæ superinducto tapete serico.

in quo rite inspectæ fuerunt ejus reliquiæ

anno Christi 1547.

5 Item invenimus in dicta capsa reliquias S. Siagrii et S. Ferradei, cum schedula imposita, in qua scriptum est, HIC SUNT RELIQUIÆ SANCTI SIAGRI ET FERADEI, telæ involutas. Insuper invenimus in quadam tela ossa domini S. Marini martyris, ut notat hæc epigraphe : HIC SUNT RELIQUIÆ SANCTI MARINI MARTYRIS, ID EST, DUO OSSA. Invenimus præterea in pyxide lignea operculo induta, in qua sunt plures reliquiæ F et scheda membranea, in qua scriptum est : Reliquiæ de Sanguine Domini. Reliquiæ de Sancta Maria; de sancto Joanne; de sancto Marino; de sancto Amane; de sancta Juliana; de sancto Leodegario; de sancto Desiderio; de sancto Romano; de sancto Eugendo; de sancto Joanne apostolo et evangelista. Item in alio panno lineo invenimus reliquias sequentes cum sua singulis superaddita epigraphe, nempe prima : RELIQUIÆ S. LUPI CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS. S. EUSTASIUS : S. COLUMBANUS. RELIQUIÆ S. EUSEBII CONFESSORIS : ITEM UNAM COSTAM, ET UNUM DENTEM [*de*] RELIQUIIS S. SALVATORIS CONFESSORIS. RELIQUIÆ SANCTÆ TIGRIDIS VIRGINIS DE URBE MORIANA. RELIQUIÆ S. JOANNIS CONFESSORIS : SANCTUS VAULDEBARTUS. Et eodem die et momento accepimus de duobus ossibus magnis, quæ erant in capsa domini S. Aquilini, unum, et posuimus in capsa Domini S. Taurini. Et nos dicti commissarii et Ludovicus Chapon notarius certificamus, supradicta esse vera et ita per nos comperta, sub subscriptione manuali nostra cum illa dicti Ludovici Chapon hic apposita jussu nostro, *etc. Sequuntur subscriptiones legiti-*

A *legitimæ. A tergo legebatur :* Apographum ex autographo de reliquis et ossibus, quæ requiescunt in capsa domini sancti Thaurini.

Dicitur tamen ejus corpus adhuc esse Ebroicis ;

6 *Observari hic velim, hujusmodi vicibus* Corpus beati Thaurini, Caput et ossa sancti Taurini, *non semper significari corpus integrum, sed partes sæpe tantum aliquot corporis; nam in hisce phrasibus, uti jam sæpius dictum, frequentissima solet esse figura synecdoches. Non sequitur adeo ex instrumento jam dato, ut alibi nullæ possint esse corporis ejusdem partes, quæ et ipsæ hoc sensu corpus appellentur. Ita sane explicandus videtur auctor Neustriæ piæ, cum ad Joannem de Glatigneio, abbatem* S. Taurini *apud Ebroicas decimum, qui seculo* XIII *floruit, hæc notat pag. 364 :* Cujus tempore inventum est corpus S. Taurini. *Sic et Tillemontius Monumentorum tomo IV in S. Dionysio pag. 488, cum ait, etiam nunc in eodem Ebroicensi cœnobio* S. Taurini *corpus asservari, addens, vidisse se scripta authentica de quibusdam miraculis, quæ contigisse, asserantur ibi die* XVII *Augusti anno 1690 et* X *Maii anno 1694. Et vero quod ipse* corpus *appellat*, reliquias *alii nuncupant cum ipso Ebroicensis ecclesiæ* B *Breviario anni 1587 in Lectionibus propriis de Sancto pro Octava, ubi de eodem illo monasterio legitur :* In quo ad hoc usque tempus in honore et veneratione habentur ejus *(S. Taurini)* reliquiæ.

et esse, vel certe fuisse Fiscamni.

7 *Non ita mihi promptum est ostendere, quis esse debeat aut possit sensus eorum, quæ relatus a Chesnio inter Normanniæ scriptores Ordericus Vitalis, auctor seculi* XII, *sic habet pag. 557 :* Post longum tempus *(ab obitu Sancti)* religio Christiana crevit; et clerus Ebroicensis cum fidelibus indigenis primi præsulis sui Taurini polyandrum* quæsivit, Deoque monstrante invenit. Deinde reverenter de terra levatum est, *(hæc satis aperte pertinent ad seculum* VII *seu primam inventionem et elevationem, cujus infra vetus Historia proferetur)* et post aliquod tempus a fidelibus Fiscannum translatum est. Ibi venerabili cœnobium monachorum ad Deitatis cultum jugiter agendum constructum est, ibique in capsa pretiosa sancti Viri corpus veneranter aptatum est. *Quid hic est* post aliquod tempus, *a prima inventione videlicet? Haud dubie multo minus, quam* post longum C tempus, *quod supra dicebat inter obitum ejus et primam inventionem intercessisse; imo qui phrasim illam quam latissime accipient, vix ad centum, opinor, annos, hoc est, ad octavum usque seculum, extendi patientur. Atqui tum in cœnobio Fiscamnensi monachi nondum erant, qui in capsa pretiosa sancti Viri corpus aptare potuerint; sed seculo primum* XI, *sive annis post primam inventionem fere quadringentis, quod valde longum tempus est; et annis circiter quinquaginta post capitis ejus et ossium translationem in Arverniam; et annis fere ducentis ante secundam reliquiarum ejus inventionem apud Ebroicas, de qua modo diximus. An hic ergo tertiam aliquam intelligemus ejusdem corporis portionem? Statuant illi, quorum interest : mihi non liquet.*

*i. e. sepulcrum

quo loco et aliis, colitur Sanctus honore singulari.

8 *Id certum videtur, quod ibi Sanctus noster eximio fuerit in honore; cum aram habuerit suo nomine consecratam, juxta quam sepulturæ sibi locum abbates aliquot Fiscamnenses olim elegerunt; ut in eorum catalogis apud Arturum Neustriæ piæ pag. 236 et seqq. videre est. Cultum ei quoque proprium deferunt ecclesiæ Rotomagensis et Bajocensis in Normania, quem ambarum testantur Breviaria. In archicœnobio Cluniacensi. Papebrochius noster, illac anno Christi 1661 Roma in Belgium cum Henschenio rediens,* S. Taurini *scapulam inter alia Sanctorum ibi celebrium pretiosa lipsana veneratum se esse, testatur in Itinerario suo Ms. Et vero quis loca memoret sigillatim omnia, ad quæ cultus ejus aliquis peculiaris penetraverit; quando etiam trans mare dicitur usque in Hiberniam pertigisse, apud Castellanum in indice Martyrologii sui universalis? Imo vero piaculum esset præterire hoc loco ecclesiam S. Joannis Calybitæ Romanam, in qua et corpus ejus esse, et festum hoc die celebrari dicitur; nisi de illa solidius aliquid optarem, quam quod sine instrumentis idoneis narrant Octavius Pancirolus in Thesauris Romæ absconditis pag. 627, et Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio Romano ad* XI *diem Augusti. Itaque cultu asserendo supersedens, ad Acta discutienda progredior.*

AUCTORE P. B.

§. II. Acta ejus, aliaque consequentia monumenta.

Vitæ ejus multa sint exemplaria ex eodem fonte.

E *Acta* S. Taurini *dudum typis expressa prodierunt; non tamen intacta prorsus et integra; ut in Sanctuario Mombritiano tom. II a fol. 325, et in Speculo historiali Vincentii Bellovacensis lib. 10, capp. 33, 34, 76, 77, 78, 79. Eadem accepimus integerrima ex pluribus Mss. a Patre nostro Petro Francisco Chiffletio, puta (ut ad marginem adnotavit ipse)* Ex Ms. codice Gigniacensi, et Mss. Accincti monasterii, et Vallis Lucentis, et Corneoli, et Cartusiæ Divionensis. *Eadem habemus in ecgrapho separato* Ex Ms. Rubeæ Vallis. *Sed, quoniam horum autographa non vidimus quantam præ se ferrent ætatem, ea dare maluimus ex codice nostro membraneo signato ✠ Ms. 84, in quo scripta fuerunt manu perelegante, ex mea et sociorum conjectura circa seculum decimum. Divisio in capita et numeros erit nostra ; cætera auctoris, qui se num. 7 et alibi Deodatum nominat, et ab ipso* S. Taurino *baptismum ait suscepisse atque ordinem presbyterii, imo et morienti se jurat adstitisse num. 14. Ex hac porro eadem Vita manifeste profluxerunt ejus compendia quædam seu Sancti elogia in Breviario Ebroicensi anni 1587 ad diem* XI, F XII, XVIII *Augusti; in Equilini catalogo lib. 7 cap. 50, apud S. Antonium in Historiis part.* I, *tit. 7, cap. 5, § 2; apud Saussayum in Martyrologio Gallicano hoc die; apud Ordericum Vitalem in editione Chesniana a pag. 555; ubi referuntur sequentia, quæ non meminimus alibi legi:*

tum integra, tum contracta;

10 Signa quoque, *inquit*, nonnulla per eum *(S. Taurinum)* apud Ebroas adhuc quotidie fiunt : dæmon enim, quem de Dianæ fano expulit, adhuc in eadem urbe degit, et in variis frequenter formis apparens, neminem lædit. Hunc vulgus Gobelinum appellat; et per merita S. Taurini ab humana læsione coercitum usque hodie *(scribebat seculo duodecimo nondum dimidiato)* affirmat. Et quia jussis Sancti Antistitis sua frangendo simulacra obsecundavit, in baratrum non statim mersus fuit, sed in loco ubi regnaverat, pœnas luit, videns salvari homines, quibus jam dudum ad detrimentum multimode insultavit. Fertur aliud ab incolis, et verum est; quod in Ebroicensi urbe animal vivere nequit venenatum. Nam pinguis humus imbuta fluentis Ittonæ fluminis, colubros et serpentes pariebat, et ejusmodi animantibus Ebroica civitas nimis abundabat. Civibus

AUCTORE P. B.

cibus autem pro tali peste conquirentibus, deprecatus est Dominum beatus Taurinus, ut urbem ab hoc incommodo liberaret, nec ulterius venenatum reptile intra mœnia urbis vivere sineret. Oravit, et exauditus est. Si casu coluber seu bufo in fasciculo herbæ defertur, statim dum intra muros urbis venerit, moritur. *Sic ille.*

sed auctoritatis perquam suspectæ:

11 *Quæritur modo de Vita integra, unde ad epitomas facilis erit argumentatio, quid sentiendum putemus: nam vetustam esse, satis apparet certum cum ex codice, quem sequimur, tum ex Historia inventionis ejus primæ scripta seculo nono, in qua citari videtur num. 2. Sinceram quoque sine dubio crediderunt, quotquot ejus vel apographa vel epitomas conscripsere. Recentiores interea, ut illustrissimus Franciscus Bosquetus Ecclesiæ Gallicanæ historiarum tom. I, lib.* 1 *cap. 29, Tillemontius Monumentorum pro historia ecclesiastica tom. IV editionis secundæ pagg. 488 et 728, aliique plures eam ut fabulosam explodunt. Et sane turpius identidem peccat auctor, quam ut cujusquam patrocinio defendi possit, aut historicam apud viros prudentes mereri fidem. Quod ne* B *temere quisquam a me dictum existimet, en tibi errorum ejus de multis aliquot specimina.*

ut ostendunt

12 *Primum esto, quod in Prologo manifeste significat auctor, ante hanc Vitam, nullam aliam fuisse scriptam: ideo enim se scribere hanc monet*, ut, sicut recenti memoria præsentes et coævi, sic in hac relatione, qualis vel quantus fuerit *(S. Taurinus)*, per temporum successionem scire valeant futuri. *Vides præsentibus et coævis adscribi unice recentem memoriam; futuris hanc scripto solam relationem parari. Atqui in Vita num. 13 et 14 disertissime affirmat contrarium:* Ego autem, *inquit,* Deodatus, filiolus ejus, jam edideram unum libellum de sanctis et bonis operibus ejus, et de libris, quos exposuerat: mirabilis enim doctor fuit. *Ne autem cogites, libellum illum periisse antequam hæc relatio scriberetur, audi quod sequitur:* Longum est autem enarrare, quomodo ivimus cum illo Romam: quomodo matrem suam ibidem honorifice sepelivit, *et cætera, quæ ibi vide.* Quæ omnia in libello superius memorato inveniuntur. *Erat ergo libellus hoc anterior, et non erat; si Deodato credimus.*

C *mendaciorum et contradictionum*

13 *In Vita num.* 1 *proponit sub Domitiano Tarquinum instar sævissimi lupi persequentem Christianos, antequam ei filius nasceretur* Taurinus. *Natum hunc ergo non statuit ante annum æræ vulgaris 93, ante quem non cœpit sub Domitiano secunda Christianorum persecutio. Et interim num. 3 inducit S. Dionysium Areopagitam* Taurino *dicentem:* Ego autem nonagenarium, tu vero quadragenarium ducis annum. *Fingit ergo, anno Christi circiter 133 nonagenarium fuisse S. Dionysium; adeoque anno tantum Christi 43 natum, diu scilicet post Christi mortem: et simul hoc ipsum negat, cum ibidem hæc S. Dionysio verba subministrat:* Quando enim Dominus noster pro nobis mortem subiit temporalem, solque suos retraxit radios, adhuc ego ignarus notitiæ ejus, dixi: O viri, credite etc. *Quid hoc rursum, quod* Taurinum *anno Christi 93 aut serius aliquanto natum, adeo senem facit num. 9 et 11, ut a Lincinio vocitetur* inveterata canities, et canities veternosa, *idque diu ante mortem, quam obiisse tamen illum narrat num. 13 antequam rescisset martyrium Sixti Papæ primi, hoc est circa annum Christi 126, quo* Taurinus *vix explesse poterat annum ætatis trigesimum tertium? Dixi,* Sixti Papæ primi: *nam si vixisse* Taurinum *Deodatus velit usque ad martyrium* Sixti Papæ secundi; *ætatem illi tribuet æque paradoxam, annorum videlicet 165.* D

14 *Vivebat Deodatus, aut potius vixisse se fingit in Galliis, hoc est sub dominatione Romani imperii; et num.* 1 *tamen* Domitianum *facit* regem: *fingit se fuisse ethnicum usque ad adventum* S. Taurini; *et tamen num. 6 Dianam Jovis conjugem facit ac sororem: fingit se scripsisse seculo post Christum secundo: et tamen in prologo novit* Ebroicenses, *num. 3.* Ebroicam civitatem *num. 4* Ebroicas; *num.* 1 *pro idolotatra* paganum *appellat, num. 3* Parisium *pro Lutetia Parisiorum, et* Cameracam civitatem; *quæ omnes voces per priora tria a Christo secula nec usitatæ erant nec auditæ; recentiora quoque sunt nomina* senior *pro hero seu domino juvene num. 12, et* filiolus *pro suscepto respectu suscipientis de sacro fonte seu patrini num. 2. 3 et aliis. Tædet enimvero plura notare; quando hæc abunde sufficiant, ut scriptori mendaci perjuroque omnis abrogetur et fides et auctoritas. Fallor profecto, nisi octavo seculo sit junior: nam Dionysium Areopagitam eumdem facit cum Dionysio episcopo Parisiensi;* E *quod Pagius in Critica Baroniana ad annum 834, num. 13, asserit e Græcis fecisse neminem ante Tarasium patriarcham ab anno 784 Constantinopolitanum; e Latinis vero neminem ante Hilduinum, circa annum Christi 835.*

pauca de pluribus specimina.

15 *Quæret fortasse quispiam, quid igitur de* S. Taurino *nostro satis putemus posse certo credi. Respondent aliqui, nec male: Ex Vita prorsus nihil. Ex Historia inventionis autem non video in dubium revocari debere scriptum, quod repertum dicitur una cum Sancti corpore, tempore Clotharii regis et sic notatum.* Hic requiescit beatus Taurinus primus episcopus Ebroicæ civitatis. *Quanquam si sincerum est illud epitaphium, et scriptum fuerit statim ab obitu Sancti, credibile non sit, hunc obiisse ante seculum quintum, quo jam usus ferre poterat, ut* Ebroici, et Ebroica civitas *vulgo nuncuparentur, qui antea dicebantur* Eburovices, *item urbs eorum* Ebroicæ *appellaretur æque ac veteri nomine* Mediolanum Aulercorum; *de quibus vide Valesium in Notitia Galliarum pag. 66. Potuit vero tum facile sepulcri ejus et corporis aboleri memoria; potuit et* F *ecclesia ejus diu caruisse successore, quod volunt Ebroicenses; utpote oties ab anno Christi 407 proculcata per barbaros, quorum immanitatem præ cæteris copiose describit, qui tum vivebat, S. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam de monogamia. Censetur enim* S. Taurino *in episcopatum Ebroicinum successisse proximus S. Gaudus; huic autem infulis anachoresim præferenti, proximus Maurusius, seu potius Maurusio, qui anno Christi 511 concilio Aurelianensi primo subscripsit. Quibus hæc nostra conjectura non placet, videant, ne Pseudo-Deodati nostri mendaciis Clementem Papam, Dionysium, Sixtum etc. crepantibus nimium tribuant.*

Quid credi possit de S. Taurino;

16 *Instrumenta, quæ Vitæ subjungimus, etsi Sancti res in vita gestas non attingant, merita tamen ejus maxima atque insignem sanctitatem per miracula tot ac tanta, quæ referunt, non obscure demonstrant. Primum est Historia inventionis ejus primæ et eam secutorum miraculorum; quam accepimus ab eodem Petro Franc. Chiffletio nostro ex Mss. antea memoratis; item ex Ms. Cluniacensi, Papebrochii nostri manu exaratam. Dabimus tamen eam ex eodem potius codice mem-* *braneo*

quid de Historia inventionis ejus,

A braneo ✠ *Ms. 84, in quo Vitam sequitur eadem ætate cum illa, eodem omnino usque ad finem charactere scripta. Auctor anonymus est; sed* S. Taurini *apud Ebroicas monachus; ut apparet ex numeris 2 et 5 inter se collatis. Scripsit vero non diu post medium seculi* IX, *ut colliges ex numeris quinto, ubi miracula narrat, quæ vidit* ad *Sancti sepulcrum fieri ante corporis translationem in Arverniam. et sexto, ubi et translationem illam et secuta subinde prodigia memorat: translationem autem illam accidisse post medium seculi noni sub Carolo Calvo rege, ibidem observavimus in annotatis ad litteram* n.

quid de 2 sequentibus instrumentis. 17 *Alterum instrumentum est Historia translationis ejus primæ in Arverniam, quam auctor præcedentis Historiæ tantum delibaverat, multo verbosior; deinde translationis secundæ ex Arvernia in Burgundiæ Comitatum et cœnobium Gigniacense. Hanc uti et sequentem descriptionem circumvectionis factæ anno Christi 1158 a solo accepimus Petro Franc. Chiffletio (cujus benevolam diligentiam mirari satis ac laudare non possumus) ex iisdem, unde monumenta præcedentia prompsit, codice Gigniacensi et cæteris Mss. nitidissime* B *exscriptas. Videtur ex stylo anonymus quidam opus utrumque scripsisse; sed non eodem tempore: nam primum absolutum fuisse ante annum Christi 1158 ex eo colligimus, quod num. 20 Sancto adscribat perpetuam cœnobii Gigniacensis immunitatem ab infortuniis; quod post annum jam dictum non fuisset verum; quando nimirum infelici incendio monasterium omne deflagravit. Alterum aliquandiu post annum illum fuisse compositum indicant hæc verba in fine post revectionem corporis ad Gigniacenses descriptam posita:* Ubi exhinc magnis et præclaris miraculis coruscare non desistit. *Cæterum ubique opusculorum horum distributio nostra est.*

VITA

Auctore, ut quidem ipse asserit, Deodato, et Sancti discipulo, ac presbytero ex C *pervetusto codice nostro, signato* ✠ *Ms. 84, et cum aliis Mss. collato.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor indicat, cur, quibus, quomodo hæc scribat. Beato quidem Taurino plenarie sufficit, quod vitæ suæ testem illum, qui est in cœlo fidelis, habere meruit, et quod in illo supernorum civium senatu laudabilis exstitit, sed ad ejus reverentiam fidelibus pro ipsorum profectu commendandam quamvis non omnia, quia non sufficimus, tamen vel pauca de eadem vita sunt scribenda; ut videlicet, sicut recenti memoria præsentes et coævi, sic in hac relatione, qualis vel quantus fuerit, per temporum successionem scire valeant futuri; et cognoscentes, promptius ac studiosius eum venerentur; inde autem consequenti ordine ejus patrocinium plenius promereantur. Alioquin vulgari fama, qua nunc certatim celebratur, paulu lum dehiscente, et magnificentia illius in dubium veniret, et pietas devotorum dementaretur *a*. *Ex mss. a* Ebroicenses autem semper noverint, quod hic primum eis verbum bonum eructavit, ipsique sunt signum apostolatus ejus in Domino. Ipsi ergo dijudicent, quanti habendus sit per quem super eos divina stillare misericordia cœpit. Si quid sane in eadem serinuncula inusitatum forte sonuerit, superfluum est inde curiosius retractare: facile enim quisque prudens advertet, quod alias vel talia vel similia persæpe reperiuntur. Et, ut hoc inferam, ipse temporum ordo poscebat, quo ad discutiendam ipsam originalem hominum cæcitatem majora miracula coruscarent. Verborum autem compositio non est nobis curanda; quia simplex homo non debet pomposa relatione proferre.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia non cohærent cum ipsa Vita, num. 13 et 14; uti ostensum est in Commentario prævio. Erunt alia plura per decursum, quæ quoniam ibi satis illustrata sunt, hic taciti præteribimus.*

E

CAPUT I.

Sancti natales, Baptismus, missio in Gallias, episcopatus Ebroicæ, opera prodigiosa et apostolica.

Temporibus Domitiani regis fuit vir quidam Romæ, nomine Tarquinus, paganus, genere Romanus, cui erat uxor Euticia, verissima Christiana, nobilique prosapia Græcorum orta. Tarquinus autem ut sævissimus lupus persequebatur Christianos, nesciens uxorem suam esse Dei famulam. Illa autem sine cessatione assiduabat Dominum orationibus, ut virum suum converteret ad Christianitatis ritum: insuper etiam ipsis talem filium daret, qui veluti Samuel semper Domino deserviret. Et, ecce, quadam nocte, cum fessa quiesceret, vidit sibi astare angelicum vultu, uterum suum virga tangentem; et post paululum procedere virgam instar lilii, cujus flores nimium dabant odorem. Expergefacta autem, cœpit intra se cogitare, quæ esset hæc visio. Confisa autem in Domino, arcana sibi secretim revelata suo hilaris abscondit in pectore: et jam creberrime loca Sanctorum frequentare cœpit. Adveniente autem tempore infans nascitur, et Taurinus a parentibus vocatur. *Sancti patria, parentes, nativitas revelata matri:* F

2 Mox autem ut sacri baptismatis tempus advenit, ad baptizandum sancto Clementi Apostolico tradidit, eique somnium quod aliquando viderat, narravit. Quod audiens beatus Clemens, ipse eum de sacris fontibus sustulit. Vocans autem beatum Dionysium Areopagitam, qui cum eo tunc Romæ versabatur, retulit ei somnium Euticiæ, et ait illi: Suscipe illum quoadusque gratia Spiritus sancti confirmem illum. At ille gratanter suscipiens eum, fertur tali voce erupisse Dionysius: O fili, multa tibi pro Christo debentur certamina. Interea ut efferbuit a Domitiano gravissima Christianorum persecutio, advocavit ad se beatus Clemens sanctum Dionysium episcopum, cœpitque eum deprecari, ut pro nomine Christi Galliarum peteret partes, et populum ibidem com- *baptizatus a S. Clemente PP. I, committitur S. Dionysio Areopagitæ,*

 moran-

Ex mss.

morantem Domino acquireret, dicens : Forte etenim a Domino huc advenisse constat, quia sic erit. Mox jussum libentissime complectens, convocato a beato Clemente concilio, innotuit illis desiderium beati Dionysii. Quod audientes, lætati sunt. Sanctus autem Clemens exhortatus est illos, ut si qui essent inter illos, habere se eamdem voluntatem, dicerent. Et illico conjuncta est cum illo caterva Sanctorum plurima, ita ut legio fieret. Qui, accepta benedictione apostolica, exierunt ab Urbe : secumque beatus Dionysius filiolum suum Taurinum, precibus matris victus, adduxit, et eum cum omni diligentia spirituali nutrivit.

a quo creatus episcopus Ebroic.. animatur ad patientiam:

3 Nunc longum est mihi enarrare, quæ ipsi Sancti et qualia pro Domino sustinuere tormenta. Ad beatum Taurinum vertamus pennulam nostram. Post multa autem curricula annorum crudelissimus Sisinnius commovit persecutionem gravissimam Christianorum. At ubi audivit famam beati Dionysii, Parisium adiit, et eum ante se præsentari fecit. Ut autem cognovit vir sanctus, B cum hoste rabido se habere conflictum et suum affore de illo triumphum, elegit, inspirante divina clementia, salubre consilium, et Taurinum filiolum suum Ebroicæ civitati ordinavit episcopum. Jam enim ordinaverat Germanum ejus Gaudericum * in civitate Cameraca. Cœpit autem vir sanctus Dionysius quasi neophytum confortare filiolum episcopum, ut ipse solitus erat dicere : Vade, o fili, in pace, et plebem a Deo et a me tibi commissam diligenti cura custodi, et viriliter age, sicut fortis miles. Ego autem nonagenarium, tu vero quadragenarium ducis annum. Noli minas pavere mortalium peccatorum. Hodie sunt, et cras non erunt : cito enim ut fœnum marcescent. Quando enim Dominus noster pro nobis mortem subiit temporalem, solque suos retraxit radios, adhuc ego ignarus notitiæ ejus dixi : O viri, credite mihi, perpetua lux adventura est mundo post tam densas tenebras. Ita scias et tu nunc, fili, post præsentes tribulationes cito pacem Ecclesiæ redituram, quod ita evenit. Sisinnius tyrannus post tres menses capitalem suscepit sententiam, et pax Ecclesiæ restaurata est.

* *al.* Gaugericum

Ebroicæ larvas dæmonum ridet ac superat.

C 4 Interea beatus Taurinus monita salutis suscipiens, et Ebroicas adiens, susceptus est a quodam honorabili viro civitatis, nomine Lucio. Prius autem quam appropinquaret portæ civitatis, in tribus se opposuit figmentis contra illum dirus hostis; una in specie ursi, secunda leonis, tertia bubali *a*. Quibus divina virtute superatis, ait ad sathan : O miser, modo assimilaris mutis animantibus, derelicto consortio tui conditoris. Est tibi modo melius, aut aliquod gaudium? Respondit sathan et ait : Quale mihi gaudium erit modo, dum tu huc adveneris potestatem meam evertere cum Deo tuo? Tantum mihi remanserat in hac provincia. Illum * enim qui te huc transmisit, cito faciam interire; et ego ineam tecum singulare certamen. His dictis, nusquam comparuit. Tertia autem die cum Vir Dei in præfati viri domo prædicationem in populo faceret, multique ad fidem convolarent, subito adversarius filiam ejusdem Lucii, nomine Eufrasiam *, vexare cœpit, atque in ignem mersit. Quæ statim mortua est. Et dixit diabolus ad beatum Taurinum : Taurine, inique agis contra me; in omnibus enim tibi adversabor. Sanctus Taurinus respondit : Dominus mihi adjutor est; non timebo, quid faciat mihi homo.

a

* *i. e.* S. Dionysium

* *lege* Euphrasiam

5 Sed dum terror nimius omnes invaderet intolerabilisque Lucius, simulque nescirent, quis cum illo loqueretur, sanctus Taurinus taliter est eos allocutus : O filii, nolite timere. Si credere volueritis in Dominum meum Jesum Christum, cujus ego sum famulus, mox videbitis filiam vestram resurgere. Qui omnes pari voce consenserunt, se ita esse facturos. Tunc beatus Taurinus cum suis in orationibus positus diutissime oravit. Post finitam vero orationem cum omnes respondissent : Amen : infusus lacrymis, tenens manum ejus, dixit : Eufrasia, in nomine Domini mei Jesu Christi surge. Quæ statim surrexit; et nullum signum adustionis in ea apparuit. Videntes populi prostraverunt se ad pedes ejus, et cœperunt ab eo auxilium Domini imprecari, et ut subveniret perditæ civitati. Baptizati sunt autem illa die centum viginti homines, octo cæci illuminati, et quatuor muti sanati, aliæque virtutes non modico patratæ. Tunc advocans populum, interrogavit, cui Deo voluissent servire. Qui dixerunt : Si quis est, qui alium Deum adorare voluerit, nisi illum, quem tu prædicas, et in cujus virtute fecisti Eufrasiam exsurgere, vivus incendatur.

D

Mortuam suscitans, multos convertit:

E

diabolo e simulacris ejecto,

6 Sanctus autem Taurinus hæc audiens, agens gratias Deo dixit ad populum : Eamus ad deam vestram. Intrantes autem fanum Dianæ, dixit Taurinus : Ecce dea vestra; rogate illam ut adjuvet vos. Sacerdotes autem prostrati cœperunt clamare, dicentes : Sancta Diana, invictissima dea et regina cœli, vindica nos et te de malefico isto. Dæmon vero, qui intus latebat, dixit : Cessate, miseri, cessate me invocare : ex quo enim Vir iste, servus Dei altissimi ingressus est hanc civitem, ego catenis igneis religatus teneor, nec auderem loqui nisi ipse jussisset. Et ait Vir sanctus : Vultis Dianæ deæ vestræ servire, quam frater ejus Jovis accepit in conjugium quod nefarium est in omnibus legibus Romanis *b*; aut Deo qui fecit cœlum et terram et omnia, quæ in eis sunt? Et respondentes omnes populi una voce dixerunt : Unus est Deus vivus, qui fecit cœlum et terram, et non est alter; et illi volumus deinceps servire, in cujus nomine tu fecisti Eufrasiam exsurgere.

b

fanisque purgatis, Deodatum aliosque Christo lucratur:

7 Tunc beatus Taurinus dixit ad illos : Vultis videre deam vestram? Et ait ad dæmonem : In nomine Jesu Christi exi de simulacro, dæmon iniquitatis, ut videant te, qualis sis. Et, ecce, apparuit Æthiops niger sicut fuligo, barbam habens prolixam et scintillas igneas ex ore emittens; F stetitque ante illos, et ait ad beatum Taurinum : Quando huc advenisti, arbitratus sum te superare et interficere; nunc autem invaluisti, et fortior me es; quia Deus tuus te defendit; cum multis enim habui conflictum, et nullus sicut tu me superavit. Nunc autem quia vicisti precor, ne ante tempus jubeas me in abyssum mitti. Videntes populi hanc effigiem, timentes prostraverunt se ante pedes Sancti Dei, obsecrantes ut ab hac bestia mortifera eos liberaret. Quos benigne consolatus est, dicens : Nolite pavere, fidem habete tantummodo. Et, ecce, Angelus Domini advenit, splendens ut sol, omnibusque cernentibus, a templo, ligatis manibus a dorso, eum abduxit. Videntes autem omnes cœperunt clamare : Adjuva, sancte Taurine. Et baptizati sunt illa die duo millia virorum. Infirmus autem vix remansit, qui tunc non curaretur. Inter quos ego Deodatus credidi, frater Eufrasiæ, et baptizatus, ab ipso susceptus sum a fonte. Postea vero ad honorem presbyterii ab ipso sum promotus. Tunc expurgavit templum Dianæ omni spurcitia idolorum et consecravit illud in honorem sanctæ Dei Genitri-

cis

A cis Mariæ c. Tunc cœpit circumquaque idola destruere, et ecclesias Christo consecrare, diœcesim omnem circuire, canonice ordinare, hospitilitatem in omnibus construere.

persecutores quoque miraculis vincit:

8 Sed antiquus hostis, invidus bonitatis, suscitavit quemdam præfectum, Licinium nomine adversus illum. Interea erant duo magi Cambises et Zaraa, qui fuerant sacerdotes templi Dianæ; qui concitaverunt viginti discipulos suos, ut eum interficerent. Quos cernens Vir Dei a longe, cognovit nequitiam illorum porrexitque illis signum crucis; et illi steterunt illo in loco fixi. Et ait ad illos : Quid statis? Facite, quod jussum est vobis. Sin autem, abite si vultis. Ut autem cognoverunt se solutos, ceciderunt ad pedes ejus imprecantes baptismum consequi immortale. Qui statim catechizavit * eos. Videntes autem magi, sua figmenta deludi, propriis se interemerunt cultris; ut sermo divinus adimpleretur : Qui parat fratri suo foveam, ipse prior incidet in eam. Audiens interea *Licinius* beati Viri famam, Gysaico villa d eum sibi præsentari fecit. Qui cum traheretur, obviam habuit virum paralyticum, sororemque ejus cæcam, surdam et mutam; accepitque aquam et B benedixit, ac perfudit eos. Qui mox adepti sunt sanitatem. Carnifices autem, qui eum trahebant, crediderunt in Domino.

* al. baptizavit

ANNOTATA

a *Breviarium Ebroic. ad hunc diem, postquam docuit, hæc vera fuisse animalia, sed per dæmones in Sanctum agitata, de Taurino suddit :* Animantia illa sibi subjecit; ita ut bubalo cornu inusitatæ magnitudinis detraxerit, quod usque ad hæc tempora ad rei memoriam in monasterio sancti Taurini apud Ebroicas servatur et ostenditur. *Miror equidem non minus, hæc ibi legi, quam nusquam alibi, ne apud Deodatum quidem.*

b *Hæc et alia rescidisse suspicamur Vincentium Bellovacensem in Speculo hist. lib. 10, cap. 34, et Mombritium, tanquam indigno scriptore, qui seculo æræ Christianæ primo, ex patre idololatra Romæ sit natus. Sed leguntur omnino in Ms. codice Gigniacensi, in Mss. Accincti monasterii, et Vallis Lucentis, et Corneoli, et Cartusiæ Divionensis, et Rubeæ Vallis, et Vetustissimo tandem etiam codice nostro ✠ Ms. 84 : ut plane* C *existimemus ejusdem hæc esse biographi, cujus tota est historia.*

c *De hoc templo ita Breviar. Ebroic. ad diem* XII *Aug. :* Quod etiam hodie nominatur ecclesia sanctæ Mariæ rotundæ, ob formam quam sub idolo gerebat. In ea adhuc rotunda cathedram episcopalem Taurinus collocavit, ubi diu mansit. Sed alia ampliori exstructa ecclesia in laudem et memoriam ejusdem Virginis, in istam postea cathedra episcopalis translata est.

d Gysaico villa. *In Breviario Ebroicensi anni 1587 ad diem* XII *Augusti appellatur* villa agri Ebroicensis, nomine Gisiacum, *additurque de illa paulo inferius :* Et ad hoc usque tempus in villa Gisiaca duravit corylus, renascentibus a radice per successionem virgultis, quæ nuces inanes ac sine nucleo producit : quod accidisse narrant incolæ ex eo, quod de illa corylo cæsus fuerit beatus Taurinus, vel ad illam alligatus, cum cæderetur.

Ex mss.

CAPUT II.

Ejus flagellatio; conversio judicis aliorumque per miracula maxima; Sancti obitus et sepultura, plena prodigiis.

Interrogatur a judice Licinio.

Mox autem ut vidit eum Lucinius consul ait : Unde es, inveterata canicies? Beatus Taurinus respondit : Patre sum Romanus, matre vero Græcus. Lucinius dixit : Quod est nomen patris tui et matris tuæ? Taurinus respondit : Genitor meus Tarquinus, mater mea Euticia vocatur. Licinius dixit : Quantum temporis est, ex quo fugisti patrem tuum? Meus etenim avus fuit. Taurinus respondit : Non fugi; sed, patre meo Jesu Christo rogante, huc adveni. Licinius dixit : Qui vocaris? Respondit Taurinus : A nativitate Taurinus, fide tamen Christianus. Licinius dixit : Propter hanc E dementiam ante sex annos occidi jussi matrem tuam. Sanctus Taurinus audiens, matrem suam coronatam martyrio, ait : Gratias ago tibi, Domine, quia matrem meam ante me recipere voluisti. Licinius dixit : Quem Deum adoras? Taurinus respondit : Stulte, nonne dixi tibi, quia servus sum Conditoris cœli et terræ? Audiens autem Licinius, se illudi, ait : Consule senectuti tuæ et adora deos invictissimos : miror enim de tam nobili progenie, unde es genitus, quomodo ad tantam dementiam pervenisti. Taurinus dixit : Non est dementia; sed Domini mei Jesu Christi misericordia. Licinius dixit : Noli vana loqui, sed adora deos meos. Dixit vero Taurinus : Ubi sunt dii tui? Licinius dixit : Adsunt in præsenti. Taurinus dixit : Quomodo isti vocantur? Licinius dixit : Aureus Jovis, argenteus Mercurius. Et Taurinus : Quis fecit ista simulacra? Licinius respondit : Ego jussi facere. Ait Taurinus : Quare non ambulant, sicut tu? Dic mihi, quis te fecit? Respondit Licinius : Deus meus. Ad hæc Taurinus dixit : Nonne dixisti antea, quia tu eum fieri rogasti? Utquid eum inclusum tenes in scrinio, si factor tuus est? Nonne te debet ille F potius custodire?

cæditur virgis: convertuntur carnifices et Leonilla.

10 Audiens itaque suam Licinius irrideri insaniam, jussit eum nudum virgis cædi. Cumque persecuteretur, ait : Domine, respice in me, et miserere mei jam senis. Et facta est vox ad eum : Noli timere, famule meus, quia tecum sum. Statim autem aruerunt manus carnificum. Leonilla vero, uxor Licinii, dixit monita a Spiritu sancto, adhuc tamen pagana : Nonne antea, Domine meus, dixisti, quia pater istius Senis avus tuus fuit? Cur tam ferreum habes pectus, ut consobrinum tuum tam pessime jubeas flagellari? Ille vero ira accensus, dixit ad illam : Et tu maga effecta es? Per salutem deorum, quia easdem pœnas similiter patieris. Cum ergo illa traheretur, dixit : Serve Dei, si potes, adjuva me, et ego credam in Deum tuum. Sanctus Taurinus dixit : Noli timere; nihil mali sustinebis. Dum hæc agerentur, nuntius venit, dicens, mortuum filium ejus esse, et unum armigerum illius : venationem enim exercentes circa castellum Alerci veloci cursu præcipitati interierant. Quod audiens Licinius omnisque exercitus ejus, nimia astrictus angustia, jussit laxari uxorem. Quæ veniens, cecidit

cidit

Ex mss.

cidit ad pedes Licinii, dicens : Precor, domine, ut credamus in Deum Taurini, et reviviscat filius noster.

suscitatur Marinus, Licinii filius, et baptizatur

11 Et Licinius jussit eum sibi præsentari, cui et dixit : Canities veternosa, potes mihi per tuas artes magicas resuscitare filium meum? Audierat enim, unum mortuum ab eo resuscitatum. Taurinus dixit : Deus meus dixit : Omnia possibilia sunt credenti. Tu ergo tantum fidem habe, et mox recipies filium tuum. Ubi vero in fide est verbis confirmatus, dixit beatus Taurinus : Pergamus omnes ad civitatem. Intrantes autem ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, prostraverunt se omnes in orationem. Et dum ab oratione surgerent, venerunt ad corpora defunctorum. Elevans autem beatus Taurinus oculos ad cœlum, dixit : Domine, ut credat populus iste, quod Filius tuus est Dominus Jesus Christus, et ipse est salvator mundi, et dedisti ei potestatem omnis carnis, qui dixit discipulis suis : Omnia quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, fient vobis, in ejus nomine precor, ut surgat puer iste Marinus. Apprehendit autem manum ejus, et protinus exsurgens B quasi a somno, excussit a facie sua pulverem pariter quoque et sanguinem : procidensque ad pedes ejus, deprecatus est, sibi dari immortale baptismatis sacramentum, ut sibi fuerat ab Angelo imperatum. Quod ita factum est.

una cum parentibus etc. : suscitatur Paschasius

12 Surgens autem a fonte, ait ad patrem : Heu pater, nescis, quam miseram vitam ducimus, quantasque pro hac nostri similes suscipient pœnas, et quanta gloria est his, qui diligunt et serviunt illi Deo, quem colit vir iste consobrinus noster. Vidi eum inter angelicos choros interesse, et pro nobis deprecari. Cumque hæc et alia his similia de vita æterna prædicaret, Licinius et uxor ejus, omnesque optimates procidentes ad pedes ejus, postulaverunt, sibi dari sacri baptismatis donum. Et baptizati sunt in illa die mille ducenti viri. Marinus autem postravit se ad pedes ejus, et dixit : Vir Dei altissimi, resuscita armigerum meum, ne remaneat in pœnis, in quibus ego dereliqui eum. Et ait beatus Taurinus : Bene postulas, fili : erit enim tibi * bonus nuntius. Et ait beatus Taurinus ad omnem populum : Oremus fratres ad Dominum, ut reddat nobis mortuum istum. C Omnes autem prostrati in oratione, clamabant, dicentes : Exaudi, Deus noster, Famulum tuum. Postquam autem surrexerunt, dicentes, Amen, convertit se beatus Vir ad corpus, et ait : O juvenis Paschasi, in nomine Jesu Christi surge. Qui statim et velut e somno surgens, ait ad beatum Virum : Magnas sustinebam pœnas, Vir sancte, quando nuntius venit ab Altissimo, me ad te reduci *. Et ait ad seniorem suum Marinum : In die qua albas deposueris, mandat tibi ille, qui me huc adduxit, ut ad eum redeas. Qui mox levi febre corripitur, et secundum mandatum octavo die mortuus est. Videntes autem Paschasium quoque resuscitatum, fide jam firmati, in secunda die penitus nihil * remansit, qui tunc ibidem aderant de illa parœcia, qui non convaleret ad baptismum Christi Jesu. Jam vero Gallia omnis ejus florebat eloquio.

Sanctus ex Angelo discit diem obitus sui

13 Interea dum hæc agerentur, et omnis plebs esset ovans, zabulus * inimicus veritatis iterum vastissimam * Orientalem contra Gallos concitavit hostem. Cum vero certius compererunt Galli, se casuros, nec ullo modo quivissent resistere, omnes unanimes ad Viri Dei confugerunt auxilium. Vir autem Dei triduanum illico indixit jejunium. Quo peracto, dixit ad eum Angelus Domini : Gratias age Creatori tuo; quia animas tantummodo D impetrasti. Locus vero iste defectus erit usque ad longum tempus; sed iterum in melius reformabitur. Tu vero octavo die recepies coronam a Domino laboris tui. Quod ita factum est. Mane autem facto, et convocato in ecclesia populo, nuntiavit illis, quid sibi Dominus ostendere dignatus esset. Audiens autem populus, valde perterritus est; sed Vir Dei blande consolabatur eos. Populus vero ait ad eum : Scimus, quia Vir Domini es : dic ergo nobis, quis ibit nobiscum, et ad quam partem fugiemus? Respondit beatus Taurinus : Nolite diffidere; properate Romam, et nuntiate beato Papæ Sixto diem exitus mei, si adhuc non est martyrio coronatus. Ego autem Deodatus filiolus ejus jam edideram unum libellum de sanctis et bonis operibus ejus et de libris quos exposuerat : mirabilis enim doctor fuit.

moritur circumfusus angelis : a

14 Longum autem est enarrare, quomodo ivimus cum illo *a* Romam; quomodo matrem suam ibidem honorifice sepelivit; quomodo etiam Licinius simul cum uxore sua pro nomine Christi gloriose coronam sunt adepti, et quomodo, accepta benedictione Sixti, remeavimus ad propria. Quæ E omnia in libello superius memorato inveniuntur. Ut autem advenit dies Dominica, affuit omnis populus in ecclesia secundum consuetudinem. Vir autem Dei post expleta Missarum solemnia ait ad omnem populum : Fratres, quinta die huc omnes congregamini. Postera igitur luce, quinta feria, affuimus in ecclesia omnes. Interea exortus est luctus intolerabilis de excessu Patris. Ipse vero, inchoato Officio et ex more peracto, consolatus est populum vehementer, et prædixit eis multa futura, quæ postea probavimus : et post multa prædicationis verba, residens in sede episcopali, benedixit nobis dicens : Abite, filioli mei, in pace : Dominus autem Jesus Christus erit vobiscum. Nos vero prospicientes ad eum, vidimus subito circa altare innumerabilem multitudinem hominum candidatorum. Et audita est vox dicentium ab omnibus : Veni nobiscum, sancte Dei Taurine, qui multas pro Dei amore sustinuisti passiones : et intra in gaudium Domini tui. Testor Deum *b*, non me laudans; quasi unus ad cœlum me vidi esse (nescio tamen, quomodo) in ejus obsequiis. Mox autem ut facta est vox, tam densa nebula implevit domum, ut nullus ibidem potuisset F comparem suum aspicere. Transacto vero quasi unius horæ spatio, recessit odorifera nebula, et apparuit sedens in sede episcopali quasi orans, extensas manus oculosque habens versos ad cœlum.

suos post obitum allocutus, sepelitur, Angelo assistente.

15 Facta autem quæstione in populo, quo in loco sepeliretur, ne ab hostibus potuisset inveniri, deprecati sunt Dominum, ut dignaretur eis ostendere, quid facerent de sanctissimi Viri corpore. Moxque apparuit eis vir honorabilis vultu, candidus velux nix, dicens ad illos : Fratres, sumite corpus Patris vestri, et me præeuntem sequimini. Confidentes autem de visione nihilque hæsitantes, sumpsimus corpus, et exivimus per portam occidentalem, sequentes virum usque ad tertiam partem milliarii ejusdem occidentis, et ibidem vir ille substitit, et ait : Deponite corpus, fratres. Deinde intulit : Habetis mausoleum? Respondimus, nos habere valde optimum *. Conducto itaque mausoleo, semper eodem viro stante nobiscum, fecimus fossam. Cumque ex more, intus posuissemus eum, fletusque et luctus pertingeret quasi usque ad cœlum, erexit se, quasi vivus de fossa, et ait ad nos : Filioli mei, quid hoc

facitis?

* al. sibi

* al. reducere

* pro nullus

* i. e. diabolus

* deest forte gentem

* al. opportunum

A facitis? nolite timere : istum virum audite ; et, inclinato capite, siluit. Nos autem aspicientes ad virum, qui nobiscum erat, quid vellet dicere, ait : Fratres, vos timetis, Patrem vestrum a vobis auferri ab hostibus : non enim erit hoc : ego namque fui custos illius in vita, eroque custos illius in morte ; et ejus memoria multa erit in seculo. Nunc autem civitas ista subvertetur ; sed nullus vestrum peribit. Et postquam omnia consummavimus sepulturæ ornamenta, ait ad nos vir ille, ut credimus, Angelus ejus : Recedite velociter, ne involvamini ab hostibus. A Deo recipietis mercedem laboris vestri, et sit vobis pax. Postea nusquam comparuit. Sed prius dixit : Per longa enim tempora incognitus erit locus iste.

Epilogus auctoris,

16 Ego Deodatus, filiolus ejus, breviter ista percurri consistens Mediolanis civitate apud beatum virum Benedictum, febre detentus. Nos, accepta benedictione angelica, aufugimus timorem gentium ; jam enim hostes imminebant, et appropinquabant. Orate pro me ; quicunque hanc ejus vitæ legeritis paginulam. Ora pro me, Pater B sancte, qui me a fontibus sacris suscepisti, et in omni fuga mei timoris solatium mihi assis ; et liberer a febribus, tuis sanctis orationibus, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

ANNOTATA.

a. Cum illo, *scilicet* S. Taurino. *Agit ergo non de itinere Romano modo imperato propter instantem vastationem; sed de alio anteriore, sub eodem tamen Sixto Papa, quanquam valde confuse.*

b *Os enimvero durum, si pseudo-Deodatus est; ut ego quidem esse existimo. Itaque annotatis peperci admodum, ne fabulis explicandis tempus insumerem absque operæ pretio.*

HISTORIA

Inventionis ejus primæ ; et eam secutorum miraculorum.

C

Auctore anonymo ; ex eodem codice nostro ✠ Ms. 84, cum aliis Mss. comparato.

B. Laudulfus ep. invento corpori S. Taurini superædificat ecclesiam. a b

Tempore Clotharii regis *a*, dum beatus Laudulfus *b* more solito Ebroicas civitatem pergeret matutinorum solemnia celebrare, audivit Angelorum choros psallentium ac dicentium : Beatissimi Taurini laudanda est hodie festivitas, cujus lingua fulget in Gallia : et nuntiavit suo episcopo Viatori. Sed Viator morte præventus, non potuit invenire eum. Post mortem vero ipsius electus est a populo S. Laudulfus, qui nocte ac die non cessabat supplicare, ut ei Dominus venerabilem ostenderet thesaurum. Vertente autem anno, uno tantum comite secum, perrexit nocte ad locum, ubi in præterito avus audierat voces Angelorum; prostratus autem in oratione, iterum audivit voces psallentium simili modo. Sed ignarus loci, iterum in oratione prostratus, rogavit, ut ei Christus manifestum faceret locum. Inde autem elevans oculos, vidit a terra usque ad cœlum columnam pertingentem, claram velut solem. Qui accepto sarculo fodiens, invenit sacorphagum ; et reperit ibi scriptum : HIC REQUIESCIT BEATUS TAURINUS, PRIMUS EPISCOPUS EBROICÆ CIVITATIS. Require in libello de vita sancti Laudulfi scripto *c*. Tunc desuper ecclesiam ligneam ædificavit in honore beati Martini *d*. Mox sequuntur miracula, quorum istud est primum : Ex MSS. c d

ubi mox plurima accidere miracula : nam cæca visum e f

2 Erat quædam femina ultra Sequanam *e* cæca, quæ vidit hanc visionem, ut in honore illius transmitteret sancto Laudulfo suum horreum novum *f*, ad annonæ scilicet receptionem nuper constructum, unde fabricaret ecclesiam S. Taurini : quod illa mox implere studuit. Statim autem ut carro Sequanam fluvium transierunt, illa proprium lumen recepit. Deinde frequentabatur locus ille ab omnibus vicinis : gaudebant enim plurimum, quia proprii ac primi Patroni corpus repperissent, quo jam dudum fuerant viduati. Siquidem necesse erat, ut juxta quod Angelus in hora sepulturæ ejus prædixerat, locus ille per longa tempora incognitus fieret : quod videlicet ita contigisse refertur. Chunorum *g* namque sævus et innumerabilis exercitus nimis longe in præteritis E temporibus totam propemodum civitatem usque fundamentum destruxerat, cunctasque ecclesias populaverat, ita ut nec jam esset vestigium alicujus ædificii ; et propterea ignotus erat ille locus omni homini ; donec miseratus Dominus, nolens amplius suum desiderabilem thesaurum abscondere, beato, ut dictum est, Laudulfo, longa pro hoc suspiria protrahenti, revelare dignatus est eum. Verum in hoc ipso discrimine gloriosus uterque magnificatur ; cum in laude beati Viri angelicus semel ac bis concentus auditur, columna quoque cœlitus, ubi sanctum corpus sit, demonstratur ; et sanctus Laudulfus inter reliquos ad hanc revelationem dignus esse ostenditur. Jam vero nullus ibi pene veniebat infirmus, qui non rediret sanus, nullus qui votum illic faceret, cui adjutorium non præstitisset, maxime postquam ibidem plurima turba monachorum congregata est *h*, postea semper ejus ibi floruerunt miracula. g h

mutus loquelam obtinent : alia liberatur a serpente, etc. : F

3 Sed ne hoc dixisse tantum videamur, pauca de innumeris referamus, quibus dubitantium fides firmetur, et fastidiosi lectoris tædio parcatur. Erat in pago ipso Ebroicinio regius homo, nomine Herveus, cujus filius, nomine Heldinus, in infirmitate positus, effectus est mutus. Quem dum pater portavit ad corpus sancti Viri et posuit super altare, faciens votum, mox recepit sanum et linguæ officio penitus restitutum.

Alio quoque tempore erat quædam mulier in villa, nomine Lonia, quæ noluit ire cum aliis ad festivitatem sancti Taurini ; sed ivit in campum ligare manipulos. Mox autem insiluit serpens super illam, et circumdedit collum ejus. Illa ejulando, quod antea noluerat spontanea, cucurrit ad ecclesiam invita ; sed tamen pii Patroni clementia non distulit ei subvenire : nam mox ut atrium ingressa est, cecidit serpens et fugit. Ipsa etiam die ostensa sunt plurima miracula, quæ longum est enarrare.

sanantur cæci 10. muti 2, paralytici 4, etc., i

4 Septimo autem regni Caroli *i* anno, advenienté sanctæ festivitatis tempore, adducti sunt decem cæci, et duo muti, quatuor paralytici in carrucis, qui omnes receperunt pristinam sanitatem ; sed unus ex paralyticis miram rem fecit : cum enim non haberet copiam eleemosynarum, sicut erat solitus, iterum in suam intravit carrucam. Qui statim dissolutus est omnibus membris ; adeo ut deterius illi esset, quam antea.

Tertia

Ex mss. Tertia namque die quædam femina a nativitate clauda meritis sancti Taurini fuit erecta.

Alio quoque tempore quidam omnibus illic notus donavit ibi bovem suum meliorem; quem cum filius ipsius hominis vellet mutare, et meliorem illum secum reducere, statim in ponte alto super vicinam aquam constructo cecidit ante eum mortuus : et tunc nec in mercede, qua noluit, nec in usu, quo voluit, eum habere potuit.

Quidam autem homo, Geroinus nomine, dum nollet ire cum aliis ad Missarum solemnia, sed potius staret solus in prato, arreptus est terribiliter a dæmonio. Cum ergo cœpisset clamare, dicens : Sancte Taurine, cur ante tempus incendunt me orationes tuæ ? adductus est ad commune refugium, scilicet ecclesiam sancti Taurini. Quo cum per octo dies debacchando staret coactus, ubi videlicet noluerat modico solemnis diei spatio persistere voluntarius, demum pio miserante patrono, sibimet est restitutus.

item surda et muta, cæca, clauda.

5 Item alia vice quædam femina, nomine Romana, quæ cum esset muta et surda, primo a beato Taurino fuerat curata, intravit in hortum colligere herbas; quas cum incauta discerperet, B subito in manu a serpente percutitur. Cum itaque jam tota intumesceret, ac de humano, vicina morte, suffragio desperaret, ad expertum pii Patroni recurrit auxilium; et dum se ante lectum *k* sancti Viri prosterneret, illico, ut vidimus omnes, per ipsum serpentis morsum cœpit decurrere venenum; membris vero, quæ nimio tumore succreverant, sensim medificatis, pristinæ saluti reparatur.

Deinde Aldetrudis alia femina, surda, cæca, et muta nativitate, omnibusque vicinis ab infantia nota, dum die Dominica Missarum solemnia ageremus *l*, a S. Taurino mirabiliter est curata.

Item vidi mulierem quamdam, nomine Veranam, cum ibidem clauda advenisset, post tertiam diem sanitati restitui. Sed quia eadem ipsa miracula in infirmis vicissim sibi succedentibus pene semper replicantur, per singulas personas, non sunt necessario referenda : hoc potius attendendum est, quia isdem noster Patronus ad hoc beneficia quæsita corporibus visibiliter exhibet, ut de his, quæ animabus invisibiliter tribuit, fidem C simplicem certificet; et si illa interdum cessare contingat, ista tamen nunquam fidelibus denegantur.

Corpore Laudosum translato, ibi sanantur claudus, et ægri 2

6 Jam vero cum, sicut a Domino prædictum est, iniquitas abundavit, et caritas multorum refrixit, adeo peccata incolarum concreverunt, ut tota illa regio inhabitabilis esse videatur *m*; et corpus beati Taurini apud Laudosum Arvernensis provinciæ honorabilem vicum translatum est *n*. Sed nec ibidem oblitus est consuetudinis suæ, supplices videlicet exaudire, et miraculis etiam supplicandi affectum accendere : nam erat ibi claudus quidam a nativitate, qui et Germanus vocabatur : is cum ecclesiam, ubi sanctum corpus est, frequentaret undecimo Kalend. Decembris, omnibus attonitis, qui aderant, propriis gressibus firmatus est.

Alius autem ipso laborans incommodo, ut in prædicto Germano virtutem hujus Patroni expertus est, cœpit attente jam devotior supplicare, quatenus eum sancti Viri clementia similiter respicere dignaretur, nec fefellit eum spes sua : quinta namque die postquam illud actum fuerat, exauditus et integræ sanitati est restitutus. Vocatur autem idem homo Aigulfus.

In festivitate vero SS. Apostolorum Petri et Pauli, quæ est III Kal. Julii, quidam, Helfridu D nomine, cum teneretur simili incommodo, non dissimili est donatus beneficio : ipse enim suæ reparatus est saluti; et omnes, qui ad festum convenerant, de sui novelli Patroni visitatione non mediocriter rediere consolati *o*.

imo et bos et equus.

7 Erat quidam homo in monasterio sanctæ Crucis *p*, qui bovem simpliciter comparavit; sed non a simplici : quem diligentius contuens cum uxore, cognovit, quia esset cæcus. Uxor vero ejus cœpit eum vehementer increpare; et improperabat ei, quod dissipasset ipsorum paupertatem. Ille verba impatientis conjugis patienter ferre : tum (ut semper simplicitas de divina solet pietate præsumere) cepit candelam, qua posset caput ipsius bovis cingere, et portavit eam ad beati Viri ecclesiam. Reversus autem domum, reperit bovem sanum. Sic beatus Taurinus fideli homini bovem illuminavit, quem nuper * infideli totum exstinxit.

** supranum, 4*

Alius, nomine Gisloinus, habebat equum optimum : qui dum cœpisset injuriari *q*, et nullis cum valeret remediis erigere, sed mox speraret illum mori, venit ei subito ad mentem quo sanctum E Taurinum pro eo supplicaret. Fecit ergo candelam, ac eum cinxit, et beato Viro eam transmisit. Nec distulit ei pius Patronus etiam in tali supplicatione subvenire : nam mox ut illa candela perlata est, equus exsilivit sanus.

et apes.

8 In ipso autem tempore erat quidam clericus, nomine Framigarius, cui in eleemosyna datum est unum vas apium; quas dum cerneret mori, transposuit ipsas, quæ remanserant, in aliud vasculum. Accipiens vero ceram, fecit cereum, et transmisit ad sanctum Taurinum. Mira res contigit : nam crastino, Dominica videlicet die, advenit illi unum examen apium, unde magnum postea habuit nutrimentum. Et illud vas ubi moribundas apes collegerat, hyemales occasiones *r* sufficienter evasit. O mirificum debitorem ! Ecce susceptum fœnus et hic præter spem duplicatum restituit, et in futuro mirabiliter restaurabit.

Ista interim sufficiant studiosis, ne fastidium exaggeremus tædiosis. Si quis de his forte dubitat; pro eo scilicet, quod non semper eadem continuari videt, temporum debet extremitatem attendere, quando virtutes Sanctorum oportet cessare : F nam et ipse potens est adhuc similiter, si id nostra fides meruerit, operari. Cæterum nobis hoc unum necesse est, ut ejus præsentiam, quam per miracula interdum exhibitam veneramur, semper spiritaliter supplicibus adesse credamus.

ANNOTATA.

a Tempore Clotharii regis *etc. Videtur hic designari Clotarius II, ab anno 584 rex Suessionensis; ab anno vero 613 usque ad 628 monarcha Galliarum : cum enim Ebroicis sederit Licinius episcopus ultra annum 549, quo interfuit synodo Aurelianensi quintæ; post Licinium autem sederit Viator, inter quem et Ragnericum (qui anno 650 adstitit synodo Cabilonensi) solus apud Sammarthanos intercessit Laudulfus, verisimilius apparet, adscriptam huic inventionem accidisse diu post annum 561, quo decessit Clotarius I, quam ante annum illum.*

b Beatus Laudulfus. *Ita Mss. nostra pleraque; at Breviarium supra memorantum Ebroicensis ecclesiæ* Laudulphum *appellat die* XIII *Augusti, quo ibi colitur officio duplici.*

c *Libellus hic pridem interiit; ut ibidem asserit*

A *rit Breviarium proxime citatum.*

d In honore beati Martini. *Sic omnia Mss. nostra; sed idem Breviarium ad diem* v *Septembris ponit:* In honore sancti Taurini; *ita ut ecclesiam hanc videatur confundere cum illa, de qua hic dicetur num. 2.*

e Sequana *(vulgo* la Seine*) notissimus in Gallia fluvius Normanniam secans, decurrit in mare.*

f Horreum novum; *non* de fructibus quos eo anno in horreo congregaverat; *ut habet Ebroicense Breviarium* v *Septembris.*

g *Id est* Hunnorum, *ut habet Ms. Cluniacense: Ordericus tamen pag. 557,* Nulla, *inquit,* nobis historia prodit, quæ gens illa fuerit, vel unde venerit, sive sub quo principe vel tyranno sævierit. *Pro* Chunis *ergo vel* Hunnis, *malim alios illos credere, de quibus dixi in Comment. num. 15; quam ad Attilam Hunnosque posteriores respicere, quorum vastatio si Ebroicas attigit, nimis deproperata fuisse videtur ac brevis, quam ut Ebroicenses diu patria prohiberet, tantamque induceret religionis ac rerum sacrarum ignorantiam aut oblivionem, ut ne illi quidem sepulcrum Apostoli sui jam nossent amplius, qui* B *illum ante non multos dies tanto numero ac pompa sepelissent.*

h *Hinc patet, cœnobium* S. Taurini *Ebroicense, tametsi valde antiquum, nondum exstitisse circa initia seculi septimi. Ejus primordia refert ad annum circiter 690 Arturus du Monstier in ejusdem descriptione, quam si lubet, consule in Neustria pia a pagina 360.*

i *Intelligo Carolum Calvum, sub quo scripsit auctor et cujus annus regni, si ducatur ab obitu Ludovici Pii, septimus incidit in annum Christi 846 a mense Junio.*

k Lectus *hic significat feretrum, seu thecam in qua Sancti ossa quiescebant. Adi Cangium in Glossario.*

l *Hinc licet colligere, scriptorem huic miraculo non tantum fuisse præsentem; sed unum etiam ex iis fuisse, qui tum ibi Missarum solemnia celebrabant; adeoque monachum ejusdem cœnobii; quod proinde nondum a Normannis eversum erat.*

m *Propter incursationes videlicet Normannorum; ut ex historia sequente planum fiet.*

n *Quid sit* vicus Laudosus, *nondum didici, nec operæ pretium est curiosius investigare; quando* C *satis est novisse provinciam Arverniæ, ad quam pertinuit. Porro translationem hanc auctor sequentis historiæ num. 7 refert ad eam tempestatem, qua securitatis ergo delata fuerunt corpora S. Philiberti abbatis Trinorchium, S. Martini episcopi Turonensis Autissiodorum; quorum hoc attigit asylum suum anno circiter 852; illud post longos circuitus circa annum 875: utrumque sub Carolo Calvo, nondum imperatore.*

o *In variis Mss. hoc loco subjicitur titulus separatus in hæc verba:* Miracula in bestiis, *et:* Miracula, quæ ad hominum fidem in bestiis egit. *Unde sequentia non videntur vel tempore vel loco nectenda cum præcedentibus, tanquam continuata.*

p *Forte cœnobium assignatur Benedictinum, quod appellatur* Crux sancti Leufridi, *secundo ab Ebroicis lapide; de quo Neustria pia a pag. 346.*

q Injuriari *hic est ægrotare; ut ex sensu manifestum est.*

r Hiemales occasiones, *intelligo aeris inclementiam, qualis esse solet in hieme.*

Ex MSS.

HISTORIA

Translationis ejus ad castrum Laudosum, et inde ad cœnobium Gigniacense.

Auctore anonymo, ex Ms. codice Gigniacensi, et aliis Mss.

PROLOGUS AUCTORIS.

Profitetur auctor, vera se scribere.

Qualiter gleba pretiosi corporis, beati Taurini, primi Ebroicæ civitatis episcopi, ad locum, in quo cum omni honore et devotione hodie colitur, pervenerit, brevi quidem, sed veraci stylo explicandum dignum duximus. Non est voluntatis nostræ aliquid falsitatis huic opusculo interserere; sed famam, quæ ex relatione seniorum per successionem E generationum et per revolutionem temporum ad nos usque manavit *a*, ad posteros dirigere: est enim adeo frequens et assidua in ore omnium accolarum regionis illius, ut parum temporis emensum videatur, quo facta dignoscatur. Unde major fides audientibus adhibetur, cum nulla potuerit antiquitate dierum oblivioni commendari. Honesta quidem res est, et omni homini religionem profitenti conveniens, ea dicere, quæ vera esse creduntur: e contrario impudens et periculosa, ea asserere, quæ dubia existimantur, multoque melius est silere, salva conscientia, quam loqui contra conscientiam. Non eget prædictus Confessor, qui jam in veritate consistit, falsitate aliqua, et * quasi vera gloria, quam jam suscepit, ei non sufficiat, falsis laudibus attolli opus habet. Tanti est veritas, ut nulla vetustate possit infirma esse, nec falsitas aliqua novitate stabilis permanere. Sed jam ad rem, de qua tractandum proposuimus, dimissa verborum lascivia *b*, Deo juvante, perveniamus.

* l. nec

ANNOTATA.

a *Per hæc et similia satis indicat auctor, se* F *valde diu scripsisse post ea, quæ mox narraturus est.*

b Lascivia, *id est, superflua copia.*

CAPUT I.

Ebroicenses corpus S. Taurini sui pridem ad Arvernos translatum, clam inde surripientes, deferunt usque Gigniacum.

Normanni, Rollonem

Tempore, quo cunctarum rerum Dispositor habitatores Neustriæ provinciæ judicio suo, semper quidem justo, sed non semper manifesto, delere voluit, suscitavit gentem, ab extremis et frigidis partibus, scilicet a plaga aquilonari. Illa vero diu inhabitans insulam, quæ dicitur Norweja *a*, et pertæsa assidui lactis et carnium, quæ ad victum quotidianum habebat, ariditatem naturalem

Ex MSS.

turalem meliori conditione et fœcundiori mutare, salubre elegit. Confidens in magnitudine brachii sui et spem ponens in rege suo, qui Rollo *b* vocabatur, pauperrimis et sterilibus finibus suis in spiritu vehementi præsumpsit egredi, et fortissimum regnum Francorum, quod omni fœcunditate et jucunditate gloriatur, tentavit aggredi. Prædictus vero rex illius tam contrarius erat religioni, quam privatus omni bona voluntate : non enim in Christo regeneratus, infidelitatis tenebris obcæcabatur, et verum lumen, quod Christus est, infirmis oculis aspicere non poterat : rationi obvius, naturæ contrarius, paganitatis legibus obstrictus tenebatur ; ita ut multos deos crederet, et eos in diversis simulacris adoraret : unum verum et æternum blasphemabat, et ejus jugum suave et leve ferre detrectabat. Tantus erat illi fervor circa culturam dæmoniorum, quanta animositas cordis.

2 Et quoniam superbia et avaritia oculos ejus *sicuti regem,* exobcæcaverant, inter sanctum et profanum, inter malum et bonum discernere non poterat. Gloriam autem suam in ore hominum, non in Deo, nec in bona conscientia posuerat et in humani B cruoris effusione gloriabatur. Denique mores humanos exuens, et belluinos induens, belluam vivebat. Nihil commune cum hominibus habebat, propter naturam, quam adeo pravis operibus corruperat, ut vix aliquid de homine præter effigiem sibi retineret : fas, nefasque confundebat, et, ut tantummodo ferocitatem animi sui expleret, intentus erat. Ille vero, gentis suæ voluntate cognita, consilio inito, navigium præparat, omni armatura munitus. Barbara gens et more bestiali vivens, quamvis et natura rationalis, et fere usu irrationabilis esset, tamen regem suum ubique locorum se secuturam promittit, et marinis et terrenis laboribus propter amorem ejus, ac si in verba ejus jurasset, sese exponit. Et quia nec voluntatem nec spem repatriandi habebant, de omni supellectili sua nil relinqui faciunt, quin uxores parvulosque eorum secum adducant. Sic classibus diligenter præparatis, fortunæ maris se committunt.

3 Cumque diu per mare latum et spatiosum na- *occupatæ Neustriæ* vigarent, aspirantibus prosperis ventis, ad provinciam Rothomagensem, quæ tunc Neustria vocabatur, C appulerunt. Videntes vero regionem vicinitate maris et silvarum opacitate idoneam, placuit in oculis eorum, et eam sibi in perpetuam mansionem elegerunt. Habitatores illius alios in ore gladii occiderunt, alios diversorum genere tormentorum affecerunt ; quicunque vero præsidio fugæ evadere potuerunt, feliciores se reputarunt, quam si Crœsi opes acquisissent : quanto enim vita plus diligitur, tanto magis mors timetur. Tantus terror circumjacentes provincias affecit, ut publice in processionibus et Missarum solemniis devotus clerus et humilis populus corde et voce ad Dominum clamarent : A gladio Normannorum libera nos, Domine.

4 Prædictus vero tyrannus, communicato con- *nomen indidere Normanniæ,* silio cum primatibus suis, antiquum nomen provinciæ illi mutavit, et novum imposuit : antea quippe Neustria vocabatur, et compositum nomen, scilicet Normanniam, adinvenit : est enim compositum nomen ex man, quod verbum dicitur homo, et Norweia, quæ est remotissima insula. Normannia, secundum interpretationem nominis, patria est hominum qui de Norweia venerunt ; Normannus, de Norweia homo. Et tunc mutatum est antiquum nomen, et novum impositum. Gens illa pluribus bellis assueta, et arte

D decipiendi edocta, tam gladio quam astutia provinciam illam sibi adquisivit, et adquisitam usque hodie possidet *c*. A facie illius totum nobile Francorum regnum expavit, et, ut superius prælibavimus, divinum auxilium (quoniam humanum non sufficiebat) cum gemitu et lacrymis implo ravit.

5 Translata sunt illis diebus multa corpora Sanctorum ; et ne ab illis occuparentur, ad remotissima loca sunt delata. Inter quæ corpus pretiosi confessoris Philiberti, abbatis de Gemetico *d* in Burgundia, videlicet in pago Cabilonensi, ad locum qui dicitur Trinorchium * (qui locus in margine regni et super Ararim fluvium situs est) est delatum ; ubi cum magno honore nec dissimili devotione a fidelibus populis usque hodie adoratur, et humiliter se petentibus suffragatur. Corpus vero summi et incomparabilis antistitis Martini Turonensis, causa timoris Normannorum ad basilicam beati Germani Autisiodorensis tam salubriter, quam humiliter a viris probatæ religionis invectum est. Cumque juxta pretiosa pignora beati Germani collocaretur, non est silentio prætereundum, quantum qualeve miraculum ibi per eum E Dominus operari dignatus est, ad declarandum meritum sui confessoris.

Horum metu translata sunt corpora SS. Philiberti et Martini.

* vernacule Tournus

6 Leprosus quidam horribilis aspectu, carne ulcerosus, anhelitu fœtidus, voce susurrans, turbas adstantium irrumpens, per terram dissoluta membra trahens, non timens multitudinem hominum ; sed esperans, posse se consequi salutem, in medio sportellarum *e*, quæ pretiosa corpora prædictorum duorum Confessorum continebant, se dedit, Martinum corde, Martinum ore invocans. Martini præsto sibi sensit adesse auxilium. Quod dictu mirabile est, et relatu jocundissimum, in ictu oculi, videntibus adstantibus populis, leprosus ille mediam partem corporis sui exuit, et decorem induit, acsi nunquam infirmitatis illius nævo attactus fuisset. Reliqua pars corporis, quæ proxima erat glebæ beati Germani, infirmitatis propriæ medelam nullam sensit. Videres hominem tanquam divisum ac biformem. Biformis re vera erat, quia ex parte candidus et quasi lacteus, ex parte elephantiosus et sordidus. Detulit in hoc facto hospiti suo beatus Germanus, volens, ut Martini virtus ibi sola operaretur, nec ipse cooperaretur. Poterat et ipse, ut credimus, si vellet, vel si fides credentis exposceret, non solum F partem quamlibet hominis, nec unum quemlibet hominem, sed multos ab omni infirmitate liberare, et pristinæ et restituere sanitati. Leprosus suspiriis et lacrymis insistens, cum sibi beati Germani suffragium deesse videret, ad Martini totum se contulit [et] adjuvantibus fidem illius fidelium circumadstantium orationibus, sanitatem per beatum Martinum inceptam consequitur, et alteratus ab illis qui venerant *, non extra turbas, sed cum turba regreditur, magnificans Deum, qui tam mirabilis est in Sanctis suis, et laudans Martinum, qui nunquam est deficiens in bonis operibus suis.

(cujus hic miraculum narratur) ;

* *f.* ab illo, qui venerat,

7 Ea tempestate quidam de ordine cleri, perfectæ fidei pleni, religione locupletati, operibus bonis insignes, mira devotione circa sanctissimum confessorem Taurinum ferventes, corpus illius, omni sibi thesauro carius, in loculo gestatorio decentissime ornato posuerunt, et cum eo Aquilini confessoris *f* pignora, qui post eum Ebroicensem rexit ecclesiam, collocaverunt, Florentiæ quoque virginis *g* corpus cum his duobus confessoribus compositæ condiderunt. Intentio eorum erat,

uti et SS. Taurini, Aquilini, et Florentiæ

A erat ut sanctum Dei a canibus et margaritæ omni pretio pretiosiores a porcis, id est Normannis, [non] conculcarentur. Et quanto vehementiori amore circa prædictos Sanctos Dei detinebantur, tanto meliori studio ad eos conservandos accingebantur.

quæ in Arverniam delata, ibi diu miraculis claruerunt;

8 Ut igitur omnino securi essent, omnino a vicinitate illius provinciæ recedere, commodum duxerunt: quanto enim quis plus timet, tanto longius fugere, securum ducit. Multum timens, nusquam securus est: qui autem nihil timet, ubique tutus manet: vix timenti securitas, vix securo timor ingeritur.

Prædicti heroes, et sibi et corporibus Sanctorum providentes, non solum longe a Normannia, sed etiam extra Franciam exire, et intra Arverniæ provinciam, ut in Vita prædicti Confessoris *h* scriptum est, apud Laudosum honorabile castrum, ubi nullus timor, nulla mentio Normannorum habebatur, abire utile crediderunt, et maxime, quia episcopus *i* Ebroicæ civitatis, qui corpora præfata secum fugitando ferebat, indigena ejusdem provinciæ esse videbatur. Ibi itaque corpora San-
B ctorum post mortem prædicti episcopi, miraculis coruscantia per multa annorum curricula permanserunt.

donec Ebroicences k

9 Sed postquam miseratione divina, terra Normanniæ ad pacem deducta est *k*, et cultus fidei christianitatis ibi abundavit, [ut] compererunt pro certo accolæ Ebroicæ civitatis, quod proprii ac primi Patroni corpore cum aliis pignoribus Sanctorum diu per longa tempora essent viduati, mærore nimio non immerito afficiebantur. Qua de re consilio inter se habito, tres clericos elegerunt, quos magis in tota illa patria astutia et calliditate imbutos esse arbitrati sunt. Hos in provincia Arverniensi direxerunt, quatenus corpora Sanctorum sæpe dicta quoquo modo inde asportare, et ad proprium locum (quia vi non poterant) furtim tentarent reducere. Qui venientes apud jam dictum castrum Laudosum, quasi discendi gratia diu ibi permanserunt, et omnes ibidem manentes, et maxime canonicos, qui ibi Deo serviebant, ad amorem sui in tantum provocaverunt; ut unum ex ipsis, qui in litteris et in omnibus, quæ ad seculum pertinent, eruditus esse videbantur,
C canonicum efficerent. Et postea ecclesiæ, in qua corpora jam dicta recondita erant, custodem constituerunt. Exinde tres clerici solliciti inter se disponere cœperunt, qualiter hoc, pro quo venerant, ad effectum perducerent.

eo inde furtim sublata, Gigniacum usque abstulere.

10 Tandem nocte quadam in ecclesiam ingressi, ad cancellos, ubi corpora Sanctorum manere diligenter didicerant, accedentes, et eos contingentes, invenerunt tria corpora, licet in uno loco, tamen sigillatim posita: nam duo in sacculis de corio optime et diligenter consutis, et tertium in serico sacculo de pallio Constantinopolitano *l* positos * invenerunt. In quo tertio invenerunt titulum: HIC REQUIESCIT BEATUS TAURINUS, PRIMUS EBROICÆ CIVITATIS EPISCOPUS: quod etiam in sarcofago ipsius, tempore suæ revelationis, scriptum repertum est. Hæc videntes, inæstimabili gaudio sunt repleti, et singula corpora in singulis portellis, quas diligenter ad hæc præparaverant, mittentes, unusquisque eorum onus suave ac multum sibi leve super colla imponentes, quo celerius potuerunt, de ipsa villa et patria intempestive noctis silentio recesserunt: et ne ab insequentibus comprehenderentur, iter Normanniam tendens reliquentes, ad ortum solis, ubi nemo eos pergere æstimaret, iter arripuerunt, magis in nocte, quam in die pergentes, et hoc non sine magno timore, et inter fortissima montuosa loca Burgundiæ, in quibus nullus timor, nulla mentio Normannorum habebatur *m*, abire velle crediderunt. Cumque piscosum fluvium, qui dicitur Arar, qui nunc temporis dividit regnum ab imperio Romanorum *n*, transissent, Deo annuente, ad locum qui vocatur Gigniacus, attigerunt.

* *f.* posita

Ex mss.

ANNOTATA.

a *Norvegia quidem insula non est; sed hic forte insula dicitur, quia maxima ex parte mari cingitur. Sunt etiam qui eam latius accipiunt, cum de Normannis agunt, prout totam videlicet Scandiam includit; quæ quidem ipsa peninsula tantum est; tametsi olim credita et nuncupata passim insula sit.*

b *Imo vero diu Normanni ante Rollonem, qui anno demum Christi 875 primum ad Gallias appulit, Neustriam aliasque provincias infestare identidem cœperant, puta ab initio seculi noni; ut ostendit Pagius in Critica Baronii tom III.* E

c *Hinc sequi videtur, ut auctor scripserit ante annum Christi 1202 vel sequentem; quo Normanniam possidere per se denuo cœperunt Galliæ reges.*

d *De* S. Philiberto abbate *agendum erit cum Romano Martyrologio ad diem 20 hujus mensis.*

e Sportella, *vel potius* portella, *ut in eodem apographo æque infra diserte scribitur num. 10, hic manifesto hierothecam significat, in qua quiescant et circumferri possint lipsana Sanctorum. Cæterum videri potest hoc idem prodigium descriptum a S. Odone in Bibliotheca Cluniacensi col. 119 et seq.*

f *Colitur S. Aquilinus ep. Ebroic. die 19 Octobris, quo discutienda erunt ejus Acta; quantumvis aliis diebus ac mensibus eum celebrent Ebroicenses, puta 15 Februarii, et 18 Julii.*

g *Ecqua sit hæc* S. Florentia virgo, *prorsus ignoramus. In Breviario Ebroicensi nulla ejus memoria. Gratum fecerit, qui majorem nobis illius suggesserit notitiam.*

h *Non video, quis hic esse possit* prædictus Confessor, *nisi vel* S. Taurinus *vel S. Aquilonus. Atqui in horum Vita nulla fit mentio hujus translationis; nisi forte ad Vitam* S. Taurini *pertinere quis velit Historiam inventionis ejus, quam Vitæ subjecimus. Sic ergo hunc locum intellige, licet minus accuratum ac proprium.* F

i *Guntbertus, opinor, qui per ea tempora vixit, ut ostendunt Sammarthani in episcopis Ebroicensibus.*

k *Puta post annum Christi 912, quo Rollo cum suis de sacro fonte susceptus, dein per se ac successores religionem Catholicam et restituere et promovere impense cœpit in ea Neustriæ parte, quam armis primum, deinde solemni pacto obtinebat.*

l De pallio Constantinopolitano. *Erat olim pallium, seu pannus, seu tela serica Constantinopolitana, sive imperialis in usu ac pretio, etiam ad ornatus ecclesiasticos; ut vide apud Cangium in Glossario ad voces* Panni imperiales.

m In quibus nullus timor etc. *Sensus videtur hic esse, illac eos ivisse, ne ullam cuipiam suspicionem injicerent, sese e Normannia venisse, aut eo cum recuperata, quam gestabant, præda sacra reverti.*

n *Sic venerabilis Petrus abbas Cluniacensis, qui decessit anno Christi 1158 ineunte, etiam*

Ex mss.

scribit lib. 2 de Miraculis cap. 1... In finibus regni Francorum, quod a Teutonicorum, vel Romanorum imperio Arar fluvius, a Lotharingia sumens initium, Rhodanusque, in mare Mediterraneum habens profluxum, disterminat. *Vide Bibliothecam Cluniacensem col. 1299.*

CAPUT II.

Iidem triplici miraculo moti corpus illud abbati Gigniacensi tradunt.

Gigniaci abbas tum erat Berno, vir tam sanctus, a b

In loco illo Berno abbas *a*, vir geminæ nobilitatis, corporis et mentis luce conspicuus, basilicam in honore beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et habitationes Ordini monastico congruenter ædificabat *b*. Ille plus abbatem operibus, quam verbis ostendebat; plus re, quam voce officium B abbatis gerebat. Nihil illi de monacho superbia usurpabat; de abbate negligentia nihil illi auferebat : monachus vita, opere abbas erat; et quia multarum virtutum charismate plenus erat, ut lumen super candelabrum et civitas supra montem sita erat. Multum personam illius humilitas quæ monachalis habitus ornamentum est, commendabat. Vigilantia circa gregem sibi commissum nomen ei bonum in vita præsenti (quod melius est, quam divitiæ multæ) et mercedem bonam in æterna patria acquirebat. Et sicut præibat, aliis dignitate, sic præcellebat operatione. Primus ad omne bonum, tanquam aries dominicus, gregem ovium per diversa bonorum operum exercitia post se trahebat. Tanta gravitate, quæ abbati congruit, plenus erat, ut nullus dubitaret, qui videret, ipsum esse pastorem gregis.

ut miretur auctor ipse publicum non esse decretum;

12 Tanto zelo religionis fervebat, ut Heliam vel Phinees in resecandis vitiis referret. Adeo misericordiæ visceribus circa pœnitentes affluebat, ut sanctum Nicolaum pene redoleret. Quanto itaque erga delinquentes austerus erat, tanto benignus circa emendatos. Unde austeritate misericors, C et misericordia non remissa pene hominem excedebat : sic itaque quos auctoritate Christo lucrifacere non poterat, misericordia competenti ad Christum revocabat. His duobus modis nullam ovem in ovili suo positam aberrare sinebat. Evolabat Francia ad ejus magisterium : virtutum ipsius insignia Anglia odorabatur : Burgundia pendebat ad ejus arbitrium, et manum suam ferulæ ejus ponebat : Alemannia mirabatur sub ejus fama, quæ longe major erat re, quam opinione : Italia, nutrix sapientum, sapentiam illius audire desiderabat; et omnia alia regna Bernonem sui temporis decorem et honorem affirmabant. Unde mirum videtur, quid causæ exstiterit, cum opus et nomen sanctitatis habuerit, quod, ut festum ejus in terra celebretur, non obtinuit *c*. Multos inferiores in humanitate, patientia, religione, et aliarum virtutum dotibus legimus, quorum festa celebramus : si enim propter merita et bona opera quis sanctus efficitur, profecto cum magni apud Deum meriti, et apud homines præclari nominis Berno sit, non immerito sanctus putatur.

c

et unus plurimis præfectus olim cœnobiis.

13 Unde sub dispositione sua, dum mundanum militem indueret *, multa monasteria regenda, susceperat; videlicet Cluniacum monasterium, tunc propter sui exordium tenue et exiguum, nunc propter sui religionem et monastici Ordinis rigorem omnium monasteriorum monasterium; sicut D enim oleum omnibus liquoribus supereminet, sic et ipsum omnibus locis Religionis disciplinæ regularis observantia, hospitalitatis gratia, prærogativa charitatis, et copioso numero Fratrum excellit : Balmense quoque, quod, peccatis habitantium exigentibus, sæpe destructum, divina miseratione sæpe constructum constat : Etiense * etiam, quod, decrescente religione, post ejus obitum decrevit et ad pristinam dignitatem resurgere minime potuit. Fuerunt alia servo Dei monasteria commissa, quorum longum est revolvere seriem; et qualiter postea permanserunt, non est præsentis temporis ostendere. Hæc et his similia omittentes; cœptum prosequamur iter, et quod proposuimus Deo auctore, compleamus.

* *l.* exueret

* *seu* Æthiense

Ex hoc loco cum ter ita discessissent mane bajuli nostri,

14 Gigniaci locus, ad quem corpora prædictorum sunt evecta Sanctorum, situs est inter Lugdunensem provinciam, quæ primas est Galliarum, et Bisuntinam, quæ nobilis est inter provincias Cisalpinas : ibi namque uterque archiepiscopatus, Lugdunensis et Vesuntiensis, finem facientes, ter- E minum, quem de jure transgredi non possunt, præfixerunt. Locus ille positione sua decorus, aquarum et fontium meatu jocundus, opacitate circumpositarum sylvarum amœnus, pratorum ridentium colore delectabilis, clementia aeri saluber Religioni colendæ idoneus erat, et est, Deoque propitio, semper erit. In eo bajulatores pretiosorum corporum, prima die adventus sui, in domo cujusdam pauperis hominis jocundam invenientes requiem, noctem illam feliciter transegerunt. Mane autem facto, valedicentes hospiti suo, et omnia prospera loco imprecantes, ipsumque omni benedictione prosequentes, tota die ambulantes, adveniente crepusculo, ad domum, de qua exierant, sunt reversi, [et] credentes, se errasse, et ob hoc rectam viam prætermisisse, errorem, qui in humanis actibus plerumque versatur, detestari cœperunt. Dominus domus pauper, sed dives bona voluntate, non timens fures, quia non habebat unde posset exspoliari, eos nontanquam hospites et advenas, sed tanquam cives et domesticos gratanter recepit. Cumque pro sua facultate, eis tam devotum quam gratum exhibuisset convivium quietem noctis in eodem, quo prius, eis paravit loco.

F

ut post insumptos itineri dies singulos,

15 Reficientes itaque somno artus, factoque mane, de lecto surgentes, qua pergere deberent, omni diligentia inquisierunt. Auditis regionum vocabulis et terrarum proprietatibus, diem totam frustra ambulando consumpserunt: quoniam, eo advesperascente, ante fores jam dictæ domus se positos invenerunt. Attoniti autem, et ultra quam dici posset, admirantes, valde timuerunt : jam voluntatem Sanctorum, quorum corpora gestabant, aliquantulum suspicantes, non tamen plene agnoscentes, velle eos ibi requiescere, crediderunt. Pauper hospes eis obviam procedens, repletus gaudio, En, inquit, benedicti a Domino, gratias Deo et vobis, quia ad hospitium meum iterum diverti dignati estis. Non privabor benedictione; quia gratanter volui vos suscipere. Benefecit mihi Dominus, quia recepi vos; melius mihi faciet, quia diligo vos. Modicæ opes meæ non sunt propter vos attenuatæ, sed augmentatæ. Panem, quem vobis dedi, Dominus mihi reddidit; et ditior sum hac hora, quam qua ad me intrastis. Videor mihi videre, quod Dominus est vobiscum, quoniam in adventu vestro mihi et rebus meis alacritas et sospitas provenit. Quæso, manete mecum, quot diebus vobis placuerit, et

ego

A ego vobis comitabor, et ducam ad locum optatum. Forte gestatis aliquid pretiosi, de quo tam salutifer odor emanat, qui pro intellectu meo omnium specierum vires exsuperat; cui etiam cum tanto timore et reverentia astatis. Si vero aliquid vobis timori est, in me tutam reperietis fidem, si me secreti vestri conscium efficere dignemini. Non, inquiunt, o hospes; ibi non timemus, ubi non est timor; quin potius de Domini misericordia præsumentes; qui de remotis partibus per diversa pericula nos cum salute conducens, ad locum quem optamus perducet, cras discedemus, tibique et hæredibus tuis vicem amoris et servitii rependere desiderabimus.

16 Recedente nocte, et aurora prævia, die adveniente, invocato nomine Salvatoris, et signo crucis frontibus suis imposito, confidentes in patrocinio Sanctorum, quorum deferebant corpora, viam arripiunt. Quid plura? A mane usque ad vesperam, arreptem viam carpentes, post crepusculum in atriolo prædicti hospitis sui, non sine admiratione se translatos viderunt. Jam eis res aperte claruit; et quod Sancti Dei, quorum secum habebant corpora, locum illum, in quo requiescerent, elegerunt, pro repetitione trinæ reversionis suæ ad domum, quasi per ostensionem trini miraculi, eis innotuit. Revera miraculum erat: utpote insolitam et contra cursum naturæ exhibitum, ut tribus diebus iter agentes, non possent a domo sæpe dicta elongari.

præter mentem vesperi semper ad idem hospitium consisterent.

B

17 Interrogant, quis esset locus ille quo nomine censeretur abbas, cujusmodi bonitas et perfecto in grege sibi commisso esse crederetur. Respondetur eis, quod ad placitum impositoris locus ille Gigniacus appellaretur; mirumque, si ipsi soli Bernonem abbatem non agnoscerent, cujus fama et religio fere ubique terrarum nota erat; adjunctumque est, quod sicut sol illuminat terram, sic ipse sua sapientia et religione totam illuminaret patriam, vixque ei secundum in universa morum honestate posse reperiri. Monachi ejus, similes angelis, in terra corpore positi, cœlum mente inhabitabant; nil eis commune cum hominibus, nisi natura: internis perfecti, externis irreprehensibiles erant; Christum in corde habebant, Christum in ore sonabant, Christum ostendebant in opere; terrena omnia respuebant et tanquam lutum platearum calcabant; hominis vires in vigilando, in jejunando, in orando transierant; Regulam sancti Benedicti, quam professi erant, ad unguem servabant: in melius operando quidam illorum magnarum virtutum pleni præcepta regulæ transcendebant, adjicientes sibi ad laborem, tanquam eis non sufficeret Regulæ observantia: orationibus eorum inclinabatur Dominus, insensibilia obediebant elementa; cum ad preces eorum pluviæ diffunderentur, et serenitas rursus pro opportunitate cœlum et terras lætificaret: non esse aliquem tantis criminibus irretitum, qui [ad] jussum et admonitionem eorum non resipisceret, et exemplo eorum sese non castificaret.

Miraculo tam evidente, et loci sanctitate moti.

C

18 Cum hæc et his similia longeque majora, quæ veritas approbabat, super abbate Bernone et monachis ejus, jam dictis bajulatoribus sanctorum corporum a multis ostenderentur, intellexerunt, divina factum voluntate, ut ad locum sine labore et onere venirent, a quo nulla efficacia, nulla possibilitate recedere possent. Accedentes itaque ad præfatum abbatem, cum omni mansuetudine et humilitate, qui essent, unde venirent, quid gestarent, quomodo detinerentur, seriatim narraverunt. Pater ille, audito, quam impretiabile pretium servis suis Dominus de longinquis regionibus deferri voluisset, repletus gaudio et perfusus ora lacrymis, pectusque pro devotione tundens, erupit in vocem laudis divinæ et cum Psalmista corde et voce exclamavit: Domine Deus virtutum, beati omnes, qui sperant in te; non privabis bonis eos, qui ambulant in æquitate; in secula seculorum laudabunt te. Deinde convocans universum cœtum Fratrum, qualiter eos Dominus in benedictionibus dulcedinis prævenisset, diligenter exponit: perorat tanquam facundus rhetor misericordiam Salvatoris, merita Sanctorum, quorum corpora in præsentia eorum consistebant, voluntatem eorum, cui resisti impossibile erat; pronuntiat, desiderio suo satisfactum orationes eorum divinitus exauditas, cum pretiosas reliquias haberent, sub quarum patrocinio tutam deinceps et quietam agerent vitam. Videbat oves illas Dominicas nova cantica præ lætitia frequentare, insolitam jubilationem ostendere: credebat, eas Spiritu sancto repletas, quoniam magnitudinem earum laudum præferebant, quas humana mens vix capere poterat.

Bernone abbati sacrum hunc thesaurum tradiderunt; qui hoc mirifice lætatus.

Ex MSS.

E

19 Tota villa vertitur in jubilum; felicem locum, felicem patriam proclamat, cui Dominus tam pretiosa corpora Sanctorum suorum largiri dignatus sit; extendit palmas ad cœlum, Salvatoris magnalia laudans, doloris et mœroris deinceps insciam se futuram, pronuntiat. Uterque sexus virorum et mulierum, infantum quoque immaturitas certatim ruunt [in] terram, super quam Sanctorum corpora delata sunt; loculum, in quo continebantur, tam amore, quam veneratione osculantur. Suscipiuntur a devotis Fratribus pretiosæ reliquiæ; ponuntur in ecclesia recens ædificata. Patronus et advocatus loci illius, et tunc usque modo et in æternum beatus Taurinus constituitur.

ecclesiæ suæ patronum perpetuum nuncupat S. Taurinum.

20 Quanta miracula ad declaranda Sanctorum merita divina ibi pietas ostendere dignata sit, non est nostræ facultatis evolvere: si enim diligenter scripta essent, magna volumina complessent, sed quia negligentia in culpa fuit, non sunt annotata nec memoriæ commendata. Postea locus iste a fulgure, a tempestate et peste fuit immunis. Paupercula domus et lignea, in qua Sancti Dei tribus noctibus requieverunt, vix potuit vetustate consumi, cum omnia vetustas consumat. Sæpe in medio flammarum, cum circumpositæ domus arderent, illæsa permansit. Locus ille, qui continuit eos, in signum fuit populorum. Si vir vel mulier irreverenter eum intravit, statim divino judicio correpta pœnas luit: si brutum animal tetigit, cæcitate oculorum, vel infirmitate membrorum divinitus est percussum: plerumque sub obscura nocte visæ sunt candelæ ardere; auditæ sunt voces suavitatis et dulcedinis repletæ. Quod si domus et parvum in ea spatium, in quibus aliquantulum moræ peregerunt sacratissima corpora Sanctorum, id obtinuerunt, ut magnæ reverentiæ habeantur; quid potissimum meretur ecclesia, in qua non solum per tres noctes, nec per tria tempora, sed usque ad finem seculi permanent et permanebunt? Si invisibilia elementa tanta mercede donata sunt, ut eis a rationabili et irrationabili creatura deferatur; quanta donabuntur fidelium mentes, in quibus sanctissimi Confessores per amorem requiescunt, et per bonam voluntatem unum sunt!

innumeris exinde miraculis ibi celebrem.

F

21 Felix, inquam, Gigniacensis ecclesia, quam tria luminaria tanquam splendor firmamenti in cœlesti Jerusalem splendentia illustrant! Beata congrega-

Scriptoris epiphonema.

Ex Mss. gregatio, quam Taurinus, gemma sacerdotum et honor sacerdotii : Aquilinus, gloria populi et laus Dei; Florentia quoque, virginitatis speculum; meritorum suorum radiis decorant, orationum suarum suffragiis ab hostibus aeris et terrenis defendunt, et virtutum suarum charismatibus Christo consociant et similes faciunt? Cui sit gloria in æterna secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De* B. Bernone *actum est ad diem 13 Januarii a pagina 824.*

b *Puta ante annum Christi 895, ut est in Annalibus Benedictinis, tom. III, pag. 272 et sequente, item Galliæ Christianæ tom. IV novissimæ editionis, a columna 218.*

c *Et hinc patet, auctorem recentem non esse: nam præter ea, quæ de festo B. Bernonis loco citato diximus, ad festi antiquitatem facit, quod legitur in Annalibus Benedictinis tom. III, pag. 388 :* In veteri Necrologio Silviniacensi memoratur Idibus Januarii : « Depositio domni Berno- B » nis abbatis » : quo die plenum de eo fiebat Officium, et duodecim pauperes reficiebantur. *Vide tamen etiam Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo 5, pag. 89.*

CIRCUMVECTIO

Ejusdem corporis anno MCLVIII *instituta eamque comitata miracula.*

Auctore anonymo, ex eodem codice et iisdem Mss.

CAPUT I.

C *Circumvectionis occasio, et progressus ad cœnobium Cluniacense.*

Cum Gigniacum universum conflagrasset anno 1158, a

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo, qui primus *a* erat ordinationis domni Hugonis [qui] de humili monacho in magnum abbatem Cluniacensem sublimatus est, villa Gigniacensis, quæ per multa annorum curricula sub protectione sanctissimorum confessorum Taurini, Aquilini, et Deo datæ virginis Florentiæ immunis ab incendio, a peste, et a tempestate fuerat, quam terribilia sint judicia Regis seculorum et rectæ viæ ejus, veris argumentis agnovit. Aquilone namque, vento gelido et sicco, vehementius solito perflante, flamma vorax de scintilla ignis concreta, quamdam domum in eadem villa combussit, et inde globatim erumpens, a læva et a sinistra parte et ante sitas domos et quæque obvia invenit, in favillam et cinerem redegit. Officinæ monachorum, inibi nocte et die devote Deo et servientum, quæ Religioni incolendæ plurimum idoneæ erant, similem sententiam destructionis susceperunt, et pœnas divinæ permissioni aut voluntati dederunt; et quæ prius erant ad honorem et decorem habitantium, versæ sunt in stuporem et dolorem intuentium. Sic pariter villa cum officinis in vastitatem tanquam eremi redactis, habitatores earum nimia tristitia affecti sunt, et tanquam spe vitæ amissa, quid facto opus eis esset, quid consilii inirent, nesciebant. D

visum est circumferre corpus S. Taurini ad regiones circumjectas;

2 Fuerunt inter eos quidam magnæ fidei, quorum forsitan corda Deus inspiratione sua sic tetigit, ut profiterentur, super tanta calamitate ad suffragia sancti Taurini debere conversum iri : noverant enim ab ejus pietate multa sibi beneficia præstita, multaque solatia in visceribus misericordiæ ejus reposita; possibile esse ut tanti Patroni meritis ipsa villa et officinæ Fratrum a præsenti possent resurgere ruina, et ad priorem vel meliorem statum revocari. Unde in commune decernunt, ut unicum suum refugium, beatum videlicet Taurinum, qui per crebra miracula, plurima eis contulerat beneficia, votis sedulis adirent, et tanquam dormientem precibus sedulis et orationibus continuis excitarent. Placet omnibus, quod communis dictat oratio, et Sanctum Dei per regiones circum positas deferendum, dignum E credunt; ut devotio credentium augeretur, et infirmorum cura ac medela proveniret. Hac igitur spe ducti, nec seducti Fratres, quibus nulla nota suspicionis inerat, quibus honestas reverentiam comparabat, de multis paucos quosdam eligunt, quos tam sancto operi præponunt. Illi purificantes conscientiam confessione, et tegentes, siqua eis inhæserant, reprehensionis pœnitentia, capsam, in qua sanctissima pignora continentur, suscipiunt.

ut Cluniacum, ubi magnifice suscipitur, b

3 Egressi villa sine magno pondere per loca meticulosa et periculosa sine timore et periculo Cluniacum usque veniunt *b*. Domnus abbas Hugo, vir satis humilis in oculis suis, comperto adventu gloriosi Confessoris, exsultat in Domino : præcipit totam villam obviam procedere; monasterium Cluniacum, quo vix in terra pretiosus et speciosus inveniri potest, omni studio, omnibus ornamentis suis adornari; venerabilem Conventum Fratrum, quo vix usquam terrarum major vel religiosior videri potest, diligenter præparari, et ad suscipiendum corpus gloriosissimi Confessoris corde et corpore aptari. Fit lætitia insolita in F populo, fit gaudium spirituale in Conventu illo venerando; ipse abbas, sicut prior erat dignitate, ita prior egreditur ordine, et, subsequente toto conventu extra portam monasterii cum crucibus argenteis et thuribulis aureis, summa cum devotione capsam suscipit. Frater, qui officium præcentoris habebat, Antiphonam imponit, et cum melodia suavi cordis et oris super altare sanctæ crucis, capsa ipsa imponitur. Populus villæ in unum coadunatus, et in amorem beati Confessoris conglutinatus, non apparuit vacuus in conspectu illius, sed pro sua quisque facultate et voluntate devotam ei obtulit oblationem; illis vero, quibus copia offerendi non affuit, bona voluntas, qua Deo nihil carius immolatur, non defuit.

moxque femina, animo et corpore inutilis sanatur,

4 Erat in eadem villa quædam mulier, quæ, obtenebrata mentis ratione, solam effigiem hominis exprimebat. Nihil ei memoriæ, nihil ingenii inerat : sensum et censum suum in omnibus membris suis et officinis amiserat : destituta erat officio linguæ, et sicut nec audire, ita nec loqui poterat : cætera membra decore naturæ carebant, et id, ad quod facta fuerant, facere non poterant. Horribile erat videre mulierem, naturam mulieris retinentem, et vitiis membrorum effigiem

A giem mulieris vix habentem. Hæc ut monasterium exprimeret *c*, et qua poterat valitudine renitens, invita ante sanctissimum corpus trahitur et deponitur. Infirmitas, qua premebatur, eadem hora adeo eam solito gravius gravare cœpit, ut in conspectu circumadstantium ad humum corrueret, et humi procumbens, tanquam exanimis jaceret. Quidam vero hæc videntes, eam exspirasse et debitum naturæ persolvisse crediderunt. Quid multa? Per merita beati Confessoris, quæ mortua videbatur, viva apparuit, jacens surrexit, infirma sanitatem consecuta est: membra suis officiis restituuntur; vigor naturalis redit; vires suæ animæ recepit, et per corporis instrumenta effectus suos operatur: monstruosa similitudo propellitur; mulier in mulierem reformatur; ægritudines omnes recedunt; salus naturalis naturæ comitatur et mulieri.

mirantibus, quotquot aderant, et accurrebant:

5 Astantes admirantur, et devotis laudibus ac clamoribus magnificant Dei magnalia. Taurinus benedicitur, qui in vita sua mirabilia fecit, et post mortem mirabilius operatur; qui etiam in hoc B tempore, in quo faciem Antichristi præcedit egestas miraculorum, saturitates signorum administrat fidelibus populis. Ad tale, tantumque spectaculum domnus abbas, velocior devotione, quam pede, accurrit; et licet censura monastica et personalis maturitas cursum prohibeat, tamen non potuit sibi imperare, quin aliquantulum curreret: non potuit eum detinere necessitas naturæ, nec gregem sibi commissum, quin jumentis corporum suorum, quæ reficiebant, pabulum subtraherent, et mensam dimitterent, et alius alio velocior et devotior videre magnalia Dei in ecclesia festinarent. Quæritur a cognatis et nobis vicinis mulieribus, quanto tempore hujuscemodi ægritudo eam obsedisset: sciscitatur domnus abbas cum Fratribus, utrum vera, an fictitia invalitudo illa fuisset. Postquam testimonio populi et totius patriæ infirmitatem illam non in voce, nec in similitudine, sed in veritate fuisse domnus abbas et Fratres comprobarunt, erectis oculis et manibus in cœlum, viventi in secula seculorum gloriam et honorem dant, et hymnum, qui TE DEUM LAUDAMUS dicitur, dulci et excelsa melodia in psallendo decurrunt.

item alia mulier cæca;
** i. e. argento obducta*

C 6 In eodem loco quidam clerici, Senonensibus partibus oriundi, quæstum sibi faciebant, deferentes phylacteria, cruces, et brachia deargentea *, quæ referta esse dicebant reliquiis Sanctorum illorum, qui magis favori sunt rusticanæ multitudini et plebeiæ; inter quæ brachium sancti Donati præconabantur manifestis miraculis coruscare. Ad eos itaque mulier quædam lumine oculorum privata se contulerat, sperans consequi salutem per merita Sanctorum, quos deferebant. Cumque aliquantulum temporis ante pignora illa pernoctando peregisset, et dies plures frustra consumpsisset, seque sacris injuriis afflixisset, et sic salute optata non potiretur; melius sperans, et fiducialius præsumens de meritis piissimi Taurini, duce quodam puero, ad ipsum gressus direxit. Sed priusquam propius ad capsam ipsius accessisset, præventa est in munere benedictionis et salutis. Cæcitas ab ea recessit, et sicut illuminata est in corpore, ita et mente: cœpit oculis videre solem corporis, qui habet ortum, et oculis cordis illum, qui nescit occasum: fit ipsa sibimet ductor, quæ antea regebatur ductore; reddit gratias corde summo Salvatori, et ore Taurino, suo curatori: illum in Taurino gloriosum, Taurinum in eo laudabilem prædicat.

Ex MSS. sed quæ perfide ingrata, denuo cæca facta est.

7 Sed quia malorum auctor diabolus, illius fidem odio habebat, et Taurini gloria eum cruciabat, ad fraudis propriæ commenta recurrebat, quibus salutem istius deleret [ac] Taurini nomen obnubilaret. Quod ut callide et more suo machinari posset, mulierem cupidine, et prædictorum clericorum corda replevit invidia: nam Taurino gloriam suam furari, et eam suo sancto Donato injustius comparare volentes, infelicem mulierculam, voluntate instabilem, desiderio vagam (quod proprium est hujuscemodi sexui) verbis decipiunt, promissione corrumpunt, pretio ligant, ut confiteretur, se non a sancto Taurino (quod verum erat:) sed a sancto Donato (quod falsissimum erat) curatam esse. Et confessa est, culpa sua non deficiente, et pœna crescente: nam cæcitas, quæ est privatio visus, cum augmento ad eam rediit, et majori, quam antea, infirmitate cœpit gravari. Fit mulier misera in corpore, afflicta in anima: exterius luit pœnas infidelitatis; interius alteritur flagello malæ conscientiæ. Nil gravius est animæ ad æthera suspiranti, quam pondus malæ conscientiæ.

E *donec agnoscens et benefactorem suum iterato sanata fuit:*

8 Inter corporis dolores et angustias animæ illa misera posita, Deo inspirante, qui constitutos in Babylone sæpe liberat, cœpit facti pœnitere, et pœnitentia ducta, exponit omnibus audientibus, quod a clericis male fuerit seducta; adeo ut pravo consilio inducta, ingrata existeret liberatori suo: merito multum se dedisse pœnarum; dignam fuisse, quæ viva a terra juste deberet absorberi, vel in saxorum duritiem constringi. Spem itaque sibi reponens in misericordia beati Confessoris, ipsum fide adire, caritate deposcere proponit. Propositum suum digno complet effectu: ad Taurinum tota mente, tota virtute conversa, et sanitati antiquæ restituta, ad propria cum gaudio est reversa. Populus villæ admirans quod mirabiliter factum fuerat a Sancto Dei, multis injuriis clericos lacessens, loco eos cedere fecit.

ibidem alii plures variis morbis liberati sunt.

9 Alia mulier fide et corpore ad eum accessit, quæ digniorem partem sui amiserat, scilicet caput, propter incurabilem infirmitatem ipsius. Quæ infirmitas, cum a medicis curari non posset, per Taurinum, medicum animarum, sine expensis et medicinis velociter curata est. Illa peplum, quo F mulier caput ornabat, cum candela offerens, et una tantum nocte vigilans, in mane perfectam sanitatem est adepta.

Frater quidam, nomine Goffredus, cognomine Moret, propter gravem, quam incurrebat, infirmitatem dies in luctu et noctes in mœstitia deducebat, et idcirco diutius durare non poterat, quia requie alterna carebat. Pustulæ crura ejus afficiebant et vitam sibi tædiosam faciebant. Nil ei medicina remedii, nil frequens cura salutis operabatur; sed quod vis humanæ medicinæ ei conferre non poterat, Taurinus curationum potens in momento et in ictu oculi contulit: et sicut dolor omnis ab eo recessit, ita signa infirmitatis nulla apparuerunt. Plures febricitantes, et quatuor caduco morbo dediti, ibi infirmitatem evaserunt.

ANNOTATA.

a *Consentit editionis novissimæ Galliæ Christianæ tom. IV, columna 1440. Sed cur hic pro chronico charactere ponitur abbatis Cluniacensis epocha? Credo, quia scriptor hic vel monachus fuit Cluniacensis, vel Gigniacensis quidem, sed abbati Cluniacensi subjectus: quia cœnobium Gigniacense*

Ex mss.

censè jam tum in prioratum Cluniaco subditum fuerat commutatum.

b *Cluniacum autem ad Graonam fluvium in diœcesi Matisconensi situm ab occasu in orientem distat Gigniaco leucis Gallicis communibus circiter sedecim.*

c *Est hic aliquid vitii. Forte scribi debuit:* Hæc, ne monasterium expeteret *(hoc est, adiret,)* omni, qua poterat, valitudine renitens, *etc.*

CAPUT II.

Ejusdem continuatio Lugdunum usque.

Cluniaco defertur Sancti corpus Matisconem; a

Civitas est in provincia Burgundiæ, quæ Masticus *a* dicitur, cui abundantiam temporalium bonorum situs loci administrat. In illa cum insonuisset jocundus adventus sanctissimi corporis Taurini episcopi, tota obviam procedit : B uterque sexus sacro desiderio succensus, domos exponit; quidquid præ manibus habet, abjicit; urbe egreditur, et qua eum venturum audiebat, campos late replet. Pulsantur campanæ per civitatem; via ruderibus emundatur; aulæis, et tapetis a læva et a dextera vicus adornatur. Suscipitur cum magno honore, et cum majori exsultatione in ecclesia Sancti Petri deponitur. Ad famam miraculorum ejus patria tota commota, plures in grabatis, qui paralytici erant et membrorum omnium habilitatem amiserant, defert. Cumque advenientes tam sanos, quam ægrotos, ecclesia recipere non posset, quisque quomodo potuit accubitum sibi fecit intus et extra.

ubi post sanatos continuo miseros

11 Mulier quædam, quæ et habitum et effigiem mulieris causa infirmitatis fere amiserat, vidente populo, de gestatorio suo surrexit. Ea virtute divina surgente, nervi, qui diu abreviati fuerant et constricti, ita resonare cœperunt, acsi res quælibet solida abrumperetur et scissuram faceret. Deinde membra, quæ per languorem diu arida fuerant et contracta, extensa et splendida [facta] sunt et antiquam dignitatem receperunt. Populus in admirationem conversus, laudes Deo C multiplicare, et Taurino gratias exhibere non differt.

Alia mulier dissimiliter, sed non dissimili infirmitate correpta, salutem corpoream meritis sancti Taurini in eodem loco est adepta.

Quædam alia mulier in eadem infirmitate constituta, sed præ cæteris duabus ejusdem infirmitatis majore dolore afflicta, languorem omnem exuit et sanitatem induit; et sanitate induta, cœpit recte ambulare, Christum laudare, et Taurinum prædicare.

propemodum innumerabiles,

12 O quot in eadem ecclesia tenebris cæcitatis et infidelitatis obscurati, corporale et spirituale lumen receperunt! O quot vitio naturæ, et studio pravæ vitæ, incedere non valentes, aut etiam claudicantes, rectos gressus direxerunt, et in via mandatorum Dei currere cœperunt! Quamplures auditu aurium cordis et corporis privati, utrique sunt restituti. Multi articulata voce et laude cantoris vacantes, discrete loqui et Christum laudare potuerunt. Nonnulli diversis et variis infirmitatibus detenti, diu desideratam sospitatem sunt consecuti. Septem namque de immensa multitudine, quæ divinitus curata est, commendati sunt memoriæ, qui præ nimia ægritudine solam D naturam hominum retinuerant et cætera fere amiserant. Quidam presbyter devotione magna ductus, totum ovile spiritualium ad beatum Taurinum adduxit : in ovili illo multæ erant oves morbidæ, quarum, ut refertur, numerus curatarum fuit quadragenarius.

blasphemus in Sanctum dire punitus interiit.

13 Accidit in eodem loco meritis beati Præsulis stupendum et notandum miraculum. Quidam, qui acquirendi studio male studiosus invigilabat, candelas faciebat de adipe, et ceram quæ debebat offerri beato Taurino, suis usibus male reservabat. Admonitus a quodam convicaneo suo, ut tam pravo operi finem daret, et in Sanctum Dei ne peccaret, salutaribus verbis amici credere noluit, et amabilem correptionem surda aure pertransiens, etiam in injuriam et in blasphemiam egregii Confessoris erupit dicens, non esse vera miracula, quæ ab eo fiebant. Quam blasphemiam ultio divina justa perculit vindicta. Tanquam elinguis effertur : adeo gula ejus intumuit, ut visu humano indignus esset. Delatus ad sacratissima pignora, vinum benedictione sanctificatum nec E recipere nec gustare potuit : et sic indignam ac miserabilem vitam digna et miseranda morte finivit.

Dum inde corpus transfertur Balgiacum, sanatur paralysis. b

14 Ad Balgiacum *b*, nobile castrum, in Lugdunensi diœcesi situm, cum venerandum corpus deferretur, obvius factus est ei quidam æger, membris omnibus dissolutus. Hunc quatuor viri deferebant, et multa turba a dextris et a sinistris et retro eis comitabantur : exhortatur frequens turba, ut in eundo aliquid moræ ineant, in qua spei suæ optata gaudia consequi mereantur. Pratum multiplici colore herbarum vestitum in via erat, et in medio ipsius quercus antiqua, densis foliis et ramis adornata : sub illa devotus clerus et populus genua flectentes ante sanctissimum corpus, antequam ab oratione surgeret, surrexit ægrotus a lectulo, et, tanquam nulla infirmitate affectus fuisset, sanus cœpit stare, alacer currere et gratias Deo et beato Taurino referre. Populus in testimonium præclari miraculi ramos de quercu evellens, et in plures particulas dividens, pro devotione secum portavit, et aliquid sibi profuturum credidit. F

sedatur tempestas aeris,

15 Vigilia sancti Joannis Baptistæ universa plebs prædicti castri annuo de more festivam se paraverat; ecce, subito ventus vehemens excitatur, aer turbatur, facies cœli mutatur, concutiuntur domus crebris coruscationibus, cœlum aperiri, et metuendis fulgoribus terra effodi videtur : fit clamor et tremor per universam villam; extremi judicii metus incutitur : nubes conglobatæ pro pluvia lapides demittunt : hominum alii præ timore ad terram corruunt, alii exsangues et tanquam exanimes efficiuntur : curritur ad sanctissimum corpus, et, ut subveniat, votis omnibus et vocibus expetitur : trahitur summa cum festinatione de ecclesia, et aeri, nubibus, fulgoribus, fulminibus et lapidibus opponitur. O potentia divina! Elementa, quæ insanire videbantur, tranquilla redduntur : aer in serenitatem redit, et mundus statum suum recepit, et omnia ruinæ proxima rident, in semetipsa reversa. Hujus rei tot sufficientes testes emergunt, quot homines in castello et patria illa commorabantur.

ægri convalescunt.

16 Mulier quædam filium suum, vitæ suæ solatium et spei gaudium, ad beatum Taurinum ibi attulit. Ille, ætate puer, affectu et effectu innocens, licet esset speciosus facie, tamen ex majori parte sui corporis aridus erat et nulli officio aptus.

A aptus Mater ejus nihil impossibile credens esse beato Taurino, pervigil ante ipsum tota in oratione nocte stetit, et, finita tam prolixa quam devota oratione, mane ad hospitium suum est reversa. Cumque pro reparatione naturæ aliquid requiei [et] somni sibi indulgeret, puer divinitus curatus, clamare cœpit : Mater, surge, et mecum ad salvatorem meum beatum Taurinum proficiscere. Illa ad vocem pueri excusso somno evigilans, se omni hilaritate, et infantem omni sospitate repletum, omnibus, qui in eodem castro habitabant ostendit. Quot in eadem ecclesia febricitantes sanati fuerunt, quia non magnum aliquid videbatur; non est annotatum nec in scripta redactum.

Apud Canariacum sanantur paralysis

17 A prænominato castro fere sex milliariis burgus quidam Canariacus distabat, qui jure fori proprius est ecclesiæ Cluniacensis. Ad eum cum pervenisset egregius Confessor, mulier quædam, quæ clinica * jacebat, et grabato ostiatim deferebatur, et sic viatico sustentabatur, cœpit convicaneos suos instanti prece interpellare, ut id sibi misericordiæ impenderent, quatenus ad beatum Taurinum, qui strata * publica transibat, se deferrent, a quo voti sui compotem se futuram pro- B ecto credebat. Illi vero, magis suam utilitatem, quam proximi curantes, miseram audire vel exaudire contempserunt. Illa omni humano adjutorio destituta, et in sola Christi pietate constituta, benedictum Confessorem Christi prosequi desiderans, genibus et cubitis morbidum corpus suum laborare faciens, fideliter incœpit quod Sanctus Dei efficaciter perfecit : nam continuo omni infirmitate, quæ paralysis dicitur, deposita, liberatorem suum beatum Taurinum pede prosecuta est et consecuta. In quo opere virtus egregii Confessoris attollenda est, quæ absentibus et longe positis præsens et prope consuevit esse collatis beneficiis.

* i. e. paralytica

aliæque miseriæ

18 Quædam mulier Aula tanto incommodo laborabat, ut omnium membrorum naturali potentia destitueretur; cui ad majorem pœnam accedebat, quod vix aliquo genere vehiculi, nisi plaustro, poterat deferri. Hoc modo ad Sanctum Dei delata, dum Missarum solemnia celebrarentur, sensit vera beati Taurini suffragia : incolumis namque reddita, quid inter ægram et sanam distet, jocundo C cognovit argumento.

Vir quidam passione inaudita afficiebatur, quæ etiam a peritis physicæ artis cognosci non poterat; et quotiescunque tangebat eum, acsi letali vulnere percuteretur, vocem terribilem emittebat. Pulsanti ei ad ostium misericordiæ eximii Confessoris aperta est janua pietatis; et ex tunc et infirmitate caruit et, quemadmodum debuit, siluit.

Rusticus quidam dum de arbore in præceps rueret, in ruendo os humerale de loco suo excussum est. Proinde tantus cruciatus ei inerat, ut mallet mori, quam ita vivere. Visum est ei in somnio, quod beatus Taurinus tactu blandissimo brachium illud tractaret. Evigilans a sopore, infortunium casus et jacturam naturæ meritis eximii Confessoris restauratam invenit.

Apud Novam-Villam contractus erigitur.

19 Apud locum, qui dicitur Nova-Villa, monasterium est sanctimonialium, quæ secundum regulam Sancti Benedicti, et sub cura abbatis sancti Eugendi præteritos decoquere errores, et novos induere mores Deo promiserant; ubi cum beati Viri corpus deferretur, quanta lux miraculorum effulserit, longum est revolvere. Quotquot fere advenerunt, qui salutem corpoream devote quæsierunt, feliciter invenerunt. Quidam tamen inter cæteros, qui contractus erat, ut vulgo dicitur, testimonio populi rectus efficitur.

Ex MSS.

Apud Montem-Bertaldi multi servantur a ruinis.

20 Juxta Ararim fluvium in loco uberi ab antiquo jure fundata est decania Cluniacensis, quæ Mons-Bertaldi dicitur. Ad hanc cum gleba inclyti confessoris Taurini delata fuisset, a monachis inibi Deo militantibus in spiritu jocunditatis et voce exsultationis suscepta est. Cumque super scamnum resedissent qui eam detulerant, præcipua pars domus, scilicet rectum, cecidit. Sed pietas egregii Confessoris a tantis periculis illæsos eos custodivit. Mane facto, frater, qui officium Prioris et nomen gerebat, ut jacturam resarciret, operarios ponit; qui dum incœpto operi certatim incubarent, murus ejusdem domus gravem ruinam fecit. Ad casum illius, qui beatus Taurinus in ore et in corde fuit, sine jactura evasit : duo tamen, qui ejus auxilium non imploraverunt, miserabiliter contriti conciderunt.

Apud Triverium cœca visu donatur.

21 Burgum quemdam novum, Triverium, cum pertransiret beatus Taurinus, obvia facta est quædam mulier lumine oculorum privata : hanc prosequebatur multitudo maxima utriusque sexus. Illa manibus cordis et corporis loculum, in quo sanctissima pignora deferebantur, amplectens, fide et E oratione circumadstantium adjuta, desideratum recepit lumen oculorum.

Apud Lehennacum injuria sacri corporis pœnam.

22 Operæ pretium esse videtur, breviter enarrare, quæ pœna subsecuta sit infidelitatem cujusdam villæ, quæ dicitur Lehennacus; et pœna quod remedium invenit. Habitatores illius, tanquam filii Belial, corda in malum indurata habentes, non solum Sancto Dei debitam reverentiam exhibere noluerunt, sed eum ignominiose a finibus suis exterminarunt : Fratres, honestate refertos, qui eum deferebant, omni genere contumeliarum affecerunt; et comminantes eis, quod non impune fines suos intrassent, et quod pœnas eis juste daturi essent, verbis facta compensare voluerunt. Sed omnipotens Judex, qui et bonis bona, et malis mala quandoque retribuit, indigenis illius vecordis villæ dignam exhibuit retributionem. Tempestas subito exorta, cœli faciem mutavit et obscuram reddidit : turbo vehemens domus concussit et segetes subvertit : lapides de nubibus aeris, tanquam guttæ aquæ distillantes, spicas omnes excusserunt, vineas decorticaverunt et ar- F bores foliis et ramis despoliaverunt.

veneratio veniam attulit.

23 Non potuerunt diffiteri miseri habitores, quin ob injuriam sancti Viri tanta afficerentur calamitate : metuunt, ne sicuti in corporibus dignam sustinuerunt pœnam, ita in animabus æternam sentiant damnationem : credunt, quod ipse, qui tam terribiliter damnat in præsenti, terribilius posset damnare in futuro : de præsenti igitur judicio futurum magis timendum non dubitant : in afflictione corporis et amaritudine animæ positi, ad misericordiam beati Taurini conversum iri, dignum judicant, quam humiliter postulantes, facile invenerunt. In ipso anno, quo, defectu messis, se periclitaturos timuerunt, majorem solito abundantiam in temporibus bonis adepti sunt. Affuit eis tempestas ad terrorem incutiendum, non ad inferendum damnum.

ANNOTATA.

a Masticus, *pro* Matiscus *vel potius* Mastico, *vernacule* Mascon, *sita est ad Ararim fluvium, Lugduno leucis fere duodecim Gallicis.*

b Balgiacum *seu* Balgium, *vulgo* Baugey, *situm est*

Ex mss.

est trans Ararim in Brexia; sed quid opus est hic loca singula persequi, quando ad eumdem omnia tractum pertinent, qui Cluniaco Lugdunum et inde retro Gigniacum ducit?

CAPUT III.

Reditus ad cœnobium Gigniacense.

Lugdunum afflictum recreavit sacri corporis adventus, a

In provincia Burgundiæ supra Rhodanum, rapidissimum et turbulentum fluvium, civitas quædam est fundata, nomine Lugdunum; quæ antiqua dignitate primas est Galliæ. Illi subjectione obedientiæ subditæ sunt *a* tres opulentæ civitates; prima Rothomagensis, quæ caput est provinciæ, quæ, mutato nomine, nunc appellatur Normannia; secunda Turonensis, cui præfuit magnus in oculis Dei Martinus episcopus; tertia Senonensis, B quæ finis dicitur esse Galliæ, et initium Burgundiæ venientibus a mari Britannico. Archiepiscopus prædictæ civitatis *b* et comes Masticonensis Gerardus, expeditione incaute facta, castellum quoddam, quod vocatur Isirus, quod est quasi clavus confixus in oculis civitatis Lugdunensis, eversum iri cupientes, in virtute brachii sui ferro et flammis vehementer aggressi fuerant Dumque totis viribus elaborarent eum * expugnare, duo Comites, Albonerus et Forensis, derepente ab insidiis erumpentes, irruerunt super eos; impetum quorum fere non valentes, castro cesserunt, expugnationi finem fecerunt, ac deinde terga eis dederunt. Illi fugientes velociter insequentes, alios in ore gladii trucidarunt, alios membris mutilaverunt. Hoc audito infortunio, civitas tota et vultum et habitum mutaverat, cui grandis erat materia dolendi, dum alius audiret patrem suum morti traditum; alius fratrem, vel amicum, ad mortem vulneratum, vel aliquo membrorum privatum.

* *Isirum scilicet*

suscitato infante, qui mortuus credebatur,

25 His ita gestis, supervenit corpus beati Taurini, quod dolorum multorum remedium eis fuit. In ipsius adventu spem salutis prædicta civitas concipiens, et in ejus meritis confidens, visa est tanquam a mortuis resurgere et dolorem omnem deponere, C et jocunditatem, quæ floridam reddit ætatem, induere. Erat in ea vir quidam nomine Heldinus, unicum habens filium, in cunabulis tanta infirmitate depressum, ut per quinque dies nec somnum caperet, nec mammillam matris sugere posset. Cumque membra infantilia vitalis calor dereliquisset, vix spiritus tenuissimus in ejus pectore sentiri poterat. Parentes illius infantis de .... eum tanquam ... exposuerant *c*. Nutrix fide et devotione accensa, infantem ad sanctum Taurinum deferendum et reddendum, mente concepit; et quod mente conceperat, melius opere pariens, cum jam mortuus putaretur, obtulit eum beato Viro. Oblatus puer, oculos aperuit; deinde oscitavit; et multum somno indulgens, vagire cœpit et sanus existere, et mammillam matris avide exhaurire. Ad tantum miraculum accurrunt pater et mater et multi vicinorum, laudantes magnalia Dei et magnificantes opera sancti Taurini.

et quinque paralyticis una sanatis.

26 In ecclesia beati Nicetii, in qua sanctissimum corpus honorifice depositum a populo adorabatur, turba mulierum, quæ usque ad quinarium numerum excreverat, in grabatis delata est. Istæ stipem publice a singulis domibus quæsitantes, D vitam morte infeliciorem ducebant: eis namque ariditas omnium membrorum ita dominabatur, ut vix caput erigere, vix digitos manuum possent movere. Cumque diu non frustra præstolarentur misericordiam magni Sacerdotis, eadem hora simul de gestatoriis suis surrexerunt, et recte ambulare cœperunt Ad relationem tantorum miraculorum civitas tota permutatur: fiunt alacres, quos antea nimia tristitia sorbuerat: matronæ, sexus et maturitatis suæ oblitæ, rejectis palliis, ad ecclesiam properant: adolescentulæ teneritudinem ætatis et virgineum pudorem postponentes, demissis discriminalibus capitis sui, citius adolescentibus præcurrunt: senes vitia capillorum suorum detegentes, proprio, non alieno, adminiculo roborati, pedum suorum segnitiem abjiciunt: viri et juvenes in semetipsos impingentes, viam ab invicem frustra occupari causantur: monachi et clerici dissimili induti cultu, simili rapiuntur desiderio: ab omnibus Taurinus prædicatur, a singulis Taurinus laudatur.

In Monte Loelli sanantur innumeri, d

27 A prædicta civitate castrum quoddam, Mons Loelli *d*, non multis millibus distat: hoc positione sua satis jocundum, hinc habet vineas, inde E prata multiplici colore ridentia; proximitas Rhodani fluvii piscium penuriam eum pati non permittit: hoc militaribus viris plenum, et pudicitia dominarum adornatum, dulcem solet præstare advenientibus mansionem: in quo cum venisset inclytus Taurinus, non est facile relatu, quanto studio gens illa se præparavit in occursum ejus; et sicut exterius veste composita, ita interius mente devota occurrit. Ibi tantis miraculis virtus Beati effloruit, ut innumeri a dolore capitis, dentium et lateris liberarentur: nonnulli diversis vitiis corporis deturbati et turbati, speciosam formam receperunt.

Ad fanum S. Christophori sanatur paralysis, punitur blasphemia.

28 In territorio Lugdunensi villa quædam est, vocabulo Sanctus Christophorus, in jurisdictione abbatis Rainberti posita: in ecclesia illius cum quidam fideles, qui advenerant ante benedictum Confessorem, devotas orationes funderent, quædam pars rusticorum villæ, incredulitate adulta et ingrata de Dei bonitate sibi indulta, paralyticum quemdam in ecclesia deposuit, cum voce insultationis et blasphemiæ dicens: Eia, sancte Taurine, qui multos alios curasse probaris, nunc in isto oportet manifestari virtutem tuam. Sed Sanctus F Dei non iniquitatem rusticorum, sed necessitatem male habentis pie propiciens, petitioni ejus non defuit et sanitati eum restituit. Illius vero miseræ plebis miserrimus presbyter indignatione commotus, et frendens insania, detestari cœpit evidens miraculum et affirmare, quod falsum erat, et negare, quod verum esse constabat, rabido ore lacerans *, propria voluntate ægroti, non patrocinio beati Taurini, ipsum ab infirmitate liberatum. Ad hanc vocem intolerabilis eum infirmitas arripuit, et tandiu vexavit, quousque animam ejus de corpore miserabiliter extorsit.

* *f.* blaterans.

Maximiaci mulier quædam longo et miro malo liberatur,

29. In loco, cui Maximiacus nomen est, quædam infirma mulier conversabatur, cujus infirmitatis causam aut originem medici cognoscere non poterant: namque modo mugitus taurorum, modo ululatus luporum, quandoque latratus canum, et alias diversitates inarticulatarum vocum terribiliter proferebat. Deducta fuerat per multa pignora Sanctorum; sed nullus ei subvenerat. Exhibita fuerant ei multa genera medicamentorum; sed nihil remedii consequi poterat. Intellectum est a religiosis et sapientibus viris, miseram misericordissimo Pontifici curandam divinitus reservari;

quod

A quod ita factum est. Denique per suffragia beati Viri terribilium vocum confusionem perdidit, et unam discretam et articulatam vocem, quam competenti silentio frænare posset, recepit, et plenariam sospitatem obtinuit.

Apud Chalamontem sanatur mater cæca cum filiolo;

30 Villæ, cui vocabulum est Chalamont, cum appropiaret Sanctus Dei, universus populus utriusque sexus finibus suis egressus, in occursum ejus procedens, eum cum magna jubilatione recepit, et cum majori honore in sua ecclesia collocavit. Ibi erat quædam mulier conjugali adjutorio viduata, et cæcitate oculorum temporaliter damnata, nil in terris solatii vel spei habens, nisi infantulum solum, unigenitum suum. Ille, in quantum ætas imperfecta et fragilis natura admittebat, genitrici suæ tam fidelem, quam devotum præbebat ducatum: eo duce, pauperrima mater victum quotidianum mendicando adquirebat, et sic suam et filii vitam sustentabat. Accidit, ut puer gravem incurreret infirmitatem, quæ genitricis suæ non sineret eum deinceps esse ductorem. Illa infelix in desperatione vitæ posita, quid ageret, quomodo viveret, penitus ignorabat. Imposuit B autem puerum in humeros suos, et vocem pueri, quæ sola sibi remanserat, ducem suum instituit. Videre erat piam mulierem parvulum bajulantem, et parvulum voce, qua poterat, gressus maternos dirigentem. Id genus vivendi multis diebus non sine multorum creberrimis lacrymis, pietate fusis, exercuit. At ubi comperit, advenisse beatum Taurinum, ad auxilium ejus, quo plurimum indigebat, qualiter potuit, cucurrit; et pius Pater in auxiliando ei occurrit: nam dum januas ecclesiæ ingrederetur, recepit lumen oculorum, et puer vigorem omnium membrorum; sicque mulier videns, et puer sanus redditus, postea sibi ad requiem, populo villæ ad lætitiam, et sancto Taurino vixit ad honorem.

eleemosyna mire restituitur; infecta immunda necantur; cæca videt.

31 Matrona quædam, ætate matura, incessu gravis, clericum habens filium, post mortem viri defuncti in viduitate permanserat: hæc amore sanctissimi Taurini medullitus accensa, dum ad eum raptim abire properat, oblita est secum deferre quod ei offerret. Cui clericus filius obvians, cum a responsione ipsius collegisset, nil secum præter bonam voluntatem gestare, duos de tribus C denariis, quos in privato loculo habebat, sanctissimo Viro in oblatione dandos donavit. Clericus domum reversus, redintegratum numerum suorum denariorum invenit, non sine admiratione sui et multorum, qui audierunt.

Quod gloriosissimus Confessor virgo sit electus a Domino et Agnum, quocunque ierit, sequatur, in hoc probari potest, quod omnem immunditiam et spurcitiam semper deleverit. Inde est, quod, quoties immunda animalia parva et importuna, scilicet muscæ, argenteæ imagini ejus insidebant, toties ad terram mortua corruebant. Nequis vero hæc duo præmissa, quasi nulla, silentio digna judicet, audiat, quod in pictura diligenter elaborata, et multoties repetita, post pretiosos et varios colores, niger sedet. Sic in operibus celeberrimis Confessoris, post præclara et stupenda miracula, quædam non magna placent, et consterni * non debent.

* *forte contemni*

In eadem villa quædam femina propter concubinatum, quo diu cuidam clerico amasio suo male et illicite serviebat, pœnam cæcitatis incurrerat. Remordente eam mala conscientia, qua nullum tormentum gravius est, conversa est ad beatum Taurinum; et dum culpam humiliter ante eum cognoscit, pissimus Pater pœnam ei ignoscit: claritate namque oculorum recepta, spem salutis diu optatæ cum gaudio est adepta. Ex mss.

apud vallem de Curneias sanatur æger.

32 Cum inde ad vallem, quæ dicitur de Curneias, pervenisset reverentissimus Confessor, turba copiosa, quæ ad famam ejus convolarat, fines undique repleverat. In ea erat quidam clericus de villa Gisiaci, quem tanta infirmitas opprimebat, ut impotentiam omnium membrorum pateretur. Et quoniam nulla arte, nulla possibilitate incedere valebat, in gestatorio de virgis intexto a populo vicissim gestabatur. Hic propter ordinem sacrum, quo insignitus erat, et propter magnam fidem, quam habebat, ut apothecam sanctissimi corporis prospexit, sanus surrexit, et tam alacriter, quam constanter ad eum usque perrexit cum admiratione omnium circum adstantium.

Dum in reditu corpus Gigniaco propinquat.

33 Tot igitur regionibus peragratis, et immensis locorum spatiis emensis, paucisque, de multis miraculis factis, in scripto redactis, sanctissimus Confessor ad delectabile habitaculum suum, Gigniacense monasterium, redire cœpit. Ad occursum ejus tota patria, quæ cum gravi molestia absentiam ejus diu sustinuerat, ad duo milliaria prope eodem monasterio, cum conventu Fratrum vestibus albis induto, obvia venit. Erat in E ea quædam muliercula de Burgo Cuiselli, cui continuus languor de muliere, præter naturam, nihil dimiserat: jacebat autem tanquam simulacrum male effigiatum: pedes ejus incessu vacantes, manus, non ad requiem, sed ad infirmitatem, otiosæ erant: cætera membra non ad jocunditatem naturæ, sed ad pœnam mortis, ei inerant: qualiscunque vita ejus morte deterior erat. At vero ubi misera illa juxta odoriferum corpus beati Viri deposita et exposita est, mundissima ossa ejus concussa sunt et contremuerunt; ita ut circumadstantibus magnus timor incuteretur (id namque consuetudinis habebat, quando de illo virtus exire et sanare infirmos volebat).

salutem affert paralyticæ:

34 Per hoc signum grex humillimus monachorum, et devotus populus cognoscens viscera misericordiæ ejus esse commota, sese in oratione cum contritione cordis dedere. Sed priusquam ab oratione surgerent, surrexit mulier a grabato suo, et alterata ab ea, quæ fuerat, sicut corpore ita anima mutata est: corpus recepit diu optatam sanitatem, et anima deposuit, qua gravabatur, tristitiam. Mirantur omnes qui aderant, et nullum F Sanctorum parem vel similem beato Taurino in virtute miraculorum prædicant. Reportatur ad ecclesiam suam cum magna jubilatione sanctissimus Præsul, et in sede sua cum magno honore collocatur; ubi ex tunc magnis et præclaris miraculis coruscare non desistit, ad laudem et gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Jure videlicet primatus; quod quidem jus quid sit, et quam controversum accisumque, breviter indicatur in nuperrima Gallia Christiana tom. IV, pag. 3 et seq.*

b *Erat is Heraclius, inter archiepiscopos Lugdunenses ordine septuagesimus quartus, inter quem et Comitem Forensem, seu Forestensem gravia et sanguinolenta de jurisdictione apud Lugdunenses diu ferbuere dissidia; de quibus obiter Severtius in Archiepiscopis Lugdunensibus pag. 246.*

c *Hasce lituras seu lacunas ita Papebrochius ad marginem supplere conatus est:* Parentes illius [salu-

EX MSS. [salutem] infantis de [-sperantes] eum tanquam [mortuum] exposuerant. Nutrix *etc.*

d *Hinc reditus describitur ab urbe Lugdunensi usque ad Gigniacum. Est autem* Mons-Loelli, *seu potius* Mons-Lupelli, *corrupte in mappis* Montluel, *municipiolum in pago Dumbensi; uti notat Valesius in Notitia Galliarum.* D

DE S. AGILBERTA VIRG.

ABBATISSA JOTRENSI

IN GALLIA

J. B. S.

Brevis notitia de cultu.

SEC. VII. *Certa cultus*

Ad *eum solum et præcipuum hic articulum de* S. Agilbertæ *cultu reducenda est tota hæc disquisitio, cum de cætero vix quidquam de ipsa memoriæ proditum sit., imo ne nomen quidem repererim in ullis classicis Martyrologiis aut Usuardinis additionibus præterquam in Molano ad* XII *hujus :* Jotro monasterio, sanctæ Agilbertæ abbatissæ, *quam ad hunc diem melius retraxit Castellanus in Martyrologio suo universali. Eumdem cultum confirmat Mabillonius tomo II Actorum Ordinis S. Benedicti pag. 487 et 488, atque item in Annalibus tomo I pag. 364 et 456 : sic enim ubique loquitur, ut de* S. Agilbertæ *(quæ et* Aguilberta *et* Agliberta *appellatur) cultu videatur omnino dubitari non posse, tumulos etiam prominentes enumerans in quibus cum S. Theodechilde, prima ibidem abbatissa, Sanctæ aliæ reconditæ sunt, quas inter* S. Agilberta *diserte exprimitur.* B

argumenta. 2 *Indubitatum vero ejusdem rei argumentum prodit idem Mabillonius dum narrat,* Anno seculi decurrentis MDCXXVII illustrissimum D. Cospeanum Lexoviensem episcopum sacras BB. Theodechildis et Agilbertæ reliquias, e tumulis levatas, argenteæ thecæ deauratæ solemniter inclusisse, et cum aliis aliorum Sanctorum ossibus in sanctimonialium basilicam transtulisse. *Porro* S. Agilbertam in Jotro coli XI Augusti *expressissime notat laudatus Mabillonius in Annalibus pag. 456. Atque hoc solum de recepto Sanctæ cultu probandum suscepimus, cum de ejus gestis nil plane compertum sit, non magis quam de ætate aut certo obitus anno. Id unum constare videtur, secundam fuisse post S. Theodechildem Jotrensis cœnobii abbatissam. Cum vero illius obitus a Mabillonio referri videatur ad annum 660, si Sanctæ nostræ viginti regiminis anni tribuantur, ad annum 680 supervixisse dici poterit et forte etiam diutius. Atque hæc sola sunt quæ de* S. Agilberta *tuto prædicantur. Videri potest Bucelini elogium die* XII, *quod hic referendum non censuimus ; præplacet quod habet Saussayus :* C E

Elogium ex Saussayo. 3 In territorio Meldensi, Jotro monasterio, S. Aquilbertæ virginis, ejusdem cœnobii abbatissæ, quæ illustri regum sanguine procreata, patre Abobino, Ptentia matre, sancti Ebregesili gloriosissimi episcopi Meldensis germana, primis virentis ævi annis Christi obsequiis devota, virginitatis florem eidem dedicavit : atque illo in cœnobio facta sub S. Theodechilde monialis, ita se sanctissimis religionis studiis applicuit, ut omnibus exemplar et speculum fieret castissimæ divinorum placitorum observationis. Unde emigrante ad supernas sedes beata ipsa Theodechilde, gubernatrix virginalis sodalitii effecta, largisque a Deo gratiæ perfusionibus inundata, cœtui sibi commisso uberrima charismatum, quibus affluebat, dona verbis et actibus suis influxit; quibus tandem perfecte emensa viam pietatis et justitiæ meritis sanctæ vitæ et administrationis plena, æternam vocante Sponso perrexit ad gloriam. F

DE S. RUSTICULA VIRG. ABBATISSA

ARELATE IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

De cultu, ætate et gestis.

ANNO DCXXXII. *Culta olim XVI Aug.*

Sanctam *hic producimus binomiam, nam et* Marcia *appellatur, seculo septimo celebrem; de qua id mirandum prorsus, quod in nullis classicis Martyrologiis, ipsa multo posterioribus, signata reperiatur, imo nequidem in tam copiosis, quæ dedimus, Usuardi auctariis. Unum hoc de ipsa notarunt Majores nostri in Prætermissis ad* XVI *Maii :* Rusticulæ seu Martiæ abbatissæ translatio indicatur in Ms. Adone Reginæ Sueciæ. Natalis ejus celebratur XVI Augusti. *Eodem die* S. Rusticulam *signavit Ferrarius in Catalogo suo generali;* Arelatæ in Gallia, sanctæ Rusticulæ virginis, *in notula observans, eam se accepisse* ex Tabulis ecclesiæ Arelatensis, ubi hac die, *inquit,* colitur. *Saussayus item in Martyrologio suo Gallicano iisdem plane inhæret vestigiis. Et recte quidem pro eo tempore : nam in Officiis propriis Sanctorum Arelatensis ecclesiæ Avenione excusis anno* MDCXII S. Rusticulæ *festivitas eo die* XVI *Augusti diserte signata reperitur.*

2 *Quæ*

A *nunc proprio natali die celebratur.* 2 *Quæ deinde causa suborta sit, cur in festivitatis die anniversario mutatio fieret, nusquam explicatum invenio; certe in eorumdem Officiorum editione posteriori Parisiensi, anni* MDCLXI, *quæ etiam apud nos exstat, non jam* XVI *refertur* S. Rusticula *sed hac die* XI, *S. Rocho, ut merito suspicari licet, proprio suo natali die in illius locum substituto, ipsaque etiam ad verum obitus diem retracta, cum ex Vita constet postridie festi S. Laurentii accidisse, ut recte signavit Mabillonius seculo II Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ubi prædictam Vitam describit a pag. 139, atque ipsum rectissime imitatus est Castellanus in Martyrologio suo universali, quos proinde et nos hic sequendos putavimus,* de S. Rusticulæ *cultu securissimi, dum tam indubitatis monumentis comprobatur, quibus merito accedere potest insigne ipsius Saussayi elogium, ex quo gratum erit totius vitæ synopsim perspicere. Ita habet, sed die* XVI.

Insigni elogio 3 Ipso die Arelatæ, S. Rusticulæ virginis, quæ apud Vasconenses nobilissima Martiorum familia, eodem die nata est quo pater Valerianus piissimo B fine, stadio carnis excessit. Cumque quinquennis jam venustate corporis eximia niteret, magis vero animi dotibus decora omnium in se affectus traheret, eam Cheraonius Guntrami regis familiaris adhuc tenellam rapiens, sibi connubio jungere voluit. Ad divino nutu e manibus ejus erepta, suadente Siagrio Augustodunensi piissimo episcopo, annuenteque ipso Rege, ad monasterium, quod Arelatæ olim S. Cæsarius sorori suæ Cæsariæ construxerat, religionis cupidatate profecta Liliolæ abbatissæ instituenda traditur: sub cujus disciplina tot caritatis, humilitatis, prudentiæ, patientiæ et benignitatis signa in omnes edidit, ut, defuncta Liliola, eam adhuc octavum decimum ætatis annum agentem sancta illa virginum turma in coryphæam sibi elegerit.

eam ornat 4 Suscepto quo non sine renitentia regimine, talem se omni sollicitudine ac sanctimonia præstitit, qualem S. Cæsarius sororem instituens, matrem cœtus hujus virginalis in omnibus se habere præscripserat. Nam in primis Deo intent asic orationibus et divinæ legis meditationi incubuit, ut Psalterium integrum, et totos sacræ Scripturæ libros memoriter retineret. Vigiliis et jejuniis ita se dedidit, ut tertio tantum quoque die cibum sumeret: reliquis vero C sororibus nocturnis horis, quiescentibus, in ecclesia excubaret, psalmis et orationibus cum lacrymis insistens. Lectum siquidem ad somnum non nisi semel in anno sibi componi permisit. Nihil quod ad Dei cultum et sororum curam spectaret, unquam prætermisit.

Saussayus in Martio. 5 Sed tamen invidia Ricamiri comitis falso accusata, ad Clotarium regem per Nimphidium præfectum Arelatensem vincta deducta est, permultis in itinere editis miraculis: quorum fulgore et evidentia sanctitatis innocens comperta, honorifice, ad suum cœnobium remissa, a sororibus ingenti cum gaudio recepta est, quarum cellas post reditum ampliavit. Multa oratoria itidem in urbe exstruxit, demumque omni ætate in Christi famulatu consummata, plusquam septuagenaria ad cœlestes nuptias immortalitatemque beatam, Christo invitante, perrexit: inque S. Trophimi ecclesia funere glorioso sepulta, dum in feretro deferebatur ægrotantium, qui loculo ejus pio affectu colla summiserunt, languoribus optatam præstitit medelam: atque deinceps perpetuis opitulationis beneficiis, totius civitatis et tractus Arelatensis populorum devotionem sibi devinxit; apud quos hodie sacris honoribus celebris est.

6 *Ad definiendam* S. Rusticulæ *ætatem quod attinet, nulla usquam occurrit difficultas: ex Vita etenim num. 9 constat* Liliolæ, *a qua in virginum cœnobium adoptata fuerat, non multo post defunctæ, in abbatissæ munere successisse, ætatis suæ, quod certe rarissimum est, anno octavo decimo, idque Christi anno* DLXXIV, *ut natam oporteat anno* DLVI. *Cum vero parthenonem sanctissime rexerit annis totis octo et quinquaginta, verissime jam dictum est, septuageneria majorem fuisse dum* ad cœlestes nuptias perrexit; *id quod in Vita num. 30 diserte asseritur* septuagesimum septimum ætatis suæ annum egisse *dum postquam* diabolum adversum se jugiter dimicantem Christi juvamine roborata viriliter triumphasset in terris, ad præmia parata læta evocata est ad cœlos, ut reciperet quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, *postridie festi S. Laurentii anno* DCXXXII. AUCTORE J. B. S. *De ætate non magna disceptatio.*

7 *Neque in ejusdem Sanctæ gestis quidquam reperitur quod longo Commentario opus habeat, totius Vitæ decursum accurate complexus est Florentius presbyter Tricastrinæ seu Tricatrinæ ecclesiæ (quæ est urbs episcopalis sub metropolita Arelatensi* (*Gall.* Trois châteaux) *eamque dedicavit Celsæ abbatissæ, quæ non multo post* S. Rusticulam *monasterii Arelatensis (vulgo* S. Cæsarii *aut* magni monasterii) *regimen susceperat, ut auctor rebus gestis aut synchronus aut certe proximus dici possit. Istius Vitæ bina exemplaria sed mutila inter chartas nostras reperi, aliud plenum, cujus fragmenta varia publicavit V. Cl. Andreas Chesnius tom. I, Histor. Franc., integram vero ex ipsius Chesnii cod. Ms. aliisque apographis edidit Mabillonius, ut jam diximus, tom. II Actorum Ordinis S. Benedicti a pag. 139, ex quo ipsam cum apographo nostro etiam Chesnæo collatam, hic recudi curavimus, necessariis hinc inde observationibus illustratam. Notabile est quod in præfatione testetur auctor, se ea scribere quæ* relatione fideli ipsius Celsæ abbatissæ *et quæ* de virtutibus præfatæ Rusticulæ quidam fideles se simul nosse et vidisse *asserebant, ut de auctoris fide non videatur omnino dubitandum. En modo.* *Vita etiam satis fideliter descripta.* E

VITA

F

Auctore Florentio presbytero Tricastino fere coævo.

ex editione Mabillonii.

Præfatio ad Celsam abbatissam.

Dominæ venerabili in Christo sorori matri gregis, Christo præsule, adgregati, Celsæ abbatissæ Florentius presbyter ecclesiæ civitatis Tricastrinæ * perpetuam in Domino salutem. Merito inter omnes virtutes obedientia sibi vindicat principatum, dum considerata sui possibilitate aliquid imperantibus obsequitur. Patrocinante ergo omnipotentia divina, simulque precibus vestris adjutus, ortum nativitatis sanctæ recordationis dominæ Rusticulæ sive Marciæ, vitæque ejus qualitatem ac primordia, religionis virtutisque, quam gratia divina exercuisse perhibetur, ex ordine prosecutus, in unius libelli opusculo conscriptum sancto cœtui vestro

* de Trois châteaux

A. FLORENTIO.

vestro obtuli lectitans *, unde obsecro, ut pro me vestris orationibus impetretis, ne qui culpam contemptoris fugio, præsumptoris noxam incurram. Sed credo quod orando me implere faciatis quod arripere jubendo fecistis. Nam certissimum est, quia siquid in hoc scribendi studio vituperationis exstiterit, meæ erit audaciæ; vestræ vero orationis, si non evasero culpa, ne aut quidquam surperflue, aut non veraciter dictum esse videatur: cum me noverit id procul dubio indidisse opusculum, quod relatione fideli tu mihi, venerabilis in Christo, scriptis simpliciter ac fideliter indicasti, etiam et quidam fideles de virtutibus præfatæ se simul nosse et vidisse testificatione perspicua narraverunt. Orate ergo, quæso, virgines Christi, ut dum ego auctoritati vestræ pareo, quod ministerium in me obtineri non potest, vestra mereatur intercessione haberi.

* lectitandum

CAPUT I.

B *Prolem unicam religioni destinari per visionem intelligit mater; quinquennis ab aliquo rapta, restituitur. Pisce, et abbatissæ Liliolæ invita matre consignata virtutibus elucet. Facta abbatissa sacris ædificiis cœnobium exornat.*

Vix nata patrem amittit; baptizatur, fuit binomia a

Clarissimis igitur orta natalibus Valeriano et Clementia conjugibus Romanis *a* cultum Christianitatis cum summa veneratione colentibus, commorantibus eisdem in agro Hebocasiaco, qui est situs in territorio Vasconensi, factum est, ut nasceretur eis filius: etenim multo post tempore dedit eis Dominus hanc sacratissimam prolem Rusticulam. Contigit autem ut eadem die qua hæc C nata est, pater ejus de hac luce migraverit. Transactis igitur non plurimis diebus defunctus est et parvulus: postmodum vero mater viduitatis veste contecta, tristitiam quam conjugis amissione vel filii assumpserat, per hanc prolem fœcunditatis suæ utero editam consolabatur. Quam genitrix ad sacri baptismatis undam Christo obtulit sanciendam, eamque in regenerationis fonte ex suo genere Rusticam vocavit; ab omni vero domus familia Marcia nuncupabatur. Erat itaque pulchra facie et eleganti corpore, tanta vero dilectione a notis et amicis vel a domus familia habebatur, tanquam si cœlesti jam sibi gratia condonatam omnes congauderent.

a S. Cæsario in somnis monetur mater de filia Deo sacranda.

3 Quadam igitur nocte cum mater ejus sopori dedita obcubuisset, vidit in exstasi quasi duos pullos columbarum suo affectu enutrire: et unum quidem niveo candore præfulgentem, alium varietatis tegimine tectum. Cumque super eos nimio affectu congauderet, videtur sibi quod domus familia nuntiaret, quod S. Cæsarius urbis Arelatensis episcopus præ foribus adstaret. Quod ita audiens, sanctissimi viri gravisa adventu, in occursum ejus læta properat, atque officiosissime eum salutans, ut ingressu suo benedictionem domui suæ largiretur humili prece poscebat: ingressusque domum benedixit eam. Cumque illa honore D debito deprecaretur, ut eulogias ejus accipere mereretur, dignaretur ipse potum vel cibum capere, hoc ab eo responsum accepit: Dominus tecum sit, filia mea; nam ego ut pullum illum columbarum quem tu dulciter tibi videris enutrire, ut mihi concedas exopto. At illa hæsitans circa semetipsam, cogitabat unde hoc sciret, quod hæc illa apud se haberet, dicens se hujusmodi rem non habere. At ille dixit ad eam: Coram Deo dico, non hinc egrediar, priusquam petitioni meæ satisfacias. Mox illa negare non potuit, sed exhibuit et statim viro sancto obtulit. E[illegible] vero cum magno gaudio apprehendens eum qui nimio candore præfulgebat, ovans pectore suo collocavit et valefaciens abscessit. At illa expergefacta cogitabat intra semetipsam quid hoc esset, et revolvebat in animo suo quare ille, qui defunctus fuerat, sibi apparuisset, ignorans quod famulam suam Christus sponsam sibi eligere adoptaret, qui ait: Non potest civitas abscondi supra montem posita, sed neque accendunt lucernam ut ponant eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. E

Quinquennis rapta, sed restituta Liliolæ abb. committitur.

4. Igitur cum esset hæc virgo annorum quinque, rapta est a quodam viro nobili nomine Cheraonio. Cumque eam ad domum suam perduxisset, genitrici suæ eam obtulit ad enutriendam, ut cum ad legitimam pervenisset ætatem, sibi eam matrimonio copularet. Sed ille qui non dormit neque dormitat in ævo, qui custodit Israel, revelavit Spiritu suo sancto beatissimæ Liliolæ abbatissæ monasterii quod sanctæ recordationis urbis Arelatensis Cæsarius papa fundavit, ut peteret a venerabili Siagrio episcopo * qualiter agere deberet apud gloriosissimum Gonderanum regem, ut intra septa monasterii faceret eam introire. Tunc suprascriptus Cheraonius cum hoc factum comperisset, cœpit multis precibus et muneribus precari, ut illa concederetur ei in matrimonium; sed divina concedente gratia, ita ipsi regi in suo corde largitus est Dominus, ut eam per quemdam abbatem, virum magnæ conversationis, ad Sanctam Liliolam dirigere deberet. Parabat denique jam illam sibi Dominus Christus vas electionis in sanctificationem honoris.

* Æduensi

Piscem miraculo capit, quo multi satiantur.

5 Qualem vero virtutem per eam Dominus, dum adhuc in rudimentis infantiæ esset, ipso in tempore fecerit, intimabo. Igitur adimpletur jussio regis. Venitientibus ergo illis in itinere, cum F applicuissent ad ripam nobilissimi fluminis Rodani, cœperunt secum quærere qui cum ipsa erant, quod alimenta ciborum minime haberent. Sed Dominus qui non privat bonis eos qui ambulant in innocentia, ut eripiat animas eorum a morte et alat eos in fame, ipse per famulam suam tribuit egentibus donum misericordiæ suæ. Dum vero sic ambularet venerabilis puella cum una ex famulabus suis, comperit juxta marginem fluminis piscem miræ magnitudinis, et apprehendens pallium quo induebur, extendit per ora fluminis, captumque eum tenuit fortiter. At ille reluctari cœpit et ad se eam trahere: Domini vero gratia præstitit virtutem famulæ suæ et prædam quam ceperat omni cum velocitate extraxit. Tanta autem fuit magnitudo piscis illius ut omnes qui cum ipsa erant ex eo satiarentur. Et admirantes super hoc factum dicebant: Vere in hoc apparet, quia multas animas ista per verbum Dei capiet et Christo Domino consecrabit.

In monasterium admissa, a matre repetitur

6 Venientibus autem ad civitatem Arelatensem, ubi Pontifex erat illis temporibus Apostolicus vir Sapaudus, introduxerunt eam ad sanctam Liliolam abbatissam: quæ gavisa de adventu ejus, excepit

A cepit illam cum gaudio magno intra septa sancti monasterii *b* : et edocens illam omnem fidei sanctitatem, adgregavit virginibus Christi. Quod factum [ubi] mater ejus comperit, cum nimio dolore et lacrymis mittit ad Pontificem civitatis : et cum magnis precibus atque muneribus ab eo poposcit, ut qualicunque occasione inventa, proprium ei pignus quolibet modo redderetur, hujusmodi preces ad eum dirigens : Miserere, quæso, humilitati meæ, sanctissime pater, et releva afflictam unico pignore orbatam. Adspicio domus facultates, famil[illegible] innumeram multitudinem, et cui hæc derelinquam ignoro. Imple mihi spei meæ fructum. Quis nunc ætatem meam fovebit, unica quam habebam amissa? Quæro sobolem meam, et non invenio : ubi curram, ubi divertam, ignoro. Precor beatitudinis gratiam et per Deum obtestor, ut miserearis mihi tam intolerabili dolore percussæ et viduitati meæ unicam filiam jubeas reddi. Ad hæc vir Deo plenus talia remandat : Nobilitati tuæ quolibet voto obtemperare cupio, sed divini nominis præceptum transgredi non audeo. Opes quas tu ei dare promittis, momentaneo fine transeunt : divitiæ vero quæ ipsi a
B Christo patefactæ sunt, perpetuis gaudiis perfruuntur. Consolare ergo, quæso, jam, dulcissima filia, et noli flere amissam, quam credimus cum Christo esse regnaturam.

sed ejus blandimenta respuit.

7 Hæc audiens genitrix, nullam consolationem accepit; sed majorem animi dolorem sustinens dirigit quosdam e suis cum diversis generibus munerum, divitias atque ornamenta seculi secum portantes, quatenus possent Christi virginem a sancto proposito revocare. Sed illa cujus fidei fundamenta stabilita jam erant supra petram firmissimam, omnia tanquam stercus respuens, una eademque perseverabat immobilis.

Mira in dicendis sac. Scripturis, venerationem apud suas meretur.

8 Tantam autem ei gratiam Dominus et memoriæ capacitatem dignatus est tribuere, ut intra pauca temporum spatia Psalmos omnes disceret et omnes Scripturas divinas memoriter retineret. Nam fertur aliquando dum infans Psalmos pararet et, ut adsolet, infantia somno occuparetur, recumbens in genua unius de sororibus, Psalmum et ipsa
C in aure dicebat. Quæ mox ut expergefacta fuisset, tanquam si eum legisset, ita memoriter recensebat, implens illud Scripturæ dictum : Ego dormio et cor meum vigilat. Tanta autem caritate et humilitate circa sanctam illam congregationem se exhibebat, ut omnes eam nimio venerarentur affectu. Erat enim strenua in omnibus, prudens in verbis, moribus bonis, elegans specie, ætate conspicua, in omnibus mansueta, præceptis Christi morigera, ut suis proprietatis nomine actibus demonstraret, ut jam illo in tempore dignam Sponsi vocem mereretur audire : Speciosa sicut luna.

Liliolæ substituta qualiter vixerit.

9 Itaque beatissima Liliola *c* de hac luce migrante ad Dominum, visum est ad omnem illam sanctam Congregationem, ut dilectam Dei Rusticulam sibi eligerent fieri matrem. Illa autem refutabat, indignam se dicens esse ad hoc opus. Quid multa? Favente Domino impletur devotio ancillarum Dei : impositoque sibi honore, Christi sancto moderamine invigilabat pro animabus ad se pertinentibus. Erat autem tunc annorum circiter decem et octo, et ita se cœpit in abstinentiis et vigiliis dare, ut etiam tertio die cibum caperet et cilicio tegeretur, implens Apostoli dictum : In vigiliis et jejuniis, in laboribus multis. Reliquis vero sororibus nocturnis horis quiescentibus, illa per totum noctis spatium in ecclesiis, Psalmis, hymnis et orationibus insistebat, et pro tradito sibi grege, vel pro universo populo fletibus multis Dominum precabatur. A. FLORENTIO.

Ecclesias duas construit.

10 His igitur sanctissima virgo florens concepit animo; Spiritu sancto instigante, ut ampliorem orationis locum virginibus Christi institueret. Interea construxit templa, munivit mœnia sanctis. Ab inchoatione ecclesiæ dum fundamenta ponerentur, manibus suis beatissima mater exsultans, lapides artificibus porrigebat : perfectoque opere Domino favente atque inspirante, ecclesiam in honore sanctæ Crucis instruxit. Dehinc demonstratum est eidem per revelationem ædificium miræ magnitudinis in cœlo ædificatum, quod intuens jubetur a Domino ut simile fabricaret in terris. At illa fida festinabat gaudens implere jussionem Domini sui, perfecitque templum micanti pulchritudine constructum. Cogitavit autem apud se ut in hoc ædificio, quod eminentius erat, crucem Domini collocaret et illam quam prius fundaverat in honore S. Archangeli Michaelis adoptaret. Ergo sanctis sacerdotibus Christi septem altaria ibidem collocavit; primum in honore Crucis Christi, deinde sanctorum archangelorum Gabrielis atque Raphaelis, addens post aliquot annos S. Thomæ apostoli, S. Mauricii, S. Sebastiani et S. Pontii. E
Vere enim secundum Apostoli dictum ut sapiens architectus fundamentum posuit : ædificavit in terris quod postea invenit in cœlis. Ipsi namque eidem sidereas mansiones paradisi suis interpellationibus paraverunt, quos tanto amore venerabiliter excoluit in terris.

ANNOTATA.

a *Id est civibus in Provincia ortis, quæ Provincia Romanorum olim dicta est, vulgo* La Provence, *intra quam provinciam sita est sedes episcopalis Vasionensis sub comitatu et archiepiscopatu Arelatensi.*

b *Notat Mabillonius, sexennem tunc esse debuisse* Rusticulam, *alias secundum B. Cæsarii Regulam cap. 5 :* Nulla unquam in monasterio infantula parvula, nisi ab annis sex et septem, quæ jam et litteras discere, et obedientiæ possit obtemperare, suscipi *permittebatur.*

c *Observat idem, Liliolam successisse Cæsariæ juniori, quæ post Cæsariam seniorem, S. Cæsarii sororem, prædicto monasterio præfuerat. Sic quarto loco Rusticula illic abbatissæ dignitatem gessit.* F

CAPUT II.

Multis miraculis coruscat, de sua salute fit certior. Dæmonem ter vincit, et apud Clotarium regem accusatur.

Plures Christo lucratur.

O quanta, Domine, dispensatio procurationis tuæ, quæ per famulam tuam Rusticulam tantum gregem de luporum faucibus ereptum tuo ovili collocasti! O quantæ virgines, crebrescente fama ejus, sponsis relictis, Christo se sociaverunt! Quantæ viduæ per ejus prædicationem laqueum seculi relinquentes, claustrum monasterii expetierunt! Facta est ergo, ut Apostolus ait, omnibus omnia ut omnes salvaret.

Multis miraculis inclarescit.

12 Tantam vero gratiam ei contulit Deus, ut quisquis ægrotus ex devotione eulogias ei petiisset,

A. FLORENTIO.

set, protinus pristinam reciperet sanitatem. Quædam mulier ita diabolico tremore erat correpta, ut nec panis ori ejus nisi alienis manibus porrigeretur. Petens vero de vestimentis Beatissimæ, lavit illud aqua mundissima et bibit, et ita mox pristina recuperata est sanitas, tanquam si nihil mali habuisset. Una de sororibus gravissimum dolorem sustinens oculorum, dum non diebus, non noctibus quietem ullam haberet, revelante ei divina clementia petiit, ut de aqua, unde beatam * faciem laverat, eidem donaretur. Statim vero ut oculos de aqua ipsa tetigit, maximam continuo consequi promeruit sanitatem, atque ad glorificandam Dei omnipotentiam, quæ in se fuerant gesta, cum magno gaudio sororibus indicavit.

* Beata

Energumenam liberat.

13 Quædam virgo habens spiritum malignum, videntes parentes ejus graviter eam fatigari a diabolo, rogaverunt beatissimam Matrem, ut filiam ipsorum intra septa monasterii recipi permitteret, non manifestantes quæ illi ab immundo spiritu evenissent. Illa ut erat plena Spiritus sancti dulcedine, recipit eam, duciturque ad oratorium sancti antistitis Cæsarii, statimque spiritus immundus, ut B solitus erat, cœpit graviter ipsam puellam fatigare : nuntiatumque est beatissimæ Matri. At illa veniens, mox genua flexit in oratione et sanitatem a Creatore proprio ut obtineat, humili prece deposcit. Cumque surrexisset, in oratione signum Crucis in fronte ejus defixit. Illa vero spumans et ululatum diræ vocis emittens lugebat dicens : Heu me miseram! quia jam orbata sine filiis remaneo, in uno die amitto, quod tantis annis enutrivi. Dehinc beatissima Mater intentas dirigens ad Deum preces, ut memorata sanitati pristinæ restauraretur confidenter obtinuit : ad puellam vero ipsam nunquam spiritus malignus amplius accessit, et perfectam postmodum sanctimonialem sibi eam Dominus consecravit.

Radiis coruscat.

14 Quadam die cum faciem suam lavaret Christi ancilla, ex famulis quæ eidem inserviebant, nomine Onoridia, oculis elevatis, cum vultum ejus conspexisset, tantum splendorem in facie ejus se vidisse asseruit, tanquam si radius solis ibidem rutilaret : quæ tremens cursitans reliquit eam. At piissima Mater progressa post ipsam, sollicite inquirebat C quid apud se vidisset, quod sic cursu rapidissimo fugere festinaret. Illa tremens indicavit quod præclaram lucem micantem in oculis ejus conspexisset. Beata vero hæc audiens, non jactantiæ tulit, sed expansis manibus ad Deum dicebat : Domine, ne prævaleat famulæ tuæ inimicus, sed scuto gratiæ tuæ digware protegere ancillam tuam. Ipse vero præfulgebat in facie ejus, cujus amorem tota intentione gerebat in pectore.

A S. Lucia de sua salute fit certior.

15 Quadam nocte fatigato corpusculo modicum quieti indulgens cum sopori dedita fuisset, apparuit ei quædam virgo, auro textis vestibus induta, vultu fulgenti, nimio fulgore coruscans, et pulsans latus ejus et inquirens ab ea utrum vigilaret, dixit : Marcia, cognosce quia quando de hoc corpore migraveris, mecum vel cum reliquis Christi discipulis virginibus, quæ pro nomine Domini certaverunt, portionem habebis. Illa autem pavefacta sciscitabatur ab ea quisnam esset qui hoc illi diceret. Tunc dixit ei : Ego sum Lucia, quæ pro Christi nomine dimicavi. Fertur namque non post multos dies sanctam Melaniam ei apparuisse et similia dixisse.

16 Nec illud siquidem omittendum putabo quod ei Dominus revelare dignatus est. Nocte quadam cum solita consuetudine vigilias celebrasset, Matutinis jam expletis post nimium laborem, corpusque modicæ quieti dedisset, quasi in ecstasi D posita vidit de sublimibus cœli virum præclarum metuendum venientem. Cumque intra se tacita revolveret quisnam hic esset, locutus est ei dicens : Noli timere; ego sum Michael princeps militiæ Dei, et missus sum a Domino Jesu Christo, ut videam certamen tuum quod depugnatura es. Hæc eo loquente, ecce apparuit ante oculos ejus persona quædam horrenda et valde detestabilis atque vilissima : altitudo autem ejus videbatur eminentior nubibus cœli. Cumque eum vidisset tremens, Archangelum intuebatur auxilium ab eo petens. Qui conversus dixit ad illam : Ne timeas, sed accedens dimica cum isto, et scito quia si eum modo viceris, et usque in æternum vinces. Illa autem cum grandi timore eum apprehendens adduxit usque ad dextram. Ipse vero excutiens se de manibus ejus, iterum in altius erigebatur. Adspiciens eam Angelus dixit : Viriliter age, quia adhuc depugnatura es. Auctoritate vero accepta ab Angelo, fecit sicut et prius. Cumque in altitudinem erigeretur, dixit ad eam Angelus : Apprehende eum tertio, et pone pedem tuum super E cervicem ejus, et scito quia modo tibi nunquam prævalebit. Cumque fecisset sicut ei præceptum fuerat, confusus atque prostratus spiritus nequam ab oculis ejus evanuit : Angelus vero Domini lætissimo vultu evolavit ad cœlos. Expergefacta vero Beatissima, cum ipsam adstantes virgines precarentur, ut quæ vidisset narraret, eo quod sic eam per soporem luctantem vidissent, cœpit cum grandi mœrore referre quæ sibi revelata fuissent. Vere pius Dominus quæ revelavit famulæ suæ secreta mysterii sui, quod nunc vobis narrare perutile fore cognovi.

Cum dæmone ter luctatur, eumque vincit.

Apud Clotharium accusatur de occultato rege

17 Quadam die cum in basilica S. Petri hora meridiei convenisset, vox ad eam facta est et vocavit eam nomine suo dicens : Marcia imitare Dominum tuum in cruce pendentem, imitare et conservum tuum Stephanum, quando a Judæis lapidabatur, dicentem : Deus ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Evigilans vero in hoc ipso mirabatur, quæ esset visio ista. Diabolus vero bonis semper invidens, consilio suo maligno suasit cuidam episcopo, Maximo *a* nomine, (nam non opere) et cuidam principi secundum seculum F (nam non apud Deum) nomine Riccimiro, ut falsum testimonium cogitarent adversum famulam Christi, quod illa occulte regem nutriret : et abeuntes ad regem Chlotharium accusaverunt eam. Ille autem hæc audiens, commotus est ira vehementer, et jussit suprascripto principi, ut diligenter hæc inquiri juberet et sibi denuntiari. Ille vero cum multis episcopis et reliquis similibus suis ad civitatem Arelatensem veniens, cœpit plus minas ingerere quam rei veritatem inquirere. Congregatio vero sancta cum videret Matrem suam verbis fallentium nimium opprimi, illa suo solito more arma gratiæ cœlestis arripiens, modulatis vocibus psallentes illum poscebant defensorem e cœlis, qui S. Susannæ ab impiis condemnatæ S. Danielem præmisit liberatorem. Quidam perditus ex amicis suprascripti viri, nomine Andoaldus, voluntati principis sui parere cupiens, evaginato gladio verberare voluit famulam Christi. Sed Dominus qui per Prophetam suum dixit : Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arma eorum conterantur, ipse de manibus ejus resupinum gladium ruere fecit et innocentem liberavit a morte. Ipse vero qui hoc conatus est facere, non multo post tempore manibus pedibusque truncatus has ejulans voces dabat : Heu me miserum!

Temerarii hominis pœna

A rum! quia tantum facinus admisi, famulam Dei trucidare cupiens; et ideo in tam nefandis et amarissimis cruciatibus mereor dari. Et ita ut dignus erat vitam finivit.

ANNOTATA.

a *Maximum illum ait Mabillonius fuisse episcopum Avenionensem, eumque ut sanctum coli, quod alterius indaginis est: certe nec a Saussayo nec a Castellano inter Sanctos computatur. Sanctam accusaverat, quasi occulte regem enutriret, nempe Childebertum Theodorici filium, qui ex fratrum cæde, a Clotario patrata, se subduxerat.*

CAPUT III.

B *Iterato accusata custodiæ mancipatur, unde ad regem honorifice deducitur, plurimis miraculis in via patratis.*

Iterum accusata

Postmodum vero suprascriptus vir Riccimirus direxit quosdam e suis ad regem qui adserere deberent quod culpabilis inventa fuisset beatissima Virgo Christi in hoc falso crimine. Et amplius furore accensus rex misit quemdam de optimatibus suis nomine Faraulfum, qui suis eam præsentaret obtutibus. Ipse vero veniens cœpit graviter insistere, ut extraheret a sancto ovili virginem Christi. Illa autem cum Regi cœlorum plusquam terreno se obedire protestaretur, et magis se mori velle quam transgredi præceptum S. Patris Cæsarii *a*, videns suprascriptus vir quia quod sibi jussum fuerat, si non adimpleret, periculum sibi esse venturum; cœpit ex jussione regis principi civitatis ipsius nomine Ninfidio minacibus verbis adserere, quod si eam ipsa die de monasterio non abstraheret, periculum capitis sui esset futurum. Ille vero eoquod nimium veneraretur famulam Dei, cum lacrymis et humilitate qua decebat eam precabatur, ut absque aliqua injuria voluntarie egrederetur: hoc cum juramento protestans, quod si jussio impia juberet sanguinem C suum cum sanguine Christi ancillæ fundi, maximum ei gaudium esset futurum.

custodiæ mancipatur.

19 Igitur instigatione præsentium nec innocentiæ fides attenditur, nec accusationis veritas flagitatur, sed falsis assertionibus condemnata, abstrahitur a sancto ovili atque in cella monasterii quod est in civitate sub custodia mancipatur. Congregatio vero quæ ducatum suæ sanctitatis gerebat, videns impie direptam fuisse sibi pastorem, non potest dici quali mœrore sint afflictæ. Fundunt lacrymas, nec est qui opem præbeat pietatis, vel qui ferre valeat consolationum solatia. Ovile Christi quod modulatis psallentium vocibus in Dei laudibus resultabat, pro Matris absentia ululatibus et gemitibus resonabat. Conversus est illis dies in nocte, dulcedo in amaritudine, cantica in luctu, lux in tenebris, vita in morte: omnes omnino mori magis quam piissima Matre absente vivere cupiebant. Denique, ut supra diximus, introgressa in cella monasterii ipsius, more consueto dum pervigil in sanctis orationibus insisteret, iniqui homines consilio diabolico armati, lapidibus domum obruentes super ipsam venerunt, sed nihil illi nocere poterant quam Christi gratia protegebat.

A. Florentio.
Ad Regem honorifice deducitur.

20 Expletis igitur septem diebus, adducitur de civitate, itinere quo cœperat pergens. Dominus autem qui non derelinquit sperantes in se, sed exaltat humiles, ipse misit Angelum suum et abstulit opprobrium a filiis Israel, revelavitque per Spiritum suum Sanctum cuidam apostolico viro episcopo civitatis Viennensis nomine meritisque Domnulo, ut protinus ad regem gradereiur et denuntiaret gravem se offensionem Dei habere, eoquod injusto judicio condemnasset famulam Christi, et protinus se a filio orbari pro tam immisericordi jussione. Audiens autem hæc rex timore nimio corripitur, et direxit duos comites viros Deum timentes, qui cum honore et reverentia ad se eam deberent perducere, sed et de singulis civitatibus quæ ei necessaria erant opes ministrari præcipiens.

Dæmones ab obsessis corporibus ejicit.

21 Quanta vero mirabilia in itinere ipse Dominus per ejus operationes sit operatus, plane referam. In civitatibus vero in quibus famula Dei ventura erat, vexati a spiritibus immundis, ante plurimis diebus adventum ejus prænuntiabant dicentes: E Ecce famula Dei jam venit ut nos torqueat et de habitatione nostra ejiciat: et quasi stadiis tribus aut quatuor venientes obviam ei humiliter prosternebantur confitentes atque dicentes: Cur nos, famula Christi, torquere venisti et de domiciliis nostris expellere? Inquirenti vero Christi ancillæ quo casu vel negligentia spiritus maligni in hominibus introissent, confitebatur unusquisque per ingula, unus quia poculum aquæ sine signaculo hausisset, alius per gulam, alius quia per perjurium, alius per furtum, alius per homicidium, vel reliquis malis. Unus autem ex ipsis dicebat, quia in fonte se posuerat: cum autem vellet bibere de aqua ipsa infelix ipse homo et signum Crucis ibidem minime fecisset, ita in eum fuisset ingressus spiritus malignus; et obtestabantur eam per crucem et clavos Domini, ut non eos juberet egredi de domiciliis suis. Illa autem ne vel modicum jactantiæ subiret, redemptionis Dominicæ crucem, quam secum deferebat, super capita eorum imponens et orans, protinus salvabantur.

ANNOTATA.

F

a *Nempe Cæsarius in Regula virg. cap. 1 statuit, inquit Mabillonius, ut monacha* usque ad mortem suam de monasterio non egrediatur, nec de basilica, ubi ostium esse videtur.

CAPUT IV.

Regi præsentatur, sed percusso ejus filio, libera dimissa, suis post alia miracula restituitur, vindicta cœlesti punitis adversariis.

Orando fores basilicæ aperit.
** scilicet ep. Viennensis.*

Cum ad basilicam S. Desiderii martyris * maxima cum devotione venisset et fores clausas reperisset, ubi Sancti corpus erat positum, fidei alacritate repleta postulabat Martyrem Christi dicens: Beatissime amice Dei, adesto mihi nunc tribulatæ, et permitte me accedere, ut procumbens exorem ad sancta vestigia tua. Hæc ea dicente, disruptæ sunt catenæ et reserata sunt claustra et

A. FLORENTIO.

et toto corpore prostrata humi obtinuit precibus quod fidei alacritate poscebat.

Regi præsentata, percusso ejus filio, dimittitur.

23 Verum quia longum est quæ et quanta mirabilia per singulas quasque civitates ad laudem sui nominis Dominus per eam sit operatus per ordinem enarrare, ad rerum exitus redeamus. Igitur cum perducta fuisset ad regem, Christo duce salutatura eum aggreditur. Interea famulam Christi non jam fama vulgante, sed corporali præsentia comprobante, tam rex quam regina et optimates sui cum magno honore et reverentia venerari cœperunt. Inquirenti ergo regi principibus suis, si vera essent quæ ipsi de ea fuerant nuntiata; ista cum juramento asseruit, testificans Deum non solum se non fecisse, sed nec cogitare potuisse hujusmodi rem. Cumque ista agerentur et rex ipse dubietatem in animo suo gereret, filius suus quem valde diligebat, extrema agere cœpit, et quod ei antea fuerat prædictum per injusta judicia quæ in Dei famulam exercuerat, filium se amissurum *a*, complevit in meritum. Defuncto itaque eo tristis ac mœrens rex quidnam de Christi ancilla fieri juberet ignorabat. Accedentes vero ad eum palatii illius primarii, hoc ei dederunt consilium, ut dilectam Dei Rusticulam, quam cum injuria ad se fecerat venire, cum magno honore juberet ad propria remeare. Quod et factum est. Auctoritate igitur accepta Beatissima revertendi ad propria, quantum gaudium illius provinciæ fuerit, quis valeat narrare?

Arreptitium a dæmone liberat.
* *id est* vehiculum

24 Cum autem venisset in civitatem Senonis, quidam a diabolo correptus de altiori cenaculo se projecit, et ad basternam * ubi Dei famula ducebatur, cursu rapidissimo properavit, detraxitque illud velum quo fenestra basternæ tegebatur, et intrinsecus caput admittens manus Beatissimæ devorare conabatur. Quæ elevata confestim dextera crucis vexillum in fronte ejus defixit; prostratusque in terram, qui effigiem hominis sanguine plenam evomuit, et continuo pristinam recuperavit salutem.

Suis cum gaudio restituitur.

25 Verum quia longum esset cuncta de virtutibus ejus referre, illud referam cum quali gaudio vel exsultatione a suis civibus est recepta. Igitur cum nuntiatum fuisset, venerabilem Dei famulam reverti atque proprius imminere civitati, egreditur in occursum ejus omnis ætas omnisque sexus, Religiosi, laici nobiles et ignobiles, divites et pauperes, incolæ et advenæ, omnes gaudent, omnes lætantur, omnes Deo gratias referunt, quia talem exoratricem, quam dudum se amisisse lugebant, protinus sibi Dei gratia redonatam esse gauderent. Interea adventus ejus Christi virginibus nuntiatur, quæ mox inenarrabili lætitia repletæ hymnum exsultationis Domino canunt qui reddidit Pastorem ovibus afflictis. Introgressa igitur in sanctum ovile, unde abstracta fuerat, excipitur a filiabus modulatis vocibus psallentibus atque dicentibus: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Constipata igitur choris virginum, solioque proprio residens, pia Magistra pari Domino voce gratias referebat: exhortansque discipulas, quæ nimium afflictæ fuerant absentia sui, earum orationibus se in loco pristino restauratam Mater sancta fatebatur. Et in Psalmistæ prorumpens vocem: Magnificate, inquit, Dominum mecum, dilectissimæ filiæ, et exaltemus nomen ejus in invicem, quia exquisivi *Dominum* et exaudivit me, et de omnibus tribulationibus meis eripuit me; habitareque fecit sterilem in domum matrem filiorum lætantem.

Vindicta cœlestis in adversarios.

26 Non multo post tempore inimici illi homines qui crimen objecerant famulæ Christi, confusi atque compuncti veniunt ad eam humiliter veniam postulantes, atque pro sua culpa indulgentiam flagitantes. Illa vero quæ erat repleta dulcedine Spiritus Sancti, alacri animo eos suscipiens tanquam si magnis honoribus eam sublimassent, ita dulciter alloquens, Dominum pro ipsis deprecabatur. Legerat enim sanctum Evangelium quod ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vestra.

Monacha a dæmone capillis ejus curata. *b*

27 Transacta hac tempestate, commorata est cum filiabus, quas dulciter enutriebat annis quatuordecim, edocens illas omnem fidei sanctitatem. Nam una de sororibus cum graviter ab infestatione meridiani dæmonis *b* nimiam fatigationem sustineret et corpore tremenda nullatenus se erigere posset, divina clementia largiente aliæ fideli sorori dignatus est Dominus incordari, ut ex capillis beatissimæ Matris igne subposito ureret, et in aqua munda eidem bibere daret. Quæ statim pristinam recipiens sanitatem simul pro recuperatione corporis maximas cum devotione gratias retulerunt.

ANNOTATA.

a *Hunc Clotarii regis filium historici omnes ignotum habuere. An forte id intelligendum de Meroveo Theodorici filio, quem Clotarius e sacro fonte excepit, et a nece quam duobus Theodorici filiis Sigeberto et Corbo intulit, utpote filiolum excepit et Ingobodi Graphioni commendavit? Ita Mabillonius hic remittens ad Fredegarii Chronicon cap. 42.*

b *Plura de dæmonio meridiano notat Mabillonius ex Gregorio Turonensi. Sufficiat hic paucis observasse, incursum illum dæmonii meridiani antiquis dici solitum, subitam et apertam quamvis morbi violenti incursionem, qua quis sensuum mentisve facultate derepente privabatur: sic dictam, tum quod a dæmone imprimi crederetur, tum quod summo die proveniret.*

CAPUT V.

Binis monialibus ab imminente morte revocatis, ipsa jam senex deficit, omnibusque recte dispositis moritur.

Moniales duas ab immenente morte revocat.

Quodam tempore cum nimia clade populus civitatis opprimeretur, etiam et famulæ Dei subitaneo fine ad Christum migrarent, cœpit beatissima Mater graviter affligi pro eis. Contigit autem ut duæ ex sororibus gladio ipso percussæ invicem prosternerentur: et cum vicinæ jam morti oculis obtenebratis lucem diei cernere non possent, Matrem sanctam pro se oraturam vix jam languentes exposcunt. Veniens vero Dei famula in loco oratorii S. Cæsarii ubi ipse jacebat, humi prostrata cum lacrymis auctorem Deum ut morti jam proximas vitæ restituat deprecatur. Cumque surrexisset ab orationis officio, credula quodammodo præstitum sibi fuisse a Domino quod postulaverat, ad visitandas eas accedit et de salute earum inquirit. Quæ protinus revalescentes, gratias Deo et Matri referunt, suis se orationibus mox fuisse a mortis periculo liberatas.

29 Sunt

A 29 Sunt præterea plurima quæ de virtutibus ejus scribi prolixius possent; sed ne fastidium legentibus prolixitatis meæ sermo generare videatur, finem operi demus, ut et legentes verba lectionis reficiant, et audientes tali exemplo provocati, intercedentibus bonis operibus, vita potiantur æterna. Sufficere sanctis animabus vestris credo, dilectissimæ Christi virgines, quanta pro recordatione sanctissimæ Matris dominæ meæ Rusticulæ sive Marciæ, de virtutibus, institutis, atque doctrinis ejus, ad laudem honoris Dei omnipotentis parvissimo locutionis meæ sermone prout fandi facultas concessit, fideliter explicavi. Sed quia jam nunc tempus exigit, ut qualiter ad illa beata præmia, quæ justis sunt parata, eam Dominus vocaverit, intimemus, licet mœstitiam vobis ingeram, jam tamen accedam.

Auctor multa omittit. Anno LXXVII ætatis, recte institutis Virginibus, deficit,

30 Septuagesimum septimum agens ætatis suæ annum, cum adversum se diabolum jugiter dimicantem Christi juvamine roborata viriliter triumphare valuisset in terris, ad præmia parata læta evocatur ad cœlos, ut recipiat quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ sunt parata diligentibus Deum, eo B quod triticum horrei Dominici familiæ sibi commissæ prudenter atque fideliter dispensaverit, zeloque Spiritus Sancti succensa, templa Dei nutantia justitiæ vigore stabilierit. Hæc illius jugis opera, jugis intentio fuit, ut ne quam illarum superflue tristitia affligeret, neque nimio labore gravarentur aut quiete torpescerent, sed ferventi spiritu omnes cogebat ad regimen. Mirandum est quomodo beatissima Mater tot officia compleverit, dum quotidie ægritudo suo corpori non deesset Hinc illud erat quod congregatio ex diversa terrarum parte collecta in illius amorem ardentes, omnes dominam, omnes piam Martrem vocarent. Didicerant enim omnes, ipsam sibi compatientem dolores ipsius suos computare, ipsaque afflicta affligi, et respirante convalescere. Quando autem congregatæ fuissent omnes in unum ad opus sanctum celebrandum, productis fontibus cœlestium doctrinarum, singularum corda rigabat. Cum quali vero dulcedine et pia caritate eas castigaverit, corripuerit et iterum clementi affectu non ut domina, sed quasi pia genitrix monitis salubribus imbuerit, non dicam disserere, sed nec cogitare me C posse profiteor. O vere beata! quæ Christi amorem toto pectore gerens, digne cum servo illo qui duplicatis talentis a Domino meretur audire, quia super multa constituatur; audiatur et hæc propria et fideli descriptione quam circumspectionem circa hunc gregem habuit: Euge, ancilla bona et fidelis, intra in domum Domini tui!

et recte dispositis omnibus moritur, a

31 Factum est autem quadam die quæ est sexta sabbati, Vesperam cum filiabus ex more decantans, adjuncta etiam Duodena *a*, valde se corpore jam fatigari sentiens, super viribus sibi imponens solita consuetudine lectiones fertur dixisse. Sciebat enim se jam celerius ad Dominum migraturam. Die itaque sabbati illucescente cœpit modico frigore teneri et membris omnibus dissolvi. Posthæc lectulo incumbens cum nimia ægritudine febrium teneretur, non tamen a Dei laudibus os ejus cessavit, sed oculis in cœlo intentis invictum ab oratione spiritum non relaxans, commendabat Domino filias, quas orphanas relinquebat, flentesque forti animo consolabatur. Digna enim erat jam tunc cum Apostolo dicere: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero mihi reposita est corona justitiæ. Tempus erat quo ad regimen convocata consors fieret Dei electorum. Aliqua vero die Dominica gravius tædiare cœpit: et quia consuetudinis suæ erat ut lectulus suus nonnisi revoluto anni curriculo fieri deberet, poscentibus famulis Dei ut aliquantulum mollioribus stramentis sibi indulgeret, eo quod tam gravem fatigationem corporis sustineret, penitus adquiescere noluit. Secunda vero sabbati, Natale S. Laurentii martyris, cœpit viribus corporis amplius distendi, et validissime fleuma ejus pectori sonare. Hæc videntes virgines Christi, contristatæ omnes fletum gemitumque reddebant. Cumque hora diei tertia facta esset, et congregatio præ nimia tristitia sub silentio psalleret, contristata Mater sancta inquirit, cur voces psallentium minime audiret. Respondent mœstitiæ mœrore se non posse. Clarius, inquit, psallant, ut et ego confortationem capiam, quia vere satis mihi dulce est. Alia vero die cum nullus vitalis motus in ejus jam pene corpore remansisset, oculi tamen ejus in vigore, quo fuerant, persistebant tanquam stellæ micantes: et huc illucque circumspiciens, minime jam loqui potens, manu silentium flentibus, consolationemque insinuabat. Cumque una de sororibus pedes ejus attrectaret, ut utrum videret si calidi essent an frigidi, dixit: Adhuc E non est hora. Post paululum vero hora diei sexta lætissimo vultu, oculis præfulgentibus quasi subridens, gloriosa anima felix ad cœlum transfertur *b*, innumeris sociata choris Sanctorum.

A. FLORENTIO. *b*

ANNOTATA.

a *Completorium intelligit Mabillonius, plura notans circa variam ejusdem horæ canonicæ observationem.*

b *Annum signavimus 632 in Commentario prævio, de quo pluribus hic disputat Mabillonius, nobiscum plane conveniens.*

CAPUT VI.

Relicto sui ingenti desiderio, sepelitur ab episcopo. Cæcus lumen recipit, aliique multi curantur. Auctoris epilogus. F

Ingens sui desiderium relinquens.

Jam vero dici non potest, quali dolore sint percussæ famulæ Christi a gemitu: nulla a fletu, nulla ab ululatu cessare potuit, piissimam Matrem se amisisse ingementes, ita ut tecta oratorii ipsius discessu ruere putarentur. Parem luctum dilectio universalis indixerat, eratque veluti seminarium lacrymarum generalis dolor omnium diligentium, et desinente voce gemitus resonabat clamantium et dicentium: O, inquit, piissime Domine, quare avertisti faciem tuam a nobis, ut non meruissemus amplius tali dulcissima Matre educari vel ejus pio affectu enutriri? Et hæc quidem pro suis justis laboribus feliciter se congaudet migrasse in cœlis; sed nobis væ quas tam cito orphanas reliquit in terris! Quis enim in filios illam dulcedinem ostendit quantum nobis piissima Mater? Quis unquam poterit ore proprio prodere, quo ingenio bajulabat exiguitatem nostram diebus ac noctibus pro peccatis nostris incessabiliter Deum deprecans? Sed quid multis morer? Dum de tali Dei famula quidquid laudanti ore pro ejus recordatione dicetur, omnia vobis

A. FLORENTIO. inter damna, Christi virgines, computantes dolor vos plus vincit.

Corpus ejus sepelitur ab episcopo.

33 Sanctum vero illud corpus magna fidei ambitione ex more compositum lugentium orphanis frequentabatur officiis. Alia vero die veniens episcopus civitatis Theodosius pontifex, clero omni aggregato, accepit sanctum corpus super aurum et lapidem pretiosum, crucibus et columnis ardentibus cereorum. Ad obsequias autem venerandas non solum fidelium, sed etiam Judæorum concurrerunt agmina populorum, omnium lacrymæ invicem se superare certabant. Igitur dum præ multitudine plangentium virginum vix funus elatum a monasterio psallentium choris honoraretur, unus de senioribus servientibus monasterii dum oculorum sibimet perditum fuisse graviter defleret lumen, submitti se ejus feretro petens, lumen sibi ab omnium Domino ut restituatur cum summa fidei ambitione deposcit; statimque videndi usum refusa luce recepit. Deinde S. Mariæ basilicæ *a* corpus venerandum infertur et sacri altaris mysteria celebrantes cum digno honore sanctum illud corpus, splendore nimio coruscante, ad dexteram partem altaris tumulo collocatur: nempe ut quæ decorem propriæ virginitatis Christo fide plenissima obtulit, choro virginum, quarum principatum tenet gloriosa Maria Virgo, dextræ parti sedens Agni, canticum illud novum decantans, niveo vestimentorum tegimine, gemmisque pretiosis decorata perpetuis laudum titulis honoretur.

Cæcus lumen recipit,

a

B

sanatur febricitans

34 Ad declaranda vero merita virtutum suarum quæ per ejus orationes post ejus transitum Dominus sit operatus, nefas est silentio præterire. Una de Christi ancillabus tertianæ febris typo ingentibus ardoribus urgebatur. Accipiens autem linteum, quo corpus beatissimæ Matris fuerat involutum magna cum fide lavat illud aqua munda, et bibens illam, a febribus vel ab angustiis resoluta, salva effecta est.

et varii alii curantur.

35 Unus de servientibus monasterii ipsius cum per ægritudinem gressum sibi ablatum graviter defleret, in sopore positus jubetur petere a Christi ancillis ut de grabato, ubi sancta Mater quieverat, quatuor anguli lavarentur et ipsi bibere daretur. Id ubi factum est, maximam continuo promeruit consequi sanitatem. Quisque vero ægrotus, quamvis in gravi angustia positus, ejus implorans sanctitatem, qualemvis parvum linteum aut pannum de ipsius vestimentis suo corpori fide plenissima collocaverit, promeretur a Domino et recuperationem corporis et animæ recipere sanitatem.

D

Quam de suis fuerit sollicita.

36 Qualem vero curam vel sollicitudinem de animabus ad se pertinentibus, dum adhuc superstes esset, hæc beatissima Mater habuerit, ex hoc cognosci potest, dum post discessum pia sollicitudine unamquamque earum visitans monuerit, castigaverit, ut ferventi studio ad opus sanctum festinare deberent.

Auctoris invocatio:

37 O venerabilis famula Christi, dum pro tuis laboribus justis paradiso læta exsultas, preces gregis Deo Patri offerre dignare. Esto advocatrix pro ipsis ad Dominum Jesum Christum, ut mereantur omnes tecum in illa beatitudine gaudere, ubi est lætitia Angelorum, gaudium Prophetarum, laus Apostolorum, victoriæ Martyrum, exsultatio Virginum, gloria sacerdotum, et omnium sine fine laudantium Deum perpetua beatitudo.

E

sanctimonialibus se commendat.

38 Obsecro igitur bonitatem vestram, sanctæ Virgines Christi, per ineffabilem Dei omnipotentiam, ut quoties hæc a vobis recensita fuerint gesta, semper memoriam mei in vestris orationibus habeatis, cujus hæc studio scripta sunt: ut ipse Dominus noster Jesus Christus, cui omne judicium Pater dedit, animam meam innumeris criminibus obligatam a morte liberet et de profundo inferni gurgite extractum in illa gloria beatarum animarum largo indulgentiæ suæ munere jungat: qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, dominatur et regnat Deus per cuncta secula seculorum. Amen

ANNOTATA.

a *Hæc una fuisse dicitur ex tribus, quas in gratiam sanctimonialium S. Cæsarius construxerat, in qua* S. Rusticulæ *corpus diu religiose servatum, postea in majorem ecclesiam S. Trophimo sacram illatum est, excepto capite quod in prædicto parthenone, nunc S. Cæsarii dicto, condigne honortaur.*

C F

DE S. GAUGERICO EPISC. CONFESS.

CAMERACI IN BELGIO

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ 1. Cultus ejus.

INTER DCXIV ET DCXXII. *Cultus ejus ab obitu statim cœptus.*

I*nter antistites, qui a S. Vedasto Cameracensem simul et Atrebatensem ecclesiam gubernarunt, quartus numeratur* S. Gaugericus, *Vedulfi, qui sedem Atrebato Cameracum transtulit, successor. Nomen varie quidam torsere; alii* Gaudericum, Gangericum *alii, alii demum* Goericum, Gauricum, Gauritium *etc. nuncupantes: sed* Gaugericum *et Actorum exemplaria vetera, quotquot vidimus, et Belgicarum ecclesiarum cum antiquus tum hodiernus usus constanter appellat. Cultus ejus et venerationis publicæ principum vix potest a vivendi fine sejungi. Colligitur id ex Actis nostris secundis num. 69; ubi sepulcrum ipsius et affluxu supplicantium frequens, et anathematis onustum exhibetur ac dives; cum illud per insigne sacrilegium Launericus quidam spoliare frustra tentavit: hoc est (ut in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib. 1, cap. 15 Baldericus, vel quisquis alius hoc nomine vulgatus, affirmat) ipso episcopi Bertoaldi,* Gaugerico *defuncto statim suffecti, tempore. Idem auctor lib. 2, cap. 4 cœnobium describens, quod juxta Cameracum Sanctus erexit, et in quo sibi tumulum vivus apparavit, statim ubi vita functum ibique conditum narrat fuisse, de cultu hæc subdit:*

2 Mox igitur reges et principes ac potentissimi qui-

Auctusque Cameraci,

A quique signis et prodigiis, quibus ante obitum multifarie coruscaverat, excitati, ac multo amplioribus, quæ per ejus merita misericors et miserator Dominus post obitum indesinenter operari dignatus est, attoniti, ad sanctissimi Viri sepulcrum diversis ex partibus confluxerunt, tantique Viri patrocinio sese juvari implorantes, opulentissima munera obtulerunt : statimque ex affluentia rerum cum omni sedulitate monasterium ampliatur, Fratrumque numerosa cohors ad serviendum Deo et suo sanctissimo Confessori in perpetuum delegatur. *Post hæc ad primi hujus fervoris incrementa procedens,* Exin vero, *ait*, locus ex diversi generis ope ditatur, multisque beneficiis virorum bonorum adeo augmentatur ; ut non modo circum et circa viciniam crassiores uberioresque villarum colonias, verum et in longe remotis regionibus (ut scripta, quæ in archivo ecclesiæ sunt, attestantur) diversa, et, ut ita dicam, totius generis emolumenta donarent. Qui locus olim tam elegantia quam tota opportunitate præeminens, universæ provinciæ gratiam multiplicem et maximum honorem præstabat, urbemque excellentia suæ B dignitatis quam plurimum insignibat : erat enim veneranda atque regalis abbatia, ex omni sufficientia florens; cujus multiplici gratiæ nihil conferre putares. *Nimirum hæc omnia ex dilatata jam tum erga sepultum ibi Thaumaturgum nostrum pietate ac religione fluxerunt.*

celebrior evasit a sec. IX, per Martyrologos ad hunc diem ejus natalem :

3 *Diu ergo Cameraci multumque floruisse videtur cultus ejus, antequam diffundi longius per Martyrologia celebriora seculo demum nono cœperit. Præisse cæteris Wandelbertum, atque eodem fere tempore Rabanum, putamus : ille in Martyrologio suo metrico ad III Idus Augusti sic habet:*

Ternis flosque decusque pium petis astra, Tiburti.

Hæc et Goericus * confessor possidet almus.

al. Has et Gauricus

Rabanus uberior est, ad eumdem diem hoc ei texens elogium : Eodem die, depositio B. Gaugerici episcopi, qui in Eposio castro ortus fuit. Hic statim in juventute meditationi legis Dei et psalmodiæ intentus fuit. Post vero a B. episcopo Remensium civitatis, in Cameracensi civitate episcopus est ordinatus. Qui multis virtutibus claruit, maxime in absolutione vinctorum, qui in carceribus custodiebantur. Cum ergo eos a præsidibus absolvi non posset impetrare, ad Dominum prece C fusa absolvere promeruit. Qui etiam cæcos illuminavit, et infirmos curavit. Cum autem in episcopatu suo xxx et tres * annos feliciter explevit, ad Dominum migravit; quod multis indiciis miraculorum juxta sepulcrum ejus ita factum claruit. *De Floro, qui qui ambos hosce superat ætate, nihil dicimus, quia quæ de* S. Gaugerico *ad hunc diem leguntur in editione nostra, incertum est, ipsiusne sint Flori; quandoquidem nihil eorum habet Ado, qui Flori tamen opus amplificavit. Ut ergo Rosweydus noster* S. Gaugerici *annuntiationem hodiernam Adoni abjudicatam rejecit in Adoniani Martyrologii appendicem ; ita ejusdem annuntiationem ad Flori potius auctaria, quam ad ipsum Florum pertinere existimamus. Eodem porro seculo* IX *notatus ab Usuardo sanctissimi hujus episcopi natalis, exinde ad omnia (si Notkerianum excipias) Martyrologia generalia paulatim accessit, et quidem ad eumdem hunc ubique diem, quo in Actis decessisse scribitur, tertium Idus Augusti; quo et in Romano jam celebratur his verbis :* Cameraci in Gallia *(Belgica scilicet)*, sancti Gaugerici episcopi et confessoris.

* *imo* XXXIX

4 *Sed Cameraci plus diu fuit, quam unicum illud depositionis* S. Gaugerici *festum ; quia tamen cætera minus distincta reperiebam, recurri ad eruditissimum Dominum Henricum Dionysium Mutte, illustrissimo jam aliquot annis, quod equidem ignorabam, archiepiscopo Cameracensi a secretis; sed studiorum nostrorum, quod sciveram aliquandiu, amantissimum expertissimumque, et ad* S. Gaugerici *Canonicum. Respondit vir doctissimus* VIII *Aug. 1734 in hunc modum :* Beatissimi Patris nostri Gaugerici tria præcipua festa celebramus, quæ in omnibus libris nostris ritualibus diserte distincteque exprimuntur : scilicet Depositionis XI Augusti ; Elevationis XVIII Novembris; Translationis XXIV Septembris. Priora duo antiquissima sunt; tertium celebrari cœpit anno MCCXLV, quo anno S. Gaugerici corpus e veteri *(quam dabimus infra littera* D) in novam pretiosioremque thecam *(exhibendam num. 8)* solemniter translatum fuit a Guidone de Lauduno, episcopo Cameracensi : quod festum solemnius evasit altero mense Novembri celebrari solito Major *(seu cathedralis)* ecclesia Cameracensis, quæ Depositionis et Elevationis festa nobiscum hactenus recoluerat, novæ quoque Translationis a Guidone factæ memoriam suis inscripsit Fastis sub nomine Translationis, aut Exaltationis ; modo (quod frequentius est atque a pluribus seculis unice obtinet) sub nomine Elevationis. Prævaluit eadem in ecclesia istud Elevationis, quod nos semper Translationis appellavimus, festum ; antiquiore altero mensis Novembris illic ex desuetudine ab aliquot seculis omisso. Hæc cum non satis perspecta haberet diligentissimus scriptor Joannes Molanus, sibi ipsi parum de iis constitit in editionibus Usuardi.

Auctore P. B. Cameraci tamen etiam servantur alia ejus festa ;

B

puta Elevationis antiquum die 18 Novembri,

5 Ne vero cuiquam deinceps similis possit error obrepere, quæ velut summa capita proposuimus, ea expendamus sigillatim.... Ac de depositione quidem nulli dubium esse potest : quotquot enim S. Gaugerici natale adscribunt Fasti ecclesiastici librive rituales, illam ad diem III Idus Augusti referunt. De Elevatione ad XIV Kal. Decembres celebranda idem est librorum omnium Cameracensium ante annum Domini MCCCXLX descriptorum consensus. Martyrologii Cameracensis in bibliotheca majoris ecclesiæ duo supersunt exempla optimæ notæ seculi duodecimi, quorum unum signatum CX, alias 48, ante annum MCXLIV; alterum sub finem ejusdem seculi exaratum est : duo F item ejusdem Martyrologii codices exstant in bibliotheca cœnobii S. Sepulcri ; unus non multum post medium seculi XII descriptus ; alter vero ante annum MCCXLVI : in quatuor istis codicibus eisdem plane verbis scriptum est : « III Id. Aug. Cameraci natale S. Gaugerici ep. et Conf., qui et vitæ sanctitate conspicuus exstitit, et miraculis clarus in pace quievit. XIV Kal. Dec. in Gallia, civitate Cameraco, Elevatio corporis gloriosissimi Confessoris Christi Gaugerici. » *Mitto, qui hic citantur idem affirmantes eadem ferme ætate codices Mss. decem, aliosque sex posterius exaratos. A seculo tamen* XIV *in textu codicum ecclesiæ cathedralis adscribitur quidem festum illud Novembris ; sed omittitur in Kalendariis; deinde vero tam in textu quam in Kalendariis neglectum est; neque ibi certo proinde amplius fuit celebratum.*

et translationis die 24 Sept., institutum an. 1245,

6 *Translatio vero ab eodem ita describitur :* Anno Domini MCCXLIV, cum Collegium nostrum destinaret S. Gaugerici corpus de quadam capsa, ubi erat reconditum, in meliorem honorabilioremque transferre, ut in solemniori frequentiori-

que

AUCTORE P. B.

quo cœtu id fieret, summo Pontifici Innocentio IV Lugduni agenti supplicavit, propositis indulgentiis fideles ut evocaret. Annuit votis Pontifex anno Pontificatus sui secundo, IV Idus Februarii directis epistolis ad universos Christi fideles per Remensem provinciam constitutos. Huic solemnitati diem XXIV Septembris anno MCCXLV præstitutam fuisse discimus ex libris nostris : « Translatum est, inquiunt, corpus gloriosi Confessoris beatissimi Gaugerici de capsella veteri in honorabiliorem et pretiosiorem et decentiorem, in qua modo est, a venerabili patre Guidone de Lauduno, Cameracensi episcopo, VIII Kal. Octobris, anno gratiæ MCC quadragesimo quinto. » Hoc initium fuit Festi Translationis ad XXIV Septembris, quod sub eadem primum appellatione receptum fuit in majori ecclesia : id perspicuum fit ex Breviario Ulbaldi de Sartis, *decani defuncti sub finem seculi* XIII, *aliisque Mss. ejusdem seculi et sequentis. Elevationis eo die appellatio prævaluit postremis Mss. et pluribus editis libris, si pauculos excipias. Porro* solemnitates mensis Augusti et Septembris nobiscum celebrat major ecclesia, *inquit Muttius ;* Elevatio autem mense Novembri, quæ in illa B desiit, nobis nunc propria est, et ritu minus solemni recolitur.

et recentius festum Confratrum.

7 *Addit et sequentia :* Est quartum, quod soli celebramus, festum S. Gaugerici, quod Confratrum dicitur. Initio seculi XIV tres solummodo S. Gaugerici solemnitates enumerantur ; quartum istud illa ætate recentius esse oportet. In Ordinario antiquo diversa manu, et seculi, ut videtur, decimi quinti extra Ordinem adjectum est : « In solemnitate Beatissimi Gaugerici pro festo nuncupato Joculatorum, quod fit feria V post Octavam Paschæ. » A sesquiseculo celebratur Dominica II post Pascha, qua Dominica ritu Romano recitatur Evangelium, Ego sum Pastor bonus ; tunc fit, ut vulgus hoc festum appellet festum S. Gaugerici boni pastoris, Gallice, saint Géry bonPasteur. De Joculatoribus nihil habeo certi quod proferam. D Ad confraternitatem quod attinet, ea celebris est ; nec dedignantur Archiepiscopi nostri illi nomen dare. *Hæc ille de festis S. Gaugerici Cameracenis. Cum vero id etiam ego rogassem, an nulla prorsus memoria sacra servaretur ultimæ translationis reliquiarum sub Carolo V imperatore, qui celsum urbis locum, destructa in eo funditus ecclesia* S. Gaugerici *vetusta, mutavit in arcem ; hæc reposuit :* De luctuosa illa migratione ab ecclesia in monte constituta ad S. Vedasti templum, *quod ex illo tempore cessit Canonicis*, cum scilicet die Jovis XVI Julii anno MDXLV sacras Patris nostri exuvias et tumulum in ædem parochialem S. Vedasti intulimus, nullum agimus festum : neque enim bene lacrymis cum festorum gaudio conveniebat. Accedit, quod sacrum corpus illic velut per transennam deposueramus, dum liceret illud in novum, quem moliebamur, chorum solemniter transferre ; quod tantum factum est anno MDLXIII die X Augusti, pridie depositionis sancti Patris nostri hora vesperarum, duabus in unam concurrentibus solemnitatibus. E

§ II. Ejusdem reliquiæ.

In ecclesia propria Cameraci servatur corpus ejus.

C*orpus* S. Gaugerici *miraculis celeberrimum ubi sepultum primo fuerat, diutissime quievit, intra sepulcrum lapideum, ut putamus, in argentea capsa confici jussa exeunte seculo* X *vel initio sequentis per Ansfridum archidiaconum, sedente Erluino episcopo, ut infra dicetur, conclusum ; sicut erat anno* MXX, *teste auctore tum Chronici Cameraceni lib. 2, cap. 7, tum Vitæ nostræ secundæ lib. 3, num. 77 : donec illud extra sepulcrum hierothecæ augustiori altiorique, minus tamen longæ, imposuit episcopus, de quo hæc nuperrime sic meminit eruditissimus Muttius :* Feretrum hodiernum *(cujus en tibi speciem)*



Hierotheca corporis S. Gaugerici *Ex argento deaurato.*

A illud ipsum est, in quod Guido de Lauduno, episcopus Cameracensis, S. Gaugerici ossa solemniter transtulit anno MCCXLV. Collocatum vero est in apside chori in intercolumnio post aram maximam, loco eminenti ut conspicuum omnibus sit. Semel quotannis feria secunda post Dominicam sanctissimæ Trinitatis ex hoc sublimiori loco demittitur, cantante choro et alias ceremonias ecclesiasticas adhibente, adstantibus duobus Canonicis e Collegio majoris ecclesiæ, et Canonicis Regularibus S. Autberti, qui cum ejusdem Sancti lipsanis in ecclesiam nostram velut S. Gaugerico obviam veniunt. Deinde in solemni supplicatione una incedimus, præeunte feretro S. Autberti, feretro S. Gaugerici sequente. *Quid vero adhuc in hoc Sancti feretro servetur, ita docet ibidem :* Seniores Collegæ nostri, olim oculati testes, adhuc superstites asserunt, contineri ossa ejus grandiora pleraque omnia, sacculis corii cervini decenter obtecta.

in pluribus hierothecis.

9 *Excipe tamen quæ ibidem separata pridem custodiuntur in hierothecis tribus pretiosissimis, hic expressis de quibus ita Muttius :* Prima hiero-B theca A caput Sancti continet; altera B maxillam inferiorem; tertia C os unum brachii. *Ad primam hoc insuper notat :* A quatuor et amplius seculis caput S. Gaugerici sejunctim ab aliis ossibus in proprio vase inclusum legimus, ut fidelium cultui proponeretur. Moderna, qua continetur, hierotheca octogona est. In uno latere exstat signum S. Gaugerici pontificalibus vestibus induti, manuque benedicentis. Hoc signum mobile est. Eo sublato, apparet cavitas (a,) cujus in meditullio foramen rotundum partem cranii detegit, ut fidelium oculis pateat. *Deinde ad tertiam,* In festo, *inquit,* quod Confratrum appellamus, Dominica secunda post Pascha, hierotheca brachii S. Gaugerici in forum majus defertur; ibique sub porticu domus civicæ in ara ex tempore erecta, exposita manet tribus horis; qui mos sane antiquus, propter populi reliquias veneraturi frequentiam, inductus fuisse existimatur.

et sepulcrum vetus.

10 *His adjeci ad litteram D arcam lapideam seu* S. Gaugerici *sepulcrum antiquum, quod anno 1545 migrantes Canonici una cum cæteris ejus lipsanis ex ecclesia veteri ad novam transtulerunt, ibique in crypta post chorum collocarunt;* ad quam, C *teste Muttio,* etiam frequentissimus populus festis B. Gaugerici convenit, monumentum ejus veneraturus. *Est autem, ut alibi scribit, hoc* sarcophagum ex lapide subalbo in modum arcæ excavato impositum basi operis recentioris, in medio cryptæ novæ, seu sacelli subterranei, habentis aram consecratam e regione tumuli. *Addidi et ad litteram E veterem* S. Gaugerici *ecclesiam, biennio antequam Caroli imperatoris jussu in monte dirueretur, accurate depictam cum circumjectis domiciliis, quæ prætermisi. De hac* unum te moneo, *ait Muttius :* cum aspicies formam tumuli pro foribus exstantem, ne continuo credas, tumulum S. Gaugerici sub dio extra ædem constitisse : quæcunque enim supersunt de Patrono nostro scripta, ipsius tumulum in subterranea crypta locatum memorant; et certe in ecclesia nostra adhuc exstat tabula alia antiquior ex quodam epitaphio pensilis, quæ frontem ædis veteris exhibet absque tumuli figura in aditu. *Atque hæc quidem omnia ampliori longe et elegantissima forma sumptu suo nitidissime delineata ultro submisit idem clarissimus Muttius.*

11 *Quis autem enarret, hoc sanctissimi corporis depositum quanto semper in pretio Cameraceni servarint? Exarsit ecclesia primum per Normannos, ut asserit Chronicum lib. 1, cap. 59,* anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXI; *et iterum per Hungaros* anno.. CMLIII, *ibidem cap. 74; sed abstrusis, ut additur, tempestive reliquiis. Sed nihil fortius quam quod circa tempus illud fecisse narratur ibidem cap. 77 Fulbertus episcopus Cameracensis Ottoni Magno imperatori, de se maxime merito :* Otto iste, *inquit,* gloriosus princeps eo tempore circa institutiones ac restaurationes ecclesiarum exercebatur attentior; jamque quatuordecim pontificalis magnificentiæ sedibus conditis, quamdam etiam metropolim, Magdaburch vocabulo, struxit; cui cum ab episcopis suis multa Sanctorum pignora impetrasset, Fulbertum episcopum sanctorum Gaugerici videlicet atque Autberti corpora sibi dari postulavit, felicissimam sane arbitratus suam fore metropolim, si sanctorum Confessorum patrociniis fulciretur. Hujus vero petitionem episcopus declinare formidans incerto hæsit; sed tamen beneficiis, quæ multa jam ei præstiterat, ut diximus, ne videretur ingratus, suæ petitioni effectum promisit. Qua in re præsul anxius, in diversa parte animum ancipitem flectit; E vidensque difficultatem negotii, sive donet, sive neget, utrumque sibi fore periculosum advertit : si enim neget, imperatoris benevolentiam offensum iri; si vero donet, suæ provinciæ futuram perniciem, utpote viduatæ Patronis, per quos et temporalem meruit salutem, et cœlestem sperat beatitudinem.

AUCTORE P. B. Corpus vero ibi maximo semper in pretio servatum.

12 Inter hæc medius pontifex tandem sibi provida ratione consuluit; paucisque suorum, quibus secreta credebat, adhibitis, clam duorum sacerdotum corpora, sancti videlicet Theoderici episcopi, de quo supra diximus, et alterius cujus nomen excidit *(Juniores Rotradum fuisse putant, qui post Joannem Theodorico successerat)* detectis sepulcris accepit, feretrisque honorifice involuta cum aliquot etiam articulis sancti Autberti imperatori concessit. Quod siquis latius scire desiderat, quem Fulbertus, doctor clarissimus, de Vita sancti Autberti, jubente domno episcopo *(Cameracensi)* Gerardo *(primo hujus nominis)* inscripserit, legat. Hoc autem absque Dei pia dispositione contigisse non dicam, cum etiam beatus vir Domini Theodericus hanc remunerationem a Domino et venerationem a populo mereretur; F et ne nostra provincia suis defensoribus privaretur; quos etiam si subducere vellet, fateor quidem, nullo modo posset. Quem enim sensum cives habituros existimas, si advocatum suum Gaugericum eripi sibi cernerent, per quem felix civitas Cameracus feliciter illustrata nomen suum propagavit ubique gentium? Imo ne ipsi quidem imperatori, credo, vivi cederent. *Hæc auctor Chronici Cameracensis et Atrebatensis.*

nec sive Magdeburgum in Germania missum umquam.

13 *Vide ergo, qua, non dicam fide, sed venia dignum censeas Tamayum ad hunc diem in Martyrologio Hispano, cum ex Helleca aliisque fabulatoribus de* S. Gaugerico *nostro hæc audet affirmare :* Cujus sacras exuvias tumulavit devotio in ecclesia S. Medardi, a se in monte constructa. QUARUM PARTEM MAXIMAM Witerius, episcopus Hellenensis in Hispania, ad suam ecclesiam transtulit; ubi mirifice collocatam fidelium frequentia coluit. *Witerium autem hunc, seu potius Witericum, aut Ibitaricum, interfuisse ac subscripsisse ait concilio Toletano decimo, anno Christi 656, hoc est quatuor fere seculis ante, quam Fulbertus doctor in Vita S. Autberti episcopi adversus Germanos quosdam, qui et ipsi* S. Gaugerici


sive Elnam in Hispania :











A. *Hierotheca ex argento deaurato capitis* S. GAUGERICI, *amovibilis apparente* a; *ubi visitur pars capitis.*

B. *Hierotheca inferioris maxillæ* S. GAUGERICI, *ex argento deaurato.*

C. *Hierotheca brachii* S. GAUGERICI *ex argento deaurato.*

D. *Sepulcrum vetus* S. GAUGERICI *ex lapide subalbo in modum arcæ excavato, in medio cryptæ novæ sacelli subterranei habentis aram consecratam e regione tumuli.*

E. *Ecclesia anno* 1545 *in loco, ubi nunc est Castellum, destructa. Ex apographo anni* 1543 *Melchioris Fallonis.*

AUCTORE P. B.

rici *corpore, tanquam Ottoni imperatori per Fulbertum antistitem Cameracenum pro ecclesia Magdeburgensi dudum submisso, in eaque deinceps honorifice conservato, gloriabantur, ita scriberet :* Sed illis aliud opinio favebat; nobis aliud veritas servabat : nam nostris temporibus contigit, quemdam vitæ venerabilis urbis ipsius *(Cameracensis)* archidiaconum, nomine Ansfridum, inter multa quæ per loca Sanctorum distribuerat, beato Gaugerico scrinium unum, auro vel argento manu artificis decoratum, fabricasse, in quo Confessoris membra nobilius reconderentur. Superveniente ergo die, quo immutationis ministerium explere debuisset venerabilis præsul Erluinus, qui tunc Cameracæ plebis curam agebat non adeo otiosus, pretiosi membra corporis diligenter perscrutatus, pretiosum corpus MAXIMA EX PARTE invenit; *non utique Helenæ seu Elnæ in Catalonia, sed Cameraci in ecclesia Sancti propria; pro qua contra Hispanos et Magdeburgenses etiam faciunt quæ habet Baldericus de eodem corpore lib. 1, cap. 74; lib. 2 capp. 5, 6, 7; lib. 3, cap. 49.*

B

quanquam ejus aliquot particulas accepisse aliquando Magdeburgum videatur ;

14 *Fieri tamen potest, ut occasione superius memorata particulas aliquot de corpore* S. Gaugerici *acceperit Otto; uti accepit aliquot de corpore S. Autberti, ne Fulbertus episcopus quod ipsi de* Gaugerico *promiserat, mentitus omnino videri aliquando posset, et pro veris ejus reliquiis nullas ejus veras, sed alterius cujusdam nec noti nec postulati, exposuisse publicæ imperatoris et Magdeburgensium venerationi. Non meminit, fateor, de ejusmodi particulis reliquiarum* S. Gaugerici *Fulbertus doctor, sicut meminit de articulis S. Autberti; sed nimirum hujus Vitam tum scribebat, non illius; hinc res Autberti minutius attendere debuit, quam* Gaugerici. *Deinde innuit, de corpore* S. Gaugerici *decerptum aliquid fuisse, antequam illud Erluinus* maxima ex parte invenit. *Atqui nulla cogitari potest ante Erluini tempora urgentior unquam occasio decerpendi fuisse, quam fuerit antistiti Fulberto sub Ottone. Quid ni ergo tum id factum credatur? Nec obest Balderici silentium; quia hic ad Fulberti doctoris textum, quem habebat præ oculis, de suo nihil addere voluit, ne parum fidelis appareret. De reliquiis porro* S. Gaugerici *Elnensibus, præterquam in confictis chronicis vel hæc secutis auctoribus neotericis, nihil uspiam comperi.* C

sicut aliæ plures ecclesiæ

15 *Melioris notæ sunt utique, quas assignant quidam in Belgio; ut Muttius, qui ecclesiæ B. Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ apud Ivodium Canonicis supplicantibus pro dictis reliquiis ait rescriptum ita fuisse :* Nos de consilio et assensu patris nostri Joannis *(de Bethunia)* Cameracensis episcopi... unam juncturam de manu ipsius Sancti liberaliter eis tradidimus. *Sic est anno 1214,* XI *Kal. Jun. in diplomate Ænelmi decani et Canonici* S. Gaugerici. *Sed bellicis injuriis miseri illa junctura privati cum redirent anno 1665, die* XII *Junii,* concessimus particulam maxillæ S. Gaugerici... nec non partem sepulcri seu tumuli lapidei, quem vivens sibi præparari curaverat. *Acta Capitularia.* Major ecclesia, *ait idem,* Cameracena os aliquod digiti S. Gaugerici olim accepit : etenim in descriptionibus authenticis vasorum ejusdem ecclesiæ confectis anno MCCCLXXI *et seqq.* inter multas alias hierothecas recensetur vas ex argento deaurato continens digitum S. Gaugerici. Anno MDCXXXIV, XXI Aprilis abbati Lætiensi particula brachii S. Gaugerici destinatur. Acta Capituli. Anno MDCLXXII, D XXV Novembris, instante Illustrissimo D. Ladislao Jonnart, archiepiscopo nostro, et Excellentissima D. uxore D. Ludovici Zuniga Comitis de Monterey præfecti Belgii et Comitatus Burgundiæ, separata fuit vertebra una S. Gaugerici pro magna illa, quæ Bruxellis exsistit, parochia ejus nomine dicata. *Ita Capitulum. Sed anni sequentis mense Maio, die* XIX, *Illustrissimus Alphonsus de Berges archiep. Mechliniensis,* vertebram *illam sive* spinam dorsi *rite separarit in duas partes; quarum tunc altera eidem Comitissæ cessit; altera jam dictæ ecclesiæ* S. Gaugerici, *ubi ad hunc usque diem honorifice colitur, et* XI *Augusti solemniter circumfertur per urbem, ut me nuper docuit R. A. D. Ægidius Neerdaels, ibidem Pastor,* Anno MDCCXV, XXIX Julii concessimus ecclesiæ parochiali S. Gaugerici Atrebati partem reliquiarum corporis S. Gaugerici de cranio ejus detractam. *Acta Capituli.*

in Belgio.

16 *Addit et alias memoratus auctor ex Rayssii Hierogazophylacio Belgico, pag. 81 dentem ejusdem Sancti, Cameraci in cœnobio Autberti; pag. 199 in ecclesia S. Donatiani Brugis,* S. Gaugerici *os notabile; pag. 415, in collegiata S. Petri Duaci, notabilem partem* S. Gaugerici *antistitis; et reliquias ejusdem in ecclesia parochiali Raulicuriæ pag. 449. Item e Cimeliarchio Lætiensis ecclesiæ pag. 70 :* De vestimentis S. Gaugerici ep. Cameraceni : *pag. 137 :* Partem ossis longitudine digiti auricularis, *de qua num. præterito. Item ex Sanctis sanctorum Hannoniæ pag. 245.;* S. Gaugerici os de brachio ex dono ejusdem Capituli in abbatiali S. Gisleni; *et pag. 298 :* Parochialis S. Gaugerici Valencenis habet costam S. Gaugerici ep. et Patroni sui ex dono Joannæ Comitissæ, quam ipsa a Cameracensibus anno MCCXXXII obtinuit : Exceptionis memoria recolitur I Dominica Februarii. *Additur quoque* ecclesia Begginasii Valencenensis, *sed reliquiæ non describuntur. De ecclesiis porro ejus nomine consecratis longum esset dicere : Clariss. D. Mutte in sola, ut nunc est, diœcesi Cameracensi rurales istiusmodi ecclesias supercsse asserit viginti duas,* inter quas illa, *inquit,* antiquitatis plurimum habet, quæ in Buxuto, vico Hannoniæ secundo a Montibus lapide exstabat, vivente S. Waldetrude, ut fert ejus Vita *apud nos tom. I Aprilis, pag. 838, num. 5, ubi et apparitionem insignem videre est, qua Sanctam illam istic olim dignatus est* S. Gaugericus. F

§ III. Ejusdem Acta vetera quæ fuerint ; quæ supersint.

Vitam nostram secundam scripsit idem, qui Chronicum Cameracense ;

Commentario nostro duplicia S. Gaugerici *subjiciemus Acta; breviora primum, dein ampliora. Hæc illis recentiora sunt; sed quoniam vetustiorum exemplarium sola notitiam offerunt, videndum ante omnia, quantæ sint ipsamet ætatis ac fidei. Censemus igitur primo, longiora hæc Acta nostra eumdem adornasse, qui sub Gerardo episcopo Cameracensi istius nominis primo scripsit illustre Chronicum Cameracense et Atrebatense, quod, præfixo Balderici Noviomensis et Tornacensis episcopi nomine, typis edidit primus Georgius Colvenerius. Id arguunt 1° operis utriusque ætas : nam utrumque eidem Gerardo inscribitur; Vita in epistola prævia, Chronicum in præfatione ad librum 1 : 2° scriptoris conditio : utrobique enim dominum agnoscit Gerardum,*

ejusque

A *jusque jussu hæc se composuisse affirmat, in Vita ibidem et sæpius, in Chronico quoque loco assignato : 3° Operis utriusque præfationes : ambarum namque una fere hæc sententia est : Arduum est imperium meæ tenuitati ; sed malo me censorum quorumlibet exponere periculis, quam tibi non obtemperare, idque fide optima : 4° voces parum usitatæ, sed operi tamen utrique communes ; ut* bacchania *pro furore, in Vita num. 1, in Chronico lib. 2 capp. 5 et 11;* funebritas *pro exsequiis, in Vita num. 60, in Chronico lib. 1, cap. 28 et alibi :* Æolice *pro Græce, in Vita num. 62. in Chron. lib. 1, cap. 88 etc. 5° denique ipse auctor; qui sicut lib. 2 cap. 5 Chronici narrando in prima persona, quæ vidit antea junior, manifeste significat, se eumdem esse, qui præcedentia omnia scripserat ab initio Chronici; sic eadem iisdem verbis attexendo Vitæ nostræ in prima itidem persona a num. 72 disertissime significat, se illum esse, qui quæ in Vita eadem præcedunt, omnia narraverit : atque adeo eumdem omnino esse, qui et Chronicum illud et hanc Vitam composuerit.*

B

imo illam ante hoc; quod probatur,

18 *Censemus secundo, eumdem hæc Acta nostro longiora prius edidisse, quam Chronicum suum. Fatebitur hoc ultro, qui utramque lucubrationem expenderit : nam Chronicum nitidius, brevius, nervosius multo elaboratum est, sapitque stylum usu exercitatum, maturum et gravem; at Vita maxime verbosa et interjectis ornata versiculis ad juvenilem propius accedit garrulitatem. Et vero Vitam hanc fuisse scriptorum suorum primitias his verbis ad Gerardum in epistola prævia satis videtur innuere :* Nec, si ausim dicere, tuæ summæ prudentiæ fuit famulum fatiscentem ad tantæ periculum cogere functionis; ut, QUI NECDUM SCRIBENDI GENUS ATTIGERAM, jam quasi, novus veterum reprehensor, ad tantum opus impudenter erumpam *etc. Præterea in Chronico lib. 2, cap. 4 sub finem de miraculis* S. Gaugerici *posthumis ita meminit :* De quibus maximam partem invidæ auræ se rapuisse lætantur : paucissima vero, quæ non potuere celari, in primo libello succincte perstrinximus; plenissime tamen in illo volumine, quod de Vita ipsius inscribitur, si cui libet, poterit invenire. *Hic citat certo codicem de Vita ejus inscriptum, et Chronico prius editum (utpote, dum hoc scriberetur, cuilibet volenti legere opportunum), in quo miracula post-*

C *huma, quæ succincte tantum perstrinxerat in Chronico suo, lib. 1, capp. 13 et 15, (non 74, ut Colvenerio placuit) plenissime inveniebantur explicata. Atqui codex nullus tum erat publici juris et cuilibet in promptu, in quo miracula Sancti posthuma inveniri possent præter hunc unicum, quo de agimus. Probo id ipso auctoris nostri textu, ex quo simul intelliges, quot ejus ætate nota fuerint Gaugericianæ Vitæ exemplaria diversa.*

etiam ex auctoris textu,

19 *Sic igitur habet in epistola Vitæ prævia ad Gerardum :* cum olim, *pater* sanctissime, de vita patris nostri . . . Gaugerici grandem et miraculosum codicem, de quo hic præmodicus, quem nunc habemus, decerptus fuerat, a senioribus didicisses late compositum; sed sub bacchania paganorum *(Normannos denotat, per quos arsisse docet ecclesiam seu monasterium Sancti anno 881, vel Hungaros, a quibus incensa denuo fuit anno 953)* . . . in ipsis monasterium incendiis una cum thesauro reliquo et quammultis voluminibus illum etiam concrematum; hoc profecto ingemiscens, diutina posthac indagine laborasti; et, sicubi thesaurum tanti pretii reperires, nec modo a confinibus, verum et a longe remotis bibliothecariis sollicitus perquisisti. Neque vero poteras quievisse, donec forte ad laboris tui solatium, favente credo, tuis desideriis divinæ voluntatis suffragio, vetustissimum librum, nescio, quis peregrinus ab Arctois finibus nobis detulit venumdandum, tamen perdito curtiorem, sed habito latiorem : quem tu pie ac desiderabiliter amplexatus, quoniam quidem agresti et minus culto sermone horrebat, illico me jussisti meliore stylo corrigere; et ex duobus libellis, ex nuper invento videlicet, et ante habito, mutatis tamen sermonibus, sed servatis rerum sensibus, unum corpus efficere. *Quod exinde dicit, fideliter a se factum.*

Auctore P. B.

Vitas omnes Sancti veteres recensente;

20 *Hinc intelligimus primo, biographi nostri tempore quatuor tantum* S. Gaugerici *Vitæ exemplaria inter se discrepantia fuisse nota; primum in grandi et miraculoso (forte quia in illum referri consueverant quæ ad sepulcrum crebro accidebant olim prodigia) codice; sed pridem perdito; quem proinde nec videre potuit, neque citare supra chronographus noster : alterum tum quidem superstes et ab eodem chronographo non semel* E *citatum; sed* præmodicum, *idemque adeo, quod elimato stylo e veteribus Mss. edidit Surius ad* XI *diem Augusti, et nos infra sine ulla primigenii styli limatione producemus; sed neque hoc assignari supra potuit, cum ibi agatur de miraculis posthumis, quorum hoc exemplar nullum narrat sigillatim : tertium in vetustissimo illo libro ab Arctois partibus delato; quod quidem (ut erat minore latius et valde vetustum) aliquot miracula post obitum patrata et valde etiam vetusta sine dubio continebat; verum quis hoc unicuique volenti legendum proposuisse supra credet auctorem nostrum; cum in solius episcopi fuerit potestate; cum nunquam prodierit, certe nunquam apparuerit hactenus in Mss.; cum denique tam agresti et inculto sermone horreret, ut ea ipsa causa fuerit, ne sic prodiret, ut illico jussus fuerit ab episcopo scriptor noster illud meliore stylo adhibita quoque in subsidium vita minore, corrigere, et sic demum vulgare? Restat ergo, ut ad ita tandem expolitam et in quartum proinde jam exemplum, hoc est, nostrum immutatam lectores dicto jam sæpius loco remitti potuerint; opusque hoc proinde in publicum ante prodierit, quam Chronicum scriberetur; quod cum maxima ex parte* F *jam absolverit auctor ante obitum Gerardi I, sive annum Christi 1051 (ut contra omnes recte ostendit Henschenius tom. IV Junii pag. 585); sequitur, ut Vita nostra non paulo sit anterior.*

Appendix tamen libri tertii Chronico posterior est; sed auctoris ejusdem,

21 *Intelligimus secundo, ad hujus Vitæ secundæ primam editionem pertinere non posse partem illam libri tertii, quam nos Appendicem nuncupavimus : quia, cum auctor Vitam hanc tantum composuerit ex duobus exemplaribus ætate sua vetustissimis* in unum corpus *redactis,* mutatis *tantummodo* sermonibus, sed servatis rerum sensibus, *non potuit illi admiscere res novas, et utrovis prototypo recentiores, nisi quatenus erant utiles ac necessariæ ad rerum ibi veterum sensus modernis lectoribus suis clarius explicandos; uti factum lib. 1, num. 8, et lib. 3, num 67 et 68. Recentiora sunt autem neque ad præcedentium sensus explicandos inserviunt, quæ habentur in Appendice; imo illud, quod narrat biographus de febre a se ope Sancti depulsa num. 77, si legas in Chronico lib. 2, cap. 7 una cum ibi sequente capite, videbis, illud miraculum accidisse post inchoatum caput illud septimum, et ante*

quam

AUCTORE P. B.

quam fuerit absolutum. Ergo ad primam editionem non spectant; sed ab eodem auctore posterius ad Vitam dudum editam ex Chronico translata sunt eodem prorsus modo, quo ex eadem Vita num. 65, 66, et 69 in Chronicum translata ab eodem ad libri primi capp. 13 et 15. Idem eluscescit ex primigenia libri tertii nostri divisione servata in codice seculi ferme 13, quam dabimus in Vita num. 64, et quæ tantum pertingit exclusive, ut aiunt, usque ad Appendicem. Item ex ea, quod in codice seculi XII, liber tertius, item ut ambo præcedentes, majori et æquali charactere sit scriptus usque ad initium Appendicis nostræ; ab hoc autem initio usque ad finem litteris minutioribus magisque compressis, qualibus uti plerique solent in auctariis et appendicibus, ut a primigenio textu secernantur.

qui non videtur fuisse Baldricus ep. Noviomensis.

22 *Quæret nunc forte quispiam, ecquis demum fuerit auctor ille et Chronici Cameracensis et Vitæ nostræ secundæ. Respondeo, Gerardi episcopi Cameracensis primi ac viri maximi familiaris; ecclesiæ ibidem cathedralis canonicus, et* B *in antiquitatibus Belgicis fide apud posteros et auctoritate gravissimus, quæ omnia Colvenerio in Chronici prolegomenis demonstranti libenter assentimur, nobisque sufficiunt, ut opus ejus qualecunque, puta Vitam* S. Gaugerici *hactenus anecdotam, e tenebris, priusquam intercidat, eruamus in lucem. Cæterum quod idem ibi Colvenerius per instrumenta non uno ex capite suspecta contendit, auctorem hunc Baldericum illum fuisse, qui episcopatum subinde Noviomensem ac Tornacensem sit consecutus, adduci non possum ut credam; maxime ex quo mihi solertissimus Muttius inter Baluzii Miscellanea tom. V pag. 309 epistolam ostendit decani et ecclesiæ Noviomensis ad Lambertum episcopum Atrebatensem de electo jam Baldrico ut quamprimum confirmetur.* Habet *enim, inquiunt scribentes de sua ecclesia et Balderico,* communi cleri plebisque consilio et assensu pastorem non aliunde illatum, non alium *; sed suum, suo profusum utero, quem gremio susceptum ipsa sibi lectavit, quem sibi ablactatum ipsamet educavit, et ab ipsis cunarum exordiis per ætatum et ordinum gradus sibi penitus vendicavit; ut habere gaudeat ex filio patrem, ex C alumno rectorem, ex canonico suo et archidiacono Baldrico pontificem. *Connectat hæc qui potest cum chronographi nostri pueritia Cameraci traducta cum longa familiaritate et obsequio domestico in palatio episcopi Cameracensis Gerardi, cum canonicatu denique ac diuturna residentia in ecclesia Cameracensi; et per me quidem licebit, ut eum Baldricum faciat episcopum Noviomensem. Interim et nos hic Baldericum non raro appellamus, ne a recepto nunc modo discedamus omnium primi.*

* f. non alienum

Unde hic demus Vitam primam;

23 *Porro hunc lucubratiunculam appellamus Acta altera, seu Vitam secundam; quia præmittimus illi præmodicam aliam longeque vulgatissimam, cujus jam diximus elimatum fuisse stylum a Surio: est enim multo antiquior, ut ex eo patet, quod sit rivulus ex primario fonte, nescio quanto anterius, quam hic periret, eductus. Sunt, qui scriptam fuisse velint seculo octavo; forte quia in fine de celeberrimis nundinis meminit ad Sancti sepulcrum institutis, ibique ait,* etiam usque in hodiernum diem beneficia incessanter præstari divina; *quæ sane ætatem non indicant cum* Gaugerici *sepultura proxime conjunctam. Novelli rigidique censores dum accurationem ejus gravitatemque laudant, id solum queruntur, quod limam ab ea Surius non abstinuerit. Queri desinant:* D *nam hic pura prodibit ex Mss. antiquis; puta ex Ms. ecclesiæ* S. Gaugerici *apud Cameracenos collegiatæ, in quo adnotatur collatio facta cum* vetusto Ms. Atrebatensi in magno quarto; *item ex elegantissimo codice nostro membraneo* P. *Ms. 155. Alia duo quæ habemus, ut Ms. Ultrajectense S. Salvatoris, et Ms. S. Maximini Trevirense, quia nimis interpolata sunt, missa facimus. Priora tria inter si mirifice per singula fere verba consentiunt usque ad initium numeri 14; ubi Ms. Cameracense discedit ab aliis, et primam Vitam per secundam prosequitur (absque ulla tamen interruptione, absque ullo titulo, absque ulla mentione vel indicio novi operis) a num. 56 usque ad finem Appendicis libri tertii: Ms. Atrebatense cum codice nostro laudato primam Vitam continuat usque ad finem numeri 14; ubi cum Surio recte desinit: nam quæ subduntur in codice* P. *Ms. 155 duo miracula, ea manifeste adjecta sunt ex Vita secunda, ubi legi poterunt num. 65, 66 et 69; adeoque in Vita prima, ad quam non pertinent, inducentur.* E

unde Vitam secundam.

24 *Vitæ secundæ rariora sunt exemplaria, et apud nos quidem nonnisi unicum, communicatum olim cum Rosweydo nostro* ex Ms. vetustissimo, *ut ipsemet adscripsit apographo nostro,* D. Preudhomme, canonici Cameracensis; *sed ita truncatō, ut in libri tertii præfatione consistat. Jacturam hanc aliunde diu sarcire frustra conati, jam ejus loco ad prælum destinabamus miracula Sancti posthuma, quæ in Ms. Cameracensi mox laudato cum Vita prima tenore perpetuo connexa legeramus; cum ecce, præter spem, Patrum nostrorum Cameracensium ope in virum incidimus, cujus vel ex solis epistolis nemo nostrum satis mirari potuit in vetustis patriæ suæ monumentis eruderandis industriam, in communicandis cum profusa benignitate facilitatem, eruditionem denique in iisdem illustrandis exercitatissimam simul ac modestissimam. Fuit is, quem iterato jam compellavimus, R. admodum D. Henricus Dionysius Mutte Cameraci ad* S. Gaugerici *canonicus, qui nos præter alia docuit, hujus Vitæ secundæ superesse in eadem urbe exempla duo a Preud-hommiano mutilo (quod ipsum non ita pridem vidit, aitque seculo* XI *sibi exaratum videri) diversa; alterum in codice monasterii sancti Sepulcri, scripto circa finem seculi* XI *vel initium sequentis; alterum in codice basilicæ* S. Gaugerici, *sub exitum,* F *ut videtur, seculi* XIII *ad usum chori sic digesto, ut, quæ nos ad Appendicem redegimus, ibi a fol. 37 ante alia reperiantur; a folio 11 sequantur (absque prolegomenis tamen, quæ haud dubie cum folio præcedente rescecta creduntur) liber primus, secundus, et pars tertii; ubi iterum post hæc verba,* Quid vero gestum sit in vicinia civitatis Sessonicæ, cum sit dignum *deficit folium sequens; sed hujus capituli quarti residuum, æque ac tria præcedentia ejusdem libri, recurrunt infra Octavam Sancti.*

seu Acta altera.

25 *Et his diligentissime collatis vix librum tertium officiosissima illa manu conscriptum accepimus, cum eum omnino congruere mirati sumus cum auctario Vitæ primæ in Ms. nostro Cameracensi; in quo tamen illum antea non poteramus agnoscere; quia, uti jam dictum est, sine præfatione, sine ullo signo diversitatis ita Vitæ primæ erat accommodatus, ut opus unum videretur a quocunque amplificatum. Ergo jam tria ejusdem libri tertii conferri possunt exemplaria; sed ne minutiis inutilibus lectorem detineamus, visum est*

A *est in iis manuscripta duo consona sequi, neglecto tertio discrepante; nisi discrepantia sit alicujus momenti. Libri priores duo cum tertii præfatione dabuntur ex Ms. Preud-hommiano. Nusquam autem religio fuit illam scribendi rationem corrigere; quæ medio ævo communis fuit, ut in verbis* ammonere, intimis, *pro* admonere, ultimis, etc.

§ IV. Capita quædam ad Sanctum spectantia, sigillatim discussa.

S. Gaugericus ep. Camerac. unicus fuit:

In *Commentario ad Acta S. Vedasti die* VI *Februarii, num. 6 et 4, scriptores non paucos adduximus, tametsi non veteres, qui sanctum aliquem Gaugericum, Gangericum, seu Sagericum adstruxere episcopum Cameracensem et S. Taurini episcopi Ebroicensis, de quo hoc ipso die* B *satis multa memoravimus, fratrem. Dubium ergo cuipiam videri potest, nosterne sit ille, an alius ejusdem nominis ac sedis antistes. Sed respondeo, nec nostrum esse posse; nec alium videri, nisi fictitium. Primum patet ex epitaphio S. Taurini, quod versus initia seculi* VII, *una cum ejus corpore repertum, superius exhibuimus: cum enim in eo scribatur fuisse primus episcopus. Ebroicensis ecclesiæ, dudum obiisse debet; antequam ei successerit post S. Gaudum Maurusio, qui anno 511 subscriptus legitur concilio Aurelianense primo; episcopum ergo creatum fuisse S. Taurinum necesse est integro, ut minimum, seculo antequam Cameraci* Gaugericus *noster longissimus suum episcopatum ordiretur: non hic igitur illius frater. Cur autem fictitium illum Gaugericum putemus, præter altum et antiquum de illo silentium in ecclesia Cameracensi, facit in primis Vita S. Taurini, quam hoc die ostendimus nulla omnino fide dignam esse; tum novitas eorum, qui sola hujus ejusdem Vitæ auctoritate niti videntur, dum Gaugericum Taurini fratrem episcopum jactant Cameracenum. Cautior his fuit (nescio tamen an vero propior) amplificator ille Martyrologii nostri Bedani ad hunc diem; ubi* Gaugerico *nostro fratrem quidem sanctum Taurinum adjungit; sed* C *episcopum fuisset non dicit, nedum Ebroicensem; forte quod hic error Vitæ Taurianæ nimis ipsi crassus apparuit. Nos præter Landonem in Vita secunda num. 57 relatum, fratrem hactenus* S. Gaugerici *nullum novimus.*

ibi quamdiu sederit.

27 *De primordio episcopatus ejus auctores plane insignes perquam disparata scripserunt. Massæus Chronicorum mundi lib. 13 pag. 181 ordinatum ait anno 595: Contra Colvenerius, quem diu omnes passim præterito seculo absque ulla discussione secuti sunt, anno 555: Utraque sententia multum exerrat: cum enim ex ejus Vita prima num. 6, ex secunda num. 28 certo fuerit episcopus ordinatus ab Ægidio archiepiscopo Remensi, non potuit hoc fieri ante annum 569 quo Mapinio Remensi successit Ægidius; neque post annum 590, quo legitime condemnatus ac depositus urbe cessit idem ac pontificatu suo. Imo ut ex iisdem Vitis constat, id ab Ægidio factum esse rogatu Childeberti regis; ita certum esse debet, non accidisse ante annum 575, quo Childebertus II Austrasiæ regnum Sigeberti patris morte suscepit. Sed neque istam ordinationem ultra annum 584 aut sequentem ullo modo differri sinunt anni* XXXIX, *quibus eum utraque Vita nostra et Chronicum Cameracense aliaque monumenta præfuisse consentiunt; tametsi Sanctum vixisse quis posset ostendere usque ad annum, quo Bertoaldus ejus defuncti successor subscripsit concilio Remensi, qui fuit Christi 624, ut Pagius probat in Critica, vel 625. Adde, in neutra Vita ullam fieri mentionem Dagoberti; sed Clotarii, qui Dagobertum filium anno 622 regem creavit Austrasiæ, ad quam pertinebat Cameracensis ecclesia: obierat jam tum ergo* S. Gaugericus. *Nihil porro satis ultra solidum occurrit, quo initium ejus finemque pressius consignemus, quam ut illud inter annum Christi 575 et 583; hunc inter annnum 614 et 622 locandum asseramus. Ita vere Sigebertus in Chronico ad annum Christi 594 scripsit:* Gaugericus Cameracensis episcopus claret. Claret, *inquit; non, ordinatus est, ut Massæus; non mortuus est, ut Covenerius falso interpretantur.* AUCTORE P. B.

An a sede Cameracensi et Atrebatensi

28 *Golcherus, seu quisquis fuit, qui Gesta Trevirorum jam ter edita composuit seculo duodecimo, postquam de S. Marguerico Trevirensium antistite mentionem fecisset cap. 37, sic pergit:* E Cui successit Gaugericus discupulus ejus, qui in castro Trebirorum Evosio fuerat educatus. *Hanc assertionem de S. Gaugerico nostro, tanquam ab ecclesia Cameracena et Atrebatensi ad altiorem Trevirensem evecto non posse esse veram satis demonstravit Browerus noster in Annal. Trevirensibus ad annum Christi 596, seu lib. 6, num. 92; ut hic repeti ejus argumenta non debeant; cum nemo, quod sciam, Golcheri et sequacium ejus modo non agnoscat errorem; qui natus videtur ex corrupto quodam episcoporum Trevirensinum catalogo, Gondericum seu Gaugericum exhibente pro Gunderico, quem idem Annalista in vetusto catalogo reperit, non ut Sanctum tamen, aut discipulum decessoris, in castro Evosio educatum; sed sine ulla prorsus alia notitia, quam quod S. Magnerico successerit. Unde ergo auctor Florarii nostri Sanctoram manuscripti, qui ante duo, et quod excurrit, secula Gaugericum legit et a nostro tamen diversum censuit; unde, inquam, hujus sanctitatem et natalem didicit, cum ad hunc diem notaret:* Apud Trevirim depositio sancti Gaugerici episcopi et confessoris, avunculi sancti Gaugerici episcopi Cameracensis? *Ipse viderit: ego certe nescio.* F

ascenderit ad Trevirensem.

29 *Eodem opinor, luto immersus errat Ferrarius in Catalogo generali cum ad diem* XXV *Julii scripsit:* Romandissiæ, sancti Gangrici episcopi Trevirensis, discipuli sancti Magnerici: *nam quas ibi citat in annotatis Molani Additiones, vel suppositæ sunt, vel saltem ineditæ. Quis iste* Gangricus? *An non idem cum supra memorato Gunderico? At hic unde Sanctus fuisse scitur; unde illo die defunctus? Non intellexit, credo Saussayus in Supplemento ad Martyrologium suum Gallicanum eodem die pag. 1152; ideoque sic emendare conatus videtur:* Apud Treviros, Translatio non corporis, sed cathedræ sancti Gaugerici, quando, demortuo sancto Magnerico Trevirensi metropolita, de sede Cameracensi tum simplici diœcesana, ad Trevirorum principantem ecclesiam superiori jussu transcriptus est. Romandissæ autem, postquam sacra est præfectura undequaque ad Dei gloriam perfunctus, extremos spiritus exhalavit. *Nimirum Gangricum ignotum in maxime notum S. Magnerici discipulum commutandum putaverit* S. Gaugericum; *quem cum unicum nosset, eumque sciret obiisse die* XI *Augusti, ejus hic tantum aliquam translationis*

AUCTORE P. B.

lationis memoriam notandam censuerit. Sed cujus translationis; eo præsertim die, quo celebratur natalis S. Magnerici? Non invenerit forte opportuniorem, quem cathedræ successoris ejus. Ut ut est, malim ego quidem Ferrarii annuntiationem obscurissimam præterire, quam admittere Saussayanam, quæ anniversariam præscribit memoriam rei, quæ nunquam accidit, nedum fuit aut est unquam Treviris celebrata.

Quid gesserit apud Clotharium regem.

30 *Falsa quoque et omnino conficta videri debent ex modo dictis, quæ inter sanctum Præsulem nostrum et Clotarium regem dicta, scripta, gestaque narrantur apud infelicem Joannem le Carpentier in sua Historia Cameracensi part. 2. cap. 2, pag. 321 et seqq.: nam omnia manifeste pertinent ad Clotharium 1; quem, utpote anno 561 mortuum, nunquam vidit* Gaugericus, *episcopus. De Clotario II agit Massæus Chronicorum mundi lib. 13, pag. 181, ubi catalogum texens episcoporum Cameracensium,* Quintus, *inquit,* jam dictus Gaugericus *(quem paulo superius ordinatum dixerat anno 595)* convertit populum. Convertit et regem Clotarium, qui dedit ei copiosum thesaurum; quo monasterium exstruxit in monte, ubi nunc B quiescit. *Sed quid est,* Convertit Clotarium? *Ad fidem? Non est ita. Ad vitam sanctiorem? Esto. At phrasis obscura est. Datum ei a Clotario thesaurum nemo dubitat: verum hoc thesauro extructum fuisse monasterium illud, mallem in utravis Vita legere, quam apud recentiorem chronographum. Atqui contrarium legi videtur in Vita secunda num. 57. Siquid ergo in hunc locum contulit unquam Clotarius, post obitum Sancti contulit. Sed enim quid Acta moramur?*

ACTA

Auctore anonymo, ex insigni codice nostro membraneo Ms P. 155, cum aliis Mss. collato.

C

CAPUT I.

S. Gaugerici natales, studia eximiæ sanctitati juncta, evectio ad sacros ordines et episcopatum.

Sancti patria, parentes, prima studia; a b

Beatus igitur Gaugericus Evosio *a*, Galliarum oppido, quod ecclesiæ Trevirensi subjacet, oriundus, patre Gaudentio, matre Austadiola *b*, licet juxta elati sanguinis fastum nec summis nec infimis, Christianis tamen et ingenuis parentibus et orthodoxis editus puer est. Qui cum procedente tempore et ætate, ut in Dei rebus jam a puero cresceret, traditus est sacrarum litterarum studiis; quatenus futurus pontifex limina sapientium tereret, et cum Maria ad pedes Domini sedens, verba ex ore illius audiret. Contigit interea, episcopum Treverensem, Magnericum *c* merito et nomine, canonicis sanctionibus obtemperantem, parœciam suam circuisse, et ad ejusdem castri ecclesiam solito pervenisse; ubi ex more sacrum agens mysterium, cœpit a sacerdote loci ipsius requirere, si rarus inibi concurreret ordo ecclesiasticus; et quos et quales haberet in Dei servitio adjutores. At ille, Habemus, inquit, hos et illos in Christi famulatu altaris ministros; inter quos pollet Gaugericus nomine quidam, adolescens quidem ætate, sed cæteros sacris studiis antecellit et sanctitate. D

fervida pietas, et abstinentia quotidiana;

2 Eruditioni quoque sacrarum litterarum traditus, primis adhuc inbuitur litteris. Cæterum tirocinii sui tempus morum probitate jam in emeritam transfudit ætatem. Nam audito signo, quo ad laudes Dei horis canonicis admonemur, ille habitu laicus, mente devotus, relictis omnibus, quæ etiam in manu sunt, imperfectis, properans ad ecclesiam mature alios antevenit. Verum in auditorio manens, est inter lascivos continens, inter impudicos verecundia et pudore honestus, suavis eloquio, parcus cibo, vigiliis deditus, eleemosynis largus, in oratione perseverans, et animum gerens mentemque virilem, operibus bonis suos jam vincere studet annos. Cæteris siquidem coætaneis (ut talis patitur ætas) cibum sumentibus, ille, velut alter Daniel in aula Babilonica, inserviens abstinentiæ, prandium cæna mutat; et quod suo corpusculo subtrahit, pauperibus erogare contendit: at noti proximus, inedia et maceratione attritus, modicum et castum sumens cibum, sustentato potius quam alito corpusculo, ad opus simile reparatus assurgit. E

attonsio clericalis per S. Magnericum ep.,

3 Quibus auditis, venerandus pontifex, Nostris, inquit, reverendus actutum præsenteter optutibus Adolescens. Qui cum adductus in ejus staret præsentia, cœpit eum venerabilis pontifex blande ac leniter affari, dulcique sermone præclare indolis animum confortate. Compertaque illius sanctitate, suis eum sacris manibus, fusa super ipsum benedictione, summus pontifex totondit, et regia et sacerdotali corona famulaturum Domino in jus perpetuum insignivit. Sed inter agendum interrogavit illum episcopus, quam nuperrime lectionem redditurus a magistro accepisset. At ille dignum memoria responsum ita reddit aiens: Lectionis meæ, inquit, hoc habetur exordium: Postula a me, et dabo tibi. Ad quod gaudens venerabilis episcopus, ait: Cum ad hunc locum, fili, rediero, totum mihi redditurus Psalterium esto paratus; volens videlicet, quod postea probavit eventus, sacris illum ordinibus sublimare. F

promotio usque ad diaconatum, post mandatum memoriæ Psalterium. d

4 Saluberrimo igitur præcepto instructus, cœpit vir Domini Gaugericus vigil et sobrius instanter studio et exercitiis spiritualibus operam dare, ac macilento ventre sensum tenuem enutrire *d*. Et quod vix alii sub crepantibus ferulis longo peragunt tempore, hic admonitiuncula una, et semel data, intra paucos dies totum sacræ memoriæ Davidicum commendavit Psalterium. Nec multo post ad idem castrum beatus rediens pontifex, memor jussionis suæ, famulum Christi Gaugericum suis præcipit aspectibus præsentari. Quo exhibito, cœpit eum præsul monere suam quantocius reddere pensionem. Qui concitus paternis obtemperans jussis, totum ex intregro memoriter sub oculis recitavit Psalterium. Quem mox pio animo amplectens episcopus, ne lucerna tanta maneret sub modio, sed super candelabrum posita omnibus in domo Dei agentibus eluceret, gratias agens Deo, ordinavit illum diaconum. Sublimatus autem Levitæ officio, gratiam omnem transcendebat in clero.

5 His ita sese habentibus, dum vir Domini Gauge-

Ethnicum leprosum Baptismo sanat :

A Gaugericus semper in dies in bonis operibus fructificaret, quadam die more solito loca orationis adiens, obvium habuit gemina sorte leprosum; exterius videlicet superficie cutis luridum, et interius gentilitatis spurcitia fœdum. Sed vir Domini Gaugericus intelligens, corporis maculam ex peccatorum rubigine fusam, aggressus, nec mortale sonans, cœpit verbum Dei leproso prædicare : quatenus conversus ad Dominum, mereretur et a peccatis exui, et lepræ fœditate mundari. Qui statim visitatus a Domino, per admonitionem Viri Dei credidit, ac diabolo et omni idolorum spurcitiæ abrenuntians, sese Christianum fore promisit. Quo dicto, hunc mox ad sacerdotem, velut Naaman ad Jordanem, lavandum baptismate duxit. Perfususque baptismatis unda, quia peccatis caruit, exterior cutis ostendit : nam ita mundus apparuit, acsi nunquam lepræ contagio tactus fuisset. Quem famulus Christi Gaugericus e fonte suis sacris manibus excepit, et imbutum deinde sacris litteris coronæ Fratrum religiosorum sociavit. Postea vero episcopus factus, per gradus singulos usque ad sacerdotii culmen provexit. Et quod a minimis cœpit opus, consummatum ad ex-

B celsa perduxit.

succedit Vedulfo episcopo Cameracensi.

6 Cumque jam crebra beati Gaugerici vulgaretur fama, et odor sacræ opinionis ejus longe lateque suavius fragrantiam * emanaret, cœpit etiam longe positis nomen ejus magnum haberi; quia, ut Dominus ait, Civitas in monte posita non potest abscondi. Interea contigit Vedulfum *e*, Cameracensis sedis episcopum, diem obisse et exemptum rebus humanis ad meliora transisse : denique grex a pastore destitutus, cœpit quærere, ut sibi spiritalis pater ad regimen sanctæ daretur ecclesiæ. Sed inspirante divina clementia, sancti viri fama comperta, omnes uno animo, eadem voluntate, clerus et populus ipsius ecclesiæ petierunt ab Hildeberto *f*, Francorum rege, sanctum sibi Gaugericum ordinari episcopum. Nec difficile fuit. Quin illico missis litteris ad Ægidium, Remanæ urbis episcopum, decrevit satisfieri votis populi, quatenus bonæ opinionis levita Christi Gaugericus Cameracensis ecclesiæ ordinaretur episcopus. Quo percepto beatus Pontifex et acclamantibus cunctis beatum Gaugericum honore pontificali fo-

C re dignissimum, incunctanter illum throno episcopali mox reddidit sublimatum *g*. O felicem populum, felicem clerum, qui talem ac tantum habere meruit a superno Rege patronum!

* al. fragrans

et mox uno miraculo liberat vinctos duodecim.

7 Sacra igitur ordinatione percepta, cum oves sibi a Domino commissas visitaturus pius Pastor adiret, atque a clero et populo choros obviam ducente fuisset officiosissime susceptus, transire habebat ante ostium carceris, ubi duodecim noxii tenebantur nexibus ferreis astricti. Quod audiens vir Domini Gaugericus episcopus, miseratione solita motus, cœpit insistere et precibus insudare apud Waldonem *h*, urbis ipsius comitem, ut miseros illos suæ non dedignaretur donare petitioni. At vir ille typo seculari et fastu mundanæ potentiæ inflatus, non timuit sancti Viri preces contemnere, et quod fuerat rogatus, negare. Ille vero spretus ab homine, et humano auxilio cessante, totum se ad Dominum precibus contradens, petiit divinam clementiam, quatenus de pædore carceris erepti, in ecclesia, quam petebat, invenirentur cuncto populo manifesti. His dictis, mox divina operante clementia contritis manicis, nervo confracto, compedibus dissolutis, suffragio angelico ecclesiam, cui sanctus deducebatur Pontifex, quantocius sunt ingressi. Intrante autem ecclesiam summo Pontifice, clero ac populo spectante, apparuerunt hi, qui paulo ante vincti fuerant, flexis poplitibus Episcopo dicentes : Nos sumus, Pater Sanctissime, illi qui modo de interiori ergastulo tuis sumus precibus sanctæ matri Ecclesiæ restituti. Quo audito, venerandus Vir gaudio repletus, gratias agens Deo, simul cum cæteris intuenti et admiranti hujusmodi alloquens comiti dixit : En, generose vir, expertus cognosce, quam major est miseratio Domini solvens compeditos; quam tua severitas volens perdere hos vinculis aggravatos. Quibus monita præbens salutis, ut emendatius viverent, liberos ad sua quemque reverti concessit. Ex Mss.

ANNOTATA.

a Euosium, *alias* Eposium, Epoissus, Episium, Evusium, Ivodium, *vulgo* Yvois, *modo* Carignan, *oppidum est Trevirorum in moderno ducatu Luxemburgico ad Carum fluvium, 12 circiter leucis horariis Luxemburgo distans versus occidentem. De hoc plura dicentur in Vita secunda.*

b Austridiolam *nescio unde arripuerit Surius : nam* Austadiola *constanter legitur in Mss. nostris et vetustis Breviariis. In Vita secunda num. 7* Stadiola *nuncupatur in apographo nostro unico.* E

c *De* S. Magnerico *actum est die 25 Julii, ubi ejus Actis multa hinc assumpta inseruisse videbis Eberwinum a pagina 185.*

d *Alludere videtur auctor ad illud S. Hieronymi epist. 2 ad Nepotianum :* Pulchre dicitur apud Græcos, et nescio, an apud nos æque resonet : Pinguis venter non gignit sensum tenuem; *id est, subtilem.*

e Ab isto, *ait auctor Chronici Cameracensis lib. 1, cap. 12,* cæterisque successoribus ejus Cameracensis ecclesia specialem principatus aulam, *id est episcopale domicilium*, accepit. *Tum addit, de gestis ejus nihil superesse,* præter quod in Gestis B. Gaugerici legimus, illum rebus humanis exemptum ad meliora transisse. Per quod datur intelligi, non eum ejusmodi meriti fuisse, cui supplicia pro culpa, verum præmia reddantur pro innocentia; quod est ad meliora transisse.

f *Quædam Mss. cum Surio habent* Childeberto *et recte; intellige tamen secundum, qui regnare cœpit in Austrasia anno 575; nam primus dudum obierat, antequam Remensi ecclesiæ præsidere cœpisset Ægidius, de quo mox. Vide Commentarium num. 27.* F

g *Nempe post annum 575 et ante 583, uti dictum in Commentario num. 27.*

h *Surius legit* Waldonem *et* Waldonium; *Vita secunda* Vadonem.

CAPUT II.

Alia miracula viventis, felix obitus, et locus sepulcri celeberrimus.

Iterum alio miraculo tres alios liberat : a

Confirmatus autem in sede pontificali, studebat vir Domini prædicationi operam dare, verbis pluere, miraculis coruscare. Dum vero ex more Gallico Letaniæ, id est, Rogationes *a* fierent, ac pius Pastor in hoc sacrosancto studio vexillo sanctæ crucis fretus, gregi suo prævius ducatum præberet, erat illi ante carcerem transire,

in

Ex MSS.

in quo tres viri tenebantur jussu Walacharii judicis vinculati. Quod cognoscens Vir sanctus, solita pietate motus, supplicavit eidem judici (præsens siquidem erat) ut miseros illos sibi emendandos donaret. Illo autem negante, beatus Gaugericus pro foribus carceris aliquantisper orationi incubuit, quatenus omnipotentis Dei clementia concederet, quod inflata mundi potentia et judex ira debriatus negabat. Surgente autem sancto Viro ab oratione, protinus ipsi vincti nutu divinæ potentiæ a vinculis sunt absoluti. Quibus venerandus Pontifex medelam adhibens animarum, et mente ac corpore absolutos, ut deinceps melius viverent, ad propria eos remisit.

eodem iterum modo liberat captivos duos: b c d

9 Quodam *b* vero tempore cum ad occursum Lotharii *c* regis in villa, quæ Cala *d* dicitur, properasset, summa cum veneratione a principe optimatibusque palatii est susceptus. Ubi dum more suo pro miserorum salute curam gereret, audivit, duos pueros a Landrico illustri viro, qui major dominatu in aula regia fascibus excellebat *e*, in vincula conjectos ad mortem teneri. Quem aggressus Pastor pius, preces in omnes descendens, B rogare cœpit, ipsos pueros solvi eosque ob amorem Domini emendandos suis precibus dari. Quod vir ille obstinato corde stomachans abjuravit, precesque saluberrimas sprevit; sed Vir Domini non oblitus sui, præsidium, quod solebat, adiit. Nam se suosque pro ereptione illorum, quos liberare cupiebat, jejunio et orationi contradens cum vigiliis et hymnis, quia negabatur humanum, divinum flagitabat auxilium. Nam in sequenti nocte in oratione perseverans, in miseros illos supernum operiebatur respectum. Mane autem facto, angelico, ut credimus, mysterio * absoluti hi, qui tenebantur in vinculis, in eadem basilica, qua Vir sanctus agebat, ejus se conspectibus obtulerunt. Interea jam dictus vir Landricus mature oraturus ad ecclesiam properans, reperit in præsentia sancti Gaugerici medicinam animæ præstolantes, quos putabat in diris manicis morti adhuc retineri addictos. Quibus Vir Domini medicamenta præbens salutis emendatos ad propria libere permisit abire.

* al. ministerio

Clotharii regis eleemosynas distribuens.

10 Cum igitur opinio præcelsa sancti Viri huc illucque viritim private publiceque discurrens, usque ad aulam regiam pervenisset, comperta rex Lotharius sanctitate illius, de domo æternitatis C mente pertractans, incidit illi salubre consilium, ut per manus tanti Viri erogatio fieret in pauperes Christi. Statimque beatum Gaugericum suis conspectibus adesse præcepit. Quod Vir Domini audiens, quoniam sciebat, se potestatibus sublimioribus subdi debere, concitus ad jussum regis perrexit, et quæ in usus pauperum collata sunt, liberali manu distribuenda suscepit. Quibus susceptis, tractabat apud semetipsum, quomodo ea in solatium melius inopum cederent, juxta quod scriptum est: Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui tradas eam. In qua deliberatione incidit cogitatio illi, ut ad limina beati properaret Martini, ibique pro suis suorumque erratibus tanti viri meritis Dominum precans, prout dignum videretur, etiam in usus sanctorum pauperum daret.

cæcum sanat signo crucis:

11 Arrepta namque profectione, cum iter cœptum carperet, in vicinia Turonorum erat cæcus quidam, jam annis triginta solari luce privatus: qui cum audisset, beatum transire Gaugericum, clamare cœpit, quatenus per sanctitatis ejus orationem mereretur a sole justitiæ Christo Domino oculorum illustrationem. At ille in Domini fisus clementia, dextera super oculos cæca nocte diutius pressos sanctæ crucis signum impressit; D et cæcitatis tenebras manu sancta detersit. Verum lumine recepto, qui cæcus fuerat, pro collato sibi beneficio largitori Domino gratias agens, ad propria remeans, plures postea videns et valens duxerat * annos.

* al. duxit

Dum, orat dimissus baculus, ne precem ejus lapsu turbet, per se consistit.

12 Beatus vero Pontifex iter, quod arripuerat, carpens, ad beati Martini sepulcrum pervenit; ubi a fratribus cum magno susceptus gaudio, agens opus pro quo venerat, ad propriam repedare disponebat provinciam; sed inter hæc disponendum placuit ei, ut possessiones episcopii sui, quas in territorio Petragorico *f* habebat, visendas adiret. Ad quas cum tenderet, quid ad cumulum præconii ejus Dominus ostendere dignatus est, non est silentio comprimendum. In eodem namque itinere ad sepulcrum beati Frontonis deprecaturus Dominum accedens, baculum, quo sustentabatur, retro tenendum ministris porrexit. Quibus aliorsum intentis, nemo illorum exstitit, qui tanti Pontificis obsequio in retentione baculi deserviret. Sed misericors et miserator Dominus E nolens * vel ad modicum Servi sui orationem cujuscunque incuria vel labentis baculi strepitu fuscari *g*, imo cujus esset meriti, hominibus manifestum fieri, angelicis, ut credo, manibus, acsi radicitus terræ figeretur, baculus ipse immobilis stetit. Orato autem Domino suo, surgens ab oratione beatus Gaugericus, reperit eum, quem dimiserat, baculum stantem, quasi rem sensatam, suis officiis deservire paratam. Unde gratias agens Deo, qui semper et ubique dignatur famulantibus sibi adesse, ad patriam est cum honore et prosperitate reversus.

* pro Domino nolente

Iterum prodigio mancipia liberat e vinculis: h

13 Operæ pretium autumo, non præteriri silentio, quod ad laudem et gloriam suam per Servum suum Deus omnipotens in fano Martensi diœcesis territorio *h* est operari dignatus. Nam cum pro sollicitudine sanctionis ecclesiasticæ inibi vir Domini Gaugericus moraretur, contigit, negotiatorem quemdam pueros captivos vinculis aggravatos per locum eumdem ducere venumdandos. Quo comperto, beatus episcopus cœpit eidem instare negotiatori, petens obnixe, ut pro absolutione criminum suorum eos, quos ducebat vinctos, absolveret, et in die Domini metuendo mercedem perpetuam exspectaret. Quod audiens institor ipse, obstinato corde, ut servus avaritiæ, F qua potuit excusatione quod rogabatur ab Episcopo sancto, negavit. Ille vero Domini fretus auxilio, supplicans oravit, quatenus superna potentia præstaret, quod avarus ille mercator lucris inhians, pernegasset. Illo autem diversorium petente, nutu divino gravissimo est sopore depressus. Nec mora hi, quos catena premebat astrictos, dissolutis nexibus, in præsentiam se contulerunt Pontificis. Expergefactus vero negotiator, cognovit, suos, quos habuerat in vinculis, solutos fugam inisse; cogitabatque apud semetipsum, quod verum erat, beati Gaugerici precibus illos a vinculis esse subtractos. Unde festinus ad ecclesiam, in qua vir Dei Gaugericus habebatur, currens, invenit quos querebat, de sui absolutione lætantes, qui paulo ante fuerant amaris fletibus et mœrore deflentes; et qui prius sanctum Pontificem voluntarius audire noluit, coactus divinæ potentiæ cessit *i*.

i

sedit annis 39; sepultus fulget miraculis: k

14 Rexit igitur venerandus Præsul prædictam Cameracensium ecclesiam annos circiter XXXIX *k*. insignis virtutibus, et miraculis coruscans, fide integer, operibus indefessus; animumque licet

quasi

A quasi arcum semper haberet intentum, viribus tamen corporis destitutus, ætate provectus, in senectute bona plenus dierum in pace sanctæ Dei Ecclesiæ tertiis Idibus Augusti quievit, et appositus est ad patres suos. Sepultus est autem in basilica, quæ est in montis vertice, ab ipso sancto Viro in honore beati Medardi *l* constructa; estque locus ipse haud procul ab urbe Cameracensi ritibus dæmonum priscis temporibus ab idololatris ad subversionem animarum dedicatus; unde vir Domini Gaugericus gaudenter memorandus idola expulit, lucum succidit, et locum spurcitiis deditum fecit orationis et sacrificii domum: est etenim et memoria Viri Dei venerabilis locus, et celeberrimis nundinis longe lateque institorum ore vulgatus: ubi etiam usque in hodiernum diem beneficia incessanter præstantur divina ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum *m*. Amen.

ANNOTATA

B a More Gallico Letaniæ, id est, Rogationes *etc. Intellige Litanias seu Rogationes, quæ intercedunt inter festum Ascensionis Domini et præcedentem Dominicam, quæ in Gallia ante annos centum institui cœperant per S. Mamertum ep. Viennensem.*

b *Nota, totum hunc numerum a Surio esse omissum, cum legatur in omnibus Mss. nostris, et in Vita secunda a numero 41 res eadem narretur.*

c Lotharii *pro* Clotarii; *ut ante* Hildeberti *pro* Childeberti. *Factum hoc ergo refert ad annum, quo regnum Austrasiæ, cui suberat Cameracum, ad Clotharium II cum tota Galliæ monarchia transivit, Christi 613 aut sequentes.*

d Cala, *seu* Kala, *nunc vulgo* Chelles, *villa fuit regia in agro Pariensi ac Matronam fluvium. Subinde nobilissimum ibi parthenonem fundavit S. Bathildis regina; de quo videri possunt Sammarthani in Abbatis, Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo II, pag. 776, etc.*

e Landricum, *seu* Landericum, *sub Chilperico et hujus filio Clotario II fuisse Majorem domus,* C *sive Palatii, ex antiquis ostendit Cangius ad vocem* Major domus.

f Petragorico *seu* Petrocorico, *vulgo* Périgord, *in Aquitania. Agnoscunt autem Petrocorii apostolum suum et primum episcopum* S. Frontonem, *cujus et lipsana magno habent in honore. Colitur 25 Octobris, cum de illo fusius agendum; erit in Actis.*

g Fuscari, *id est turbari, vel eventu minus decoro quasi vilescere apud homines.*

h Fanum Martis *et pagum* Fano-Martensem *in Hannonia collocat Valesius in notitia Galliarum atque ad pagum illum pertinere Valentianas, ut modo loquimur. Vide tamen Vitam secundam num. 54.*

i *Hinc diximus Ms. nostrum ecclesiæ* S. Gaugerici *Cameracenæ a prima Vita ad secundam transire eique deinceps insistere.*

k Annos circiter XXXIX. *Ita monuimus habere codices optimos Vitæ hujus, imo et secundæ; et Chronicum quidem Baldericianum seu Cameracense lib. 2, cap. 4 innuit, annos illos fuisse completos, cum docet obiisse* post trigesimum nonum sui episcopii annum. *Errat ergo Rabanus, vel qui illum edidit, quando illi annos tantum tribuit* XXX *et tres supra in Commentario prævio num. 3.*

l *Additur in Vita secunda:* et Lupi. *Ibidem de hujus ecclesia constructione plura dicentur.* Ex Mss.

m *Huc usque codex noster Ms.* P. 155; *at Ms. vetustius Marchianense addit:* Amen, *ac desinit, uti et Surius. Et sane quæ in codice nostro sequuntur duo miracula Sanctis posthuma, ad primæ Vitæ exemplaria non pertinere patet etiam ex chronico Cameracensi lib. 1, cap 13, unde totidem fere verbis exscriptum est miraculum primum; alterum propius accedit ad verba, quibus narrabitur in Vita secunda; ubi utrumque dabitur ab initio libri tertii. Porro de Vita secunda seu Actis alteris vide Commentarium prævium § 3.*

ACTA ALTERA

Auctore anonymo; eodem tamen illo, qui Chronicum Cameracense et Atrebatense vulgatum composuit. Ex vetutissimo Ms. D. Preud-homme Canonici Cameracensis usque ad librum tertium; inde ex aliis non inferioris notæ codicibus Mss. E

LIBER PRIMUS.

Argumentum epistolæ præviæ.

Præsulis almiflui nimis ardua jussa Gerardi *a*. a
Majoremque stylo commendat epistola caussam.

Epistola auctoris prævia ad Gerardum episcopum Cameracensem. F

Cum olim, pater sanctissime, de vita patris nostri et gloriosi pontificis Gaugerici, grandem et miraculosum codicem, de quo hic præmodicus, quem nunc habemus, decerptus fuerat, a senioribus didicisses late compositum, sed sub bachania *b* paganorum, qui, peccatis Christianorum exsurgentibus *, Galliam vastaverunt, in ipsis monasterium incendiis una cum thesauro reliquo et quammultis voluminibus illum etiam concrematum; hoc profecto graviter ingemiscens, diutina posthac indagine laborasti; et, sicubi thesaurum tanti pretii reperires, non modo a confinibus, verum et a longe remotis bibliothecariis sollicitus perquisisti. Neque vero poteras quievisse, donec forte ad laboris tui solatium, favente, credo, tuis desideriis divinæ voluntatis suffragio, vetustissimum librum nescio quis peregrinus ab Arctois * finibus nobis detulit venumdandum; tamen perdito curtiorem, sed habito latiorem; quem tu pie ac desiderabiliter amplexatus, quoniam quidem agresti et minus culto sermone horrebat,

Auctor jussus hanc Vitam componere ex duabus vetustioribus, b

* f. exigentibus

* i. e. Septentrionalibus

Ex ms. vetusto.

bat, illico me jussisti meliore stylo corrigere, et ex duobus libellis; ex nuper invento videlicet, et ante habito; mutatis tamen sermonibus, sed servatis rerum sensibus, unum corpus efficere.

etsi tenuitati suæ plurimum diffidat;

2 Sed nec mearum virium est, mi Domine, quod injungis; nec, si ausim dicere, tuæ summæ prudentiæ fuit famulum fatiscentem ad tantæ periculum cogere functionis; ut qui necdum scribendi genus attigeram, jam quasi novus veterum reprehensor ad tantum opus impudenter erumpam. Quam vero inconsulte id facias, satis perspicuum est, si tantæ rei, et mei quæ sit imparitas, æqua judicii lance perpendas. Ardua namque materies meisque viribus multo major, [sese] extollens, diserti ingenii et eloquentissimum exigit profatorem, sane cui Tulliana facundia digne competeret, si aut loci aut temporis affinitas indulgeret. Ergo quia hinc tuæ jussionis sedulitas urget; illinc vero operis magitudino ex desperatione facultatis exterret, tanta nimirum hæsitatio mentem occupat fluctuentem, ut, utrum incipiam, nec ne, prorsus ignorem: est enim periculi onus gravissimum temere attentare; et est offensionis non modicæ tuo imperio non parere; cui certe, quan-

B tum possum et scio, debitor sum, etiam cum detrimento pudoris, moram non facere. Quare si periculum fugio, inobedentiæ crimen incurro; si autem obtempero; imo quia obtempero, ridiculæ notæ discrimen ipsa parturiet obsequela; quia excellentiam rerum humili sermone fuscaverim. Ipse, qui rusticum præcipior castigare, rusticior fortasse ridebor.

parere tamen statuit.

3 Has itaque syrtes ambiguitatis eluctans, tuis nutibus consilium anchorabo; malens videlicet tibi cum periculo, sicut et debeo, sententiam gerere; quam salvo verecundiæ meæ signaculo inobedientiæ subjacere; præsertim cum hoc spernenti amplius, quam diffidenti soleas imputare. Tibi igitur, plus quam mihi, confidens, immo et de ejus, qui dicit: aperi os tuum, et implebo illud, largitate præsumens injuncto labori studium applicabo, tuæque voluntati, etsi non quo decet, quo tamen modo potero, satisfacere non morabor. Tuum vero sit, mi patrone, lectorem scholasticum admonere, ne in hoc opusculo pompas verborum phalerasque sermonum expectet; verum etiam, quod longe melius est, simpliciter et

C sine fuco expressa gestorum insignia fideliter admiretur.

Præfatio ejusdem ad lectores.

Talis epistolicæ succedit prologus alphæ.

Distribuetur hoc opus in libros tres;

4 Largiente Domino, decursurus præcepti laboris opusculum, totius corporis summam in trium dimensionem tripertiar libellorum, ut in limite videlicet singulorum gratæ respirationis silentium lectorem reficiat fatigatum non tam copia rerum quam inconcinna rusticitate sermonum: nihil enim magis, quam corrupta oratio, est eruditis auribus onerosum; maxime vero cum ambitioso circuitu procedit in longum. Qua in re meæ infirmitati consulere non mediocriter reor, si tam rebus interdum non multum necessariis, quam et verbis supersedens, longa succinxero; quippe ut, si leporis penuria rejecerit auditorem, ipsa saltem brevitas blandiatur. Commodum itaque fore videbitur, ut primus libellus ab infantia Viri sancti usque ad præsularis gratiæ fastigium cursim ascendat: secundus autem, quantus in præsulio effulserit, et quomodo cursum hunc hujus vitæ finierit, strictim evolvat: tertius vero de miraculis, quæ D post gloriosum transitum ejus sanctis meritis divina clementia præstiterit, etsi non omnia, tamen vel pauca perstringat. Eos ergo, qui lecturi sunt, suppliciter quæso, ut si incultioribus verbis offendantur, incorrupta tamen veritate mirabilium rerum dociliter allectentur; præsertim cum gloriam regni Dei non in splendore facundiæ, sed in fidei sinceritate noverint collocatam, neque ab oratoribus quoque sed a piscatoribus vitam seculo prædicatam. Ut autem meæ imperitiæ veniam largiantur, nullius obsecrationis indiget argumento; cum me ad hoc videlicet non erupisse spontaneum, sed aliena viderint præceptione coactum.

Prologus ut docile effecit lecturientes,
Incipiant primi capitalia membra libelli.

VETUS DIVISIO LIBRI PRIMI IN CAPITULA DUODECIM.

Ordo vetus capitum.

5 I. Parentes sancti Viri principio præmittuntur, locusque natalis ejus celeberrima descriptione ostenditur.

II. De enutritura infantis, et quod postmodum E a parentibus Domino commodatus traditur litteris instruendus.

III. Magnerico Trevirorum archiepiscopo de vita clericorum Evusianæ ecclesiæ scisicitanti sancti Pueri mira nuntia referuntur.

IV. Ubi archiepiscopus sacrum Puerum sibi præsentari præcepit, compertaque ejus sanctitate, ipsum regia et sacerdotali corona, tonsis capillis, clericaliter insignivit, et, ut Psalterium perdisceret, monefecit.

V. De studio et capacitate ejus ingenii, quod in diebus admodum paucis totum perstrinxit Psalterium.

VI. Ubi archiepiscopo ad Evusianam ecclesiam brevi reverso totum Psalterium absque ulla hæsitatione sub oculis recitavit, ejus denique archiepiscopi monitis mancipatus majoribus disciplinis ætatulam occupavit.

VII. Quod ab ipso archiepiscopo illico Diaconus solemniter ordinatur.

VIII. Ubi Levita Dei sanctissimus leprosum gentilem evangelicis institutionibus cathechizans et ab errore convertit, et a lepra mundavit. F

IX. Ubi Vedulpho Cameracensis ecclesiæ defuncto episcopo beatum Gaugericum omnis clerus ac populus ab Hildeberto rege substituit petierunt.

X. Quod rex libenter annuens, Magnerico archiepiscopo ut suum sibi Diaconum transmitteret, epistolam destinavit, transmissoque Episcopio, quamvis ille diu resisteret, omnium acclamatione donavit. Dehinc vero in metropolitana Remorum ecclesia fecit honorifice ordinari.

XI. Sacra ordinatione suscepta, Præsul venerabilis urbem sibi commissam visitare intendit; ubi a clero et populo ductis obviam choris solemnibus, cum gaudio magno susceptus est.

XII. Quod in ipso urbis introitu XII noxios in carcere mancipatos, cum a superbo Comite obtinere non posset, pia oratione coram populo ad Dominum fusa dissolvit.

ALIA PRÆFATIO.

6 Præsulis en magni clarissima Vita patroni
Incipit; Heroicus quem recte dicere versus

Non

A *cui subditur alia præfatiuncula metrica.*

Non nisi Gauge-potest, diviso nomine, -ricci *d*,
Est autem geminis brevibus succincta libellis;
Paucaque post obitum de multis tertius addit.
Majus opus modulo flens impar arripit. Ergo
Si quid agat vitii quod acutæ dissonet auri,
Flectetur monitor, veniamque merebitur auctor *e*.

ANNOTATA

a Gerardi, *intellige primum hujus nominis: nam et Chronicum majori ex parte sub eo scriptum fuisse, docet Colvenerius: nos autem ostendimus in Commentario, Acta hæc scripta fuisse et vulgata antequam Chronicum scriberetur. Quam vero egregie hic præsul erga* S. Gaugericum *fuerit affectus, partim hac epistola significatur; partim in laudato Chronico lib. 3 cap. 49.*

b Bacchania *vox est auctoris nostri propria pro debacchatione, insania, furore.*

c Prosatorem *appellat a prosa, seu sermone pedestri, non ligato.*

B

d *Nimirum Poeta non vult aliorum exemplo nomen immutare in* Goericum, *aut* Gauricum, *ut ita sine divisione hexametro versui aptetur; ratio colligi poterit ex etymologia inferius.*

e *In codice S. Sepulcri Cameraceno post Præfationem solutam sequitur hæc metrica, omissa distributione interjecta capitulorum duodecim: quæ tamen fuisse putatur in codice Collegiatæ ecclesiæ* Gaugerici, *antequam hoc loco folium excidisset.*

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, educatio sancta, memoria et ingenium felix, tonsura clericalis.

C *Cap. I Evusium, Sancti patria et sacrarium.*

Beatus igitur Vir Domini Gaugericus, cœlestis videlicet gaudii adeptione ditatus *a*, ex nobili parentum prosapia secundum seculi fastum progenitus in Gallia, castellum Evusium *b*, quod ecclesiæ Trevirorum subjacet, per Dei providentiam gratia sui consecravit exortus. Hujus pater Gaudentius; mater vero Stadiola dicebantur; ambo certe sancti, ambo in fide Catholica orthodoxi. Qui, quamvis de magno et superbo Romanorum genere descendissent *c*, in timore tamen et humilitate Domino servierunt. Locus autem fertilitate terræ valde præcipuus, usuque vitæ mortalium admodum opportunus, situ quidem delectabili et diversarum rerum oppulentia præstat, suique nominis hereditatem suarum rerum gratiæ evidenter exæquat: Evusium *d* namque græcizantibus gaudii substantiam sonat; et merito: quippe quia cum fructuum varia ubertate etiam verum gaudium se prætulisse non inconvenienter exsultat: terra siquidem diverso culturæ genere nitens, pecorum nutrix, seminum ferax, campos herbosa viriditate venustat, arboresque pomiferas cujusvis generis pro cultoris arbitrio subministrat; adeo quippe mollis [est] ad cultum, et tantæ fertilitatis ad usum; ut fugitantem laboris et pigrum facile alliciat ad colendum.

8 Cujus multimodas laudes etiam præterfluens amnis, nomine Karus; non parum augmentat, qui juxta honorem vocabuli incolis carus, illimis, visu argenteus, piscium dives, haustu saporus *, circumquaque terras opimat, plantisque quibuslibet ac seminibus alimenta subcommodans, amœna pratorum longe diffusa naturali irrigatione, fœcundat. Porro illuc ciborum invitatoria * copia, reges Galliæ videlicet et Germaniæ, cum suis multis millibus de magnis rebus aliquando colloquentes ex alterutro regno ambos accersere consuevit *e*; quia nusquam potest refectio tam caballis, quam hominibus clementior inveniri. Dignum itaque et congruum valde fuit, ut veri gaudii (quantum quidem ad rusticam linguam) riccitatem adeptus *f*, in ricco etiam et gaudenti oppido nasceretur, cujus vitæ et doctrinæ dulcimonio quandoque et filii Israel dirigendi, ab ærumnis Ægypti supernæ patriæ repromissa gaudia sortirentur. Sed quod majori gratiæ potest conferri, ex tunc temporis quidem in honore et memoria ipsius, basilicam ipso in loco, quo natus fuerat, fidelis antiquitas dedicavit, et perennis signum testimonii posteris reservavit *g*. E

Ex ms. vetusto. a fertilitate nomen habet. * *i. e.* sapidus
* *i. e.* alliciens

II. *Ibi Gaugericus a parentibus Deo devotus,*

9 Summa itaque cura parentum et diligentia clarus et innocens educatus, et in Christo sacri Baptismatis fonte renatus, vagitus infantiles paulatim exuit, et de die in diem majusculis proficiens incrementis, quibusdam ineuntis ætatulæ evidentibus signis prætendebat insignia gratiæ et virtutis; forma utique speciosus et toto corpusculo lætabundus. Ubi vero processu dierum jam grandiusculus, et semiverba balbutientis infantiæ prætergressus, pleno linguæ potiretur officio, omnes suos collactaneos, sicut forma, ita et verborum suavitate vincebat. Igitur parentes suæ Prolis felicitate gaudentes, supernæ clementiæ pro collato beneficio laudes et gratias jugiter referebant; moque altiore consilio cœlitus animati, ipsum Domino serviturum in jure perpetuo devoverunt.

excellit in schola ecclesiastica studio et moribus;

10 Nec mora; votum implere festinant; viroque inibi non secus disciplinis, ac moribus instituto, non solum videlicet litterarum, verum etiam morum ordinationibus informandum commendant. Ecce alter Samuel ablactatur a sanctis parentibus, ad templum deducitur, et, ut in perpetuum illuc excubet et serviat Domino, commendatur. Ecce namque novus Discipulus Dominicam scholam ingressus, notas elementorum, ut moris est, primordialiter edocetur; quatenus magistra Spiritus sancti gratia, de litteræ vestutate gradatim ad novitatem spiritus et gratiam attollatur. Super Psalterium vero sui laboris recte posuit fundamentum; quia nimirum olim in domo Domini cum sanctis cantoribus ipse etiam psaltes idoneus non postremum canendi erat adepturus officium. Jam vero de sedulitate discendi, de morum ornamento mirabili, et quantopere mundi gloriam calcaverit, nullius rationis indiget; cum in sequentibus evidenter appareat: namque ultra modum ætatulæ semper pii laboris exercitio occupatus, aut se orationibus fatigabat, aut sacris lectionibus scholizabat *h*. Temperior *i* vero lectum accedens, serior recedebat; et si quid recti aure perciperet, in cordis amariolo recondebat. F

III. *unde S. Magnerico archiep. locum visitanti* * *i. e.* diœceseos

11 Interea vir Domini Magnericus archiepiscopus, nomine videlicet et meritorum dote magnificus, exigente pastoralis curæ officio, suæ parochiæ * ecclesias circumibat, et, secundum sanctionis canonicæ instituta, doctrinæ et ædificationis gratiam ministrabat. Cujus rei studio cum etiam ad dictum superius deveniret castellum, tractaturus utique de statu ecclesiæ, et de provectibus

Ex MS. vetusto.

bus animarum, illico primum ex fratribus, qui dignitate et cura ipsi ecclesiæ præerat, accersivit et, qui eorum, et quomodo in divinis cultibus se haberent, cum omni solertia requisiit. Ad cujus interrogationem, sacerdos veridicus responsionem congruam, prout visum fuerat, ordinavit; et inter cætera etiam sacri Pueruli miras primitias hoc modo fideliter inculcavit: Habemus, inquit, hos et illos in Dei servitio comministros: illos quidem juvenes conversatione modestos; hos vero tam virtute quam et ætate provectos; inter quos singulariter pollet quidam Dei tirunculus, nomine Gaugericus, domini Gaudentii filius; qui cum sit adhuc parvus ætate *k*, tanto tamen cæteros conversationis gratia et morum superat honestate, quanto minores stellas Lucifer claritate.

k

præ cæteris commendatus,

12 Nuper namque eruditioni traditus, vixdum primis litteris immoratur; et tamen jam magisterii quoddam et scientiæ privilegium sanis moribus imitatur: signo etenim, quo ad laudes Dei canonice admonemur, accepto, ille statim sollicitus, quæque * in manu sunt, imperfecta relinquens, habitu laicus, mente devotus, præveniens omnes, ad ecclesiam primus accedit, piisque orationibus ad Dominum evolutis, postremus abscedit. In auditorio autem inter lascivos continens, inter buccones et garrulos taciturnitate deserviens, annos primævulos grandævæ maturitatis officio commetitur, perfectumque hominem exemplis et moribus evidentissime pollicetur. Cæterum coætaneis laborem litteratum quiete levantibus, et, ut poscit ætatis teneritas, cibum sumentibus, hic nimirum lectioni assidens indefessus, prandiolum, offensis parentibus, in vesperum protrahit; et, ut sanctus Daniel, a cibis delicatioribus abstinens, parvo contentus, sustentare magis, quam alere corpusculum assuevit; sed quod sibi subtrahit; pauperibus erogare contendit.

* *pro* quæcunque

B

IV.

ab eoque coram interrogatus,

13 Audiens hoc archiepiscopus, gaudio quippe repletus, tantæ laudis Puerulum suis conspectibus statim præcepit adesse; volens videlicet, an ita se res habuerit, purius ventilare. Qui cum venisset in ejus præsentiam cœpit præclaræ indolis animum verborum dulcedine et blandis affatibus aucupari, paulatimque in ejus sanis responsionibus, ultra spem, sanctitatis mysterium intueri. Inter ipsa vero colloquia etiam addidit sciscitari, quoto psalmo et qua lectiuncula occuparetur ad præsens. Mea, inquit, lectio, pater mi, quam hodie reddendam accepi, ab isto versiculo secundi psalmi exordium sumet: « Postula a me, et dabo tibi. » Ad quod gaudens episcopus, ait: Satis aptum tuæ beatitudini, fili mi, et dignum memoria reddidisti responsum: vult enim Deus, ut postules, et dabit tibi petitiones cordis tui.

C

clero adscribitur, jubeturque Psalterium ediscere memoriter;

14 His itaque præsul tam evidentibus signis edoctus, cum hoc esse divinæ animadveteret voluntatis, ex sententia parentum, Nazaræum Domino mancipare disposuit; juxtaque ritum ecclesiasticum benedictione adhibita, suis sacris manibus nitentis capitis comam attondens, solemniter clericavit; quatenus in numero aggregaretur illorum, de quibus per archiapostolum * dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Illum vero deinceps ardentissimo dilectionis affectu affilians *l*, paternis monitibus ac præceptis vitæ salutaribus sapienter instruxit; et, ne ab incepto desisteret, sed magis de die in diem proficiens, clerocinari *m* cum omni devotione satageret, monefecit. Verum quoniam ipsi alio fuerat secedendum, hoc etiam inter amplexus et oscula exhortatus est, ut quam ocissime Psalmos percipiens, ad altiorem tenderet disciplinam, et cum ad idem in proximo reveniret castellum, totum sibi redderet ex habitu certiore Psalterium. D

* *i. e.* S. Petrum

l

m

V. *quod brevi præstitit.*

15 Ergo sui Catechistæ monitu Puer domini salubriter incitatus, et in procinctu obedientiæ fideliter apparatus, cœpit vigilantius labori insistere, studiisque spiritualibus se indesinenter excitans ventris macilentia sensum tenuem enutrire; molem vero propositi condignis moribus coæquare, virtutes alere, ignique succenso et piarum fomitem actionum et digne conversationis indeficientem materiam adhibere. Quinimo Spiritus Sancti gratia debriatus *, in paucitate dierum (mirabile dictu!) rem confecit annorum; quia nimirum infra paucissimos dies totum memoriæ commendavit Psalterium, quod infra annum aut amplius vix alii possunt, etiam sub crepantibus ferulis magistrorum: neque enim poterat ulla mora [esse] discendi, ubi Spiritus Sanctus vicem susceperat edocendi. Jam vero sacer Christi Scholasticus de assumpto clericatus honore sollicitus, ipsum honoris vocabulum, prout dignum fuerat, didicit definire; ipsamque magnificentiam nominis, quod dicitur, esse quidem melius quam videri aut dici desiderans, ad mores et observantiam mandatorum Dei studuit acclinare: ut enim, juxta interpretationis gratiam, pars Domini et funiculus hereditatis ejus *n* fieri mereretur, mundanas gloriolas ac fallaces divitias seculi omnino contempsit, simplicique victu et veste contentus, nihil extra Dominum possidere curavit.

* *i. e.* inebriatus

E

n

ANNOTATA.

a *Nominis hæc etymologia paulo post explicabitur.*

b *De* Evosio *seu* Evusio *vide dicta ad Vitam priorem cap.* I, *num.* 1.

c *Nescio, an satis hæc possint convenire cum Vita* I, *num.* 1. *Forte hic auctor secutus fuerit vetustissimum codicem suum ab Arctois partibus allatum.*

d Evusium *ergo ab* εὖ *et* οὐσία *derivat; quasi* bonam *seu* lætam *voce ista composita* substantiam *significaret.*

e *Alludit auctor haud dubie ad celeberrimum conventum S. Henrici imperatoris cum Roberto Francorum rege habitum ibi anno 1023; de quo vide Chronicum ejus lib. 3, cap. 37. Hinc patet, cum recentia miscere vetustis suis exemplaribus, cum loca describit, quæ in istis tantum obiter nominabantur; ut iterum fiet lib. 3 hujus Vitæ.* F

f *En tibi iterum nomen* Gaugerici *etymologice, sed satis inepte propositum; ex radice videlicet Latina (sed oppido luxata)* gaudium, *et Teutonica* Rick *seu* Ryck, *quæ* divitem *sonat. Atqui ejusdem nominis vel partem utramque Latinam vel utramque Teutonicam decuisset invenire; vel etymologia prorsus abstinere. Sed apage nugas.*

g *De hac basilica dictum in Commentario num. 5 et 6. In eadem S. Henricum imperatorem celebrasse* S. Gaugerici *natalem* III *Idus Augusti, narrat idem auctor in Chronico lib. 3, cap. 37.*

h Scholizabat, *id est operam dabat, a Græco* σχολάζειν.

i *Melius dixisset adverbialiter* temperius. *Significat vero, Sanctum, quamvis ante alios sese ad cubiculum reciperet vesperi, tamen ibi tandiu rebus spiritualibus consuevisse semetipsum detinere; ut post alios concederet cubitum.*

k *Noli hæc omnia diminutiva ætatis Sancti no-*

A *stri nimis crude et absolute accipere : cum enim sanctum Magnericum ad episcopatum Trevirensem evectum esse statuat Calmetus in prolegomenis ad Historiam Lotharingiæ, anno circiter 569; et nos etiam aliquanto serius; non potuit Gaugericum invenisse adeo puerum cum Evosium primo visitavit; sed sacris ordinibus prope maturum : utpote quem obiisse ostendimus ante annum 624, et quidem episcopali dignitate annos novem ac triginta functum, atque adeo, ut in priori vita jam vidimus num. 14,* ætate provectum, in senectute bona plenum dierum.

l Affiliare *et* adfiliare *est apud scriptores medii ævi adoptare in filium. Vide Cangium.*

m Clerocinari, *idem quod egregium se clericum præstare ; ut sensus indicat.*

n *Nam* Clericus *dicitur* ἀπὸ τοῦ κλήρου *hoc est a* sorte, portione, hereditate.

CAPUT II.

B

Ejus promotio usque ad diaconatum ; conversio et sanatio ethnici leprosi.

VI. *Obstupuit ad id S. Magnericus,*

Nec multo post denique jam dictus pontifex depositi sui non immemor, ad Evusianam ecclesiam iterum repedavit, scire volens videlicet, quemadmodum Filius carissimus suis obediens institutionibus deserviret, sique normam clerocinii dignæ conversationis usibus coæquaret. Hunc siquidem evocatum mox paternis amplexibus et pia dilectione suscepit; et, quanto se susceptæ dignitati astringeret, explorato, pensionem paulo ante injunctam reddere imperavit. Nec mora, librum complicuit totumque Psalterium a capite in finem usque decurrens, cum magna admiratione eorum, qui audierant, peroravit. Ex qua re æstimari non potest, quanto Dominus archiepiscopus gaudio resultaret; cum nimirum in Filio et effusionis ingenii et divinioris naturæ gratiam approbaret.

C

eumque ad altiora destinat et animat.

* pro fugiendum esset *etc.*

17 Cupiens ergo sacris illum ordinibus ordinare, altioribus etiam disciplinis monuit insudare; ut, cum columbina simplicitate niteret, etiam serpentis astutia, juxta præceptum Dominicum, non careret; ne vitia videlicet et virtutes discernere quid vero fugere *, vel amare, nesciret, imo autem quid Domino placere, quidve etiam displicere, sapienter intelligens, juxta Apostolum, rationabile Domino obsequium redderet, totumque vitæ cursum ex ejus sententia ordinaret : quia sicut majus est Dei voluntatem facere, quam nosse, ita prius est nosse, quam facere. Hoc itaque patris consilio roboratus, totum se in exercitamine lectionis effudit, et de magnis ad majora contendens, annos adolescentiæ maturis quotidie operibus occupavit. Porro bonæ conversationis successibus et longe consuetudinis beneficiis vegetatus, ad hauriendum præcepta vitæ salutaria amore insatiabili sapientiæ cœlestis fontibus incumbebat, ac veluti apis florilega, divinorum eloquiorum prata decerpens, intra cordis alvearium favos fidei et virtutum gemmiferos coaptabat.

VII.

18 Procedente vero tempore, videns archiepiscopus Alumnum Dominicum et ætate et moribus decenter ornatum, jamque majoris gratiæ suscipiendis honoribus tempestivum, ne sub modio quidem diutius lucerna lateret, sed super candelabrum posita in domo Dei agentibus luminis beneficium ministraret, sane prudenti usus consilio, divinis illum cultibus et altaris ministerio admovere decrevit, ac per Dei providentiam per singulos gradus, prout decebat, solemniter ad Diaconatus officium usque promovit. Jam vero vix poterit enarrari, quantus et qualis in administratione assumptæ dignitatis effulsit, quantoque et morum et operum moramine jugum impositum, non impari tamen cervice, portavit. Sciebat, sicut legerat, septiformis Ecclesiæ sacramentum et quid altari adstantium septenarius numerus exigat columnarum : neque enim septem Angelorum, in Apocalypsi tuba canentium, neque candelabrorum totidem ignorabat mysterium *a* ; quod nimirum cum Dei satis provida dispositione attigisset officium, incredibile est, quantum se præstiterit in Dei observantia mandatorum, ne videlicet tantæ gratiæ videretur usurpare vocabulum. Porro juxta legis entolen * in Dei tabernaculo die et nocte didicit excubare, et vasa quoque et hostias quam purissime tractans, mensæ Dominicæ irreprehensibiliter deservire : totus videlicet absque ruga totus absque macula, virtutum operatione præclarus, suscepto ministerio dignus, utque nihil prætercam, totus apostolica descriptione *b* perfectus.

EX MS. VETUSTO.

Ab eodem deinde promotus usque ad diaconatum;

* ab ἐντολή, mandatum

E

omni virtute, fulget; præsertim humilitate et caritate erga proximum:

* *i. e.* jungebat

19 Infatigabiliter siquidem laborabat; et cum labore tamen omnem industriam adhibebat, ut vitam suam de præsentibus ad futura seponens, terram spiritui subjecisset, regiamque imaginem ex hujus mundi luto sublatam Domino obtulisset. Magnatorum vero contubernia longe declinans, pauperibus semper se ac parvulis adjuxtabat * ; et quibus se parvulis [parem] facere aut coextendere poterat, multo inferior subdescendens, comparem quidem supparibus, supparem vero comparibus sublibrabat. Ut autem perfectius ac liberius viveret, honores et divitias pro nihilo ducens, patrimonia sua pauperibus erogavit, pauperque Christum pauperem studuit imitari. Sed ne forte evacuaretur in se aut candelabri aut Angeli sacramentum, semper quos poterat, monitis salutaribus instruebat, nec non clarissimis vitæ exemplificationibus illustrabat. Erat autem illi præcipuum tuguria pauperum manu semper stipendiaria frequentare, cellulas decumbentium pietate consolatoria visitare, cunctisque dolentibus humanissime subvenire.

F

VIII. *eluxit hæc tum in ethnicum leprosum,*

* *i. e.* impium faciebat

20 Sed paulo post intervallo dierum quantæ gratiæ ac meriti haberetur Diaconus, divina pietas voluit hominibus fieri manifestum : quadam siquidem die, cum de more ecclesiam peteret oraturus, affuit illi miser, duplicis morbi spectaculo miserandus, quem videlicet error gentilis insaniæ interius impiabat *, et exterius lepræ contagio adeo deformiter aspergebat, ut turbæ prætereuntium aspicere procul vitarent, ne in aspectu tantæ immunditiæ oculorum pudicitiam incæstarent. Servus autem Domini prout fuerat incredibili pietate propensus, mox ut sensit, misericorditer absque ulla cunctatione respexit, propiusque accedens, comperta utriusque ægritudinis causa, magis tamen animæ, quam corporis injuriam suspiravit. Intelligens quippe, ex traduce languentis animi miserabilem corpori subrepsisse pruriginem, desperatiori causæ adhibere primitus existimavit evangelicam potionem ; ut medicante Domino, recuperata salus interior ad exteriora prorumperet, horroremque cadaveris in speculum humanæ pulchritudinis excitaret.

21 Si

Ex Ms. vetusto. quem ab idololatria ad Christum convertens,

21 Si vis, inquit, ab hac lepræ fœditate curari, prius, miser, patiaris oportet interius vas ab idololatriæ ritibus et superstitiosis erroribus emundari : ante omnia etenim primum necesse est, ut culturas dæmonum fugiens, stultitiam exuas, et per timorem primos accessus in aulam sapientiæ quærens, resolutis sensim errorum obicibus, ad Dominum vivum et verum aciem puræ mentis extendas; quam pia videlicet et quam provida dispositione lapsum hominem reparavit, et quantam gloriam, si perseveraverit, repromisit. Ergo si vis corporis curam, ne postponas animæ medicinam; quia si, primo posthabito, inferius excolis, utrumque corrumpis; si vero anima, quod primum est, meo consilio perceperit medicinam, promitto, etiam corpori, quod secundum est, sospitatem in brevi affuturam. Expergiscere igitur, quæso, et veneno, quo mades, gentilitatis longe rejecto, ipsius Salvatoris antidotum bibe, quod fero. Nisi, ait, renatus fueris ex aqua et Spiritu Sancto, regnum Dei non poteris introire. Accede ergo ad sanctæ regenerationis lavacrum; festina subire B baptismatis sacramentum : ubi certe habes exuere vetustatis pelliciam *c*, et induere novitatis Evangelicam stolam. Quid plura? Acquievit idololatra, neque sui depudescens erroris, dejecit se ad pœnitentiæ et confessionis substernia *d*; quia nimirum, operante Spiritus Sancti gratia, tuba Prædicatoris angelici prævaluit tonabunda.

de sacro fonte suscepit simul et sanavit; deinde fovit, ut filium

22 Quo Vir Domini gaudens, festinavit continuo ad sacerdotem perducere, cujus sacrum interesset baptisterium apparere. Quod dum de more componeret, interim sacer Diaconus lacrymis et precibus Domini misericordiam precabatur, ut, sicut erat in hoc fonte baptismatis gentilitatis furnedinem *e* mundaturus; ita lepræ etiam maculas ad laudem suam et gloriam abstergere dignaretur. Sanctificato igitur fonte, ut ad interrogationem sacerdotis de abrenuntiatione satanæ omniumque ejus pomparum, sed et de symbolo orthodoxæ fidei convenienter respondit; ecce, illum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sacerdos submersit, præsensque Diaconus baptizatum excipiens, statim C divinæ operationis muniis lætus expiavit : inter suas etenim manus externis quoque, qui aderant, ita integer atque mundus, et, ut vere fatear, totus alter ex altero factus, enituit, ut nullum veteris lepræ vestigium penitus posset inveniri. Si ergo illi in fonte crimina laxentur, cutis exterior præsenti testimonio fungebatur. Unde vir Domini Gaugericus, pro tanto beneficio Dominum largitorem, quam multis potuit, gratiarum actionibus cumulavit; suumque Naaman alens postea et vestiens, in filium adoptatum, tonso capite, clericavit; nec non litteris institutum religiosis fratribus in monasterio sociavit. Quem utique ipse, deinceps per gratiam Dei factus episcopus, per singulos gradus ad sacerdotii culmen usque provexit; et quod in minimis cœpit opus, decentissime consummatum ad excelsa perduxit.

IX. qua re mirifice apud omnes inclaruit ejus fama.

23 Cum itaque ex ejus sanctitatis præconio usquequaque odor suavissimus emaneret, imoque etiam de præsentis exhibitione miraculi fama celebrior huc illucque diffusa crebresceret, cœpit nomen ejus præcipuum longe lateque grandescere, absentisque præsentia longinquorum pectoribus interesse; quia, ut Dominus ait, civitas in monte posita, non potest abscondi. Porro omnibus, tam longe remotis, quam affinibus, non magis admirationi erat, quam etiam caritati; præsertim cum necdum visus aut agnitus, in tantum a plurimis amaretur, ut nihil suavius quam de ejus D fama sacritissimis laudibus aut audire vicissim aut dicere putavissent.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia nimirum mystice significant, ut brevissime dicamus, Ecclesiæ ac ministrorum ejus sacrosancto altari ministrantium, populoque evangelizantium sanctitatem et perfectionem; et sigillatim diaconis aptata lege inter opera S. Hieronymo abjudicata de Septem ordinibus ecclesiæ, et alibi.*

b *Hæc* apostolica descriptio *datur in Epist. I ad Timoth. cap. 3 etc.*

c Pellicia *seu pellicea indumentum est ex pellibus factum, et symbolum peccatorum; ut Adami et Evæ post lapsum.*

d Substernia *de stramine dicuntur, quod sternitur sub equis stabulantibus. At hic tropice pro demissione animi, qua et Christi religionem veram confessus est, et impium hactenus errorem suum et cæcam impietatem detestari cœpit.* E

e Furnedine, *id est fuligine; a furno ducta.*

CAPUT III.

Ejusdem evectio ad episcopatum Cameracensem; prodigiosa liberatio vinctorum duodecim.

Itaque a Cameracensibus

Eo temporis vero contigit, Vedulfum, ecclesiæ Cameracensis antistitem, hujus vitæ cursu fideliter consummato, diem obiisse, et humanis rebus exemptum, vocante Domino, ad meliora transiisse. Cujus utique grex regimine et custodia viduatus, cum luporum grassantibus ac diversorum inimicorum insidiis caulas Dominicas patere doleret, mox profecto ad providendum alium in diversis partibus animos intendebat. Quamobrem ex F communi decreto tam clerus quam populus triduanum una celebrantes jejunium, Dei omnipotentiam rogaverunt, ut sibi dignaretur idoneum subornare patronum, qui virtute animi præditus, et Deo familiariter mereretur adsistere, et regendam ecclesiam sciret verbis et operibus informare. Nec infructuosa certe aut otiosa potuit esse oratio, cujus necessitatis effectus ex divinæ voluntatis pendebat arbitrio.

defuncto Vedulfo episcopo successor expetitur, Childeberto rege favente.

25 Multimoda namque superioris famæ prædicatione succensi, imo et divina inspiratione vehementissime incitati omnes, uno animo, eadem voluntate, pari sententia beatum Gaugericum pariter acclamabant; et, ut hoc fieri posset, cuncti uno gemitu unoque ore Dominum flagitabant; omnes certe ejus laudibus (instinctu Domini credimus) ita unanimiter applaudebant; omnes illum pari desiderio sibi dari a Domino pontificem ita concorditer adoptabant, veluti eos sibi quadam contubernalis et condomesticæ conversationis gratia devinxisset, aut quasi forte quibusdam beneficiorum officiis alligasset. Sed neque hoc parvi possumus æstimare, quod tota civitas, licet multa terrarum intercapedine remota, Viro procul absenti nec viso tam præsentem et tam favorabilem gratiam exhiberet; una quippe vox omnium,

una

A una erat acclamatio diversorum, Hominem angelicum, operibus sanctum, virtutibus admirandum, episcopatu dignissimum : beatam certe ecclesiam, et ter quaterque felicem, cui tantum ac talem divina benignitas concederet sacerdotem. Dein vero, patrum, imo et Dei, consilio statim ex cunctis majoribus urbis personæ tam verbis quam scientia nobiles eliguntur, paratisque viaticis obtentum ire negotium ad regis videlicet Hildeberti præsentiam diriguntur.

X. *a quo per S. Magnericum evocatus,*

26 Rex vero, ut causam audierat, non modo assensum non distulit; verum etiam cum omni affectu faventibus favens, omnipotentem Dominum, ut annueret, invocavit; quia nimirum fama sancti Viri illustrior jam dudum crebra sibi relatione innotuit. Statim igitur et suo et suorum usus consilio, legationem Magnerico archiepiscopo destinavit, et ut suum sibi Diaconum, beatum scilicet Gaugericum, transmitteret, epistolariter obligavit, sane qui, populo acclamante, Cameracensis ecclesiæ moderaturus habenas, oves quidem Dominicas susciperet gubernandas. Episcopus autem, comperta regia voluntate, in incerto paululum hærens inter nolle et velle, sententiam tacitus ponderavit, et ex divino sane intuitu suum carissimum B Adjutorem, licet sibi et suæ ecclesiæ præparasset, tamen viduatæ et acclamanti ecclesiæ timuit invidere. Tegens itaque mysterium, caute quidem, ut sapiens vir, Filium evocavit; et, ut ad invitantis regis curiam cum præsentibus nuntiis properaret, admonuit : justum enim esse, sublimioribus potestatibus subdi debere, eisque, quantum ad Dominum, humiliter deservire.

et propemodum coactus,

27 Qui mox incunctanter obediens, patris exsequitur jussionem, ignarusque negotii, regiam adiit majestatem. Quo viso, rex hilarior factus, post resalutationem et oscula, et post alterna colloquia, præstantioris gratiæ hominem intellexit, et ex lenitate sermonis ac vultu serenissimo vitæ sanctimoniam deprehendit : erat namque in verbis mellifluus, in forma angelicus, ita plane, ut exterioris specie homo interior liquido nosceretur. Tandemque rex causam, cur accerseretur, aperuit, cunctisque, qui aderant, faventibus, Cameracensis ecclesiæ donum porrexit. Ille vero statim perterritus, præ formidine totus oppalluit, contraque ætatis et scientiæ infirmitatem opponens, quomodocunque poterat, refutavit; maxime cum nec C dominus Archiepiscopus, qui eum nutrierat, forsitan aspiraret, ad cujus sane arbitrium suæ vitæ moderatio spectare deberet. Sed quid plura? Post longam namque resistentiam vir Domini Gaugericus et Palatinorum instanti acclamatione convictus, et episcoporum adstantium consilio roboratus, cum nec copia temporis differendi, nec locus suppeteret fugiendi, regis tandem precibus acquievit; sicque coactus magis, quam voluntarius donum pontificale suscepit.

sacerdos et episcopus ordinari Rhemis jubetur;

28 Dein vero rex illum datis comitibus cum perfunctoria epistola ad Ægidium, metropolitanum Remensis sedis archiepiscopum honorifice deduci præcepit, utque ab ipso juxta sanctorum canonum instituta et sacerdos quidem et pontifex quam decentissime ordinaretur injunxit. Archiepiscopus igitur, juxta mandatum, venerabilem Diaconum summa cum veneratione suscepit, convocatisque provincialibus episcopis, die indicto, clero et populo solemniter congregato, prout dignum fuerat, primum quidem presbyterum; dein vero episcopum compositissimo ordine consecravit, sane populo, qui circumfusus aderat, favente unanimiter et clamante sanctum Virum, pontificem clarum, dignum præsulem animarum; beatam certe ecclesiam et valde felicem, cui tantum et talem divina pietas præstiterit adjutorem. EX MS. VETUSTO.

XI. *unde Cameracum rediens, maxima gratulatione suscipitur,*

29 Ordinante igitur divina clementia sublimatus vir Domini Gaugericus dignitate pastoria, statim cursum itineris ad commissam sibi ecclesiam disponit intendere, et cum pio affectu gregem Dominicum, prout cura poposcerat, visitare; ne lupus videlicet pastoris absentiam aucupatus, ovile patens ex improviso irreperet, damnumque aliquod aut mortis fortasse aut vulneris minus cautis infligeret. Cujus vero adventus ut civibus præstolantibus innotescit, nunc profecto est et audire et dicere plurimæ voluptatis, quanta videlicet species gaudiorum, quanta exsultatio totam urbem concitaverit in ejus occursum : tota namque civitas obviam ruit, lætumque devotionis obsequium Patri desideratissimo exhibere contendit : certe tum omnes sua seria postponentes, ac celeberrimis cultibus diei festi gratiam prætendentes, domibus desolatis, raptim cerneres exsilire atque omni studio catervatim occurrere. Denique latitudo camporum multitudine confluentium tegebatur; nec minor aut impar exsultantium strepitus agebatur. Porro summi habitum erat, quemque E in hoc festo certamine alios prævenire primisque aspectibus faciem Pontificis occupare. Omnis sexus et ætatis disparitas exsultim tripudiat; Omnis conditio dignitatis et ordinis ipsum diem, suis quisque suspensis operibus, solemnizat. Præterea vero palliata agmina clericorum cum crucibus aureis, et aliorum supellectile multa insignium choros obvios gloriosa celebritate disponunt, antiphonasque altisonas modulando, Dominumque pariter collaudando, suum suscipiunt summa et debita cum veneratione Patronum.

XII. *quam auget miraculo, quo vinctos duodecim,*

30 Inter has autem fautorias voces psallentium cum gloriosus Episcopus ad urbis pervenisset vestibulum; mox divina pietas ad augendum popularis lætitiæ strepitum, imoque ad declarandam novi Pastoris magnitudinem meritorum, insignis miraculi gratia dedicavit ingressum : nam cum paululum mœnia prætergressus, ad ecclesiam prope tenderet oraturus, erat illi ductu itineris transitum facere ante domum Comitis urbis illius : ubi duodecim noxii ex præceptione ejusdem in ferreis nexibus carcerali, suspendio pro crimine servabantur. Hujus sane Comitis judiciariis nutibus civitas subjacebat, et ejus sententia totius reipublicæ summa pendebat. Cum vero miseri prætereuntem Episcopum de carcere didicissent, repente F una pariter ejulando preces ingeminant, et, clamore ad cœlum sublato, de nomine appellantes Pontificem, sibi auxilio adesse implorant. Quod ex adverso subaudiens Præsul, fixit illico gradum, et, unde tantus clamor eruperit, a circumstipantibus percunctatur; compertoque, solita pietate concutitur, ipsumque Vadonem (præsens siquidem erat) cum omni humilitate aggressus, ut sibi miseros concederet, deprecatur.

obnitente frustra urbis Comite,

31 At ille, typo seculari et fastu mundanæ potestatis inflatus, non timuit sancti Viri preces contemnere, et quod rogatus fuerat, objectis quidem eorum multis criminibus, abnegare. Quam repulsam beatus Pontifex, prout erat patientissimus, non contumeliose accepit; sed carceratis tamen effugii facultatem aliunde procurans, philopompi *a* tyrannidem divinæ virtutis operatione fefellit : ad omnipotentem namque Deum, qui novit solvere compeditos, rectius exclamare putavit, orationemque hujusmodi pie et lacrymabiliter eructavit : Deus, consolator humilium, spes *a*

mise-

Ex Ms. vetusto.

miserorum, liberatio captivorum, qui non mortem, sed vitam desideras peccatorum, succurre, quæso, his peccatoribus in vincula conjectis; et propter nominis tui gloriam ab his, quæ juste merentur, absolve tormentis. Nihil enim tibi, Domine, est impossibile, nihil unquam difficile; cum semper tuum sit velle, fecisse. Cum ergo te, Pater, omnia posse, cum tuis imperiis credam omnia deservire, jube, oro, Christe Fili Dei Patris altissimi, jube omnipotenter hæc vincula relaxari, et ereptas oviculas suo reddere pastori; si me tamen gregis tui vere pastorem ac magistrum fieri voluisti.

divinitus impetrat carcere, vinculis, morte liberari.

32 Vix autem finitis sancti ac piissimi Pontificis precibus, ecce, statim dum se ad ecclesiam ferret, divina favente clementia, paratissimus servit effectus. Ad Christi namque gloriam, et ad fidem sancti Viri plurimum prædicandam, continuo, seris ac vectibus resolutis, carcer ingenti stridore cœlitus aperitur, compedes eliduntur, miseri absolvuntur: qui per merita sancti Pontificis divinæ virtutis præsentiam sentientes, ab ergastulo circumspecte pavidi emerserunt, mancipisque interpolatione remota *b*, turbis confertum
B incedentibus fugaci impetu correpentes, statim Episcopo, cum intraret ecclesiam, clero populoque spectante, cum hisce [se] vocibus obtulerunt: Ecce, tuis, aiunt, meritis, Præsul sanctissime, reddimur libertati, qui modo ad te clamavimus de carcere diriter coarctati: tuæ etenim orationis malleo contritus est laqueus, et nos liberati sumus. Quo gaudens Episcopus, largitori Domino gratias egit; reique fidem exhibitæ ipsum Comitem cum populo permirantem, et, quod sanctas preces non audierit pœnitentem, hujusmodi sermone corripuit: Pervide, inquit, præses clarissime, præsentique experimento cognosce, omne Deo esse possibile, et quos sua morte redemit, malle servare, quam perdere. Dein vero conversus ad illos, dictis salutaribus castigavit et, ut emendatius viverent, admonitos in pace dimisit.

ANNOTATA.

a Philopompi, *id est pompam ac fastum amantis, superbi; a* πομπὴ *et* φιλέω.

C b Mancipisque interpolatione remota. *Intelligo per* mancipem, *custodem carceris; deinde pro* interpolatione *legendum videtur* interpellatione.

Clauditur hic primus concesso fine libellus.
Subsequiturque dehinc quoque prologus iste secundi.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS AUCTORIS.

Hic liber expedict reliqua Sancti gesta usque ad sepulturam.

Quia jam, adminiculante Domino, aliquantulam promissi muneris portionem exegimus, finem poposcit primus libellus; ut quod reliquum est, secundus etiam partito laboris officio prosequatur. Dignum namque est, ut, cum in primo ab ipsa sacra nostri Patris infantia de multis paucissima decerpentes, ad pontificale culmen ascendimus, in secundo etiam, quantus et qualis in possessione dignitatis exstiterit, evolvamus, et cum ætatis declinio * procedentes, adusque vitæ exitum descendamus. Domino itaque Episcopo in urbem suam cum debita veneratione suscepto, D clausulam primo statuimus, ut lectores paululum respirantes, illum qui sequitur attentius amplectantur; ubi nimirum et si pauca, tamen majoris gratiæ ac ponderis facta narrantur. Quos interim volumus admonere, ut, cum in illo flores parturientis adolescentiæ potuissent, eorum benevolentiam allectare, in hoc etiam, qui sapiat senilis maturitas, aut quos fructus pepererint, placeat degustare.

** pro declinatione*

Prologon explicitum sequitur sua pars titulorum.

VETUS DIVISIO LIBRI SECUNDI IN CAPITULA DUODECIM *a*.

Ordo vetus capitum

34 I. Descriptio perfectionis sancti Gaugerici episcopi et confessoris.

II. Quod ipsa in civitate Cameraco, cum Litaniarum solemnia agerentur, tres miseros a carceris nexibus coram clero ac populo pia oratione dissolvit.

III. In villa quoque Galliæ, quæ Cala dicitur, dum in obsequio regis Lotharii moraretur, duos similiter noxios a Landrico principe ad mortis supplicium vinculatos pietate solita liberavit. E

IV. De studio prædicationis ejus, de cura pastorali, de ædificatione animarum.

V. De fœneranda eleemosyna, et quomodo populum suum ad opera misericordiæ verbis et operibus excitabat; sua videlicet pauperibus erogans, nihilque præter necessitates exigentis naturæ retentans.

VI. Ubi rex Lotharius sancti Viri eleemosynario odore perfusus, ut sibi occurreret, epistolariter obligavit; eoque audito, suarum gazarum sarcinas ejus dispensationi credidit in usus pauperum dividendas.

VII. Quod ad sepulcrum sancti Martini profectus, in vicinia Turonorum cæco ab annis XXX solari luce privato visum restituit.

VIII. Quod in Petragoricis partibus sua prædia visens, dum ad sepulcrum properat oraturus, baculum quem ministris porrexerat retro tenendum, eis quidem aliorsum intentis, Angelus Domini repente adsistens vicario officio sustentavit.

IX. Cum in castello Fano-Martensi ecclesiasticæ sanctionis gratia moraretur; vincula mercatoris solitæ orationis malleo fregit, et, quos tenebat captivos, filios ecclesiæ sociavit. F

X. Ubi locum, quem Bublemontem veteres appellabant, prope mœnia urbis, suæ sepulturæ delegit; lucoque succiso, fanoque destructo, ecclesiam in vertice fabricavit, infra quam parato sepulcro, ut post obitum tumularetur, admonuit.

XI. De ægrotatione ejus, et de migratione sancta ad Christum.

XII. Quam solemni planctu et quam peculiariter tota ecclesia ejus exsequias celebravit, et de urbe translatum in basilica, quam in monte superius ædificavit, juxta petitionem ejus cum aromatibus honorifice sepelivit.

Explicitis titulis liber incipit alter, et infit.

ANNOTATA.

a *His capitum titulis numeros nos ipsi apposuimus, tanquam a librario oscitanter omissos; quippe qui eos in divisione præcedentis libri expresserat.*

CA-

A

CAPUT I.

Virtutes ejus episcopales; gemina liberatio captivorum divinitus obtenta.

Cap. I. Sancti virtutes in episcopatu eximiæ, et in primis humilitas,

Præsul itaque sanctus ac venerabilis Gaugericus in sede Pontificali Apostolice confirmatus, quantum se et qualem effuderit in administratione dignitatis assumptæ, nec styli certe est nec temporis explicare; cum siquidem rerum magnificentia orationis inopiam vincat, grandique materiæ ingenii parvitudo succumbat : nam etsi exteriora opera, quæ occultari non potuerunt, utcunque valeant comprehendi, vitæ tamen interioris arcana, et quotidianæ conversationis insignia non possunt facile æstimari; cum multo majora exuberent, quam ut vel animo concipi, vel sermone valeant
B expediri : sicut enim pudore et ingenio præcedentem ornabat ætatem; ita etiam auctoritate et gratia satagebat componere præsulatus honorem; ut cum nomine videlicet etiam meritum possideret : quippe idem, qui ante fuerat, constantissime perseverans, neque sanctæ humilitatis propositum (uti plerosque cernimus) ex honoris occasione declinans.

cura gregis, exemplum vitæ, eruditio, prudentia,

36 Verum enimvero quam in custodia gregis sollicitus, quam in prædicatione assiduus, in correctione benevolus, in caritate præcipuus, pietate egregius, oratione diutinus, quam promptus in lacrymis, potens in jejuniis, constans in vigiliis, largus eleemosynis; quam gravis in sermonibus, quam maturus in moribus, quam efficax suadelis, quam perspicax fuerit in Scripturæ quæstionibus exsolvendis, nulla facultas rhetoris digne sufficit enarrare; præsertim cum inter homines solo corpore conversatum, mente tamen cœlum noverit superare. Qui nimirum in subditis magis amoris obsequium, quam terroris dominium pendens, semper amari maluit, quam timeri. Sed pro qualitate tamen labentium, prout sciebat mores varios diversorum, plerumque faciem * castigationis immutans : hunc palam videlicet, hunc
C secreto; illum vero blande, illum aspere corrigebat; domi siquidem pater, in publico præsul. Qui etiam verba vertens in opera, ut plura faceret, quam doceret, non tam verbis utique, quam operibus populum animabat; quia cujus actio prætendebat virtutis exemplum et vitæ, ejus erat imitatio magistra publicæ disciplinæ.

* *f.* speciem

pacificatio, misericordia erga omnes, et præsertim captivos,

37 Erat namque illi jugis opera, insolentiam coercere, rixas compescere, scissam amicitiam resarcire, justitiam colere, pauperibus subvenire, languidos visitare, vagos et egentes hospitio provocare, captivos redimere, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Præterea vero cæcorum oculus, claudicantium gressus, debilium baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen egentium, pater sedulus orphanorum, tutor fidissimus viduarum, et, ut ita concludam, omnium erat officina virtutum; ita certe singularum gratia nitens, quasi cæterarum privilegio carens. In quarum quidem fastigio tametsi efficaciter versaretur; semper tamen nisibus indefessis ad altiora et perfectiora conscendere conabatur; et quotidianis processibus gaudens, iter hoc vivendi non de transacto, sed de reliquo meditabatur. Sed quia virtus semper patet invidiæ, hanc profecto tanta humilitate studuit superare; ut, etsi omnes opere anteiret, videri tamen procul infimus et loco et ordine laboraret. Inter cætera vero hoc unum beati Pontificis laudibus potest sufficere, quod, eo præsente vel sciente, nunquam carcer aut vincula miseros poterant retinere; cujus rei fides ut certior astruatur, ipsa, ecce, miracula protestantur.

Ex Ms. VETUSTO.

II. quorum tres

38 Eodem namque tempore cum de more Gallico Letaniarum, id est Rogationum solemnia agerentur, ipsum pium Pontificem popularibus studiis religionis gratia contigit interesse, in ipsoque processionis accinctu, de more pastorio, ducatum prævium ovibus exhibere. Cum ergo per plateam civitatis clerus ac populus catervatim procederet, erat illis forte carcerem contiguum præterire, in quo tres viri pro culpis exigentibus tenebantur adstricti sub judicis Malacharii * jussione. Quod ubi Vir sanctus audierat, illico miseratione solita motus, turbis incedentibus stare præcepit, ipsumque interim judicem, quia præsens aderat, relaxari miseros suppliciter exoravit.

* *al.* Walacharii

E

uno miraculo liberavit:

39 Quo vero nolente ac pertinaciter resistente, statim Præsul piissimus pro foribus carceris aliquantisper genua flexus, orationi incubuit, et, ut divina pietas daret, quod ira judicis abnegabat, obtinuit : necdum enim preces finierat, et, ecce, (mirabile dictu!) carceris convulsa repagula, valvæ patentes, compedes dissolutæ coram clero ac populo, miseros, quos tenebant, liberos reddidit *. Cujus rei eventu credi non potest, quæ mox oborta sit exsultatio populi admirantis, qui clamor in laude Pontificis, imo et quæ detestatio judicis inclementis, qui non erubuit sanctum Episcopum non audire, cui in præsenti miraculo videbantur cœlestia obedire. Beatus vero Pontifex procul vitans jactantiam, non suis hoc meritis, sed divinæ pietati sapienter adscripsit, Dominoque gratias agens, miseros pio sermone correptos cætero gregi fidelium sociavit.

* *f.* reddiderunt

III. altero, cum apud Clotarium regem esset,

40 Neque vero illud dissimile fuit, quod ejus quoque meritis in villa Galliæ, quæ Cala dicitur, superna clementia condonavit : ad hanc siquidem cum beatum Pontificem regiæ servitutis negotia invitassent, ab ipso utique rege Lothario, qui illuc aderat, ac Palatinis primoribus summa cum veneratione suscipitur, et cui ministrare venerat, honorifice ministratur : celeberrima enim opinione succensus, multa cum dilectione colebat, et,
F licet imperio sublimatus, tamen se piæ ædificationis alloquio subjicere lætabatur, cupiens videlicet et præceptis salutaribus erudiri, et sacris ejus benedictionibus præfoveri. Nec solum autem rex, sed etiam summi eum principes diligebant, vitæque monita capientes, semper ab ejus ore pendebant : totus etenim illius sermo fuerat de contemptu mundi, de timore judicii, de gloria Sanctorum, de æternitate justorum. Nihil unquam in ejus ore aderat, nisi Christi, nihil in corde, nisi pacis et ingenitæ pietatis affectus : cujus quidem animo nihil clementius, nihil erga humiles blandius habebatur.

ejusque ministro frustra supplicasset, ut alios duos absolveret,

41 Cæterum senes honorabat, ut patres aut dominos; juvenes instruebat, ut filios; pauperes vero quicunque occurrerent, sustentabat; divites, ut bene facerent, admonebat. Cum ergo illuc aliquandiu regis gratia moraretur, quorumdam suggestione cognovit, a Landrico principe duos viros in vinculis cruciari, dieque in postera judiciali sententia suspendio reservari. Horum certe misera sorte compunctus, principem ipsum convenire

EX MS. VETUSTO.

venire non distulit, et, ut compeditos absolveret, sibique ob amorem Domini castigandos concederet, episcopali auctoritate deposita, humiliter supplicavit. Ille vero, quoniam in aula regia cæteros fascibus excellebat, ac sub regis dominio moles et onera regni pro sua voluntate tractabat, non timuit sancti Viri precibus procaciter obviare, et gravium criminum reis veniam abjurare, sane cum nec enormitas scelerum mereretur, nec censura judicum ullo modo pateretur. Sic ergo beatus Pontifex contemptus ab homine nihil tamen motus, supernum Principem, qui voluntatem timentium se facit et deprecationem eorum exaudit, melius putavit adire : nam et se et suos discipulos, pro ereptione vinctorum jejunio et orationi cum vigilia mancipavit, et ut impunitatem miseris impetraret, ipse quidem cum suis pariter in psalmis et orationibus in ecclesia nocte pernoctavit, ubi certa spe et suæ orationis effectum et divinæ misericordiæ præstolabatur eventum.

eosdem in libertatem divinitus impetratam asseruit.

42 Et quid plura? Quia nimirum oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, pia Sacerdotis oratio compedes fregit, miseros solvit, abduxit; ipsa certe liberos suo reddidit oratori : mane etenim facto, divinitus absoluti, ipsam, ubi B Vir sanctus agebat, basilicam quantocius petierunt; suisque oblati conspectibus, pedibus advoluti, pro sua absolutione immensas ei gratias retulerunt. Quo Vir Domini gaudens, sed eorum gratias ingratas *a* abhorrens, largitorem Dominum quammaximis laudibus pro tanto munere cumulavit, ac deinceps miseros, etiam nunc recenti formidine pavitantes, dulci consolatione refovit. Ut autem pœnitentes errata corrigerent, notasque pristinæ vitæ contractas futuræ emendationis lavacro expiarent, quam sancte et quam pie commonuit; tandemque bullam ostentationis evitans, ne unquam sibi, sed divinæ misericordiæ, suæ redemptionis gratiam deputarent, multa eos interminatione constrinxit. Vix ea fatus erat, cum, re necdum audita, Landricus ad ecclesiam pro consuetudine orationis intendens, miratur hos ab ore Pontificis vitæ alimoniam haurientes, quos putabat in vinculis certum mortis periculum præstolantes. Qui mox conscientia et pudore confusus, ac Præfectoriæ potestatis oblitus, ante sanctum Pontificem genua incurvavit, culpamque confessus, quia cum humilitate rogabat, veniam impetravit. Postea vero Episcopus ad regem ingressus, verba ei vitæ et salutaria monita ministravit, ipsoque dehinc, ut decuit, salutato, ad suam ecclesiam remeavit; quoniam quidem diu ab illis abesse *non poterat*, quorum custodiæ peculiariter præsidebat *b*.

ANNOTATA.

a Gratias ingratas; *qui nullas sibi deberi censebat; sed unice Deo, ut mox dicetur.*

b *Pauca hic noto, quia satis illustrata sunt pleraque in Vita minore.*

CAPUT II.

Materia concionum ejus ordinaria; misericordia erga pauperes maxima; sanatio cæci.

Reversus itaque, omnem operam prædicationis cum magna sedulitate subditis impendebat, et pro dispari intelligentia diversorum, alios quidem lacte; alios solido cibo reficiens, omnes tamen Domino lucrifacere cupiebat : nam ut sapiens medicus pro diversitate morborum variat supellectilem medicinæ; ita et iste singulis quibusque pro ætatis et sexus intuitu formabat verba doctrinæ rudibus videlicet plana atque communia; provectis ardua, spiritualibus spiritualia sapienti ministratione ministrans. Qui nimirum, utpote scriba doctus, de thesauro suo nova et vetera promens, tam lepide proponebat præcepta virtutum, et tam rationabiliter pandebat mysteria Scripturarum, ut facile sibi alliceret fidem et benevolentiam auditorum, omniumque in Christo Jesu, sancti desiderii provocaret affectum : erat enim tantæ auctoritatis et gratiæ, tantæque suavitatis et sapientiæ, ut omnes illum et tacentem lubentissime sustinerent, et loquentem cum omni attentione respicerent; sane quia et Christianæ fidei sacramenta magnifice disputabat *, et cuncta suæ exorationis insignia suæ vitæ imitationibus ostendebat; magis scilicet in subjectis conversatione, quam exemplis *a* proficiens, et majorem fructus et ædificationis gratiam vita, quam verbo extendens.

D *Conciones ejus ac monita personis attemperata.*

* f. dispensabat

a

E *eorumdem argumenta præcipua;*

44 Erat autem frequens ejus exhortatio de dilectione Domini et proximi, de observantia mandatorum Dei, de regula recte vivendi, de instantia orandi, de cæremoniis fidei Christianæ, de cultura justitiæ, de summa religionis, de pace, de longanimitate, de hostibus tolerandis, de pauperibus sustentandis, de virtutibus nutriendis, de vitiis conterendis, de novissimis meditandis, de temporalibus postponendis, de cœlestibus acquirendis. Aliquando vero historiam typice tractans, morali exitu deformabat *b*; et inter cætera monitorum problemata quam sanctissime inferebat Ægypti exsilium abhorrere, Pharaonis jugum procul excutere, ad patriam jugiter festinare, per regiam tamen viam incedere, insidias Amorrhæorum et Chananæorum in diverticulis præcavere. Cæterum tam evangelicis, quam apostolicis plebem Christi excolens documentis, certe de immanibus mites, de superbis humiles, de nuptiantibus * continentes, de adversantibus fratres, de avaris munificos, de tenacibus largos, de nepotibus parcos, de intemperantibus sobrios, et, ut vere astruam, de lapidibus filios Abrahæ fecit non paucos.

* i. e. incontinentibus

F

vis ejus et constantia in arcendis a grege lupis :

45 Si autem aliquando rabies vesana luporum circa caulas ovium grassaretur, hic profecto, non ut mercenarius, sed ut pastor fidelissimus, zelo caritatis ardebat minis adversantium reclamare, vivaque voce et libera impugnantibus contraire, atque gregem dominicum ab infestis hostibus liberare, ne forte sibi etiam cum reprobis pastoribus diceretur : Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Præesse vero nullatenus, sed prodesse gaudebat; quia nec potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis pensabat; haud utique lucris inhians temporalium rerum, sed suarum sollicitus custodiæ animarum, ut eas ab Ægyptiaca servitute eriperet, et ad cœlestia cœlestis patriæ repromissa secum perducere potuisset.

V. *ardor in misericordia erga pauperes commendanda*

46 Inter hæc autem animarum convivia etiam vegetandis corporibus opportuna curabat Episcopus providere subsidia; ne forte videlicet sub exteriorum penuria thesaurus interior quædam sui pateretur dispendia; cum sæpe nimirum humana infirmitas soleat gravi pondere paupertatis oppressa fatiscere, ac per multa offendicula corruens, bara-

A baratrum desperationis incurrere. Ex divinis igitur Paginis multa misericordiæ colligens argumenta, de fœneranda eleemosyna specialiter disputabat, omnesque, quos poterat, studio pietatis accendens, ut sibi de mammona iniquitatis amicos efficerent admonebat, profecto asserens, nec virtutes et divitias posse pariter possideri, nec subsarcinatos opibus Christum pauperem imitari: facilius enim secundum Evangelium, camelum per foramen acus transire quam regnum Dei divitem penetrare. Habentes itaque hortabatur non habentibus subvenire, et ex illorum abundantia horum indigentiam sublevare: non enim, juxta Apostolum, pro cibo debere pauperes perdi, pro quibus Christus dignatus est mori, et in quibus ipse non refugit pasci, vestiri, seu etiam in quibuslibet aliis rebus ministrari: Quod uni, ait, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ne quis vero obtenderet paupertatem, ut non posset vel pauculam pietatis impendere portionem, duo æra pauperculæ in medio proferebat; quæ nimirum muneribus divitum gratiora fuisse Domino, Evangelice perhibebat; non enim pondere, sed voluntate pensata. Recitabat etiam [exemplum] nobilis Sareptanæ; cui, quia (videlicet Heliæ esuriem tam suæ quam et filiorum saluti præponens) maluit vitam perdere quam eleemosynam præterire, et pugillus certe farinulæ in spem messis accrevit et lecytus olei non defecit.

non verbis tantum;

47 Ut autem suæ prædicationis officium devotiori gratia commendaret, et mentes audientium propensius ad misericordiæ opera incitaret, verba vertens in opera, cœpit videri jam solito in largitate profusior, et in miserorum diutina consolatione uberior: quod enim prius ad devitandam jactantiam fecerat in occulto, hoc jam ad invitanda corda fidelium operabatur in publico: quippe ut videntes ejus bona opera, et Patrem suum, qui in cœlis est, collaudarent, et ejus sacra imitatione proficerent: sancti namque propositi viros, quos pertenuis census et æquo victus contractior angustabat, hos utique nec petentes de rebus propriis ultro misericorditer solabatur; et, ne in via Domini deficerent, hortabatur. Nulli stipem rogantum denegabat, nullum a se redire vacuum sustinebat; tamen pecuniam Domini sui non adulatorius imprudenter effundens, sed Christi pauperibus ad mensuram dispertiens; ne, si indifferens C dispensatio ageretur, canes immeriti filiorum panibus alerentur.

sed vel maxime exemplo,

48 Fores ejus quotidie examina mendicantium obsidebant, omnesque ab eo, tanquam a communi fonte bonorum, sibi necessaria deportabant. Sed quid plura? Porro Evangelicus Dispensator quia præceptum audierat; Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et sequere me; omnia erogare contendit, nihilque sibi, præter vestem et victum simplicem reservavit, paupertate siquidem ditior, humilitate sublimior, contemptu ornatior. Alii vero in mortuis lapidibus fabricando * insudant; iste in vivis potissimum, de quibus in Apocalypsi magni Regis civitas exstruitur, laborabat. Porro alii ædificant cella c, novant monasteria, columnas aliunde apportant, epistylia cæsa cum basibus fabre desculpunt, marmorum crustis parietes vestiunt, altaria gemmis et auro distinguunt; huic vero propositum erat, semper Christum in pauperibus pascere, in nudis vestire, et in aliis similibus pecuniam fœnerare. Si autem res aliquando exhausta deficeret, voluntas tamen locuples et fons vitæ scaturiens non minore merito affluebat.

* *f.* fabricandis

c

Ex Ms. vetusto. VI. cujus fama motus rex ipse Clotharius,

49 Interea rex, quem supra nominavimus, sancti Viri celeberrimæ opinionis, quæ huc illucque fragrabat, odore perfusus, miro illum desiderio cernere sitiebat, et ab eo haurire vitæ præcepta et ædificationis consilium percipere gestiebat; quia eloquia ejus super mel et favum suavia et cœlestis sapientiæ sale condita. Huic ergo legationem epistolicam destinavit, et ne venire differret, obnixe rogavit. Quo audito, sanctus Episcopus mandatum obedienter adimplens, præsentiam regis adivit, et cum eo, sicut petierat, per dies aliquot demoratus, piis eum exhortationibus ad supernæ vitæ desiderium excitavit. Nam de salute animæ consulenti, et de beatitudine cœlestis patriæ sciscitanti præcepta Evangelica nec non et Apostolica invicem conferebat, et ut divitiarum affluentiam et regalis potentiæ gloriam in virtutum materiam verteret, admonebat; quatenus videlicet æterna transitoriis, mansura caducis, divina præsentibus mercaretur.

eleemosyna et regias dispertiendas commisit,

50 Ut vero attentiorem redderet, hæc divina exemplaria promulgabat: Beati misericordes; quoniam misericordiam consequentur; et: Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit E peccatum; item: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula: dehinc etiam Danielis consilium quo regem Nabuchodonosor admonuit, annectebat, ut eleemosynis redimeret peccata sua. Hæc itaque et his similia domino Episcopo proferente, et gratia Sancti Spiritus, qui ubi vult spirat, operante, statim rex divino amore succensus, ut de iniquo mammona sibi amicos efficeret, æstuavit, tollensque thesaurum in cœlis, divitiarum sarcinas in usibus pauperum consumendas liberalitati Pontificis commendavit.

VII. Adiens sepulcrum S. Martini,

51 Quibus susceptis, continuo cœpit intra se fidelis Servus ac prudens pia meditatione tractare, quonam modo potius posset pecuniam sibi creditam fœnerare, juxta quod scriptum est: Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui tradas eam. Quod cum sagaci animo volutaret, visum illi fuerat ad limina sancti Martini orationis gratia properare, et in ipso itinere liberalitatis officium celebrare; ut illuc videlicet majora impendia profligaret, ubi pauperum numerosior copia conveniret. Cum ergo iter carperet, et ad Turonum viciniam perveniret, forte inter F mendicantium turmas obvium cæcum habuerat, qui sole privatus, ab annis triginta in tenebris vitam agebat. Hic autem quoniam sanctitatem Pontificis longe ante, fama divulgante, cognoverat, mox duce assumpto, prætereunti occurrens, exosculandis pedibus se revolutum admovit, utque suæ almitatis suffragio beneficium luminis sibi a Sole justitiæ impetraret, miserandis vocibus imploravit. Episcopus vero, prout fuerat semper deserviens pietati, divinæ quidem imaginis decorem exstinctum condoluit, ac pro eo omnipotentem Dominum fiducialiter interpellans, facto crucis signaculo super eum, hanc orationem effudit: Illuminator mundi, omnipotens Jesu Christe, qui olim per tuæ omnipotentiam medicinæ cæci nati dignatus es oculos aperire, tu etiam ab hoc famulo tuo cæcitatem expelle, et lumen, quod optat, propitiatus infunde; ut ex hoc videlicet Christiani tibi gloriam referant gratulantes; non ut Judæi ex illo moveant scandalum invidentes.

cæcum obvium prece sanat.

52 O mira et infinita misericordia Dei! O immensa et inæstimabilis munificentia Salvatoris, qui nec in momento suorum preces fidelium differt, imo et juste petentium prævenit voces. Nec-

EX MS. VETUSTO.

Necdum etenim Præsul orationem suam finierat, cum subito, nocte fugata, jam diu damnatas irruperit dies inopina fenestras, et quas ille aure didicerat, jam etiam visu certissimo deprehendere cœperit rerum quarumque figuras. Qui statim Deo et suo Famulo pro tanto munere gratias agens, duce contempto, ad sua hilariter remeavit, vitamque dehinc integer in tempora longa producens, laudes Pontificis etiam tacitus prædicavit. Beatus vero Pontifex, itinere confecto, quod cœpit, ad sepulcrum beati Martini cum omni devotione pervenit, ubi nimirum ab ipsis fratribus cum magno susceptus est gaudio, et, prout dignum fuerat, decentissimo ministratus obsequio : nam quoniam Christi odor suavissimus, ubique fragrantiam dilatabat, et fama sanctitatis ejus, fidei, et virtutum ubique celebriter volitabat, omnes. ideo illum, tam externi quam affines, perinde venerabantur, ut præsulem ; omnes honorabant ut Apostolicum sacerdotem, imo etiam diligebant tanquam filii carissimum patrem.

ANNOTATA.

B

a Quam exemplis, *scilicet aliunde, quam ex sua conversatione, de qua tamen nihil verbo dicebat, petitis.*

b Deformabat, *id est, ita tractabat, ut narrationem historice primo propositam, formandis deinde moribus accommodaret ; ut fieri solet in concionibus ecclesiasticis, et Patrum homiliis ; et vero exemplum hic subditur.*

c Cella *multiplices habet significationes apud Cangium ; hic potest intelligi monasteriolum alteri grandiori subjectum ; qualia fere Prioratus vel Obedientias vocant.*

CAPUT III.

Ministerium angelicum ; mancipiorum liberatio ; præparatio sepulcri ; morbus, obitus, exsequiæ.

C

VIII. *Orantis baculum sepositum sustinet angelus.*

Post beata vero implorata Martini suffragia, et post multa pauperibus collata stipendia, in eodem procinctu itineris prætermeare disposuit sumptuarius Pontifex ad prædia visitanda, quæ proprio jure tunc in Petragoricis partibus sua possidebat ecclesia : ubi cum tenderet, quid etiam ad cumulum ejus præconii divina pietas ostenderit, non est silentio comprimendum, sed ad laudem et gloriam Domini atque sui Confessoris in perennis memoriæ seculis reservandum. In ipso namque profectionis articulo cum ad beati Fronti * ecclesiam oraturus accederet, ac ministris sequentibus baculum retro tenendum porrigeret, divina contigit voluntate, præsto neminem suorum affuisse, quorum intererat ipsum sacrum baculum de manu sancti Patris excipere. Ejus autem animus fide non fallitur ; quia cœlestis bacularius ei subito per Dei providentiam subornatur, qui nimirum dum is ante Dominum in oratione prosternitur, suscepto ipso baculo, humanæ servitutis officio fungebatur. Subsequentes vero discipuli, per se stantem baculum in aere mirantur, nec Angelum dubitantes, obstupefactis mentibus miro spectaculo tenebantur. Surgens itaque sanctus ab oratione Sacerdos, divinæ pietatis munus agnovit ; neque in gloriam elatus humanam, Dominum Jesum Christum, tanti beneficii collatorem, debitis laudibus humiliter cumulavit. O ineffabilis gratiæ Virum ! O Sacerdotem omnibus seculis prædicandum, cui ad præmiorum gloriam cumulandam vitæ perfectio angelicam peperit obsequelam ! Quod etsi mirum, dignum tamen maxime videtur et justum ; quia ejus * conversatio peculiaris inerat Angelorum. Post hæc autem [de] possessionibus suis, ad quas ierat visitans, ad suam se patriam cum honore et prosperitate recepit.

* pro Frontonis

* f. ei

D

IX. *Mancipiis ab avaro gone sibi cusatis.*

54 Operæ pretium est superioribus etiam illud adjungi, quod rursus per eum Dominus ad laudem sui nominis voluit operari. Quodam namque tempore, cum ecclesias suæ diœceseos pastorali officio circumiret, viamque salutis adnuntians, ad supernæ patriæ desiderium parochos excitaret, ejus videlicet amoris gratia pro solemni consuetudine descenderat in castellum, quod fere quatuordecim millibus ab urbe semotum, ab antiquitate gentilium de Fano Martis adhuc tenet vocabulum : ubi cum pro gerendis rebus ecclesiæ aliquandiu moraretur, forte quemdam negotiatorem audierat captivos pueros per eumdem locum in vinculis ducere venumdandos : quorum sane misera conditione pulsatus, ipsum mox negotiatorem coram se adesse præcepit, eumque piis ac benesuadis precibus æstimans emollire, humiliter obsecravit, ut, ob amorem Domini omnium redemptoris, miseros relaxaret, ac mercedem compendii cum certa spe in tremendo judicio expectaret. Miser vero vacuus pietate, servus avaritiæ adversus Episcopum nequaquam erubuit nares contrahere, et quod petebatur, impudens abdicare. Quid ergo ad hæc Præsul faceret ? Qua via miseris subveniret ? Eluctari non poterat obstinationem et pertinaciam mercatoris, ita videlicet vitiorum, ut opum contagione scatentis. Cæterum nulla spes pecuniæ sibi ad præsens, unde posset redimere, suppetebat, quam exhaustam penitus atque consumptam in his et aliis hujusmodi usibus profluus erogator habebat.

E

divinitus obtinet libertatem.

55 Divina vero pietate confisus, de more oratorium petiit, soloque prostratus, Dei omnipotentiam imploravit, ut, quos sæva in vinculis coarctabat venditoris ambitio, ejus miserationis solveret magnitudo. Nec certe oratio sancti Pontificis esse potuit otiosa, quæ de pleno caritatis fonticulo emanabat : nam divino nutu variis curarum æstibus mercator affectus, diversorium subiit dormiturus, defessosque vix parva quiete resolverat artus, cum rei miro eventu divinitus absoluti pueri evaserunt, moptimque ad ecclesiam convolantes, sui Redemptoris se conspectibus obtulerunt. Ut autem expergefactus abesse respexit, quos paulo ante carcerum custodiæ mancipavit, illico sese * vociferans, rem de parte curtatam ac spem quæstuariam retrocedere suspirabat ; imo et (quod verum fuerat) sancti Gaugerici meritis absolutos conquerens, clamitabat. Unde cito ad ecclesiam cum maximo querelarum pondere currens, eos nimirum in conspectu Præsulis de sui absolutione reperit exsultantes, quos paulo ante tenebat in vinculis lacrymantes. Verum miser quod noluit præstare spontaneus, Dei tamen operante clementia, præstitit vel invitus. Hoc autem a sancto Episcopo præter multa ædificationis consilia etiam singulare avarus audivit, sed fortasse non credidit : Quia dare, habere est ; tenere vero, jam nec habere.

F

* f. cæce

X.

56 Interea vero beatus Pontifex ætate senescens,

Morti propinquans locum sepulturæ coemit et parat,

A scens, vitæque præsentis occubitum imminere præ-noscens, sepulcrum sibi cum summa diligentia providere curavit; et cum adhuc salutis integer viveret, sacrum suæ dormitionis mausoleum digno et competenti ædificio titulavit; quia nimirum, u se haberet philosophorum sententia, mortis meditatio est tota sapientium vita. Nam prope mœnia civitatis, ab ortu videlicet solis, mons quidam in sublime porrigitur, ex omni parte tunc temporis saltuosus; olim vero, juxta relationem veterum, nefariis dæmonum cultibus mancipatur: ipsa etenim species rerum et quædam vestigia, quæ etiam adhuc cernebantur, errorum, fidem dabant non modicam testimonio fabulonum, qui eum astruunt Bublemontem composito nomine appellatum, vel a bubus utique, vel etiam cæteris animalibus, quæ immolabantur sacrificiis idolorum. Hunc siquidem locum suæ sepulturæ commodum Præsul prævidens, adamavit, et a suo quodam Burgario *a*, qui eum possederat, numerata pecunia comparavit, patriarcham scilicet imitatus, qui emerat ab Ephron speluncam duplicem in possessione sepulcri *b*.

fundata ibi basilica cum cœnobio, cui fratrem suum præficit.

B 57 Quem etiam novare et meliorare disponens, conductis operariis, lucum succidit, ferarum latibula et dæmonum fana subvertit, omnique spurcitia et impietate supplosa, in supercilio basilicam fabricavit; quam denique ex rebus propriis *c* pro opportunitate dotatam in sanctorum Confessorum Medardi et Lupi, quorum semper reliquias speciali more secum portabat, honore et memoria consecravit; et constitutis fratribus in perpetuum servituris fratrem suum Landonem abbatem *d* præfecit. In qua nimirum basilica, ut longe ante provida meditatione disposuit, monumentum sibi de novo et exquisitissimo lapide fecit excudi; et, quomodo adhuc apparet cernentibus, in subterranea cryptula pulchre et artificiose composita collocavit *e*, illud quidem Davidicum commemorans: Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Postea vero suos non tam imperio coarctavit, quam prece blandissima et fraterna monitione petivit, ut post naturæ vinculum dissolutum, cum de labore hujus vitæ migraret ad sabbatum *, in hoc quasi quodam terræ matris gremiolo non C ejus gravarentur sepelire corpusculum, eo usque corruptibiliter dormiturum, donec, vocante Domino, resurgat incorruptibile ad sabbatum sabbatorum.

* *i. e.* requiem

XI. *Tandem senio morboque deficiens*

58 Cum nos hactenus de Patris nostri gestis illustribus, dumque de sacris virtutum miraculis, Domino tribuente, prosavimus, bene profecto et prospere cum pace ventorum nostra navigavit oratio, nihilque scopulosum incurrens, jam pene portum attigit absque periculo. Nunc autem quoniam eo ventum est, ut ejusdem defectum aut obitum narrare cogamur, Austro surgente, tempestas oboritur, atque importuosi littoris æstus naufragium comminatur; cum vix sine lacrymis valeam explicare fractum illud margaritum mirabile, quod Spiritus Sancti gratia radiabat et lumine, totamque Christi Ecclesiam suo decorabat honore. O certe irrecusabilis necessitas mortis! O sæva et inevitabilis conditio universis! Flavit auster, et lilium sensim in pallore migravit; quia videlicet omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Noster quidem Pater tam senectute, quam morbo confectus, diem suæ vocationis ultimum exspectabat, et sicut cervus ad fontes aquarum, ita semper ad Dominum sitibundus anhelans, inter cæteros divini ardoris affectus aiebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea. Et rursum: Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Qui nimirum in lecto decumbens, etsi fractis viribus corporis deliquescens; morbos tamen et annos fortitudine mentis evincens, incentivis adstantes affatibus infatigabiliter ad hereditatem cœlestis patriæ invitabat, et usque ad expirationis extremum a sanctis exhortationibus non cessabat.

EX MS. VETUSTO.

concinentibus angelis, exspirat.

59 Suam ergo ecclesiam XXXIX annorum curriculo felix Episcopus feliciter gubernavit, mundoque calcato, senex emeritus, vetus hospes, plenus dierum, dans pacem filiis, et vale ultimum dicens, carnis vinculis absolutus, tertio Idibus * Augusti inter manus plangentium exspiravit, ad magnum utique patrem familias Jesum Christum ab Angelis deportatus, et in thesauris supernæ civitatis Jerusalem cum Sanctorum cœtibus aggregatus, Angelorum videlicet consors, Patriarcharum æqualis, Prophetarum concivis, Apostolorum socius, cohæres Martyrum, par Confessorum, comes non discolor Virginum candidarum. In cujus vero transitu religiosi viri, qui aderant, voces in cœlo psallentium audiebant atque lætantium; quia revera dum corpus exanime in terris homines condolebant, in cœlo certe Angeli triumphatricis animæ reditu exsultabant. Cæterum non potest facile æstimari, quanta virorum ac mulierum ex diversis partibus ad obsequium funeris multitudo confluxit, quantæque devotionis studio exsequiarum solemnia communis universorum pietas celebravit. E

* *f.* Idus

XII. *Maximo deinde omnium luctu et concursu*

60 De sepulturæ vero judicio aliquantisper subcrepuit controversiæ murmur in populo: quidam enim dicebant, satis indignum posse videri, si privaretur ecclesia * sui sacri tumulo Sacerdotis, cujus vitæ et conversationis insignibus coruscabat exemplis, munita præsidiis, illuminata doctrinis. Quidam autem e contrario, quorum mens sanior fuerat, offensam Dei et Præsulis verebantur; si, quod Vir sanctus disposuit, irritum haberetur. Qua vincente sententia, tota in unum ecclesia conglobatur; corpusque ferentes ad præfatam supra montem basilicam, cum magno sed pio funebritatis obsequio psallentes et flentes, pariter prosequuntur. Porro quam carus exstiterat, ipso F mœrore funeris indicatum est; cum magni ab omnibus penderetur aut cervices feretro subjectare, aut oscula figere, sive etiam manus propius admovere. Omnes pie plorabant, et inter lacrymarum stillamina crebris singultibus psalmodia * collidebant: nam cum scirent, ab exsilio recessisse ad propriam regionem, recepturum utique sempiternam pro duplicatione talenti mercedem; non poterant tamen se continere quin flerent; quia videlicet fidei murum doloris aries quatiebat; et quas spes resurrectionis lacrymas inhibebat, condomesticæ caritatis affectus et repentinæ orbitatis calamitas extorquebat; quod vero genus lamenti licet religioni interpretandum sit; tamen vereor explicare; ne si cicatricem vulneris, quod in patribus ante curatum, mentione exulcerem, nunc quoque filiorum animos innovato dolore perturbem.

* *nempe* cathedralis

* *f.* psalmodiam

honorifice sepelitur loco, quem ante paraverat, et postea ornavit miraculis.

61 In illo autem sarcofago, quod ipse sibi beatus Pontifex suis in diebus excidit e saxo, cum odoramentis aromatum posuerunt, et sub ipsa cryptula, quam supra diximus, prout ipse monuerat, honorifice tumulaverunt. Qui locus postea Mons sancti Gaugerici, mutato prisco nomine nuncupatus, a fidelibus Christi plurimum cœpit amari, incoli, multimodis rebus augeri, religione

ditari,

EX MS. VETUSTO. ditari, magis magisque regum munificentiis exaltari : denique in perenni sancti Patris memoria solemnibus nundinis dedicatus *f*, a frequentatione mercantium longe lateque vulgatus, adusque terras ultimas propagato nomine, innotescit, urbemque Cameracum, cui confinialis adhæret, ante ignobilem et obscuritate contractam, participato postmodum piæ nobilitatis præconio, ubique gentium procul extendit; cui inenarrabile est quantum gratiæ naturalis conferat et decoris; cum præter multa venustatis insignia ita promineat apice speculari, ut undique circumspicientibus ultra multa millia nihil sit obvium, nec turrita ipsius ecclesiæ * sanctæ, quæ ad occasum in urbe se subrigit, altitudo liberum et supervagantem offendere possit aspectum : ubi nimirum sancti Viri meritis aspirantibus, miracula crebra geruntur cunctisque recte ac pie petentibus divina beneficia commodantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est laus, honor, et virtus, et gloria cum Patre et Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

* sc. cathedralis

ANNOTATA.

B

a Burgarius, *id est villicus; ut hunc ipsum citans locum interpretatur Cangius.*

b *Abrahamum indicat, de quo consule Geneseos capp. 23 et 25.*

c Ex rebus propriis. *Vides, nullum hic fuisse locum thesauro Clothariano, quem tamen aliqui ad hunc usum a* S. Gaugerico *impensum scribunt.*

d *Nomina* abbas, monasterium *(ut infra et in Chronico Cameracensi sæpius recurrit,)* Fratres, *occasionem præbuisse videntur inferioris ætatis auctoribus, quos recens Gallia Christiana tom. III, pag. 73 secuta est, asserendi, basilicam hanc* S. Gaugerici *monachorum olim fuisse Ordinis Benedictini; verum eadem omnia nomina nimis in Glossario Cangiano æquivoca probantur, quam ut ex iis solis id confici possit. Ergo Aubertus Miræus in Chronico Belgico ad annum 624, de* S. Gaugerico *et eadem basilica sic pronuntiandum putavit :* Cameraci in colle, ubi nunc arx a Carolo V imperatore 1540 structa visitur, basilicam construxit *(Gaugericus,)* ADDITO CLERICORUM COLLEGIO; quod S. Gaugerici fundatoris sui cognomen postea assumpsit; et arci locum cedens, C sedem in media urbe nunc habet. *Eo quoque inclinare videtur ejusdem ecclesiæ Canonicus erudite quidem, sed et modeste, ut assolet :* An monachi, *inquit in hunc locum,* fuerint isti Fratres, an vero clerici communiter viventes, ambigitur. *Tum post argumenta ex hoc nostro auctore etiam in Chronico Cameracensi proposita pergit :* In quo Chronico nulla monachorum mentio ante ætatem S. Autberti..... Pro monachis *unicus testis est sub finem* seculi XII, cujus opus exstat Ms. in bibliotheca S. Sepulcri, et citatur a Gramayo in Cameraco suo lib. 1 sect. 5. *Anonymi quoque fragmenta submisit; quorum unum sic habet :* Notandum interea, quod beatus Gaugericus..... illic ecclesiam sub honore et nomine beati Medardi construxit, ADUNATISQUE MONACHIS, fratrem suum nomine Landonem, abbatem illis præfecit, etc. *Candida sunt hæc; sed et admodum sera. Multo junior Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum 594 ipsum insuper* S. Gaugericum beati Benedicti regulam professum *facit; sed credit nemo.*

e *Ad hæc iterum observat doctissimus Muttius :* Ecclesiæ nostræ veteris schema habemus in tabula depictum. In ea locus tumuli notatur extra D ecclesiam fere sub ipso arcu majoris portæ : illic ergo fuerit cryptula; et in ea, arca illa lapidea seu monumentum, quod nos, antiquis aris focisque inviti cedentes circa annum 1545, cum cæteris Patri nostri lipsanis in novam ecclesiam transtulimus, collocavimusque in crypta altera, post chorum; in quam etiam frequentissimus populus festis B. Gaugerici convenit, monumentum ejus veneraturus.

f *Hic denuo laudatus observator,* Hoc, *ait,* nundinarum jus exprimit Privilegium Alexandri PP. III confirmatorium possessionum nostrarum, datum anno 1180 : « In duobus festis B. Gaugerici a nona hora præcedentis *diei* et per totum festum diem usque ad crastinum, Teloneum Cameracen. » Duo illa festa sunt, depositio XI Augusti et elevatio XVIII Novembris. Pridie harum festivitatum sub decantatione orationis dominicæ in Missa pulsabatur major campana, et exinde incipiebant liberæ nundinæ; in quibus a mercatoribus omnibus denarius pendebatur ecclesiæ nostræ. *Verum ex quo magis vigere cœpit ab anno 1245 Sancti Translatio, telonium rediit ad festum solum Depositionis; ut Muttius docet.* E

Vita liberque simul clauduntur fine secundus.
Denique de multis paucissima tertius addit
Thaumata * post obitum, præmittens prologon istum.

* i. e. miracula

LIBER TERTIUS

PROLOGUS AUCTORE

Evolutis duobus libellulis, quibus Vitam perstrinximus magni ac beati Pontificis, restat, ut, sicut præmisimus, de miraculis, quæ meritis ejus post obitum divina pietas præstiterit, tertium componamus. Quorum quia multiplex copia et series materiosa succrescit; contraque meum ingeniolum in superiori labore consumptum, penitus exaugescit *, recte arbitror meæ parvitati consultum plurima præterire, et de paucis etiam quæ placentiora sunt, breviter annotare : ut hoc modo videlicet et lectoris benevolentiam promissi F muneris exsecutione reficiam, et domino *, qui ad hæc me impulit, officiosus existam. De cujus sane infirmitate recenti adeo totus et dolore contabui et timore obrigui, ut in his duobus fere mensibus mei etiam pene immemor, et stylum et tabulas abhorrerem, nullique studio, præter luctum et lacrymas, indulgerem. Quid enim serium inter crebra suspiria cogitare, quidve stylo vel animo poteram imperare, cum meum seniorem * carissimum post diuturnos febrium æstus etiam intolerabilis morbus, latine quidem carbunculus sive furunculus, anthrax vero Æolice dictus, arripuit pedemque phlegmonicum tantus tumor et ardor invasit, ut medici desperantes, crescenti periculo obviare non possent; atque inter prognosiæ argumenta * decepti, nobis de vita consulentibus, de morte finitima susurrarent. Nunc autem quoniam erysipelata turgido *a* præter spem sensim resoluta, saniem puncto ulceris rheumatizat *b*, nosterque Ezechias protelatus, ad vitam, sola Dei misericordia protelante, repassat *, longe pulso mœrore, repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione.

Scriptor, Gerardo ep. præter spem convalescente,

* i. e. deficit

* al. domno Gerardo episcopo

* i.e. dominum

* i. e. signa prognostica

a

b

* i. e. redit

63 Itaque jam pristinæ nobis revocandæ sunt vires,

A *opus interruptum resumit.* vires, acuendus est stylus, animusque, qui diu obtorpuit, excitandus; ut quas timor invexit, morarum dispendia corrigamus. Reparatur etenim spes quidlibet ultra vires audendi *c*, [et, quo caret infirmitas, officium usurpandi; cum mihi meus (Deo gratias) de gravi valetudine redditus vivat adjutor, cujus instinctu laborem susceptum percurrere non recuso. Porro cujus benevolentiæ complacere disidero, ita quod præcipit, etiam in rebus difficillimis, pronum et, ut ita dicam, voluptuarium sentio; ut in celeritate parendi nec meditationem difficultas interpolet, nec currentem calamum mora retardet. Sed ad hæc accedit ut quidquid mea imperitia fuderit vitiosum, ejus spectata prudentia reddat acceptum, supervacua resecans, hiantia supplens, errata castigans. Quo nimirum penitus explorante, et, ut assolet, subtiliter elimante, nihil est profecto, quod vel adversi judicis unguem debeam formidare: non solum enim inter divinæ philosophiæ principes excellentibus vitæ meritis obtinet prioratum; verum etiam inter eruditissimos nostri temporis mundanarum palmam possidet litterarum; sane qui et assiduitate legendi, et diuturno studio meditandi B bibliothecam utriusque generis in amplo promptuario pectoris memoriter collocavit. Tanto igitur adminiculo incumbentes, ad propositum revertamur, et ne in digressione Prologus modum videatur excedere, suscepti operis tramitem prosequamur.

Tertius hic titulos præordinet . . . . * libellus.

** Deest forte hosce*

ANTIQUA DIVISIO LIBRI TERTII IN CAPITULA QUATUOR.

vetera capitula. 64 I. Ubi Bertoaldus successor episcopus a beato Gaugerico nocte per visum admonitus, cubile suum deseruit; ibique altari erecto in ejus memoria, oratorium Domino consecravit.

II. Hujus oratorii situs ubi tunc temporis exstitit, inculcatur.

III. Ubi etiam S. Gaugericus suo æditui per visum apparens, furem ingressum ecclesiam intimavit; sed ut illæsum abire permitteret, monefecit.

IV. De villarum S. Gaugerici invasore Fulbodo, quomodo divina virtute reddere cogeretur.]

C

ANNOTATA.

a Erysipelata turgedo. *Auctor ex substantivo Græco* ἐρυσίπελας *adjectivum componit Latinum* erysipelatus. *Est autem* ἐρυσίπελας *tumor ex fervente tenuique sanguine cum flavæ bilis permixtione existens, quem Latini sacrum ignem appellant.*

b Saniem puncto ulceris rheumatizat, *hoc est, saniem emittit per punctum sive exile foramen ulceris. Forte etiam primigenia lectio fuit,* puncto ulcere.

c *Hic dificit Ms. Preud-Hommianum: ibidemque finitur hujus libri Prologus in codice S. Sepulcri; at in codice ecclesiæ primariæ collegiatæ* S. Gaugerici *productior est et continuatur uti sequitur inter uncos* [ ] *appositos.*

Tertius exsequitur de multis pauca libellus.

Ex Mss.

CAPUT UNICUM.

Miracula post obitum Sancti facta.

I. *Sanctus apparens successori.* Sepulto *a* Gaugerico patre sanctissimo, successit episcopus, nomine Bertoaldus, pastorali officio; sane virtutum pote magnificus et totus vir apostolicus, Francorum generis nobilitate præclarus. Hic profecto antecessoris cubiculum, ubi sanctam animam exhalavit, sibi dormitorium posse facere æstimavit; non lubricæ tamen præsumptionis errore, sed pio intuitu devotionis et gratiæ; certus videlicet, quia locum istum ludificator antiquus nocturnis præstigiis vexare non posset, quem tanti et tam venerabilis Viri obitus consecrasset. Lecto igitur beati Gaugerici dimoto, suum inibi collocavit; sed non diu pausare permissus, inconsultum piaculum expiavit. E

jubet restitui lectum suum in cellam suam; quæ simul consecratur. 66 Quadam siquidem nocte, dum se sopori dedisset, apparuit ei sanctus vir Domini Gaugericus in visu, et tanquam de injuria leniter conquestus, hujusmodi promulgavit affatum: Hoccine, dilectissime fili, hoccine in me facere debuisti, ut de familiari cubiculo lectulum nostrum exturbares, tuumque protinus intromittere festinares? Tuam, quæso, fili mi, muta sententiam, et hanc mihi exhibe caritatem et gratiam, ut aliorsum tibi cubiculum quærens, ab hac cellula secedas, nostræque conversationis habitaculum in memoria nostri nominis manere permittas. Ille perterritus, cum se ad pedes ejus provolveret, suæque præsumptioni veniam flagitaret, inter has preces evigilans, reatum illico recognovit; et, ut erat admonitus, quo citius potuit, digna satisfactione correxit. Lecto etenim quem sibi straverat, propulsato, cubile sanctissimum quasi a sordibus emundavit, et, prout decuerat, erecto altari, positisque Sanctorum pignoribus, sancti Patris nostri memoriæ in perpetuum consecravit; ubi usque in hodiernum diem sacrosancta Mysteria celebrantur, nec non Christo quotidie fidelium Christianorum vota solvuntur. F

II. *Hujus cellæ seu oratorii situs pristinus,* 67 Ubi vero tunc temporis hujus oratorii exstitit cella et a quo postmodum vel cur narratur eversa; necessarium duximus *b* scire volentibus inculcare; ne forte possint delinquere falsæ opinionis errore. Adhuc namque multos novimus superesse, qui eam usque a tempus Rothardi *c*, qui ei successerat vigesimus quintus, perhibent se vidisse, beatæ videlicet Mariæ templo cohærentem contra Aquilonem parieti, parvo quidem et humili tecto, acclinem; sed cleri ac populi celebri frequentatione sublimem. Porro vir Domini Gaugericus non procul a matre *d* superbis in ædibus (ut nunc plerosque cernimus) habitabat; verum semper aut in ecclesia aut juxta ecclesiam versabatur; beatum videlicet Vedastum, cui quartus successerat, imitatus; qui juxta ecclesiam quoque Atrebatensem contra Austrum pari diversario utebatur, de quo visa columna lucis ad cœlum usque pertingens sancti patris exitum designavit *e*.

ac deinde mutatio. 68 Verum quia pontifex iste Rothardus in ipso monasterio cryptam facere disponebat *f*, et hoc sine demolitione supradicti monasterii nequaquam fieri posse cernebat; cum multa quidem formidine et lento consilio cellulam fregit, et dehinc opere consummato, altare quod intra muranum *g* ambi-

Ex Mss.

ambitum cryptæ erat, servavit: tamen ne obstaret intrantibus, aliquanto amplius in orientem submovit. Postea vero domnus Gerardus episcopus, qui huic tertius, donante Christo successit *h*, quoniam principali cathedræ parvum et impar ædificium arbitratus est, caput ejusdem monasterii *i* cum crypta pariter fundens *k*, ut apparet hodie cernentibus, nobiliter innovavit, ipsumque altare patris nostri sanctissimi Gaugerici ad dexteram partem altaris sanctæ Mariæ, ubi a senioribus primum fuisse acceperat, reformavit.

III. Iterum apparens Sanctus, furem prodit sepulcri sui. *m*

69 Tempore *m* etiam præcedenti, quoniam sancti Viri memoria fragrantiam longe lateque dulcem spargebat, innumerabilis multitudo fidelium ex diversis regionibus diversa dona ferentium, ad ejus sacrum tumulum confluebat, multique villas et prædia, multi utriusque sexus mancipia, imo et alii alia ob animarum remedia solemni liberalitate tradebant. Sed unde solent boni proficere, inde sæpe improbos cæcitate mentium videmus devigere*. Nam quadam nocte, cunctis quiescentibus, fur nomine Launericus, instinctu diabolico monasterium illud ingressus, ex his, quæ a fidelibus collata erant, clepere aliquid gestiebat; cum idem vir Domini Gaugericus a somno custodem ecclesiæ Baudegisilum excitavit. Expergiscere, inquit; et quem furem inveneris nostram memoriam violantem, misericorditer corripe; et quæ molitur auferre, receptis, impunitum abire permitte. Ad hæc Naofilax *n* properato consurgens, juxta Viri Dei sermonem reperit furem onustum; sed quæ ferebat, ereptis, prout monitus erat, impunite dimisit elapsum.

* i. e. deficere

IV. Villarum ejus ecclesiæ violentus invasor

70 Quid vero sit gestum in vicinia civitatis Sessonicæ*, cum sit dignum miraculo, nolumus præterire, futurum videlicet cunctis divinæ correctionis exemplo, quorum effrænis in rebus Ecclesiæ subtrahendis fervet ambitio. Nam degebat in modo dicta civitate tyrannus Fulbodus nomine, tam divitiis quam genere pollens; sed degener mentis, et alieni appetens; qui villas tres beati Gaugerici, Clamentiacum, Guncum atque Banniolum *o*, quoniam in ipso territorio suis prædiis cohærebant, suis etiam possessionibus jungere misera cupiditate præsumpsit. Ad quem si qui ex fratribus interdum questum de injuria mitterentur, statim eos aut foribus arceri jubebat, aut, nisi effugerent, supplicium minabatur. Unde fratres pariter divinum præsidium præstolantes, hujus tandem consilii sententiam decreverunt, ut illuc corpusculum sancti Patris deportarent, sicque fortassis audacius clamaturi, illius sævitiam temperarent.

* vulgo Soissons.

cogitur divinitus restituere.

71 Quod factum mox ut miser accepit, turbamque venientium eminus deprehendit, cœpit amplius solito insanire, verbis atrocibus frendere, minis augescere; cum subito inter ipsa convitia manifesto Dei judicio velut epilentico* morbo percussus, in terra procubuit, oculosque invertens morientium specie, in voce et sensu omnino defecit. Ad quem illico uxor consternata cum servis adcurrens, quia divinæ iræ ultionem advertit, impatienter id ferens, querulos ejulatus agebat, virique præsumptionem accusans, justæ vindictæ compendia allegabat, quod non solum proprio non contentus, aliena appeteret, sed et (quod gravius est) servis Dei sanctique Gaugerici verbera intentaret. Sed, Domino miserante, paulo post de gravi spasmo resurgens, mox ut oculos aperire et linguam potuit in verba movere, incredibili pœnitudine ductus, ad feretrum Sancti, quem offenderat, se bajulari præcepit, villisque redditis, reatus sui veniam postulavit. Sic Patris nostri meritis vitæ medicinam adeptus, postea plures duxerat annos; sed quia non fuerat ex integro sospitatus, notam sui criminis suomet opprobrio testabatur *p*.

* lege epileptico

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum transtulit auctor ex hac Vita in Chronicum suum Cameracense lib. 1, cap. 13.*

b *Hæc, ut monuimus, explicationis gratia veteri narrationi de suo adjicit auctor noster; quia mutata jam erant omnia.*

c Rothardus *obiisse scribitur anno 994 vel sequente, cum sedisset annos circiter octodecim.*

d Non procul a matre, *id est ab ecclesia matrice seu cathedrali, quæ est Mariæ Virgini Deiparæ sacra.*

e *Ut vide apud nos in Actis* S. Vedasti *die 6 Februarii, vel Chron. Camerac. lib. 1, cap. 9.*

f Monasterium *hic appellat ipsam ecclesiam cathedralem;* cryptam *vero oratorium seu sacellum subterraneum, qualia etiam nunc multa visuntur.*

g Muranus, *adjectivum a* maro *formatum.*

h Gerardum I *intellige, qui Rothardo post Erluinum successit anno 1013, et sub quo hæc Vita scripta est.*

i Caput monasterii *sive* ecclesiæ *est ea pars ecclesiæ, in quo erigitur princeps altare.*

k Cum crypta pariter fundens, *id est confundens, ut apparet, et in unum redigens ædificium cryptam et caput monasterii. Addit Cl. Muttius:* Restaurationem ecclesiæ a Gerardo factam narrat ex professo Cronicon lib. 3, cap. 49, et dedicationem refert ad XV Kal. Novemb. Concinit Martyrologium vetus Cameracensis ecclesiæ ad eamdem diem: « Cameraci, dedicatio majoris ecclesiæ in honore Sanctæ Mariæ Dei Genitricis et omnium SS. facta a Gerardo ejusdem urbis episcopo, ubi plurimorum Sanctorum corpora, quorumdam vero reliquiæ interfuerunt ». Altaris S. Gaugerici *(de quo mox agit Vita nostra)* dedicatio ad XII Kal. Novemb.: « Dedicatio altaris Sanctorum Confessorum Gaugerici, Vedasti, Autberti, Vinditiani, et omnium Confessorum, quod situm est in sinistra parte ejusdem (majoris) altaris; ubi etiam idem B. Gaugericus in carne adhuc vivens locum quietis sibi adoptaverat ». Vides, hic agi de altari, quod erectum fuerat in humili cella ad Septemtrionem, ut supra dicitur. Ne ergo dubites de loco hujus altaris: licet in textu Vitæ legas illud « ad dextram partem altaris S. Mariæ »; Martyrologium vero illud « in sinistra parte (majoris) altaris » collocet: hæc enim pro diverso respectu diversa sunt, *prout nempe stans in summo altari vel ad altare se vertit, vel ad populum.*

m *Hic redit auctor ad veterem narrationem prototypi sui; quam obiter tangit in Chronico lib. 1, cap. 15.*

n Naofilax *pro* naophylax, *quæ vox Græca significat æditum, seu templi custodem.*

o *Etiam nunc in locis hisce collegio Gaugericiano, etsi multa passo, census ac plura jura superesse audio.*

p *Huc usque tantum pertigisse narrationem primigeniam hujus Vitæ, cætera vero, quæ hic sequentur, esse posterius ab eodem auctore ex Chronico suo ad hanc Vitam adjuncta, ostendimus in Commentario prævio num. 13 et seqq.*

APPEN

A

APPENDIX

AD LIBRUM TERTIUM

Ex ejusdem auctoris Chronico Cameracensi et Atrebatensi in Antiquis Vitæ hujus exemplaribus posterius adjuncta.

Miracula recentiora præcedentibus.

Energumenus ad ejus tumultum liberatus, ibi servire statuit: a

Quædam, quæ jam ipse juvenculus in ipsa beati Gaugerici ecclesia in hodierno tempore vidi *a*, annectere ratum duxi. Præter quamplurimos namque utriusque sexus phreneticos, quos illuc videram sospinatos, unum seorsum dicam, cui nullum præ nimietate furoris æstimo comparandum: B ipse namque ore spumans, dentibus frendens, licet manus post terga revinctus, et a suis misere cæsus, vix tamen teneri poterat, quin ex totis viribus omni bachaniæ * imperterritus, diabolo violentiam suggerente, vacaret; semper enim illicita loquebatur derepente insiliens in homines incautos, plerumque mordebat. Ad monasterium vero beati Confessoris magna difficultate perductus, non minus per aliquot dies sævire videbatur; ita ut nemo se obvium illi dare auderet. Nec longum tamen, pio intercedente Patrono, a superno medico misericorditer visitatus, sanæ et integræ mentis opem recepit, suisque cum gaudio ad sua reversis, ipse Gerardus (hoc enim illi nomen erat) in monasterio, Deo et suo sanctissimo Confessori famulaturus, manere æstimavit.

* *lege* bacchaniæ

postea discedere volentem absterret Sanctus apparens;

73 Ubi cum diu summa devotione familiariter deserviret, contigit ut eum quadam die gratia visitandi paternam coloniam invitaret: ad quam cum tenderet, nec longe quidem adhuc distans, sacerdotem canitie decorum, vultu habituque venustum, C ut ipse referre solebat, obvium habuit; qui eum interpellans verbis hujusmodi, Quo tendis, inquit? Et ille: Jam dudum est, domine mi, quod sanctissimo patri Gaugerico pro collatis beneficiis deservio; nunc autem parentes quid faciant visitaturus, ad patriam remeare exæstuo. Melius est, inquit, ut maneas, ne forte collati beneficii videaris ingratus.

sed hic pertinax in proposito dirius corripitur a dæmone,

* *Baldric.* conceptis

74 Hic autem, contemptis * paternæ gratiæ affectibus, datos postponens monitus, dum paululum procederet, mox multo pejus, quam antea a dæmonio corripitur; adeo videlicet dementatus, ut occurrentes sibi quosque lapidare prorsus intenderet. A multis vero, non facile captus, loris nexus, ad monasterium iterum attrahitur; et quia contra fidem Catholicam convitia, diabolo doctore, jactabat, nunc minis funditur, nunc flagellis quatitur; nemo tamen rabidi oris falsificam garrulitatem compescere potuit; donec inter flagella et vincula ante sancti Viri sepulcrum prostrato ex lassitudine somnus obrepsit.

donec iterum ad Sancti sepulcrum liberatur.

75 Qui cum vero post aliquantulum expergefactus surrexisset, mox divinitus mente recepta, cunctis admirantibus et præ gaudio illacrymantibus, cum magna confusione pudoris ante sepulcrum prosternitur, confessus culpam, veniam erroris deprecatur. Denique compos animi omnino effectus, monasticis se obsequiis fideliter mancipavit, non ausus quoquam ultra secedere; donec post multum temporis a fratribus sumpta licentia, Romam obtinuit pergere. Notandum vero, beatum Gaugericum procul dubio exstitisse; cum scilicet sacerdotem, quem illi paulo ante diximus occurrisse.

Ex MSS.

Ad eumdem tumulum sanatur paralyticus.

76 Est adhuc homo in monasterio serviens, Hildebertus nomine, quem post longam ægritudinem meritis sancti Viri sospitatum cognoscimus. Hic nimirum per totum anni circulum, nescio cujus generis morbo, adeo angebatur, ut maxima parte corporis præmortua, circa humanorum usuum studia nullo officio fungeretur. Hujus pro restitutione salutis pater in frequentibus medicorum conductionibus, portionem suæ substantiolæ, absque ullo profectu se erogasse dolebat; nec quid intenderet, reperire valebat. In hac itaque mœstificationis perturbatione sollicito tandem occurrit sanum et salubre consilium; ut beati videlicet Gaugerici expeteret medicinale suffragium; sane ubi infirmi persæpe solerent arripere sanitatem, energumeni quique sive lunatici liberarentur. Statim ergo facta deliberatione ægrotum vehiculo impositum ad monasterium attulit, E ponensque ante sepulcrum, ipsum quidem, si saluti redderetur, obsequiis beati Gaugerici in perpetuo mancipandum devovit. Cur producam sermunculum? Paululum jacuit; divinæ medelæ adeptus est gratiam, pro tantique beneficii compendio, monasticis usibus deserviens postea in monasterio conversatur.

Exstinctum incendium; depulsa febris. b

77 Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo septimo Idus Julii *b* oborta est in ista civitate vasta pestis incendii, quæ jam civitatis magna parte combusta, furentibus siquidem flammis, ventis agitantibus, invalescens, ad domos etiam prope sancti Viri monasterium sitas usque pervenerat, ac inevitabiliter porrectas edaci populatione involverat. Jam vero majoris metus causa de suspecta templi conflagratione exoritur: non enim fortasse dubium quin si proxima domicilia cremarentur, ipsum et monasterium igne raperetur. Flammis autem invalescentibus metus amplior incubuit, globisque volantibus, totus tam populus quam clerus, sublato in cœlum clamore, infremuit; F moxque duo ex clericis ex sententia cæterorum, sanctum sepulcrum celeriter adeuntes, præsumpta quidem de timore audacia, thecam argenteam sanctissimi corporis extrahunt, cursimque tollentes, flammis furentibus obviam ferunt. Statim ergo divina clementia operante, meritisque sancti Viri suffragantibus, ita totus ignis submisso furore obtorpuit, ut rorulento desuper imbre respersum æstimares. Multa etiam occurrunt referenda; sed augusta brevitas libelli non patitur. Quid vero de multitudine diversorum languentium loquar, qui illuc quotidie confluentes sanitatem recipiunt? Quid hæc dicam, cum amplius visu quam dictu semper appareant? Nuper sane et meipsum febribus intolerabiliter laborantem sospitati (Deo gratias) restituit *c*.

c

Berengarius ep. Cameracensis, d e

78 Congruum quoque, quamvis præpostero ordine *d*, annectere tamen ratum duxi *e*, quid pater beatissimus Gaugericus egerit cum Berengario, hujus Cameracæ civitatis episcopo. Hic Berengarius fuit ex nobili parentela Germaniæ ortus, sed et Ottonis imperatoris proxime consanguineus, qui quoniam magis secularibus, quam ecclesiasticis negotiis implicatus, per excellentis prosapiæ

sub-

EX MSS.

sublimitatem animum quodam pulsu jactantiæ attollebat, morum et vitæ oppugnationibus sumpto officio contraibat. Hic etiam tantæ feritatis exstitisse dicitur, ut non modo lingua et natione; sed etiam moribus, populo suo barbarus esse videretur: quanto enim regii generis ei aspirabat auctoritas, tanto ferocior populum vexabat. Sæpe itaque partim propter ejus animi immoderatam levitatem, partimque propter civium repugnantium ferocitatem atque inobedientiam, inter se difficilis oriebatur seditio; aliquando vero intererat implacabilis congressio. Quod autem tantas infestationes edebat, quod tantas inquietudines irrogabat, hoc nimirum non potius episcopi quam insolentiis suorum civium possumus imputare, quos semper præ ferocitate inobedientes omnibus suis episcopis audivimus atque rebelles existere.

seditionem in se motam a civibus

79 Quodam vero tempore, cum in Germania, propter obsequium Cæsaris profectus, aliquandiu moraretur, interim cives una eademque voluntate collecti, facta unanimiter conspiratione, adeo sunt inter se constricti, ut pontificem reversurum, negato ingressu, ab urbe excluderent. B Qui cum, expletis rebus, sedem pontificalem repeteret, in ipso quidem reditu ei innotuit civilis conspiratio. Statim ergo, quia suos tam virtute quam numero adversus tanti populi turbam inferiores videbat, cum grandis ignominiæ probro, iter factum remensus, Brunonem *f*, tunc temporis monarchiam regni sub fratre tenentem aggreditur, suisque causis declamando prolatis, obnixe deprecatur, ut suo videlicet juvamine fultus, sedem clausam violenter possit irrumpere, debitamque ultionem pro accepta injuria in populo rebellante exercere. Nec difficile copioso impetrato exercitu, Arnulphum quoque Flandrensem Comitem adivit, villamque Lambras pollicitus, eum sibi consocium, imo et adjutorem adhibuit. Cives vero, eum tanto cum auxilio reverti comperientes, sibi consulere æstimarunt, longeque dissimulatis rebellionis motibus, absque suspicione ut veniret, nuntios ablegarunt. Cum suis itaque tantum, cæteris siquidem reversis, urbem est absque ulla difficultate ingressus.

tam immaniter ultus.

80 Nec multo post præ levitate suæ insolentiæ præfato Comiti Arnulpho, cujus auxilio urbem repetiit, villam Lambras, qua eum conduxit, C vi reextorsit, minatus sane, quod si eam vendicare præsumeret, totas Flandras ei combureret. Præterea duas villas Coureng et Ferroras ab ecclesia sanctæ Dei Matris divulsit, et cuidam militi beneficiavit. Evoluto autem aliquo temporis intervallo, sibi a populo factæ dehonorationis reminiscens, socia agmina evocavit, civesque incautos subita incursione invasit, palantesque feriendo usque ad monasterium sancti Gaugerici persecutus est. Novum genus spectaculi: continuo namque armati limen sanctissimæ ædis absque reverentiæ modo irrumpentes, alios interfecerunt, alios truncatis manibus et pedibus demembrarunt; quibusdam vero oculos effodiebant, quibusdam frontes ferro ardente notabant. Deinde autem lanceas interfectorum et aliorum captas, sicuti furiosus erat, carpento ad cumulum imponi præcepit et ad insinuandam suæ ultionis atque victoriæ pompam ad prædium suum, in villam videlicet, cui nomen Betendorth *g*, suis familiaribus mittere festinavit.

81 Nec hujus pontificis factum desino demirari, qui templum beatissimi Confessoris violare non timuit, quem Walterus *h* castellanus, tiro *i* inhumanissimus, in simili negotio nostris diebus non D revereri nescivit. Quadam namque die, alicunde cum suis veniens, duos fratres, Aldonem videlicet et Balduinum, sibi inimicissimos forte obvios habuit, moxque caballo, cui insidebat, calcaribus fosso, eos involans, hastaque dorsis pene contigua jam jam imminens, jam jam minitans, usque ad radicem montis fugientes persequitur distantes sane a monasterio fere novem passibus; videns autem eos effugio sanctissimi templi propinquantes, sanctumque Confessorem auxilio geminantes, sequi ulterius formidavit; tandem prorumpens in hac voce ait: Scitote, vos hodie mihi ereptos beati Gaugerici suffragio. Si ergo vir multæ immanitatis, ob amorem Dei et venerationem sui Confessoris inimicis parcens, habere tolerantiam didicit: quanto magis pontifex vel contemplatione sacerdotalis officii, quo fungebatur, debuerit!

ut ne ecclesiam quidem S. Gaugerici revereretur.

82 Attamen quia tanto sceleri effugium aut latebram, vel aliquem pœnitentiæ modum non quæsivit, dignum sane compendium supplicii non longo post tempore solvit. Coloniam namque profectus, cum quadam nocte in lectulo pausaret, E apparuit ei semivigilanti beatus Gaugericus; quippe visus eum pro admissis increpare baculoque, quem manu gestabat, postmodum graviter pulsare. Qui mox expergefactus, cum gravi planctu ingemuit, vocatisque cubiculariis, visionem in ordine pandens, casum sui periculi indicavit. Ex qua percussione aliquandiu elaborans (certa res est) non multo post interiit, in basilica quidem sancti Gereonis *k* sepultus.

ejus apparentis baculo percussus interiit.

83 Ergo quia hujus Berengarii Cameracensis episcopi mentionem fecimus, ex occasione hujus cæteros post sanctum Vedastum nominatim adnectendos ratum duximus. Beato Vedasto successit Dominicus; Dominico successit Vedulfus; Vedulfo successit pater sanctissimus Gaugericus gaudiose nominandus; beato Gaugerico successit Bertoaldus; Bertoaldo Ablebertus; Ableberto successit beatus Autbertus; beato Autberto sucessit S. Vindicianus; S. Vindiciano Hildebertus successit; Hildeberto Hunoldus successit; Hunoldo Hadulfus successit; Hadulfo Trawardus successit; Trawardo Guntfridus successit; Guntfrido Albricus successit; Albrico Hildowardus successit; Hildowardo Halitcharius successit; Halitchario Theodoricus. F Post hunc ecclesia tribus annis a pastore vacavit, contra canones tribus Clericis ab imperatore missis, scilicet Guntberto, Tetboldo, Hilduino. Quibus expulsis sanctus Johannes subrogatus; sancto Johanni successit Rotradus; Rotrado Dodilo successit; Dodiloni Stephanus successit; Stephano Fulbertus; Fulberto Berengarius, cujus mentionem supra fecimus; Berengario Engrannus; Engranno Ansbertus; Ansberto Wiboldus; Wilboldo Tetdo; Tetdoni Rothardus; Rothardo Erluinus; Erluino Gerardus; Gerardo Lietbertus; Lietberto Gerardus successit; Gerardo Manasses; Manassæ Walcherus; Walchero Odo, Odoni Burgardus successit *l*; Burgardo Liettardus, Liettardo Nicolaus successit, Nicolao Petrus, Petro Robertus, Roberto Alardus, Alardo Rogerus successit *m*.

Series aliquot præsulum Cameracensium.

ANNOTATA.

a *Lege hæc eadem miracula in Chronico auctoris nostri Cameracensi lib. 2, a cap, 5, usque ad 8.*

b Anno... septingentesimo septimo Idus Junii, *habent duo Mss.; Baldricianum autem Chronicum*:

A *nicum :* I. XXVII. Id Julii; *vetustissimus codex Vitæ nostræ Sansepulchrianus :* I. XX. VII. Id. Julii, *id est, 1020,* VII *Idus Julii. Hanc equidem lectionem cæteris præfero; quia sejungendo* XX *a* VII, *tollit ambiguitatem.*

c *Hic desinunt miracula, quæ vidit biographus. Dixi autem supra in Commentario hanc liberationem a febre tum accidisse, quando auctor Chronicum suum usque ad libri secundi caput septimum perduxerat, adeoque diu post editam Vitam secundam; quia cap. octavo ejusdem libri secundi, statim prosequitur, se quidem, pulsa febre, jam convalescere; nondum tamen redisse virtutem integram ad Chronicon ulterius tam plene scribendum.* Hujus ergo, *inquit,* opusculi negotium stricto calamo interim prosequamur.

d Præpostero ordine; *qui recentioribus antiquiora postponit : nam* Berengarius, *de quo hic agetur, sedere cœpit anno 956, ac sequente periit.*

e *Nota in hac transitione, quæ non est in Chronico, primam personam,* ratum duxit : *est enim evidens argumentum ad comprobandam eamdem* B *omnino personam, quæ hanc transitionem cum subsequente miraculo in hac Appendice scripsit; et quæ sine ulla transitione anterius in Chronico lib.* I, *a cap. 79 idem scripserat miraculum.* Ex Mss.

f Brunonem *Ottonis imp. I fratrem, et archiepiscopum Coloniensem; de quo in Actis dicendum erit die, qua decisset,* XI *Octobris.*

g *Colvenerius in Chron. legit,* Betencorth; *sed Mss. nostra 3 præferenda putamus, ut villa quædam Germania significetur longe diversa ab illa, quam quidam hic indicari putant in Cameracesio* Bétencourt.

h *De hoc Waltero Castellano Cameracensi, et mali patris pejore filio, pluribus agit in Chronico a libri primi cap. 118.*

i Tiro *apud mediæ ætatis auctores sæpe hominem significat fortem ac militarem.*

k Basilica sancti Gereonis *martyris apud Agrippinenses dignitate proxima est metropolitanæ.*

l *Scriptum hic erat ad marginem :* Huc usque prima manus. *Scriptum ergo creditur exemplum hoc Vitæ secundæ tempore* Burgardi *seu* Burchardi *ep. Cameracensis, qui sedisse dicitur ab 1115 ad 1131. Massæus pag. 182 eum appellat Bocardum, et subdit :* Sub quo incensa urbe per accidens, objectu reliquiarum S. Gaugerici extinctus est ignis. E

m *Sedit ab anno 1179 usque ad 1191.*

DE S. GERARDO CONFESS.

IN CASTRO GALLINARIO DIŒCESIS SORANÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS G. C.

Publicus hujus Sancti cultus, sacræ reliquiæ, Acta, patria, et tempus quo vixit, aut obiit.

ANNO CIRCITER MC. *Sanctus hic colitur Officio ecclesiastico.*

Etsi apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, aliosque Menelogos nulla hujus S. Gerardi *mentio occurrat, tamen de legitimo ejus cultu satis securos nos reddit Officium ecclesiasticum,* C *quo annua istius Sancti festivitas hac die in diœcesi Sorana jam ab immemorabili tempore celebratur. Ecgraphum hujus Officii proprii jam dudum Majores nostri Sora acceperunt. Ne quis porro de antiquitate et authentica fide illius Officii dubitet, ipse illustrissimus Hieronymus Joannellus, qui anno Christi 1632 cathedram Soranam moriens reliquit, ante Acta Sancti seu novem proprias Officii Lectiones ita testatur :* In eadem sacristia *(nimirum Castri Gallinarii, quod visitaverat, et in quo illud inter alia invenerat)* conservatur in carta pergamena totum Officium hujus Sancti cum novem Lectionibus ad Matutinum; et quia in illis narratur ejus vita, ideo hic inserendas mandavi de verbo ad verbum prout in dicto libello in carta pergamena exstat, ad futuram rei memoriam. Ita est Hieronymus episcopus Soranus.

cujus authentica fides probatur.

2 *Laudatus illustrissimus Hieronymus etiam ex codice membraneo Castri Gallinarii totum istud Officium transcribi jussit in librum, qui Soræ in archivo episcopali conservatur, ut colligimus ex sequenti testimonio :* Desumpta sunt hæc omnia ex libro in carta pergamena, in quo adest totum Officium dicti Sancti descriptum cum Antiphonis et hymnis propriis cum cantu firmo, et fuit dictus libellus restitutus R. D. Marco Monte de Albeto archipresbytero terræ Gallinarii hac die XV Maii MDCXXIII. Et in fidem ego D. Thomas Masius presbyter Soranus, Apostolica auctoritate notarius, ac cancellarius episcopalis curiæ, Soræ hic me subscripsi, meumque solitum signum apposui rogatus et requisitus. ✠ Loco signi. *Deinde alteri novem Lectionum apographo, quod anno Christi 1683 ad nos Sora transmissum est, confirmationis gratia subjungitur sequens testimonium :* Extracta est præsens copia a suo proprio originali libro, dicto camplone, existente in cancellaria episcopali Sorana, per me de verbo ad verbum, prout jacet, licet aliena manu, tamen mihi fida, et cum quo facta diligenti collatione concordat, salvo semper meliori. In fidem etc. Soræ hac die XVIII mensis Januarii MDCLXXXIII. Ita est Joseph Porretta, cancellarius episcopalis Soræ manu propria. *Huic instrumento affixum est sigillum episcopale illustrissimi Thomæ Guzonii, qui anno Christi 1681 cathedram Soranam ascendit. Hactenus ea præmisimus ad probandam auctoritatem memorati Officii, cujus nunc aliquot hymnos et alia quædam propria curiosis lectoris subjiciemus.* F

Officium istud præter hymnos ad Veperas.

3 *Hymnus in primis Vesperis ita habet :*

Ecce Dei Confessorem
Personemus et favorem,
Qui meritis palatia
Conscendit ad cœlestia.

Nunc

AUCTORE G. C.

Nunc venerantes ardua
Foveat Christi gratia.
Vir Dei clementissimus
Puerum quemdam liberat,
Qui suas vestes dentibus
Carnesque laceraverat.
Gerardum in solemniis
Pangamus cuncti gaudiis,
Cujusdam fratris clerici
Manum sanavit languidi,
Quæ sibi non profuerat,
Valentiam amiserat.
Cujus diem celebremus
Hujus aulam frequentemus,
Ut ejus interventibus
Sit regum Rex propitius.
Deo Patri etc.

Matutinum

4 *Hymnus vero ad Matutinum sic canitur :*

Iste Confessor, socii, meritis almificus
Omni laude collaudandus, regna qui cœlestia
Vitam despuens præsentem penetrare meruit
Reliquit namque patriam, mundi vana deputans
Caduca fore ; penitus exsultans animo
B Sepulcrum Vir sanctissimus adiit Dominicum.
Alvernensi provincia ortus Vir sanctissimus
Cum labore sit confectus acri ex itinere,
Vir illustris Comini hunc suscepit hospitio.
Cum Vir Dei peregrinus spiritum emitteret,
Est ibidem tumulatus ; super cujus tumulum
Requievit quidam somno compressus et anxius,
Quem vir Dei mirificus impressit per tempora,
Mirabilia eloquens, narravit continuo ;
Quæ Sanctus hic edocuit seriatim retulit.
Hujus nimirum meritis Reparator omnium
Pressos plurimos languore, febribus, et pariter
Providentia detentos condignanter liberat.
Ergo Dei confessorem Gerardum carissimum
Vero corde collaudamus totoque conamine,
Cuoque nobis interventor existat perpetuus.
Gloria sit Deo Patri etc.

et Laudes,

5 *Hymnus autem ad Laudes ita sonat :*

Hymnum canamus, socii,
Devota mente seduli,
Festum Christi militis
Odis canamus consonis ;
Qui spreto mundi principe
C Christi ditatus munere
Per sacrosancta neumata *
Æterna tulit præmia.
Hunc Laurenti proceres
Rite sequuntur alacres,
Quos ille ductor ad æthera
. . . . duxit cœlitus.
Nunc Gerarde o inclyte,
Nos adjuva precamine ;
Juncta caterva Superum,
Pro nobis ora Dominum,
Ut tuis fulti precibus
Vitemus omne facinus,
Mundi temnamus noxia,
Cœli sequamur gaudia.
Laus Trinitati debita etc.

* *id est* nutus *a voce Græcas* νεῦμα

Hic idem hymnus in secundis Vesperis repetitur.

constat Antiphonis et orationibus propriis, usitatis in diœcesi Sorana,

6 *Præter hos hymnos etiam in eodem Officio leguntur Antiphonæ propriæ, quarum prima ad* Magnificat *ita præscribitur :*

Hinc Pater egregie possessor omnis gratiæ
Adesto tuis servulis, qui caruisti maculis.
O Gerarde sanctissime, Christi miles fortissime,
Conserva tuos famulos, qui semper sanas languidos.

Huic Antiphonæ subnectitur sequens collecta sive oratio : Omnipotens, sempiterne Deus, qui beati D Gerardi confessoris tui nos solemnia venerari voluisti, plebem tuam concede ipsius interventionibus ab hostico spiritu erui, et tuæ magnitudinis indulgentiam promereri. Per Dominum nostrum etc. *Orationem sive collectam istam sequitur Antiphona ad* Benedictus, *quæ exprimitur his verbis :*

Ad te nunc sanctissime,
Confessor Christi fulgide,
Confugium assumimus :
Nam regnas in cœlestibus.
Nos ergo tuere, quæsumus,
Ut tuis juvemur precibus.

Tum subjungitur altera collecta vel oratio hujus tenoris : Quæsumus, Domine, tuæ pietatis misericordiam, da nobis, ut qui beati Gerardi confessoris tui festivitatem gloriæ tuæ recolimus, ejus auxilio confoveri valeamus, ac perpetui nominis eloquia fideliter observare. Per eumdem etc. *Denique in festo ejusdem Sancti legitur Missa cujus introitus ita incipit :* Os justi meditabitur sapientiam. *Nescio, utrum alia propria in hac Missa recitentur, quandoquidem reliqua in apographo* E *nostro desiderantur.*

ubi etiam reliquiæ hujus Sancti publice honorantur.

7 *Nunc breviter agendum est de sacris* S. Gerardi *reliquiis, quas plerasque in memorato Castro Gallinario conservari suspicamur, quamvis defectu evidentis notitiæ id de toto ipsius corpore confidenter asserere non audeamus. Saltem ibidem notabiles hujus Sancti reliquias honorari, supra laudatus illustrissimus Hieronymus Joannellus testatur his verbis :* Brachium hujus Sancti est inclusum thecæ argenteæ noviter constructæ, quod ego Hieronymus episcopus Soranus in visitatione facta anno . . . mense . . . die . . . vidi, aperta theca. Exstat etiam et aliud argenteum brachium antiquum. Hæc omnia conservantur in sacristia parochialis ecclesiæ Sancti ejusdem terræ Gallinarii. *Sed etiam sacra quædam istius Sancti ossa extra terram Gallinarii translata fuisse, discimus ex litteris nostri P. Joannis Francisci Vanni, ad quem Sora Ludovicus Bizzarrus mense Martio anni 1686 sic Italice scribebat :* Soræ colitur festum S. Gerardi die undecima Augusti, eoque tunc confluit magnus numerus peregrinorum, qui adeunt ecclesiam Deiparæ Gratiarum, in monte Sorano, F ibique certatim anathemata offerunt, ut reliquias (nempe digitum) dicti Sancti venerentur. *Hæc publica reliquiarum veneratio, aliaque hactenus relata, immemorabilem* S. Gerardi *cultum abunde ostendunt. Jam de Actis post hunc Commentarium edendis pauca moneamus.*

Ex actis colligimus, illum fuisse natione Gallum.

8 *Habemus quatuor Actorum ac miraculorum exemplaria, quæ omnia ex codice membraneo Castri Gallinarii aut ex Sorano ejusdem apographo transcripta et ad nos transmissa sunt. Exemplaria illa secum concordant, si excipias nonnulla levioris momenti verba, quæ amanuensis suo arbitrio clarius exprimere voluit. Sic* sanare ab ægretudine *pro* sanare a valetudine *posuit, aliaque ejusmodi mutavit, in quibus nos primigeniam phrasim servabimus. At alter amanuensis nimis audacter et imprudenter patriam Sancti corrupit, et Alvernensem provinciam, ex qua* S. Gerardus *erat oriundus, in Ariminensem commutavit. Ariminum est nota Italiæ civitas ; sed nullam hujus nominis provinciam novimus. Si itaque amanuensis, ille nos fallere volebat,* Alvernensem provinciam *in* Ariminensem civitatem *mutare debuisset. Quod si id ignoranter et innocue factum sit, libenter hunc errorem ei condonabimus.*

A *bimus. Interea putamus*, S. Gerardum *illum, qui in aliis apographis, et etiam supra in Hymno ad Matutinum* Alvernensi provincia ortus *dicitur natione Gallum esse, ac natum fuisse in provincia Alvernensi sive Arvernensi, quamvis R. D. Jacobus Branche inter Sanctos Alvernos vel Arvernos de* S. Gerardo *nostro non meminerit. Porro Acta illa, quæ in novem Lectiones distincta sunt, ut in margine notabimus, pauca admodum trudunt de gestis illius, quæ haud dubie Italis ignota fuerunt; verum sat fuse exponunt miracula, quibus Deus sanctitatem istius Peregrini manifestavit. Forte postmodum plura accesserunt miracula, quæ nos latent, cum nona Lectio in omnibus apographis nostris sit mutila, ut ex fine ipsius infra patebit.*

et circa annum Christi 1100 in Italia obiisse

9 *Cœtarum ex initio Actorum præter propter colligimus tempus, quo* S. Gerardus *floruit et e vivis excessit: nam dicitur adhuc ephebus seu juvenis ad Campaniam Italiæ venisse ibidemque post moram quindecim dierum in Castro Gallinario obiisse* tertio anno, postquam omnis spiritualis potentia, Spiritu Dei afflata, ad liberationem sancti Sepulcri sumpserat arma. B *At Christiani circa finem seculi undecimi præcipue arma sumpserunt ad liberandum sepulcrum Domini ex manibus infidelium, et anno Christi 1099 Hierosolymam armata manu interceperunt. Hinc non improbabiliter conjicimus, Sanctum nostrum, in peregrinatione Hierosolymitana, circa annum Christi 1100 vel incunte seculo duodecimo ad Superos migrasse: nam eo tempore plurimi Christiani undique se conferebant Hierosolymam, ut sepulcrum Domini, quod diu sub potestate infidelium fuerat, devote venerarentur. Insuper hæc conjectura nostra confirmatur ex ætate Roffridi vel Goffridi, infra in Actis memorandi, qui anno Christi 1110 in Cathedra Sorana sedebat, ut in Annotatis observabimus. Jam nihil superest, nisi ut fideliter exhibeamus ipsa Acta et miracula, eaque consuetis annotationibus illustremus.*

ACTA

ET MIRACULA,

C

auctore incerto

Ex antiquo codice membraneo, qui in ecclesia Castri Gallinarii conservatur, cum aliis apographis collato.

LECTIO. I. *Sanctus Vir ignotus moritur in Castro Gallinario,* a b

Tertio anno *a*, postquam omnis spiritualis potentia, Spiritu Dei afflata ad liberationem sancti Sepulcri sumpserat arma, Campanis applicuit oris quidam Peregrinus, tempore jam ephebus, Arvernensi *b* provincia genitus, gravi ex itineris incommoditate languore confectus. Cumque a quodam illustri viro in Castro, cui Gallinarium nomen est, fuisset susceptus hospitio, quinto decimo die, languore ingravescente, devotum Deo spiritum reddidit; sed cum, ut moris est, quæreretur locus, ubi sepulturæ mandaretur, respondit ille, qui tanto dignus fuerat hospite: Non est enitendum, fratres, non est laborandum. Notavit bonus Peregrinus Trivium, quo suum vellet fodi sepulcrum. Itaque sicut fuerat revelatum, ab omnibus fere Castrensibus homo Dei honorabiliter est sepultus. Ex Mss.

ubi a peregrino, cui apparuerat, c

2 Elabentibus ergo viginti quinque annorum curriculis *c* *, in quibus certe locus ille infrequens fuerat et neglectus, advenit illuc ab Hierosolymis ad mortem usque febricitans peregrinus. Veniens igitur anhelus effectus, super sepulcrum hominis Dei forte incubuit, et repentino somno correptus aliquantisper quievit. Et ecce Servus Dei omnipotentis, qui dudum illic tumulatus fuerat, eidem in somnis apparuit, et per utraque tempora illum arctius stringens obstupescere fecit. Tanta igitur infirmus rei novitate permotus, tremebundus ad eum sic fari orsus est: Et quis es tu, inquit, qui me sic graviter constringis? Ad hæc ille, Gerardus, inquit, vocor, et hic, ubi jaces, habeo sedem, abjectam licet et vilem. Infirmus ad eum: Et quare ad ecclesiam, quæ juxta est, sedem tibi non delegisti? Hunc locum mihi, ait, a Deo paratum magis elegi, in quo, Christi gratia largiente, multa super infirmos beneficia ostendi; sed populus iste ingratus nullum pro præstitis beneficiis mihi honorem, nisi semel in anno exhibuit *d*. His dictis, iterum peregrinus obdormivit. E

* *al.* circulis

d

LECT. II. *et quem mirabiliter sanaverat,*

3 Nec mora venerabilis Servus Dei homini jam dicto iterum adstitit, iterum illum per utraque tempora strinxit; ad quod factum miratus infirmus ab eo iterato quæsivit, cur se tam moleste jam bis coarctaverat. Et Christi Famulus ait: Dominus per me Servum suum visitare te voluit, et a valetudine sanare, qua hactenus laborasti. At ille gratias agens pro sibi reddita sanitate, sic ait ad eum: Placetne tibi, domine mi, ut vadam et habitatoribus loci hujus Christi patefaciam magnalia? Et Domini servus, Vade, inquit, fidenter, et quæ vidisti, et quæ expertus es beneficia narra veraciter, quoniam Deus omnipotens tam mihi, quam duobus sociis meis, Stephano videlicet germano meo, et cuidam alio *, nomine Petro; hunc nobis locum contulit, et mirabilibus suis illustrare concessit *e*; quod jam certe divino munere plurimi febricitantes experti sunt. Sed postquam a languoribus fuerunt erepti, nihilominus ipsi et eorum concives permanserunt ingrati: unde commone illos, ut ab hac ingratitudine recedant, et beneficia Dei tota mente venerentur, et agnoscant; quod si contempserint, sentient in proximo pœnam, qui noluerunt cognoscere beneficia. Sed quoniam Deus noster magis vult veniam dare correctis, quam sententiam ferre puniendis, ecce ad virtutum cumulum et ad præsens hoc illis largitur beneficium, ut pestis, quæ jam sævire cœperat, desinat animalium. F

* *lege* alii

e

sanctitas ejus manifestatur.

4 Hæc postquam dicta factaque sunt, homo expergiscitur, non jam infirmus, sed, ut Christi famulus promiserat, Gerardus, validissime sanus. Cum igitur incolumis homo surrexisset a somno, obviam habuit quemdam Clericum, ecclesiæ, quæ in vicinia erat, œconomum, quem sic percunctatus est dicens: Dic mihi ergo, frater, si aliquis unquam in hoc loco sepultus est peregrinus? Et ille, Nuper, ait, frater, tres hic sepulti sunt viri, qui Jerosolymam erant ituri *f*. Cum nomina eorum perquireret, et ille penitus se diceret ignorare, peregrinus omnia, quæ in somnis viderat et audiverat, et quomodo mirabiliter a sancto Viro sanatus fuerat, seriatim retexuit; quæ videlicet clericus minime tacuit; sed concite domum revertens mirabilia Dei, quæ audierat,

f

Ex Mss. dierat, pariter cum peregrino populis enarravit. Currit propere omnis populus, viri cum mulieribus, senes cum junioribus; ab omnibus benedicitur Deus, et ab omnibus collaudatur. Hinc laudes resonant, hinc offerunt vota, promittunt donaria. Ex hoc igitur Servus Dei celebris est habitus, ex hoc a pluribus est frequentatus; et qui hactenus fuerat incognitus, factus est virtutum multiplicitate famosus. Unde factum est, ut infirmi, qui de proximis et de longinquis locis ad Dei Hominem concurrerant, ejus opem fide credula postularent.

LECT. III. *Crebrescente miraculorum fama,*

5 Inter hæc quidam ex ejus oppidi habitatoribus correptus febribus cœpit tremere, pallescere, et quasi phreneticus insanire. Recordatus autem verborum, quæ dudum a peregrino audierat, illico ad Viri Dei Gerardi festinus contendit tumulum, et, accensis luminaribus, ejus suppliciter cœpit implorare suffragium. Mox autem a somno capitur, cui dormienti Servus Christi Gerardus apparuit, et utrum dormiret an vigilaret interrogavit. Respondit ille, neutrum se facere, sed potius infirmitatis nimietate detineri; et adjecit Sanctus: Quænam est, inquit, hæc mulier, B quæ assidet, et quid hic operatur? Infirmus, Mater, ait, domine, mea est, et mecum pariter venit tuam misericordiam supplicare. Et Sanctus: Recedat hinc procul, quoniam absque illius adminiculo divina juvamina promereberis.

et infirmo quodam mirabiliter sanato,

6 Hoc dicto, languidus iterum obdormivit; cui sanctus Vir iterum apparuit, et eum ex utraque parte frontis strictius coarctavit, et ad eum inquit: Sanus es sine dubio. Vade autem et perge quantocyus, et hujus municipii annuntia populo, quanta infirmitati tuæ omnipotens Deus per nostrum exhibuerit ministerium. Tu vero per gratiam Dei mihi liberatori tuo hoc beneficium repende, ut de lignis, quæ tibi adjacent, locum meæ contegas sepulturæ, ne, qui ad salutem venimus hominum, injuriis afficiamur, tempestatum et imbrium. Sed o pauperum et divitum infelix domina avaritia! Negat se ingratus homo habere ligna, quibus illorum sepulcrum contegat. Cui Servus Christi: Quare, frater, avaritiæ vel oblivionis mole deprimeris? Numquid desunt tibi ligna, quæ ad constructionem tuæ arculæ * paraveras? Arctatus homo tam evidenti indicio, C mox surgens, ecclesiæ sancti Nicolai presbyterum adiit, et ab eo Evangelii librum expetere cœpit, ut ea, quæ dicturus esset, sacramento vera esse firmaret. Sed cum presbyter dare librum detrectaret, ille, quæcunque in somnis viderat et perpessus fuerat, ordinatim studuit referre; quod et omni populo veridica narratione studuit patefacere.

* al. arcellæ

super tumulum illius ecclesia ædificatur.

7 Nulla in medium mora. Cœpit clerus cum populo concurrere ad ecclesias, pulsare signa, Christi vexilla erigere. Huic splendent luminaria, fumant thuribula, et sic ad locum, quo Sanctorum reliquiæ quiescebant, TE DEUM LAUDAMUS concelebrans jubilantium convenit turba. Videres certatim hinc inde tabulas circumquaque confluere, quas certe non solum populi, sed ipsi etiam humeris deferebant militares viri: qua sane instantia, nimia velocitate contecta est Sanctorum sepultura. Itaque clerici ejusdem oppidi, tantorum miraculorum magnitudine attoniti, ad Soranæ sedis ecclesiam veniunt, et viro venerabili Roffrido *g*, ejus urbis episcopo, cuncta per ordinem pandunt. Quod episcopus audiens, Deo omnipotenti gratias egit, atque super corpora servorum Dei ecclesiam fieri præcepit: quæ pro loci angustia mox convenienter incepta, non multo D post, divina gratia annuente, ad finem usque perducta est. Volens autem omnipotens Deus Servum suum glorificare, sicut cœperat, cœperunt circumquaque infirmi ad memoriam prædicti Hominis Dei convolare, et infirmitatum suarum ab eo fiducialiter remedia postulare.

LECT. IV. *Varii phrenetici,* *h*

8 Igitur in Castro, quod Pesclum *h* ad Serulam vocatur, puer quidam fuit, qui validissimam phrenesim incurrit; qui ad locum veniens Hominis Dei, plena fide eidem de suis devovit, si ejus precibus posset recipere quam sperabat salutem: cui dormienti sese Christi Servus exhibuit, atque illi in præceptis dedit, ut iret, et ad locum, ubi ipse latebat, quantocius ligna deferret. Mater vero pueri, quæ in proximo latebat et vigilabat, audiens confabulationem filii et Hominis Dei, in lætitia sobolis materno affectu congaudere cœpit. Qui mox expertus est cuncta, quæ viderat, et matri retulit, et statim domum revertens ligna detulit, et corporis integrare cœpit officia.

LECT. V. *qui per se vel suos parentes*

9 Castrum quoddam est in Sorano episcopatu, populi multitudine frequentissimum, in quo quidam ex liberis tribus vir filium habuit ferme annorum trium, qui per quasdam illusiones phantasticas, et, ut vulgo dicitur, per umbras sensum E amisit et linguam. Ergo prædictus puer amens effectus cœpit morsibus vestes scindere, et, quod dictu quoque grave est, carnes dentibus proprias laniare. Ad tam triste spectaculum familia tota perstrepere, vicinia tota percurrere, nihilque aliud nisi de adolescentis sepultura cogitare. Pater interea mœrore suffusus a pluribus monitus, omnipotentis Dei famulo Gerardo moribundum devovit filium. Vir itaque Domini, quem totus semper pietatis amor possederat, tanquam supradictus vir votum jam peregisset, tantis lacrymis tantæque fidei deesse non potuit.

opem S. Gerardi imploraverant.

10 Denique dum pararent ea, quæ pro liberatione pueri ad votum erant necessaria, adolescens miserabilis, qui jam per triduum sine cibo, sine potu absque ullis humanis officiis jam pene exanimis jacuerat, meritis Hominis Dei os a peruit, linguam citavit, sermonem elicuit, et ciceres balbutiendo quæsivit. Tum mirum in modum videres matrem, videres denique cunctos convicaneos *i* in tam subita rei permutatione præ gaudio lætitiaque fluitantes, quos prius erat aspicere tristes, lacrymisque madentes. Sane pater F pueri, tantis beneficiis non ingratus, matutinus surrexit, et ad Dei Hominis habitaculum una cum sibi reddita sobole celerius convolavit, obtulit vota, gaudensque et hilaris pro præstitis beneficiis remeavit ad propria.

LECT. VI. *et sepulcrum ejus adierant.* *k l*

11 Inter confinia Marsicani *k* et Sangressis *l* comitatus castrum situm est, cui antiquitas Templo vocabulum indidit, in quo filius cujusdam rustici exstitit, qui nimia pervasus phrenesi tam matris miserabilis artus, quam etiam proprios, belluina mente crudeliter conficiebat: rusticus vero pater videns tantam filii calamitatem, calamitosus et ipse efficitur. Cumque calamitatis suæ vel filii anxius remedium quæreret, exstitit, qui diceret, miranda perplurima de quodam venerabili se audisse viro, qui Soranam parochiam per memoriam suam multis miraculis perlustraverat. Sed cum afflictus rusticus amore sobolis percunctaretur iter, quo ad memoriam Servi Dei accedere posset, didicit, quod in Castro, quod Gallinarium dicunt, ejus haberetur vocabulum.

ad sanam mentem reducuntur.

12 Nulla in medium mora; festinus genitor una cum infirma sobole ad locum Hominis Dei teten-

A tetendit, quem perquirens reperit, ubi, donec adviveret, si filius ejus sanaretur, Deo serviturum devovit : et quoniam filii sospitatem admodum desiderabat, de paupertacula sua medium bovis pedem repromisit, si filius ejus Servi Dei meritis sanaretur. Cui vir Dei Gerardus sequenti nocte jucundus apparuit, eique dixit : Noli, frater, solummodo pedem bovis; sed totum ex integro repromitte; alioquin ad habitaculum nostrum bos ipse sua sponte veniet, nemine comitante. Quid tantis? Rusticus annuit, et Servus Christi (mirabile dictu!) eidem pacem dedit, quod omnino esset indubius sancti viri precibus filius ejus saluti pristinæ restituendus. Mox ergo incolumitati reddito filio, pater ad propria repedavit. Unde non multo postquam rediit, locum Dei Hominis revisit, in quo non solum bovem, sed etiam filium Deo serviturum perenni die vitæ devotus obtulit.

LECT. VII. *Alii quidam*

13 In supradictis partibus castrum fuit, quod de sancti Sebastiani nomine accepit vocabulum : B ibi clericus quidam fuisse dignoscitur, qui pavore larvali amissione unius tabefactus est lateris. Cerneres miserum, membris rigescentibus, dissolutum adeo, ut præmortua parte corporis, palpebræ quoque ejus tegmine demerso, oculus nil prorsus videret : manus etiam miserandi hominis manebat languida, ita quod nec ori posset applicari, nec ad aliqua humana officia dirigi. Venit itaque et iste ad Dei Famuli sepulturam, quam videlicet jam dudum celebris fama vulgaverat; ubi dum oblationes exhiberet, vota promitteret, preces lacrymabiles replicaret, quarto decimo die, postquam ad locum venerat, ut compendio utar, oblationes susceptæ, vota sunt lacrymæque ad aures divinæ pietatis admissæ, et clericus totus ex integro factus est sanus.

LECT. VIII. *diversis morbis vexati,*

14 Miraculum, quod per beatissimum Gerardum confessorem suum Christus in Castro Gallinario mense Septembris operatus est. Vir quidam, nomine Gualterus de Vico Alto accidit casu, quod perrexisset ad quamdam domum cujusdam consanguinei sui in supradicto Castro Gallinarii, subito tremebundus factus a quodam dolore, qui vexatus in gutture circumdationibus apostematis, tumefacto ipso gutture, moribundus ad extrema pervenit. Vehementer vocari fecit quemdam cle- C ricum presbyterum Joannem de sancto Nicolao, qui armis Christi se ab eo indueret, ut * de criminibus suis a Jesu Christo Domino, qui peccatrici mulieri indulsit, ipsum presbyterum rogavit, ut eum absolveret. Ipse presbyter, sicut consuetum est, vocavit alium sacerdotem socium suum et absolverunt eum a peccatorum vinculis in die Dominico *m*.

* *forte* et

m

et eumdem Sanctum invocantes,

15 Recedentibus a domo sacerdotibus illis, ipse infirmus vexabatur angustiis et doloribus usque ad alium diem : in illo die usque ad horam tertiam vagus ac semivivus limina beati Gerardi visitavit. Antequam accederet ad ejus ecclesiæ januas, in terram se prostravit, et cum flexionibus Deum et beatum Gerardum rogavit. Revertente ipso ad domum consanguinei sui cum gemitu, morante illo per totum diem, sequenti vero nocte beatus Gerardus cum duobus sociis suis, qui non tardat suis famulis succurrere, velociter ad Gualterum nocte perrexit. Unus autem de ipsis cepit manu sua apostema, et digitis suis constrinxit, et loquitur ita dicens : Istius malum maximum est. Alius sanctus * respondit : Ne cures, quia a Deo et a nobis bene adjuvatur. Ad ultimum beatus Gerardus digito suo apostema infirmi perforavit, et sanguis putrefactus et sordidus exivit; et sic virtute Dei et beati Gerardi Gualterus sanus effectus est.

* *al.* sacerdos

Ex Mss.

LECT. IX. *pristinam sanitatem recuperant.*

16 Miracula Domini nostri Jesu Christi non sunt sub modio ponenda, sed supra candelabrum. Beatus Gerardus famulus Dei cuidam viro, Angelo nomine, quamdam Dei virtutem ostendere voluit. Angelus iste natione et origine Gallinarius fuit; sed habitator Piceni. Contigit ipsi, ut gravaretur quadam infirmitate, quæ vocatur fistula juxta anum. Longa suspiria etc. *n*.

n

ANNOTATA.

a *Ex hoc* tertio anno *post expeditionem Hierosolymitanam Christianorum contra infideles, in Commentario prævio conjecimus,* S. Gerardum *anno circiter 1100 vel ineunte seculo duodecimo ex hac vita discessisse.*

b *Ex hac voce, quæ in uno apographo corrupta est, de patria* S. Gerardi *disseruimus, et opinati sumus, illum natione Gallum fuisse.*

c *Cum sanctus Vir* viginti quinque annorum curriculis *in sepulcro ignotus jacuerit, inde concludimus, Roffridum vel Goffridum, de quo infra mentio fiet, ultra annum 1125 in cathedra Sorana sedisse.* E

d *Ex illo Sancti responso colligimus, populum Castri Gallinarii quamdam de peregrini istius sanctitate opinionem habuisse ante hanc revelationem, cum* semel in anno *ei honorem exhiberet.*

e *Quamvis propter hic dicta isti duo socii videantur inter Sanctos numerandi, tamen nomina eorum in titulo exprimere nolui, quia non sum certus de publico illorum cultu, cum hymni, Antiphonæ, et orationes ad solum* S. Gerardum *dirigantur.*

f *Ex isto loquendi modo patet.* S. Gerardum *non obiisse in reditu ex peregrinatione Hierosolymitana, ut quis suspicari posset; sec eum mortuum esse in itinere, dum Hierosolymam erat iturus. Itaque obitus ille contingere potuit non diu post recuperatam Hierosolymam, quam Christiani anno 1099 armata manu interceperunt, ut in Commentario prævio diximus.*

g *Ughellus in Italia sacra editionis Venetæ tomo I col. 1245 inter episcopos Soranos recenset Roffredum, qui anno Christi 1073 consecrationi ararum ecclesiæ S. Martini in monte Cassino* F *interfuerit. Huic subjungit Goffridum, qui ex diplomate Paschalis II Pontificis adhuc anno Christi 1110 cathedram Soranam tenuisse probatur, Hinc denique Ughellus putat Roffredum et Goffridum inter se differre, cum inter utrumque illud ætatis testimonium fere quadraginta anni effluxerint. Utut est, ex hac narratione sequitur, Roffridum hic memoratum usque ad annum 1125 cathedræ Soranæ præfuisse, quandoquidem,* viginti quinque annorum curriculis *elapsis, sepulcrum* S. Gerardi *primo crebris miraculis clarescere cœpit, et tunc Roffridus præsul Soranus super illud ecclesiam construi jussit, ut supra ad litteram* c *observavimus.*

h *Apud Leandrum Albertum in Descriptione totius Italiæ est quoddam* Pescolum *in Samnitibus. An illud hic indicetur, ignoramus. Porro ignobilia hujusmodi castra aut oppida deinceps operose indagare non vacat.*

i Convicaneus *est ejusdem vici aut parœciæ incola, ut in nova Glossarii Cangiani editione videre est.*

k *Suspicor, hunc tractum Italiæ ita appellari a Marsis, qui olim inter Pelignos ad Ortum, Latium*

tium ad Meridiem, Sabinos ad Occasum, et Vestinos ad Boream habitabant juxta lacum Fucinum.

l *Nomen hujus loci verosimiliter ita luxatum est, ut verum illius situm invenire non potuerim.*

m *Miramur, hic in tanto mortis periculo ab illo presbytero hic vocatum esse alium sacerdotem, ut eum simul absolverent, addique, quod hoc factum sit,* sicut consuetum est. *Hujus consuetudinis exempla nobis hactenus non occurrerunt.* D

n *Hinc satis liquet, Acta nostra, sive ipsas Lectiones quibus Acta* S. Gerardi *continentur, mutilas esse, ut in Commentario prævio monuimus.*

DIES DUODECIMA AUGUSTI

SANCTI QUI PRIDIE IDUS AUGUSTI COLUNTUR

Sanctus Macarius, S. Julianus — MM. in Syria.

S. Julianus et socii MM. in Istria.

S. Hilaria et sociæ MM. Augustæ Vindelicorum.

SS. Quiriacus et socii XXIV MM. ibidem.

B S. Anicetus, S. Photinus et plures alii — MM. Nicomediæ.

S. Euplus M. Catanæ in Sicilia.

S. Cassianus episc. conf. Beneventi in Italia.

S. Eusebius episc. conf. Mediolani in Insubria.

S. Gratilianus, S. Felicissima — MM. Faleriæ in Tuscia.

S. Sergius, S. Stephanus — MM. apud Græcos.

S. Pamphilus, S. Capito — MM. etiam apud Græcos.

S. Herculanus episc. conf. Brixiæ in Italia. E

S. Cæcilia alias Clara virg. abbat. Romarici montis in Lotharingia.

S. Porcarius abbas M. cum CCCCC monachis Lerinensibus.

S. Clara virgo Assisii in Umbria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Leucius episc. conf. *in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis relatus, recte a Bollando remissus est ad* XI Jan.

S. Eucharii translatio *est in Additionibus Cartus. Bruxell. ad Grevenum. de ipso actum est* XX Februarii.

C In Praga Bohemiæ S. Agnetis virginis *est annuntiatio Greveni, quo modo etiam loquitur Florarium nostrum Ms.; verum de Sancta illa pridem actum est ad* VI Martii.

S. Probus ep. Reatinus *nescio cur hoc die inseratur Martyrologio Anglicano Wilfordi. Colitur et de ipso actum est* XV Martii.

S. Waldetrudis translatio *non uno in codice Usuardino hoc die signatur, etiam in Florario SS. Ms., in Ferrarii Catalogo generali, et apud Wionem et Menardum. Explicata omnia invenies ad diem ejus natalem* IX Aprilis.

S. Leonides pater Origenis *perperam hoc die signatus est a Maurolyco. Colitur et de eo pridem actum est* XXII Aprilis.

S. Joannem Cassianum *male ad hunc diem relatum invenit Bollandus. Spectat ad diem quo jam de ipso actum est* XXIII Julii.

S. Ethelwoldus *in Altempsiano codice signatur, de quo actum est* I Augusti.

S. Artemiam *cur hoc die retulerit Ferrarius in Catalogo generali, plane ignoro, de ea actum est satis* VIII Augusti.

S. Agliberta *hoc die refertur a Molano, spectat ad diem præcedentem* XI Augusti.

Sixtus et Hilarius *obscura additio est Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, ubi et* martyres *dicuntur. An et quo spectent, necdum licuit reperire.* F

Lambertus Cantuariensis episcopus *inter Sanctos collocatur in codice Usuardino Altempsiano: verum is titulus nec ab Anglis ei tribuitur, ut videre est in Anglia sacra inter dies obituales Archiepisc. Cantuariensium, ubi simpliciter* bonæ memoriæ *dicitur.*

S. Aggeli memoria *hoc die habetur in nostro Martyrologio Arabico-Ægyptio Ms. Qualis autem Sanctus ille sit, quove spectet, quis e solo nomine definiat?*

S. Enoch patriarcha Hierosolymitanus comes et collega S. Angeli Carmelitæ sanctissime obiit circa annum MCCXXVII. Illi sanctitatis titulum attribuunt *etc. Sic legitur hoc die in Acie bene ordinata PP. Carmelitarum Philippi Visitantini.*

Segenus, *seu* Segeneus *abbas Hiensis relatus est in Prætermissis eo die, quo a Dempstero et Camerario signatur* VII *Aprilis, ob rationes ibi allegatas, quæ etiam hodie subsistunt, quidquid Colganus ad Vitam S. Columbæ nota 30, pag. 374* Sancti *titulum ei vindicare conetur,*

ad

A *ad hunc diem ipsum remittens, quasi Sancti omnes sint quicunque in ea vita commemorantur aut saltem laudantur.*

Cæcilia Joannelli Castella, *ut Innocentii XI matertera, inter Prætermissos* XX *Junii huc remissa est, si forte beatificaretur. At nihil hactenus innotuit.*

Ilduinus episcopus *solo nomine ponitur a Vincentio Barrali in Chronologia Lerinensi inter Sanctos ordine mensium hoc die, in ordine alphabetico plane omissus, ut quid velit divinandum relinquat. Si notitia aliqua accesserit, de eo alibi agetur.*

Notingi *episcopi Constantiensis aliqualis notitia huc pridem missa est, cum brevi Vitæ Compendio, in quo* Beati *appellatione donatur, pluresque singulares ejus virtutes enumerantur; neque deest fama miraculorum. Ast illud desideratur, quod in hac re præcipuum est, ut de legitimo cultu, ei unquam exhibito, certiores reddamur.*

Brixium *aliquem* Chauriæ seu Canouriæ *hoc die collocat Dempsterus,* qui prior in Lesmohago,

B Moraviæ episcopus renuntiatus, sanctissime vixerit. *Alia auctoritate opus est ut inter Sanctos in hoc opere connumeretur, quæ jam desiderata est* XXII *Februarii etiam inter omissos.*

Felix et Felicissimus *a solo Castellano hoc die signati, ut qui colantur* Vernoti non procul Meloduno, *hic prætermittendi sunt, donec aliqua saltem notitia accedat.*

F. Guilielmus Guillacoine *ut servus Dei et in Hibernia martyrium a Calvinistis passus laudatur a Marchesio hoc die in sacro Diario Dominicano.*

Mancia Pereira *vidua sanctimonialis in Lusitania,* Beata *dicitur in Anno Dominicano Gallico, in Viridario Germanico et Anno sancto Belgico.*

Alphonsus Gerces *additur in duobus postremis.*

Isabella Ferreyra *in Anno Gallico.*

Udevolta *virgo sanctimonialis in Monte sanctæ Walburgis prope Coloniam, refertur in Kalendario Cisterciensi, mire laudata ab Henriquez et Chalemoto hoc die, non in tabula Sanctorum Ordinis, neque de ejus cultu certa occurrunt indicia.*

C Inventio Teresæ reginæ *sanctimonialis ab utroque scriptore signatur.*

Atque item elevatio plusquam nongentorum sanctorum monachorum *in Claravalle.*

Eberhardus abbas confessor *jam dictis superadditur a Bucelino, qui* Beatum *ipsum pronuntiat; vellem aliunde de constanti et legitimo cultu edoceri.*

Bartholomæus ab Apona conf. *Perusiæ* Anonymus confessor *Genuæ* Michaël Cantor confessor *Posnaniæ* Joannes a Via conf. *Palmæ in Canar.* Maria a Porto Carriero virg. *Palmæ Cordub.*	*Titulo* beati *donantur ab Arturo in Marlio Franciscano et ultima etiam in Gynæceo.*

Hisce in Menologio suo adjungit Hueberus plures ex Ordine a Turcis interfectos anno 1532. D

Item Neapoli Franciscum *natione Gallum.*

Tum Viennæ Mariam Augustam *Caroli V filiam, Maximiliani II uxorem, Tertiariam.*

S. Wibertus *alias* Wigbertus, *signatur hoc die in Editione Lubeco-Col., Greveno et aliis : spectat ad diem sequentem* XIII Augusti

S. Concordia *inserta Miscellaneis satis inconditis seu jam non semel citatis Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. De ipsa actum est in Prætermissis* XXII *Februarii, ubi et recte remissa est ad diem quo cum sancto Hippolyto colitur, nempe sequenti* XIII Augusti.

S. Clara de Montefalco *non ad hunc diem pertinet, ut eam male retulit Maurolycus, sed ad* XVIII Augusti.

S. Berthelmum *Staffordiæ in Anglia hoc die ex Wilsono retulit Ferrarius in catalogo generali, qui nec apud Dempsterum nec Camerarium notus est : remisit ipsum Bollandus ad* IX Septem.

S. Syndulphum *reperit Bollandus in aliquo Kalendario Benedictino : in plerisque auctariis Usuardinis melius refertur* XX Octobris.

S. Ursulæ et sociarum commemoratio *a Greveno aliisque Coloniensibus non semel repetitur, de iis agetur eo die quo ipsarum solemnitas ab Ecclesia recolitur* XXI Octobris. E

In codicibus Hieronymianis hoc die; corruptis nonnihil nominibus, annuntiantur Chrysantus Daria *et socii martyres ; verum de iis nobis agendum erit die quo ab aliis signati sunt, et ab Ecclesia celebrantur* XXV Octobris.

S. Modesta virgo abbatissa. Fuit hæc sanctissima virgo S. Willebrordi soror. Celebris habetur in Trevirensi territorio. *Verba sunt Camerarii hoc die : at sancta ipsa apud Trevirensis colitur* IV Novembris.

S. Verena seu Veneria *hoc die iterum recurrit inter Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quin et inter Hieronymiana simile nomen occurrit. In Opere nostro jam de ipsa aut synonyma actum est* XXVI *Junii in Prætermissis, atque iterum in solito Catalogo* XXVI *et* XXVIII *Julii, ubi censuimus, verosimile omnino esse* Verenam *hanc cum* Parasceve *confundendam, quæ cum in Martyrologio Romano locum proprium habeat, res tota examinanda remissa est et hic etiam remittitur ad* XIV Novembris. F

Edmundi martyris translatio *notatur hoc die in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, alios dies signant alii, de quibus agi poterit ipso natali die* XX Novembris.

B. Woyslava *Bohema soror B. Hrosnatæ ponitur a Grugerio hoc die, de ea cum Balbino agetur* XXII Novembris.

S. Phalitrus *(Gall.* S. Phalier*) eremita confessor, licet in Martyrologiis antiquioribus non sit, colitur tamen solemni officio proprio et hoc die et* XXIII *Novembris Carobryis (Chabrys) in Bituricis, ut notat Saussayus. Cum vero posterior dies natalis sit, gesta ejus illustranda differimus ad* XXIII Novembris.

De S. Trudonis translatione *agitur in Additionibus Cartus. Brux. Festum ejus recurrit* XXIII Novembris.

A D

DE SS. MACARIO & JULIANO

MARTYRIBUS IN SYRIA

J. B. S. Ex Martyrologiis.

XII. AUG.

Signatos Sanctos ita hoc die annuntiat Romanum : In Syria sanctorum martyrum Macarii et Juliani. *Sic vero notat Baronius :* Agunt de his etiam Beda, Usuardus, Ado, ex quibus cæteri. *Verum in tribus aliis appositum* martyris *titulum non invenit. Paulo distinctior est nostra ad Usuardum observatio, quam hic juverit repetere :* Macarius et Julianus ab Hieronymianis, Romano parvo et Adone laudantur. Ex postremo totidem verbis acceptos credimus : Notkerus Hieronymjanorum verba transcribere maluit. *Porro Hieronymiana* B *positionem addunt ;* Vico Magarato *seu* Magarito, *quam frustra quærit Florentinius, iis etiam explicandis insudans quæ in suo textu retulit;* ubi multa regio *(alias* religio) convenit monachorum, *ut et ipsos monachos fuisse intelligas. Non de his sed de Alexandrinis loquitur Menologium Græcorum ad diem* XXX *Octobris, ut suo loco demonstrari poterit : ibi* Cronion *et plures socii adjuncti sunt, hic de solis duobus Syris agitur, verosimillime martyribus, cum vix alii in Hieronymianis referantur, præterquam quod Petrus in Catalogo lib.* II *n. 214 diserte scribat :* Macarius et Julianus eodem die in Syria martyrio coronantur. E

DE S. JULIANO & SOCIIS MART.

IN ISTRIA

J. B. S. Ex Hieronymianis.

XII AUG.

En alterum hoc die S. Julianum *solis codicibus Hieronymianis et ex ipsis Nokero notum, sic ultimo loco in textu Florentinii expressum :* Et in Istria, natalis S. Juliani cum sociis eorum. *Paulo rectius in Corbeiensi :* Et in Istria, natalis S. Juliani cum sociis suis. *Epternacense simpliciter legit :* In Istria Juliani. *Neque ex codice Reginæ Sueciæ, vel ex aliis minoribus seu contractis exemplaribus, aut ex Notkero aut aliunde quidquam amplius eruitur, ut sincera et vera sit hæc Florentinii observatio :* Quis autem fuerit Julianus in Istria coronatus, et qui socii, hucusque me fateor ignorare. *Quod et nos candide fateri cogimur.*

DE S. HILARIA & SOCIABUS MM.

C F

AUGUSTÆ VINDELICORUM

P. B.

AN. CCCIV. *Annuntiatio in Martyrologiis, et Acta ;*

Martyres hasce sic annuntiat hoc die Martyrologium Romanum : Augustæ Vindelicorum, sanctæ Hilariæ, matris beatæ Afræ martyris ; quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna et Euprepia et Eunomia, ancillis suis. *Totidem fere verbis hodie referuntur a Notkero, Usuardo, et Adone; nisi quod hi duo pro* Eunomia Eumeniam *ponant ; Notkerus autem in editione vulgata utrumque nomen exprimat, primum in margine, secundum in textu. Textum tamen sincerum ac genuinum auctoris putamus esse, marginalem vero notam e Ms. recentiore depromptam : nondum enim Notkeri ætate inventa fuerant Martyrum nostrarum corpora cum suis epigraphis : adeoque nondum innotuerant alia earum nomina, quam ea, quæ ex vetustis Actorum exemplaribus Ado desumpserat. Certe non ante inventionem illam invaluisse scimus apud Augustanos nomina* Eunomia *pro* Eumenia, *et* Eutropia *pro* Euprepia, *quibus unice nunc utuntur, approbante Velsero in Commentario ad conversionem S. Afræ not. 28. In eo etiam a Romano Martyrologi jam dicti discrepant, quod pro* ancillis suis, *secundum Acta disertius habeant :* Quæ fuerant puellæ sanctæ Afræ. *Acta cum dicimus, ea volumus intelligi, quæ ipsis cum S. Afra fuere communia, quæque jam illustrata dedimus ad diem* V *hujus mensis; quo lectorem remittimus.*

2 *Ibi deprehendet, hunc diem* XII *Augusti non fuisse natalem* SS. Hilariæ *et Comitum ejus; uti ostensum in Commentario prævio num. 47. Cur autem ab Adone primum delectus fuerit, ibidem conjecimus num. 49. Videtur tamen ejus ac sequacium Usuardi atque Notkeri annuntiatio occasionem deinde præbuisse Eginoni, qui monasterio SS. Udalrici et Afræ præfuit ab anno Christi 1109 usque ad 1122, ut eamdem diem celebritati earum anniversariæ in perpetuum consecraret. Ad hunc enim peculiaris hujus festi primordia refert Eginonis comes ac paulo post successor Udalscalcus in sua Narratione apud Canisium* *festum apud Augustanos :*

Anti-

A *Antiquæ lectionis tom. II pag. 216, cum de illo asserit :* Viginti quatuor prædictorum Martyrum *(de quibus hoc die seorsum agemus)* simul cum sancta Hilaria passorum sub una die nihilominus statuit venerari. *Ita certe interpretatur Corbinianus Khammus Hierarchiæ Augustanæ parte 3, pag. 32 et alibi; imo ante illum a seculo* XV *Sigismundus Religiosus apud Pistorium tom. III pag. 605. Quanquam vero Udalscalcus non exprimat certum diem; nec faciat mentionem Sociarum* S. Hilariæ; *verisimillimum tamen apparet, sic ab Eginone institutum fuisse hoc festum et Officium; sicut anno Christi 1548 celebrabatur, quo utrumque assumpsisse dicitur ecclesia Cathedralis Augustana singulari cultu die* XII *Augusti peragendum, ad memoriam restituti anno illo,* die sanctæ Hilariæ sacro, *Cleri Augustani post exsilium decennale religionis causa toleratum. Vide Hierarchiam Augustanam part. 1, pag. 62. Erat ergo tum dies* XII *Augusti* S. Hilariæ sacer. *Officium autem et festum, quod eo die observat ecclesia illa, non est solius* Hilariæ; *sed* Hilariæ et Sociarum Martyrum; *ut est in Proprio Augustano anni 1638;* B *in quo et recitanda dicuntur in Litaniis omnium Sanctorum, Earum nomina; et præmittenda communibus Suffragiis, quoties hæc in Officio ad Vesperas et Laudes dicuntur, earumdem communis cum S. Afra commemoratio, tanquam Patronarum universæ diœceseos.*

Inventio et reliquiæ S. Hilariæ:

3 *Dixi in Commentario prævio ad Acta S. Afræ num. 49* festo atque Officio peculiari SS. Hilariæ et sociarum instituendo occasionem verisimillime præbuisse inventionem corporis S. Hilariæ, quæ sub eodem Eginone contigit. *In qua sententia (tametsi momenti perexigui) nescio an rem acu tetigerim; quia coætaneus Eginonis Udalscalcus, cum de instituto per Eginonis studium festo jam dicto meminisset loco apud Canisium citato, hæc subdit :* Nec in tali fraudatur studio *(idem Egino scilicet.)* dum pretiosissimo remuneratur thesauro, capite scilicet ejusdem martyris Hilariæ, illis diebus invento. *Innuit ergo festi institutionem præcessisse; tum huic quasi remunerationem successisse capitis inventionem; si tamen satis accurate locutus hic est auctor ille, de quo merito dubites; quandoquidem hic etiam de solius capitis inventione meminit; cum Khammus ex antiquis monasterii SS. Udalrici et Afræ* C *monumentis affirmet Hierarchiæ Augustanæ part. 1 pag. 62. Eginonem præter* Hilariæ *caput, multa insuper ejusdem ossa reperisse; de quibus nimirum ibidem subjicit :* Partes corporis S. Hilariæ principaliores Augustæ in cathedrali ecclesia venerationi exponuntur. *His autem partibus non comprehendi caput, indicat ibidem his verbis :* Prædictum vero caput Romam venit. *Asserit quoque Carolus IV imperator anno 1354 apud Pessinam in Phosphoro septicorni pag. 434, se acceptam e cœnobio Augustano SS. Udalrici et Afræ* anteriorem partem capitis *ejusdem transtulisse ad metropolitanam ecclesiam Pragensem. Et quod ejus nunc superest, adhuc in illo cœnobio servatur, teste Hertfeldero in descriptione basilicæ SS. Udalrici et Afræ pag. 73 et sequente. In eadem basilica Sigismundus Religiosus Augustani Chronici part. 2 in appendice assignat* humerum integrum sanctæ Hilariæ. *Ejus etiam nescio quid apud Andecenses ait esse Beyerlingus verbo* Reliquiæ. *Sunt ergo præter caput ejus reperta multa, quæ silet Udalscalcus; et forte anterius inventa, quam de festo ejus Egino cogitasset. Habes hic interim, quæ de hac Sancta, ejusque reliquiis et cultu præcipua nobis occurrerunt.*

AUCTORE P. B.

Sociarum ejus trium inventio an. 1064:

4 *De inventione trium* S. Hilariæ *Comitum hæc dat Velserus ad calcem Commentarii sui in passionem S. Afræ* ex antiquis, *ut ait,* codicibus *descripta :* Ipso quoque tempore *(actum erat antea de inventione S. Afræ sub Embricone episcopo Augustano,* anno dominicæ Incarnationis MLXIV*)* in prædicta ecclesiæ *(S. Afræ)* structura pridie Idus Augusti inventa sunt sanctarum Dignæ, Eunomiæ, et Eutropiæ corpora. Lapis autem superpositus tumulo sanctæ Eunomiæ dum forte a latomis cæderetur, miri odoris fragrantiam emisit. Corpusculum vero sanctæ Eutropiæ in sarcophago plumbeo est repertum. Cujus pars maxima data est ad monasterium sancti Stephani protomartyris, quod beatus Udalricus non longe a civitate construxit. Altera vero pars cum reliquiis sancti Pauli Apostoli, in altari sacelli ejusdem Apostoli, a nobilibus comitibus illic sepultis constructi, et multis villarum reditibus dotati, in dedicatione ipsius est recondita. Corpora autem sanctarum Dignæ et Eunomiæ, in singulis locellis de ligno factis, pro tempore sunt locata. *Errat vero clarissimus commentator, dum ad marginem notat :* E Apparet, hæc circa an. millesimum contigisse; *idque propter verba ejusdem antiqui sui codicis consequentia :* Post hæc evolutis plusquam sexaginta annis temporibus episcopi Embriconis *etc. : nam præcedentia et sequentia manifestissime indicant, legendum fuisse* a temporibus Embriconis. *Et annum 1054 confirmat illius temporis Catalogus citatus a nobis in Commentario ad Acta S. Afræ num. 62; ex quo etiam falsi arguas diem et mensem inventionis in instrumento Velseriano notatos* pridie Idus Augusti : *nam ibi corpus* S. Eutropiæ *inventum legitur* pridie Kal. Maii. *Pro anno eodem facit Chronica vetus Augustensis in Germanicarum rerum scriptoribus a Frehero vulgatis tom. I, pag. 348, etsi non omnia corpora, quæ* multa *fuisse tradit, tunc inventa nominatim recensens; sed S. Afræ tantummodo et* S. Eunomiæ. *Sigismundus Religiosus Chronici Augustani part. 1, cap. 11 trium harum ancillarum, quas nomine singulas exprimit, inventionem tribuit Embriconi. Nunc pauca sigillatim.*

S. Dignæ inventio altera sec. 12:

5 *Ad solam* Dignam *spectat inventio secunda, quæ textui jam ex Velseri codicibus producto sic adjungitur :* Post hæc, evolutis plusquam sexaginta annis, temporibus * episcopi Embriconis, F his omnibus, per incuriam tunc viventium, pene in oblivionem versis, dum huic loco in regimine præesset piæ memoriæ Udalscalcus abbas *(Præfuit ab an. 1126 ad 1151)* ipsa martyre Christi Digna volente et dignante manifestari, inventa est v Id. Julii in arca lignea, quæ adhuc superposita est tumbæ sancti Dionysii, in purpura peroptima et rara, quæ postmodum limbo circumposito, super postes ecclesiæ ad introitum in festis suspenditur. Inventa est autem sine alicujus scripturæ indicio. Unde dum nimia tristitia abbas, conventusque percelleretur, conversus quidam nomine Gerungus, bonæ conversationis et famæ, diligenter in ipsa arca perscrutans rimas et juncturas, repperit tandem inter parietem arcæ, et pannum qui interius extentus fuit, laminam plumbeam, in qua insculptum erat : CORPUS SANCTÆ DIGNÆ MARTYRIS. Quam cum magno gaudio detulit ad dominum abbatem Udalscalcum. Quam ille deosculans, et cum magna fide molaribus suis apponens, liberatus est a dolore dentium, quo multo tempore laboravit. Post hæc, præparato sarcophago lapideo, eam retro principale altare

* *lege :* a temporibus

cum

AUCTORE P. B.

cum magno honore, et devotione relocavit. Et cum ea multas alias et pretiosas Sanctorum reliquias recondidit. Et principale altare arcubus illis et tabulis deauratis, ut adhuc cernitur, decoravit.

tertia ejusdem S. Dignæ retectio sec. 15.

6 *Recensetur etiam tertia corporis ejusdem retectio facta seculo decimo quinto, et a Sigismundo Religioso eodem seculo sic descripta part. 2, cap. 4 :* Sub isto tempore, dum post summum altare putrescerent tabulæ superpositæ tumbæ sanctæ Dignæ, scaturirentque pulverulentis furfuribus, abbas, ex rogatu Fratrum, eis sublatis, sanctas reliquias Martyris in plombeo sacello cum lamina, de qua supra diximus *(eadem est, de qua et hic dictum numero precedente)*, extulit; postque lapsum temporis facto sarcophago et imagine apta ex transverso post ipsum altare reclusit modo debito. Indicabant ossa, sanctum * Martyrem fuisse non admodum magnæ staturæ. Superscribitur epigramma tale :

* *imo* sanctam

« Sarcophagus positus hic multo tempore lapso
Est, quo conduntur venerandæ martyris ossa
Dignæ, quæ fuit ex Afræ socialibus una,
B Exemplo cujus regnum cœleste petivit.
Mille quadringentis et sexaginta reductis
Annis completis, sibi quinis associatis,
Præsens sarcophagus iterum fuerat renovatus. »

* *lege* Martyr

Mox mater * sancta Dei in visione clare apparuit in oppido Fridberg tumido pede, alteri quoque pleuretico, præcipiens, ut sacra ossa noviter producta in lucem visitarent cum voto : quibus obedientibus, ulceribus pulsis, fluentibus cavernosis artubus obice posito rivus sistitur; lateralique apostemate, sanie intrinsecus arefacta, sanitas subsequitur in altero. Multa tunc alia per eam fiunt miracula. Sub Joanne Hochenstainer hæc sunt facta. *Khammus tamen Hierarchiæ Augustanæ part. 3 pag. 81 hæc facta refert sub abbate Joannis successore Melchiore de Stamham; uti et Stengelius in Chronico ecclesiastico Augustensi Germanice dato lib. 1, cap. 6 : ubi hæc miracula paulo aliter narrat, et adjungit alia duo de brachio mulieris exulcerato, ac fœdo alterius morbo oculorum per votum ad ejusdem Sanctæ conceptum illico sanatis.*

et honorifica huc usque collocatio.

7 *Crevit exinde semper* S. Dignæ *cultus apud cœnobitas SS. Udalrici et Afræ per insignem apparatum quo sacrum ejus corpus cum plurimis aliorum Sanctorum lipsanis in altare magnificum* C *sustulerunt anno 1619, quod videri potest eleganter incisum æri apud Hertfelderum in Basilica SS. Udalrici et Afræ inter paginas 62 et 63; Translationis hujus pompam ac solemnitatem describit Khammus Hierarchiæ Augustanæ part. 1,* D *pag. 87 et seqq. Iterum, seculo nondum vertente, ara nova, novum sacellum, utraque prioribus augustiora, conduntur, eorumdem Sanctorum corporibus honorificentius extollendis. Operis ectypum illustre spectandum exhibet ibidem Hierarchia Augustana part. prima, inter pagg. 88 et 89; translationis vero triumphum et ordinem fuse repræsentat a pag. 108. Est et argentea theca in ejusdem basilicæ thesauro* Dignæ *effigiem referens, duasque ejus includens dimidias costas cum articulo digiti : spectanda proponitur apud Hertfelder pag. 76. Imo et alibi reliquiarum ejus fragmenta magno in pretio habentur; ut quæ ad hunc diem assignat Pragæ Pessina in Phosphoro pag. 515; et qua fama est apud Hertfelder pag. 62 S. Udalricum, dum viveret, ad Eremum Helveticam dono tulisse. Itaque in cœnobio jam dicto corpus Sanctæ non est integrum, nedum in altari; sed* quasi, *seu fere integrum. Hinc Sigismundus in appendice Chronici, inter reliquias in basilica Udalriciana servatas numerat.* Ossa corporis integri quasi, S. Dignæ martyris, famulæ S. Afræ.

Reliquiæ SS. Eunomiæ et Eutropiæ.

8 *De* S. Eunomia *singulare est, quod ad annum 1064 narrat accidisse Chronica Augustensis apud Freherum :* Lapis etiam, *inquit,* suppositus sanctæ Eunomiæ sepultæ dum forte a latomis cæderetur, miri odoris emisit fragrantiam. *Consonat Sigismundus in Chronico part. 1 cap. 11. Hertfelderus in Basilica SS. Udalrici et Afræ pag. 78 proferens argenteam ejus hierothecam, hæc adscribit :* Diva Eunomia, altera ex puellis S. Afræ, hic loci sepulta est : cujus argenteo simulacro hæ reliquiæ inclusæ habentur : pars notabilis de maxilla, alia de cranio, item dens, item alia particula de ossibus S. Eunomiæ. *Item ad gazophylacium* S. Eutropiæ *argenteum pag. 80 adumbratum de ossibus ejus in eadem basilica servatis hæc addit :* Quorum pars major ad monasterium S. Stephani protomartyris, a divo quondam Udalrico constructum translata; reliqua in sacello quodam hujus ecclesiæ recondita fuere. In hac ejus argentea imagine hæc sunt : pars spectabilis de cranio, duo fragmenta de maxilla, quatuor dentes molares, item alii sex dentes S. Eutropiæ. *Duos insuper ejus dentes assignat in theca præcedente pag. 79. Qui de Martyrum nostrarum cultu moderno ornatuque plura desiderat, adeat, si ad manum est, opus R. P. Romani Kistler, quem ait Khammus, part. 3 pag. 194, basilicam SS. Udalrici et Afræ historice descriptam æneisque figuris illustratam typis mandasse.* F

DE SS. QUIRIACO & SOCC. XXIV MM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM

P. B.

AN CCCIV. *Videtur hos e Mss. exemplaribus.*

Theodericus Ruinartius in Actis primorum Martyrum sinceris et selectis refert etiam Acta seu martyrium S. Afræ ejusque matris ac trium ancillarum; prout et nos dedimus ad diem v *Augusti; sed notat ad finem pag. 503 :* In codicibus manuscriptis plerisque hic referuntur alii xxv Martyres, quasi eodem die, quo Afra *(imo quo Hilaria)* Augustæ martyrium consummarint. At in codice Fossatensi dicuntur passi « non longe ab urbe Roma; » clausulaque vulgata, « Qui regnat » etc. a S. Afræ passione secernuntur. In codice tamen regio vetustissimo, et in Mombritio dees omnino istud additamentum; quod in quibusdam codicibus brevius est; in aliis fusius reperitur. *Ipse interim omittit omnino, tanquam narrationem ab Afræ passione diversam. Velserus in suo codice Martyrio S. Afræ subjecta legit additamenta tria : primum de S. Afro, alterum de S. Dionysio (quæ nusquam alibi reperiuntur) ac tertium, quod sic habet :*

Actorum S. Afræ Martyris

2 Ipsa quoque die, apud eamdem urbem *(Augustam scilicet, quæ sola præcedit)* passi sunt alii viginti

A viginti quinque pro nomine Christi capitis obtruncatione : id est, Quiriacus, Largio, Crescentianus, Eutychianus, Charito, Philadelphus, Petrus : et feminæ istæ, Nimonia, Juliana, Diomeda, Leonide, et Agape; et alii XIII, quorum nomina Deus scit, per bonam confessionem benedicentes Dominum, qui glorificat suos. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. *Nos in Annotatis ad Acta S. Afræ die* V *Augusti pag. 59 idem additamentum ex codice nostro peruntiquo* P. Ms. 20 *dedimus; sed paulo aliter, ac præsertim hoc initio,* Eodem vero die apud urbem Romam, alii XXV *etc. Idem, sed aliter et multo contractius reperit ac vulgavit Georgius Wicelius in libro de Divis tam veteris quam novi Testamenti secundum editionem Basileensem anni 1557 pag. 249; ubi hæc tantum habet :* Eodem die passi sunt etiam non longe ab urbe Roma Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Julia, et multi alii pro nomine Christi decollati sunt.

hoc die primus adscripsisse Martyrologio Usuardus.

B 3 *Ex istiusmodi codice aliquo prompsisse putamus Usuardum, quæ hoc die subjunxit annuntiationi* apud Augustanam urbem *SS. Hilariæ, Dignæ, Eumeniæ et Euprepiæ his verbis :* Passi sunt item eodem die in præfata civitate Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia, Juliana, cum aliis viginti; *et quæ correxisse hoc loco posterius ipsemet creditur in autographo suo San-Germanensi :* Eodem die passi sunt Romæ sub præfecto Pertinace Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia, Juliana, cum aliis viginti. *Nimirum ex Adone crediderit, Hilariam, Dignam, Eumeniam, et Euprepiam die* XII *Augusti passas esse; ex harum vero Actis, seu potius Actorum appendice in codice quodam suo apposita didicerit,* eodem die *passos esse Martyres nostros* XXV : *hos ergo eodem quoque consignandos esse censuerit; etsi notati non fuissent ab Adone. Certe alium ego fontem hujus annuntiationis Usuardinæ nullum assequi conjectura possum; cum nullus ante illum sciatur Martyrologus eam hoc die collocasse. Unde nescio, qui mihi nuper in Annotatis ad passionem S. Afra lit.* m *exciderit* Ado : *nam* Usuardum *unice nominatum volui. Et sane ut codices, qui additamentum hoc habent, in eo inter se maxime variant de loco martyrii, quod aliqui Romæ; plerique Augustæ factum asserunt;* C *ita in eadem re sibi non constitit Usuardus; nempe prout nunc illi, nunc alteri codici adhærendum potius duxit.*

tamquam Augustæ passos :

4 *Quæres, utrum Usuardi elogium præferamus; primumne, quo Martyres nostri passi dicuntur Augustæ; an secundum, quo Romæ tribuuntur sub præfecto nondum alibi, quod sciamus, audito notove, Pertinace? Respondemus, non una ex causa præferendum nobis videri primum; quia retentum hoc fuit hactenus in omnibus, uno alterove excepto, Usuardini Martyrologii exemplaribus in tot per Europam olim ecclesias distributis; uti observatum in Usuardo Solleriano : quia (ut nihil de Equilino dicamus et plurimis aliis) idem illud adoptarunt Romani, quo nunc utimur, Martyrologii reformatores : quia eidem consonat additamentum ad Acta S. Afræ, Ruinartio teste,* in codicibus Mss. plerisque; *ii vero pauci, qui pro Augusta in eo Romam habent, id sciolos forte librariis debent, qui propter nominum quorumdam similitudinem Martyres hodiernos cum illis Romanis, de quibus egimus ad diem* VIII *hujus mensis, confundendos putaverint; ut maxime apparet in exemplari Wiceliano; cum sint plane diversi, et non solum alio die, sed mense etiam alio, quam Hilaria cum ancillis, passi, puta* XVI *Martii, ut post alios fatetur Usuardus. Denique, ut paucis absolvam, nulla traditio, nulla memoria est, vestigium antiquitatis nullum, unde sciantur hi Martyres* XXV *unquam Roma ad basilicam SS. Udalrici et Afræ Augustensem fuisse translati; et in hac tamen post Usuardi (imo et Tadonis archiepiscopi Mediolanensis, de quo meminit Mabillonius in epistola de cultu Sanctorum ignotorum § 21) ætatem refossi sunt; quis ergo dubitet, quin ibi passi, ibi sepulti primo fuerint, ubi tandem inventi sunt; hoc est, Augustæ Vindelicorum, non Romæ, non alibi?*

AUCTORE P. B.

ubi seculo 12 inventi sunt

5 *Et hæc quidem inventio historica fide certissima debet esse, quando ab Udalscalco asseritur, qui eam sine dubio vidit; utpote Eginonis abbatis Udalriciani subditus, et comes individuus, ac deinde successor, a doctrina maxime commendatus. Sic igitur ille apud Canisium Antiquæ lectionis tom. II, pag. 215, postquam aliunde acquisitas ab Eginone reliquias memorasset;* E Quibus, *inquit luxata paulum syntaxi,* Augustam allatis Sanctos INIBI HACTENUS LATENTES, videlicet Dionysium primum ejusdem civitatis episcopum, QUIRIACUM CUM SOCIIS SUIS VIGINTI QUATUOR MARTYRIBUS, demum jam reperiuntur, tanquam bene notis civibus, assurexisse. His, inquam, veluti novis, prætermissis, Inventionem beatæ Afræ, antiqua jam pene oblivione abolitam, solemniter constituit celebrari : Viginti quatuor *(imo viginti quinque, ut mox numerabat)* prædictorum Martyrum, simul cum sancta Hilaria passorum festivitatem sub una die nihilominus statuit venerari. *Habes hic Martyres nostros* simul cum S. Hilaria, *utique Augustæ,* passos; *habes* inibi hactenus *(hoc est a tempore martyrii usque ad Eginonis præfecturam, quam gessit ab anno Christi 1109 ad 1122)* latentes; *habes tum demum* assurgentes, *sive ex ignotis adhuc sepulcris ac tot seculorum quiete prodeuntes in lucem; habes denique decreto in posterum cultu ac festo cum S. Hilaria, uti jam dictum fuit, communi et apud Udalricianos jam tum anniversario decoratos.*

et coli cœperunt festo anniversario.

6 *Atque utinam qui rem sua ætate novam at vulgo notam verbis adeo paucis nec omnino clarissimis attigit, futuram olim prospexisset antiquam! Integram profecto dedisset pro tam jejuno* F *compendio hujus inventionis atque elevationis historiam. Ne tamen de hujus Udalscalcianæ narrationis loco sensuque dubites, en tibi ejus interpretem satis antiquum Sigismundum Religiosum, in Augustano Chronico ecclesiastico part. 2, cap. 4 de Eginone ex Udalscalci, quem citat, sententia scribentem :* Cum autem et disciplinæ regulari diligentius cum Fratribus insisteret *(Egino)*, assurgunt Sancti. *(Quid hoc est? Audi, quod sequitur.)* Nam corpus sancti Dionysii martyris et episcopi invenitur; similiter Quiriaci cum viginti quatuor Martyribus. *Ergo* assurgere *idem sonat Udalscalco, quod* inveniri. *De festo quoque ita Sigismundus :* Instituit *(idem Egino)* ... et festum S. Hylariæ aliarumque, nec non prædictorum Martyrum simul, ea die, qua cathedralis ecclesiæ dedicatio agitur, solemniter celebrari; *in cœnobio scilicet S. Udalrici et Afræ : nam ad ecclesiam cathedralem transisse primum videtur hoc festum ab anno 1548, ut antea dictum, ubi egimus de SS. Hilaria et sociabus, num. 2; idque ad eumdem diem* XII *Augusti : nunc enim ibi dedicationis festum agitur* XXVIII *Septembris.*

7 *Hoc, inquam, festum : non enim ita visum*

Velse-

AUCTORE P. B.

die 12 Augusti; quo tamen passi non sunt.

Velsero in Commentario ad passionem S. Afræ et socc. num. 85 judicanti, inscientiam rerum a beatis hisce Martyribus gestarum causam esse, cur in ecclesia Augustana stato die annue de illis non agatur. Agitur enimvero eodem die, quo agitur de S. Hilaria, XII *Augusti, saltem secundum Officia istius ecclesiæ propria recusa anno 1638, ubi in tertia Lectione secundi nocturni de ipsis hæc annue recitantur :* Quo die *(pridie Id. Augusti)* etiam Quiriacus, Eutychianus, Largio, Crenscentianus, Carito, Philadelphus, Petrus una cum piis feminis, Nimmia, Juliana, Diomeda, Leonide, et Agape, atque aliis tredecim pro Christi nomine capitis obtruncatione necati sunt. *Cæterum cum eodem die necati sint, quo sancta Hilaria, non potest dies Augusti* XII *magis vere illorum, quam Hilariæ natalis esse : ut colliges ex Commentario nostro prævio ad Acta S. Afræ num. 47. Vide etiam quæ jam dedimus de S. Hilaria. Porro jam dictis nominibus tria superaddi reperit Velserus in laudato suo Commentario ad num. 83,* Emblasium *videlicet,* Euriam, *et* Faustam. *Ipsum adi, si lubet, vel a num. 80 de Martyribus his erudite multa disserentem. Nos ad inventionem redimus.*

B

repositio corporum post primam inventionem.

8 *Primam illam fuisse, quæ sub Eginone contigit : quia de alia priore nihilo scitur amplius quam de ulla præcedente Martyrum eorumdem translatione. Quod ne cui videatur incredibile, cum accidisse credatur in basilica, quæ diu post illorum agonem primamque sepulturam condita fuit, observari velim ex sententia Velseri loco citato primum timide proposita, deinde validius confirmata Rerum Augusto-Vindelicarum lib. 7 ad annum Christi 303, arcam illam, seu spatium quod postmodum occupavit illa basilica, condendis Christianorum corporibus dudum ante fuisse dicatum, quam ulla ei cœperit ecclesia inædificari. Tum istic sepulti fuisse creduntur Martyres nostri; neque postea reperti, cum basilica loco imponeretur; quia fodi tum solummodo solet, ubi jacienda sunt ædificii fundamenta intactis fundi spatiis intermediis, in quibus eorum tumulus facile potuit delitescere quantumvis diu. Ubi autem inventa sanctorum Martyrum corpora reposuerit Egino, docet Khammus Hierarchiæ Augustanæ part. 1, pag. 62, simul asserens, ea fuisse numero triginta tria, inter quæ numerari puto etiam illa, quæ iterum inventa fuerant sub Embricone, de quibus Chronica Augustensis apud Freherum tom. I, pag. 348 ad annum Christi 1064 :* Ecclesia S. Udalrici et S. Afræ a fundamentis incipit. Sanctorum corpora multa inveniuntur : *docet, inquam ibi Khammus, quod Egino ex iis* corpus S. Dionysii episcopi Augustani, et S. Cyracii martyris... nec non alio septem ex eadem societate Sanctorum Martyrum integra corpora selegit *et* postmodum prædicta corpora... sub altare honori S. Dionysii... dicatum honorifice collocavit, cæterorum viginti quatuor Martyrum ossibus in locum suum priorem repositis.

C

secunda inventio, an. 1258,

9 Currente interim *(pergit idem)* ferme sesquicentennio, crebra infortunia S. Dionysii episcopi memoriam sepulcri penitus sepelierunt, donec anno MCCLVIII sacræ ejus exuviæ sub destructo altari una cum corpore S. Quiriaci in plumbeo sarcophago simul asservatæ, et prædicta alia corpora VII sanctorum Martyrum in ligneo sarcophago collocata, inveniuntur, Hartmanno episcopo die I mensis Septembris jam dicti anni MCCLVIII altare novum in honorem SS. Dionysii et Quiriaci consecrante, et ad altare recens erectum memorata IX corpora (nimirum duo in suo plumbeo, alia vero VII sanctorum Martyrum corpora in suo ligneo sacorphago decenter disposita) transferente. Hinc quotannis Augustana ecclesia per Officium ecclesiaticum non servat S. Dionysii martyrii, sed prædictæ translationis diem XXVI Februarii recurrentem, Alexandro IV summo Pontifice, anno sui Pontificatus IV ad memoratum diem XXVI Februarii indulgentias speciales impertiente. *Uti et a nobis dictum Februarii tom. III, pag. 633. Mirari me tamen fateor sejunctam tot mensibus ab altaris consecratione translationem.* D

ac tertia

10 *Illustrantur hæc per descriptionem inventionis tertiæ, quæ contigit anno 1466 sub abbate Michaele Stamham, ad novam et laxiorem basilicam fundamenta moliente. De hac ita Sigismundus Religiosus, tum vivens, Augustani Chronici ecclesiastici part. 2, cap. 6 :* Dum quoque altare S. Dionysii, seu Hylariæ dictum *(nam sic appellari jam vulgo cœperat)* removendum esset, in eo quoque reperitur plumbeus sarcophagus, refertius reliquiis Sanctorum, qui per dominum abbatem et Conventum, processione facta, infertur sacrario : aperientesque cum tremore, chartam talem inveniunt : « A Christi Incarnatione MCCLVIII » consecratum est illud altare a venerabili Hartmanno episcopo Augustensi in honorem sancti » martyris et episcopi Dionysii, fratris S. Hylariæ, » et sancti Quiriaci martyris de societate S. Aphræ, » quorum corpora simul sunt reperta. Repositæ » sunt vero in præfato altari reliquiæ istorum » Sanctorum *etc.* » N. *(significat Sigismundus hic posita fuisse singulorum nomina : nam subdit) :* Et sic schedula specificabat triginta duas particulas. Item in tumba post altare inveniuntur septem corpora sanctorum Martyrum, qui simul pro Christo martyrium subierunt. E

anno 1466.

11 Hæc Fratres legentes, et simul deo sigilla episcopi præfati cernentes, mirati sunt; et consilio habito, præfixa die prius populo ac clero, cum ingens multitudo convenisset, processione ordinata, induviis ornati Fratres ad tumbam accedunt, licentiaque data cæmentariis, aperitur, et invenitur tabulatum ligneum, quasi nuper locatum, interius albo lineo panno circumductum, desuper sigillum episcopi, et præfata Sanctorum corpora. Quali tripudio populi prius deosculata, post sacrario illata sint, incredibile est... Sequentibus diebus altius fodiendo, invenerunt ligna jam putredine absumpta, ligamentaque ferrea, quibus connexa fuerant, integra, circaque illa, ossa ascendentia pene ad triginta corpora. Hic fuerunt ispi Martyres, tempore Eginonis abbatis revelati, de quibus superius mentio facta est. Translationem denique S. Dionysii aliorumque legi ab Alexandro Papa confirmatam, licet quilibet Martyr sit per se in catalogo Sanctorum proprio sanguine ascriptus. *Hactenus ille. Schedula anni 1250, de qua hic meminit, non sine aliqua discrepantia, tota recitatur Germanice apud Stengelium in Chronico ecclesiastico Augustano vernacule edito, lib. 1, cap. 8, et Latine apud Khammum Hierarchiæ Augustanæ part. 3, pag. 81 : utrobique vero dicuntur reliquiæ in scheda memoratæ fuisse in isto altari inclusæ* ipso die dedicationis *ejusdem altaris; inter alia autem Sanctorum in ea recensitorum nomina leguntur* B. Largio, Crescentianus, Eutychianus, Charito, Philadelphus, Petrus, Nimmia, Juliana, Diomeda, Leonide, Agape et alii tredecim, quorum nomina Deus scit, omnes uno die passi. *Hunc thesaurum in eadem basilica mansisse testatur anno 1483 Sigismundus* F

A *mundus in appendice Chronici : subinde in varias pretiosasque lipsanothecas fuisse partim divisum, excusis earum formis, ostendit Hertfelderus in Basilica SS. Udalrici et Afræ a pag. 65 usque ad 140.*

AUCTORE P. B.

DE SANCTIS MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS

ANICETO COMITE, PHOTINO SEU PHOTIO, AC PLURIBUS ALIIS

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, elogium, consanguinitas, tempus martyrii, Acta.

FORTE ANNO CCCV VEL CCCVI. Publica apud Græcos SS. Aniceti ac Photii veneratio :

D*uobus hisce, quos modo nominavimus, Martyribus publicum cum cultum deferunt Latini pariter ac Græci. Menologium Sirleti ita eos hoc die memorat :* Natalis sanctorum martyrum Photii et Aniceti, qui sub Diocletiano imperatore apud Nicomediam Christum confessi, multos B et varios cruciatus pertulerunt. *Menæa magna impressa ambos etiam annutiant, atque his versiculis eorum palmam canunt :*

Πῦρ Ἀνίκητον συνφλέγει τῷ Φωτίῳ,
Οὓς φωτὸς οἶκος ὡς ἀνικήτους φέρει.
Cum Photio Anicetum atrox ignis vorat,
Invicta tollit pectora hinc lucis domus.

versiculi de illis,

2 *Alludit poeta ad nomina propria* Aniceti *ac* Photii : *quorum primum si referas ad verbum* νικάω, *id est,* vinco, supero, *et ad alpha privativum, quod eidem nomini præponitur, attendas, reddi poterit Latine* invictus *vel* insuperabilis. *Secundum vero, attenta voce Græca* φῶς, φωτὸς, *id est,* lux *vel* focus, *poteris ita interpretari Latine, quasi* Photius *sit* lucidus *vel* fulgidus, *ut sensus sit, invictos hosce Athletas ab igne terreno, quo martyrium consummarunt, ad lucida cælestis aulæ atria evolasse. Observa obiter, ambos etiam signari hoc die in Typico S. Sabbæ, ut vocatur ; apud Possevinum autem tom. II Apparatus sacri,* C *ubi exstat Kalendarium Ruthenorum, pag. 368 mentio fit solius* Mart. Photii. *Supplementum porro nostrum Sirmondo-Chriffletianum ad Menæa excusa, sic habet de loco publicæ eorum venerationis Constantinopoli, ex Sirmondi manuscripto :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτῶν μαρτυρίῳ τῷ ὄντι ἐν τῷ Στρατηγίῳ. *Id est :* Celebratur eorum solemnitas in sanctissimo eorum oratorio, quod est in Strategio. *Cangius Constantinopoleos Christianæ lib.* I *pag. 80 varia te docebit Strategio. Mitto dicere, quod ambo hoc etiam die inscribantur in apographis nostris Græcis Menæorum bibliothecæ Ambrosianæ, Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, ac Martyrologio nostro Arabico-Ægyptio. Græci in Menæis magnis suum Officium sacrum partim de illis, partim de S. Maximo (de quo dicetur die* XIII *hujus cum Martyrologio Romano) recitant.*

et elogium

3 *Synaxarium e Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, illos die* XI *hujus refert, et sequente honorat elogio, quod Græce excusum est ad calcem tomi primi hujus mensis Augusti pag. 665 ; Latine autem redditum sic sonat :* Photius et Anicetus Christi martyres, imperante Diocletiano, exstiterunt. Erat autem Photius Aniceti ex fratre vel sorore nepos. Dum vero Diocletianus Nicomediæ coram congregato populi cœtu, omnis generis tormenta in medium proferret, ac minaretur, siquis sese Christianum profiteretur, eum morte plectendum ; Anicetus, qui præsens aderat, Christianum se esse magna voce exclamavit : et comprehensus, vehementer cæsus est ; ac E feras, quæ adversus eum dimittebantur, ovibus esse mansuetiores demonstravit. Fusis deinde precibus, Herculis statuam contrivit. Accepta autem sententia, ut capite plecteretur, ubi jamjam illud amputandum esset, manum lictoris aridam fecit precibus. Tunc accurrens Photius, osculum ei dedit, ac comprehensus, una cum illo vinctus est : et postquam variis ambo fuissent affecti cruciatibus, tandem igne martyrium consummarunt. *Habet hic lector compendiosam Actorum ideam, quæ postea dabuntur.*

De consanguinitate

4 *Dicitur supra* Photius Aniceti ex fratre vel sorore nepos ; *in Græco quippe istius Synaxarii textu asseritur hujus ille fuisse* ἀνεψιὸς; *nomen autem illud univoce significat filium fratris vel sororis : de qua re agunt Lexica Græca. Acta bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quibus infra, Martyrium bibliothecæ Vaticanæ, ac Menæa magna typis edita scribunt* S. Photium *exstitisse* S. Aniceti ἀδελφιδοῦν; *alia quidem voce, sed quæ ejusdem cum jam dicta significationis sit, atque adeo filium fratris* Aniceti *vel sororis, seu* Aniceti *ex fratre vel sorore nepotem, ut non satis intelli-* F *gamus, qua de causa Raderus noster in sua istorum Menæorum interpretatione, quam manuscriptam asservamus, vocem* ἀδελφιδοῦν, *restringens,* S. Photium *vocet* S. Aniceti *e sorore nepotem.* Tunc, *inquit,* nepos illius e sorore Photius accurrit, et avunculum complexus, et patrem et servatorem suum et avunculum appellitabat. *Et vero vox* θεῖος*; qua dicitur in allegatis Menæis* S. Photius *compellasse* S. Anicetum, *patruum æque ac avunculum univoce significat. Martyrologium Romanum* Photium *vocat* Aniceti *fratrem, uti et compendium Actorum apud Surium vulgatum ad diem* II *Septembris ; quod ideo in hisce fortassis acciderit, quia pro voce* ἀδελφιδοῦς *vel amanuenses scripserint, vel interpres legerit* ἀδελφὸς, *quæ fratrem denotat.*

quæ inter illos fuit.

5 *Quidquid sit, videtur esse potior ratio pro superiore significatione, duobus diversis terminis, idem tamen significantibus, expressa. Dicta confirmantur ex Onomastico Julii Pollucis Græco-Latine excuso Amstelodami anno 1706, in quo lib.* III *cap. 2 pag. 277 ita legitur ;* Ὁ δὲ ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς υἱὸς, ἀδελφιδοῦς. Fratris vel sororis filius, consobrinus. *Præmiserat ibidem :* Ὁ δὲ πατρὸς ἀδελφὸς, θεῖος.. Ὁ δὲ μητρὸς ἀδελφὸς, θεῖος. Patris

AUCTORE P. B.

tris frater, patruus... Matris vero avunculus dicitur. *Et loco citato pag. 279 :* Ἀδελφῶν παῖδες, ἀνεψιοὶ, εἴτε ἐκ πατραδέλφων εἶεν, εἴτε ἐκ μητραδέλφων, εἴτε ἐξ ἀδελφοῦ καὶ ἀδελφῆς. Fratrum liberi, consobrini dicuntur, sive ex fratribus eodem patre progenitis, vel uterinis fuerint, aut ex fratre vel sorore. *At tricis hisce grammaticalibus valere jussis,. ad publicum sanctorum Pugilum nostrorum cultum redeamus.*

Cultus eorum cum pluribus aliis apud Latinos.

6 *Soli quidem in tabulis Græcis, quas antea protulimus,* SS. Anicetus *ac* Photius *nominantur, sed plures alios anonymos eisdem adjiciendos esse, præter exemplaria inferius in Annotatis indicanda, testantur Acta, quæ daturi sumus; in quibus etiam agitur de ædibus sacris. Interim cultus non apud Græcos duntaxat mansit, sed etiam transiit ad Latinos, in quorum fastis non sine amplissimo apud mortales sui honoris incremento inscribi meruere. Molanus quippe ad diem hodiernum Usuardo suo anni 1573 e Græcis Tabulis ambos adjecit his verbis :* Die duodecima, sanctorum martyrum Photii et Aniceti. *In Martyrologio autem Romano eis adduntur plures alii innominati, et sic recitantur :* Nicomediæ sanctorum martyrum B Aniceti Comitis, et Photini ejus fratris cum aliis pluribus, sub Diocletiano imperatore. *Observa primo, pro* Photio *eum hic tum in Actis apud Surium scribi* Photinum. *Secundo,* S. Anicetum *ibidem etiam vocari* Comitem *: de quo titulo si quis plura scire desiderat, consulere potest auctores, quos citavi, tom. V Julii, die* XXII *in Commentario prævio S. Josephi Comitis § 2, pag. 242. Cæterum a nobilitate generis Sanctus etiam commendatur apud Surium, nec non in apographis nostris San-Maximiniano Treviensi, Bodecensi, ac Velseriano. Tertio, de Martyribus hisce, quos in Synaxario Basiliano die* XI *hujus, alibi vero signatos die* XII *indicavimus, sic statuunt Acta apud Surium :* Passi sunt autem sancti martyres Anicetus et Photinus cum aliis multis quarto Nonas Septembris. *Consentiunt Mss. nostra Bodecense ac San-Maximinianum Trevirense. At si tunc vere passi fuerint, nescio quid causæ sit, cur unanimi pene omnium sacrarum tabularum, quas supra enumeravi, consensione referantur hac die* XII *Augusti. Quid vero statuendum de anno martyris ?*

C

Difficultates

7 *Baronius ad annum Christi 311, num. 17 accenset nostros Athletas aliis, qui Nicomediæ sub Maximiano martyrii coronam sunt consecuti; non quod isto anno sint passi; sed quia, quo anno essent passi, non constabat, rejecit eos in ultimum persecutionis Diocletiani annum, secundum ea, quæ ibidem præmiserat num. 15.* Quod vero, *ait num. 17*, ibi tum Diocletianus olim, ut dictum est, postea vero Galerius Maximianus degere consueverunt, inde accidit, ut Nicomediensis civitas præ cæteris aliis haberetur celebris sanctorum Martyrum carnificina. *Verum cum crebra ex dictis fuerit eorum ista civitate commoratio, extundi inde nequit annus martyrii* SS. Aniceti *ac* Photii, *quod Acta memorant tunc accidisse, quando ibidem degebat Diocletianus imperator. Dispiciendum itaque est, an annus ille aliunde determinari possit. Passio Velseri Ms., cujus apographum habemus, sic incipit :* Anno secundo Diocletiani imperatoris ingens adversus Christianos persecutionis furor exarserat. Hac de causa multi Christianorum veri Dei relinquentes cultum profana sacrificia idolis immolabant. Plurimi vero propter vanam hominum gloriam sacras Scripturas ignibus exurebant. *Velseriano apographo consonat San-Maximinianum Trevisense ac Bodecense;* D *quanquam hoc ultimum vocibus aliquantulum ab istis discrepet. Eumdem etiam annum notat Vaticanum Ms. Græcum in exordio narrationis martyrii, dicens :* Ἔτους δευτέρου βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ. *Compendium vero apud Surium ;* Cum Diocletianus in civitate Nicomedia coram multitudine populorum *etc. Annus non exprimitur cum ibi, tum in Martyrio e bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ac Menæis Græcis impressis.*

8 *In favorem porro Artorum, quæ annum illum Diocletiani imperatoris secundum signant, hæc consideramus, et sic illum explicari posse existimamus. Anno Christi 302 Diocletianus adversus Christianos exarsit in Oriente degens, ursitque impia sacrificia sub pœna virgarum, missis etiam edictis, ut milites superstitioso illo ritu se contaminarent, nisi exauctorari vellent. Atque hæc quasi prœludia fuere famosissimæ illius ac tragicæ persecutionis, quæ anno proximo 303 sæviit. Quomodo vero, ac quas ob causas ea peracta fuerint, quæ anno 302 accidisse obiter indicabam, pluribus deducit Tillemontius tom. V Monumentorum ecclesiasticorum art. 7. Fuerit itaque ac* E *ponatur in gratiam Actorum, quæ dixi, annus Christi 302 Diocletiani imperatoris tum tolerabilius sævientis primus. Hunc excepit annus 303, qui etiamsi Diocletiani universalem ac famosam contra Christianos persecutionem moventis fuerit primus, respectu tamen levioris istius, quam attigi, secundus vocari cur non possit ? Quidquid sit, sic vocatur tantisper ob Acta, quæ memoravi. His itaque positis cohærebunt quæ narrabantur de exustis igne Scripturis sacris. Verum quonam modo funestissima illa scena Nicomediæ aperta sit, a Diocletiano et Maximiano Galerio ibidem degentibus, audiamus breviter e Lactantio libro de Mortibus persecutorum cap. 13 :* Inquiritur *inquit,* peragendæ rei dies aptus et felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias... Qui dies cum illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus octavum et septimum, repente adhuc dubia luce ad ecclesiam profectus * cum ducibus et tribunis et rationalibus venit; et revulsis foribus, simulacrum dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur *etc.*

chronologicæ

* *l.* præfectus

de tempore martyrii

9 *Sed annos subsequentes procedamus, ac expendamus cuinam ex illis* SS. Aniceti *ac* Photii F *mors pro Christo obita innecti possit secundum ea, quæ in illorum Actis referuntur. Affirmant Acta, Martyrum certamen triennio perdurasse. Nam secundum exemplar Cæsareum infra apud nos num. 4,* Postquam eos flagris cecidisset *(Diocletiamus)* ac vulnera eorum sale irrigasset, trium annorum tempore neglectos reliquit. Post autem accenso balneo *etc. Apud Surium sunt ista :* Triennio autem exspectato, jussit publicas thermas *etc. In triennio autem illo consentiunt etiam Mænea Græca ; et, si apographis nostris Velseriano, San-Maximiniano Trevirensi, ac Bodecensi credimus,* expleto *quidem. Jam vero quoniam mensis primo initi certaminis exploratus nobis non est, demus illi menses Martium circiter vel Aprilem, vel, si mavis, æstatem anni 303 ; quibus si accenseas prædictum triennium, pervenies ad annum 306 ; quod triennium erit expletum, prout volunt allata apographa, si agonis sui cursum consummarint Heroes nostri* quarto Nonas Septembris. *Prædictus Monumentorum ecclesiasticorum collector tom. V artic. 31, Martyrium Pugilum nostrorum eidem, quem fixi, anno innecti posse censet, si aliquam habere velimus rationem eorum, quæ dicunt illorum*

AUCTORE J. P.

A *rum Acta, ac Menæa. Atque hæc quidem, quæ diximus, procedunt secundum narrationem Actorum, sed superiore eorumdem difficultate utcunque explanata, nova ac major difficultas in eisdem se offert, quam cum isto anno combinare non possumus.*

figendo

10 *Diocletianus anno 305 Kalendis Maii Nicomediæ seu in ejusdem territorio se abdicavit imperio : quem annum etiam assignant ipse Tillemontius in tabula chronologica ad calcem tomi V pag. 810, et Pagius in Critica Baroniana ad dictum annum num. 6. Ad hæc imperator ille, deposita purpura, tunc non mansit Nicomediæ, sed inde se contulit ad patrium solum, uti ex Eutropio refert idem Monumentorum collector tom. IV art. 22 pag. 52, id est, in Dalmatiam, in qua Salonam secessit, ut privatam vitam viveret. Sed audiamus ipsum Eutropium, qui inter Romanæ historiæ scriptores Græcos minores in Breviario suo sub finem capitis 9, a pag. 127 editionis Francofurtensis anni 1590 ita loquitur :* Cum ingravescente ævo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio B fuit, ut in privatam vitam concederent... cui ægre collega obtemperavit. Tamen uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit ; Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani.... Concesserunt tum Salonas unus ; alter in Lucaniam. Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul a Solonis est, præclaro otio senuit.

expenduntur.

11 *Hæc quomodo combinari possint cum Menæis, nec non cum Actis apud Surium, quæ citat Tillemontius tom. V art. 31, non intelligimus Apud Surium quippe sic dicitur :* Diocletiano venienti ad thermas Sancti dixerunt : Nos in omni certamine victores sumus. Tu autem confusus, in Dei famulos pœnas excogita novas. Tunc jussit magnum caminum fieri, quo posset multam turbam Christianorum colligere. Quo præparato *etc. Deinde* passi sancti martyres, *id est martyrio coronati, memorantur* quarto Nonas Septembris. *In Menæis sunt ista :* Diocletianus excogitat caminum.... in quem *Sancti* immissi finem certaminis et victoriæ coronas acceperunt. *Hæc Nicomediæ scilicet egerit Diocletianus anno 306, quando jam dudum erat in Dalmatia secundum ea, quæ diximus. Non cohærent. Quamvis autem Actis censuram inurat Tillemontius, potuisset* C *tamen verbulo tangere illam difficultatem ; qua etiam laborant alia nostra exemplaria ; de quibus statim agemus. Quæ cum ita sint ; si Martyres, Diocletiano Nicomediæ commorante, vitæ cursum consummarint, dicendum erit, id non accidisse post mensem Aprilem anni 305 ; sin vero Diocletianus in eorum consummatione martyrii imperite in Acta sit intrusus, tunc illud potuit accidisse anno 306, Galerio Maximiano imperante.*

Acta.

12 *De Actis occurrunt hæc notanda. Græca, quibus apponitur in nostro apographo nomen* bibliothecæ Vaticanæ ex codice 1671, *hunc præferunt titulum :* Μαρτύριον τῶν ἁγίων μαρτύρων Φωτίου καὶ Ἀνικήτου, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς μαρτυρισάντων, *id est :* Martyrium sanctorum martyrum Photii et Aniceti, et eorum qui cum ipsis martyrium perpessi sunt. *Incipiunt :* Ἔτους δευτέρου βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ ἦν πολλὴ μανία τῶν Ἑλλήνων κατὰ τῶν Χριστιανῶν. *Hoc est :* Anno secundo Diocletiani imperatoris multa erat gentilium adversus Christianos insania. *E tribus autem ecgraphis Latinis unum indicatur* ex Bodecensis cœnobii Ord. Regular. S. Augustini diœces. Paderborn. Passionali pergameno Ms. insigni mensis Septembris fol. XV. *Aliud insuper habemus passionis apographum* ex Ms. S. Maximini Treveris *signatum ; quibus duobus adde tertium* ex Ms., *uti apponitur,* M. Velseri vetustissimo, *quod indicatur in fine mutilum.* E *Nominabam tria exemplaria ; sed unum vere poteram dicere propter convenientem materiæ ac formæ concordiam, quam habent. Auctor eorum anonymus ; sed quisquis ille fuerit, adeo suam narrationem disposuit, composuit, ac tot variationibus mirificis infarsit, ut multum de genio Metaphrastico habere nobis videatur ; ut proinde satius esse censuerimus, Acta hujusmodi non imprimere, præsertim cum eorum substantia in historiæ compendiis videri possit.*

13 *Surianum, cui hic titulus præfigitur.* Martyrium SS. Aniceti Comitis, et Photini fratris ejus cum sociis, ut habetur in antiquissimo Ms. codice, *hic non recudemus, cum consentiat in substantia cum compendio, quod Græco-Latine sumus daturi. Asservatum illud fuit apud nos inter alia Græca exemplaria, quæ ad Augustum mensem pertinent, descriptaque sunt e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis ; de quo Lambecius in Commentariis istius bibliothecæ lib. 8 pag. 400 et seqq. Cæterum hoc titulo insignitur :* Μηνὶ Αὐγούστῳ ιβ' Μαρτύριον ἐν συντόμῳ τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀνικήτου καὶ Φωτίου. *Id est :* Mense Augusto, die XII Martyrium in compendio sanctorum martyrum Aniceti et Photii. *Illud itaque Latinitate donabimus, tum quia hactenus editum illud non novimus, tum quia breviter Sanctorum pro Christo exantlata certamina repræsentat ; id quod etiam faciunt Menæa magna Græca.* F

COMPENDIUM MARTYRII

Auctore anonymo

E codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Interprete I. P.

Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως ἐν Νικομηδείᾳ τῇ συγκλήτῳ δημηγοροῦντος κατὰ Χριστιανῶν, καὶ βασανιστηρίων πλῆθος εἰς μέσον προτεθέντων, καὶ πάντων κλονηθέντων, καὶ φόβῳ συσχεθέντων, ὁ ἅγιος Ἀνίκητος ἀδελφιδοῦν ἔχων τὸν ἅγιον Φώτιον, διασχίσας μέσον τὸν ὄχλον, κατεγέλασε τοῦ θράσους τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἀπειλῶν αὐτοῦ, καὶ ὡμολόγησε μεγαλοφώνως τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ ἐν παῤῥησίᾳ θεοσόφως τὴν ἄναρχον καὶ ἀΐδιον γέννησιν θεολογήσας, καὶ

S. Anicetus furenti Diocletiano se opponens

Dum Diocletianus imperator Nicomediæ publice ad concionem diceret adversus Christianos, ac multitudo tormentorum in medium proferretur, omnesque commoverentur ac metu constringerentur, S. Anicetus, qui sanctum Photium habebat e fratre vel sorore nepotem *a*, mediam perrumpens turbam, imperatoris audaciam et minas explosit, Christique nomen magna voce confessus est, libere a

ac

A. ANONYMO.

ac divinis in rebus perite edocens principio carentem atque sempiternam generationem, nec non dispensationem, quæ extremis temporibus propter hominum salutem facta est, enuntians, arguit et infamia notavit nominatim stultum deorum gentilium errorem, exposita cujuslibet impuritate. Quæ verba a S. Aniceto prolata ubi audiret Diocletianus, videretque populi multitudine verbis Martyris consentienti fixum sedere animo, fidei Christi inhærere; furore ardens scidit fibulatorium *b* suum; jussissetque, ut multitudo exercitus detinuisset ac e medio sustulisset eos, qui Christi confessioni suffragabantur, nisi Placidas militiæ dux suasisset ei, a furore ut desisteret.

Variis tormentis excarnificatur: cui se jungit S. Photius.

2 Sanctus itaque Anicetus nervis bubulis cæditur ad ossa usque, ac objicitur leoni longe maximo, ita ut præ timore ac rugitu belluæ S. Anicetus multo sudore perfunderetur. Quem conspicatus leo, dextro pede et lingua sudorem vultus ejus tanquam spongia abstersit. Tunc Sanctus Deum oravit, de tam magno hoc miraculo gratias agens. Dumque compleret preces, facto terræ motu, humi concidit idolum Herculis, atque in pulverem redactum

B

est, collapsa simul septemtrionali parte civitatis; ita ut multi gentiles casui immortui fuerint. Post hæc S. Anicetus gladii sententia mulctatur; at lictori ensem elevanti ut Sancti caput amputaret, immobilis hæsit manus. Deinde alligatur rotæ, cui substrata erat lignorum strues; membrisque diffractis *c*, dum combureretur, oravit. Et statim vincula ipsius soluta sunt, ac rota stetit immobilis, ignisque exstinctus est.

Variis aliis cruciatibus

3 Iterum autem in ollam igne succensam ac bullientem projectus, Angelum Domini videt, sese qui susciperet, ardoris æstum adinstar aquæ frigidum redderet, seseque illæsum conservaret. Diocletianus hæc conspicatus maledictis ac diris incessit deos suos. Tunc vero S. Photius accurrens, Dei Athletam ac patruum vel avunculum suum Anicetum deosculatus est, Diocletiani imperatoris insaniam, erroremque deorum ejus reprehendens. Postea torques ferreos Sanctorum pedibus circumponunt, et in carcerem conjiciunt. Egressis autem e carcere Sanctis occurrens sanctus martyr Lucianus *d* vinculis constrictus, una cum discipulis suis, osculo salutem impertiit, ac in fide Christi eos confirmavit. Post hæc raduntur, ignis ardore cruciantur,

C

atque in theatro ita lapidantur, ut sub lapidibus contegerentur; sed illæsi tamen permanerent. Ad hæc, ligna pedibus eorum injicientes distrahi illos fecerunt ab indomitis equis: at vinculis suis disruptis, erecti steterunt, ac laudabant Deum.

gloriose superatis.

4 Postquam autem eos flagris cecidisset *Diocletianus* ac vulnera eorum sale irrigasset, trium annorum *e* tempore neglectos reliquit. Post autem accenso balneo, quod Antonini vocant, per triduum, Sanctos in illud injecit. Qui dum orarent, dissoluta sunt marmora *f*, et multitudo aquarum emanavit, ita ut quasi in roscido paradiso versarentur. Ad hæc, caminum instruxit instar fornacis validis suffultum columnis; quem ubi accendisset, Sanctos in illum injecit. Sancti vero sic orabant: Gratias tibi agimus, et glorificamus te, Domine Jesu Christe, Fili Dei unigenite, quia nos dignatus es honore veniendi ad hoc egregiæ confessionis tuæ stadium; tu Domine, qui manus tuas immaculatas in cruce exstendisti, et contrarium animabus nostris inimicum et hostem occidisti, ne nos peccatores et inutiles servos tuos averte, sed suscipe animas nostras, et cum Sanctis tuis colloca. Da [illegible] item, Domine, mundo pacem tuam; iis qui te ignorant cognitionem præbe, Domine, ut cognoscentes te, et sanctissimum Patrem

D

τὴν ἐπ' εσχάτων διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν γενομένην οἰκονομίαν διαγορεύσας, ἐλέγξας καὶ στηλιτεύσας κατ' ὄνομα τὴν τῶν θεῶν τῶν ἑλλήνων ματαίαν πλάνην, διεξελθὼν ἑκάστου τὴν ἀκαθαρσίαν· ὥντινων ῥημάτων ἀκούσας ὁ Διοκλητιανὸς τοῦ ἁγίου Ἀνικήτου διεξιόντος, καὶ τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ συνομολογοῦν βλέπων τοῖς ῥήμασι τοῦ Μάρτυρος, καὶ ἐμμένειν τῇ τοῦ Χριστοῦ πίστει συγκατατιθέμενον, ὑπερζέσας τῷ θυμῷ ἔσχισε τὸν φιβλατώριον αὐτοῦ, καὶ ἐκέλευσε τὸ πλῆθος τοῦ στρατεύματος κατασχεῖν καὶ ἀνελεῖν τοὺς συγκατατιθεμένους τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ Χριστοῦ, εἰ μὴ ὁ στρατηλάτης Πλακίδας μετέπεισεν αὐτὸν λῆξαι τοῦ θυμοῦ.

II. Τύπτεται οὖν ὁ ἅγιος Ἀνίκητος βουνεύροις μέχρις ὀστέων, καὶ παραβάλλεται λέοντι παμμεγεθεστάτῳ ὥστε ἀπὸ τοῦ φόβου καὶ τοῦ βρυγμοῦ τοῦ θηρὸς ἱδρῶτι πολλῷ περιχυθῆναι τὸν ἅγιον Ἀνίκητον· Ὅντινα κατιδὼν ὁ λέων, τῷ δεξιῷ ποδὶ καὶ τῇ γλώσσῃ τὸν ἱδρῶτα τοῦ προσώπου αὐτοῦ δίκην σπόγγου ἀπέμαξε. Τότε ὁ Ἅγιος ηὔξατο τῷ Θεῷ, εὐχαριστῶν ἐπὶ τούτῳ τῷ μεγάλῳ θαύματι. Ἐπὶ οὖν τῇ πληρώσει τῆς εὐχῆς σεισμοῦ γεγονότος, ἔπιπτε τὸ εἴδωλον τοῦ Ἡρακλέους, καὶ ἐγένετο κόνις· ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ βόρειον μέρος τῆς πόλεως, ὥστε πολλοὺς τῶν ἑλλήνων ἀποθανεῖν ἐν τῷ συμπτώματι. Μετὰ τοῦτο λαμβάνει τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν ὁ ἅγιος Ἀνίκητος, καὶ τοῦ δημίου τὴν σπάθην ὑψώσαντος ἀποτεμεῖν τὸν Ἅγιον, ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἀκίνητος ἔμεινε. Δεσμεῖται οὖν αὖθις ἐπὶ τροχοῦ πυρᾶς ὑποστρωθείσης, κἀκεῖ ἐκμελιζόμενος καὶ καιόμενος ηὔξατο. Καὶ εὐθέως ἐλύθη τὰ δεσμὰ αὐτοῦ, καὶ ὁ τροχὸς ἀκίνητος ἔστη, καὶ τὸ πῦρ ἐσβέσθη. E

III. Σφενδονηθεὶς δὲ πάλιν ἐν τῷ βρασμῷ τοῦ ἐκκαυθέντος λέβητος, ὁρᾷ ἄγγελον Κυρίου δεχόμενον αὐτὸν, τὸ βρασμὸν εἰς ὕδωρ μεταβαλόντα, καὶ αὐτὸν ἀβλαβῆ διατηροῦντα. Ταῦτα θεασάμενος Διοκλητιανὸς, ἐβλασφήμησε καὶ κατηράσατο τοῖς θεοῖς αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἅγιος Φώτιος τότε δραμὼν κατεφίλησε τὸν τοῦ Θεοῦ ἀθλητὴν καὶ ἴδιον θεῖον Ἀνίκητον, ἐξελέγχων Διοκλητιανὸν τὸν βασιλέα ἐπὶ τῇ ματαιότητι καὶ τῇ πλάνῃ τῶν θεῶν αὐτοῦ. Εἶτα περιτιθέασι τοῖς Ἁγίοις κλοιὰ σιδηρᾶ τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ ἐν εἱρκτῇ ἐμβάλλουσιν. Ἀπερχομένοις δὲ ἐπὶ τὴν εἱρκτὴν τοῖς Ἁγίοις, ὑπαντήσας ὁ ἅγιος μάρτυς Λουκιανὸς δέσμιος μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἠσπάσατο καὶ ἐστήριξεν αὐτοὺς ἐν τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ. Μετὰ τοῦτο ξέονται καὶ πυριφλέγονται, καὶ ἐν τῷ θεάτρῳ λιθοβολοῦνται, ὥστε καλυφθῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τῶν λίθων, ἀβλαβεῖς δὲ διαμεῖναι· ξύλα F τε τοῖς ποσὶν αὐτῶν ἐμβαλόντες, ἐποίησαν σύρεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγρίων ἵππων. Ῥατέντων δὲ τῶν δεσμῶν αὐτῶν, ἀνέστησαν καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεόν.

IV. Μαστίξας τοίνυν αὐτοὺς, καὶ ἅλατι τὰς πληγὰς καταρδεύσας αὐτῶν, ἐπὶ τριετῆ χρόνον ἀνεπιμελήτους εἴασε. Καὶ μετὰ τοῦτο ἐκκαύσας τὸ λεγόμενον λουτρὸν Ἀντωνίνου, ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς ἐνέβαλεν ἐκεῖ τοὺς Ἁγίους. Εὐξαμένων δὲ αὐτῶν διελύθησαν τὰ μάρμαρα καὶ ἀνεβλύσθη πλῆθος ὑδάτων, ὥστε εἶναι αὐτοὺς ὡς ἐν παραδείσῳ δροσοειδεῖ. Κατασκευάζει δὲ πάλιν κάμινον χωνοειδῆ κίοσι δηροῖς *ὑποστηριζομένην, καὶ ταύτην ἐκκαύσας, ἐνέβαλε τοὺς Ἁγίους. Οἱ δὲ Ἅγιοι ηὔξαντο οὕτως· Εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ δοξολογοῦμέν σε, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ μονογενὲς, ὅτι κατηξίωσας ἡμᾶς ἐλθεῖν εἰς τὸ στάδιον τοῦτο τῆς καλῆς ὁμολογίας σου, αὐτὸς, δέσποτα, ὁ ἐκτείνας τὰς ἀχράντους σου χεῖρας ἐπὶ σταυροῦ, καὶ τὸν ἀντικείμενον ἐχθρὸν καὶ πολέμιον τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ἀποκτείνας, μὴ ἀποστραφῇς ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλοὺς καὶ ἀχρείους δούλους σου, ἀλλὰ πρόσδεξαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν, καὶ κατάταξον ἡμᾶς μετὰ τῶν Ἁγίων σου. Δὸς δὲ, Κύριε, καὶ τῷ κόσμῳ τὴν εἰρήνην σου, καὶ τοῖς ἀγνοοῦσί σε γνῶσιν παράσχου, δέσποτα, ἵνα γνόντες σε, καὶ τὸν ὑπεράγιόν σου Πατέρα καὶ Θεὸν ἡμῶν, καὶ τὸ πανάγιον καὶ ζωαρχικόν σου Πνεῦμα,

* δεινοῖς

Πνεῦμα

A σεθῶσι καὶ αὐτοὶ, ῥυσθέντες τῆς πλάνης τοῦ ἀρχεκάκου δαίμονος, καὶ δοξάσωσί σε σὺν ἡμῖν, ὅτι εὐλόγητος εἶ, καὶ δεδοξασμένος εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

V. Καὶ μετὰ τὸ εὔξασθαι αὐτοὺς, πάντων βλεπόντων, παρέδωκαν τῷ Κυρίῳ τὰς θεολόγους ψυχὰς αὐτῶν ἐν εἰρήνῃ· καὶ ἦν τὰ σώματα αὐτῶν ἐν τῇ ἐσχάρᾳ τοῦ πυρὸς ἕως ὥρας ἕκτης, καθάπερ ζώντων, μὴ δὲ τριχὸς αὐτῶν καείσης. Κρεάγρας οὖν χαλάσαντες σιδηρᾶς, ἀνεῖλκον τὰ λείψανα τῶν Ἁγίων οἱ τοῦ τυράννου ὑπηρέται, ὀθονίοις τε καὶ μύροις οἱ τούτων συγγενεῖς κηδεύσαντες, δημοσίᾳ προέθηκαν. Οἱ δὲ Χριστιανοὶ αὐθαιρέτως συνδραμόντες, ὅλην τὴν κάμινον ἀνεπλήρωσαν κράζοντες μεγαλοφώνως, ὅτι Χριστιανοί ἐσμεν. Τὰ δὲ λείψανα τῶν Ἁγίων μετὰ χρόνους τινὰς Δουλκίτιος χωρεπίσκοπος ἀνευρὼν, ἐν διαφέροις τόποις εὐκτηρίους οἴκους δειμάμενος, κατέθετο, ἐξ ὧν εἷς ὑπάρχει καὶ ὁ ἐν Δαφνουσίᾳ τῇ Χερσονήσῳ τῶν ἁγίων Ἀνικήτου καὶ Φωκίου· ἐν ᾧ ἐτησίως περιφανῶς ἐπιτελεῖται ἡ μνήμη τῶν Ἁγίων Μαρτύρων. Καὶ ἡ χάρις τῶν ἰαμάτων αὐτῶν ἐπιχωριάζει ἐν αὐτῷ, ὧν ταῖς πρεσβείαις καὶ ἡμῖν ὁ Θεὸς παράσχῃ τὴν συγχώρησιν τῶν πλεμμελημάτων, καὶ ἀξιώσῃ τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν αὐτοῦ ἐπιτυχεῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος
B σὺν τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

tuum et Deum nostrum, nec non sanctissimum ac vivificantem Spiritum tuum, etiam ipsi salvi fiant, a deceptione dæmonis, qui malorum est auctor, liberati, teque nobiscum glorificent, quia benedictus es et glorificatus in secula. Amen. A. ANONYMO.

5 Precibus finitis, videntibus omnibus, placitas Deo animas suas in pace Domino tradiderunt. Ac corpora eorum permanserunt in carbonibus ignis usque ad horam sextam veluti viva, ne vel capillo quidem eorum adusto. Tyranni autem ministri demissis ferreis fuscinis extraxerunt corpora Sanctorum; quæ eorum cognati, unguentis ac linteaminibus justa solventes, publice exposuerunt. Christiani vero sponte concurrentes totum repleverunt caminum, magna voce clamantes: Christiani sumus *g*. Post aliquot autem annos Dulcitius chorepiscopus inventa Sanctorum corpora in diversis locis, ubi oratoria exstruxerat, deposuit; quorum unum, SS. Aniceto ac Photio sacrum, exstat in peninsula Daphnusa *h*: in quo illustri cum ritu annua sanctorum Martyrum memoria peragitur, frequente in eo gratia sanitatum una cum ipsis inhabitante: quorum intercessionibus Deus etiam nobis præbeat veniam delictorum, E dignosque faciat, ut sempiterna consequamur ejus bona, in Christo Jesu Domino nostro: cui honor et imperium cum Patre et Sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

In fornace martyrium ambo consummant. Corpora illæsa, plures alii conversi; cultus.

ANNOTATA.

a *In Mss. nostris Trevirensi, Bodecensi, ac Velseriano vocatur* S. Aniceti *germanus. Vide quæ præmissa sunt in Commentario prævio num. 4 et 5.*

b Φιβλατώριον, περιβόλαιον Περσικὸν, *teste Suida;* Fibulatorium, vestimentum Persicum; *quod a fibulis, quibus constringebatur, dictum videtur. Est enim* φίβλη *fibula;* φιβλοῦσθαι, *infibulare; seu fibulis adstringere.*

c *In Menæis* διατεμνόμενος τὰ μέλη, membris divulsis.

d *Inscribitur Martyrologio Romano ad diem 7 Januarii, quo etiam habetur apud nos tom. I ejusdem mensis pag. 357; ubi notatur passus anno 312. De eo Baronius anno 311. Acta ejus collegit Tillemontius tom. V Monumentorum eccles. a pag. 474. Nihil de illo invenio apud Surium in compendio Martyrii Sanctorum nostrorum, nec in eo, quod est in Menæis magnis. Ponitur tamen in nostro Ms. Vaticano.*

e *Triennii istius tempus expensum est in Commentario num. 9.*

f *In Menæis est* κευθμώνων διαῤῥαγέντων, secessibus *seu* latibulis disruptis.

g *Hinc collige plures alios fuisse martyrii socios; sicut indicavimus in Commentario prævio num.*
C *6. Quod confirmatur ac declaratur ex Actorum compendio Suriano, ubi hæc leguntur de Diocletiano:* Tunc jussit magnum caminum fieri, quo posset multam turbam Christianorum colligere. F
Quo præparato Christiani multi cum uxoribus et pueris ad martyrium currentes clamabant: Unum Deum colimus, Christiani sumus. In caminum igitur æstuantem præcipitati, manus ad cœlum levantes dixerunt: Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, qui nos per Unigenitum tuum ad istud martyrium congregasti. Extende, quæsumus, manum tuam, et suscipe animas nostras in æternam requiem, quam Confessoribus præparasti. Et hæc dicentes, animas Domino tradiderunt. *In multis aliis cum* SS. Aniceto *ac* Photino *passis consentiunt apographa nostra Trevirense San-Maximinianum ac Bodecense. Difficultates circa ea, quæ supra Diocletiano tribuuntur, vide in Commentario prævio.*

h Daphnusa insula parva maris Ægei inter Samum et Lesbum sita, quæ et Thalusa Plinio, *notatur apud Baudrandum.*

A

DE S. EUPLO VEL EUPLIO DIAC. ET MARTYRE

CATANÆ IN SICILIA,

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria in Fastis, elogia; publica veneratio ex ædibus sacris, miraculis, et hymnis; corporis status ac cultus apud Trivicenses; ejusdem translatio.

ANN. CCCIV. Memoria in Fastis sacris,

Romanum Martyrologium, quo hodiedum utitur Ecclesia Dei, Sanctum hunc celebrandum annuntiat hac die, sic loquens :* Catanæ in Sicilia natalis S. Euplii diaconi, sub Diocletiano et Maximiano Augustis : qui cum diutissime pro confessione Domini torqueretur, tandem martyrii palmam gladio cædente percepit. *Apud Græcos signatur aliis diebus; etenim in Menologio Basilii imperatoris, et in Typico sub nomine S. Sabbæ vulgato, die* x ; *in Menæis autem magnis impressis, nec non in Menæo Chiffletii habetur die* xi *hujus mensis. Verum quæ hic summatim retuli, pluribus et antiquioribus documentis nunc confirmanda et illustranda sunt. Atque ut a Græcis incipiam; in laudatis Menæis ita illum memorant :* Sancti martyris Eupli. *Deinde autem annuntiationem illius sic repetunt :* Memoria sancti megalomartyris Eupli. *Subduntur isti versiculi :*

Ἐκ τῆς στόλης μὲν σεπτὸς Εὔπλος λευΐτης,
Ἐκ τῆς τομῆς δὲ στεῤῥὸς ὄντως ὁπλίτης.
Πλήγη ἑνδεκάτη ξίφει Εὔπλος κοπίεντι.
Stola venerandum te, Euple, levitam facit,
At sectio ensis strenuum militem creat.
Undecima gladio findenti subditur Euplus.

Ibidem etiam habetur elogium cum Officio sacro.

elogium apud Græcos.

2 *In laudato Menologio Basilii imperatoris exstat hoc elogium, quod e Græco sic interpretor :* Euplus, Christi martyr, ex civitate Catanensi, quæ in Sicilia insula est, oriundus fuit, Diocletiano imperante. Cum autem diaconus esset ecclesiæ ibidem existentis; populum Christiana fide imbuit, sacras ei prælegens Scripturas. Unde cognitus ac comprehensus a præside, coactusque, ut Christum negaret, sed irrito conatu, manibus ac pedibus vincula ei injecta fuere; dumque suspensus esset in ligno, manibus ferreis atque ungulis dilacerabatur, gravibusque malleis ossa ipsius conterebantur. Deinde e ligno demissus, in carcerem conjectus est : ubi quando sitiret, nec haberet aquam, ut biberet, precibus fontem aquæ e terra elicuit, qua potus, gratias egit Deo. Post hæc e carcere ejectus est, et postquam ejus aures subulis essent perterebratæ, tandem sacrum ipsius caput ense amputatum fuit. *Elogium huic simile, at paulo brevius notatur in Menologio Cardinalis Sirleti.*

Sanctus antiquissimis Latinorum calendariis inscribitur.

3 *Celebratissima hujus Sancti memoria est apud Martyrologos Latinos hac die. In apographis Hieronymianis a Florentino vulgatis ita annuntiatur :* In Sicilia civitate Cataniæ natalis sanctorum Eupoli, Nericie, Venerie. *Et die* xii *Septembris,* In Sicilia civitate Catina natalis sanctorum Eupli, et Serapioni episcopi. *An vero et quos socios habuerit Martyr noster, dicam infra. Antiquum Kalendarium Romanum, quod Fronto edidit, hæc memorat :* Die xii mens. Aug. natal. S. Eupli. *Cui adjunge Calendarium apud Allatium in opere, quod scripsit De ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione : ubi col. 1491 dicitur :* Pridie Id. Augusti, natale S. Eupli. *In Martyrologio, quod sub Bedæ nomine apud nos exstat ante tom. II Martii pag.* xxviii *sic legitur :* ii Idus *(Augusti).* In Sicilia civitate Catanensium natale Eupli diaconi : qui cum diutissime torqueretur, decollatus est a Calvisione consulari, tempore Diocletiani et Maximiani. *In Romano parvo seu veteri Martyrologio sunt ista :* Catanæ, Eupli diaconi et martyris. *Ado,* In Sicilia, *inquit,* civitate Catanensi, natale S. Eupli diaconi, Diocletiano et Maximiano Augustis. *Usuardus :* In Sicilia civitate Cathina, natalis S. Eupli diaconi, sub Diocletiano et Maximiano Augustis : qui cum diutissime pro confessione Domini torqueretur, tandem martyrii palmam gladio cædente percepit. *His adde Rabanum ac Notkerum, nec non Martyrologos passim omnes. Wandelbertus in fastis suis metricis hoc Pugilem illustrissimum versiculo celebravit :*

Martyrii palmam pridie capis, Euple, perennem.

In Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione apud Edmondum Martene tom. VI, ubi Martyrologia seu Calendaria aliqua antiquissima *ponuntur, Sancti nostri memoria inscribitur* libello anni domini Bedæ presbyteri *col. 644; antiquo Martyrologio Gallicano col. 668; antiquo Calendario monasterii Stabulensis col. 674; Calendario Verdinensi col. 684; Martyrologio Autissiodorensi col. 715.*

Publica veneratio ex ædibus sacris.

4 *Relatis modo hagiologorum annuntiationibus subnectere juvat alia antiqui cultus monumenta ex ædibus S.* Eupli *nomine insignitis. S. Gregorius Magnus, qui sedit exeunte seculo sexto, ac septimo ineunte, lib. 12 epist. 10, quam Felici episcopo Messanensi scripsit,* Januarius, *ait,* subdiaconus ecclesiæ Messanensis, petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in civitate Messanensis basilicam se pro sua devotione fundasse, quam in honorem S. Stephani, et Pancratii atque Eupli desiderat consecrari. *Seculo* vii *Ecclesiæ præfuit Theodorus PP. I; in quo apud Anastasium Bibliothecarium tom. I pag. 126 novissimæ editionis Romanæ habentur ista :* Fecit et oratorium beato Euplo martyri foris portam beati Pauli Apostoli, quod etiam ornavit. *Seculo* viii *sedem Petri occupavit Adrianus, qui, prout ibi-*

A *dem refertur pag. 264*, porticum.., quæ ducit ad beatum Paulum Apostolum a porto una cum ecclesia S. Eupli, usque ad prædictam basilicam sancti Pauli, a novo restauravit. *In S. Petri spectari imaginem ejus acu pictam in antiquissimæ umbella, nomine ipsius ibidem intexto litteris Græcis, testatur Piazza in Hemerologio sacro ad diem* XII *Augusti. Seculo* IX *Neapoli exstabat ecclesia* S. Euplii; *sicut Octavius Caietanus probat in Animadversionibus ad miracula* S. Eupli, *tomo primo Vitarum Sanctorum Siculorum pag. 86. Videsis infra* § 6. *Florentinius in notis ad* XII *Augusti pag. 748 hæc observat :* Vetustissimam *(S. Eupli diaconi)* ecclesiam in Lucensi ditione prope urbem, indicant monumenta hœdina in episcopali tabulario circa annum octingentesimum.

miraculis, atque hymnis etc.

5 *Jam vero publicam Sancti venerationem Neapoli, de cujus ibidem ecclesia dicebam modo, admodum viguisse, conficitur e miraculis, quæ in ista urbe, Sancto nostro patrocinante, patrata sunt, ac dabuntur infra. Ad hæc, hymnus a S. Josepho Siculo in honorem* S. Euplii *martyris concinnatus, teste Caietano in Vitis antea citatis, pag. 110, ubi etiam e Græco versus exhibetur;*
B *alter item ibid. pag. 112 de eodem sancto Pugile hymnus, e Græco etiam Latine redditus; nonne satis indicant, memoriam ejus maxime apud mortales venerabilem ac pretiosam fuisse, ac miraculis inclaruisse? Audire placet paucula, quæ in rem hanc ex hymno, quem primo loco nominabam, delibare visum est. Ode 8 hæc canuntur :* Ægritudines varias curandi, et malignos spiritus expellendi vim habent tuæ reliquiæ : quas circumdantes clamamus : Omnia opera benedicite, laudate Dominum. *Et mox :* O viri congregati, haurite de sepulcro Martyris convenientem ægritudinum medicinam, et ex fide clamate : Omnia opera benedicite, laudate Dominum. *Et Ode 9 :* Hodie Catana, veneranda metropolis, festum agit, quia te patronum suum possidet, celebratque una cum omnibus provinciis, præfecturis et civitatibus, tuum divinum certamen, quam tuis intercessionibus protegis. *In fine denique hymni, post ea, quæ Deiparæ accinuntur, sunt hæc :* In omne ævum omnipotenti Deo adsidens, radiis resplendens, o Victor, memor esto celebrantium tuam illustrem memoriam, teque, o sancte martyr,
C Euple, tanquam ministrum Sacramentorum Christi venerantium.

e Græco versis

6 *In altero autem hymno superius indicato, canitur ei :* Celeberrime Euple... mirande... Occidentis luminare... Catanensium gloria, et orbis fulgentissima fax. *Laudatur item tanquam* zelo ferventissimus, divina plenus gratia... velut pretiosum unguentum in Occidente existens... Orientis terminos, et orbem universum bono tuo odore replevisti. Multum in te gloriatur Catanensium metropolis : quippe quæ inclytum te, Euple, civem habuit... Pium in modum... ad reliquiarum tuarum loculum fideles læti accurrimus, cunctique morborum sanitatem consequentes, illum amplectimur, Christo canentes hymnos... Ingentis instar thesauri in Occidente, abundantissima miraculorum exhibitione illustris... Siculos ditasti. *Sanctus porro ille Josephus Siculus, supra a Caietano nominatus, non videtur esse alius, quam ille, cujus Acta apud nos die* III *Aprilis a pag. 266 illustrata sunt : cum et hymnographus fuerit, et Siculus, secundum ea, quæ ibidem referuntur; ubi etiam obitus ejus verosimiliter anno 883 innectitur. His adde ista de Officio sacro ac reliquiis. Inter festa propria Sanctorum Catanensium, quæ habemus in exemplari nostro* ✣ Ms. 143, *fol. 203 verso*, die XII Augusti in festo S. Euplii mart., civis Catan., patroni principalis civitatis, *lectio notatur* in 2 Noct. ex Actis martyrii, et ex Breviario Gallicano. *Quod vero Sanctus aliquam peculiarem apud Gallos venerationem acceperit, indicio sunt 1° Quod in Calendario Sanctorum, quod Missali Virdunensi, anno 1554 Parisiis excuso, præfigitur, die* XII *Augusti notetur* Eupli martyris III lect. 2° *Quod in Breviario Lexoviensi, ibidem anno 1624 typis vulgato, die* XI *præscribatur facienda* commemoratio S. Eupli martyris. Ana. Hic est vere martyr. ℣. Gloria et honore. Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente. Ut in communi unius martyris. *Die autem* XII Ana. Hic vir despiciens mundum. ℣. Justus ut palma. Oratio ut supra. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, post Sancti elogium, quod profert ad hunc diem, sic notat :* Corpus sive reliquiæ S. Euplii, Trivici in Irpinis asservari feruntur : cujus urbis est tutelaris.

Auctore J. P.

nec non lipsanis sacris

7 *Cæterum ille Martyris cultus confirmatur et illustratur ex iis, quæ nunc dicam. Latinas* E
habeo notitias Mss., in quibus tractatur de S. Eupli *martyris osse, Trivico Catanam translato anno 1656, quas misit huc Messana (quo ad congregationem provinciæ venerat) noster* P. Franciscus *Blanditius* XII *Octobris anno 1658, uti notatum invenio a Bollando; quasque in posterum, ut semel hoc dicam, sub nomine notitiarum Messanensium citabo. In illis itaque quædam lego in rem nostram hoc titulo prænotata :* Responsa illustrissimæ et admodum reverendæ dominæ sanctimonialis sororis Faustinæ Loffredo, *infra laudandæ*, ad quæsita P. Francisci Blanditii Societatis Jesu, de sanctis lipsanis sancti magni martyris Eupli, civis Catanensis : *unde ista excerpo :* 1° Sacrosancta lipsana B. Eupli... in æde cathedrali nostri oppidi Trivici in regno Neapolitano asservantur, quorum custos est reverendissimum Capitulum canonicorum. Est enimvero hic magnus Martyr Trivicanæ civitatis patronus et tutelaris. 2° Sacra... lipsanæ *ejus* insigniora (qualia sunt pedes, tibiæ, genua, coxendices, manus, et pars capitis, quorum ossa sunt candidissima, odorifera; sed sine carne) occlusa sunt in statua aurata. 3° Reliqua vero sacra lipsana asservantur F
in quadam capsella, circumquaque holoserico cooperta quæ bene obserata intus altare maximum custoditur.

apud Trivicenses in regno Neapolitano;

8 4° Hæc vero capsula magna cum veneratione promitur ipso die sancti Martyris festo, omnibusque infra ejus Octavam diebus, superque altare locatur; quo tempore, totius populi fit frequens concursus ad cathedralem. 5° Sed primo festivo die præcedente, omnium Religiosorum ordinum frequentia, ac celeberrima cum pompa, ductantur sacra lipsana super humeros duorum sacerdotum, talaribus candidis vestibus, rubrisque tunicellis ornatorum, undequaque non solum Trivicano populo, sed externorum etiam oppidorum comitante multitudine. 6° Quia etiam ipso beatissimæ Deiparæ in cœlum assumptæ festo, ejusdemque octavo die, cum statua gloriosæ Virginis Mariæ, simul S. Eupli sacra lipsana per plateas circumferuntur, civitatem collustrantia magno omnium gaudio ac plausu. 7° Statua vero sancti martyris Eupli sita asservatur reliquo anni tempore in quadam fenestella affabre laborata, atque holoserico circumvestita : quæ etiam solemnioribus anni festis spectanda, venerandaque omnibus aperitur,

Auctore J. P.

ritur, cereis facibus circumlucentibus : cujus clavis apud thesaurarium, qui est unus ex quatuor Capituli dignitatibus, asservatur. Ex Neapoli die II Februarii MDCLV... *Et subscribitur* Faustina Loffredo.

anno 1703 in decentiorem locum translatis.

9 *Ineunte autem seculo decimo octavo corpus illud sacrum ab Illustrissimo Trivicano in decentiorem locum fuit translatum, uti constat ex instrumento, quod ante me habeo, et quod ejusdem Illustrissimi chirographo ac sigillo obsignatum est. Illud rem nostram, præter alia in dicto instrumento notata, sic confirmat :* Simon Viglino S. T. D. Dei et sanctæ Apostolicæ Sedis gratia episcopus Trivicanus. Universis et singulis præsentes nostras has litteras inspecturis, atque lecturis, fidem facimus atque testamur omnia suprascripta esse vera, et præsertim ea, quæ dicuntur de translatione corporis beatissimi martyris et levitæ Euplii, a nobis facta in anno MDCCIII in prima nostra synodo diœcesana, in decentiorem locum sub ara maxima nostræ cathedralis ecclesiæ, ubi ad præsens reperitur. In quorum fidem, etc. Datum Castelli ex nostro episcopali palatio die XV Martii MDCCIX. Simon episcopus Trivicanus. *Et apponitur sigillum, ac inferius signatur* P. de Marinis Cancell.

§ II. Os Sancti Trivico translatum Catanam; publicæ ibidem illa occasione venerationis incrementum; sacri istius pignoris recognitio, ac solemnis pompa hanc consecuta.

Approbationi episcopi Trivicani

10 N*otitiæ Catanenses modo memoratæ varia ad propositum nostrum suggerunt, quæ eodem, quo ibi habentur, ordine temporis cum lectore communicamus :* Domnus Donatus Paschasius, Dei gratia, et Sedis Apostolicæ episcopus Trivicanus. Universis et singulis præsentes nostras literas inspecturis, atque lecturis fidem fecimus, atque testamur, quod nos ad majorem omnipotentis Dei, et Sanctorum suorum gloriam, et honorem dedimus, et consignavimus partem unius ossis ex corpore S. Eupli martyris civitatis Catanæ, civis regni Siciliæ, existente, venerabiliterque conservato in cathedrali civitatis Trivici, regni Neapolis, et hoc de licentia sacræ congregationis episcoporum et Regularium, sub die VII mensis Maii MDCLIII, ut supradictam partem unius ossis prædicti corporis S. Eupli, Religiosis Societatis Jesu civibus Catanensibus asportare, sive transmittere in civitatem prædictam Catanæ, eamque in ecclesia, cappella, sive oratorio collegii dictæ Societatis Jesu, dictæ civitatis Catanæ, ad libitum ipsorum Patrum civium Catanensium collocare possint, et valeant : utque Reliquia prædicta ab omnibus venerari, et coli possit. Iterumque attestamur, fidem facimus, atque approbamus esse vere, et realiter sumptam ex dicto corpore S. Eupli nostri, protectoris ejusdem civitatis Trivici. Quam partem ossis, et sacram Reliquiam intus quoddam scatolinum * dictis Religiosis Patribus dedimus consignandam, inclusam, suo operculo tectam, quatuor sigillis sigillatam nostro ordinario sigillo. Intus quod scatolinum etiam præsentes litteras approbationis inseruimus, eodemque sigillo sigillatas, ad finem, ut ejus apertura facienda ab Illustrissimo et Reverendissimo, vel Generali vicario, locique Ordinario, major fides adhibeatur, et omnis difficultas tollatur. In fidem etc. Datum Trivici die V Februarii MDCLIV. D. Paschasius episcopus Trivici.

** id est parvam pyxidem, vel vasculum.*

ulteriores

11 *Laudatæ superius notitiæ Catanenses nonnulla memorant ad præcedens lipsanum sacrum, ejusque extractionem attinentia : quorum cognitionem cum existimem interesse lectoris, eam suggeret hoc documentum, isto ibidem titulo insignitum :* Exemplum epistolæ illustrissimæ et admodum reverendæ sanctimonialis sororis Faustinæ Loffredo filiæ Marchionis oppidi Trivici in regno Neapolis, ad R. P. Ignatium Garganum provincialem Neapolitanæ provinciæ Societatis Jesu, ex Italico idiomate in Latinum expressæ. Præcepit mihi domina mea amita Francisca sanctimonialis, ut Paternitatem vestram salutarem, et perscriberem de sacrosanctis lipsanis martyris Eupli, jamjam a nobis ad Paternitatem vestram missis; quæ equidem jussa libentissime adimplere gaudeo. Censeo igitur Paternitatem vestram bene recordari, cum absoluto sui Siculæ provinciæ magistratus triennio, mandasset, ut aliquod ex sacrosanctis lipsanis B. Eupli martyris os impetrandum curaremus. Cujus Martyris corpus, quanquam in suos artus divisum, totum tamen in nostra cathedrali Trivici asservatur, cujus est tutelaris patronus, qui olim in Sicula urbe Catanæ martyrio fuit coronatus, indeque Trivicum ejus translatum corpus. Odoravimus, vehemens Paternitatis vestræ desiderium istud fuisse accensum ex magna veneratione, pioque cultu, quo Catanenses civem suum merito ac jure prosequuntur, atque ex beneficiis, quæ illic supra naturæ vires miraculo sunt, sibique præstantur.

circa sacrum illud pignus

12 Distulimus vero ad hoc usque tempus, venerandum S. Martyris os mittere, eo quia noster Trivicanus episcopus nimio plus nostris petitionibus studens obsecundare, illud ex loculo suo extraxit, non impetrata prius facultate debita a sacra congregatione : ob quam qualemcunque noxam in tam gravem incidit morbum, ut in lecto decumbens sese dimovere non posset. Interea ejus diaconus dormiens somniavit, S. Euplium velle, ut suis verbis episcopo nuntiaret, ut ad suum loculum martyris os sacrosanctum ab eo ablatum referretur. Dictum factum; relato venerando osse, ille statim convaluit. Ego vero legitimam facultatem sacrosancti ossis extrahendi impetrandam accuravi, eaque habita, idem noster Trivicanus episcopus in quodam vasculo sanctam Reliquiam quatuor sigillis consignatam, suis cum litteris, propria manu subscriptis, suoque sigillo ibidem consignatis, et intus idem vasculum inclusis, ad me misit : ego vero ad Paternitatem vestram mitto; quæ oro, atque obsecro, ut dignetur nos habere commendatas in suis sanctis precibus ac Sacrificiis : ex monasterio reginæ urbis Neapolis die XXIII Julii MDCLIV. *Et subnotatur* soror Faustina Loffredo.

adduntur notitiæ :

13 *Post laudatæ Faustinæ Responsa ad quæsita P. Francisci Blanditii, quæ in antecessum protuli, subditur in dictis notitiis Catanensibus.* Exemplum epistolæ episcopi Trivicani ad marchionissam civitatis Trivici; *in qua fidem facit* etiam atque etiam, eamdem Reliquiam vere esse S. Eupli martyris, civis Catanensis, nostræque, *ait*, civitatis Trivici patroni : quam equidem nunc nequeo decernere * omnino, ex cujusnam integri ossis parte artusque sit divulsa, eo quia omnes fere sancti corporis artus in varias portiones diffracti

** f. discernere*

A fracti sunt. Scio tamen, testorque ex iis a me fuisse selectam non exiguam particulam (sed quantum fere est ovum gallinaceum) clausam dudum in vasculo bene obserato, filis lineis colligato, quatuorque sigillis meis obsignato. Quod quidem donarium sit, quæso, quasi tributum observantiæ, quam erga dominationem vestram, suamque illustrissimam familiam profiteor. Unde expecto alia mandata, quibus magis magisque exornari cupio. Ex Castello die x Novembris MDCLV. Addictissimus servus D. Donatus Paschasius episcopus Trivici.

ati et recognitio

14 *Laudatis notitiis proxime inseritur* Exemplum privilegii recognitionis Reliquiæ sancti magni martyris Eupli. Nos Domnus Marcus Antonius Gussius, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Catanensis, comes Maschalarum, cancellarius almi studii clarissimæ urbis Catanæ, et Regni consiliarius, omnibus, et singulis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Piis et devotis petitionibus Reverendi Patris Arcadii Perremuto, rectoris collegii Societatis Jesu Catanensis, ejusque Religiosorum Patrum inclinati, in quantum possumus, annuimus, maxime quæ pro Sanctis B in cœlo degentibus, et beatifica Dei omnipotentis visione fruentibus exhibentur, quorum beneficiis atque auxiliis adjuvari omnes posse speramus.

episcopi

15 Cum itaque dictis Reverendis Patribus Societatis Jesu hujus clarissimæ urbis Catanæ fuerit transmissum quoddam frustum ossis sancti magni martyris Eupli, civis Catanensis et patroni, et cathedralis nostræ archidiaconi, ab civitatis Trivici Illustrissimo et Reverendissimo episcopo (in cujus cathedrali hujus sancti Martyris corpus honorifice asservatur, ut patet virtute privilegii expediti sub die v Februarii MDCLIV) cum licentia sacræ congregationis episcoporum, et Regularium, ut idem testatur Trivicanus episcopus, inclusum in quodam vasculo, velamine holoserico, auroque intexto, clauso, et quaternis episcopi sigillis consignato; et nobis per manus Patris Francisci Blanditii, ejusdem Societatis Jesu sacerdotis, exhibito (qui multa industria atque studio illud procuravit) ut sacrosancti ossis venerandam Reliquiam recognosceremus; præfatum vasculum aperuimus coram Reverendissimo C utriusque juris doctore domino Francisco de Amico, abbate S. Luciæ, nostræque cathedralis Priore, et coram canonicis nostris D. Blasio Romano Colomna et D. Camillo de Paternione, sigillaque resignavimus, omniaque rite recognovimus: eamdemque sancti Regni martyris Eupli Reliquiam recognitam procidentes adoravimus, ac rite veneratam dicto Patri Francisco restituimus, in theca argentea includendam, atque iterum ita inclusam, nobisque oblatam vidimus.

Catanensis.

16 Quapropter eamdem sacrosanctam Reliquiam per publicam adorationem in dicto collegio exponendam omnique, qua decet, pompa ac veneratione, cultuque percolendam auctoritate, qua fungimur, licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum omnium fidem, hoc præsens privilegium fieri jussimus, cumque nostra subscriptione, nostrique magistri notarii nostroque sigillo, quo utimur, in pede munitum dedimus Catanæ die XXV Aprilis, IX Indict., millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. Marcus Antonius episcopus Catanensis. D. Sebastianus Nicolosi mr. not.

Insignis

17 *Legitimam hanc sacri pignoris recognitionem excepit festiva ac magnifica summæ erga illud venerationis testificatio, quam (tametsi nonnulla ejusdem descriptioni immisceantur de Sancti sacerdotio, ac de animula ejus, post decollationem in cœlum avolare visa: quorum hoc indiget ulteriore probatione; illud vero nobis non suadetur; ex Annotatis ad Acta, quæ daturi sumus, lit. f) quam, inquam, festivam testificationem ex dictis antea jam sæpe notitiis, huc transcribo:* Peracta jam rite legitima recognitione lipsanorum ossis magni martyris Christi S. Eupli ab Illustrissimo et Reverendissimo Catanensi episcopo D. Domno Marco Antonio Gussio, nihil habuit antiquius P. Franciscus Blanditius, quam ut dimidiam statuam argenteam justæ magnitudinis fabricandam curaret: quæ plus quam cubitalem habet longitudinem præter basim.

AUCTORE J. P.

apparatus

18 Ea vero refert modestum juvenis vultum (talem enim decantat ipsum Græcus hymnus S. Josephi Hymnographi, sic dicens: Juvenilibus annis perfectum senilem animum præ se tulit Martyr... quamvis non semel innuit, imo affirmat fuisse sacerdotem) supra vero capitis aureum diadema videre est argenteam columbulam, alludentem ad sancti Martyris decollati beatam animulam in cœlum subvolare visam, ut testatur E Breviarium Gallicanum: quam circumambit radiata peripheria auro illita: cujus rostrum palmulam tenet argenteam, tribus corollis aureis ornatam (tres S. Eupli laureolas virginis, doctoris et martyris triumphantis notantibus) et ad palmulæ fustem cernere est caput hominis et pretioso corallo: collum item S. Martyris murænula corallina circumambit: pectus vero et dorsum levitica Dalmatica affabre elaborata, flosculis liliorum decussatim insculptis. In medio pectore ovalis patet fenestella crystallo clausa, unde sacrosanctum Martyris Eupli os conspicuum fit omnibus; quod peritissimi anatomistæ censuerunt magnum esse fragmentum extremi ossis longioris ad internodium jocantis in brachiis, sive tibiis. Quam vero fuerit sancto Martyri opus hoc [gratum] et labor exantlatus, perspicuum fuit: quia tres ante ejus solemnis festi dies ex urbe Messana Catanam evexerunt navitæ felicissima navigatione: in quo triduo tota civitas omnibus lætitiis incessit, et pro suis quisque viribus Civem sanctum ornare studuit, applaudentibus sæpe campanis, ac bellicis igneis instrumentis. F

ac pompa

19 Statua vero summo festi diei mane in cathedrali basilica, omnium Sicularum maxima, peripetasmatis sericis circumornata (ubi sanctus Archidiaconus suum officium vivens peregerat) fuit super altare maximum collocata, et post decantatam Horam tertiam Illustrissimus et Reverendissimus episcopus D. Marcus Antonius Gussius pontificio ornatu Missam celebravit, assistente Illustrissimo Senatu, ac Reverendissimo Capitulo cum eodem applausu campanarum, et bombardarum et musici concentus. Post Missam vero usque ad Horas vespertinas ibat redibatque omnis generis frequentia ad venerandum, et exosculandum os sacrosanctum. Decantatis vero Vesperis progredi cœpit sacra pompa: cui intervenerunt omnes Religiosorum ordinum familiæ, quas præcedebat societas virorum, sub vexillo sancti martyris Eupli antiquitus instituta, accensas faces gestando, cum Reverendissimo Capitulo, quod ante ibat frequens clerus. Pone sequebatur ferculum variis floribus circumseptum sub purpurea umbella, a sex senatoribus gestata: ferculum vero super humeros quatuor Clericorum ordinis senatorii impositum ferebatur: et pone sequebantur

Illu-

AUCTORE J. P.

Illustrissimus episcopus, regiique magistratus, manu accensas faces gestantes, perque celebres urbis plateas, per quas sanctus Martyr cum Evangelio ad collum appenso fuerat olim per ludibrium atque opprobrium circumductus, nunc triumphans ductabatur, parietibus privatarum publicarumque ædium vario aulæorum apparatu exornatis.

apud Catanenses instituta

20 Collegii vero nostri pii scholastici suam instruxere phalangem : angelicam speciem præ se ferentes obviam prodiere; hi palmas manu gestantes; illi thuribula varios odores spirantia, et canistra frondibus floribusque oppleta, eosque in auras et humi sternentes, sacrosque hymnos concinentes cum hac intercalaria voce : Vivat S. Euplus; vivat noster sanctus civis, doctor et martyr. Cum vero ad nostri collegii sacram ædem perventum fuit, tanta fuit multitudo, ut maxima pars extra januas subsistere opus fuerit, musicis interim vocibus, atque instrumentis corda civium ad pietatem erga sanctum Martyrem excitantibus, et præ gaudio, lætitiaque gestientibus. Data vero benedictione, nox incubuit, et ad fenestras ædium, palatii senatorii basilicæque cathedralis turres quamplurimæ succensæ faces noctem verterunt in diem. B

describuntur.

21 Vix autem dies illuxerat (erat enim Dominica) cum, ecce, frequens fit concursus ad expiandas conscientiæ labes, et ad suscipiendum sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum, audiendam Missam musicis concentibus lepide conditam. Qua expleta, noster sacerdos panegyrim habuit de sancto magno martyre Euplo sane luculentam. Quas ob res longe major erga sanctum Patronum ac tutelarem crevit pietas atque observantia. Id quod etiam insequente anno perbelle factum : et tertio hoc anno MDCLVIII addita fuit stips liberalis in pauperes : et omnibus adstantibus distributum fuit gossypium, admotum sacrosancto Martyris ossi, ad ægrotorum curationes.

§ III. Sancti nomen, vitæ institutum, martyrium, et aliquot ei adjuncta.

Sancti nomen

C Nunc *nonnulla consideremus puncta, quæ ad Sancti nomen, et res ab eo gestas attinent. Nomen ipsi est* Euplus (Eupolus *in Hieronymianis supra num. 3, singulare est, si non mendosum) quod alibi scribitur* Euplius. *Prima efformatio est communior : nam ea occurrit apud Græcos in Menologio Basilii imperatoris, Menæis magnis typo editis, quæ per Officii ejus decursum ita semper illud nomen efferunt; item in Menologio Sirletiano. Typico S. Sabbæ, Menæo Chiffletii, Martyrio, quod ex codice Græco Ms. Latine editum est apud Caietanum; in hymnis item duobus de Sancto apud ipsum; nec non in duplici exemplari Martyrii, quod Cotelerius vulgavit, quibus consentiunt Acta apud Mombritium, duo nostri codices Mss. membranacei, de quibus infra; adde Martyrologia cum S. Gregorio Magno, quæ antea citavimus : adeo ut hinc conficere liceat, efformationem istam cum apud Græcos, tum apud Latinos esse longe communissimam.* Euplius *scribitur apud Baronium in Actis ejus, quæ postea dabimus; item in Martyrologio Romano, uti et apud Surium. Caietanus in Animadversionibus pag. 85,* Surius, *ait,* vocat EUPLIUM, in Græco tamen semper vocatur EUPLUS : Latina Acta variant; quædam Euplum; sed correctiora, *uti vult*, ac fideliora EUPLIUM, quæ secuti sumus. *At de Actis agetur alibi.* D

locus natalis.

23 *Locum ei natalem fuisse Catanam, urbem Siciliæ, Græci perhibent in Menologio Basiliano superius num. 2; adde Menæa magna excusa, quæ in Sancti elogio,* Hic erat, *inquiunt,* e civitate Catanæ, Siculorum provinciæ. *Res confirmatur ex hymni verbis modo productis :* Multum in te gloriatur Catanensium metropolis : quippe quæ inclytum te, Euple, civem habuit. *In Martyrio quidem, quod Latine vulgavit Caietanus e Ms. codice dicti monasterii S. Salvatoris, sic legitur :* Hospes quidam hic, cui nomen Euplus, *Caietanus in Animadversionibus ad hunc locum notat, Surium dicere :* Est in hac urbe homo quidam Euplius nomine : *sed addit, in Græco esse,* hospes peregrinus. *(In editione Coteleriana, inter Ecclesiæ Græcæ monumenta tom. I, pag. 196,* ἔστιν ἐνθάδε τις ξένος, est hic aliquis peregrinus.) *Et mox, ubi pro Sancti patria Catanensi Caietanus produxisset Menologium Græcorum, ac verba ex Tropario seu hymno, quæ jamjam dabam;* fortasse, *ait,* exterus a gentilibus existimatus est habitu, quo indutus erat. *Neutiquam de loco natali Martyris nobis constat ex melioris notæ Actis; de quibus consule Annotata nostra lit.* c. E

vitæ institutum.

24 *Diaconus fuit, sicut constat ex Actis a Baronio vulgatis, et aliis documentis supra productis; non autem episcopus; qualem in altero exemplari Vaticano perperam scribi, notat Caietanus in Animadversionibus ad Acta, quæ dat e Ms. Codice Vaticano : ad hæc,* in Menologio Græcorum *(quod ibi non nominat) scriptum esse* archidiaconum. *In titulo passionis apud Mombritium vocatur* levita. *Sacerdotem item eum fuisse, nobis non probatur. Vide Annotata ad Acta infra. Si modum ejus vivendi spectes, arctam paupertatem ipsum fuisse professum, vel hoc unum innuere videtur, quod in Actis apud Baronium coram judice dicat :* Domum non habeo. *Quod dictum confirmatur e Martyrio, quod publici juris fecit Cotelerius pag. 192; ex Actis item, quæ edidit Mombritius, ubi respondet :* Non habeo domum hic. *Cui lectioni adstipulantur duo nostri codices Mss. membranacei. Cæterum, quod divinæ Scripturæ eloquia ei in amoribus fuerint, quodque eorum prælectione Christianos confirmarit, conficitur ex Actis ejus. Imo vero a sacro Evangelii codice, quod vivens in corde gestarat, jam moriturus non fuit separatus; de qua re vide eadem Acta, huic Commentario subnectenda. Atque hæc quidem paucula sunt, quæ circa vivendi rationem Pugilis nostri notanda censui. Plura supersunt circa agonem ejus sacrum, atque adjuncta varia, quæ hunc prægressa, comitata ac subsecuta fuere.* F

martyrium, ejusque adjuncta.

25 *De tormentis martyrium prægressis Acta apud Baronium brevissime et indeterminate :* Calvisianus consularis interlocutus dixit : Quoniam innotuit ejus confessio, interrogetur sub tormentis, tradatur tortoribus; et cum traditus esset *etc. Ac mox dicitur :* Calvisianus consularis dixit ad Euplium positum in tormentis *etc. Deinde* Euplius... torqueatur. Cumque torqueretur *etc. Ac pauculis interjectis :* Postquam diu tortus esset, jussi sunt cessare carnifices. *Denique :* Calvisianus præcepit, iterum torqueri acrius. Cumque torqueretur *etc. Martyrium vero a Cotelerio vulgatum primo loco, pag. 193 paucioribus etiamnum verbis rem expedit :* Tum Calvisianus corrector : Extendatur Euplus, ac verberibus afficiatur,

A ficiatur, donec *etc.* Multa igitur passus tormenta, tandem martyrii certamen sustinuit. *Actorum compendium, quod in suo Martyrologio exhibet Ado, succinctissime :* Calvisianus dixit : Torqueatur Euplus, quousque confiteatur *etc.* Judex . . . jussit eum amplius torqueri. *Acta Græca sequioris notæ more suo præsens argumentum magis deducunt ac determinant. Etenim in Martyrio, quod habetur apud laudatum Cotelerium secundo loco ; quodque* apud Symeonem Metaphrastam *exstare indicat, sic narratur pag. 197 :* Calvisianus . . . jussit lignum in terra defigi, illumque in eo suspendi : nec non manus ferreas confici, et carnes ejus dilacerari. *Et pag. 198 :* Imperavit malleos fabricari, et verberari crura illius. *Ac pag. 199 :* Indixit ministris suis beatum Euplum ligari, atque ferreis uncinis aures ejus contundi. *Similia occurrunt cum in Ms. monasterii S. Salvatoris apud Caietanum; tum apud Surium. Nunc de de martyrii comitibus disseramus.*

Inquiritur an S. Euplus

26 *Duæ, quas num. 3 dedimus ex apographis Hieronymianis, anuntiationes et in quarum* B *altera* S. Euplo *adduntur* Nericia *ac* Veneria ; *in altera vero* Serapionis, *vel, secundum quod ibi scribitur,* Serapioni *nomen ; in causa sunt, cur inquirendum censuerimus, an et quos Pugil noster martyrii comites habuerit. Nullos ei fuisse, nominatim expressos in antiquis monumentis, quæ quidem nos viderimus, patet primigeniis Actis, tabulis sacris ac elogiis, de quibus supra : nominatim, inquam, expressos : nam ex Actis apud Surium, Caietanum ac Cotelerium, quæ sunt sequioris notæ, habemus, quod multi lumine fidei sint illustrati a Sancto jam capite plectendo, per lectionem Evangelii. Sed quid inde in rem nostram ? Quanquam autem sacri agonis Sancto comites quia aliis incogniti, neutiquam nobis probentur ; de duabus tamen, quas nominavimus, meminit Ms. Corbeiense apud Florentinium in notis ad hunc diem* XII *Augusti, his verbis :* II Idus Aug. In Sicilia civitate Cathenas, natalis sanctorum Eupli, Vereciæ, Veneriæ. *Prædictus auctor ex silentio scriptorum,* Euplo *Diacono Siculo socias non addentium* Nericiam *ac* Veneriam, *dubitari, inquit, posset, num alterius loci fuerint indigenæ ; nisi id aperte doceret Ms. vetustissimum,* C *uti vocat, Antverpiense ; in quo non* Nericia, *sed* Veracia *et* Veneria *simul cum aliis, Syriæ non autem Siciliæ attribuuntur. Textum sic subdit :* II Idus Augusti. In Sicilia Eupli. In Syria Juliani, et Marci, Veraciæ, Veneriæ. In Syria natalis SS. Macharii, Juliani *etc. Adverte, hinc non tolli prorsus omnem hæsitationem, quod et* Veracia *ibi scribatur, et vox Syriæ ei apposita proxime repetatur.*

agonis sacri comites habuerit.

27 *At quid si SS.* Nericia *ac* Veneria *passæ fuerint Catanæ in Sicilia, eodem quidem die, quo Martyr noster, sed anno diverso ; unde factum fuerit, ut huic illæ adjectæ alicubi sint ? Conjectura ista adeo incerta si non arrideat, aptiorem præsenti difficultati modum suggere. Quia vero apographa Hieronymiana quibus solis ea nititur, tam mendosa, confusa et luxata esse plurimis locis deprehenduntur, præplacebit tibi fortasse suspicio, quod tum in istis duabus, tum in Serapione, cum* S. Euplo *sociatis, mendum sit commissum. Quam ego suspicionem convincere falsitatis haud possum. Verum de his plus quam satis : quando alia cum Sancti nostri martyrio connexa hinc nos avocant. Dicatur ergo nunc, quo die acciderit.*

28 *Acta sincera et genuina, quæ dedit Baronius, interrogatum, tortum, capite plexum ponunt die* XII *Augusti ; nam in eorum exordio solum hunc et unicum diem signant ; nec alium in decursu repetunt :* Pridie, *aiunt,* Idus Augusti *etc. Passio apud Caietanum pag. 108 martyrii consummationem eidem diei innectit. Acta, quæ apud Cotelerium exstant secundo loco, pag. 200 ita scribunt :* Martyrium . . . completum fuit duodecimo (*Lipomanus tom. 7, et Surius* undecimo) die mensis Augusti. *Porro apographorum Hieronymianorum, Martyrologiorum duorum veterum Romanorum, quorum alterum Rosweydus, alterum Fronto edidit ; Calendarii Allatiani, Martyrologii Bedæ nostri seu Flori, Usuardi, Wandelberti, Rabani concors est in dicto die duodecimo, quem notant, consensio. Alii alios signant : nam in Fastis Græcis superius num.* 1, *est dies* X *et* XI. *Ado die quidem duodecimo Sanctum annuntiat ; sed in Actorum compendio,* Decollatus est, *inquit,* quarto Idus Augusti : *quem etiam ponunt Festa propria Catanensium Mss. superius citata, fol. 205 verso. At Notkerus :* Decollatus est tertio Idus Augusti : *tametsi die* XII *pariter eum annuntiet.*

Auctore J. P.

Nonnullis circa diem martyrii,

E

ac Sancti confessiones duas

29 *Singulare est, quod in Actis Baronianis ponatur duplex Martyris confessio sub eodem die ; quæ in nonnullis aliis exemplaribus ponitur quidem etiam duplex, sed duplex tamen utriusque dies. Etenim in primis ac sinceris Actis Cotelerianis pag. 192, statim post notatos consules, sequuntur ista e Græco ibi sic versa :* Ante diem tertium Calendas Maias . . ., ut clamavit Euplus *etc. Ac postea, signatis iterum iisdem consulibus, pag. 193 subjiciuntur hæc :* Ante diem primum Idus Augustas . . . ante tribunal adstitit in medio beatus Euplus. *Passio Mombritiana duabus etiam confessionibus suffragatur ; quas eodem quidem die, sed a Cotelerianis Actis diverso notat : nam dicit in initio,* quarto Idus Augustas : *ac deinde,* sub die quarto Idus Augustas. *Codex noster membranaceus* Q Ms. 6 *primam confessionem signat* sub die pridie quarto Idus Augustas ; *secundam vero* sub die quarto Idus Augustas. *Consentit codex noster alter membranaceus* Q Ms. 7 *in istis diebus : et quanquam in hoc in prima diei nota,* ☉ die *et* quarto *extrita fere sint ; e relictis tamen vestigiis, ita olim in isto etiam codice scriptum fuisse censeo. Ast e supra dictis potior mihi videtur auctoritas pro die* XII *Augusti, quo Athleta noster agonis sacri cursum consummavit, quam pro alio quolibet. Sed singulare illud factum circa duas Sancti confessiones diversas, singularem qamdam meretur observationem. Post quam disseremus de anno martyrii.* F

observatis.

30 *Ambæ istæ confessiones secundum Acta Baroniana uni eidemque diei duodecimo Augusti ; diei decimo secundum Mombritiana ; diei autem nono confessio prima, secunda decimo ejusdem mensis diei juxta mox citatos codices nostros affiguntur. Baroniana quidem Acta alteram ab altera distinguunt, dum sic memorant :* Quoniam innotuit ejus confessio, interrogetur sub tormentis tradatur tortoribus. Et cum traditus esset, cœpta est secunda cognitio per quæstionem. *Et mox sequitur :* Calvisianus consularis dixit ad Euplium positum in tormentis : Quæ per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis modo de eis ? Euplius libera manu signans sibi frontem, dixit : Quæ tunc dixi, et nunc ea confiteor, me esse Christianum et divinas Scripturas legere. *Alteram inquam, quæstionem ab altera hic distinctam vides ; at quanquam rara fortasse vel inusitata fuerit, ac*

proin

AUCTORE J. P.

proin singularis appareat duplex eodem die confessio; quia tamen in Actis primariæ notæ et tam diserte exprimitur, eidem quis satis prudenter refragari ausit? Non diffitemur tamen, utramque Coteleriana m, quam paulo ante exhibuimus, diverso utique tempori innexam, intellectu faciliorem esset: neque enim inusitatum fuit, primæ interrogationi judicis interponere vel dies vel menses aliquot, antequam procederetur ad secundam. Exemplo sunt Acta SS. Tarachi, Probi et Andronici; alia item S. Philippi Heracleensis, utraque a Ruinartio edita inter sincera et selecta: hujus quidem a pag. 443: illorum vero a pag. 457 editionis Parisiensis.

§ IV. Confessio duplex, annus mortis, sepultura.

dantur

B Laudatus *mox scriptor Actis sancti Diaconi nostri, quæ ex Baronio exhibet, mox pag. 440 subtexit secundam confessionem ejus, e Mss. Vallicellensi et Colbertino. Et quamvis vel ex hoc loco,* Infirmorum omnes languores sanantur usque in hodiernum diem, *sicut habes ibi in fine, pateat narrationem istam Baroniana juniorem esse; placet tamen hanc posteriorem inde accipere, ut prioris brevitas suppleatur; præsertim cum videatur illa posterior esse sincera, ac bonæ notæ. Sic igitur habet:* Diocletiano novies, et Maximiano octies consulibus, pridie Idus Augustas, cum in medio beatus Euplus traditus fuisset, Calvisianus consularis dixit ad beatum Euplum: Quæ per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis de eis? Tunc beatus Euplus signaculum Christi faciens in fronte sua, dixit: Quæ tunc dixi, et nunc ea confiteor. Calvisianus consularis dixit: Habuisti aliquando lectiones, quas vetaverunt piissimi imperatores? Beatus Euplus respondit: Habui. Calvisianus consularis dixit: Et ubi sunt? Beatus Euplus respondit: Apud me sunt. Calvisianus consularis dixit: Torqueatur Euplus, quoadusque confiteatur, se deos veros omnipotentes adorare, Martem, Mercurium, et Asclepium *. Beatus Euplus respondit: Bene dixisti, Calvisiane, ut adorem Trinitatem inseparabilem, quæ Trinitas, unitas deitatis est. Tunc audiens verba impiissimus Calvisianus, putavit, quia de diis ipsius diceret beatus Euplus, gaudio repletus est, et ait: Ergo sacrifica.

* *Mombrit. et Bar.* Æsculapium

C

32 Cui beatus Euplus respondit: Ego sacrifico et immolo me ipsum Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Tunc Calvisianus audiens hæc, ira commotus jussit eum amplius torqueri. Et dum diutissime torqueretur, sustinuit certamen orthodoxæ fidei *. Tunc impiissimus Calvisianus consularis sententiam dedit dicens: Contrarium deorum, et negantem imperialem jussionem, et inde peccantem Euplum, a quo scripturæ impietatis ostensæ sunt, jubemus justo judicio nostro, gladio interfici. Tunc beatus Euplus gratias egit Deo, et Domino Jesu Christo, quod advenisset ei tempus coronam accipiendi. Euntis enim cum gaudio omnis plebs vestigia sequebatur, ammirantes fortitudinem animi ejus. Ipse autem refovente gratia Christi fulgebat, et lætus resumto animo ambulabat quasi pergens ad nuptias, et repletus Sancto Spiritu canebat dicens: Magna est gloria tua, Domine, in servis tuis, quos ad te vocare dignatus es. Et pro omnibus, qui sequebantur eum orabat dicens: Domine, adesto servis tuis, et ne deseras eos usque in finem, ut glorificetur nomen tuum in secula seculorum. Et accelerabat gressus suos, jam quippe prope victoriam coronandus. D

illæ

* *Colbert. addit* benedicens Deum.

33 Tunc extendens manus suas ad cœlum dixit: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quoniam consolata est me virtus tua, et non permisisti perire animam meam cum impiis, et donasti mihi gratiam nominis tui. Confirma nunc, quod operatus es in me, ut confundatur adversantis audacia. Et tunc respiciens ad populum dixit: Dilectissimi fratres, audite, orate Deum, et timete illum in toto corde vestro: quoniam memor est timentibus se, antequam exeant de hoc seculo: et posteaquam exierint, tunc occurrent eis Angeli, et deducent eos ad civitatem illius sanctam Jerusalem. Et cum hæc verba complesset, et finem fecisset, flectens genua sua, paravit cervicem, et decollatus est beatissimus Euplus *. Tunc sempiternam coronam fidei accepit, exsultans in agmine Angelorum, et sanctorum Martyrum, introivit in conspectu Domini Dei nostri Jesu Christi. Et repositum est corpus ejus in loco venerabili *, conditum aromatibus, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi: in quo beneficia largiuntur contingentibus sepulcrum ejus; ei infirmorum omnes languores sanantur usque in hodiernum diem, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, qui vivit semper et regnat in secula seculorum. Amen. *Sic ibi. Sed nunc nos alia cum martyrio connexa prosequamur.*

ex Ruinartio.

* *Colbert. addit*, pridie Idus Augusti.

E

* *Colbert. addit*, in Cataniensium civitate

34 *Anni, cui illud debeat innecti, nota sunt consules. Ruinartius in Admonitione ad Acta* S. Eupli *pag. 483.* In plerisque, *ait,* codicibus Mss. sanctus Euplus Diocletiano novies, et Maximiano septies passus dicitur: sed id fieri non potuit, cum nonus Diocletiani consulatus cum septimo Maximiani componi non possit. Rectius in editione Coteleriana nonus Diocletiani, et octavus Maximiani consulatus, id est, annus Christi CCCIV assignatur: quem annum in suo cod. Ms. annotatum fuisse refert Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die XII Augusti; quamvis Acta, quæ in Annalibus inseruit, præcendentem exhibeant. *Sic enim incipiunt:* Diocletiano octies, et Maximiano septies consulibus, *qui denotant istum annum. Ex dictis sequitur, corrigendos esse Mombritium, ac codices nostros membranaceos* Q Ms. 6, *et* Q Ms. 7, *qui* sub Diocletiano novies, et Maximiano septies consulibus *res suas signant. In Martyrio, quod primo loco dat Surius, secundo autem Cotelerius, et Caietanus; etiamsi forent melioris notæ (qualis tamen non sunt) historia innectitur temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum, ac proin determinatus annus inde elici non potest. His ita se habentibus, consequens est, ut Martyr interemptus videatur anno Christi 304. Laudatus Caietanus in Animadversionibus pag. 83 in illa Actorum consularium, quæ protulerat e codice Vaticano, verba,* Diocletiano octies et Maximiano septies coss., *aliam suggerit, quæ anno Christi 303 incommodet, rationem.* Vereor, *inquit,* ne sit erratum in consulibus: movet me, quod Diocletiano octies et Meximiano septies coss., Siciliam consulari jure Paschasius regebat; qui Idibus Decembris Luciam virginem Syracusanam suppliciis affecit.

Annus martyrii ex consulibus

F

35 Nam is accusatus est a Siculis, quod provinciam prædatus esset, et nonnullos ante demortuam Luciam menses delatus erat in judicium ad impera-

determinatur,

A imperatores sive ad senatum : quare non videtur Calvisiano succedere potuisse, qui Augusto mense Sicilam administrabat. Nam si ab Idibus Decembris, quibus Paschasius consularius vinctus Romam deductus est, demus eos dies, quibus accusationes provincialium a Sicilia in Urbem delatæ, cognitæque a senatu ; eosque item dies, qui intercessere, donec ab Urbe missi, qui comprehenderent, in insulam pervenerint (duos aut tres menses fuisse, saltem dicendum) quid temporis administratæ provinciæ Paschasio dabis ? Vix menses duos. Brevissimo hoc tempore, tot avaritiæ exempla, tot scelera patrasse, ut a provincia dimoveri, vinciri, damnarique meruerit, non videtur verosimile. Quin inde revinci potius arbitror, Paschasium aliquot ante annos Siciliam rexisse ; Calvisianum vero successisse Paschasio : ac proin S. Euplii martyrium in annum consequentem rejiciendum, scribendumque his Actis : DIOCLETIANO NOVIES, ET MAXIMIANO OCTIES. *Hæc observat ibi Caietanus. Verum cum ea sint connexa cum anno, quo S. Licia obiit, et cum ejusdem Actis ; fortius urgerent, si illa nunc essent apud* B *nos discussa, expensa ac probata. Sed a posteris nostris agendum de iis erit die* XIII *Decembris, quo Martyr ista inscribitur Martyrologio Romano. Nos interim reliqua* S. Eupli *martyrio adjuncta expediamus.*

Martyr ubi sepultus.

36 *Acta Baroniana de sepultura sic breviter meminere :* Sublatum est postea corpus ejus a Christianis, et conditum aromatibus, sepultum est. *Acta secunda Coteleriana plus dicunt :* Quidam vero e Christi amatoribus monachis pretiosas ejus reliquias collectas deposuerunt in loco insigni : ubi morborum curationes peraguntur. *In exemplari, quod exstat apud Caietanum, e codice Ms. Græco monasterii S. Salvatoris ;* Pretiosas ejus reliquias dilecti Christo monachi quidam honesto loco posuere. *Surius vero habet :* Quidam vero homines religiosi etc. *Præplacet vox primigenia* Christiani. *Quod ad locum ac diem sepulti corporis attinet ; Ado sic illa determinat :* Sepultum est corpus ejus in loco venerabili Catanensis civitatis, II Idus Augusti. *Adoni cum in utroque isto puncto adstipulatur Notkerus, tum in loco sepulturæ ambolus istis scriptoribus consentit codex Colbertinus supra num. 33 ; ubi eum in fide Ruinartii ad mar-* C *ginem notavimus. Reliquum est, ut de judice, sub quo martyrii lauream reportavit sanctus noster Pugil, dicendum etiam aliquid videatur.*

§ V. Judex fons miraculo productus etc. Acta martyrii.

Calvisianus judex, an consularis

In *Actis genuinis apud Baronium vocatur is* Calvisianus consularis. *In iis vero, quæ et optimæ etiam sunt notæ atque a Cotelerio vulgata primo loco, occurrit* Calvisianus clarissimus corrector ; *quod respondet textui ejus Græco :* Καλβησιανὸς ὁ λαμπρότατος κοῤῥέκτωρ. *Laudatus istorum Actorum editor Cotelerius col. 753 in notis hæc observat :* Scribitur quoque κοῤῥήκτωρ, κοῤῥίκτωρ, κορήκτωρ, et in antiquis notitiis κορίκτωρ. Vita Joannis monachi apud Bollandum Martii XXX, num. 1, τὶς κορήκτωρ (sic lego) ὀνόματι Πωμπηϊανός. Sed de ea voce necessario legi debet Meursii Glossarium ; ut de Siciliæ correctoribus, viri summa in his litteris eruditione Jacobus Sirmondus et Henricus Valesius in epistolam Constantini ad Chrestum, quam Historiæ suæ inseruit Eusebius lib. 10, cap. 5, ex qua etiam discimus, circa Diocletiani tempora Siciliam, cujus urbs est Catana, rectam fuisse per correctores. Verum quia postea administrarunt eam consulares, vel quia correctoris nomen aut non intellectum fuit, aut ignotius visum, eo factum videtur, ut in Actis aliis Calvisianus non corrector appelletur, sed consularis, et præses, ἔπαρχος.

AUCTORE J. P.

an corrector?

38 *Hisce viri eruditi observationibus adjicio meas. Locum ex Eusebio jamjam citatum, quia maxime is conducit ad propositum nostrum, juvat hic cognoscere. Habes itaque ibidem pag. 392 :* Tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano correctore Siciliæ *etc. Pro* κοντήκτορος, *quod est in Græco,* sine dubio scribendum esse κορήκτορος *, *monet Valesius in notationibus pag. 196. Hinc sequitur, ut in Adnimadversionibus suis pag. 83 nimis affirmate id neget Caietanus, aliter absque dubio locuturus, si hunc Eusebii textum legisset. Nam ad* τὸ CALVISIANUS CONSULARIS ; alterum, *inquit,* exemplar Vaticanum, Calvisianus CORREGOR pro CORRECTOR, INDUBITATO CORRIGE : non enim Siciliæ magistratus ævo Diocletiani E CORRECTOR fuit, sed CONSULARIS. *Quærit præcitatus Meursius pag. 269,* Sed quando nata hæc dignitas? *Et respondet :* Videtur mox post Cæsares, declinante imperio. Et invenio primum temporibus Aureliani. Eutropius in ejus rebus gestis lib. IX : Qui quidem Tetricus corrector. Apuliæ postea fuit, ac privatus diutissime vixit *Sed in Græco textu, Francofurti anno 1590 edito, quem ante me habeo, pag. 123, in Aureliani factis circa Tetricum dicitur :* Καὶ τὸν μὲν ἐπιτροπεύειν ἔταξε τῆς Λουκανῶν ἐπαρχίας τὸ λοιπὸν τοῦ βίου. *In ista, inquam græca metaphrasi, conformiter ad textum latinum ipsius Eutropii indicatur* Lucaniæ provincia.

* f. κοῤῥήκτορος

Quæritur item an alius quidam legatus ei superaddendus sit.

39 *Jam vero quæri potest, an alius quidam legatus, et majoris quidem auctoritatis, quam fuerit Calvisianus, superaddendus ei sit? Affirmant Acta quæ dantur apud Surium primo loco ; uti et secundo apud Caietanum ac Coteleium. Hujus narratio, e quo duorum istorum etiam intelliges contextum, sic sonat :* Miserunt autem imperatores quemdam, nomine Pentagurum, in F fines provinciæ Siciliæ, qui omnia idola erigeret, Christianos vero impune disperderet, gravibusque torqueret suppliciis. Ut ergo pervenit ad Catanam civitatem, Calvisianus de more plebi urbis præcepit obviam prodire ei, qui ab imperatoribus missus fuerat. Ea quippe gentilium consuetudo est. Et ingressus est Pentagurus in urbem. Tunc jussit Calvisianus tribunal suum constitui in loco, qui Achillius appellatur : ad hæc, præcones mitti per plateas civitatis, quo universi convenirent. Igitur cum Pentagurus in diabolico suo solio sederet una cum Calvisiano, universus populus congregatus est ante tribunal eorum. Tunc Pentagurus postulavit, his ad Calvisianum verbis usus : Istine omnes deorum nostrorum religionem observant ? Respondit Calvisianus sic : Cuncti hi, quos pietas tua conspicit, deorum nostrorum cultui dediti sunt. Quæ postquam audivit a Calvisiano, turbas jussit dimitti. Deinde Pantagurus edictum imperatorum patefecit Calvisiano, eumque præsidem urbis declaravit, nec non tradidit ei imperiale edictum, ut Christianos inquireret. Confestim itaque Pentagurus ad alias urbes iter suum dirigebat : festinabat porro ut Agrigentinorum civitatem peteret. *Hactenus Cotelerii exemplar : in qua re, quidquid sit de veritate ; candida illa primigeniorum*

Actorum

AUCTORE J. P.

Actorum simplicitas desideratur. Consulesis, quæ dabimus num. 48.

Miraculosa fontis productio etc.

40 *Idem censemus de miraculosa in carcere fontis productione, ac vocibus e cœlo auditis, quæ in tribus exemplaribus proxime nominatis referuntur. Ex Coteleriano hæc delibo :* Tum vox e cœlo audita est hujusmodi ad eum : Confide Euple, forti sis animo : nam vera vestis tibi præparata est... Extensis manibus oravit : Here Domine, Jesu Christe, verus Deus noster, qui das escam omni carni ; qui per Moysem servum tuum filiis Israelis aquæ abundantiam largitus es ; qui Sampsonem per aquam ex maxilla eductam irrorasti ; qui lætificasti nos pretioso maximeque glorioso baptismate ; qui Jordanico fluento et lavacro vitæ immortalis etiam super terram contrivisti inimicum ; tu ipse nunc, Domine Jesu Christe, impera fontem aquæ vivæ scaturire ex carcere hoc : de qua exsatier, ut agnoscant cuncti, non esse Deum alium præter te, Domine. Hanc precem cum ille complevisset, repente aquæ copia intra carcerum manavit... Cæterum post septem illos dies, *iterum a Calvisiano Sanctus ad tribunal*
B *duci jubetur.* Cumque profecti fuissent lictores, et aperuissent carcerem, confestim viderunt aquarum affluentiam. Verum beatus Euplus aquam increpuit manu, illaque evanuit... Postea cum orasset, audivit vocem e cœlo dicentem : Bono sis animo, Euple : beatus es tu ; veni, requiesce cum iis, qui ab initio huc usque mihi placuerunt. *Verum hæc, ad ornatum quidem splendida magis, quam debita auctoritate suffulta sunt. En tibi nunc cum de istis, tum de aliis majoris pretii Actis varia eruditorum judicia.*

Laudantur Acta

41 *Inter varias Actorum* S. Eupli *editiones, quatuor potissimum considero exemplaria, quæ, tametsi in omnibus non plane sint conformia, bona tamen sunt, et ad reportandam primævæ sinceritatis ac genuini candoris palmam concurrere atque inter se comparari possunt : nimirum Baroniana, Coteleriana prima, Mombritiana, adde Ruinartiana e Baronianis edita quidem, sed cum aliis exemplaribus collata, et alicubi suppleta. De his itaque quatuor primo mihi sermo erit. Ea, quæ Baronius ad annum Christi 303 num. 146 Annalibus ecclesiasticis intexuit, merito ibi-*
C *dem laudantur, tanquam* perbreviter, sed fideliter scripta. *Et mox :* Claudamus, *ait laudatus auctor,* præsentem annum præclaris Euplii martyris Actis, quæ sic se habent, ut publice excepta sunt. *Eadem inter Vitas Sanctorum Siculorum tom. I, pag. 106 vulgata sunt apud nostrum Octavium Caietanum tanquam* consularia ; *id est, uti habet in Animadversionibus ad ista Acta, tomo citato pag. 83,* quæ coram consulari vel *(si proconsularia sint)* proconsule provinciæ a notariis publice excipiebantur : proinde magna fide conscripta sunt. *Bollandus tom. I Februarii, ad diem* V *ejusdem mensis, in Commentario prævio de S. Agatha virgine ac martyre Catanæ in Sicilia, pag. 598 eadem Acta laudat. Deinde vero Actorum etiam bonæ notæ partem delibat, et in exemplum adducit, unde liberiores* Metaphrastæ *vel amanuensium ejus interpolationes dignosci queant.*

a Baronio vulgata ;

42 *Theodericus Ruinartius inter Acta primorum Martyrum sincera et selecta, illis locum dedit, et in Admonitione, quam eorum editioni præmittit pag. 438 typorum Parisiensium,* Porro, *ait,* B. Eupli passionis Acta hic exhibemus ex Baronii editione ad annum CCCIII, num. 146 ;
D quod nobis cæteris omnibus magis genuina visa sint, quæque cum Ms. Valli-cellensi, textu Græco Cotelerii, et Bollandi fragmentis contulimus. Cum vero secundæ quæstionis varietates fusiores sint, quam ut possint in notis apponi, totam hanc quæstionem ex Actis, quæ ex cod. Ms. domus RR. PP. Oratorii Vallis-cellæ, Romæ descripsit noster Michael Germanus, cum ibi versaretur, huc proferre visum est, cum Mombritio et cod. Colbertino collatam. *Atque hæc quidem de Actis, Baronianis, de quibus primo loco agere constitueram.*

Coteleriana

43 *Cotelerius in Ecclesiæ Græcæ monumentis, quæ edidit, Martyrium* S. Eupli *Græco-Latine repræsentat tom. I, a pag. 192, et in notis, quas ad istum tomum adjecit, col. 752 illud sic commendat :* Nemini dubium fore arbitror, quin Acta hæc, quæ concise admodum martyrium Eupli enarrant, genuina sint, authentica, et archetypa seu originalia præ illis Metaphrastæis, Lipomanianis, Surianis, Baronianis et Bollandicis. *Circa tria prima, quæ scriptor eruditus designat, omnino ei assentior : sed major circa duo reliqua diffi-*
E *cultas et mihi est, eritque fortasse aliis, quibus illa cum Cotelerianis conferre vacaverit. Fuit ea enimvero jam pridem Ruinartio, tanta cum eruditionis laude in hoc studii genere versato : quando Cotelerianis prætulit Baroniana, tanquam ad prælum digniora, prout paulo ante vidimus. Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tom. V pag. 275 de tribus Actorum editionibus loquens, Græcam (intellige Cotelerianam) aliis præfert. Et ibidem in notis pag. 694 titulum* correctoris, *qui in Cotelerianis datur gubernatori Siciliæ, pluris idcirco valere asserit, quam* consularis *in Sombritianis ac Baronianis, quia gubernatores Siciliæ habuerint titulum* correctorum *initio Constantini, ex Eusebio, quem supra num. 50 protulimus ; vultque notitiam posteriorem esse, quæ eis tribuit titulum* consularis.

expenduntur

44 *Verum etiamsi vox* corrector *a Constantino adhibita fuerit in dicta significatione, an sola illa et unica ita in usu tunc pro Sicilia fuit, ut vox* Consularis *ibidem tum temporis nullum habuerit locum ? Ast habuit locum in Italia ; idque ante Constantini imperium, et ab ipsis quidem rei, de qua agimus, contemporaneis scripto-*
F *ribus fuit adhibita. Ælius quippe Spartianus, qui Diocletiani imperatoris temporibus floruit, inter Historiæ Augustæ scriptores, apud Salmasium Lutetiæ Parisiorum anno 1620 typis impressos, in Adriano Cæsare pag. 2 dicit :* Quatuor consulares per omnes Italiam judices constituit. *Trebellus autem Pollio, Spartiano synchronus, in Triginta tyrannis, qui in mox designata Historia habentur, pag. 196 de Tetrico seniore tractans, ista memorat :* Aurelianus... cum CORRECTOREM totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atque Umbriæ, Piceni et Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis. *Cum itaque vox* consularis *æque ac* corrector *ad significandos provinciarum moderatores tunc in usu fuerit apud scriptores Latinos ; cur is qui primigenia atque authentica* S. Eupli *coram Siciliæ gubernatore Acta Latino sermone annotavit, potius usus fuerit voce* corrector, *quam* consularis, *cum utraque vox ex dictis idem gubernandi munus denotet ? Itaque quod ista vox sit hac prior, quia ea usus sit Constantinus apud Eusebium, mihi non satis persuadet dictus Monumentorum ecclesiasticorum collector. Quod vero Acta primo*

A *excepta sint Latine, ipsemet ibidem fatetur, ut mox patebit.*

ac commendantur.

45 *Ista enim*, Unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximianus *(quæ esse dicit apud Mombritium ac Baronium) textum suum originalem minus redolere censet, quam* Μάξιμος ὁ λαμπρότατος *in Actis Cotelerianis : sed dictum non probat. Baronius autem legit* Maximus; *de qua re vide infra Annotata nostra lit.* h. *At dicet forte, illum titulum ideo prævalere, quia conformis est Eusebio supra citato, ubi* τοῦ λαμπροτάτου Λατρωνιανοῦ *mentio fit. Sed cur textus Græci Eusebiani melior est conditio? Cur interpreti Græco Actorum* S. Eupli *major habenda ratio, quam scriptoris Latini, si ex hoc ille, ut fatetur Tillemontius, versionem suam acceperit? Ex dictis sequitur, ut approbare non possim id, quod citatus collector addit. videlicet, textum a Cotelerio vulgatum, etiamsi nihil aliud sit, quam admodum ex Latino originali interpretatio, videri tamen omnibus meliorem, saltem usque ad Sancti quæstionem. Nam, quantum ad istam quæstionem pertinet, ejusdemque prosecutionem, breviter admodum illam esse concisam; in Baronio* B *autem longiorem ac valde pulchram, nec non adeo simplicem, ut nullum det locum dubitandi, quin et ipsa sit veritati maxime consentanea. Quamvis itaque* in Græco est contractior, non tamen, ut putavit Cotelerius, sincerior : quod patet ex sententia, quæ in Actis Surianis *(iis videlicet, quæ Surius habet secundo loco, e Baronio accepta)* secundum formam consuetam ex tabella a præside recitatur, *inquit Ruinartius in notis ad Acta* S. Eupli. *Si autem confessio SS. Trinitatis magis perspicue in Actis Baronianis expressa est, uti animadvertit citatus Monumentorum ecclesiasticorum collector, quam in scriptis istius temporis inveniri consueverit; certum tamen esse addit, communem tunc Ecclesiæ fidem fuisse, viderique fidem illam modo claro ac nitido expressam fuisse potius in Occidente, quam in Oriente. Hæc ex illo auctore; qui cum tam rigidus alioquin sit Actorum Aristarchus, nobis suspectus esse neutiquam debet, quod horum, quibus de agimus, Actorum in laudem sit nimis prodigus.*

46 *Tertio loco agendum dicebam de Actis, quæ* C *Mombritius in lucem dedit. Exstant ea in Sanctuario ejus tom. I, fol. 252 verso. Quanquam vero bonæ notæ characteres in illis relucere non inficiamur, nemo tamen dubitaverit, quin posteriora sint Acta ista Baronianis, quando sub finem ipsorum legerit :* Beneficia largiuntur contingentibus sepulcrum ejus, et omnes infirmorum languores sanantur USQUE IN HODIERNUM DIEM. *Porro Actis illis valde insuper officit positio consulum, et bis quidem repetita, nec non diserte ac integre sine notis numeralibus (quo fit, ut suspicio minor sit de mendo) sic expressa,* Diocletiano novies, et Maximiano septies consulibus. *Consule, quæ antea num. 34 observata sunt.*

Mombritiana

47 *Circa quartam editionem, quæ legitur apud Ruinartium Actis primorum Martyrum sinceris et selectis inserta, præter ea, quæ superius breviter dixi, nihil magnopere hic addendum occurrit. Moneo tamen, variantes lectiones, e citatis ibi exemplaribus erutas, usui mihi fore in Annotatis. Hæc dicere habui de Actis primæ notæ. Longe autem inferioris sunt alia quædam, prout perspicuum fiet ex sequentibus circa ea observationibus. Ordior ab iis, quæ Surius dat ad diem* X *Augusti pag. 404.*

ac Ruinartiana Actorum editio.

AUCTORE J. P.

Cujus sint pretii Acta illa,

48 *Dispiciemus hic primo, cujus pretii sint Acta ista. 2º An Metaphrasten, sub cujus nomine circumferuntur, auctorem habeant. Bollandus num. 41 citatus, postquam laudasset illa, quorum partem exhibet,* Conferat nunc qui volet, *inquit pag. 599, num. 22* eadem ex Metaphraste edita a Lipomano et Surio Acta; et perspiciet, quam ea laciniosa, imo inepte coagmentata, additis non solum tormentorum variis generibus, sed et plurimis miraculis. Vel ipsa Euplii comprehensio, ac prima quæstio, quam frigida! Commemorato PENTAGURI cujusdam in Siciliam urbemque Catanam adventu cum novis imperatorum edictis, de Calvisiano (quem cum Acta Latina consularem appellent, ipse solum IN EA URBE PRÆSIDEM fuisse ait, inque eo præsidatu a Pentaguro confirmatum) ista deinde subdit; *quæ quia tum ibi dicta sunt, tum apud ipsummet Surium legi possunt, tædet hic repetere, præsertim cum de Pentaguri historia actum sit supra num. 39 e Cotelerio. Pergamus itaque cum Bollando ibid. num. 24 :* Adeone Græcorum admirator, et Metaphrastæ amicus est quisquam, qui hæc præ Latinis, quæ retulimus, vera et legitima esse Acta putet? *Hæc ibi Bollandus, censor alioquin Actorum non* E *nimis rigidus, nedum iniquus; sicut norunt eruditi. Cæterum qua fide nitantur miraculosa fontis productio cœlestesque voces, liquet ex dictis num. 40. Porro cum Acta ista cum iis, quæ sunt inter Vitas Sanctorum Siculorum apud Caietanum tom. I, pag. 107, e codice Græco S. Salvatoris prope Messanam, sicut habes in Animadversionibus pag. 86, Latine reddita; uti et cum iis, quæ Cotelerius latinitate donavit ac impressit loco supra designato, conveniant in substantia (discrepantiis enim levioris momenti notandis supersedeo) consequens est, ut longe deterioris, quam alia, quæ supra laudavimus, pretii habenda sint. Ast an Metaphrastes eorum auctor?*

49 *Cotelerius supra allegatus Acta, quæ secundo loco profert Græco-Latine pag. 494,* apud Symeonem Metaphrastam *exstare asserit. Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moschis ante tomum I Maii pag.* XXXVII *censet, Acta Sancti nostri, quæ habentur apud Lipomanum, Surium ac Cotelerium,* Metaphrastæa non esse, vel ex stylo indice, maxime cum Acta Sanctorum Augusti non attigerit Metaphrastes. *Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 77 Martyrium* F S. Eupli *annumerat Actis illis, quæ Metaphrasti attribuuntur quidem, sed ipsius tamen non sunt. Et pag. 124, ubi catalogum texit Actorum, quæ vere Metaphrastis esse affirmat, nulla* S. Eupli, *nulla aliorum Sanctorum mensis Augusti invenio. Quæ forte ratio Papebrochium impulit, ut diceret, quod Metaphrastes non attigerit mensem Augustum. Caietanus in Animadversionibus pag. 85 ad Martyrium* S. Eupli, *quod dat secundo loco,* Incertum, *ait,* utrum ex antiquis Actis composuerit Metaphrastes, quo auctore Surius edidit; an Metaphrastes Acta ipsa Sicula in Vitas adlegerit suas. Sed illud potius crediderim. Sane ab his Actis Metaphrastes apud Surium in plerisque variat : in quo item nonnulla sunt, quæ in his desunt : quædam desiderantur, quæ in his habentur. *Sed rationes illæ vel parum vel nihil videntur obtinere. Ecquis enim inficietur, in hujusmodi variationibus, quæ Actorum substantiæ accidunt, plurimum valere interpretis stylum, præsertim si vel interpolatus aliquantulum sit, vel ex Græco sermone in Latinum liberaliore licentia conversus. Verum sintne Acta hæc a Metaphraste, sive ab*

quæ nomine Metaphrastæ circumferuntur.

alio

AUCTORE J. P.

alio hujusmodi genii auctore composita, parum nostra id refert; quando ex incidenti, ut dicitur, hæc a nobis proposita sunt, ulteriorem crisin eruditi lectoris judicio permittentibus. Porro visum nobis est, ex Actis omnibus hactenus enumeratis, ea ad prælum destinare, quæ Baronius edidit: quod priusquam agamus, ista Sancti miracula dabimus.

§ VI. Quædam sancti Martyris miracula.

Nonnulla prænotantur.

Duo *miracula, quæ contigerint in urbe Neapolitana, refert noster Octavius Caietanus tom. I Vitarum Sanctorum Siculorum pag. 108,* ex Ms. cod., *sicut indicat in Animadversionibus pag. 86,* Bartholomæi Chioccarelli I. conf. Neapolitani; *addens, dictionem a se cum fide immutatam. Auctor eorum anonymus, ac tempus incertum. Quærit ibidem pag. 86 citata, an* Joannes, *qui infra nominatur, sit* Joannes, cognomento Compsimus, Neapoli præfectus, imp. B Heraclio, anno Christi DCXV: cujus meminit Anastasius Bibliothecarius. *Quem vide in Deusdedit. Porro* elephantiasis, *de qua mox,* est extuberatio melancholica et contagiosa, totum corpus in speciem elephantis immutans; *ait Gorræus in definitionibus medicis: ubi plura. Circa templum autem, de quo etiam proxime fit mentio,* Monitum *se inquit ibidem Caietanus,* hujus ædis S. Euplii in urbe Neapoli nullum hodie exstare monumentum: attamen ex instrumentis cœnobii S. Severini, quod est in urbe Neapolitana, cognovi, ædem illam in regione Furcillensi sitam fuisse, eidemque cœnobio subjectam: sed enim in libro sive inventario instrumentorum, in instrumento quodam confecto imperatore Basilio Magno (*an* Macedone?) *num.* 42 legitur S. EUPLII ECCLESIA. In instrumento sub Friderico II, num. 55 ECCLESIA S. EUPLII, REGIONIS FURCILLENSIS. In instrumento sub Carolo rege I, num. 6 S. EUPLIUS REGIONIS FURCILLENSIS. Et in alio instrumento sub Carolo rege II, num. 8 VICUS PUBLICUS, QUI VOCATUR S. EUPLIUS REGIONIS FURCILLENSIS: quod extremum instrumentum C anno Christi Domini CIↃCCCVI rogatum (*forte* notatum) est. *His prænotatis, do tibi nunc miracula ista duo: tertium hisce miraculum seu singulare beneficium adjungam aliunde, uti infra patebit.*

Quædam elephantiaca

51 Vagabatur undique S. Euplii multis testificata miraculis liberalitas, Joanne urbis Neapolitanæ consule. Mulier quæ correptas elephantiasi manus movere vix poterat, ejus ad ædem supplex accessit. Hæc multos dies obnixe se Martyri commendans, ut faciles sibi ad deum aditus impetraret, neque a templo unquam discedebat, et magnam interim consepuendæ valetudinis in spem veniebat. Tibi identidem, inquiebat, Sanctæ Dei, me ipsa commendo. Tu quamvis indignam adjuva: quemque non pauci diversis, qua morborum calamitatibus, qua dæmonum oppressi atque afflicti tyrannide, cum invocarent, relevari se senserunt: eum ego misera ne frustra compellum, sed compos voti atque vinculis his extricata referre Deo tuo gratias per te valeam. Interea manus, quas fasciis, atque ad pectus alligatas gerebat, cum sublevare in altum contenderet, ut precantis mos erat, cum incredibili præsentium omnium admiratione ac stupore excipiebatur acerrime a diabolo, ne id videlicet auderet. D

S. Euplum invocat.

52 Quamobrem universi cum gemitu, Sancte inquiunt, Eupli levita, serve Dei, medice clementissime, licet absens, huic tamen miserrimæ ancillæ tuæ præsens adesto: quique omnibus præstas auxilium, hanc ne desertam habeas. Et mulier acerrimis vesani spiritus agitata stimulis, inclamabat, subsidium a sancto Viro exposcens, neque fas esse vociferans, reliquis omnibus incolumi valetudine ab eo templo recedentibus, se solam derelictam ac depositam ibidem jacere. Igitur nocte Dominicum diem præeunte, sensit sibi ea tempestate, qua solemni conventu recitari ad matutinas horas psalmi solent, adesse Sanctum, et apprehensis ejus manibus sic affari: Eia, mulier, manum exere, et Christi signum fronti imprime. Excitatur illa somno, et pavore simul, et lætitia cumulata, faciles manus ad cœlum sustollens, Domine, inquit, omnipotens, magne et mirabilis, qui es gloriosus in Sanctis tuis, facient in cœlo et in terra mirabilia. Claro deinde dire, sacerdos ejus templi æditus mulierem eam intuitus, sic aggreditur: Hilaris, ut video, es mulier: amissam credo valetudinem recuperasti. Et illa, E Quippe, domine mi, a Domino ac Servatore adjuta.

et curatur.

53 Quæsita rationem facti, ita rem ordine distinxit, ut explicaret, apparuisse sibi adolescentem aspectu pulchro, tum apprendisse palmas, et, ut elata dextra frontem signaret, jussisse. Hic investiganti curiosius viro de habitu ac vestitu adolescentis, respondit: Laxis indutum vestimentis, et orario * ad collum propenso. His ille signis deprehendit, Euplium levitam fuisse, qui ex tam gravi morbo laboranti feminæ liberalissime succurrerit; et, Posthac, inquit, quia gratam esse expedit, ne deterius aliquid accidat, repudiato seculo curatori Deo stude, si sapis mulier. Et illa cum se tam eximii memorem fore beneficii, neque ulla se labe criminis fœdaturam recepisset, gratiis Deo atque sancto Euplio peractis, valens atque hilaris ad suos rediit. Cæteri, qui de tam gravi morbo ereptam atque integram videbant, facere non poterant, quin summis Deum optimum maximum laudibus exciperent, et celebrarent; qui tantas res, et tam admirabiles per Sanctos suos efficeret. F

* id est, stola

Mulier

54 Neque silentio est prætereundum, quod mulieri, cui nomen Fasanæ erat, ab teterrimo spiritu vexatæ, contigit. Hæc ex Villa nova pago exorta fuerat: transvecta imprudens Neapolim, per ejus urbis publicas vias ultro citroque lymphata vagabatur, non sine eorum formidine ac pavore, qui spumantem eam seque acerrime diverberantem, quo diabolus præcipitem ageret, ferri viderent. Itaque exceptam pii quidam ac religiosi viri deducunt ad sancti Euplii ædem. Sed videlicet obseratis foribus, aditu intercludebantur; neque ullus janitor. Agitare illi animo de ea demittenda per tegulas aut fenestras: sed deliberantes fuit qui de forium clavibus, seniori sacerdoti concreditis, edoceret. Ergo introductam cœperunt cum sacerdote, qui recens advenerat, Deo atque Euplio magnopere commendare: sed cum ejus ecclesiæ custos abesset ex urbe, in eum tamen diem expectaretur, confecta oratione, quisque se suam in domum recepit.

a furioso dæmone obsessa.

55 Femina intra ædem sola est revinctis manibus ac pedibus relicta. Paulo post ingressus in templum presbyter quidam, furiosæ illi cœpit vehementi oratione instare. Hunc vero prostrata humi, cum ad ejus se pedes mugitu horrendo pervolve-

A volveret, atrocissime mormodit, inflictoque vulnere, abire de suo conspectu coegit. Alter et sacerdos et monachus ejusdem visendæ gratia, ad S. Euplii perrexit, ingressusque; Fasana, inquit, salvet te Dominus Jesus Christus. At illa torvo intuitu, ac terribili voce. Ablavie vecors: quando videre te volui, tu venire ad me noluisti, nunc aspicere te minime possum.

et adjurationibus sacerdotis non liberata.

56 Impie, inqui sacerdos, obmutesce, testifer; desine jam per os plasmatis Dei talia profari: et simul instantissimis precibus obsecrabat, ut qui suo nutu, ac voluntate moderaretur omnia, ejus misereretur, quæ per beatissimi levitæ, ac martyris Euplii merita misericordiam expectaret, nec dedignaretur potentiæ suæ clementiæque flumina in eam derivare tantisper, qui largissima aliis fluenta diviserit. Postremo iniquum videri aiebat, triumphare de Christiana ancilla sua tyrannum atque hostem communem, quam arctissimis oneratam vinculis jam diu affligeret. In orantem mulier facere impetum vehementissime conabatur, sed furorem illum virgis ac flagellis sacerdos perfringebat, et inter verberandum his obsidentem spiritum adurgebat: Exi ab ea satan, B quia imperat tibi Christus, qui de Genezarena muliere tuos collegas in porcorum gregem expulit; quique te in abysso miserum religabit. Quid plura? Mensis erat, nec exsecrationibus ullis ejici truculenta illa furia, nec coerceri flagris, nec vinculis, nec obsecrationibus ad Deum fusis, sedari posse ejus furor videbatur.

a Sancto sospitatur.

57 Cum ecce tibi de media nocte, juvenis illustri aspectu atque ore, fragrantissimis odore vestibus, conversus ad mulierem, contenta ac sublimi voce, Surge, inquit, Fasana, surge; tibi, te esse sanam, dico. Stetit illa continuo, juvenemque est demisse venerata. Clamabat interea, et obsessam increpabat dæmon: Cur tandem ad Euplium venisti? En ille abs te me divellit, ac dejicit. At enimvero si tui invadendi sese dabit occasio, ne ego, si te dimisero, stultus sim! Hanc audaciam sic Sanctus retudit: Obmutesce, neque talia unquam aude: nunc abi; Dominus Jesus Christus te in imam abyssum relegat: mulier confestim salva facta est, et gratiis Deo, ac D. Euplio peractis, nonnullo etiam donario ad beneficii memoriam relicto, reliquum vitæ tempus C incolumis transegit, magnificans Deum, ac liberatorem suum Christum Jesum; qui vivit, ac regnat.

Vehemens capitis dolor sublatus.

58. *Duobus hisce jam pridem excusis adjungamus aliud miraculum seu beneficium; de quo P. Franciscus Blanditius noster, superius in meo Commentario prævio laudatus, litteris anno 1655, die* V *Januarii ad Bollandum datis, ista memorat:* Non silebo hic enarrare R^æ^ V^æ^ alterum miraculum, de quo conscium me fecit noster Pater Paulus de Franciscis, sacerdos ornatus multis virtutibus, et omnibus Catanensibus apprime carus, eratque tum nostris, totique civitati quasi pater, cujus ego eram a confessionibus. Is per aliquot annos laborabat dolore capitis vehementi, præsertim occipitis, ubi nervos sentiebat contrahi, et morsus pati non leves: unde timebant medici ne apoplexia corriperetur. [Suaserunt] igitur Paulo, ut aerem mutaret, et ab officio congregationis nobilium, cui præerat, desisteret, vel intermitteret. Venit igitur ad me tunc Messanæ degentem, nostrosque fratres rhetoricam docentem anno MDCXIX. Erat mensis Augustus, sub festum S. Eupli martyris, suasique illi, ut sancto Martyri Sacrum faceret, ejusque opem imploraret. Acquievit verbis ille meis, perfecitque quod suasi. Postridie mane narrat mihi somnium, per quod sibi vidisse videbatur S. Euplum martyrem digito sancto suo ter circulum in capite designasse, statimque totam illam pruriginem nervorum cessasse. Quamobrem gratiis Deo, sanctoque Euplo peractis, ad suum congregationis munus rediit mecum Catanam: ubi in singulos annos ad ejus templum adibat, memor collati beneficii.

AUCTORE J. P.

ACTA

CONSULARIA

Ex Annalibus Cæsaris Baronii tom. II ad annum CCCIII *num.* 146, *cum aliis exemplaribus collata.*

E

Sanctus ad Calvisianum consularem peductus,

Diocletiano octies, et Maximanio septies *a* consulibus, pridie Idus Aug. *b* in Catanensium civitate *c*, cum esset extra velum secretarii *d* Euplius *e* Diaconus *f* (qui ab exploratoribus inventus legere Evangelia, et docere Christianos, ab illis tentus est, et perductus cum libro) proclamit, dicens: Christianus sum, et pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisianus consularis *g* dixit: Ingrediatur, qui clamavit. Et cum ingressus fuisset Euplius secretarium judicis, Evangelia portans, unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximus *h*, dixit: Non decet tales chartas eum tenere, contra regalem præceptionem.

primam edit confessionem:

2 Calvisianus consularis dixit ad Euplium: Unde hæc sunt? De domo tua exierunt? Euplius respondit: Non habeo domum *i*, hoc et Dominus meus Jesus Christus novit. Calvisianus consularis dixit: Tu ea huc deportasti? Euplius dixit: Per me ea huc deportavi, sicuti et ipse vides, invenerunt me cum illis *k*. Calvisianus dixit: lege ea. Euplius aperiens legit: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, et alio loco: Qui vult venire post me, tollat crucem suam, et sequatur F me. Cum hæc, et alia legeret *l*, Calvisianus consularis dixit: Hoc quid vult esse? Euplius dixit: Lex Domini mei, quæ mihi tradita est. Calvisianus consularis dixit: A quo? Euplius respondit: A Jesu Christo, filio Dei vivi. Calvisianus consularis interlocutus dixit: Quoniam innotuit ejus confessio *m*, interrogetur sub tormentis *n*, tradatur tortoribus. Et cum traditus esset, cœpta est secunda *o* cognitio per quæstionem.

cui adjunxit secundam

3 Diocletiano octies, et Maximiano septies Coss. pridie Idus Aug. *p* Calvisianus consularis dixit ad Euplium positum in tormentis: Quæ per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis modo de eis? Euplius libera manu signans sibi frontem, dixit: Quæ tunc dixi *q*, et nunc ea confiteor, me esse Christianum et divinas Scripturas legere. Calvisianus dixit: Quare apud te habuisti, et non tradidisti has lectiones, quas imperatores vetuerunt? Respondit Euplius: Quia Christianus sum, et tradere non licebat, magisque expedit mori, quam tradere. In his vita æterna est: qui tradit, vitam æternam perdit: ut eam non perdam,

Ex edit.

dam, vitam meam do. Calvisianus interlocutus dixit: Euplius, qui secundum edictum principum non tradidit Scripturas, sed legit populo, torqueatur. Cumque torqueretur, dixit Euplius: Gratias tibi, Christe: me custodi, qui propter te hæc patior. Dixit Calvisianus consularis: Desiste, Eupli, ab insania hac: deos adora, et liberaberis. Euplius dixit: Adoro Christum, detestor dæmonia: fac quod vis, Christianus sum. Hæc diu optavi; fac quod vis, adde alia, Christianus sum. Postquam diu tortus esset, jussi sunt cessare carnifices, et dixit Calvisianus: Miser, adora deos, Martem cole, Apollinem, et Æsculapium *r*. Dixit Euplius: Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum adoro, sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus *f*. Pereant dii, qui non fecerunt cœlum et terram, et quæ in eis sunt. Christianus sum.

torquetur,

4 Calvisianus Præfectus dixit: Sacrifica, si vis liberari. Euplius dixit: Sacrifico modo Christo Deo me ipsum: quid ultra faciam, non habeo. Frustra conaris, Christianus sum. Calvisianus præcepit, iterum torqueri acrius. Cumque torqueretur, dixit Euplius: Gratias tibi, Christe, succurre, Christe: propter te hæc patior, Christe. Et dixit sæpius *, et deficientibus viribus, dicebat labiis tantum, absque voce hæc vel alia. Calvisianus intra velum interius ingrediens, sententiam dictavit: et foras egressus, afferens tabellam *t*, legit: Euplium Christianum, edicta principum contemnentem, deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animadverti jubeo; ducite eum.

* *al.* septies

ac capite truncatur,

5 Tunc appensum est ad collum ejus Evangelium *u*, cum quo apprehensus fuerat, proclamante hæc præcone: Euplius Christianus, inimicus deorum, et imperatorum. Euplius lætus dicebat semper: Gratias Christo Deo: et cum ad locum perductus esset, genuflexus prolixius oravit: et iterum gratias agens, præbuit jugulum, et a carnifice decollatus est *x*. Sublatum est postea corpus ejus a Christianis, et conditum aromatibus, sepultum est *y*.

ANNOTATA.

a *Imo* Diocletiano IX, et Maximiano VIII coss., *secundum dicta in Commentario hisce Actis prævio, num. 34.*

b Sic etiam cod. Vallis-cell., *teste Ruinartio in notis. Sed Mombritius, cui adde Bollandi fragmentum ad diem* V *Februarii, pag. 598,* sub die IV Idus Augustas. *Cotelerius autem*, Ante diem tertium Calendas Maias. *Consule Commentarium num. 29.*

c *Cotelerius* In illustrissima Catana, *Siciliæ videlicet urbe (neque enim aliam novimus) ex communi scriptorum consensu in dicto Commentario. Sed hic non extundes, quod ibi sit natus Martyr.*

d *Mendose apud Mombritium*, Euplus secretarius judicis. *Cotelerius in notis col. 752* Assentior, *ait*, viris doctis, qui secretaria, judicum interpretantur tribunalia, conclavia, loca in quibus jus reddebant, et reorum causas expendebant. *Nominis etymon assignat S. Augustinus sermone de Ovibus cap. 3:* Ultimam sententiam, quam dicturus est judex, in tabella descripturus manu sua, ultra quam sententiam nihil jam judicaturus est, partes non audiunt. Illis foras exeuntibus scribitur: attonitæ sunt ambæ partes atque suspensæ, contra quam vel pro qua sententia illius procedat. Magnum secretum judicis: unde secretarium nominatur. *Videri etiam apud nos possunt Annotata ad caput secundum Vitæ S. Agathe virg. et mart., sub nomine Metaphrastæ editæ tom. I Febr., die* V, *pag. 622, lit.* e: *ubi et de* velo *secretarii mentio fit.*

e *Al.* Euplus: *de quo Commentarius § 3 in initio.*

f Diaconus *ex communi Actorum et scriptorum consensu, uti liquet ex Commentario nostro; sacerdotem quippe eum fuisse, nobis neutiquam probatur: quidquid dicatur in hymno secundo apud Caietanum tom. I Vitarum Sanctorum Siculorum pag. 112* Sacerdos nuncupatus es, Euple. *Et pag. 113* Sacerdotii nobis et martyrii argumentum exstitit generosus Euplus: ambobus enim optime claruit.

g *Al.* corrector: *de qua voce pluribus disserit Commentarius § 5.*

h *Mombrit., ac duo codd. nostri* Q Ms. 6 et Q Ms. 7, *nec non fragmentum apud Bollandum* Maximianus.

i *Ita etiam Coteler. At cod. Vallis-cell, apud Ruinartium; cui adde Boll. et Mombrit.; nec non ambos codd. nostros mox citatos,* Non habeo domum hic.

k Invenerunt me cum illis, *in aliis edit. et Mss. deesse, notat Ruinartius.*

l *Coteler.* Cumque legisset, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Johannem sancta Evangelia. *Mombrit. (adde cod. Vallis-cell. apud Ruinart.)* Et cum aperuisset Evangelia beatus Euplus, legit secundum Matthæum dicens: Dixit Dominus Jesus Christus: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Item aperuit secundum Marcum dicens: Omnibus qui credunt in me, ipsis datum est cognoscere regnum Dei. Item secundum Lucam: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Item secundum Johannem: Omnis, qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet in æternum. *Quibuscum verbatim fere convenit Bolland., ac duo codd. nostri Mss., de quibus supra.*

m Quæ sequuntur, *ait Ruinartius*, habentur in solo Surio *(seu Baronio potius) Bolland. (adde cod. Vallis-cell. ex Ruinart.) pro his legit*, publice tradatur. *Coteler.* in Acta publica referatur.

n *De tormentis Commentarius num. 25 nonnulla observat.*

o *De confessione Martyris duplici observationes dat Commentarius num. 30.*

p *Circa notatum hic diem legi potest Commentarius a num. 29.*

q *Codex noster* Q Ms. 6 *breviter*; Tunc Beatus Euplus, signaculum Christi faciens in fronte sua, dixit: Quæ tunc dixi, et nunc ea confiteor. Calvisianus consularis dixit: Habuisti aliquando lectiones, quas vetuerunt piissimi imperatores? Beatus Euplus respondit: Habui. Calvisianus consularis dixit: Et ubi sunt? Cui beatus Euplus respondit: Apud me sunt. Calvisianus consularis dixit: Habes eas? Beatus Euplus respondit: Habeo. Calvisianus consularis dixit: Torqueatur Euplus, quoadusque confiteatur, se deos veros omnipotentes adorare, Martem, Apollinem et Æsclepium. *Eadem brevitate utitur alius codex noster* Q Ms. 7; *tametsi minus emendate. Consule insuper Bolland. et Mombrit. Breviter etiam rem expedit Coteler.* Beatus Euplus dixit: Quæ tunc protuli, ecce nunc quoque confiteor eadem. Calvisianus corrector ait: Tenes lectiones prohibitas?

A tas? Beatus Euplus : Teneo. Calvisianus ad eum : Et ubi sunt? Videamus quo modo complectantur. Beatus Euplus dixit : Apud me sunt. Calvisianus inquit : Si nunc habes ea hic profer nobis. Beatus Euplus : Hic sunt. Tum Calvisianus corrector : Extendatur Euplus, ac verberibus afficiatur, donec promiserit, se diis sacrificaturum. *Hæc ita e Græco vertit Cotelerius in sua editione. Sed an hæc, Baroniana sincerior? Adi Commentarium nostrum prævium num. 45.*

r *Al.* Asclepium; *qui fertur fuisse Æsculapii nepos.*

ſ *Clara hæc ac perspicua SS. Trinitatis professio officere non probatur Actorum sinceritati; secundum dicta in Commentario num. 45.*

t *De tabella ista nihil lego in duobus nostris codd. Mss., Coteleriō ac Mombritio. Consule, quæ de ea præmisi in Commentario num. 45.* Ex Mss.

u *Hoc etiam non invenio in citatis statim exemplaribus; non ideo tamen sequitur, ut minus sit sincerum.*

x *Mortem brevissime describit Cotel.; plura. cum ibidem, tum in exemplari Baroniano non memorata, occurrunt in Mombritio ac duobus nostris codd. Mss.*

y *De sepultura tacet Cotel. pag. 194 : de qua Commentarius num. 36. Mombritiana Acta Baronianis esse posteriora, notavimus ibid. num. 46 ex verbis eorum : quæ cum in duobus nostris codd. Mss. etiam legantur ; idem de illis codd. esto judicium.*

DE S. CASSIANO EPSC. CONFESS.

BENEVENTI IN ITALIA

P. B.

B

SUB MEDIUM SECULI IV. *Celebratur hoc die*

Hunc *Beneventanæ apud Samnites ecclesiæ sanctum Antistitem, quantumvis antiquum, primus, quod quidem sciamus, alibi notum utcunque fecit Philippus Ferrarius anno 1609 in Nova Topographia in Martyrologium Romanum pag. 20; sed fusius anno 1613 in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem* XII *Augusti, hoc illum exornans elogio :* Cassianus, episcopus Beneventanus, quartus a S. Januario eam ecclesiam ad multos annos administravit. Multa passus incommoda et adversa atque persecutiones, omnia vicit patientia. Orationibus deditus, curam pauperum agens, ac sibi commissum gregem verbo et exemplo pascens, tandem ad præmium evocatus, pridie Idus Augusti migravit e vita ; multisque post mortem miraculis coruscavit : quicunque enim ad ejus tumulum infirmus accederet, a quovis morbo sanabatur. Illud plane mirandum litteris consignatum legitur, quod nemo, equitando prope ecclesiam, in qua sacrum Cassiani corpus asservabatur, trans-C ire poterat ; nisi prius equo descendisset ; idque evenisse, quoad inde in ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis una cum plurium Sanctorum reliquiis translatum fuit.

in ecclesia Beneventana

2 *Citat exinde ibidem antiqua monumenta, ex quibus hoc elogium concinnarit, hæc subdens :* Ex antiquo Breviario ecclesiæ Beneventanæ, et codice ejusdem ecclesiæ pervetusto. *Tum sequitur hæc ejusdem Annotatio :* Nonnullis hunc eumdem Cassianum, qui Forocornelii colitur *(a nobis die sequente referendus)* esse, visum fuit; sed id antiquæ ecclesiæ Beneventanæ traditioni repugnat ; quæ ipsum uti suum episcopum semper agnovit, et ut confessorem coluit : de quo etiam in provinciali synodo fit mentio : *Eumdem porro in posteriore Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad mensem eumdem ac diem auctor idem ita retulit :* Beneventi in Samnio, sancti Cassiani episcopi, *subjiciens in Annotatis :* Ex tabulis ecclesiæ Beneventanæ hac die. Quartus episcopus illius sedis post S. Januarium *(primum scilicet hujus nominis)* fuisse traditur, prout monumenta ejus ecclesiæ antiqua, charactere Longobardico scripta, testantur. *Ferrarium quidem antecessit Kalendarium illud Capuanum, quod in Sanctuario Capuano exhibet*

E

Michael Monachus, quodque pag. 398 ad diem XII *Augusti sic habet :* XII Passio erit Cassiani M. ; *verum ibi de nostro* Cassiano *non agi, sed de alio, puta postridie alibi celebrato, satis indicant vox* Passio *et nota Martyris apposita. In additionibus quoque Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum hoc die legitur :* Sanctorum confessorum episcoporum, Cassiani et Leucii ; *sed neque locus ullus apponitur ; neque additionum illarum ætas noscitur, nec auctoritas.*

3 *Ferrarium hoc die citat et sequitur Constantinus Ghinius in Sanctorum Canonicorum Natalibus. Successit Marius de Vipera, archidiaconus Beneventanus, in* Catalogo Sanctorum, quos ecclesia Beneventana duplici ac semiduplici celebrat ritu. *Notat is ad diem* XII *Augusti,* S. Cassianum *episcopum Beneventanum in ecclesia jam dicta celebrari ritu duplici; deinde subdit elogium, ipsis plerumque Ferrarii verbis conceptum; neque adeo hic repetendum. Hoc amplius dicit aut expressius, quod* S. Cassainus *Beneventi fuerit episcopus* XVII; *quod S. Apollonio (quem nos ex eo dedimus* VIII *Julii pag. 579) successerit; quod* Cassiano *successerit S. Januarius II; denique, quod Sanctus noster templum habeat Beneventi,* ei dicatum olim, parochiale; sed temporum antiquitate collapsum. *Citat vero in margine, bibliothecæ Beneventanæ Ms. codicem de gestis Sanctorum part. 2 signat. num. 168 pag. 26; et Chronologiam episcoporum Benevent. sub præsulatu ipsius et S. Januarii II. Edidit etiam ipse Chronologiam episcoporum ecclesiæ suæ anno 1636 Neapoli, in qua de* S. Cassiano *agit pag. 16; sed nihil novi docens, nisi quod illum floruisse scribit* anno Domini CCCXI circiter ; *sed error esse videtur in numero; quandoquidem ibidem decessoris ejus initium defixerat* anno Domini circiter CCCXXVI. *Itaque Ughellus Italiæ sacræ tom. VIII inter episcopos Beneventanos, illum floruisse censet* circa annum CCCXL. *Hoc etiam in Chronologia mutat Marius, quod ecclesiam Sancti nostri in urbe Beneventana non absolute collapsam dicit,* sed quasi collapsam : *tum quod ibidem ad marginem citet insuper pro se ex bibliotheca ecclesiæ suæ Martyrologium Ms. antiquissimum, signatum num. 178. Nobis instrumenta desunt, quibus hæc illustremus.* ritu duplici.

F

AUCTORE P. B.

illustremus. De cultu certe immemorabili dubitari non potest; quando illum ipse post adeo recentes Urbani PP. VIII Bullas, sub ejusdem Pontificis, adhuc tum viventis, oculis non dubitavit iterato asserere. D

DE S. EUSEBIO EPISC. CONFESS.

MEDIOLANI IN INSUBRIA

J. B. S.

SYLLOGE

De Cultu, ætate, successione et gestis.

ANNO CDLXV. *Cultus satis probatus est.*

Tametsi is quo ac hic agitur, S. Eusebius *Mediolanensis episcopus, in solitis nostris sacris Fastis notus omnino non sit, de vetustissimo tamen ejus cultu dubitare non sinunt ipsæ Tabulæ ecclesiæ* B *Mediolanensis, quas solas adducit Baronius, quarumque auctoritate ipsum hoc die Martyrologio Romano inscripsit. Porro recte notat,* vixisse *ipsum* temporibus S. Leonis Papæ, quando habita synodo adversus hæresim Eutychianam, nuper Chalcedone a SS. Patribus damnatam, misit inde synodicam ad eumdem Pontificem. *Exstat ipsa in Annalibus, ut eam hic describere opus non sit. Sancti præconia ex Ennodio aliisque infra referentur. Cæterum ex jam citatis verbis facile est* S. Eusebii *ætatem colligere, cum enim S. Leo I medio seculo quinto universæ Ecclesiæ præfuerit, manifeste patet, et ipsum ad ea tempora revocandum esse; vellem equidem, de ejus episcopatus initio et sine æque certa argumenta suppeterent.*

Ejus successio

2 *Successisse* S. Eusebium *S. Lazaro, notant vetusti, quos consulere licuit Catalogi, tum[a] is quem Papebrochius edidit et illustravit ante tom. VII Maii pag.* LXII, *tum alius in Museo Italico Mabillonii tom. I pag. 110, qui ambo eadem phrasi enuntiant :* Eusebius sedit annos XVII, depositus die IX mensis Augusti ad S. Laurentium. *Consonat et alter antiquus Catalogus inter Scriptores rerum Italicarum tom. IV pag. 141, tametsi obitum signet* VI *Idus seu* VIII *Augusti, cum facile postridie sepeliri seu deponi potuerit. In eo summa concordia, quod sederit annis* XVII, *at* C *quo præcise anno inchoandi sint, quo terminandi, hic nodus est, cui solvendo, non video scrupulosius quemquam attendisse. Initium putat Papebrochius affigi posse anno 449, verum dum finem innectit anno 465, si isto, ut etiam censet Tillemontius, vere obiit, retrahenda erunt initia ad annum 448. Ut ut est, coli ipsum Mediolani hoc die, ex Tabulis certissimum est, an quod dies* IX *impediatur festo SS. Firmi et Rustici, nescio utrum satis tuto asseratur.*

gens et patria,

3 *De gente et patria tacere præstat, quam cum Ferrario et Ughello Paganæ vel, si vis, Paganicæ familiæ adscribere. Quid quod et reformanda sit ipsius Breviarii Ambrosiani lectio, dum ita incipit :* Eusebius Mediolani natus, *nam et ignotum et hospitem Mediolanum advenisse, utpote Græcum genere, disertissime pronuntiat ætate proximus et fidelissimus scriptor S. Ennodius in celebri eo carmine quod de* Eusebio *cecinit, et quo etiam paucis virtutes ejus complectitur, in editione Sirmondi epigrammate 84,* DE AMICO DEI EUSEBIO PONTIFICE.

Eusebius Ligurum successit finibus hospes,
Ignotæ tractus plebis amicitia,
Graius erat, socio Titan quos respicit ortu,
Flammigero lymphas vertice decutiens.
Mitis, compositus, largus, pius, integer, audax,
Crederet ut damnum non dare perpetuum. E
Flevit pauperiem miserans, arrisit habenti,
Gaudia cum cunctis tristitiamque gerens.
Hunc index operis locuturo nuntiat orbi.
Fama virum, gentes de statione trahens.

gesta.

4 *Ad hæc observat Sirmondus, basilicam S. Theclæ, quæ nunc, teste Bosca in Martyrologio, diruta est,* ab Eusebio post incendium renovatam fuisse, *citans epigraphen, quæ olim in dicta basilica posteris* S. Eusebii *munificentiam testabatur; erat autem ejusmodi :*

Prisca redivivis consurgunt culmina templis,
In formam rediere suam quæ flamma cremarat.
Reddidit hæc votis Christi qui templa novavit,
Eusebii, meritis noxia flamma perit.

Cultor eximius S. Laurentii :

5 *Addit demum Bosca, summa religione cultum ab* Eusebio *S. martyrem Laurentium, infra cujus octavam vita defunctus atque in ejusdem basilica Mediolani tumulatus fuerit. Ejusdem item Martyris ope dilapsum sibi a manu Crystallinum calicem, cum diaconatus munere fungeretur, integrum solidumque accepit. Factum laudat Brautius hoc disticho :*

Incautus calicem vitreum quem fregerat, orans
Restituens, sacrum rite peregit opus. F

ejus miracula

6 *Non unum istius generis miraculum in Actis nostris recurrit; neque vero animus est id in dubium revocare : mirari tamen subit, quod tanti prodigii nec verbo meminerit, qui minora laudat Ennodius. Ne plura elogia Ferrarii, Ughelli aut aliorum, quos citat laudatus Bosca, hic congeram; omnium instar erit antiqua lectio citati Breviarii, quam integram subjicio :* Eusebius Mediolani natus, ab ineunte ætate studiis pietatis imbutus, sanctæ religionis officia in omni vita mirifice coluit. Diaconus cum esset, calicem præclaro opere crystallo confectum in solemni sacri diei celebritate, cum ad altare ferret, de manibus casu delapsum comminuit. Fragmenta igitur mœrens collegit in altarique collocavit; ubi ardenti intima prece et S. Laurentii martyris patrocinio, quod lacrymarum vi implorare conabatur, calicem soli dum et integrum divinitus accepit. Cujus beneficii recordatione et pietatis religione ductus S. martyrem Laurentium præcipua veneratione patronum delegit.

et templorum restauratio.

7 Factus archiepiscopus ecclesias barbara impietate vastatas ac pollutas, eas ipse resarciendas impense curavit, et statis precibus rite consecravit : eamque ob causam consecrationis celebritatem

A tem mense Octobri Dominico die tertio solemniter agi instituit. Libros porro divinorum Officiorum belli incendio inflammatos restituit. Cleri disciplinam ad religiosos mores revocavit. Synodum provinciæ habuit in qua præter cæteros episcopos, tres interfuerunt et doctrinæ et sanctitatis nomine illustres Maximus Taurinensis, Crispinus Papiensis et Abundius Comensis. Demum ecclesia Mediolanensi pie administrata, sacrisque ritibus exornata, rerum divine gestarum, vitæque sanctissime actæ gloria nobilis obdormivit in Domino. *Brevia hæc Acta præferenda censui longiori Ripamontii historiæ tom. I, lib. 6, a pag. 413, qua mere oratorie amplificat miraculum fracti calicis, calamitates urbis, perditissimos tum populi tum Cleri mores, grassantem denique Eutychianam hæresim, quæ omnia jam satis diximus a* S. Eusebio *in integrum restituta.*

AUCTORE J. B. S.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

GRATILIANO & FELICISSIMA VIRG.

FALERIÆ IN TUSCIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B § I. Cultus e Fastis sacris, palæstra martyrii, depositio corporum; an hæc Felicissima apud Viterbienses; tempus passionis. E

FORTE SUB GALERIO MAXIMIANO. *Publica veneratio*

Publica sanctorum Christi pugilum *Graciliani seu* Gratiliani *ac* Felicissimæ *virginis veneratio habetur e variis Fastis sacris, in quibus eorum nomina commemorantur hac die : Usuardus illos ita annuntiat :* Item urbe Falari, passio Graciliani et Felicissimæ virginis, quorum ora primum pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi, optatam martyrii suscepere coronam. *Editor et illustrator nostri Martyrologii Usuardini, unde Martyres isti* in laterculum transierint, prorsus, *inquit in observationibus*, ignorare me fateor : indubitata tamen esse, ipsius Usuardi verba codicum omnium consensus apertissime evincit. *Exstat etiam eorum memoria apud Petrum de Natalibus lib. 11 cap. 130, num. 213 his verbis notata :* Gratilianus et Felicissima virgo in urbe Phalari passi sunt pridie Idus Augusti.

C *e Fastis sacris cum Martyrologio Romano.*

2 *Florarium nostrum Ms. Usuardo consonans, hæc refert :* Civitate Falare, passio sanctorum Graciliani et Felicissimæ virg., quorum ora primum fuerunt pro fide Christi contusa lapidibus; deinde gladio percussi, optatam martyrii suscepere coronam. *Adonem Laurentianum, Belinum, Grevenum, Maurolycum, Galesinium tacitus prætereo, uti et Ferrarium. Denique Martyrologium Romanum sic de illis legit :* Faleriæ in Tuscia passio sanctorum Graciliani, et Felicissimæ virginis, quorum pro fidei confessione ora lapidibus primo contusa sunt, dehinc gladio percussi, optatam martyrii palmam susceperunt. *Observa obiter, in editione Bellini anno 1498 Venetiis vulgata perperam scribi* Gratiani.

Notitia loci,

3 *Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum hac die de loco palestræ ita dissedit :* Quoniam apud Usuardum et nonnullos alios manuscr., Falari legebatur loco Feleriæ; idcirco et irrepsit error, ut Falari in Piceno legeretur : nam Falaris est civitas in Piceno jam pæne diruta, vulgo dicta Falarone. Falarienses in Piceno ponit Plinius lib. 3 cap. 13; eratque Falaris sedes episcopalis, cujus episcopus sedisse reperitur in concilio Romano sub Martino Papa. At vero non Falari, sed Faleriæ esse legendum, vetera monumenta ecclesiæ civitatis Castellanæ, ubi horum Sanctorum sacra corpora asservantur, et digno honore coluntur (posita sunt enim in ecclesia cathedrali) nos adeo certiores redideruut, ut nullus prorsus remaneat dubitandi locus. De Faleria Faliscorum meminerunt Ptolemæus, Plinius, Strabo, et alii. *Perperam ergo Galesinius in notationibus ad hanc diem* XII *Augusti, facta mentione Faleriæ, Faliscorum urbis; nec non Phalaris urbis ex Usuardo, addit :* At scripti codices nullam mentionem faciunt loci, ubi Graciliauus et Felicissima martyrium obierint. *Porro siquis distinctiorem hujus loci situm desiderat, eum sic describit Ferrarii Nova topographia in Martyrologium Romanum fol. 51 verso :* Falaris, quæ et Falaria *(vulgo)* Falare, C. *(civitas)* olim E *(episcopalis)* Hetruriæ inter Fisceniam et Viterbium, apud Ferentium urbem prorsus dirutam in Faliscorum finibus : cujus adhuc vestigia monstrantur, ædesque aliquot restant, quas agrestes homines habitant, cum adeo floruerit, ut ex primis XII Tuscorum coloniis una habita sit. *Et mox post annuntiationem nostrorum Martyrum, subdit :* Corpora Fisceniæ, seu C. Castellana, quam nonnulli esse Faleriam putant. *Adde, quæ habet fol. 52 :* Falisci populi sunt inter M. *(id est montem)* Ciminum, et Tiberim fluv., quorum oppida Faliscum, Faleria, Fescennium, et Horta. Mons vero idem qui et Soractes. *Consuli etiam potest vir Cl. et illustrissimus Justus Fontaninus in opere, quod edidit de Antiquitatibus Hortæ lib. 1, cap. 4, pag. 87.* F

cui horum Martyrum corpora

4 *Quæ modo ex Baronio, et ex Ferrarii Topographia de asservatione corporum obiter attigimus, ex laudato Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ sic confirmamus :* Corpora SS. Gratiliani et Felicissimæ in civitate Castellana Faleriæ proxima asservantur, et magno in honore habentur : ubi hæc oratio in eccles. recitatur : Sanctorum Gratiliani, et Felicissimæ, Eupli et Leuci, Domine, natalitia nobis votiva resplendeant, ut quod illis contulit gloriam sempiternam, fructu nobis devotionis accrescat. Per D. N. J. C. *Vita S. Eutitii presbyteri et Martyris apud nos ad diem* XV *Maii, pag. 460 hæc habet :* In eodem tempore B. Eutitius presbyter reversus fuerat in civitatem Ferentinam .., dum post paucos

dies

AUCTORE J. P.

dies, dixit Angelus Domini ad B. Eutitium : Surge et vade ad civitatem Faleritanam ad Sanctos Martyres Gratilianum et Felicissimam, ubi corpora eorum requiescunt in sarcophago novo, et celebra in eo loco vigilias cum hymnis, atque divina mysteria corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi : et tunc revertere ad civitatem propriam Ferentinam . . . Tunc B. Eutitius presbyter, quasi de somno evigilans, festinus perrexit ad sanctos Martyres, ubi sepulta sunt corpora eorum, et fecit ibi divina mysteria.

attribuuntur. 5 *Ex dictis sequitur, ut, si omnia simul expendas, istorum sacrorum pignorum possessio sit pro Faleritanis, atque adeo pro Castellanis, secundum ea, quæ observata jam pridem sunt apud nos loco mox hac die citatis, ubi leguntur ista :* Ferentium fuit urbs Hetruriæ olim episcopalis, ex cujus antiquis ruinis paulatim crevit Viterbium, uti jam diximus die præcedenti XIV Maii ad Vitam S. Bonificii, hujus vel alterius urbis Ferentinæ episcopi . . . Altera indicata urbs Faleria, ibidem episcopalis fuit, sed etiam excisa, et sedes ejus ecclesiæ civitatis Castellanæ unita. *Jam vero cum hæc ita sint, quid fiet Viterbiensibus, qui inventionem* S. Felicissimæ *sibi vendicant ?* B

Viterbienses quo fundamento 6 *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, die 2 Maii sic scribit :* Viterbii inventio sanctæ Felicissimæ virginis et martyris. *Ad quæ in notis,* Ex tab. ecclesiæ, *inquit,* S. Sixti Viterbii. *Ferrarium sequitur Arturus in Gynæceo suo. Splendianus Andreas Pennatius à Soriano, Protonotarius apostolicus ac vicarius generalis Balneoregiensis anno 1721 edidit libris quinque S. Eutychii Vitam, cui subjunxit Archivum sacrum, uti vocat, apologeticum; ubi postquam produxerat Acta* SS. Gratiliani et Felicissimæ, *in notis ad illa, a pag. 350 hæc observat :* Corpus S. Felicissimæ fuisse inventum Viterbii, habent notæ marginales manuscriptæ charactere antiquo in Martyrologio Romano typis Basianis Romæ anno MDLXXXIII, penes me. Ad diem 2 Maii pag. 99 ita exaratur : Viterbii in ecclesia S. Sixti inventio corporis S. Felicissimæ virg. et mart. Ad diem vero XII Augusti pag. 190 : Faleriæ in Tuscia natale S. Felicissimæ virg. et mart., quæ sub Diocletiano imperatore passa est, cujus corpus in ecclesia S. Sixti Viterbiensi requiescit. . . Ad diem autem II Septembris pag. 210 : Viterbii translatio corporis B. Felicissimæ virg. et mart., cujus sacrum corpus una cum beatis ossibus episcoporum Magni Tranensis, et Bonifacii Ferentini in ecclesia S. Sixti reconditum est. *Et mox,* Hæ notæ, *inquit laudatus auctor,* in choro a canonicis hujus ecclesiæ collegiatæ S. Sixti ad præsens quoque recitantur. C

inventionem S. Felicissimæ 7 Quomodo vero dicantur a Ferrario, et ab aliis corpora SS. Gratiliani et Felicissimæ requiescere Fescenniæ seu in civitate Castellana, facile occurrit responsum. Cum enim funditus fuisset eversa Faleria, partem corporis S. Felicissimæ creditu facile est fuisse translatam Ferentum vel Viterbium finitimum, ad quod reliquiæ omnes Ferenti in illius excidio fuerunt deportatæ, ut diximus lib. 1, cap. 4, num. 1 Vitæ S. Eutychii. *Ita Pennatius pro Viterbiensibus. At contra objici potest 1° Notationes illæ marginales in Martyrologio Romano, anno 1583 typis edito,* manuscriptæ charactere, *uti dicebat laudatus Vir,* antiquo, *majorem non habent antiquitatem quam seculi* XVI, *vi scriptionis ut sic, tametsi supponi possit, traditionem ante illud tempus fuisse apud Viterbienses de possessione sacri depositi hic controversi; ac proin e documento ad rem satis accommodato non conficitur id, quod ipsi volunt. 2°* Illud Pennatii creditu facile est etc. *conjecturæ terminos non excedit. 3° Dum partem coporis concedit Viterbiensibus, ac partem Castellanis relinquit; ibidem non addit, sacra ea pignora vel a se vel ab alio fuisse inspecta; lateique nos, an partem dicti corporis, an totum corpus utrique competitores sibi adscribant : de qua re viderint illi, quibus sacra illa lipsana inspiciendi facultas datur.* D

sibi adscribant. 8 *4° Cum antiquior atque adeo potior sit possessio, secundum dicta superiora, penes Castellanos, quam penes Viterbienses, ex his illi quærere poterunt, quomodo probent, sacras exuvias, quarum depositionem hodie recolunt, esse hodiernæ* S. Felicissimæ virg. et mart., *quæ* S. Gratiliano *fuerit in martyrio socia, et non alterius, sub isto nomine e catacumbis Romanis aliove loco extractæ? Præterquam enim quod nulla in citatis nostis Mss. societatis istius fit mentio, dicitur præterea in illis, quod Felicissima, de qua agunt,* sub Diocletiano imperatore passa sit; *hodierna vero sub Maximiano Galerio, uti censet ipse Pennatius, et jamjam videbitur; ubi Pennatii etiam explicatio expendetur. Atque hæ quidem sunt difficultates, quas Viterbiensibus solvendas proponimus; ita tamen, ut eos nolimus deturbare e qualicunque sui sacri pignoris possessione, quam bona fide habere se censent. Vellemus tamen, ut ea nobis in promptu essent documenta, quæ* Felicissimæ *hodiernæ exuvias apud ipsos esse, solide comprobarent; quia vero iis etiam destituimur rationibus, quæ dictam possessionem evertant; neutiquam stabit per nos, quin pie ac religiose venerari pergant sacrum illud pignus, quod habere se asserunt, Viterbienses, uti et Castellani; quibus ambobus causam hanc dirimendam relinquimus. Tamayus hac die* XII *Augusti consueta sua et exotica libertate usus, sanctos nostros Pugiles in Hispaniam trahit, eorumque originem uti et passionem Salariæ adscribit Lusitaniæ urbi, addens illorum* corpora forte excidio Saracenico in Italiam delata, in ecclesia Castellana Tusciæ honorifice requiescere. *Sed hujusmodi sordes ex fœtenti illa, et nullo satis labore, Augiæ adinstar stabuli, repurganda cloaca pseudo-Dextri et asseclarum ejus haustas, procul amandamus more nostro.* E F

Sub quo imperatore 9 *In figendo tempore, quo Pugiles nostri coronam martyrii, obtinuere, difficultates non leves se offerunt. S. Eutitius baptismum contulit* S. Gratiliano; *hic autem* S. Felicissimæ, *ex eorum Actis, atque adeo ad idem persecutionis tempus referri debet istorum trium certamen, cum anno quarto Claudii imperatoris rem gestam fuisse, indidem habeamus; sed perperam.* Quod de primo, *inquit noster Henschenius in Commentario ad Vitam S. Eutitii die* XV *Maii pag. 458 et seq.,* hujus nominis imperatore intellectum, notaret annum Christianæ æræ XLIV. Sed hic persecutionem Christianis non indixit, solumque Judæos ab Urbe expulit. Sin autem intelligas nominis istius secundum, habebis quidem persecutionis alicujus tempus cœptæ anno CCLXIX; sed annum quartum imperii nullum invenies : quia tyrannus iste non multo plus quam biennio regnavit, peste exstinctus anno CCLXX, et frater ejus atque successor declaratur Quintillus decimo septimo post die occisus est a militibus, evectusque Aurelianus, qui anno CCLXXII, novis edictis publicatis, persecutionem resuscitavit, ejus morte rursus consopitam

A anno CCLXXV. Potuit Claudii istius et Aureliani persecutio gemina in unam fuisse confusa, eoque deceptus auctor Actorum, Claudium scripsisse, ubi scribendus fuerat Aurelianus.

Martyres nostri sint passi.

10. Interim Claudium etiam nominat Legenda S. Eutitii . . . Additur autem memoria SS. Valentini presbyteri, et Hilarii diaconi, tanquam simul cum SS. Eutitio, Felicissima, et Gratiliano coronatorum. Atqui istorum passio danda die III Novembris, pro Claudio nominat Maximianum, qui non nisi decimo sexto post Claudii mortem anno regnare cœpit. Si ergo, his patientibus, in vivis adhuc erat Eutitius, idem non alius, de quo hic agimus, non solum non est is sub Claudio, sed neque sub Aureliano coronatus. Notavit hoc Doctor Tullius Cima, is qui anno MDCXLV Soriani pro Duce Altaemptio gubernator, prædictam Legendam ex Latina fecit Italicam, et deinde anno MDCLVIII Roncilione in patria sua curavit excudendam: ubi Latinum contextum fere reddens verbotenus, loco Claudii substituit Diocletianum et Maximianum imperatores: quod profecto longe convenientius est, quam duos pro uno Eutitios substituere, quorum alter in Actis SS. Gratiliani et Felicissimæ; B alter in passione SS. Valentini et Hilarii commemoretur. *Ita jam pridem in rem nostram censuit Henschenius. Verum alius auctor neotericus præ aliis imperatoribus loco Claudii, quem expungit in Actis nostrorum Martyrum, substituit Maximianum Galerium Armentarium, non Herculium, qui supra indicabatur: de qua re acturi sumus paragrapho sequente.*

§ II. Reliqua circa tempus martyrii expensa; conversio parentum S. Gratiliani; Actorum exemplaria et valor.

Aliæ temporis notæ

Splendianus Andreas Pennatius a Soriano supra laudatus, inter alias, quas publici juris fecit, de Sanctis lucubrationes, anno 1721 typis edidit Vitam S. Eutichii, sacerdotis ac martyris, Eminentissimo D. Annibali Albano inscriptam; cui pag. 166 subditur Prospectus archivi sacri, C *in pluteos quinque distributus. Pluteo autem secundo pag. 234 et sequentibus proponitur controversia, sub quo imperatore passus sit sanctus ille Eutychius; sed quæ ibidem diffuse ac operose congerit laudatus auctor, nos ad pauciora contrahimus, atque in hæc puncta dividimus 1° Sanctos Martyres Eutychium, Valentinum et Hilarium,* Gracilianum *ac* Felicissimam *simul passos esse affirmat ex verbis Actorum S. Eutychii, quæ ob concordiam manuscriptorum pro genuinis apud ipsum, sed apud nos tom.* III *Maii, pag. 461 pro intrusis habentur. 2° Tanquam certum statuit, adverbium* simul *non esse intelligendum, quod eodem die, loco et anno martyrium confecerint; sed sub eadem decima persecutione. 3° Pro certo habet, SS. Valentinum et Hilarium martyrio coronatos sub C. Galerio Maximiano Armentario anno Domini 306, ex Actis eorum quæ citat, ac lectionibus. 4° Affirmat martyrium S. Eutychii poni sub Claudio in Actis ejus, quæ profert, uti et in Actis* SS. Graciliani *ac* Felicissimæ. *5° Tricas hasce, quæ e discrepantia imperatoris oriuntur, expedire conatus Pennatius, octo recenset conditiones, quæ convenire debeant tyranno, sub quo Martyres in Actis S. Eutychii enumerati, agonem suum consummarint: quasi ubi aliis omnibus illis imperatoribus, quos in medium producit, abjudicavit, convenire ea C. Galerio Maximiano Armentario asserit, ac pluribus rem extrahit, uti apud ipsum datur videre, ac anno 306 secundum Baronium, vel 307 in sententia Pagii, cum quarto anno decimæ Christianorum persecutionis concurrentibus intexit.*

AUCTORE J. P.

circa eorum martyrium expenduntur.

12 Pag. 244 laudatus auctor in subsidium advocat Papebrochium in Annotatis ad Acta S. Secundi die 1 Junii, tom. 1 ejusdem mensis pag. 54. His præmissis cap. 3 pag. 245 quærit causam, cur Claudii nomen in Actis SS. Eutychii, Gratiliani *ac* Felicissimæ *exaratum sit; additque, ac plurimorum exemplorum appositione ostendit variationem in nomine hujusmodi tyrannorum hisce Actis non esse singularem, sed pluribus aliis communem; ubi pag. 246 tractat diffuse de causis sphalmatum, quæ in lucubrationum exemplaria irrepserunt. Denique pag. 249 fatetur Pennatius nomem Claudii in Actis SS. martyrum Eutichii,* Graciliani ac Felicissimæ esse amanuensium sphalma. *Sententiæ Pennati nos fere suffragaremur, si vera esse constaret in hoc puncto chronologico Acta sanctorum Valentini et Hilarii. Habeamus ea interim in illo pro veris, donec probentur in eo falsa; eorum discussionem remittentes ad diem 3 Novembris quo Sancti isti notantur in Martyrologio Romano. Dicebam* fere; *quia tunc etiamnum superest quæstio circa verba illa Actorum S.* E *Eutychii, quæ quinque Martyres supra dictos simul passos indicant, ut paulo ante notavimus. Verba autem illa sic habent:* Passio Sanctorum, qui simul sunt coronati, Eutychius presbyter, Valentinus presbyter, Hilarius diaconus, Gratilianus et sancta Felicissima. *Pennatius pag. 235.* Hanc *ait*, periodum constantissime retinent omnia manuscripta Actorum danda tertio Pluteo; IDEOQUE nihil penitus nobis refragatur annotatum in hæc Acta ab Henschenio *loco supra citato.* Excusandus tamen; non enim V. C. animadvertere potuit tot manuscriptorum concordiam, quæ ipsum latuerunt; et, si vidisset, nunquam ita annotasset. *Sed ex illa Actorum concordia nihil confici videtur. Sicut enim concordia Actorum falsa est in positione falsi imperatoris Claudii de quo supra; quippe ni concordare etiam possint in periodo illa intrusa. Quod itaque ea genuina esset et non intrusa; non ex sola concordia, sed aliunde probandum erat Pennatio. Sicut enim sæpe datur in Actis Sanctorum concors veritas, et concors falsitas; sic etiam concors dari potest intrusio. Non itaque quia plura Actorum manuscripta sunt concordia,* ideo *sunt genuina. Quoniam tamen periodus illa, quanquam jam pridem apud nos habita fuerit tanquam instrusa, vera esse potest, ideo* SS. Gratilianus *ac* Felicissima *martyrii laurea coronati forte sint sub C. Galerio Maximiano Armentario, secundum ea, quæ supra diximus ex Pennatio.* F

Parentum S. Gratiliani conversio confirmatur.

13 *Quæ de parentum* S. Graciliani *conversione obiter tangit Actorum scriptor apud nos num. 11; passio S. Eutitii loco citato confirmat his verbis:* Venientes parentes B. Gratiliani, miserunt se ad pedes B. Eutitii dicentes: Gratias agimus tibi, pater sancte, quia per tuam prædicationem lucratus est Dominus Deus noster Jesus Christus filium nostrum Gratilianum, et nos cum ipso insimul. Tunc B. Eutitius monuit eos de fide et doctrina Domini nostri Jesu Christi; et eadem hora discessit, et reversus est ad propriam civita-

AUCTORE J. P.

civitatem Ferentianam *Hac occasione observamus, patrem Martyris* Maximum *dici in Ms. Olivetano, de quo mox agetur; in Castellano autem* Maximianus. *Hæc sunt, de quibus præmonendum censuimus lectorem : reliqua reservamus pro Annotatis ad Acta; de quorum exemplaribus hæc subdimus.*

Notitia exemplarium Actorum

14 *Unum habemus, quod sic prænotatur :* Felicissimæ et Gratiliani Mart. ex Ms. Leg. vet., quod est apud Olivetanos Neapoli, collatum cum Ms.-Castellano, ubi corpora sunt *Exscripsit illud Papebrochius; variantes autem lectiones ei adnotavit Henschenius. Alterum nostrum exemplar* ex Ms. Maximini Treveris *exceptum indicatur, et notatur hoc titulo :* Passio S. Gracilliani martyris. *Duobus hisce accedit tertium* ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, *quod prænotatur* Martyrium SS. Graciliani et Felicis *pro* Felicissimæ. *Pennatius supra laudatus ea, quæ pluteo 3 pag. 341 :* Exemplata hæc sunt Acta a quodam codice manuscripto in folio majori sive Augusteo et pergameneo grandiusculis characteribus exarato, in quo alia quoque sanctorum Martyrum exa- B rantur Acta, qui ad præsens magna veneratione in larariis asservatur ecclesiæ cathedralis civitatis Castellanæ, in qua corpora prædictorum sanctorum Martyrum sunt condita. Habuit hæc Acta Baronius, et Ferrarius, quæ inter Mss. Thesei Pennatii patris mei adinveni; sed ad oram mutilata, nunc vero integra, et cum suo archetypo conlata ope illustrissimi præsulis illius ecclesiæ. *Eorum contextum editor notis etiam bene multis illustravit. Actorum compendium exstat apud Ferrarium hac die* XII *Augusti.*

et eorum valor.

15 *Apographum Ultrajectinum brevius est, quam alia; quæ conveniunt in substantia. Variantes porro lectiones omnes notare supersedebimus, nonnullas ex iis, videbitur, assignasse contenti. Pennatianum vero tametsi jam legi excusum possit, hic tamen recudemus; aliis autem non omnino neglectis pro Annotatis. Circa eorum valorem observamus sequentia. Tametsi Acta illa non traducimus tanquam falsa, viris tamen hujusmodi rerum gnaris nonnulla ex eis puncta proponimus, requirentes illorum judicium, utrum totus Actorum contextus tanquam ex genuino* C *ac primigenio eorum fonte haustus fuerit. 1° Occurrit apud nos infra num. 1. Claudius, de quo dictum plus satis. 2° Epistola Comitis ad imperatorem, hujusque ad illum responsoria, num. 5. Denique. 3° Comitis ejusdem supplicium, num. 13.*

ACTA

Ex editione Splendiani Andreæ Pennatii cum aliis exemplaribus Mss. a nobis collata.

S. Gratilianus persecutione imperterritus. *a*

In eo tempore, quo Claudius *a* Cæsar per omnem orbem terrarum, qui erat subjugatus ejus imperio, quarto anno imperii sui edictum proposuit, ut ubicunque fuissent Galilæi inventi, sine auditione punirentur. Hanc vero calamitatem intrepido animo, in Domino Jesu Christo sperans Gratilianus *, non trepidavit, sed constanter in Christi nomine passionem excepit. Quo ita facto, D dum fuisset parentibus suis unicus, curam magnam parentes filio impendebant. Factus est vero juvenis intimatus doctrina Christi, et accepit Evangeliorum librum, et legit in eo loco, ubi Christus dicit : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et : Qui amat patrem, aut matrem, sive fratrem plusquam me, non est me dignus.

* al. Gracilianus

a S. Eutychio baptizatur, et synaxi reficitur. *b*

2 Dum hoc legisset B. Gratilianus ambulavit ad beatum Eutychium *b* presbyterum, et dixit ei : Conjuro te per Christum, quem tu prædicas, ut dicas mihi qualem acquisitionem a Christo acquirant qui et eum confessi fuerint, et crediderint ei. Respondit autem Eutychius presbyter, dicens : Quicunque crediderint Christo, habebunt vitam æternam, et remissionem peccatorum. Tum dicit ei Gratilianus : Per lectiones Evangeliorum divinas te conjuro, ut non tardes mihi fidem Christi demonstrare et baptizare me. Et fecit eum catechumenum : et post triduum baptizavit eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : et indutus est vestimentis albis, [et] celebraverunt mysteria *c* Christi. Depositis vero albis suis participati sunt Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu E Christi. *c*

Redit deinde ad parentes, ob suam conversionem dolentes *d*

3. Reversus vero ad parentes suos dixit eis : Ut cognoscatis, quia Christianus sum, et in Dominum Jesum Christum confido, nunquam immolabo diis vestris. Tunc parentes ejus dixerunt ei : Non nos despicias; fili, neque florem juventutis tuæ amittas : quoniam si hoc audierit Comes *d* Trason : *, diversis pœnis te affliget. Dicit eis Gratilianus : Per Christum filium Dei quia nunquam pertimesco terrores vestros, ego enim spero in quem speraverunt tres Pueri Hebræi : quia ipse me liberabit de omnibus inimicis meis : et viam veritatis me docuit. Dicit ei Maximianus pater ejus : Quid est veritas? Respondit sanctus Gratilianus, et ait : Dominus Jesus Christus ipse est veritas, et lumen, quia ipse sic prædicavit : Ego sum via, veritas, et vita : qui credit in me non morietur in æternum. Tunc dicit pater ejus : Sacrifica diis magnis, et esto filius noster. Mater vero ejus lugebat filium suum, dicens : Heu me, quomodo me deseruisti fili, et florem tuæ juventutis amittis, et viscerum meorum orbitatem, proclamans pectore! Et afflictus pater, et mater lugebant quotidie filium suum.

* al. Thraon

Capitur, et constantia ejus frustra impetitur a Trasone comite : *e* *f*

F 4 Interim hoc audiens Comes civitatis Falaritanæ *e*, nomine Trason, misit suos apparitores, et tenuerunt eum. Cumque adductus fuisset ante Comitem, arripuit Comes hos sermones, dicens : Cur, stultissime, religionis lustratus es *f* Christianorum magorum, ut audio, et tu magus effectus es? Dicit ei Gratilianus : Ego non stultitiæ credidi, sed veritati, quia Christus veritas est : et quicunque ei crediderit, non morietur in æternum : et quicunque non crediderint Christo, supplicium æternum suscipient. Dicit et Comes : Deliras, Gratiliane, quia stulte loqueris : sacrifica Deo magno Apollini, et redde te parentibus tuis : quia amicus noster est genitor tuus, et reddas te natalibus tuis, et non perdas florem juventutis tuæ. Dicit ei Gratilianus : Ego quidem Christianus sum, et in timore ejus permaneo : et nunquam me seducent blandimenta vestra : et a Christi amore non discedam, sed ei confiteor die noctuque.

hujus ad Cæsarem litteræ, ac Cæsaris responsum. *g*

5 Tunc Comes, ut vidit ejus constantiam jussit eum recludi in carcerem privatam *. At misit Trason Comes relationem Claudio Cæsari per scripta sua *g*, injungens ei : quod quidem Maximianus

A nus habet filium in civitate vestra servilem *h* Fa-
lari unicum viscerum suorum nomine Gratilianum
primæ juventutis florentem, et detentus est apud
nos Christianus. Quod jubeat clementia vestra de
eo. Et rescripsit ei Claudius Cæsar, dicens : Omnium bonorum dignus est Trason Comes noster. Claudius invictissimus Augustus diligentissime, et bene a nobis jussa nostra custodiens præponentes secundum edictum nostrum *i*. Si autem non sacrificaverit diis magnis, diversis eum pœnis examina, et morti trade : si autem consenserit cæremoniis nostris, huc eum nobis dirige, et ego illum faciam unum a latere meo. Bene vale, carissime Trason.

*an. privatim vel privatum?

Alapis cæditur, ac carceri mancipatus,

6 Dum legisset Trason comes jussionem Claudii Cæsaris, jussit sibi præsentari Gratilianum : cumque adductus fuisset ante Comitem B. Gratilianus, dicit ei Comes : Ecce quam relationem misi de te Claudio principi : et hoc mihi dignatus est scribere, ut diis magnis sacrifices : si autem non sacrificaveris, morti traderis. Respondens B. Gratilianus dicit : Sacrificent eis qui sunt eorum, et qui suas animas dederunt diabolo cum diis vestris. Tunc vidit Comes quia non consentiebat ei

B ad sacrificandum ; jussit eum alapis cædi, dicens ei : Jussa principum noli contemnere : et jussit eum detrudi in carcerem usque dum pertractaret de eo, qua morte puniret. Parentibus vero ejus nulla consolatio penitus dabatur; sed lugebant quotidianis diebus filium suum.

mirabilia in eo operatur.

7 Dum esset B. Gratilianus in carcere, magna mirabilia faciebat; cæcos illuminabat, et paralyticos curabat : etiam et mortuos in nomine Domini Jesu Christi suscitabat. Audiens vero quædam mulier vidua nomine Fortunata de opinione S. Gratiliani, quia multa mirabilia faciebat positus in custodia : hæc habuit filiam unicam : erat enim oculis corporeis obcæcata, pulchra nimis et decora facie, virgo prudentissima, et Domino dilecta; venit noctu ad B. Gratilianum in custodia cum filia sua nomine Felicissima virgine Domino devota : rogare cœpit eum, ut dignaretur manus suas ponere super oculos ejus, ut per virtutem Christi et ejus orationem, Christus eam illuminaret. Tunc dicit ad eam B. Gratilianus : Si credideris ex toto corde tuo, modo illuminaberis : non solum quia illuminabuntur oculi cor-

C poris tui, verum etiam cordis et animæ simul Christus illuminabit. Dicit ei Fortunata : Si non voluissem eam illuminatam videre, non eam ad te duxissem : sed ut eam illuminaveris, mox credet in Christo.

Felicissimæ visum reddit, ac baptismum confert;

8 Et posuit manum suam super oculos ejus orans et flens, dicens : Illuminet te Christus filius Dei vivi, qui illuminavit cæcum, et fecit lutum ex sputo suo : ipse te illuminet in corpore et anima, ut credas quia non est alius Dominus, nisi Christus filius Dei vivi. Et fecit ei signum crucis in oculos ejus, et statim aperti sunt oculi ejus, et vidit lumen cœli, et faciem S. Gratiliani : et rogavit eum S. Felicissima, dicens : Per Christum te conjuro, quem tu prædicas, famule Dei Gratiliane, ut modo facias mecum misericordiam, et mihi ostendas sequi Christum. Tunc dicit ei B. Gratilianus : Ego quidem ostendo tibi, soror mea, viam Christi. Et tunc obtulit ei B. Felicissima urceum cum aqua per *k* illuminationem suam : et baptizavit eam, astante matre sua. Et dicit ei B. Gratilianus : Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et dum baptizata esset, agens * gratias Deo et B. Gratiliano, qui eam illuminavit per Christi virtutem. Dicit ei B. Gratilianus : Ambulate ad B. Eutychium presbyterum, et ipse vos linibit chrismate salutis, ut perfectam cognoscatis viam Christi.

* egit

EX EDITIS.

qua item ungit chrismate, uti et matrem ejus.

9 Ambulantes vero ad B. Eutychium presbyterum miserunt se ad pedes ejus, dicentes : Per Christum te conjuramus, quem cognovimus per famulum ejus Gratilianum, ut non tardes nos linire chrismate salutis : quia ipse nos huc ad vos direxit. Et linivit, et consignavit eam chrismate salutis : et docebat eam, ut Christum diligeret. Dicit autem Fortunata beato Eutychio : Ego vadam, et revertar ad vos, ut ego cognoscam Christum.

SS. Gratilianus ac Felicissima in carcere versantur;

10 Cucurrerunt autem carcerarii ad Comitem, et nuntiaverunt ei, dicens * omnia quæcunque audierant, et viderant facta a B. Gratiliano. Et dicit eis Comes : Ite, et comprehendite eos, sicut potestis. Tulit ergo carcerarius de officio Comitis viros, et ambulaverunt, ubi erat B. Felicissima. Cumque venissent ad domum B. Eutychii, ingressi sunt, et apprehenderunt eam; beatus autem Eutychius exsilivit de manibus eorum, et timens fuga lapsus est : et duxerunt eam ad carcerem, ubi erat S. Gratilianus inclusus.

* dicentes

E

deinde ad tribunal deducti, capitis sententia mulctantur.

11 Alia vero die sedit pro tribunali in foro, et jussit eos vinctos adduci. Adducti vero cum fuissent ante Comitem, dixit Comes B. Gratiliano : Ubi didicisti ista maleficia, ut seducas homines per maleficia tua? Respondit autem S. Gratilianus, et dixit ei : Ista non sunt maleficia, sed sunt beneficia Christi, qui me non permittit vinci a diabolo patre tuo. Et dicit ei B. Felicissima : Quid te coarctat diabolus in servos Dei ista exercere? Tunc jussit ut cum lapidibus os ejus tunderetur. Et iratus jussit eos foras portas civitatis decapitari, non longe ab urbe Falaris juxta rivum *l*. Cumque ducti fuissent S. Gratilianus et S. Felicissima oraverunt, dicentes : Dominus omnium rerum visibilium et invisibilium, qui misisti unicum Filium tuum, ut nos redimeret a peccatis nostris, Dominum nostrum Jesum Christum, dignare modo mittere sanctum Angelum tuum, qui suscipiat in pace animas nostras, et ad tuum conspectum jubeas astare, qui es benedictus in secula seculorum. Amen. Et extensis cervicibus suis statim decapitati sunt a spiculatoribus diaboli B. Gratilianus et B. Felicissima. Factus est vero, ut

F decollaverunt eos, sanguis qui egressus est de corpore B. Gratiliani albus, sicut nix. Parentes vero ejus lugebant quotidianis diebus Filium suum : et auferentes corpora eorum sepelierunt ea in agro B. Gratiliani, quem emit pater suus ad nomen ejus, pridie Idus Augusti, in loco qui appellatur Maulanus *m*.

Apparitio eorum.

12 Et lamentum magnum habebant parentes sui, et lugebant quotidianis diebus filios suos. Et post triduum venit improviso silentio noctis cum beata Felicissima beatus Gratilianus, et duo juvenes cum eis induti vestimentis albis, ad parentes B. Gratiliani, dicens eis : Videte me filium vestrum sanum esse per virtutem D. N. Jesu Christi, non quasi mortuos nos lugeatis; quia in choro sanctorum Apostolorum, et Martyrum sumus conjuncti : et soror mea Felicissima cum regina Matre D. N. Jesu Christi permanet. Et annuntio vobis pacem; quæ data *n* est Ecclesiæ Dei : et in isto mense interficietur Trason inimicus Christianorum, et a Claudio occidetur, morti tradetur a Cæsare. Non me lugeatis quasi mortuum parentes mei, *sed credite in Domino Jesu Christo*, qui vobis potest donare remissionem omnium peccatorum vestrorum, et vitam præstare æternam

Ex edit. Thrasonis supplicium, S. Gratiliani parentum conversio ad fidem.

nam in secula. Ablati sunt ab oculis eorum.

13 Post diem tertiam misit tribunum Eleutherium nomine Claudius Cæsar, et vinctum Comitem Trasonem perduxit ante Claudium Cæsarem, eo quod deprædatus fuisset provinciam, et civitatem: et jussit eum ligari ad caudam equorum indomitorum, et sic est interemptus, ut partes carnium ejus per loca plura dispersæ permanerent. Et sic D. N. Jesus Christus defendit suos Martyres, qui pro ejus nomine passi sunt. Parentes vero ejus dum vidissent, quia completum fuerat id, quod filius suus in visione dixerat, crediderunt Christo, et intimati sunt doctrina Christi: non habuerunt aliquam tristitiam de Filio suo, quia cum Christo gaudentem susceperunt, qui vivit et regnat cum Patre, et Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Huic substituendus alius, forte Maximianus Galerius Armentarius, ex Commentario prævio.* B

b *Al.* Eutitium; *in Ms. Ultrajectino* Euticium: *minus recte in Sanmaximiano Trevirensi* Euthicium. *Pennatius pag. 341 monet, quod in Actis, quæ ex ipso damus, scribatur* Euticius. *Porro de Eutychii etymo agit in vita ejus Italica lib.* 1, *cap. 5, pag. 47.* Eutychius *etiam scribitur in nostro apographo Olivetano.*

c Sanctus igitur Eutychius, *prout observat hic Pennatius in notis pag. 352*, post baptismum cum induisset vestimentis albis S. Gratilianum, Missæ Sacrificium immolavit, illique præbuit sacram Communionem, ut antiquitus mos erat. *Plura ibidem.*

d *Si quis de* Comitum *origine seu antiquitate, diversis eorum ordinibus etc. plura desiderat; adeat auctores, quos occasione S. Josephi Comitis citavi tom. V Julii, die 22, pag. 242: nec non Pennatium Pluteo primo cap. 2, pag. 213 et seqq.*

e *Seu potius* Faleriensi, *vel* Faleritanæ. *Vide Commentarium prævium num. 3.*

f *Pennatius hoc format a verbo deponente* lustror, *quod idem ac* scortor; *ut sensus ipsi videatur esse:* Cur, stultissime, religionis Christianorum magorum conventicula lustratus es; id est, inter Christianorum magorum cœtus annumeratus, ut inter lupanaria? *Olivetanum apographum sic legit:* Cur stulte credens religioni Christianorum magorum illusus es? D

g Per epistolam, *inquit Pennatius in notis*, cum ageretur de nobili juvene. *Exemplum hujusmodi allegat ex Actis S. Julianæ, apud nos tom. II Februarii, ad diem 16, pag. 877; et pag. 881. Sed consule quæ superius sunt dicta sub finem nostri Commentarii.*

h *Ita eum vocat, non ob natales, secundum Acta; verum ex contemptu; sed falso: nam servum esse Christi, seu servire Deo, regnare est. Plura hic Pennatius pag. 355.*

i *Periodum hanc mutilam et implexam sic restituendam censet Pennatius:* Nos Claudius invictissimus Augustus præponentes secundum edictum nostrum, ut bene a nobis *(supple* imperatum est) jussa nostra custodias *(supple* mandamus) *Ms. nostrum Trevirense supplementis hisce non indiget, sed per se satis clarum est, dum sic dicit:* Inveni causam diligentissime, et bene jussa nostra custodi: ideoque secundum edictum nostrum si non sacrificaverit *etc.* E

k *Id est* ob baptismum, *qui antonomastice veteri more ac mystico* φωτισμὸς *Græce, illuminatio Latine dicitur. Exempla dat Pennatius pag. 356.*

l *Decollatos esse inter Faleriam, et civitatem Castellanam, observat idem auctor, citans Antonium de Effectibus in S. Nonnoso par.* I *cap. 6 pag. 63, vers.* 1; juxta rivum, cujus, *uti addit*, nomen, etsi præviis diligentiis, latet.

m *Ms. Trev.* Macelinum. *Pennatius,* Hodiedum quomodo appelletur, præterit, *inquit*, licet impense simus sciscitati.

n *Imo vero* danda *non* data: *quod utique postea accidit sub Constantino magno, anno 312 ab eo in Ecclesiæ favorem edito decreto. Ast vitio amanuensis id imputari hic facilius potest, quam in Mss. Trevirensi ac Olivetano quæ habent:* In præsenti mense pax data est Ecclesiæ Dei.

C

DE SS. SERGIO & STEPHANO MM.

F

Cultus ex Fastis Græcis.

J. P. Die XII Augusti. Menæa magna typis edita celebrant eos hac die;

Duos hosce sanctos Martyres damus hac *die* XII *Augusti, qua eos signant Menæa magna Græcorum excusa, in quibus illa dicuntur:* Eadem die SS. Sergius et Stephanus in pace consummantur, *appositis duobus versiculis:*

Ἴσων ἱδρώτων Σεργίῳ καὶ Στεφάνῳ,
Ἴσοι στέφανοι· καὶ γὰρ οὕτω τὸ πρέπον.

Pares labores Sergio ac Stephano, pares
Manent coronæ. Quippe sic prorsus decet.

Alludit poëta ad nomen proprium Stephani, *et appellativum* στέφανος, *quod coronam significat.*

sequenti autem alibi memorantur.

2 *Damus, inquam, eos hac die cum dictis Menæis, quanquam alibi occurrant die* XIII *hujus. Nam in Supplemento nostro Sirmondo-Chiffletiano ad eadem Menæa, tunc ita annuntiantur:* Τῇ αὐτῇ ἡμ. οἱ ὅσιοι Σέργιος καὶ Στέφανος εἰς τὸν μόλον ἐμβληθέντες τελ. *Pro* τὸν μόλον *forte legendum* τὸν μύλον, *id est,* molam, *vel* τὸ μύλον, *id est,* pistrinam *seu* moletrinam; *atque adeo allatam annuntiationem sic interpretor:* Eadem die sancti Sergius et Stephanus in pistrinum injecti consummantur. *Ibidem apponuntur duo versus superiores, sed cum modica unius vocis transpositione. Dixi* forte *sic legendum: nam* μόλος *significat Græco-barbaro portum, molem, seu aggerem in mare procurrentem, quo portus munitur et cingitur, teste Cangio in Glossario Græco-barbaro. Menæum Chiffletii eadem die* XIII *illos sic ponit:* Σέργιος καὶ Στέφανος μμ. Sergius ac Stephanus martyres. *In apographis nostris Græcis, quæ excerpta sunt e Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ, ista die substituitur* Bacchus *loco* Stephani: *sic enim ibidem lego:* Τῶν ὁσίων Σεργίου καὶ Βάκχου. Sanctorum Sergii et Bacchi. *Plura, quæ addam de tempore, vita ac loco Martyrii, in promptu non habeo. Nec mihi est exploratum, an citata ecgrapha Ambrosiana voluerint obiter indicare* Sergium et Bacchum, *de quibus Menæa magna uti et Martyrologium Romanum agunt die* VII *Octobris.*

DE SS. PAMPHILO & CAPITONE MM.

Cultus e Fastis Græcis. J. P.

DIE XII AUG.

Binos hosce Martyres suggerunt nobis Menæa magna Græcorum excusa, ac Menologium, quod Latine reddidit Cardinalis Sirletus. Hoc ita illos annuntiat : Eodem die (XII *Augusti*) sancti martyres Pamphilus et Capito martyrium pro Christo passi sunt. *Illa vero ad eumdem diem ipsos referunt, ac martyrii genus exprimunt, quod gladio consummasse ibidem leguntur. Versiculi, quibus eorum triumphum prosequuntur dicta Menæa ac Supplementum mox citandum, ita e Græco sonant Latine :*

Οἱ κείμενοι γῇ καὶ λύθρῳ πεφυρμένοι
Ξίφος μετῆλθον Πάμφιλος καὶ Καπίτων.
Hi qui subacti sanguine ac terra jacent,
Capito feroci et Pamphilus ferro cadunt.

Nec plura in promptu sunt, quæ his addam; observa tamen, quod postquam eos die XIII *hujus dedisset, ac gladio peremptos annuntiasset nostrum supplementum Ms. Sirmondo-Chiffletianum ad Menæa excusa, adjungat,* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας Εὐφημίας, *Id est :* Celebratur autem eorum solemnitas in æde sacra S. Euphemiæ. *Quænam vero e variis ædibus synonymis, quas notat Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ pag. 145 et 146, hic intelligatur, colligo edicto supplemento, quod e Sirmondi exemplari addit* ἐν τοῖς Ὀλυμβρίου, *de qua æde,* τὰ Ὀλυμβρίου, *seu Olybrii dicta, agit idem auctor pag. 146. Cæterum in apographis nostris Græcis e bibliotheca Ambrosiana hosce Martyres etiam invenio notatos die* XIII *Augusti.*

DE S. HERCULANO EPISC. CONF.

BRIXIÆ IN ITALIA.

J. B. S.

SEC. VI. *Aliunde quam ex Martiis cognitus.*

Quemadmodum jam notavimus, S. Eusebium ex Tabulis ecclesiæ Mediolanensis Martyrologio Romano primum insertum, id etiam hic de S. Herculano *dicendum est, utpote qui in nullis nostris classicis Martyrologiis cognitus sit, suggestus haud dubie a Galesinio, cui jam dictæ tabulæ præluxerint. Sic ab ipso hoc die annuntiatur :* Brixiæ, S. Herculani episcopi et confessoris, magna miraculorum laude clari. *Paulo plura complectitur ipsum Brixiense Martyrologium his verbis :* Brixiæ S. Herculani episcopi, in ecclesia Materni oppidi Benacensis, cujus tanta fuit sanctitas, ut suis precibus mortuos ad vitam revocaret, multisque aliis floreret prodigiis. Sed sanctis operibus cumulatus migravit ad Christum, et omnis Repeeriæ Benacensis *(intellige ad lacum hodie* di Garda) Tutelaris delectus est. *Citat Bernardinus Faynus in notatione, Breviaria antiqua et Episcoporum Brixiensium Catalogos, præter scriptores alios recentiores quorum hic ratio habenda non est, minima sanæ Vitæ istius quam scripsit et edidit Bartholomæus Vitalis, ipsam ausus dedicare S. Carolo Borromæo.*

non e fabulis ornandus est, 2 *Ea apud nos exstat, missa olim Majoribus nostris a Leonardo Cominello, qui ipsam joco hi*storiolam *appellat, caute vero legendam monet laudatus Faynus; dicere poterant ambo, meram panegyrim esse multis mendis refertam, utpote pro scriptoris arbitrio exornatam, quam totam, non absque tædio lectam, dignam non censui, ex qua hic quidquam recitarem. Dicamus candide, de* S. Herculani *patria, ætate aut gestis nil superesse quod exactiorem crisim subire possit.* Teutonicum *genere asserunt Brixienses, quod ipsis facile concessero. Demus præterea, Catalogos etiam apud Ughellum recte tempora ejus definire, dum S. Cypriano, de quo pridem in hoc opere mense Aprili actum est, successise aiunt, ut proinde sederit non seculo* IV, *ut Elias Capreolus et alii nugantur sed ab anno 552 ad 576. De gestis porro, id primum veteri aliquo testimonio firmatum cuperem, quod, dum puer surreptas panis particulas ad pauperes deferret, ne a patre corriperetur, miraculo in lapides conversæ sint, id quod Sarzanensis episcopus hoc disticho celebravit :*

A patre quid ferret, respondit saxa, rogatus,
Protulit, et panis saxea frusta sinu.

miraculis satis celebris. 3 *Observat præterea Faynus, tradi a Capreolo et aliis,* S. Herculanum habitum monasticum in abbatia Leonensi induisse, ac minoribus functum ministeriis abbatem in ea effulsisse, *cum tamen dicta abbatia sec.* VI *non exstiterit, erecta primum et dotata* a Desiderio postremo Longobardorum rege anno DCCLX. *Mitto cætera, ut cum Fayno Sancti laudes concludam.* Is, *inquit,* aliquando apud Campionum, lacus Benacensis peninsulam, pro sua quiete cum se recepisset; meritis et miraculis plenus, *ut etiam* animalia ad nutum haberet, migravit ad Dominum, et apud ecclesiam Materni sepultus, totius Brixiensis Ripperiæ Orientalis Tutelaris summo honore colitur. *Et modo nobilis arca marmorea hunc claudit hac cum inscriptione :*

HIC SANCTI HERCULANI EPISCOPI BRIXIÆ ET CONFESSORIS,
MAGNI MIRACULORUM LAUDE CLARI, OSSA QUIESCUNT.

A D

DE S. CÆCILIA SEU CLARA VIRG.

ABBATISSA ROMARICI-MONTIS

IN LOTHARINGIA.

J. B. S.

Sylloge de cultus et gestis.

Sec. VII. *A Mabillonio eruta*

Sanctam *hanc* Cæciliam *(quæ et* Clara *et Gegoberda seu* Segoberga *dicta est) nulli, quod sciam, classico Martyrologio inscriptam, primus suggessit Castellanus hoc die in suo Martyrologio universali, ita scribens :* Romarici monte, B. Cæciliæ abbatissæ. *Saussayo non omnino ignotam fuisse, probat ejus Appendix pag. 1221, ubi ipsam meritis ornat laudibus. Notiorem credideram Wioni, Dorganio et Menardo, verum apud ipsos altum de* B. Cæcilia *silentium. Bucelinus vero et eum secutus Vitarum Ordinis scri-* B *ptor Hispanicus de Heredia ipsam* XXVIII *Januarii collocarunt cum elogio tam miro ut illud hic referendum non censuerim. Supplevit cætera Mabillonius sec. 2 Benedictino pag. 416, eam diserte* sanctam *appellans in prævia observatione ad Vitam S. Romarici, nihil tamen de ipsa memorans præter hæc sola verba :* De S. Cæcilia, quæ et Clara, antea dicta Gegoberga, cui hæc Vita dedicata est, plura dicenda non occurrunt. *Melius candide fassus fuisset, nihil dicendum occurrisse, dum eam solo nomine memorat.*

insigni elogios

2 *Annales Ordinis ejusdem auctoris consului, num quid fortasse de ejus gestis proderet, at solum ibi ejus successionis ordinem reperio assertum, de qua successione non dubitandum, ostendunt lectiones quas Majoribus nostris pridem submisit strenuus in hoc opere adjutor Petrus Franciscus Chiffletius propria manu, sed nescio unde descriptas, cum brevi aliquo hymno hic etiam adnectendo, in quibus tamen de ejus gestis non multa suggeruntur. Neque aliud suppetit nisi monasterii ipsius exordia describantur : verum cum ea ad SS.* C *Amatum et Romaricum proprie pertineant, locis propriis opportunius referentur mense Septembri aut Decembri dum de Sanctis illis fundatoribus agendum erit. Neque magis quærendum suscipimus, quo tempore instituta Benedictina admiserint Sanctimoniales, aut quando canonicæ factæ sint, de quibus consuli potest Mabillonius loco jam citato, nobis satis sit, cultum eruisse, et paucula gesta, ex jam dictis lectionibus, quas hic integras subjicimus.*

ab ipso ornata est

3 Cæcilia, quæ et Segoberga, beati Romarici dupliciter filia, quod hanc ille et mundo et Christo genuerit, una cum Adzaltrude sorore seculo renuntians, fundandi puellarum monasterii piissimo patri argumentum fuit. Itaque in ejus disciplina primum ad Christianam pietatem, deinde ad religiosæ vitæ perfectionem instituta, Magdefledis etiam abbatissæ imbuta exemplis, huic decedenti, pro suo merito, suffecta est, totique sacrarum Virginum conventui præfecta : quas egregia prudentia et caritate ita rexit, ut eis integritate potius morum, quam dictorum gravitate præluceret.

Singularis fuit ejus animi modestia, qua se semper velut unam de cæteris agebat * ; summa quoque in Deum fiducia, magnanimitatis parens : præcipua vero, quæ radix est omnium virtutum, pietas, et in sacris effectibus teneritudo. Itaque subinde in sanctæ Crucis oratorium secedere solebat; quo maxime loco, superfundente se divinæ dulcedinis copia, tantum lacrymarum profudisse dicitur, ut visum tandem amitteret. Explevit in regimine annos omnino triginta; soluta E denique corporis vinculis, ad Christi Sponsi nuptias evolavit.

* regebat

4 Certo Dei consilio et providentia factum creditur, ut nunquam ejus corpus in Romanicum montem transferretur, nimirum ut in collem Habendensem non modo ab antiquis hospitibus, sed etiam ab ejus reliquiarum continuato præsidio, Montis sancti appellatio conveniret. Frequens fuit post omnem memoriam ad ejus tumulum concursus, multa erga illam populi religio : majora etiam illius in pios supplices beneficia ; ac in cæcos præsertim, aliisque oculorum morbis affectos unde illi Claræ vulgus indidit nomen. Colitur pridie Idus Augusti, quo ipso die Clara quoque Assisinas Fastis ecclesiasticis inscripta est.

cui superadditur

HYMNUS.

hymnus satis elegans.

5 Clara formosam radiata frontem
Grandibus stellis, rutilosque crines :
Clara despecto semel hymenæo
Sponsa Tonantis.
Te refulgenti genitam sub ostro
Bis pater versa vice Romaricus
Obtulit Christo propriamque veli
Nube dicavit. F
Collo sublimis radius Habendo
Virginum mater, sociasque turmas
Voce, sed morum melius corusca
Luce gubernas.
Quanta fulsisti pietate, crebris
Ora dum spargens lacrymis lateres,
Et superfusum caperes anhelo
Pectore Numen.
Nunc verecundas facilis precantum
Accipis voces, sociata Sponso
Nec sinis vagas temere vagari
Vota per auras.
Sive suffusos oculos malignus
Humor obscurat, tenebrasve monti
Crimen offundit ; medica repellis
Hæc mala dextra.
Præstet hoc nobis etc.

A D

DE SANCTS MARTYRIBS LERINENSIBUS

PORCARIO ABBATE, AC QUINGENTIS MONACHIS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Notitia monasterii Lerinensis; Martyrum cultus, hymnus metricus, tempus martyrii; S. Porcarius cum alio perperam confusus.

Circiter an. DCCCXXX. Monasterium Lerinense olim florentissimum, nunc ad solitudinem fere redactum.

Lerina, *quæ etiam* Lerinus *seu* Lerinum *dicitur, notissima in mari Mediterraneo qua Provinciam Galliæ alluit, insula, vitæ asceticæ palæstra quondam celeberrima, ac fœcunda magnorum virorum altrix, egregium hunc ac numerosum hodiernorum Martyrum manipulum monasticis instituit disciplinis, ac deinde illustri* B *pro Christi gloria certaminis laurea coronatum cœlo transcripsit. Longum esset, huc transferre cœnobii ibidem a S. Honorato Arelatensi episcopo fundati præconia; de quibus videri possunt Vincentius Barralis Salernus in Chronologia sanctorum et aliorum virorum illustrium ac abbatum sacræ ejusdem insulæ Lerinensis; Sammarthani tom. IV Galliæ Christianæ a pag. 559, ac Dionysius Sammarthanus in editione novissima Galliæ Christianæ tom. III col. 1188, apud quos curiosus lector plura ad florentissimum illud asceterium pertinentia inveniet. Insulæ autem ob reverentiam sui primarii incolæ Honorati, de quo dicebam, vulgo S. Honorati nomen (l'isle de saint Honoré de Lérins) inditum est : de quo Sancto, ejusque insula actum est tom. II Januarii pag. 15. Porro, quæ rerum humanarum vicissitudo est,* præsens hujus *monasterii* status, *teste Dionysio Sammarthano col. 1191,* adeo miserabilis est, ut præter abbatem Regularem grandævum, quinque duntaxat ibi commorentur monachi, quorum alter annum ætatis LXX; alter LXIII; alii tres circiter trigesimum C attigerunt. *Subditum autem primo illud fuisse Cluniaco, deinde abbatiæ S. Victoris Massiliensis; tandemque ad congregationem Cassinensem accessisse, ibidem invenies. Hæc in rem nostram breviter de eo annotasse, sit satis : quibus subdimus ista de publico Martyrum nostrorum cultu.*

Cultus Martyrum cum aliunde,

2. *Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum,* In Vita, *inquit ad hunc diem* XII *Augusti*, sancti Honorati lib. 3 capp. 20 et 24 hæc habentur : Horum, scilicet Porcarii et Sociorum, passionis historia publice in sancta Dei Ecclesia legitur die natali eorum, qui pridie Idus Augusti celebris habetur, *Quæ vero ibidem mox sequuntur.* Agitur adhuc etiam eadem in Vita S. Cæsarii episcopi Arelatensis, quam recitat Surius tom. IV die XXVII Augusti : Porcarius enim abbas S. Cæsarium monasticis imbuit disciplinis; *longe a veritate aliena sunt, quia duos Porcarios confundunt, uti postmodum dicetur. Barralis supra laudatus in Descriptione insulæ Lerinensis, quam operi suo præmittit, de loco ibidem ipsis sacro sic testatur :* Circa gyrum insulæ viæ stratæ ad peregrinorum solamen visitantium oratoria, *inter quæ ponitur unum* S. Porcharii abbatis, et quingentorum et eo amplius monachorum Martyrum, qui hanc insulam proprio effuso cruore consecrarunt. *Et vero annuam Martyrum memoriam summo apud posteros in pretio fuisse, suadere videtur hæc clausula, quæ eorum Actis in fine his verbis notatur :* Veneremur ergo et nos hodie, dilectissimi, hos Martyres patres nostros, qui ad E hanc gloriam, jejuniis, vigiliis, et orationibus, sacrificioque salutari sacram insulam extulerunt, et sanctificarunt. . . et sanctis operibus sequendo Dominum, celebrem per totum mundum, ubi Christiana religio colitur, reddiderunt : celebremus hunc diem puro corde in hymnis et vocibus jucunditatis *etc. Ad hæc, præ manibus habeo perbreve sacri Athletarum certaminis compendium, quod in lectiones octo distributum est, ac a P. Chifletio transmissum. Forte lectiones illæ fuerint usitatæ alicubi in diœcesi Lugdunensi; quia in illis fertur* venisse ad locum, qui Mons-Verdunus dicitur, in Forensi patria, et diœcesis Lugdunensis; in ipsoque loco composuisse cellam; *ubi a paganis occisus fuerit, ac deinde ibidem sepultus. Sed an hoc verum sit, inquiremus infra.*

tum e Fastis sacris.

3. *His, quæ de publica Pugilum nostrorum veneratione sunt exposita, adde Fastos sacros. Grevenus ad diem* XII *Augusti eos ita memorat :* Eodem die Porcarii abbatis monasterii Lirinensis et martyris, cum Sociis monachis quingentis, sub Geiserico Wandalorum rege pro fidei veritate coronatis. *Verum, quod sub Geiserico contigisse* F *dicitur, alio loco inferius corrigetur. Molanus anno 1573 edito suo Martyrologio Usuardino ista adjecit :* Eodem die, Porcarii abbatis monasterii Lirinensis, et martyris; *et in Annotationibus addit*, cum monachis quingentis, sub Genserico Wandalorum rege. *Menardus ac Bucelinus in suis tabulis sacris Ordinis S. Benedicti eos etiam signant; ne Saussayum, ac Martyrologium Parisiense anno 1727 vulgatum commemorem. Tamayus more sibi alias usitato etiam hic iterum ineptiens, suo Martyrologio Hispano ad hunc diem* XII *Augusti intexit ista :* In monasterio Lirinensi S. Pontii Porcharii abbatis Hispani, qui cum aliis *etc. Deinde pag. 461 dicitur* ex nobilissima Porcellorum apud Marciam antiquissimam urbem familia oriundus. *Sed notissimum hunc fabulatorem cum sordida sua figlina procul hinc amandamus, risu videlicet dignum potius, quam refutatione. Quid, quod sanctorum Athletarum nostrorum memoria quotannis prælegenda notetur in Martyrologio Romano? Hæc namque ibidem hodie exstat de illis annuntiatio :* Eodem die sanctorum martyrum Porcarii abbatis monasterii Le-

rinensis,

AUCTORE J. P.

rinensis, et quingentorum monachorum, qui pro fide Catholica a barbaris cæsi, martyrio coronati sunt.

Profertur hymnus sacer.

4 *Jam vero non erit, uti existimo, alienum a proposito nostro, si publico eorum cultui satis superque nunc declarato accinamus carmen sacrum, quod Barralis in sua Chronologia part.* I, *pag. 228 sub hoc titulo edidit :* Hymni in laudem sancti Porcarii abbatis, et Sociorum martyrium R. Domini Maximi a Collomartio monacho Lerinensi. *Metro autem constat Sapphico, et sic sonat, a nonnullis mendis hic correctum :*

Concrepent hymni, rutilans coruscat
Festa lux, in qua celebrantur hanc qui
Insulam fuso proprio sacrarunt
Sanguine testes.
Ecce lux in qua jubilare fratres
Condecet, festum celebratur hinc qui
Martyrum terram proprio dicarunt
Sanguine sacram.
Jam maris fines popularat omnes
Classe transvectus numerosa ab Austro
Tigrides multa feritate vincens
Barbarus hostis.
B Unicus tantum locus a profano
Ense restabat temerandus iste,
Quinquies centum Monachos reservans,
Lumina mundi.
Ecce cum summo volitans olympo,
Porcari salve venerande dixit
Angelus, veni tibi de supernis
Nuntia portans.
Convoca cœlum, brevibusque narra,
Martyres Christi fieri volentes
Se parent diram tolerare mortem
Nomine Jesu.
Læta tum Patris legio relatu
Sancta respondet, genus omne mortis,
Præmium Christi modo sit, libenter
Ferre paratam.
Instar immotæ stabiles columnæ
Sustinent parvo spatio futuram
Temporis cladem, fierique Christi
Hostia gaudent.
Insulam frendens subit en tyrannus.
Fit sonus : sanctam pedibus cruentis
Exiens, terram ratibus profanat
Impia turba.
C Obviam currunt, genibusque flexis,
In crucis signum manibus reductis,
Ensis exspectant ferientis ictus
Pectore firmo.
Ceu lupus noctis medio latenter
In gregem sævit subiens ovile :
Sic in hos stridet, furit et bacchatur
Barbara pubes.
Hujus appendet capiti, per hujus
Pectus it ferrum violenter actum,
Sus velut cœno madefacta, sic hi
Sanguine gaudent.
Corpus in terra jacet insepultum,
Spiritus cœlum petit Angelorum
Per manus, illic sociandus illis
Sede perenni.
Supplices ergo rogitemus hos, ut
Impetrent castis precibus potenter
Carnis et mundi superare, nec non
Dæmonis ictus.
Laudibus Patrem celebremus almum,
Ejus et Prolem, pariterque Sanctum
Spiritum, qui nos recreans superno
Munere donet. Amen.

D *In determinando anno martyrii dissentiunt auctores ;*

5 *Martyrium accidisse seculo* VIII, *idque ultra illam temporis intercapedinem, quæ inter annos æræ vulgaris 729 et 630 vel 739 continetur, non esse differendum, convenit inter auctores, ita tamen ut alii alium annum rei gestæ assignent. In historica martyrii narratione, quam post hunc Commentarium sumus daturi, hæc leguntur :* Passi sunt autem sancti isti Martyres circa annum Domini triginta supra septingentos, pridie Non. Aug. *Vides hic, lector, per τὸ* circa *latitudinem quamdam temporis significari ; aliunde vero si aliquid magis determinatum reperire satagamus, operæ pretium non respondebit ; sicut planum fiet ex sequentibus. Cum enim in istos Galliæ tractus, de quibus hic agimus, variæ Saracenorum irruptiones acciderint ; cumque ex aliquo earumdem esset determinanda insulæ Lerinensis profanatio, ac nostrorum Martyrum carnificina, neque exploratum satis videatur, cuinam ex illis potissimum affigenda sit dictorum barbarorum apud Lerinenses tragœdia ; hinc fit, ut in diversas abeatur annorum notationes, ac quot fere sunt scriptorum capita, tot sint in signando illius rei gestæ anno sententiæ. Quid enim? Barralis a pag. 225 ex Aimoino de Gestis Francorum lib. 4 cap. 55 ac 57, nec non ex Baronio tom. IX Annalium ad annos 725, 729 ac 738, relatis variis barbarorum irruptionibus in Galliam, pag. 227.* Ex his, *inquit,* adductis, et quæ habentur infra in S. Cæsario archiepiscopo Arelatensi, XXVII Augusti, ex Baronio de effractione restaurationeque sepulcri ejusdem per improbos trucesque Saracenos, non inconveniens erit affirmare, intra horum temporum spatia, scilicet ab anno Domini septingentesimo vigesimo nono vel trigesimo, aut ad summum septingentesimo trigesimo octavo, victrici martyrii palma S. Porcarium abbatem Lerinensem Sociosque quingentos donatos fuisse, soloque æquatum monasterium Lerinense una, quando Gallia universa Narbonensis nefandæ gentis Ismaelitarum flammæ ferroque succubuit et furori.

E

e quibus patet, illud certo anno non posse affigi, sed accidisse circa 730.

6 *Honoratus Bouchius in Historia chronologica Provinciæ tom. I lib. 5 ad annum 730 hanc lugubrem scenam refert ; Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom V num. 14, ad annum 739 ; Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. II, ad annum 732 ; in Actis vero Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec. 3 part. 1, ad annum 731, et apud Castellanum in suo Martyrologio universali die* XII *Augusti ; quem annum etiam signat Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. IV pag. 250 : in Martyrologio autem Parisiensi novissime edito ponitur 732 vel 739. Pagius denique in Critica Baroniana ad annum 729 num. 4 contra Cointium censet, monasterii Lerinensis eversionem longe verisimilius ad istum annum pertinere ; sed optandum fuisset, ut in tam varia scriptorum dissensione rationem aliquam subdidisset, qua id, quod longe dicit verisimilius, hujusmodi esse suasisset. Nos interim, quandiu in re adeo obscura et incerta lucem nobis non præferunt clariorem auctores, vi cujus exscensum Saracenorum in insulam Lerinensem, ac barbariem in Ascetas ibidem exercitam uni certo anno e pluribus supra controversis affigere nobis liceat ; nos, inquam, Actis standum censentes, tempus martyrii cum ipsis ponimus anno Domini circiter trigesimo supra septingentesimum.*

F

Porcarium nostrum cum alio imperite confusum fuisse,

7 *Ex dictis sequitur, ut a vera temporis ratione quam longissime aberrent primo illi, qui hanc rem gestam statuunt sub Genserico Wandalorum rege ; secundo, qui S. Cæsarium Arelatensem præ-* sulem

sutem faciunt S. Porcarii *nostri discipulum, unum cum alio crassa hallucinationem confundentes. Menardus supra citatus hanc hallucinationem utramque refellens in observationibus suis pag. 663,* Non desunt, *inquit,* qui dicant hanc sanctorum Monachorum stragem editam esse a Genserico Wandalorum rege, et S. Porcarium fuisse longe ante tempora Caroli Martelli; quippe qui fuerit institutor et abbas S. Cæsarei archiepiscopi Arelatensis, ut constat ex Cypriano in vita ejusdem sancti Cæsarii. Quibus ita satisfaciendum duco. Primo Gensericum nunquam Gallias vastasse; sed tantum Africam et Italiam, certum est. Secundo, non esse absurdum, fuisse duos Porcarios diversos tempore abbates Lerinenses, præsertim cum ille Porcarius, qui fuit institutor S. Cæsarii, nec a Cypriano, nec ab auctore Vitæ S. Siffridi episcopi Carpentoractensis, ubi illius fit mentio, appelletur martyr: quem etiam certum est ipsum non potuisse occidi ab ipso Genserico Wandalorum rege, cui superstes fuit. Nam ipse Gensericus obiit anno quadringentesimo septuagesimo sexto vel septimo, cum adhuc viveret S. Porcarius S. Cæsarii præceptor, qui vivebat adhuc cum Cæsarius ad presbyteratum provectus est, et successit S. Fausto in regimen abbatiæ circa annum quadringentesimum septuagesimum secundum, et multo plures annos quam quatuor fuit abbas Lirinensis; ut facile colligere est ex Vita S. Cæsarii.

ostenditur.

8 *Cointius ad annum 739 num. 14,* In abbatum, *ait,* Lerinensium catalogo duos distingue Porcarios: unum, qui S. Cæsarium, Arelatensem post episcopum, in monachorum sodalitium admisit, ut dictum tom. I *(ad annum 536, num. 169)* alterum, qui Carolo Martello coævus fuit. *Et vero in Gallia Christiana novissime edita tom. III col. 1192 inter abbates Lerinenses sextus ponitur Porcarius I; ac deinde col. 1194 inter eosdem abbates occurrit vigesimus secundus* S. Porcarius II. *Duos hosce abbates synonymos etiam agnoscit Mabillonius Act. Benedict. sec. 3 part. 1 pag. 526. Videri etiam potest Barralis in Chronologia Lerinensi part. 1, pag. 225 et 230. Cavendum itaque est, ne duo isti Porcarii homonymi in unum conflentur ratione temporum, quorum alia utrique convenit, imperitissime confusa. Cæterum de S. Cæsario Arelatensi agendum erit, Deo bene favente, ad diem* XXVII *Augusti, quo Martyrologio Romano inscribitur.*

§ II. Idemne an diversus a nostro S. Porcario synonymus Martyr, qui apud Monverdunenses colitur; nostri Acta ac eorum compendium; expensa in eodem difficultas.

Ex iis, quæ de S. Porcario Montis-Verduni referuntur,

E*tiamsi secundum ea quæ referunt Acta ac Martyrologia superius allegata,* S. Porcarius *a suis Monachis martyribus nec certaminis palæstra, nec tempore passionis, nec die publicæ venerationis separetur; sunt tamen, qui sanctum Abbatem alio se contulisse, ac, trucidatis ante Sociis, ibidem martyrii laurea postea coronatum fuisse velint. Et Cointius quidem ad annum 732 num. 30 duos hic distinguit Porcarios. Nam ibidem agens de Sancto synonymo, qui apud Montem-Verdunum in tractu Forensi colitur, inter nonnulla monumenta de historia ejusdem patriæ Forensis, quæ dictus auctor ad suas pervenisse manus affirmat, a Joanne de la Mure collecta, Vitam ac martyrium istius sancti Porcarii enarrat, quæ conveniunt cum lectionibus nostris Mss.; de quibus supra memini num. 2. Paucula itaque hæc inde delibo in rem nostram:* Venerunt autem ministri satanæ, et coram B. Porcario, ut plus doleret, Christi Athletas sanctum Magnum et alios gladiis jugulaverunt... Peracto dicto scelere S. Porcharium oculis orbaverunt. Sed hoc S. Porcharius ad munus gloriæ sibi reputans, fortior factus est in Dei amore, disponens ab illa patria discedere, et secreta nemora adire; venitque ad locum, qui Mons-Verdunus dicitur in Forensi patria diœcesis Lugdunensis, in ipsoque loco composuit cellam, docens verbo et exemplo Christicolas ad se venientes; sed venerunt impiissimi pagani, et ad cellam ejus intrantes in Dei virum sæviunt, et lancea guttur ejus transfodiunt: qui Dominum invocans, et signaculo crucis se muniens, sanctum emisit spiritum; ibique sepultus fuit; cujus intercessione divina majestas ibi multa operatur miracula.

AUCTORE P. B.

admittit Cointius Porcarios duos;

10 *His ibidem expositis,* In hoc textu, *uti pergit Cointius,* multa sunt, quæ spectant ad Porcarium abbatem Lerinensem... Duos igitur distingue Porcarios martyres; unum, qui necatus est a Saracenis apud Montem-Verdunum hoc anno (732) cum diœcesim Lugdunensem igni ferroque devastarent; alterum qui post annos septem apud Lerinum insulam peremptus est ab iisdem Christiani nominis hostibus, cum maritimam Galliarum oram a Rhodano ad Varum popularentur. Hæc distinctio clarior fiet et iis, quæ de Porcario abbate Lerinensi ac martyre ad annum Christi septingentesimum undequadragesimum dicemus. Apud Montem-Verdunum cum S. Porcario, de quo nunc agimus, colitur et S. Magnus; ibique custodiuntur utriusque reliquiæ, ac communis utrique recitatur oratio, ut hæc docent verba: Intercedentibus beatis martyribus tuis magno (S. Grand) et Porchario (Procaire *.) Magnum in hac oratione Porchario præpositum volunt, quia prior martyrium consummavit. Ecclesiæ Montis-Verduni patronus est hodie S. Porcharius; olim patronus erat princeps Apostolorum, ut ecclesiæ Lerinensi, nec hanc observationem, quamvis parum conducere videatur, omittunt incolæ Montis-Verduni, ut hodiernum ecclesiæ suæ patronum abbatem olim Lerinensem fuisse confirment.

* *f.* Porcaire

sed alii verosimilius illos non distinguunt;

11 *Saussayus in Supplemento ad suum Martyrologium Gallicanum die* XIX *Augusti Monvirdunensem ac Lerinensem Martyrem non distinguit, quando ibidem hæc habet:* Apud Montem-Verdunum in Foresio prope Lugdunum, passio S. Porcarii abbatis Lerinensis, et Sociorum, quorum natalis celebratur apud Lerinum die XII hujus mensis. *Quamvis vero Martyrologum istum reprehendere non ausim, quod* S. Porcarium *non conduplicet, velim tamen ut lector obiter observet, aliquid inconcinni habere annuntiationem illam, Actis utpote* S. Porcarii *ac Sociorum ejus contrariam, quando passionem illorum Forensibus adscribit; natalis vero celebrationem Lerinensibus. Mabillonius Act. Bened. sec. 3 part. 1 pag. 526 postquam egisset de hodiernorum nostrorum Martyrum sacro agone ac sepultura, subnectit sequentia:* Incolæ Montis-Verduni, quod oppidum est in diœcesi Lugdunensi in provincia Segusiana, traditione acceptum ferunt, Porcarium abbatem neci subdu-

AUCTORE I. P.

subductum, Lerino in Montem-Verdunum se recepisse; ibique a Saracenis istuc paulo post accedentibus interceptum, lancea transfossum interiisse XIV Kalend. Augusti: quo die istic honorifice colitur in ecclesia propria, quæ titulo prioratus hodie decoratur, pendetque a Casa-Dei, celebri monasterio diœcesis Claromontensis apud Arvernos. At veri similius crediderim, S. Porcarium Lerini occubuisse, ejusque reliquias postmodum translatas Montem-Virdunum fuisse.

et quam ob causam.

12 *Paululum hic figamus pedem, ac expendamus, quidnam in hac controversia nobis statuendum videatur. Primo qualicunque isti Monverdunensium traditioni, quatenus sanctum nostrum Abbatem neci subductum, Lerino in Montem-Verdunum digressum, ibidemque post socios Martyres Lerini trucidatos sacri triumphi cursum consummasse vult, assentiri neutiquam possumus, quia reclamant Acta; quibus plus deferimus, quam isti traditioni qualicunque: quandiu enim ea non probatur ex documentis idoneis ac tantæ quidem auctoritatis, ut Actorum* B *fidem enervent, non est nobis nisi traditio adespota ac mere popularis. Secundo. Si autem aliquis alius Porcarius apud Monverdunenses martyrium sic consecutus (quod tamen ex idoneis testimoniis probare ipsis incumbit) tunc suspicio nobis est,* Porcarii *hodierni Martyrium summatim fuisse applicatum alteri isti synonimo. Instrumentum quippe, initio hujus paragraphi citatum, circa quod observabat Cointius,* multa *in eodem contineri,* quæ spectant ad Porcarium abbatem Lerinensem, *ita incipit:* S. Porcharius monachus, pastor et abbas fuit quingentorum monachorum in insula Lirinensi. *Mitto cætera. Tertio. Non displicet conjectura,* S. Porcarium *abbatem Lerinensem coli apud Monverdunenses, non quod ibidem fuerit occisus: sed quod reliquiæ ipsius eo fortasse postmodum pervenerint.*

Acta;

13 S. Porcarii *ac Sociorum ejus Passionem habemus in Ms., quod notatur acceptum* ex cod. Ms. membranaceo D. Joannis Bisaiga, Canonici SS. Celsi et Juliani de Urbe, archivi Vaticani præfecti. *Incipit:* Eo quippe tempore Lerinensi monasterio præerat sanctus abbas Porcarius, vir per cuncta laudabilis. *Martyrii narratio similis est Surianæ, quæ ad diem* XII *Augusti apud* C *ipsum legitur, atque* ex fidelissimis perantiquis Mss. cœnobii Lerinensis deprompta *notatur, uti et apud Barralem pag. 220, ubi ea exhibetur. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die,* Legitur, *ait,* hujus ac sociorum martyrium in Commentario, qui fertur Fausti nomine; recitat eum Margar. in tom. IX Bibliothecæ suæ; sed alterius potius cujusvis auctoris opus, quam Fausti, esse cognoscitur. *In editione secunda Bibliothecæ Patrum, quam Margarinus de la Bigne edidit, tom. VII col. 1931 habetur Martyrii compendium sine nomine auctoris; quod etiam nostro Operi jam pridem insertum fuit ad diem* XI *Maii, tom. II ejusdem mensis pag. 669, exstatque post Prologum Vitæ S. Maioli, abbatis Cluniacensis, qui floruit seculo* X, *auctoribus Syro et Aldebaldo coævis, prout ibidem invenies. Mabillonius Act. Bened. sec.* V *illud Vitæ laudati abbatis subnectit in appendice pag. 810,* ex Aldelbaldo monacho, qui Syri lucubrationem versibus auxit. *Quia vero illud breve est, et antiquum, et ex ejusdem auctoritate confirmantur ea, quæ referuntur apud Surium, ideo non piget, e Mabillonii editione supradictum compendium hic inserere. Sic itaque sonat:*

D *corum.*

14 Igitur in partibus Galliarum, ex ingentibus causis cum disponeret Dominus affligi genus hominum per sævitiam paganorum; nefandæ gentis exercitus Saracenorum vaginam suæ habitationis egrediens, ac maritima quæque ultra citraque peragrans, et peragrando demoliens, in Provinciam venit, nominis Christiani impugnandi gratia, et suo eam dominio subjugandi: cujus incolas occulto Deus judicio, ejus mucroni tradidit feriendos. Quæ gens longe lateque suæ cædis extendens crudelitatem, ita in solitudinem pene totam redegit regionem, ut in eremi vastitatem loca prius desiderabilia versa viderentur. Unde inter cætera facinora sua Lirinensem insulam, religione pollentem, depopulans rebus omnibus, inhabitabilem reddidit: servos Dei, qui inibi inter reliquos et præ cæteris sanctitatis et vigiliarum primas tenebant, millies se ipsos immolantes, gladio trucidans fere quingentos, et eo amplius. Fertur enim (quod minime reor prætermittendum) quod antequam classis Saracenorum illo adventaret, Angelus Domini S. Porcario abbati per visum apparens, evidenter prædixerit et tempus et diem et horam, E certumque omnibus imminere exitium die abhinc septimo illucescente. Qua de re maturo consilio commonet, ut unum de duobus eligant, aut fugæ consulant, aut palmam martyrii incunctanter rapiant: in eorum arbitrio et potestate possuisse Dominum hoc donum tam bonum, tam optimum, tamque præcipuum, utrum velint aut nolint brevi sanguinis commercio hoc immortale acquirere compendium. Facto itaque mane B. Porcarius convocatis Fratribus cuncta quæ viderat et audierat refert. Ex quibus quidam paventes, quidam non credentes, universi tamen re inopinata, et ancipiti sunt turbati periculo.

hic datur

15 His ita varie inter se dissidentibus, exspectata dies advenerat, noctis tantum intercapedine divisa. Jamque instante vigilia, matutina clara luce, e speculis in longum dirigentes obtutus, vident hostile agmen adventare, oppansis velis, æquata fronte, in obliquum deductis cornibus, totumque adlabi classibus æquor. Extemplo turbati animi, disjectique a proposito. Cumque cuperent malum evadere, non patebat usquam locus effugii: jam enim et hoc per spiritum prævidens B. Porcarius naves omnes a portu clam longius F abduxerat, interdicens nautis, ne intra præfinitum sibi tempus ullo modo redirent. Ergo cum vidisset Athletas Dei immenso certaminis pondere fatigari, ingemuit tam triste nefas fortissimus heros, dextro socios deducere cornu, invictamque manum quondam sine cæde perire. Tunc vexillum sanctæ crucis, quod in agmine primo dux bonus conferre consueverat, defixa cuspide ponens, instaurat animos dictis mordacibus. O, inquit, fortissimi milites! o instructissimi divini prælii bellatores! quo ruitis? Cui colla datis? Quis furor insanas agitat caligine mentes? State, precor, state; nevo velitis, stivam manu tenentes retrospicere. Proh pudor! vincimur heu segnes, nec nostra potentia profert vim solitam. Quin potius, o nimium dilecta juventus, hortor et moneo resides attollere animos, ne nos tanquam imparatos præoccupent. Olim devotas animas, ultro properantes, subdamus pretiosissimæ passioni. Experimento jam cognoscetis, quantus illis ex nostra constantia timor, quanta nobis proveniat gloria.

compendium.

16 Talia Senior perorabat, nomine quemque vocans; simulque acrimoniam, quam gestabat corde, frontis præferens dignitate. Quibus verbis incaluit virtus: paulatimque timore depulso madue-

A maduerunt corda tepentia, repentino Spiritus Sancti rore perfusa : suda redit facies, veluti si videas purpuream clarescere lucem sine nube diei. Agmina sancta super vultum sensere Tonantis, gaudentque hilares Christum suis victoribus arces ætheris ac patrium famulis aperire profundum. Itaque alacres et de victoria securi procedunt castris portis patentibus, omnes ornati, omnes albis induti, tanquam agni immaculati et incontaminati Jesu Christi, præcogniti ante constitutionem mundi. O quali gaudio tunc ille tripudiavit Angelicus cœtus, tantis beatorum Martyrum occurrens agminibus ! Nulli dubium omnem cœlestem Jerusalem tunc exsiluisse ineffabili lætitia, tunc jucundatam esse inæstimabili caritate, tuncque cum omni gratulatione obviam processisse, eosque ingenti lumine circumfulsisse, et usque ad thronum, olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus et hymnis perduxisse.

valde ab illis discrepat.

17 *Hoc martyrii compendium si quis contulerit cum Actis statim dandis, videbit hæc ab illo multum discrepare; unde suboriri possit quæstio, an in utroque instrumento agatur de Martyribus iisdem nostris, an contra sit admittendus duplex* B *manipulus, quorum unus seculo octavo, aliter seculo decimo occisus fuerit.* Hunc Porcarium, *inquit Mabillonius pag. 810 citata, non alium esse reor ab eo, quem seculo* VIII *passum diximus ad annum* DCCXXXI. *Henschenius vero noster tom. II Maii pag. 673 censet,* id non posse cum hac relatione subsistere, secundum quam videntur occisi circa annum CMXC, *accuratiorem eorum discussionem alio remittens. Ast idem Mabillonius ex his, quæ proxime post allatum compendium sequuntur,* Hac igitur cæde patrata, simulque vastitate subsecuta, et MULTIS EFFLUENTIBUS ANNORUM CURRICULIS, ex Avennicorum venerabilis vitæ Maiolus splendidissimis parentibus est procreatus, *recte observat pag. 811,* vel hinc patere, Adalbaldo antiquam visam fuisse hanc Saracenorum in Provinciam impressionem, adeoque haud diversam esse ab ea, quæ accidit seculo VIII, utpote quæ multis annis Maioli nativitatem præcesserit. *Sic itaque illa concinne cohærent, ac iisdem Martyribus conveniunt, non utique a scriptore narrata, veluti si tempore S. Maioli acciderint, sed ejusdem occasione altius repetita, et in* C *synopsin contracta stylo poesim redolente.*

MARTYRIUM

Auctore anonymo

Ex editis apud Surium ad diem XII *Augusti.*

Barbaris Galliam dire vastantibus, a

Tempore Caroli, qui, ut in Chronicis reperitur, ob victorias quas fecerat, Martellus *a* vocabatur, cum exigentibus peccatorum spurcitiis disponeret Dominus affligi genus humanum per sævitiam paganorum, quatenus alios saltem perterritos pœnæ timore, alios horrore a suis erroribus revocaret, nefandæ gentis exercitus Agarenorum *b* loca suæ habitationis, tanquam de vivariis egrediens, in partes Galliarum venit. Quæ videlicet gens crudelissima, omni humanitate postposita, ubique terrarum grassatur, maritima quæque ultra citraque peragrando demoliens, tandem Provinciam Narbonensem venit; ubi devastans omnia, suo imperio, Christi abolito nomine, intendebat eam subjugare : Christiani vero, quia mari et Alpibus cingebantur, exterriti, derelictis civitatibus et oppidis suis (miserabile visu !) ad montana confugiebant, ut barbarorum manus possent effugere. Cumque gens barbara longe lateque suæ cædis crudelitatem extenderet, ita in solitudinem redegit pene totam regionem, ut in eremi vastitatem loca prius desiderabilia conversa viderentur, urbes etiam nobilissimas terræ et solo coæquans, castella depopulans, oppida subruens, oviliaque Domini evertens, non minimas Christianorum strages dedit. Nam volentes illorum ferocitati resistere Christiani duces extremi armisque potentes nobilissimi viri omnes sub gladio Saraceno occubuerunt.

S. Porcarius ab Angelo de imminente clade præmonetur; c

2 Et cum jam nullus pene locus superesset in terris, nec in mari, quem nefandorum hominum rabies non devastasset, sanctam Lerinensem *c* insulam invadere festinant ; erat enim in eadem insula a longis retro temporibus domus Religionis, quæ retinens maximum examen monachorum, præter cæteras longe lateque diffusas omni sanctitate, famaque celeberrima circumquaque rutila- E bat. Eo quippe tempore cœnobio Lerinensi præerat vir per cuncta laudabilis sanctus Porcarius abbas, qui sanctam congregationem illam in divino opere instruebat verbis et informabat exemplis, quæ congregatio in tantum sub beati Viri disciplina sanctitate profecit, ut omnes provinciæ Galliarum clerici episcopum, monachi sibi poscerent abbatem in insula Lerinensi. Igitur cum gens Agarenorum furens omnem depopulasset Provinciam, plurimisque pro Christi nomine trucidatis, Angelus Domini per dies decem præveniens apparuit in somnis S. Porcario dicens : Surge velociter, et occulta venerandas reliquias, quas in hac sacra insula decrevit Dominus per multa tempora observandas. Futurum est enim ut hic locus a feris barbaris violetur, et sanguine monachorum consecretur, qui ipsum sanctificarunt suis orationibus, vigiliis, abstinentiis, et sacrosancto Sacrificio salutari. Conforta igitur, et confirma fratres tuos, ne exterriti deficiant a fide, et amittant vitam æternam, quæ præparata est usque ad mortem legitime certantibus pro sui nominis confessione. Evigilans vero B. Porcarius vidit præcla- F ram, perlucidamque flammam ignis ad cœlum usque conscendere, ex quo perpendens, veram esse, quam viderat, visionem, gaudio repletus, prosternens se ante altare B. Petri Apostoli Lerinensium incolarum protectoris, precibus et lacrymis ejus patrocinium implorabat, quatenus suo collegio succurrere dignaretur, et ne suo fiduciali patrocinio et promisso fraudaretur. Et hoc dicto in terram corruit.

qui suos edocet instans martyrium, ac eos probat; nonnullos vero in Italiam dimittit.

3 Videntes itaque monachi Virum Dei in amaritudine et fletu positum, prostratum erigunt, causamque tanti doloris sciscitantur. Sanctus vero Porcarius, Missa de Spiritu Sancto devotissime celebrata, convocatis in capitulo fratribus ait : Annuntio vobis, amantissimi, gaudium sempiternum : hanc nimirum insulam elegit Deus in peculium speciale, quam sanctificavit, et electa propagine propagavit, coluit et protexit, et ex vera ita ibidem radicata, per orbem uberes palmites ampliavit, multiplicatisque ejus tentoriis, fecit suos funiculos præ cæteris monasticis longiores. Nunc vero tanquam pius pater familias suam vineam visitans, quam mirifice plantavit, colonos advocat, ut stolas suas abluant in sanguine suo, præcinctus ad ministrandum, ut faciat illos discum-

A. ANONYMO. discumbere ad nuptias agni Sponsi. His ab eo prolatis, mox nubes lucida apparuit super omnes, qui aderant, et audierunt, de nube singuli vocem claram dicentem : Venite benedicti, percipite regnum vobis ab initio præparatum. Astantibus itaque fratribus dixit eis B. Porcarius : Viri fratres et Patres benedicti, mansuetus Dominus Jesus Christus, qui propter suam misericordiam dignatus est pro nobis pati gratis suscipiens servitutem, munditiam, et confessionem, quam sibi diuturnis temporibus abstulistis, ut vos triplici munere benedicat, immaculatique libere sequamini Agnum sine macula, pro nostris criminibus immolatum, ad suam immarcescibilem gloriam per martyrii palmam vos invitat. Ne paveatis igitur, quin potius confortentur corda vestra in Domino ad suscipiendum martyrium, ut ad æternam beatitudinem pervenire possitis sine fine mansuri. Post dies nimirum decem circumdabunt nos inimici fidei Christianæ, qui, ut audistis, quamplurimos hinc inde innocentes trucidarunt. Ideo excutite a cordibus vestris sordes carnis, ut immaculatos vos offeratis Domino Jesu Christo. Tunc vero, singuli cœperunt præ gaudio lacrymari, ferventissime
B ad martyrium aspirantes ; quibus dicit S. Porcarius : Occultemus venerabiles reliquias, ne a sacrilegis contingantur : quod cum factum esset, iterum dixit eis : Sunt inter nos, ut non ignoratis, sexdecim pueri et triginta sex adolescentes, qui si dicti fuerint a profanis, dubito ne blanditiis sive terroribus seducantur, quos consulo mittamus ad Italiam, ut cessante hac furenti calamitate redeant, et reædificent hoc sacrum monasterium Lerinense, et reverenter colant occultatas reliquias. Quod cum ab omnibus approbaretur, iterum exhortans dixit eis : Examinate vos sedulo, et si quemquam ex vobis cognoveritis formidare martyrium, cedat cum pueris, ne deficiat in extremis, grandis nimirum est carnis animæque distinctio.

Exponitur sanctorum Martyrum laniena,

4 Cumque se scrutassent biduo diligenter, reperti sunt quingenti et quinque, qui solido animo ad suscipiendum martyrium pro Christi nomine sunt accincti. Qui se crebris orationibus præparantes, ferventi animo ad martyrium anhelabant. Dum autem Sacramentis ecclesiasticis se munirent, cognoverunt duos ex ipsis juvenes plurimum formidare ; quorum unus Columbus et alter Eleuthe-
C rius vocabatur ; qui discedentes a cæteris, in quodam antro prope littus insulæ latuerunt. Carpens itaque gens profana littora insulæ Lerinensis, frendet et murmurat rugiens contra Sanctos. Interim ecclesiæ destruuntur, cruces confringuntur, altaria et sacra omnia profanantur, improbe rapientes monachos innocentes. Quibus etiam injecerunt plurima tormenta, ut manifestarent quæcunque absconderant pretiosa. Cumque a Sanctis nihil præter viles vestes, quibus se contexerant, reperissent ; disgregarunt a senioribus juvenes, plurima eis promittentes, si eorum ritibus consentirent ; et, si renuerint, eos diversis cruciatibus interficerent. Tunc mœror fuit senioribus, et pavor qui piis invocationibus et suspiriis Dominum, cui serviebant, precabantur, ut junioribus constantiæ spiritum, et animi fortitudinem, ne deficerent, largiri dignaretur. Barbari autem in seniores acerbissimis tormentis velut rabidi canes debacchantes, adhortabantur juvenes, ne simili pœna occumbere paterentur, sed mundi gloria secum potirentur, quos etiam cum senioribus, cum post blanda et aspera argumenta constantes agnovissent, variis suppliciis simul occiderunt. Servantes autem ex illa sancta caterva sacrilegi hostes quatuor juvenes robustos corpore et facie venustos, ducis eorum D
navigio recluserunt, reliquos omnes opprobriis insultantes, plagis afficientes, lanceis pungentes, gladiis laniantes, postremo geminatis vulneribus confoderunt.

quorum animæ conspiciuntur in aere fulgentes.

5 Columbus vero et Eleutherius, qui, ut supra diximus, in scopulosa caverna se absconderant, videntes per foramen obliquum sociorum animas in aere sicut stellas fulgentes, cum Angelis gloriantes, et sese invicem præstolantes, dixit Eleutherio Columbus : Nonne vides cum quanta gloria Fratres nostri, qui modo passi sunt, nos exspectantes ascendunt ad cœlum ? Eamus ergo et nos, ut cum eisdem laureati conscendamus ad Dominum. Eleutherio exire reluctante prosiliit ab antro Columbus, qui illico martyrum catervæ associandus detruncatus est. Cumque trucidasset gens profana monachos viros innocentes, et eorum furor adhuc ferveret ad malum, ecclesias omniaque sacra ædificia Lerinensis insulæ funditus everterunt soloque æquarunt, lapides et columnas sanctuarii miro modo fabricatas comminuentes, in ignominiam Christi et fidei Catholicæ in mare projecerunt. Qui, postquam rabies eorum E
derelictis omnibus quievisset, navigantes inde pervenerunt ad locum, cui nomen Agathon *d*, ubi captivi quatuor illi monachi obtinuerunt, ut naturæ satisfacerent, e navigio in terram descendere ; qui nemoris condensi latebras intrantes, per umbrosa convallia non sine divino nutu aufugerunt, totaque nocte per secreta nemora ambulantes, ad locum, qui Ara lucis *e* dicitur, pervenerunt. Quo in loco parvum navigium prope littus maris reperientes et ascendentes, sacram Lerinensem insulam circa auroram intraverunt. Cernentes autem tantorum patrum venerabilia corpora, tot tantisque vulneribus confossa, et valde lacerata, quis enarrare valeat, quos gemitus, quas lacrymas, quæ suspiria ab imis visceribus emittebant ? Mœrebant enim cordibus, cur una simul cum illis Beatissimis coronari gloria martyrii non meruissent : unde lugubres voces amarosque gemitus alter ad alterum emittere et iterum revocare non sinebant. Eleutherius vero percipiens mœrentium voces, ab antro prosiliit, cognitisque fratribus, iterum lacrymæ, iterum gemitus (incredibile dictu) super occisorum Monachorum crudelem mortem renovantur : pœnitebat enim se F
ad gloriæ palmam cum illis, sicut potuerat, cum Columbo non pervenisse. Sed providentia divina eum superstitem servari voluit, ut eo superstite et sciente, posterisque revelante, celebranda semper, sicut dignum est, passio Sanctorum, et festiva in ævum coleretur.

Aves marinæ, quasi eorum exsequias miro modo celebrare vellent, insulam Lerinensem obumbrant.

6 Cum vero lux oriente sole terris reddita esset, ecce bavinarum *f*, id est avium maritimarum innumerabilis multitudo in aere super insulam expansis alis obumbrans volitabat : quæ voces quasi flebiles emittendo, in tantorum patrum occisione persistebat, veluti si exsequias agere voluissent, donec Sanctorum corpora fuere tumulata. Superstites miseri monachi una cum viro Dei Eleutherio, post lacrymas et gemitus persolventes exsequias, modo et honore, quo poterant, parentantes, super tam pio flebilique exitio fratrum suorum, sacrata eorum corpora tumulis in insula condiderunt. Deinde sacram insulam, custodem venerabilium talentorum, solitariam non sine lacrymis, ut credi potest, relinquentes, Italiam ad socios requirendos petierunt : ubi Romæ Summo Pontifici significarunt sanctorum Monachorum necem, et cœnobii Lerinensis ruinam. Passi sunt autem

tem

A tem sancti isti Martyres circa annos Domini triginta supra septingentos, pridie Non. Aug. *g*. Evolutis autem post hoc exitium aliquibus annorum curriculis, et per potentiam Francorum expulsis a provincia barbaris, vir Domini Eleutherius eversum Lerinense monasterium cum cæteris monachis ab Italia venientibus procurarunt restaurari, et in pristinum statum redigi. Veneremur ergo et nos hodie, dilectissimi, hos Martyres patres nostros, qui ad hanc gloriam jejuniis, vigiliis et orationibus sacrificioque salutari sacram insulam extulerunt et sanctificarunt, ut de ea dici possit: O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei! et sanctis operibus sequendo Dominum celebrem per totum mundum, ubi Christiana religio colitur, reddiderunt; celebremus hunc diem puro corde in hymnis et vocibus jucunditatis, deprecando Dominum, ut suffragantibus nobis meritis ipsorum, præmia æterna in eorum societate feliciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

B

a *Fuit filius Pippini Heristalli; pater Carolomanni ac Pippini. Vivere desiit anno 741.*

b *Sive* Saracenorum, *quos alii* Wandalos, *alii* Agarenos, Ismaelitas *alii appellant, prout observat Mabillonius Act. Bened. sec. 3, part. 1, pag. 525.*

c *De hac insula Commentarius prævius in initio.*

d Agathon, *vulgo Agay, ex Cointio Annal. Franc. tom. V ad an. 739 num. 15.*

e *Cointius continuo citatus* Ara lucis, sive Araluci vel Arlucus *(Arluc)...* locus, *inquit*, fuit monasterio puellari celebris: de quo locuti sumus tomo superiori ad annum Christi DCLXXVI, quo reparatum est a S. Aygulpho abbate tum Lerinensi, commissumque regimini Angarismæ abbatissæ. Quot annis hoc cœnobium post illam instaurationem steterit, haud scimus. Valde probabile est, hujuscemodi locum, qui barbarorum incursionibus patebat, prius a monialibus derelictum esse, quam Arabes oram maritimam inter ostia Rhodani Varique devastarent.

f *Cujusmodi fuerint istæ aves marinæ, haud invenio.*

g *Coli hosce Martyres pridie* Idus *Augusti, dictum est in Commentario prævio § 1 num. 3. Cur hic ergo dicuntur passi alio die? Suspicerne pro* Idus *huc irrepsisse Nonas.* E

DE SANCTA CLARA VIRGINE

PRIMA SANCTI FRANCISCI DISCIPULA

ASSISII IN UMBRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Antiquus Sanctæ cultus ex Martyrologiis et Officio ecclesiastico, elogia, Acta, eorumque scriptores.

ANNO MCCLIII. *Hanc sanctam Virginem,*

C

Hæc generosa dux innumerabilium feminarum, quæ in Ordine Minorum sub vexillo seraphici Patris adversus occultas dæmonis insidias, fallaces mundi invitationes ac periculosas carnis illecebras viriliter militarunt, hodieque in variis orbis terrarum partibus contra eosdem animæ suæ hostes fortiter dimicant, tanta sanctitatis fama claruit, ut Alexander IV Pontifex propter probatam morum integritatem et evidentia miracula eam non diu post felicem ipsius obitum solemniter catalogo Cœlitum adscripserit. Quamvis hæc apotheosis sive canonizatio ad legitimum istius sanctæ Virginis cultum demonstrandum abunde sufficiat, tamen more nostro proferemus nonnullas annuæ festivitatis annuntiationes ex Auctariis Usuardinis, quæ in Usuardo nostro illustrato ad diem XII *Augusti recensentur.*

cujus festum in Auctariis Usuardinis

2 *Præter alios Mss. codices ibi relatos, Antverpiensis maximus breviter hac die sic habet:* In Assisio civitate, natalæ beatæ Claræ virginis. *At Ultrajectinus, Leydensis, Albergensis, et Danicus huic brevi annuntiationi superaddunt sequens elogium:* In Assisio civitate, natale beatæ virginis Claræ; quæ beati Francisci prædicationem audiens et pœnitentiam videns, facta est ejus filia spiritualis, et sanctæ primiceria paupertatis. Hæc Ordinis pauperum dominarum fundamentum et gloria, omnis perfectionis speculum exstitit et lucerna. *Codex vero Florentinus elogio ejusdem Sanctæ annum mortis ita adjungit:* In civitate Assisii, natale sanctæ Claræ virginis; quæ fuit prima planta Ordinis pauperum dominarum, quæ et vita et miraculis claruit. Migravit ad Dominum anno Domini MCCLIII. F

aliisque Martyrologiis refertur,

3 *Denique in Greveniana Usuardi editione ætas S. Claræ seu tempus vitæ exprimitur his verbis:* Apud Assisium transitus beatæ Claræ virginis, quæ, cum esset annorum octodecim, relicto seculo, nuptiarumque copula, immortali sponso Christo per sanctum Franciscum consecrata, Ordinis pauperum dominarum fundamentum, gloria et regula, omnisque perfectionis speculum facta est. Tandem in sancto proposito exactis quadraginta duobus annis, quievit miraculis multis coruscans. *Ex his sequitur,* S. Claram *circiter anno Christi 1193 natam esse, et sexagenariam fuisse, dum anno Christi 1253 ad Superos migravit. Porro hic prætermittimus Belinum de Padua, Molanum, Ferrarium, aliosque recentiores Martyrologiorum editores, et solummodo transcribimus verba hodierni Martyrologii Romani, quod pridie Idus Augusti eumdem Sanctam sic annuntiat:* Assisii in Umbria sanctæ Claræ virginis, primæ plantæ pauperum feminarum Ordinis Minorum, quam vita et miraculis celebrem Alexander quartus in numerum sanctarum virginum

AUCTORE G. C.

et ab immemorabili tempore solemniter celebratur.

num retulit.

4 *Nescimus, quo tempore recitari cœperit solemne officium, in quo annua* S. Claræ *festivitas Antiphonis, hymnis, versiculis, Responsoriis et novem Lectionibus propriis celebratur. Sed saltem Officium istud legimus in Breviario Romano, quod anno Christi 1479 Franciscus Renner de Hailbrun Venetiis impressit. Deinde anno Christi 1490 Breviarium Romanum una cum eodem solemni* S. Claræ *Officio per duos alios typographos recusum est. Anno denique 1522 istud Officium* S. Claræ *quibusdam hymnis auctum est, et insertum Breviario Romano, quod in eadem urbe Veneta per Lucam Antonium de Giunta rursus prodiit. Etiamsi hinc vetustatem illius Officii ecclesiastici determinare non possimus, tamen ex stylo hymnorum et dispositione Lectionum conjicimus, Officium istud diu ante inventionem artis typographicæ usitatum fuisse. Quinimo suspicari quis posset, illud compositum fuisse, quando Alexander IV Pontifex anno Christi 1256 indulsit,* ut sanctæ Claræ a se recenter canonizatæ festum sub ritu duplici solemniter celebraretur, *sicut Waddingus ad hunc annum 1256 num. 4 tradit : nam* B *in eo omnes novem Lectiones ex veteribus Actis simpliciter desumptæ sunt, dum interim in recentioribus Breviariis tantum tres Lectiones secundi Nocturni ex Actis hujus sanctæ Virginis breviter et eleganter contrahuntur. Cæterum mense Octobri in hac triplici editione Veneta Breviarii Romani etiam novem Lectionibus propriis celebratur translatio corporis* S. Claræ, *de qua inferius agemus. Nunc unum alterumve ejusdem sanctæ Virginis elogium curioso lectori exhibeamus.*

Bartholomæus Pisanus

5 *Postquam Bartholomæus Pisanus, qui exeunte seculo* XIV *Opus conformitatum inter vitam S. Francisci et Christi conscripsit, lib. 1 istius Operis, fructu 8 apud nos fol. 104 egerat de Ordine Fratrum Minorum, ibidem ad moniales ejusdem Ordinis pergit his verbis :* Restat nunc consequenter ostendendum de Ordine secundo, videlicet Sororum pauperum; quem Ordinem beatus Franciscus instituit, beatam Claram cum aliis ad Christi vestigia insequenda convertendo. Et de isto Ordine, quia mihi non sic patet late, sicut de primo; ideo succincte aliqua pandam de eo, C qualis sit et fuerit, ostendendo : unde si aliqua mihi occurrerint in processu temporis, in fine hujus operis in tractatu per se edisseram. De isto Ordine aliqua dicendo et scribendo, videtur mihi, quod iste Ordo institutus a beato Francisco, anno sexto a sua conversione, a tribus possit commendari; videlicet primo de sanctimonia vitæ et perfectione : habuit enim et habet hic Ordo in sanctitate et perfectione dominas et Sorores singularissimas. Si enim quæris scire, quis et qualis fuerit lapis primarius ipsius Ordinis; etsi possit dici beatus Franciscus ipsius Ordinis institutor, inter mulieres tamen fuit ipsa beata Clara, quæ inter filias Jerusalem sanctitate vitæ et meritis dignissima et maxima reperitur : cujus siquidem si cupis agnoscere magna facta, seu magnifica, subsequentia sunt notanda. *Tum breviter ex antiquioribus Actis colligit præcipua* S. Claræ *gesta, quibus immiscuit nonnulla, quæ nos postmodum discutiemus.*

et Jacobus Bergomas elogio exornant.

6 *Jacobus Philippus Bergomensis, qui seculo* XV *in Ordine S. Augustini floruit, in Supplemento Chronicorum ad annum Christi 1225 sive lib. 13 in editione Brixiensi apud nos pag. 275 eamdem Sanctam exornat sequenti elogio :* Clara virgo sanctissima et memoratu dignissima, divi Francisci disciplinis et exemplis in divino opere plurimum D erudita, his potissimum temporibus apud Assisium urbem suam virtute sanctitatis et gratiæ multo in pretio habita; et ipsa tanquam apis argumentosa uberes et mellifluos virginum fructus in dominico agro cum divo ipsius patre Francisco producere sategit : cujus fama et virtutibus permoti Honorius et Gregorius summi Pontifices eam honoribus et gratiis adjuvare pro viribus cœperunt. Et cum sanctissime usque ad vitæ exitum vixisset, Alexander quartus postea in Sanctorum catalogo eam aggregavit, et ejus diei festum pridie Idus Augusti celebrari mandavit. *Jam nonnulla præmonere oportet de antiquis ejusdem Sanctæ Actis, quæ post hunc Commentarium prævium edituri sumus.*

Varia exstant exemplaria Vitæ ipsius.

7 *Laurentius Surius Vitam* S. Claræ *ad diem* XII *Augusti collectioni suæ inseruit; sed is more suo subinde stylum mutavit. Nihilhominus Henricus Sedulius Minorita in Historia sua Seraphica editionem Surianam secutus est, quamvis codicem manuscriptum præ manibus haberet, ut ipse in Commentario ad Vitam* S. Claræ *pag. 551 prædicti Operis fatetur his verbis :* Usus sum libro E membranaceo manuscripto bibliothecæ nostræ Lovaniensis vetere et vitioso : quare visum, Surii contextum sequi triginta distinctum capitibus, a quo vetus istud exemplar nonnihil variat. *Bollandus noster editionem Surianam studiose contulit cum Ms. codice Canonicorum Regularium in Corsendonc, qui* quarta pars diversarum Legendarum *inscribitur, et variantes lectiones diligenter annotavit, qua collatione postmodum utemur. Similia sanctæ istius Virginis Acta exstant in Ms. Passionali apud Canonicos Regulares cœnobii Bodecensis in diœcesi Paderbornensi, ex quo Joannes Gamansius noster lectiones ab editione Suriana discrepantes sedulo excerpsit, et anno 1641 ad Majores nostros benevole transmisit.*

quam edemus ex Ms. Codice Musei nostri,

8 *Nos membraneum Musei nostri codicem,* P. *Ms. 19 qui exeunte seculo* XIV *vel ineunte* XV *exaratus videtur, editioni Surianæ prætulimus, etiamsi in hac et illo interdum notabilis discrepantia occurrat : nam in codice nostro prologus et nonnulla miracula desiderantur, quæ ex Surio vel Codice Corsendoncano, et Passionali Bodecensi facile supplebimus, ac in textu uncis [ ] includemus. Contra vero apud Surium omittuntur duo* F *prodigia, quæ in codice nostro leguntur, et quæ in Actis infra edendis a numero 39 usque ad numerum 45 inclusive his signis ( ) distinguemus. Cæterum variantes alicujus momenti lectiones ex editione Suriana vel codice Corsendoncano et Passionali Bodecensi in margine notabimus. Nunc inquirendum superest, quis vetera hæc Acta conscripserit.*

ubi hæc lucubratio tribuitur S. Bonaventuræ,

9 *Prædictus noster Ms. codex Actis memoratæ Virginis hunc titulum præfigit :* Incipit vita sanctæ Claræ virginis, quam composuit devotus doctor Bonaventura. *Forte similis epigraphe incidit in manus F. Valerii Veneti Capuccini, qui anno 1640 Vitam* S. Claræ *Venetiis Italice edidit, ubi in proœmio ad lectorem confidenter asserit, hæc Acta sanctæ Virginis a seraphico doctore Bonaventura conscripta esse, et ibidem opinionem suam quibusdam conjecturis confirmare nititur. Sed bonus vir se ipsum prodit, dum in eodem proœmio Italico affirmat, prologum istorum Actorum a sancto Bonaventura ad Urbanum IV Pontificem dirigi. Deinde opinionem suam funditus evertit, quando Latinum ejusdem Vitæ prologum in linguam Italicam transfert, et ibidem fideliter exponit Italice sequentia prologi Latini verba :*

Suscita-

A Suscitavit propterea pius Deus virginem venerabilem Claram, atque in ea clarissimam seminis lucernam accendit; quam et tu Papa, beatissime pater, super candelabrum ponens, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, virtute percogente signorum, Sanctorum catalogo adscripsisti. *At certe Pontifex ille, quem auctor Actorum hic alloquitur, est Alexander IV Papa, qui ex communi omnium veterum monumentorum testimonio* S. Claram *catalogo Sanctorum adscripsit. Qua igitur verisimilitudinis specie dicitur hic prologus ad Urbanum IV Pontificem dirigi? Quinimo F. Valerius Venetus cum se ipso pugnat : nam in Italica* S. Claræ *Vita, cap. 45 fatetur, venerabilem illam Virginem ab Alexandro IV Pontifice in numerum Sanctorum relatam fuisse, dum interim antea asseruit, quod S. Bonaventura in prologo Actorum Urbanum IV Papam alloquatur. Hæc combinet, qui potest, cum ea nos conciliare non possimus.*

quam opinionem perperam amplectitur F. Valerius Venetus,

10 *Præterea in eodem F. Valerio majorem fidelitatem aut crisim cogor desiderare, quia textum prologi Latini corrupit, aut ab alio corruptum, sine criterio ad opinionem suam stabiliendam adhibuit : siquidem antiquus memorati* B *prologi auctor ad fidem scriptioni suæ conciliandam inter alia unum refert hoc modo :* Ad socios beati Francisci, atque ad ipsum collegium virginum Christi perrexi. *Hanc autem periodum F. Valerius ita interpretatur :* Recurri ad sanctos socios MEI beatissimi patris Francisci, institutoris et fundatoris dignissimi prædictorum Ordinum, et ad sacrum collegium virginum Christi, quæ simul cum Clara vixerunt. *Cur interpres Italus hic addit* mei, *cum in textu Latino ea vox non legatur? Existimo, quod hoc nomen possessivum ab alio additum invenerit, aut ipse addiderit, ut illam lucubrationem scriptori Franciscano tribueret, et tanto facilius nobis persuaderet, eamdem a sancto Bonaventura compositam fuisse. Equidem fateor, codicem nostrum manuscriptum (tamen memineris, in eo prologum Actorum deesse) opinioni Fratris Valerii favere, et Legendam* S. Claræ *asseveranter seraphico doctori tribuere; verum antiquitas istius codicis vel auctoritas ignoti amanuensis apud nos tanta non est, ut propterea refragemur eruditis viris, quos jam enumerabimus.*

dum plures eruditi eam adscribunt anonymo coævo.

C 11 *Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die circa Legendam* S. Claræ *observat sequentia :* Exstant ejus præclarissima vitæ Acta apud Surium tomo IV jussu Alexandri Quarti Romani Pontificis scripta, qui eam inter Sanctas censuit adnumerandam anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, cum jam ante biennium ex hac vita migrasset. De eadem Antoninus in tertia parte tit. 24 cap. 6, et nuper pluribus Chronicon Franciscanorum et alii. *Nullum hic fit verbum de sancto Bonaventura, quem eminentissimus scriptor haud dubie hoc loco nominasset, si credidisset, illum Acta* S. Claræ *litteris mandasse. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1212 num. 10 clarius mentem suam aperit agens de vetustis ejusdem Virginis Actis,* quæ casto stylo narravit doctus, *inquit,* sed ignotus auctor anno a sanctæ Virginis obitu secundo, jussu Alexandri IV Pontificis, ut ex ejus præfatione, quam subjungimus, legenti constabit. *Waddingum secutus est Arturus a Monasterio in notis ad Martyrologium suum Franciscanum, ubi die* XII *ad annuntiationem* S. Claræ *§ 1 de veteribus illius Actis sic disserit :* Gesta factaque illustriora enarravit quidam anonymus jussu Alexandri IV præfati Papæ; quæ etiam exinde transcripsere Surius, Sedulius, Villegas, Gazetus, Haræus, Renatus Benedictus, Ribadeneira, Doubletus, Binetus et cæteri in Vita sanctæ Claræ virginis XII Augusti, quam et ipse Sedulius scholiis illustravit. *Sedulius ille initio scholiorum suorum in Historia Seraphica pag. 551 antiquam* S. Claræ *Vitam auctori ignoto diserte adscribit. His addere possemus Fortunatum Huberum in Menologio suo Franciscano, aliosque recentiores, qui eamdem sententiam amplexi sunt. Sed ex hactenus dictis abunde liquet, nos imprudenter contra torrentem nixuros, si propter titulum codicis nostri et opinionem F. Valerii Veneti illam lucubrationem asseveranter sancto Bonaventuræ tribueremus.*

Auctore G. C.

ex quo biographi recentiores similia Sanctæ Acta contraxerunt,

12 *At quiscunque demum fuerit scriptor veterum Actorum, ea magnam fidem merentur, quandoquidem jussu Alexandri IV Pontificis ab auctore coævo diligenter et cordate collecta sunt, ut ex prologo liquet. Propterea historiographi sacri posteriorum temporum hanc* S. Claræ *Vitam tanti fecerunt, ut eam certatim scriptis suis inseruerint, aut in compendium redegerint. Sic Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, quem* E *Vicentiæ anno 1493 impressum habemus, lib. 7 cap. 52 nobis antiquam Actorum illorum synopsin exhibet. Huic Petro de Natalibus, qui circa medium seculi* XIV *Acta plurimorum Sanctorum collegit, ordine temporis proxime succedit Bartholomæus Pisanus Minorita, qui lib. 1 Conformitatum, fructu 8, apud nos fol. 104 et sequentibus Vitam* S. Claræ *alia methodo digessit, et ei addidit nonnulla, quæ infra per decursum examinabimus. Deinde S. Antoninus Parte 3 Chronicorum tit. 24 cap. 6 veterem ejusdem sanctæ Virginis Legendam primigenia fere phrasi transcripsit. Circa finem seculi* XV *Hilarion monachus Benedictinus, et Boninus Mombritius compendiosam hujus Sanctæ Vitam alio stylo exornarunt, aut exornatam invenerunt, et hagiologiis suis inseruerunt. Denique Jacobus Philippus Bergomensis circa eadem tempora in Opere de claris mulieribus cap. 147 præcipua* S. Claræ *gesta breviter narravit. Etsi pleraque hæc posterioris ævi scripta vel Actorum compendia dispositione et stylo inter se ab auctore primigenio nonnihil discrepent, tamen omnia videntur ex eodem veterum Actorum nostrorum fonte prodiisse. Quare satis* F *erit, prima illa auctoris synchroni Acta post hunc Commentarium typis edere : si tamen inter hoc antiquum monumentum et alia recentiora discrimen aliquod notatu dignum occurrerit, de eo curiosum lectorem alicubi monebimus.*

aut in idioma vernaculum transtulerunt.

13 *Vix operæ pretium est recensere scriptores illos, qui duobus seculis sequentibus Acta* S. Claræ *tum Latino vernaculo idiomate ediderunt. Ne quis tamen etiam in hac parte aliquid a nobis frustra desideret, saltem breviter indicabimus illos biographos recentiores, quos ad manum habemus. In primis in Vinea S. Francisci, quæ anno 1518 Antverpiæ typis excusa est, Acta hujus Virginis Flandrice leguntur. Dein Marcus Ulyssiponensis in Chronicis Minorum parte 1, lib. 8 cap. 1 et triginta tribus sequentibus gesta* S. Claræ *eleganti stylo Lusitanice prosecutus est, ac typis Ulyssiponensibus vulgavit. Frater vero Valerius Venetus Capucinus, de quo supra mentionem fecimus,* S. Claram *et illustres ejusdem Ordinis moniales opere Italico exornavit. Post hos Franciscus Hendrick Minorita Vitam ejusdem sanctæ*

Virgi-

AUCTORE G. C.

Virginis Gallice conscripsit, et anno Christi 1631 in urbe Audomarensi excudi curavit. Denique Lucas Waddingus eadem Acta per annos digessit, et tum ex veteri biographo tum ex recentioribus collegit, ut ipse in Annalibus Minorum ad annum Christi 1255 num. 7 testatur his verbis : Hæc sunt, quæ variis annorum temporibus, ex variis item scriptoribus mihi dicenda erant de præclarissima Virgine. Serium nihil prætermisimus ex observatis apud Bartholomæum Pisanum, Antoninum, Rodulphum, Surium et Sedulium. *Nos ea Sanctæ gesta, in quibus apud Waddingum aliqua difficultas aut discrepantia occurrit, paragraphis sequentibus accurrate discutere conabimur.*

§ II. Quædam circa veram Sanctæ genealogiam, Religiosam professionem, Ordinis institutionem, et auctorem Regulæ examinantur.

B

Hæc sancta Virgo ex nobili stirpe orta est,

Omnes *biographi consentiunt,* S. Claram *militari, id est secundum phrasim istius temporis, nobili genere ortam esse. Unde Bartholomæus Pisanus lib. 1 Conformitatum apud nos fol. 104 verso de progenie illius sic scribit :* Nobilibus est orta parentibus; pater ejus et fratres fuerunt milites de nobilioribus Assisii civitatis; mater etiam ipsius, nomine Hortulana, nobilis fuit genere, sed nobilior vitæ sanctitate. *Petrus de Natalibus, postea episcopus Equilinus, in catalogo Sanctorum lib. 7 cap. 52 eamdem stirpis nobilitatem indicat his verbis :* Clara virgo Ordinis dominarum pauperum sancti Damiani de civitate Assisii nobilibus orta parentibus, ab annis puerilibus Christi servitio mancipata, virginitatem suam Domino dedicavit. *Mombritius in antiquioribus monumentis, ni fallor, de illustri stemmate ejusdem Virginis invenit ea, quæ initio Actorum ipsius ita refert :* Originis quidem nobilitate ac conversationis honestate præclaris orta parentibus, post acceptam supernæ gratiæ claritatem non solum in urbe Assisio, verum etiam in orbe terrarum longe clarior refulsit. *Huic fere consonant verba Hilarionis monachi Benedictini, qui in Legendario abbreviato, seu Supplemento Jacobi de Voragine fol. 72 hæc habet :* Venerabilis Christi sponsa Deoque dicata Clara, de civitate Assisii præclaris exorta parentibus, post acceptam supernæ gratiæ claritatem in toto terrarum orbe refulsit. *Ex his patet, de nobili Sanctæ nostræ prosapia prudenter dubitari non posse.*

C

etsi auctores in enarranda ipsius genealogia

15 *Sed nemo ex his auctoribus proavos* S. Claræ *recenset, aut familiam ipsius distincte explicat. Quapropter ignoramus, ex quibus monumentis Petrus Rodulphius Tossinianensis, Franciscanus Conventualis, eruerit ea, quæ in Historiis Seraphicæ Religionis lib. 1, fol. 132 verso de progenitoribus hujus Sanctæ asseveranter tradit hoc modo :* Fuit beatæ Claræ divi Francisci primiceriæ proavus Paulus quidam bonæ conditionis civis Assisii, cujus filius, Bernardus nomine, tres filios suscepit, Paulum, Favorinum, Monaldum, qui milites fuerunt sine vi, sine tumultu, studio et voluntate humani. Favorinus ex domina Hortulana ejus conjuge suscepit duas filias Claram et Agnetem, illustres quidem virgines et indelebilis memoriæ, dignas plane tanta matre, quæ et ipsa post viri obitum miracula fecit. *Utinam anonymus veterum Actorum scriptor distinctiorem hujus stirpis notitiam posteris reliquisset, aut saltem Rodulphius verbo indicasset, ex quibus instrumentis suam assertionem hauserit !*

D

nonnihil inter se discrepent.

16 *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1212 post relatum anonymi biographi textum de prosapia* S. Claræ *num. 14 sic disserit :* Genealogiam sanctæ Virginis non observavit hic auctor, quam tamen ego accepi ab eodem cive Assisiate *(hunc civem in Apparatu ad Annales § 3 num. 3 allegaverat)* a quo supra admonui traditam etiam parentum divi Francisci seriem. Rodulphus progenitores Claræ recenset; sed parum aliter, quam habeat hæc genealogia. Paulus ex nobilissima olim illius urbis familia, quæ Sciforum (seu de Fuimi, ut habet R. P. Bartholomæus Cimarella fortassis ex parte materna) dicebatur, proavus fuit sanctæ Claræ : hic genuit Berardutium Scisi, sive, ut habet Rodulphus, Bernardum. Huic tres filii Favaronus (Rodulpho Favorinus) Paulus, Monaldus; qui præclari fuere milites, et terrenarum rerum facultate locupletes. Favaronus ex Hortulana nobili et sancta heroina suscepit filias Claram, Agnetem, et Beatricem sanctam progeniem, quæ genitrici amplioris factæ sunt magistræ virtutis, quas etiam ad claustra secuta, miraculis post obitum viri resplendens. Beatricis non meminit Rodulphus; attamen alibi, dum Claræ recenset discipulas, sororem esse testatur. Paulus procreavit Berardutium juniorem et Angelam, quæ Claræ consanguineæ adhæsit. Berardutius filium habuit unicum, beatum Ruffinum Scisi, Francisci sectatorem. Monaldus vero tres generavit liberos Bosonem, Jolum et Finum. Bosonis filius fuit beatus Sylvester Scisi, Francisci postea sectator. Ultra hunc gradum non inveni, qui amplius deduceret hujus sanctæ feminæ progeniem, licet prædictus Cimarella asserat, beatum Bernardinum Feltrensem Tomitanum Assisii prædicantem circa annum MCDLXXXVII quosdam adhuc sanctæ Claræ stirpis offendisse, et reverenter salutasse. *Ita Waddingus ex cive Assisiate nescio cujus ætatis, apud quem sit fides hujus genealogiæ de qua veteres auctores jam citati non meminerunt. Nunc ad aliam disputantiunculam progrediamur.*

E

F

Aliqui Benedictini S. Claram Ordini suo adscribunt,

17 *Ex litteris anno Christi 1696 ad nos Neapoli datis intelligimus, ibi tunc exortam esse litem inter Benedictinos ac Franciscanos de Religiosa* S. Claræ *professione, atque illic prodiisse plures libellos, quibus Benedictini contendebant, sanctam illam Virginem primo institutum S. Benedicti amplexam esse, ac deinde ad Ordinem S. Francisci transiisse. Eædem litteræ nuntiabant, Franciscanos istis libellis apologeticas responsiones opposuisse. Opuscula illa polemica nec habemus, nec iis indigemus, cum nobis videantur nodum in scirpo quærere et de lana caprina disceptare : nam forte Benedictini quidam id sibi persuaserunt, eo quod* S. Clara *initio conversionis suæ aliquantisper commorata fuerit in cœnobio S. Pauli et in monasterio sancti Angeli de Panso, quæ ad Ordinem suum eo tempore pertinebant. Sed ex brevi illa commoratione, quæ ob turbas consanguineorum aliasve rationes facienda erat, non sequitur Religiosa instituti Benedictini professio, ut cuilibet homini cordato facile patebit.*

quia primo regulam S. Benedicti sequebatur;

18 *Fortasse nonnulli Benedictini* S. Claram *Ordini suo adscripserunt, quia ei et sociabus potissimum præscripta fuit regula S. Benedicti ab Hugolino Cardinali, cujus diploma Waddingus in Annali-*

A *Annalibus Minorum ad annum Christi 1219 num. 46 refert, et ex quo tantum excerpimus sequentia :* Regulam beatissimi Benedicti, in qua virtutum perfectio et summa discretio noscitur instituta, quæ et a sanctis Patribus a principio devote suscepta est, et ab Ecclesia Romana venerabiliter approbata, vobis tradimus observandam in omnibus, in quibus eædem vivendi formulæ vobis a nobis traditæ, secundum quam specialiter vivere decrevistis, contraria minime comprobatur. *Ex hac clausula colligimus, huic regula Benedictinæ ab Hugolino peculiares quasdam vivendi consuetudines sive constitutiones adjunctas fuisse. Haud dubie propter hanc regulæ Benedictinæ observantiam Antonius de Heredia, qui vitas Sanctorum Ordinis Benedictini quatuor voluminibus Matriti circa finem seculi elapsi Hispanice edidit, inter illos tomo III pag. 223* S. Claram *Assisiatem hac die recenset.*

sed hæc ratio nihil evincit, ut inter alia patet

19 *Verum hæc ratiuncula non sufficit, ut* S. Clara *Ordini Benedictino adscribatur : cum enim tunc propria regula monialibus Franciscanis nondum tradita esset, oportebat aliquam regulam* B *ex approbatis Religionibus suscipere juxta quartam synodum Lateranensem anni 1215, quæ decreto 13 apud Labbeum nostrum tomo XI Conciliorum, part.* I, *col. 165 et 168 statuit sequentia :* Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat : sed quicunque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de Religionibus approbatis. *Quid igitur miri, si novæ monialium congregationi, quas S. Franciscus et* S. Clara *ad perfectiorem vivendi modum induxerant, regula Benedictina præscripta fuerit? Adde, quod Cardinalis Hugolinus varias peculiares constitutiones, quæ ab instituto Benedictino non parum discrepabant, regulæ S. Benedicti superaddiderit, ut apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum Christi 1219 num. 46 videre est.*

ex responsione Pontificis ad scrupulum B. Agnetis Bohemicæ

20 *Huc etiam facit scrupulus B. Agnetis Bohemicæ, quæ eamdem regulam amplexa est, et cujus Acta majores nostri ad diem* VI *Martii, tomo I istius mensis a pag. 502 diligenter illustrarunt. Brevitatis causa totam hanc rem transcri-* C *bimus ex Francisco Haroldo, qui in Epitome Annalium Ordinis Minorum ad annum Christi 1243 num. 4 ex Waddingo illam sic contraxit :* Beata Agnes Bohemica angebatur scrupulo, quod in ipsius Pragensi monasterio non servaretur norma Damianitis per Gregorium IX tradita, propterea quod in ea juberetur, ut observent regulam sancti Benedicti; idque sub peccato mortali præceptum timebat, propterea quod in principio normæ Gregorianæ positum sit præceptum obedientiæ, quod illa suspicabatur ad omnia, quæ sequebantur, extendi.

quæ eamdem regulam amplexa fuerat.

21 Quare Innocentius datis ad ipsam litteris hoc anno Idibus Novembris declaravit, quod Sororum universitas suos ab illicitis restringat affectus religiosæ vitæ studio fortius astringantur, præceptum obedientiæ in illa positum fuerit et adjectum de beati Benedicti regula, ut per ipsam quasi præcipuam de regulis approbatis, vestra, inquit, Religio authentica redderetur; nulla tamen propter hoc necessitate vobis inducta, ut ipsam teneamini observare, sicut ex eo clare probatur, quod memoratus prædecessor noster, præsente et audiente Venerab. F. N. Ostiensi episcopo, declaravit, quod regula ipsa Sorores sui Ordinis non ligat ad aliud, nisi ad obedientiam, abdicationem proprii, ac perpetuam castitatem, quæ sub alia cujuslibet Religionis existunt, et in quibus consistit meritum consequendi perpetuæ felicitatis effectum. Quam Pontificis declarationem auctor meus *(nimirum Waddingus, qui in Annalibus Minorum ad annum Christi 1243 num. 22 hæc omnia fusius exponit, ac ipsas Innocentii IV Papæ litteras profert)* digna ponderatione reflectit in quemvis forte suspicantem, sanctam Claram aut suas olim Ordinis S. Benedicti censeri posse. *His tantummodo adjungimus exemplum S. Dominici, qui circa eamdem tempora sibi ac suis sodalibus observandam elegit regulam S. Augustini, et quem tamen cum primis Prædicatoribus Religiosi Augustiniani propterea Ordini suo non vindicarunt. Novo isto litigio satis superque discusso, pergamus ad aliqualem notitiam Ordinis quem* S. Clara *inchoavit, et cui postmodum data est regula propria, de qua inferius agemus.* AUCTORE G. C.

Describitur austeritas Ordinis

22 *Philippus Bonannius noster in Catalogo Ordinum Religiosorum parte 2 cap. 52 institutum istud Monialium, ab hac sancta Virgine cœptum, obiter describit his verbis :* Præter regulas, quas E sanctus Franciscus viris præscripsit, instituit Ordinem sanctimonialium, qui Clarissarum fuit appellatus a beata Clara, quæ inter eas prima fuit anno MCCXII, quando beata Clara habitum religiosum induit; illique regula, ei, quam primam vocant, fere consimilis statuta fuit, confirmata primum a Gregorio IX vivæ vocis oraculo : et deinde ab aliis Pontificibus in variis constitutionibus. Veste rudi lanea sine indusio lineo, ut Fratres, quos dicunt Observantes, induuntur, cum cappa ejusdem coloris usque ad talos fere producta. Velum nigrum, sub quo aliud album, capite gestant, fune crasso circa lumbos præcinctæ. Nudis pedibus cum ligneis sandaliis incedunt. Supra paleas in tabula quiescunt, vigiliis aliisque carnis afflictationibus ob Dei amorem subjectæ.

quem S. Clara inchoavit.

23 *Antiqua hujus habitus gestandi consuetudo partim confirmari potest ex diplomate Innocentii IV Pontificis, qui anno Christi 1254 ad Tolosanas ejusdem Ordinis moniales post alia sic scripsit :* Cum itaque, sicut vestra nobis exhibita petitio continebat, consueveritis secundum observantiam vestri Ordinis tunicam, mantellum, et chordam et velum deferre, et sanctæ memoriæ F Clara abbatissa monasterii S. Damiani de Assisio, mater ipsius Ordinis ejusque Sorores a tempore, quo beatus Franciscus illum instituit usque nunc usæ fuerint chorda pro cingulo, velo quoque, tunica et mantello, quanquam in formula vitæ ipsarum, quam felicis recordationis Gregorius Papa, prædecessor noster tunc in minori constitutus officio, eisdem observandam tradiderat, de chorda vel cingulo minime fecerit mentionem; nos quieti vestræ super hoc providere volentes, vestris devotis precibus inclinati, vobis, ut præmissis chorda, velo, tunica et mantello uti, sicut consuevistis hactenus, libere valeatis, auctoritate præsentium indulgemus, districtius inhibentes, ne super horum quatuor vel alicujus eorum usu quisquam vos impedire de cætero vel molestare præsumat. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1254 num. 49 advertit, hic* S. Claram *ab Innocentio IV appellari* sanctæ memoriæ, *et si tunc nondum solemniter in catalogum sanctarum Virginum relata esset, et postea in Regesto Pontificio pag. 16 diploma ejusdem Papæ exhibet.*

24 *Ex hoc austero Clarissarum Ordine orta est* commo-

AUCTORE G. C.

ex quo dein orta est congregatio mitioris observantiæ,

commodior Monialium congregatio, de qua laudatus Bonannius noster in proxime citato opere cap. 53 hæc habet : Cum seraphicus pater sanctus Franciscus sanctæ Claræ aliisque ejus sociis regulas præscripsisset *(de auctore hujus regulæ infra disputabimus)* eas Innocentius IV anno MCCXLV, ut nimis asperas pro feminis, mitigavit. Et quamvis beata Clara aliæque multæ paupertatem amantes, primævam regulam observari curassent, attamen Sororum numero et fervore pristino tepescente, Urbanus IV secundam regulam edidit, et annuos redditus sane possideri ab eis posse decrevit. Hinc Sorores hujusmodi Urbanistæ dictæ sunt : vocantur tamen beati Francisci filiæ, et divæ Claræ alumnæ. Veste coloris subnigri induuntur, cui scapulare addunt ejusdem coloris; mantellum humeris gestant coloris ravi cum divinis functionibus intersunt : aliquæ tamen ejusdem Ordinis mantello utuntur breviori, ut Romæ in cœnobio sancti Silvestri in Capite appellato. Funiculo albo, quinque nodis distincto, lumbos sub scapulare cingunt : velo albo caput contegunt, cui aliud nigrum addunt; calceamentis utuntur, et bona possident in B communi. *Illustrissimus Gonzaga in Origine seraphicæ Religionis Franciscanæ part. 1, pag. 3 de utroque illo monialium Ordine similia tradit.*

etsi plura cœnobia primævum rigorem servaverint vel resumpserint.

25 *Ineunte seculo* XV *beata Coleta, cujus Acta in Opere nostro ad diem* VI *Martii illustrata sunt, multa monialium cœnobia pristinæ paupertati restituit præsertim in Belgio, Gallia, et Germania, quæ primævum Ordinis rigorem adhuc constantissime servant. Sunt etiam alia strictioris observantiæ monasteria, de quibus memoratus Bonannius cap. 56 citatæ partis secundæ sic breviter meminit :* Plurima alia cœnobia feminarum sunt in diversis orbis regionibus, quæ sub regula sancti Francisci vivunt, et passim pœnitentes vocitantur. Aliquæ eremitarum more in cellis divisis asperrimam vitam ducunt. In Germania aliquæ sunt in silvis degentes murorum tamen circuitu occlusis; sed earum catologum texere si vellemus, immensus esset labor. Habitu ut plurimum parum inter se differant; conveniunt tamen omnes in eo, quod rudem illum gestent sine indusio, pedibusque nudis cum sandaliis incedant. Hujus generis duo cœnobia fundavit venerabilis Soror Francisca a C Jesu Maria ex Farnesiorum stirpe, alterum in urbe Albana anno MDCXXXI, alterum Romæ sub titulo Conceptionis in Regione montium anno MDCXLIII. Albanensium monialium imaginem hic exponimus veste Franciscanorum, qui de Observantia dicuntur, indutam. Sandaliis e cannabe utuntur : velo albo caput tegunt, cui pannum e gossypio nigrum superaddunt, et globulos precatorios nigros e collo pendentes supra scapulare ante pectus semper gestant, fune rudi præcinctæ. *Porro has aliasque monialium Franciscanarum congregationes fuse memorat Helyotus in Opere Gallico de Ordinibus Religiosis et militaribus, ubi tomo VII a pag. 180, seu parte 5 cap. 25 et sequentibus consuli potest.*

Regula Clarissarum,

26 *Nunc revertamur ad primam regulam sive ordinatam vivendi formulam, quam Cardinalis Hugolinus* S. Claræ *ac sodalibus præscripsit. Illam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1219 num. 46 integram exhibuit, et ibidem numero sequente post eam ex Regesto Innocentii IV Pontificis relatam sic monet :* Sub hac regula et supra nominato visitatore vixerunt aliquot annis, donec propriam regulam Claræ et sectatricibus præscripserit sanctus Franciscus, præsente et conscribente Hugolino, ut ad annum MCCXXIV largius dicemus. *Deinde ad annum Christi* D *1224, ut promiserat, num. 1 de hac nova regula agit, eamque totam ibidem Annalibus suis inseruit. Præterea Waddingus eamdem regulam propriam inter Opuscula sancti Francisci, anno 1623 Antverpiæ edita, tomo II, pag. 190 retulit, atque annotationibus illustravit.*

cujus hic summa capita tantum attinguntur.

27 *Nos iterum brevitati consulentes, hanc rem excerpimus ex laudato Haroldo, qui in Epitome Annalium Ordinis Minorum ad annum Christi 1224 num. 1 omnia illa sic in compendium redegit :* Sancta virgo Clara et ejus regimini subjectæ Sorores in monasterio Sancti Damiani eodem cum Francisco paupertaris et omnimodæ austeritatis zelo succensæ, nec sancti Benedicti regulam nec proprias ordinationes, a Cardinale Hugolino illis traditas, libenter amplexæ, flagitabant ab ipso Francisco eamdem sibi vivendi normam præscribi, quam ipsi Minores Fratres sequebantur. Franciscus ergo, earum desiderio cum Cardinale communicato, eodemque juvante, scripsit regulam Minoriticæ consimilem, quantum sexus conditio, et clausura permiserat, totidemque in capitula divisam his titulis : I Regula de vita Sororum E pauperum. II. Qualiter recipi debeant. III. De divino officio, et jejunio, et quoties communicent. IV. De electione abbatissæ. V. De silentio, et modo loquendi ad locutorium et ad cratem. VI. Qualiter Sorores non recipiant possessionem aliquam vel proprietatem per se, vel per interpositam personam. VII. De modo laborandi. VIII. Qualiter Sorores nihil sibi approprient, et de infirmis Sororibus. IX. De pœnitentia Sororibus imponenda. X. De visitatione Sororum ab abbatissa. XI. De ostiaria. XII. De visitatore; in quo capite tandem obligantur Sorores Cardinalem protectorem Ordinis Fratrum Minorum pro suo etiam gubernatore, correctore, et protectore habere. *Jam paucis indagandum est, quisnam verus hujus regulæ auctor fuerit.*

et quam alii ab Innocentio III Papa datam volunt,

28 *Bartholomæus Pisanus in libro Conformitatum fol. 105 inter gesta* S. Claræ *hoc memorat :* A domino Innocentio tertio regulam pauperum dominarum ipsam *(lege* ipsa, *videlicet* Clara, *de qua ibi agit)* petiit et obtinuit, cujus principium ipse Pontifex plorando ex devotione conscripsit manu sua. *At scriptor ille sibi non constat :* F *nam postea folio 109 verso, et folio 134 ejusdem Operis diserte asserit, S. Franciscum virgini* Claræ *ejusdem sociabus regulam præscripsisse. Nihilominus priorem Pisani opinionem sequitur Petrus Rodulphius Tossinianensis, dum in historiis Seraphicæ Religionis lib. 1 fol. 132 sic scribit :* Beatus pater Franciscus novæ familiæ dux inclytus post paranymphos et amicos Sponsi, qui stant et gaudent, similem inter mulieres Ordinem instituit anno MCCXII, quem sex annis ante futurum in Ecclesia spiritu prophetico plenus prædixerat, dum ecclesiam Sancti Damiani ardenti animo et sollicito mirifice repararet : quem Alexander IV Pontifex et Innocentius III approbavit, et Minorum Ordini subjecit; in quo plurimæ postea vitæ sanctitate, candidis ac castissimis moribus Virgines profecere : quinquaginta enim alias secum attraxit beata Clara, inter quas fuit domina Hortulana, carissima ejus parens, incepitque Ordinem pauperum dominarum, nihil habens in communi, neque in proprio. A domino Innocentio III regulam ipsa petiit et obtinuit, cujus principium ipse Pontifex manu propria pene flens ex devotione conscripsit.

29 *Verum huic postremæ assertioni, quam Rodulphius*

probabilius videtur ab Hugolino Cardinali

A *dulphius verosimiliter ex Pisano desumpsit, varia opponi possunt argumenta : Waddingus enim in Annalibus Minorum ad annum Christi 1224 num. 1 ex veteribus scriptoribus has pias lacrymas Cardinali Hugolino ita tribuit :* Uterque tam Cardinalis quam Franciscus supererat operi, et leges observandas simul ferebant, aptantes Minoriticas femineæ fragilitati. Licet has ipsa Clara optarit et petierit, tamen Cardinalis, dum eas simul cum sancto Francisco scriberet, non poterat se cohibere a lacrymis, considerans virginum fervorem, muliebri infirmitate superiorem .... Pietatem et lacrymas Cardinalis, dum hanc regulam conscriberet, referunt Philippus a Perusio in illa, quam superius exscripsimus, epistola ad Gundisalvum Ministrum, Marianus, et Bernardus de Bessa. *Hanc epistolam Philippi de Perusio Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1217 num. 6 refert, in qua ibidem ad rem nostram leguntur sequentia :* Hoc tantum audivi ab antiquis patribus, quod ipse *(nempe Hugolinus Ostiensis episcopus, de quo ibi sermo est)* cum beato Francisco patre nostro ordinaverunt et scripserunt regulam Sororum Ordinis S. Damiani,
B qui modo vocatur Ordo sanctæ Claræ, adinstar regulæ Fratrum Minorum; propter cujus regulæ arctitudinem partim compassione Cardinalis ipse profundebatur * multis lacrymis in scribendo.

** forte perfundebatur simul cum S. Francisco postmodum composita fuisse.*

30 *Insuper illa Rodulphii opinio repugnat Constitutioni Innocentii IV Pontificis, qui anno Christi 1253 eamdem regulam confirmavit, ubi apud Laertium Cherubinum tomo I Bullarii Romani pag. 72 præmonet, quod Raynaldus episcopus Ostiensis ac Velitrensis censuerit approbandam vitæ formulam,* vobis a beato Francisco traditam, *inquit,* et a vobis sponte susceptam. *Tum Pontifex Constitutioni suæ inserit verba laudati Raynaldi, quæ ad* S. Claram *sociasque directa sic ibidem sonant :* Eapropter vestris piis precibus inclinati formam vivendi ac modum sanctæ unitatis ac altissimæ paupertatis, QUAM VOBIS BEATUS PATER FRANCISCUS VERBO ET SCRIPTO TRADIDIT OBSERVANDAM, præsentibus annotatam, auctoritate domini Papæ et mea, vobis et omnibus in vestro monasterio succedentibus in perpetuum confirmamus, et præsentis scripti patrocinio commu-
C nimus, quæ talis est. *Hoc loco refertur integra illa regula, cujus capita vel duodecim titulos supra ex Haroldo assignavimus. Denique sententia Rodulphii conciliari non potest cum testamento* S. Claræ, *quod postea exhibebimus, et in quo ipsa de S. Francisco hæc pronuntiat :* Postea scripsit nobis formam vivendi. *Omnibus itaque mature expensis, verosimilius existimamus, S. Franciscum et Cardinalem Hugolinum ad hanc regulam condendam simul laborasse, et probabiliorem esse sententiam Waddingi, qui in Annalibus Minorum ad annum 1224 num. 1 rem illam explicat his paucis verbis :* Dum hærebat in verbo aliquo vel periodo Franciscus, Hugolinus suam operam interponebat, et circa quædam mitiganda vel cautius præcipienda suum dabat consilium.

AUCTORE C. C.

§ III. Aliqua Sanctæ gesta in antiquis Actis prætermissa, vel diverso modo narrata, discutiuntur.

Nobis non sat certa videntur illa Sanctæ gesta,

B*artholomæus Pisanus in Libro Conformitatum fol. 104 verso eximium humilitatis actum, quem* S. Clara *initio conversionis suæ exercuerit, narrat his verbis :* Francisco, ad quem pro consilio accessit, suadente ei mundi contemptum, ac de castitate et Christo sponso miranda effante, Clara non trahit ad præfata exsequenda in longum consensum; imo se ad talia peragenda promptam exhibet et volentem; quam probare volens, si sic esset, eidem beatus Franciscus mandavit dicens : Si vis, ut credam tibi, indue te sacco, et vade pro pane per totam civitatem Assisii. Quod et fecit; sed non fuit cognita. *Hactenus nos latet, unde Pisanus eruerit istud factum, quod non satis commode videtur componi*
E *posse cum veteribus Actis nostris : hæc enim apud nos num. 5 tradunt, consilia inter S. Franciscum et ejus Discipulam fuisse occulta, ne rumor publicus iis maligne detraheret; et ibidem num. 7 dicitur* S. Clara *noctu clam consanguineis e domo paterna fugisse. Quomodo igitur S. Franciscus Filiam illam nobilem publice per totam civitatem Assisiensem antea mendicatum misisset, nisi divinitus præsciret ipsam omnibus civibus suis ignotam fore? Utut est, nos fidem hujus rei, de qua antiquus noster biographus non meminit, penes Pisanum relinquimus.*

(excipe res, quas S. Bonaventura suo testimonio confirmat)

32 *Hic scriptor etiam quamdam* S. Claræ *revelationem, quæ ab anonymo veterum Actorum auctore omittitur, fol. 105 verso citati Operis refert in hunc modum :* Cum beatus Franciscus hæsitaret, an ad prædicandum vel ad loca solitaria se deberet conferre; et super hoc, cum vellet scire Domini beneplacitum, Fratrem Massæum ad Fratrem Silvestrum misisset et ad beatam Claram, ut de hoc Domini voluntatem scirent, statim Fratri Silvestro et beatæ Claræ eadem respon-
F sio facta est a Deo, quod scilicet ad prædicandum beatus Franciscus iret, quia ad hoc erat a Deo in mundum directus : et sic egit beatus Franciscus. *Etiamsi antiquus Actorum infra edendorum auctor de hac* S. Claræ *revelatione sileat, tamen S. Bonaventura in Vita S. Francisci cap. 12 camdem rem aliis verbis memorat, cujus auctoritas nobis omnino sufficit, ut huic narrationi plenam fidem adhibeamus.*

33 *Seraphicus Doctor in eadem S. Francisci Vita cap. 15 describit exsequias sancti Patris sui, et ea occasione reverentiam* S. Claræ *et sodalium erga cadaver S. Francisci exprimit his verbis :* Mane autem facto, turbæ quæ convenerant, acceptis arborum ramis et cereorum multiplicatis luminibus cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam sancti Damiani, in qua illa virgo nobilis Clara, nunc gloriosa in cœlis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus margaritis cœlestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1226 num. 42 eamdem S. Francisci defuncti translationem narrat, et proxime relatis seraphici Doctoris verbis statim subjun-*

AUCTORE G. C.

subjungit sequentia : Omnes flere, omnes ereptum sibi Patrem et institutorem dolere; omnes item singulare et cœleste admirari prodigium (*videlicet sacrorum stigmatum, de quibus paulo superius egerat*) tunc recordantes promissi sibi facti a sancto Viro, se quantumvis morti proximum ab illis ante earum obitum videndum. Laboravit autem primiceria Clara pro extrahendo uno clavorum, qui prominebant ex palmis, nec potuit; intinxit tamen sanguine linteolum, et mensus * est sancti Patris corpus, ad cujus staturam postea curavit fieri quoddam receptaculum ad tribunæ dorsum, ubi et ejus imaginem fecit depingi.

** lege* mensa

quæ a recentioribus narrantur,

34 *Nescio, ex quibus monumentis Waddingus desumpserit hæc omnia, si excipias istud; quod tradit de clavo, quem* B. Clara *ex manu S. Francisci extrahere conata est : id enim verosimiliter excerpsit ex Bartholomæo Pisano, qui fol. 309 verso operis jam aliquoties citati inter alios oculatos sacrorum stigmatum testes allegat Sanctam nostram his verbis :* Stigmata et corpus beati Francisci juxta prophetiam ejusdem beata
B Clara vidit cum suis Sororibus, quæ tunc in sancto Damiano morabantur; et hoc dum corpus beati Francisci de sancta Maria de Angelis portaretur Assisium ad sepeliendum : divino enim nutu Fratres dictam viam tenentes, corpus beati Francisci, margaritis stigmatum Christi consignatum, beatæ Claræ et Sororibus, crate remota, ad tangendum et osculandum tradiderunt. Et tunc (ut dicitur) beata Clara conata est removere unum clavum de manibus; sed nullo modo valuit. *De illo* S. Claræ *conatu, et cæteris tunc gestis, quæ Waddingus superaddit, sanctus Bonaventura nullum fecit verbum, licet eamdem sacri cadaveris translationem ad moniales factam narraverit, ut ex numero præcedente apparet.*

et ab antiquo vitæ scriptore omittuntur.

35 *Quinimo Pisanus asserit,* S. Claram *vidisse stigmata S. Francisci adhuc viventis (id tantummodo de stigmatibus manuum intelligendum arbitramur) dum in eodem Opere Conformitatum columna præcedente citati folii 309 versi sic scribit :* Beata Clara vidit stigmata beati Francisci, dum viveret, et vulneri laterali emplastrum quoddam fecit ipsa, ut adhuc ostenditur in monasterio Sanctæ Claræ de Assisio. *Putamus, hic sermonem esse de malagmate aut emplastro, quod*
C *Waddingus a se visum testatur, et de quo in Annalibus Minorum ad annum 1224 num. 23 hæc tradit :* In ecclesia sancti Georgii Clarissarum Assisii vidi adhuc servari quoddam genus cataplasmatis seu emplastri, vulgo Italico antiquo CAMOCIUM dictum (*Italice* camoscio *significat pellem ovis aut similis animalis, ut in Vocabulario Cruscano ad hanc vocem videre est*) quod ad leniendum lateralis plagæ dolorem, et sanguinem retinendum viro sancto fecit virgo sanctissima Clara; similiter et calceos ejusdem Virginis industria ita factos, ut superiorem pedum partem, ne videretur, cooperirent, et inferiorem ita a terra elevarent, ut prominentes clavorum cuspides gressum non omnino impedirent. *At profecto mirum est, saltem obiter de hac* S. Claræ *inspectione vel industria non meminisse synchronum nostrum Actorum scriptorem, aut sanctum Bonaventuram, qui tamen in Vita S. Francisci cap. 13 plures eorumdem stigmatum inspectores allegat. Cum itaque hactenus non noverimus ullos hujus narrationis testes, Bartholomæo Pisano antiquiores, judicium nostrum suspendemus, donec forte vetustiores hujus rei assertores occurrant in Actis S. Francisci, quæ ad diem* IV *Octobris operosius discutienda erunt.* D

Facile tamen admittimus ea,

36 *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1251 num. 14 alia quædam, ab anonymo veterum Actorum scriptore omissa, ex authenticis instrumentis de eadem sancta Virgine refert in hunc modum :* Quodam die dum intensius oraret, flammam divini amoris, qui ardebat in corde, clarius Deus patefecit in corpore ostendens Sorori Benevenutæ Perusinæ (quæ ex primis fuit una discipulis, et rem ipsa in canonizationis processu deposuit) ingentem ignis globum, qui luminosam et pulchram sanctam reddebat Oratricem. Alias dum ante Missam pro aspersione aquæ lustralis ille cantaretur versiculus VIDI AQUAM EGREDIENTEM E LATERE TEMPLI, in contemplationem rapta mysterii, toto illo die filias aqua perfundens benedicta, magno hortabatur affectu, ut sacratissimam illam aquam, quæ e latere Christi in cruce pendentis exivit, semper haberent in mente. Vis etiam interni hujus caloris quiescere non permittebat amantem, nec satis se fecisse putabat, nisi omnino se in holocaustum et hostiam Deo offerret per martyrium. Dum itaque E
audiit, quinque illos fidei athletas, sacras Minorum primitias, apud Marrochium pro Christo passos, omni conatu et arte studebat ad eumdem martyrii locum proficisci, ut suo sanguine plenam sui amoris faceret fidem. Neque intentatum reliquit iter; sed retraxit pius magister Franciscus dicens, domi etiam intra claustri angustias prolixum ei paratum esse martyrium, ejusque præsentiam et vitam longiorem necessariam esse discipulis educandis et pio instituto promovendo.

quæ Waddingus ex Processu canonizationis refert,

37 *Deinde hic auctor ad eumdem Christi annum num. 19 de* S. Clara *narrat aliud prodigium his verbis :* Ex processu canonizationis habetur, super caput ejus, dum morti propinqua sanctam susciperet Eucharistiam de manu Provincialis Ministri, Sororem Franciscam de Collemedio vidisse ingentem ignis globum, et Hostiæ formulam conversam in pulcherrimum infantulum; atque ipsam Claram post susceptum cum mira reverentia et lacrymis vivificum Sacramentum, adjunxisse : Tantum mihi contulit Dominus omnipotens hodie beneficium, ut cœlo terræve nequeat comparari. Eademque Soror ibidem deponit, se in festo sanctorum Philippi et Jacobi in gremio sanctæ Virginis vidisse indicibilis pulchritudinis F
infantem, erectasque super Claræ caput duas alas fulgentissimas, quæ aliquando extendebantur in altum, aliquando deprimebantur, Virginis caput et humeros mirabiliter contegentes. *Etsi Processum illum canonizationis videre nobis non licuerit, tamen libenter credimus sincero et erudito Waddingo, qui haud dubie antiquum istud monumentum præ manibus habuit.*

licet non assentiamur eidem auctori,

38 *Verum non tam facile assentimur eidem Waddingo, dum in laudatis Annalibus Minorum ad annum Christi 1253 num. 2 aliud quoddam miraculum, infra ex nostro Ms. codice in Actis a num. 43 aliter referendum, adornat his circumstantiis :* Petit exinde a summo Pontifice vultu angelico remissionem omnium peccatorum. Qui cum diceret : Utinam ego tanta venia indigerem, perfectæ absolutionis munus, et Apostolicæ benedictionis gratiam impartitur. Traxit sanctas moras cum Virgine a primo mane usque ad Tertiam, dulciter confabulatus de rebus divinis : dumque jam tempus esset, ut languidula ad medici præscriptum comederet, supplex rogavit Christi Vicarium, ut apposita benediceret. Cui Pontifex : Ego nunc tibi committo, ut ipsa benedicas;

A cas; et demum humiliter reluctanti et discrete se excusanti, ut ita faceret, præcepit. Non licuit amplius tanto refragari præcepto. Quare crucis signo consecravit edulia, quod mox apparuit in pane coram posito, atque aliis pluribus studiose illic adductis ab architriclina, ut a Pontifice benedicerentur: etenim in omnibus continuo apparuit crucis signum et panis Dei Famulæ appositus in crucis formam scissus, quatuor abiit in partes. Prodigiosus hic eventus amplius confirmavit sanctissimo Patri cæterisque adstantibus sanctitatis virgineæ dignitatem.

dum miraculum quoddam differt usque ad imminentem Sanctæ obitum,

39 *Hæc chronologiæ et narrationis adjuncta indicant, prodigium istud non diu ante mortem* S. Claræ *contigisse, et consequenter Pontificem illum Romanum, qui tunc sanctam Virginem visitavit, Innocentium IV fuisse. At Guilielmus Spoelberch Minorita, qui Antverpiæ anno 1620 Speculum S. Francisci mutato stylo edidit, et quem ipse Annalista Minorum ibidem in margine citat, part. 2 Speculi cap. 30 illam Waddingi opinionem penitus evertit, nam post dictum caput in notis expresse monet, quod Pontifex iste, coram quo tunc* S. Clara *panes signo crucis signa-* B *vit, fuerit* Gregorius nonus: *qui anno Christi 1241 ex hac vita migravit. Præterea in Actis nostris et in Speculo S. Francisci nullum fit verbum de pane in quatuor partes mirabiliter scisso, licet Pisanus istud scissionis prodigium etiam ad omnes illos panes extenderit, quando in Libro Conformitatum fol. 105 eamdem rem ita narrat:* Dum dominus Papa monasterium ipsius beatæ Claræ ad ipsam visitandam intrasset, præparari fecit mensam Sororum, ut ipse summus Pontifex eam ante suum benediceret recessum: et cum super hoc ipsum Pontificem beata Clara rogasset, ipse versa vice eidem mandavit, ut mensam ipsam coram eo benediceret: quod cum ipsa (ut obedientiæ filia) peregisset, videntibus Papa, Cardinalibus, et aliis, in panibus (scilicet in quolibet) statim apparuit signum crucis, et quilibet panis in crucis modum in quatuor partes se divisit. Quo miraculo stupefacti astantes, cum maxima devotione de prædictis panibus quilibet partem suam accepit. *Sed neque hic, neque in aliis veteribus documentis ullum occurrit verbum, ex quo colligas, istud prodigiosæ benedictionis miraculum usque ad* C *mortem* S. Claræ *differendum esse.*

ad quæ tempora potius spectat testamentum ejus,

40 *Potius ad illa propinquæ mortis tempora pertinet testamentum ejusdem sanctæ Virginis, quod exemplo S. Francisci jam moritura filiabus suis spiritualibus reliquit, et quod Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1253 num. 5 ex antiquo Ms. Memoriali sic recitat:* In nomine Domini, amen. Inter alia beneficia, quæ a largitore nostro Patre misericordiarum recepimus, et quotidie recepimus, exinde ipsi glorioso gratiarum actiones referre magis debemus. Magna est vocatio nostra, quæ quanto perfectior et major est, tanto magis illi plurimum debemus. Unde Apostolus: Agnosce vocationem tuam. Factus est nobis Filius Dei via, quam verbo et exemplo ostendit, et docuit nos beatus pater noster Franciscus, verus amator et imitator ipsius. Igitur considerare debemus, Sorores dilectæ, immensa beneficia Dei nobis collata, sed inter cætera, quæ per servum suum dilectum Patrem nostrum beatum Franciscum in nobis dignatus est operari, non solum post conversionem nostram, sed etiam dum essemus in seculi vanitate: nam cum ipse Sanctus adhuc non habens Fratres nec socios, statim quasi post conversionem suam cum ecclesiam Sancti Damiani ædificaret, ubi consolatione divina totaliter visitatus, compulsus est seculum ex toto relinquere, præ magna lætitia et illustratione Spiritus Sancti de nobis prophetizavit, quod Dominus post implevit: ascendens enim tunc temporis super murum dictæ ecclesiæ, quibusdam pauperibus ibi juxta morantibus alta voce lingua Francigena loquebatur: « Venite et adjuvate me in opere monasterii Sancti Damiani, quoniam adhuc erunt dominæ ibi, quarum famosa et sancta conversatione glorificabitur Pater noster cœlestis in universa Ecclesia sua sancta. »

AUCTORE G. C.

in quo Deum laudat,

41 In hoc ergo considerare possumus copiosam benignitatem Dei in nobis, qui propter abundantem misericordiam et caritatem suam de nostra vocatione et electione per Sanctum suum dignatus est ista loqui; et non solum de nobis ista beatissimus Pater noster prophetizavit, sed etiam de aliis, quæ venturæ erant in vocatione sancta, in quam Dominus nos vocavit. Quanta ergo sollicitudine, quantoque studio mentis et corporis mandata Dei et Patris nostri servare debemus, ut, cooperante Domino, talentum multiplicatum ei E reddamus? Ipse enim Dominus non solum posuit nos ut formam aliis in exemplum et speculum, sed etiam Sororibus nostris, quas ad vocationem nostram Dominus advocavit, ut et ipsæ sint conversantibus in mundo speculum et exemplum. Cum igitur nos vocaverit Dominus ad tam magna, ut in nobis se valeant speculari, quæ aliis sunt in exemplum et speculum, tenemur multum benedicere Dominum et laudare, et ad bene faciendum amplius in Domino confortari. Quapropter si secundum formam prædictam vixerimus, exemplum nobile aliis relinquemus, et æternæ beatitudinis bravium labore brevissimo acquiremus.

propter gratiam vocationis suæ,

42 Postquam altissimus Pater cœlestis per misericordiam suam et gratiam cor meum dignatus est illustrare, ut exemplo et doctrina beatissimi patris nostri Francisci pœnitentiam facerem, paulo post conversionem ipsius, una cum paucis Sororibus, quas Dominus paulo post meam conversionem dederat mihi, obedientiam sibi voluntarie promisi, sicut Dominus lumen gratiæ suæ nobis contulerat per ejus vitam laudabilem et doctrinam. Attendens autem beatus Franciscus, quod essemus debiles et fragiles secundum corpus, nullam tamen neces- F sitatem, paupertatem, laborem, tribulationem, vel vilitatem et contemptum seculi renuimus; imo pro magnis deliciis reputabamus. Exemplis Sanctorum et Fratrum suorum, sicut ipse et Fratres sui examinaverunt frequenter, gavisus est multum in Domino, et ad pietatem erga nos motus, obligavit se, et per se, et per Religionem suam habere semper de nobis, tanquam de Fratribus suis, curam diligentem, et sollicitudinem specialem. Et sic de voluntate Domini et beatissimi patris nostri Francisci ivimus ad ecclesiam sancti Damiani moraturæ: ubi Dominus in brevi tempore per misericordiam suam et gratiam nos multiplicavit, ut impleretur, quod Dominus prædixerat per Sanctum suum: nam steteramus in talio loco, licet parum. Postea scripsit nobis formam vivendi et maxime ut in sancta paupertate semper perseveraremus. Nec contentus fuit in vita sua nos hortari multis sermonibus et exemplis ad amorem et observantiam sanctissimæ paupertatis; sed et plura scripta nobis tradidit, ne post mortem suam ullatenus declinaremus ab ipsa; sicut et Dei Filius, dum vixit in mundo, ab ipsa sancta paupertate nunquam voluit declinare: et bea-

AUCTORE G. C.

beatissimus pater noster Franciscus ejus vestigia imitatus sanctam paupertatem suam, quam elegit per se et per suos Fratres, exemplo suo et doctrina, dum vixit, ab illa nullatenus declinavit.

et discipulas suas ad strictam paupertatis observantiam,

43 Considerans igitur ego Clara, Christi et Sororum pauperum monasterii sancti Domini ancilla, licet indigna, et plantuncula sancti Patris cum aliis meis Sororibus altissimam professionem nostram, et tanti Patris mandatum, fragilitatem quoque aliarum, quam timebamus in nobis post obitum sancti patris nostri Francisci, qui erat columna nostra, unica consolatio post Deum et firmamentum, iterum atque iterum voluntarie nos obligavimus dominæ nostræ sanctissimæ paupertati, ne post mortem meam Sorores, quæ sunt et venturæ sunt, ab ipsa valeant ullatenus declinare. Et sicut ego studiosa et sollicita semper fui sanctam paupertatem, quam domino et patri nostro sancto Francisco promisimus, observare, et ab aliis facere observari, imo etiam ad majorem cautelam sollicita fui à domino Papa Innocentio, sub cujus tempore cœpimus, et ab aliis successoribus suis nostram professionem sanctissimæ pauperatis, quam et Patri nostro promisimus, eorum privilegiis facere corroborari, ne aliquo tempore ab B ipsa ullatenus declinaremus. Quapropter flexis genibus et utroque homine inclinato, sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, summo Pontifici, et præcipue domino Cardinali, qui Religioni Fratrum Minorum et nobis fuerit deputatus, recommendo omnes Sorores meas, quæ sunt et venturæ sunt, ut amore illius Domini, qui pauper positus in præsepio, pauper vixit in seculo, et nudus remansit in patibulo, semper gregi suo pusillo, quem dominus Pater genuit in Ecclesia sua sancta, verbo et exemplo beati patris Francisci, insequendo paupertatem et humilitatem dilecti filii sui et gloriosæ Virginis matris suæ, sanctam paupertatem, quam Deo et beatissimo patri nostro Francisco promisimus, faciat observari, et in ipsa dignetur fovere ipsas semper et conservare.

ad imitationem sancti Francisci,

44 Et sicut Dominus dedit nobis beatissimum patrem nostrum Franciscum in fundatorem, plantatorem, et adjutorem nostrum in servitio Christi, et in iis, quæ Deo et ipsi Patri nostro promisimus, qui etiam, dum vixit, sollicitus fuit verbo et opere semper excolere et fovere nos plantu- C lam suam, sic recommendo et relinquo Sorores meas, quæ sunt et venturæ sunt, successori beati patris nostri Francisci et toti Religioni, ut sint nobis in adjutorium proficiendi semper in melius ad serviendum Deo, et ad observandam præcipue melius sanctissimam paupertatem. Si vero contingeret aliquo tempore, dictas Sorores dictum locum relinquere, et ad alium se transferre, prædictam formam paupertatis, quam Deo et beatissimo patri nostro Francisco promisimus, post mortem meam, ubicunque fuerint, servare nihilominus teneantur. Sit tamen sollicita semper et providens tam illa, quæ erit in officio, quam aliæ Sorores, ne circa supradictum locum de terra acquirant, vel recipiant, nisi quantum extrema necessitas pro horto ad excolenda olera poposcerit. Si autem aliquo tempore pro honestate et remotione monasterii extra septum horti oporteret plus habere de terra, non permittant plus acquiri; nisi quantum extrema necessitas poscit; et illa terra penitus non laboretur, nec seminetur, sed semper solida et inculta permaneat.

inmutuam caritatem,

45 Moneo et hortor in Domino Jesu Christo omnes Sorores meas, quæ sunt et venturæ sunt, ut semper studeant imitari viam sanctæ simplicitatis, humilitatis et paupertatis, ac etiam honesta- D tem sanctæ conversationis, sicut ab initio nostræ conversionis ad Christum edoctæ fuimus a beato patre nostro Francisco: ex quibus non nostris meritis, sed sola misericordia et gratia largitoris, ipse Pater misericordiarum tam his, quæ longe sunt, quam his quæ prope, bonæ famæ semper sint in odorem: et ex caritate Christi invicem diligentes, amorem, quem intus habetis, foris per opera demonstretis, ut ex hoc exemplo provocatæ Sorores semper crescant in amorem Dei, et in mutua caritate. Rogo etiam illam, quæ erit in officio Sororum, ut magis studeat præesse aliis, virtutibus et sanctis moribus, quam officio; quatenus ejus exemplo provocatæ Sorores non tantum ex officio ei obediant, sed potius ex amore. Sit etiam provida et discreta circa Sorores suas, sicut bona mater erga filias suas; et præcipue de iis, quas Dominus dabit, eis secundum necessitatem uniuscujusque studeat providere. Sit etiam tam benigna et communis, ut secure possint manifestare necessitates suas, et recurrere ad eam omni hora confidenter, sicut eis videbitur expedire, tam pro se, quam pro Sororibus suis. Sorores vero, quæ sunt subditæ, recordentur, quod E propter Dominum abnegaverunt proprias voluntates. Unde volo, quod obediant suæ Matri, sicut promiserunt Domino sua spontanea voluntate, ut Mater earum videns caritatem, humilitatem, et unitatem, quas invicem habent, omne onus quod ex officio tolerat, levius portet, et quod molestum est et amarum, propter sanctam earum conversationem ei in dulcedinem convertatur.

aliasque virtutes adhortata,

46 Et quoniam arcta est via et semita, et angusta est porta, per quam itur et intratur ad vitam, pauci sunt, qui ambulant et intrant per eam; et si aliqui sunt, qui ad tempus ambulant per eam, paucissimi sunt, qui perseverant in ea. Beati vero, quibus datum est ambulare per eam, et perseverare usque ad finem. Caveamus ergo, quod si per viam Domini intravimus, quod culpa nostra, negligentia et ignorantia aliquo tempore ab ipsa nullatenus declinemus, ne tanto Domino et suæ Matri Virgini, et patri nostro beato Franscisco, et Ecclesiæ triumphanti et etiam militanti injuriam deferamus. Scriptum est enim: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis. Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesus Chri- F sti, suffragantibus meritis gloriosæ Virginis sanctæ Mariæ matris ejus, et beatissimi patris nostri Francisci et omnium Sanctorum, ut ipse Dominus, qui dedit bonum principium, det incrementum, det etiam semper finalem perseverantiam. Amen. Hoc scriptum, ut melius debeat observari, relinquo vobis carissimis et dilectissimis Sororibus meis præsentibus et futuris in signum benedictionis Domini, et beatissimi patris nostri Francisci, et benedictionis meæ, Matris et ancillæ vestræ. *Ignoramus determinatam ætatem veteris Ms. instrumenti, ex quo Waddingus has ultimæ voluntatis tabulas transcripsit; sed scimus, quod Marcus Ulyssiponensis in Chronico Minorum part. 1 lib. 8 cap. 35 easdem ante Waddingum ex antiquo Memoriali in linguam Lusitanicam transtulerit.*

tis adventum Sororum prophetico spiritu prænuntiat.

47 *Nihil hic dicimus de aliis* S. Claræ *scrisptis, sive epistolis ab ipsa datis, quarum nonnullas Actis B. Agnetis Bohemicæ ad diem* VI *Martii inseruimus. Prætermittimus etiam varia Pontificum Romanorum diplomata seu privilegia eidem sanctæ Virgini et Ordini ipsius concessa, quæ omnia in Annalibus Minorum facile inveniuntur.*

Juve-

A *Juverit tamen hic coronidis loco subnectere quamdam ejusdem Sanctæ jam morituræ revelationem, ab antiquo biographo omissam, de qua Waddingus in jam sæpe laudatis Annalibus Minorum ad annum 1253 num. 7 sic meminit :* Se totam collegit ad tranquillum ex hoc mundo discessum. Sed dum astarent Sorores, inquit : « Abite in occursum Sororum vestrarum, quæ me visum veniunt ex monasterio Florentino Montis-cœli ; abite quantocius ; jam præ foribus sunt, atque aliquantulum prius refectas deducite, ut benedicat eis anima mea, antequam moriar. « Vere prophetasse, compererunt Sorores, feceruntque quod præceperat. Advenis autem et incolis non cessabat Clara ministrare verba salutis, et regularem edocere professionem, dicens, quid debeant facere, et prædicens, quæ futura erant post ejus interitum. Legavit prædicto virginum collegio Florentino suum velum, quod ab abbatissa et Sorore Agnete, Claræ germana, illuc transmissum, integrum et illæsum in præsentem servatur diem, innumeraque patrantur ad ejus contactum miracula, præsertim in pueris lethargicis. *Infra agemus de hoc velo, aliisque spectantibus ad posthu-* B *mam* S. Claræ *gloriam, quam duobus paragraphis sequentibus illustrare ac vindicare conabimur.*

§ IV. Canonizatio Sanctæ, et insana impudensque adversus ipsam calumnia breviter refutata.

Alexander IV in bulla canonizationis.

Omnes chronologi consentiunt, S. Claram *propter evidentia miracula, quibus vivens ac defuncta coruscavit, biennio post mortem, sive anno Christi 1255, solemniter numero sanctarum virginum adscriptam fuisse ; sed exemplaria bullæ canonizationis circa diem hujus solemnitatis inter se discrepant, ut Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1255 num. 5 notavit. Hinc etiam illustrissimus Fontaninus in Codice Canonizationum, quem Romæ anno 1729,* C *edidit, post relatam summi Pontificis constitutionem, qua hæc Sancta Virgo albo Cœlitum inscribitur, nos pag. 96 in notis sic monet :* Claram in cœlum abituram invisit summus Pontifex Innocentius IV, qui etiam ejus funeri [interfuit] cum Cardinalibus, interque hos cum Raynaldo episcopo Ostiensi, qui postmodum Alexander IV Pontifex dictus eam canonizavit Anagniæ anno Domini MCCLV. De die lis est : alii enim die XII, alii XV Augusti ; alii XXVI Septembris ; alii XIX Octobris id factum existimarunt. Hæc tamen dissensio inde orta, quod plures bullæ ea de re non uno tempore datæ fuerint. Etenim illo ævo non semper viri sancti illa ipsa die canonizati sunt, quæ bullæ vulgatæ, ut jam sæpe observatum. Nos ejus Vitam, jussu Alexandri IV conscriptam, apud Surium die XII Augusti, cæteris præferendam putamus, quæ Claram, instante ipso ejus migrationis die, nempe XII Augusti *(obiit die* XI *istius mensis, ut alibi monuimus)* in sanctarum virginum canonem relatam testatur. *At quiscunque fuerit certus canonizationis dies, Pontificia hujus apotheoseos constitutio apud Sedulium, Waddingum, aliosque auctores passim occurrit.*

49 *Decreveram hanc canonizationis bullam transcribere ex prædicta editione Romana anni 1729 ; sed cum ibi mendis scateat, eamdem excerpsi ex Bullario Romano Laertii Cherubini, ubi tomo I a pag. 81 sic sonat :* Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, universis archiepiscopis et episcopis, per regnum Franciæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Clara claris præclara meritis, magnæ in cœlo claritate gloriæ ac in terra splendore miraculorum sublimium, clare claret. Claræ hujus arcta et alta religio hic coruscat ; hujus sursum æterni præmii radiat magnitudo, hujusque virtus signis magnificis, mortalibus illucescit. Huic Claræ intitulatum hic fuit summæ privilegium paupertatis : huic in excelso rependitur inæstimabilis copia thesaurorum : huic a Catholicis plena devotio et honoris cumulus exhibetur. Hanc Claram sua fulgida hic insignierunt opera : hanc Claram in alto divinæ lucis clarificat plenitudo. Hanc Christianis populis prodigiorum ejus insignia stupenda declarant. O Clara multimodæ titulis prædita claritatis ! Ante conversionem tuam utique clara, in conversione clarior ; in claustrali conversatione præclara, et post decursum vitæ præsentis spatium clarissima illuxisti. E

Auctore G. C. anno Christi 1255 edita.

alludens ad nomen S. Claræ.

50 Ab hac Clara clarum exempli speculum huic seculo prodiit. Ab hac inter amœnitates cœlestes suave lilium virginitatis offertur. Ab hac in terris manifesta subventionum remedia sentiuntur. O admiranda Claræ beatæ claritas, quæ quanto studiosius per singula quæritur, tanto splendidior in singulis invenitur ! Emicuit hæc, inquam, in hoc seculo, in Religione præfulsit, in domo illuxit ut radius, in claustro coruscavit ut fulgur. Emicuit in vita, post mortem radiat, claruit in terra, in cœlo relucet. O quanta hujus vehementia luminis, et quam vehemens istius illuminatio claritatis ! Manebat quidem hæc lux secretis inclusa claustralibus, et foras micantes radios emittebat. Colligebatur in arcto cœnobio, et in amplo seculo spargebatur. Servabatur intra, et extra manebat : latebat namque Clara, sed ejus vita patebat. Silebat Clara, sed sua fama clamabat. Celabatur in cella, et in urbibus docebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accensa, tam lucens, abscondi non poterat, quin splenderet, et clarum in domo Domini daret lumen. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret, et suavi odore dominicam aspergeret mansionem. Imo cum F in angusto solitudinis reclusorio alabastrum sui corporis hæc dure contereret, tota omnino Ecclesiæ aula sanctitatis ejus odoribus replebatur.

narrat conversionem ejus,

51 Sane cum ipsa, dum adhuc puella esset in seculo, hunc mundum fragilem et immundum mundo calle ab ætate tenera transilire studeret, et pretiosum suæ virginitatis thesaurum illibato semper pudore custodiens, caritatis et pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea grata et laudabilis ad vicinos et alios fama prodiret, beatus Franciscus, audito hujus famæ præconio, cœpit confestim hortari eam, et ad Christi perfectam inducere servitutem : quæ sacris illius monitis mox adhærens, et mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac soli Domino in paupertate voluntaria famulari desiderans, hoc suum fervens desiderium, quam cito potuit, adimplevit : quæ tandem cuncta sua bona, ut una secum, quidquid etiam habebat, Christi obsequio deputaret, in eleemosynas et pauperum subsidia distribuit et converit. Cumque de seculi strepitu fugiens ad quamdam campestrem declinasset ecclesiam, et ab ipso beato Francisco sacra ibi recepta tonsura, pro-

AUCTORE G. C.

processisset ad aliam, consanguineis ejus ipsam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare pannosque apprehendens ipsius, crinium sui capitis incisura detecta, eisdem consanguineis in hoc fortiter restitit et constanter, quia cum jam esset mente integra juncta Deo, pati non poterat, ab ejus servitio se divelli.

laudat Ordinem monialium,

52 Denique cum ad ecclesiam sancti Damiani extra civitatem Assisinatem, unde traxit originem, per eumdem beatum Franciscum adducta fuisset, ibi ei Dominus ad amorem et cultum assiduum sui nominis, plures socias aggregavit : ab hac siquidem insignis et sacer Ordo sancti Damiani per orbem jam longe diffusus, salutare sumpsit exordium. Hæc, adhortante ipso beato Francisco, huic novæ sanctæque observantiæ sequendum dedit initium : hæc hujus magnæ Religionis fuit primarium et stabile fundamentum : hæc hujus alti operis lapis exstitit primitivus : hæc genere nobilis, sed conversatione nobilior, virginitatem, quam prius etiam custodiverat, sub hac sanctimoniæ regula præcipue conservavit. Hanc postmodum Religionem mater ejus, Hortulana nomine, piis intenta operibus, ipsius natæ sequendo vestigia, B devote suscepit, in qua demum hæc optima Hortulana, quæ in horto Dominico protulit talem plantam, conclusit feliciter dies suos. Post aliquot vero annos ipsa beata Clara monasterii et Sororum regimen, nimia ejusdem sancti Francisci devicta importunitate, recepit.

quas ipsa suo exemplo

53 Hæc utique fuit arbor procera et eminens, longis distenta ramis, quæ in agro Ecclesiæ dulcem fructum Religionis attulit, et ad cujus delectabilem umbram sub illius amœnitate fructum hujusmodi libaturæ concurrerunt undique multæ alumnæ fidei et concurrunt. Hæc fuit nova mulier vallis Spoletanæ, quæ novum aquæ vitalis fontem ad refectionem animarum et commodum propinavit, qui jam per diversos rivulos in territorium Ecclesiæ derivatus, plantaria Religionis infudit. Hæc fuit altum sanctitatis candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cujus ingentem splendorem plurimæ properaverunt et properant, suas de illius lumine lampades accendentes. Hæc profecto in agro fidei plantavit et coluit vineam paupertatis, de qua fructus salutis pingues et divites colliguntur. Hæc in prædio ec- C clesiasticæ humilitatis hortum constituit, multiplici rerum consertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in Religionis districtu arcem arctæ abstinentiæ fabricavit, in qua larga spiritualis alimoniæ refectio ministratur. Hæc fuit pauperum primiceria, ducissa humilium, magistra continentium, et pœnitentium abbatissa. Hæc suum monasterium, creditamque in illo sibi familiam sollicite ac prudenter in timore ac servitio Domini, et plena Ordinis observantia gubernavit; vigil in cura, in ministerio studiosa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in compassione præstabilis, discreta in silentio, in sermone matura, et consulta in cunctis ad perfectum regimen opportunis, volens magis famulari, quam dominari, et honorare potius, quam honore sustolli.

ad rigidam vivendi normam.

54 Hujus vita erat aliis eruditio et doctrina. In hoc libro vitæ cæteræ vivendi regulam didicerunt. In hoc vitæ speculo reliquæ vitæ semitas inspexere Corpore namque sistebat in terra, sed animo versabatur in cœlo, humilitatis vasculum, armarium castitatis, caritatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis et familiaritatis communio; mitis in verbo, lenis in D facto, et in omnibus amabilis et accepta. Et ut, carne depressa, convalesceret spiritu (quia quisque, hoste suo debilitato, fit fortior) nudum solum et interdum sarmenta pro lecto habebat, et pro pulvinari sub capite durum lignum, unaque tunica cum mantello de vili, despecto et hispido panno contenta. His humilibus indumentis ad operimentum sui corporis utebatur, aspero cilicio, de chordulis crinium equorum contexto, nonnunquam adhibito ad carnem. Arcta quoque in cibo et in potu districta, tanta se in his frænabat abstinentia, quod longo tempore tribus diebus in hebdomada, videlicet secunda, quarta et sexta feria, nihil penitus pro sui corporis alimento gustavit; reliquis nihilominus diebus adeo se cibariorum parvitate restringens, quod aliæ de ipsa, quomodo sub tam forti districtione subsistere poterat, mirabantur.

strictamque paupertatis observantiam incitavit,

55 Vigiliis insuper et orationibus assidue dedita, in his præcipue diurna et nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, Sororum suarum suffragio le- E vabatur, et ad tergum ejus fulcimentis appositis, propriis manibus laborabat, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosa. Unde de panno lineo hujus sui studii et laboris plura pro altaris Sacrificio corporalia fieri fecit, et per plana et montana Assisii diversis ecclesiis exhiberi. Amatrix vero præcipua et colona sedula paupertatis sic illam suo affixit animo, sic eam in suis desideriis alligavit, quod semper in ipsius dilectione firmior, et ardentior in amplexu, a districta et delectabili ejus copula pro nulla unquam necessitate discessit, nec aliquibus prorsus potuit induci suasibus ad consentiendum, quod suum monasterium proprias possessiones haberet, quanquam felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster de multa indigentia ipsius monasterii pie cogitans, libenter illi voluerit pro Sororum ejus sustentatione possessiones sufficientes et congruas deputare.

et propter miracula, quæ tum in vita,

56 Verum quia magnum et splendidum lumen súpprimi non potest, quin suæ radios præferat claritatis, in ipsius etiam vita multis et variis miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit : nam cuidam de Sororibus ipsius monasterii vocem, quam F longo tempore quasi omnino perdiderat, restauravit. Alii, officio linguæ penitus destitutæ, loquelam restituit expeditam. Alteri aurem surdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula, et aliis oppressas languoribus liberavit, facto crucis signaculo super eas. Quemdam Fratrem de Ordine Minorum sanavit ab insaniæ passione. Cum autem quadam vice oleum in monasterio totaliter defecisset, ipsa, vocato Fratre, qui erat eidem monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit urceum atque lavit, vacuumque juxta fores ipsius monasterii posuit, ut illum idem Frater pro oleo acquirendo deferret : quem cum vellet ipse apprehendere, invenit eum oleo, beneficio divinæ largitatis impletum. Rursum cum uno die non nisi unius panis medietas pro refectione Sororum in eodem monasterio haberetur, ipsa medietatem eamdem jussit in frusta dividi, et Sororibus dispensari; quam inter manus frangentis ille, qui vivus est panis et dat escam esurientibus, multiplicavit in tantum, quod quinquaginta sufficientes factæ fuerunt exinde portiones, et Sororibus discumbentibus distributæ.

tum post obitum,

57 Per hæc et alia signa conspicua suorum, dum

A dum adhuc viveret innotuit præeminentia meritorum. Nam et cum in extremis ageret, candidus beatarum virginum cœtus, micantibus coronis ornatus, in quo una ex ipsis eminentior et fulgidior apparebat, visus est domum intrare, ubi eadem Christi Famula decumbebat, et usque ad lectulum ejus procedere, ac circa eam quasi visitationis officium ac confortationis solamen quodam humanitatis studio exhibere. Post obitum vero ejus quidam, qui morbo caduco ruebat, et propter crus contractum gradi non poterat, ad sepulcrum delatus ipsius, fuit ibi, crure ipso quasi fragoris sonitum faciente, ab utraque infirmitate curatus. Curvi renibus, membris contracti, præcipites furia et dementi furore ferales receperunt ibidem integram sospitatem. Cuidam sua dextera manus; cujus ipse usum ex illata sibi vehementi percussione ita perdiderat, quod nihil omnino per eam, veluti prorsus inutilem, poterat operari, fuit ad actum suum pristinum ipsius Sanctæ meritis plenarie reformata. Alius, qui diutina cæcitate lumen amiserat oculorum, cum ad idem sepulcrum sub ducatu alterius accessisset, recuperato inibi visu, rediit
B exinde sine duce.

evidenter intercessione sua patravit,

58 His et quamplurimis aliis operibus et miraculis hæc venerabilis Virgo resplenduit gloriosis, ut evidenter appareat adimpletum id, quod de ipsa mater ejus, dum esse ex ea gravida et oraret, dicitur audivisse; videlicet quod paritura erat quoddam lumen, quod orbem plurimum illustraret. Gaudeat itaque mater Ecclesia, quod talem genuit et educavit filiam, quæ tanquam virtutum fœcunda parens multas Religionis alumnas suis produxit exemplis, et ad perfectum Christi servitium pleno magisterio informavit. Lætetur et devota turba fidelium, quod rex cœlorum et Dominus Sororem ipsorum et sociam, quam in sponsam sibi elegerat, ad suum præcelsum et præclarum palatium cum gloria introduxit. Nam et Sanctorum congaudent agmina, quod in superna eorum patria novellæ regalis sponsæ nuptiæ celebrantur.

eam numero sanctarum virginum adscribit.

59 Cæterum quia congruit, ut quam Dominus exaltavit in cœlo, Catholica Ecclesia veneretur in terra, quia de sanctitati vitæ ac miraculis ejus, diligenti et attenta inquisitione, ac examinatione districta et solemni discussione præmissis, liquido
C constitit, licet alias etiam et in propinquis et remotis partibus satis essent præcognita lucida ejus Acta; nos de communi Fratrum nostrorum et prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio et assensu, de omnipotentia divina confisi, auctoritate beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ac nostra ipsam catalogo sanctarum virginum duximus adscribendam: ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pridie Idus Augusti festum ejusdem Virginis devote et solemniter celebretis, et faciatis a vestris subditis venerabiliter celebrari, ut ipsam habere mereamini apud Deum piam et sedulam adjutricem.

et tumulum ipsius pie visitantibus indulgentias concedit.

60 Et ut ad venerandum ejus sepulcrum avidius et copiosius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ipsius festivitas recolatur, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad illud cum reverentia in ejusdem Virginis festo, vel etiam infra ipsius festi Octavas annuatim accesserint, ipsius suffragia humiliter petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, annum unum et quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Anagniæ sexto Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo. *Apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum 1255 num. 6, et in novissima editione Romana Codicis canonizationum pag. 96 dicitur id factum esse* XIV Kalendas Novembris. *In Historia Seraphica Sedulii pag. 550 dies cum Bullario Romano Laertii Cherubini concordat. Alia vero exemplaria alios dies notant, ut jam supra monuimus.*

AUCTORE G. C.

Quamvis Alexander IV fuerit severissimus

61 *Tanto igitur elogio exornatam* S. Claram *catalogo Cœlitum inscripsit Alexander IV, vir in discutiendis Sanctorum gestis admodum severus, qui ab ipsis hæreticis de nimia credulitate accusari non potest: cum enim adhuc esset Cardinalis, et episcopus Ostiensis, Innocentio IV Pontifici in ipsis* Claræ *exsequiis sanctitatem hujus Virginis, sibi intime perspectam, declarare volenti obstitit, ut coævus Actorum scriptor infra apud nos num. 53 testabitur his verbis:* Ventum erat ad celebranda divina, cum, Fratribus incipientibus Officium mortuorum, repente dominus Papa Officium de virginibus, non de mortuis, fieri debere proloquitur, ut prius eam canonizare videretur, quam corpus traditum esset sepulturæ. Respondente E autem viro eminentissimo domino Ostiensi, morosius agendum, Missa de mortuis celebratur. *Ex hac re satis apparet, quod hic postea sub nomine Alexandri IV ad cathedram sancti Petri evectus eamdem Virginem Sanctis non annumeraverit, nisi postquam rigidum examen de virtutibus et miraculis ejus instituisset.*

in discutiendis gestis et miraculis Sanctorum.

62 *Præterea severitas hujus viri in gestis et miraculis Sanctorum discutiendis evidenter colligi potest ex Actis S. Stanislai episcopi et martyris, quæ in opere nostro ad diem* VII *Maii illustrata sunt: nam ibi tomo II istius mensis pag. 202 in antiqua Vitæ synopsi narratur, quomodo idem adhuc Cardinalis et episcopus Ostiensis obstiterit canonizationi S. Stanislai, et non nisi manifesta ejusdem sancti Martyris apparitione inductus fuerit ad eam promovendam, quæ omnia ibidem referuntur his paucis verbis:* Post centum tandem et septuaginta annos excitat Dominus spiritum Prandotæ episcopi Cracoviensis, viri sancti; Boleslai item ducis cum sua conjuge Kinga, femina castissima: qui miraculis sancti Episcopi collectis, et fide publica tanquam igni probatis, legatos ad F Innocentium quartum summum Pontificem mittunt; atque ut tantum virum in numerum Sanctorum referre velit, diligenter precantur. Fit consultatio Assisii, ubi tum forte erat summus Pontifex. Inter alios tum unus adversabatur causæ divi Stanislai Reniholdus *(lege* Reynaldus *vel* Reginaldus, *quo nomine ante Pontificatum appellabatur)* Cardinalis Ostiensis, vir primæ auctoritatis. Incidit hic in gravem et lethalem morbum: cui in somnis apparet divus Stanislaus; indigne illum facere docet, qui Dei resistat voluntati. Excitatur senex, divo se commendat, convalescit, causam antea oppugnatam tuetur. *Joannes Longinus sive Dlugossus eodem tomo II Maii apud nos pag. 257 hanc historiam fusius narrat, et illum Cardinalem, quem rectius* Reginaldum *nominat, Innocentio IV Pontifici in cathedra S. Petri successisse affirmat. Hinc abunde liquet, Cardinalem illum postea summum Pontificem piæ credulitati aut affectui suo non indulsisse, dum anno Christi 1255* Claram *numero sanctarum Virginum accensuit, eamque supra relatis laudibus ornavit.*

63 *Attamen post adeo solemnem* S. Claræ *canonizationem, ab illo rigido miraculorum investigatore factam, inventus fuisse dicitur temera-*

rius

AUCTORE G. C.

tamen fertur quidam Frater huic ejusdem Papæ canonizationi contradixisse,

rius quidam Frater Prædicator, qui huic gravissimo summi Pontificis judicio in publica concione audacter obstreperet; qua de re Franciscus Haroldus in Epitome Annalium Ordinis Minorum, quam duobus voluminibus Romæ anno 1662 edidit, ad annum Christi 1260 num. 7 habet sequentia : Magnum tunc per orbem ferebatur Claræ nomen, et magnam in cœlis gloriam ac merita, magna et frequentia miracula monstrabant; sed tanta est iniquitas invidentiæ humanæ, ut nec Sanctos sanctos esse velint, qui hoc malo agitantur : non defuit enim tunc cujusdam Ordinis Religiosus, qui insano livore Viennæ in Alemannia in publica concione, quam ad populum habuit, in obloquia prophana prorumpens, (ut Pontifex loquitur) pollutis labiis præsumpsit exprimere, quod eadem sancta Clara, cujus felix anima in conspectu fulget Altissimi, Sanctorum non erat aggregata collegio, et quod Apostolicæ Sedis judicium in adscriptione ipsius in catalogum Sanctorum erroneum exstitisset. Hæc ergo Pontificem impulerunt, ut litteris hoc anno datis præcepisset *(potius* præceperit) Priori provinciali illius Religiosi, ut ipsum peremptorie vocatum cogeret, B primum ad recantandam palinodiam, ac deinde ad ipsius Pontificis præsentiam destinaret, suæ temeritatis pœnas luiturum. *Quem exitum ea res habuerit, ignoramus. Cæterum ipsas Alexandri IV Pontificis litteras, hic ab Haroldo indicatas, et* Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Alemannia *inscriptas, Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1260 num. 41 exhibet, quas brevitatis causa omittimus, et apud Waddingum loco proxime citato videndas assignamus.*

et hæretici tum hunc Pontificem, tum ipsam Sanctam,

64 *Insanam hujus Fratris temeritatem superat impietas Centuriatorum Magdeburgensium, qui Centuria 13 hæreticæ suæ farraginis cap. 7, apud nos col. 720, inter alia contumeliosa mendacia impudenti calamo hoc effuderunt :* Alexander quartus Claram virginem, Francisci discipulam (aut si mavis concubinam) ad cœlos migrare jussit pro suo imperio. *Egregii scilicet illi Ecclesiæ Catholicæ reformatores putabant, hanc spiritualem S. Francisci et* S. Claræ *conversationem similem esse sacrilegis nuptiis, quas eorum patriarcha Lutherus, antiquæ fidei et Religiosi* C *Ordinis transfuga, cum fœdifraga ejusdem furfuris moniali celebravit. Væ libidinosis istis hircis, qui Catholicos, etiam sanctos, sibi aut lascivis suis gregalibus similes fingunt! Videtur impios hujusmodi homines designasse S. Judas Apostolus in Catholica sua epistola, ubi inter alia, quæ apte in hos hæreticos quadrant, sic scribit :* In novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. *Sed cum animales isti homines, ut cum Apostolo Paulo I ad Corinth. 2 ✝ 14 loquar, non percipiant ea, quæ sunt spiritus Dei contemptum potius quam operosam refutationem merentur.*

scurriliter calumniantur.

65 *Quapropter Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 1255 num. 24 non censet operæ pretium refellere eosdem calumniatores, qui sine testibus aut tabulis quidlibet effutiunt, et propterea ibidem illos tantum reprehendit his paucis verbis :* De adjecta sanctarum Virginum catalogo beata Clara novatores meminere *(hic in margine citat locum Centuriatorum a nobis supra relatum)* utque solent viri flagitiis contaminatissimi, divina in risum traducere, ac Sanctos blasphemis vocibus concerpere, in D eam vesaniam prorupere, ut divi Francisci (quod stylus horret scribere) concubinam appellarint, atque ad ritum ecclesiasticum damnandum dixerint, Alexandrum pro suo imperio illam in cœlum migrare jussisse : quasi ita sint stupidi ac plumbei, ut possint ignorare, Pontificem eo ritu non Sanctos in cœlum intrudere, sed quos jam Deus conspicuis miraculis cœlesti gloria potiri testatur, Sanctorum, quos Ecclesia ut Numinis amicos ac divinæ aulæ principes gratia apud ipsum florentes veneratur, catalogo adscribere. *Verum* insana blasphemorum ludibria contemnere potius, quam longiori oratione elidere juvat. *Spretis igitur hisce insulsis hæreticorum calumniis, ad posthumam* S. Claræ *gloriam illustrandam progrediamur.*

§ V. Posthuma Sanctæ gloria ex honorifica corporis translatione, visitatione sepulcri, veneratione reliquiarum, et quibusdam miraculis. E

Alexander IV Papa anno 1260

Cum quinque anni a canonizatione S. Claræ *elapsi essent, Alexander IV Pontifex sacrum corpus ejusdem Virginis honorifice transferri jussit, ideoque tribus vicinis episcopis scripsit litteras, quæ in Ms. quodam tractatu apud Franciscanos Conventuales Anconæ conservantur, et quarum apographum inter schedas nostras sic sonat :* Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Perusinæ, Spoletanæ, et Assisiatis diœcesium episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Cum in vigilia festi beati Francisci proxime venturi corpus beatæ Claræ debeat in majus altare transferri, volumus, et præsentibus vobis Apostolica auctoritate districte præcipiendo mandamus, quatenus translationi hujusmodi personaliter interesse curetis, proponentes solemniter verbum Dei populo. Nos enim vobis largiendo in festo translationis ejusdem indulgentiam duorum annorum et duarum quadragenarum annuatim, quam utique indulgentiam, in quantum F protenditur indulgentia concessa in prædicto festo ejusdem beati Francisci, protendi volumus, liberam concedimus Apostolica auctoritate facultatem. Datum Sublaci quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri anno sexto, *qui anno Christi 1260 respondet.*

corpus S. Claræ transferri jussit,

67 *Porro Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1260 num. 40 hanc* S. Claræ *translationem ita memorat :* Completa expensis Pontificiis structura duplicis ecclesiæ intra muros urbis Assisiatis ad ædem sancti Georgii interioris pro monialibus, exterioris *pro* collocando sanctissimæ virginis Claræ corpore, translatus est summa auctoritate pretiosissimus thesaurus a templo sancti Damiani, in quo annis quinque jacuerat, ad novum templum ejus nomini dicatum, præsentibus episcopis Perusino, Spoletano, et Assisiate, quibus præcepit Pontifex, ut omnino interessent. *Si cadaver* S. Claræ *in templo Sancti Damiani usque ad annum Christi 1260 tantummodo annis quinque jacuerit, ut hic dicitur, certe videtur hanc solemnem sacri corporis translationem præcessisse alia, de qua nullam mentionem invenimus : cum enim sancta Virgo anno 1253 obierit, et statim post*

A *post exsequias sepulta fuerit, oportet sacrum ejus corpus postea (puta post biennium, quando catalogo Sanctarum Virginum adscripta est) ex primo sepulturæ loco ad ecclesiam sancti Damiani translatum fuisse; alioquin usque ad annum 1260, quo hæc honorifica translatio facta est, non tantum quinque, sed septem annis, in templo sancti Damiani quievisset.*

cujus translationis memoria quotannis colitur,

68 *Waddingus autem loco proxime citato narrationem suam prosequitur his verbis :* Secutæ sunt Magistram discipulæ, commutantes antiquum et augustum reclusorium novo, amplo, capaci parthenone, quem primum inchoasse Gregorium IX scripsimus superius. Non immerito concessus eis locus, in quo institutor alias jacuit, et Magistræ deponebantur exuviæ. Facta hæc translatio magna cum solemnitate in vigilia ejusdem sancti Institutoris; sed propter solemnitatem festi S. Francisci celebratur secunda die mensis Octobris. *Illud, quod Waddingus hoc loco circa annuam translationis hujus memoriam obiter attingit, postea in iisdem Annalibus ad annum Christi 1357 num. 1 distinctius explicat, dum ibidem de quinB quagesimo tertio Ordinis sui Capitulo generali hæc scribit :* Guilielmus Farinerius Cardinalis et sodalitii Minorum vicarius generalis indixit hoc anno comitia totius Ordinis celebranda Barcinone, in quibus electus est in Ordinis præfectum Frater Joannes Bucchius provinciæ Aquitaniæ, sacræ theologiæ magister, et constitutum est, ut festum translationis sanctæ Claræ, tum a Minoribus, tum a Clarissis fieret secunda die Octobris, ne impedimento esset vigiliæ aut primis Vesperis sancti Francisci, licet usque ad illud tempus celebrari soleret in ipso profesto sancti Patriarchæ.

et postea Pontifices Romani hanc Sanctam venerati sunt.

69 *Inter summos Ecclesiæ Hierarchas, qui* S. Claram *viventem et defunctam magno honore affecerunt, merito numerari potest Clemens IV, de quo Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1265 num. 20 hæc habet :* Ex magno Pontificis affectu erga sanctum Franciscum visitavit personaliter ejus ecclesiam Assisii, et templum sanctæ Claræ, quod consecrari voluit intus et foris per circuitum a Rodulpho Cardinali episcopo Albanensi. Magna solemnitate peractus ritus prima die Septembris in die Dominico, præsente ipso Pontifice et universa curia, consecrante ipso C Pontifice altare majus, sub quo sancta Clara requiescebat. *His* S. Claræ *cultoribus etiam accensendus est Nicolaus IV Pontifex; qui Romæ in templo S. Mariæ Majoris effigiem* S. Claræ *exprimi jussit, ut laudatus Waddingus ad annum 1291 num. 16 testatur. Prætermittimus innumeros cujuscis conditionis homines, qui jam a quatuor seculis venerationis causa ad sepulcrum hujus sanctæ Virginis undique confluxerunt, inter quos nostri Henschenius et Papebrochius anno 1660 corpus* S. Claræ *venerati sunt. Dum hic dicimus, eos corpus istius sanctæ Virginis veneratos esse, major corporis pars accommode intelligenda est : nam quædam hujus sacri cadaveris ossa ad alias regiones translata sunt, ut jam ostendemus.*

Quædam S. Claræ ossa

70 *Illustrissimus Gonzaga tradit, dentem* S. Claræ *aliasque ejus reliquias honorifice conservari in Metensi monialium cœnobio, quod in Origine Seraphicæ Religionis apud nos pag. 575 et sequente sic describit :* In descensu loci eminentioris civitatis Mettensis, juxta quem major Fratrum Conventus ædificatus est, longe ab illo quantum jactus est lapidis, constructum hactenus manet monasterium Sororum sanctæ Claræ Urbanistarum, veteri subverso, quod exstiterat erectum anno Domini MCCLVIII. Ecclesia consecrata fuit (ut videre est ex litteris reverendissimi Mettensis episcopi) patronis Cosma et Damiano martyribus, dente beatæ Claræ virginis conspicua; imo et diversorum Sanctorum, ignotorum tamen, reliquiis celebris : inter quas multa cum reverentia servatur corporale cum bursa, quod propriis manibus confecit, dum superstes esset, sancta Clara, et eo utitur, dum sacra perficit in præcipuis anni festivitatibus venerabilis Sororum Pater et confessarius. Vivunt quam studiosissime in hoc monasterio divinis laudibus intentæ Sorores viginti.

AUCTORE G. C.

in Galliam;

71 *Guilielmus Marlotus in Historia Metropolis Remensis lib. 3 cap. 27 sive tomo II istius Operis pag. 503 agens de adventu Clarissarum in urbem Remensem hæc ad rem nostram scribit :* Habent Mss. codices, Albericum archiepiscopum (cui sanctus Franciscus notus fuit, cum ad concilium Lateranense proficisceretur) de mittendis ejusmodi monialibus cum eo habuisse sermonem, eoque lubentius beatam Claram aliquas sub directione Mariæ de Broye Remos ablegasse, quod E prius de hoc negotio rogata fuerat, ipsisque in pignus amoris dedisse regulam, cingulum, Corporale manu sua textum, cum velo, quæ omnia adhuc religiose in Conventu adservantur. *Deinde Marlotus ibidem pag. 506 et sequente enumerans sacras hujus monasterii reliquias, præcedentibus sic alias superaddit :* Velum album, quod in pignus amoris beata Clara primis monialibus dedit, cum Remos pergerent. Corporale item manu sua textum; particulam cilicii ex crine, et zonam ex filo cannabino, cujus una pars (est enim bipartita) venerationi fidelium exponitur, estque prægnantibus singulare remedium, ad quas plerumque defertur, lotioque fit, extremitate ejusdem in aquam demissa, pro iis, quibus dolent oculi. Os capitis sanctæ Claræ, obtentum ab ecclesiæ parochiali de Erpi Remensis diœcesis, procurante R. P. Guilielmo Giffordio, Remensi archiepiscopo anno MDCXXIV.

diversasque regiones translata sunt,

72 *Rocchus Pirrus tomo II Siciliæ sacræ apud nos pag. 620 inter alias sacras insulæ Melitensis reliquias, quæ in metropolitano militaris hujus Religionis templo honorantur,* manum sanctæ Claræ virginis *recenset. In famoso Hispaniæ monasterio Scorialensi præter alia minora ejusdem* F *Virginis lipsana conservatur os* S. Claræ, *quod duobus digitis longum et medio digito latum est, ut notatur in Hispanico istius cœnobii lipsanologio, quod ibidem anno 1722 exscripsimus. Præterea R. D. Thomas Joannes Pessina de Czechorod in Phosphoro metropolitanæ ecclesiæ Pragensis ordine mensium texuit catalogum sacrarum reliquiarum, quæ in prædicta ecclesia pie asservantur, atque in eo ad diem* XII *Augusti, sive pag. 545 laudati Operis, annuntiat annuam memoriam* sanctæ Claræ Virginis, cujus digitum in monstrantia, quem racquisiverat amatre sua Elisabetha, Carolus *(nimirum imperator IV istius nominis, qui ante medium seculi* XIV *regnare cœpit)* donavit ecclesiæ Pragensi. *Tum ibidem additur* pars de peplo ejus et de pallio. *Denique Arnoldus Rayssius in suo Hierogazophylacio Belgico pag. 81 asserit, Cameraci apud Canonicos Regulares S. Autberti* partem capitis sanctæ Claræ *monstrari.*

simul cum aliis ipsius exuviis.

73 *Masinius tomo I Bononiæ perlustratæ pag. 411, et Hertfelderus in Basilica Augustana sanctorum Udalrici et Afræ pag. 77 meminerunt de crinibus* S. Claræ, *quæ utroque loco ostenduntur. Nihil hic dicimus de quibusdam ejusdem sanctæ*

Vir-

AUCTORE G. C.

Virginis reliquiis, quas laudatus Rayssius pag. 455 Hierogazophylacii Belgici, et Gelenius in Magnitudine Coloniæ Agrippinæ pag. 268 ac 587 memorant, quia earum qualitatem aut quantitatem non indicant. Potius itaque audiamus Bartholomæum Pisanum, qui in jam sæpe citato opere Conformitatum fol. 105 de sacris S. Claræ *exuviis sic distinctius scribit :* Veste simplici et hispida fuit vestita et rudi mantello. Vidi tunicam ejus et beati Francisci; rudior et grossior erat tunica sanctæ Claræ. *Dein folio sequente de aliquibus munusculis, quæ* S. Clara *ad beatam Agnetem Bohemicam transmisit, hæc narrat :* Hujus beatæ Agnetis famam beata Clara cum audisset per nuntios, quos ipsa sanctæ Claræ direxerat, Dominum Deum laudavit, et dictæ sanctæ Agneti aliqua misit; videlicet Pater noster, velum, scutellam, in qua ipsa sancta Clara comedebat, et scyphum et nonnulla alia, quæ cum summa devotione ab ipsa sancta Agnete sunt suscepta : per quæ Deus multa signa fecit meritis beatæ Claræ; quæ omnia auro et gemmis ornata, in dicto monasterio reservantur. *Non dubitamus, quin in pluribus* B *ecclesiis ac plerisque Ordinis Franciscani cœnobiis similes hujus sanctæ Virginis reliquiæ inveniantur ; sed nostri instituti non est, eas omnes indagare aut recensere.*

et invocatione hujus Sanctæ,

74 *Quapropter huic Commentario finem imponemus, postquam unum alterumve miraculum retulerimus ex Bartholomæo Pisano, qui fol. 105 verso Operis proxime citati tanquam testis auritus primum narrat his verbis :* Licet innumera sint ipsius beatæ Claræ miracula, unum referam, quod audivi ab illo, cui evenit. Cum nonnulli de civitate Pisana irent Sardiniam, superveniente horribili maris tempestate cum tenebrosa noctis obscuritate, ac vi tempestatis navi aperta in fundo, omnes in navi existentes, videntes sibi mortem adesse, cœperunt suffragia Virginis et Sanctorum cum lacrymis flagitare; sed cum minime exaudirentur, beatam Claram cœperunt invocare, promittentes, quod pro liberatione sua discalceati et in camisia cum corrigia ad collum, ac uno cereo unius libræ in manibus, ipsius de Pisis ecclesiam visitarent. Statim, facto voto, tria lumina de cœlo descenderunt; unum se posuit in prora navis, aliud in puppi : tertium ad sentinam descendit navis, ei foramen clausit, per quod aqua intrabat C maris : et facta est tranquillitas in mari, et cum vento prospero ista tria lumina nunquam eos dimittendo usque Arestanum ipsa nocte ierunt; in cujus portu cum essent, et omnes homines in terra, et mercantiæ * de navi amotæ, videntibus omnibus, lumina illa tria disparuerunt, et navis absorpta est ab aquis : ipsi vero homines Pisas reversi, votum perfecerunt.

* id est merces

piaque reliquiarum ejus veneratione

75 *Dein fol. 106 idem auctor huic prodigio alterum ita subnectit :* Aliud narro miraculum, quod patens est toti civitati Florentiæ : nam cum soror beatæ Claræ Agnes supradicta, abbatissa fuisset Sororum monasterii de Montecellis prope Florentiam, prima ipsa a dicto monasterio recedente *, ante mortem sanctæ Claræ Assisium est reversa, ac ipsius interfuit morti; cui et beata Clara prædixit, quod ipsam in brevi sequeretur per mortem, quod et factum est : non enim multo post mortem sanctæ Claræ et ipsa beata Agnes, ejus soror, feliciter in Domino obdormivit. Hæc siquidem post obitum sanctæ Claræ velum nigrum, quod ipsa beata Clara in capite, dum viveret, ferebat, dictis Sororibus de Montecellis ex caritate et dilectione, quam ad easdem conceperat, D et in memoriam sui, et ipsarum devotionem destinavit. Hoc siquidem velum in monasterio prædicto habetur, et ita integrum sine defectu aliquo perseverat, acsi noviter esset factum, cum vela aliarum propter tincturam de nigro statim corrumpantur et tabescant.

* lege recedens

plura miracula patrantur.

76 Istud siquidem velum cum mantello beati Francisci, qui ibi etiam habetur, impositum pueris patientibus lethargicam passionem super caput; curantur : et adeo hoc est notum, ut omnes infantes de Florentino comitatu illuc perducantur, et curentur. Et non est annus, in quo ultra ducenti pueri illuc non deferantur, et quasi omnes curentur. Nec est hoc novum, cum plus quam per centum triginta annos et ultra duraverit, et durat continue. Multa alia per orbem per sanctæ Claræ suffragia, fiunt miracula, quæ ad præsens omitto. *Libenter fatemur, ad demonstrandam hujus Virginis sanctitatem omnino sufficere antiqua miracula, quæ in bulla canonizationis relata sunt, et in veteribus Actis infra fusius referentur. Sed utinam Pisanus, aut alius quispiam scriptor, ad augendam ejusdem Sanctæ gloriam posthumam illis etiam recentiora addidisset! Si* E *aliqua nova vel anecdota* S. Claræ *miracula aut beneficia nobis subministrata fuissent, ea subjunxissemus antiquis anonymi biographi Actis, quæ ex Ms. codice nostro nunc primum prælo subjicimus.*

VITA

auctore anonymo coævo.

Ex membranaceo Musei nostri codice P. Ms. 19, *qui cum duobus aliis Mss. Codicibus, et editione Suriana collatus est.*

PROLOGUS.

F

Auctor Alexandrum Papam IV alloquens,

[Quasi vetera * mundi senecta urgente *, fidei caligabat visus, morum nutabat gressus, marcescebat virilium operum fortitudo : quinimo fæces temporum, fæce commutabantur etiam vitiorum, cum amator hominum Deus, ex suæ pietatis arcano sacrorum Ordinum suscitans novitatem, providit per eos et fidei fulcimentum, et reformandis moribus disciplinam. Dixerim certe modernos patres cum viris sequentibus * luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magistros : in quibus meridianus fulgor mundo ad vesperam consurrexit, ut lumen viderent, qui in tenebris ambulant. Nec decuit infirmioris sexus adjutorium sibi deesse, quem libidinis gurgite interceptum, non minus ad peccandum trahebat voluptas, et magis satis * fragilitas impellebat. Suscitavit propterea pius Deus virginem venerabilem Claram, atque in ea clarissimam feminis lucernam accendit, quam et tu Papa, beatissime pater, super candelabrum ponens, et luceat omnibus, qui in domo sunt, virtute percogente * signorum, Sanctorum catalogo adscripsisti *a*. Horum Ordinum te patrem colimus, te nutritium scimus, te protecto-

* Mss. Bod. et Cors. veterani.
* Ms. Bod. vergente

* Ms Cors. veris sequacibus

* Ms. Bod. major

* Ms. Bod. cogente

rem

A rem amplectimur, te dominum veneramur : quem sic permaximæ navis regimen universale sollicitat, ut parvæ quoque naviculæ curam singularem et sollicitam non excludat.

protestatur se gesta Sanctæ ex testibus oculatis referre.

2 Sane placuit Dominationi vestræ, meæ parvitati injungere, ut, recensitis * actibus S. Claræ, Legendam ejus formarem : opus certe, quod mea multum ruditas formidabat, nisi pontificalis authoritas verbum coram posito, iterum atque iterum repetisset. Igitur me colligens ad mandatum, nec tutus * per ea procedere, quæ defectiva legeram, ad socios beati Francisci *b*, atque ad ipsum collegitum virginum Christi perrexi, frequenter illud corde revolvens, non liquisse antiquitus historiam texere, nisi iis, qui vidissent, aut a videntibus accepissent. Iis, inquam, veritate prævia cum timore Domini me plenius instruentibus, aliqua colligens, et plura dimittens, plano stylo transcurri; ut, quia magnalia Virginis, virgines legere delectabit, rudis intelligentia non inveniat, ubi pro verborum ambitu tenebrescat. Sequantur ergo viri viros Verbi incarnati novos discipulos. Imitentur B feminæ Claram, Dei matris vestigium, novam capitaneam mulierum. Vobis autem, sanctissime Pater, sicut in his corrigendi, subtrahendi et addendi plena manet authoritas; ita mea per omnia subjacet, concordat, flagitatque voluntas. Valere vos faciat Dominus Jesus Christus nunc et in ævum, Amen. *c*]

* Ms Cors. recentibus

* Mss. Bod. et Cors. tutum ratus

ANNOTATA.

a *Hinc satis liquet, hunc prologum dirigi ad Alexandrum IV Pontificem, qui* S. Claram *solemniter catalogo Sanctorum adscripsit. Hinc etiam erroris convincitur F. Valerius Venetus, qui eumdem prologum Urbano IV Pontifici perperam inscribit, ut in Commentario prævio num. 9 monuimus.*

b *Hoc loquendi modo anonymus Vitæ scriptor innuit, se non fuisse Minoritam, etiamsi F. Valerius Venetus in interpretatione sua Italica hunc textum corruperit, aut ab alio corruptum usurpaverit, ut lucubrationem illam auctori Franciscano, et quidem sancto Bonaventuræ, verosimiliter tribueret, quemadmodum loco proxime citato Commentarii prævii observavimus.*

C c *Totus iste prologus in Codice nostro P. Ms. 19 desideratur. Sed cum exstet in Ms. Passionali cœnobii Bodecensis, in Ms. codice Corsendoncano, et editione Surii, eumdem hic exhibere voluimus*

CAPUT I.

Sanctæ natales, pia pueritia, conversio ad vitam perfectiorem, et constantia in proposito.

Hæc sancta Virgo,

Admirabilis femina, Clara vocabulo et virtute, de civitate Assisii claro satis genere traxit originem. Beato Francisco primum fuit concivis in terris, conregnans postmodum in excelsis. Pater ejus miles *a*, et tota ex utroque parente progenies militaris. Domus abundans, et copiosæ, juxta morem patriæ facultates. Mater ejus, nomine Hortulana, fructiferam in horto Ecclesiæ plantulam paritura, fructibus bonis et ipsa non mediocriter abundabat. Nam quamvis maritali jugo subdita, quamvis curis familiaribus alligata, vacabat tamen pro posse divinis obsequiis, insistebat operibus pietatis. Ultra mare siquidem cum peregrinantibus devota transivit, et loca illa perlustrans, quæ Deus homo sacris vestigiis consecraverat, tandem cum gaudio remeavit. Item ad S. Michaelem Archangelum causa orationis accessit, et Apostolorum limina devotius visitavit.

AUCTORE COÆVO.

quam pia mater peperit,

2 Quid plura? Ex fructu arbor cognoscitur, et fructus ex arbore commendatur. Præcessit in radice divini copia muneris, ut in ramusculo sequeretur abundantia sanctitatis. Prægnans denique mulier, et partui jam vicina, cum ante crucem in ecclesia Crucifixum attente oraret, ut eam de partus periculo salubriter expediret, vocem audivit dicentem sibi : Ne paveas mulier : quia quoddam lumen salva parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit. Quo edocta oraculo, natam infantulam sacro baptismate renascentem, Claram vocari jussit, sperans promissi luminis claritatem pro divinæ beneplacito voluntatis aliqualiter fore complendam.

E *in puerili ætate*

3 Edita mox in lucem parvula Clara, tempestive satis in umbra seculi cœpit clarescere lumine, atque intra teneros annos morum splendescere probitate. Docili corde primum ex matris ore fidei rudimenta suscepit, et spiritu interius conflante pariter et formante, vas revera purissimum, vas innotuit esse gratiarum. Extendebat libenter ad pauperes manum suam, et de abundantia domus suæ supplebat inopias plurimorum. Et ut suum sacrificium gratius esset Deo, proprio corpusculo delicata subtrahebat cibaria, clamque per internuntios mittens, reficiebat viscera pupillorum. Sic ab infantia secum miseratione crescente, mentem compassivam gerebat, miserorum miserias miserantem.

variis claret virtutibus.

4 Sanctæ orationis studium habebat amicum : ubi sæpius odore bono respersa, paulatim vitam cælibem actitabat. Cum signacula non habebat, quorum evolutione diceret Pater noster, congerie lapillorum suas oratiunculas Domino numerabat *b*. Ubi ergo sancti amoris stimulos primitus * sentire cœpit, mundani floris picturam instabilem judicat contemnendam, Spiritus unctione edocta, vilibus rebus pretium imponere vilitatis. Sub vestibus namque pretiosis ac mollibus, ciliciolum gerebat absconditum, mundo exterius florens, Christum interius F induens. Denique suis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquievit : sed dissimulato in posterum mortali conjugio, virginitatem suam Domino committebat * Talia fuerunt in domo paterna delibamenta virtutis, tales primitiæ spiritus, talia prælúdia sanctitatis. Tantis itaque redundans unguentis, velut cellam aromatum, licet clausam, ipsa sua fragrantia manifestat. Ore siquidem vicinorum laudari nescia cœpit, et secretos actus veridica fama prodente, rumor bonitatis ejus vulgabatur in populo.

* Ms. Bod. primitivos

* Sur. promittebat, et Ms. Cors. commendabat

et postea hortatu S. Francisci

5 Audiens vero tunc celebre nomen Francisci, qui velut novus homo, obliteratam in mundo viam perfectionis novis virtutibus renovabat, mox eum audire desiderat et videre, suadente hoc ipsum patre Spiritum, cujus jam uterque, licet differenter, acceperat primitiva. Nec minus ille tam gratiosæ puellæ celebri fama perflatus, videre hanc et alloqui cupit, si quo modo, qui totus inhiabat ad prædam, regnumque mundi depopulaturus advenerat, nobilem istam prædam seculo nequam possit eripere, suoque Domino vendicare. Visitat ille istam, et sæpius ista illum, visitationum suarum tempora moderantes, quibus divinum illud studium

nec

AUCTORE COÆVO. *c*

nec percipi ab homine possit, nec rumore publico detractari *c*. Nam unica tantum familiari socia comitante, paternos lares puella egrediens, clandestinos ad virum Dei frequentabat accessus, cujus sibi verba flammantia, cujusque ultra hominem opera videbantur. Hortatur eam pater Franciscus ad mundi contemptum : spem seculi aridam et speciem deceptivam vivo sermone demonstrat : Instillat auribus ejus dulcia connubia Christi, suadens virginalis pudicitæ margaritam beato * illi Sponso, quem amor humanavit, fore servandam.

* *Ms. Bod.* bono

vitam perfectiorem amplecti statuit,

6 Quid immorer multis? Instante patre sanctissimo, et more fidelissimi paranymphi solerter agente, non trahit in longum virgo consensum. Aperitur ei protinus æternorum intuitus gaudiorum, quorum conspectu mundus ipsi vilesceret, quorum desiderio a semetipsa liquesceret, quorum amore ad supernas nuptias anhelaret. Cœlesti namque igne succensa, terrenæ gloriam vanitatis sic ex alto contempsit, ut nihil jam de mundi applausu ejus affectibus inhæreret. Carnis quoque illecebras perhorrescens,
B jam totum in delicto se nescituram proponit, soli Deo de corpore suo templum facere cupiens, et et magni regis connubia virtute promereri contendens. Ex tunc Francisci consilio se totam committit, ipsum post Deum statuens suæ directionis aurigam. Pendet exinde anima ejus ad sacra illius monita, et de bono Jesu calido excipit pectore, quidquid promit ille sermone. Moleste jam fert secularis ornatus decorem, et quasi stercus arbitrabatur omnia, quæ foris applaudunt, ut Christum lucrifacere possit.

et brevi istud propositum

7 Protinus ne speculum illibatæ mentis mundanus pulvis ulterius inquinet, aut contagio secularis vitæ azymam fermentet ætatem, properat Claram educere pius pater de seculo tenebroso. Instabat Palmarum dies solemnis, cum ad virum Dei puella fervido corde se confert, sciscitans de sua conversione, *quid et qualiter sit agendum*. Jubet pater Franciscus, ut in die festo compta et ornata procedat ad palmam cum frequentia populorum, ac nocte sequenti exiens extra castra, mundanum gaudium convertat in luctum Dominicæ passionis.
C Die itaque Dominico veniente, in turba dominarum splendore festivo puella perradians, cum reliquis intrat Ecclesiam. Ubi illud digno præsagio contigit, ut cæteris ad ramos currentibus, dum Clara præ verecundia suo in loco manet immota, pontifex per gradus descendens, usque ad eam accederet, et palmam suis in manibus poneret. Nocte sequenti ad Sancti mandatum se præparans, optatam fugam cum honesta societate aggreditur. Cumque ostio consueto exire non placuit, aliud ostium, quod lignorum et lapidum pondera obstruebant, miranda sibi fortitudine proprius manibus reseravit.

executioni mandans.

8 Igitur domo, civitate et consanguineis derelictis, ad sanctam Mariam de Portiuncula festinavit : ubi fratres, qui in aula Dei sacras excubias observabant, virginem Claram cum luminaribus receperunt. Mox ibi rejectis sordibus Babylonis, mundo libellum repudii tradidit : ibi manu fratrum crines deponens, ornatus varios dereliquit. Nec decuit alibi florigeræ virginitatis Ordinem ad vesperam temporum excitari, quam in ejus aula, quæ prima omnium atque dignissima, sola exstitit mater et virgo. Hic locus ille est, in quo nova militia pauperum, duce Francisco, felicia sumebat primordia, ut liquido videretur utramque religionem Mater misericordiæ in suo diversorio parturire. Cum autem coram altari beatæ Mariæ sanctæ pœnitentiæ susce-
D pisset insignia, et quasi ante thorum hujus Virginis, humilis ancilla Christo nupsisset, statim eam ad ecclesiam S. Pauli *d* sanctus Franscicus deduxit, donec aliud provideret Altissimus, in eodem loco mansuram *. *d*

* *Sur. vitiose* mausoleum

contra minas blanditiasque consanguineorum

9 Ad consanguineos autem rumore volante, dilacerato corde, factum et propositum virginis damnant; et conglobati in unum, currunt ad locum, tentantes quod obtinere non possunt. Violentiæ impetum, venena consiliorum, blanditias adhident promissionum, suadentes ab hujusmodi vilitate discedere, quæ nec generi congruat, nec exemplum habeat in contracta *. At illa pannos apprehendens altaris, caput denudat attonsum, firmans se nullatenus a Christi servitio ulterius avellendam. Crescit animus, bello crescente suorum, viresque ministrat amor injuriis lacessitus. Sic sic per plures dies cum in via Domini obicem pateretur, et sui se opponerent ejus proposito sanctitatis, non collapsus est animus, non fervor remissior : sed inter verba et odia ad spem animum tandiu reformabat, donec propinqui, retrusa * fronte, quiescunt.

* *Id est* regione

* *Sur.* retusa

in eo constanter perseverat.

10 Paucis interjectis diebus, ad ecclesiam sancti Angeli de Panso *e*, transivit : ubi cum non plene mens ejus quiesceret, tandem ad Ecclesiam S. Damiani, beati Franscisci consilio, commigravit. Ibi *e*
E mentis anchoram quasi in certo figens, non jam pro loci mutatione ulterius fluctuat, non pro arctitudine dubitat, nec pro solitudine reformidat. Hæc est illa ecclesia, in cujus reparatione Franciscus miro desudavit studio, cujusque sacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparando. Hæc est, in qua dum Franciscus oraret, vox ad eum de ligno Crucis dilapsa, insonuit : Francisce, vade, repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur. In hujus locelli ergastulo, pro cœlestis amore Sponsi, virgo se Clara conclusit. In hac se a mundi tempestate celans, corpus, quo ad viveret, carceravit. In hujus caverna maceriæ, columba deargentata nidificans, virginum Christi collegium genuit, monasterium sanctum instituit, pauperumque dominarum Ordinem inchoavit. Hic in via pœnitentiæ glebas membrorum terit *f*, hic semina perfectæ *f*
F justitiæ seminat, hic incessu proprio signat vestigia secuturis. In hoc arcto reclusorio per quadraginta duos annos disciplinæ flagellis frangit sui corporis alabastrum, ut domus Ecclesiæ repleatur fragantia unguentorum. Ubi quam gloriose conversata sit, tunc demum aperte narrabitur sit quot et quantæ animæ per eam ad Christum venerint, primo narretur.

ANNOTATA.

a Miles *apud scriptores medii ævi est nomen honoris vel dignitatis, et significat diversa nobilium officia, ut fusius apud Cangium in Glossario ad hanc vocem videre est, et* § 2 *Commentarii prævii ex verbis veterum biographorum probavimus.*

b *Occasione Rosarii Deiparæ in Commentario prævio ad Vitam S. Dominici* § *21 seu tomo I Augusti pag. 432 obiter meminimus de Paulo Ægyptio, qui quotidie trecentas orationes lapillis totidem numerabat.*

c Detractari *hic poni videtur pro verbo* detrahi, *ita ut sensus sit,* S. Claram *cum S. Francisco occulte conversatam fuisse, ne rumor publicus conversationi eorum posset detrahere.*

d *Istud est monasterium Ordinis Benedicti. Quare forsan aliqui scriptores Benedictini* S. Cla

ram

A ram *Ordini suo adscribunt, de quibus in Commentario prævio § 2 egimus.*

c *Etiam istud cœnobium ad Ordinem S. Benedicti olim pertinuit, quod Bailletus in Legenda Gallica* S. Claræ *perperam Ordini S. Augustini attribuit. Dixi, illud* olim *pertinuisse ad Ordinem S. Benedicti, quia Pisanus in libro Conformitatum apud nos fol. 104 verso de eodem monasterio hæc habet :* Per beatum Franciscum et socios ad monasterium de Panzo, quod nunc est Ordinis ipsius, tunc autem erat sancti Benedicti, est deducta, *videlicet* S. Clara, *cujus Acta ibidem exponit.*

f *Surius hic legit* glebas membrorum texit, *quæ phrasis innueret, Sanctam eo loco sepultam esse, quod numero 54 Actorum repugnat. Quapropter præferenda videtur lectio nostri Ms. codicis, qui habet* glebas membrorum terit, *id est, austera pœnitentia corpusculum vel membra sua hic attrivit, ut etiam ex sequentibus colligitur.*

B

CAPUT II.

Publica virtutum ejus fama, amor humilitatis ac paupertatis, mira panis oleique multiplicatio.

Fama virtutum ejus Spargitur paulo post opinio sanctitatis virginis Claræ per proximas regiones, ut in odorem unguentorum ejus undique mulieres currant. Festinant virgines ejus exemplo Christo servare, quod sunt : maritatæ castius agere satagunt : nobiles et illustres, amplis contemptis palatiis, arcta sibi monasteria construunt, atque pro Christo in cinere et cilicio vivere, magnam gloriam ducunt. Concitatur nihilo minus ad incoinquinata certamina juvenum impetus, et ad carnis aspernanda ludibria per infirmioris sexus exempla fortia provocatur. Plures denique matrimonio juncti, mutuo consensu continentium se lege vincientes, viri ad Ordines, uxores ad monasteria transeunt. C Mater filiam, filia matrem invitat ad Christum : soror sorores allicit, et amita neptes. Omnes æmulo fervore Christo servire desiderant. Omnes hujus vitæ angelicæ, quæ per Claram inclaruit, fieri participes optant. Innumeræ virgines, Claræ rumoribus excitatæ, dum ad claustralem vitam transire non prævalent, in patriis domibus sine regula regulariter vivere student. Tanta hic salutis germina virgo Clara suis parturiebat exemplis, ut in ea videretur impleri propheticum illud : Multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum.

longe lateque divulgatur 11 Interea ne cœlestis hujus benedictionis vena, quæ in valle Spoletana *a* scaturiit, breves intra terminos obducatur *, sic divina providentia derivatur in amnem, ut fluminis impetus totam Ecclesiæ lætificet civitatem. Nam tantarum novitas rerum longe lateque transivit in orbem, et ubique animas cœpit lucrifacere Christo. Clausa manens Clara, toto clarescere mundo incipit, et laudum titulis præclara refulget. Replet fama virtutum ejus cameras dominarum illustrium, ducissarum palatia, ipsarum quoque penetrat penetralia reginarum. Flectitur nobilitatis apex ad ejus sectanda vestigia, et a superbi sanguinis genere, sancta humilitate degenerat. Nonnullæ Ducum ac regum matrimonio dignæ, Claræ invitante præconio, arctam pœnitentiam faciunt, et quæ potentibus nupserant, Claram suo modulo imitantur. Ornantur monasteriis innumeræ civitates : ipsa quoque campestria et montana, hujus cœlestis ædificii fabrica decorantur. Multiplicatur castitatis titulus in seculo, Clara sanctissima præcedente, et redivivus ordo virgineus in medium revocatur. His beatis floribus, quos Clara parturiit, feliciter hodie vernat Ecclesia, quibus et ipsa fulciri postulat, dicens : Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Sed jam ad propositum stylus redeat, ut, ejus conversatio qualis fuerit, innotescat.

a Sur. concludatur et Ms. Cors. obcludatur

AUCTORE COÆVO.

et sancta Abbatissa humilitate insignis 12 Hæc sui Ordinis lapis primarius ac nobile fundamentum, in fundamento sanctæ humilitatis, virtutum omnium fabricam ab ipso principio studuit collocare. Beato namque Francisco obedientiam sanctam promisit, et a promisso nullatenus deviavit. Triennio vero post suam conversionem, nomen et officium Abbatissæ declinans, humiliter subesse voluit potius, quam præesse, et inter Christi ancillas servire libentius, quam serviri. E Cogente autem B. Francisco, suscepit tandem regimen dominarum : de quo in corde suo timor, non tumor, exoritur : nec libertas, sed servitus augmentatur. Quo enim jam aliqualis prælationis specie altior cernitur, eo reputatione propria vilior, obsequio promptior, cultu despectior reperitur. Nullos jam famularum respuit actus, adeo ut plerumque sororum manibus aquam infunderet, sedentibus assisteret, comedentibus ministraret. Invita valde aliquid præcepit : spontanea vero fecit, magis eligens per seipsam facere, quam sororibus imperare. Infirmarum sedilia ipsa lavabat, ipsa tergebat, suo illo nobili spiritu nec sordida fugiens, nec fœtida perhorrescens. Pedes famularum deforis revertentium sæpius abluit, et ablutis oscula impressit. Lavabat semel cujusdam servientis sororis pedes : quos dum deosculari properat, illa tantam humilitatem non ferens, pedem subtrahit, dominamque suam pede in ore percussit. At illa pedem famulæ blande resumit, et sub ipsa planta strictum * osculum figit.

* *Ms. Bod.* sanctum

amore strictæ paupertatis flagrans, 13 Paupertatem spiritus, quæ vera humilitas est et paupertas rerum omnium, continebat. Primum in suæ conversionis initio paternam hereditatem, quæ ad eam pervenerat, distrahi fecit, F sibique de pretio nihil reservans, totum pauperibus erogavit. Hinc seculo foris relicto, mente intus ditata, post Christum sine sacculo exonerata percurrit. Tantum denique cum sancta paupertate fœdus iniit, amoremque contraxit, ut nihil præter Dominum Jesum vellet habere, nihil filias suas possidere permitteret, nil præter necessarium victum et vestitum a sororibus recepi, vel in posterum reservari. Nequaquam cœlestis desiderii pretiosissimam margaritam, quam venditis omnibus compararat, arbitrabatur cum temporalium mordaci * sollicitudine possidendam. Inculcat suis frequenti sermone sororibus, tunc acceptabile illud Deo fore collegium, cum paupertate fuerit opulentum, et tunc perpetuo stabile permansurum, si altissimæ paupertatis fuerit semper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo Christo pauperi conformari, quem paupercula mater in arcto præsepio parvulum reclinavit. Hoc enim peculiari recordatorio quasi monili aureo suum subornabat * pectus, ne terrenorum pulvis ad interiora transiret.

* *Ms. Bod.* immoderata

14 Volens denique religionem suam intitulari titulo

* *Ms. Cors.* fibulabat

AUCTORE COÆVO. et divina providentia confidens,

titulo paupertatis, a bonæ memoriæ Innocentio Papa tertio, paupertatis privilegium postulavit. Qui vir magnificus, tanto virginis fervori congratulans, singulare dicit esse propositum, quod nunquam tale privilegium a Sede Apostolica fuerit postulatum. Et ut insolitæ petitioni favor insolitus arrideret, Pontifex ipse cum hilaritate magna petiti privilegii primam notulam sua manu conscripsit. Felicis recordationis dominus Papa Gregorius *b*, vir sicut Sede dignissimus, ita et meritis venerandus, paterno affectu Sanctam istam arctius diligebat. Cui cum suaderet, ut propter eventus temporum et pericula seculorum aliquas possessiones assentireth abere, quas et ipse liberaliter offerebat, fortissimo animo restitit, et nullatenus acquievit. Ad quam respondente Pontifice, Si votum formidas, nos te a voto absolvimus: Sancte pater, ait, nequaquam a Christi sequela in perpetuum absolvi desidero. Eleemosynarum fragmina panumque minutias, quas eleemosynarii comportabant, valde suscipiebat hilariter, et quasi mœsta de panibus integris, exsultabat potius in fragmentis. Quid multa? Satagebat pauperi Crucifixo paupertate perfectissima conformari, ut nulla res peritura amantem ab amato secluderet *, aut cursum ejus cum Domino impediret. Occurrunt, ecce, duo miranda, quæ paupertatis amatrix meruit operari.

* Ms. Cors. seduceret

mirabiliter panem

15 Unicus erat in monasterio panis, cum jam instarent fames et hora edendi. Dispensatrice vocata, jubet Sancta panem devidere, partemque fratribus mittere, partem intus pro sororibus retinere. De quo retento dimidio jubet quinquaginta fieri, juxta dominarum numerum, incisuras, et eis in mensa paupertatis apponere. Cui cum devota filia responderet, necessaria ad hoc fore antiqua Christi miracula, ut tam modicum panis quinquaginta reciperet sectiones, respondit mater et dixit: Fac, filia, secura, quæ dico. Properat filia matris implere mandata: properat mater ad Christum suum pia pro filiabus destinare suspiria. Crescit divino munere inter frangentis manus parva illa materia, et cuilibet de Conventu suo exstitit portio copiosa.

oleumque multiplicat.

16 Die quodam Christi ancillis sic ex tota defecerat oleum, ut nullum adesset saltem pro debilibus condimentum. Accipit domina Clara vasculum unum, et humilitatis magistra * suis manibus lavabat; ponit vas vacuum seorsum, ut Frater eleemosynarius illud accipiat, et vocatur ipse, ut pro acquirendo oleo vadat. Accelerat devotus Frater, ut succurrat tantæ inopiæ, et ad sumendum vasculum currit. Non autem volentis est, neque currentis, sed miserentis est Dei. Etenim, solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, præveniente S. Claræ oratione Fratris obsequium in solamen pauperum filiarum. At vero Frater prædictus, quasi frustra vocatus fuisset, submurmurans, dixit: Derisorie me istæ feminæ vocaverunt, cum, ecce, vas plenum existat.

* Ms. Bod. gratia

ANNOTATA.

a Vallis Spoletana *verosimiliter hic accipitur pro agro Spoletano, qui est tractus Umbriæ in Italia: nam ducatus Spoletanus latius patet, ut apud geographos obvios licet videre.*

b *Is est Gregorius IX Pontifex, qui Ecclesiam ab anno Christi 1227 usque ad mensem Augustum anni 1241 gubernavit.*

CAPUT III.

Austera vivendi ratio, et efficacia orationum ejus.

Sancta variis afflictionibus

De miranda carnis maceratione silere magis, quam loqui, forsitan expediret, cum talia fecerit, in quibus audientium stupor cum veritate rerum contendit. Non illud magnum, quod simpla tunicula et vili mantello de rudi panno, tegebat potius, quam fovebat corpusculum. Nec illud mirandum, quod calceamentorum penitus ignorabat usum. Non magnum, omni tempore continuare jejunia, nec uti lecto sine pluma. In his enim, dum reliquas in suo claustro habuit similes, laudes fortasse non meruit singulares. Sed quæ conventio carnis virgineæ ad vestem porcinam? Procuraverat enim sibi virgo vestem de corio porci, quam, versa ad carnem hispida tonsura pilorum, secreto sub tunica deferebat. Utebatur nonnunquam duro cilicio, de pilis equorum nodose conserto, quod hinc inde chordulis rudibus stringebat ad corpus. Hanc vestem uni de familiaribus * dum petenti accommodasset, tantæ protinus asperitati succumbens, non tam hilariter petiit, quam celeriter post triduum resignavit. Nuda humus, et interdum sarmenta vinearum erant pro lectulo, lignumque durum præstabat sub capite officium pulvinaris. Processu vero temporis corium debilitato corpori stravit, et capiti modicam paleam clementer indulsit. Postquam autem corpus tam severe tractatum longa cœpit occupare infirmitas, jubente beato Francisco, sacco pleno paleis usa est.

* Sur. filiabus

corpus suum castigat,

18 Porro in jejuniis tantus erat rigor abstinentiæ suæ, ut de viatico tenui, quod sumebat, vix corporaliter viveret, nisi eam virtus alia sustentaret. Sanitatis namque tempore majorem Quadragesimam et Quadragesimam S. Martini episcopi in pane et aqua jejunans, solis diebus Dominicis vinum, si habebat, gustabat. Et ut mireris, auditor, quod imitari non potes, tribus diebus in hebdomada, secunda videlicet, quarta et sexta feria, nihil in illis Quadragesimis sumebat in cibum. Sic alternatim dies penuriosæ refectionis, et dies transactæ mortificationis * sibi invicem succedebant, ut vigilia perfectæ inediæ, quasi in festum solveretur panis et aquæ. Non mirum, si tanta rigiditas multo tempore observata, Claram infirmitatibus subdidit, si vires consumpsit, si vigorem corporis enervavit. Compatiebantur propterea sanctæ Matri devotissimæ filiæ, ac mortes illas, quas quotidie voluntarie sustinebat, lachrymis deplorabant. Prohibuere tandem beatus Franciscus et Episcopus Assisii, S. Claræ illud trium dierum exitiale jejunium, præcipientes, ut nullum transeat diem, quin saltem unciam et dimidiam panis sumat in pastum. Cumque gravis afflictio corporum, afflictionem ex more generet animorum, longe aliter effulgebat in Clara: servabat enim in omni sua mortificatione vultus festivos et hilares, ut vel non sentire, vel deridere videretur angustias corporales. Ex quo liquido datur intelligi, quia sancta lætitia, qua interius abundabat, exterius redundabat; quoniam flagella corporis levigat amor cordis.

* Ms. Bod. actæ sanctificationis

et continuo fundit preces,

19 Quæ vero sicut carne præmortua, sic erat a mundo penitus aliena, continue sacris oratio-

 nibus

A nibus et divinis laudibus animam occupabat. Ferventissimam interni desiderii aciem fixerat jam in lucem, et quæ globum transcenderat terrenorum voluminum, sinum mentis latius expandebat imbribus gratiarum. Longis post Completorium tractibus cum sororibus orat, et lacrymarum profluvia, dum in ipsa prorumpunt, in cæteris excitantur. Postquam vero cæteræ fessa membra duris adibant refovere cubilibus, ipsa in oratione pervigil et invicta manebat, ut tunc venas divini susurrii *a* furtive susciperet, quando sopor cæteras occupasset. Sæpissime ad orationem prostrata in faciem, terram infundit lacrymis, osculisque demulcet: ut semper suum Jesum tenere videatur in manibus, in cujus pedes lacrymæ illæ fluant, et oscula imprimantur. Lacrymanti semel profunda nocte adstitit angelus tenebrarum in forma nigri pueruli, et ipsam monuit, dicens: Ne tantum plores, quoniam cæca fies. Cui cum illico responderet: Cæcus non erit, qui Deum videbit: confusus ille discessit. Eadem nocte post Matutinum orante Clara, et irriguo solito balneata, monitor fraudulentus accessit: Ne tantum, inquit, fleveris, ne
B tandiu resolutum cerebrum per nares emunxeris: quoniam adhuc tortum nasum habebis. Qua celeriter respondente: Torturam nullam patitur, quæ Domino famulatur, statim elapsus evanuit.

20 Quantam sui munitionem * in fornace ferventis orationis accipiat, quantum sibi in illa fruitione bonitas divina dulcescat, solita indicia probant. Cum enim ab oratione sancta cum jucunditate redibat, calida verba, quæ Sororum pectora succendebant, de igne altaris Domini reportabat. Mirabantur enim quamdam dulcedinem ex ejus ore procedere, et clariorem solito faciem apparere. Paraverat certe in dulcedine sua pauperi Deus, et mentem, quam in oratione lux vera repleverat, exterius corporaliter exemplabat. Sic in mundo labili Sponso suo nobili non labiliter juncta; continue deliciatur in superis: sic in rota versatili virtute stabili fulta, et in vase fictili thesaurum gloriæ claudens, carne in imis; mente permanet in excelsis. Mos erat ei ad Matutinum prævenire juvenculas, quas per signa silenter excitans, provocabat ad laudes. Sæpe, cæteris dor-
C mientibus, lampades accendebat: sæpe campanam propriis manibus ipsa pulsabat. Nullus erat corpori, nullus in suo claustro desidiæ locus; ubi orandi et Domino serviendi pigritiam aspera invectio stimulabat.

quæ tantæ erant efficaciæ.

* *Sur.* mutationem

21 Libet hic orationum ejus recitare magnalia, sicut veritate fidelissima, sic et veneratione prædigna. Illa tempestate, quam sub Imperatore Friderico *b* in diversis mundi partibus sustinebat Ecclesia, Vallis Spoletana de calice iræ frequentius imbibebat. Erant in ea pro depopulatione castrorum, pro civitatum expugnatione, Imperiali jussu constitutæ acies militum, et Saracenorum sagittariorum examina velut apum. Cumque in Assisium, peculiarem Domini civitatem, semel furor irrueret, et jam ipsis portis exercitus appropinquaret, Saraceni gens pessima, qui sanguinem sitiunt Christianum, et omne nefas impudentius audent, apud Sanctum Damianum intra loci terminos, immo intra claustrum virginum, confluxerunt. Liquescunt dominarum corda timoribus, tremunt formidine verba, et ad Matrem referunt fletus suos. Quæ impavida corde, se infirmam ad ostium duci jubet, et ante hostes poni, præcedente eam capsa argentea, intra ebur inclusa, in qua Sancti sanctorum corpus * devotissime servabantur.

ut iis Saracenos,

* *Ms. Bod.* sanctum Christi corpus

22 Cumque se totam in oratione coram Domino prostravisset, Christo suo cum lacrymis ait: Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus nutrivi, manibus, ecce, tradere paganorum? Custodi Domine, precor, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti articulo custodire non possum. Mox de novæ gratiæ propitiatorio vox quasi pueruli ad ejus aures insonuit: *Ego vos semper custodiam.* Mi Domine, ait, *et hanc*, si placet, protege civitatem, quia nos pro tuo amore sustentat. Et Dominus ad eam: Gravamina sustinebit, sed mea protectione tuaque intercessione defendetur. Tunc Virgo lacrymosam erigens faciem, flentes confortat, dicens: Fidejubeo vobis, filiolæ, quod nihil patiemini mali; tantum in Christo confidite. Nec mora: statim canum illorum repressa pavescit audacia, et per muros, quos ascenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati sunt. Confestim Clara illis, quæ vocem prædictam audierant studiose interminatur, dicens: Cavete per omnem modum, carissimæ filiæ, ne vocem illam, dum corpus ago, cuiquam reseretis. E

AUCTORE COÆVO. monasterium suum invadentes fugaverit,

23 Alio tempore Vitalis de Aversa, vir gloriæ cupidus, et in præliis animosus, Imperialem exercitum, cui capitaneus præerat, admovit contra Assisium. Terram itaque nudavit arboribus, adjacentia cuncta vastavit, et sic in civitatis obsidione resedit. Firmat verbis minacibus, se inde nullatenus recessurum, donec ipsam habuerit civitatem. Jamque ad id adventum erat, ut de civitatis periculo in proximo timeretur. Quod cum audisset Clara famula Christi, vehementer ingemuit, et sororibus ad se vocatis, ait: Ab ista civitate, carissimæ filiæ, multa quotidie bona suscipimus: impium valde est, si non in tempore opportuno ei, prout possumus, succurramus. Jubet afferri cineres, jubet capita nudare sorores. Primum suum exopertum caput cinere multo conspersit: deinde super illarum capita cinerem ponit. Pergite, inquit, ad Dominum nostrum, et liberationem civitatis totis affectibus postulate. Quid singula narrem? Quid virginum lacrymas, quid preces repetam violentas? Facit misericors Deus sequenti mane cum tentatione proventum, ut toto dissoluto exercitu, et superbus homo contra votum discederet, ac terram illam ulterius non vexaret. F
Nam et ipse dux belli paulo post gladio interemptus est.

Assisium obsidione liberaverit,

24 Verum nec illa suæ orationis virtus mirifica debet silentio sepeliri, quia in ipso conversionis initio animam ad Deum convertit, conversam defendit. Habebat namque sororem, ævo teneram, carne ac puritate germanam: cujus conversionem desiderans, inter precum primitias, quas Deo plenis affectibus offerebat, hoc postulabat obnixius, ut sicut cum sorore habuerat in seculo cohærentiam animorum, ita jam in Dei servitio fieret inter eas unitas voluntatum. Orat igitur instanter Patrem misericordiæ, ut relictæ in domo sorori Agneti mundus desipiat, dulcescat Deus, eamque sic a proposito carnalium nuptiarum ad sui amoris copulam transferat, quatenus una secum in virginitate perpetua Sponso gloriæ nubat. Mirandus enim utrique insederat mutuus amor, qui novam divulsionem, licet affectu dissimili utrique fecerat dolorosam. Favet celeriter divina majestas egregiæ oratrici, primumque illud donum, quod præcipue postulat, quodque magis Deum exhibere delectat, festinantius elargitur. Nam post sedecim dies a conversione Claræ, Agnes divino afflata spiritu, properat ad sororem

sorori suæ Agneti conversionem

AUCTORE COÆVO.

rorem, eique suæ voluntatis reserans arcanum, dicit, se velle penitus Domino deservire. Quam illa gaudenter amplectens, Gratias, inquit, ago Deo, dulcissima soror, quod me de te sollicitam exaudivit.

et constantiam contra vim consanguineorum

25 Miram conversionem satis est miranda defensio subsecuta. Cum enim felices sorores apud ecclesiam Sancti Angeli de Panso, Christi vestigiis inhærerent, atque illa, quæ plus de Domino sentiebat, suam erudiret novitiam et germanam, repente contra puellas nova consanguineorum prælia suscitantur. Audientes enim Agnetem ad Claram transisse, currunt ad locum sequenti die duodecim viri furore succensi, et conceptam malitiam dissimulantes exterius, pacificum prætendunt ingressum. Moxque ad Agnetem conversi, (nam de Clara jam antea desperaverant): Quid tu, inquiunt, ad locum istum venisti? Festina quantocius domum redire nobiscum. Qua respondente, nolle se a sorore sua Clara discedere, irruit in eam miles unus animo efferato, et pugnis calcibusque non parcens, eam per capillos abstrahere conabatur, cæteris impellentibus, et suis brachiis levantibus eam. At juvencula dum quasi a leonibus capta, de manu Domini raperetur, exclamat, dicens: Adjuva me, soror carissima, nec me Christo Domino tolli permittas. Cum ergo violenti prædones adolescentulam renitentem per devexum montis abstraherent, vestes abrumperent; vias crinium laceratione complerent, Clara cum lacrymis in orationem procumbens, petit sorori mentis constantiam tribui, petit vires hominum divina potentia superari.

prodigiose impetraverit,

26 Confestim vero tanto pondere corpus illius in terra jacentis figi videtur, ut illam plures homines, suis conatibus annitentes, nequaquam valeant ultra quemdam rivulum absportare. Accurrentes etiam aliqui de agris et vineis, auxilium illis præstare contendunt, sed corpus illud de terra levare nullatenus possunt. Dumque in suo conatu deficiunt, verbo lusorio miraculum extollunt, dicentes: Tota nocte plumbum comedit, et ideo si ponderat, non est mirum. Nam et dominus Monaldus patruus ejus, cum in tanta rabie constitutus, vellet eam lethaliter pugno percutere, manum, quam levavit, subito dirus dolor invasit, eamque usque ad plura tempora doloris angustia cruciavit. Ecce post longum agonem Clara pergens ad locum, rogat propinquos, a tali conflictu discedere, et Agnetem seminecem jacentem, suæ sollicitudini commendare. Quibus infecto negotio cum amaro animo recedentibus, Agnes jucunda surrexit, et jam cruce Christi gaudens, pro quo hac prima pugna certaverat, se divinis servitiis perpetuo mancipavit. Siquidem et beatus Franciscus manu sua ipsam totondit, et una cum sorore sua in via Domini erudivit. Verum quia magnificam ejus vitæ perfectionem sermo brevis explicare non posset, intendatur ad Claram.

ac dæmones expulerit.

27. Mirum non est, si contra malitiam hominum Claræ oratio valeat, quæ etiam dæmones incendebat. Mulier enim quædam Pisanæ diœcesis, devota semel venit ad locum, ut Deo et sanctæ Claræ gratias ageret pro eo, quod meritis ejus a quinque dæmoniis liberata fuisset. Fatebantur autem in sui expulsione dæmonia, quod ipsos orationes S. Claræ incenderint, et ex possesso vasculo deturbarent. Non sine causa dominus Papa Gregorius in hujus sanctæ orationibus fidem habebat mirabilem, quarum virtutem senserat admirabilem et efficacem. Sæpe quidem nova, ut assolet, emergente difficultate, et cum esset Ostiensis Episcopus, et postquam ad culmen Apostolicum esset evectus, supplex eidem virgini per epistolam factus, poscit suffragium, sentit auxilium. Res certe, sicut humilitate conspicua, sic toto studio imitanda: quando Christi Vicarius a Christi ancilla opem efflagitat, et suis se virtutibus recommendat. Sciebat sane, quid potest amor, et quam liber aditus puris virginibus pateat ad consistorium majestatis. Si enim Rex cœlorum seipsum ferventer amantibus tribuit, quid est, quod devote orantibus, si expedit, non concedit?

ANNOTATA.

a Susurrium *hic usurpatur pro susurro.*

b *Hujus Frederici facinora passim nota apud Odoricum Reynaldum in Annalibus ecclesiasticis, aliosve historiographos legi possunt.*

CAPUT IV.

Eximia ejus devotio erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, et Crucem Christi, cujus signo varia miracula patravit.

Erga Sacramentum Eucharistiæ.

Quantus Beatæ Claræ ad altaris Sacramentum fuerit devotionis affectus, effectus ostendit. In illa gravi infirmitate, quæ eam grabato adscripserat, faciebat se erigi, et fulcimentis appositis sustentari: et sedens, filabat delicatissimos pannos: de quibus ultra quinquaginta paria corporalium faciens, et ea sericis vel purpureis thecis includens, per plana et montana Assisii variis ecclesiis destinabat. Corpus vero Domini susceptura, calidis primo lachrymis rigabatur: et accedens cum tremore, non minus formidat in Sacramento latentem, quam cœlum terramque regentem.

et Christum.

29 Sicut enim in infirmitate, Christi sui memoria memor erat, sic et Christus eam in suis languoribus visitabat. In illa nativitatis hora, quando parvulo nato mundus cum Angelis jubilat, omnes dominæ ad Matutinum pergunt, et matrem infirmitatibus pressam, solam relinquunt. Cumque de parvulo Jesu cogitare cœpisset, et multum doleret, quod suis laudibus interesse non posset, suspirans ait: Domine Deus, ecce sola relicta sum tibi in loco isto. Et ecce repente mirabilis ille concentus, qui in ecclesia S. Francisci fiebat, suis cœpit auribus intonare. Audiebat jubilum Fratrum psallentium, harmonias cantantium attendebat, ipsum etiam percipiebat sonitum organorum. Nullatenus tanta erat loci propinquitas, ut hæc attingere posset humanitus, nisi vel illa solemnitas ad eam fuisset ampliata divinitus, vel ejus supra humanum modum vigoratus auditus. Verum quod totum hoc excellit oraculum, ipsum digna fuit Domini præsepe videre. Mane ad eam venientibus filiabus, dixit Clara: Benedictus Dominus Jesus Christus, qui me, vobis relinquentibus, non reliquit. Audivi revera per gratiam Christi tota illa solemnia, quæ in ecclesia Sancti Francisci hac nocte celebrata sunt a.

præsertim patientem tantus erat Sanctæ affectus.

30 Familiaris ei planctus Dominicæ passionis, quæ ex sacris vulneribus nunc myrrhatas affectiones exhaurit, nunc dulciora gaudia fugit. Hanc lachryma

A lachryma Christi passi vehementer inebriat, et quem cordi suo profundius amor impresserat, frequenter memoria repræsentat. Docet novitias Christum plangere Crucifixum, et simul, quod verbis docet, factis exemplat. Nam sæpe, cum in secreto ad talia hortaretur, præveniebat verborum exitum, irriguum lachrymarum. Inter horas diei, Sexta et Nona majori compunctione ex more afficitur, ut cum immolato Domino immoletur. Nam et semel hora Nona orantem in cellula diabolus in maxilla percutiens, oculum sanguine, genam livore suffundit. Ut autem Crucifixi deliciis absque intermissione pasceret mentem, orationem de quinque plagis Domini frequentius ruminabat. Officium Crucis, prout Crucis amator Franciscus instituerat, didicit, et affectu consimili frequentavit *b*. Chordulam tredecim nodorum copulis annulatam, subtus ad carnem cingebat, secretum memoriale vulnerum Salvatoris.

ut in exstasin raperetur,

31 Advenerat quodam tempore dies sacratissimæ Cœnæ, qua Dominus in finem dilexerat suos. Circa sero, appropinquante Domini agonia, Clara contristata et mœsta, in cellæ secretario se reclusit. B Cumque orantem Dominum orans prosequeretur, et tristis usque ad mortem anima tristitiæ illius hausisset affectum, jam jamque captionis et totius illusionis memoria debriata, lecto resedit. Tota igitur nocte illa et die sequenti sic absorpta, sic a seipsa permanet aliena, ut irreverberatis circa unum semper intenta luminibus, confixa Christo, ac prorsus insensibilis videretur. Redit quædam familiaris filia sæpe ad ipsam, si forte aliquid velit, et semper eodem modo se habere reperit. Nocte vero diei sabbati veniente, devota filia candelam accendit, et præceptum sancti Francisci ad matris memoriam signo, vel * verbo, reducit. Præceperat enim Sanctus, ne ullum sine comestione transiret diem. Illa igitur assistente, Clara quasi aliunde rediens, hoc protulit verbum : Quæ candelæ necessitas? Numquid non dies est? Mater, ait illa, nox abiit, et dies transivit, moxque altera rediit. Cui Clara : Benedictus sit iste somnus, carissima filia; quoniam diu optatus, tandem donatus est mihi. Sed cave, ne somnum istum cuiquam referas, dum vixero in carne.

* *Sur. pro* vel *habet* non

et signo crucis

C 32 Amanti vicem Crucifixus amatus rependit : et quæ circa Crucis mysterium tanto amore succenditur, Crucis potentia in signis et miraculis illustratur. Signum enim vivificæ Crucis dum morbidis applicat, morbos ab eis mirabiliter fugat. Tangam ex multis aliqua. Fratrem quemdam, nomine Stephanum, furiæ morbo laborantem, B. Franciscus ad dominam Claram transmisit, ut super eum faceret signum sanctissimæ Crucis. Magnam enim sciebat ejus perfectionem, et magnam in ipsa venerabatur virtutem. Consignat eum obedientiæ filia patris jussu, et in loco, ubi ipsa orare solita erat, parumper dormire sinit. At ille post modicum somnum solutus, sanus exsurgit, et ad patrem liber ab insania redit.

multos ægros,

* *Ms. Bod.* Machidius *et Ms. Cors.* Nicolaus

33 Puer quidam annorum trium, nomine Mattheolus *, de civitate Spoleti, lapillum quemdam incaute suis intruserat naribus. Nemo illum ex ejus naribus valebat educere, nec ipse puer projicere. Periclitatus angustia magna, ducitur ad dominam Claram, et dum signo Crucis ab ea signatur, statim projecto lapide, liber efficitur.

Alius puer de Perusio, totum habens oculum macula coopertum, ad sanctam Dei Famulam adductus est. Quæ tacto pueri oculo signum Crucis impressit, et dixit : Ducite eum ad matrem meam, ut ipsa super eum signum Crucis ingeminet. Mater, inquam, ejus domina Hortulana *c*, suam secuta plantulam, post filiam ad religionem transierat, et in horto concluso cum virginibus vidua Domino serviebat. Signo autem Crucis ab ipsa recepto, illico pueri oculus a macula expurgatus, clare et limpide vidit. Asserit ergo Clara, puerum ipsum suæ matris merito esse liberatum : declinat pondus laudis mater in filiam, et se tantæ rei fatetur indignam.

AUCTORE COÆVO.

c

diversis morbis afflictos,

34 Una de sororibus, nomine Beneventuta, plagam fistulæ sub brachio duodecim fere annis perpessa fuerat, quæ per quinque foramina saniem emittebat. Cui compassa virgo Dei Clara, peculiare illud suum signi salutiferi admovit emplastrum. Statimque ad Crucis designationem, perfectam recepit annosi ulceris sanitatem.

Alia de numero sororum, Amata vocabulo, tredecim mensibus aggravata hydropisi, febre insuper et tussi et lateris dolore confecta, jacebat. Super quam domina Clara pietate permota, ad suæ nobilis physicæ recurrit experimentum. Signat eam Cruce in nomine Christi sui, et statim restituit plenariæ sanitati. E

Alia Christi ancilla, de Perusio nata, vocem per duos annos ita perdiderat, quod vix exterius poterat formare sermonem. Cumque in nocte Assumptionis Dominæ nostræ sibi fuisset in visione monstratum, quod domina Clara liberaret eam, diem cum desiderio exspectabat. Qua illucescente, ad Matrem festinat, signum Crucis expostulat, vocem mox signata recuperat.

35 Soror quædam, nomine Christina, magno tempore in una aure surditatem perpessa, multas contra malum illud, frustra tamen, fecerat medicinas. Cujus caput domina Clara clementer consignat, aurem contrectat, auditusque illico reparatur.

ad pristinam sanitatem revocaverit.

Magna erat in monasterio sororum multitudo languentium, diversis doloribus afflictarum. Ingreditur Clara locum ex more cum sua medicina solita, et signo Crucis quinquies facto, quinque statim relevat a languore. Ex his profecto patet, in pectore virginis plantatam esse arborem Crucis, cujus dum fructus reficit animam, præbent exterius folia medicinam.

F

ANNOTATA.

a *Hic divinus favor, sanctæ Virgini collatus, etiam in Speculo S. Francisci Centuria 2 cap. 82 refertur.*

b *Indicatur hic, ni fallor,* Officium Dominicæ Passionis, *quod Waddingus inter opuscula S. Francisci tomo III pag. 381 edidit, et monitione prævia illustravit.*

c *Arturus a Monasterio ad diem secundam Januarii in Martyrologio Franciscano hanc piam mulierem, quæ in vita et post mortem miraculis claruisse dicitur, nomine* beatæ *compellat. Sed Hueberus in Menologio suo Franciscano ab hoc titulo abstinet. Si legitimus illius feminæ cultus ostendi possit, poterit de ea agi in supplemento Januarii nostri, qui postmodum fere media parte augendus erit.*

CA-

AUCTORE COÆVO.

CAPUT V.

Sollicitudo sanctæ Abbatissæ erga suas subditas, exstasis ejus cum sancto Francisco, et prodigiosa panis benedictio.

Sancta subditas suas sollicite erudit. * *Sur.* explebit,

Sane quia erat magistra rudium, et quasi in magni Regis palatio præposita puellarum, tanta eas disciplina informabat, tantoque fovebat pietatis amore, quod sermo nullus explicet *. Docet primo strepitum omnem de mentis hospitio pellere, ut solius Dei penetralibus valeant inhærere. Docet, jam carnalium propinquorum amore non affici, domumque patriam, ut Christo placeant, oblivisci. Hortatur, exactiones contemnere fragilis corporis, carnisque nugas imperio B restringere rationis. Monstrat insidiosum hostem occultos puris mentibus injicere laqueos; aliter sanctos, aliter tentare mundanos. Sic denique, certis horis vult eas operari manibus suis, ut protinus ad conditoris desiderium per orationis exercitium recalescant, et torporem negligentiæ deserentes, igne sancti amoris frigus indevotionis deponant. Nusquam major censura silentii, nusquam amplior color et tenor omnis honesti. Non ibi fluida loquela fluidum loquitur animum, nec verbi levitas levem prodit affectum. Ipsa namque Magistra parca in verbis, abunde mentis vota sermonis brevitate coarctat.

concionibus instrui curat,

37 Providet filiabus per devotos prædicatores alimoniam verbi Dei, ex qua suam deteriorem non efficit partem. Nam tanta in auditu sanctæ prædicationis exsultatione perfunditur, tanta recordatione sui Jesu deliciatur, ut prædicante aliquando fratre Philippo de * Adria, speciosissimus quidam puer virgini Claræ assisteret, et per magnam prædicationis partem suis eam gratulationibus oblectaret. Ex cujus apparitionis intuitu illa, quæ de matre videre talia merebatur, suavitatem inexplicabilem sentiebat. Licet autem litterata non C esset, litteratorium tamen gaudebat audire sermonem, rata quod in testa verborum nucleus lateat, quem ipsa attingebat subtilius, et sapidius degustabat. Novit de cujuslibet sermone loquentis elicere, quod animæ prosit: sciens non minoris esse prudentiæ, de rudi quandoque spina flores decerpere, quam fructum ex arbore nobili manducare. Cum semel dominus Papa Gregorius prohibuisset, ne aliquis Frater ad monasteria dominarum sine sua licentia pergeret, dolens pia Mater cibum sacræ doctrinæ rarius habituras sorores, cum gemitu dixit: Omnes nobis auferat de cætero Fratres, postquam vitalis nutrimenti nobis abstulit præbitores. Et statim omnes Fratres ad Ministrum remisit, nolens habere eleemosynarios, qui panem corporalem acquirerent, postquam panis spiritalis eleemosynarios non haberet. Quod cum audiret Papa Gregorius, statim prohibitum illud in generalis Ministri manibus relaxavit.

* *al.* Andera.

easque materna benevolentia regit,

38 Non autem hæc venerabilis Abbatissa filiarum suarum solas animas diligit, quæ etiam ipsarum corpusculis miro studio caritatis inservit. Nam sæpius in frigore noctis propria manu cooperit dormientes, et quas ad rigorem communem servandum cernit invalidas, remissiori moderamine D vult esse contentas. Si quam turbaret tentatio, si quam, ut assolet, invaderet mœstitudo, secreto vocatam cum lachrymis consolatur. Aliquando se ad pedes prosternit mœrentium, ut maternis blanditiis alleviet vim doloris. Cujus beneficiis filiæ non ingratæ, seipsas tota devotione rependunt. Complectuntur siquidem affectum dilectionis in matre, reverentur in magistra prælationis officium, sectantur in pædagoga rectitudinis gressum, et in Dei sponsa prærogativam mirantur omnimodæ sanctitatis.

et semel post iteratas preces

39 (Franciscus servus Dei altissimi dum staret Assisii, vivente adhuc sponsa Christi Clara, cum frequenter illam suis sacris exhortationibus visitaret, illa rogavit pluries beatum Franciscum, quod faceret ei hanc consolationem, ut scilicet semel insimul manducarent. Sanctus autem Franciscus semper illud facere renuebat. Unde accidit, quod socii sancti Patris, sanctæ Claræ desiderium perpendentes, beato Francisco dixerunt: Pater, nobis videtur, quod rigor iste non sit secundum caritatem divinam, videlicet quod Claram virginem tam sacram et Deo dilectam non exaudis, et E quæ præsertim ad tuam prædicationem pompas seculi dereliquit; propter quod necdum sumere cibum tecum potuit; sed si cum tanta instantia majorem gratiam postulasset, plantulæ tuæ facere debuisses.

ad pauperem S. Francisci mensam admissa,

40 Respondit sanctus Franciscus: Videtur vobis, quod de hoc desiderio illam exaudiam? Cui socii dixerunt: Ita pater; nam digna est, ut hanc consolationem sibi adimpleas. Respondit sanctus Franciscus: Ex quo vobis placet, etiam mihi videtur; sed ut plenius consoletur, volo, quod hoc fiat in Sancta Maria de Angelis: ipsa enim diu stetit in Sancto Damiano reclusa: unde lætificabitur aliquantulum revidendo locum Sanctæ Mariæ, ubi fuit tonsa et facta sponsa Domini nostri Jesu; et ibi comedemus simul in nomine Domini. Ordinata est igitur dies, ut egrederetur cum socia; et comitantibus eamdem sociis sancti Patris, venit benedicta Clara ad sanctam Mariam de Angelis: et beatissima Dei Matre reverenter et humiliter adorata, et loco circumquaque ex devotione lustrato, hora facta est comedendi.

cum eodem et aliis in exstasin rapitur.

41 Humilis autem et divinus Franciscus fecit mensam, sicut sæpe consueverat, in plana terra parari; et sedit ipse, et beatissima Clara, et unus F de sociis sancti Francisci cum socia sanctæ Claræ, et omnes alii ejus socii in mensa illa humili sunt locati. Pro primo autem ferculo incepit Franciscus loqui de Deo tam suaviter et sancte, et tam altissime divine, quod ipse sanctus Franciscus et sancta Clara, et socia, et omnes alii, qui erant in mensa illa paupercula, fuerunt rapti; et tanta abundantia gratiæ Altissimi supervenit. Ipsis autem sedentibus sic raptis, et oculis et manibus in cœlum erectis, hominibus de Assisio et de Betonio, et undique per contratam *a* videbatur, quod *a* Sancta Maria de Angelis, et totus locus et silva, quæ erant adhuc juxta locum, omnia comburebantur, et unus magnus ignis omnia prædicta præoccupaverat, id est ecclesiam et silvam. Propter quod Assisinates, ut loco succurrerent, [cum magna festinatione cucurrerunt], credentes firmiter, quod omnia comburerentur ab igne. Quando vero venerunt ad locum, viderunt cuncta illæsa penitus et intacta. Intrantes autem domum, invenerunt beatum Franciscum cum beata Clara et cum omnibus sociis antedictis raptos ad Dominum, et circa mensam illam humillimam omnes seden-

A sedentes virtute indutos ex alto. Et tunc certitudinaliter adverterunt, quod ille erat ignis divinus, qui ob devotionem tam Sanctorum et Sanctarum dictum locum divini amoris copiosis consolationibus inflammabat. Unde recesserunt valde consolati et ædificati.

et statim rediit ad monasterium,

42 Sanctus autem Franciscus et beata Clara, et cæteri refecti tam copiosa consolatione divina, de alio cibo parum aut modicum curaverunt. Tunc sumpto tam benedicto cibo, beata Clara rediit ad Sanctum Damianum. Unde videntes eam Sorores, fuerunt valde gavisæ, quia timuerunt, ne sanctus Franciscus vellet eam mittere ad aliud monasterium gubernandum, sicut miserat Agnetem germanam ejus Florentiam pro abbatissa : nam illo tempore mittebat sanctus Franciscus ad monasteria exterorum regimina; et aliquando dixit Claræ : Para te, sicut oportebit ire quocunque misero. Et illa, sicut filia obedientiæ, dicebat : Parata sum, Pater, quocunque miseris, obedire. Propter hoc fuerunt Sorores gavisæ quando eam rehabuerunt. Et beata Clara extunc remansit valde in Domino consolata *b*.

ubi jussu summi Pontificis,

B 43 Sancta Clara, devotissima crucis discipula; et pretiosa plantula sancti Francisci, erat tantæ sanctitatis, quod non solum episcopi et Cardinales, sed etiam summus Pontifex eam videre et audire affectuosius cupiebat, et sæpe personaliter visitabat. Etenim quadam vice Papa ad sanctæ Claræ monasterium accessit, ut ab ea, quæ erat sacrarium Spiritus sancti, audiret cœlestia et divina colloquia. Utroque igitur diu de salute animæ et divina laude tractante, interim fecit sancta Clara panem pro Sororibus in mensis omnibus spargi, cupiens panes illos reservare a Christi Vicario benedictos. Unde finita collocutione sanctissima, sancta Clara genu flectens cum magna reverentia rogavit summum Pontificem, ut panes in mensis appositos benedicere dignaretur.

benedixit aliquando panes,

44 Papa vero respondit : Soror Clara fidelissima, ego volo, ut tu benedicas panes istos, et facias super eos crucem Christi benedicti, cui te totam in medullatum sacrificium obtulisti. Illa vero respondit : Sanctissime Pater, parcas mihi, quia in hoc reprehendenda essem nimis, ut coram Vicario Christi ego, quæ una vilis sum muliercula, facere talem benedictionem præsumerem. C Et Papa respondit : Ad hoc, ut præsumptioni non imputetur, sed insuper habeas inde meritum, præcipio tibi per sanctam obedientiam, quod super istos panes facias signum crucis, et benedicas eos in nomine Domini. Illa vero tanquam obedientiæ filia super panes illos crucem faciens, devotissime benedixit.

quibus visibiliter et miro modo signum crucis impressum mansit.

45 Mirabile certe, quod statim in omnibus panibus apparuit signum crucis pulcherrimum; de quo plures fuerunt cum magna devotione comesti, et plures pro miraculo in posterum reservati. Papa insuper de virtuosa cruce, a Sponsa Christi facta, admirans, primo gratias Deo egit, et postea beatam Claram consolabiliter benedixit. Morabantur in dicto monasterio Soror Hortulana, mater sanctæ Claræ, et Soror Agnes ejusdem germana, omnes Spiritu sancto plenæ, cum multis aliis sanctis monialibus et sponsis Christi, ad quas sanctus Franciscus infirmos plurimos transmittebat signo crucis signandos, quod toto corde colebant, et quotquot signabantur, remedium transportabant * *c*.)

* *al.* reportabant.

AUCTORE COÆVO.

ANNOTATA.

a Contrata *vel* contracta *ab Italica voce* contrada, *significat regionem vel tractum terræ, ut in recuso et aucto Cangii Glossario ad hanc vocem licet videre. Eadem ista vox in his Actis aliquoties recurrit.*

b *Hæc historia de cibo simul sumpto ac mirabili omnium raptu in editione Suriana deest; sed illa in nostro Ms. Codice, et in Speculo S. Francisci, quod Bosquierus anno 1623 edidit, centuria 2 cap. 81 legitur. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1221 num. 32 de eodem convivio meminit.*

c *Etiam hæc historia de panibus cruce signatis in editione Suriana omittitur. Verum in Ms. Codice nostro et laudato Speculo S. Francisci apud Bosquierum centuria 2 cap. 83 refertur. Præterea de hoc miraculo superest traditio apud Franciscanos Assisiates, ut Papebrochius noster in suo Ms. Itinerario Romano pag. 276 testatur. Laudatus Waddingus ad annum 1253 num. 2 hæc cum aliis circumstantiis refert, ut § 2 Commentarii prævii monuimus.* E

CAPUT VI.

Ultimus sanctæ Virginis morbus, in quo ab Innocentio IV Pontifice visitatur, et felix illius obitus.

Sanctam Claram ægrotantem,

Quadraginta annis in stadio cucurrerat altissimæ paupertatis, cum ecce jam ad bravium supernæ vocationis, præcedente languore multiplici, propinquabat. Vigore siquidem carnis in annis prioribus austeritati pœnitentiæ succumbente, posteriora tempora occupavit infirmitas, ut quæ sana ditata fuerat merito operum, infirma ditaretur meritis passionum. Etenim virtus in infirmitate perficitur. Cujus miranda virtus qualiter fuerit in infirmitate perfecta, hinc maxime liquet quod in vigintiocto annorum languore diutino non F murmur resonat, non querimonia : sed semper ab ejus ore sanctum colloquium, semper procedit actio gratiarum. Licet autem ægritudinum pondere prægravata, festinare videretur ad finem, placuit tamen Deo, ad tempus illud ipsius obitum reservare, quo ab Ecclesia Romana, cujus erat [futura] filia specialis *, dignis valeret honoribus exaltari. Summo namque Pontifice cum Cardinalibus moram trahente Lugduni, cum Clara præ solito urgeri morbo cœpisset, filiarum mentes ingentis doloris gladius trucidabat.

* *al.* spiritualis.

ut cuidam moniali Benedictinæ antea revelatum fuerat.

47 Mox cuidam Christi ancillæ, virgini Deo devotæ de monasterio S. Pauli, Ordinis S. Benedicti, hujusmodi visio demonstratur. Videtur sibi una cum suis Sororibus apud S. Damianum dominæ Claræ infirmanti assistere, ac eamdem Claram in lecto jacere. Flentibus autem, et cum lachrymis beatæ Claræ præstolantibus exitum, formosa quædam mulier ad lectuli caput apparens, lachrymantibus loquitur : Nolite, inquit, o filiæ, plorare victuram : quoniam mori non poterit, quousque Dominus cum suis discipulis veniat. Et, ecce, post modicum tempus venit Curia Romana Perusium. Audito vero ejus infirmitatis augmen-

AUCTORE DOENO. a augmento, properat de Perusio dominus Ostiensis *a* invisere sponsam Christi, cujus fuerat officio pater, cura nutritius, affectu purissimo semper devotus amicus. Pascit infirmam Dominici corporis Sacramento, pascit et reliquas salutaris exhortationis sermonibus. Supplicat illa tanto patri cum lachrymis, ut suam et aliarum dominarum famulas * pro Christi nomine habeat commendatas. Verum illud super omnia rogat, ut privilegium paupertatis a Domino Papa cum Cardinalibus sibi impetret confirmari : quod fidelis ille religionis adjutor sicut verbo promisit, sic opere adimplevit. Revoluto anno, Dominus Papa cum Cardinalibus de Perusio transivit Assisium, ut de transitu Sanctæ præostensa visio sortiretur effectum. Ipse namque Summus Pontifex, ultra hominem, citraque Deum existens, personam Domini repræsentat; cui in templo militantis Ecclesiæ familiarius hærent, velut discipuli, domini Cardinales.

** Ms. Cors. animas*

invisit Romanus Pontifex, 48 Accelerat jam divina providentia suum de Clara implere propositum : accelerat Christus pauperem peregrinam superni regni palatio sublimare. B Cupit jam illa, et toto desiderio suspirat liberari de corpore mortis hujus, et in æthereis mansionibus Christum videre regnantem, quem fuerat toto corde in terris pauperem paupercula prosecuta. Artubus itaque sacris veteri morbo detritis, nova cumulatur debilitas, quæ et proximam vocationem ad Dominum indicat, et sanitatis perpetuæ viam parat. Festinat sanctæ memoriæ dominus Innocentius IV una cum Cardinalibus visitare Christi ancillam, et cujus ultra feminas nostri temporis probaverat vitam, mortem non dubitat Papali præsentia venerandam. Ingressus monasterium, pergit ad lectulum, et infirmantis ori manum applicat osculandam. Quam illa gravissime suscipit, et pedem Apostolici summa cum reverentia osculandum exposcit. Ascenso ligneo scabello, curialis *b* dominus dignanter pedem accommodat, super quem illa sursum et deorsum inculcans oscula, vultum reverenter acclinat.

b

a quo moritura Virgo indulgentiam peccatorum petit, 49 Petit exinde a summo Pontifice vultu angelico remissionem omnium peccatorum. Qui cum diceret : Utinam ego tanta venia indigerem ; perfectæ absolutionis manus et amplæ benedictionis gratiam impertitur. C Recedentibus autem omnibus, quia die illa manu provincialis Ministri sacram receperat hostiam, sublevatis in cœlum oculis, et junctis ad Deum manibus, cum lachrymis ait suis sororibus : Laudate Dominum, filiolæ meæ, quia tale beneficium hodie Christus mihi est dignatus tribuere, quod cœlum et terra non sufficit compensare. Ipsum, inquit, hodie recepi Altissimum, et ejus Vicarium videre commerui. Circumstant matris lectum filiæ quamcitius orphanandæ : quarum animas acerbi doloris gladius pertransibat. Non somnus eas revocat, non fames ipsas divellit : sed lectulorum oblitas et mensæ, nocte ac die solum plangere delectabat. Inter quas Agnes virgo devota, lacrymarum inebriata salsugine, sororem efflagitat, ne, se relicta, discedat. Cui Clara respondit : Placet Deo, soror carissima, quod discedam : sed tu flere desiste, quoniam post me ad Dominum festine pervenies; et magnam, inquit, consolationem tibi faciet Dominus, priusquam moriaris.

et post septemdecim dies sine cibo transactos, 50 Videtur tandem in extremis plurimis laborare diebus, quibus fides gentium et devotio populorum excrescit : Cardinalium quoque et prælatorum visitatione frequenti, ut vere sancta, quotidie honoratur. Quod vero est auditu mirabile, cum decem et septem diebus nullum cibum sumere D posset, tanta est a Domino fortitudine vigorata, ut omnes ad se venientes, in Christi servitio confortaret. Nam cum benignus frater Reinaldus *c* in tantarum infirmitatum longo martyrio eam ad patientiam hortaretur, liberrima ei voce respondit : Postquam Domini mei Jesu Christi gratiam per illum servum suum Franciscum agnovi, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia gravis, nulla mihi, frater carissime, infirmitas dura fuit.

c

inter lacrymas subditarum suarum. 51 Domino autem propitius agente, et jam quasi ad januam stante, vult sibi sacerdotes et spiritales Fratres assistere, passionem Domini et sancta verba recitare. Inter quos dum apparet frater Juniperus *d*, egregius Domini jaculator, quia calida sæpe verba de Domino eructabat, nova hilaritate perfusa quærit, si aliquid novi de Domino haberet ad manum. Qui aperiens os suum, de fornace fervidi cordis flammantes verborum scintillas emittit, atque in ejus parabolis virgo Dei magnum solatium sumit. Lachrymantes tandem se vertit ad filias, quibus paupertatem recommendans, beneficia divina laudando commemorat. E Benedicit devotos devotasque suas, et omnibus dominabus monasteriorum pauperum, tam præsentibus, quam futuris, largam benedictionis gratiam imprecatur. Cætera sine fletu quis referat? Adstant illi duo B. Francisci socii benedicti, quorum unus Angelus *e* mœrens ipse, consolatur mœrentes : alter Leo *f*, recedentis lectulum osculatur. Plangunt filiæ destitutæ piæ matris recessu, et quam visuræ non essent, prosequuntur cum lachrymis recedentem. Dolent amarissime, totum earum solatium cum illa migrare, seque in valle lachrymarum relictas, non jam a sua magistra ulterius consolandas. Vix a dilaceratione corporum solus pudor continet manum, et doloris ignem illud efficit acriorem, quod exteriori planctu non sinitur vaporare. Imperat claustralis censura silentium, extorquet vis doloris gemitum et singultum. Tument lacrymis facies, et novas adhuc aquas mœrebundi cordis impetus subministrat.

d

e f

magna cum fiducia ad Dominum migrat. 52 Ad se autem conversa Virgo sanctissima, suam animam silenter alloquitur : Vade secura, quia bonum habes conductum itineris, Vade, quoniam, qui te creavit, sanctificavit : et custodiens te semper, velut mater filium, tenero amore dilexit. F Tu, inquit, Domine, benedictus sis, qui me creasti. Quam cum quædam ex Sororibus interrogaret, cui loqueretur, illa respondit : Ego loquor animæ meæ benedictæ. Nec ille gloriosus conductus longe distabat. Nam ad quamdam filiam se convertens, Vides tu, inquit, o filia, Regem gloriæ, quem ego video? Super aliam quoque facta est manus Domini, et corporalibus oculis felicem inter lacrymas excipit visum. Jaculo quidem profundi doloris perfossa, versus portam domus etiam dirigit lumen oculorum : et, ecce, in vestibus albis turba ingreditur virginum, quæ omnes aurea serta suis capitibus deferebant. Graditur inter eas una præclarior cæteris, ex cujus corona, quæ in summo, fenestrati thuribuli speciem prætendebat, tantus splendor irradiat, ut noctem ipsam in diei lucem intra domum convertat. Procedit ad lectulum, ubi Sponsa Filii decubat, et amantissime se super eam inclinans, amplexum dulcissimum præstat. Profertur a virginibus miræ pulchritudinis pallium, ac certatim deservientibus cunctis, et Claræ corpus tegitur, et thalamus adornatur. In crastino igitur beati Laurentii *g*, Matris egreditur anima illa sanctissima, præmio laureanda; temploque carnis soluto, spiritus feli-

g

citer

A citer migravit ad astra. Benedictus hic exitus de valle miseriæ, qui introitus ei beatæ factus est vitæ. Jam pro tenui viatico mensa lætatur civium supernorum; jam pro vilitate cinerum, regno beata cœlico, æternæ stola gloriæ decoratur.

ANNOTATA.

a *Hic Raynaldus vel Reginaldus antea episcopus Ostiensis, postea ad summum Pontificatum sub nomine Alexandri IV evectus est, ut Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 1254 num. 1 tradit.*

b Curialis *apud scriptores mediæ ætatis indicat hominem benignum, comem vel affabilem, teste Cangio in recuso Glossario, in qua significatione hic accipi videtur.*

c *Nescio, an is fuerit Reinaldus vel Raynaldus Reatinus, quem Arturus a Monasterio in Martyrologio suo Franciscano ad diem 27 Februarii* beatum *appellat, et quem Majores nostri eadem die inter Prætermissos collocarunt: nam Arturus in notis ad dictam diem varios hujus vicini nominis Minoritas recenset, quos etiam titulo beatorum* B *exornat.*

d *Is verosimiliter est inclytus ille S. Francisci socius, de quo consule Annales Minorum, et Benignum Fremaut, qui die 4 Januarii gesta ejus collegit.*

e *Hic est Angelus Reatinus, cognomento Tancredus, cujus miram conversionem Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1210 num. 3 narrat. Hunc Majores nostri ad diem 13 Februarii inter Prætermissos posuerunt, etiamsi Arturus eadem die in suo Martyrologio Franciscano illum* beatum *appellet.*

f *De hoc Fratre Leone, socio S. Francisci, consule laudatum Arturum in Martyrologio Franciscano ad diem 15 Novembris, ubi etiam hunc more suo* beatum *nominat. Scire cupimus, an immemorabilem aut legitimum cultum habeat.*

g *Ex his verbis patet,* S. Claram *die* XI *Augusti obiisse, quantumvis cum Martyrologio Romano illam die* XII *ejusdem mensis retulerimus.*

C

CAPUT VII.

Honorificæ ipsius exsequiæ, miracula post mortem, et solemnis canonizatio.

Celebratis honorifice exsequiis,

Rumor incontinenti de transitu virginis totum stupendo auditu concutit populum civitatis. Confluunt viri, confluunt mulieres ad locum, atque in tanta multitudine gentes inundant, ut sola videatur civitas remanere. Omnes sanctam, omnes Deo caram proclamant, et inter laudum verba nonnulli fletibus manant. Accurrit Potestas cum caterva militum et multitudine armatorum, seroque illo ac tota nocte custodias adhibent diligentes, ne forte de pretioso thesauro, qui jacebat in medio, pati contingeret detrimentum. Commovetur die sequenti curia tota: Christi Vicarius cum Cardinalibus accedit ad locum, totaque civitas versus S. Damianum dirigit gressus. Ventum erat ad celebrandum divina, cum fratribus incipientibus officium de Virginibus, non de mortuis, fieri debere proloquitur: ut prius eam canonizare videretur, quam corpus traditum esset sepulturæ. Respondente autem viro eminentissimo domino Ostiensi *a*, morosius agendum, Missa de mortuis celebratur. Confidente postmodum summo Pontifice *b*, Cardinalium quoque et prælatorum cœtu, Ostiensis Episcopus, de vanitate vanitatum sumpta dicendi materia, vanitatis egregiam contemptricem nobili sermone commendat.

Auctore coævo. a b

54 Circumdant illico sanctum funus devota dignatione presbyteri Cardinales, et circa Virginis corpus solita officia complent. Tandem quia nec tutum censent, nec dignum, ut tam pretiosum pignus tam longe distet a civibus, levatur cum hymnis et laudibus, cum tubarum clangore ac jubilatione solemni et ad S. Gregorium * honorifice deportatur: nam et hic locus ille est, ubi S. Patris Francisci corpus primo conditum fuerat; ut qui viam vitæ viventi paraverat, etiam morienti locum quodam præsagio præpararet. Factus est proinde concursus populorum multorum ad tumulum Virginis, laudantium Deum atque dicentium: Vere sancta, vere gloriosa regnat cum Angelis, quæ tantum honorem ab hominibus sumit in terris. Intercede pro nobis ad Christum primiceria pauperum dominarum, quæ innumeros E ad pœnitentiam, innumeros conduxisti ad vitam. Paucis interjectis diebus, Agnes ad Agni nuptias evocata, sororem Claram ad æternas delicias subsecuta est: ubi ambæ Sion filiæ, natura, gratia et regno germanæ, Deo jubilant sine fine. Et vere consolationem illam, quam Clara repromisit Agneti, antequam migraret, accepit. Nam sicut sorore prævia, de mundo ad Crucem transierat: sic dum Clara signis et miraculis rutilaret, Agnes post ipsam de luce finibili mature volavit ad Deum *c*. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

sancta Virgo cum magno populi concursu sepelitur,

** Ms. Cors. Georgium*

c

55 Illa sunt Sanctorum signa mirifica, illa miraculorum testimonia veneranda, quæ in morum sanctitate et operum perfectione consistunt. Johannes quidem signum fecit nullum, non tamen sunt vel erunt Johanne, qui signa faciunt, sanctiores. Ideoque sufficeret sanctæ virgini Claræ ad testimonium sanctitatis perfectissimæ suæ vitæ præconium, nisi interdum aliud exposceret partim tepor, partim devotio populorum. Clara itaque dum viveret, F meritis, et jam in abyssum absorpta perpetuæ claritatis, nihilominus adhuc miraculorum luce per mundi cardines mirifice declaratur. Cogit sincera atque jurata veritas multa conscribere: cogit multitudo quamplura transire *d*.

et variis claret miraculis

d

56 [Puer quidam, nomine Jacobinus de Perusio, non tam infirmus, quam dæmonio pessimo videbatur obsessus. Nunc enim in ignem sese desperate projiciens, nunc in terra collidens, usque ad dentium fractionem, lapides mordens, laniabat miserrime caput suum, et corpus sanguine cruentabat. Ore distorto linguam foris projiciens, membrorum machinam tam facile glomerabat, ut sæpe crus suum poneret super collum. Singulis diebus per duas vices puerum ipsum prædicta vexabat insania: nec illi duæ personæ obsistere poterant, quin propria exueret vestimenta. Peritorum medicorum juvamen requiritur: sed nullus qui sciat consulere, invenitur. Pater ejus, Guidolotus nomine, postquam infortunii tanti remedium apud homines nullum invenit, ad S. Claræ merita se convertit. O virgo, inquit, sanctissima, o mundo venerabilis Clara, tibi miserum natum devoveo, a te sanitatem ejus tota supplicatione

nam præter energumenos,

AUCTORE COÆVO.

plicatione deposco. Festinat ad sepulcrum ejus fide plenus, et allatum puerum super tumbam virginis ponens, protinus opem, dum poscit, acquirit. Statim enim puer ab illa infirmitate liber efficitur, et jam ulterius nulla consimili læsione vexatur.

ab obsessione dæmonis liberatos,

57 Alexandria de Fracto Perusinæ diœcesis, dæmonio nequissimo vexabatur. Quam dæmonium in suam redegerat potestatem, ut faceret per excelsam rupem, quæ in crepidine fluminis eminebat, sicut aviculam volitare: per tenuissimum quoque arboris ramum, fluvio Tyberis impendentem, faciebat descendere, atque eam ibidem quasi ludo vacare: suorum quoque merito peccatorum, cum latus sinistrum penitus amisisset, et manum contractam * haberet, medicinis sæpe tentatis nihil proficiebat: venit ad tumbam gloriosæ virginis Claræ corde compuncta, ejusque meritis invocatis, contra suum illud triplex periculum unius remedii salutarem sumit effectum. Contracta quidem manus extenditur, latus sanitati redditur, possessa a dæmonio liberatur. Altera mulier ejusdem loci, a dæmonio et multis doloribus, B eodem tempore ante sepulcrum Sanctæ, munus liberationis accepit.

* Ms. Bod. confractam

aliosque ægros sanatos,

58 Puerum quemdam Francigenam *e*, qui curiam sequebatur, furiæ morbus invaserat qui ipsi et loquelæ abstulerat usum, et corpus monstrose fecerat inquietum. Detineri ab aliquo minime poterat, sed potius intra manus detinere volentium horribiliter se frangebat. Ligatur funibus lectulo mortuorum; et a compatriotis ad ecclesiam S. Claræ defertur invitus, ante sepulcrum ejus deponitur, et statim pro fide offerentium peroptime liberatur.

Valentinus de Spello, caduci morbi ruinæ in tantum erat obnoxius, quod sex per diem vicibus indifferenter ubilibet corruebat. Cruris etiam contractione plagatus, liber ambulare non poterat. Ducitur asello vectus ad S. Claræ sepulcrum; ubi duobus diebus et tribus noctibus jacet: die tertio, nullo tangente, crus ejus fragore magno personuit, et ab utraque infirmitate sanatus illico fuit.

mirabiliter usum oculorum restituit cæco,

59 Jacobellus dictus filius Spoletinæ, duodecim annorum cæcitate percussus, ducem itineris sequebatur, nec sine ductore quoquam poterat, nisi in præcipitium, ambulare. Nam et semel a C puero parumper dimissus, in præcipitium actus, brachii fracturam cum vulnere capitis reportavit. Hic cum juxta pontem Vernii * quadam nocte dormiret, apparuit ei domina quædam in somnis dicens: Jacobelle, quare tu ad me non venis Assisium, ut libereris? Qui mane consurgens, duobus aliis cæcis tremebundus recitat visionem. Respondent illi: Dominam quamdam nuper audivimus in Assisii civitate migrasse, cujus sepulcrum per sanitatum munera et per multa miracula manus Domini dicitur honorare. Quo audito, impiger factus concite properat, et nocte hospitatus apud Spoletum, camdem cernit iterum visionem. Ocyus advolat, totum se præ amore luminis ad cursum præcingens.

* Ms. Bod. Varnii

qui inter multos ægrotos ad tumulum ejus venerat.

60 Perveniens autem Assisium, tantas ante Virginis mausoleum gentium concurrentium reperit turbas, ut ipse intrare nullatenus posset ad tumbam. Supponit lapidem capiti suo, et cum fide magna, dolens tamen, quod introitum habere non posset, somnum capit præ foribus ejus. Et, ecce, tertio vox ad eum: Benefaciet tibi Dominus, Jacobe, si poteris * introire. Evigilans ergo, rogat cum lachrymis turbas, clamans et preces ingeminans, ut ei propter divinam pietatem viam præstare dignentur. Data sibi via, calceamenta projicit, vestes exuit, collum corrigia cingit, et sic humiliter sepulcrum contingens, lentum somnum incurrit. Surge, inquit ei beata Clara, surge, quia liberatus es. Extemplo surgens, omni cæcitate discussa, omni oculorum caligine relegata, dum clare per Claram videt, luminis claritatem Deum laudando clarificat, et pro tanti mirificentia operis ad benedicendum Deum omnes gentes invitat. D

* Ms. Bod. poteris Jacobelle

Insuper sanat manum fractam,

61 Perusinus quidam, vocatus Bonus Johannes *, cum suis civibus contra Fulginates perrexerat. Cumque hinc inde concertatio incepisset, gravis ictus lapidis ejus manum dura quassatione perfregit. Expendit in medicos pecuniam multam sanitatis amore; sed nullo potest medicinali suffragio in tantum juvari, quin ipsam manum portet inutilem, et ad omne opus penitus impotentem. Dolens itaque illius quasi non suæ dextræ pondus ferre, usu carere, optat sibi pluries esse truncatam. Audiens vero, quæ per famulam suam Claram Dominus dignabatur ostendere, votum vovens, ad E sepulcrum Virginis properat, affert ceream imaginem manus, et super tumbam S. Claræ incumbit. Statim, priusquam ecclesiam exeat, manus ejus perfecte restituta est sanitati.

* Ms. Bod. addit Martini

puerum curvum,

62 Petronus quidam de castro Bitone *, trium annorum infirmitate consumptus, totus fere diutini languoris tabe dessiccatus apparuit. Cujus violentia morbi adeo contractus erat in cruribus, ut curvus semper et ad terram reflexus, vix cum baculo pergere posset. Explorat pater pueri multorum solertiam medicorum, illorum præcipue qui fractis ossibus medendi peritiam habebant. Paratus erat omnia bona sua expendere pro recuperanda pueri sanitate. Cumque responderetur ab omnibus, nullius artis ope illi morbo posse succurri, ad novæ Sanctæ suffragia, cujus audiebat magnalia, se convertit. Portatur puer ad locum, ubi pretiosa virginis spolia requiescunt, et non diu ante sepulcrum jacens, perfectæ sanitatis gratiam sumit. Confestim namque rectus et sanus exsurgit, ambulans et exsiliens, et laudans Deum, et ad S. Claræ laudes populum confluentem invitat.

* Ms. Bod. Bitoniæ

claudum ex utero matris,

63 Erat puer decem annorum in villa S. Quirici Assisinatis diœcesis, claudus ex utero matris suæ, tibias habebat exiles, pedes in transversum jactabat, et tortuose deambulans, vix poterat surgere, cum cadebat. Mater ejus beato Francisco F pluries eum devoverat, nec ullius meliorationis opem acceperat. Audiens vero beatam Claram novis coruscare miraculis, ad sepulcrum ejus puerum deportavit. Post aliquot dies sanatis ossibus tibiarum, ad rectudinem sunt membra reducta, et quod S. Franciscus multis precibus exoratus non tribuit, sua discipula Clara virtute divina concessit.

aliosque contractos,

64 Civis Eugubinus, nomine Jacobus de Franco, puerum quinquennem habens, qui debilibus pedibus nunquam ambulaverat, nec poterat ambulare, tanquam ostentum suæ domus, et opprobrium suæ carnis deplorabat. Cubitabat in solo, reptabat in cinere, volvens se quandoque ad scamnum *, nec potens erigere: cui natura gradiendi desiderium dederat, negaverat facultatem. Vovent puerum parentes ejus meritis S. Claræ, atque, ut ipsorum verbo dicatur, volunt esse hominem sanctæ Claræ, si per eam sanitatem fuerit consecutus. Protinus voto emisso, Virgo Christi suum hominem sanans, liberæ ambulationis officium

* Ms. Bod. bancum

A cium in oblato sibi puero reparavit. Illico parentes ad Virginis tumulum cum puero properantes, eum subsilientem et gaudentem Domino obtulerunt.

65 Mulier quædam de castro Menanii, Pleneria nomine, diu contractionem renum perpessa, non nisi baculo sustentata poterat ambulare. Adminiculo tamen baculi non curvum erigebat corpus, sed nutantes utcunque trahebat gressus. Deferri se fecit quodam die Veneris ad tumulum S. Claræ; ubi preces ad eam devotissime fundens, celeriter obtinuit, quod fideliter postulavit. Sequenti namque sabbato, integra sanitate obtenta, propriis pedibus est reversa, quæ fuerat per alios adducta.

vel paralyticos

66 Tumores gutturis, quos vulgari sermone scrofulas *f* vocant, puella quædam Perusina cum dolore multo diu portaverat. Viginti quidem glandulæ numerabantur in gutture, ut ipsum puellæ guttur satis capite crassius videretur. Duxit eam sæpe mater ejus ad memoriam virginis Claræ, ubi ipsius sanctæ beneficium devotissime implorabant. Cumque tota quadam nocte ante sepulcrum B puella jaceret, prorumpente sudore, strumæ illæ mollificari cœperunt, atque de suo loco paululum commoveri. Processu vero temporis, per S. Claræ merita sic evanuerunt, ut nulla penitus vestigia remanerent.

ac aliis morbis afflictos. *f*

67 Consimile malum una de sororibus, Andrea nomine, dum adhuc in carne virgo Clara maneret, portabat in gutture suo. Mirum certe, quod in medio lapidum ignitorum anima tam frigida latitabat, et inter prudentes virgines desipiebat * imprudens. Hæc siquidem nocte quadam guttur suum usque ad præfocationem constrinxit, ut globum illum per buccam projiceret, volens de seipsa divinam supergredi voluntatem. Sed hoc incontinenti per scriptum Clara cognovit. Curre, inquit uni, curre velociter in inferiorem domum, et ovum calefactum sorori Andreæ de Ferraria sorbendum præbe, simulque cum illa ad me ascende. Properans illa, reperit dictam Andream loquela privatam, propriæ manus injectione suffocationi propinquam. Relevat eam, ut potest, et secum ducit ad matrem; cui et dixit famula Dei: Misera, cogitationes tuas Domino confitere, quas et ego bene cognovi. Ecce quod sanare voluisti, sanabit Dominus Jesus Christus. Sed vitam muta in melius, quoniam de infirmitate alia, quam pateris, non C consurges. Ad cujus verbum spiritum compunctionis accepit, et vitam satis egregie mutavit in melius. Post modicum ergo sanata de scrofulis, de alia infirmitate migravit.

qui patrocinium sanctæ imploraverant,
* Ms. Cors. stultizabat

68 Crudelium luporum feralitas sæva contractam vexare solebat : qui in ipsos homines irruentes, humanis sæpe carnibus pascebantur. Mulier ergo quædam, nomine Bona, de monte Galliano Assisinatis diœcesis, duos filios habens, unius, quem lupi rapuerant, vix planctum compleverat *, cum ecce ad secundum consimili ferocitate festinant. Stante namque matre in domo, et aliquid rei familiaris agente, puero deambulanti exterius lupus dentes infigit, ac per cervicem mordens, cum tali præda ad sylvam quantocius tendit. Audientes autem pueri stridores homines, qui erant in vineis, ad matrem clamant, dicentes : Vide, si filium tuum habes; quoniam ploratus insuetos paulo ante persensimus. Cognoscens mater filium a lupo direptum, clamores in excelsum levat, et ululatibus aerem complens, virginem Claram invocat, dicens : Sancta et gloriosa virgo Clara, redde mihi miserum filium meum. Redde, ait, redde infelici matri natellum. Quod si non feceris, me ipsam aquis necabo. Currentes itaque vicini post lupum, reperiunt infantulum a lupo in sylva dimissum, et canem juxta puerum ejus vulnera delingentem. Cervici primos injecerat morsus bestia fera : dehinc ut prædam levius ferret, ipsius pueri renibus suas impleverat fauces, et utrobique non levis attactus signa reliquerat. Voti compos effecta mulier, cum suis vicinis ad suam properat adjutricem, et pueri varias plagas omnibus videre volentibus monstrans, Deo et S. Claræ gratias copiosas exsolvit.

et quosdam e faucibus luporum
* Ms. Bod. deplangebat

Auctore coævo.

69 Puella quædam de castro Cannarti *, clara die in agro sedebat : in cujus sinu mulier altera reclinaverat caput. Et ecce lupus hominum rapax, furtivos ad prædam concitat gressus. Quem tamen puella vidit : sed quia canem credidit, non expavit. Cumque infantula cœpto intenderet scrutinio capillorum, efferatur in illam bestia truculenta, ejusque vultum suo vasto hiatu concludens, prædam portabat ad sylvam. Surgit protinus mulier stupefacta, et S. Claræ memor, clamores suscitat, dicens : Succurre sancta Clara, succurre; tibi in hac hora puellam istam commendo. Ipsa denique, mirabile dictu, quæ lupi dentibus portabatur, contra lupum invehitur, dicens : Portabis me tu latro ulterius, tantæ Virgini commendatam? Qua inveccione confusus, puellam statim in terram molliter posuit, et quasi latro deprehensus, festine discessit.] E

prodigiose eripit,
* Ms. Bod. Carnarii

70 Residente autem in sede beati Petri clementissimo Principe domino Alexandro IV *g*, viro totius sanctitatis amico, qui et Religiosorum tutela, et Religionum firma columna erat, cum horum mirabilium relatio curreret, et de die in diem fama virtutum Virginis latius resonaret, canonizationem tantæ Virginis ipse jam mundus cum desiderio exspectabat. Dictus itaque Pontifex, tantorum turba signorum quasi re insolita * excitatus, de canonizatione ejus una cum Cardinalibus cœpit habere tractatum. Committuntur personis solemnibus et discretis examinanda miracula, vitæ quoque magnalia discutienda traduntur. Invenitur Clara, dum viveret, omnium virtutum exercitio clarissima; invenitur post transitum veris et probatis miraculis admiranda. Die enim ad hoc statuta, cum cœtus Cardinalium convenisset, Archiepiscoporum et Episcoporum conventus adesset, Cleri concio ac Religiosorum, sapientum quoque et F potentum plurima multitudo assisteret, summo Pontifice illud salubre negotium in medium proponente, ac Prælatorum judicium sciscitante, universi prompto favore propensius annuentes, Claram dicunt clarificandam in terris, quam Deus clarificavit in excelsis.

ac propter hæc crebra miracula *g*
* Ms. Bod. in rem insolitam

71 Instante vero die migrationis ejus ad Dominum, duobus annis ab ipsius transitu revolutis, Prælatorum et totius Cleri multitudine convocata, sermone quoque præmisso, felix Alexander, cui hæc a Domino fuerat gratia reservata, cum celebritate permaxima Sanctorum catalogo Claram reverenter adscripsit, festumque ejus solemniter in tota Ecclesia celebrandum instituit, atque ipse prius cum tota Curia solemnissime celebravit. Acta sunt autem hæc apud Anagniam in ecclesia majori, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto * *h*, Pontificatus Domini Alexandri anno primo : ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

solemniter catalogo Sanctorum adscribitur.
* Ms. Bod. sexto *h*

ANNO-

AUCTORE COÆVO.

ANNOTATA.

a *Is est idem Raynaldus vel Reginaldus supra laudatus, et postmodum sub nomine Alexandri IV ad cathedram S. Petri evectus, de quo Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis anno Christi 1253 num. 14 eamdem rem ex hoc biographo narrat.*

b *Hic in Ms. codicem nostrum manifestus error irrepsit, quem correxi : nam post vocem* pontifice *additur* Alexandro, *pro quo certe legendus est* Innocentius, *cum Alexander IV tantum mense Decembri anni 1254 ad summum Pontificatum evectus fuerit, et exsequiæ illæ ante istud tempus celebratæ fuerint.*

c *Hæc Agnes nonaginta septem diebus post obitum sanctæ sororis suæ Claræ obiit, scilicet die 16 Novembris, quo gesta ejus in Opere nostro discuti poterunt cum immemorabilem cultum habere videatur.* D

d *Hic Ms. codice nostro transilitur ad canonizationem, et sequentia miracula omittuntur, quæ tamen in Passionale Bodecensi, Codice Ms. Corsendoncano et apud Surium leguntur, et quæ propterea uncis inclusi, ut in Commentario promiseram.*

e Francigena, *id est, natione Gallus.*

f *Vox Italica* scrofola, *Latine* strumam *significat.*

g *Hic ad apicem Pontificiæ dignitatis evectus est exeunte anno Christi 1254, ut jam monuimus.*

h *Etsi Passionale Bodecense notet, id factum esse anno Christi 1256, tamen videtur legendus annus 1255, qui ex* anno primo *Alexandri IV, et aliunde confirmatur.*

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM II AUGUSTI

A

B

Baduradus

C

D

Eomitianus

K

L

M

Maurilius

N

O

P

Petrus

Udal-

T

U

V

W

X

Y

Z

INDEX
TOPOGRAPHICUS

Comum

INDEX

ONOMASTICUS

A

Bavi-

Gen-

Refl-

INDEX MORALIS

A

E

G

H

I

L

M

FINIS

ANICII. — EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.